JOHANNES DUNS SCOTUS

# OPERA OMNIA

VIII

1968

GEORG OLMS VERLAGSBUCHHANDLUNG
HILDESHEIM

Die Originalvorlage für diesen Faksimiledruck ist im Besitz
der Niedersächsischen Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen.
Signatur: 2° Patr. Lat. 1842/3

Die falsche Paginierung sowie die teilweise
schlecht ausgedruckten Passagen der Originalvorlage
wurden beibehalten.

Reprografischer Nachdruck der Ausgabe Lyon 1639
Printed in Germany
Herstellung: fotokop W. Weihert, Darmstadt
Best.-Nr. 5101861

# R. P. F.
# IOANNIS DVNS SCOTI,
# DOCTORIS SVBTILIS,
## ORDINIS MINORVM,

*QVÆSTIONES*

## IN LIB. IV. SENTENTIARVM,

*Nunc denuò recognitæ, Annotationibus marginalibus, Doctorúmque celebriorum ante quamlibet Quæstionem citationibus exornatæ, & Scholijs per textum insertis illustratæ.*

CVM COMMENTARIO R. P. F. ANTONII HIQVÆI
Hiberni, eiusdem Ordinis S. Theologiæ Lectoris emeriti.

## TOMVS OCTAVVS.

LVGDVNI,
Sumptibus LAVRENTII DVRAND.

*M. DC. XXXIX.*
CVM PRIVILEGIO REGIS.

# PRÆFATIO AVTHORIS
## IN SVOS COMMENTARIOS quarti Sententiarum IOANNIS DVNS SCOTI.

PROLIXI huius operis rationem exponere, illorum erit, qui inuito neceſſitatem eius acceptandi, & laborem impoſuerunt: ita enim placuit Reuerendiſſimo Patri Fr. Ioanni Baptiſtæ à Campanea, Generali Miniſtro totius Ordinis, & Patribus huius Collegij, vt ego conatum, & operam applicarem: excuſare debui, non licuit. Imperium itaque ſecutus, ſi in facto minùs inſtructus deprehendar, non temeritatem ex facultate, ſed neceſſitatem ex mandato, æquus rerum æſtimator perpendet. Id enim ingenuè fateor opus eſſe maioris ingenij, & facultatis, prolixioris ſtudij, & temporis, quàm vt vel mihi ſuppetit, vel præſcriptum eſt. Sed nè vel facti curam omnem abieciſſe videar, aut debito vanam ſubſtruere excuſationem, ſupereſt vt methodum ſubiungam, & quid fuerim conatus, non quid præſtiterim, exponam.

In primis ſecutus ſum impreſſionem correctam Antuerpienſem, quam Illuſtriſſimus Dominus, & obſeruandus Magiſter meus, Frater Hugo Cauellus, Primas Hiberniæ Armacanus, edidit, eiúſque partitiones per Scholia, vt vel ſic per membra, & articulos Commentarius diſtribueretur, iuxta ipſius textus diuiſionem, nè continua ſerie deductus, grauis fieret, & prolixus. Hic ſtylus magis placuit, quia claritate præſtat, & commoda de Scholio in Scholium explicatio ſubiecta Lectorem continet, nè longiùs excurrendum eſſet.

Deinde ſecundùm cuiuſque Scholij materiam, per paragraphos varios percurri, ſingulis propriam expoſitionem ſubiiciens, & initia ſingulorum litera curſiua adnotaui, vt etiam lectorem non oporteat diuagari, ſed in promptu occurrat, quod compendio exquirit.

Tertiò, nè Commentarij ſtylum peruerterem, aut præſcriptum tranſilirem, viſum eſt controuerſias omnes, quæ vel cum hæreticis, vel in Schola inter Theologos agitantur, ad ipſum textum Doctoris,

in quo ipſius reſolutio magis expreſsè occurrit, reuocare; nè ſi in diuerſum tractatum referrentur ſub variis titulis, in molem excreſcerent, & non tam expoſitioni textus, quàm differenti argumento, & repetitioni inutili eiuſdem doctrinæ, quod ſuperfluum eſſet. Deinde, aliquas etiam quæſtiones, & dubia adieci ad completum tractatum ſpectantia, quæ in terminis non diſſerit Doctor, quamuis reſolutio principiis eius inhæreat, & communi ſtylo in Scholis agitantur: vbi autem nulla occurrit controuerſia, aut obſcuritas in ipſo textu, ſed communis, & recepta doctrina per recapitulationem, dicta Doctoris breuiter ſubiicio; quod aliquando etiam in controuerſiis præſtare oportuit, vel remittendo tractatum in alium locum, in quo magis ex inſtituto diſſerit Doctor, vel etiam quando variæ opiniones circa idem occurrunt, quibus reſpondendum eſt, neque claritati aliter conſuli poteſt.

Quartò, eam rationem interpretandi Doctorem ſecutus ſum, quæ vel magis ex textu mihi congrua occurrit, vel quæ magis communi ſenſui, tam noſtrorum, quàm aliorum eſt conſona. Quòd ſi aliquando mihi occurrat diuerſa interpretatio, ita inhæreo, vt aliorum non contemnam; ſed hinc inde ad vtriuſque ſcopum principia, quantum licet, deduco, vt penes lectorem ſit electio. Quando autem inter ipſos Doctoris diſcipulos aliqua eſt differentia, vt plurimùm ſequor iudicium Illuſtriſſimi Cauelli in Scholiis, cuius doctrinæ, & ingenio plurimùm confido, ſi aliunde non occurrat reconciliationis fundamentum, aut ratio probabilis, quæ vtramque interpretationem foueat: quin etiam controuerſias cum aliis Scholaſticis, quantùm licet, aufero, quæ magis verbis, quàm principiis inhærent.

Quintò, mei inſtituti fuit totum opus duobus tomis comprehendere, ſed non licuit: quia & opus ipſum tam ex textu Magiſtri, quàm Doctoris excreſcit, & magna copia modernorum ſcriptorum, & crebra impugnatio aduerſus principia, vel placita Doctoris, & ſententiam, ad ſingulos pene paſſus remoram iniecit, vt neceſſariò fuerit ſubſiſtendum & inſiſtendum longiori tractatu, & circuitu: nam & primus tomus complectens tractatum de Sacramentis in genere, de Baptiſmo, Confirmatione, & Euchariſtia, vltra diſtinctionem decimamtertiam nequiuit protrahi. Secundus tomus incipit à diſtinctione decimaquarta, & complectitur tractatum de Pœnitentia, Iuſtitia, & Iure, extrema Vnctione, & Matrimonio, & terminatur diſtinctione quadrageſimaſecunda. Tertius autem tomus reliquas octo diſtinctiones de Beatitudine, & pœnis, & huc ſpectantibus vſque ad finem: neque aliter ad vſum Commentarij licuit mihi comprehenſio.

Reliquum eſt, vt ſi quid minùs debitè ſcriptum ſit, ingenuus lector corrigat, aut ſuppleat: ſi quid verò ad normam, eo ſuo iure fruatur.

tur. Aliquot ſubinde ex prælo irrepſerunt errata, quæ ex diſcurſu facilè deprehendentur: vnum eſt quod mihi diſplicet diſtinctione 11. quæſt. 3. num. 44. ſub finem, vbi diſcuſſa cenſura cuiuſdam viri grauis in Doctorem, eáque expuncta, neſcio vnde illapſa ſit appellatio *proterui Scriptoris*, quæ in originalibus noſtris non inuenitur, neque ad ſcopum diſcurſus facit, ſed potiùs *Modernus Scriptor* dici debuit, vt comparatio inſtituta locum habeat, neque inſtituti mei fuit vllum grauem virum vellicare, quod vitium in aliis reprobo. Itaque & hoc, & quidquid aliud ſimile occurret, ſi quod ſit, inaduertenti excidit, & cupio vt corrigatur: neſcio enim qua noſtra ægritudine, dum animus in diſcurſum raptus, calamo non inuigilat, haſce lituras pariat, ex quibus ſpinæ, quæ alios, & immeritos compungunt, ſuccreuiſſe miramur. Omnia iudicio & correctioni S. R. E. libens ſubiicio.

Fr. ANTONIVS HIQVÆVS.

## *FR. IOANNES BAPTISTA A CAMPANEA, totius Ordinis Minorum Generalis Minister & seruus, dilecto in Christo P. Fr. Antonio Hiquæo, nostri Collegij S. Isidori in Vrbe S. Theologiæ Professori emerito, salutem.*

NIHIL tam desiderauimus, quàm vt in quatuor libros Sententiarum nostri Doctoris Subtilis integra prodirent Commentaria, vel saltem complerentur, quæ prætermisit noster prædecessor, Reuerendiss. P. Franciscus Lychetus. Id te præstitisse est quòd gratulemur, doctis præsertim nostri instituti viris laborem tuum collaudantibus. Primum itaque Tomum hunc à te in quartum Sententiarum editum, & ab iis, quibus reuidendum commisimus, approbatum, placet vt prælo committas, obseruatis Tridentini, & nostris constitutionibus. Hortamúrque vt sedulò circa reliquos, qui supersunt Tomos, sedulam curam impendas. Vale ex nostro Conuentu S. Mariæ de Aracæli 14. Maij 1636.

Fr. IOANNES BAPTISTA A CAMPANEA,
Minister Generalis.

## *APPROBATIO.*

OPVS hoc Commentariorum in tredecim priores distinctiones Doctoris Subtilis in quartum librum Sententiarum à R. admodum P. Antonio Hiquæo, Seraphici Ordinis, & Regularis Obseruantiæ Alumno, ac eiusdem sacræ familiæ in sacra Theologia Prælectore emerito, compositum, quâ potui diligentiâ perlegi, nec quidquam reperi quod fidei, pietati, aut bonis moribus dissentaneum sit: quin potiùs pro fidei mysteriis, quæ in Sacramentis relucent, elucidandis, eiusdem Subtilis Doctoris sententiis explicandis, ac variis nodis, ac tricis Theologicis enodandis, opus prælo, & luce dignum censeo, si ita videbitur Reuerendiss. P. Magistro sacri & Apostolici Palatij, cuius commissione illud mihi examinandum traditum est. Romæ in cœnobio B. Virginis Transpontinæ Ordinis Carmelitarum die 28. Iulij 1636.

Magister Fr. IOANNES BAPTISTA DE LAZANA.

*Imprimatur.*

Fr. NICOLAVS RICCARDIVS, S. Palatij
Apostolici Magister.

## *CENSVRA ORDINIS.*

NOS infrascripti S. Theologiæ Lectores, Ordinis Minorum Regularis Obseruantiæ, in Collegio S. Isidori in Vrbe, ex commissione Reuerendiss. P. Fr. Ioannis Baptistæ à Campanea, Ministri Generalis totius Ordinis, legimus diligenter Tomum primum Commentarij, quem edidit R. P. Fr. Antonius Hiquæus S. Theologiæ Lector emeritus, in quartum Sententiarum nostri Doctoris Subtilis, in quo nihil fidei, aut bonis moribus contrarium inuenimus; imò doctissimum, & nostræ scholæ Professoribus summè vtilem iudicamus, & proinde dignissimum, qui ad fructum aliorum, & magnum rei Theologicæ incrementum publicetur. Datum in prædicto Collegio 4. Maij 1636.

Fr. IOANNES A S. FRANCISCO,
S. Theologiæ Lector.

Fr. THADÆVS DALÆVS, S. Theologiæ Lector.

Fr. PATRICIVS BRENANVS,
S. Theologiæ Lector.

# INDEX

## Diſtinctionum, & Quæſtionum quæ hoc Tomo continentur.


*DISTINCTIO I.*

*Quæſt.* 1. AN creatura poſſit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis. *pag.* 7

2. Vtrùm hæc ſit ratio diffinitiua Sacramenti, quam ponit Magiſter, *Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.* 55

3. Vtrùm pro tempore cuiuſque legis à Deo datæ debuerit inſtitui aliquod Sacramentum. 68

4. Vtrùm ſit poſſibile aliquod Sacramentum, quantumcunque perfectũ, habere cauſalitatem actiuam reſpectu gratiæ conferendæ. 78

5. An poſſibile ſit in Sacramento eſſe virtutem ſupernaturalem. 79

6. Vtrùm in Circumciſione ex vi eius collata fuerit gratia. 109

7. Vtrùm tempore legis naturæ fuerit aliquod Sacramentum correſpondens Circumciſioni. 130

*DISTINCTIO II.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam à Chriſti paſſione. 134

2. Vtrùm baptizatus Baptiſmo Ioannis neceſſariò tenebatur baptizari Baptiſmo Chriſti. 147

*DISTINCTIO III.*

*Quæſt.* 1. An illa definitio Baptiſmi, quam ponit Magiſter, ſit propria, ſcilicet: *Baptiſmus eſt tinctio corporis exterior, &c.* 155

2. Vtrùm hæc ſit præciſa forma Baptiſmi: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 159

3. An ſola aqua naturalis pura ſit conueniens materia Baptiſmi. 182

4. Vtrùm inſtitutio Baptiſmi euacuet Circumciſionem. 188

*DISTINCTIO IV.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm paruuli ſint baptizandi. 217

2. Vtrùm paruuli baptizati recipiant effectum Baptiſmi. 221

3. Vtrùm paruulus in ventre matris baptizari poſſit. 229

4. Vtrùm non conſentiens poſſit recipere effectum Baptiſmi. 236

5. An adultus fictus recipiat effectum Baptiſmi. 241

6. Vtrùm iam iuſtificati teneantur ad ſuſceptionem Baptiſmi. 255

7. Vtrùm omnes baptizati recipiant æqualiter effectum Baptiſmi. 269

8. Quid faciendum de paruulo expoſito. 274

9. Vtrùm paruuli Iudæorum, & infidelium ſint inuitis parentibus baptizandi. 275

*DISTINCTIO V.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm malitia miniſtri impediat collationem Baptiſmi. 283

2. An recipiens Baptiſmum ſcienter à malo miniſtro mortaliter peccet. 286

3. An aliquis debeat miniſtrare ſacramentum Baptiſmi, quando præſumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis eius, qui ſuſcipit. 293

*DISTINCTIO VI.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm ſolus Sacerdos poſſit baptizare. 301

2. Vtrùm vnitas Baptiſmi neceſſariò requirat quòd ab vno miniſtro conferatur. 308

3. Vtrùm requiratur ſimul eſſe ablutionem, & prolationem verborum. 316

4. Vtrùm oporteat baptizantem eſſe perſonaliter diſtinctum à baptizato. 318

5. Vtrùm in baptizante requiratur intentio baptizandi. 320

6. Vtrùm in baptizante requiratur intentio actualis. 328

7. Vtrùm Baptiſmus poſſit iterari. 330

8. Vtrùm ſit pœna conſtituta reiterantium Baptiſmum. 333

9. Vtrùm in Baptiſmo imprimatur character. 336

10. An character ſit forma abſoluta. 350

11. Vtrùm character ſit in eſſentia animæ, vt in proximo ſubiecto. 369

*DISTINCTIO VII.*

*Quæſt.* 1. Quid ſit ſacramentum Confirmationis? de materia, & forma: de ſuſcipiente, & miniſtro, & de conditionibus requiſitis in conferente, & ſuſcipiente hoc Sacramentum. 374

2. Vtrùm ſacramentum Confirmationis ſit neceſſarium ad ſalutem. 398

# Index Diſtinctionum, & Quæſtionum.


3. Vtrùm ſacramentum Confirmationis ſit dignius Baptiſmo. 399
4. An ſacramentum Confirmationis poſſit iterari. 400
5. Vtrùm ſit aliqua pœna iterantium ſacramentum Confirmationis. 402

*DISTINCTIO VIII.*

*Quæſt.* 1. An Euchariſtia ſit Sacramentum nouæ legis. 406
2. Vtrùm illa ſit forma præciſa conſecrationis Euchariſtiæ, quæ ponitur in Canone Miſſæ. 422
3. Vtrùm ſacramentum Euchariſtiæ poſſit recipi à non ieiunis. 444

*DISTINCTIO IX.*

*Quæſt. vnic.* Vtrùm exiſtens in peccato mortali, peccet mortaliter percipiendo ſacramentum Euchariſtiæ. 468

*DISTINCTIO X.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm poſſibile ſit corpus Chriſti ſub ſpecie panis, & vini realiter contineri. 487
2. Vtrùm idem corpus poſſit eſſe localiter ſimul in diuerſis locis. 508
3. Vtrùm corpus Chriſti poſſit eſſe ſimul in cœlo, & in Euchariſtia. 527
4. Vtrùm corpori Chriſti naturaliter exiſtenti, & eidem ſacramentaliter exiſtenti inſint eædem partes, & proprietates. 531
5. Vtrùm quæcunque actio immanens, quæ eſt in Chriſto naturaliter exiſtente, inſit ſibi in Euchariſtia ſacramentaliter exiſtenti. 546
6. Vtrùm corpori Chriſti in Euchariſtia exiſtenti poſſit ineſſe motus corporalis. 551
7. Vtrùm Chriſtus in Euchariſtia exiſtēs poſſit per aliquā virtutem naturalem tranſmutare aliquid aliud à ſe. 559
8. Vtrùm aliquis intellectus creatus poſſit naturaliter videre exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. 563
9. Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit videri oculo corporali. 571

*DISTINCTIO XI.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm tranſubſtantiatio ſit poſſibilis. 585
2. Vtrùm ſit poſſibile quodlibet ens conuerti in quodcunque. 595
3. Vtrùm panis conuertatur in corpus Chriſti in Euchariſtia. 604
4. Vtrùm panis in cõuerſione in corpus Chriſti annihiletur. 657
5. An conuerſio panis in corpus Chriſti poſſit verè exprimi, & quibus propoſitionibus. 673
6. Vtrùm ſolus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus ſit conueniens materia conuerſionis in corpus Chriſti. 674
7. Vtrùm ſolum vinum expreſſum de vua ſit materia conueniens ad conuerſionem in ſanguinem Chriſti. 687

*DISTINCTIO XII.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm in Euchariſtia ſit aliquod accidens ſine ſubiecto. 702
2. Vtrùm quodcunque accidens in Euchariſtia remanens ſit ſine ſubiecto. 728
3. Vtrùm accidentia in Euchariſtia poſſint habere quamcunque actionem, quam poterant habere in ſubiecto. 738
4. Vtrùm omnis tranſmutatio, quæ poteſt cauſari ab agente creato circa accidentia in Euchariſtia manente, neceſſariò requirat eandem quantitatem manere. 759
5. Vtrùm poſſibile ſit circa Euchariſtiam fieri tranſmutationem corruptiuam illorum accidentium. 771
6. Vtrùm in aliqua tranſmutatione factâ circa Euchariſtiam, neceſſe ſit ſubſtantiam aliquam actione diuina redire. 775

*DISTINCTIO XIII.*

*Quæſt.* 1. Vtrùm ſola actione diuina poſſit confici corpus Chriſti. 788
2. Vtrùm quilibet Sacerdos proferens verba conſecrationis cum intentione debita, & circa materiam conuenientem, poſſit conficere Euchariſtiam. 809


## *QVÆSTIONES ADDITÆ de Sacrificio.*


*Quæſt.* 1. DE eſſentia ſacrificij in genere. 812
2. De diuiſione ſacrificij. 820
3. Vtrùm fiat ſacrificium in Miſſa. ibid.
4. In quo conſiſtat eſſentia huius ſacrificij, & quid ad eam ſpectet. 824
5. Quid offertur in hoc ſacrificio. 827
6. De miniſtro, aliiſque, quæ ſpectant ad hanc oblationem. 830
7. Quiſnam ſit effectus huius ſacrificij. 834
8. Quomodo hi effectus conueniant ſacrificio incruento. 836
9. De quantitate valoris huius ſacrificij. ibid.


INDEX

# INDEX QVÆSTIONVM
## in Commentariis ad hunc Tomum examinatarum.

QVONIAM *diſcretio materiarum, & ordo quæſtionum, earumque reductio ad proprias materias plurimùm iuuat, & in hoc commendatur potiſſimè ſtylus Summiſtarum, & maximè Angelici Doctoris* in Summa, *in qua ſingulas materias quoad genus, & ſpeciem ſeorſim ordinauit, ideò viſum eſt ad commodum Lectoris ſubiungere potiores quæſtiones, tam quæ à Doctore, quàm quæ in Commentario tractantur, mixtim ſequendo ordinem Doctoris, & Magiſtri, eáſque ad certam claſſem redigere, quo magis obuiæ fiant Lectori, quem confuſio materiarum abſterret ab inquiſitione difficultatis in ſpecie, quæ ſæpè incidenter tractatur, & ſub alieno titulo.*

### *Angelus.*


VTrùm intellectio Angeli ſit ſubſtantialis, qua ſeipſum intelligit. *pag.40.num.78*
Vtrùm poſſit intelligere ſimul omnia, aut ſeorſim. ibid. & ſeq.
Quid ſenſerint Philoſophi in hoc, & de perfectione Intelligentiarum. 42.83
Quæ ſit beatitudo naturalis Intelligentiarum ex ſententia Philoſophorum. 44.93.& ſeq.
An poſſint creare. ibid.


### *Creatio.*


Quid ſit creatio? diſt.1.quæſt.1. per totam.
An creatura poſſit creare vt cauſa, vel vt inſtrumentum. ibid.
Quid ſenſerint Philoſophi? quid verò Theologi? ibid.
An potentia creatiua poſſit ſubeſſe directioni. 31.57. vſque ad 65
An forma materialis poſſit eſſe principium creationis. 51.107. & 52.108


### *Sacramentum in genere.*


Sacramenti acceptio. 55.1.& 56.1
Quomodo definitur. 58.7. & 62.10
Vtrùm debeat eſſe in re ſenſibili. 59.8. 63.13. & 64.14
Pro quo ſupponit. 62.11
Vtrùm cauſare ſanctitatem legalem,& ſignificare veram, conſtituat Sacramentum. 64.15.& ſeq.
Vnde deſumitur perfectio. 66.21
Sacramenta veteris, & nouæ legis, quomodo conueniunt. ibid.
Quomodo ſupplenda definitio Magiſtri. 67.26
Ratio Sacramenti vt traditur ab hæreticis. ibid.27
Vnde prouenit certitudo Sacramenti. 71.4.& 5
Qualis ſit ejus certitudo. 69.1.& 2. & 70.3
An poſſit inſtitui à creatura. 71.& 72.6
An fuiſſet in ſtatu innocentiæ. 73.9.10.& ſeq.
Vtrùm in omni ſtatu naturæ corruptæ fuerint Sacramenta. 76.19
Vnde deſumitur diſtinctio eorum. ibid.& ſeq.


### *De materia & forma Sacramenti.*


Vtrùm materia, & forma Sacramenti ſint definita. 161.3. & 162.8
Qualis ſit proportio earum. ibid.
Quæ variatio in his facit actum nullum,& quot modis contingat. 168.25
An mutatio facta in forma animo inducendi errorem, vitiat formam. 169.28
An dependeat ſignificatio formæ ab intentione miniſtri. ibid.29
In quo conſiſtit veritas practica formæ Sacramenti. 261.21.& ſeq.


### *Gratia Sacramenti.*


Quid ſit gratia ſacramentalis? 108.93. & ſeq.
An det gratiam actualem. ibid. & 128.55
Vtrùm relatio conformitatis Sacramenti ad ſuum ſignatum ſit de eſſentia. 105.84
Vtrùm agant phyſicè ad effectum Sacramenta. ibid. per totum.
Vtrùm ad diſpoſitionem aliquam neceſſitantem ad gratiam. 84.10
Vtrùm per virtutem impreſſam, aut potentiam obedientialem attingant productionem gratiæ. 99.59. & in præced.
Vtrùm gratia habitualis ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam,& an dentur tales formæ ſupernaturales. 78.1. & 82.6
In quo conſiſtat illa ſupernaturalitas. ibid.
An gratia creetur. 99.61


### *Character.*


An aliquod Sacramentum imprimit characterem, & quo fundamento aſſeritur. 358.12
Quomodo diſtinguantur characteres. 359.16
An ſint abſoluta forma,vel relatiua. ibid. & ſeq.
Si ſint forma abſoluta, in qua ſpecie Quantitatis ponantur. 363.19


### *Innocentiæ ſtatus.*


Vtrùm in ſtatu innocentiæ eſſent Sacramenta. 73.9
Qualis fuerit ſtatus innocentiæ. 74.14


Vtrùm

# Index Quæstionum.


Vtrùm ei repugnat peccatum veniale. 75.16
Vtrùm veniale per surreptionem. ibid.
Vtrùm præter iustitiam originalem in eo fuerunt gratia, & dona. 119.27
Qualis fuerit in eo statu rectitudo naturæ institutæ. 120.30.& seq.
Vtrùm peccatum originale sit eius priuatio. 117.23. & 121.35
Quomodo iustitia hæc ad posteros transiret, & simul gratia sanctificans, & eorum differentia. 121.34. & 35
Vtrùm infusa sola iustitia originali remitteretur peccatum originale sine gratia sanctificante. ibid.36. & seq.
Quomodo peccatum originale sit eius priuatio. ibid.
Vtrùm opponitur gratiæ sanctificanti. 122.37
Vtrùm rectitudo actualis voluntatis Adami diffunderetur in posteros. ibid.
Vtrùm originale remitti possit sine infusione omnis doni. 123.41
Vtrùm esset peccatum mortale in statu innocentiæ. 75.17
An soli prædestinati nascerentur in eo statu. ibid.


## *Remedium Legis naturæ.*


An in statu naturæ fuit remedium peccati originalis. 130.1
An fuerit Sacramentum propriè dictum. ibid.2
An fuit determinatum. 131.3.& seq.


## *De Circumcisione.*


Vtrùm Circumcisio conferebat gratiam, & delebat peccatum originale. 110.1.vsque ad 20.& 126.46. vsque ad finem.
An conferebat gratiam. 109.1. 123.42.& 125.45
Vtrùm gratiam primariò conferebat. 125.45.& 128. 54. & seq.
Vtrùm cuique recipienti. 126.47.& 48
Quid sit conferre gratiam in *fieri*, aut *facto esse*. ibid.48
Vtrùm Circumcisio conferebat solùm primam gratiam. 127.50.& 198.35
Vtrùm Sacramenta mortuorum principaliùs significent gratiam, quàm remissionem peccati. 128.54. 55. & seq.
Vtrùm Circumcisio fuerit fructuosa instituto Baptismo. 195.27
Vtrùm defiit eius præceptum per consilium de Baptismo. ibid.vsque ad finem.
Vtrùm fuerit mortua in morte Christi. ibid. 47. 48. & seq.
Quando facta est mortifera. ibid. & 196.49.& seq.
Vtrùm aliqua alia Sacramenta legis veteris conferebant gratiam ex opere operato, aut ex opere operantis. 125.45


## *Christus.*


An omnia dona sint ex Christo. 141.16
Vtrùm Incarnatio eius fuerit independens ab omni merito. 142.19
An de potentia absoluta potuerit esse meritum de condigno eius. ibid.21
An meritum de congruo. 145.31.& 32
Quid dicendum de merito Patrum,& Beatissimæ Virginis respectu Incarnationis. ibid. 33. & seq. & 147.41


## *De Sacramentis Legis nouæ.*


Vtrùm in Lege noua sint Sacramenta perfectissima, & quare. 134.1.vsque ad 8
Quot sunt Sacramenta eius. 136.8
An lotio pedum in cœna fuit Sacramentum. ibid.
An fuerint immediatè instituta à Christo. 137.10
An habeant virtutem à passione Christi. 138.11.& 139.13
An instituta ante Passionem maiorem efficaciam habuerint post Passionem. 140.15.& 141.16


## *Baptismus.*


Vtrùm baptizatus Baptismo Ioannis tenebatur ad Baptismum Christi. 148.2.& 150.7.& seq.
Qualis fuerit Baptismus Ioannis. 149.3
An distinctus à Baptismo Christi. ibid.4
Quæ fuerit eius materia, & forma. ibid.5.& 6


## *De Baptismo Christi.*


Variæ appellationes eius. 155.1
Quomodo definitur. 156.2.& 3
Quid importat in recto. 157.4.5.& seq.
Forma quæ sit. 163.11.& seq.
Cur Græci non exprimunt personam Ministri. ibid. 12. & 13
Quænam sit forma Græcorum. 164.16
Quænam sit necessaria necessitate Sacramenti. 165.17
Vtrùm requiratur expressio ablutionis in ordine ad personam,à qua fit. 165.17.aliàs 18.& 166.18.& 19
Vtrùm Baptismus datus in nomine Genitoris,geniti,&c. sit validus. 170.34.& seq.
Quid denotat particula *in nomine?* 171.41.& seq.
Vtrùm valida sit quæ datur in Patre,& Filio. 172.44. & 45
Quid dicendum de Baptismo dato in nomine Christi. 173.46.& seq.vsque ad finem.
Quænam additio distrahit formam. 179.72.& seq.
An valeat forma exprimens vnam tantùm personam. 180.74
& quid senserit Ambrosius. ibid.
Quid efficit variatio secundùm qualitatem, & sensum. 181.77.78.& seq.


## *Materia Baptismi.*


Quænam sit materia Baptismi. 183.1.2.& 3
Quid sit de trina immersione. 184.4.& seq.
An aqua artificialis sit sufficiens materia. 186.12


## *Institutio Baptismi.*


Quando Baptismus fuit institutus. 188.1.& seq.vsque ad 25
Quando fuit sub consilio,quando sub præcepto. 193. 25.vsque ad finem.
Quid dicendum de controuersia inter Petrum, & Paulum, Hieronymum, & Augustinum de obseruantia Legalium. 206.71.75.vsque ad finem.


## *De subiecto Baptismi.*


Vtrùm infantes necessitate salutis sint baptizandi. 218.1.vsque ad 9
Vtrùm baptizare infantes sit in præcepto. 219.9.vsque in finem.
Vtrùm Baptismus det gratiam infanti baptizato. 222. 1.vsque ad 10
An Baptismus receptus habeat aliquem effectum quoad alia subsequentia. 225.10
Vtrùm gratia baptismalis consistat in habitu. 226.16. & seq.


Vtrùm

# Index Quæſtionum.


Vtrùm infans in vtero decedens poſſit ſaluari. 230. 1. & 2
Vtrùm infans occiſus in odium Chriſti ſaluetur. 231. 4. & ſeq.
Quid dicendum de infante, cuius pars extra vterum apparet. 233.8.& 9
Quid de infante proiecto in flumen. ibid.10. & ſeq.
Qualis pars requiritur, vt tinctâ illâ valeat Baptiſmus. 235.17.& ſeq.vſque ad finem.
Vtrùm requiratur conſenſus adulti ad Baptiſmum, & quotuplex eſt ille conſenſus. 241.10
Quis & qualis eius conſenſus requiratur. 239.3
Quænam ſit contraria voluntas in adulto. ibid.5
Vtrùm Baptiſmus infantum valeat ſine conſenſu parentum. 240.5.& 6.vſque ad finem.

## *Baptiſmus ficti.*

Quot modis dicitur fictus. 242.1
Vtrùm iuſtificatur ſine diſpoſitione requiſita,& quænam requiritur. ibid.2. & 243.3
Vtrùm requiratur pœnitentia de ſolo originali. ibid. 4.5.6.7
Qualis pœnitentia eſt neceſſaria. 244.8.& 9
An debeat eſſe perfecta contritio.ibid.10.vſque ad 15
Vtrùm valeat Baptiſmus recedente fictione. 248.17
Vtrùm peccatum, quod dedit cauſam fictioni, deleatur per ipſum Baptiſmum. 249.19.20.21.22
Vtrùm per ſe,& non per accidens tantùm remittatur. ibid.23. vſque ad 3
Quis ſit ordo inter vtrumque ſacramentum Baptiſmi & Pœnitentiæ, quantùm ad remiſſionem. 251. 30. & 252.32
An Baptiſmus in caſu ficti poſſet operari vt diſpoſitio præuia. 252.32.& ſeq.
Vtrùm dici poſſet ſecundùm Auguſtinum,Baptiſmum nihil agere ad remiſſionem & gratiam recedente fictione. 253.37.& 254.40
Quid dicendum in eo caſu de remiſſione pœnæ temporalis. ibid.42.& ſeq.

## *De præcepto Baptiſmi.*

Vtrùm iuſtificati tenentur præcepto Baptiſmi. 255.1. & 2
Vtrùm Apoſtoli fuerint baptizati. 257.4.vſque ad 11
Vtrùm beata Virgo habuit gratiam in termino in inſtanti conceptionis Filij Dei in vtero. 259.11. vſque ad 20
An baptizatus Baptiſmo ſanguinis teneatur ad Baptiſmum, ſi vita ſupereſt. 261.21
Quis eſt ſenſus formæ Baptiſmalis vt datur in remiſſionem peccatorum, & quomodo verificatur in iuſtificatis, & in Virgine. 262.23. vſque ad 46. incluſiuè.

## *De effectu gratiæ per Baptiſmum.*

Vtrùm minuat fomitem. 269.1.& 2
Vtrùm ex parte cauſæ principalis, & finis poſſet creſcere effectus gratiæ. 270.3.& 4
Vtrùm ex diuerſa applicatione cauſæ meritoriæ. 271. 5.& ſeq. vſque ad 15
Quomodo creſcit gratia ex diuerſitate in recipiente, & diſpoſitione. 274.15.& 16

## *De miniſterio Sacramenti.*

Quid faciendum de paruulo expoſito. 275.1
Vtrùm filij infidelium inuitis parentibus ſint baptizandi. ibid.quæſt.9. per totum.

## *De Miniſtro.*

Vtrùm malitia, & infidelitas miniſtri deroget Sacramento,ſeruatis eſſentialibus. 283.q.1.per totum.
An recipiens à malo miniſtro peccet. 289.4
Quis ſit malus. 288.1.2.3
Quomodo quis ſe gerere debet circa miniſtrum improbum. 291.10.& ſeq.
An poſſet quis recipere Sacramentum à ſimoniaco paciſcente, neque aliter conferente. 293. 14. 15. & ſeq.
Vtrùm liceat miniſtrare Baptiſmum cum periculo vitæ baptizati. 294.1
Quid operetur præſumptio periculi. 296.5
Quis poſſit miniſtrare validè. 302.1.& 2
Vtrùm Angelus poſſit ex conceſſione ſpeciali. ibid. 2.& ſeq. vſque ad 12
Quis de potentia ordinaria ſit miniſter.305.12.vſque ad 17
Quis eſt miniſter ex officio. 306.17.vſque ad 20
Quis ſit ordo ſeruãdus inter miniſtros.307.20.& ſeq.

## *De vnitate Baptiſmi.*

Vtrùm plures poſſunt baptizare vnum, ita vt quilibet materiam, & formam conferat. 308.1
Vtrùm faciant duo ſacramenta in *eſſe* ſigni. 309.2.vſque ad 19
Vtrùm duo cõferre poſſunt Sacramentum,ita vt vnus ſolam materiam,alter verò formam. 314.20.& 21
Vtrùm vnus plures ſimul baptizare poteſt. 316.22
An eſſent plura ſacramenta. ibid.23
Regulæ ſeruandæ in Baptiſmo conferendo monſtro. vide Doctorem in textu §.*de quarto membro.* 315.7
Vtrùm requiratur præſentia formæ ad materiam.318. 1. & 2
Vtrùm quis validè ſeipſum baptizat. 319.1.& ſeq.
Quænam intentio requiratur in miniſtro. 320.q. 5. per totum.
Vtrùm requiratur actualis. 328.in com.330.1
Vtrùm Baptiſmus iterari poſſit. 330.q.7. & 331. 1. & ſeq.
Quænam ſit pœna iterantium Baptiſmum. 333.q.8

## *De charactere.*

Vtrùm datur character, & quibus fundamentis. 336. 1. quæſt.9. per totum, & in com. in quo eximitur Doctor à calumnia. Vide v.*Character.*

## *Confirmatio.*

In quo conſiſtit in recto. 374.1
Quæ ratio appellationis. ibid.
An ſit Sacramentum. 375.3.& ſeq.
Vtrùm Cornelius fuit ſanctificatus ante Baptiſmum. 377.9.& 10
Quæ materia eius proxima,& remota. 378.13.14.15. & 379.16.17
Vtrùm chriſma ſit materia remota neceſſitate Sacramenti. ibid.17.vſque ad 28
Vtrùm debeat eſſe benedictum ab Epiſcopo. 382. 28. 29
An poſſit delegari hæc benedictio. ibid. 30. vſque ad 36
Quis ſit miniſter? ibid.30.& ſeq.vſque ad 44
An poſſit committi miniſterium Sacerdoti non Epiſcopo. 385.44
& quis fuerit ritus antiquus Eccleſiæ. ibid. vſque ad 65

# Index Quæſtionum.


Quæ ſit forma. 394.66.vſque ad 74
Vtrùm Apoſtoli vſi ſint materia, & forma huius Sacramenti. 396.74.vſque ad finem.
Vtrùm confirmatio ſit neceſſaria ad ſalutem. 398. quæſt.2.per totum. & in commento.
Vtrùm poſſit iterari confirmatio. 400. quæſt. 4. & in commento.
Vtrùm ſit pœna conſtituta iterantibus confirmationem. 402.quæſt.5.


## *Euchariſtia.*


Quid ſignificet. 409.1.& 2
Quæ ratio nominis, & inſtitutionis. 410.4.5.6.& 7
Vtrùm ſit Sacramentum. ibid.8


## *Vnitas eius.*


Quænam ſit eius vnitas. ibid.9.vſque ad 19
Vtrùm ſanguis ſit animatus. 412.19.vſque ad 21
Quæ vnitas numerica Sacramenti. 413. 21. vſque ad 24
Quæ differentia eius, & excellentia ſupra reliqua. 414 24
In quo conſiſtit in recto. 415.27.vſque ad finem.


## *Forma.*


Quænam ſit forma præciſa conſecrationis corporis. 413 2
Vtrùm requiritur præmitti illa verba, *qui pridiè*, &c. 414.6.vſque ad 11
Quænam ſit forma eſſentialis Calicis, & in quibus verbis contineatur. 428.12.vſque ad 26
Quid Doctor ſenſerit. 430.26
Qualis ſit obligatio ſciendi formam. 432.28. & ſeq.
An Chriſtus confecerit, vtendo forma verbali inſtituta. 433.30.vſque ad 36
An forma recitatiuè, vel ſignificatiuè profertur. 434. 36.vſque ad 9
Vtrùm pronomen *hoc* demonſtret abſtrahendo à tempore, quod importat verbum. 436.40
Pro quo ſupponit pronomen. 441.41.vſque ad 47
Pro quo inſtanti verificatur copula de rigore ſermonis 442.47
Vnde deſumitur rigor ſermonis. 443. 50. vſque in finem.


## *De ſumptione.*


Quot modis ſumitur hoc Sacramentum. 445.1
Quinam ſunt eius capaces. ibid.2.vſque ad 9


## *Effectus Euchariſtiæ.*


Quem habet effectum in ſumente. 447.9
Quomodo cauſat effectum gratiæ. ibid.18
Quando effectum cauſat. ibid.19
Vtrùm diſpoſito conferat gratiam maiorem. 450.23
Vtrùm creſcente diſpoſitione creſcat effectus poſt ſumptionem. ibid.vſque ad 25
Vtrùm conferat effectum recedente fictione. 451.25
Vtrùm plures ſpecies ſimul ſumptæ, & eiuſdem rationis conferant maiorem gratiam. ibid.26
Vtrùm per diuerſas ſpecies panis, & vini conferatur vberior effectus. ibid.27. vſque ad 35


## *De neceßitate Euchariſtiæ.*


Vtrùm ſit medium neceſſarium in voto. 456.38
Vtrùm ſit medium vtile,& conducens. 457.39.vſque ad 44
Vtrùm debeat ſumi à ieiunis tantùm. 462. 45 & de aliis diſpoſitionibus requiſitis. ibid. vſque ad 55


## *De præcepto.*


Vtrùm poſſit confici in vna tantùm ſpecie. 464. 55. vſque ad finem.
Vtrùm ſit præceptum diuinum ſumptionis. 469.2
Vtrùm comprehendat infantes. ibid.3
Vtrùm etiam adultos non baptizatos. ibid.4
Quo tempore obligat. ibid.5
Vtrùm præceptum Eccleſiaſticum. 470.7.& ſeq.
Quando obligat, & cuius ſit naturæ. 471.10. & ſeq.
Vtrùm præceptum extendat ſe ad vtranique ſpeciem. 472.14.vſque ad 22
Vtrùm Eccleſia iuſtè ſubtraxerit vſum calicis laicis. 473.22
De vſu Sacramenti ſub conſilio. 474.30.& ſeq.
Vtrùm accedens mala fide cum mortali peccet. 476.32
Vtrùm accedens bona fide cum mortali recipiat gratiam. ibid.34.& ſeq.
Vtrùm in hoc caſu ſit neceſſaria attritio. 479.45
Vtrùm teneatur conſcius mortalis confiteri,vel ſufficiat ſola contritio. 480.50
Vtrùm in aliquo caſu liceat accedere cum ſola contritione. 482.54
Vtrùm accedens in veniali recipiat effectum. ibid.55
Vtrùm diſtractio impediat effectum Sacramenti. 483.60


## *De reali exiſtentia Chriſti ſub ſpeciebus.*


Vtrùm Chriſtus realiter ſit in Sacramento. 489. 2. & ſeq.
Vtrùm caput ſextum Ioannis intelligatur de reali manducatione Sacramenti. 492. 14. & ſeq. vſque ad 24
Quomodo ſit Chriſtus præſens. 499.36.vſque ad 44
Vtrùm per penetrationem partium. 504.44.& ſeq.
In quo conſiſtit præſentia ſacramentalis. 507.49.vſque in finem.
Vtrùm idem corpus virtute dicta poſſit eſſe in diuerſis locis ſimul, & quantitatiuè. 508. quæſt. 2. per totum. vſque ad 19
Quænam accidentia ſequuntur neceſſariò corpus in diuerſis locis, & quæ non ſequuntur. 521. 19. vſque ad finem.
Poſſibilitas præſentiæ ſacramentalis. 530.1.& ſeq.
Vtrùm exiſtentia naturalis, & ſacramentalis Chriſti habeant connexionem neceſſariam. 532.1
Vtrùm inter eas ſit ordo de facto, & poſſibili. ibid. vſque ad 24
Vtrùm eædem partes,& reliqua abſoluta, quæ ſunt in Chriſto exiſtente quantitatiuè neceſſariò eidem inſint in Sacramento. 541.25.vſque ad 29
Vtrùm poſſibile ſit ſeparata quantitate exiſtere Chriſtum ſub ſpeciebus, quæ ineſt ipſi vt naturaliter exiſtit extra Sacramentum.543.29.vſque ad finem.


## *De actione, quæ eſt in Chriſto in Euchariſtia.*


Quomodo aliquid inſit primò exiſtenti ſacramentaliter,& quomodo concomitanter tantùm. 549.10


Vtrùm

# Index Quæſtionum.


Vtrùm omnis operatio immanens, quæ ineſt Chriſto extra Sacramentum, etiam inſit in Sacramento. 548.2. vſque ad finem.

Quomodo, & à quo moueri poteſt Chriſtus in Euchariſtia. 551.quæſt.6.per totum.

Vtrùm Chriſtus ſub ſpeciebus poſſet agere virtute corporeâ in aliud à ſe. 562.2.& ſeq.

Vtrùm poſſit habere operationem ſpiritualem, aut mouere per virtutem non organicam. 563.7.& 8

Vtrùm poſſet videri ſub modo ſacramentali ab intellectu viatoris, aut ſeparato. 567.2.& ſeq.

Vtrùm ab intellectu Beati videatur. 571.14.& 15

Vtrùm videri poſſit ab oculo glorioſo. 573.1.2.3.17. & ſeq. vſque ad 36

Vtrùm Chriſtus ſit ſub indiuiſibilibus,& partibus inſenſibilibus ſpecierum. ibid.4.vſque ad 17

Quid dicendum de apparitionibus in Euchariſtia. 580.36


## *De tranſubſtantiatione.*


Quid ſit tranſubſtantiatio. 587.3

Vtrùm ſit poſſibilis; & an ſoli Deo. ibid.4

Quid ſit mutatio proprie dicta. 589.5.7.& 8

Vtrùm tranſubſtantiatio requirat manere eandem materiam. 591.10.& 11

Vtrùm ſit ad modum aliquem ſubſtantialem. ibid.12. vſque ad 21

Vtrùm ſit vt noua conſeruatio ſubſtantialis corporis Chriſti. 593.21

Quid ſit formaliter ipſa tranſubſtantiatio. 594.26. vſque ad finem.

Vtrùm poſſibile ſit quodlibet ens conuerti in quodlibet aliud. 596.1. vſque ad 5

Vtrùm tranſubſtantiatio dicat actionem concomitanter. 599.6.& ſeq.

Vtrùm aliquid poſſit conuerti in Deum. ibid.8.vſque ad 26

Vtrùm quælibet creatura in aliam conuerti poſſit. 603.26.27.& ſeq.

Vtrùm ſaluari poſſit tranſubſtantiatio abſque eo,quòd maneat aliquid commune terminis. ibid. vſque ad finem.

Quinam errarint circa conuerſionem. 606.2.3.& 4

Regulæ generales declarandi fidem. 607.5

Rationes quibus aliqui impugnant errorem. 608.6. ſoluuntur 609.7

Vtrùm ex particula demonſtratiua in ſola ſignificatione ſpeculatiua, & non practica colligitur abſentia panis,& vini. 610.11.vſque ad 41

Vtrùm ſubſtantia panis & vini deſinat. 617.42. & ſeq.

Vtrùm aliquid panis maneat poſt conuerſionem.621. 49. vſque ad 61

Vtrùm materia ſit diſtincta ſeipsâ,& an poſſit eſſe ſub diuerſis formis ſimul. 624.61.& ſeq.

Quomodo tranſubſtantiatio includit actionem concomitantem,quamuis ipſa ſit inter ſubſtantias. 27. 68. vſque ad 79. incluſiuè.

Vtrùm corpus vt eſt terminus *ad quem* conſtituatur per formam propriam diuerſam ab anima,& aliis. 632.81. ad 101

Vtrùm dantur plures formæ ſubſtantiales in viuente. 638.101.& 102.vſque ad 132

Vtrùm quantitas corporis ponatur ſub ſpeciebus, & quomodo. 656.132

Vtrùm panis & vinum annihiletur. 659.2. vſque ad finem.

Regulæ modorum loquendi, & exprimendi hanc conuerſionem. 673.1


## *De materia Euchariſtiæ.*


Vtrùm panis triticeus ex aqua elementari ſit materia corporis. 674.1.2.& ſeq.

Vtrùm panis ex amido ſit materia. 676.6

Vtrùm paſta conſecrari poſſit. 677.7

Vtrùm Chriſtus conſecrauit in azymo. 678 8

Vtrùm celebrauit Paſcha cum Iudæis. ibid. 9. vſque ad 24

Vtrùm fermentatus ſit materia neceſſaria, aut azymus neceſſitate præcepti. 682.24 vſque ad 29

An requiratur determinata quantitas in materia conſecrabili. 684.32.vſque ad 35

Quæ præſentia,aut definitio materiæ requiratur. 685. 35.vſque ad finem.

Vtrùm vinum vitis ſit materia ſanguinis. 688.1.2.& 3

Vtrùm debeat admiſceri aqua. 689.5.vſque ad 8

Vtrùm aqua immediatè conuerti poſſit in ſanguinem. 690.8.vſque ad 43


## *De accidentibus ſeparatis quoad* eſſe.


Quæ accidentia manent poſt conuerſionem. 703.1

Vtrùm accidenti ſeparato detur perfeitas poſitiua. 704.2.vſque ad 21

Vtrùm exiſtent accidentia per ſe negatiuè. 708.21

Vtrùm eadem ſit actio, quâ conſeruantur à Deo accidentia ſeparata cum illa, quâ conſeruabantur coniuncta. ibid.22.& ſeq. & 716.61.& ſeq.

Quid important primò concreta accidentalia. 712.32

Quomodo ſe habet inhærentia ad accidens abſolutum. ibid.34

In quo conſiſtat. ibid. & ſeq. vſque ad 50

Vtrùm poſſibilis ſit ſeparatio accidentis à ſubiecto. 718.52.& ſeq.

Quomodo definitur accidens per ſubiectum. 721. 55.& 56

Vtrùm inhærentia ſit paſſio entis abſoluti. 724.59

Vtrùm forma abſoluta dependeat à ſubiecto in *conſeruari*. 727.64.vſque in finem.

Vtrùm qualitas in Euchariſtia ſit ſine ſubiecto. 729. 2.3.vſque ad 10

Vtrùm eadem inhærentia qualitatis ad quantitatem, & ad ſubſtantiam. 736.10.vſque ad 14


## *De accidentibus ſeparatis quoad actionem.*


Vtrùm accidens producat ſubſtantiam, ſi ſit ſeparatum, aut coniunctum. 739.1.& ſeq.

Vtrùm accidentia ſeparata habeant omnem actionem quæ aliàs competebat coniunctis. 746.7. & ſeq.

Vtrùm poſſunt habere actionem corruptiuam ſubſtantiæ. 747.10.& ſeq.

Qualis ſit ordo inter formam ſubſtantialem,& diſpoſitionem. 749.12

Quomodo intelligitur ordo inter prius, & poſterius. 754.17

Quomodo intelligitur actiones eſſe ſuppoſitorum. ibid. & 756.8

Vtrùm forma ſubſtantialis ſeparata poſſet eſſe principium generandi aliam. 758.20.& ſeq.


## *De mutatione paſſiua ſpecierum.*


Qualis poſſet induci mutatio ſpecierum per agens creatum? vide diſt.12.quæſt.4.per totam.

Vtrùm poſſint augeri, vel minui ſpecies conſecratæ. 770.6
Vtrùm quantitas ſpecierum corrumpi poſſit virtute agentis naturalis. 772.1
Vtrùm qualitas corrumpi poſſet. 774.6
Quænam ſit mutatio corruptiua, per quam deſinit Chriſtus ex corruptione ſpecierum, 775.1
Vtrùm redit eadem ſubſtantia panis, & vini. 776.3
Vtrùm redeat materia prima, quæ fuit panis, &c. 778.7. & ſeq.
Quænam tranſmutatio compatitur cum Euchariſtia, & quæ non. 783.14
An accidentia aliàs ſeparata maneant vnita ſubſtantiæ ſequenti. ibid.17.vſque ad finem.

## *De Miniſtro.*

Vtrùm ſola actione diuina fiat conſecratio. 805.30.& 808.31
In quo conſiſtat actio, & an ſit relatio. 791.5.vſque ad 30
Vtrùm in Miniſtro requiratur poteſtas characteris. 812.1

## *De Sacrificio.*

In quo conſiſtit eſſentia ſacrificij in genere. 812,5. vſque ad 43
Quomodo diuidatur ſacrificium. 820.43.vſque ad 45
Vtrùm in Miſſa fiat ſacrificium propriè dictum. ibid. 45
In quo conſiſtat eſſentia ſacrificij Legis nouæ.824.65. vſque ad 78
Quid offertur in hoc ſacrificio. 827.78.vſque ad 192
Vtrùm offerri poſſet ſub vna ſpecie tantùm. 468. & ſeq.
Quis ſit offerens in hoc ſacrificio. 830.92. vſque ad 115
Quiſnam ſit effectus ſacrificij. 834.115.vſque ad 124
Quomodo hi effectus conueniant ſacrificio. 836.124
Quis ſit valor ſacrificij. ibid.127
Quæ impediunt offerre ſacrificium. 839.132
Vtrùm requirantur veſtimenta ſacra. 840.133
Quænam ſint illa. ibid.134.& ſeq.
Quæ pœna celebrantis cum impedimento canonico. ibid.137
Quid de miniſtrante, & aliis perſonis. ibid. & in ſeq.
De impedimento loci. 842.141.& ſeq.
De Eccleſia, in qua offerri debet. 843.143
De altari. ibid.144.& ſeq.
Quænam pœna eſt celebrantis in loco interdicto. 844.147.& ſeq.
De eo qui celebrat abſque Calice. 845.151
De tempore præſcripto celebrationis. 847.152. & ſeq.
De iteratione ſacrificij ab eodem vno die. ibid.155. & ſeq.
Quid ſit Miſſa publica, quid priuata. 848.160
De numero aſſiſtentium. ibid.161.& ſeq.
Vtrùm ſolus Sacerdos diſpenſet Sacramentum. 849. 164
Quibus deneganda eſt communio. 850.168.& ſeq.
An Chriſtus communicarit Iudam. 851.175
An ſeipſum. 852.178

# INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.


## Ex Geneſi.

CAP.17.V.10. *Hoc eſt pactum meum quod obſeruabitis inter me, & vos.* 112.col.2.n.7

11. *Circumcidetur ex vobis omne maſculinum.* ibid.

12. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* ibid.

14. *Maſculus, cuius præputij caro, circumciſa non fuerit,* &c. 110.col.1.n.2.111.col.2.n.4. 112.col.2.n.7. 196.9

21. 4. *Et circumcidit eum die octauo, ſicut præcepit Dominus.* 111.col.2.n.2

49.20. *Pinguis eſt panis eius, & prabebit delicias Regibus.* 448.12

## Ex Exodo.

3. 6. *Ego ſum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* 423.4.425.8

12.12. *Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa.* 491.9

13. *Erit autem ſanguis vobis in ſignum.* ibid.

15. *Septem diebus azyma comedetis.* 678.8

16. *Nihil operis facietis in eis.* 679.14

18. *Menſe primo, quartadecima die menſis.* 680.17. & 18

21.15. *Qui percuſſerit patrem ſuum, aut matrem, morte moriatur.* 472.15

## Ex Leuitico.

20. 9. *Patri, matríque qui maledixerit, ſanguis eius ſit ſuper eum.* 472.15

23.32. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Paſchata veſtra.* 678.8

## Ex Deuteronomio.

8. 7. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam.* 675.5

10.16. *Circumcidite præputiũ cordis veſtri.* 266.39

12.23. *Non comedes ſanguinẽ animalium.* 495.25

16. 1. *Obſerua menſem nouarum frugum.* 680.16

10. *Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum.* 820.45

32. 4. *Dei perfecta ſunt opera.* 343.11

## Ex I. Regum.

15.22. *Melior eſt obedientia, quàm victima.* 813.5

## Ex Tobia.

12. 7. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt.* 56.col.2.n.1

## Ex Pſalmis.

4. 6. *Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ.* 813.5

18. 5. *In omnem terram exiuit ſonus eorum.* 189.3. *in text.*

13. *Delicta quis intelligit.* 475.2

22. 2. *Super aquam refectionis educauit me.* 189.3. *in text.*

24.10. *Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* 138.12

31. 1. *Beati quorũ remiſſæ ſunt iniquitates.* 224.9

2. *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* ibid.

49.23. *Sacrificium laudis honorificabit me.* 813.5

50.18. *Si voluiſſes, ſacrificiũ dediſſem vtique.* ibid.

19. *Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus.* ibid.

67.10. *Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ.* 448.12

73.23. *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper.* 304.10

80.17. *Cibauit illos ex adipe frumenti.* 675.5

84.11. *Miſericordia, & veritas obuiauerunt ſibi.* 138.12

109.4. *Tu es Sacerdos in æternum.* 1353

118.112. *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas.* 77.col.2.n.20

121. 6. *Et abundãtia diligentibus te.* 56.col.2.n.2

147.14. *Ex adipe frumenti ſatiat te.* 675.5

## Ex Prouerbiis.

9. 2. *Sapientia immolauit victimas ſuas.* 825.70

5. *Edite panem meum, & vinum, quod miſcui vobis.* 489.1

23.26. *Fili præbe mihi cor tuum.* 238.3

## Ex Eccleſiaſte.

9. 1. *Neſcit homo vtrùm amore, an odio dignus ſit.* 64.14. & 475.2

## Ex Sapientia.

1. 5. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* 242.2. *in text.*

2. 22. *Neſcierunt ſacramenta Dei.* 56.col.2.n.1

3. 1. *Iuſtorum autem animæ in manu Dei ſunt.* 459.43

## Ex Eccleſiaſtico.

15. 3. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus.* 494.20

19. 4. *Qui credit citò, leuis eſt corde.* 204.54

24.29. *Qui edunt me, adhuc eſurient.* 494.20

## Ex Iſaia.

2. 3. *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* 202.11.204.56

7. 14. *Ecce virgo cõcipiet, & pariet filium.* 147.41

19. 19. *In illa die erit altare Domini.* 822.54

# Index locorum S. Scripturæ.


## Ex Ezechiele.

18. 7. *Panem ſuum eſurienti dederit, & nudum operierit veſtimento.* 446.8

## Ex Daniele.

2. 30. *Mihi Sacramentum hoc reuelatum eſt.* 56. *col* 2. *n.* 1

44. *In diebus regnorum illorũ ſuſcitabit Deus.* 135.4

7. 14. *Poteſtas eius poteſtas aterna.* 136. *col.* 2. *n.* 5

9. 24. *Septuaginta Hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum.* 146.38

## Ex Oſea.

6. 6. *Miſericordiam volo, non ſacrificium.* 813.5

## Ex Amos.

8. 10. *Et conuertam feſtiuitates veſtras in luctum.* 678.13

## Ex Iona.

2. 7. *Et ſubleuabis de corruptione vitam meam.* 632.32. & 638.100

## Ex Malachia.

1. 6. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum.* 821.49

2. 2. *Maledicam benedictionibus veſtris.* 809.1

## Ex Matthæo.

3. 11. *Ego vos baptizo in aqua.* 106. *col.* 2. *n.* 86

*Qui autem poſt me venturus eſt,* &c. 150.8

13. *Venit Ieſus, vt baptizaretur.* 146.16

14. *Ego à te debeo baptizari.* *ibid.*

5. 17. *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere.* 188.1. 198.36. 210.84

21. *Auditis, quia dictum eſt antiquis: Non occides.* 211.19

23. *Si offers munus tuum ad altare.* 822.52, 843.144

27. *Et non mœchaberis: Ego autem,* &c. 211.19

9. 2. *Videns Ieſus fidem illorum, dixit: Confide fili.* 274.16

10. 5. *In viam Gentiũ ne abieritis.* 202. 51. 204. 56

42. *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, mercedem recipiet.* 365.26

11. 11. *Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.* 144.28

27. *Nemo nouit Patrem niſi Filius.* 170.36

30. *Iugum enim meũ ſuaue eſt.* 189.3. *in text.*

12. 34. *Progenies viperarum quomodo poteſtis bona loqui.* 367.35

35. *Bonus homo de bono theſauro profert bona.* *ibid.*

40. *Sicut Ionas in ventre cæti, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus.* 491.10

15. 11. *Non quod intrat in os coinquinat hominem.* 209.16

12. *Scis, quia audito verbo hoc, Phariſæi ſcandalizati ſunt.* *ibid.*

13. *Sinite illos, cæci ſunt.* *ibid.* & 461.6

24. *Non ſum miſſus, niſi ad oues, quæ perierunt domus Iſraël.* 204.56

26. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus.*

16. 17. *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* 491.9

19. *Tibi dabo claues regni cœlorum.* 137.4

19. 4. *Non legiſtis, quia maſculum, & fœminam fecit eos.* 138.5

17. *Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata.* 260.17

23. 2. *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi.* 195.6. & 198.36

3. *Quæcunque dixerint vobis, facite.* *ibid.*

26. 2. *Scitis, quia poſt biduum Paſcha fiet.* 679. 14. & 678.10

5. *Non in die feſto, nè tumultus fieret in populo.* 677.4. & 679.14

11. *Pauperes ſemper habebitis.* 497.34

17. *Prima autem die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum.* 678. & 682.5

18. *At Ieſus dixit: Ite in ciuitatem.* 679.11

21. *Vnus veſtrûm me traditurus eſt.* *ibid.*

26. *Hoc eſt corpus meum.* 487.2. & 489.4

*Accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit,* &c. *Accipite & comedite.* 433. 31. 491.8

*Cœnantibus autem eis, accepit Ieſus panem.* 490.7

27. *Et accipiens Calicem, gratias egit.* *ibid.*

28. *Hic eſt enim Sanguis meus noui Teſtamenti.* 134. *col.* 1. *n.* 2. 135. *col.* 2. *n.* 3. 488. 3. 489. 4. 496

27. 15. *Per diem autem ſolemnem cõſueuerat præſes populo dimittere vnũ vinctum* 679.13

28. 5. *Scio enim quòd Ieſum, qui crucifixus eſt, quæritis.* 516.13

19. *Ite, docete omnes Gentes.* 137.4 & 157.3

*Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* 165.17

20. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* 415.26. & 497.34

## Ex Marco.

1. 44. *Offer pro emundatione tua, quæ præcepit Moyſes.* 198 6

2. 7. *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus.* 106. *col* 2 *n.* 86

5. 34. *Vade in pace, & eſto ſana.* 424.5

14. 12. *Et prima die azymorum, quando Paſcha immolabant.* 678. 11. & 682.5

23. *Et biberunt ex eo omnes.* 473.23

15. 6. *Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnum vinctum.* 679.13

vlt. 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* 219.7. 232.5. 242.2. *in com.* 399. *in text.*

*Qui non crediderit, condemnabitur.* 217.1

18. *In nomine meo dæmonia eijcient.* 173.48

## Ex Luca.

1. 29. *Cogitauit qualis eſſet iſta ſalutatio.* 147.41

32. *Regnabit in domo Iacob in æternum.* 135.4

34. *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco.* 147.41

2. 21. *Poſtquàm conſummati ſunt dies octo.* 110.1

42. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim.* 561.5
3. 2. *Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariæ filium.* 159.10
7. 48. *Remittuntur tibi peccata tua.* 66.*col.*1.*n.*23
11. 28. *Quinimmò, beati qui audiunt verbum Dei.* 260.14
12. 1. *Attendite à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* 490.6
13. 2. *Putatis quia illi præ omnibus peccatores fuerunt.* 493.19
18. 31. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia.* 210.18. *&* 84
22. 7. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha.* 678.11. *&* *seq.*
15. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* 678.9
19. *Hoc est corpus meum.* 488.3
*Et accepto pane gratias egit.* 409.2
20. *Hic calix nouum Testamentum est.* 420.41
*Qui pro vobis, & pro multis effundetur.* *ibid.*
21. *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* 681.23
23. 17. *Necesse autem habebat,* &c. 679.13
24. 44. *Hæc sunt verba, quæ loquutus sum ad vos.* 198.37. *&* 497.34
49. *Vos autem sedete in ciuitate.* 201.11

## Ex Ioanne.

1. 11. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* 197.32
17. *Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum.* 77.*col.*2.*n.*21.134. *col.*2.*n* 2.135.*col.*1.*n.*3.136.*col.*2.*n.*5.189.3
26. *Ego baptizo vos aquâ, medius autem vestri stetit, quem vos nescitis.* 148.*col.*1.*n.*2
33. *Super quẽ videris Spiritum descendentẽ, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.* 284 4
*Qui misit me baptizare, ille mihi dixit, Super quem videris,* &c. 159.10
2. 19. *Soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud.* 491.10
3. 4. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.* 183.1.*in text.* *&* *com.* 184.1. *&* 2.190.9. *&* 10.218.2.219.7.256.2.*in com.*
7. *Oportet vos nasci denuò.* 319.3.*in text.*
14. *Sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita exaltari oportet Filiũ hominis.* 491.10
26. *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem; cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat.* 189.2.*in text* *&* 191.11
27. *Non potest accipere homo quidquam, nisi fuerit illi datum de cælo.* 302.2
4. 1. *Vt ergo cognouit Iesus, quia audierũt Pharisæi quòd Iesus plures discipulos facit.* 191.11
14. *Aqua, quam ego dabo, fiet in eo fons aquæ salientis.* 494.21
21. *Venit hora, quando nec in monte hoc adorabitis Patrem.* 822.52
5. 43. *Ego veni in nomine Patris mei.* 276.2.*in text.*
6. 26. *Amen, amen dico vobis, quæritis me.* 493.15
28. *Quid faciemus, & operemur opera Dei?* *ibid.*
29. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum.* *ibid.*
30. *Quod ergo tu facis signũ, vt videamus.* *ibid.*
31. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto.* *ibid.*
32. *Amen, amen, dico vobis, non Moyses dedit vobis panem de cælo.* *ibid.*
44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* *ibid.*
48. *Ego sum panis vitæ.* 492.13
50. *Hic est panis de cælo descendens.* 472.15. *&* 492.13
51. *Ego sum panis viuus.* 492.13.666.5.493.15
52. *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum.* 420.41. *&* 472.15
53. *Litigabant ergo Iudæi.* 493.15
54. *Dixit ergo eis Iesus: Amen, amen, dico vobis.* *ibid.*
*Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* 45.7.469.1.*in com.* 472.15.494.22
55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam.* 442.15 447.11.448.16.453.32
56. *Caro mea verè est cibus.* 451.28. 487.2. 495.23.636.91
58. *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem.* 494.22
59. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto.* 493.15
61. *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt, Durus est hic sermo.* *ibid.*
63. *Hoc vos scandalizat; si ergo,* &c. *ibid.* 17
64. *Verba, quæ loquutus sum, Spiritus & vita sunt.* *ibid.* *&* 488.4.494.20
*Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam.* 488.4
7. 16. *Mea doctrina non est mea.* 441.26
39. *Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* 396.73
*Nondum erat datus Spiritus sanctus.* 191.15
9. 21. *Ætatem habet, ipse pro se respondeat.* 239.3
12. 24. *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet.* 6/4.1.*in text.* 675.5
28. *Pater clarifica nomen tuum.* 170.36
13. 1. *Cùm dilexisset suos, in finẽ dilexit eos* 410.7
10. *Qui lotus est, non indiget, nisi vt pedes lauet.* 258.9. *&* 259.9
14. 13. *Quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* 170.36
18. *Non relinquam vos orphanos.* 497.34
15. 1. *Ego sum vitis vera.* 488.3
3. *Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* 162.10
5. *Ego sum vitis, vos palmites.* 488.3

# Index locorum S. Scripturæ.


15. *Vos autem dixi amicos, quia omnia*, &c. 492.12
22. *Si non veniſſem, & loquutus eis non fuiſſem, peccatū non haberent.* 194.4.197.32
16.29. *Ecce nunc palam loqueris.* 492.12
18.28. *Non introierunt in Prætoriū.* 677.4.681.21
39. *Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis.* 679.1
19.30. *Conſummatum eſt.* 195.7.203.53.210.18
33. *Vt viderunt Ieſum, iam mortuum, non fregerunt eius crura.* 632.32
20.11. *Maria autem ſtabat ad monumentum.* 632.31.638.100
22. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* 66.*col.*2. *n.*23.137.4.138.5.257.3
21.24. *Hic eſt diſcipulus ille, qui teſtimonium perhibet de his.* 491.9


## Ex Actibus Apoſtolorum.


1. 1. *Cœpit Ieſus facere, & docere.* 257.3.258.4
5. *Vos autē baptizabimini Spiritu ſancto.* 376.6
2. 4. *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto.* 189.4
38. *Accipietis donum Spiritus ſancti.* 396.73
ibid. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.* 164.16.172.44.174.53.375.4.244.8
41. *Qui ergo receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt.* 376.7
42. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum.* 472.16
3. 21. *Quem oportet quidē cœlum ſuſcipere.* 516.11
4. 12. *Non eſt aliud nomē ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri.* 176.60
8. 14. *Miſerunt ad eos Petrum, & Ioannem, vt imponerent manus ſuper illos.* 375.4
15. *Qui cùm veniſſent, orauerūt pro illis.* 397.76
16. *Nondum enim in quemquam illorum venerat.* 375.4
*Baptizati tantùm erant in Domino Ieſu.* 173.47
17. *Tunc imponebant manus ſuper eos, & accipiebant Spiritum ſanctum.* 375.3
18. *Cùm vidiſſet autē Simon*, &c ibid. & 376.8
35. *Aperiens Philippus os ſuum, & incipiens à Scriptura illa.* 176.60
36. *Ecce aqua, quid prohibet me baptizari.* 176.60.184.2
9. 3. *Contigit vt appropinquaret Damaſco. ſubitò*, &c. 516.11
5. *Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris.* ibid. 12
17. *Saule frater, Dominus Ieſus miſit me* ibid.
10.43. *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent.* 176.60
47. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt.* 184.2. 377.9
11. 3. *Quare introiſti ad viros præputium habentes.* 205.59
9. *Quæ Deus mundauit, tu nè commune dixeris.* 377.9
15. *Cùm autem cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus.* ibid.
18. *Ergo & Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam.* ibid.
13.2. *Miniſtrātibus autē illis Domino, & ieiunātibus, dixit illis Spiritus ſanctus.* 822.52
3. *Tunc ieiunantes, & orantes imponentéſque eis manus, dimiſerunt illos.* 388.55
14.22. *Et cùm conſtituiſſent eis per ſingulas Eccleſias, presbyteros.* ibid.
15. 1. *Et quidem deſcendentes de Iudæa docebant fratres.* 113.*col.*2.*n.*12
2. *Vt aſcenderēt Paulus, & Barnabas.* 388.55
28. *Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis.* 211.20
19. 2. *Si Spiritum ſanctum accepiſtis credentes.* 174.52
3. *In quo ergo baptizati eſtis.* ibid.
4. *Ioannes baptizauit Baptiſmo pœnitentiæ.* ibid.54
5. *His auditis baptizati ſunt.* 173.47
6. *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus*, &c. 375.3.376.8
20. 8. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi.* 393.6. 834.113
21.20. *Vides frater, quot millia ſunt in Iudæis, qui crediderunt.* 197.10


## Ex Epiſtola ad Romanos.


1. 16. *Euangelium eſt virtus Dei in ſalutem omni credenti.* 135.*col.*2.*n.*2
2. 25. *Circumciſio quidem prodeſt, ſi legem obſerues.* 113.*col.*2.*n.*13
*Si autem præuaricator legis ſis*, &c. 266.39
3. 1. *Quid ergo amplius Iudæo eſt.* 197.33
2. *Eloquia Dei credita Circumciſioni.* 113. *col.*1.*n.*9.199.39
20. *Ex lege tantùm cognitio peccati.* 113.*col.*2. *n.*13
22. *Iuſtitia autem Dei per fidem.* ibid.
23. *Omnes enim peccauerunt.* ibid.
24. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius.* 144.30
4. 11. *Signaculum accepit Circumciſionis.* 109. *col.*1.*n.*1
23. *Non autem ſcriptum eſt tantùm propter ipſum ſolum.* 191.16
5. 15. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum.* 210.12
18. *Igitur ſicut per vnius delictum*, &c. ibid.
20. *Vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia.* 240.7
6. 3. *An ignoratis, quia quicunque baptizati ſumus in Chriſto, in morte ipſius baptizati ſumus.* 66.*col.*1.*n.*21.94 *col.*2 *n.*45.172. 44.331.2.*in com.* 219.7.459.*col.*1
4. *Conſepulti enim ſumus cum illo.* 219.7
5. *Si enim complātati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* 94.45
7. 8. *Peccatum occaſione acceptâ, per mandatum ſeducit, & per illud occidit.* 77

8. 1. *Nihil ergo nunc damnationis est in his.* 219. 7.223.5.254.43
9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* 255.45
15. *Non accepistis Spiritum seruitutis in timore.* 134.*col.*2.*n.*2
34. *Christus Iesus, qui mortuus est, qui & resurrexit.* 832.106
9. 27. *Reliquiæ Israël conuertentur in fine.* 276. 2. *in text.*
10. 4. *Finis enim legis Christus.* 197.32
14. *Quomodo credent, nisi audiant: quomodo audient, nisi mittantur.* 203.54
17. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi.* *ibid.* & 221.1
11.16. *Si radix sancta, & rami.* 230.1.*in text.*
29. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* 242.3
32. *Qui proprio filio suo non pepercit.* 816.23

## Ex 1. ad Corinthios.

1. 12. *Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrûm dicit: Ego quidem sum Pauli.* 163.5
13. *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est; aut in nomine Pauli baptizati estis?* *ibid.* 13. 176 60.258.6
14. *Gratias ago Domino Deo meo, quod neminem vestrûm baptizaui.* 164.14.176.60
23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum.* 258.6
2. 8. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* 570.12
3. 22. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus,* &c. 141.16
4. 4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* 477.36
6. 7. *Iam quidẽ omnino delictũ est in vobis.* 223 5
9. *Nolite errare; neque fornicarij, neque idolis seruientes, regnum Dei possidebunt.* *ibid.*
11. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis.* 173. 46 223.4
7. 14. *Alioquin filij vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt.* 65.*col.*1.*n.*17
8. 8. *Esca autem nos non commendat, neque enim si manducauerimus,* &c. 367.36
9. 13. *Qui altari deseruiunt, cum altari participant.* 843.144
10. 2. *Omnes in Moyse baptizati sunt.* 64.16
4. *Omnes bibebant de Petra, Petra autem erat Christus.* 491.9.488.3
11. *Omnia in figura contingebant illis.* 64. *col.* 2.*n.*16
16. *Panis, quem frangimus, nónne participatio corporis Domini est.* 407.2.606.5
*Calix benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est.* *ibid.* 433.30
17. *Omnes vnũ corpus sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus.* 410.7.414.23
*Quoniam vnus panis, vnum corpus sumus omnes.* 449.17
18. *Qui edunt hostias, participes sunt altaris.* 826.73
*Videte Israël secundùm carnem.* 822.55
21. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & Dæmoniorum.* 843.144
31. *Siue edatis, siue bibatis, omnia in nomine Domini facite.* 365.26
11. 20. *Non est Dominicã Cœnã manducare.* 409.2
21. *Vnus quidem esurit, alius verò ebrius est.* 445.1.*in text.* 775.2
23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* 491.7
24. *Accipite, & manducate, hoc est Corpus meum.* 426.9
25. *Hoc facite in meam commemorationem.* 333.7.473.23
*Similiter & Calicem postquàm cœnauit.* *ibid.* 681.22
*Hic est Calix nouũ Testamentũ* *ibid.* 420.41
26. *Quotiescunque panem hunc manducabitis, & Calicem bibetis.* 407.2.410.5.473. 23.494.22
28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de Calice bibat.* 137.8.420. 41.455.37.470.9.475.2. 482.56
29. *Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* 420 41.445.1. *in text.* 451.25 469.1
34. *Si quis esurit, domi mãducet* 445.1.*in text.*
12. 8. *Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem,* &c. 833.110
13. 9. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus.* 143.24
15. 8. *Nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est & mihi.* 516.9
15. *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.* 163.13
45. *Factus est primus homo Adam in animam viuentem; nouissimus Adam in spiritum.* 119.*col.*2.*n.*2.7
46. *Non prius quod spiritale est, sed quod animale.* 230.1.*in text.*

## Ex 2. ad Corinthios.

1. 22. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus.* 347.15.394.66.397.78
2. 15. *Christi bonus odor sumus Deo.* 394.8
3. 6. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* 77. *col.*2.*n.*21
7. 10. *Quæ secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* 244.9
vlt. 10. *Non dedit nobis Dominus potestatem.* 811.4

## Ex epistola ad Galatas.

2. 5. *Quibus neque ad horam cessimus subiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* 808.78
11. *Cùm venisset Cephas, in faciem ei restititi.* 206.13.207.14
12. *Prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat.* *ibid.*

# Index locorum S. Scripturæ.


*Segregabat se ab alijs timens circumcisos. ibid.* 208.15
13. *Simulationi eius consenserunt cæteri. ibid.*
14. *Sed cùm vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij,* &c. 207.14. 75. & 76
*Quomodo Gentes cogis iudaizare?* 206.13. 207.4.208.15
3.27. *Quicunque in Christo Iesu baptizati estis.* 172.44.241.1
4. 3. *Ita & nos, cùm paruuli essemus.* 125.44
8. *Sed tunc quidem ignorantes Deum. ibid.* 43
9. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa. ibid.*
10. *Dies obseruatis, & menses, & tempora & annos. ibid.*
5. 2. *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* 195.7
3. *Testificor rursus omni circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.* 113.*col.*1.*n.*9.199.39


## Ex epistola ad Ephesios.


1. 9. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ.* 56.*col.*2.*n* 1
13. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto.* 66.*col.*2.*n* 28.347.16
4. 5. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma.* 171.41.172.42.270.3
11. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos; quosdam autem Prophetas.* 833.110
30. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis.* 172.44 347.18
5.26. *Mundans eam lauacro aquæ.* 67.*col.*2. *n.*27 184.2.219.7
30. *Membra sumus corporis eius, de carne eius.* 449.17


## Ex epistola ad Colossenses.


1.15. *Ipse est primogenitus omnis creaturæ.* 141.16
2. 11. *In quo & circumcisi estis Circumcisione non manufactâ.* 197.32.219.7
3. 3. *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* 459.*col.*1


## Ex 1. ad Timotheum.


2. 4. *Deus vult omnes homines saluos fieri* 120.30
4. 4. *Omnis creatura Dei bona est.* 433.32
14. *Noli negligere gratiam Dei, quæ in te est.* 384 39 393.6


## Ex epistola ad Titum.


1. 5. *Propter hoc te reliqui Cretæ, vt constitueres presbyteros.* 393.6
3. 5. *Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis.* 219.7


## Ex epistola ad Hebræos.


1. 6. *Et cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ.* 516.10
5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus.* 303.3.813.6
4. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. ibid.* & 818.34
7. *Exauditus est pro sua reuerentia, & consummatus factus est.* 136.*col.*1.*n.*6
6. 1. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem ad perfectiora feramur.* 377.11
4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati sunt,* &c. 224.5.332.3.*in com.*
7. 18. *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem eius.* 77.*col.*2.*n.*2 1.125 *col.*2. *n.*44
25. *Semper viuens ad interpellandum pro nobis.* 832.106
9. 1. *Habuit quidem, & priùs iustificationes culturæ.* 125.44
12. *Christus semel introiuit in sancta, æternâ redemptione inuentâ.* 831.101
13. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificant ad emundationem carnis, quanto magis,* &c. 65.*col.*2.*n.*19.125.*col.*2.*n* 44
10.14. *Vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* 824.62
11. 6. *Sine fide impossibile est placere Deo.* 219.2. 221.1.263.25
13.10. *Habemus altare, de quo edere non habent facultatem.* 822.54.843.144
vlt.16. *Beneficentiæ autem, & communionis nolite obliuisci.* 813.5


## Ex epistola B. Iacobi Apostoli.


1. 27. *Religio mũda, & immaculata apud Deum.* 813.8
5. 14. *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ.* 137.5
16. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* 137.4


## Ex 1. Petri.


3. 21. *Quòd & vos similis formæ saluos facit Baptisma.* 262.24
4. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum.* 224.9


## Ex 1. Ioannis.


1. 8. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus.* 835.122
2. 1. *Aduocatum habemus apud Patrem.* 832.106


## Ex Apocalypsi.


2. 1. *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe.* 384.39
5. *Memor esto vnde excideris, age pœnitentiam.* 244.9
14.13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur; opera enim illorum sequuntur illos.* 459.43
22.11. *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* 447.11


R. P. F.

R. P. F.

# IOANNIS DVNS SCOTI,

## DOCTORIS SVBTILIS,

ORDINIS MINORVM,

## IN LIB. IV. SENTENTIARVM QVÆSTIONES.

Cum Commentario R. P. F. ANTONII HIQVÆI Hiberni in eundem Doctorem Subtilem.

---

## *DISTINCTIO PRIMA*

### MAGISTRI.

A

AMARITANVS enim vulnerato appropians, curationi eius Sacramentorum alligamenta adhibuit, quia contra originalis peccati & actualis vulnera, Sacramentorum remedia Deus instituit. *Luc.10.* De quibus, quatuor primò consideranda occurrunt.

Quid sit Sacramentum.

Quare institutum.

In quibus consistat, & conficiatur.

Et quæ sit distantia inter Sacramenta veteris & nouæ legis.

### *Quid sit Sacramentum.*

B [ SAcramentum est sacræ rei signum. ] Dicitur tamen Sacramentum etiam sacrum secretum, sicut Sacramentum diuinitatis: vt Sacramentum sit sacrum signans,& sacrum signatum: sed nunc agitur de Sacramento secundùm quòd est signum. Item, Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma. [ Signum verò est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cogitationem venire. Signorum verò alia sunt naturalia, vt *fumus* significans ignem: alia data. ] Et eorum quæ data sunt,quædam sunt Sacramenta,quædam non. Omne enim sacramentum est signum,sed non è conuerso. Sacramentum eius rei similitudinem gerit,cuius

*Augustin.10. Ciu.5. Dan.4.a. 1.Tim.3. Sacramentum quid sit. Aug.2. de Doct.Christian.c.1. Epist.23. sub finem.*

ſignum eſt. [ Si enim Sacramenta non haberent ſimilitudinem rerum, quarum Sacramenta ſunt, propriè Sacramenta non dicerentur. ] Sacramentum enim propriè dicitur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma, vt ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat. Non ergo ſignificandi tantùm gratiâ Sacramenta inſtituta ſunt, ſed etiam ſanctificandi. Quæ enim ſignificandi gratiâ tantùm inſtituta ſunt, ſolùm ſigna ſunt: & non Sacramenta: ſicut fuerunt ſacrificia carnalia, & obſeruantiæ cæremoniales veteris legis, quæ nunquam poterant iuſtos facere offerentes, quia, vt ait Apoſtolus: Sanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificabat ad emundationem carnis, non animæ. Nam inquinatio illa erat contactus mortui. Vnde Auguſt. [ Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat, niſi contactum mortui hominis: quem qui tetigerat, immundus erat ſeptem diebus, ſed purificabatur ſecundùm legem die tertio, & ſeptimo, & ita mundus erat, vt iam intraret in templum. ] Mundabant etiam interdum à corporali leprâ illa legalia. Sed nunquam ex operibus legis aliquis iuſtificatus eſt, vt ait Apoſtolus, etiamſi in fide, & charitate fierent. Quare? quia impoſuit ea Deus in ſeruitutem, non in iuſtificationem, & vt figura futuri eſſent: volens ſibiipſi potiùs offerri ea quàm idolis. Illa ergo ſigna erant, ſed tamen & Sacramenta (licèt minùs propriè) in Scripturis ſæpe vocantur: quia ſigna erant rei ſacræ, quam vtique non præſtabant. Illa autem Apoſtolus opera legis dicit, quæ tantùm ſignificandi gratiâ, vel in onus inſtituta ſunt.

*Quid ſit propriè Sacramentum. Mag. hic non tenetur.*

*Leu. 16. c. Hebr. 9. d. Num. 19. c. quæſt. ſup. Num. c. 33. tom. 4. Leuit. 13. 14. Rom. 3. c. & 4. b. c. Gal. 2. d. Rom. 3. d.*

*Act. 10. Onus quod neque nos, neque patres noſtri portare potuimus.*

## *De cauſa inſtitutionis Sacramentorum.*

C TRiplici autem de cauſa Sacramenta inſtituta ſunt, propter humiliationem, eruditionem, exercitationem. Propter humiliationem quidem, vt dum homo in ſenſibilibus rebus, quæ naturâ infra ipſum ſunt, ex præcepto creatoris ſe reuerendo ſubiicit, vt ex hac humilitate & obedientia Deo magis placeat, & apud eum mereatur: cuius imperio ſalutem quærit in inferioribus ſe, etſi non ab illis, ſed per illa à Deo. Propter eruditionem etiam inſtituta ſunt, vt per id quod foris in ſpecie viſibili cernitur, ad inuiſibilem virtutem, quæ intus eſt, agnoſcendam mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatum ſine medio Deum videbat, per peccatum adeò hebuit, vt nequaquam diuina queat capere, niſi humanis exercitatus. Propter exercitationem ſimiliter inſtituta ſunt: quia cùm homo otioſus eſſe non poſſit, proponitur ei vtilis & ſalubris exercitatio in Sacramentis, quâ vanam & noxiam declinet occupationem. Non enim facilè capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Vnde Hieronymus monet: Semper aliquid boni operis facito, vt te occupatum diabolus inueniat.

*Hug. de Sacr. p. 9. cap. 2. Mag. hic non tenetur.*

*Epiſt. ad Ruſtic. tom. 1. in medio epiſt.*

## *De triplici genere exercitationis.*

D SVnt autem exercitationum tres ſpecies. Vna ad ædificationem animæ pertinet. Alia ad corporis fomentum. Alia ad vtriuſque ſubuerſionem. Cùm igitur abſque Sacramentis (quibus non alligauit potentiam ſuam Deus) homini gratiam donare poſſet, prædictis de cauſis Sacramenta inſtituit. Duo autem ſunt, in quibus Sacramentum conſiſtit, ſcilicet verba, & res. Verba, vt inuocatio Trinitatis, Res, vt aqua, oleum, & huiuſmodi.

*Hug. de Sacr. p. 9. c. 2.*

*In quibus conſiſtit Sacramentum.*

De

## *De differentia Sacramentorum veterum & nouorum.*

E IAm videre reſtat differentiam Sacramentorum veterum & nouorum: vt Sacramenta vocemus quæ antiquitus res ſacras ſignabant, vt ſacrificia, & oblationes, & huiuſmodi. Eorum autem differentiam breuiter Auguſtinus aſſignat, dicens, quia illa promittebant tantùm, & ſignificabant, hæc autem dant ſalutem. *In expoſit. tit. Pſalm. 73. tom. 8.*

## *De Circumciſione.*

F FVit tamen inter illa Sacramenta Sacramentum quoddam, ſcilicet Circumciſionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc Baptiſmus præſtat. Vnde Auguſtin. Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruulis originalis veteríſque peccati: ſicut Baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo inſtitutus eſt. Item Beda, Idem ſalutiferæ curationis auxilium Circumciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod Baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quòd regni cæleſtis ianuam nondum intrare poterant: tamen in ſinu Abrahæ poſt mortem requie beatâ conſolati, ſupernæ pacis ingreſſum ſpe fœlici expectabant. His apertè traditur per Circumciſionem ex quo inſtituta fuit, remiſſionem peccati originalis & actualis paruulis & maioribus à Deo præſtitam, ſicut nunc per Baptiſmum datur. *Ad Valer. lib. 2. de Nupt. & concupiſc. cap. 11. in fine, tom. 7. In illud, Luc. 2. poſtquam cõſummati ſunt dies 8.* *Luc. 16. f.*

## *De viris qui fuerunt ante Circumciſionem, & de fœminis quæ fuerunt antè & pòſt.*

G QVæritur etiam de viris, qui fuerunt antè Circumciſionem, & de fœminis, quæ fuerunt antè & pòſt, quod remedium contra peccatum habuerint? Quidam dicunt ſacrificia & oblationes eis valuiſſe ad remiſſionem peccati. Sed melius eſt dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per Circumciſionem iuſtificatos: mulieres verò per fidem & operationem bonam, vel ſuam, ſi adultæ erant; vel parentum, ſi paruulæ. Eos verò qui fuerunt ante Circumciſionem, paruulos in fide parentum: parentes verò per virtutem ſacrificiorum, ſcilicet, quam intelligebant ſpiritualiter in illis ſacrificiis, iuſtificatos. Vnde Gregor. Quod apud nos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ ſtirpe prodierunt, myſterium Circumciſionis. *Gregor. 4. Moral. c. 2. in illud Iob. 2.* Nunc enim dormiens.

## *De inſtitutione & cauſa Circumciſionis.*

H HIc dicendum eſt, in quo inſtituta fuerit Circumciſio, & quare, & cur mutata per Baptiſmum. Abraham primus mandatum Circumciſionis habuit, ad probationem obedientiæ: nec ei ſoli præcepta fuit Circumciſio, ſed & ſemini eius, id eſt, omnibus Hebræis, quæ fiebat ſecundùm legem octaua die lapideo cultro in carne præputij. Data autem fuit Circumciſio pluribus de cauſis, ſcilicet vt per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per præuaricationem Adam diſplicuerat. Data enim fuit in ſignum magnæ fidei Abrahæ, qui credidit ſe habiturum filium, in quo fieret benedictio *Geneſ. 17. b. Ioſ. 5. a.* Quare data fuit circumciſio. *Gloſſa in illud Rom. 4.* Signum accepit. *Gen. 22. d. Gen. 3. b.*

dictio omnium. Deinde, vt hoc signo à cæteris nationibus discerneretur populus ille. In carne verò præputij ideò iussa est fieri Circumcisio, quia in remedium instituta est originalis peccati, quod à parentibus trahimus per concupiscentiam, quæ in parte illa magis dominatur: & quia in parte illa culpam inobedientiæ primus homo sensit, decuit vt ibi signum obedientiæ acciperet.

## *Quare die octauo, & petrino cultro?*

I *Genes. 17. c. & 21. 6. Leu. 12. Ios. 5. & habetur 25. q. 1. §. His ita.*

FIebat autem octauâ die, & petrino cultro, quia & in resurrectione communi octauâ die, ætate futurâ, per petram Christum omnis ab electis abscindetur corruptio: & per Christi resurrectionem octauâ die factam, circumciditur à peccatis anima cuiusque in eum credentis: duæ ergo res sunt illius Sacramenti.

## *Quare in Baptismum mutata sit circumcisio?*

K *Aug. lib. 2. de pec. orig. Mag. hic non tenetur.*

IDeò autem mutata est Circumcisio per Baptismum, quia Sacramentum Baptismi communius est & perfectius, quia pleniori gratiâ accumulatum. Ibi enim peccata solùm dimittebantur, sed nec gratia ad benè operandum adiutrix, nec virtutum possessio, vel augmentum ibi præstabatur, vt in Baptismo: vbi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur, & virtutes augentur. Vnde aqua refectionis, vel regenerationis dicitur, quia aridos fœcundat, etiam fructificantes ampliori vbertate donat. Quia quantumcumque per fidem & charitatem antè habitam aliquis iustus ad Baptismum accedit, vberiorem ibi recipit gratiam: sed non ita in Circumcisione. Vnde Abrahæ per fidem iam iustificato signaculum tantùm fuit, nihil ei intus contulit.

*Psal. 22.*

*Ad Rom. 4. b.*

## *De paruulis defunctis ante diem octauum.*

L *Non tenetur hic Magist.*

SI verò quæritur de paruulis, qui ante diem octauum moriebantur, antequam fiebat Circumcisio ex lege, vtrùm saluarentur, vel non? Idem potest responderi quod sentitur de paruulis ante Baptismum defunctis, quos perire constat. Vnde Beda, [ Qui nunc per Euangelium suum terribiliter & salubriter clamat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei; ipse dudum clamabat per suam legem, Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit: anima illa peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. ] Fortè tamen sub lege, ingruente necessitate mortis, ante octauum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modò fit in Ecclesia de Baptismo.

*Beda in illud Luc. 2. postquã cõsummati sunt dies.*

*Ioan. 3. a. Gen. 17. b.*

# PRÆFATIO DOCTORIS SVBTILIS.

# COMMENTARIVS R.P.F. ANTONII HIQVÆI.

1 Magist. A.

SAMARITANVS ille[a] piissimus spoliatũ videns hominem, & atrociter sauciatum, miserationis affectu compatiens, medicinam attulit efficacem, quâ curatis ipsius vulneribus, ac plenâ redditâ sanitate, in sui principium, à quo descendens ab Ierusalem deuiauerat, finaliter reducatur.

De ista saucij [b] sanatione salubri, ac deuij reductione finali, tanquam de pedibus sedentis super solium excelsum, Magister in hoc opere finali determinat; vt sicut ex primo & secundo claruit Deum esse *Alpha*, tam in se ens inter omnia primum, quàm omnium aliorum originale principium: sic ex tertio & quarto appareat ipsum esse & *O mega*, tam in se finem vltimum, quàm creaturæ suæ per seipsum in seipsum finaliter reductiuum. Hanc autem reductionem finalem præcedit curatio semiplena, & plena curatio comitatur.

2 *Perfecta curatio hominis in duobus cõsistit.*

Secundùm hanc distinctionem igitur potest diuidi quartus iste, dicendo, quòd Magister primò agit de hominis saucij curatione salubri: secundò, de hominis deuij reductione finali; curatur enim homo salubriter in susceptione deuotâ Sacramentorum veracium, & reducitur finaliter in perceptione iucundâ præmiorum cælestium. Sacramenta enim disponunt, & præparant; præmia verò perficiunt, & consummant. Vel potest dici, quòd primò agit de curatione semiplenâ, seu dispositiuâ: & secundò de curatione plenâ, seu perfectiuâ, & vtraque diuisio redit in idem. Nam curatio semiplena fit per gratiam Sacramentorum, quæ sunt medicinæ salubres: plena curatio, seu finalis reductio, fit per collationem præmiorum, quæ sunt iucundæ refectiones.

In prima igitur parte agit de Sacramentis, per quæ curatur languidus à morbo culpæ. In secunda de præmiis, per quæ liberatur à languore pœnæ. Et incipit secunda in principio distinct. 43. *Postremò*, &c. Prima diuiditur in duas; primò namque determinat de Sacramento in generali: secundò in speciali. Secunda in principio dist. secundæ, *Iam ad Sacramenta.* Prima diuiditur in duas, in prooemium & tractatum,

a *AMARITANVS ille*, &c. Hîc Doctor assumens præfationem Magistri in quartum Sententiarum, applicat eundem ordinem, & distributionem operis totius exprimens, alludit vterque ad parabolam illam Samaritani, *Luc.* 10. iuxta mysticam interpretationem, quę accommodatur lapsui, & redemptioni generis humani, ex communi Patrum sententia, Origenis *homil. in Lucam*, Nazianzeni *Orat. 4. de Theolog.* Basilij *hom. in aliqua Scripturæ loca*, Chrysostomi *homil. in eundem locum, & in homil. de Anathem.* Ambrosij *in Lucam*, Hieronym. *Epist. ad Fabiolam, & in comm. cap. 20. Matthæi*, Augustini *serm. 7. de verbis Domini in Lucam, & lib. 2. quæstion. Euangel. cap. 19.* Gregorij *lib. 20. Moral. cap. 27.* Bedæ, Theophylacti *in eundem locum*, Bernardi *serm. 1. de Annunciat. B. Mariæ*, & aliorum Interpretum, apud quos accommodatio legi potest, reddendo singula singulis. 1 *Parabola.* Nazianz. Basil. Chrysost. Ambros. Hieron. August. Gregor. Beda. Theophyl. Bernard.

*Homo descendens ab Ierusalem*, quæ interpretatur *pacis visio*, est Adam, cum omni sua posteritate, peccato lapsus à culmine suæ innocentiæ, in qua summa pace fruebatur, vt Augustinus *lib. de Corrept. & grat. cap. 11. & alibi sæpè* docet. Per *Iericho* significatur status peccati; *Iericho* enim interpetratur *Luna*, quæ menstruis mutationibus, incrementis, & decrementis subiacet; & proinde *Ecclesiast.* 27. comparatur ei stultus, seu peccator. *Latrones* in quos incidit sunt Dæmones, qui *expoliauerunt* eum gratuitis per peccatum. Cælestinus I. *Epist. 2. cap. 4.* Tridentinum *sess. 5. can. 1.* nempe iustitia originali, & aliis donis, quæ bonitate sui Creatoris accepit, non propriis meritis: *vulnerauerunt* eum in naturalibus, quia *secundum corpus, & animam in deterius commutatum.* Arausicanum *can. 1.* Tridentinum *suprà.* Per *Leuitam, & Sacerdotem*, qui iacentem, & sauciatum præterierunt, designatur lex Mosaica, eiúsque infirmitas ad sanandum hominem à peccato, vt patet ex Tridentino *sess. 6. cap. 1. & can. 1.* *Samaritanus* autem veniens, qui curam eius gessit, intelligitur filius Dei, quando venit plenitudo temporis missus à Patre misericordiarum ad homines, vt Iudæos, qui sub lege erant, redimeret, & Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum Dei recuperarent. *Accommodatio.* August. Cælestinus. *Infirmitas legis.* Trident. *Samaritanus Christus.*

b *De ista saucij sanatione*, &c. Reddit rationem ordinis, quem sequitur Magister in libris Sententiarum, iuxta ordinem in genere, quo creaturæ in Deum reducuntur, tanquam principium, & finem, Alpha & O mega, *Apocalyps. 1.* 2 *Ordo Magistri.*

In primo lib. Sentent. agitur de principio ad intrà, & extrà, scilicet de Deo in se trino, & vno, eiúsque perfectionibus, de scientia tam possibilium, quàm futurorum, de æterna prædestinatione, & reprobatione, & voluntate antecedenti, & consequenti, seu signi, & beneplaciti, Deique prouidentia in sua æternitate. *Primus libr. Sententiarum de Deo.*

tum, qui incipit ibi, *Sacramentum eſt ſacræ*, &c. Et illa in quatuor, ſecundùm quatuor, quæ in proœmio proponit pertractanda. Primum eſt, quid ſit Sacramentum. Secundum, quare inſtitutum, ibi, *Triplici ex cauſa.* Tertium, in quo conſiſtat, ibi, *Duo autem ſunt*, &c. Quartum, de differentiis Sacramentorum ibi, *Iam videre reſtat.* Et iſta in duas, in principalem, & incidentalem, quæ incipit ibi, *Fuit tamen.* Et iſta incidentalis in tres, quia primò agit de Sacramento præcipuo legis Moſaicæ. Secundò, quid ſibi correſpondebat in lege naturæ, ibi, *Quæritur autem.* Tertiò, redit ad declarandum quædam dubia de Circumciſione, ibi, *Hîc dicendum eſt.*

4 *Sacramẽtum ad gratiam ordinatur.*

De Sacramento igitur in communi, hoc primò tanquam notum occurrit conſiderantibus Sacramenta, ſcilicet, quòd Sacramentum ſpecialiter ad gratiam ordinatur, quod verum generale, ſi particulariùs, & clariùs, & planiùs explicetur, patebit veritas illorum, quæ de Sacramento in generali communiter inquiruntur. Sed an ordo iſte fuerit cauſæ ad cauſatum, vel ſigni tantùm ad ſignificatum, difficultas oritur principaliter ex duobus: quorum vnum eſt generale, ſcilicet de potentia creaturæ ad creandum gratiam; ſecundum eſt ſpeciale, ſcilicet propria ratio, & excellentia Sacramenti ad ſanctificandum animam. Secundùm hoc igitur in hac prima diſtinctione, (vbi de Sacramento agitur in communi, & per conſequens de ordine eius ad gratiam) principaliter eſt tractandum. Primò quæritur in communi, an creatura poſſit habere aliquam actionem reſpectu termini creationis. Secundò de propria ratione Sacramenti, & eius inſtitutione. Tertiò ex iſtis, ſi Sacramentum poteſt habere reſpectu gratiæ creandæ aliquam cauſalitatem.

*Ordo dicendorum in hac diſt.*

In ſecundo verò de eâdem prouidentia, & creatione rerum in tempore, tam materialium, quàm ſpiritualium; de Angelo, & homine inſtitutis, de lapſu Angeli, & hominis. *Secundus de prouidẽtia ad extra.*

In tertio de Mediatore inter Deum, & hominem, & de virtutibus, tam moralibus, quàm infuſis, de donis, de præceptis, quibus homo reducitur in finem ex gratia Redemptoris. *Tertius de Mediatore & virtutibus*

In quarto de curatione hominis languidi per Sacramenta, quam rectè vocat ſemiplenam, & diſpoſitionem; quia eſt viatoris peregrinantis per fidem, qui nondum aſſecutus eſt finem, aut plenam ſanitatem, ſed luctatur cum infirmitatibus, interne quidem in ſe patiens rixam carnis, & ſpiritûs; vbi hera & ancilla, Sara & Agar diſſidia fouent in partes diſtractæ; exteriùs verò impetitus, cum Dæmone, & mundo congreditur, contra quos Sacramentis munitur. Et hic tractatus de Sacramentis in genere, & ſpecie producitur vſque ad diſtinctionem 43. in hac autem & deinceps agitur de plena curatione: nempe per collationem præmij, & gloriæ, quæ excludit omnem miſeriam, & infirmitatem, & in qua creatura ſuo Creatori perfectiſſimè, & immutabiliter adhæret. *Quartus de curatione.*

Hæc methodus conſiderandi Deum, quà principium, & finis eſt creaturarum, concordat cum illo ordine, quo S. Auguſtinus diſcernit diem cognitionis Angelicæ in matutinam, & veſpertinam. *Matutinam* determinat eſſe eam, quâ Deus in ſe cognoſcitur, vt fons eſt, & origo omnium. *Veſpertinam* diuidit in eam, quâ cognoſcitur creatura, vt procedens à Deo in proprio genere, & in eam, quâ reducitur in Deum, tanquam in finem, in quo terminatur. *Methodus Magiſtri & Auguſtini.*

5 *Ordo ſcitiæ.*

Seruatur methodus requiſita ad ſcientiam, quia ſicut ex quæſt. tertia Prologi conſtat, Deus eſt ſubiectum Theologiæ, quantum ad veritates neceſſarias, quantum ad veritates contingentes.

*Veritates Theologiæ quomodo reducuntur in Deum?*

Primò ergo agendum erat de neceſſariis veritatibus, ſiue immediatis, & habentibus euidentiam ex terminis in intellectu apprehendente perfectè terminos; ſiue ex mediatis, & per modum concluſionum. Sic in primo agitur de Deo, & eius perfectionibus, quà vnus & trinus eſt in ſe. Veritates autem contingentes reducuntur ad idem ſubiectum; nempè eſſentiam diuinam, ſeruato ordine inter ipſas contingentes, quarum radix eſt diuina voluntas. Sicut ergo illa voluntas prior eſt ſub intentione, quàm ſub executione, & priùs conſideratur, vt ab æterno eſt ſub actu, quàm vt pro tempore tranſit in effectum; inde poſcit ordo, vt generaliter de ipſa hoc modo ageretur in primo.

*Veritates cõtingentes reducuntur ad voluntatem, earũque ordo.*

Succedit autem in ſecundo conſideratio eiuſdem, vt tranſit in effectum creationis rerum in genere; & in ſpecie creaturæ ſpiritualis, vt proceſſit iuxta primæuum ſtatum, & determinationem à Deo; deinde ſuppoſito peccato, & receſſu hominis ab illo ſtatu, in quo eſt conditus; de quo agitur in vltima ſecundi.

In tertio ſubiungitur conſideratio Mediatoris, & iuſtitiæ, quam communicauit intrinſecè, virtutum, & donorum, viatori.

In quarto tandem ſequitur de cauſis extrinſecis conſeruandi, & reſtituendi eandem iuſtitiam, vt ſunt Sacramenta, ac demùm vltimò de ipſius iuſtitiæ conſummatione per gloriam, & de ſtabili termino creaturarum ceſſante deinceps motu, & mutatione.

Poſtquam autem Doctor ſuppoſuit hanc generalem diuiſionem Quarti, tandem diuidit primam eius partem ex methodo Magiſtri, in duas, quarum prior eſt de Sacramento in communi, & hæc terminatur vnicâ diſtinctione, quæ prima eſt; vbi explicat primò, quid ſit Sacramentum? Secundò, quare inſtitutum? Tertiò, in quo conſiſtat? Quartò, quæ ſint differentiæ Sacramentorum? Subiungit etiam de Circumciſione, & remedio legis naturæ, & quædam dubia circa efficaciam Circumciſionis. Secunda autem pars incipit à diſtinctione ſecunda incluſiuè, vſque ad quadrageſimam tertiam excluſiuè. De Sacramentis nouæ legis in ſpecie, & eorum efficacia. 4 *Diuiſio quarti quoad primam partem.*

## Distinctio I.

### *De Sacramento in genere.*

*Ordo primæ distinctionis, & contenta.*

Hæc distinctio comprehendit tractatum de Sacramento in genere, abstrahendo ab iis, quæ de Sacramentis legis nouæ, ex conceptu proprio Sacramenti huius legis, in specie dicuntur etiam secundùm communem conceptum Sacramenti legis nouæ. Hinc fit, vt consideratio Sacramenti in genere auctior sit apud Summistas, quàm apud Sententiarios; quia hi secuti sunt ordinem Magistri, qui de conceptu generico Sacramenti instituit præcisè tractatum; alij verò quacumque ratione quidquid de omnibus, aut quibusdam Sacramentis in communi dicitur, reduxerunt ad disputationem in genere de Sacramento: qui stylus prolixitatem ingerit, in iis, quæ iterum de quolibet in specie resumi oportet. Noster autem Doctor ex methodo, ea in suum locum dimisit, ne repetitio eiusdem inutilis videretur, prior stylus claritati, secundus breuitati consulit, vterque commodus, nisi quòd aliqui nimiùm protrahant discursum, & ad titulos, & quæstiones ex professo reuocent quod incidenter, & breuiori resolutione comprehendi posset. Agit ergo hîc Doctor de Sacramento in communi, eius essentia, & definitione. Item de efficacia eius ad gratiam causandam in anima. Item, vt comprehendat, quæ tangit Magister de Circumcisione, & Sacramento legis naturæ: & totum tractatum comprehendit septem quæstionibus, hoc ordine:

1 An creatura possit habere aliquam actionem respectu termini creationis?
2 Vtrùm rectè definitur Sacramentum à Magistro?
3 Vtrùm in qualibet lege fuerit Sacramentum?
4 Vtrùm possit causare gratiam physicè?
5 Vtrùm possibilis sit virtus physica supernaturalis?
6 Quæ sit ratio agendi physicè in Sacramento? &, Vtrùm Circumcisio causabat gratiam?
7 Vtrùm legis naturæ fuerit aliquod Sacramentum?

---

## Quæstio I.

### *An creatura posit habere aliquam actionem respectu termini creationis?*

Alens. 2. *p. q. 6. m. 2. art. 4.* D. Bonauent. 2. *d. 1. art. 2. q. 1.* Durand. *ibi q. 4.* D. Thom. 1. *p. q. 45 art. 5. & 4. d. 5. q. 1. a. 3.* Mag. *ibi. c. vlt.* Rich. *art. 1. q. 4.* Henr. *sum. art. 25. q. 6. & quodl. 4. q. vlt.* August. Athan. Prosp. Cyrill. Basil. *citandi vlt. Schol. vide* Scot. 7. *Met. q. 2. 8. 9. 10. & 9. Met. q. 11. in fol. secundi princip. & in Theorem.* §. Creans non est nisi.

1 Argum. 1.

AD primum sic proceditur, & arguitur, quòd creatura possit habere actionem respectu termini creationis. Primò, quia Augustinus *super Ioan. homilia* 80. & ponitur *in can. prima quæst. 1. Detrahe. Quæ est ista virtus aquæ tanta, vt corpus tangat, & cor abluat?* Sed non abluitur cor in anima nisi per gratiam: ergo aqua Baptismalis effectiuè se habet ad gratiam, quâ cor abluitur.

HANC quæstionem mouet Doctor hîc, vt ex principio generali colligatur, quid efficacię conueniat Sacramento circa gratiam, quæ ex communi sententia antiquorum creari tenetur; eandem etiam tangit Magister *dist. 5. in fine.* D. Thomas *ibidem quæst. 1. art. 3.* Richardus *art. 1. quæst. 4.* vbi agunt de eadem efficacia Sacramenti: vnde non est extra scopum hîc eam tractare. Diuisiones & summarium textûs habes ex scholiis, ad quæ te remitto circa hæc quæ erunt dicenda. 1

Argum. 2. *Quare artifices de nihilo nihil faciant. Vide 1. Metaph. q. 12.*

Item *lib. 83. quæst. q. 70.* Artifices ideò de nihilo non possunt aliquid fabricare, quia per corpus operantur: ergo per oppositum, creatura spiritualis potest aliquid de nihilo producere, quia non operatur per corpus; & confirmatur, quia sicut actio transiens requirit passum in quod agit, ita videtur quòd actio immanens non requirit passum: ergo agens actione immanente, potest agere, & non de aliquo passo, & ita creare.

Argum. 3.

Item ratione sic, Effectus non adæquans virtutem agentis superioris, potest ab agente inferiori produci: sed nullus effectus inferior suprema creaturâ adæquat virtutem Dei, nec adæquatione simpliciter, quod patet: nec etiam in ratione effectus, quia adhuc aliquid superius eo potest esse effectus Dei; ergo quodlibet inferius suprema creaturâ potest ab aliquo agente secundò produci: aliquod autem tale est, quod non potest produci nisi per creationem: ergo, &c. Maior probatur, quia si effectus in ratione effectus non adæquat virtutem agentis: ergo agens non secundùm totam potentiam suam producit illum; & per consequens minor potentia sufficeret ad producendum illum.

Et confirmatur, & probatur hæc consequentia in probatione maioris, quia si secundùm totam potentiam produceret effectum inferiorem: ergo superior effectus non ostenderet potentiam maiorem in causa, quàm inferior; quia inferior ostendit to-

tam, ex quo non potest produci, nisi secundùm totam potentialitatem eius. Consequens est falsum: nam ex effectu perfectiori plus relucet potentia causæ.

2 Argum. 4. *Æqualis distantia nihili ad aliquid, & è contra.* tex. com. 21. Item, agens creatum potest aliquid annihilare: ergo creare. Consequentia probatur, quia æqualis est distantia à nihilo ad aliquid, sicut ab aliquo ad nihil, vt patet per Philosophum 3. *Physicorum. Eadem est distantia ab Athenis*, &c. ergo æqualis virtus potest super hanc distantiam, & illam. Probatio antecedentis, tum quia agens creatum potest destruere formam naturalem totaliter, ita quòd nihil eius remaneat: talis autem destructio est illius annihilatio, tum quia quod potest esse causa effectiua vnius oppositi (eo modo, quo conuenit sibi habere causam effectiuam) potest esse causa destructiua alterius oppositi. Patet propter incompossibilitatem oppositorum: sed anima potest esse causa infidelitatis, desperationis, & aliorum peccatorum mortalium, quæ repugnant gratiæ, & charitati: & hîc causam dico eo modo, quo istis conuenit habere causam, scilicet in deficiendo: patet enim, quòd ista possunt inesse animæ, & non à Deo vt à causa; quia Deus non est causa peccati: ergo anima potest esse causa corruptiua fidei, spei, & charitatis, siue gratiæ. Horum autem omnium destructio est annihilatio, sicut eorum productio est creatio. Vniuersaliter enim, quod non potest produci nisi creetur, non destruitur nisi annihiletur; quòd autem fides, & infidelitas opponantur, & spes, & desperatio, videtur manifestum.

*Quod incipere potest tantùm per creationem, desinit tantùm annihilatione.*

3 Consimiliter probatur de gratiâ, seu de charitate, & de quolibet peccato mortali; quia amicitia Dei, & inimicitia formaliter opponuntur: peccator est formaliter inimicus Dei: habens autem gratiam, vel charitatem, est formaliter amicus: ergo, &c.

Argum 5. Item, causa secunda plus potest in virtute causæ primæ, quàm in virtute propria; alioquin non dependeret essentialiter in causando à causa prima, nec esset ordo essentialis causarum in causando, quod est inconueniens: sed in quodcunque ens producibile non per creationem potest aliqua causa secunda in virtute propriâ: ergo in terminum creationis potest in virtute causæ primæ.

## SCHOLIVM.

*Auctoritatibus Augustini, & Damasceni probat creare non posse competere vlli creaturæ.*

4 *Ratio ad oppos.* Contrà Augustinus *super Gen. lib. 9. c. 21. Angeli nullam omnino possunt creare naturam.* Et *ibidem cap. 22. Creare naturam tam nullus Angelus potest, quàm nec creare seipsum.*

Item Damascenus cap. 18. *Qui dicunt Angeles esse creatores alicuius naturæ, sunt omnes filij patris sui diaboli.*

Item August. 12. *de ciuit. cap.* 24. loquens de Angelis; *Tam nec eos dicimus creatores animalium, quàm nec agricolas frugum.* Item 3. *Trin. cap.* 8. *&* 9. *Ita non possumus dicere Angelos creatores fuisse, sicut nec possumus dicere homines esse segetum creatores.* Et pòst *cap.* 9. *&* 10. *Non est creator nisi qui principaliter ista formabat; penes quem primitus sunt omnium, quæ sunt mensuræ, numeri, & pondera.*

## SCHOLIVM.

*Ponit rationes D. Thomæ, & aliorum, quibus probant creaturam non posse creare. Prima, quia terminus creationis est ipsum esse vt sic, quod soli Deo tanquam vniuersali causæ subest. Secunda, inter terminum à quo creationis, qui est nihil, & ad quem, qui est aliquid, est distantia infinita. Tertia, agens inferius supponit effectum agentis superioris. Quarta, nullum creatum agens est purus actus.*

5 *Ratio 1. D. Thom. 1 p. q. 45. a. 5. 2. Phys. & 5. Metaphys.* In ista [a] quæstione Theologi communiter tenent partem negatiuam, & ad hoc ponuntur rationes ad præsens quatuor. Prima sumitur ex parte termini creationis, quæ talis est: Effectus vniuersaliores oportet in causas vniuersaliores reducere; sed inter omnes effectus vniuersalissimus est ipsum esse: ergo est proprius effectus causæ vniuersalissimæ. Vnde dicitur *in lib. de Causis*, quòd nec Intelligentia, nec anima rationalis dat esse, nisi in quantum operatur operatione diuinâ.

a *In ista quæstione Theologi communiter tenent partem negatiuam*, &c. Suppositis, vt solet, rationibus pro vtraque parte quæstionis, hîc aggreditur eius in specie resolutionem, ponendo conclusionem communem Theologorum, quæ est negatiua, quam docet Magister *in* 4. *dist.* 1. cum aliis, quos citat Scholiastes, quibus adiungi potest Ocham *in* 2. *quæst.* 7. *quodlib.* 2. *quæst.* 9. Cæterùm alij posteriores Doctores, quos Tartaretus *hîc* appellat modernos Nominales, oppositum tenent, vt Gabriel *in* 2. *d.* 1. *quæst.* 4. *art.* 3. qui dicit de facto creaturam non posse creare, propter ordinem rerum constitutum extrinsecus à Deo causa prima, neque illud alia ratione probari, quàm experien 2

*Creaturam creare non posse.*

Ex hoc vlterius, cùm producerè *esse* absolutè (non inquantum hoc, vel illud) pertineat ad rationem creationis; ergo sequitur, quòd creatio est propria actio Dei. Et additur, quòd nec creatio potest competere creaturæ ministerialiter, vel instrumentaliter. Cuius ratio est, quia causa instrumentalis non participat actionem causæ superioris, nisi per aliquid sibi proprium operetur ad effectum proprium principalis agentis. Probatio, quia si nihil ageret secundùm aliquid sibi proprium, frustrà adhiberetur ad agendum: nec oporteret esse determinata instrumenta determinatarum actionum; quia æquè posset principale agens in actionem suam indifferenter, per quodcumque instrumentum.

*Securis an scindit per formam propriam?*

Hoc declaratur per exemplum de securi, quæ per formam sibi propriam diuidit, & scindit ligna, quæ est dispositio immediata ad formam scamni, quam intendit principale agens; sed sic non potest esse in creatione; quia creatio non est ex aliquo præsuppositio, quod possit disponi per actionem agentis instrumẽtalis, quia esse absolutè, quod est effectus proprius Dei creantis, præsupponitur omnibus aliis.

6 Ratio 2. Henr. *quodl. 4. q. vlt.* & Rich. *in 2. d. 1. art. 4. q. 4.*

Secunda ratio principalis sumitur ex distantia terminorum, & est talis: super distantiam infinitam non potest nisi virtus infinita; sed inter terminos creationis, *à quo* & *ad quem*, puta nihil, & ens, est distantia infinita: ergo, &c. Probatio maioris, quia quantò distantia est maior, tantò transitus est difficilior, & maiorem virtutem requirit in agente; quia videmus vniuersaliter, quòd quantò potentia plus distat ab actu, tantò requiritur maior potentia in agente ad reducendum ad actum. Probatio minoris, quia omni distantiâ finitâ contingit intelligere maiorem: sed nulla maior potest intelligi, quàm illa, quæ est inter nihil, & ens. Et confirmatur etiam hæc minor, quia inter quæcumque contradictoria est distantia æqualis; ergo est æqualis distantia inter nihil, & aliquid: & inter Deum, & non Deum; sed inter Deum, & non Deum est distantia infinita: ergo inter alia. Item aliter confirmatur minor, quia æqualis est distantia inter duo contradictoria, & inter omnia; sed inter totum ens, & purum nihil est infinita distantia, eo modo quo possibile est sub ente creabili contineri infinitas, intantum quòd super illam non potest nisi virtus infinita: ergo æqualis est inter animam, & non animam, siue inter quodcumque creabile, & eius negationem.

D. Thom. 1. *p. q. 45. art. 5. in so. 3. arg.*

Ex isto medio formatur ratio ad conclusionem aliter sic: Non est aliqua proportio nullius potentiæ, ad aliquam potentiam, sicut nec non entis, ad ens: ergo nec est aliqua proportio distantiæ, quæ est inter potentiam, & actum ad illam, quæ est inter nullam potentiam, & actum: ergo non erit proportio virtutis, quæ potest super istam distantiam, ad virtutem, quæ potest super illam: ergo est infinita, quia omni finito potest finitum quodlibet proportionari.

Ratio 3. Ægid. *quodl. q. 1.*

Tertia ratio sumitur ex ordine causarum agentium, & est talis: Agens inferius præsupponit in agendo effectum superioris agentis. Patet inductiuè, quia ars præsupponit effectum

experientia, quâ constat de facto agens creatum dependere à subiecto in sua actione. Hoc ergo dato, videtur admittere simpliciter non repugnare creaturæ creare. Cæterùm illa experientia nequit haberi in causis spiritualibus & remotis à sensu, vnde ratio diminuta est, si ad solam experientiam, quæ ex sensibilibus est, reducatur. Durandus autem *in 2. d. 1. quæst. 4.* sine formidine negat repugnare creaturæ aliquid creare, & soluit argumenta, quæ pro parte negatiua adducuntur. hæc quæstio diuersa est ab illa, quâ disputatur, an causa secunda sine concursu primæ possit producere effectum; quia hoc etiam dato, illa productio non esset creatio, cùm dependeret à causa materiali. Agitur etiam hîc de creatione, non prout generaliter sumitur pro actione Dei ad extra, quæ etiam respicit subiectum: sed qua est productio ex nihilo sui præexistente: vel certè, vt explicat Anselmus *in Monologio cap. 8. ex nihilo*, id est, ex nullo subiecto.

Prima ratio pro conclusione, est D. Thomæ, & continet duo membra, nempe creaturam non posse creare vt causam principalem, neque etiam vt causam instrumentalem.

5 *Ratio D. Thomæ à prima causa & esse.*

Primum patet, quia effectus vniuersalis in causas vniuersaliores reducitur; sed ipsum esse est vniuersalissimum in effectu: ergo est proprius effectus causæ vniuersalissimæ, qui est Deus. Vnde *in libro de causis* dicitur, quòd nec Intelligentia, nec anima rationalis dat esse, nisi inquantum operatur operatione diuina; sed creatio est ad esse absolutè; non autem ad hoc, aut illud determinatè; ergo est actio propria Dei.

Secundum membrum patet; quia instrumentum non participat actionem causæ superioris, nisi per aliquid proprium operetur ad effectum causæ principalis, quia aliàs frustrà assumeretur; neque essent instrumenta determinata assumenda ad determinatas actiones, cùm quodlibet indifferenter assumi posset. Exemplum, securis assumitur vt instrumentum scindendi ligna, quæ est dispositio immediata ad formam scamni, quam intendit principale agens, nempe artifex; sed creatio non est ex aliquo præsupposito, quod posset disponi, cùm sit ad esse absolutè, quod est effectus proprius Dei creantis, & reliquis præsupponitur; ita format Doctor rationem D. Thomæ, quam claritatis gratiâ resumpsi, vt examinetur antequam ad alias rationes suo ordine deueniatur.

Petr. de Tarranta *lib. 2. d.1.q.3. quare Varron.*

effectum naturæ circa quem agit, & natura aliquid potentiale, ſcilicet materiam, quæ eſt effectus primi agentis. Si hoc requirit vniuerſaliter ordo agentium, & non poteſt eſſe aliquod agens creatum, quin ſubordinetur Deo in agendo: ergo neceſſariò in agendo præſupponit effectum Dei, & per conſequens non poteſt agere nullo præſuppoſito: ergo nec creare.

Ratio 4. Ægid. *vbi ſup. & quodl. 1.q.4.*

Quarta ratio ſumitur ex potentialitate agentis creati, & eſt talis: Nullum agens creatum eſt purus actus, ſiue purum eſſe: ergo nec actio eius eſt actus purus, ſed aliquid potentialitatis habens: talis autem non eſt ſine motu, & mutatione; ergo nullum agens creatum poteſt agere ſine motu, & mutatione: ergo nec creare; quia creare eſt de nihilo, motus autem in ſubiecto eſt.

## SCHOLIVM.

*Refutat primam rationem D. Thomæ, continentem has duas propoſitiones, ſcilicet eſſe ſimpliciter eſſe à Deo, & hoc ipſum eſſe, terminare creationem. Refutat etiam clariſsimè probationes, quibus D. Thom. ſuam rationem confirmat, & explicat quid requiratur ad rationem inſtrumenti, de quo agit q.4. & d.18.q.1.d.6.q.5. & d.13.q.1.ad 5.*

7 *Refutatur prima ratio D. Thom.*

Sed iſtæ rationes [b] non videntur neceſſariò concludere. Prima non, cõſiſtit enim in his duabus propoſitionibus: eſſe ſimpliciter eſt proprius effectus Dei; & eſſe ſimpliciter eſt proprius terminus creationis. Prima videtur eſſe falſa, quia à quocumque efficiente generatur compoſitum, ab eodem effectiuè eſt eſſe compoſiti; ſed aliquod compoſitum generatur à cauſa aliqua creata, niſi tollatur omnis actio creaturæ: ergo, &c. Probatio maioris, tum quia, ſecundùm Philoſophum, generatio eſt ad eſſe: tum per rationem, quia à quocumque generatur compoſitum, per eius actionem forma eſt in materia: formam autem eſſe in materia, eſt compoſitum habere eſſe; quia ſi non, aut ergo eſſe ſequitur naturaliter ipſum compoſitum, quod eſt terminus generationis: aut præcedet naturaliter; ſi præcedat: ergo prius eſt eſſe compoſiti, quàm ipſum compoſitum; quod non eſt intelligibile: ſi ſequatur; ergo ſine contradictione poſſet compoſitum produci ab agente, abſque hoc quòd Deus daret illi compoſito producto eſſe: immò ſimpliciter poſſet Deus non dare eſſe illi compoſito producto, cùm non agat extra ſe niſi contingenter. Nec valet fingere, quòd eſſe non eſt à generante compoſitum, & tamen neceſſariò concomitatur ipſum; quia non concomitatur vt terminus actionis generantis, per te. Si ergo vt terminus agentis primi, & non præcedens compoſitum; ergo ſequens: & ita ſine contradictione poteſt non ſequi.

*1. & 5. Phyſic. & 1. de Gen. & 2. Metaph.*

*Secundò refutatur eadem ratio.*

Item [c] probationes illius propoſitionis improbatæ nunc, non valent: nam ratio ad hoc adducta, peccat ſecundùm æquiuocationem: vel altera præmiſſarum eſt falſa. Dupliciter enim poteſt intelligi cauſa vniuer

b Hanc rationem impugnat §. *Sed iſtæ rationes*, &c. quoad primam partem, conſiſtit in duabus propoſitionibus, quarum prima eſt, *eſſe ſimpliciter eſt proprius effectus Dei.* Secunda, *eſſe ſimpliciter eſt proprius terminus creationis.* Primam eſſe falſam probat Doctor, quia eſſe ſimpliciter eſt exiſtentia rei, & opponitur eſſe ſecundùm quid. hoc eſſe non eſt à ſolo Deo; quia cauſæ creatæ agunt ad exiſtentiam rei, quia generatio eſt ad eſſe, 5. *Phyſicorum* 1. *de Generat. & 2. Metaphyſ.* Aliquod autem compoſitum generatur à cauſa creata; quia producit formam in materia, &c. conſule textum. 4 *Impugnatur.*

*Reſponſio prima.*

Variè reſpõdent Thomiſtæ ad hanc obiectionem, aſſerentes Doctorem non percipere mentem D. Thomæ, quaſi vellet ipſi attribuere quòd aſſeruerit cauſam ſecundam non producere eſſe compoſiti: quod non eſt ex mente D. Thomæ, qui voluit tantùm eſſe effectus ſecundùm rationem communem tribui Deo, & non cauſæ ſecundæ, & ſecundùm rationem particularem produci à cauſa ſecunda. Explicant ergo illam propoſitionem, in eo quòd eſſe ſecundùm totam latitudinem ſit primò, & per ſe obiectum omnipotentiæ Dei, non ſic cauſæ creatæ, aut potentiæ eius ſit obiectum: ſed tantùm eſſe particulare, & determinatum; & quia Deus ſolus non ſolùm ipſum eſſe per ſe primò producit; ſed omnia pertinentia ad eſſe, vt materiam, &c. quam ſupponit agens creatum, & ex materia producit; creare ergo non eſt producere ens materialiter, id eſt, in quantum eſt idem cum hoc ente; ſed primò, & per ſe formaliter, inquantum eſt ens. hoc modo non producit ens cauſa ſecunda, ſed tantùm materialiter, (& inquantum eſt idem cum hoc ente) & per accidens. Vnde negatur conſequentia Scoti.

Ferrarienſ. Caietan.

Ita Ferrarienſis 2, *contr. Gentes, c.*21. ex eo Caiet. 1. *p. quæſt.*45. *art.* 5. qui ait ex identitate termini per ſe primò creationis, quod eſt eſſe, ad hoc eſſe determinatum, rectè inferri creationem eſſe propriam actionem Dei. Contrà. In primis Doctor non ignorat illam doctrinam, quam expreſsè tradit *in quæſt.* 1. *Prologi ſuper* 1. *Metaph. reſponſione ad tertium*, vbi hæc verba habet: *Entia non ſolum ſunt cauſata ſecundum aliqua poſteriora ipsâ entitate, ſed etiam ſecundum ſuam entitatem, ita quòd in cauſatis entitas eſt primum cauſatum. per hoc tenet ratio*

*Impugnatio reſponſionis.*

*Creatura ſecundùm eſſe commune & particulare.*

uersalior, scilicet secundùm virtutem, seu perfectionem, vel secundùm prædicationem; & similiter effectus potest dici vniuersalior dupliciter, scilicet prædicatione, & virtute, seu perfectione.

*Quid vniuersalius prædicatione, & quid vniuersalius perfectione?*

Vniuersalius prædicatione dicitur illud, cuius ratio dicitur de pluribus: vniuersalius autem perfectione, cuius perfectio est maior in se, & perfectionum plurium contentiuum. Si ergo in maiori sumatur vniformiter vniuersalius ex parte causæ, & effectus, concedo maiorem, quia communior effectus potest reduci in causam communiorem, & perfectior effectus requirit causam perfectiorē, (si potest esse causa perfectior.) Sed si accipiatur in maiori vtrobique *vniuersalius* perfectione, æquiuocatio est, vel minor est falsa. Minor enim non est vera nisi de vniuersali secundùm prædicationem: patet. Non enim *esse*, est perfectissimus effectus; quia quod includitur in multis, non potest esse perfectius quocumque illorum, in quo includitur: sequitur ergo conclusio, quòd reducitur in causam vniuersalissimā prædicatione. Sed tunc vltrà, Deus est huiusmodi, falsa est; imò est causa vniuersalissima perfectione: ens autem est causa vniuersalissima prædicatione, & tunc non potest concludi, nisi quòd esse non potest esse effectus, nisi entis, & hoc concedo. Si ergo sumatur vtrobique *vniuersalius* in maiori, pro vniuersaliori secundùm perfectionem, maior est vera, & minor falsa, vt patet ex dictis: imò effectus sic vniuersalissimus est nobilissimū creabile. Si verò in maiori accipiatur differenter ratio vniuersalis ex parte causæ, & effectus, puta ex parte effectus pro vniuersaliori prædicatione, & ex parte causæ *vniuersalius* secundùm perfectionem; maior est falsa: nam effectus vniuersalissimus prædicatione, potest esse à causâ imperfectâ, quia saluatur in pluribus effectibus imperfectis.

*Per hāc particulā, si potest esse, &c. soluitur argumenta de homine, qui est nobilissimus effectus, & de Angelo, supposito quòd Deus creat, vt est mens Doct. dist. 18.*

8 Alia probatio [d], quæ adducitur per auctorem de Causis, concludit oppositum: nam nō negat absolutè ab Intelligentiâ dari esse alicui, imò magis affirmat; quia dicit, quòd non competit sibi dare *esse*, nisi inquantum operatur operatione diuinâ. Si etiam adduceretur ad propositum illud de Causis propositione quartâ, *primum rerum creatarum est esse*; non cōcludit, quòd esse sit præcisè terminus creationis; quia secūdùm aliquos ibi sumitur esse pro primâ Intelligentiâ proximâ Deo: vel ibi accipitur creatio extendendo ad primam productionem secundùm rationē, & primitas entis sumitur secūdùm distinctionem rationum formalium in effectu, & secundùm originem, non secundùm perfectionem, vt sit sensus, quòd

*Primum rerum creatarum est esse, explicatur.*

*tio in principio quarti. Quoniam autem principia, &c. vel vniuersaliter tenet; quia consideratur causa entis in communi, cuius primus effectus est esse, &c.* Hæc ipsa est doctrina Philosophi in 4. Met. cap. 1. *Quoniam autem principia & extremas quærimus causas, &c. necesse & entis elementa esse non secundum accidens; sed inquantum entia, vnde & nobis entis inquantum est ens, prima causa sunt accipienda, &c.* Vbi Doctor in Commentario dicit quòd *prima causa causent propriè ens inquantum ens. Secunda causa inferiores magis taleitatem entis.* Hæc principia autem tradit Philosophus *in 2. Metaphys. cap. 2.* vbi dicit *principia sempiternorum esse verissima, quia aliis sunt causa veritatis, & essendi, sibi autem non est alia causa prior essendi, aut suæ veritatis*, &c. loquitur de substantiis separatis, seu principiis incomplexis, & extrinsecis. *Vnumquodque verò*, inquit, *maximè ipsorum aliorum ducitur secundùm quòd aliis inest vniuocatio*, &c. quod probat exemplo, quia ignis est calidissimus, quia est causa caloris in aliis, puta in aqua, & concludit: *Quapropter semper entium principia esse verissima necesse est*, &c. *nec illis causa aliquid est veri, vt sint; sed illa aliis*, &c. quod mox probat, quia non datur processus in infinitum in causis per se; & sicut vnumquodque se habet ad esse, ita ad veritatem; inde probans ad Metaphysicam maximè spectare considerationem veritatis, quia considerat primas causas, & principia, per quæ veritas inest aliis.

*Sententia Philosophi explicatur.*

Hæc ergo doctrina peripatetica est, quam optimè declarat Doctor *locis citatis*, sed ad propositum nihil conducit propositio D. Thomæ adhæc principia reducta, prout aduersarij reducunt: tum, quia Philosophus non admitteret primam causam essendi aliis rebus omnibus esse Deum per creationem, prout nunc de ea agimus, neque etiam omnia sic emanant à Deo, vt omnes admittunt: negaret Philosophus Deum posse se solo producere effectum causæ inferioris sine ipsa causa inferiori concurrente, quia posuit ordinem essentialem causarum, & differentiam, & varietatem effectuum ex differentiam, & varietatem effectuum ex differmitate motus, sicut & contingentiam, quæ reducit in causas inferiores, non in voluntatem diuinam, quam posuit necessariò agere ad extrà, non liberè; ad quod est consequens, Deum se solo non posse producere effectus aliarum causarum in specie, tam efficientis, quàm materialis, sine ipsis; quia dato quòd necessariò agat ad extra, & aliæ causæ concurrant ad eundem effectum, sequitur quòd nequeat aliter agere, & quòd effectus ab eo solo nequeat esse sine aliis.

5 *Non facit ad scopū præsentem.*

*Deus necessariò agēs ex Philosopho nequit producere se solo effectus causæ inferioris.*

Vniformitatem motus admittit Philosophus esse à Deo vniformiter agente, varietatem, differentiam, & contingentiam attribuit inferioribus. Hinc omnipotentia, quam credunt Theologi esse Dei, & fides docet, non admittit Philosophus, neque demonstratur, vt optimè Doctor *in 1. d. 8. quæst. 5. & d. 42. & Quodlib. 7.* Quidquid ergo sit, an Philosophus agnouerit creationem propriè dictam respectu aliquorum, saltem illam negauit respectu effectūs dependentis à causa materiali, & efficiente, ex principiis eius adductis, & aliis, quibus breuitatis causa supersedemus. Quando dicit, ergo Deum esse causam essendi aliis vt sint, vel ipsum esse, vt esse, reduci in primas causas, non intendit vniuersaliter reduci per creationem strictè sumptam, de qua modò.

*Vniformitas motus à Deo, differētia ab aliis.*

Vndo

quòd eo modo, quo esse in effectu distinguitur à perfectionibus essentialibus, ipsum est terminus primæ productionis secundùm rationem.

D. Thom. vbi supr. solut. 1. arg. & sequaces. Quære Goff.

Hîc dicitur confirmando illam rationem de causa, & effectu vniuersaliori, quòd debet intelligi de effectu vniuersaliori per prædicationem, & hoc, inquantum huiusmodi: nunquam enim effectus vniuersalior prædicatione (inquantum huiusmodi) potest esse nisi à causa vniuersaliori secundùm perfectionem; licèt enim homo possit esse ab homine, non tamen inquantum homo, potest esse, nisi à causa perfectiori tota specie hominis: ergo à simili, *esse* in quantum huiusmodi, non potest esse nisi à causa vniuersaliori secũdùm perfectionem toto esse creabili: *esse* ergo, inquantũ huiusmodi, est terminus creationis: vnde priùs dictum est, quòd *esse*, non inquantũ hoc, vel tale, sed simpliciter, est terminus creationis. Ita cõfirmatio nõ valet. Hanc enim rationẽ ponit Doctor ille, cuius est, in illa quæstione, vtrùm solius Dei sit creare? Suppono enim quòd non intendit quærere vtrùm solius Dei sit creare omne creabile, quia tũc ista quæstio includeret, an aliquid aliud à Deo possit creare seipsum, de quo nullus vnquam dubitare potuit, secundùm Augustinum *primo de Trinit. cap.* 1. ergo intendit quærere aliquam quæstionem dubitabilem, scilicet, An aliquid aliud à Deo possit creare, saltem aliquid inferius se, & sic intellectâ quæstione, tenet partem negatiuam propter rationem istam positam. Accipiatur ergo maior secundùm expositionem istam: effectus vniuersalissimus prædicatione, inquantum huiusmodi, est à causa vniuersali secundùm perfectionem: *esse* est huiusmodi, sequitur ista conclusio; ergo *esse*, inquantum huiusmodi, vel (vt plus, detur eis ad propositum) ergo *esse* creabile, inquantum huiusmodi non potest esse nisi à causa vniuersaliori secundùm perfectionem, toto esse creabili: ex hoc non sequitur, ergo nec *esse* huiusmodi creabilis, potest esse nisi à causa tali.

1. de Anima. text. 47.

Serundam probat. D. Thom conuenere fallaciã consequentis.

Patet enim quòd in illâ illatione est fallacia cõsequentis: ergo secundùm istam expositionẽ primæ rationis, vel quæstio nulla est: vel si sit dubitabilis, & teneatur pars negatiua, propter rationem sic intellectam, ratio erit sophistica secundùm cõsequens.

9 Quòd si dicas, est considerare in isto producto *esse* huius, & *esse* simpliciter: & secundo modo est effectus Dei, vel causæ vniuersalissimæ secundùm perfectionem: primo autem modo, est effectus causæ particularis. Hoc non soluit, quia *esse* simpliciter in isto, & *esse* huius non sic distinguitur

Vnde sic argumentor, illæ duæ propositiones, ad quas reducitur ratio D. Thomæ, videlicet *esse simpliciter est proprius effectus Dei*, & *esse simpliciter est terminus creationis*, non inferunt intentam conclusionem, videlicet, neutrum conuenire creaturæ, nisi vt virtute exclusiuam hanc includunt, nempe soli Deo competere producere *esse simpliciter*, & solùm creationem esse ad *esse simpliciter*, vt ad terminum, ac soli Deo competere creare; ac proinde nulli creaturæ competere posse actionem, aut potentiam creandi: sed Theologi omnes, & ipse D. Thomas secludere intendunt à creatura potentiam creandi, & creationem strictè sumptam; ergo ad hoc, vt ratio prædicta inferat hanc conclusionem, necessariò debet sumi *esse simpliciter* in maiori, vt dicitur effectus Dei proprius, & in minori, vt dicitur terminus creationis eodem modo, & in eadem acceptione, seu suppositione; ne propositio sit multiplex, & æquiuoca; sic etiam debet vniformiter sumi ly *creatio* in minori, & in conclusione, pro creatione strictè sumpta, quæ negatur creaturæ; non autem pro creatione latè sumpta, vt est dependentia creaturæ ad primam causam, quocumque modo producatur, de qua nulla est quæstio, aut controuersia; nempe, sic dici ad Deum per creationem passiuam, à qua appellatur creatura. Ergo optimè intellexit Doctor illam rationem D. Thomæ ex instituto quæstionis, quæ limitatur ad creationem strictè sumptam, prout excludit motum, & mutationem ex materia, & concursum alterius causæ extrinsecæ: aliter enim intellecta iuxta sensum Philosophi, qua *esse inquantum esse* reducitur *in causas vniuersaliores*, & *primam*, non facit, nec concludit propositum. Vnde rectè procedit impugnatio Doctoris, quia perinde ex maiori, & minori sic intellectis, per consequentiam mediatam infertur: *ergo causa secunda nihil efficiunt*; sicut & hæc, ergo creatio nequit conuenire creaturæ, vt causæ efficienti. Probatur consequentia, quia eatenus hæc vltima infertur, quatenus creatio est productio tota, & totaliter effectus in suo esse, independenter ab omni alia causa, præter creatorem, à quo procedit productio tota, & totalis, atque ipsum *esse* totum, & totale effectus; ergo si hæc sit propria Dei, id est, vt non solùm nequeat alteri conuenire, quàm Deo, sed vlteriùs, vt nequeat Deus agere aliter ad effectum, nisi per creationem, sic sumptam (sicut in sensu exclusiuo, & contrario per se intento, creatura nequit agere, nisi per mutationem ex aliquo præiacente) optimè sequitur creaturam nihil omnino agere, cuius contradictorium probat Doctor, interimendo illam maiorem, ex qua inferri potest; quæ falsa est in eo sensu, quem exigit conclusio, quam infert.

6

Creatio strictè sumpta.

Quid sit creatio?

Respõsio autem Caietani, & Ferrariensis declinat à scopo quæstionis, neque subsistit: primò, quod dicunt *esse inquantum esse*, formaliter produci à Deo; sic esse obiectum omnipotentiæ, non produci *esse*, *in quantum esse*, formaliter à causa creata; sed materialiter, & per accidens, examinando singula, nihil respondent ad intentum argumenti, quòd subsistat ex sensu quæstionis, in primis sumendo *esse* absolutè, & simpliciter, & *in quantum esse*, vel sumunt *esse*, pro prædicato transcendentali, quod de omnibus dicitur, & in omnibus includitur; vel sumunt in suppositione simplici, vt aiunt, & præcisiuè, vt abstrahit ab inferioribus, de quibus dicitur; vel personaliter, id est, pro amplitudine essendi, & tota latitudine entis

Refellitur solutio Caiet. & Ferrariẽs.

guitur, quòd ab alia causa esse possit *esse* huius, quin ab eâdem sit *esse* simpliciter, quod est in isto; quia siue sit distinctio rationis in intellectu, vel qualitercunque, quod dat isti *esse* huius, dat sibi *esse* simpliciter, quod est in isto.

*Probatio 1. rationis D. Thom. refutatur. Concursus instrumenti qualis?*

Quod etiam additur [c] de instrumento, dico, quòd maior potest benè, vel malè intelligi; non enim debet intelligi, quòd instrumentum habeat actionem propriam, sed quòd per aliquid sibi proprium agat: & ad hoc adducit probationes suas, quæ possunt concedi; nec tamen per illud proprium agit, nisi in virtute principalis agentis; quia in quacunque actione, quam haberet, non in virtute principalis agentis, in illa non esset instrumentum, sed principale agens: accipit ergo, quòd instrumentum agit dispositiuè. Quod si intelligatur vniuersaliter, falsum est: nam possibile est secundùm ipsum alibi, instrumentum attingere effectum principalis agentis: & patet in multis actibus artis, in quibus artifex quandoque per instrumentum inducit terminum principaliter intentum: sicut monetarius per instrumentum inducit formam in monetam, & sigillator in ceram: nec vnquam oportet instrumentum ad effectum principalem disponere, nisi sit instrumentum in actione, quæ disponit ad effectum istum, quod non est vniuersaliter necessarium, sed solùm quando sunt plures actiones ordinatæ, quarum vna ad aliam disponit. Absolutè autem potest esse instrumentum in principali actione, licèt non concurrat in aliquâ aliâ præcedente. Non potest ergo maior sua habere veritatem, nisi sic intellecta, quòd instrumentum per aliquid sibi proprium, causat dispositionem ad terminum principalem, quando non potest virtute principalis agentis attingere ad illum terminum principalem. Et tunc oporteret supponere in minori, quòd creatura non possit in virtute Dei attingere terminum creationis; quæ minor non est probata, nisi per rationem illam priorem de *esse*: de quâ iam visum est, quòd ipsa non concludit.

*D. Thom. 4. d. 1. quæst. 4. Quando instrumentum disponat ad effectum principalem, & quando non. Vide infr. q. 4. & d. 6. q. 5. & d. 13. q. 1. & d. 18. q. 1.*

10 *Instrumenta artis quid efficiant?*

Nec illud exemplum de securi, vel probationes illæ aliæ, quæ adducuntur ad hoc, quòd instrumentum habeat aliquid proprium, per quod agat, probat vniuersaliter quòd instrumentum agat dispositiuè. Ideò enim præcisè securis agit dispositiuè ad arcam, quia est instrumentum in incisione lignorum, quæ incisio præcedit inductionem formæ: si autem artifex vteretur securi, vel alio instrumento in principali actione; non oporteret, quòd instrumentum illud, inquantum est instrumentum, entis in particulari. Si sumatur primo modo, sic neque est terminus creationis, neque effectus Dei, neque alicuius causæ; quia abstrahit à causa, & causato, & repugnat ipsi produci, nisi quatenus in aliquo inferiori producitur, in quo tantùm est natum existere. Si sumatur secundo modo, est falsa propositio, quia & Deus comprehenditur sub latitudine entis, qui non est creabilis, aut factibilis, cùm sit necesse esse. Secundò, quamuis aliquid posset creare, non sequitur potentiam creatiuam sic respicere omne *esse*, vt terminum; quia non respicit esse proprium creantis. Tertiò, creatio non solùm est ad terminum productum sub ratione vniuersali essendi, in qua cum aliis conuenit; sed etiam secundùm omnem modũ, & realitatem essendi, quam dicit terminus, quia est productio eius tota, & totalis, si creatio strictè sumatur ad sensum quæstionis: si latè, nihil realitatis est in effectu, quin attingatur à causa prima simul cum secunda, quia dependet sub omni ratione entis à Deo essentialiter, & perfectiùs est à Deo homo, etiam sub ratione hominis, quàm ab homine: & sic de aliis quibuscumque effectibus quoad realitatem propriam cuiusque. Ergo non tantùm *esse in quantum esse* formaliter est à Deo, vel formaliter est terminus creationis, sed etiam determinatum *esse*, & tale esse.

*Esse transcẽdens non producitur nisi in determinato esse.*

Confirmatur, quia creatio Adami distinguitur specie à creatione cœli, & Angeli; non vt procedit à Deo, vt principio eodem secundùm rem, & rationem; sed vt est ad terminum diuersum: sed si *esse in quantum esse*, vt abstrahit à determinato *esse*, esset tantùm effectus Dei, vel esset tantùm terminus creationis; nulla esset ratio distinctionis specificæ, quæ sumitur à determinato esse, verbi gratiâ, Angeli. Eodem modo applicari potest ratio, sumendo creationem etiam latè, vt est actio Dei ad extra respectu effectus causæ secundæ, quia omnis creatura, v.g. homo, sub ratione sua determinata essendi, est creatura, & non tantùm sub ratione communi: ergo sic est à Deo etiam producente, sub determinata ratione. Ex hoc vlteriùs destruitur secunda propositio, nempe quòd *esse in quantum esse non sit à causa secunda, nisi materialiter, & per accidens, quatenus includitur in determinato esse*; quia quicquid est realitatis in effectu, est à causa secunda, aliàs nõ posset producere, vel includere in sua virtute determinatum esse, nisi includeret in sua virtute omnem gradum essentialem inclusum in determinato esse; ac proinde *esse in quantum esse*, vt benè probat Doctor in littera replicando ad oppositum, explicans propositionem illam, quam adducit D. Thomas ex authore de Causis, quæ supponit Intelligentiam, & animam dare esse alicui, vt operatur operatione diuina, sine qua non posset dare esse.

*Esse determinatum esse à Deo.*

*Esse vt esse est à causa secunda, & quomodò*

Dices causam secundam attingere *esse in quantum esse*, non absolutè, sed materialiter, & per accidens vt est in determinato esse, quod primò respicit causa creata.

7 *Responsio.*

Contrà, quia *esse in quantum esse*, non aliter etiam est attingibile à Deo, neque aliter natum est esse absolutè produci, nisi qua producitur determinatum ens. Vnde sicut actio Dei est determinata respectu effectus, vt ab eo procedit, sequitur quòd primò determinat in effectu speciem, & quidquid est determinatum, quam rationem communem, quia existentia, quæ est terminus formalis, primò & per se competit determinato enti; secundariò verò inclusis per modum prædicati communis: præterea si actio Dei est ad effectum primò

*Esse producitur in determinato ente.*

ad formam arcæ, haberet aliquam actionem diſpoſitiuam. Ex talibus ergo exemplis, vbi accipit, quòd inſtrumentum diſponit ad terminum principalem, non poteſt inferri hoc vniuerſaliter, niſi fiat fallacia conſequentis; ſed niſi accipiatur vniuerſaliter, non poteſt remoueri à creaturâ ratio creationis, nam ex maiori particulari in ſecundâ figurâ, nihil ſequitur propter fallaciam conſequentis.

*Ex maiori particulari in 2. fig. nihil ſequitur.*

primò ſub ratione communi; actio cauſæ ſecundæ ſub ratione determinata; ſequeretur, quòd perfectiùs attingeretur effectus à cauſa ſecunda, quàm à Deo; ſicut ratio determinata eſt perfectior, quàm ratio communis in eſſendo: vnde Patres, quando hæreticos, & Philoſophos impugnant negando creationem eſſe ab aliqua creatura, loquuntur de creatione entis determinati, v.g. hominis, vel animalis, vel corporis, & huiuſmodi, de quibus in ſpecie tam Philoſophi, quàm hæretici loquebantur in extremo contradictionis: intendebant ergo productionem determinatam entis non præſcindendo *eſſe in quantum eſſe*, ab eſſe determinato, vt terminat creationem. Videantur Patres & expoſitores in primum Gen. & primum Ioan. & contra antiquas hæreſes.

*Controuerſia inter Patres, & Philoſophos, ac hæreticos.*

8

*Explicatur Philoſophus.*

Dicoe, Philoſophus *ſuprà*, ſecundùm nos, & ſecundùm Doctorem, dicit *eſſe in quantum eſſe* reduci in cauſas vniuerſales, intelligens primam. Reſpondetur, diuerſum eſſe intentum Philoſophi, quia loquitur de *eſſe in quantum eſſe*, eo modo quo effectus vniuerſalis reducitur in cauſas vniuerſales, non quòd præcisè ſub ratione illa vniuerſali attingatur à cauſa, vt producitur in effectu; ſed quatenus aſſignetur correlatiuum adæquatum in ratione cauſæ adæquatæ tali effectui. Vnde quando Philoſophus dicit *eſſe in quantum eſſe* reduci in cauſas, & principia eſſendi vniuerſaliſſima: quamuis ibi loquatur de ente, quòd eſt obiectum Metaphyſicæ, ly *in quantum*, ſumitur non reduplicatiuè, quia ſic faceret falſum ſenſum; quia ſumeretur propoſitio vniuerſaliter pro omni ente, & omne ens cauſaretur, etiam Deus, & daretur proceſſus in infinitum: ſed ſumitur ſpecificatiuè, pro ente in quantum eſt cauſabile, vel quod eſt cauſabile, cuius cauſa adæquata, licèt non præciſa, ſit prima cauſa, non autem cauſa aliqua determinata, quæ limitatur ex forma ſua ad certos effectus, & determinatos: quilibet autem effectus cauſabilis neceſſariò eſt à Deo, & aliqui à ſolo Deo, vnde adæquat potentia eius totum ens cauſabile, immediatè attingendo omnem rationem entis per ſe, & mediatè, quia quælibet alia cauſa eſt participatio ſuæ virtutis in actu primo: in actu ſecundo autem exigit eius concurſum, & ſeries omnium cauſarum ad ipſum reducitur, in quo ſolo eſt ſtatus. Ad hunc ſenſum reducitur illa propoſitio de Cauſis, quam ſanctus Thomas adducit.

*Eſſe in quantum eſſe effectus Dei.*

Ergo ſimiliter licèt potentia creatiua ſit Dei primò, & independenter ab alio, non ſequitur quin poſſit eſſe creaturæ per communicationem, & participatiuè à Deo. Et vlteriùs hoc ſaluat differentiam inter creatiuam creaturæ & Dei; quòd hæc eſſet vniuerſalis independens à ſe; illa verò particularis dependens, & communicata à Deo; ſic etiam potentia eductiua omnium formarum, & productiua omnium effectuum, ita eſt ſolius Dei, vt communicari nequeat creaturæ, ſicut neque continentia eminentialis, & virtualis ad id requiſita, ob limitationem ſui eſſe, cuius menſuram ſequitur potentia productiua eius, & actio; tamen communicatur ad certum genus formarum, & effectuum huic & illi cauſæ, non vniuerſalis, quæ eſt ſolius Dei, ſed limitata; ergo idem poſſet dici de potentia creatiua.

*Creatura limitatur in eſſe & actione.*

9

*Caietanus impugnatur.*

Tertium quod adiungit Caietanus: ex identitate ſcilicet termini creationis ad ens determinatum, recte probari, & ſequi, quòd creatura non poſſit creare: peto vnde id ſequatur? non aliunde, niſi quia neceſſarius eſt concurſus Dei ad quodcumque eſſe: & eſſe quod ipſe aſtruit, eſſe terminum creationis, & à Deo tantùm, includi in ente determinato; ſed hoc non ſequitur, quia in primis petit principium, quia propoſitio illa non eſt nota ex terminis, neque per notiorem probatur: quia non oſtenditur, quòd virtus creãdi participata non poſſit communicari creaturæ; ſicut ex eo quòd in Deo ſit virtus, quâ immediatè poſſit educere de potentia materiæ quælibet formam educibilem, quam potentiâ habet primò, & per ſe, non participationem; nõ ſequitur tamẽ quin eadem virtus communicari poſſit cauſę ſecundæ, quâ participat à prima; & ſicut Deus ſe ſolo poteſt producere effectum quemcũque particularis cauſæ, qui non inuoluit aliàs imperfectionem, (quæ argueret defectum in cauſa) & hanc virtutem habet Deus primò, & à ſe, non participatiuè; eam tamen poteſt communicare creaturæ.

*Ratio eius non cõcludit.*

*Petit à ſimili.*

10

Demus ergo aduerſariis ens abſolutè ſumptum, eſſe terminum creationis, quamuis nequeat attingi per creationem, vt probatum eſt, niſi in determinato ente contractum: ſic dici poſſet attingi à creatura in hoc limitato ente, non tamen in omni ente; quia ſic eſt ſolius Dei. Sic ignis generans hunc ignem, generat etiam rationem corporis elementaris, vt in hoc igne eſt; non tamen inde ſequitur, quòd poſſit attingere rationem corporis in quocumque alio ente. Similiter diceretur potentiam creatiuam, & creationem eſſe ſolius Dei in ea perfectione, & vniuerſali extenſione, quâ totum genus entis comprehendit quod primò, & per ſe poteſt terminare actionem cauſæ. (quod dico propter reſpectus, & huiuſmodi, quæ emanatione producuntur ex ſuppoſitione alterius primò producti.) Sed neque hoc eſt notum lumine naturali ſic ei conuenire; ſed creditum, vt *ſuprà* dictum eſt. Ergo illæ propoſitiones: *ens abſolutè ſumptum eſt terminus creationis: &, ens abſolutè ſumptum eſt effectus Dei*, reſpectiuè ad lumen naturale, & principia tradita à Philoſophis, ſunt de ſubiecto non ſupponente; ſi loquamur de creatione, vt eſt productio tota, & totalis cuiuſcumque entis, ac proinde nequit ex eis probari repugnare creaturæ, neque conſtat terminum creationis ita identificari cuicumque enti, niſi ſermo ſit de creatione latè ſumpta, quæ non infert intentum.

*Nõ ita Deus.*

11

Vltimò tandem ex illis principiis, ad ſummum haberi poteſt, quòd creaturæ nequeat communicari creatio, vt poteſt conuenire Deo, nempè ſine dependentia, & concurſu cuiuſcumque cauſæ extrinſecæ etiam efficientis; non tamen probatur non poſſe communicari principium producendi independenter à materia & ſubiecto, de qua creatione potiſſimùm hîc agitur: quamuis illa productio eſſet etiam dependens à cauſa prima, ita vt ad terminum creationis poſſit concurrere cauſa

*Inſufficientia probationis aduerſæ.*

Ergo

causa secunda; esset tamen vera creatio, quia productio ex nihilo; nihil ergo obstat terminum creationis identificari huic determinato enti, quin esse determinatum possit attingi à causa secunda independenter à materia. Vnde responsio Caietani euacuatur. Rectè ergo colligit Doctor committi æquiuocationem in discursu D. Thomæ, vel alteram præmissarum esse falsam.

*Committit æquiuocationem.*

12 *Reiicit probationes.*

c *Item probationes illius propositionis*, &c. Hîc reiicit Doctor probationes illius propositionis, nempe *esse simpliciter, est proprius effectus Dei*, &c. éstque duplex: prima est, quòd effectus vniuersaliores debent reduci in causas vniuersaliores; ad quam respondet, quòd ly *vniuersalior*, ex parte vtriusque termini intelligi possit dupliciter, vel secundùm virtutem, vel secundùm prædicationem. Si sumatur vniformiter, vt ponitur ex parte subiecti, & vt ex parte prædicati, id est, secundùm perfectionem, & virtutem tantùm, vel secundùm prædicationem tantùm, concedit maiorem, quia communior effectus potest reduci in causam magis communem, perfectior effectus in causam magis perfectam; verbi gratiâ, ens causatum reduci potest in ens, quod est causa, éstque commune Deo, & causæ secundæ, quæ producit suum effectum, non solùm sub ratione determinata; sed etiam sub ratione entis, & totius quod includitur, quia attingit quidquid includitur in suo effectu: verbi gratiâ, ignis generat hunc ignem, & rationem corporis, substantiæ, entis, vt includuntur in hoc igne, vt prædicata eius essentialia; nihil enim continet in sua virtute indiuiduum, quod non includit in sua virtute omnia eius prædicata essentialia, sine quibus nequit esse.

*Causa particularis agit ad omnem gradum effectus.*

Altera etiam pars est manifesta; quia esse effectus participatur à causa: ergo quo perfectior est causa saltem principalis producens, vt excludamus illam controuersiam de virtute, & actiuitate accidentis in substantiam, quæ inferiùs tractatur suo loco.

*Responsio Doctoris ad prædictas probationes.*

His suppositis, respondet, si sumatur ex parte subiecti, & ex parte prædicati, ly, *vniuersalior*, vt denotat perfectionem causæ & effectus, Maiorem esse veram, Minorem verò falsam; quia vniuersalissimus effectus est quoad perfectionem creabile nobilissimum; ens nequit esse perfectius positiuè (licèt permissiuè, id est, vt superius ad Deum, & creaturam esset perfectius) quocumque illorum in quo includitur. Si verò sumatur ly, *vniuersalior*, tam ex parte causæ, quàm effectus in Maiori difformiter, ita vt ex parte causæ denotet perfectionem essendi, Maior est falsa, quia effectus vniuersalissimus in prædicatione, potest esse à causa imperfecta, quia saluatur in omni effectu, etiam imperfecto, qui procedit à causis inferioribus secundùm perfectionem.

13 *Interpretatio Caietani, & Ferrariensis.*

Respondent Caietanus, & Ferrariensis, intelligi ly, *vniuersalior*, difformiter, vt denotat perfectionem in causa, communitatem prædicationis in effectu. Vnde aliud est effectum vniuersalem in prædicando esse per se primò à causa vniuersali in perfectione; aliud verò esse ab ea sola. Prima est vera, & sic intelligitur propositio D. Thomæ; secunda falsa, prout malè intellexit Scotus. Addit Ferrariensis, quòd effectus vniuersalissimus intelligitur esse à causa vniuersali modo dicto, non solùm quoad illam prædicabilem rationem, & quasi præcisam; sed secundùm totum ambitum omnium, quæ illam rationem participât.

Hæc responsio manet impugnata ex dictis; quia esse per se primò effectum vniuersalissimum, id est, *Ens in quantum ens*, à causa vniuersaliori in perfectione, vt distinguitur ab eo, quòd est nõ esse ab eo solo, vel denotat, quòd à se solo habeat potentiam illam, & non participatiuè; creatura verò participatiuè habet virtutem creandi; sed hoc nihil est, quia sic omnis potentia actiua per se primò competit Deo, participatiuè creaturæ, cum quo stat, quòd effectus sit à creatura, quod perinde affirmaretur de creatione communicata, aut participata creaturæ. Vel secundò denotat vniuersalitatem extensionis potentiæ diuinæ ad quodlibet ens, saltem creabile, & hoc etiam non soluit argumentum; quia vniuersalitas potentiæ actiuæ soli Deo competit, respectu cuiuscumque entis producibilis, aliter quàm per creationem, concurrente subiecto, quod non tollit quin potentia eductiua huius, aut illius formæ in particulari, & limitata, conueniat creaturæ, & potentia producendi hunc, vel illum effectum determinatum, quamuis non omnem effectum, quia non sequitur, ignis non potest generare quodcumque generabile: ergo non potest generare ignem, quia est fallacia consequentis: ergo similiter hæc, Creatura nequit creare quodcumque creabile, verbi gratiâ, Angelum: ergo neque aliquod, puta ignem. Vel tertiò denotat, quòd nihil potest creare aliquod, quod non possit creare omne creabile, & sic ad creationem cuiuscumque requiritur potentia infinita. Sed hæc interpretatio petit principium, quia est ipsa conclusio: nempe soli Deo conuenire creationem, quod non probatur per idem. Vel quartò denotat, quòd *esse in quantum esse*, non possit esse nisi à causa vniuersalissima in perfectione, sicut, verbi gratiâ, homo, quamuis generet hominem determinatum, tamen homo inquantum homo, id est, vt comprehendit totam speciem, & quidquid participat speciem, non possit esse, nisi ab aliqua causa excedente totam speciem humanam: sic etiam ens inquantum ens creabile, nequit esse, nisi ab ea, quæ excedit totum genus entis creabilis. Sed talem interpretationem non admittit quæstio (vt rectè Doctor §. *Hîc dicitur*) quæ est de aliquo dubitabili; nemo enim dubitat quin omne illud, quod à se non habet esse ex sua specie, recipere debeat esse ab alio, quod excedit totam speciem, cùm species non dicat necessitatem essendi in vno indiuiduo magis, quàm in alio: neque vnum indiuiduum esse per se supponitur alteri; cùm inter hæc non detur ordo per se, sicut inter species: ergo vt quæstio habeat locum, non quæritur, vtrùm aliquid inferioris ordinis possit creare, aliquid superioris ordinis; vel, vtrùm aliquid respiciat primò ens creabile, inquantum ens creabile: quod producens non continetur sub tali ente producibili, & in illa vniuersalitate, ex ratione dicta; quia sic se ipsum produceret. Sed an aliquod ens creatum possit creare non ens inquantum ens, in hoc sensu; sed hoc determinatum ens, quod produci potest ab agente creato, & cui non repugnat terminare creationem: discursus autem secundùm hanc interpretationem committit fallaciam consequentis, sicut & in hoc: *Homo nequit generare hominem inquantum homo est*, id est, sumendo prædicatum vniuersaliter, vt comprehendit quidquid participatione naturæ humanæ est homo, quia sic generaret se ipsum; *ergo nequit generare*

*Impugnatur.*

*Potentia vniuersalis in Deo etiam eductiua.*

*Petitio principij.*

*Interpretatio.*

*Species supponit causam alterius rationis.*

*Inter indiuidua non est ordo per se.*

*Scopus quæstionis & subiectum.*

*Fallacia cõsequentis.*

*hunc hominem. Nequit generare ens inquantum ens: ergo neque hoc ens.* ex quo euacuatur ſolutio Ferrarienſis. Vel quintò denotat in effectu dari rationem huius, ſeu determinati eſſe, & eſſe ſimpliciter, & abſolutè. Secundo modo eſt à Deo, ſeu cauſa vniuerſaliſſima in perfectione; primo modo à cauſa determinata; ſed hoc impugnat Doctor, ex eo quòd hæc diſtinctio inter eſſe ſimpliciter & determinatum eſſe, non ſit ſufficiens, vt ſecundùm vnam rationem ſit ab vna cauſa, ſecundùm alteram ab altera; quidquid enim dat eſſe huius, dat eſſe ſimpliciter, & è contra, quod dat eſſe ſimpliciter, dat eſſe huius, vt *ſuprà* probatum eſt.

*Effectus quoad eſſe abſolutè, & hoc eſſe eſt ab eadem cauſa.*

14 *Alia interpretatio illius maioris impugnata.*

Alij interpretantur illam maiorem, iuxta reſponſionem Diui Thomæ ad primum, quam iam attigimus ex Doctore, interpretatione quarta, quòd creare eſt producere ens primò, & nullo eius præſuppoſito: nam fieri per ſe primò effectui competit, ſecundùm illam præcisè rationem, quæ non ſupponebatur, & quæ non præceſſit; quòd ſi præceſſit, nó per ſe primò fit, ſed per accidés: concordat doctrinę D. Thom. *loco prafato*, cuius verba ſunt: *Dicendum quòd aliquod perfectũ participans aliquam materiam facit ſibi ſimile, non quidem producendo abſolutè illam materiam, ſed applicando eam ad aliquid: non enim hic homo poteſt eſſe cauſa natura humanæ abſolutè, quia ſic eſſet cauſa ſui ipſius; ſed eſt cauſa quòd natura humana ſit in hoc homine generato, & ſic præſupponit in ſua actione materiam determinatam, per quam eſt hic homo.* Sic Caietan. *quæſt. 44. art. 2.* cùm ignis, inquit, generatur ex aëre, non fieri per ſe corpus, neque elementum; ſed hunc ignem; & ſic aſſerit in factione rerum naturalium, eſſe à nullo fieri per ſe primò tunc, quoniam fit ſemper vnumquodque ex alio ente, licèt per accidés.

*Verba D. Thom.*

*Caietan.*

15 *Impugnatur.*

Contrà, producere ens primò, & nullo eius præſuppoſito, vel intelligitur de ente determinato, quatenus producitur nullo ſubiecto præſuppoſito, eo modo quo materia præſupponitur productioni formæ, & hic ſenſus eſt verus; ſed ſic etiam diceretur creatura producere, vt aduertit Doctor, vel probetur oppoſitum, & negaretur conuenire ſoli Deo ſic producere. Vel producere ens primò, & nullo præſuppoſito, intelligitur vel ſecundùm ſpeciem, vel ſecundùm genus, vel ſecundùm tranſcendẽs; & hic ſenſus eſt falſus, quia ſic ſequeretur quòd Deus non poſſet creare vnam materiam, aut vnam animam rationalem præexiſtente alia, quia ratio ſpeciei, generis & tranſcendentalis præexiſteret in priore.

*Inconueniens quod ſequitur.*

Deinde quod dicitur, producens aliquod ens determinatum non producere naturam ſpecificam abſolutè, ſed applicare ad indiuiduum ſupponendo materiam determinatam, per quam fit indiuiduum (quidquid de illa quęſtione ſit, vtrùm materia ſit principium indiuiduationis) falſum eſt quòd generans indiuiduum non generat in eo naturam, aliàs deſtrueretur vniuocatio inter cauſam & effectum, quæ conſiſtit ſecundùm naturam, & non ſecundùm principium indiuiduationis.

*Deſtruitur vniuocatio inter cauſam, & effectum.*

16 Item, tolleretur vera cauſatio in creatis, quæ reſpicit naturam indiuidui vt terminum formalem; ſed quidquid ſit de his, ſolutio illa nó currit in anima rationali, & ſuppoſitâ veriori ſententia, in Angelis intra eandem ſpeciem multiplicatis; aliàs ſuppoſito vno Angelo, non poſſet Deus creare alterum, aut ſuppoſitâ animâ Adami, non crearet animam Euæ.

Ex quibus patet illam primam probationem falſam eſſe ad ſcopum concluſionis intellectam; vel, ſi vera eſt, nihil probare, quia effectus vniuerſaliores reduci in cauſas vniuerſaliores contingit alio modo, quem ſuprà expoſuimus, cum quo nó repugnat creaturam creare poſſe aliquem effectũ determinatum. Sicut & illa etiam philoſophia Caietani falſa eſt, quando ignis generatur ex aëre non produci per ſe corpus, ſed per accidens, quia ratio corporis ſicut deſinit, & corrumpitur, corrupto aëre; in quo exiſtit, ita etiam generatur producto igne, vt ad ignem contrahitur.

*Ratio vel falſa, vel non probat.*

*Impugnatur Caietanus.*

Vnde ſi quodcumque aliud corpus, diuerſum ab igne, annihilaretur, adhuc in igne ſaluaretur ratio corporis quoad exiſtentiam: ergo illâ quam accepit à generante ignem: ergo vel nunquam ratio corporis nata eſt per ſe produci, vel per ſe producitur, quando quodcumque corpus determinatum producitur; mediáte enim hoc, aut illo, tantùm competit exiſtentia naturæ cómuni. Præterea ſicut ſe habet ad exiſtentiam, ita etiam ad productionem, quâ recipit eſſe: vel ergo corpus nunquam per ſe exiſtit, ſed tantùm per accidens; vel per ſe producitur eâ productione, quâ producitur hoc & illud corpus, quia nec aliter produci, aut exiſtere poteſt.

*Corpus per ſe generari in hoc, & illo.*

d *Alia probatio quæ adducitur per authorem de Cauſis*, &c. Hîc reſpondet Doctor ad alteram probationem D. Thomæ, quâ probat illam propoſitionem: nempe, *eſſe abſolutè eſſe proprium effectum Dei, & terminum creationis*, & reducit rationem in oppoſitum, vt patet ex littera, adiungit aliam propoſitionem ex lib. *de Cauſis*, quæ eſt quarta, talem: *Primum rerum creatarum eſt eſſe.* Reſpondet, vel ſecundùm aliquos intelligi primam Intelligentiam proximam Deo, vel ſumitur *creatio* extendendo ad primam productionem ſecundùm rationem, & primitas entis ſumitur ſecundùm diſtinctionem rationum formalium in effectu, & ſecundùm originem, non ſecundùm perfectionem; vt ſenſus ſit quòd eo modo quo eſſe in effectu diſtinguitur à perfectionibus eſſentialibus, ipſum eſt terminus primæ productionis ſecundùm rationem: hæc littera videtur aliquantulum obſcura, quid intelligẽdum ſit per *primum eſſe*, quid per *perfectiones eſſentiales*, quid per *primam productionem ſecundùm rationem.*

17 *Alia probatio D. Thoma.*

*Soluitur.*

Pro cuius intelligentia aduertendum eſt quædam priora eſſe ſecundùm ordinem naturæ, ſeu originis & generationis; quædam verò priora ſecundùm ordinem perfectionis. Hunc diuerſum ordinem explicat benè Doctor *in 1. d. 3. q. 2.* progreſſus ſecundùm priorem eſt à potẽtia ad actum, & ab imperfectiore ad perfectius, è contra procedit ordo perfectionis, nempe ab actu ad potentiam, & ab eo quod perfectius eſt, ad imperfectius. Ens ergo ſecundùm prioritatem naturæ, & originis, ſeu generationis eſt primum, vt ratione, aut ex natura rei diſtinguitur à reliquis perfectionibus ſuperadditis & eſſentialibus, vt ſubſtantiæ corporis, &c.

18 *Exponitur reſponſio Doctoris.*

*Ordo naturæ diuerſus, ab ordine perfectionis.*

Ex quo patet quid intelligat per *primum eſſe*, nempe rationem entis; *perfectiones eſſentiales*, ſunt ſubſtantia, corpus, homo, &c. Productio ergo ſic vt ſequitur naturam ſui termini, ita poteſt conſiderari ſecundùm varios eius gradus eſſendi, quocumque modo diſtinguantur, ſiue ratione, ſiue formaliter, & iuxta diuerſum illum ordinem, quo inter ſe gradus entis comparantur. hîc enim agitur de productione materialiter pro re acta, ſeu effectu ipſo in fieri. Sicut ergo in facto eſſe

*Primum eſſe. Perfectiones eſſentiales.*

esse res consideratur iuxta diuersum illum ordinem, nempe originis, & perfectionis, in quo primum in vno, est postremum in altero; sic eadem res in fieri, & productione, vt transfertur de non esse ad esse, admittit vtrumque ordinem. Ita ergo productio secundùm originem est primum ipsius esse, secundùm perfectionem est primũ esse determinati: in priori sensu intelligitur propositio illa de causis, *Primum rerum creatarum est ipsum esse*, &c. Videlicet ordine generationis: non intelligitur autem abstractum, & transcendens esse, quia sic non est terminus productionis, sed singulare entis, verbi gratiâ, in homine prius naturâ est singulare entis, quàm singulare corporis, aut hominis, iuxta ea quæ Doctor *infrà* determinat *d. 8. quæst. 2.* explicans formam corporis Christi, vbi dicit quòd ly, *hoc*, supponat pro singulari entis, illúdque demonstrat, & supponit prædicato, *Corpus meum*, & perinde facit ad præsens, siue dicas cum quibusdam nostræ scholæ quemlibet gradum Metaphysicum habere in quolibet propriam hæcceitatem diuersam, ab hæcceitate alterius, verbi gratiâ, ens propriam singularitatem diuersam à singularitate animalis, & hominis; siue dicas per vnam reddi omnes singulares, vt volunt alij, quia siue sic, siue aliter dicatur, productio non respicit singularitatem vt terminũ formalem, sed naturam, & essentiam cui singularitas est conditio essendi, & agendi.

*Productio secundùm rationẽ, seu ordinem.*

*Intelligitur ordine generationis secundùm rationem.*

*Intelligitur de singulari tantùm.*

19 Productio ergo secundùm ordinem originis respicit primò gradum entis, vt affectum singularitate, vel propria, vel communi, deinde reliquos gradus prout accedunt ad ens: hæc autem productio dicitur creatio latè sumpta secundùm appropriationem, non secundùm proprietatem, quia ratio generalis in effectu magis appropriatur causæ vniuersali & primæ, cuius actio dicitur creatio, quàm causæ particulari, non quòd effectus in se diuisus sit, quia & gradus particularis eius est à causa vniuersali, sicut etiam gradus vniuersalis à causa particulari, sed propter quandam appropriationem, quia gradus vniuersalis in effectu magis imitatur virtutem vniuersalem, & illimitatam causam, eámque in modo essendi communi, & illimitato magis adæquat per modum obiecti, seu termini, quàm gradus particularis, qui sequitur naturam causæ determinatæ, quæ ex fine suo, & principio agendi ordinatur ad producendum sibi simile, & ens determinatum: quamuis, vt dixi, hæc secundùm appropriationem vera sint, non verò secundùm proprietatem, accommodando sibi inuicem causam & effectum, secundùm proportionem cuiusdam imitationis: ex quo non habetur, quòd creatura non possit creare aliquod saltem determinatum esse. Ex dictis patet reliquum quod sequitur in littera Doctoris, quia in præcedentibus eam in discursu explicuimus.

*Ratio generalis effectus appropriatur causis generalibus, & quare?*

20 e *Quod etiam additur de instrumento*, &c. Ex ratione præmissa D. Thomæ, duæ conclusiones ab ipso eliciuntur. Prima est, nempe creaturam vt causam principalem non posse creare; secunda verò est, quòd neque vt causa instrumentalis. Prima iam examinata est, tam quoad consequentiam, quàm quoad veritatem principij. Secundam etiam conclusionem hîc reiicit quoad consequentiam, & rationes, quibus probatur: vt quòd instrumentum non participet actionem causæ principalis, nisi agat per aliquod sibi proprium ad effectum proprium causæ principalis: & intelligitur de actione dispositiua, vt patet in exemplo adducto, de securi disponente ad scamni formã; sed in creatione, quæ nihil præsupponit, non datur aliquid quod posset disponi, quia non supponitur aliquod subiectum, quod disponeretur, cùm sit productio entis primò & ex nihilo.

*Impugnat secundam conclusionem D. Thom.*

*Ratio D. Thomæ.*

*Non dari instrumentum creationis.*

Respondet ergo Doctor interpretando maiorem, ita vt particula, *per aliquod proprium*, designet actionem propriam, & sic maior esset falsa per rationem, quam *infrà* subiungit, quia in quacumque actione, quam haberet non in virtute principalis agentis in illa, non esset instrumentum, sed principale agens, quia scilicet neque actionem ipsam, neque principium actionis participaret ab agente principali; & hoc denotat illa particula, *propriam actionem*, &c. & sic non esset instrumentum, quod vt motum mouet, neque habet principium agendi in esse quieto; sed in actuali motione, loquendo de instrumento propriè, & non latè, vt extenditur ad causam secundam respectu Dei, vel ad accidens respectu substantiæ.

*Instrumentum vt agit actione propriâ non est instrumẽtum.*

Intelligitur ergo quòd instrumentum per aliquod sibi proprium agat ad effectum causæ principalis, & tantùm dispositiuè. Prima pars huius copulatiuæ concedi potest cum suis probationibus; altera verò, nempe quòd agat dispositiuè, licèt aliquando sit vera; vniuersaliter tamen intellectu est falsa, quia per ipsum sanctum Thomam *in hac dist. quæst. 4.* instrumentum attingere potest effectum causæ principalis; & patet in multis instrumentis, & effectibus artis, in quibus artifex per instrumentum inducit formam principalem, seu vltimò intentam, vt monetarius impressionem armorum in monetam, sigillator in ceram impressionem sigilli: tunc ergo vera est maior in iis instrumentis, quorum vsus est respectu alicuius actionis prioris, & subordinatæ ad actionem formæ vltimò intentæ, vt patet etiam in exemplo de securi, quod adhibet D. Thomas.

21

*Agit quãdoque ad effectũ causæ principalis*

Propositio ergo vniuersaliter sumpta est falsa ex dictis: sumpta autem particulariter, videlicet adiectâ hac limitatione, nempe quòd instrumentum per aliquod sibi proprium agat semper dispositiuè ad effectum causæ principalis, quando nequit attingere eundem effectum in virtute causæ principalis, non probatur; & sic etiam assumptâ minori committitur fallacia Consequentis. Impugnationem hanc aliqui approbant moderni, vt Molina, & Vasquez *1. part. in dictam quæstionem, & art. D. Thomæ*, ille *disputatione 2.* hic *disput. 176. cap. 2.* & difficilem putant alij rationem præmissam D. Thomæ, quin etiam Molina asserit ægrè responderi posse ad rationem Scoti. Hîc præcisè tangam ipsam rationem Doctoris, remittendo in sua loca quæ de instrumentis dicit, earúmque actione, vt *infrà*, *hac ipsa quæstione, & quæstione 4. d. 6. q. 5.*

*Deficit probatio.*

Molina. Vasquez.

Respondet Ferrariensis duplicem esse effectum instrumenti, & actionem: vnum qui proprius est ipsius instrumenti, ex forma propria, & permanente; alium qui est effectus, & actio eius, in virtute agentis principalis, per virtutem agendi superadditam: & sic attingit aliquid supra propriam virtutem, ita tamen vt semper agat aliquid ex propria forma, quod dispositiuè se habet ad effectum causæ principalis, putat actiones has esse realiter diuersas, quia procedunt à diuersis principiis, & ad diuersos terminos.

22

*Refellitur Ferrariensis.*

*Duas assignat actiones instrumenti.*

*Responsio Caietani.* Caietanus autem perinde eandem doctrinam sequitur, nisi quòd neget actiones esse diuersas, sed eandem, vt procedit à causa principali, & instrumentali: ita tamen vt procedat ab instrumento dupliciter. Primò secundùm propriam virtutem, quæ influit in actionem quandam eius modificationem, seu modum, & secundùm prius *Ordo in eadē actione.* naturâ actio, vt modificata est prior, & dispositio ad ipsam, vt est à principali agente: deinde procedit ab instrumento, vt attingit terminum principaliter intentum, inquantum elevatur per virtutem communicatam sibi ad hoc à principali agente.

Vterque ergo dicit instrumentum semper habere actionem propriam, quam non habet in virtute agentis principalis; sed ex propria forma, quæ semper est actiua: aliàs frustrà assumeretur; & sic prima propositio Doctoris corruit cum sua probatione. Secundò dicunt, quòd actio propria *Soluitur ratio Doctoris.* instrumenti vniuersaliter est dispositiua ad effectum causæ principalis: & sic negatur secunda propositio Doctoris huic opposita, vel eius consequentia, quia non sequitur: attingit effectum causæ principalis; ergo non dispositiuè, quia primò disponit, secundò attingit.

Exemplum autem illud de securi, quod impugnat Doctor, dicunt non adduci ad probationem, sed ad explicationem tanquam magis notum. *Responsio ad exempla præmissa.* Alia etiam exempla, quibus Doctor probat instrumenta attingere effectum causæ principalis, vt patet de impressione sigilli, dicunt quòd hæc etiam habent actionem propriam, quia diuidunt materiam, inquit Ferrariensis.

23 Contrà, probatur prima propositio Doctoris: *Probatio primæ propositionis contra responsionem.* hîc agitur de instrumento propriè sumpto, quod mouet inquantum motum, & per virtutem receptam à causa principali, vt patet ex littera S. Thomæ. Contingit autem, quòd aliquid participet actionem propriam alicuius alterius, non virtute propria, sed instrumentaliter, inquantum agit in virtute alterius, sicut aër per virtutem *Ex sententia D. Thomæ.* ignis habet calefacere, & ignire, &c. Sic etiam intendunt alij, quos impugnat; nempe per virtutem communicatam instrumentum agere, vt creaturam ad creationem, aërem ad igniendum, & calefaciendum in virtute caloris, quem recipit ab igne.

Hic autem aër nullum habet effectum proprium, sed merè materialiter se habet; sic Sacramenta, quæ sunt, in sententia D. Thomæ, instrumenta physica gratiæ, nullam habent actionem dispositiuam priorem, & naturalem ex propria forma physica, quæ sit dispositio ad gratiam, quæ *Applicantur exempla.* etiam in sententia eius creatur. Ergo, etiam idem dici posset de creatura, in quantum ei communicaretur virtus, qua attingeret ministerialiter, seu instrumentaliter effectum creationis.

Alia etiam exempla in sententia D. Thomæ adducit Vasquez, in quibus ad effectum causæ principalis, concurrunt instrumenta sine vlla actione dispositiua præuia ad effectum causæ *Alia similiter vrgentur.* principalis, vt humanitas Christi ad miracula, verba eius ad infundendam gratiam iustificantem, ad tollenda peccata etiam physicè, vt *infrà* patebit, vt illa: *Dimittuntur tibi peccata tua*, &c. phantasma sic per eundem, agit instrumentaliter ad productionem speciei intelligibilis, cuius nulla actio est præuia dispositiua, cuius terminus assignari potest.

*Responsio.* Si dicas quòd in Sacramentis, & aliis instrumentis supernaturalibus, detur actio physica, in qua perficiuntur, vt lotio aquæ Baptismalis, prolatio verborum, &c. Contrà, hæc nihil faciunt *Impugnatio.* ex natura rei ad gratiam, quia perinde sine ipsis produci posset, & solùm habet cum eis connexionem ex voluntate principalis agentis, quæ denotat institutionem, & virtutem communicatam, siue physica sit, siue tantùm moralis, vt *infrà* discernetur: ergo nullam habent actionem ex propria forma dispositiuam ad gratiam.

Dices, vt quidam volunt, non requiri, vt actio 24 dispositiua ex natura rei habeat connexionem *Responsio. Impugnatio.* cum effectu principalis agentis. Contrà, hoc destruit totum fundamentum sententiæ oppositæ de instrumentis; quia ideò assumuntur instrumenta particularia, quia habent ex forma propria actionem dispositiuam ad effectum causæ principalis: aliàs frustrà assumerentur, inquiunt: ergo necessarium est instrumentum habere ex *Cur requiritur actio instrumentalis.* propria forma actionem dispositiuam, ne frustrà esset assumptum, sine quo alioquin absque tali eius vsu fieret effectus, sequitur quòd actio illa sit etiam ex natura rei dispositio: aliàs si nihil ex natura rei conducit, frustrà requiritur propria, & principium eius in instrumento ex natura rei prærequisitum.

Et si ratio reducatur ad exemplum propositum à D. Thoma, de securi requisita ad dolandum ligna, vt disponantur ad formam artificialem scamni, aut arcæ, quæ nequit in rudi materia induci per artificem; quia coire non potest in dispositione tali ad compagem requisitam artificij: hoc idem probare & intendere constat: ergo non cohæret doctrinæ D. Thomæ, instrumentum vniuersaliter non habere actionem dispositiuam ad effectum agentis principalis ex propria forma; ac proinde meliùs Doctor explicat illam propositionem eius, quàm præfati quoad sensum, quo vera esse posset; quamuis nec sic infert intentum.

Secundò confundunt doctrinam de instru- 25 mentis, quasi vniuersaliter idem sit modus operandi omnium instrumentorum, quæ ne vniuocè quidem conueniunt, neque secundùm eundem modum dicuntur instrumenta. Propriissimè enim dicuntur instrumenta physica, ea quæ sunt artis, alia per proportionem ad hæc, quia artis *Duplex genus instrumentorum.* instrumenta habent subordinationem ad principale agens, à quo recipiunt principium actionis, *Prima acceptio instrumenti.* & ipsam actionem, nempe motum, quia instrumento cooperatur in motione actuali ad quemcumque effectum attingit: hæc duo in aliis instrumentis simul non inueniuntur, sed separatim, & secundùm proportionem, vt in causa secunda, quæ dicitur instrumentum Dei, & recipit *Secunda acceptio instrumenti.* à Deo virtutem cum entitate, quam habet in esse quieto, & ex propria forma: in quo differt ab instrumento primo modo sumpto, cuius virtus est superaddita in ipsa actuali motione: & concurrit etiam Deus cum causa secunda in ipsa actuali operatione, sed aliter quàm principalis, cum instrumento artis, quia hæc per influxum immediatè impressum instrumento attingit effectum, instrumento deferente influxum ad passum, vt quando manus mediante calamo scribit. Deus autem cum causa secunda agens, non influit in ipsam, sed coagit in passum immediatè, seu ad effectum. Et hîc seruatur maior proportio ad instrumentum propriè, non tamen similitudo formæ, aut modi secundùm vniuocationem.

Tertiò

*Tertia acceptio.*

Tertio modo accidentia agunt in virtute substantiæ, disponendo ad formam substantialem. Hic inuenitur tantùm subordinatio actionis ad actionem, & dependentia formæ accidentalis ad substantiam, in qua est, & à qua emanat sine concursu, & motione actuali substantiæ respectu dispositionis inductæ. Minor ergo proportio ad instrumentum propriè dictum.

*Quarta acceptio.*

Quartò dicitur instrumentum, quando à causis liberis applicantur actiua passiuis, ad finem alterius effectus ab ipsis intenti, vt artifices applicant: talis est virtus ignis in excoquendis, & macerandis metallis: hîc autem minùs seruatur proprietas instrumenti, quia nec ignis in virtute applicantis operatur, neque recipit vllum influxum, nec actio eius eidem subordinatur ex natura rei, sed tantùm quia vtitur eius actione ad alium effectum intentum, dicitur instrumentum. Quod ergo proprium est instrumenti quarto & tertio modo, hi Doctores transferunt ad rationem communem instrumenti: quod est agere ex propria forma, & dispositiuè ad effectum causæ principalis; quod est procedere ab vno æquiuocorum ad alia.

26 *Responsio impugnatur.*

Probatur ergo propositionis illius falsitas, in ea vniuersalitate (sicut ipsi concludunt ex forma actiua instrumenti operationem propriam eius à sensu contrario) vbi nulla est forma actiua instrumenti propria, nulla etiam est eius operatio dispositiua; sed instrumenta artis nullam habent formam actiuam propriam; ergo neque actionem propriam, & distinctam, saltem realiter, vt dicit Ferrariensis, neque modaliter, vt Caietanus.

*Instrumẽtum non habere actionem propriam.*

Probatur subsumptũ, verbi gratiâ, in serra, vel securi, in quibus præter motum agentis, nulla est forma actiua; quia in ipsis est tantùm quantitas, figura, & durities: quantitas non est actiua secundùm omnes Philosophos; est namque expulsiua alterius quantitatis ex eodem loco. Figura similiter non est actiua, quia est terminus quantitatis, & nihil superaddit superficiei præter respectum partium, qui non est actiuus. Durities, & mollities non sunt qualitates actiuæ, sed faciunt tantùm ad resistentiam, vel non resistentiam in impressione corporum, & exclusionem à loco alterius aduenientis, non cedendo, vt durities facit, vel cedendo duriori, sicut mollities: ergo in serra non est aliquod principium proprium actiuum, quod factat ligni scissuram; ergo in instrumẽtis propriè dictis fallit illa vniuersalis.

*Forma instrumenti ad quid facit?*

Aliud ergo est, instrumentum habere propriam formam, quæ faciat inquantum mota, ad effectum principalis agentis; aliud verò quòd illa forma sit actiua; nam dentes & subtilitas in serra conducunt ad effectum, inquantum per impressionem mouentis faciliùs diuidit, quominus habeat obiectum corpus, quod secundùm minores partes faciliùs cedit, & comminuitur, quàm secundùm maiores: facit etiam ad intentum artificis, quo forma artis inducitur sic, & non aliter scindendo, secundùm plures partes, quibus absciſſis non haberet debitam proportionem, & intentum, secundùm quantitatem, & figuram ad compagem operis.

Confirmatur, quia æquè inducitur effectus scissionis per serram, siue motus impressionis recipiatur in serram, siue in ipsum lignum, impingendo lignum in serram, ipsúmque sic sensim, & minutim atterendo; sed instrumentum non agit actionem dispositiuam etiam per aduersarios, nisi inquantum mouetur à principali agente; ergo.

27 *Tertia probatio.* Caietan. Bannes.

Tertiò, alia est actio dispositiua instrumenti; alia qua attingit effectum causæ principalis; vt ipsi admittunt: ergo potest dicta virtute manere actio posterior sine priori. Negant Caietanus & Bannes consequentiam; quia actio illa dispositiua se habet ex parte causæ materialis, quam Deus nequit supplere. Contrà: magis influit in effectum actio, inquantum ipse effectus attingitur in virtute causæ principalis, quàm illa quæ est dispositiua, & extrinseca: sed hanc Deus supplere potest, v. g. producere gratiam absque Sacramentis, vel aliud huiusmodi; potest facere arcam sine serra, aut securi, aut omni actione ipsorum: ergo à fortiori potest assumere instrumentum ad effectum principalem, sine eo quòd supponatur altera actio propria instrumenti.

*Deus potest supplere causam materialem.*

Item, potest Deus supplere ipsam causam materialem respectu formæ, potest inducere formam in materiam absque dispositione præuia, educendo ipsam formam immediatè ex potentia materiæ in instanti, sine præuia dispositione accidentali, quæ requiritur tantùm ad corruptionem qualitatum formæ præexistentis: & aduenientе altera simul cum priori forma corrumpitur talis dispositio, qua in toto subiectatur, ex sententia scholæ D. Thomæ.

28 *Potest etiam actione causæ secũdæ producere formam, sine præuia alteratione.*

Accedit quòd etiam mediante causa secunda, potest eductio hæc fieri de potentia absoluta, absque præuia alteratione per qualitatem, quamuis de potentia ordinaria priùs agat alterando, quàm igniendo, v. g. ignis; ergo à fortiori potest suppleri actio illa dispositiua instrumenti; quamuis materialiter se habeat ad effectum causæ principalis. Antecedens probatur; quia si prærequiratur alteratio, potest diuinitus induci in instanti, & tunc causa secunda assumi ad productionem formæ substantialis, sine præuia actione alteratiua, quæ sit ab ipsa, vel omnino non requiritur talis alteratio, nisi procedendo per viam motus ex imperfectione virtutis causæ secundæ. Hæc autem ratio definit, causa superiore supplente illum defectum: & sic B. Virgo concurrit in instanti ad generationem filij, concurrente Spiritu sancto, vt patet ex *tertio d. 4. q. vnic.* Sic *infrà* quidam dicunt cum S. Thoma quòd materia in vltimo instanti alterationis specierum sacramentalium creata à Deo, informatur virtute causæ naturalis applicatæ in eodem instanti. Maior autem videtur connexio inter actionem alteratiuam, & substantialem causæ secundæ, quàm inter dispositiuam instrumenti, & eam, qua attingit effectum causæ principalis: ergo de potentia absoluta illa potest suppleri. Et tunc non probatur per illam rationem, quin creatura possit attingere effectum creationis.

*Quando necessaria est alteratio?*

29 *Confirm. 1.*

Confirmatur primò per exempla præmissa à Doctore, in quibus instrumentum attingit causæ principalis effectum, vt sigillum sine præuia actione dispositiua. Responsio autem Ferrariensis iam est impugnata per rationem de serra, quia diuisio materiæ fit in virtute causæ principalis per actualem impulsum, & per quantitatem in materia ferrea, & dura sigilli, aut chalybis, cui cedit materia mollis, & hic ipse est effectus principalis.

*Confirm. 2.*

Confirmatur secundò, quia potest concurrere cum causa principali motum instrumentum, absque eo quòd concurrat ad aliquam actionem,

*Tollitur actio diſpoſitiua ex propria forma.*

quæ conueniat inſtrumento ex forma ſua propria; quia hæ ſunt differentes cauſæ ordinatæ ad differentes formas, exigentes differentes concurſus, vt eſt forma propria inſtrumenti, & cauſa principalis imprimens impulſum, ipſéque impulſus. In eo caſu ageret inſtrumentum per virtutem impreſſam ad effectum principalis agentis, quia quantum ad formam naturalem, & entitatem, merè paſſiuè ſe habet: quantum ad virtutem receptam, & motum principalis agentis, neceſſariò ageretur, & illa neceſſariò ageret; quia ſolùm dependeret à virtute immanente agentis principalis, eiúſque influxu, ab inſtrumento vt ſubiecto tantùm: ergo in eo caſu attingeret effectum agentis principalis, ſine actione propria diſpoſitiua, ac proinde ratio corruit in eo quòd exigat vniuerſaliter actionem præuiam diſpoſitiuam inſtrumenti.

30 *Confirm 3.*

Confirmatur tertiò, eatenus præexigeretur talis actio diſpoſitiua, quatenus effectus cauſæ principalis ab eadem dependeret, vel quatenus inſtrumenti forma nequeat producere diſpoſitionem, niſi in præiacente materia.

*Tollitur dependentia à materia.*

Primum eſt falſum, & petit principium, quia agitur de effectu creationis, qui nullum dicit ordinem, aut dependentiam à materia, vt hîc loquimur de creatione: ergo minùs ad diſpoſitionem materialem, quia hæc per ſe non exigitur, ſed inquantum eſt determinatio materiæ ad recipiendam formam, quæ primò, & per ſe dependet à materia vt cauſa à diſpoſitione tantùm in genere conditionis tollentis impedimentum, quod obſtat, ne materia ſit in proxima potentia reſpectu formæ. Primum ſubmouetur in effectu creationis, nempe materia: ergo & ſecundum. Sicut ergo effectus non dependeret à materia, aut diſpoſitione eius: ſic etiam neque actio, qua attingeretur ipſe effectus, ab actione qua diſponeretur materia; ſublato namque ordine inter effectus, tollitur ordo qui eſſet actionum.

*Actio inſtrumenti.*

Secundum etiam nihil ſaluat, quia non magis repugnat inſtrumento agere ex forma propria independenter à materia, quàm agere per virtutem impreſſam, & communicatam independenter à materia: ideò namque primum repugnat, quia forma innata, & propria inſtrumenti, in eſſe dependet à materia, vel quia eſt cauſa creata, cuius actio dependet ſemper à ſubiecto, ſed primum deficit in inſtrumentis ſpiritualibus, & ſubſiſtentibus, vt Angelo, aut anima ſeparata.

*Forma naturalis, & impreſſa inſtrumenti eodem modo dependent à materia.*

31

Loquendo etiam de materialibus inſtrumentis, perinde concludit prætenſa ratio de actione inſtrumenti diſpoſitiua, eam dependere à materia, ac de ea quæ conuenit per virtutem impreſſam à cauſa principali, quia hæc virtus ineſt, & recipitur in ipſo inſtrumento, & quidquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur: nempe modo extenſo, & quantitatiuo, & per modum accidentis inhæret inſtrumento materiali: ergo perinde repugnat ipſi agere independenter à materia, vel attingere effectum ſine tali dependentia: ergo fruſtrà recurrunt aduerſarij ad actionem diſpoſitiuam inſtrumenti, vt ſaluent ordinem ad materiam, cùm in actione altera, qua attingit effectum principalis agentis, idem ſeruare debeant.

*Eodem modo etiam dependet actio per vtrumque.*

In vtroque autem petitur principium, quia licèt inſtrumentum de potentia, & concurſu ordinatiis, nequeat habere effectum formæ naturalis, demus talem eſſe, aut certè effectum attingere cauſæ principalis (in quo præfati Doctores non ſtatuunt dependentiam ad materiam, ſed recurrunt ad priorem, vt cauſam repugnantiæ, qua ſublata admittunt ſecundum) non ſequitur, quin in alio ordine cauſandi, & in diuerſo concurſu, qui dari poſſit de potentia abſoluta, non poſſit aliter agere: verbi gratiâ, ſi homo generans, vt inſtrumentum reſpectu creationis animæ rationalis, per formam naturalem diſponat corpus: deinde attingat creationem animæ, tunc ſoluatur totum quod exigunt. Ex his ergo patet, propoſitionem illam Doctoris veram eſſe, quia neque inſtrumentum aſſumptum agit diſpoſitiuè ad effectum principalem.

*Fruſtrà aſſignari cauſam impoſſibilitatis.*

Eædem rationes faciunt contra Caietanum, quamuis ille vnam actionem conſtituit, & efficaciam, ac virtutem propriam inſtrumenti intendere dicat ad modum, tamen modus ille ſeparabilis eſt à ſubſtantia actionis, vt attingit terminum principalem. Rectiùs philoſophatur Ferrarienſis, relinquo etiam quæ *ibidem* particulariter dicat Caietanus, & ſunt facilis impugnationis.

*Excluditur modus Caietani.*

Alij aliter interpretantur præmiſſam rationem D. Thomæ, nempe actionem illam diſpoſitiuam eſſe determinationem actionis cauſæ principalis, & intelligi propoſitionem de inſtrumento naturali tantùm: ſed hoc ad intentum D. Thomæ non facit, qui intendit illam diſpoſitionem factam ab inſtrumento per formam propriam, eſſe circa materiam, & non determinationem aliquam circa effectum, aut actionem cauſæ principalis, ſed omnino præuiam: in quo neque Caietanus mihi videtur rectè aſſequi mentem ſancti Doctoris, qui intendit ex præfato fundamento colligere non poſſe creaturam aſſumi, vt inſtrumentum creationis, quia inſtrumentum debet agere diſpoſitiuè circa materiam ex forma propria: materia autem non ſupponitur ad creationem.

*Senſus D. Thomæ.*

## SCHOLIVM.

*Reiicit ſecundam rationem de infinitâ diſtantiâ, quia diſtantia tanta eſt, quantum eſt medium interiacens, vel ſi non eſt medium, quantum eſt extremum: & omne ens creabile oppoſitum nihilo, eſt finitum: igitur diſtantia eius à nihilo, finita.*

11 *Contra ſecundam rationẽ, num. 6.*

Ratio ſecunda [f] principalis, non videtur concludere, quia quando extrema ſunt immediata, tanta præcisè eſt eorum diſtantia, quantum eſt extremum alterum maius. Patet in ſimili, quia tanta eſt diſtantia Dei à creatura, etiam ſuprema poſſibili fore, quantus eſt Deus: & ideò ſi poneretur ſuprema

f *Ratio ſecunda principalis non videtur concludere,* &c. Reiicitur ſecunda ratio principalis, quæ in eo conſiſtit, quòd inter terminos creationis, ſcilicet *ens*, & *nihil*, detur infinita diſtantia, ac proinde exigitur ad ſuperandam illam diſtantiam infinita potentia in virtute, quæ nequit competere creaturæ. Hæc ratio eſt plurium Doctorum, Alberti *in 2. d. 1. art. 7.* Henrici *quodlibet. 4. queſt. vlt.* Richardi

32 *Soluitur & impugnatur ſecunda ratio.*

Albertus. Henricus.

*Hinc fortè secundum positum creabile nobilissimum.*

suprema creatura possibilis, adhuc Deus distaret ab illa in infinitum, quia est infinitus. Patet etiam per exemplum in oppositō: in quantitatibus enim est distantia propter aliquod medium interiacens, & ideò secundùm quantitatem spatij interiacentis, est distantia illa quanta: ergo per oppositum, vbi non est medium interiacens, distantia non erit quanta, nisi secundùm quantitatem alterius extremi.

*Tanta est distantia, quantum medium vel eo deficiente extremum.*

Hoc etiam patet ratione, quia nihil aliud est distantia hîc, nisi excessus vnius super alterum: quando autem excedens est immediatum excesso, quantitas excessus erit secundùm quantitatem excedentis. Suppositâ ergo maiori, sequitur quòd cùm affirmatio aliqua entis creabilis sit finita, quòd distantia huius affirmationis ad negationem sit finita. Patet etiam quòd ista distantia sit immediata, quia per Philosophum 1. Poster. text. 5. *Contradictio est oppositio, cuius non est medium secundùm se.*

Quòd si fingas infinitatem ex parte *nihil*; hoc nihil est, quia nihil non distat ab aliquo, nisi deficiendo: non plus autem deficit nihil ab ente, quàm ens illud ponat. Hoc etiam patet, quia comparando nihil ad nihil, nulla est distantia. Sic ergo minor secundæ rationis falsa est, intelligendo distantiam infinitam positiuè, hoc est, in infinitum excedentem omnem finitam distantiam, & sic oportet intelligere distantiam infinitam in maiori, ad hoc quòd sit vera: non enim potest aliter concludi infinitas virtutis agentis, quæ potest super illam distantiam.

*Vna contradictio est maior alia.*

Præterea. Minor improbatur sic, quia in vnâ contradictione est maior contradictio, quàm in aliâ: quia plus distat Deus à non Deo, quàm anima à non anima: quia nulla virtus potest facere de non Deo Deum, nec è conuerso: aliqua autem potest facere de non anima animam. Si autem quælibet esset infinita, nulla posset esse maior: quia infinitum non potest excedi.

Præterea, illa virtus potest super distantiam, quæ potest super totum terminum *ad quem* illius distantiæ; quia termino *ad quem* posito, destruitur terminus *à quo*, per terminum *ad quem* succedentem: sed terminus *ad quem* creationis est finitus: ergo non potest concludi ex hoc quin super ipsum possit virtus finita: ergo & super distantiam. Præterea 5. *Physic.* Generatio naturalis est inter priuationem, & formam: sed priuatio includit negationem, licèt in subiecto, & per consequens, quando transitur de priuatione ad formam, transitur à negatione ad affirmationem. Sed patet, quòd illa generatio naturalis est per virtutem

*Text. 7. & inde.*

Richardi *in 2. d. 1. art. 4. quæst. 4.* eamque D. Thomas assumit *1. part. quæst. 45. art. 5. ad 3.* quam formatur aliter, quia nulla est proportio nullius potentiæ ad potentiam aliquam, sicut nec non entis ad ens: ergo nec est proportio distantiæ, quæ est inter potentiam & actum ad illam, quæ est inter nullam potentiam, & actum: ergo non erit proportio virtutis, quæ non potest in illam distantiam, ad virtutem, quæ potest super illam: ergo est infinita, quia omni finito potest quodliber finitum proportionari. Richardus.

*Ratio D. Th.*

Illud autem principium probatur variè, quia qualibet finita distantia datur maior; sed *entis* ad *nihil* est maxima: ergo infinita. Secundò, quia *inter omnia contradictoria est æqualis distantia*; sed inter Deum, & nihil datur infinita distantia, quia sub ente creabili possunt esse infinita; sed ex dictis, inter duo contradictoria, & omnia, est æqualis distantia, inter quælibet infinita, super hanc distantiam infinitam non potest nisi virtus infinita, &c. *Principium.*

Hoc principium non subsistere probat Doctor, quia vt sit efficax ad inferendum intentum, nempè excessum virtutis in potentia, debet intelligi distantia positiua, quia est excessus vnius super altero: quando ergo extrema sunt immediata, tanta est distantia, quanta est quantitas, seu perfectio excedentis super altero. Probat exemplo, quia tanta est distantia Dei à creatura suprema possibili, quantus est ipse Deus. Item, in quantitate, vbi est distantia inter extrema ratione spatij, & medij interiacentis, tanta est distantia, quantum est medium, vbi ergo nullum est medium, tanta est distantia inter extrema immediata, quantum est extremum excedens. Affirmatio autem entis creabilis, seu perfectio, & entitas eius, est finita: ergo & distantia eius finita à negatione opposita. Quòd verò affirmatio, & negatio opponuntur contradictoriè immediatè, patet ex Philosopho 1. *post* 5 *text.* Si dicas ex parte negationis, seu *nihil* sumi distantiam. Hoc falsum est, quia *nihil* non distat nisi deficiendo ab ente cui opponitur: tantum ergo deficit, quantum affirmatio per oppositum ponit in *esse*: comparando enim *nihil* ad *nihil* nulla est distantia. 33

*Impugnatio.*

*Debet intelligi de distantia positiua.*

*Quid sit hæc distantia.*

*Affirmatio entis creati finita est.*

*Negatio distat ab affirmatione deficiendo.*

Item, magis distant Deus, & non Deus, quàm anima, & non anima: sumendo ergo distantiam positiuè, propositio illa est falsa. Addit præterea rationem à priori, quia illa virtus potest super distantiam, quæ potest super terminum: sed terminus *ad quem* creationis est finitus: ergo si creatura crearet illum, posset supra distantiam; nec inde sequeretur virtus infinita in ipsa.

*Potest in distantiam virtus productiua affirmationis.*

Præterea generatio naturalis est inter priuationem & formam, priuatio includit negationem, licèt in subiecto; & per consequens quando transitur de priuatione ad formam, transitur de negatione ad affirmationem: hic autem transitus est naturalis per virtutem creatam: ergo, &c. Hæc Doctor, subiungens illud vulgare: *Inter contradictoria esse infinitam distantiam*, simpliciter falsum esse, si intelligatur de distantia perfectionis: verum autem est, si de distantia indeterminationis, id est, quæ excludit terminum, quia sicut nulla est communicatio inter extrema, ita quælibet distantia sufficit ad recessum ab vno ad alterum, neque distantia quantumcunque magna excedit extrema contradictionis.

*Quid sensus illius principij, Inter contradictoria, &c.*

Subiicit deinde responsionem ad illam rationem, eiúsque probationes: *Nulla potentia potest super distantiam infinitam, nisi potentia infinita: sed inter* 34

*ens,*

virtutem creatam: ergo illa distantia non obstat.

12 Qualiter ergo salvabitur dictum commune, quòd inter contradictoria est distantia infinita? Respondeo, simpliciter falsum est, accipiendo infinitum pro excedente simpliciter quantumcunque finitum in infinitum. Sed alio modo infinitum potest accipi pro indeterminato, & sic verum est, nulla enim distantia est ita parva, quin sufficiat ad contradictionem. Quantumcunque enim modicum aliquid recedat ab vno contradictoriorum, statim est sub altero: nec est distantia aliqua tam magna, etiamsi posset esse in infinitum maior maximâ: quin ad illam & ejus extrema, se extendat contradictio: & isto modo accipiendo infinitum in maiori, minor est falsa.

*Contradictoria distans in infinitum explicatur.*

Ad probationes ergo minoris. Ad primam, cùm dicitur, quòd non contingit intelligere maiorem istâ, dico quòd falsum est positivè: verum est autem permissivè. Hoc est dictu, quòd aliqua distantia ponit maiorem remotionem, quàm ista, & vna contradictio, quàm alia: sed ista permittit quamcunque maximam, quia in maximâ salvatur. Exemplum, plus perfectionis ponit asinus intensivè, quàm animal; tamen animal plus permittit, sive salvari potest in aliquo perfectiori, quàm sit asinus, quia in homine, & quod sic est maximum, scilicet permissivè, non est formaliter maximum.

13 Ad aliam probationem de quibuscunque contradictoriis, dico, quòd licèt quæcunque contradictoria sint æquè incompossibilia inter se: non tamen æquè distantia; plus enim distat Deus à non Deo, quàm album à non albo, sicut processit prima ratio, quia extremum positivum est maius in comparatione ad negationem. Per idem patet ad aliam probationem, quòd totum ens creatum plus excedit nihil, quàm anima excedit non animam, sicut totum ens creabile, in se est perfectius quàm anima: tamen æquè incompossibilis est non anima cum anima, sicut nihil cum toto ente, sed hoc non arguit propositum.

Ad rationem iuxta hoc factam, de impropositione nullius potentiæ ad aliam potentiam, concedo, quòd distantia nullius potentiæ ad actum, non habet proportionem aliquam ad illam, quæ est alicuius potentiæ ad actum: sed hoc est, quia vna est distantia positiva inter extrema positiva existens: alia autem non est positiva, quia eius alterum extremum est nihil: positivi autem ad non positivum, nulla

*ens, & nihil*, &c. Respondet Durandus *in* 2. *d.* 1. *q.* 4. & Gabriel *ibidem q.* 4. *art.* 3. *dub.* 1. negando omnem distantiam inter *ens*, & *nihil*, quia putat Durandus creationem non habere, *nihil*, pro termino *à quo*, sed exire dicitur de nihilo, id est, de non aliquo. Verùm frequens doctrina Patrum est, creaturam productam esse primùm ex nihilo, eámque esse ex nihilo, & supponunt Scholastici terminum *à quo* creationis esse, *nihil*.

*Respõsio Durandi, & Gabrielis reiicitur.*

Ideò respondetur meliùs intelligendo maiorem de distantia positiva; minorem falsam esse ex dictis. Ad primam probationem minoris respondent, inter *ens*, & *nihil* dari distantiam maximam permissivè, non positivè. Ad aliam patet contradictoria quæcumque æquè distare, quoad incompossibilitatem, non autem quoad excessum perfectionis, seu distantiam positivam: ex quo patet ad reliquum.

*Responsio Doctoris.*

*Distantia maxima permissivè & positivè.*

Ad eandem rationem, prout formatur à D. Thoma quoad improportionem dictam, concedit, quòd nullius potentia, &c. ad potentiam nulla est proportio, quia proportio est entium, non autem positivi ad *nihil*, quia proportio attenditur penes quantitatem, quæ non competit negationi: sed negatur inde sequi inter potentiam, quæ potest in vnum & alterum non posse esse proportionem, quia hæ sunt positivæ: inter positiva autem non tollitur proportio, nisi quando alterum extremum est infinitum, quod ita exigi ad creationem non probatur hac ratione. Exemplo declarat, quòd puncti propter indivisibilitatem, non est vlla proportio ad lineam, quæ est extensa, non rectè infertur quòd potentiæ, quæ in vtramque possunt, non sint proportionatæ: imò eadem in vtrumque potest.

*Responsio ad rationem, vt formatur à D. Thoma.*

*Proportio est entium.*

*Exemplum commodum.*

35 Caietanus contra hanc solutionem enitens, etiam rationem præmissam confirmare pergit, aduertens quòd ratio non fundatur super improportione extremorum, vt Scotus simulat, sed in principio Peripatetico: vt quando sunt duo extrema, quorum alterum crescit tantum, quantum alterum decrescit: si hoc decrescit vsque ad non gradum, illud crescit super omnem gradum. Exemplum, & probatio huius sumitur ex 4. *Physicorum text.* 72. videlicet velocitas motus, & corpulentia spatij sunt duo extrema, ita vt velocitas crescat in motu, quantum corpulentia decrescit in spatio; quòd si hæc decrescat vsque ad non gradum, velocitas motus in illo spatio augetur in infinitum. Super qua regula fundatur processus Philosophi, ad probandum quòd motus in pleno, & vacuo sint improportionales: ita ergo in proposito.

*Caietani interpretatio.*

*Exemplum de motu.*

Ad hanc respondent quidam, non esse infinitam distantiam inter motum in instanti, & motum factum in tempore, sed differre sicut diuersæ species eiusdem generis: ex quo non sequitur infinitas virtutis in eo, qui mouet in non tempore.

*Responsio quorundam.*

Hæc doctrina vera est, intelligendo antecedens sic, vt comparatio fiat motus successiui, & instantanei, quantum ad realitatem, non verò quatum ad successionem, quia eadem forma, quæ producitur successivè, potest quantum ad realitatem produci instantaneè. Verbi gratiâ, ignis producit in se ipso calorem summum in instanti, quamuis in passum extrinsecum, propter repugnantiam contrarij, nequeat producere calorem in inferiori gradu, nisi successivè, per motum propriè dictum: motus autem instantaneus, & successiuus sunt incomparabiles, & improportionabiles, sicut instans & tempus, linea, & punctum, quia

*Exponitur.*

*Motus cõparabiles quoad realitatẽ, non verò durationem.*

nulla est proportio, sicut nec entis ad *nihil*. Sed ex ista improportione non sequitur, quòd virtus quæ potest super istam, sit improportionabilis virtuti, quæ potest super illam, quia positiuum non est improportionabile alteri positiuo, nisi propter infinitatem in altero: in aliis autem distantiis fuit improportio, non quia fuerit infinitas in altero, sed quia altera non habuit aliquam quantitatem, secundùm quam potuit proportionari. Exemplum huius, punctus est improportionalis lineæ, quia non quantus: ergo virtus, quæ potest super hoc, est improportionata virtuti, quæ potest super illud, non sequitur: nam virtus, & virtus natæ sunt habere quantitatem virtutis, & per consequens proportionem secundùm virtutem, nisi altera sit infinita. Ex alia autem parte est defectus proportionis propter defectum quantitatis in alio extremo.

*Positiuum improportionatũ esse alteri positiuo, ex sola infinitate in altero prouenit.*

esse, non ad demonstrandum simpliciter. Ponentes autem vacuum, hac de causa ipsum ponebant, vt non impediretur motus; & sic secundùm eos, causa motus erat ex parte medij, quod non impedit motum. Argumentatur contra eos Philosophus, ac si tota causa velocitatis esset ex parte medij, non autem ex parte mobilis, quod tamen falsum est, & secundùm D. Thomam *hîc*, vt patet in motu corporum cœlestium, & secundùm Doctorem nostrum *in 2. d. 2. quæst. 9. §. Ad quartum argumentum.* Quia successio in motu est ex resistentia mobilis ad motorem, vt *ibi* rectè declarat, ob limitatam eius virtutem, & resistentiam medij ad vtrumque, id est, mobile, & motorem.

*Causa successionis in motu.*

*Explicatur Philosophus.*

Ad rationem ergo Philosophi respondetur ex Doctore *ibi*: vel probare contra eos, qui ponebant totam causam successionis, seu motus, esse vacuum; & sic cohæret expositioni D. Thomæ præmissæ. Vel tenendo rationem Philosophi esse ostensiuam, nempe primam de motu in medio raro, & denso; secundam per reductionem ad impossibile.

*Responsio D. Thomæ.*

*Responsio Doctoris.*

Respondetur ex Doctore, duplicem esse successionem in motu: aliam essentialem, aliam accidentalem. Essentialis est, quæ prouenit ex resistentia mobilis ad motorem: & hæc remanet, siue in spatio pleno, siue vacuo, siue etiam neutro, quia mouetur successiuè, & secundùm partem priorem priùs pertransiret quodlibet spatij, quàm secundùm posteriorem. Successio verò accidentalis est ex impedimento, quod opponitur ratione spatij, vt quia illud est densius, vel rarius, &c. Et hinc redundat illa velocitas, vel tarditas, de qua Philosophus, tanquam qualitas motus ex impedimento spatij.

*Duplex successio in motu.*

37 Esset ergo proportio inter motum in pleno, & vacuo quoad successionem essentialem, quia vterque esset successiuus, vt probat *hîc* Doctor, & fusiùs *Quodlibet 11. art. 2.* & *in eadem 4. d. quæst. 11. §.* Contra primam positionem arguo, *in fine.* Vbi docet si graue moueretur in vacuo, moueri successiuè. Cum Doctore plures alij idem docent. Non esset autem proportio quoad successionem accidentalem, quia ex vacuo nulla talis esset, quia *nihil* ad *aliquid* non est proportio præcisè, ex Philosopho *in textu.*

*Proportio manet quoad essentialem successionem.*

*Accidentalis successio non manet in vacuo.*

Dices,

quia nihil ipsis commune est quoad extensionem, secundùm quòd inuicem comparari possint, & diuiderentur in excedens, & excessum, seu ipsum excedens in gradum excedentem, & reliquum.

Philosophus ergo *ibidem* argumentatur contra veteres, qui ponebant vacuum ob necessitatem motus propriè dicti, quorum est illa ratio ex Philosopho: quia si non esset vacuum, non potest fieri localis motus, aut augmentatio, quia plenum alio corpore occupatur: duo autem corpora non possunt esse simul: ergo motio localis non debet fieri per plenum, sed per vacuum, &c. Eodem modo de augmento, quod fit additione alterius corporis: ergo in corpore, quòd augetur, debent esse quædam vacuitates, aut pori, &c. Vide eum *cap.* 7. Capite autem 8. docet per motum non rectè colligi vacuum esse, cùm potiùs sic tollatur motus. Argumenta, quibus hoc impugnat, magis sunt redargutiones ex principiis eorum, quos impugnat, quàm demonstrationes veritatis.

*Scopus Philosophi.*

*Sententia veterum, cum suo fundamento.*

*Rationes Philosophi quales sint?*

Quòd de prædicto argumento, quod assumit Caietanus, dicit D. Thomas *lect. 12.* reiiciens interpretationem Cõmentatoris, asserénsque rationem Philosophi ad contradicendam inductam

36 D. Thom.

Dices, quid ergo vrget argumenta Philosophi contra antiquos, quos impugnat? Respondet Doctor: *Ergo habet Philosophus ex hoc contra aduersarium, dicentem motum esse in vacuo, quòd nullus motus habens aliquam velocitatem, aut tarditatem accidentalem superadditam essentiali, potest esse in vacuo: & hoc non est inconueniens, si poneret præcisè motum esse in vacuo, sed esset, si cum hoc poneret vacuum esse promotiuum in motu* (id est, sicut raritas spatij promouet motum, quod retardat densitas) *vel medium necessarium in motu*, &c. nempè vt docebant, quos impugnat. Argumentum ergo Philosophi tangit illam successionem motus, quæ oritur ex impedimento accidentali spatij, nempe densitate, aut raritate.

*Replicæ soluitur.*

*Vis rationum Philosophi.*

Videatur Cõmentator in hunc locum Philosophi, vbi ait motum, & successionem oriri ex resistentia mobilis ad motorem, vt contingit in motu corporum cœlestium, in quo nulla est resistentia ex parte spatij impedientis, vel ex parte spatij & mobilis simul, vt contingit in animalibus, in quibus contingit successio, & motus ex proportione motoris ad mobile, & ad spatium: & cessante impedimento, quod est ex spatio, adhuc remaneret determinata proportio temporis in motu, secundùm proportionem motoris ad mobile.

*Causa successionis.*

Idem admittit D. Thomas *ibidem*; immò supponit, si motus fieret in vacuo, fore successiuum secundùm tarditatem, ideóque admittit obiectionem, ad quam respondet Commentator, dicens argumentum Philosophi locum habere in motu animalium ex resistentia spatij, quamuis S. Thomas dicat esse redargutionem, non demonstrationem.

D. Thom.

Ex quibus patet ad argumentum Caietani, seruandam esse proportionem illam inter duo spatia plena, quoad tarditatem & densitatem, secundùm quæ in gradu proportionato est promotio, aut tarditas motus, secundùm maiorem, aut minorem resistentiam. Sed falsum est, quod assumitur, nempe si corpulentia decrescat vsque ad non gradũ, quòd velocitas motus in illo spatio augeretur in infinitum; hæc accommodatio est futilis, &

38 *Soluitur ratio Caietani.*

*Proportio seruatur quoad spatia plena.*

non

non eſt ſecundùm mentem Philoſophi, neque eſt Peripatetica. Supponit enim reſiſtentiam ſpatij eſſe infinitam ratione corpulentiæ, vt ea ceſſante, & ſeruata proportione, creſcente velocitate, ipſa

*Deſtruitur ſuppoſitio.*

redderetur infinita: deſtruit ergo primò ſuppoſitionem ſuam, nempe talem eſſe proportionem accrementi in velocitate, ad decrementum reſiſtentiæ medij impedientis, aut corpulentiæ, hæc enim finita eſt; aliàs nequiret ſuperari virtute motoris. Deſinit etiam per partes actuales, vt

*Motus creſcit per partes actuales.*

vocant, ſeu non communicantes, (in quibus eſt terminus, aliàs nunquam daretur terminus motus:) non autem per partes potentiales, & communicantes, in quibus nullus eſt ſtatus: ergo etiam velocitas motus inde creſcens erit finita, & eius accrementum erit per partes non communicantes.

*Fallacia rationis præmiſſæ.*

Ad propoſitum ergo accommodando proportionem illam, committit fallaciam conſequentis, quia non ſequitur: motus non habet ſucceſſionem ex reſiſtentia ſpatij ratione impedimenti, quod nullum eſt: ergo non habet ſucceſſionem abſolutè.

Falſum eſt, quia habet ſucceſſionem ex reſiſtentia mobilis ad motorem, quam D. Thomas, & Commentator vocant *naturalem*, noſter Doctor

*Motus in vacuo, & pleno quomodo cõparabiles.*

*eſſentialem*: & ſecundùm hanc motus in vacuo, & ſpatio non reſiſtente ex impedimento eſſent comparabiles, & ſeruarent proportionem, quia maneret limitata virtus motoris, & eadem reſiſtentia mobilis ex propria forma, ex quibus fieret ſucceſſio, licèt deſineret ſucceſſio accidentalis orta ex impedimento ſpatij.

39

Denique accommodando hinc inde medium, & concluſionem, quam inde probare contendit, nempe quantum decreſcit ens, vel in quantum accedit ad *non eſſe*, & *nihil*, tantum creſcere potentiam actiuam, quæ poteſt ſuper *non ens*; quantò magis *non ens* elongatius eſt ab actu, &c. Vbi ponitur augmentum ex parte potentiæ actiuæ; decrementum verò ex parte actus inquantum recedit ab *eſſe*, quod recipere poteſt: hoc autem

*Eſſe finitum non excedit potentiam finitam.*

*eſſe*, quod natum eſt recipere, eſt finitum: ergo ex eius decremento non ſequitur in potentia actiua, niſi finita & proportionata actiuitas, quæ etiam debet eſſe finita, ſeruata proportione ad actum quem dat, ſeu educit ex nihilo actus ad *eſſe*.

*Impugnatur ratio principalis.*

Deinde id ampliùs declaretur, comparando actum, qui educitur ex potentia materiæ ad ſe ipſum, aut ſimilis perfectionis, vter educitur ex nihilo, id eſt, producitur non præſuppoſito ſubiecto. Hic ergo actus, qui educitur ex nihilo, non elongatur à potentia magis, quàm alter, niſi inquantum ſupponitur concurſus cauſæ materialis ad hunc, & nõ ad illum (loquamur etiam de ſimili forma in ſpecie, quæ vel creari poteſt à ſolo Deo, vel etiam educi de potentia ſubiecti;) ſed concurſus cauſæ materialis, per quem vnus ab altero diſtat, & recedit, vel accedit ad potentiam, eſt finitus, & limitatus: ergo ſuppletio eius fieri poteſt per virtutem actiuam finitam, neque requiritur, vt ex ſubtractione materiæ ampliùs creſcat virtus actiua in agente, niſi quantum ſufficiet ad ſupplendum concurſum materiæ.

*Cõcurſus materia eſt finitus.*

*Ex natura cauſa efficientis creata.*

A ſimili patet in cauſa actiua inferiore, quæ magis influit entitatem ex genere ſuo, quàm materia in effectum communem, quæ ſuppleri poteſt in determinata actiuitate ſuperioris agentis, verbi gratiâ, motus, qui procedit ab aliquo agente per vnam horam, poteſt eſſe mediâ horâ ab agente, cuius in duplo virtus eſt fortior; hinc patet ad illam elongationem actus à potentia non exigi infinitam virtutem productiuam.

Doctrina autem, & reſponſio Doctoris ad argumentum D. Thomæ, fundatur in Philoſopho, hoc ipſo capite, ex quo Caietanus confirmat oppoſitum, quia dicit quòd *nihil* nulla eſt differentia; & infrà, *Id enim quod excedit in exceſſum ipſum, & id quod exceditur, neceſſe eſt diuidatur*, &c. vbi aſſignatur ratio, quare nulla ſit proportio inter *nihil*, & numerum, inter vacuum, & plenum in ratione ſpatij, quia vnum eſt priuatio, aliud verò ens. Sic etiam neque linea punctum excedit, niſi componatur ex punctis, quia linea diuiſibilis, punctus indiuiſibilis eſt, & comparatio debet fieri ſecundùm extenſionem, quæ participari debet in gradu excedente, & expreſſo.

40

*Confirmatur ex Philoſopho.*

Nullius ergo potentiæ ad aliquam potentiam, hac ratione non eſt proportio, quia in nullo communicant, vt dicit benè Doctor cum Philoſopho, non quòd ratione exceſſus, & perfectionis attendatur improportio, ſicut contingit, quando comparatur infinitum ad finitum, & hinc ſumit ratio illa D. Thomæ improportionem, (ne vel ſimulationem illam, quam adducit Caietanus, admittamus) vt patet ex litera, quia hæc propoſitio: *Tantò maior virtus requiritur in agente, quantò potentia eſt magis remota ab actu*, &c. oportet inuoluat in re ipſa, illam propoſitionem: *Diſtantia inter ens, & nihil exigit infinitam virtutem in agente.* Illa enim elongatio, quæ eſt inter potentiam, & actum, non eſt aliud quàm nihilcitas, & omnis elongatio eſt ratione diſtantiæ veræ, aut imaginariæ vnius extremi ab altero. Vnde idem probat ſubiungens: *Nulla eſt proportio nullius potentiæ ad aliquam potentiam*, &c. *ſicut non entis ad ens.*

*Proportio ex Philoſopho vndeſumẽda.*

41

*Obiectio.*

Obiicit ſecundò Caietanus *ibidem*, quia ex oppoſito ſequeretur, quòd virtus producens ex nihilo, & virtus producens aliquam formam de potentia ſubiecti, eſſent æquales: conſequens eſt abſurdum. Sequela probatur, virtus producens ex nihilo finita ſit *A*, virtus producens ex potentia ſubiecti ſit *B*, prior virtus ſit perfectior hac in decuplo: potentia paſſiua quam reſpicit virtus *B*, ſit *C*. Tunc detur aliqua aliqua potentia paſſiua, quæ ſit minor *C*, in decupla proportione: tunc ſequitur virtutem illam, quæ produceret aliquid ex potentia illa minori, quàm ſit paſſiua *C*, eſſe decuplo maiorem, quàm ſit virtus *B*; ergo erit æqualis virtuti *A*, quæ tantùm in decupla proportione excedit *B*.

*Proportio non fundata.*

*Hac ratione*, inquit Vaſquez, *videtur ſibi Caietanus de aduerſariis laudem reportare, quæ meo iudicio non minùs infirma eſt*, &c. Ad eandem benè reſpondet Vaſquez *ibidem*; quia augmentum hoc, & decrementum, ſicut & exceſſus, aut defectus, qui ex eo redundant, non fiũt ſecundùm intentionem, & remiſſionem graduum eiuſdem formæ ſpecificæ, ſecundùm quas aſſignari poteſt, & debet proportio illa decupla. Hoc ergo ſupponit argumentum, & malè: exceſſus ergo attenditur ſecundùm ſpeciem, ad quam ſpecies inferior quantumcumque creſcat intra gradum ſpecificum, nunquam accedit, ſicut nec intellectus perfectionem vnquam adæquare poteſt ſenſus, quantumlibet perfectus, nec plumbum ſpeciem auri, neque aſinus perfectionem hominis: ſic ergo neque virtus producens de potentia ſubiecti accederet ad perfectionem illius, quæ de nihilo crearet, licèt hæc finita eſſet. Hæc reſponſio vera eſt, & ſoluit argumentum, eſtque ſecundùm principia noſtri Doctoris variis in locis.

*Vaſquez reſponſio.*

*Vitium proportionis præmiſſæ.*

*Proportio ſecundùm ſpeciem ſumitur, non ſecũdùm gradum.*

Addo

42 *Secunda respõsio, & impugnatio illius rationis. Potentia passiua non intenditur.*

Addo vlteriùs argumentum illud imaginarium esse.

Primò, ex quibus principiis supponit Caietanus potentiam passiuam subiecti intendi & remitti? si loquamur de subiecto simpliciter, quale est substantia, quæ non suscipit magis & minùs, sicut neque quantitas, quod est secundarium subiectum: si autem intelligat illam minorem, aut maiorem potentiam receptiuam ratione impedimenti accidentalis, vt quia sub vna forma sequitur maior resistẽtia subiecti, quàm sub alia: hæc impedimenta quandoque non exigunt perfectiorem virtutis actiuæ in causa, sed sufficit maior virtus per accidens, vt ignis in materia rara nequit producere calorem in subiecto applicato, aut comburere, quod tamen potest calor minùs intẽsus in materia densa, vt in ferro existens.

*Improportionata comparatio.*

Causam autem materialem, quæ seipsam communicando causat, æquiparare merè causæ efficienti extrinsecæ, quæ sola virtute attingit effectum, quæ virtus aliquando crescere, aut decrescere potest secundùm latitudinem graduum, intra eandem speciem, vt in qualitatibus, vel certè perfectione essentiali, & interminabili respectu causæ inferioris, quæ nunquam ad perfectionem superioris attingit, videtur nouum, & præter principia Peripatetica.

*Argumentum seipsum soluit.*

Secundò, ipsum argumentum Caietani sibi respondet, & æquiuocat. Nam causa creans non solùm est totalis respectu effectus, saltem in genere efficientis creati; sed etiam supplet concursum causæ materialis, vel eum excludit; illa verò causa educens ex potentia minori subiecti, in decuplo excedens alteram, quæ ex potentia maiori subiecti in decuplo educit formam, licèt secundùm hanc proportionem virtutis eductiuæ superet alteram, tamen non supplet materiam, sicut causa creans: ergo ipsi incomparabilis est in perfectione virtutis: comparatio tamen & æqualitas perinde accommodatur à Caietano, quasi eiusdem perfectionis, & virtutis esset, saltem in nostra sententia, & ex hypothesi responsionis Doctoris, educere aliquid è potentia materiæ, & creare; quod responsio illa non supponit; quamuis neget ex improportione præfata colligi infinitam virtutem in potentia actiua, supponens tantam esse debere, quantus est terminus productus, prout totaliter attingitur à causa: ad hoc autem sufficit vt sit alterius ordinis superioris intra genus entis finiti.

*Suppositio falsa.*

Alij formant istam rationem D. Thomæ aliter; verbi gratiâ, maior virtus requiritur ad producendum effectum ex nihilo, quàm ex potentia, quantumcumque illa distet ab effectu: sed si potentia distat in infinitum ab effectu propter impedimenta, aut aliam ob causam, requireretur virtus infinita: ergo etiam ad creandum ex nihilo requiritur similiter virtus infinita. 43 *Ratio D. Th. aliter ab alijs formatur.*

Ad hanc benè respondet Vasquez nõ esse eam rationem D. Thomæ, sed nouam, quia S. Thomas non procedit ex substantia facti, quasi esset infinitus effectus, sed ex modo agẽdi, vt vult Capreolus. Argumentum autem sic formatum concludit infinitatem potentiæ ex infinitate effectus, quia distantia potẽtiæ ab effectu propter impedimentum infinitum exigit ex natura ipsius effectus virtutem actiuam infinitam in agente: ergo vt hoc sit medium probandi infinitam virtutem ad creandum aliquid ex nihilo, debet sumi infinitas in ordine ad perfectionem, vt attenditur substantia effectus, & non tantùm modus faciendi: negaretur maior itaque, quia finita virtus sufficeret ad educẽdum aliquid ex nihilo, infinita verò ad superandã infinitam resistẽtiam positam ex parte subiecti ad educendam ex eo formam. *Respondetur.*

Deinde suppositio est impossibilis: vnde nihil concludit, & ea data, vtraque virtus non esset comparabilis, quia vna excederet in gradu excessiuo infinito intra latitudinẽ sui generis, nempe eductiuo: nunquam tamen accederet ad perfectionem creatiuæ, quia semper dependeret à materia in actione. Altera quidem esset finita in gradu, & excederet secundùm speciem, essétque maior, quia in se includeret eminenter causam materialem, quam non includeret virtus eductiua: siue ergo sic, siue aliter fundetur ratio, non concludit; neque licèt ex conditionali illa de impossibili concludere absolutè de possibili. *Suppositio implicans.*

## SCHOLIVM.

*Tertiam & quartam rationes positas num. 6. quæ sunt Ægidij refutat exactè, iuxta veram Philosophiam.*

14 *Ad 3. rationem quæ petit principium.*

Tertia ratio [g] principalis non concludit, quia aut intelligitur in maiori, quod agens secundarium, præsupponit effectum primi agentis, vt passum in quod agat, & tunc petit principium, scilicet quòd omne agens aliud à Deo, agit in passum præsuppositum. Aut intelligit absolutè, quòd scilicet absolutè præsupponat effectũ primi agentis, quod concedo, quia scilicet præsupponit seipsum, sicut agere præsupponit esse, & ipsum est effectus primi agentis. Ad illam introductionem, quæ videtur probare minorem secundùm primum intellectum, dico, quòd ars si potest in aliquam formam, non tamen nisi in accidentalem tantùm: accidentalis autem necessariò

g *Tertia ratio principalis non concludit*, &c. Ægidius *quodl. 5. q. 1.* & Petrus de Tarantasia *in 2. d. 1. quæst. 3.* probant conclusionem ex eo, quòd agens inferius præsupponat in agendo effectum superioris, vt ars effectum naturæ, circa quem agit, natura verò aliquid potentiale, scilicet materiam, quæ est effectus primi agentis, & increati, & id exigit ordo agentium: ergo agens creatum in agendo supponit effectum Dei, & consequenter materiam aliquam, ex cuius potentia educit formam: ergo nequit creare, &c. 44 *Tertia ratio aliorum. Ægidius. Subordinatio artis ad naturam; naturæ ad Deum.*

Hanc reiicit Doctor primò, quia si intelligatur de præsupposito tanquam passo in quod agat, petit principium; vel si intelligatur absolutè de aliquo effectu verum est, quia agens creatum supponit seipsum, qui est effectus primi agentis, sicut agere præsupponit esse: sic autem non facit ad intentum. Ad probationem illam respondetur, quòd ars supponat effectum naturæ, *Responsio, petit principium; vel non concludi propositum.* *Ars cur supponat naturã.*

*Quare artifex requirat ſubiectum ſui termini.*

ſariò requirit ſubſtantiam pro ſubiecto: non ſequitur ergo, quòd artifex, (quia eſt agens ſubordinatum,) requirat, vel præſupponat effectũ naturæ, vt paſſum ſuum: ſed quia agit ad talem terminum, qui requirit ſubſtantiam, in quam ſubſtantiam producendam non poteſt ars. Quòd autem hoc non ſit ex ordine agentium, patet manifeſtè, quia natura in actione ſuâ præſupponit effectum naturæ, vt paſſum, ſicut in alteratione præſupponit ſubſtantiam: eſt ergo cauſa communis ex parte naturæ, & artis in præſupponendo ſubſtantiã, quando ſcilicet agunt ad accidens; quod non poteſt produci niſi in ſubſtantia. Si autem aliqua ſubſtantia corporea eſſet immediatè producta à Deo abſque actione naturæ, nihilominus poſſet ars circa iſtud paſſum agere, ſi eſſet capax termini artis, ac ſi effectus naturæ præceſſiſſet in eo. Similiter patet quòd ratio ex iſto ordine agentiũ non valet, diſtinguendo plures ordines agẽtium: nam in ordine agentium naturaliter, poteſt inueniri agens materiale, quod eſt inferius, & agens immateriale, quod eſt ſuperius; non tamen ſequitur, quòd agẽs materiale præſupponat effectum agentis immaterialis creati: nec ſequitur, ſi materiale præſupponat effectum Dei immediatè, in quod agat: ergo agens immateriale, quod eſt ſuperius nihil præſupponit.

15 *Ad rat. 4. aduer. Subiectiua potentia, alia receptiua, alia inhæſiua.*

Quarta ratio [h] non concludit, quia illa potentialitas, quæ eſt communis creaturæ, ſiue intelligatur obiectiua, reſpectu *eſſe* creaturæ: ſiue intelligatur ſubiectiua, ad recipiendum ſicut potentiale, vel ad inhærendum ſicut forma, vel actus, non ſufficit ad inferendum, quòd actio eius ſit cum motu, vel mutatione; ſed quòd actio illa ſi eſt immanens, habet potentialitatem illam prædictam, vel vtramque. Si etiam eſt tranſiens, eo modo, quo eſt in illo, in quod tranſit, vt in termino, habet potentialitatem alteram, vel vtramque; nec propter hoc eſt actus fluens, vel raptim tranſiens, ſicut motus, vel mutatio.

45 *Subordinatio accidentalis.*

Deinde per accidens etiam eſt, quòd ſubiectum præſuppoſitum ſupponatur, vt productum à natura, aut à ſolo Deo, cùm æquè ars poſſit in vtrũque inducere ſuum effectum: vnde tollitur ordo ille præſcriptus eſſentialis in agendo, inter naturam, & artem, quaſi hæc ſemper ſupponeret actionem naturæ, & effectum tanquam paſſum in quod agat.

*Illius rationis ſequela impugnatur.*

Tertiò, tandem impugnat illam rationem petitam ex ordine eſſentiali cauſarum, quia de facto inuenitur agens materiale, quod eſt inferius, & ſpiri

ræ, quia, ſi eſt actiua, agit tantùm ad formam accidentalem, quæ neceſſariò ſupponit ſubiectum ſubſtantiale. Vnde Philoſophus 12. *Metaph. text. com.* 15. docet formas artificiales, non eſſe à materia ſeparabiles. Illa autem particula *ſi eſt actiua*, non tollit illam definitionem 6. *Eth. cap.* 5. quia dicitur habitus cum vera ratione factiuus, ideſt, cum recta ratione, vt explicat Doctor *in* 1. *d.* 3. §. *Ad authoritatem Auguſtini*, &c. Sed quia ars non eſt actiua ad propoſitum huius argumenti, in quo per actionem intelligitur Phyſica per influxum, qua attingitur immediatè effectus; ſed ars tantùm dirigendo agit, & rectificando potentiam aliam artificis, verbi gratiâ, motiuam, cuius eſt operari ſecundùm artem, & attingere proximè effectum: ſic ergo ars pro habitu ſumpta non eſt actiua, neque producit formam in ſubiecto.

*Quomodo Ars eſt actiua.*

*Ars dirigit motiuam.*

Poteſt etiam ſecundò dici, quòd ars quædam ſit, quæ ſit apprehenſiua rectè agendorum, non tamen directiua, vt ibidem Doctor illam ponit in Deo, hanc non ita, & illa, vt comparatur ad hanc, non eſt actiua, in ea proprietate, ſecundùm quam ſequeretur cauſatum: ſic etiam ars vniuerſalis non eſt practica, aut actiua vt comparata ad particularem, vt idem docet *quodlib.* 8.

46 *Ars apprehẽſiua, non directiua agẽdorum.*

*Ars vniuerſalis.*

Tertiò, dici poteſt aliquando applicare actiua paſſiuis, vt contingit in ſanando homine, & tunc non eſt in proprietate actiua: ſicut quando forma artis inducitur ab ipſo artifice, tanquam cauſa principali, nihilque habet materiæ, vt lignum & lapides, vnde actiuè ſe habet, vt ad formam: ſicut calor naturalis in ſanabili habet virtutem, quâ reducatur ſanitas: & ſic vtroque modo loquitur Philoſophus de Arte 7. *Metaph. cap.* 9. *text. com.* 39.

*Ars applicat actiua paſſiuis.*

*Philoſophus.*

Siue ergo illa conditionalis denotet ſpeciem artis, quæ non eſt proximè directiua, neque actiua, ſiue etiam modum agendi artis directiuum tantùm, qui non facit ad intentum huius quæſtionis, rectè eam reiicit Doctor, quamuis reſpondeat ad argumentum conceſſo eo, quod aſſumitur, & aſſignando diſparitatem ex parte effectus artis, qui eſt accidens dependens à ſubiecto, in quo etiam communicat ars cum natura, inquantũ hæc eſt cauſa productiua formæ accidentalis, quę neceſſariò ſupponit ſubiectũ ſubſtãtiale.

Ex ſcopo autem huius quæſtionis quæritur, non de forma accidentali, quæ ex natura ſua inhæret ſubiecto, ſed de termino creationis, quí, vt omnes admittunt, eſt aliquid ſubſiſtens, propriè loquendo, vel per modum ſubſiſtentis, & quamuis creatura poſſet producere ex nihilo aliquod ſubſiſtens, non ſequitur quòd poſſet producere formam accidentalem propter dependentiam particularem eius à ſubiecto: non autem ex modo agendi cauſæ cui communicaretur potentia creatiua. Probatio ergo committit fallaciam non cauſæ vt cauſæ; non ergo ſolius artis eſt ſupponere effectum naturæ; ſed etiam ipſius agentis naturalis, ſi ratio effectus id poſtulet.

*Non ſequitur ex potentia creatiua finita produci poſſe accidens extra ſubiectum.*

ſpirituale, quod eſt ſuperius: non ſequitur quòd materiale ſupponat effectum agentis immaterialis creati; nec ſi materiale tantùm ſupponat effectum Dei immediatè, quòd immateriale quod eſt ſuperius, nihil ſupponat. Vtraque ſequela eſſet vera, ſi antecedens illud verum eſſet: *quod agens inferius ſemper ſupponat effectum agentis ſuperioris, in quod agat vt paſſum.* Secunda ſequela obſcurior eſt: non videtur enim ſequi, quòd ſi cauſa materialis agat circa effectum Dei immediatè, quòd cauſa immaterialis nihil ſupponat, quia immaterialis ſupponit effectum Dei, qui eſt cauſa ſuperior.

*Replico.*

Reſpon

*Soluitur.* Respondetur, in eo tantùm sequi, quòd passum in quod agit causa inferior, interpretando principium illud in sensu, quo concludit intentum, debet esse posterius actione causæ superioris. Data ergo hac vniuersaliter subordinatione inter inferiorem causa, & superiorem, si causa materialis ageret immediatè in materiam, quæ est effectus Dei, & quæ non est aliud passum prius, & supponat actionem causæ superioris, sequeretur illam actionem non coincidere in passum causæ inferioris, quæ esset materia; ac proinde esse ex nihilo, quia prius materia prima est solum *nihil*: ideò dicitur *prope nihil* ab Augustino; ordo ergo causarum inter se, non sic debet assignari; vide Doctorem variis in locis, speciatim *in* 1.*d.* 3.*q.* 9. §. *Intellectus est causa gignens notitiam.*

47 *Quarta ratio aliorum soluitur.* h *Quarta ratio non concludit*, &c. Hæc ratio est Ægidij *vbi suprà, & quodlib.* 3.*quæst.* 4. ex potentialitate agentis creati, nullum agens creatum est purus actus, siue purum esse: ergo neque actio eius est actus prius, sed inuoluens aliquid potentialitatis: talis autem non est sine motu, & mutatione: ergo nec agens creatum potest agere sine motu, & mutatione: ergo nec creare, quia creare est de nihilo: motus autem in subiecto est.

*Actio creatura est motus & mutatio.*

*Resp̃sio Doctoris.* Respondet Doctor hanc rationem nihil concludere, siue intelligatur potentialitas obiectiua respectu esse, siue existentiæ; siue intelligatur subiectiua ad recipiendum, sicut potentiale, vel ad inhærendum, sicut forma, & actus. De variis acceptionibus, & diuisionibus potentiæ, habes ex Doctore *in* 1.*d.* 7.*quæst.* 1. *&* *d.* 20. *quæst.* 1. *in* 2. *d.* 12.*q.* 1. *&* 9.*Metaph.q.* 2. hîc autem supponit illam diuisionem eius, vt opponitur actui simpliciter, nempe esse, & dicitur obiectiua, & vt opponitur actui secundùm quid, & dicitur receptiua.

*Diuisio potẽtia passiue.*

Vtramque diuisionem tradit Philosophus 9. *Metaph. cap.* 1. *&* 4. dicitur actus, seu forma esse in potentia receptiua ad ipsam inhærentiam, quæ est dependentia eius ad subiectum, & recipitur in ipsa forma. Inhærentia autem latè sumitur pro vnione quacumque, & cuiuscumque formæ ad materiam, quia sicut materia perficitur in suo esse à forma, & ad eandem dicit dependentiam & inclinationem, ita etiam forma dicit appetitum formalem ad materiam, mediante quâ perficitur, quod perinde verum est etiam in anima rationali, quamuis in sua existentia non dependeat à subiecto, quia dicit appetitum innatum ad corpus, etiam quando est separata, & ratione huius appetitus est in potentia passiua, & perfectibili mediante vnione.

*Ordo reciprocus materiæ & formæ.*

Hoc ergo supposito. Respondetur actionem creaturæ siue immanentem, siue transeuntem, dicere illam potentialitatem, sed negatur assumptum, quia etiam actio Dei creatiua, & transiens, dicit potentialitatem modo dicto, quamuis non sit ex materia. Idem ergo diceretur de creatione, vt fieret ab agente creato, saltem spirituali, non includente materiam. Et quamuis aliquibus placet hæc ratio, quia nimirùm omnis creatura componitur ex potentia, & actu; & modus agendi sequitur modum essendi, æquiuocat, quia illa potentialitas, ex qua vniuersim dicitur componi creatura, non est receptiua, quæ impedit creationem, quam appellamus subiectiuam, qua carent Angeli: sed nihileitas (de qua sæpè Augustinus) & cõtingẽtia essendi, & dependentia à causa prima, ex qua infertur ad summum non posse creaturam creare independenter à Deo: non tamen infertur non posse creare indepẽdenter à subiecto; illa saltem, quæ in essendo non est depẽdens à subiecto.

*Soluitur argumentum præmissum.*

*Actio Dei transiens est potentialis.*

*Quæ potẽtialitas impedit creationem?*

## SCHOLIVM.

*Opinio Auicennæ, primam Intelligentiam esse increatam, sed hanc creare secundam, & secundam creare tertiam probat; primò, vnius causæ est vnus effectus. Secundò, perfectionis est in naturâ corporeâ producere sibi simile: ergo id conuenit Intelligentiis.*

16 Vide Var. *in* 2. *quæst.* 1. & Henr. *quodl.* 1. *q.* 7. *&* 8. Opin. Auic. *de Intelligentijs.* Pro parte i oppositâ quæstionis, videtur esse opinio Auicennæ, qui concedit creaturam posse creare, vt patet 9. *Metaphysic. cap.* 4. vbi ponit Intelligentiam secundam esse causam productiuam tertiæ, & tertiam quartæ, & sic deinceps. Illa autem Intelligentia, secundò, vel tertiò producta, creatura est: & productio vtriusque creatio est, eo modo, quo ipse loquitur de creatione, & creatura 6. *Metaph.* prout scilicet creatio est productio de nihilo, id est, post nihil, non ordine durationis, sed naturæ, prout ipse exponit *ibidem*: vel de nihilo, id est, non de aliquo ipsius producti, scilicet præsupposito. Hoc modo ponit ipse secundam Intelligentiam productam à Deo, & tertiam à secundâ, nullo præsuppositio, & post non esse, ordine naturæ, licèt non durationis, quia non ponit nouitatem.

Ratio pro eo potest talis colligi, à causâ omnino vnâ, non est immediatè effectus nisi vnus. Probatio, quia aliter non erit

i *Pro parte oppositæ quæstionis*, &c. Hîc statuit opinionem Auicennæ circa creationem, quam etiam tangit *in* 1. *d.* 2. *quæst.* 1. §. Iuxta illam viam efficientiæ arguitur. *&* *d.* 8. *quæst.* 5. *&* *in* 2. *d.* 1. *quæst.* 2. quibus in locis, potissimùm *d.* 8. *primi, quæst.* 5. benè declarat quid senserit Aristoteles de creatione, eúmque agnouisse creationem conuenire Deo: vide eum *quodlib.* 7. sed hæc quæstio non est huius loci. Auicenna autem docuit de facto secundam Intelligentiam creare tertiam, & sic ordinatè ponens catenam, vt vocant, auream, Theologi vocant hierarchiam naturalem. Sumit etiam creationem vt est productio de nihilo, prout ly *de*, signat ordinem naturæ, non durationis. Vide Auicennam 6. *Metaph. cap.* 2. Particula etiam illa *de nihilo*, connotans prioritatem naturæ, potest intelligi dupliciter, videlicet positiuè, & negatiuè, vt quando inest prius alicui, & supponitur entitatiuè, ei quod posterius est: vt est de animali, & rationali in homine, de substantia, & accidente in composito per accidens, de materia, & forma in composito per se: in quibus materia, vel quod habet rationẽ subsistentis, dicitur esse prius naturâ altero, quod aduenit, & eũdem ordinem seruare etiã in tertio.

48 *Sententia Auicennæ de creatione.*

*Aristoteles creationem admittit.*

*Explicatur sententia Auicennæ.*

*Ex nihilo creari intelligitur positiuè, aut negatiuè.*

Prius priuatione est, quando secundùm entitatem non præsupponitur, inesset tamen si per

*Quid prioritas priuationis.*

ratio, quare esset distinctio in effectu. Quare enim illud productum est aliud ab illo, si causa omnino est vna huius, & illius? sed primum est omnino vnum in se: ergo cùm Intelligentiæ sint plures, non erunt immediatè ab vno: ergo vna est ab altera, etsi Aristoteles hîc concordaret cum ipso, in istis duabus propositionibus, scilicet, Intelligentia est producta, id est, ens ab alio, licèt sine nouitate: & non potest ab omnino simplici immediatè esse, nisi vnum, haberet concordare secum in conclusione.

*In proœm. 4. Met. ad finē. 7. etiam Phys. & 2. de Anima habetur idem.*

Pro hac etiam opinione potest sic argui, quia *primo Metaph.* dicit Philosophus, *Perfectum est vnumquodque cùm potest producere sibi simile.* Sed Intelligentiæ, sunt longè perfectiores substantiis corporalibus: ergo cùm corpus possit producere corpus, multò magis Intelligentia poterit producere Intelligentiam. Sed Intelligentia non potest produci nisi creatione, cùm non habeat materiam partem sui: ergo, &c.

*Quomodo materia se habet ad priuationem, & formam*

Sic in proposito: prima Intelligentia, iuxta sensum Auicennæ, & Philosophorum, est de nihilo priuatiuè, id est, quantum est de se non haberet *esse*, sed *non esse*, nisi præueniretur à causa extrinseca dante *esse*: vide Doctorem *in 2. d. 1. q. 2. §. Respondeo creare est aliquid*, &c. Consule etiam hîc Tartaretum, qui explicat illum errorem Auicennæ, qui fundatur in hoc, quòd à causa omnino vna non sit nisi vnus effectus, quia alioquin non datur causa distinctionis in effectibus, si causa est omnino vna; sed plures sunt Intelligentiæ: ergo non erunt immediatè ab vno: ergo vna erit ab altera; & si Aristoteles, inquit Doctor hîc, concordaret cum ipso in istis duabus propositionibus, scilicet, *Intelligentia est producta*: id est, ens ab alio, licèt sine nouitate; &, *Non potest ab omnino simplici immediatè esse nisi vnum*, haberet concordare cum ipso in conclusione.

**49**

*Applicatur doctrina præmissa ad propositum.*

Tartaretus.

*Discordant Philosophus & Auicenna.*

*An Philosophus admiserit creationem.*

*Sententia negatiua.*

Henricus.

Iandunus.

Bessarion.

Eugubin.

Hîc insinuat Doctor, Aristotelem tam in conclusione, quàm in principiis discordare ab Auicenna: & tangitur illa controuersia, quid senserit Aristoteles de creatione, an eam cognouerit. Negant plures, scilicet, Henricus *quodlib. 8. quæst. 9.* Gregorius *in 2. d. 10. q. 1.* Marsilius *ibidem quæst. 1.* Iandunus *2. Metaph. q. 5.* Bessarion Cardinalis *lib. 2. contra calumniat. Platonis, cap. 6.* & alij. Videatur Eugubinus *lib. 7. Peren. Philosoph.* Et adducuntur quædam indicia huius, vt illud principium eiusdem, *Ex nihilo nihil fit*; & quia vbique potentiam actiuam definit in ordine ad materiam, seu passiuam, vt *5. Metaph. cap. 12.* datâ hac sententia diceret Philosophus Intelligentias habere ex se necesse *esse*, & incausatum, & sic intelligeretur illud quod superiùs adductum est, ex 2. Metaph. *principia sempiternorum non habere causas*: negaret ergo primam illam propositionem.

*An omnes immediatè procedant à Deo, vel prima sola?*

Dato ergo quòd Philosophus agnouerit creationem, adhuc est difficultas an discordauerit ab Auicenna circa ordinem, an scilicet quælibet procedit per ipsum à Deo immediatè, an tantùm mediatè reliquæ, prima verò tantùm immediata? Hoc dubium relinquit Doctor indecisum *in præfato quodlib. §. Præterea hæc est intentio Auicennæ*, &c. vbi asserit Aristotelem non explicuisse modum, & ordinem, quo Intelligentiæ à Deo procedunt, quem posuit Auicenna. Ideò etiam *hîc in textu* loquitur indecisè. Quòd enim Philosophus variis in locis dicat omnia à Deo esse, etiam sempiterna, vt Intelligentiæ, & cœlum, siue mediante prima, sint ab ipso, siue immediatè, nō refert ad veritatem illius assertionis, ex mente Philosophi: nam 8. *Physicorum text. comm. 79.* dicit motorem infinitæ virtutis mouere cœlum motu infinito, non immediatè, sed mediatè, vt explicat Commentator 12. *Metaph. com. 41.* Vnde perpetuitas in motu oritur à Deo, inquantum dat *esse*, & virtutem motiuam Intelligentiæ proximè motrici, quam ipsi perpetuò influit, vnde oritur perpetuitas in motu; finitas autem virtutis, quæ non est alia à natura Angeli, est causa successionis in motu propter resistentiam mobilis, quæ resistentia, est improportionata virtuti infinitæ; ideò nequit immediatè moueri à Deo necessariò agente, vt ipse astruebat. Hoc ergo præmisso, non habetur Aristotelem asseruisse omnes Intelligentias esse à Deo immediatè, & sic non constat an dissentiat ab eo Auicenna. Dato verò quòd sint per ipsum immediatè à Deo, negat vtramque propositionem præmissam, ex quibus deducitur conclusio.

*Sententia Aristotelis de primo motore, & motu.*

**50**

*Sententia affirmatiua.*

Doctor.

Auerroës.

Aphrodis.

D. Thom.

Cæterùm alij docent contrarium, nempe Aristotelem cognouisse creationem, & Deum esse causam immediatam rerum, quod in primis ipse Doctor sentit *in 1. d. 8. quæst. 5.* vbi id probat *& quodlib. 9. in 2. d. 1. quæst. 2.* Idem asserit Auerroës *in 2. Metaph. com. 2. & lib. 12. Metaph. com. 44. & lib. de Substantia orbis, cap. 2.* Aphrodisæus *in iisdem locis.* D. Thomas *in comm. & 1. p. quæst. 44. & 2. contra Gentes cap. 15.* Hanc sententiam fusè probat Doctor *in 1. d. 8. quæst. 5. & in quodlib. 9. in fine*, contra Henricum, citans varia loca, & principia eiusdem Philosophi, & Commentatoris, & respondens obiectis ab Henrico, quibus hîc supersedeo.

## SCHOLIVM.

*Impugnatio Diui Thomæ contra Auincennam est, quòd participans naturam, non potest secundùm eam producere, nisi applicet eam ad aliud. Hanc reiicit Doctor, primò, quia supponit nihil esse hoc, nisi per materiam: quod improbatum est 2.d.3.q.7. Secundò, sequeretur quòd nec ipse Deus posset creare, quia participat naturam entis.*

17 *Refert quomodo D. Th. oppugnet. Auic. 1.part. q.45.a.5. sed illam oppugnat.*

Contra istam [k] opinionem arguitur sic: Participans aliquam naturam non producit sibi simile secundùm illam, nisi applicando illam ad aliud: (non enim potest esse homo causa naturæ humanæ absolutè, quia sic esset causa sui, sed est causa quòd natura humana sit in hoc homine generato, & sic præsupponit materiam, per quam est hic homo:) quodcumque autem creatum participat naturam essendi, quia solus Deus est suum *esse*: ergo nullũ creatũ potest producere aliquod ens, nisi præintelligatur aliquid actioni suæ, per quod productum sit hoc: tale autem non potest intelligi in substantia immateriali, quia ipsa est *hoc* per formam suam, per quam habet esse: ergo substantia immaterialis non potest producere aliam substantiam immaterialem, quantùm ad simpliciter *esse* eius.

2.d.3.q.7. Ista ratio [l] aliqualiter improbata alibi, præsupponit vnum, scilicet quòd non sit *hic homo*, nisi per materiam: aliud, quòd Angelus per suam formam sit *hic*. Similiter quãdo accipit in maiori, quòd participans aliquam naturã, non potest producere, &c. Aut hoc est ideò, quia necesse est illam naturam participari à producto: & ex hoc, quòd participatur ab eo, oportet aliquid præsupponi, cui applicetur, & tunc sequeretur, quòd Deus non posset creare Angelum: tum, quia Angelus ille participaret esse, & per consequens oporteret præsupponere aliquid, cui applicaretur *esse*, quod est contra rationem creationis: tum, quia (vt declarat probatio maioris) per illud præsuppositum oporteret productum esse *hoc*: sed per eos Angelus non potest esse *hic*, per aliquid præsuppositum, quia per formam suam est *hic*: non ergo potest maior esse vera propter hoc, quòd natura illa communicanda participetur à producto. Si verò dicatur, Maior esse vera, propter hoc, quòd agens communicans naturam participat eam, hæc non potest esse ratio, quia in ipso agente non præsupponitur aliquid ipsi *esse*; tunc enim ipsum producens non posset creari: ergo nec oportet in illo, quod assimilatur producenti secundùm *esse*, aliquod tale præsupponi.

Item, aut *esse* participatur tanquam actus aliquis alius, ab essentiâ posterior: aut tanquam idem ipsi essentiæ, siue primus actus rei. Si primo modo, non pro-

k *Contra istam opinionem arguitur sic*, &c. Adducit rationem D. Thomæ 1.*p.q.*45. *art.*5. *resp.ad* 1. quæ ratio in hoc versatur, quòd participans aliquam naturam, non producit sibi simile secundùm illam, nisi applicando illam ad aliud, aliàs seipsum produceret, quod repugnat; omne creatum participat naturam essendi, quia solus Deus est suum esse: ergo nullum creatum potest producere aliquod ens, nisi præintelligatur aliquid actioni suæ, per quod productum sit *hoc*. illud præsuppositum in materialibus est materia, per quam fit *hoc*: in immaterialibus nequit esse aliquod præsuppositum, quia per suam formam sunt *hoc*, per quam habent *esse*: ergo substantia immaterialis nequit producere aliam immaterialem quantum ad simpliciter esse eius. 51 *Ratio D. Thomæ contra Auicennam.*

l *Ista ratio aliqualiter improbata alibi*, &c. Nempe hîc in responsione ad primam ad impugnationem primæ rationis D. Thomæ *in locis suprà citatis, & in* 2.*d.* 3. *quæst.* 9. quantum ad illa, quæ supponit de principio indiuiduationis. Supponit ratio controuersa, nempe materiam esse principium indiuiduationis in materialibus, & Angelos non posse multiplicari intra eandem speciem, quia per naturam specificam etiam constituitur quilibet in *esse* singulari, quæ alibi disputantur, & negat Doctor vtrumque. *Ratio illa aliàs impugnata.* *Est ex dubijs principijs.*

Maiorem etiam destruit per probationem hîc, quia sic Deus non posset creare Angelum, quia Angelus participat *esse*: oporteret ergo aliquid præsupponi, cui communicaretur *esse*, & per quod Angelus esset singularis, quod repugnat subsumpto, & termino creationis: ergo non est vera illa maior. Quantum ad participationem intellectam ex parte termini, si intelligatur quòd ipsum agens creatum participet naturam, improbatur, quia est terminus creationis: verbi gratiâ, Intelligentia secunda, de qua Auicenna: ergo nihil eius præsupponitur, cui communicatum fuit *esse*, & consequenter non participat *esse* hoc modo tanquam applicatum alicui præsuppositio, tanquam principio indiuiduandi & determinandi naturam essendi ad hoc *esse*: ergo similiter neque est necessarium aliquid præsupponi in tertia Intelligentia, quæ produceretur tanquam simile in esse per secundam. *Improbatur.* *Tollit creationem Intelligentia.*

Respondet Caietanus, quòd maior in ipsa litera probatur per reductionẽ ad impossibile, quia si participans aliquam naturam, produceret eam absolutè, & non in hac, sequeretur quòd causaret illam in seipso, quia causa alicuius naturæ absolutè, causat eam vniuersaliter, & consequenter in quocumque est participata, & sic in seipso, quia est de numero participantium illam naturam. 52 *Responsio Caietani.* *Producẽs naturam absolutè, producit eam in omnibus.*

Ad obiectionem ergo ex eo quòd vnus Angelus causaret alium, sequerentur duo contradictoria, scilicet quòd Angelus producendus habet aliquid præsuppositum, & quòd non habeat. In eo quòd sit similis producenti, non habet; ex eo verò quòd producens est ens per participationem, sequitur quòd aliquid eius præexistat, quia eius actio non potest esse, nisi factio *esse* in hoc; neque est mirum hoc, quia antecedens implicat. *Sequerentur duo contradictoria.*

batur productum non posse creari, quia etsi *esse* præsupponat in quo recipiatur, tamen essentia nihil præsupponit: & ita licèt participans *esse* non creetur secundùm *esse*, non probatur quin posset creari secundùm essentiam, quæ præsupponitur. Si secundo modo, minùs habetur propositum, quin *esse* possit creari, & ita à participante ipsum, sicut ab alio; quia in istis inferioribus, quodlibet indiuiduum participat naturam speciei: & tamen illa natura potest esse in vno singulari primus terminus productionis, & in alio singulari principium producendi. Si autem ibi præsupponatur materia, hoc non est propter naturam illam participatam; sed quia forma illa, quæ est pars naturæ participatæ, est forma materialis.

*Natura potest esse principium, productionis, & terminus eius.*

præsupposito, quia non sequitur quòd produceret naturam in omnibus vniuersaliter, à quibus participari posset, aut participetur. Sicut non sequitur, si Deus crearet nunc Angelum, quòd hac creatione crearet Angelos præexistentes, aut possibiles, quibus hic esset similis in essendo; & qui participatione *esse* immaterialis, & creati, sunt: ex quo sequitur malam esse deductionem illam vtriusque contradictoriæ præmissæ, quia secunda non sequitur, quia si participatio intelligatur in eo, quòd Angelus producens ratione alicuius præsupposití ad sui productionem à Deo (vt secunda Intelligentia ex mente Auicennæ producitur à Deo) participaret naturam essendi, vt applicatam tali præsupposito; sic Angelus producens non esset participatum, sicut neque secunda Intelligentia est sic participata, quia creatur: talis autè participatio ex forma & materia discursus infert impotentiam creandi.

*Deus creando naturam in vno non creat in omnibus.*

Si intelligatur autem participatio eo modo, quo omnis effectus est participatio suæ causæ, vel creatura Creatoris, non facit ad propositum, quia hæc perinde manet, siue creetur secundus, siue non producatur ex aliquo præsupposito per primum. Si denique intelligatur participatio formalis eo modo, quo natura communis essendi participatur ab omnibus, non sequitur illa consequentia, quia ad hanc participationẽ modus producendi nihil facit. Adde quòd ipse Deus sic participat esse commune in ratione prædicati, quòd non derogat virtuti creatiuæ eius: benè ergo infert Scotus non ex sequela vnius contradictorij non sequelam alterius in materia præsupposita.

54 *Secunda ratio Doctoris contra illam probationem.*

Secundò vrget Doctor; *esse*, quod participatur, est actus diuersus ab essentia, atque ipsâ posterior, vel idem ipsi essentiæ, tanquam primus actus rei. Primum non tollit creationem, quia præsupponeret *esse*, & secundùm hoc non crearetur, tamen posset creari secundùm essentiam, quæ non præsupponitur. Secundum verò minùs probat, quia vnum indiuiduum participans naturam speciei potest esse terminus primò productionis secundùm naturam in ipso. In alio verò eadem potest esse principium producendi: si autem ibi præsupponatur aliquid, vt materia, non est propter naturam illam participatam, sed quia forma producta, quæ est pars naturæ participatæ, est forma materialis, &c.

*Declaratur primæ membrum argumenti.*

Primum membrum supponit modum philosophadi de essentia, & existentia in schola D. Th. quo

Ex sequela autem vnius contradictorij male infert Scotus non sequelam alterius: ex impossibili autem vtrumque sequitur.

Contra maiorem non probat ratio prætensa eius in littera, quia datur medium inter hæc duo: *causare simile sibi applicando naturam alicui præsupposito*; & *causare naturam absolutè in quibuscumque fit per participationem illam*, quæ dicitur natura *esse* in indiuiduo, quæ est participatio eius formalis per modum essentiæ & definitionis, seu definiti, ex qua causatione tantùm sequitur inconueniens allatum: nempe sic causando naturam vniuersaliter in omnibus sequi causam participantem naturam causare seipsum. 53 *Impugnatur.*

Medium autem est causare naturam in aliquo indiuiduo per creationem, nihil præsupposito, alioquin repugnaret Deum posse creare nunc indiuiduum alicuius speciei præexistentis, vt ignis, vel hominis, quod Theologus non admittit: ergo si secunda Intelligentia sic produceret tertiam vt vult Auicenna, non sequitur quòd se ipsum produceret, quamuis non ageret aliquo *Medium inter illa extrema.*

*Producere naturam in hoc indiuiduo tantùm.*

quo asseritur inter hæc distinctio realis, adeò vt natura humana assumpta à Verbo, dicatur existere existentiâ Verbi, & non propriâ, sicut subsistit subsistentiâ Verbi: quod supponit eandem naturam in *esse* naturæ singularis produci verâ generatione, quamuis existentia, quâ existat, non producatur, sed mediante vnione communicetur naturæ extrinsecè. Idem modus philosophandi accõmodari potest Angelo, vt dicatur creari secundùm naturam singulari, aut eam, quæ est prior existentiâ, tãquam subiectum reale eius, quamuis *esse* adueniens, aut præsuppositum, non creetur. *Sententia D. Thomæ de essentia & existentia.*

Argumentum ergo hac in parte, est ex principiis aduersæ scholæ, quam impugnat, ad quod aliter non respondet Caietanus, quàm ad prius. Carpit tamen illam vltimam partem, quæ præoccupationis locũ tenet; impugnatione enim præuenit Doctor responsionem, quæ efferri potest, nempe materiam semper supponi in actionibus materialibus, tanquam principium indiuiduationis, cui applicatur natura. *Quod arguens subdit*, inquit Caietan. *quòd apud nos subiectum non supponitur propter naturam agentis participatam, sed quia forma, quæ est pars naturæ participatæ, est materialis, ipsa rerum actiones, & ratio in litera ad probandam maiorem, allata ostendunt rude esse*, &c.

Lenis censura, vnde habet Doctorem interpretem agere, qui in principio contradictorio versatur, & supponit responsionem ex fundamento oppositio, quam destruit? Dicit enim D. Thomas quòd materia in actionibus materialibus præsupponitur, vt principium indiuiduationis, cui applicatur natùra agentis creati participata. Hoc impugnat ex professo noster Doctor, asserens non præsupponi in eum finem, seu ob eam causam, materiam in actione causæ educentis formam, scilicet ad participationem naturæ communis ab hoc indiuiduo producto: sed quia forma, quæ est altera pars naturæ, est materialis, & exigens materiam ex qua educitur; hoc dicerent Peripatetici, vt patet 1. & 2. *Physicorum*, & *ex 3. ex libris de Generatione*. 55 *Refellitur cẽsura Caiet.* *Sententia D. Thom. materiam præsupponi vt principiũ indiuiduationis.* *Aliam rationem præsupponendi materiam asserit Doctor.*

Respondet ergo pro Philosophis, & responsio vera est, & tam facilis probationis, vt ei insistendum non sit. Quòd enim materia sit principium indiuiduationis, particularis opinio est: quòd verò exigatur ad formam materialem, vt potentia præsup *Forma materialis requirit materiam præsuppositam.*

præsuppositа , est communis sententia omnium Philosophorum ; illa ergo participatio sic asserta committit *non causam vt causam*, & quidquid haberet apparentiæ in vniuocis, nihil refert ad effectum causæ æquiuocæ,cuius natura non participatur formaliter ab effectu, sicut indiuiduum per indiuiduãdi principium(sit materia,sit aliud) participat speciem : ergo non solùm committeretur fallacia *non causa vt causa* in illa responsione,sed adæquatam causam non reddit.

Quamuis autem iuxta sententiam communem Theologorum, exigatur subiectum præsuppositum actioni causæ creatæ ex modo agendi,& dependentia ipsius agentis à materia in agendo, hanc omittit Doctor, quia in quæstione versatur,& eam assignando peteretur principium:assignauit itaque sufficientem ab omnibus admissum,& non interpretatur mentem aliorum, nec secundùm asserta eorum differit,sed ex principiis communibus,& admissis. *Omissio huius rationis ex proposito congrua.*

## SCHOLIVM.

*Refutat Doctor Auicennam, quia nullus actus accidentalis præ requiritur necessariò ad producendam substantiam,& Angelus nihil potest producere nisi per intellectionem,vel volitionem,quæ accidentia sunt. Ratio est,quia accidens sicut requirit subiectum in essendo, ita & in operando, & ostendit accidens non attingere productionem substantiæ,de quo latiùs infrà d.12.q.3.*

18 Ista ergo [m] ratione prætermissâ , sic arguo contra Auicennam ex tribus propositionibus , quarum prima est ; *Nullus actus accidentalis necessariò requiritur in creante substantiam, tanquam prior necessariò ipsò termino creationis.* Secunda est ista : *Intellectio Angeli est sibi accidentalis* ; ex quibus sequitur,quòd intellectio non necessariò requiritur in Angelo , præcedens substantiam creandam. Tertia propositio est ista : *Ad quodcumque producendum extra Angelum, necessariò requiritur intellectio Angeli tanquam præuia* ; & sequitur principale intentum , scilicet quòd nulla substantia potest creari ab Angelo.

Prima propositio probatur , quia ille actus necessariò præuius termino creationis , aut requiritur tanquam actus productiuus termini ; aut tanquam formale principium productiuum termini. Exemplum primi; calefactio respectu caloris geniti in ligno. Exemplum secundi ; calor in igne, respectu calefactionis ligni. Non requiritur primo modo , quia actus productiuus alicuius,& actus formalis producti,sunt in eodem:ergo ad producendum aliquid extrà,non requiritur actus immanens agenti, tanquam actus productiuus. Nec secundo modo, quia actus accidentalis , non potest esse formale principium producendi substantiam. Tum, quia accidens necessariò requirit potentiam receptiuam in essendo: omnis autem forma requirens potentiam receptiuam in essendo, si est actiua, necessariò requirit potentiam passiuam in agendo , alioquin forma terminans actionem, esset absolutior à materiâ , quàm forma principians actum,quod est inconueniens, quia absolutio à materiâ perfectionem arguit: sed formalis terminus actionis non potest esse perfectior formali principio agendi. Tum , quia accidens est imperfectius,quàm substantia *7.Meta.*Nihil autem est

*Text. 2. & ind.*

m *Ista ergo ratione prætermissa.* Hæc est secunda pars huius quæstionis , in qua Doctor procedit ex propriis impugnando errorem Auicennæ ex tribus principiis. Primum est : *Nullus actus accidentalis necessariò requiritur in creante substantiam,tanquam prior necessariò ipso termino creationis*, &c. Hanc probat,vel vt actus productiuus præexigeretur , sicut est calefactio respectu caloris producti in ligno ; vel vt principium formale producendi , sicut calor in igne calefaciente lignum : non primum, quia productiuus alicuius, & actus formalis producti sunt in eodem : ergo ad producendum aliquid ad extra,non requiritur aliquis actus accidentalis immanens producenti per modum actus productiui , &c. Loquitur hîc Doctor de actione , vt est in passo , vel in termino , scilicet de actione pro re acta ; ideò non benè quidam putant Doctorem sensisse non dari genus actionis , diuersum ab Actione prædicamentali,vt *infrà* videbitur *d.13.quæst.1.*

56 *Impugnat Auicennam. Tres maxima. Prima. Non requiri actum accidentalẽ priorem termino substantiali creato in creatore. Non supponi vt actum productiuum. Declaratur probatio.*

Secundum etiam dici non potest , quia actus accidentalis non potest esse principium formale producendi substantiam , quia cùm inhæret , requirit potentiam receptiuam in essendo :ergo in agendo ; aliàs forma producta esset absolutior à materia,quàm forma producens, quod est inconueniens , quia sic perfectione excederet principium productiuum. *Non supponi vt principiũ producendi. Probatio efficax.*

Secundò , patet idem membrum, quia *7. Metaph.text.2.* accidens est imperfectius substantiâ; nihil autem est principium formale producendi aliquid perfectius se ipso : si enim vniuocè producit , est æquè perfectum ; si æquiuocè , perfectius:loquitur autem de principio totali , & non partiali. *Secunda probatio. Agit de principio totali.*

Respondet Durandus maiorem non probari, quia datur actus accidentalis, qui præexigitur ad terminum actionis , qui neque sit actus productiuus , neque principium producendi formale, sed directiuus,vel inclinatiuus productiui ad terminum productum , & respectu productionis,vt patet in omni agente per cognitionem, & artem, in quo intellectio præexigitur,vt directiua, volitio autem vt inclinatiua, & applicatiua principij formalis producendi. Idem etiam de operibus naturalibus, quæ præexigunt cognitionem , tam in homine , quàm in bruto ; homo enim generat hominem , & equus equum , tam cognoscendo, quàm appetendo ; sed neque cognoscere , neque appetere sunt generare,neque principia formalia generandi,sed applicantia actiua passiuis;& idem

57 *Responsio Durandi. Dari medium inter actum productiuum, & principium formale in agente per cognitionem.*

est formale principium producendi aliquid perfectius seipso; si enim vniuocè producat, est æquè perfectum: si æquiuocè, oportet quòd sit perfectius.

19 D. Thom. Sed nunquam imperfectius [n] producere potest perfectius se. Respondetur hîc, quòd accidens in virtute substantiæ, potest esse principium producendi substantiam, tanquam instrumentum substantiæ, licèt non possit in propriâ virtute. Exemplum de calore, qui est instrumentum animæ in generando carnem, *Text. 50.* 2. *de Anima.*

Contra hoc arguo sic; Omne instrumentum, vel agens in virtute alterius, aut attingit effectum principalem, vel disponit ad principalem terminum: sed in proposito neutrum potest dari, non enim potest accidens attingere effectum principalem agentis, vel producentis creantis substantiam, quia si principale agens esset agens vniuocum, tunc non necessariò requireret aliquid agens medium, inter formam suam, & effectum: agens autem æquiuocum est perfectius vniuoco: ergo non necessariò requirit tale medium, & per consequens non habet instrumentum, per quod attingat terminum. Nec potest accidens esse tanquam dispositio præuia, quia nihil præsupponitur creationi, quod disponatur.

*Accidentia non attingũt effectũ principalem substantialem. Scot. in 2. d. 12. q. 3.*

*Quomodo accidentia disponunt ad substantiam?*

Confirmatur istud, quia vbi accidentia sunt instrumenta substantiæ generantis, non attingunt terminum principalem, sed tantùm quandam dispositionem præuiam, vt patet de qualitatibus alteratiuis elementorum, quæ non attingunt formam substantialem, alioquin qualitas esset principium actiuum immediatè in materiam receptiuam formæ substantialis, quod est inconueniens, cùm non possit recipi, nisi in substantiâ compositâ in essendo. Nec ergo potest agere accidens, nisi in substantiam compositam: & ita non in materiam primam, vel puram. Per hoc apparet ad illud quod dicitur 2. *de Anima*, de calore, Calor enim dicitur instrumentum animæ in generando carnem animatam, pro quanto est principium alterandi in alteratione præuia ad generationem: non autem quia in instanti generationis attingat formam carnis, tanquam terminum: sicut nec attingit materiam substantialem carnis tanquam passum.

*Sic colligitur accidentia completa non subiectari immediatè in materia primâ: licèt imperfecta insint, vt priuatio, quantitas interminata, &c.*

20 *Text. 22. Quomodo domus extrà fit à domo in mente.* Contra istam rationem instatur per illud 7. Meta. cap. 5. *Domus extrà fit à domo in mente*; & tamen domus extrà habet verius *esse* domus, quàm domus in mente, quia domus in mente habet *esse* diminutum respectu domus extrà, sicut ens cognitum est diminu

esset de igne si generaret ignem, præcognoscens, & volens, &c. Hanc responsionem approbant moderni quidam, respondentes similiter ad propositionem illam Doctoris, secundùm has instantias.

*Reiicitur prædicta responsio.*

Confirmatur ratio præmissa, & explicatur: illa enim propositio vniuersaliter sumi potest, quâ excludit præexigentiam actus accidentalis in creante substantiam, vel particulariter ad scopum opinionis, quam impugnat, quæ est Auicennæ. Illam concederet Auicenna, quia mediante intellectione, tanquam principio, vel actu productiuo, asserit primam Intelligentiam intelligendo se creare secundam, & similiter secundam sic intelligendo creare tertiam, hanc intelligendo se, creare suum orbem, & intelligendo quòd sit dependens à prima, creare animam sui orbis; sumendo ergo illam propositionem ad intentum huius, & suppositis principiis eius, concludit, quia per ipsum intellectio Intelligentiarum est substantialis, & necessariò. Prima producit per intellectionem secundam ex sententia Philosophorum, ideóque non præexigitur intellectio accidentalis, aut substantialis præuia in Intelligentia producente, siue per modum directiui, siue volitio per modum applicatiui intellectus producentis, quia intellectio illa non est fallibilis, aut dirigibilis. Fallit ergo propositio, quam assumit Durandus, in omni agente per cognitionem præexigi cognitionem per modum directiui, secundùm opinionem Philosophorum.

*Duplex sensus propositionis. Eam concederet Auicẽna ex propria sententia.*

*Falsum est assumptum Durandi.*

Si loquamur etiam de cognitione, quæ ponitur primæ causæ ad extrà, in sententia Philosophorum, qui statuerunt Deum, & Intelligentias necessariò agere ad extrà, quia vbi est omnimoda determinatio ex ipsa forma ad effectum, non exigitur directio, quæ tantùm necessaria est respectu contingentium, & vbi subest defectibilitas. Fallit etiam similiter, si loquamur de operationibus, & productione ad intrà in diuinis; vbi nulla interuenit dirigibilitas, aut applicatio. Licèt enim vna productio supponat aliam, & vtraque perfectâ operationem secundùm intellectum, & voluntatem in Patre, dato, iuxta nostram sententiam, operationes esse diuersas à notionalibus, & actibus productiuis: hæc suppositio est ex ordine essentiali potentiarum tam in operando, quàm in producendo, non ex aliqua directione, aut applicatione. Si autem discurramus iuxta Scholam D. Thomæ, de productionibus diuinis, vt consistunt in ipsis operationibus, minùs habetur intentum aduersarij. Non fallit ergo vniuersaliter propositio illa Doctoris, quam loco maioris adducit contra Auicennam, neque secundùm principia Philosophorum, neque secundùm principia Theologiæ; fallit autem contrà vniuersalis, quam adducit Durandus.

58 *Destruitur ex Philosophia.*

*Directio est respectu contingentis tantùm.*

Si sumatur autem eadem propositio vniuersaliter, ad probandum conclusionem principalem huius quæstionis, nihil supponendo, sed tantùm ostensiuè procedendo ex veritate ipsius principij, sic etiam vera est propositio in se. Ideóque hanc præ cæteris efficacissimam putat Gabriel Vasquez ad probandum intentum, qui reiicit responsionem Durandi vt friuolam, 1. *part. disp.* 125. *cap.* 2. *in fine*. Expendenda est ergo ipsa propositio. Loquitur in primis de termino creationis, qui sit substantia, & de prioritate actus accidentalis, qui necessariò præexigeretur ad ipsum terminum creationis, quia si non exigeretur ex

59 *Propositio vniuersaliter sumpta probatur.*

*Vasquez efficacem existimat.*

*Expenditur propositio.*

natura,

diminutum ens respectu entis realis: ergo imperfectius, scilicet habens esse in cognitione, potest esse principium producendi perfectius. Et applicatur istud exemplum ad propositum sic; sicut se habet domus in mente ad domum extrà, ita se habet Angelus cognitus in cognitione Angeli, ad Angelum extrà: sed secundùm Philosophum à domo in mente, fit domus extrà: ergo ab Angelo cognito in intellectu alterius Angeli, potest fieri Angelus extrà: non ergo accidentalitas cognitionis Angelicæ, prohibet substantiæ intellectæ creationem.

Ad primum dico, quòd aliud est loqui de veriori, seu perfectiori *esse* simpliciter: & de veriori, seu perfectiori *esse* huius. Lapis enim in mente diuinâ habet *esse* simpliciter verius, & perfectius, quàm lapis extrà; quia obiectum vt cognitum, dicitur habere illud *esse*, quod habet ipsa cognitio. Vnde secundùm Aug. super illud Ioan. 1. *Quod factum est in ipso, vita erat: Res cognita est in verbo vita creatrix.* & hoc ideò, quia cognitio eius, est realiter vita creatrix; quod enim de cognito dicitur obiectiuè, hoc in ipsa cognitione oportet inueniri realiter: lapis tamen in intellectu diuino non habet verius esse lapidis, quàm lapis extrà; alioquin aliquid intrinsecum realiter Deo, esset formaliter, & propriè lapis.

*Domus ad intrà perfectior domo ad extrà.*

Ad propositum, domus in intellectu artificis dicitur habere illud esse, quod formaliter habet ipsa cognitio domus; sed ipsa cognitio est simpliciter perfectior, quàm forma domus extrà, quia cognitio est quædam perfectio naturalis animæ: forma autem domus extrà, vel non est realis, vel si est, multò est imperfectior, quàm illa cognitio. Sic ergo patet ad argumentum, quia domus extrà dicitur fieri à domo in mente, quia fit à cognitione domus in mente, tanquam à principio formali, & illa cognitio domus, est simpliciter perfectior domo extrà: ipsa etiam domus intrà, pro quanto participat esse cognitionis, perfectior est seipsa extrà.

*An figura sit quid reale, hic non determinat, sed inf. d. 12. vult esse quid reale.*

Et cùm dicitur, quòd est ens diminutum, & domus extrà est ens reale, Dico, quòd cognitio eius est ens reale, & perfectius ens quàm domus extrà: domus etiam in mente participat nobilius esse reale, quàm sit illud esse extrà. Et sic intelligendum est illud Aug. 9. *de Trin.* 10. *vel* 11. scilicet, quòd *superius habet nobilius esse in se, quàm in intellectu: è conuerso autem inferius habet nobilius esse in intellectu, quàm in seipso.* Hoc intelligendum est de illo *esse*, quod natura, & dependentia termini, non facit ad propositum quæstionis.

Hanc præexigentiam accidentis præsuppositi reducit Doctor ad duo illa membra, nempe vt esset actus productiuus, vel principium producendi, medium inuenit Durandus, scilicet directiui, & applicatiui.

*Probatio Doctoris.*

Probatur ratione ipsius Doctoris, quam *infrà* apposuit: Inter principium actiuum perfectum in supposito perfecto, & substantiam terminantem actionem, non necessariò mediat aliquod accidens: ergo accidens non supponitur necessariò ad terminum creationis. Antecedens declaratur. Primò dicitur *principium perfectum actiuum*, quod est immediatum respectu termini creationis, de quo principio hîc agit, non dependet à materia in agendo, siue intrinseca, à qua dependeret in essendo, & consequenter in agendo, vt *suprà* præmisit de accidente, cuius terminus productus nequit esse absolutior à materia, quàm sit ipsum principium in essendo (quia alioquin excederet perfectionem principij terminus, & secundùm excessum esset, & non esset à principio, vt per se constat: esset ex suppositione, non esset autem, quia ille excessus neque eminenter, neque virtualiter includeretur in principio dependente à materia, (quod proinde in proposito dici potest) siue etiam ab extrinseca materia, quia creatio non supponit, neque dependet à materia.

*Declaratur quid sit principium perfectum actiuū.*

*Terminus nō excedit principium formale totale.*

60

*Principium creandi excludit subordinationem.*

Deinde intelligitur illa perfectio principij creantis, vt etiam excludit subordinationem sui ad aliquod prius agens in eodem supposito, aut etiam ad principium quodcumque creatum extrinsecum, quia hæc subordinatio eius ad aliud esset ratione effectus, quia prior esset dispositio prærequisita; sicut generans priùs agit per formam accidentalem in materiam, ipsam disponendo, quàm per formam substantialem: in proposito autem non supponitur ad terminum creationis, qui est ex nihilo, aliqua materia disponenda: ergo neque principium creationis subordinatur alicui alteri priùs agenti per modum disponentis.

*Non supponit materiam.*

Vel denique hæc subordinatio esset ex dependentia principij creantis, aut ipsius termini creationis ab aliquo alio creato tanquam causa principali, sed hoc non subsistit, quia tam terminus, quàm ipsum principium creans, absoluitur à materia; ergo etiam ab omni agente dependenter à materia: quale est omne agens creatum secundùm virtutem innatam.

*Non subordinatur causa creata dependenti à materia.*

Vel esset tertiò hæc dependentia ab alio, tanquam applicante; & hoc non, quia virtus talis principij est actualissima, & proxima potentia respectu termini creationis, & in hoc excedens omnem aliam, quæ dependet à subiecto, aut alio extrinseco, estque in se determinata ad effectum, & non indifferens indifferentia potentiæ passiuæ, quæ exigeret aliquam actualitatem superadditam, siue per modum conditionis, siue per modum principij intrinseci, aut extrinseci, siue per summationem impedimenti, quia nullum patitur impedimentum, à nulla conditione, aut principio dependet; & quamuis esset finita, non patitur aliquam sphæram actiuitatis, per quam peteret applicari ad aliquod distans, in quod ageret, quia non supponit materiam; quamuis in quolibet spatio distanti fortè non extenderetur, vt posset creare effectum in quacumque distantia, sicut causa vniuersalis, & prima. Ex quibus omnibus

*Non subordinatur applicanti.*

*Esset actualissimum.*

sequi

quod formaliter est ipsius cognitionis, & participatiuè ipsius cogniti. Verum est tamen, quòd domus extrà habet verius *esse* domus, quàm domus in intellectu cuiuscunque, sed hoc *esse* secundùm quid, id est, *esse* tale limitatùm: nobilius autem simpliciter *esse* habet in intellectu, maximè diuino.

21 Ex hoc patet ad illud argumentum à simili. Nego enim illud simile, quia si cognitio domus sit nobilior domo extrà, tamen cognitio Angeli in alio Angelo non est nobilior ipso Angelo in se, quia accidens non est nobilius substantia. *Dubitatio.* Et si arguas, quòd sit simile, quia obiectum vtrobique simili modo se habet ad suam cognitionem, quia natum est esse causa cognitionis suæ, ita scilicet domus cognitionis de se, sicut Angelus de se: causa autem (si est æquiuoca,) perfectior est suo effectu. Similiter domus est mensura intellectionis de ipsâ, sicut Angelus de ipso: mensura autem est perfectior mensurato; quia mensuratum dependet à mensura. *Text. 10. Solutio.* 5. *Met.* non è conuerso. Respondeo, quòd domus non est nata habere rationem obiecti respectu suæ cognitionis, quantùm ad istas conditiones, *causare*, scilicet *notitiam*, vel *mensurare*; quia intellectus qui mouetur ab ente, vel quiditate in sensibilibus, non mouetur ab artificiali, vt artificiale est; quia sic non est ens, nec habet quid: sed tantum domus est obiectum, quantum ad tertiam conditionem, scilicet *terminare actum*: & ista conditio obiecti, non ostendit maiorem perfectionem in obiecto, quàm in actu.

*Artificiale non mouet intellectum, sed terminat, eius subiectum mouet.*

Et si quæras, quid est obiectum causatiuum, & mensuratiuum cognitionis domus, vel alterius artificiati? Respondeo, quòd aliquod ens naturale, vel aliqua entia naturalia, ex quibus mouetur intellectus ad cognoscendum ordinem, vel figuram, quam artificiale superaddit naturalibus. Angelus autem est omni modo obiectum intellectionis, de se ipso in intellectu alterius Angeli: & ideò potest domus esse à suâ cognitione, non sic autem Angelus à suâ. Ex hoc patet, quòd istud argumentum non valet: Obiectum cognitum habet esse diminutum: obiectum autem extrà habet *esse* simpliciter, & reale: ergo illud intrà, non potest esse principium producendi cognitum extrà: tamen ista ratio benè concludit, si cognitio sit minùs nobilis, quàm forma extrà: ergo cognoscens per illam cognitionem, non potest producere cognitum extrà.

*Domus est à sua cognitione, non Angelus à sua.*

SCHO

sequitur quantùm est ex parte virtutis, & principij non mediare aliquod accidens inter ipsam, & effectum substantialem creatum, de quo hîc agit Doctor.

Alterum quod additur est, *vt sit in supposito perfecto*, quia actiones sunt suppositorum, vt principij *quod*, & aliquando ex imperfectione particulari suppositi, potest impediri virtus actiua ab actione sua, quia deest aliqua conditio saltem accidentalis requisita ad agendum; verbi gratiâ, ignis in materia rara ex dispersione virtus nequit agere perfectè ad suum effectum, sicut ageret in materia densa: ne ergo ad hoc genus impedimenti recurratur, additur illa particula connotans perfectionem suppositi. Totum hoc argumentum desumitur ex natura, & essentia potentiæ creatiuæ, vt distinguitur à potentia productiua dependente à causa materiali & subiecto. 61 *Altera pars illius principij declaratur.*

Ex quo sic argumentor contra Durandum; Ipse in primis admittit, quòd actus accidentales non prærequiratur in creante substantiam, vel vt actus productiuus, vel vt principium producendi formale: sed probationem hanc dicit diminutam, quia potest præexigi in agente per cognitionem per modum directiui. Contrà vbi nulla est defectibilitas, vel esse potest in actione, & principio producendi formali, non potest supponere actum directiuum ad operationem: sed in potentia creatiua nulla potest esse defectibilitas in se, vt principium est, vel in actione, vt ab ipsa procedit: ergo non potest supponere actum accidentalem per modum directiui. Maior per se patet, quia sub obiecto potentiæ directiuæ nihil continetur, nisi quod est regulabile, & dirigibile, quia nequit transcendere suum obiectum. *Probatur principium ex dictis contra Durandum.* *Non præexigi actum accidentalem directiuum.*

Minor probatur, Dirigibilitas est respectu effectus, qui potest taliter, & taliter attingi, id est, secundùm substantiam cum omnibus per se requisitis perfectionibus & integrè, vel certè secundùm substantiam cum defectu alicuius perfectionis requisitæ in effectu, hoc autem contingit, vel quia virtus non est sufficienter applicata, vel quia media per se requisita non assumuntur, aut assumpta non secundùm ordinem, & modum debitum applicantur, vel quia impedimenta actionis & causæ in contrarium agentes, non submouerentur. *Dirigibilitatis terminus.* *Eius necessitas, & fundamentum.*

Sed nihil horum contingit in potentia creatiua: ergo, &c. Maior patet, & Minor probatur, quia virtus creatiua nihil agit, vel creatione agit, quæ est actus eius secundus, neque aliter est in actu secundo, qui tantùm subesse potest directioni: ergo si agit, producit effectum totum, & totaliter ex nihilo, neque aliter applicari potest: ergo quantùm ad hoc non indiget directione, neque subest directioni. 62 *Excluditur.*

Secundum non contingit, quia virtus creatiua excludit omnia media, & causas creatas, quæ inefficaces sunt ad terminum creationis, aut ipsius creationis nullum est impedimentum per causas contrarias, aut resistentes, quia hæ exerunt suam virtutem circa materiam & passum, vel conseruando formam quæ inest; vel producentes contrariam formæ intentæ à causa, quæ impeditur: in creatione non supponitur passum, aut forma resistens, vt patet: ergo, quod est intentum, potentia creatiua nulli subest directioni, ac proinde hac in parte non supponit actum accidentalem directiuum,

Dices,

*Responsio impugnatur.*

Dices, saltem posse supponere actum accidentalem ostensiuum. Contrà, quia potentia creatiua creaturæ non est potentia operatiua vitalis, sed est potentia factiua actu transeunte: ergo non dependet ab aliquo obiecto intentionaliter applicato per speciem impressam, aut etiam expressam, sicut neque potentia nutritiua, aut augmentatiua est potentia etiam agens nõ suppositâ materiâ *circa quam*, vel *ex qua*: ergo non exigit ostensionem obiecti, tanquam materiam hoc modo; & si dabilis esset, posset communicari substantiæ inanimatæ, & sensibili, saltem corpori simplici, quale est cœleste ex plurium sententia; tunc non supponeret cognitionem ostensiuam: ergo ex natura sua, etiamsi detur creaturæ spirituali, non supponeret alium actum priorem ostensiuum, sicut neque Philosophi admitterent in Intelligentia producente aliam; primus enim actus eius est intelligere se, qui est productiuus alterius Intelligentiæ, neque Theologi in productionibus diuinis, quæ sunt per intellectum, & voluntatem, aliquam ostensionem, aut directionem admittunt, quidquid teneatur an intellectio, & volitio sint actus productiui, an verò tantùm operationes essentiales.

63

*Non supponit actum applicatiuum, vel applicatum.*

Secundum etiam excluditur, quòd Durandus astruit de actu applicatiuo per voluntatem. Primò ex dictis voluntas nequit applicare, nisi suppositâ ostensione, aut directione intellectus, hæc, vt patet ex dictis, non exiguntur in ordine ad potentiam creatiuam, quia neque vitalis esset, cùm ageret actione transeunte extra suppositum, neque vllum patitur impedimentum actionis, quod submoueri posset à voluntate, à nullo dependet quod applicari posset à voluntate: in sua actione nequit moderari, quia vel nihil agit, vel totum, & totaliter, & indiuisibiliter agit.

*Non dependeret à voluntate.*

Deinde non subesset voluntati directè sicut potentia motiua, quæ de se nunquam agit, nisi applicata per appetitum, hoc enim non est de conceptu potentiæ creatiuæ, vt patet ex opinione Philosophorum. Item, illa potentia esset determinata perfectissimè, & perfectiùs, quàm ipsa voluntas quoad actualitatem virtutis, quia voluntas non agit, nisi vt mota à fine, & supposita cognitione, & vt substat impedimentis operandi: creatiua autem nihil horum patitur: ergo esset semper præueniens voluntatem, quia esset actualissima determinata, & necessaria, & nullum patiens impedimentum, & à nullo dependens, vt dixi.

Deinde ageret imperceptibiliter, cùm ageret actione transeunte extra suppositum, sine vlla mutatione præuia suppositi, in quo esset, neque priùs ergo videretur fiendum, quàm factum. Principia, quæ imperceptibiliter agunt in suppositio non subsunt voluntati, neque intellectui.

Deinde voluntas, quamuis inter alias naturales potentias habeat dominium, non sequeretur quòd in illam quæ est supernaturalis, & potior ipsa voluntate, dominium haberet, quia ex natura sua ipsi non subordinaretur, cùm nullum ad eam per se diceret ordinem ex modo agendi actione, aut termino actionis, neque ordo statuendus est, sine necessitate.

Item, hæc subordinatio non exigitur ex radicatione in eodem suppositio, quia intellectus, & sensus non subordinantur voluntati in suis actionibus, nisi vt sequuntur voluntatem, non autem vt præueniunt illam; non ob hoc præexigunt actum voluntatis necessariò ad suos actus. Demus ergo, & gratis quòd potentia creatiua subesset voluntati, non inde sequitur quòd necessariò præexigeret voluntatem, aut actum eius, sicut neque aliæ potentiæ eum exigunt, ex quo stat probatio Doctoris præmissa.

Instare etiam licet de nutritiua, & augmentatiua, quæ radicantur in eodem suppositio, & nullo modo dependent à voluntate, nisi quoad applicationem materiæ, quæ mediante potentia motiua, quæ subest voluntati, applicato alimento, agunt dormiente voluntate: creatiua verò neque ab ipso materia dependet. 64

Concludo ergo maiorem Doctoris, quòd *nullus actus accidentalis necessariò requiritur in creante substantiam, tanquam prior necessariò ipso termino creationis.* Cuius probatio præmissa ex dictis constat.

*Soluuntur instantiæ allatæ à Durando.*

Neque quidpiam valent in oppositum instantiæ Durandi, quia propositio Doctoris præcisè tangit potentiam creatiuam, & non aliam, quæ dependet à materia, à mediis extrinsecis, à remotione impedimentorum, & huiusmodi iam dictis, quorum vnum est indeterminatio potentiæ proximæ executiuæ, nisi applicetur per aliquam superiorẽ: talis est potentia motiua, quæ interuenit in omnibus & singulis actionibus, in quibus instat Durandus, vt in effectibus artis, & naturali generationis, in qua præcisè generans est generãs inquantum decidit semen. Deinde probatum est, quòd non in omnibus operibus cognoscentis interuenit cognitio directiua, aut volitio applicatiua: probet ergo Durandus debere interuenire huiusmodi necessariò, & semper, actioni potentiæ creatiuæ, si daretur, vt contrarium, aut contradictorium statuat eius, quod assumit Doctor: instantiæ enim particulares sunt, ex quibus non infertur vniuersalis.

65

*Cur actio hominis trãsiens dependet à cognitione.*

Deinde, vt iam diximus, alia est ratio veritatis in illis, quàm sit propositionis vniuersalis, quam supponit idem, quæ falsa est, nempe hæc, quòd omnes actiones, quæ in materiam externam transeunt ab homine agente, proxima executiua illarum est potentia motiua, quæ ex se non habet determinationem ad actionem, neque ad modum actionis; sed ex determinatione potentiæ rationalis voluntatis imperantis, & intellectus dirigentis.

*Ratio in creatis non dirigit proximè ad actionem substantialem.*

Addo vlteriùs, quòd neque intellectus, neque voluntas in creatis, habeant dirigere, aut applicare ad vllam actionem substantialem proximè, quia forma artis non est substantialis, & decisio seminis non est actio substantialis, neque alteratio seminis, aut generatio animantis deinceps dependet à voluntate, aut ab intellectu, nutritiua non dependet per se ab illis: in aliis non est inuenire extensionem harum potentiarum ad actionem substantialem.

Aliter Vasquez impugnat responsionem Durandi, quia nempe in Angelo non datur potentia executiua distincta à voluntate; sed hic non est locus proprius huius quæstionis, ideò remitto eam in suum locum. Durandus etiam impugnat Minorem, quam assumit Doctor: sed *infrà* tractando de veritate propositionis, ei respondebimus.

66

*Reiicitur Ocham.*

Interim Ocham, vt solet, contra probationes illas Doctoris in discursu superiori præmissas, format suas consequentiunculas, alludens, seu leniter potiùs illudens ad hominem. Hæ sunt veritates,

veritates, quas impugnat: principium formale creandi ſubſtantiam nequit eſſe accidens: tum, quia imperfectius, tum quia terminus formalis productus nequit eſſe abſolutior à materia, cùm ſit principium producendi formale. Item, quòd abſolutio à materia arguit perfectionem.

*Obiectiones Ochami.*

Hoc impugnat Ocham, quia cauſa partialis, ſecundùm Scotum, poteſt eſſe imperfectior effectu, vt albedo actu intelligendi quem cauſat, & in generatione vermis multæ cauſæ concurrunt, quæ non ſunt animatæ; effectus autem eſt animatus. Item, qualitates primæ ſunt principium producendi ſubſtantiam. Item, cœlum ſecundùm Scotum, eſt magis abſtractum à materia, quàm anima intellectiua, & tamen non eſt perfectius anima; quia non viuum non eſt perfectius viuo, ſecundùm Scotum. Item, intellectionem intuitiuam Angeli poteſt cauſare materia, aut forma, tam ſubſtantialis, quàm accidentalis: ſed illa eſt abſolutior à materia, quàm hæc: ergo terminus formalis poteſt eſſe abſolutior à materia, cùm ſit principium formale producendi ipſum.

*Imperfectio à potentia, perfectio ab actu ſumitur.*

67 *Soluuntur.*

Reſpondetur ad primum de cauſa partiali æquiuoca, ſi ſit ſuperioris ordinis, eſſe perfectiorem effectu, vt benè Doctor *in 4. d. 49. q. 4. in quæſt. laterali, reſponſione ad 3. medium, & quæſt. 1. reſp. ad 5.* Idem aſſerit de cauſa partiali minùs principali: & ratio eſt, quia cùm effectus ex ſpeciali entitate exigat influxum cauſæ ſuperioris ordinis, & principalis, ſecundùm hoc poteſt excedere cauſam minùs principalem, & ſecundariam. Poteſt, dico, excedere, quia neque hoc vniuerſaliter eſt verum, obiectum enim eſt cauſa minùs principalis intellectionis, tamen non ſemper intellectio excedit obiectum, verbi gratiâ, ſubſtantiam, quamuis intellectio qualitatis materialis excedit ipſum in perfectione. Oppoſitum huius eſt in cauſa æquiuoca partiali, ſi ſit ſuperioris ordinis, aut principalis; quia ille exceſſus in effectu nequit eſſe ab ipſa, cùm ſit æquiuoca, & diſſimilis, & infra ſuam entitatem influens in ſuum effectum perfectionem, quod eſt de ratione cauſæ æquiuocæ; neque poteſt eſſe idem exceſſus à cauſa partiali ſecundaria, quia non continet in ſe talem exceſſum.

*Cauſa partialis quando excedit effectum.*

*Quando excedit cauſa partialis.*

*Ratio exceſſus.*

*Reſponſio in forma.*

Tranſeat ergo antecedens, & negatur conſequentia, quia cauſa creans ad effectum comparatur, vt totalis, non vt partialis. Ad ſecundum & tertium ipſe Doctor *hic*, & *infrà d. 13.* negat antecedens vniuerſaliter, quia accidentia non producunt ſubſtantiam, neque vermis, vt animatus, id eſt, ſecundùm animam, eſt ab aliqua inanimata, quæ attingat proximè productionem animæ, ſed à prima ſola: de hac quæſtione *loco citato* agitur.

68 Ad quartum falſum imponit, quia *in 2. d. 14. q. 1.* oppoſitum docet, nempe cœlum componi ex materia eiuſdem rationis cum ſublunari. quamuis Ariſtoteles, & Auerroës oppoſitum dixerint, aſſerentes eſſe corpus ſimplex expers materiæ, & potentiæ paſſiuæ, ac compoſitionis.

Hoc dato, eſſet magis abſtractum à materia, quàm anima rationalis, quæ licèt non habeat materiam *ex qua*, habet tamen materiam *in qua*, ſeu ſubiectum informationis, ad quod dicit appetitum, & ſecundùm quem appetitum eſſet imperfectior cœlo; ille nempe appetitus eſſet quædam animæ potentialitas, etiam paſſiua, quæ per agens extrinſecum tantùm reduci poteſt ad actum. Ad quintum licèt intellectio ſit magis abſtracta à materia ſenſibili, & quanta (quod genus abſtractionis conſiderat Philoſophus *in 4. & 6. Metaph.*) quàm forma materialis, etiam ſubſtantialis: non eſſet tamen abſolutior à materia, vt ſumitur pro potentialitate, & dependentia ad ſubiectum, quam excludit creatio, quia magis dependet quodcumque accidens ad ſubiectum, quàm forma ſubſtantialis. Ideò futiles ſunt iſtæ obiectiones. Quantò enim magis vnum recedit ab extremo contradictionis, quod includit imperfectionem, tantum accedit ad alterum, quod eſt perfectionis: potentia, vt opponitur actui, connotat priuationem perfectionis, actus è contra perfectionem: ergo quantò magis aliquid eſt abſolutius à potentia, & dependentia, tantò eſt perfectius. Hinc Philoſophi ad remouendam imperfectionem talem negant in ſemipiternis dari materiam, quia putant illa eſſe neceſſaria. Auguſtinus aſſerit materiam primam inter reliqua omnia eſſe propè nihil, Angelum verò propè Deum; illud propter potentiam, hoc verò propter perfectionem, & actum.

n *Sed nunquam imperfectius poteſt producere perfectius ſe*, &c. De veritate huius maximæ agetur ex profeſſo *infrà, d. 13.* hîc autem Doctor incidenter indicat, quæ ibi tractat fuſiùs. Inſtat ergo contra illam ex ſententia eorum, qui dicunt accidens in virtute ſubſtantiæ producere ſubſtantiam, licèt non in virtute propria, ſed vt inſtrumentum: exemplum de calore, qui in virtute animæ producit carnem, *2. de anima.*

69 *Inſtantia cõtra præmiſſã principium ex virtute accidentis ad producendã ſubſtantiam.*

*Impugnatur ad propoſitã quæſtionis.*

Hanc inſtantiam impugnat Doctor, quia neque attingere poteſt effectum principalis agentis per creationem, neque diſponit ad ipſum: aliter autem nequit habere rationem inſtrumenti: non primum, quia ſi principalis eſſet cauſa vniuoca, non exigeret aliquid medium agens inter formam ſuam, & terminum, ſi æquiuoca cauſa, minùs exigeret, quia hæc eſt perfectior vniuocâ. Ratio vtriuſque eſt; quia attingere immediatè effectum, ex quo nihil imperfectionis in cauſam redundat, eſt perfectionis, quia minoris dependentiæ, & conſequenter arguit maiorem actualitatem ex remotione medij, à quo dependeret: potentia creatiua autem eſt actualiſſima, & perfectiſſima. ergo poteſt attingere effectum immediatè.

*Eſt perfectionis attingere effectum immediatè: & quando, & quomodo*

Secundum probat, quia accidens, vt diſponit præuiè ad effectum, præexigit materiam, quæ hîc interuenire nequit in termino, & actione creationis. In confirmationem huius adducit, quòd accidens nunquam attingat productionem ſubſtantiæ intrinſecè, ſed aliquam eius diſpoſitionem præuiam, & accidentalem, aliàs qualitas eſſet principium immediatè actiuum in materiam primam, quod eſt inconueniens, cùm nequeat recipi, niſi in compoſito.

*Accidens non attingit productionem ſubſtantiæ.*

Hæc ratio ſupponit communiorem opinionem, quæ docet accidentia abſoluta non ſubiectari in materia prima, ſed in compoſito: & dato antecedente, conſequentia eſt bona, propter ordinem eſſentialem, & debitam ſequelam inter eſſe, & agere, ex parte formæ: ſi ergo dependet qualitas à compoſito, tanquam ſubiecto proximo, ſic nequit agere in aliquid prius compoſito, qualis eſt materia prima. Inuerteretur etiam ordo eſſentialis inter accidens & ſubſtantiam, quia forma ſubſtantialis ſupponitur eſſentialiter ab omni eo, quod eſſentialiter, & per ſe dependet à conſti

*Quare non poſſit accidens agere immediatè in materiam primam.*

à constituto per ipsum: compositum autem sic se habet ad formam: ergo & accidens, quod subiectatur in composito, erit posterius essentialiter formâ, ac proinde nequit eam producere.

*Opinio aliorum de subiecto accidentium.*

Alij, qui docent accidentia omnia subiectari in materia prima, non in composito, negarent suppositum: sed *infrà* agetur de veritate huius. Accommodari etiam potest ratio facta, quia si subiectantur in materia prima, nequeunt respicere aliquid, quod absoluitur à materia, vel est prius ipsâ, quale est *nihil*.

70 *Secunda instantia contra præmissam maximam.*

Secundò instat contra prædictam maximam ex 7. *Metaph. cap. 5. Domus extrà fit à domo in mente*, & tamen domus extrà habet verius *esse* domus, quàm domus in mente; quia illa est realis, domus in mente est ens cognitum, & diminutum: ergo aliquid imperfectius, &c. Ergo Angelus in mente alterius potest esse ratio creandi se ipsum ad extrà.

*Esse perfectius idea quàm artefacti.*

Respondetur, negando vtramque consequentiam. Ad antecedens dicit, quòd verius, & perfectius sit, absolutè loquendo, *esse* quod habet domus in mente, quàm illud quod habet extrà; loquendo tamen de *esse* artificiati perfectius est *esse* domûs ad extrà in *esse* domûs, quàm *esse* eius ad intrà, quia in mente habet *esse* ipsius cognitionis, quod participat, vt patet ex Augustino *lib. 5. de Gen. ad literam, cap. 14. & tract. 1. in Ioannem*, dicente, *Omnia fuerunt vita creatrix in cognitione Verbi.* Quod sequitur Beda, Rupertus, & plerique posteriores Latini interpretes. Lapis ergo in mente diuina habet verius, & perfectius *esse*, (quia ipsius cognitionis diuinæ;) quàm lapis in se existens, quamuis hoc sit verius *esse* lapidis, quàm illud: sic domus in mente participat *esse* cognitionis, quæ perfectior est, quàm forma artificialis domûs ad extrà, quæ fit à domo ad intrà; quamuis hoc sit perfectius *esse* domûs, quàm illud in mente.

*Augustinus.*

*Beda. Rupertus.*

Vnde aduertendum est, domum ad intrà, & ad extrà vniuocari ad inuicem, sicut exemplar & exemplatum, idea & ideatum: vniuocatione tamen incompletâ, quæ est secundùm formam, non verò in modo essendi formæ: proinde generationem istam domûs ad extrà, à domo ad intrà, Philosophus 7. *Metaph. text. com. 30. & 12. Metaph. text. com. 13.* vocat aliquo modo vniuocam. In ratione ergo formæ non est propriè differentia, neque improportio perfectionis, neque ordo essentialis, sed in modo essendi, quatenus forma domûs in mente artificis habet *esse* cognitionis, in qua repræsentatur, & formatur. Inde etiam habet rationem exemplaris respectu eiusdem, vt est sub alio modo essendi, nempe extrà in materia artificiali. Vide Doctorem *quæst. 4. prologi in fine, ad secundum dico, §. Contra istud arguitur*, &c.

*Vniuocantur incompletè.*

*Declaratur hæc vniuocatio.*

71 *Obiectio.*

Dices, lapis in intellectu est terminus, & obiectum intellectionis, & dicitur habere esse diminutum, seu *esse* entis rationis: ergo non est ipsa intellectio, neque existit existentia intellectionis. Respondetur, habere *esse* diminutum, vt consideratur secundùm illud *esse*, quod proprium est, & eius est solius, & vt comparatur ad *esse* proprium vt existit in re, & extra causas: tamen vltra illud habet *esse* participatum, quatenus est in suo repræsentante, & hoc est *esse* ipsius cognitionis, de qua Doctor hactenus, & conuenit cognitioni formaliter; participatiuè autem cognito, illud *esse* diminutum est proprium ipsius cogniti, vt distinguitur à cognitione, neque est modus realis essendi, sed intentionalis, ac proinde nullam actionem, nullam relationem realem, secundùm illum modum essendi, potest fundare, quia tam relatio realis, quàm actio exigunt existentiam realem tanquam necessariam conditionem in eo à quo sunt.

*Respondetur.*

*Obiectum in mente habet esse proprium.*

Cæterùm secundùm illud *esse* ipsius cognitionis, & participatum, dicitur causare: vt quando apprehensio obiecti non existentis causat compositionem, neque alio modo scientiæ reales dicuntur habere veritates causatas ab obiecto, aut ipsum obiectum continere virtualiter veritates formales scientiæ, ad quas in intellectu abstractiuo, non refert an existat actu in aliquo inferiori. Hoc etiam modo genus causæ exemplaris reducitur à Doctore ad causam efficientem vt dirigit ad extrà, mediante cognitione.

*Obiectū causat scientiam, & quomodo.*

Ex quo patet rectè dici, *esse* cognitionis participari ab obiecto cognito, quod probat optimè Doctor authoritate D. Augustini, *superius habet nobilius* esse *in se*, &c. Negatur ergo paritas inter Angelum cognitum ab alio Angelo, & domum in mente, quantùm ad hoc, quòd vtrumque possit esse principium producendi seipsum ad extrà, quia Angelus in se existens habet perfectius *esse*, quàm vt existit in intellectu alterius, quia esse substantiale spirituale completum habet in se existens: in intellectu verò alterius creati *esse* accidentale, dependens, & incompletum, quod est longè imperfectius: at è contra domus in mente habet perfectius *esse*, quàm illud quod formaliter in se habet ad extrà, nempe figuræ artis, quod nullo modo est reale.

*Responsio ad consequens. Disparitas inter esse Angeli, & artefacti.*

Dices, domus ad extrà causat, & mensurat cognitionem sui ipsius, sicut Angelus: ergo erit perfectior ad extrà, quàm in mente.

72 *Obiectio.*

Respondet Doctor, negando antecedens: negando etiam ab artificiali, quà tale formaliter est, moueri intellectum, aut intellectionem mensurari, sed tantùm terminari, cuius obiectum motiuum, & mensuratiuum est aliquod, vel aliqua realia, nempe obiectum ex quibus causatur intellectio, quæ tamen intellectio est mensura, & ratio faciendi domum ad extrà, vt contingit in omnibus artefactis, quantùm ad ea, quæ ars superaddit naturæ, quòd cognitio sicut ipsa causat dirigendo, sic etiam mensurat. Econtra fit in cognitione, vt refertur ad obiectum motiuum, à quo causatur, quæ est doctrina Doctoris hîc, & aliis in locis. Et ratio est clara, quia mensura semper est prior mensurato: ergo sicut cognitio artis, per quam formatur artefactum, est prior, ita etiam mensura erit, quia ad imitationem eius formatur domus ad extrà, quia forma vt est in mente secundùm perfectiorem modum essendi, est mensura respectu participantium illam in inferiori gradu essendi. Sic etiam creaturæ in mente diuina sunt exemplaria, & rationes, secundùm quas producuntur ad extrà. In qua productione cognitio diuina habet rationē mensuræ, & exemplaris, creatura verò rationem mensurati, & exemplati. Videatur Doctor *in in 1. d. 35. 36. & d. 39. & 2. d. 1. in 4. d. 50. quæst. 3.*

*Soluitur.*

*Exemplar in mēte est mensura artefacti.*

*Ideæ sunt rationes factorum.*

## SCHOLIVM.

*Probat Angelum non intelligere per ſuam ſubſtantiam, quia ſequeretur eſſe infinitam (cùm infinita ſyncategoremaicè intelligat) ſed per intellectiones accidentales, quod tripliciter probat, de quo primo d.2.q.2.num.30. & 2.d.3.q.9. & 10. & 3.d.14.q.2.*

22 Secunda propoſitio [o] principalis ſuperiùs poſita oſtenditur ſic; quia *lib.2. diſt.3. q.9. 10.* probatur, quòd non repugnat intellectui Angeli diſtinctè intelligere quodcumque intelligibile, etiamſi intelligibilia poſſunt eſſe infinita, & alterius rationis, etiam adeò diſparata, quòd nullum eorum eſt principium cognoſcendi alterum. Nam iſtis poſitis ex parte intelligibilis, non inuenitur repugnantia ex parte intellectus, quin poſſit omnia iſta, ſeu quodlibet iſtorum diſtinctè, & perfectè intelligere.

*Angeli intellectionem eſſe accidens, non ſubſtantiam.*

Sed repugnantia [p] eſt, quòd intellectus Angeli per vnicum actum intelligendi, diſtinctè intelligat illa, ſi eſſent infinita diſparata, modo prædicto: ergo non repugnat illi intellectui habere intellectionẽ aliam, & aliam realiter; licèt repugnet ſubſtantiæ eius eſſe aliam, & aliam realiter; ergo non omne intelligere poſſibile illi intellectui, poteſt eſſe idem illi ſubſtantiæ: ergo eſt accidens.

Aſſumpta videntur plana, præter illud, ſcilicet quòd vnicæ intellectioni finitæ repugnet, quòd ipſa poſſit eſſe diſtinctè infinitorum obiectorum diſparatorum. Hanc probo tripliciter. Primò, ex finitate intellectionis in ſe. Secũdò, ex finitate intellectus angelici. Tertiò, ex finitate eſſentię Angeli.

Ex primo dupliciter, primò ſic: *Intelligere* vnicum ſi eſſet infinitorum obiectorum diſparatorum, includeret in ſe eminenter perfectiones infinitarũ intellectionum, quæ natæ ſunt haberi reſpectu illorum obiectorum: non autem poſſet illa eminenter continere in ſe, niſi eſſet infinitum intenſiuè: quod patet, quia vbi illæ intellectiones eſſent ſecundùm proprias rationes, ibi eſſet infinitas perfectionis alterius rationis, propter obiecta, quæ poſita ſunt infinita diſparata: ergo vbi ſunt modo eminentiori, ibi oportet quòd ſit aliqua infinitas: non extenſiua, quia illam tollit vnitas huius in quo continetur; ergo intenſiua. Secundò ſic: Omne *intelligere* finitum, determinatur ad certum intelligibile, vel ad aliqua certa intelligibilia, ita quòd ſibi ex ſe repugnat, quòd ſit aliorum ab illis, vel ab illo; ſed iſtud *intelgere* ſi poneretur in Angelo reſpectu infinitorum intelligibilium diſparatorum, ſi eſſent, non ſic determinaretur: ergo non eſſet finitum.

*De hoc Scot. 1.d.2.q.2.§. Oſtenſo propoſito, & 3. d.14.q.2.*

Secun

o *Secunda propoſitio principalis*, &c. Primam propoſitionem, quæ eſt maior in diſcurſu, iam probauimus. Secundam autem, quam loco minoris aſſumit *ſuprà*, hîc probare incipit, & eſt talis: *Intellectio Angeli eſt ſibi accidentalis*, &c. Probatio reducitur ad hoc, quòd intellectus Angeli poſſit determinatè intelligere quodcumque intelligibile, etiam ſi eſſent infinita diſparata in eſſe, & ratione cognoſcendi; ſed hoc repugnat per vnum actum intelligendi, quia eſſet infinitus: ergo per aliam, & aliam, & conſequenter non repugnat ipſi habere intellectiones realiter diſtinctas, licèt ſubſtantiam eius eſſe aliam, & aliam realiter repugnet: ergo non omne intelligere poſſibile illi intellectui eſt idem cum ſubſtantia Angeli.

73 *Probatio Minoris principalis contra Auicennam. Intellectum Angeli eſſe omnia intelligibilia creata.*

*Intelligere per diuerſos actus realiter à ſe, & ab Angelo.*

Reſpondet Durandus, non ſufficienter probari minorem, quoad hoc: nempe *velle*, & *intelligere* Angeli eſſe accidentia neceſſariò; & ad probationem huius falſum aſſumi manifeſtè, nempe intellectum Angeli poſſe intelligere diſtinctè quodcumque intelligibile, etiam ſi eſſent infinita, & diſparata, ita vt nulla eſſet ratio cognoſcendi alterum: quia ſi eſſent diuerſæ intellectiones, eſſent etiam infinitæ, quod repugnat, quia intelligendo vnum poſt alterum, nequit deuenire ad vltimum. Deinde ſi eſſet deuentum, aliqua eſſet in toto numero infinita, quia quælibet eſſet alterius, & alterius perfectionis, & ſemper procedendo creſceret perfectio in infinitum. Si autem Scotus intelligat non repugnare intellectui cognoſcere quæcumque intelligibilia, ſupponendo quòd ſint finita, admittendum eſt; ſed non eſſet negandum, quin hoc fieri poſſit per vnam intellectionem, quia Angelus beatus videns Deum, videt in eo omnes res creatas, & creabiles, quoad ſpecies vnica intellectione, quamuis illa ſit finita: vnde ex finitate intellectionis Angelicæ non poteſt ſufficienter argui, quin Angelus poſſit vnica intellectione creata intelligere omnia, quæ intellectio ſit ſua ſubſtãtia.

*Reſpõſio Durandi.*

*Intelligibilia non eſſe infinita.*

*Intellectionem finitam non diſtingui à ſubſtantia Angeli.*

Contra hoc in primis ratio eſt concludens, quia repugnat mutabile, & immutabile eſſe idem, vel id cui repugnat terminare mutationem eſſe eiuſdem exiſtentiæ cum termino mutationis: ergo & ſubſtantiam Angeli, quæ nequit eſſe terminus mutationis cum intellectione, quæ eſt terminus mutationis, facere idem in ſubſtantia. Si negaueris antecedens, proba Deum eſſe immutabilem, quoad aliqua, verbi gratiâ, actus eius ad extrà in tempore, ſi non repugnat mutabile, & immutabile eſſe idem in ſubſtantia.

74 *Impugnatur reſponſio.*

Deinde ſupernaturaliter ſaltem poteſt eſſe Angelus, quin cognoſcat aliquod obiectum: ergo cognoſcendo tranſit de priuatione ad formam: ergo non ſecundùm ſubſtantiam ſuam cognoſcit, ſed merè contingentet illud cognoſcit.

*Supernaturaliter poteſt Angelus eſſe ſine cognitione.*

Deinde diſtinctionem cognitionum admittit Durandus ex diſtinctione obiectorum: ergo ſi realiter diſtinguũtur cognitiones à ſe inuicem, rectè probat Doctor, probat etiam nullam earum eſſe de ſubſtantia Angeli. Sequela patet, quia vtrumque ſimul eſſe de ſubſtantia Angeli repugnat hypotheſi;

*Diſtinctio cognitionum de obiectis infert diſtingui à ſubſtantia.*

Secundò probatur [q], ex parte intellectus Angeli sic: Quorum potest esse vnum *intelligere*, illa possunt simul intelligi; sed intellectus finitus non potest distinctè simul intelligere infinita obiecta disparata: quia maioris virtutis est distinctè intelligere plura disparata simul, quàm pauca: ergo simul intelligere distinctè infinita disparata, est virtutis infinitæ intensiuè.

Ad istam tamen propositionem respondetur, quòd *intelligere* non est perfectius, quia plurium: nam intellectio collatiua lapidis ad lignum, non est perfectior cognitione absolutâ lapidis, & tamen intellectio illa comparatiua lapidis includit intellectionem plurium, quia cõparatorum. Hæc responsio supponit falsum, ex cuius improbatione patet propositum nostrum; non enim potest intellectus habere intellectionem comparatiuam lapidis ad lignum, nisi habeat rationes cognoscendi vtrumque obiectum: intellectio autem absoluta vnius illorum potest haberi, per rationem propriam vnius solius tantùm: ergo intellectio comparatiua, requirit necessariò perfectionem maiorem in formali principio intelligendi, quàm intellectio eius absoluta: effectus autem non maiorem perfectionem requirit in causâ, nisi in effectu sit maior perfectio, saltem in effectibus eiusdem rationis: ergo, &c.

23 *De hoc 2. d. 3. quæst. 10. & 11.*

Tertiò probatur [r] dupliciter ex parte obiecti, siue rationis intelligẽdi. Primò sic: vna intellectio requirit vnam rationem intelligendi obiectiuam formalem, & vnum obiectum primum; quia si plura sint obiecta prima, numerabuntur intellectiones secundùm numerum illorum obiectorum, sicut mẽsurata numerãtur mensuris numerati, propter dependentiam actualem: ergo istius intellectionis vnicæ oporteret dare vnum obiectum cognitum, & vnam rationem intelligendi formalem: nõ potest autem esse aliqua alia, quàm essentia Angeli intelligentis: illa enim, vt patet, in intellectione sui est primum obiectũ, & prima ratio intelligendi: & si non sit similiter in intellectione cuiuscũque alterius, dabis plura prima obiecta: ergo potest concedere plures intellectiones, vel oportet ponere, quòd essentia eius sit primũ obiectum, & formalis ratio intelligendi quodcumque, quod potest intelligi ab ipso: sed consequens est falsum propter duo. Primò, quia aliquod ens infinitum est intelligibile ab isto intellectu: nullum autem finitum potest esse prima ratio intelligendi infinitum obiectum perfectè. Secundò, quia nihil potest esse ratio cognoscendi plura hypothesi, quia sic vtraque esset eadem inter se per regulam, *Quæcumque sunt eadem vni tertio*, &c. sed nulla est ratio quare vna esset de substantia Angeli, magis quàm altera: ergo, &c.

Negaret Durandus (specialiter *in 2. d. 3. q. 5.*) minorem, vt quidam volunt, & insinuare videtur responsione ad primum (licèt non expressè) eius esse sententiæ, vt putet intellectionem; quâ se ipsum Angelus intelligit, esse de substantia Angeli; quamuis intellectiones, quibus cætera intelligit, sint ei accidentales.

75 *Intellectio Angeli, quâ seipsum cognoscit, est substantialis.*

Sed contrà probatur, quia illa intellectio est actus secundus eius: ergo ab ipso, vel certè à creante ipsum; sicut dispositio coæua substantiæ, dicitur à quibusdam esse à generante substantiam: videatur Doctor *quodlib. 15. art. 1. §. Hic dicitur, ad responsionem Gotifred.* ergo suspendi potest, & separari per causam primam: & consequenter distinguitur à substantia Angeli realiter. Deinde dato quòd sit ab Angelo, vt insinuat Durandus, non per creationem, quâ ipse Angelus producitur, aliàs non esset ab Angelo: ergo de potentia materiæ, seu subiecti, & consequenter est alterius substantiæ. Nam quod dependet à causa materiali, & cui repugnat dependere à causa materiali, vel subiecto, repugnat ea esse eiusdem substantiæ, aut existentiæ, cùm omnis causa essentialiter diuersa, quæ per se, & essentialiter exigitur ad effectum, ideò exigitur, quia aliquid peculiare eidem in effectu correspondet; quod sine ipsa nequit virtute causæ creatæ haberi.

*Impugnatur illa sententia quæ videtur Durandi.*

*Illam intellectionem non esse per creationem.*

*Quòd sit accidens.*

Deinde omnis actus secundus substantiæ creatæ, & completæ est accidentalis: ergo & hîc. Patet consequentia, quia eadem est ratio, & causa: substantia enim creata propter limitationem, & finitatem suam in essendo, nequit habere perfectiones suas secundarias, quæ consequuntur tanquam actus, inclinationem actiuam, aut passiuam ex sua substantia, aut substantiæ eiusdem: sed tanquam aliquid superadditum, in quo distinguitur à substantia increata, & infinita, in qua actus secundus propter infinitatem essendi nequit esse aliquid, re distinctum à substantia entis infiniti.

76 *Actus secundus substantiæ creatæ semper est accidens si est completa.*

Deinde idem est modus intelligendi Angeli circa suum obiectum: ergo si circa reliqua intellectio eius non sit de eius substantia, sic etiam neque circa se. Antecedens patet in omni ente intellectuali. Vnde quia diuina intellectio est sibi substantialis circa se, ita etiam circa reliqua. Vnde hoc proprium est solius Dei, intelligere intellectione substantiali, quod nequit communicari creaturæ, sicut nequit ipsi communicari, quin eius intellectio sit propriè causata, & consequenter diuersa in existentia ab existentia intellectus, & obiecti ipsíque posterior. Vnde hæc Durandi sententia nouitatis arguitur à cæteris, & est adeò libera, vt nulla subsit ratio eius probandæ.

*Idem est modus intelligẽdi Angeli.*

*Diuina intellectio circa se est substãtialis; ideò etiã est circa reliqua.*

Confirmatur, intellectus Angeli inferioris circa nullum intelligibile potest habere perfectiorem actum, quàm intellectus Angeli superioris habeat circa idem: sed superior intelligit Angelum inferiorem merè accidentaliter, id est, per intellectionem, quæ sit accidens, siue intuitiuè intelligat, siue abstractiuè: ergo inferior non intelligit se, nisi per intellectionem, quæ sit superaddita, & accidens inhærens. Maior probatur, quia Angeli superioris perfectior est intellectua-

77 *Angelus superior intelligit per actũ distinctum à sua substantia inferiorem.*

alterius rationis, niſi eminenter contineat in ſe omnia illa ſecundùm cognoſcibilitatem, & per conſequens ſecundùm entitatem: ergo nihil poteſt eſſe principium cognoſcendi infinita diſparata, ſi eſſent, niſi eminenter in ſe cõtineat illa: ergo eſſentia Angeli cùm ſit finita, non poteſt eſſe ratio cognoſcendi talia infinita omnia. Sic ergo ſuppoſitâ tam finitate intellectionis Angelicæ, quàm intellectus eiuſdem, & eſſentiæ: & hoc ex *diſt. 2. primi q. de vnitate Dei*; ſequitur, quòd in Angelo poteſt eſſe aliud, & aliud *intelligere* realiter, & non niſi vnica ſubſtantia: ergo eius *intelligere* non eſt idem ſuæ eſſentiæ: ergo eſt accidens.

*Quæſt. 3.*

24 Tertia propoſitio [s] eſt conceſſa ab Auicenna, vt patet ſecundùm modum ponendi ipſius *ibidem*, 9. *Metaph. c.* 4. & tamen hoc poteſt declarari, quia natura merè intellectualis, nihil producit niſi intelligendo, & volendo, ſeu per actum intellectus, vel voluntatis, vel alterum, vel vtrumque, non curo. Vnde etiam perſona diuina, nihil producit ad intrà, vel extrà, ſine actu iſtarum potentiarum: ſi enim natura vt eſt prior intellectu eſſet principiũ producendi perſonam, eſſet in diuinis aliqua perſona producta prior Verbo, & ſic quatuor.

Si etiam [t] ponatur in Angelo aliqua potentia tertia executiua, & alia ab intellectu, & voluntate, hoc non impedit propoſitum, quia per illam nihil poteſt produci, niſi in virtute intellectus & voluntatis, pro eo, quòd omne per ſe agens agit propter finem, quem cognoſcit, vel inquantum dirigitur à cognoſcente: & ita omne principium per ſe actiuum, quod non eſt cognitiuum, videtur dirigi in actione ſua à principio cognitiuo, ſaltem hoc planum eſt, quòd illa tertia potentia, (ſi eſſet) eſſet ſubordinata in agendo intellectui & voluntati, & ſic non poſſet per ipſam aliquid produci ſine actu voluntatis, vel intellectus, & ſtat ratio.

25 Ad rationes [u] pro opinione Auicennæ. Ad primam, illa propoſitio: A principio omnino vno, non poſſunt eſſe immediatè plura, falſa eſt, ſi intelligatur de omnino vno in re. Sufficit enim in agente per intellectum, & voluntatem, diſtinctio cognitorum, ſiue diſtincta cognitio plurium, ad hoc quòd plura immediatè producantur ab ipſo: & ita ſufficit hîc, ſi illa cognitio eſt ſubſtantia cognoſcentis, & per conſequens non numerata; ſecùs ſi non eſt ſubſtantia operantis, ſed eſt accidens, & numerata.

*Soluũtur rationes Auic. poſita n. 18.*

Ad ſecundam rationẽ dicendum, quòd propoſitio Philoſophi vera eſt in illis, vbi non repugnat naturæ communicari à ſimili litas, & intellectus, & perfectiſſimè intelligit eſſentiam Angeli inferioris ſibi præſentem. Vnde in opinione Durandi, qui negat ſpecies, & docet totam virtutem actiuam eſſe in intellectu, ſuppoſitâ tantùm præſentiâ obiecti per modum termini, aut cauſæ materialis; & intellectum ſuppoſitâ exiſtentiâ rei in Angelo intrinſecè ex ſe cognoſcere rem exiſtentem; maior videtur euidentior: & patet, quia intellectualitas Angeli inferioris non perfectiùs propriam attingit eſſentiam, quàm intellectualitas Angeli ſuperioris intuitiuè cognoſcentis ipſam, quia in actu ſecundo non datur perfectior attingentia vitalis per cognitiuam, quàm ſit intuitio.

*Idem de inferiori ſequitur. Durãdus negat ſpecies.*

*Intellectualitas ſuperioris perfectior.*

In actu verò primo eſt exceſſus virtutis in Angelo ſuperiore, quantùm ad obiectum: non eſt autem obiectum huius eſſentia inferioris, aut illius primum in ratione termini, neque primarium in ratione perfectionis, aut motiui, aliàs non mouerentur à cæteris obiectis. Quòd ſit eſſentia ipſius operantis Angeli inferioris, non infert diuerſum modum operandi in potentia, neque maiorem fortè applicationem eius ad obiectum in *eſſe* obiecti. Et dato quòd ſit applicatio maior, eius effectus eſt ſubmouere impedimentum operandi, & inclinare potentiam ad actum, non autem variare modum connaturalem operandi, neque tollere ab intellectione quòd ſit verè cauſata.

*In cæteris excedit ſuperior Angelus.*

*Applicatio diuerſa quid infert.*

Ex hoc ergo quòd intellectio ſit verè cauſata ab intellectu, ac etiam ab obiecto ſaltem in genere termini, & cauſæ materialis, vt vult Durandus, ſequitur etiam repugnare ipſi eſſe eandem ſubſtantiam Angeli, ſiue ſit ipſius circa ſe, ſiue ipſius circa alterum. Quod fortiùs probari poteſt quoad operationes voluntatis, ratione libertatis, & inclinationis eius, quæ proinde nequeunt eſſe de ſubſtantia Angeli: ergo nec conſequenter intellectio vlla; ſed dicta ſufficiant. Ideóque rationem Doctoris vt plurimùm, tanquam probantem intellectionem Angelicam non eſſe de ſubſtantia eius, alij aſſumunt, quia procedit per cauſam à priori.

Redeundo ergo ad rationem Doctoris, & 78
impugnationem Durandi, illa maxima eſt vera, & admiſſa ab omnibus, quòd non repugnat intellectui Angelico intelligere quodcumque intelligibile, etiamſi eſſent infinita, & diſparata; adeò vt nullum eorum eſſet ratio cognoſcendi alterum. Nam quodcumque intelligibile continetur ſub obiecto eius primo, ſeruatis ſeruandis, nempe datis mediis cognoſcendi; ſi ſunt ſupernaturalia intelligibilia. Et hoc etiam non repugnat noſtro intellectui, qui eſt inferioris ordinis, vt probat Doctor variis in locis, ſpeciatim *in primo quæſt. 1. prologi, & d. 2. 3. & 8. in 2. d. 3. quæſt. 9. & 10.*

*Nõ repugnare Angelo intelligere infinita.*

Ad impugnationem Durandi, primùm reſpondetur eam procedere ex defectu intelligẽtiæ: dato enim quòd eſſent infinita intelligibilia ſimul ab Angelo intellecta, illa eius intellectio non procederet ſucceſſiuè, ſed tota ſimul æquè primò intelligerentur: ſicut ſi poſſibile eſſet produci infinitum in actu, hæc poſſibilitas non eſſet ad productionem ſucceſſiuam, ſed inſtantaneam, & totam ſimul. Patet inſtantia in ſententia eorum, qui dicunt intellectum humanum Chriſti intelligere omnia poſſibilia in Verbo.

*Reſpondetur ad rationes Durandi.*

*Intellectio infiniti non eſt ſucceſſiuè.*

Neque hunc ſenſum facit propoſitio Doctoris, neque

simili in specie; sed non quodcumque perfectum in specie, posset communicare naturam: quia ipsa natura non est communicabilis extrà, ab aliquo simili in specie. Et si arguas, saltem illa erunt perfectiora, quæ possunt communicare suam speciem, quàm quæ non possunt. Respondeo, quòd immò in proposito imperfectiora, quia propter perfectionem naturæ est, quòd non potest communicari, nisi ab agente perfectissimo, & modo communicandi conuenienti soli primo agenti: perfectius est autem habere talem naturam sic perfectam, quæ propter sui perfectionem non potest produci, nisi ab ipso Deo immediatè, quàm habere naturam possibilem communicari à naturâ creatâ, propter sui imperfectionem.

neque quòd omnia simul, neque seorsim intelligerentur; nisi intelligas simultate virtutis & potentiæ, non autem actûs; sed quodlibet determinatum obiectum distinctè potest cognoscere intellectus Angelicus, & non per rationem alterius. Quòd autem intelligat duo hoc modo tantùm, æquè facit ad intentum Doctoris, ac si intelligeret infinita, quia perinde concluditur distinctio intellectionis ex ipsis, tanquam ex obiectis formalibus disparatis, quorum neutrum posset esse ratio cognoscendi alterum; & supposito quòd sit cognitio cuiuscumque distincta, & sub ratione propria, non autem communi, vel secundùm ordinem, aut attributionem eorum ad inuicem, vel ad tertium.

*Explicatur sensus Doctoris.*

*Distinctio intellectionis circa finita concludit distinctionem eius à substantia.*

79

Ratio est, quia cùm omnis ratio distinctiua cognitionis talis, inueniatur in duobus obiectis disparatis, inquantum peti potest distinctio ex obiecto; nisi autem inde sequatur eius distinctio, quantumcumque multiplicentur obiecta eius, non distinguetur, cùm multiplicatio eiusdem rationis distinctiuæ, nihil faciat ad effectum distinguendi, si in vno solo, vbi perfectè inuenitur, non inferat distinctionem.

*Ratio distinctiua in duobus, nisi distinguat, etiã multiplicata non distinguit.*

*Secunda consequẽtia non infert intentum.*

Altera eiusdem consequentia negatur, quia si procederetur in infinitum quoad intelligibilia, & intellectiones singulorum, non sequitur quòd vlla particularis cresceret in perfectione, cùm esset obiecti tantùm finiti, & sub ratione propria eius, nullóque modo extenderetur ad alia; sequeretur tamen quòd tota collectio esset infinita, si quælibet adderet perfectionem diuersam in specie, & consequenter etiam sequeretur, quòd intellectus intelligens simul infinita illa distinctè, esset infinitus, & hoc ex ratione, qua vtitur aliàs Doctor, quia intelligere duo arguit maiorem perfectionem in potentia, quàm intelligere vnum solum; ergo intelligere infinita arguit infinitam perfectionem.

*Infinita intellectiones simul arguunt infinitatẽ intellectus.*

80

Ad alteram eiusdem impugnationem, quæ est ex suppositione quòd intelligibilia ab Angelo sint finita, non repugnare Angelo simul ea intelligere, & hoc inquit concedendum esse Scoto, respondetur concessionem futilem esse; quia nec Scotus id intendit, neque concederet, nec facit ad intentum discursus eius. Aliud enim est Angelum posse simul intelligere omnia obiecta finita, quod non intendit Scotus; aliud verò an distinctio obiectorum inferat distinctionem cognitionis Angelicæ. Probat quidem Doctor, si vnicâ intellectione cognosceret Angelus infinita disparata, & diuersa inquantum diuersa, sequi quòd illa intellectio esset infinita, & repugnet Angelo vnicâ intellectione intelligere infinita, si essent, tam ex finitate intellectionis, quàm potentiæ intellectiuæ Angeli, quàm etiam essentia Angeli: & communis opinio Theologorum negat Angelum simul intelligere posse omnia, ad quæ extendit se virtus sua intellectiua, quam docent Sententiarij *in* 2. *d.* 3. *quæst.* 8. 9. 10. D. Thomas 1. *part. quæst.* 8. *art.* 1. Vbi eius expositores (solus Ariminensis sequens Aureolum *in* 2. *d.* 11.) & Durandus *d.* 3. *quæst.* 1. tenent contrarium, quoad obiecta naturalis ordinis; nullus tamen præter Durandum dicit vnicâ intellectione Angelum intelligere posse omnia illa simul.

*Secunda obiectio Durandi soluitur.*

*Suppositũ non admittit Doctor.*

*Negant Angelum intelligere simul infinita sub ratione propria. Neque simul omnia intelligibilia.*

*Singularis opinio Gregorij, & Durandi.*

81

Neque ratio de cognitione Angeli in Verbo est certa, & eâ datâ, scilicet quòd videret in Verbo omnes species creatas, & creabiles simul, saltem non intelligeret omnia indiuidua, neque etiam species, iuxta sententiam, quæ concedit in speciebus processum in infinitum in perfectione, & quidquid in hoc dicatur, magna est disparitas de cognitione, quæ extenditur ad obiecta secundaria, à quibus non dependet, & cognitionem, vt est primò ad plura quasi primaria; infertur enim ex distinctione obiectorum formalium, quæ sunt causæ eius priores, distinctio eius cognitionis.

Visio autem beatifica respicit essentiam diuinam, vt obiectum primarium, & formale, tam in ratione motiui, quàm terminatiui; creaturas verò, vt obiecta materialia, & secundaria; ideò pluralitas earum, & visarum in Verbo, potest stare cum vnitate intellectionis, quæ ab ipsis non dependet. Cognitio tamen eorum in proprio genere est ab ipsis, vt obiectis formalibus, & consequenter, vt prioribus essentialiter ad ipsam cognitionem. Multiplicato autem priori, multiplicatur posterius, non è contra; & obiecta formalia, vt Doctor *infrà* subsumit, habent rationem mensuræ respectu cognitionis: multiplicata autem mensura, saltem quæ essentialis est, & à qua dependet actu mensuratum, hoc etiam numeratur, vt patet 5. *Metaph.* & benè Doctor *infrà dist.* 48. *q.* 2. *ad* 1.

*Disparitas inter visionẽ in Verbo, & cognitionẽ in proprio genere.*

82

Omissâ itaque hac responsione Durandi, explicatur minor præmissa Doctoris, & vrgeatur contra Philosophos.

*Sed repugnantia est, quòd intellectus Angeli per vnicum actum intelligendi distinctè intelligat illa, si essent infinita disparata modo dicto*, &c. Sed responderet aliquis ex maiori nihil effici, quia inuoluit impossibile; nimirum dari intelligibilia infinita secundùm Philosophos. Contra hoc est, quia Philosophi posuerunt mundum, & generationem rerum ab æterno: ergo saltem infinita indiuidua transierunt in actu, quorum neutrum potest esse ratio cognoscendi aliud; indiuiduum enim aliquid per se distinctè cognoscibile est, quod ex sola cognitione speciei, aut alterius indiuidui eiusdem speciei, nequit cognosci distinctè: hæc autem necessariò cognouit Intelligentia, de sententia Philosophorum, quia ab ipsa processerunt, & non tantùm cognouit confusè, eo modo, quo cognito toto potentiali, cognoscuntur confusè partes eius, vel etiam

*Explicatur maxima.*

*Philosophi posuerunt mundum ab æterno, & infinitas generationes.*

*Intelligentia necessariò cognouit illas quia causauit per Philosophos.*

*Cognitio confusa & distincta.*

cognoſcendo confusè totum actuale, vt importatur per nomen, cognoſcuntur eius partes confusè tantùm, & non distinctè, ſicut cognoſcitur per cognitionem definitiuam tam totum, quàm partes eius actuales.

De vtroque genere cognitionis habes ex Doctore *in* 1. *d.* 3. *quæſt.* 2. vbi optimè declarat ordinem intelligibilium, §. *Ad ſecundam quæſtionem*, & modum quo cognoſcuntur confusè, aut distinctè.

83

*Intelligitur ratio Doctoris de cognitione distincta, & in proprio genere.*

Ratio Doctoris procedit de cognitione distincta rerum in proprio genere, & ſupponit quodlibet horum obiectorum eſſe per ſe proprium motiuum intellectionis Angelicæ, quod facilè à Theologo admitteretur; ſed non admitteret Philoſophus intellectionem nouam eſſe in Angelo, quia diceret intellectionem eſſe de ſubſtantia Angeli: vnde ratio ſuperiùs facta contra Durandum, etſi probet ſecundùm Theologos & ex creditis, non probat contra Philoſophos. Doctor enim *in quodl. citato*, dicit quòd Philoſophus aſſereret intellectionem eſſe de ſubſtãtia Angeli.

*Rationes extra Durandum probant Theologis, nõ Philoſophis.*

*Sententia Philoſophorum.*

Vnde ad confirmationem huius rationis, & ſupradictorum, ſupponẽdum eſt, Philoſophum non dicere Intelligentias alias à prima eſſe infinitas formaliter, vt malè ſentit Henricus *quodlib.* 8. *q.* 9. *& vltima*, ſed finitas, & cauſatas à prima Intelligentia, nempe à Deo, ab eóque dependere, quod ex variis locis Philoſophi probat Doctor *quodlib.* 9. *& in* 1. *d.* 8. *quæſt.* 5. vt patet 8. *Phyſicorum text. com.* 9. vbi oſtendit quòd mouens infinitæ virtutis non poteſt immediatè mouere cœlum; ſed mediante motore finito, quæ eſt Intelligentia, vt patet ex Commentatore 12. *Metaphyſ. com.* 41. ergo ſupponit Intelligentiam proximè motricem eſſe finitæ virtutis, & entitatis, 12. *Metaph. text. com.* 51. concludit vnitatem vniuerſi ex vnitate finis: ergo vnus eſt finis omnium ſecundùm ipſum; ſed *vbi vnus finis, ibi vnum efficiens primum*, quia finis non eſt cauſa, niſi inquantum mouet efficiens ad *eſſe* finis, vt amatus.

Henricus.

*Intelligentias alias à prima non eſſe infinitas, ſed finitas.*

84

Huc ſpectant eius demonſtrationes de primo motore, & primo efficiente, ad quod reducitur ordo cauſarum inferiorum eſſentialis. Has rationes optimè deducit Doctor 1. *d.* 2. *quæſt.* 2. & Auerroës hanc intentionem Philoſophi declarat, *lib. de ſubſtantia orbis, cap.* 3. vbi dicit quòd *Corpus cœleſte non tantùm indiget virtute mouente in loco, ſed etiam virtute largiente eſſe & ſubſtantiam, & permanentiam æternam*, &c. Et poſtea: *Dixerunt quidam ipſum* (ſupple, Ariſtotelem) *non dicere cauſam agentem cœlum, ſed tantùm cauſam mouentem, & illud fuit valde abſurdum*, &c. ergo licèt cœlum fuerit æquè neceſſarium, ex ſententia Ariſtotelis, quàm Intelligentiæ mouentes, quia poſuit omne ſempiternum eſſe neceſſarium, 9. *Metaphyſ. cap.* 7. & 12. *Metaphyſ. cap.* 5. admittit dependere in *eſſe* à Deo tanquam cauſatum. Ipſe etiam Auicenna *ſuprà* docet expreſsè Intelligentias eſſe cauſatas, & Ariſtoteles 2. Metaphyſ. *ſempiternorum principia ſemper eſſe veriſſima.* Vbi ſupponit ſempiterna habere principia, & 5. Metaphyſic. cap. de Neceſſario, *nihil prohibet neceſſariorum quorundam, alteras eſſe cauſas*, &c.

Auicenna. Philoſoph.

Et, vt benè Doctor *quodlib.* 7. dicit hoc eſſe demonſtrabile, quia repugnat dari duas naturas intellectuales ſimpliciter infinitas. Videantur rationes, quibus probat vnitatem Dei *d.* 2. *q.* 1. quæ in ordine reſolutionis eſt ſecunda.

Benè ergo Auerroës 3. *de anima commento* 14. dicit *nullam Intelligentiam eſſe liberatam à potentia præter primam*, quod ideò eſſe verum probat D. Thom. 1. *p. q.* 3. *art.* 4. *q.* 5. *art.* 2. quia quælibet eſt cõpoſita ex potentia & actu, eſſentia, & eſſe, ſeu participante, & participato.

85

Auerroës.

D. Thom.

Sed meliùs Doctor *in* 1. *d.* 8. *q.* 2. vbi adſtruit triplex genus compoſitionis. Prima eſt ex entitate & priuatione alicuius gradus, & perfectionis, cuius capax eſt entitas abſolutè ſumpta; licèt quoad gradum ſpecificũ creaturæ ipſi repugnet. Ad iſtam conſequitur compoſitio ex actu, & potentia obiectiua: quidquid enim eſt ens, & caret aliqua perfectione entis, eſt ſimpliciter poſſibile, & terminus potentiæ ſimpliciter, cuius terminus non poteſt eſſe ens ſimpliciter infinitum. Tertia compoſitio eſt ſubiecti cum accidente, vt Angeli cum ſua intellectione, & volitione, quæ ſunt accidentia, &c. Hæc vltima compoſitio ſupponit ſecundam, quia quod non habet ex ſe *eſſe*, ſed ab alio, non habet etiam perfectionem eſſendi accidentalem quoad actum ſecundum, niſi in virtute alterius dantis *eſſe* ſimul cum actu ſecundo, vel virtutem reſpectu actus ſecundi.

*Triplex compoſitio.*

*Ordo inter compoſitiones.*

*Ordo vltimæ ad ſecundam.*

Si primum, actus ſecundus, vel eſt idem ſuæ ſubſtantiæ, & producitur ſimul cum ſua ſubſtantia eâdem productione; vel vt aliquid ſuperadditum, & realiter diſtinctum, vt eſt calor in igne, vt quidam volunt à generante ignem; vel, vt probabiliter ſuſtineri poteſt, ſecundùm Doctorem *in prædicto quodlib.* intellectio ſui in Angelo, quæ eſt ipſi connaturalis, eſt à Deo concreata ipſi: & ſic S. Auguſtinus *variis in locis* docet Angelum & primum hominem creatos fuiſſe in bona voluntate, vt hæc denotat actum ſecundum.

*Intellectio ſui concreata Angelo.*

Si ſecundum hoc dicatur, habetur intentum contra Auicennam, intellectionem non eſſe ſubſtantiam Angeli; ſed accidens realiter ſuperadditum, & diſtinctum à ſubſtantia realiter, quia forma ſubſiſtens nequit eſſe: ſi autem ipſe Angelus producit ſuam intellectionem, ſequitur idem, quia actio diuerſa eſt ad diuerſum realiter, quod nequit aduenire Angelo, niſi per modum accidentis ſeparabilis: vtraque autem compoſitio ſupponit primam, quæ fundatur in limitata ſubſtantia Angeli dependente, & participata à primo ente, & cauſa prima infinita & illimitata.

86

*Contra Auicennam.*

Vnde egregiè Doctor reſponſione ad ſecundum pro opinione, declarat, quid ſit eſſe participatum. *Dico*, inquit, *quòd* participare *eſt idem quod* partem capere, *ita quòd duplicem relationem importat, & partis ad totum, & capientis ad captum. Prima eſt realis, nec tamen ſumitur ibi* pars *propriè, pro eo, quod eſt aliquid rei; ſed extenſiuè prout omne minus dicitur pars maioris: omne autem finitum tale, eſt ſimpliciter minùs tale, ſi aliquid tale natum eſt eſſe infinitum; qualibet autem perfectio ſimpliciter nata eſt eſſe infinita: ergo vbicumque eſt finita, ipſa eſt minor alia perfectione ſimili, & ita pars extenſiuè*, &c. Sumit autem perfectionem ſimpliciter latè pro omni infinito intenſiuè etiam ente, quia eadem ratio currit, & obiectio cui reſpondet, concernit principaliter creaturam Angelicam, vt eſt participatum ens.

*Quid ſit eſſe participatum.*

Supponit ergo Doctor hanc doctrinam, quam aliàs *locis citatis* tractauit, nempe Angelum eſſe finitum in *eſſe*, habere potentiam intellectiuam finitam, habere intellectionem finitam: & ex hac triplici ſuppoſitione procedit ab inconuenienti, quod ſequitur: ſi Angelus per vnicam intellectio

87

*Vrgetur ratio facta ſuppoſitâ doctrinâ Philoſophorum.*

intellectionem cognoscceret omnia intelligibilia, etiam infinita,& disparata, sequeretur contradictorium primi, secundi, & tertij, quæ supponunt,& admittunt Philosophi.

*Intellectio infinitorum est infinita.*

Primum de intellectionis infinitate probat duplici medio. Primum,quia infinitæ intellectiones disparatorum obiectorum dicerent perfectionem infinitam in genere intellectionis, quia quælibet superaddit diuersam, ab ea,quam habet altera formaliter; sicut est diuersi obiecti formalis: ergo si vnicâ intellectione intelligerentur infinita illa distinctè, hæc includeret eminenter totam collectionem perfectionis aliarum, & sic esset infinita intensiuè, non extensiuè tantùm, quia esset vnicus.

Ratio bona, quia sic colligunt Theologi, & Patres,in Deo esse omniscientiam, tanquam perfectionem formaliter infinitam, etiam vt extenditur ad obiectum secundum. Hic autem actus vnicus intelligendi benè dicitur à Doctore, eminenter includere totam collectionem illam infinitarum intellectionum, quia sicut omniscientia Dei non dicitur infinita per additionem gradus ad gradum, sed vnitiuè eminenter includens in simplici entitate expressionem formalem omnium intelligibilium: sic etiam ille actus non posset coalescere ex differentibus gradibus, quia illæ intellectiones nequeunt sic facere vnum, cùm repugnet vnam fieri alteram (sic vt dispositio transit in habitum, aut remissa forma in intensam) aut ex omnibus fieri vnam: sic illa intellectio vnica esset simplex,& altioris ordinis,& altioris obiecti, eminenter includentis omnia obiecta aliarum.

*Concluditur omniscientia in intelligentia.*

*Secunda ratio ad idem.*

Secunda ratio ad idem est à sensu contrario, ex determinatione intellectionis finitæ ad finitum,aut finita obiecta, vltra quæ repugnat eam transcendere mensuram;sed actus ille vnicus Angeli,qui poneretur infinitorum obiectorum, non sic determinaretur: ergo transcenderet genus finitæ intellectionis.

88 q *Secundò probatur ex parte intellectus Angelici*,&c. Ratio est clara, eâque sæpiùs vtitur Doctor aliis in locis. Respondet tamen ad vtramque rationem, negando intellectionem esse perfectiorem, eo quòd sit plurium.quia intellectio collatiua lapidis ad lignum non est perfectior, quàm sit illa, quæ est absoluta lapidis,quamuis illa sit plurium.

*Secundum medium contra Philosophos. Responsio.*

*Impugnatur.*

Hanc impugnat,ex eo, quòd non requiritur maior perfectio in causa,nisi propter maiorem perfectionem in effectu: ad intellectionem autem collatiuam duorum,requiritur in memoria, ratio per se intelligendi vtriusque, nempe species vtriusque; ad intellectionem absolutam alterius non exigitur,nisi vnica tantùm species: ergo illa est perfectior.

*Perfectio maior requisita in causa infert maiorem perfectionem in effectu.*

*Collatiua perfectior apprehensiua intellectione.*

Patet etiam idem,quia posse conferre vnum ad alterum, est perfectio maior intellectus supra sensum, vel si detur hæc potestas etiam phantasiæ, est propter perfectionis excessum supra sensum externum; collatio autem intellectus superaddit, quòd sit indicatiua, quod non conuenit phantasiæ: ergo etiam hæc perfectio redundat in actum collatiuum,ex cuius perfectione colligitur excessus in potentia.

Dices,intellectio alicuius per additum est plurium,verbi gratiâ,relationis vt eâ intellectâ cointelligantur extrema, quod tamen non arguit perfectionem: ergo,&c.

*Responsio.*

Respondetur,negando assumptum, quia intellectio relationis per rationes cognoscendi extrema fit,ac proinde est perfectior in genere intellectio, quàm apprehensio alterius extremi absoluta.

Dices, Intellectus, saltem separatus,potest intelligere relationem primò.

*Obiectio soluitur.*

Respondetur hoc esse falsum,nisi accedant rationes cognoscendi extrema.

Dices,includit rationem entis, quod est obiectum intellectus: ergo potest mouere intellectum.

89 *Obiectio.*

*Responsio.*

Respondetur negando consequentiam, nisi accedat etiam motio eiusdem per extrema, quia sicut est ad aliud, ita etiam ad aliud intelligitur, quod ipsa relatio non includit in se, neque eminenter,neque virtualiter,neque formaliter; cùm sit posterius,& dependens ab extremis, tanquam prioribus essentialiter,quę nullam dicunt dependentiam à relatione,sed è contra: quod ergo includit aliud in esse intelligibili per modum obiecti,debet modo dicto illud includere.

*Relatio nequit primò mouere intellectum.*

Sed adhuc instabis: *intelligere* Dei, vt est obiectorum secundariorum, non recipit ab ipsis aliquam perfectionem, quamuis sit infinitorum possibilium, & finitorum, aut infinitorum futurorum,vt cogitationum cordium,quæ erunt infinita per totam æternitatem. Item, intellectio obiectorum secundariorum in Verbo plurium, non arguit perfectionem actus beatifici:ergo intellectionem esse plurium non est perfectionis.

*Obiectio ex intellectione obiectorū secundariorū.*

Item tertiò, non datur possibilitas infinitarum specierum,sed tantùm indiuiduorum:multiplicatio autem indiuiduorum non arguit perfectionem in causa quoad esse,quia aliàs ignis, qui posset producere infinita indiuidua, esset infinitæ virtutis, quod est falsum: ergo etiam non arguit perfectionem intellectionis, eam esse plurium indiuiduorum, quia intelligibilitas sequitur esse.

Respondetur scientiam Dei non recipere perfectionem ab obiectis secundariis, sed tamen extendi ad secundaria conuenit ipsi ex plenitudine propriæ perfectionis, & obiecti primarij, quod comprehendit, estque ratio perfectè repræsentandi secundaria: sic dicitur Deus in se ipso à Patribus cognoscere obiecta secundaria: hæc autem extensio arguit perfectionem in scientia. Vnde sicut si esset aliquod possibile, quod non contineretur sub obiecto omnipotentiæ, argueret priuationem eius,non quòd ex potentia productiua illius coalescat omnipotentia, sed quia infinita potentia debet continere in se quidquid potentia finita; sic etiam si esset aliquod scibile, quod nesciret Deus, non esset omniscięns, quia scientia infinita eius debet includere omnem scientiam eminenter, non quòd ex scientia huius & illius coalescat: vnde quamuis scientia alicuius quod futurum est, supposito quòd non esset futurum,posset non esse in Deo;tamen supposito quòd sit futurum, & habet illum gradum determinatum intelligibilitatis, nequit non sciri à Deo.

*Scientia Dei non recipit perfectionem à creaturis.*

*Extenditur ad ipsas ex propria perfectione.*

*Exemplum.*

*Omniscientia in Deo.*

Ad secundum respondetur,visionem in Verbo extendi posse, ex perfectione sui, ad obiecta secundaria,est perfectionis: vnde si dari potest aliqua visio Dei, cui repugnaret extendi ad secundaria,vt quidam adstruunt, non accederet ad perfectionem prioris; sicut & cognitio abstractiua, quam habuit Angelus in via, non solùm quia abstractiua, sed etiam quoad hoc, quod est, non

90 *Ad secundam obiectionem.*

*Extendi ad obiecta secundaria visionem, arguit perfectionem.*

extendi ad ſecundaria diſtinctè, deficit à perfectione, quam habet viſio beata de facto; hæc autem, quia facilis, & clara eſt, & habet obiectum perfectè applicatum, in quo cætera eminenter continentur, ipſi ſecundùm ſpeciem competit, vt poſſit extendi ad aliqua ſecundaria indeterminatè, (quidquid dicat Vaſquez:) quòd autem actu extendatur contingenter, & liberè, competit ab obiecto liberè mouente, & eam extendente: ex perfectione etiam entitatiua habet vna viſio ſupra aliam, vt poſſit ad plura ſecundaria ſimul extendi, quàm alia, quia perfectio, & capacitas extenſionis viſionis ad obiecta ſecundaria, ſequitur menſuram perfectionis, & intenſionis eiuſdem, ſecundùm quam attingit obiectum primarium; de quo latiùs *infrà* in materia de Beatitudine.

*Hæc perfectio vnde ſumatur.*

*Perfectio viſionis Chriſti creatæ ſupra reliquas.*

Vnde viſio Chriſti Domini ſecundùm intellectum eius creatum, ſicut intenſiuè excedit viſiones aliorum omnium (vt quæ eſt ſumma poſſibilis) reſpectu obiecti beatifici; ſic etiam excedit ſecundùm extenſionem, & capacitatem eius reliquas. Ex his patet ad obiectionem, videre enim plura intra latitudinem capacitatis viſionis beatæ, non arguit exceſſum, quia extenſio actualis ad hæc, vel illa, eſt ex beneplacito Dei liberè mouentis; habere tamen capacitatem extenſionis arguit perfectionem, vt iam dictum eſt. Quomodo autem fiat hæc extenſio, ſuo loco declarabitur.

91 *Reſponſio ad tertiam obiectionem.*

Ad tertium reſpondetur, & breuiter dico, quòd in actibus intellectus poteſt dari infinitas ſpecierum ſaltem, & multi negarent antecedens abſolutè, ſed tranſeat. Ad aſſumptum autem, concedo multiplicationem indiuiduorum non arguere perfectionem in cauſa producente, neque conſequenter in eo requirere ſpecialem virtutem, quia virtus eius, & potentia actiua, ſumit ſpeciem, & perfectionem à termino formali per ſe, & non à termino materiali, & per accidens: terminus autem per ſe potentiæ actiuæ, & formalis, eſt natura, in qua aſſimilatur agenti, vel formaliter, vel virtualiter: quod dico propter agens æquiuocum, quod tale eſt virtualiter, & eminenter, qualis eſt effectus formaliter. Indiuidualitates autem ſunt conditiones agendi, & terminandi productionem, non autem rationes formales, ideò per accidens, & materialiter ſe habent: nam quòd non poſſit produci natura creata ſine ſui multiplicatione, imperfectionis eſt; quod autem imperfectionis eſt, cùm procedit ex impotentia agentis, vel ex imperfectione, & limitatione termini, non cadit ſub intentionem agentis, cùm ſit priuatio perfectionis; ideò neque ad perfectionem eius facit.

*Indiuiduum aliter comparatur ad productionem, aliter ad intellectionem.*

*Materialiter ad productionem.*

*Formaliter ad intellectionē & intellectum.*

Cæterùm indiuidua, vt talia formaliter, cadunt ſub obiectum motiuum, & terminatiuum intellectus, & intellectionis, quæ ad ipſa eſt, non ſub ratione naturæ tantùm; ac proinde multiplicatio eorum reſpectiuè ad intellectum eſt multiplicatio obiecti formalis, inferens multiplicationem intellectionis formaliter.

92 *Tertium medium contra Philoſophos.*

r *Tertiò probatur*, &c. Tertium medium, quod eſt ex parte obiecti, probatur primò, quòd vna intellectio exigat vnam rationem, ſeu obiectum primum ſui, quia multiplicato obiecto multiplicatur intellectio; ſicut multiplicatâ menſurâ, multiplicatur menſuratum: obiectum enim eſt menſura intellectionis, quia hæc eſt ſimilitudo per expreſſionem, & imitationem obiecti, à quo eſſentialiter dependet: ergo etiam iſtius intellectionis vnicæ Angeli, oporteret dare vnum, & primum obiectum: vel dato oppoſito, oportet ex principio aſſignato dare plures intellectiones, ſicut plura obiecta prima.

*Ex ordine intellectionis ad obiectum primum.*

Supponit Doctor hîc eſſentiam Angeli eſſe primum obiectum, quo cognoſcit ſe ipſum Angelus, & id admittit Auicenna, contra quem diſſerit; aſſerit enim vnam Intelligentiam cognoſcendo ſe, producere alteram inferiorem: hoc ergo ipſum communiter ſupponitur quoad intellectionem illam, quâ cognoſcit ſe ipſam. Admittitur etiam à Philoſophis, qui dicerent quòd cognoſcendo ſe ipſam Intelligentia, cognoſceret omnia inferiora tanquam effectus; cognoſcit etiam ſuperiora tanquam cauſas ſui ipſius cognoſcendo ſe ipſum in ratione effectus: ſic ergo eadem eſſentia, vt relata ad diuerſa, nempe ad inferiora, vt ea cauſat, ſuperiora vt ab iis cauſatur, eſt obiectum vnicum, & ratio cognoſcendi vnius intellectionis Angelicæ.

*Suppoſitio argumenti admiſſa.*

*Eſſentia Angeli eſt vnicū obiectum ſui intellectus per Philoſophos.*

Hunc etiam modum imitatur Durandus *in 2. d. 3. quæſt. 8. num. 7. in reſponſione ad dubium*, vbi dicit, quòd omnia naturaliter intelligibilia ab Angelo ſub vno ordine intelligendi ei repræſentantur, nempe in ordine ad ſuam eſſentiam, quæ talem gradum tenet in entibus.

*Durandi ſententia.*

Hoc autem eſſe falſum probat Doctor: tum, quia ens infinitum cognoſcitur perfectè ab Intelligentia, ex opinione Philoſophorum, contra quos diſſerit; quomodo autem intelligat Angelus Deum, aut alia, perfectè diſſerit ex propria ſententia *in 2. d. 3. quæſt. 8. 9. 10. & ſeq.* Sed nullum finitum poteſt eſſe ratio intelligendi infinitum perfectè, id eſt, diſtinctè, & ſub ratione propria; quod rectè probat ratio ſequens, quia nihil poteſt eſſe ratio cognoſcendi alia à ſe perfectè, & diſtinctè, niſi eminenter contineat in ſe omnia illa ſecundùm intelligibilitatem, & conſequenter ſecundùm entitatem: eſſentia Angeli finita eſt: ergo neque Deum, neque alia quæ non ſic continet, poteſt repræſentare tanquam perfecta ratio cognoſcendi illa. Videatur *locis citatis*, vbi hanc maximam ſæpiùs applicat, & probat: reducitur autem ad illud, quod *intelligere*, ſeu intelligibilitas obiecti ſequitur eius *eſſe*, quod eſt Philoſophi.

*Impugnatur.*

*Nihil eſt ratio perfecta cognoſcendi aliud niſi eō ſtinet ipſum eminēter, aut virtualiter.*

Hanc maximam admittunt etiam Theologi, ac proinde in ſupernaturalibus exigunt maximè ad cognoſcendum Deum, propter talem exceſſum in entitate, & intelligibilitate, ſuperaddi diuerſum lumen ſupernaturale, vt fidei, & reuelationis, aut gloriæ; non ex alia ratione, ſi quæratur radix, niſi quia ex naturalibus non poteſt attingi, cùm excedat in entitate, & intelligibilitate. Loquitur autem hîc Doctor de cognitione perfecta & diſtincta Dei, ſub ratione propria, non autem de conceptu eius ſub ratione entis infiniti, aut cauſæ primæ, aut omnipotentis, & huiuſmodi, qui licèt ſint eo ſenſu conceptus proprij Dei, vt nulli alteri conueniant, vt obiecto, tamen non ſunt eius ſub ratione propria Deitatis, & huius entis, quà tale eſt, eo modo quo cognoſcitur à Beato, vel, iuxta mentem Doctoris, ab Angelo viatore, per ſpeciem concreatam, de qua *in 2. d. 3. quæſt. 9.*

93 *Admittitur à Theologis.*

*Agitur de cognitione diſtincta, & ſub ratione propria.*

Dices fortè, Angelum non cognoſcere Deum ſub ratione propria hoc modo ex opinione Philoſophorum, ſed priori modo, vt ſtatuunt Theologi, eum cognoſcere ex ſua eſſentia, vt habet rationem imaginis, vel vt eſt effectus Dei, cognitione

*Reſponſio.*

tione abstractiua, & sic quoad talem cognitionem obiectum primum esse ipsam essentiam Angeli.

*Impugnatur.* Contrà, Angelus haberet, etiam in sententia Philosophorum, aliquam naturalem beatitudinem, in qua perfectè quietaretur secundùm intellectum, de quo vide Doctorem *in 1. dist. 1. q. 1.* vbi differit contra sententiam Auicennæ, quam hîc impugnat, probans latè quòd non posset Intelligentia creata in alia creata beari, sed nequit potentia quietari in aliquo, nisi in quo includitur ratio sui primi obiecti, neque consequenter beari: ergo si essentia Angeli esset suum obiectum primum, & adæquatum principium intelligendi, sequitur quòd in se ipso bearetur, quod falsum esse probat *ibi* Doctor. Minor probatur inductiuè, quia id patet in omnibus potentiis operatiuis, experientia in visu, in voluntate, in appetitu; patet in omnibus suppositis, vt in Deo, Angelo, homine; patet ratione, quia quietatio potentiæ est, quatenus inclinatio eius innata est perfectè coniuncta suo obiecto primo, & adæquato, quod est perfectiuum eius per se, reliqua autem ratione illius: ergo si essentia Angeli est primum, & adæquatum obiectum, respectu sui intellectus, in ea perfectè quietatur, non solùm secundùm intellectum, sed etiam secundùm affectum.

*Beatitudo naturalis Intelligentiæ.*

*Responsio.* Dices esse primum motiuum in ratione principij, non tamen terminatiuum. Instare etiam licet quoad beatitudinem naturalem, quam plerique Theologi admittunt, (quidquid dicat Vasquez in oppositum) quam haberet creatura intellectualis in statu puræ naturæ, eámque consistere in operationibus circa Deum, ad quas non moueret Deus, licèt terminaret in ratione obiecti illas operationes, ad quas deuenirent creaturæ per viam effectus, & à posteriori: ergo non est de ratione obiecti beatificantis, & quietantis potentiam in determinato statu naturæ puræ, quem solum cognoscebant Philosophi, vt moueat potentiam, vel sit primum obiectum, hoc modo.

*Obiectū motiuū non esse terminatiuū beatitudinis naturalis.*

94 *Impugnatur.* Contrà, repugnat obiectum purè terminatiuum, in quo non includitur ratio motiui, esse potentiæ quietatiuum, aut etiam perfectiuum: exemplum est in creatura, vt comparata ad diuinum intellectum, neque eam perficit, neque quietat. Ratio assignari nequit, nisi quia non includit rationem obiecti motiui; sic etiam neque quietat, neque perficit per se beatificè intellectum beati, quia purè terminat; sic etiam obiecta materialia non perficiunt, neque specificant actum potentiæ.

*Merè terminatiuum non est quietatiuum.*

*Voluntas quiescit tantùm in bono infinito.* Hoc clariùs patet in voluntate, quæ non quietatur, nisi in bono, neque in aliquo vno quietatur vltimatè, nisi in eo, quod includit totam rationem boni sine imperfectione, in cuius possessione, & fruitione cessat motus sui appetitus ordinati, quia nulla est ratio boni, quæ in tali non contineatur perfectiùs, quàm in propria specie; ac proinde neque aliquid quod ordinatè vltra illud appeti posset, sine ordine ad ipsum.

*Idem est de intellectu.* Id patet de intellectu à simili, siue obiectū eius sit ens, siue verum, illud erit vltimum quietatiuum eius, quod includit omnem rationem entis, aut veri, sine imperfectione, & cum omni perfectione: ergo debet includere rationem motiui. Patet consequentia, quia, vt patet ex Doctore *q. 2. prologi*, proportio obiecti ad intellectum est motiui ad mobile: ergo illud cui repugnat mouere intellectum, nequit esse quietatiuum eius secundùm inclinationem naturalem, quia nunquam potest educere ipsam de potentia ad actum se ipso, ac proinde non inclinatur potentia ad ipsum, nisi in virtute sui primi motiui, quod per se respicit: ad purè autem terminatiuum inclinatur, vt reducitur aliquo modo ad suum motiuum.

*Proportio obiecti motiui ad intellectū.*

*Motiuum intendit assimilare sibi intellectum primò.* Quia motio obiecti respectu intellectus est naturalis; natura autem primò intendit assimilare sibi passum perfectè formaliter, si potest: virtualiter autem assimilare secundariò intendit. Intellectio autem ipsius obiecti formalis motiui est assimilatio formalis, alterius autem ab ipso est virtualis tantùm: sed passi inclinatio sequitur inclinationem actiuam agentis, mediante qua reducitur ad actum: ergo per se primò inclinatur ad formam, quam per se primò intendit agens; hæc autem est assimilatio formalis: quia omne agens, quod non agit in virtute alterius, nequit habere effectum perfectiorem, quàm sit per formam, in qua magis effectus assimilatur ipsi agenti, quia nec Deus, neque aliquid aliud, potest continere eminenter aliquid, quod excedit propriam formam: nec virtualiter, quia hæc continentia conuenit illi ratione perfectionis, quam dicit formaliter ex sua propria forma, per quam dicitur sic includere reliqua.

*Inclinatio passiui sequitur inclinationem actiui.*

*Nihil continet aliud eminēter, aut virtualiter, quod propriā formam excedit.*

Vnde sequitur veritas illius maximæ, quam adducit Doctor, quòd *omne obiectum causans cognitionem alterius, debet includere*, &c. Essentia autem Angeli non includit omnem rationem entis, neque omnem rationem motiui intellectus virtute, aut eminenter: ergo nequit esse obiectum primum, & adæquatum intellectus Angelici in ratione motiui, ex dictis.

*Angelus non includit totum ens.*

95 *Responsio ad instantiā de beatitudine naturali.* Per hoc patet etiam ad instantiam allatam de beatitudine naturali Angeli, hominis, aut animæ separatæ, quia si secludamus omnia auxilia extrinseca ab hoc statu (quod tamen fieri nequit, vt *infrà* monstrabimus) præter virtutem causarum naturalium, & concursum eis debitum actualem, & secundùm virtutem innatam, falsum assumitur, quia sic nunquam deueniretur in cognitionem Dei per creaturam, nisi per viam dependentiæ, ex qua procedit Philosophus.

*Creatura mouet occasionatiuè ad cognoscendum Deum.* Sic autem cognoscendo Deum non mouet creatura ad cognitionem eius, nisi occasionatiuè, & tanquam ratio cognoscendi cognita, non autem tanquam ratio non cognita primò mouens ad cognitionem eius; vnde non cognosceretur Deus esse, nisi cognosceretur dependentia creaturæ ad aliquid, quod excedit totum genus entis creati. Neque motum, neque ordinem causarum reduceret Philosophus ad aliquod vltimum, nisi ex cognitione creaturæ, in qua non inuenit aliquid per se vltimum, quod causalitatis, & motus dependentiam vltimò terminaret. Et hoc patet etiam ex demonstrationibus, quibus Theologi probant Deum esse, siue moralibus, siue Physicis, & Metaphysicis, quæ incipiunt ex creatura, vt cognita: sublato enim ordine essentiali causarum, tam naturalium, quàm moralium, aufertur medium demonstrandi Deum esse: ex cognitione ergo creaturæ assurgit intellectus per varias collationes, & discursus ad formandum conceptum proprium Dei sub ratione entis infiniti, primæ causæ, vltimi finis, &c. Habita autem intellectione hac propria Dei, sicut via naturæ inuestigari potest, Deus vt cognitus habet rationem obiecti motiui

*Quomodo fiat illa cognitio?*

motiui reſpectu intellectus,& voluntatis in ſtatu naturæ; ſicut procedendo ad cauſam ex effectu, primùm deuenitur ad cognitionem propriam cauſæ, ex hoc autem deinceps proceditur à priori per cauſam ad effectum.

Vnde non ſolùm obiectum dicitur motiuum, quatenus in ſe mouet immediatè, vel etiam in ſua ſpecie impreſſa,ſed quatenus mouet in effectu ad cognitionem ſui, vel in ſpecie expreſſa. Sic apprehenſiones cauſant cognitionem principij, & cognitio principiorum aſſenſum concluſionis. Dixi,*vt mouet in effectu*, non quòd effectus ſecundùm rationem abſolutam entis cauſet cognitionem, ſed quatenus ex aliqua conditione effectus, quæ redundat in cauſam, vt dependentia peruenitur ad cognitionem cauſæ, quia ſic effectus mouet in virtute cauſæ. Si dicas hunc modum ſufficere ad beatitudinem Angeli. Contrà, hic modus cognoſcendi eſt per diſcurſum, quem non admittunt Philoſophi in Intelligentia, nec ſufficit ad concluſionem inferendam ſola apprehenſio Dei,vt cauſæ primæ, à qua terminatur dependentia Intelligentiæ, ſine aliis principiis. Deinde ſaltem obiectum motiuum beatitudinis erit Deus,& conſequenter diſtinguetur ab eſſentia Angeli,eritque cauſata,quod eſt intentum.

96 *Ratio Doctoris.* Ad confirmationem dictorum adduco rationem Doctoris *in* 1.*d*.8.*q*.2. quæ ex dictis non eſt ſufficienter declarata, eſtque talis: Quia ſi intellectio Angeli eſſet ſuum *eſſe*, non dependeret ab aliquo obiecto, niſi à quo dependeret ſuum *eſſe*, & ita nihil inferius ſe, neque etiam ſe poſſet intelligere in genere proprio; ſed tantùm in obiecto ſuperiore mouente,vel cauſa producente;immò nihil poſſet aliqua Intelligentia intelligere, niſi in Deo, vel per intellectionem productam ab ipſo, &c. Supple, obiecto mouente.

Ratio hæc ſupponit, quòd intellectio creaturæ dependet ab obiecto motiuo ſuo: ſi ergo intellectio eius eſt ſua ſubſtantia, hæc autem producitur à ſolo Deo,à quo ſolo dependet,ſicut ſubſtantia eius, cui eſt eadem à ſolo Deo dependet: ergo, &c.

Hîc poſſet de facili impugnari Durandi ſententia de obiecto motiuo intellectus Angelici, *Impugnatur ſententia Durandi.* ſed breuitatis gratiâ id remittimus in proprium locum; ſequeretur enim quòd Angelus intelligeret per accidens tantùm reliqua à ſe, ſi tantùm ſub ratione ordinis ea intelligeret; ſicut conceptus Petri inquantum muſicus eſt,[1] eſt per accidens reſpectu Petri. Si autem dicat,quòd ratione *Ex ordine nõ ſequitur intentum.* huius ordinis includit reliqua quoad intelligibilitatem, abſurdiſſimum eſt, quia ſic ſequeretur quòd quælibet res, cùm dicat hunc determinatum ordinem ad reliquas res vniuerſi, includeret perfectè omnia quoad intelligibilitatem, verbi gratiâ,aſinus Angelum: ergo ſi Angelus includat intelligibilitatem omnium, neceſſe eſt id reduci in aliam cauſam diuerſam ab illo ordine: ſi autem intelligat Durandus ordinem perfectionis, reſtat declarandum quomodo Angelus inferior includat ſuperiorem,aut ſuperior Deum,per modum obiecti intelligibilis. Qui voluerit, poterit huc reuocare plures rationes Doctoris ex locis citatis.

97 *Tertia propoſitio præmiſſa ſuprà probatur contra Auicennam.* [f] *Tertia propoſitio eſt conceſſa ab Auicenna*,&c. Hîc tractat tertiam propoſitionem *ſuprà* præmiſſam contra Auicennam, quæ eſt talis: *Ad quodcumque producendum extra Angelum neceſſariò requiritur intellectio Angeli*, &c. hanc concedit Auicenna 9. *Metaph. cap*.4. vt viſum eſt *ſuprà*; & probatur, quia natura ſubſtantia intellectualis nihil producit,niſi per intellectum, aut voluntatem, aut vtrumque; patet, quia perſona diuina nihil producit ad intrà,vel ad extrà,ſine intellectu,aut voluntate: ſi enim natura eſſet principium producendi ad intrà, daretur aliqua perſona prior filio; ſicut eſſentia in *eſſe* naturæ eſt prior intellectu, qui eſt principium producendi filium: ergo priùs etiam produceret, & ſic eſſet quaternitas perſonarum in diuinis. Ad extrà etiam nequit eſſe principium immediatum producendi, quia ſic produceret neceſſariò, & non liberè,quia nequiret ſubordinari voluntati, & intellectui in producendo, ex ratione dicta. Suppoſito ergo quòd producere ſit perfectionis, ſicut ponitur formaliter in Deo, & nequeat conuenire eſſentiæ infinitæ immediatè,ſed mediantibus attributis,& proprietatibus, benè ſequitur quòd nec naturæ Angelicæ conueniat producere,niſi mediantibus dictis potentiis, earúmque actibus neceſſariò præſuppoſitis. *Subſtantia Intellectualis producit per intellectum.*

98 *An ſit in Angelo potentia executiua diuerſa à voluntate.* [t] *Sic et iam ponatur in Angelo*, &c. Hîc tangit illam controuerſiam, an in Angelo detur potentia executiua, ſeu motiua,ſaltem de facto, diuerſa à ſua voluntate,& intellectu, quamuis ipſis ſubordinata.Negat D.Thom. *q*.16 *de Malo.art*.1.*ad* 14. *Quodlibet*.6.*art*.2.& infinuat 1.*p. queſt*.54.*art*.2.*&* 79.*art*.1.*ad* 3. quem ſequitur Capreolus *in* 2.*d*.7. *q*.2.Heruæus *d*.14.*q*.1.*a*.4.Durand.*in* 2.*d*.2.*q*.5.Argent.*d*.8.*q*.1. & noſter Baſſolis *diſt*.14. *q*.1. Vaſquez *ſuprà*. *Sententia negatiua.* D.Thom. Capreolus. Heruæus. Durandus. Argentin. Baſſolis. Vaſquez.

Contrariam ſententiam videtur ſupponere Doctor *in* 4.*d*.10.*q*.7.*in principio,& in* 4.*d*.49.*q*.14. vbi admittit potentiam motiuam in anima ſeparata,aut communicata corpori glorioſo diuerſam ab organica: quod perinde dicendum videtur de Angelis, qui mouent alia corpora à ſe. Hanc tenet Tartaretus *hîc*.Mayronis *in* 1.*d*.43.*q*.4.Placet quibuſdam Thomiſtis cum Aureolo, *in* 2.*d*.8.& Henrico *Quodlibet*.13.*q*.6. Et ratio eſt, quia actio loco-motiua eſt diſtincta principio à volitione, quia illa eſt tranſiens, hæc immanens. Deinde voluntas,ſi argumentari libet ex nobis, non agit actione tranſeunte in actus potentiarum, quæ in eadem ſubſtantia radicantur: ergo etiam neque in materiam externam agit. Angelus autem mouet corpora, & quidquid ſtatuendum eſt principium motus aliorum à ſe; eſt etiam principium mouendi ſe in Angelo. Item tertiò, non videtur maior determinatio fieri in voluntate creata, quàm ſit imperium,vel volitio efficax motus, ſed imperium ſupponit aliquam potentiam ſubiectam,cui imperatur: volitio efficax motûs antecedit motum,& fit ſine motu ſequente,vt in ſpiritibus, qui detinentur in igne Inferni, datur voluntas interſiſſima mouendi ſe ex illo carcere, ſine motu aliquo: debet ergo motus prouenire ab alia potentia, quæ impediri poteſt;nam ſi eſſet à voluntate, videtur ſufficere ad eum actus præmiſſus,quantùm eſt de ſe efficax. Tartaret. Mayron. Aureolus. Henricus. *Probatur.* *Voluntas creata non agit actu tranſeunte, vt principium elicitiuum.*

Quidquid de hoc ſit;ſi aliquis ſtatueret in Angelo potentiam executiuam diuerſam à voluntate,ſubeſſet voluntati, ſicut executiua; & ſic non poſſet ſine actu voluntatis, & intellectus aliquid producere,& ſtat ratio. 99 *Tranſitus ad ſcopum principalem.*

Sed quomodo ſubſiſtit ratio,ſi ſupponitur per ſe actus ille voluntatis ſolùm, tanquam principium producendi, vel tãquam actus productiuus; *Obiectio.*

hîc

hic ergo assignas medium inter illa, si daretur aliqua potentia diuersa à voluntate, quæ esset creatrix, licèt voluntati subiecta, sicut executiua, quia actus voluntatis esset applicans & imperans, non autem principium formale producendi, aut actus productiuus contra dicta.

*Responsio.* Respondetur, quòd actus voluntatis esset principium, in eo casu, producendi, quia applicaret potentiam inferiorem. Deinde Doctor hîc tantùm intendit probare, dato eo, quod non admittit, necessariò præsupponi actum voluntatis, & intellectus Angelici, in ordine ad quamcumque actionem potentiæ ab his diuersæ, quia tertiam propositionem probat: data etiam potentia executiua diuersa, quæ esset creatrix; hoc autem non præiudicat primæ propositioni eius contra Auicennam, qui admittit creari Intelligentiam per actum intellectus; neque probationi, vt patet ex præmissa impugnatione responsionis Durandi, vbi probatum est non posse sic dari potentiam creatiuam mediam.

*Confirmatio responsionis.* Hîc etiam probari potest hac vnica ratione supponendo hanc tertiam propositionem Doctoris, quia nulla potest esse in natura intellectuali, & immateriali potentia perfectior in *esse*, quàm sit voluntas, & intellectus, mediantibus quibus beatur, & quibus reliquæ, si quæ essent, subordinantur: sed hæ agunt dependenter à subiecto: ergo & alia quæcumque. Minor iam probata est abundè. Consequentia patet, quia modus operandi sequitur modum essendi, & perfectio illius redundat ex perfectione huius, sed perfectionis est in quocumque principio agendi effectum, agere independenter à materia; hoc enim arguit eius perfectam actualitatem in essendo: ergo nequit conuenire potentiæ inferiori, & dependenti à voluntate, & quæ habeat rationem executiuæ, & applicabilis per voluntatem, cùm repugnet ipsi voluntati.

*Potentiæ rationales sunt perfectissimæ potentiæ.*

*Agere independenter à materia est perfectionis.*

*Non conuenit potentiæ inferiori voluntate in creatura.*

*Confirmatio.* Confirmatur, quia si vna potentia Angeli agit dependenter à materia, omnes ita agunt: ergo nulla in agendo absoluitur à materia. Probatur antecedens, quia actualitas potentiæ in essendo est actualitas subiecti, à quo non distinguitur realiter: ergo perinde quælibet habet eandem actualitatem, cùm æquè omnes identificentur eidem substantiæ immateriali, & consequenter si aliqua non absoluitur in agendo à subiecto; sic etiam nulla absoluitur.

Si autem dicas distingui has potentias realiter à subiecto, idem à fortiori sequitur, quia sic erunt accidentia inhærentia subiecto; ac proinde nulla in actione absolui poterit à subiecto. Dato itaque quòd antecedat actus voluntatis, & intellectus, actionem potentiæ cuiuscumque in Angelo, qui actus, ex propositione secunda cum suis probationibus, sunt accidentia, sequitur quòd Angelus nequeat creare, quæ est conclusio intenta contra Auicennam.

u *Ad rationes pro opinione Auicennæ*, &c. Hîc respondet fundamento Auicennæ. Responsio autem est facilis ex litera. Ad primum, negatur antecedens, ad cuius probationem respondetur, quòd in agente per intellectum, sufficiat distinctorum cognitio, vt immediatè causet plura, & sit multiplex in causando, quamuis in essendo vnum; distinctio enim productorum oritur ex ipsis productis, quia sunt diuersæ naturæ, & entitatis, non verò à causa: & dato quòd à causa, sufficit obiectiua in cognitione distinctio, vt patet in ideis, quæ sunt rationes faciendorum in Deo. 101

*Respondetur fundamento Auicennæ.*

*Distinctio effectus vnde est?*

Et ratio hæc est ad oppositum conclusionis, quam intendit, quia siue tertia Intelligentia producatur immediatè à Deo, siue mediatè, non variat entitatem, ac proinde eodem modo distinguitur à secunda. Exemplum est ad hominem, quia anima, per ipsum producitur ab vltima Intelligentia in ordine, sed anima est multiplex. Addo, quòd sicut secunda Intelligentia intelligendo se, producit tertiam, quòd Deus perfectissimè etiam intelligat secundam: ergo potiùs est causa tertiæ, quàm secundæ, quia est prior, & perfectior intelligens: vnde nulla est ratio quin producat tertiam sicut secundam: nam eadem imperfectio, quæ redundaret in ipsum, ex productione tertiæ, perinde sequeretur ex productione secundæ, nempe limitatio, & finitas effectus, quam reducere solent Philosophi in causam proximam, & particularem; ideóque negarent Deum concurrere immediatè ad effectus sublunares, aut ad motum cœli: quæ ratio friuola est, quia certum est quando ex propria forma effectus limitatur, nihil inde redundare in causam eius, quia non arguit minorem virtutem in ipso, aut priuationem causalitatis requisitæ: sed incapacitatem in effectu.

*Retorquetur ratio sua in Philosophos.*

*Instantia de anima, quæ multiplicatur.*

*Deus immediatè causat Intelligentias*

*Imperfectio effectus non reducitur semper in causa.*

Ad secundam rationem, *perfectum est vnumquodque*, &c. Loquitur Philosophus in iis causis, quæ propriam naturam communicare possunt; quando autem natura est talis in essendo, vt exigat causam superiorem in sui productione, colligitur inde maior eius perfectio, quàm si à simili in specie produceretur; quia, vt *suprà* dictum est, excessus perfectionis in causa arguit perfectionem correspondentem in effectu, si causa necessariò exigitur.

## SCHOLIVM.

*Pro resolutione notat dupliciter sumi causam principalem, & definit instrumentum, si est propriè actiuum, debere agere ad aliquam dispositionem præuiam termino principali, vel attingere ipsum terminum principalem, virtute tamen principalis causæ. Hoc secundo modo, sigillator vtitur sigillo. Ponit modum dicendi Varronis sui magistri, nempe non posse probari ratione, creaturam non esse creatiuam: item modum dicendi Landulphi, qui oppositum tenet, sed non explicat.*

26 *Agere principaliter fiat dupliciter.*

Ad quæstionem x ergo, quia fit difficultas de *creare instrumentaliter*, & *principaliter*; ideò primò sciendum est, quòd aliquid agere principaliter, potest intelligi dupliciter. Vno modo excludendo omnem causam

x *Ad quæstionem ergo*, &c. Hæc est tertia pars principalis huius quæstionis, in qua habetur resolutio principalis, eiúsque probatio; præmissâ duplici acceptione tam causæ principalis, quàm instrumentalis, concludit quando instrumentum est propriè actiuum, necessariò habere formam aliquam 102

*Resolutio principalis huius quæstionis.*

cauſam ſuperiorem agentem, vt ſic *agere principaliter*, ſit agere independenter à cauſa ſuperiore agente. Alio modo poteſt intelligi *agere principaliter*, id eſt, per formam propriam, & intrinſecam agenti, licèt in agendo per eam ſit ſubordinata cauſæ ſuperiori agenti. Si contra cauſam principalem primo modo dictam diſtinguatur inſtrumentum, ſic omnis cauſa ſecunda poteſt dici inſtrumentalis. Si autem contra ſecundum modum diſtinguatur inſtrumentum, tunc illud poteſt dici inſtrumentum, quod non habet in ſe formam actiuam in ſuo ordine, etiam dependendo in actione ſua ab alio ſuperiore: ſed tantùm agit per actualem motionem alicuius alterius mouentis, vt patet de inſtrumentis artificis, vt ſecuri, ſerra, & huiuſmodi: quia ſi inſtrumentum ponatur propriè actiuum ad aliquem terminum, neceſſe eſt ipſum habere formam aliquam intrinſecam actiuam, vel in *eſſe* quieto ante omnem motionem alterius agentis, vel in *fieri*, quando totaliter mouetur à ſuperiore agente: ſi enim neutro modo habeat formam actiuam, nullo modo propriè aget. Cùm enim actus primus ſit principium actus ſecundi, quod nullum actum primum habet in ſe actiuum in ſuo ordine, in nullum actum ſecundum poteſt in illo ordine; alioquin quodlibet poſſet poni inſtrumentum reſpectu cuiuslibet: & poſſet dici, quòd Deus per muſcam, vt per inſtrumentum, crearet Angelum, quod nihil eſt: ſi enim alicui naturæ repugnat quòd ſit principium actiuum aliquarum actionum, non eſt poſſibile, quòd per potentiam quamcunque ſit principium illarum. Etſi enim poſſet Deus abſolutè creare frigus, non tamen poſſet per calorem, ita quòd calor ſit in aliquo ordine cauſa actiua reſpectu frigoris: vel in aliquo alio exemplo, vbi talis eſſet repugnantia ad agendum.

*Omne actiuũ habet formã permanentem vel in fieri, quã agit.*

*Calor non poteſt eſſe cauſa frigoris.*

Ex hoc patet, quòd inſtrumentum ſi ponatur propriè agere ad effectum, vel habet in ſe formam actiuam in *eſſe* quieto ante motionem, ſicut cauſa ſecunda: vel ſaltem in motione actuali recipit formam actiuam, quâ agit in ſuo ordine agendi: & hoc vel ad terminum principalem, vel ad aliquam diſpoſitionem præuiam, vt ſic vniuerſaliter ſit iſta propoſitio vera: Omne inſtrumentum, quod eſt propriè actiuum, vel agit ad aliquam diſpoſitionem præuiam termino principali, vel per aliquam formam intrinſecam attingit terminum principalem, licèt in virtute principalis agentis: & hoc ſiue illa forma intrinſeca præcedit motionem, ſiue tantùm inſit ſibi, dum actualiter mouetur.

aliquam intrinſecam, per quam conſtituatur per modum actus primi ad actionem, quæ eſt actus ſecundus, eámque formam vel in *eſſe* quieto, vel in fieri, id eſt, dum actu mouetur, debere ineſſe. Aliàs ſi non requireretur talis virtus actiua, vt principium agendi, ſequeretur quòd quodlibet aſſumi poſſet vt inſtrumentum reſpectu cuiuslibet, & poſſet Deus per muſcam creare cœlum, quod eſt futile, quia ſi alicui naturæ repugnet, quòd ſit principium aliquarum actionum, non eſt poſſibile, per quamcumque potentiam adhibitam, vt ſit principium earum, etſi poſſet Deus abſolutè creare frigus, non tamen per calorem, ita vt calor ſit in aliquo ordine principium actiuum frigoris, id eſt, in ordine cauſæ principalis, aut inſtrumentalis, cauſæ naturalis, aut ſupernaturalis.

*Inſtrumẽtum actiuum debet habere principium actionis.*

Hinc habes reſolutionem Doctoris circa potentiam illam obedientialem actiuam, quam ſtatuunt quidam moderni in omni ente per modum virtutis inchoatæ, vt quidam volunt. Eam negabis ex his principiis, quia nimis liberè, & ſine vrgenti fundamento aſtruitur; hanc tamen diſſertationem breuitatis causâ hîc omittemus, quia etiam conceſsâ tali potentiâ obedientiali, non ſequitur eam facere ad terminum creationis, neque vt inſtrumentum diſponens præuiè, quia id repugnat termino creationis, vt ſupponat diſpoſitionem ex parte obiecti, cùm nullum præexigat: ſi autem ex parte agentis per modum alicuius determinationis prioris, vel applicationis, perinde fieri poteſt à cauſa principali, ſecundùm virtutem innatam, & talis diſpoſitio non abſtrahit à ſubiecto: ergo ad eã fruſtrà fingitur potentia obedientialis ex hoc capite.

*Potentia obedientialis actiua, & vniuerſalis in omnibus negatur.*

Suppoſitâ itaque illâ conditione circa formam actiuam inſtrumenti, & communi ſententia Theologorum, quâ aſſeritur Deum agere principaliter in omni actione cauſæ ſecundæ, & hoc modo non poſſe creaturam agere principaliter ad creationis terminum, id eſt, ſine ſubordinatione ad Deum cauſam ſuperiorem; ſumendo tamen cauſam principalem pro ea, quæ agit per virtutem innatam, cum ſubordinatione prædicta ad primam cauſam, licèt etiam neque agat ad terminum creationis, aut agere poſſit, ſupereſt dubium, an hæc concluſio negatiua teneatur ſolâ fide, an etiam ratione probari poſſit. Negat Varro ſecundum *in* 2. *d.* 1. *q.* 6. aſſerit verò Landulphus *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. & *Quodlib.* 1. quia ſicut formalis, & materialis neceſſariò ſe exigunt, ita etiam efficiens limitatum exigit materiam concomitantem *ad fieri* rei, quia agens limitatum eſt: Deus autem, qui eſt ſupra totum genus agentis limitati, non ſic exigit materiam, quia eam in ſua virtute includit.

103

*An concluſio ſit ſolùm de fide duplex ſententia.*

*Varro affirmat. Landulphus negat. Fundamentũ ſecundæ ſententiæ ex ordine cauſarum mutuo.*

Dicit autem Doctor, quòd licèt hæc ratio fundata in limitatione agentis creati, ſit per cauſam, tamen non eſſe adeò plus notam in hac generalitate, quàm ſit ipſa concluſio. Ideò tertium modum proponit ipſe Doctor §. *ſequenti.*

*Ratio illa eſt per cauſam, ſed non manifeſtior.*

27 Ad propoſitum, patet, quòd nihil aliud à Deo poteſt principaliter agere in quâcunque actione, ſumendo *principaliter* primo modo, & hoc planum eſt ſecundùm Theologos, qui dicunt Deum principaliter agere in omni actione. Sed ſumendo ſecundo modo,

triplex

triplex est modus dicendi. Vnus, quòd conclusio ista negatiua tenetur solâ fide, propter auctoritates Sanctorum: nec potest ratione probari; non enim patet euidenter quare repugnat creaturæ producere aliquem effectum totum, & totaliter, nullo eius præsuppositio, cùm quilibet effectus sit imperfectior tali causâ agente: & per consequens possit contineri in eâ eminenter, ac per hoc virtualiter, & actiuè. Hoc patet explicando causas effectus. Nam illud quod est perfectius formâ, est etiam perfectius materiâ, quia forma est perfectior, quàm materia, 7. *Metaph.* ergo si causa potest habere in virtute suâ actiuâ formam, non videtur repugnare perfectioni eius, quòd in virtute sua habeat materiam: & sic totum effectum. Si etiam plures Angeli possint esse eiusdem speciei, vt dicitur *in secundo libro*, non apparet quare Angelus non potest Angelum producere, sicut ignis ignem: nam vtrobique productum habet proportionem eandem ad perfectionem producentis.

*Var. lib. 2, dist. 1. q. 6. putat ratione nõ constare quòd creare nequeat creatura.*

*Text. 7.*

*Dist. 2. q. 7.*

Alio modo ponitur, quòd conclusio negatiua potest ostendi per rationem, & hoc vniuersaliter de qualibet creatura, quia sicut causa materialis & formalis secundùm totum genus suum necessariò requirunt se inuicem in causando rem in *esse* (nunquam enim forma est causa formalis alicuius, nisi materia insimul sit causa materialis eiusdem) sic totum genus efficientis causæ, quod includit omne efficiens limitatum, habet necessariam concomitantiam cum materia quantùm ad *fieri* rei. Sicut enim forma & materia sunt causæ in *esse*: sic efficiens, & materia in *fieri*. Impossibile est ergo aliquod efficiens limitatum agere ad effectum producendum, nisi simul concurrat materia quasi principium *ex quo*, requisitum in *fieri*, in quo recipiatur forma, quæ est terminus formalis actionis, & ex qua vt ex parte constituitur compositum, quod est primò productum: Deus autem non requirit in actione sua materiam concomitantem, quia est supra totum genus causæ efficientis, quia est agens illimitatum. Ratio ista licèt dicat *propter quid* consequentis, (scilicet limitationem efficientis, quæ determinat ipsum ad requirendum materiam in agendo:) tamen istud *propter quid* non est multum euidentius consecutione, vt patet intuenti.

*Landulph. in 4. dist. 1. q. 1. & in quodl. q. 1.*

## SCHOLIVM.

*Ponit Doctor tres conclusiones. Prima*, Spiritus creatus non potest principaliter creare substantiam, *quia non potest producere nisi per intellectionem, & volitionem, quæ sunt accidentia. Secunda*, Forma materialis non est creabilis à creaturâ, *quia non potest esse prius naturâ, quàm informet, alioquin posset separata à creaturâ conseruari. Tertia*, Forma materialis non potest creare, *quia sicut dependet à materia in quâ sit, ita & ab eâdem, in quam agat.*

28 *Concluf. 1. Creaturam ſpiritualem nõ poſſe creare ſubſtantiam.*

Ideò [y] dici potest tertio modo, quòd creatura non potest creare principaliter, modo prædicto, scilicet per formam intrinsecam actiuam, respectu termini in suo ordine agendi: & hoc probatur per rationem, sed non communem omni creaturæ; sed per plures de diuersis creaturis speciales, vt sit prima conclusio ista: *Nulla natura merè intellectualis creata potest creare substantiam.* Hæc fuit probata suprà in improbando opinionem Auicennæ, quia cuiuslibet talis naturæ intellectio, est accidens, & nihil potest producere, nisi per actum intelligendi & volendi; qui non esset necessariò præuius, si posset creare substantiam. Nam inter principium actiuum perfectum in suppositio perfecto, & substantiam terminantem actionem, non necessariò mediat aliquod accidens, secus autem est de Deo, cuius intellectio, & volitio sunt essentia eius; & ideò per intellectionem, & volitionem potest substantiam producere: creatura autem non sic.

*Concluf. 2.* Secunda conclusio est: Nulla forma materia

y *Ideò dici potest tertio modo, quòd creatura non potest creare*, &c. Hæc conclusio Doctoris quoad primam partem est communis Patrum, & DD. quos vide citatos à Scholiaste, *sequenti scholio.* Quoad secundam partem statuit tertium modum, in quo differt à sententia Landulphi; nempe probari conclusionem ratione, non tamen generali, quæ communis sit omni creaturæ, sed procedendo in particulari, & inductiuè, per omnia principia agendi, & ex natura effectuum. Ideóque illum principalem reducit ad tres conclusiones in specie, quas ordine suo probat.

104 *Probãda concluſio inductiuè, & ſpecie.*

Prima est quòd *Creatura spiritualis nequeat creare substantiam.* Hanc probauit *superiùs*, quia agit mediante intellectione, & volitione, quæ sunt accidentia, tanquam principiis producendi, vel tanquam præsuppositis necessariò ad productionem.

*Prima concluſio, quod creatura ſpiritualis nequeat creare.*

*Secunda conclusio: Nulla forma materialis potest creari à creatura*, &c. Probat, quia priùs naturaliter forma vt creatur, est ab efficiente, quàm informet materiam. Patet, quia producitur in *esse* sine dependentia à materia: ergo priùs naturaliter, quàm informet materiâ, & nisi produceretur alia actione præter informatiuam, produceretur per mutationem propriè dictam, quod est contra suppositum: sed nequit forma materialis esse à creatura priùs naturaliter, quàm sit informans

*Secunda concluſio.*

*Formâ materialē à creaturâ creabilem non eſſe.*

terialis poteſt creari à creatura. Quæ probatur ſic: Forma quæ creatur, priùs naturaliter eſt à cauſâ efficiente, quàm materiam informet: forma materialis non poteſt eſſe ab aliqua creatura, priùs naturaliter, quàm informet materiam ſuam, vel potentiale ſuum: ergo, &c. Probatio maioris, quia ſi non priùs naturaliter: ergo non accipit *eſſe* à cauſa, niſi illa actione, quâ ſubiectum informatur: ſed illa informatio eſt mutatio propriè dicta, & ita non creatio. Probatio minoris, nulla creatura poteſt formæ materiali dare *eſſe* abſolutum in ſe, hoc eſt, abſque hoc quòd informet ſuum potentiale: quia ſi poſſet ſic dare *eſſe*, poſſet & illud conſeruare, vt realiter virtute creaturæ maneret in aliqua duratione talis forma ſine materia. Formam autem materialem dico eſſe omnem illam, quæ ex natura ſua neceſſariò inclinatur naturaliter vt ſit actus materiæ, ſiue ſit ſubſtantialis, ſiue accidentalis.

*Concluſ. 3.*

Tertia concluſio[2] eſt: Nulla forma materialis poteſt eſſe principium creandi aliquid. Quæ probatur, quia ſicut in eſſendo præſupponit materiam in qua ſit, ita in agendo præſupponit materiam in quam agat; alioquin terminus actionis eius eſſet abſolutior à materia, quàm ipſa forma.

29 *Formam materialem non eſſe creatiuam.*

Ex his concluditur propoſitum ſic: Nullus Angelus poteſt ſubſtantiam creare (ex prima) nec accidens aliquod (ex ſecunda) quia accidens à creatura creari non poteſt: ergo Angelus non poteſt creare, nec ſubſtantia materialis poteſt aliquid creare, quia non poteſt agere niſi per formam ſuam (accidentalem, vel ſubſtantialem, non curo.) Nam materia etſi aliquod ens ſit, tamen ita infimum eſt, quòd non eſt principium alicuius actionis productiuæ. Forma autem materialis non poteſt aliquid creare, nec per accidens aliquod poteſt eſſe principium creandi aliquid, ex tertia concluſione: ergo ſubſtantia materialis nihil poteſt creare: ergo nec immaterialis, nec materia poteſt aliquid creare: nec accidens aliquod poteſt eſſe principium creandi, vt dictum eſt ex tertia.

Poteſt etiam ſpecialiter probari, quia ſubſtantia materialis non poteſt producere materiam, & per conſequens nec totum effectum producere, nullo præſuppoſito. Hoc probatur ſic, quia quando aliqua ſecundùm totum genus ſuum habent aliquem ordinem ad inuicem, quodlibet vnius, habet ſimilem ordinē ad quodlibet alterius. Exemplum, ſi albedo ſecundùm totam ſpeciem ſit prior nigredine, & quælibet qualibet: ſed quælibet forma materialis materiam: aliàs ſi poſſet in *fieri* dare *eſſe* abſolutum eidem à materia, poſſet etiam conſeruare eam in tali *eſſe*.

*Contra hanc concluſionem obiicitur primò.*

Hæc ratio ſupponit formam materialem dependere à materia, ſiue accidentalis ſit, ſiue ſubſtantialis: videtur ergo peti principium. Nam ſuppoſito, quòd crearetur, iam tollitur illa dependentia.

*Obiicitur ſecundò, quòd forma ſubſtantialis non dependeat à materia.*

Secundò, aliqui negarent formam ſubſtantialem dependere per ſe, & natura ſua à materia, quia eſt per ſe exiſtens, & proinde non tantum dependet, quantum accidens abſolutum: hoc autem ita dependet vt aptitudine, & non actu neceſſariò dependeat, vt patet in accidente ſeparato.

*Obiicitur tertiò.*

Tertiò, illa conſequentia vel non ſequitur, vel ſi ſequitur, non eſt inconueniens, quòd producens independenter à materia, poſſit etiam conſeruare formam vt ſeparatam à materia, & ſubiecto.

*Obiicitur quartò.*

Quartò, contra maiorem illam, videtur de facto etiam priùs naturaliter exiſtere forma, quàm informet, quia cauſa ſupponitur ad effectum; informare eſt effectus, deinde ſupponitur ad vnionem exiſtentia formæ, quia eſt ſubiectum eius: vnio autem ad informationem ſupponitur, vt inhærentia albedinis ad eſſe album.

105 *Reſpõſio ad primam.*

Reſpondetur, ſuppoſitionem illam abſolutè admitti ab omnibus Philoſophis, qui admiſerunt genus cauſæ materialis diuerſum à reliquis cauſis: negatur autem aſſumptum, quia agens poteſt dupliciter dependere à materia. Primò ratione ſui, quia aliter nequit agere ex genere ſuo. Secundò ratione termini, nempe formæ productæ, quæ ſpecialiter dependet à materia ex ſe, naturaliter loquendo, à quacumque cauſa producatur, verbi gratiâ, accidens. Suppoſito autem quòd aliqua cauſa ſecunda crearet, abſolueretur forma à materia, quantùm ad dependentiam fundatam in modo cauſandi efficientis, non autem quantùm ad dependentiam fundatam in propria natura formæ: neque ſequitur, poteſt agens creatum producere aliquid creando: ergo poteſt creare accidens. Sicut neque ſequitur, Deus poteſt producere independenter à materia: ergo relationes & modos, & huiuſmodi, etiam poteſt producere independēter à materia. Quando autem repugnantia ineſt per plures cauſas, amotio vnius non remouet repugnantiam, niſi ſecundùm quid, ſcilicet inquantum in tali cauſa fundatur; ſic poſitâ creatione tollitur dependentia, quæ eſt ex modo agendi cauſæ; non autem illa, quæ eſt ex materia formæ.

*Duplex dependẽtia cauſa ſecundæ à materia.*

*Forma materialis dependet à materia.*

*Reſpõſio ad ſecundam obiectionem.*

Ad ſecundum reſpondetur ex communi Theologorum, & Peripateticorum ſententiâ, conſtare contrarium: nam ſi ideò tantùm forma materialis ſubſtantialis dicitur dependere à materia, quia ex voluntate agentis ſupremi cõſeruatur, & producitur in materia, non quia id exigat per ſe; ſequeretur quòd nulla eſſet differẽtia, quantum eſt ex natura formæ inter animam rationalem, & animam bruti, quantùm ad immortalitatẽ, quod eſt abſurdum. Vnde quòd forma ſit abſoluta, quòd per ſe exiſtens, non abſoluit eam à dependentia à materia quantumlibet minùs dependet, quàm accidentalis, quæ eſt forma ſecundùm quid, vt comparatur ad ſubſtantialem, quæ dat actum ſimpliciter & per ſe.

106 *Reſpõſio ad tertiam obiectionem.*

Ad tertium reſpondetur conſequentiam eſſe bonam, quia dare *eſſe* abſolutum, & ſeparatum à materia, eſt ſupplere materiam in quantùm ab ea dependet forma in *eſſe* ex propria natura; quidquid

rialis ſecundùm totum genus ſuum, eſt poſterior origine totâ materiâ ſuâ receptiuâ: ergo quælibet talis forma eſt poſterior ad quamlibet materiam; ſed poſterius origine, vel generatione, non eſt principium producendi modo illo prius: ergo forma ſubſtantialis non poteſt creare materiam. Confirmatur iſtud, quia forma materialis dependet in eſſendo à materiâ: ergo in agendo non poteſt eſſe principium producendi aliquid eiuſdem rationis cum materia: videtur enim repugnantia, quòd in agendo per ſe dependeat ab aliquo eiuſdem rationis cum termino, quẽ producit.

30 Si inſtes de forma ſubſtantiali, & qualitate conſequente eam, quòd illa qualitas ſequatur formam ſubſtantialem generantis, & tamen aliquo modo eſt cauſa formæ ſubſtantialis ipſius geniti: licèt ergo forma ſubſtantialis, & qualitas propria ſecundùm genus ſuum habeant ordinem, quia forma ſubſtantialis eſt prior, non tamen quælibet, qualibet, immò tantummodo in quocumque eodem, forma ſubſtantialis eſt prior ſua qualitate, licèt in alio, & alio poſſit qualitas præcedere formã ſubſtantialem. Et confirmatur per illud Philoſophi 9. *Metaph. c.* 7. de potentia, & actu, vbi vult, quòd actus ſimpliciter præcedit potentiam tempore: & tamen in eodem, potentia præcedit actum tempore.

*Text. com.* 13. *& inde.*

Reſpondeo, quòd quælibet ſubſtantia eiuſdem ſpeciei præcedit qualitatẽ quamlibet, eo modo quo ſubſtantia ſecundùm totum genus ſuum præcedit qualitatem ſecundùm genus ſuum, ſcilicet definitione, cognitione, & tempore, hoc eſt, ſeparabilitate, quantùm in ſe eſt: & ſic tripliciter ſubſtantia geniti præcedit qualitatem generantis, licèt non tempore, id eſt, temporali, vel actuali duratione extra cauſam: nec ſic intelligit Philoſophus, vt ſupponis. Et cùm dicis qualitatem generantis præcedere ſubſtantiam geniti, vt cauſa effectum, falſum eſt; ſed ſolùm huiuſmodi qualitas eſt cauſa qualitatis diſponentis ad formam ſubſtantialem, & pro tanto dicitur quodammodò eſſe cauſa geniti, licèt hoc ſit valde extenſiuè.

*Subſtantia prior accidente tripliciter.*

Auctoritas Philoſophi non eſt ad propoſitum, quia actus, qui eſt prior tempore omni potentia, non eſt aliquis actus materialis, ſed ſimpliciter immaterialis, vt patet *ibidem in fine capituli*. Ratio autem procedit de illo actu, qui poſterior eſt ſecundùm genus ſuum totum, ipſâ potentiâ receptiuâ: ideò non valet. Et iterum iſtud de materiâ, & concluſio ſecunda manifeſta ſunt apud Philoſophos, qui poſuerunt quid autem ſic poteſt abſoluere formam à materia, poteſt etiam conſeruare, vtrumque repugnat cauſæ creatæ, & conuenit ſoli Deo, quia cauſa creata non conſeruat formam à ſe productam in materia externa, conſeruatione per modum influxus, loquẽdo de abſoluta: quia ceſſat eius actio ad productum in completa exiſtentia, vt patet experientia; ceſſant etiam conditiones agendi, vt applicatio, & huiuſmodi, ſine quibus primò non produceret; ergo etiam neque cõſeruaret. Deinde eſt cauſa contingens reſpectu effectus abſoluti, vtplurimùm, & non per ſe requiſita eſſentialiter: ergo ſicut potuit produci primùm effectus abſque eius concurſu; ſic etiam conſeruari manentibus cauſis per ſe eſſentialiter requiſitis ad conſeruationem *eſſe* iam producti, ad cuius conſeruationem non requiruntur tot, quot ad productionem, neque ſecundum poteſt eſſe à cauſa ſecunda, quia ſolius Dei eſt ſupplere cauſam per ſe requiſitam, qualis eſt materia, ſicut eam eminenter continere.

*Cauſa ſecunda non conſeruat formã abſolutam.*

*Eius actio eſt cõtingens.*

Ad quartum, negatur, ſimpliciter loquendo, quia ſicut forma educitur, ſic informat, cùm exiſtat ſemper dependenter à materia vt cauſa priore. Hîc autem ſumitur *informatio* non prout eſt præcisè effectus formæ, quomodo anima etiam rationalis informat, quamuis non dependeat à materia, ſed vt inuoluit eductionem, & cauſalitatem materiæ reſpectu formæ, ex quo patet ad reliqua.

*Reſponſio ad quartum.*

*Tertia concluſio: Nulla forma materialis poteſt eſſe principium creandi aliquid*, &c. quia in eſſendo ſupponit materiam: ergo in cauſando, vt *ſuprà* probatum eſt de accidente, & deinceps applicando dicta, vt patet, ex clara inductione concludit intentum. Subiungit ſpecialem rationem, vnde probat ſubſtantiæ materiali repugnare creationem actiuam materiæ. Ratio eſt talis: *Quando aliqua ſecundùm totum genus ſuum habent aliquem ordinem ad inuicem, quodlibet vnius habet ſimilem ordinem ad quodlibet alterius*, &c. forma materialis ſecundùm totum genus ſuum, eſt poſterior materia ſua receptiua; ergo quælibet forma qualibet materia eſt poſterior: ſed poſterius origine, aut generatione nequit eſſe principium creandi aliud: ergo forma materialis nequit creare materiam. Hæc ratio eſt euidens, nam altera pars maioris, nempe ſecunda, includitur per ſe in prima: nam ſicut particulare quodcumque includit in ſuo conceptu quod ipſi competit, vt genus per modum prædicati, ſic per regulam Antepræd. mentalem; *Quando aliquid prædicatur de aliquo, vt de ſubiecto; quicquid prædicatur de prædicato, prædicatur etiã de ſubiecto*. Vnde infertur, quidquid ineſt ſecundùm totũ genus, ineſſe quoad ſingulas ſpecies, & indiuidua, &, vt ita dicam, diſtributiuè. Minor etiam eſt certa; nam hoc ipſum dicit forma materialis, quod eſt per ſe ſupponere & dependere à materia, & concluſio benè ſequitur.

*Tertia concluſio. Forma materialis non poteſt eſſe principium creationis.*

*Specialis ratio de ſubſtãtia materiali.*

*Optima ratio.*

*Quod per ſe conuenit prædicato, per ſe conuenit ſubiecto.*

Confirmatur, quia forma materialis dependet in eſſendo à materia; ergo nequit eſſe principium producendi aliquid eiuſdem rationis cum materia, quia repugnat quòd in agendo dependeat ab aliquo eiuſdem rationis cum termino. Agit Doctor de dependentia per ſe, non per accidens, qualis eſſe poteſt in cauſis vniuocis, in quibus vnum indiuiduum per accidens habet rationem cauſæ, aliud rationem effectus: vnde hic ignis producitur ab alio igne, qui eſt eiuſdem rationis cum igne quem producit; per acci-

runt ordinem ſecundarum cauſarum eſſe ſimpliciter neceſſarium, ita quòd forma materialis non poteſt ab alio agente produci, niſi concurrente materiâ, tanquam cauſâ neceſſariâ præſuppoſitâ termino productionis.

Si quæras, an ex dictis poſſit haberi propoſitum de anima intellectiuâ? Reſpondeo, quidquid Philoſophi ſenſerint de ea, an creetur, vel non, tangetur *diſt. de reſurrectione*; ſed ex concluſionibus prædictis oſtenditur propoſitum de ipſa: non enim poteſt creari ab Angelo, patet ex prima: nec à quacumque natura merè intellectuali creata, patet per idem: nec ab aliqua corporali ſubſtantia, ſiue per formam ſubſtantialem, ſiue per accidentalem: quia ipſa anima eſt nobilior quacumque forma ſubſtantiali, vel accidentali: forma autem ignobilior non eſt principium actiuum ad producendum nobiliorem. Sic patet propoſitum, ſcilicet quòd nulla creatura poteſt principaliter creare.

*d.43.q.2. Animam rationalem non eſſe creabilem à creatura.*

dens autem vnum ſupponitur ad aliud, non autem per ſe. Vnde rectè Doctor ad excluſionem huius inſtantiæ addit, *per ſe dependeat*, &c. Agit autem Doctor hîc de ordine eſſentiali, quod ampliùs patet ex ſolutione eorum quæ obiicit. Addit tandem comprehendi hoc diſcurſu animam rationalem, applicando eadem principia. Si autem hic diſcurſus non ſit conuincens, multa principia reuocantur in dubium, quæ ſupponuntur à Philoſophis: contra autem negantem principia communiter recepta non eſt diſputandum.

## SCHOLIVM.

*Negat creaturam, vt inſtrumentum, poſſe creare, quia non poteſt agere diſpoſitionem præuiam, cùm hæc ad creationem non requiratur; nec attingere terminum principalem, cùm non præhabeat ad id virtutem actiuam ex dictis. Scotus dicit hæc ratione probari: ſed fortè non conuincunt rationes allatæ, nec vllæ aliæ. Communis tamen Sanctorum ſoli Deo reſeruat creationem.* Cyril. *lib.2.in Iulian.* Athan. *ſerm.3.contra Adrian.* Aug. *12.ciuit.24.& 3.Trin.8.* Baſil. *lib.4.contra Eunom.* Proſp. *lib. Sent. S.Aug. ſent.146.* Damaſc. *lib.2.c.3. communis DD.* Alenſ. *2.p.q.6.m.2.a.4.& q.9.m.8.* Albert. *2.d.1.a.7.* D.Thom. *1.p.q.45.a.5.* (*etſi oppoſitum habeat 2.d.1.q.1.a.3.& 4.d.5.q.1.a.3.*) Richard. *4.d.5.a.2.q.1. eſt contra Suar.3.p.1.tom. d.31.ſect.8.*

31 *Creaturam nec inſtrumentaliter creare poſſe.*

Dico etiam [b] quòd nec inſtrumentaliter, ita quòd ſit inſtrumentum propriè actiuum. Quod pro tanto dico, quia fortè non omne inſtrumentum eſt propriè actiuum, vt dicetur inferiùs. Non enim poteſt eſſe actiuum, niſi vel ad diſpoſitionem præuiam, vel ad ipſum terminum: in creatione nihil poteſt præcedere, quod diſponatur, non poteſt autem agere ad terminum, niſi habeat formam actiuam in ſuo ordine, quæ licèt in virtute alterius poſſit attingere ad totum effectum, & totaliter: talis autem non eſt aliqua virtus actiua alicuius creaturæ, vt oſt ſuprà oſtenſum.

*Gratia creatur: tamen ex pacto potest diſpoſitionem ſubiecti præuiam.*

Intelligendum tamen [c] eſt pro opinione Magiſtri *diſt.5.* quòd ſi forma accidentalis creetur, (vt ponitur de gratia, & charitate,) benè poteſt aliquod ſubiectum præcedere, quod diſponat ad illum terminum, ſicut hîc præcedit anima. Et licèt in tali ſubiecto non poſſit eſſe aliqua diſpoſitio ſimpliciter neceſſitans, tamen poteſt eſſe diſpoſitio neceſſitans ſecundùm quid: & hoc eſt ex diuina diſpoſitione. Et ſic poteſt exponi Magiſter, quòd Deus poſſet dare talem poteſtatem miniſtro, vt ipſe aliquam diſpoſitionem cauſaret in anima, quæ eſſet neceſſitas ad gratiã, hoc modo, quòd Deus diſpoſuiſſet vniuerſaliter ſic diſpoſito dare gratiam. Sic etiam organizatio corporis eſt

b *Dico etiam quòd nec inſtrumentaliter*, &c. Hîc reſpondet ad alteram partem quæſiti principalis, aſſerens quòd neque inſtrumentaliter poteſt creatura creare, vt inſtrumentũ propriè actiuum, quæ eſt cõmunior opinio: eámque probat Doctor vnica ratione, quia non vt præuiè diſponens, cùm ad creationem nihil ſupponatur, neque eſt attingens terminum principalem, quia nequit agere, niſi vt habet aliquam virtutem actiuam, à qua vt cauſa procedit effectus; terminus autem principalis non ſolùm procedit à cauſa principali effectiuè; ſed etiam à cauſa inſtrumentali, quæ effectiua eſt. 108 *Creatura nequit inſtrumentaliter phyſicè concurrere ad creationem.*

Sed nulla virtus talis poteſt communicari creaturæ, vt *ſuprà* oſtenſum eſt: & probatur, quia vel eſſet innata; ſed hæc nequit attingere terminum creationis ex rationibus allatis, de voluntate Angeli, de potentia obedientiali, de forma ſubſtantiali; vel eſſet aſſiſtens extrinſecè, ſed hoc non, quia aſſiſtentia illa vel ſe habet per modum applicantis, & dirigentis, vel per modum cõcurrentis; aliter enim intelligi nequit mera eſſentia: ſed vterque modus ſupponit virtutem actiuam in inſtrumento, quia applicatio, & directio connotat virtutem actiuam, ſicut & concurſus. Vel denique illa virtus eſſet recepta in ipſo inſtrumento, & ſic habet modum accidentis, & dependentis à ſubiecto, ac proinde ſupponit ſubiectum in agendo. *Ratio concluſionis.*

Hæc concluſio non eſt adeò certa apud Theologos ſaltem quoad creationem formæ accidentalis. Vnde Magiſter *infrà d.5.cap.vlt.* dicit quòd non repugnet communicari Miniſtro virtutem miniſterialem, & inſtrumentalem reſpectu gratiæ creandæ, quem ſequitur *ibidem* D. Thom. *q.1. art.3.* *Sententia cõtraria.* *Dare poſſe inſtrumẽtum creandi formam accidentalem.* D. Thom.

*Organizatio est dispositio necessitās ad animā creandam, secus de actibus ministri respectu gratiæ.*

est dispositio ad animam intellectiuam necessitans; & hæc potestas est superior, quàm aliqua alia, quæ sit iam data ministro Ecclesiæ: nihil enim operatur minister in anima mediatè, vel immediatè, ad quod simpliciter necessariò conferatur gratia, sicut in aliâ parte de animatione. Nec oportet imponere Magistro, quòd senserit Deum posse dare ministro, vt ageret ad gratiam, attingendo istum effectum: quia minister non est capax istius virtutis actiuæ, quia per gratiam, vel charitatem, est anima formaliter accepta Deo acceptatione speciali, tanquam digna vitâ æternâ: creatura autem non potest habere virtutem actiuam, vt faciat aliquid dignum huiusmodi, vel sit acceptũ Deo. Hoc etiam patet, quia finis, & efficiens respiciunt se mutuò, ita quòd superius agens efficit propter finem superiorem: ergo quod immediatè disponit, vel ordinat ad finẽ vltimum, immediatè est à primo efficiente: huiusmodi est gratia. Confirmatur, quia si posset esse ab aliquo agente inferiori, videretur posse esse ad aliquem finem inferiorem.

Sed istæ rationes non multùm cogunt. Prima non, quia creatura potest esse formalis ratio talis acceptationis, vt conceditur de charitate: quare ergo non ita effectiua ratio acceptationis? non videtur ratio. Secunda etiam non valet, quia etsi agens primum non agat nisi propter finem vltimum: tamen non oportet omne agens inferius in quacumque actione, agere propter finem inferiorem vltimo. Angelus enim si elicit actum beatificum, non elicit propter finem inferiorem vltimo: ita ergo posset gratia immediatè creari propter finem vltimum, & tamen ab agente inferiori.

32 *Ad argum. prime.*

Ad argumenta [d] principalia. Ad primum dicetur inferiùs in *dist. ista q. 5.* Ad secundum, dicendum, quòd illa est aliqua causa, quam ponit Augustinus, & manifestior, sed non præcisa. Ad confirmationem dico, quòd actiones immanentes habent aliquod passum, quia ipsamet potentia, cui immanent, est potentia receptiua earum.

*Ad 3.*

Ad rationẽ de adæquatione dico, quòd non arguitur de æqualitate effectus ad causam, quia impossibile est aliquem effectum esse æqualem Deo: sed adæquans potest intelligi ibi secundùm proportionẽ præcisam, hoc est, effectus habens talem proportionem ad causam, qualem nullus alius potest habere, puta, quia proximus possibilis ipsi causæ. Si sic intelligatur non adæquans in maiori, nego eam. Tantum enim valet, ac si diceretur effectus inferior

*art. 3. quæst. 3. ad 4.* & aliqui eius discipuli, vt defendant efficaciam physicam Sacramentorum, contra quos *infrà* melius differetur: interim rationes quibus adducuntur nihil efficiunt, vt patet eas soluendo.

Primò obiicitur, incarnatio est perfectior, quàm creatio: sed aliquod instrumentum attingere potest incarnationem: ergo & creationem. Respondetur distinguendo maiorem: incarnatio est perfectior ratione termini, concedo: ratione modi agendi, nego, quia creatio est propria actio Dei, vnio autem hypostatica educitur de potentia obedientiali subiecti, qui modus agendi non est solius Dei ex se, licèt quandoque in specie ipsi conueniat soli, ex peculiari ratione termini, & negatur etiam minor loquendo de instrumento physico. 109 *Fundamenta huius solutur. Prima obiectio. Responsio.*

Secunda ratio est, quia Sacerdos per verba consecrationis attingit transubstantiationem panis in corpus Christi sub speciebus, quæ productio æquialet creationi. Respondetur negando consequentiam. Antecedens autem falsum est loquendo de attingentia physica, verum est de morali intellectum. *Secunda obiectio. Responsio.*

Tertia ratio, ignis Inferni comburit dæmones sensibiliter, & physicè, vt instrumentum Dei, producendo in ipsis qualitatem quãdam. Respondetur negando assumptum, vt *infrà* suo loco latiùs videbitur. Et dato antecedente, non licet inde inferre talem qualitatem posse creare, quia supponit ipsos spiritus tanquam subiectum. *Tertia obiectio. Responsio.*

Quarta ratio, nulla apparet repugnãtia in hoc, neque ratio in oppositum. Respondetur esse eandem repugnantiam, quæ inuenitur in eo, quòd creatura vt est causa principalis attingat terminum creationis, vt patet ex argumẽto pro conclusione. Rationes in oppositũ plures adductæ sunt, quæ, authoritate Patrum adiunctâ, qua eiusmodi repugnantia astruitur, redduntur efficaces: nam reddunt rationem talem, quæ solui nequit, nisi negando principia, quod non est disciplinati. *Quarta obiectio. Responsio.*

c *Intelligendũ tamen est pro opinione Magistri*, &c. Hîc Doctor modestè interpretatur opinionem Magistri suprà præmissam, eam reducens ad sensum congruum. Asserit ergo, quòd si forma accidentalis creatur, vt ponitur de gratia, & charitate, præsupponi posse aliquod subiectum disponens, non dispositione necessitante ex natura rei; sed ex voluntate diuina, & secundùm quid, seu ex hypothesi, & pacto. 110 *Interpretatio sententiæ Magistri.*

Exemplo declarat in naturalibus, sicut ad creationem animæ rationalis supponitur corpus organizatum actione agentis creati, ad quod consequitur creatio animæ ex pacto, quo Deus author naturæ assistit causis naturalibus, non solùm adiuuando, sed etiam supplendo defectus ipsorum, quoad eos effectus, qui spectant ad perfectionem naturæ, neque haberi possunt virtute causarum inferiorum. *Anima rationalis infunditur suppositâ dispositione, ex pacto Dei.*

Sic etiam in ordine gratiæ, ex pacto assistit Ministris, & Sacramentis, vt iis positis, producat effectum, quem significant; non quòd sacramentum, aut Minister physicè attingat aliquid in anima, vel producat; sed disponat solùm moraliter, & ex pacto, cui assistit Deus. *Nec oportet*, inquit, *imponere Magistro, quòd dicat, quòd Minister attingat gratiam efficiendo:* cuius duas rationes subiungit, quas soluit vt parum efficaces, & patet solutio ex litera.

d *Ad argumenta principalia*, &c. Respondet deinceps

rior primo possibili, potest produci à supremo possibili, quod ideò negandum est; quia aliquis inferior non potest totus, & totaliter produci, nisi à supremo simpliciter. Ad probationem maioris dico, quòd non secundùm totam potentiam suam producit: non enim oportet agens secundùm totam virtutem suam producere, quàtum posset secundùm illam producere, quando est agens liberè, non necessitate naturæ. Et cùm vlteriùs dicitur, tunc perfectior effectus non manifestaret maiorem perfectionem causæ. Cõcedo, quòd quicumque effectus productus totus, & totaliter, manifestat æqualem potentiam causæ: sed effectus perfectior eminentiùs manifestat. Exemplum, si ab eodem principio descendant multæ conclusiones ordinatæ, tota veritas principij causa est veritatis conclusionis cuiuslibet; & tamen vna illarum est altera verior, & eminentiùs manifestat veritatem principij.

*Quomodo effectus perfectior magis ostendit perfectionẽ causæ.*

33 *Ad 4. Annihilare nequit creatura, & quare?*

Ad aliud de *annihilare*, dico, quòd solius Dei est annihilare, quia annihilare non est agere positiuè, sed non agere, id est, non conseruare: solius autem Dei est conseruare totam creaturam, & totaliter, & breuiter, sicut quælibet creatura requirit causam concausantem in *fieri*, scilicet principium potentiale, ita super illud non potest destruendo, sicut nec producendo, & per consequens necessariò aliquid relinquit, sicut necessariò præsupponit. Sicut autem creatio, propriè dicta est productio de nihilo, id est, non de aliquo, quod sit pars primi producti, & receptiuum formæ inductæ: ita annihilatio est destructio in nihil, vtroque modo.

Ad probationem primam de forma naturali, patet *dist.* 1. 2. *libr.* quia licèt nulla pars formæ maneat, manet tamen aliquid formæ receptiuum, quod fuit aliquid compositi. Ad illam probationem de virtutibus, respondeo, quòd nulla virtus infusa potest corrumpi in nobis per aliquẽ actum nostrum, quasi per naturam repugnantiæ, sed solùm per causam demeritoriam. Anima enim peccans demeretur, quòd gratia non conseruetur in ea: & sic in secundo instanti naturæ, propter tale demeritum quasi præcedens, Deus non conseruat gratiam, & sic annihilatur.

*Virtutes infusæ solùm demeritoriè corrumpuntur à nobis.*

*Per peccatum non efficitur inimicus formaliter.*

Ad probationes illas de amicitia, & inimicitia, dico, quòd per peccatum non est aliquis formaliter inimicus, sed tantummodò demeritoriè. Similiter ad illas probationes de fide, & spe, dico, quòd fides, & spes infusæ, non corrumpuntur per actum infidelitatis & desperationis, nisi demeritoriè, ceps argumentis ad oppositum quæstionis in limine propositis. Litera est plana in responsione ad primum & secundum, cum sua confirmatione. In responsione ad tertium, ad probationem maioris notanda sunt illa verba: *Concedo quòd quicumque effectus productus totus, & totaliter manifestat æqualiter potentiam causæ: sed effectus perfectior eminentiùs manifestat.*

*Ad argumẽta principalia respondet.*

Ratio huius est, quia perfectio causæ aliquando ex perfectione effectus, aliquãdo ex modo causandi, & independentia colligitur. Si primo modo, effectus quò perfectior est in sua entitate, eò magis participat causam, & eò magis accedit ad causam, & sic homo magis manifestat perfectionem Dei, quàm alia viuentia. Viuentia autem magis manifestant, quàm non viuentia.

*Perfectio duobus modis ex effectu colligitur. Primus modus est perfectio effectus.*

Si secundo modo, tunc perinde quilibet effectus procedens secundùm eundem modum causandi, æquè manifestat perfectionem causæ: & sic non attenditur res producta, sed modus producendi. Vnde materia prima, quia procedit à Deo secundùm creationem, æquè manifestat eius potentiam superiorem omni genere causæ creatæ, ac cœlum, vel anima intellectiua, vel Angelus; qui eodem modo procedunt, licèt excedant in entitate materiam.

*Secundus modus est ex modo producendi.*

Subiicit Doctor exemplum huius in pluribus conclusionibus subordinatis, quæ procedunt ab eodem principio, vbi tota veritas principij est causa veritatis in singulis, tamen vna altera est verior, & eminentiùs manifestat veritatem principij.

112 *Exemplum in conclusionibus subordinatis.*

Hoc exemplum dupliciter intelligi potest, ita vt conclusiones sint subordinatæ in ratione effectus, vt vna priùs alterâ nata sit inferri, non tamen vna in virtute alterius: vt quãdo plures passiones emanant ab eodem subiecto, quarum quælibet per definitionem subiecti demonstratur, ita tamen vt vna priùs alterâ insit passio: vt *esse* volitiuum mediante intellectiuo, non tanquam causa, sed effectu immediatiore. Et hoc modo etiam seruari potest proportio, quia vtraque conclusio perinde reducitur ad eandem veritatem principij, tanquam in totam, & adæquatam causam; sed altera, quæ immediatiùs se habet ad principium in *esse*, etiam propiùs attingit eius veritatem, & sic eminentiùs. Idem exemplum potest proponi in conclusionibus subordinatis, quarum propinquior principio esset causa proxima remotioris, vt patet in scientia subalternante, & subalternata: nam conclusio illius est principium in hac, & sic etiam accommodari potest exemplum, quia veritas remotioris etiã in virtute principij concluditur, ex quo conclusio proxima fortitur omnem euidentiam sui. Hæc tamen eminentiùs includit veritatẽ principij, quia immediatiùs, & minùs dependenter ab aliis extra principiũ ipsum.

*Declaratur duplex subordinatio.*

*Altera subordinatio.*

In responsione ad quartum docet, sicut Dei solius est creare, sic etiam eius esse annihilare; & sicut creatio est productio totius, & totalis, nihil supponens quod spectet ad entitatem producti, sic è contra annihilatio est distractio totius, & totalis, nihil post se relinquẽs, quod fuerit de entitate annihilati; hoc autem non potest facere in materialibus; nisi causa in cuius potestate est materia prima quantùm *ad esse & non esse*.

113 *Dei solius est creare, & annihilare.*

In secunda probatione docet quòd neque gratia, neque virtutes infusæ physicè destruãtur, sed demeritoriè, quod variis in locis docet. Item, supponit

riè. Et si velis habere aliquid quod corrũpatur per istos actus tanquam repugnans formaliter: dico, quòd illud nõ est nisi fides & spes acquisitæ : & benè possibile est per actus nostros induci aliquid repugnans formaliter illis habitibus acquisitis.

*Virtutes infusa demeritoriè destruuntur.*

ponit dari habitus acquisitos dictarum virtutum, qui per actus contrarios destrui possunt. Vide ipsum *in* 3.*d.*24.*& sequentibus.*

*Quomodo causa secunda subordinatur primæ.*

In responsione ad vltimum optimè declarat quid sit agere in virtute alterius, & quomodo causa secunda agat in virtute primæ, non quòd recipiat influxum nouum à prima quando agit; sed quia seruat determinatum ordinem ad primam, & recipit ab ea esse, & virtutem. Vnde non rectè quidam citant Doctorem nostrum pro ea sententia, quæ statuit necessariò præmitti in causa secunda ad actionem influxum aliquem per modum prædeterminationis præuiæ. Videatur etiam *in* 2.*d.*9.*q.*2.§. Ad argumenta secundæ quæstionis, *responsione ad obiectionem, vers. Et cùm addis quod vnum agit in virtute alterius*, &c. Vbi hoc benè explicat, *& in* 4.*d.*43.*q.*3. §. Tertia opinio est, &c. *contra responsionem argum.* 2. *& in* 1.*d.*3.*q.*9. Quid autem contra hoc faciãt quædam eius loca differendo cõtra Philosophos de libertate primę causæ, & rerum contingentia, non permittit prolixitas huius quæstionis disserere, & declarare, aliàs id præstabimus cùm occasio feret longiorem tractatum. Interim hîc finitur quæstio hæc locuples & varia, quam, vt verum fatear, præterire volui, nisi aliorum me moueret authoritas, & ne ipso in limine desultoriè viderer opus hoc aggredi.

34 *Ad 7.* Ad vltimum, cùm dicitur in virtute, &c. Ad intellectum huius verbi, & illorum, quæ dicta sunt de instrumento, intelligendum est, quòd nihil potest agere in quocunque ordine agendi, nisi propria virtute. *num.* 16. *& inde.* Sicut enim dictum est *suprà*, quòd nisi habeat formam actiuam, & intrinsecam, non potest omnino agere, ita etiam nisi habeat propriam virtutem intrinsecam, quia illa forma est virtus. Quòd si priùs non habuit formam, vel virtutem, & nunc agit in aliquo ordine, oportet quòd nunc de nouo habeat formam, & virtutem in illo ordine; eadem enim natura manens absque omni mutatione, nullo modo est nunc actiua, nunc non actiua. Sed tamen agens dependens ab alio, dicitur agere in virtute alterius, quia virtus agentis dependentis, non sufficit sine illa virtute, à qua dependet.

*Agens dependens dicitur agere in virtute alterius.*

Magis tamen dicitur instrumentum agere in virtute alterius, quàm causa secunda : quia plus dependet ab agente superiori illud, quod non habet formam actiuam in *esse* quieto, sed tantùm recipit in actuali motione, quàm illud, quod habet formam actiuam in *esse* quieto. Causam etiam secundam, id est, quæ habet formam actiuam in *esse* quieto agere in virtute alterius, non est recipere tunc aliquid ab illo altero : sed tantùm habere ordinem inferiorem ad illud alterum agens, in suo ordine simul. Sed instrumentum, id est, recipiens formam actiuam in motione, agere in virtute alterius, est tunc actualem accipere formam ab eo, per quam agit.

*Contra prædeterminationem Physicam, quam vbique reiicit* 4.*d.*43.*q.*3. *&* d.49 *q.*6.

Ex hoc patet quòd causæ primæ in causam secundam propriè dictam, quando similiter agunt, non est influentia noua, quæ sit creatio alicuius inhærentis causæ secundæ : sed influentia ibi est determinatus ordo istarum causarum in agendo effectum communem. Instrumentum autem quando agit, recipit influentiam propriè ab eo cuius est instrumentum : quia motionem actualem, & in motione formam, per quam agit in suo ordine. Ex istis patet intellectus maioris. Benè enim verum est, quòd causa secunda, & instrumentum, plus potest in virtute alterius, quàm propria (supple sola) præscindendo virtutem alterius : quia virtus eius propria, est diminuta & subordinata alterius virtuti, ita quòd sine illa altera virtute agente, virtus eius non potest in effectum: tamen non potest in virtute alterius plus quàm in propria virtute, id est, aliquid ad quod virtus eius nullo modo se extendit in suo ordine causandi. Nunc autem minor si accipiat virtutem propriam, præscindendo virtutem causæ superioris, falsa est: in nihil enim potest creatura sine virtute Dei principalis agentis, ideò non valet.

*Causa secunda plus potest in virtute causæ primæ, quàm propriè, explicatur.*

---

## Qvæstio II.

### *Vtrùm hæc sit ratio diffinitiua Sacramenti* [a]*, quam ponit Magister:* Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma?

Alens. 4.*p.q.*1.*m.*4.*& q.*8.*m.*1. D.Thom. *hic q.*1.*&* 3. Richard. *art.*1.*q.*1.2. D.Bonau. *dub.*2.*lit.* Suar. 3.*part. tom.*3.*d.*1.*sect.*4. Vasq. 3.*part.d.*127. Aug. 10. *civ. cap.*5. Hugo 1.*de Sacr. p.*9.*c.*1. Isidor. 6. *etym. c.*18.

1 *Mag. B. Arg.*1. *Text. c.*16. *&* 8. *Met. t.c.*15.

VOD non videtur, quia definitio non est nisi eius, quod est per se vnum, 7.*Met.* Sacramentum non est per se vnum, quia secundùm Augustinum super Ioannem homilia 81. & ponitur 1. q.1. Detrahe. *Accedit verbum ad elementum, & sic Sacramentum* : sed verbum, & elementum, non faciunt aliquid per se vnum, quia vnum est permanens, aliud successiuum.

Argum. 2. Secundò, ſi eſt forma, aut ergo forma, quæ eſt altera pars, aut forma exemplaris: ſed non primo modo; patet, quia Sacramentum non eſt pars gratiæ; nec ſecundo modo, quia exemplatum imitatur exemplar, & participat ipſum: non ſic autem gratia Sacramentum.

Argum. 3. Tertiò ſic; quia in quibuſdam Sacramentis non eſt niſi verbum tantùm, quod non eſt ſignum viſibile, ſed audibile tantùm, vt probatur inferiùs in ſacramento Pœnitentiæ, & Matrimonij: ergo malè dicitur viſibile.

Argum. 4. Quartò ſic: vnius rei tantùm eſt vna diffinitio propria: Sacramenti autem aſſignantur aliæ definitiones, patet per Magiſtrũ in litterâ, & Hug. & per illud Aug. 10. de ciuit. c. 5. *Sacramẽtum eſt ſacræ rei ſignum.*

Ratio opp. Contrà, Magiſter in littera, & de Conſe. diſt. 2. Sacrificium.

## SCHOLIVM.

*Ponit quinque conditiones, vt aliquid ſit verè definibile. Prima, quòd ſit ens. Secunda, quòd vnum. Tertia, quòd reale. Quarta, quòd non ſimpliciter ſimplex. Quinta, quòd vniuerſale.*

2 Hic primò videndum [b] eſt, cuius poſſit eſſe diffinitio, & cuius non. Secundò ex hoc, ſi Sacramenti poſſit eſſe aliqua diffinitio. Tertiò ſi hæc, de quâ quæritur. Quantùm ad primum, notandum eſt, quòd cuiuſcunque ſiue entis, ſiue non entis, quod poteſt concipi & ſignificari, poteſt eſſe aliqua ratio nominis, quæ ſcilicet explicet explicitè & diſtinctè illud, quod nomen importat implicitè & confusè. Et quælibet ratio talis poteſt dici diffinitio, extendendo nomen diffinitionis: ſed *diffinitio* propriè dicta non *eſt* niſi *oratio verum eſſe ſignificans*, ſecundùm Philoſophum 1. *Topic.* & ideò non eſt quæcunque ratio nominis, ſed ratio, per quam diſtinctè indicatur verum *quid* rei. Non eſt ergo propriè non entis: & hoc ſiue *non ens* accipiatur propriè pro impoſſibili, quod includit contradictionem: ſiue pro pura negatione, vel priuatione: quia non ens non habet *quid eſt.* Nec eſt ratio eius, quod non eſt per ſe vnum, vt patet ex 7. *Met. c.* 3. vt argutum eſt ante oppoſitum. Intelligo autem *per ſe vnum*, ſcilicet quod eſt ſimplex; vel compoſitum, quod eſt ex per ſe actu, & per ſe potentiâ. Nec iſta vnitas impedit, quòd definitum includat aliquid tanquam terminum per ſe dependentiæ, vt accidens includit ſubiectum; vel ſicut aliquid, quod ſimul eſt ſecum natura: vt relatiuum includit correlatiuum: ſed prohibet, quòd nihil includatur tanquam per ſe pars in ipſo, quod non ſe habeat ad aliud in eodem, ſicut per ſe actus ad per ſe potentiam, vel pars eiuſdem actus, vel eiuſdem potentiæ, ad aliam partem.

*Definitio quid ſit.* *Cap. 4.* *Definitio quorum ſit.* *Text. 16. & inde, vt inquit Ariſt. 8. Met. t. 15.* *Quid per ſe vnum?*

3 Nec eſt tertiò entis rationis, quod eſt tantùm ens diminutum, quia propriè *quid*, ſicut & ens, non competit niſi enti reali. Patet 5. & 6. *Meta.* Nec intelligo hîc *ens rationis*, quod eſt in intellectu obiectiuè (quia ſic omne vniuerſale eſt in anima) nec illud

*Text. 14. & circ. Text. 8.*

a Aduertendum circa titulum, & materiam huius quæſtionis quantùm ad vſum, & ſignificationem, & etymologiam vocis, *Sacramentum*, apud Latinos à *Sacro* dictum: ſignificabat enim pignus quod litigantes apud Pontificem deponebant in loco ſacro, damno partis, quæ cauſâ caderet. Ita Vatro *de lingua Latina*, & innuit Cicero *epiſtola* 110. Significat ſecundò iuramentum, ſicut ſacramentum militiæ frequenter apud Hiſtoricos, & frequens eſt vſus huius ſignificationis in iure, *cap. ſi Sacramenta* 22. q. 4. & C. *ſi aduerſus venditionem.* Auth. *Sacramenta puberum.* Hieron. *epiſt.* 1. *ad Heliodorum.* Tertullianus *lib. ad Martyres cap.* 3. Tertiò ſignificat arcanum, Tob. 12. *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt*, &c. Scriptura frequenter refert ad rem diuinam & occultam, quæ Græcis μυστήριον, Latinis mutuato vocabulo, myſterium dicitur à verbo μύω, quod eſt claudo, & στόμα, quod eſt os, vel, vt aliis placet, à μυεῖν, & σεῖν, id eſt, abſcondere, & ſeruare, vel à μύειν, quod eſt ſacris initiare, vnde μύστης ſacrorum antiſtes, ad Epheſios 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* Sapient. 2. *Neſcierunt Sacramenta Dei*, &c. Daniel. 2. *Mihi Sacramentum hoc reuelatum eſt.* Cyprianus *epiſt.* 63. dicit, *Omnia Sacramenta, & teſtimonia Scripturarum Chriſtum prædixiſſe.*

1 *Etymologia, & vſus vocis Sacramentum.* *Prima ſignificatio.* Varro. Cicero. *Secunda ſignificatio.* Hieron. Tertullian. *Tertia ſignificatio.* *Quarta ſignificatio.* Sapient. 2. Daniel. 2. Cyprian.

Ex vſu Eccleſiæ hæc ſignificatio antonomaſticè reſtricta eſt ad res ſacras, & cæremonias ſignificandas, quibus cauſatur ſanctitas in homine, quam in ſe ipſis continent virtute, & practicè. Ita Tertullianus *lib. de præſcriptionibus aduersùs hæreticos, cap.* 16. ait, *Ipſas res Sacramentorum diuinorum diabolum æmulari in ipſis idolorum myſteriis, eo quòd & ipſo Baptiſmo quoſdam tergat, & ſignet in frontibus milites ſuos*, &c. Res Sacramentorum hîc appellat ſacrum Baptiſma, & Confirmationem. Vide Pamelium *cap.* 40. *num.* 239. Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 3. *alias* 43. *ad Cæcilium*, vbi ſanguinem Chriſti vocat Sacramentum Calicis, & *lib.* 2. *epiſt.* 1. *ad Stephanum lib.* 4. *epiſt.* 9. *ad Magnum*, *alias* 96. Lactant. *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 19. Hilarius *in Pſal.* 101. *Et abundatia diligentibus te*, &c. Hieronymus *in Ezechielem cap.* 44. & *in primum cap. Malachiæ, & in dialogo contra Luciferanos.* Auguſtinus *epiſt.* 118. & *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 3. & *ſæpius in lib. contra Donatiſtas & Pelagianos.* Victor Papa *in epiſt.* 2. Anaſtaſius II. *in epiſt. ad Anaſtaſium, cap.* 8. Adde antiquos rituales, & Lithurgias, vbi frequens eſt vſus huius ſignificationis, Lateran. ſub Innocentio III. Conſtantienſe. Florent. Trident. quorum authoritas ſufficit, vt omnis offenſio tollatur;

2 *Ex vſu Eccleſiæ accommodatur præſenti materiæ.* Tertullian. Pamelius. Cyprianus. Lactant. Hilarius. Hieron. Auguſtinus. Victor Papa. Rituales. Lateran. Conſtantienſ. Florent. Trident.

*Vniuersale non est à parte rei, de quo 2. d.3. q.1.& 6.*

illud quod est tantùm in intellectu subiectiuè(quia sic intellectio & scientia sunt in anima,quæ tamen sunt formæ reales, & in genere qualitatis) sed intelligo ens in anima, tanquam secundò consideratum, non tanquam primò consideratum, ad quod considerandum mouetur primò anima à re extrà, sed tanquam ens in primò considerato,inquantum consideratum: & tale vt in summâ sit dicere, non est nisi relatio rationis:quia nihil habet præcisè esse in considerato,vt considerato, nisi comparatio quâ consideratum comparatur ad aliud,per actum considerantis:ens ergo diminutum,vt hîc accipitur vniuersaliter,est ens rationis.

Quartò, non est quid expressibile per definitionem, de quo non potest haberi, nisi conceptus simpliciter simplex: quia *Text.9.* secundùm Philosophum 8. Met. cap. 2. *Definitio est ratio longa*, & oportet terminum esse rationem longam exprimentem quid & quale: distinctè enim explicat, quod definitum importat implicitè: ergo oportet quòd de definito possint plures conceptus formari, quidditatiuus scilicet, & qualitatiuus,per quos explicatur.

Quintò,non est singularis,quia non potest esse ratio omnino exprimens quidditatem eius, quin illa explicet aliud, quod non pertinet ad *quod quid erat esse*, vt patet *q.6 ad 3. Quid propriè definiri possit.* 2.*lib. dist.3.q.*de Indiuiduatione. Ex his sequitur,quòd definitio propriâ dicta est entis positiui, per se vnius, realis, compositi realiter, vel quantùm ad conceptus, vniuersalis, & solius talis.

Ideóque eam vocat Doctor *rationem nominis*, cui non supponitur necessariò aliquid in re ipsa, *Ratio eius, requirit vt conceptus significatus sit vnus.* sed tantùm in conceptu: ideóque,vt quidam volunt,non sumitur personaliter, sed materialiter; sumitur enim non pro aliquo quod in re ipsa supponat,sed præcisè inquantum concipitur, & significatur vno nomine & conceptu; & de hac Philosophus 7. Metaph. definitione nominis Philosophus agit *in* 7. *Metaph.text.16.*

*Definitio propriè dicta requirit quinque conditiones.* Definitio propriè dicta *est oratio verum esse significans*, ex 1. Topicorum cap.4. Exigit quinque conditiones,vt patet ex textu,vt sit entis positiui, per se vnius, realis, compositi realiter,vel quantùm ad conceptus,supple obiectiuos vniuersalis. Hęc omnia clara sunt in textu:probantur ex Philosopho.

*Sotus reiicitur.* Dominicus Soto *in* 4.*d.*1.*q.*1. *art.*2. Doctorem præstringit,quasi Metaphysicè hanc tractet, quæ parum referunt ad Theologum: sed edisserat ipse, cur Theologi definitionem Sacramenti inquirunt,vel inde leges bonæ definitionis mutuare possunt,nisi ex Metaphysicâ,& Logica;vel ipse vnde fulciat definitionem Sacramenti,quam assignat,nisi ex Philosopho, applicando regulas generales bonæ definitionis,quas rectè tamen contemnit,quia non cohærent, (vt videbitur) suæ doctrinæ, & definitioni, quam assignat Sacramenti.

tollatur;etiamsi hæc significatio ex vsu Scripturarum non habeatur: fundamentum enim accommodationis vocabuli ad hûc sensum ex Scriptura est,& ea apud Ecclesiam authoritas, vt rebus nouis propria etiam nomina accommodet, quod permittit Cicero *lib.*1. *Academicarum*; idque necessarium est, nisi elingues esse vellemus, cùm vt res fert, & Philosophus Elenchorum, rebus,quas coràm afferre non licet, verba substituamus,quæ & conceptus nostros inducant,& exteriùs communicent;hinc plures voces adinuentæ sunt declarandæ veritati, vt *Theotócos, homousion*,& similia.

Græci eadem significatione vtuntur verbo *μυστήριον*, quo Latini verbo *Sacramenti*. Nicen. *can.*14. Basilius *cap.*23. Origenes *homil.*5. *in lib. Num.*Epiphanius *hær.*40.Hæretici verò nunc negant, nunc pro arbitrio admittunt hunc sensum dictionis, contra quos noster à Castro,Bellarminus *tom.*3. *lib.*1. *cap.*8. Alanus *lib.de Sacramentis in genere.* Hosius *in confessione cap.*39. Lyndanus *lib.*4. *Panoplię.* Ruardus *in articulis Louanienſib. art.*1. Sacramentum ergo hac vltimâ acceptione facit ad scopum quæstionis præsentis, & sequentium.Hîc autem supponendo quid nominis,quæritur quid rei, & primum, *An definitio assignata à Magistro in litera sit bona*; ita vt suppleri in aliquo non debeat, aut minui.

Nicen. Basilius. Origenes, Epiphan. Castro. Bellarm. Alanus. Hosius. Lyndan.& alij.

b *Hic primò videndum est*,&c. Quæstionem diuidit in tres articulos. Primus,*Cuius possit esse definitio,& cuius non.* Secundus,*Vtrùm Sacramenti possit esse definitio.* Tertius, *An illa quam tradit Magister sit vera definitio.* In primò docet definitionem sumi dupliciter,propriè, & impropriè, vel extensiuè,& latè,seruatâ proportione.

3 *Tres articuli, & materia subiecta.* *Primus articulus.* *Definitio duplex.*

Definitio latè sumpta est ratio nominis,id est, oratio significans explicitè illud, quod nomen significat confusè, & implicitè. Definitio hoc modo poteſt esse cuiuscumque habentis vnum conceptum, & nomen significans sub ratione vnius, siue illud sit ens verum, siue negatio. Et dicitur definitio *quid nominis*, quia est ratio significans quid per nomen importetur. *Definitio latè sumpta.* *Definitio quid nominis.*

Cæterùm longiùs processit Vasquez *disp.*129. *in* 3.*p.c.*3. dicens nunquam ante ipsum alios exposuisse Philosophum syncerè,aut attigisse veritatem illius propositionis, *ens per accidens definiri non potest.* Scotum autem manifestè docuisse contra Aristotelem, cùm dixit accidentia, & Sacramentum non minùs definiri simpliciter posse, quàm substantiam; reliquos Scholasticos, quos *ibidem* citat, vt Nominales, & Richardum non intellexisse Aristotelem, quod, & de cæteris expositoribus perinde dicendum est, si nullus eorum attingit syncerè mentem eius,& omnes vno consensu affirment entis per accidens non dari definitionem. Vasquez. *Reliquos omnes refellit,*

Assumo tantùm resolutionem eius,quæ in hoc solo versatur,vt Philosophus asseruerit definitionem esse primò & per se substantiæ, secundariò accidentium. *Illud autem manifestum est*, inquit Philosophus, *quod primò & simpliciter definitio,* & quod quid erat esse *substantiarum est, ac cæterorum similiter est, non tamen primò*,&c. Vnde perseuerans in eadem sententia subdit: *Non enim est necesse si hoc ponamus huius definitionem esse quodcunque oratione idem significat,sed quod aliqua oratione,hoc autem si vnus sit,non continuationem,sicut Ilias,aut quæcumque* *Resolutio Vasquez*

*coniun-*

*coniunctione, ſed ſi quoties dicitur vnum*,'&c. Quod ita interpretatur Vaſquez: quamuis definiatur non ſolùm ſubſtantia, ſed cætera, vt accidentia, quamuis non quæcumque oratio idem ſignificans, quod nomen, ſit definitio, ſed aliqua peculiaris, quæ ſignificat vnum non continuatione temporis, vt *Ilias*, neque quod vnum eſt ſola coniunctione: quare, inquit, non negat Ariſtoteles, quæ alio genere ſunt vnum definiri poſſe; qualia ſunt ſubiectum & accidens, vt homo albus, entia artificialia, etiam quæ ſunt vnum moraliter, vt Concilium, Eccleſia, &c. Quamuis non primariò, ſed ſecundariò, & ſic intelligendus eſt 2. *Poſter. cap.* 2. quando negat definiri poſſe aliquid, niſi vnum per ſe, &c.

*Definiri ſubſtantiam primariò, reliqua omnia, quæ ſunt vnũ etiam accidẽtaliter, & moraliter ſecundariò definiri.*

5 *Reſponſio.*

Reſpondeo in eo ſolo Vaſquem aſſecutum eſſe mentem Philoſophi, in quantum dicit ſubſtantiæ eſſe definitionem primò, & per ſe, aliorum verò ſecundariò, non ita reliqua: & aſſertum Philoſophi malè applicat, & contra Philoſophum. Aduertendum ergo Philoſophum *textu com.* 12. inquirere, an aliis à ſubſtantia conuenit definitio? reſpondet dupliciter. Primò negatiuè, aſſerens, quòd ſicut ſoli ſubſtantiæ conuenit eſſe *quid*, aliis autem non *quid*, ſed *quale*; definitio verò, quæ eſt ratio explicans *quid ſit*, erit ſolius ſubſtantiæ. Ad eandem quæſtionem reſpondet ſecundò *textu* 14. *Aut definitio ſicut* quod quid eſt, *multipliciter dicitur*, &c. Vbi dicit quòd *quid* multipliciter dicitur, vno modo de ſubſtantia; alio modo de quocumque aliorum Prædicamentorũ, ſicut ens (ſupple quod diuiditur in decem Genera) dicitur primò de ſubſtantia, ſecundariò de aliis, & reſoluit definitionem eſſe primò Subſtãtiæ, ſecundariò aliarum Categoriarum. Ad propoſitum ergo Philoſophus dicit, quòd ſicut ſe habet *ens*, & *quod quid*, ſeu *quiditas* ad aliquid, ita & definitio, *aut & definitio*, inquit *ſicut & quod quid eſt, multipliciter dicitur*, &c. & mox diuidit *quod quid*, ſicut & *ens*, quę eodẽ modo dicuntur de ſubſtantia primariò, de aliis Prædicamentis ſecundariò. Ergo de quocumque, de quo non dicitur *ens*, & *quid*, de quibus hîc agit Philoſophus, de eodem non eſt definitio: ſed *ens*, de quo hîc Philoſophus, eſt ens quod diuiditur in decem Genera, vt patet ex textu. Hoc autem ex lib. 5. Metaph. eſt tãtùm ens per ſe, non ens per accidens, vt patet cap. *de Ente text. com.* 13. vbi primò diuidit ens in *ens per ſe*, & *ens per accidens*. Mox diuidit *ens per ſe* in decem Categorias. Ergo Philoſophus intendit hîc inueniri definitionem, in aliis nouem Generibus, quæ quidem ſunt accidentia inquantum ſunt *ens per ſe*; non autem definiri compoſitum per accidens.

*Explicatur Philoſophus, & reiicitur gloſſa Vaſquez.*

*Diuidi ens per ſe in nouẽ genera, & ſubſtantiam.*

Hoc etiam manifeſtum eſt ex verbis quæ adducit Vaſquez, ſed truncatè. *Non enim eſt neceſſe*, &c. Vbi dicit, quòd non omnis oratio explicans nomen, aut ipſi correſpondens ſit definitio, ſed quod *aliqua* ſupple determinata oratio, & quid requiritur, nempe vt ſit vnius non continuatione, aut colligatione, ſed vnius per ſe ſcilicet, vnde ſubiungit, *Sed ſi quoties dicitur vnum*, &c. hîc terminat Vaſquez diſcurſum Philoſophi: nam ſubſumit Philoſophus: *vnum verò dicitur ſicut ens; ens autem hoc aliquid*, id eſt, ſubſtantiam, *aliud verò quantitatem, aliud qualitatem ſignificat*, &c. quod eſt dicere, definitio non eſt niſi *vnius per ſe*, *vnum per ſe* toties dicitur, ſicut *ens per ſe*; *ens* autem *per ſe*, dicitur *de Subſtantia, de Quantitate, & de Qualitate*, &c. Et ſic correſpondet textus ei, quod in principio præmittit de diuiſione *quid* & *entis* per ſe in decem genera, vt probet definitionem non eſſe ſolius ſubſtantiæ; ſed etiam aliorum generum, ſicut de ipſis dicitur *quid*, & *ens per ſe*, & concludit: *Quapropter erit albi hominis ratio, & definitio, alio verò modo, & albi, & ſubſtantiæ*, &c. id eſt, aliter erit definitio albi hominis, aliter albi, & ſubſtantiæ: albi hominis, ſi ſumatur pro compoſito, ſicut eſt ens, & vnum ſecundùm quid; & per accidens, ita eius erit definitio ſecundùm quid, & per accidens; albi verò ſimpliciter, & per ſe, ſed non primò: ſubſtantiæ verò primò, & per ſe.

6

*Allegatio manca.*

*Verus ſenſus Philoſophi completur ex ſequentibus.*

Ideóque in ſequentibus vbi definit accidens copulatum non definit compoſitum accidentale, ſed formam in ordine ad ſubiectum, tanquam additum, quia ſic dicit conceptum vnum per ſe; ex quo patet malè interpretari Vaſquem illud 2. Poſteriorum, quòd definitio ſit vnius per ſe, ſicut reſolutio illa eius opponitur Philoſopho, vt patet ex dictis. Falſum etiam imponit Doctori, qui nihil tale dixit, vt patet ex articulo primo & ſecundo. Illud autem quod dicit *Sacramentum* habere conceptum vnum, & per ſe, non infert eſſe quoque primò definibile, ſicut ſubſtantia, vt patet ex conditionibus, quas articulo primo requirit ad definitionem.

## SCHOLIVM.

*Explicat quomodo quinque prædictæ conditiones rei diffinibilis conueniant ſuo modo Sacramento, licèt in rigore videantur tantùm conuenire enti reali, ex 5. Met. text. 14. & 6. Met. text. 8.*

4 De ſecundo [c] principali videndum eſt per ordinem, an aliquod iſtorum quinque excludat à Sacramento habere definitionem propriè dictam. Et ſecundùm hoc iſte ſecundus articulus habet quinque. Primum non impedit: quod oſtendo per concluſiones ordinatas. Prima eſt iſta; Poſſibile eſt Deum aliquem effectum inuiſibilem creare pertinentem ad ſalutem hominis viatoris. Hanc non oportet probare, quia Theologo eſt manifeſta, ex potentiâ diuinâ.

Secundò

c *De ſecundo principali*, &c. Secundus articulus declarat, quâ ratione iſtæ quinque conditiones poſſint applicari definitioni Sacramenti, & ſubmoueri impedientia: primò ex eo quòd Deus poſſit producere effectum Sacramento ſignificatum, & huius effectus inſtituere ſignum ſignificans ſenſibile, & huic ſigno infallibiliter cooperari poſitis requiſitis. Patet quòd ratio iſta *ſigni ſenſibilis præfici cauſantis gratiam*, &c. non ſit ratio falſa in ſe, aut impoſſibilis. Secundò, ex eodem patet quòd non ſit negatio, aut priuatio, ſed aliquid poſitiuum, quod non ſit ens per accidens, ſed per ſe, vt probat contra Richardum, quia licèt materialiter includat plura in ſe formaliter, eſt aliquid ſimplex, non ſecus quàm idem accidẽs

7 *Secundus articulus.*

*Conditiones prædictæ conueniunt Sacramento.*

ſi

Secundò dico, quòd possibile est Deum imponere aliquod signum ad signandum istum effectum inuisibilem. Hoc patet, quia nos possumus imponere signa ad signandum quodcumque intelligibile à nobis. Cùm autem diuidatur in rememoratiuum, quod est præteriti: & prognosticum, quod est futuri: & demonstratiuum, quod est præsentis; possibile est Deum instituere quodcunque istorum signorum ad signandum suos effectus. Quod etiam probatur, quia nos possumus quodcunque istorum signorum instituere ad signandum nostros effectus: sic enim instituta sunt à nobis iuramenta, promissiones, & signa huiusmodi obligatoria, ad signandum nostrum effectum futurum: vel assertoria ad signandum effectum præteritum, vel præsentem.

*Signum triplex, rememoratiuū, prognosticum, demonstratiuū.*

Vlteriùs suppono, quòd possibile est Deum determinare se & disponere, vt cooperetur ad aliquod signum ab eo institutum ad causandum effectum signatum, nisi impediat indispositio eius cui adhibetur. Patet, quia sicut esset possibile in nobis, quòd aliquid instituens signum effectus sui, disponeret se semper cooperari huiusmodi signo, nisi impediret ille cui adhiberetur; puta si quis instituat pro signo pacis, vel beneuolentiæ tactum manus, vel eleuationem digiti, vel huiusmodi, posset instituens tale signum determinare se ad semper cooperandum ad effectum signatum, nisi indispositio eius, cui adhiberetur signum, impediret: tale autem signum, cui instituens disponit regulariter cooperari, potest dici signum verax, vel certum, ad distinctionem signi incerti, vel æquiuoci, quod æqualiter habet secum signatum concomitans, vel oppositum. Propriè tamen dicitur signum efficax, si adhibito signo, sequitur signatum ordine naturæ, & non è conuerso: quia si signum sequeretur signatum suum ordine naturæ, etsi posset esse signum certum, si nunquam careret illo signato præcedente, non tamen esset efficax, quia nullo modo eius positio efficaciam haberet respectu signati, sed è conuerso.

*Signum efficax quid.*

5 Vltimò dico, quòd est possibile Deum ad signandum effectum prædictum, & modo prædicto, scilicet certitudinaliter, & efficaciter, instituere signum aliquod sensibile. Hoc apparet, quia & nos possumus aliquod signum sensibile instituere ad signandum effectum nostrum cum illis conditionibus prædictis. Nec solùm potuit institui vnum solum signum sensibile, sed etiam sensibile plura sensibilia includens in se, & hoc vel eiusdem sensus, vel diuersorum sensuum. Sicut enim ad signandum perfectionem diuinam, quæ est essentia simpliciſſima, possumus instituere istam orationem, *Deus est infinitus perfectè*: quæ constituitur ex multis syllabis audibilibus: ita possumus instituere, quòd aliqua audibilia, & aliqua visibilia simul signarent conceptum nostrum, puta quòd actum beneuolentiæ signarent aliqua verba certa cum aliquo actu manus, vel oculo.

Ex istis sequitur ista conclusio, quòd ista oratio totalis non est in se falsa, eo modo, quo Philosophus loquitur de oratione in se falsa 5. *Metaph. cap.* de Falso, scilicet, *Signum sensibile*

*Text. 4.*

sisset in pluribus subiectis. Nam ratio *signi ex instituto & efficacis*, &c. spectat ad vnum per se conceptum, pluralitas se habet ex parte fundamenti, vel termini, vt in sequenti declarabitur.

Resoluit denique quòd hæc definitio deficiat ab illa conditione, quod est explicare *quid complementis realis*, seu extra animam existentis, quia licèt in re sit aptitudo ad signandum effectum signatum, tamen ipsa significatio non competit ei, nisi per actum imponentis, non autem ex natura rei.

*Deficit à conditione definibilis strictè.*

Aptitudo illa ad signandum, quam habet res sensibilis instituta, attenditur penes analogiam quandam, quam habet ad effectum, quem significat, vt ablutio corporis per aquam ad ablutionem significandam animæ à peccato per gratiam. Hinc Augustinus epistola 23. ait: *Sacramenta quandam similitudinem habent earum rerum, quarum sunt Sacramenta, quam si non haberent, omnino Sacramenta non essent*, &c. & lib. de Catechizandis rudibus *cap.* 26. monet vt ex similitudine rei catechumenus de effectu inuisibili, quem significat, instruatur. Idem alij Patres insinuant, declarantes rationem, ob quam Sacramenta in rebus sensibilibus instituta sunt, esse, vt ex his ad intelligibilia, & inuisibilia animus assurgat. Vnde hanc similitudinem analogam proportionis tam Magister, quàm Hugo in definitionem Sacramenti transtulerunt.

*Quid sit aptitudo rei ad significandum?*

*Augustinus.*

*Magister. Hugo.*

8 Vasquez *disp.* 128. *cap.* 4. hanc interpretationem reprobat, quia Augustinus non intelligit similitudinem naturalem, sed eam, quæ est signi ex instituto: sed meliùs antiqui: vnde Augustinus subdit, *Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt*, &c. & in alio loco citato, *Dicendum etiam*, inquit, *& quid significet, & sermo ille, quem audiuit, quid in illo condatur, cuius illa res similitudinem gerit*, &c. vtrumque ergo comprehendit Augustinus, & similitudinem naturalem, & institutionem, quæ accedit: & licèt hæc potior sit; illa etiam ad effectum instructionis plurimùm conducit, vt patet ex Patribus. Castè ergo loquitur Doctor, appellans illam similitudinem aptitudinem ad significandum, & ipsam ait significationem esse ex impositione.

*Vasquez renuit.*

Concludit ergo Doctor Sacramentum definiri, sicut intentiones logicales, ea definitione, quæ sufficit etiam ad scientiam propriè dictam, vt quę sit per genus, & differentiam, & habet proprietates consequentes, & demonstrabiles; alia autem duo, quæ impediunt definitionem, vt esse conceptum simpliciter simplicem, & esse singulare, remouentur à Sacramento.

*Diffinitio Sacramenti non eſt oratio in ſe falſa.*

*bile gratiam Dei, vel eius effectum gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignans, effectum* inquam, *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* Patet enim ex prædictis, quòd nulla particula iſtius orationis repugnat alteri: non eſt autem in ſe ratio falſa ſecundùm Philoſophum ibi, niſi partes inter ſe contradicant. Iſta ergo ratio non eſt purè non entis, puta, puri impoſſibilis, quia nihil eſt purum impoſſibile, niſi cuius ratio eſt in ſe falſa, vt patet 1 *libro, diſtinct.* 2. *q.* 2.

Patet etiam, quòd iſta ratio non eſt puræ negationis, vel priuationis: quia includit in ſe aliqua poſitiua: quòd ſi ſupponatur iſtam rationem eſſe huius nominis, *Sacramentum*; ſequitur quòd Sacramentum non eſt purum non ens, neque ſicut impoſſibile, neque ſicut negatio. Quòd autem iſta ratio ſit huius nominis, *Sacramentum*, probari non poteſt: ſed oportet ſupponere ex vſu loquentium de Sacramento, ſicut oportet ſupponere ſignata vocabulorum ex vſu.

*Sacramentū non eſſe negationem, vel priuationem.*

6

*Ens per accidens, & ens aggregatum differunt.*

Videndum eſt ergo de ſecunda conditione, ſcilicet, de per ſe vnitate, vtrùm impediat definitionem propriè à Sacramento, vel ab habente huius rationem nominis. Quòd autem ens non vnum per ſe, non ſit definibile, poteſt intelligi duobus modis, ſcilicet vel quòd conſiſtat ex entibus eiuſdem generis, vel alterius, quæ tamen non ſunt nata conſtituere per ſe vnum. Primum tenet nomen entis aggregati, vt cumulus, vel aceruus: ſecundum dicitur propriè ens, per accidens, patet 5. *Metaph. c. de ente, & de vno.* neutrum autem horum eſt propriè definibile; primum non, patet 8. *Metaph. cap.* 1. nec ſecundum, vt patet 7. *Metaph. cap.* 2.

*Text.* 13. *Text.* 7. *Text.* 15. *Text.* 16. *Rich. lib.* 4. *d.* 1. *a.* 1. *q.* 2.

Et dicitur, quòd Sacramentum propriè non habet vnitatem, ideò non eſt definibile propriè: includit enim multa (vt tangit primum argumentum ad oppoſitum) ex quibus non poteſt fieri per ſe vnum.

*Sacramentū quomodo vnum, cùm plura contineat.*

Sed contrà hoc, licèt enim vnum accidens eſſet in pluribus ſubiectis, nihilominus illud eſſet definibile propriè, ſicut aliud accidens, quia illa plura non pertinent per ſe ad rationem accidentis, ſed tanquam additamenta: in iſta autem ratione nominis prædicta, patet quòd illud, quod dicitur ſenſibile, ponitur reſpectu ſigni, ſicut additum: ergo quantumcunque in illo non ſit vnitas, dum tamen illa alia, quæ pertinent ad rationem formalem nominis, non impediant vnitatem per ſe, non propter hoc Sacramentum erit non definibile, ita quòd pluralitas, de qua arguitur, eſt illorum, quæ concurrunt in ſenſibili ſignante fundamentum illius relationis formalis, quam importat *Sacramentum.*

7

*In Sacramẽto formale eſt ſignum, res ſenſibiles, & effectus additamentum.*

Dico ergo, quòd cùm in ratione prædicta, formale intelligatur eſſe ſignum, & etiam illa, quæ per ſe determinant rationem ſigni, cuiuſmodi ſunt *ex inſtitutione*, & *efficaciter*; alia duo, quæ ſunt ibi, ſcilicet *ſenſibile*, & *effectum Dei gratuitum*, ſunt ibi vt additamenta: primum vt ſubiectum, ſiue vt fundamentum: ſecũdum autem vt correlatiuum, pluralitas autem quæcunque, vel ſubiecti in ſe, vel correlatiui ad correlatiuum, non prohibet relationem eſſe diffinibilem ſimpliciter; ergo nec excludit à Sacramento habere definitionem, propter non vnitatem. Ita enim eſt iſte conceptus per ſe vnus apud intellectum, *ſignum ad placitum efficax*, ſicut eſt conceptus paternitatis: & ſic paternitas poſſet definiri propriè, non obſtante non vnitate per ſe ſubiecti, ſi paternitas eſſet in duobus ſubiectis, & illa ponerentur vt additamenta; poneretur etiam correlatiuũ paternitatis: ita in propoſito.

Tertiò dico, quòd in ratione nominis prædicta includitur aliquid, quod dicit ens rationis, ſcilicet hoc, quod eſt *ſignum ex inſtitutione.* Nam illa relatio non conſequitur fundamentum ex natura rei, quia etſi in re ſit aptitudo ad ſignandum effectum ſignatum, tamen actualis ſignatio non conuenit ſibi, niſi per actum imponentis. Reſtringendo ergo definitionem ad *quid* propriè dictum extra animam, iſta definitio non exprimit *quid* Sacramenti: ergo non poteſt eſſe definitio, eo modo quo eſt ratio entis completi extra animam. Sed eo modo, quo definitio exprimit vnum conceptum per ſe in intellectu, ſiue ille conceptus ſit rei extrà, ſiue rationis, benè poteſt definiri: & hoc modo tantùm, & non aliter, definiuntur omnes intentiones Logicales: non enim ſignant quiditates extra animam, ſed tantummodò conceptus in anima, ſed per ſe vnos. Et ſic habere definitionem ſufficit ad ſcientiam propriè dictam; alioquin Logica non eſſet ſcientia. In talibus definitionibus etiam inuenitur Genus, Differentia, & Proprium, eo modo, quo Logicus loquitur de Genere, Differentia, & Proprio: quia inuenitur prædicatum in *quid*, & in *quale* eſſentiale, & in *quale* accidentale, conuertibile, & ſic in ratione prædicta ponitur *ſignum* vt genus; *ex inſtitutione*, & *efficax*, vt differentia: *ſenſibile* verò vt fundamentum relationis: *gratia* verò, vel *effectus Dei gratuitus*, vt correlatiuum.

*Qualis ſit definitio Sacramenti.*

*Sacramentũ, & omnia rationis entia, definiuntur quaſi improprie, ſeu definitione latè ſumpta, quia deeſt tertia conditio.*

*Explicat particulas definitionis Sacramenti.*

De quarta, & quinta conditione, non oportet immorari. Patet enim, quòd Sacramentum ſecundùm rationem nominis prædictam, non habet conceptum ſimpliciter ſimplicem, nec conceptum ſingularem, ſed vniuerſalem.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Resoluit Sacramentum esse definibile, ad modum secundarum intentionum. Explicat quæstionem* si est, *non intelligendam de actuali, sed de potentiali existentia, & sic competere Sacramento. Ponit ordinem eius, quod dicitur per nomen, ad cognitionem,* si est.

8 Ex his prædictis patet secundus articulus, quòd Sacramentum, (suppositò quòd eius sit ratio nominis, quæ suprà posita est,) potest simpliciter, & per se definiri, eo modo, quo intentiones secundæ sunt per se definibiles: & quòd absolutè nihil repugnat, quin absolutè & verissimè definiatur, nisi quia proprium eius formale est ens rationis: vel nisi quia includit aliquid, quod est præcisè ens rationis. Ex isto articulo patet corollariè, quomodo se habent cognitio *quid est*, & *si est*, ordinatè. In cognitione namque *si est*, secundùm quòd præcedit cognitionem *quid est*, non intelligitur de actuali existentia; alioquin demonstratio, (cuius medium est definitio,) non posset haberi de non existente, cuius oppositum vult Philosophus *primo Posteriorum, & 7. Metaph.* sed intelligitur *si est*, de ente, cui non repugnat esse in effectu.

*Text. 10. Text. 35. & 53.*

In primâ conditione istarum quinque, applicando ad propositum, ostensum est de Sacramento *si est* isto modo, quia ostensum est Sacramentum esse tale, cui non repugnat esse in effectu: & hoc supposito, inquirebatur in speciali, quid esset. Apparet etiam ordo cognitionis eius, quod dicitur per nomen ad *si est*; quia in prima conditione istarum quinque præsupponitur quid dicitur per nomen, & ex illa ratione præsupposita concluditur, *si est*. Et licèt idem sit *quid nominis*, & *quid rei* in habentibus *quid rei*: tamen priùs cognoscitur aliquid esse *quid nominis*, quàm *quid rei*. Primum enim cognoscitur cognoscendo illud nomen esse intelligibile, & significabile: secundum cognoscendo istud esse alicuius possibilis esse in effectu: & ex ratione eius possibili concipi, & signari, potest concludi aliquid posse subesse illi conceptui, & per consequens illam rationem exprimere verum *quid est*.

Quid nominis *est terminus quo res significari potest, vt homo*, quid rei, *posse esse à parte rei: quod notitiâ complexâ scitur.*

## SCHOLIVM.

*Ponit definitionem Sacramenti, & exponit eius particulas, nec differt in re à definitione Magistri, vel Catechismi Tridentini. Facilè etiam coincidit cum eâ, quam August. Hugo, & Isidor. citati, assignant.*

9 *Definitio sacramenti.* De tertio [d] principali dico, quòd eo modo quo potest esse definitio Sacramenti, vt patet ex 2. articulo, hæc est eius definitio, scilicet *Signum sensibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitũ, ex institutione diuina efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis viatoris*. Et in hoc *efficaciter*, includitur tã certitudinaliter, quàm prognosticè: & hoc, accipiendo *prognosticum* pro signo non tantùm priori duratione signato, sed etiam naturâ. Hoc probatur vniuersaliter in his, quę possunt habere definitionem: eadem enim est ratio exprimẽs quid dicitur per nomen, & vera definitio. Nã secundùm Philosophum, 4. *Met.* ratio quam significat nomen, est definitio: & hoc apparet per rationem; quia nomẽ imponitur ad signandum essentiã rei: ergo ratio, quæ exprimit quod dicitur per nomen distinctè, & per partes, exprimit distinctè per partes conceptus essentiæ rei. Ista autem ratio, quæ posita est, scilicet *signum sensibile*, &c. est ratio huius nominis *Sacramentum*, vt suppositum est suprà ex vsu loquẽtium de Sacramento: & Sacramentum potest habere definitionem eo modo, quo entia ratio-

*Text. 28.*

d *De tertio principali dico*, &c. Hoc tandem articulo tradit definitionem Sacramenti, eámque per particulas declarat. Antequam ad explicationem, & probationem singularum veniamus, præmittã definitiones à primatiis authoribus datas.

9 *Tertius articulus.*

Prima est talis ex Augustino 1. de ciuitate Dei, cap. 5. *Sacramentum est sacra rei signum*. Secunda est Isidori lib. 6. etymol. cap. 18. *Sacramentum est, per quod sub tegumento verũ visibilium diuina virtus secretius salutem operatur*, &c. Hanc Gratianus 1. *quæst.* 1. *c. Multi sæcularium*, &c. tribuit Gregorio. D. Thomas verò *in* 4. *d.* 1. *q.* 1. & Augustino, re ipsa vtriusque dici potest, licèt quoad formam verborum sit Isidori. Tertia est Hugonis lib. 1. de Sacramentis p. 9. c. 2. *Sacramentum est corporale elementũ foris sensibiliter propositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione continens intuisibilem, & spiritualem gratiam*, &c. Quarta est Magistri, *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ similitudinem gerens, & causa existens*, &c. Hæc sumpta est ex Hugone in Summa sentent. tract. 4. cap. 1. Ab hac parum differt illa Catechismi Pij V. *Sacramentum est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram institutionẽ institutum*, &c.

*Definitiones sacramenti.* Augustin. *Secunda Isidori.* Gratianus. D. Thom. *Tertia definitio Hugonis. Quarta Magistri. Quinta Catechismi Pij V.*

Circa definitiones prædictas plura notant Doctores, quæ breuitatis gratiâ omittimus. Illud aduertendum primam, quæ dicitur Augustini, præfato loco, ab eo per accommodationem quandam potiùs desumi, eámque tradit Magister hîc: non quòd in ea forma, aut ex institutio sit Augustini,

*Prima definitio per accõmodationem sumitur ex Augustino.*

nis definiuntur: ergo iſta ratio eſt eius definitio: ſic ergo probatur quia ita eſt.

Qualiter autem hoc poſſit eſſe, faciliter poteſt patere, quia ibi ponitur aliquid pertinens ad genus relationis, quod eſt genus in illo genere, eo modo, quo in relationibus rationis ponitur Genus, & Species, puta hoc quod eſt *ſignum*: & illud determinatur per differentias huius Generis, ſcilicet *ſigni*, quæ ſunt *ex inſtitutione*, & *efficaciter*. Et ponuntur ibi duo addita, ſicut vniuerſaliter in definitionibus relationum, & relatiuorum, ſcilicet ſubiectum, vel fundamentum, quod intelligitur per hoc, quod eſt *ſenſibile*. Alterum etiam, ſcilicet correlatiuum, quod notatur per hoc, quod eſt *gratiam, vel effectum gratuitum*.

10 Ex his patet ſolutio quæſtionis. Dicendum eſt enim quòd illa ratio, de quâ quæritur, (ſi rectè intelligatur, & per alia non explicata ſuppleatur,) eſt propria ratio definitiua Sacramenti eo modo, quo Sacramentum eſt definibile. Eſt enim illa ratio ſic intellecta, & ſuppleta eadem cum ratione prædicta. Quòd enim ponitur *forma*, debet intelligi pro ſigno ſenſibili, eo modo, quo imago Herculis dicitur forma Herculis. Quòd ibi additur *viſibile*, debet intelligi pro ſenſibili in communi: & pro tanto debet intelligi *viſibile* poni pro ſenſibili cuiuſlibet ſenſus, quia viſus eſt excellentior omni ſenſu, & plurium differentiarum cognoſcitiuus, ſecundùm Philoſophum 1. *Metaph.* Ponitur etiam ibi *viſibile* pro ſenſibili, ſiue vno, ſiue pluribus, & hoc pluribus pertinentibus ad eundem ſenſum, vel alium, & alium. Ponitur autem ibi *gratia inuiſibilis* pro effectu Dei gratuito interiori, ordinato ad ſalutem hominis viatoris. Vtrùm autem *gratia* ibi ſumatur vniuerſaliter pro gratiâ inhærente animæ ſubiectiuè, an generaliùs, vt expreſſi ſuprà, vt ſcilicet ſignificet effectum Dei gratuitum, &c. in materiâ de Euchariſtiâ patebit: quia ibi res Sacramenti non eſt aliqua gratia accidentalis inhærens animæ. Suppleri autem debent differentiæ ſpecificantes ſignum, puta *ex inſtitutione*, contra ſignum ſignans naturaliter: & *efficaciter*, contra ſignum æquiuocum, & ſignum ſequens naturaliter ſignatum.

*Quid ſignificet forma.*

*In proœm.*

*In definitionis diſt. 8. q. 1.*

11 Ad primum [c] argumentum dico, quòd licèt fundamentum huius relationis plura includat, ex quibus non fit per ſe vnum, vt probatur de ſucceſſiuo & permanente: tamen non ſequitur quin Sacramentum, quantùm ad ſuâ formalem rationem, ſit per ſe vnum. Et ſi arguitur contra hoc, quia relatio non eſt per ſe vna, niſi habeat funda

*Ad argum. 1.*

quia ibidem definit ſacrificium, de quo agit; agit enim de legalibus: *Sacrificium ergo viſibile, inuiſibilis ſacrificij ſacramentum eſt, id eſt, ſacrum ſignum.* Rectè etiam S. Bonauentura putat per illam non definiri rationem ſacramenti completè, ſed tantùm genus ſacramenti, nempe eſſe ſignum ſacrum, quod competit multis aliis, vt ſacrificio, quod adnotauit Vaſquez, niſi per *rem ſacram* intelligatur gratia ſanctificans, vt videtur intendere Magiſter, *ſic erit*, inquit, *bona definitio*; ſed neque ex vſu, neque ex intentione Auguſtini, ſic ſumitur *res ſacra*; in definitione autem oportet exprimi diſtinctè rationem definiti, quidquid intenderit definiens, quod non ſit vocabulo generico, niſi aliud adiungatur limitans, in ipſa definitione, ſicut contingit in ſequenti.

*Definit ſacrificium ex inſtituto.*

*Non eſſe completam ſacramenti.*

Definit ergo Doctor ſic: *Sacramentum eſſe ſignum ſenſibile gratiam Dei, vel effectum Dei gratuitum ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans, ordinatum ad ſalutem hominis viatoris*, &c. In hac definitione tres illæ particulæ *ſignum, ex diuina inſtitutione, efficaciter ſignificans*; denotant genus definiti. Illa particula *ſenſibile*, ſubiectum: illa particula, *gratiam*, ſeu *effectum Dei gratuitum ordinatum*, &c. denotat terminum, & ſic definitio eſt relatiua, vt patet ex textu, verſu *Qualiter autem hoc poſſit*. Hoc autem ampliùs probatur per ſingula.

10 *Definitio Doctoris propria ſacramenti.*

In primis ſacramentũ dicitur eſſe *ſignũ*, &c. quia cõſtituitur in genere ſigni, vt præmiſſæ omnes definitiones docẽt: & inſtituitur ad aliud à ſe diſtinctum repræſentãdum, nempe ſanctitatẽ aliquam, ſeu effectum gratuitũ ordinatum ad ſanctificationem, in quo cõſiſtit ratio ſigni in genere, ex vulgata Auguſtini de doctrina Chriſtiana lib. 2. c. 1. *Signũ eſt quod præter ſpeciẽ, quam ingerit ſenſibus*, &c. in quo conuenit Sacramentum cum aliis ſignis.

*Quod ſit ſignum probatur.*

Hinc ſequitur primò, quòd *ſacramentum* ſupponat in recto pro ipſa relatione ſigni in concreto ſumpta, non ſecus ac definitiones Logicales pro intentionibus ſecundis, hoc modo ſumptis (vt benè Doctor in Logica, de quinque vocibus *quæſt. de Genere*,) non autem pro re ſubſtrata, patet ex definitionibus allatis ſuprà, in quibus particulæ differentiales, ſunt rationes contrahendi genus ſigni, non autem rei ſubſtratæ. Nec refert quòd in iis ſumantur nomina extremorum in recto, etiam vt ſubiecti *viſibilis forma corporale elementum*, &c. quia in definitione ſupponunt pro ipſa relatione ſigni, quod peculiare eſt in relationibus; quæ cognoſcuntur per extrema tantùm, neque aliter cognoſci poſſunt: ideò nomen ſubiecti vt additum requiritur.

*Supponit in recto pro relatione ſigni in concreto.*

*Extrema ſupponũt pro relatione.*

Secundò patet idẽ, quia *inſtitutio* vt afficit rem eſt ratio ſignificãdi: ergo Sacramentũ, quà ſignum eſt, ſupponit formaliter pro ipſa inſtitutione paſſiua, quæ afficit rem; & quà præcisè conſtituit ipſum in genere ſigni. Hãc dicimus cum Doctore eſſe relationem rationis, quam ſententiam tenent antiqui Theologi. Moderni autem quidã volunt eſſe denominationem extrinſecam, ex eo quòd putent omne ens rationis eſſe per fictionem, ſed fundamentum hoc falſum eſt: & quidquid ſit de re ipſa, ad præſens non refert: pro ſignificatione enim ipſa in concreto, ſiue ſit relatio, ſiue denominatio extrinſeca; ſiue etiam dicatur relatio rationis, vt Doctor, & antiqui volunt; ſiue relatio moralis, ſupponit ſacramentum: hæc autẽ diſſertatio remittitur ad Metaphyſicam, ſeu ad libros Perihermenias de ratione ſignorum conſtitutiua.

*Secunda ratio. Ab inſtitutione, & eius effectu.*

*Relatio eſt rationis.*

Hinc reiicitur Sotus *art.* 2. dicens definitionem Sacramenti ſupponere pro re, connotando ſignifica

11 *Sententia Soti.*

fundamentum vnum. Respondeo, quòd si fortè hoc esset verum de relationibus realibus, de quibus est dubium, quia fortè in multis trahentibus vnam nauem est vna relatio trahentium ad vnum tractum: tamen in relationibus rationis, propositio est manifestè falsa. Quia quantumcumque diuersa, possunt concurrere in fundamento vnius relationis rationis: non enim oportet nisi quòd multa ibi concipiantur quasi vnum, in ordine ad aliquod signatum. Hoc patet, quia huius relationis vnius, quæ est *signare mustum bonum*, benè potest esse fundamentum totum istud, scilicet *circulus coopertus foliis hederæ in cruce positus*, &c. ita etiam multæ orationes contextæ, vel vna ratio ex multis syllabis, quæ nihil vnum per se faciunt, sunt fundamentum vnius relationis huius, quæ est *signare Deo inesse aliqua, quæ sibi intrinsecè insunt*: cùm tamen illud signatum sit vnum, & idem simplicissimum.

*Ad 2. & 3.* Ad argumentum secundum, & tertium, patet ex dictis in explicatione definitionis Magistri.

*Ad 4.* Ad quartum, potest patere ex illis, quia quod vna definitio non exprimit, alia exprimit, vt sic ex omnibus colligendo, quod sparsim inuenitur in singulis, possit haberi vna definitio completa, qualis est illa suprà posita.

supponere pro toto, & hoc primò, nempe pro constituto ex rebus, & significatione. Contrà, primò, quia aliàs non esset in se aliqua ratio vna conceptibilis, aut definibilis. Iuxta Philosophum enim 7. Metaph. vt patet ex primo articulo huius: *Non est aliqua ratio eius, quod non est per se vnum*: ens per accidens, aut aggregatum non habent aliquam rationem distinctam ab extremis.

*Quæst.* *Dicere vnitatem ordinis, & compositionem.* Respondet sacramentum non esse ens aggregatum, sed dicere vnitatem ordinis sicut exercitus, & habere vnitatem compositionis formalis; quia tam res inter se collatæ, si plures sunt, quàm significatio ad res comparata, habent rationem quandam actûs, & potentiæ. Contrà, accidentalis forma realis est perfectior actus subiecti in ratione non solùm rei, sed actus informantis, quàm forma rationis, quia illa re talis est, sicut est perfectio subiecti informans; hæc autem tantùm in intellectu; sed cum illa non fit compositum per se vnum, aut definibile: ergo neque cùm forma rationis, dicatur sic, vel denominatio extrinseca, vt ipse vult.

*Impugnatur.*

*Secunda ratio cōtra eundem ex vnitate ordinis.* Deinde quidquid non habet aliam vnitatem quàm ordinis, vt vnum est, supponit tantùm pro ordine, quo fit vnum, ac proinde pro sola ratione prioris, & posterioris, aut simultatis, connotando subiecta: ergo simile contingit in proposito; extrema enim connotata cadunt in definitionem per additum ex conditione relationis, non autem vt prædicatum, aut subiectum quiditatiuum definiti.

13 *Secunda particula quod sit sensibile.* Secunda particula eiusdē definitionis est, quòd sit *sensibile*, ideſt, signum institutum in materia sensibili: hanc requiri ad essentiam Sacramenti, vt est institutum de facto, patet ex definitionibus

significationem; sicut artificialia supponunt pro materia, connotando formam: quia & hoc etiam falsum est: nam artificiale, vt artificiale in recto, *Refutatur.* supponit pro forma inducta per artem, à qua participat nomen, & *esse* artis; materiale autem est à natura.

Confirmatur, quia ars consistit in imitatione *Artefactum pro forma artis supponit.* naturæ; hæc autem imitatio, seu similitudo in ea fundata, est præcisè à forma artificiali; siue inducatur per incisionem quantitatis, siue per iuxtapositionem colorum & figurarum, vt patet in statua, quæ intantum est Cæsaris, inquantum ipsi assimilatur per figuram & formam artificialem, non inquantum est lapis, aut lignum.

Secundò, *Sacramentum* concipitur, & definitur in ordine ad aliud in recto. Ergo supponit pro eo, quod primò est ad aliud in *esse*; aliæ autem rationes eius, & per accidens ad aliud dicuntur vt subiectum. *Secunda ratio.*

Tertiò, sic Patres loquuntur de Sacramentis, vt signa sunt, quæ continent, & causant gratiam, quam significat, vt Trident. *sess. 7. de Sacramentis in genere*: ergo ex sensu Patrum supponunt primariò pro constituto per formam, quâ sic conuenit ipsis causare, & continere, quæ est ipsa institutio diuina adhærens rei, non autem ipsa res. Vnde etiam sic primariò cadunt in vsum, tanquam media ad salutem: sic etiam spectant primariò ad intentum, & considerationem Theologi: ergo etiam ad definitionem Theologicam; ac proinde res subtrata habet tantùm rationem connotati, & secundariò considerati; non autem primariò definiti, ac proinde definitio supponit pro ipsa significatione modo dicto, & primariò; pro re autem tanquam connotato. *Tertia ratio.* *Trident.*

Sequitur secundò minùs verum esse, quod docet Suarez 3. *p. tom. 3. disp. 1. sect. 4.* Sacramentum *Sententia Suarez reijcitur.*

iam allatis, & probatur: Sacramentum est signum, *Probatur.* in quo maximè fit vsus, & exercitium religionis in communitate; sed nullum est vsuale respectu communitatis hominum, pro statu naturæ lapsæ, pro quo est necessarius vsus Sacramentorum, seu medicinæ, ratione infirmitatis, nisi sit sensibile, ob dependentiam, quam habet intellectus à sensu, pro hoc statu; neque vnus alteri potest communicare ostensiuè, & exteriùs, nisi mediis sensibilibus. Ergo signa ad communem vsum corporis mystici spectantia, pro hoc statu, debent esse sensibilia; aliàs neque ministeriū, & dispensatio eorum posset committi Ecclesiæ, cùm ei nequiret constare, si ea fuissent applicata, siue non; si essent merè occulta, de quibus nequit illa iudicare. *Ex necessitate status præsentis, & ministerij.*

Necessitas itaque materiæ sensibilis in proposito ex duobus oritur. Primum est ad instructionem, vt assurgat homo ex sensibilibus ad intelligibilia, propter subordinationem intellectus ad sensum, per viam deueniendi ad cognitionem. Secundum autem est communicatio exterior religionis in toto corpore Ecclesiæ visibilis, quæ nequit fieri, nisi mediis sensibilibus. *Quare requiritur sensibile sacramentum?*

Primam congruentiam assignat Dionysius c. 1. de Cœlesti Hierarchia, *Neque enim aliter fas erat infirmitati nostræ diuinum lucere radium, nisi sacrorum varietate voluminum, quibus ad superiora ferremur, opertum, & his quæ nobis familiaria sunt prouidentia paterna naturæ mortalium sese accommodante vestitum.* Et de Ecclesiastica Hierarch. cap. 1. *Visibilibus imaginibus ad diuinas intelligentias, pro virium nostrarum modo, conscendimus*, &c. Quam etiam con- *Ad institutionem.* Dionys.

Chryſoſt. gtuentiam fuſiùs proſequitur Chryſoſtomus homil.60. ad populum,83. In Matth. *Si incorporeus eſſes, incorporea tibi dediſſet ipſe dona; quoniam autem coniuncta eſt corpori anima tua ſub ſenſibilibus, tibi intelligibilia tradit*, &c. Damaſcen. *lib.4.de fide Orthodoxa, cap.*10.& 14. Auguſtin. *ſuper epiſtolam ad Galatas, & Conc.*1. *in Pſalm.*33. dicens: *Omne ſacramentum referendum eſſe ad contemplationem veritatis, & bonos mores.*

Damaſc. Auguſtin.

Hac tandem ratione quidquid Deus dedit ad inſtructionem hominis, & directionem externam in ſuum finem, ſenſibilibus ſignis comprehendit, vt diuinam Scripturam, legem, Prophetas, præcepta nunc rebus, nunc verbis agens.

14 *Sacramẽtum eſſe ſenſibile ex neceſſitate communionis in religione.* Auguſtin. Chryſoſt. Tertullian.

Secunda congruentia deſumi poteſt ex Auguſtino *lib.*19. *contra Fauſtum cap.*11. *lib.de vera religione cap.*15. ex Chryſoſtomo *homil.* 39. *in Geneſim.* Tertulliano *lib.de præſcript.aduerſ.hæret.c.*20. & aliis. Hinc vnitas Eccleſiæ ſumitur etiam ab vnitate Sacramentorum, in quibus viſibiliter communicant membra, & quibus per cenſuram priuat: hinc Deus, quando ſegregauit filios Iſraël à Gentibus, dedit eis peculiaria ſacramenta, & cæremonias (quod perinde factum conſtat in lege noua) in quibus diſtinctio ab aliis qui foris ſunt, & vnio membrorum inter ſe contingit.

*Sententia negatiua.* Nominales, & alij. *Ratio eius.*

Reiicitur ergo Occham *in* 4. *d.* 9.1. Petrus de Alianco *ibidem art.* 3. Carthagena *de Sacramentis in genere*, aſſerentes ad ſacramentum non requiri *eſſe ſenſibile*, quia poſſet Deus rem ſpiritualem inſtituere, ad cuius poſitionem cauſaret gratiam.

*Reſpondetur.*

Reſpondetur, definiri Sacramẽtum congruum ſtatui viatoris hominis, & communitatis, cuius vſus eſt viſibilis, & per diſpenſationem Miniſtrorum viſibilem, quæ nequeunt conuenire ſigno merè ſpirituali, ſicut nec effectus aſſignati communionis & inſtructionis, qui conueniunt Sacramento, ex Patribus.

*Exemplum. Medium in ſe efficax poteſt alicui eſſe incertum, & inutile.*

Sicut etiam in moralibus aliquid contingit eſſe medium in re quoad efficaciam, licèt reſpectu cuiuſcumque operantis non ſit vſuale, quia vel non eſt in eius poteſtate, vel ſi eſt in poteſtate, nequit perfectè ab eo applicari ex defectu ſcientiæ requiſitæ, ita vt ipſi maneat dubium, & incertum medium, in ordine ad finem, quod ſufficit ad diſtinctionem moralem eius, ab alio, cuius virtus, & applicatio eſt certa operanti.

*Applicatio.*

Sic etiam ſacramentum in aliquo ſpirituali inſtitutum, licèt haberet in ſe efficaciam, non tamen eſſet certum medium operanti, quia neſciret an illud applicatum fuerit: ſi enim eſſet aliquid diſtinctum ab actu, & habitu, eſſet pro hoc ſtatu ignotum, cuius exiſtentia à priori, aut ex ſe non cognoſceretur, neque à poſteriori, niſi ex effectu gratiæ, quæ non cadit ſub cognitionem certam, & determinatam, quantùm ad exiſtentiam: quia *nemo ſcit an odio, vel amore ſit dignus.* Si eſſet habitus, ſolùm ex actu cognoſceretur: ſi autem in actu ordinis ſupernaturalis, nec ſic etiam ipſe, aut diſtinctio eius à naturali ita certa eſt vt requiritur, quia requiritur vt conſtet ſaltem Miniſtro, & Eccleſiæ applicatum fuiſſe medium de ſe efficax, & ſacramentum: ſi in actu naturali inſtitueretur, eadem ratio currit. De actu autem interno hominis nullus cognoſcit certò, niſi eliciens & Deus, vel cui reuelauit: quod ſufficit vt Sacramentum ſic inſtitutũ reſpectu ſtatus præſentis, dicatur moraliter, & in ratione medij diuerſum à Sacramento ſenſibili, & congruo ſtatui, quia Sacramentum debet eſſe per ſe notum Eccleſiæ.

Obiiciunt prædicti authores, quòd contritio, characteres Euchariſtiæ ſint ſacramentum, quamuis non ſint ſenſibilia: ergo. Reſpondetur diuerſa eſſe ex ſenſu Theologorum, ſacramentum tantùm, rem tantùm, rem & ſacramentum ſimul: hîc verò definitur ſacramentum tantùm, quod ſpectat ad vſum, & miniſterium Eccleſiæ. Quæ adducta ſunt, ſunt tertij generis, ex qua diſtinctione antecedentis, negatur conſequentia, loquendo de ſacramento, iuxta præſens inſtitutũ.

*Fundamentũ huius ſententiæ diluitur.*

15 *Reliqua particula definitionũ.* *Duplex controuerſia.*

Tertia particula definitionis præmiſſa eſt *gratiam Dei, aut effectum eius gratuitum ex inſtitutione diuinæ efficaciter ſignificans*, &c. Circa hanc eſt duplex controuerſia. Prima, an inſtitutio Sacramenti ſit ſolius Dei, vt non poſſit committi creaturæ. Hãc infrà commodiori loco cum Doctore explicabimus. Iam verò ſupponimus ita de facto contigiſſe, omnia inſtituta eſſe à Deo, ſaltem in lege ſcripta: an verò fuerit aliquod Sacramentum legis naturæ, & an inſtitutum à Deo, infrà, quæſtione ſequenti, diſſeretur.

*An ſacramẽtum cauſet veram ſanctitatem?* D. Thom.

Circa reliquum, an de ratione Sacramenti ſit cauſare verã ſanctitatem, non conueniunt Doctores. Negat D.Thom. 3.*p.q.*60.*art.*1.& 2. qui ſtatuit de ratione ſacramẽti eſſe vt ſignificet ſanctitatem veram, ſaltem futurã. Ideóque definit eſſe *ſignum rei ſacræ hominem ſanctificantis*, (vt comprehendat Sacramenta veteris legis, ſub ratione vniuoca ſacramenti) ſiue illa ſanctitas cauſetur per ipſum ſacramentum, ſiue ſignificetur vt cauſanda per aliud; quem ſequuntur eius expoſitores prædicto loco, & Sotus *d.*1.4.*art.*2. Vaſquez *diſp.*128.*c.*5. Canus verò in relectione de Sacramentis *part.* 1. negat de ratione Sacramenti eſſe vt ſignificet, aut conferat ſanctitatẽ ſimpliciter, ſed ſub diſiunctione vel hanc, vel legalem; quem ſequitur Bellarminus *lib.*1. *de Sacramentis in genere c.*12. *propoſ.*2. Suarez autem dicit *ſect.*2. *diſp.*1. *concl.*3. requiri vt conferat aliquam ſanctitatem, ſaltem legalem, & ſignificet veram.

*Sententia negatiua.* Sotus. Vaſquez. Canus. Bellarmin. Suarez.

16 *Affirmatiua ſententia eſt Doctoris.* Magiſt. Hugo. Iſidorus. Rabanus. *Probatur.*

Contrarium tenet Doctor, nempe requiri vt cauſet ſanctitatem veram, eſtque ſententia Magiſtri, & Hugonis, quibus accedit definitio etiã tradita Catechiſmi Pij V. & alia, quæ habetur cap. *Multi*, quæ eſt Iſidori *loco citato*, & Rabani *lib.*1. *de Inſtitut. cler. cap.*24. Probatur:

Omnia quæ in lege veteri fiebãt, ſignificabant gratiam per Chriſtum conferendam, 1. *ad Corinthios* 2. quia *omnia ipſis in figura contingebant.* Ad Coloſſ.2. ait Paulus *legem fuiſſe vmbram futurorum:* illa autem omnia non fuerunt Sacramenta: ergo ſignificare ſanctitatem per aliud conferendam, non eſt ratio conſtitutiua Sacramenti. Confirmatur, Agnus Paſchalis, & Manna ſignificabant Euchariſtiam; tranſitus maris Rubri erat figura gratiæ baptiſmalis, ſerpens æneus paſſionis Chriſti, & redemptionis humanæ: *Omnes*, inquit Apoſtolus, *in Moyſe baptizati ſunt in nube, & in mari; omnes eandẽ eſcam ſpiritalem manducauerunt.*

*Significatio ſpeculatiua non conſtituit ſacramẽtum.*

Item, omnia ſacrificia, oblationes, expiationes legis, ſignificabant gratiam ſacramentalem per Chriſtum conferendam, vt docent Florent. *in decreto vnionis.* Trident. *ſeſſ.*7. *de Sacramentis in genere*; non fuerunt tamen ſacramenta: ſic ſacrificium Abel, Abraham, Melchiſedech, coniugium primorum parẽtum, miſſio columbæ ſuper Chriſto baptizato ſignificabat Spiritum ſanctum; ſicut & ignis deſcendens ſuper Apoſtolos. Idem patet de cruce, & multis aliis cæremoniis in lege noua inſtitutis; quæ tamen non ſunt Sacramenta, vt omnes admittunt.

*Cæremoniæ ſignificabant gratiam conferendam.*

Reſpon

17 *Resp̃onsio. Impugnatio.*

Respondent requiri ad Sacramentum vt instituatur ad cultum religionis, & significet veram sanctitatem. Contrà primò, sacrificia legis naturæ totum hoc habebant, non fuerunt tamen sacramenta, vt ipsi concedunt. Antecedens patet de sacrificio Abel, qui sicut gessit figuram Christi, ita etiam sacrificium ipsius, quod fuit placitum Deo, figura fuit sacrificij Christi. Idem patet de oblatione Isaac, & veruecis, quem Deus substituit, in quibus passio Christi figurabatur.

Item secundò crux, & multæ cæremoniæ legis nouæ, vt exorcismus, insufflationes, significant gratiam per Christum collatam, & victoriam contra dæmonem, sunt etiam instituta in cultum: ergo in his duobus etiam coniunctim sumptis non consistit ratio specialis Sacramenti.

*Confirmatio.* Augustin.

Confirmatur, nam S. Augustinus *lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 26.* explicans illud 1. ad Corinth. 7. *Alioquin filij vestri immundi essent; nunc autem sancti sunt.* Respondet, *Non vniusmodi est sanctificatio: nam & catechumenos secundùm quendam modum suum per signum crucis, & orationem, manus impositionem, puto sanctificari, & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctum est tamen, & sanctius quàm cibi, quibus alimur, quoniam sacramentum est,* &c. Augustinus *lib. 19. contra Faustum, cap. 14. in Psalm. 141.* ita appellat signum crucis. *& lib. 4. de Symbolo cap. 1.* exorcismos, &c. quæ fiunt ante Baptismum, sacramenta vocat. Vide Rabanum *lib. 1. de Instit. Clericor. cap. 29.* de vnctione quæ fit in vertice baptizati, & saliua mystica: & D. Thomam *quæst. 91. art. 30.* Alexander I. *in epistola 1.* vocat aquam benedictam sacramentum. Ambrosius *lib. 3. de Sacramentis, cap. 1.* Cyprianus *in serm. de lotione pedum.* Bernardus *in serm. de cœna Domini*, dicunt lotionem pedum, quam fecit Dominus *Ioan. 13.* sacramentum.

*Lib. 19. contra Faustum in Psal. 141. Lib. 4. de Symbolo.* Rabanus. D. Thom. Alexander I. Ambros. Cyprian. Bernard.

18 *Triplex vsus rei materialis ad cultum.*

Secundò sacramentum spectat ad cultum, eâ ratione, quâ est vsus rei materialis, & externæ ad effectum cultus, quem significat; hic autem est triplex in genere; primus est, quãdo offertur Deo immediatè, vel mediatè in attestationem excellentiæ suæ, & subiectionis creaturæ ad ipsum, vt sunt oblationes, sacrificia, templa, altaria, decimæ, & huiusmodi. Secundus est, vt quando assumitur aliquid diuinum in nostrum vsum, in quo subiicit se homo Deo, & hoc dupliciter contingit vt in iuramento, quando assumitur Dei nomen ad cõfirmandam veritatem, & sic subiicitur homo Deo, tanquam primæ regulæ veritatis, ex cuius reuerentia operatur. Secundus modus contingit, quando assumitur aliquid diuinum ad nostram sanctificationem, vt homo magis dispositus, & idoneus redditur, vt ei seruiat, & hic vsus est sacramentorum: ergo sacramenta eatenus faciunt ad vsum religionis, quatenus sanctificant hominem; sed non sanctificarent hominem, nisi causarent sanctitatem in ipso: ergo hanc causare spectat ad essentiam sacramenti, quatenus ex sua institutione facit ad cultum religionis; & secundùm hanc rationem tantùm est diuersus vsus eorum, & particularis, vt distinguuntur à sacrificio, & aliis quæ instituta sunt in cultum religionis.

*Secũdus vsus.* *Vsus sacramentorum.* *Spectant ad cultum quà sanctitatem conferunt.*

*Alia instituta ad cultum significãt sanctitatem: licèt non sint sacramenta.*

Si autem loquantur præfati authores de cultu religionis in genere, nõ facit ad propositum, quia multa sunt, quæ sunt instituta in cultum hoc modo, & significant sanctitatem veram inhærentem, aut subsistentem. Vnde sacrificiũ vtrumque continet, quia sacrificium altaris vtrunque habet & significare sacrificium cruentum, & offerri in attestationem diuinæ excellentiæ; quà verò sacramentum, est ordinatum ad sanctificandum, vt est in cultum, quà, inquam, sacramentum; ideóque benè Doctor in definitione illa addit illa verba: *ordinatum ad sanctificationem hominis viatoris.*

19 *Resp̃ósio Suarez reijcitur.*

Respondet Suarez esse de ratione sacramenti, vt saltem causet sanctitatem legalem. Contrà, hęc est euasio difficultatis, neque habet fundamẽtum ex Patribus, vel Conciliis, aut etiam ratione, quia sanctitas in ordine, ad quam definiunt sacramentum, est sanctitas simpliciter: & nouissimè Tridentinum, & Florentinum nõ sumunt analogiam inter sacramenta vetera, & noua, in hoc quod est causare sanctitatem secundùm quid, vt illa causabant; sed in eo, quod est significare sanctitatem simpliciter, quam nõ conferebant illa; hæc autem sic. Legalia autem dabant tantùm sanctitatem exteriorem corporis, quo possint sanctificati ingredi templum, admitti ad sacrificia. Vnde Paulus ad Hebræos 9. *Sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ asperius inquinatos sanctificant, ad inquinationem carnis, non animæ,* &c. Nam qui mortuum tangebat, immundus erat, &c. ergo in ordine ad talem sanctitatem, non sumitur ratio Sacramenti, aut eius definitio.

Trident. Florent.

Nam immunditia legalis non habuit alium effectum, quàm illum, quem habet excõmunicatio, & aliæ irregularitates, quibus quis excluditur sacramentorũ perceptione, ingressu Ecclesiæ, &c. Ab his autem absolutio non est sacramentum, neque ipsa addit sanctitatem significatam per sacramentum. Item, aqua benedicta cõfert aliquam sanctitatem expellendo infestationes dæmonum ab anima, & sic de aliis sacramentalibus, quibus remittuntur venialia, vt suo loco dicetur, quamuis longè absint à ratione Sacramenti; vnde sequitur hoc non posse esse rationem specificam Sacramenti, etiam vt pars integralis, quòd aliis à sacramento competat.

*Immunditia legalis, eius effectus. Irregularitates.* *Aqua benedicta.*

Per quod excluditur alia responsio, quâ dicit vtrumque eorum constituere rationẽ Sacramenti, nempe causare legalẽ, & significare sanctitatem simpliciter. Confirmatur, quia hæc seorsim sumpta non constituũt essentiam Sacramenti, vt concedit: ergo etiam neque simul sumpta. Probatur consequentia, quia ratio specifica nequit etiam seorsim sumpta in aliis reperiri diuersis à suo constituto, neque ex diuersis speciebus non subordinatis potest fieri vna, nisi per aggregatum.

20 *Alia resp̃onsio excluditur.* *Ratio specifica in alijs seorsim non reperitur.*

Addo vlteriùs ex regulis definitionis, prædicatum genericum nulli posse conuenire tanquã ratio vltima specifica, neque differentiam vltimam specificam aliis à sua specie. Singula autem dictorum; nempe *causare sanctitatem secundùm quid*, vel *significare speculatiuè sanctitatem simpliciter*, conueniũt aliis seorsim, tanquã ratio specifica; ergo non possunt esse ratio vltima & specifica sacramenti.

*Genus & differentia vt se habent ad alia.*

Accedit vltimò, quòd neutra illarum rationum dicat ordinem ad alteram, ex quo coalescere possint in vnum significatum quasi integrale; minùs verò in vnũ per se ex quasi actu, & potentia; quia sanctificatio legalis fuit expressum significatum, & practicum, quasi dispositio per se requisita ad vsum legis Mosaicæ, inquantum erat cultus peculiaris Dei. Significare verò sanctitatem simpliciter conueniebat mysticæ, vel ex natura actionis, vel potiùs ex intentione instituentis, vt populus sensim ex præsentibus materialibus eruditetur, & erigeretur ad spem futurorum, & spiritualium. Hæc ergo duo, & in ipsa formali significatione, & in re significata, & in vsu signi diuersa erant.

*Illa duæ rationes nõ faciunt vnum etiam ordine, aut conceptu.*

21 *Reiicitur ſententia Cani.*

Ex his primò manet confutata ſententia Cani. Nam, vt in initio dictum eſt, vſus ſignificationis ſacramenti eſt in ordine ad ſanctitatem ſimpliciter; vterque tamen Author in eo noſtræ ſententiæ fauet, quòd ſignificare practicè, ſeu cauſare ſanctitatem aſtruat eſſe de ratione ſacramenti.

*Sacramenta noua, & veteris legis nõ cõuenire vniuocè in eſſe ſacramenti.*

Sequitur ſecundò quid dicendum ſit ad illam quæſtionem, quam mouent moderni, *Vtrùm*, ſcilicet, *ſacramenta noua, & veteris legis conueniant vniuocè in nomine, & definitione Sacramenti.* Reſpondetur negatiuè ex dictis, excludendo Circumciſionem, & remedium legis naturæ, de quibus erit peculiaris quæſtio, ita Doctor *infrà art.* 4.

*De ratione ſpeciali ſacramenti eſt cauſare ſignificatum.*

Ratio verò eſt, quia Sacramentum, vt diſtinguitur ab omni alio ſigno, quod ſignificat, aut ſignificabat ſanctitatem, cùm non diſtinguatur ſignificato, debet diſtingui in modo ſignificandi, reliqua ſigna, de quibus hactenus, ſignificabant ſpeculatiuè ſanctitatẽ collatam, aut conferendam per Chriſtũ certò, & infallibiliter: cùm ergo alius non ſit modus diſtinctus eandem ſignificandi, niſi practicus, eam ſcilicet cauſando, ſequitur hanc eſſe de ratione ſacramenti, vt ab aliis ſignis diſtinguitur. Sacramenta autem veteris legis præter iam dicta non ita cauſabant, & licèt ſignificarint cauſandam per Chriſtum, non facit ad rationem ſacramenti, quia Baptiſmus etiam ſignificat mortem Chriſti, apertionem ianuæ (non in hoc tamen eſt ſacramentum, ſed quà cauſat ſanctitatem) ad Rom. 6. ſeu futuram gloriam. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto*, &c. *ſi complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus*, &c.

22 *Obiectio.*

Obiicies, Patres vocare ſine vlla limitatione ſacramenta ea, quæ erant veteris legis: ergo definitio ſacramenti ipſis competit.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, Patres plerumque vti nomine ſacramenti latè, quatenus dicitur myſterium, vel rei ſacræ ſignum, non verò vt conſtituit diuerſam ſpeciem ſigni ſacri.

*Obiectio.*

Dices, Florentinum & Tridentinum loquuntur de Sacramentis veteris legis in ordine ad ſacramenta nouæ legis ſine limitatione, aut diſtractione nominis; ergo ſupponunt eſſe vniuoca in ratione ſacramenti.

*Reſponſio. Termini æquiuoci vſus.*

Reſpondetur terminum æquiuocum ex natura ſua verificari primò pro omnibus ſignificatis, & æquè primò, quantùm eſt ex natura termini ponere quodlibet ſuum ſignificatum in oratione, nec recipere per ſe vllam limitationem, aut diſtractionem, vt benè probat Doctor in primo libro Elenchorum. Et ratio eſt, quia limitatio termini eſt ſecundùm aliquam rationem vniuocam, & communẽ pluribus ad aliquod determinatum ex illis: hinc nequit terminus æquiuocus modificari per limitationem; eadem ratione Doctor *in* 1. *d.* 25. dicit terminum æquiuocum non numerari in ſuis æquiuocatis, quia ſidus, & animal terreſtre non dicuntur duo canes; diſtractio etiam fit reſpectu vnius, & eiuſdem ſignificationis ſimpliciter, illam in parte auferendo, vt homo ſecundùm quid. Vnde terminus æquiuocus non eſt ſubiectum eius, quia multiplex, & quantumlibet diſtraheretur ſecundùm vnam ſignificationem, non diſtrahitur ſecundùm alteram.

Reſpondetur ſecundò, dicta Concilia eo ipſo, quòd declarant Sacramenta veteris legis nõ cauſare gratiã, in re ipſa declarare non eſſe Sacramenta ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, & æquiuocè.

23 Obiicies dari aliqua ſigna practica gratiæ, quæ non ſunt ſacramenta, Lucæ 7. *Remittuntur tibi peccata*, &c. quæ ſunt verba Chriſti, & denotant ſanctitatem internam Magdalenæ. Item, Ioan. 20. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, &c. Vbi denotatur ſanctificatio Apoſtolorum. Item, viſibilis miſſio Spiritus ſancti in Apoſtolos ſignificabat eodem modo gratiam: ergo, &c.

Reſpondent quidam, vt Suarez, per illa verba datam fuiſſe gratiã, negat tamen fuiſſe ſacramentum, quia hoc eſt ſignum gratiæ ſtabili lege permanens: & hæc reſponſio eſt D. Thomæ *in* 1. *d.* 17. 2. *p. q.* 15. *art.* 3. *ad* 3. quantùm ad illam diſtinctionem ſacramenti ab alio ſigno ſenſibili, quod pro tempore tantùm durat: potuit ergo Chriſtus poteſtate excellentiæ illis verbis conferre gratiam Magdalenæ, potuit etiam aliter, ita vt verba non eſſent ſigna practica; ſed demonſtratiua gratiæ per pœnitentiam, & amorem perfectum cauſatæ, ita vt neceſſarium non fuerit vti alio medio extraordinario, quàm fidei, & pœnitentiæ; quod indicant illa: *dimiſſa ſunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, &c. vnde Gregorius homil. 25. In Euangelia ait: *Amando veritatem lauit lacrymis maculas criminis, & vox veritatis impletur: dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum*, &c. Negat ergo Canus per illa verba fuiſſe aliquid cauſatum, Sotus verò dicit quòd fuerint ſigna gratiæ, non ex inſtituto, ſed ex natura.

*Sacramẽtum debet eſſe ſtabile.*

Gregor.

Canus.

Sotus.

24 *Ad ſecũdum caſum.* Nazianzen. Auguſtin. Chryſoſt. Cyrill. Hieroſolym. Nazianzen. Auguſtin. Hieron. Cyrill. Alex.

Ad ſecundum, admittimus etiam cum Nazian. *orat.* 44. Auguſt. *tract.* 74. *in Ioannem*, datum fuiſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis, eo tempore, ſicut etiam in die Pentecoſtes, vt omnes Patres docẽt; Chryſoſtom. *hom.* 24. *in Act.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catechef.* 17. Nazian. *loco citato.* Auguſt. *ſerm.* 185. *de tempore.* Hieronym. *epiſtola ad Hibdibiana.* Cyrill. Alexandr. *lib.* 9. *in Ioan.* & alij. Quoniam autem miſſio viſibilis Spiritus ſancti in ſigno ſenſibili, quandoque ſignificat gratiam in fieri, vt contigit in Apoſtolis, aliquando in facto, vt quando deſcendit ſuper Chriſtum in Iordane; incertum eſt, vtrùm hæc ſigna fuerint practica, an verò indicantia tantùm, quod interiùs per gratiam habitantem eſt operatum. Veriùs ſentio fuiſſe etiam practica, iuxta proprietatem verborum: *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies*, &c. quod magis eſt ſecundùm Patres, & Doctores.

Cæterùm hæc obiectio non habet peculiarem difficultatem contra noſtram ſententiam, quia de fide eſt, ſacramenta nouæ legis cauſare gratiam, quam ſignificant: illa verò alia ſigna, vt de ſecundo & tertio magis liquet, licèt cauſarent gratiam, fuerunt ſigna practica tranſitoriè, non permanenter; quorum vſus ſit per determinatum miniſtrum in ipſa communitate, quod non conueniebat illis ſignis.

25 Vltima particula eſt: *ordinatum ad ſalutem hominis viatoris.* patet, & refertur ad terminum, ſeu ſignificatum Euchariſtiæ, & comprehendere poteſt characterem. Ex his patent omnes partes definitionis aſſignatæ à Doctore, quæ explicitè comprehendit, quidquid ad rationem Sacramenti explicitam requiritur: vt quòd *ſit ſignum ſenſibile ex inſtitutione diuina efficaciter ſignificans*, &c. quibus verbis exprimitur quidquid ad ſacramentum in recto pertinet, vt conuenit, & diſtinguitur ab aliis: excluduntur ergo ſigna naturalia, inſtituta etiam ab homine, ſpeculatiua, æquiuoca, incerta. Per alias particulas, *vt gratiam, ſeu effectum Dei gratuitum*, &c. ponitur terminus, & res ſignificata.

Fruſtrà

*Obiectio Soti soluitur.*

Frustrà autem contra hanc enititur Soto; obiiciendo, primò, quòd non comprehendat vetera Sacramenta, ad quod iam responsum est. Secundò, quòd sit superflua, & lõga. Respõsum habet ex dictis. Tertiò, quia adhuc disputatur vtrùm Sacramenta conferant gratiam, ac proinde non debuit hoc comprehendi in definitione; quæ ratio si valeret, sequeretur in omni controuersia, non licere quidpiam affirmare, aut definire de causa alicuius rei, nisi quod communiter supponitur: & respondeat, vel ipse qui definit Sacramentum, excludendo illam particulam, quam nos, & omnes antiqui contendunt esse definitiuam Sacramenti, tanquam differentiam eius.

26

*Definitio Magistri explicatur.*

*Ex his patet solutio quæstionis*, &c. Hîc tandem respondet Doctor ad quæstionem principalem, nempe definitionem præscriptam Magistri esse bonam, si rectè intelligatur, & suppleatur per ea quæ in definitione præmissa Doctoris expressa sunt, eámque exponit Doctor: dicitur Sacramentum *forma* modo, quo imago Herculis dicitur forma Herculis: sic signum suo modo est forma significati, quia ipsi substituitur: perinde ergo est dicere *formam*, seu *signum*: dicitur *visibilis*, pro *sensibilis* in genere, vel per Synecdochen, vt sit pars pro toto, vel vt magis iuxta expositionem sonat, per Antonomasiam, quia visus est perfectissimus sensus inter externos, & plurium differentiarum cognitiuus, ex Philosoph. 1. *Metaph. in proœmio.*

*Sacramentũ dicitur forma significati.*

*Visibilis.*

Philosophus 1. Metaph.

Item *visibile*, comprehendit tam vnum, quàm plura sensibilia ad eundem, & plures sensus spectantia, prout concurrunt ad Sacramentum, verbi gratiâ, nouæ legis, vt res visibiles, & formam verborum, quæ spectat ad auditum, *Inuisibilis gratia*, &c. pro effectu gratuito ordinato ad salutem hominis viatoris.

*Inuisibilis gratia.*

*Supplenda in definitione Magistri.*

Supplenda autem est per illas particulas *ex institutione*, contra signum naturaliter significans: item per *efficaciter*, contra signum æquiuocum, & signum sequens naturaliter suum significatum.

*Obiectio.*

Dices secundum exemplum superfluè poni, quia per particulam *ex institutione* iam excluditur tale signum, quia omne signum naturaliter sequens suum significatum, videtur signum naturale.

*Responsio prima.*

Respondetur dupliciter: primò, si intelligatur de signo naturali: exemplum, licèt prior particula, *ex institutione*, excludatur sub ratione generica, sic excludi sub ratione significa in eo quòd non efficiat suum signatum, neque consequenter ipsi supponatur vt causa, eo modo, quo Sacramentum supponitur suo effectui, sed efficiatur à signato.

*Responsio secunda.*

Respondeo secundò *naturaliter* interpretari posse, vt etiam competit signis ab instituto, quæ non sunt effectiua, sed demonstratiua significati præsuppositi: sic columba descendens in Christum, significabat gratiam *in facto esse*, non in *fieri*; sic effectus miraculosus veritatem mysterij, in cuius confirmationem patratur: verbi gratiâ, existentiæ realis Christi in Eucharistia, signa, quæ circa ipsum apparent, & fiunt. Eodem modo possunt explicari definitiones superiùs allatæ, vt reipsa æquiualeant, tam illa Doctoris, quàm reliquæ; licèt hæc Doctoris sit magis explicita, & minùs ambigua.

*Alia definitiones explicata eodem modo intelligũtur præter primam.*

27

*Error hæreticorum.*

Excluditur inanis ratio Sacramenti, quàm hæretici assignant, dicentes, Sacramenta esse signa diuinæ beneuolentiæ, vel prædestinationis, vel certè esse signa, & testimonium iustitiæ acceptæ, seu fidei, quam excitant per modum signi externi, rememoratiui, prout quisque ipsorum de Sacramentis erroneè dogmatizat.

*Impugnatur. non sunt signa diuinæ beneuolentiæ.*

Sacramenta indifferenter pro bonis & malis instituta sunt: ergo non sunt signa prædestinationis, aut beneuolentiæ specialis diuinæ, aliàs sæpè essent falsa in iis, qui sacrilegè accedunt, & quando reprobi sunt.

*Non esse sigillum, & testimonium iustitiæ eorum. Varij errores.*

Alterum verò quòd dicant esse sigillum, & testimonium iustitiæ acceptæ per fidem, plures inuoluit errores: primus est, solam fidem iustificare: secundus, quòd Sacramenta nouæ legis nihil habent efficaciæ, nec gratiæ, sed tantùm excitationis fidei, contra illud ad Ephes. 5. *Mundans eam lauacro aquæ*, &c. Vnde sequeretur in paruulis, in quibus fides actualis non sit, Baptismum esse inefficacem, contra antiqua, & moderna decreta fidei. Tertius error est; teneri vtentes Sacramentis, credere debere se iustos esse, quod nequit fieri, sine diuina reuelatione; *nemo* enim *scit, an odio, vel amore dignus sit.*

28

*Obiectio soluitur.*

Obiicies, ad Romanos 4. *Circumcisionem dici signaculum iustitiæ quæ fuit in Abraham.* Respondetur, sermonem esse de fide viua, quæ per dilectionem operatur; de qua ipse Apostolus epistola ad Galatas c. 5. & Iacobus in sua Catholica, cap. 2.

*Circumcisio quomodo signaculum.*

Dicitur autem Circumcisio signum, seu signaculum respectu Abraham, qui ob fidem, & obedientiam consignatus est, vt fieret pater multorum viuentium; & sic dicitur signaculum, in quo tam ipse, quàm posteritas discernebantur ab aliis in carne: omne enim sigillum signum est.

Basilius. Nazianzen.

Hinc Basilius *de Spiritu sancto cap.* 12. vocat Baptismum *regenerationis lauacrum & sigillum.* Naziãzenus *orat.* 40. dicit lauacrum esse, quia abluit, & sigillum, quia significat dominationem: vnde quando *orat.* 11. *in laudem fororis Gorgoniæ*, dicit Baptismum non tam fuisse illi in gratiam, quàm in sigillum, per exaggerationem dictum est, quâ significaretur magna eius sanctitas, antequam baptizaretur. Hieronymus super ad Ephes. 1. *Signati signo promissionis sancto*, dicit, *Qui in regeneratione Spiritum promissionis acceperit, ab eo signatur, & signum conditoris accipit.* Ita Origenes *lib.* 4. *in epistolam ad Romanos*, dicit, *Sacramenta esse signa, quatenus mysteria indicant; signacula verò quatenus mysteria continent.* Augustinus *lib.* 19. *contra Faustum*, ea vocat signa, & signacula, addens *eorum virtutem inenarrabiliter valere plurimùm.*

*Quomodo Baptismus est sigillum.*

Hieron.

Augustinus.

Ex quibus patet, etsi Sacramenta sint signa, & signacula, non ita dici tanquam solùm essent rememoratiua iustitiæ acceptæ, aut excitantia, nihil aliud virtutis continentia. Videantur authores suprà citati in expositione tituli, qui hoc argumentum fusè contra hæreticos tractant.

29

*Ad argumenta. Dubium. An relatio realis eadem possit in pluribus fundari.*

e *Ad primum argumentum*, &c. Hîc respondet Doctor ad argumenta in oppositum, cuius expositio est clara, neque indiget alia declaratione: solùm dubitari possit circa illud quod dicit in responsione ad primum, quòd fortè dubium sit, an plura entia realia possint concurrere ad fundamentum vnius relationis realis, vt fortè contingit in pluribus trahentibus vnam nauem: quamuis ipse aliter respondeat, etiamsi hoc negaretur in realibus, tamen sustineri in relatione rationis.

*Resoluitur.*

Dicendum tamen in realibus, quando illa plura conueniunt in vna ratione, posse fundare

*Spiratio actiua. Similitudo. Forma. Figura.*

vnam relationem realem, vt patet de relatione ſpirationis actiuæ in diuinis; idem etiam in creatis. dato quòd vna numero albedo eſſet in diuerſis ſubiectis, fundarent eandem relationem ſimilitudinis. Sic etiam forma & figura ſunt ſimplex relatio fundata in multis materialibus. Nec maior eſt difficultas de relatione, quàm de aliis accidentibus, vtpote dependentibus à ſubiecto.

*Numerus.*

Numerus autem iuxta ſententiam eorum, qui dicunt eſſe realem, ſubiectatur in pluribus, vt ternarius in pluribus vnitatibus. Item, æqualitas duarum quantitatum ad alias duas quantitates videtur vna relatio. Item, vbiquatio plurium corporum in eodem loco totali videtur integrare vnam relationem vbiquationis paſſiuæ; ſicut materialia vnam quantitatem per modum locati vnius, & æqualis loco.

*Æqualitas binarij ad binarium. Vbiquatio.*

*Exemplum difficile.*

Exemplum verò, quod adducit Doctor, habet difficultatem, quia in aliis cauſis partialibus ſunt diuerſæ relationes; trahentes autem nauem videntur cauſæ partiales.

*Reſponſio.*

Reſpondetur tamen, quando diuerſæ ſunt cauſæ partiales, quarum quælibet ex ratione ſua particulari exigitur ad effectum, ita vt quantumlibet vna in propria ſpecie intendatur, non poſſit ſupplere alteram; tunc eſſe diuerſas rationes fundandi, & diuerſa fundamenta, conſequenter diuerſæ relationes: quando verò non ita ſe habent, ſed vna accedit in eodem genere tanquam perfectio intenſiua alterius, conſtituunt vnum principium, & fundamentum, vt patet in propoſito exemplo, quia virtus vnius trahentis conſtituit cum altera aliquid intenſiùs in eodem genere, cui vt cauſæ totali correſpondet effectus, non ſecus ac ſi applicaretur aliquid quod per modum vnius contineret vtramque virtutem: illa ergo tractio, quando talis eſt, vt per alterum nequeat fieri, nequit referri ſub vna ratione ad vnum, neque ad alterum, ſed ſimul ad vtrumque; ſicut ergo vt terminant relationem effectus ſunt vnum, ita etiam vt fundant relationem cauſæ: neutra enim in genere principij eſt perfecta, neque altera accedens, licèt ſit in diuerſo ſuppoſito, addit aliquid diuerſum in genere principij actiui, ſed ex vtraque ſimul coaleſcit principium intenſiuè ſufficiens ad actionem, quod argumento eſt, quia concurrentibus pluribus remiſſiùs quilibet agit, quàm ſi ſolus ageret, licèt actio ſit eadem, ſeu motus: ſed de exemplis non eſt adeò curandum: quidquid dicatur non eſt contra Doctorem, qui occaſionatiuè, & incidenter loquitur, inſinuans difficultatem, & ſoluens argumentum in vtraque parte.

*Quando diuerſa eſt relatio in cauſis partialibus?*

*Quandoque eſt eadem.*

*Vna cauſa perficis aliam in actu ſecundo.*

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm pro tempore cuiuſque legis à Deo datæ, debuerit inſtitui aliquod Sacramentum?*

Alenſ. *4.p.q.1.m.1.a.2.* Hug. Vict. *de Sacr. p.9.c.1.* D. Thom. *3.p.q.61.a.1.& 2.* D. Bonau. *hîc a.1.q.1.* Richard. *art.1.q.2.* Gabr. *q.2.* Sotus *q.1.art.1.* Maior. *q.4.* Palud. *q.4.* Suar. *tom.3.p.3. d.3.ſ.3.& d.4.ſ.4.* Vaſq. *3.p. d.130.*

*I Mag. C.D. Argum. 1.*

HABITO de Sacramenti quiditate, quæro de eius inſtitutione: Vtrùm pro tempore cuiuſcunque legis à Deo datæ, debuerit inſtitui aliquod Sacramentum? Quòd non, quia non legimus de aliquo Sacramento inſtituto à Deo pro tempore legis naturæ: Sacramentum autem non poteſt inſtitui niſi à Deo, ſecundùm eius definitionem: ergo, &c.

Confirmatur per Gregorium, Moral. 4. libro, & ponitur de Conſe. diſtinct. 4. *Quod apud nos valet aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij:* ergo non fuit apud eos Sacramentum. Sed maior videtur eſſe neceſſitas pro aliqua lege ratio Sacramenti contra morbum, quàm aliquid aliud.

*Argum. 2.*

Item, Deus non eſt cauſa, nec dat directè occaſionem errandi homini: ſed in ſenſibilibus eſſe ſalutem eſt directè occaſio errandi, quia ſcilicet credendi aliquid numinis eſſe in talibus ſenſibilibus, & per conſequens idololatrandi: ergo Deus non inſtituit aliquid ſenſibile, vt in eo, vel per illud eſſet ſalus quærenda.

*Argum. 3.*

Item, Deus, non immediatè, ſed per miniſtrum aliquam legem dedit. Patet de lege Moſaïca per totum: ergo ſimiliter de lege Euangelica videtur, quòd inſtitui potuit, vel ordinari illud Sacramentum per alium miniſtrum, & non neceſſariò immediatè à Deo.

*Argum. 4.*

Item, cùm plures leges fuerint à Deo datæ, ſi cuiuſlibet tempore fuerit Sacramentum à Deo inſtitutum: ergo aliud, & aliud: quia ſi Sacramentum legis prioris remanſiſſet tempore legis poſterioris, non fuiſſet aliud inſtitutum pro lege poſteriori: ſed conſequens eſt inconueniens: quia vox ſemel impoſita ad ſignificandum, ſemper manet ſignificatiua eiuſdem: ergo multò magis ſignum ſemel à Deo impoſitum, ſemper manet ſignificatiuum eiuſdem.

*Ratio ad opp.*

Contrà, Auguſtinus contra Fauſtum 19. *In nullum nomen religionis coagulari poſſunt homines, niſi aliquorum ſignorum velut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.*

SCHO

## SCHOLIVM.

*Necessitas Sacramenti probari non potest: congruitas, & vtilitas eius per rationem constat: illud institutum esse, per auctoritatem tantùm habetur.*

1 Hîc quatuor [a] sunt videnda. Primò, quòd Sacramentum aliquod fuit instituendum. Secundò, à quo, quia immediatè à Deo. Tertiò an pro tempore cuiuscunque status viæ post lapsum. Quartò, an aliud, & aliud pro statu alterius, & alterius legis?

De primo dico, quòd, Sacramentum debere institui, nõ potest probari necessariò, neque à priori, quia Deus extrà se nihil agit necessariò: neque à posteriori sicut à fine, quia absolutè possibile esset effectum inuisibilem haberi sine tali signo. Sed quòd congruum fuerit Sacramentum instituì, probatur ratione simili illi, quæ posita est in præcedente quæstione, in primo articulo, probante possibilitatem Sacramenti. Congruum enim est effectum inuisibilem causandum à Deo, ordinantem hominem ad salutem, significari per aliquod signum sensibile, vt viator inquirens cognitionem ex sensibilibus, effectum illum inuisibilem certiùs cognoscat. Nec solùm congruit esse signum huius effectus quasi speculatiuum, per quod scilicet possit haberi conceptus in intellectu de illo signato, vt *homo* signat naturam humanam: sed signum quasi practicum, scilicet quod signat signatum esse, vel fieri. Nec adhuc signum practicum dubium, seu æquiuocum, vel incertum: quia etsi per tale signum duceretur homo in cognitionem fieri huius effectus, non tamen appeteret illud signum sibi adhiberi, propter incertitudinem signi respectu *fieri* signati: ergo talem effectum signari per signum practicum certum, & efficax, fuit congruum, vt & homo ex tali signo effectum cognoscat, & in tali signo effectum ardenter quærat.

*Congruit instituì signum practicũ certum, vt in pluribus, inuisibilis gratiâ.*

Nec tamen congruit signum illud esse certum certitudine demonstratiuâ, sed quasi vt in pluribus. Sicut enim in speculabilibus aliquod signum est certum, & necessarium aliquod, vt in pluribus, *primo Posteriorum*: sic posset signum practicum habere certitudinem quasi necessariam, si ipsum vniuersaliter, & quasi necessariò concomitaretur *fieri* effectus, vel certitudinem, vt in pluribus: si ipsum concomitaretur effectus, vt in pluribus: non fuit autem congruum esse signum aliquod certum sensibile primo modo, quia cùm illud signum sensibile debeat adhiberi ab homine, sequeretur, quòd in potestate hominis esset

*Text. 43.*

a *Hîc quatuor sunt videnda*, &c. Quæstio præsens absoluitur quatuor articulis: primus est, de conuenientia institutionis Sacramenti. Secundus, à quo institui potuit. Tertius, an pro tempore omnis legis, & status viæ; & hîc respondet quæstioni. Quartus de distinctione Sacramenti pro statu diuersæ legis. 1 *Diuisio quæstionis in 4. articulos.*

Circa primum articulum potiora quæ notanda erant superiori quæstione dicta sunt; dicit primò quòd neque à priori, neque à posteriori probari possit necessitas Sacramẽti, eiúsve institutionis: agit de probatione necessaria, & ex causa, aut effectu: à priori non est alia causa, quàm Dei voluntas, cuius non datur causa, & liberè se habet ad extra; nulla ergo necessitas fuit simpliciter eius ad institutionem præmissam, neque suppositionis: quia priora decreta eius circa salutem prædestinatorum, & hominis lapsi per alia media, vel certè immediatè, & alio modo reduci possint ad actum seclusa institutione Sacramenti. *Necessitas Sacramenti non probatur ratione à priori.*

A posteriori nequit probari eadem necessitas, quia effectus quicunque Sacramenti inuisibilis, haberi posset simpliciter absque Sacramento. Sicut enim diuina voluntas liberè se determinauit ad cooperandum Sacramentis; sic etiam sine ipsis eundem effectum producere potest; nam etiam de facto non est ligata Sacramentis; quin possit sine ipsis operari miraculosè, verbi gratiâ, sanctificando infantem in vtero sine Baptismo, sicut aliàs pro tempore legis sanctificauit Baptistam in vtero ante Circumcisionem. Institutio ergo Sacramenti habetur ex authoritate sacræ Scripturæ, non à ratione necessaria. *Nequit probari à posteriori.* *Cognoscitur ex reuelatione.*

Suppositâ tamen reuelatione, eius institutio probatur congruentiâ, quæ quadruplex est, nempe causa instructionis, humiliationis, & exercitationis, quæ tres congruentiæ ad singularem cuiusque personam spectant. Quarta est respectu communitatis, quæ consistit in vnitate & distinctione, quæ fundatur in communione Sacramenti. De prima & vltima satis iam diximus suprà; secundam & tertiam adduxit Magister in litera, quibus congruum addit motiuum. 2 *Suppositâ reuelatione probatur institutio, quatuor congruentiis.*

Circa primam congruentiam de efficacia Sacramenti, notanda sunt quæ dicit Doctor: *Nec tamen congruit signum illud esse certum certitudine demonstratiua, sed quasi vt in pluribus*, &c. Quæ verba *vt in pluribus* intelligenda sunt, prout ipse optimè declarat consequenter distinguendo certitudinem demonstratiuam, & certitudinem vt in pluribus, intelligit namque demonstratiuam, non vt est nota indicans præsentiam effectus, per verbum indicatiuum, sed vt sumitur demonstratio in libris Posteriorum per causam præcisam, & *vniuersalem, quæ de omni per se, & secundùm quod ipsum dicitur*, vt paret 1. Poster. cap. 4. & 5. vt triangulo competit habere tres angulos præcisè ratione sui, siue sit in materia æncа, siue alia quacunque: sic homini esse risibilem per illam adæquationem causæ ad effectum, vt impossibile sit saluari rationem causæ, vbi non saluatur ratio effectus, & è contra. *Certitudo significationis, vt in pluribus.* *Distinctio eius à demonstratiua.* *Vniuersale posteriorificum.* *Fundatur in adæquatione causæ, & effectus.*

Talis certitudo demonstratiua, & infallibilis non competit Sacramento, ita vt separari non possit *Certitudo vt in pluribus.*

eſſer ſignum aliquod, ad quod Deus vniuerſaliter cauſaret illum effectum inuiſibilem, quòd auferret à ſuſcipiente debitam præparationem: ſufficeret enim ſibi, quòd qualitercunque indiſpoſitus illud ſignum ſuſciperet. Congruit igitur effectum talem inuiſibilem ſignificari per ſignum ſenſibile practicum certum, certidine vt in pluribus, id eſt, ſemper, niſi indiſpoſitio ſuſcipientis impediat, & hoc ſigno naturaliter præcedente *fieri* ſignati, vt ſic ſuſceptio ſigni ſit quaſi diſpoſitio ad ſignatum.

Has autem omnes conditiones, quòd ſcilicet ſit practicum certum, vt in pluribus, & præcedens naturaliter *fieri* ſignati, intelligo per hanc conditionem *efficax*: tale autem ſignum non poteſt eſſe aliquod ſenſibile ſignificans naturaliter, quia nullum ſenſibile habet efficaciam naturalem ad effectum inuiſibilem: ergo congruit, quòd ſit ſignum inſtitutum, ſiue impoſitum. Sic ergo habetur ſecundùm totam rationem Sacramenti, quòd congruum fuit Sacramentum inſtitui propter cognitionem, & deſiderium cauſandum in viatore, reſpectu effectus inuiſibilis: & hæc eſt ratio, quam tangit Magiſter in litera, ſcilicet, propter eruditionem: alias duas rationes tangit, propter ſcilicet exercitationem, & humiliationem: quam expoſitionem tangit in litera, & iſtæ tres rationes concludunt rationem inſtitutionis Sacramenti, ex parte cuiuſcunque perſonæ priuatæ.

*Quare congruit Sacramentum inſtitui.*

*Quare Aug. contra Fauſt. vbi ſupr.*

Eſt etiam alia ratio, quæ tangit illam congruitatem ex parte totius communitatis. Congruum eſt enim omnibus viatoribus vnius ſectæ, aliquibus ſignis exterioribus communicare, & conuenire, per quæ etiam ab aliis alterius ſectæ diſtinguantur. Nam ex talibus ſignis noſcit homo quis eſt ſuæ ſectæ, & quis alterius: hoc autem expedit, quia qui ſciunt ſe eiuſdem ſectæ, iuuant ſe mutuò ad obſeruationem eius: & qui ſciunt ſe diſſimilis ſectæ, vitant ſe mutuò tanquam mutuò ſe impedientes. Tale autem ſignum vnitiuum eorum, qui ſunt eiuſdem ſectæ, & diſtinctiuum ab aliis, expedit eſſe practicum, reſpectu alicuius effectus inuiſibilis pertinentis ad obſeruationem ſectæ.

Sic ergo patet, quòd neceſſitas probari non poteſt: ſed congruitas probatur per rationem. Factum autem probatur per auctoritatem, vt tangetur in quarto articulo: quia auctoritates non loquuntur de Sacramento in communi ſumpto, ſicut hîc adhuc tractatur: ſed loquuntur in ſpeciali de tali, & tali Sacramento, talis vel talis legis.

poſſit à ſuo effectu; ſed certitudo vt in pluribus, id eſt, quantum eſt ex parte cauſæ, ſemper ſequeretur effectus, niſi poneretur aliquod impedimentum ex parte ſubiecti cui applicatur, vel tollatur conditio per ſe requiſitâ.

Hinc Hugo de ſancto Victore lib. 2. de Sacramentis part. 14. cap. 8. docet, *Formas ſacramentales Baptiſmi & Pœnitentiæ non actum, aut euentum, ſed virtutem ſuorum effectuum ſignificare*, quod eſt dicere, eas denotare efficaciam reſpectu effectûs, quantùm eſt ex ſe. Sic Conc. Trid. ſeſſ. 9. can. 17. *Si quis dixerit non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantùm eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiant; ſed aliquando, & aliquibus, anathema ſit.* Quo canone patet Sacramenta, quantùm eſt ex ſua inſtitutione, & ex parte Dei, habere efficaciam cauſandæ gratiæ, quamuis eam non ſemper cauſent, vt in ponentibus obicem, vt patet ex canone præcedente; vel deficiente intentione requiſita in Miniſtro, vt habet Canon 11. vel aliis in particulari requiſitis ad hoc, aut illud Sacramentum in particulari.

*Sacramenta de ſe certa quantum ad virtutem.*

*Non congruit autem*, inquit Doctor, *vt Sacramentum eſſet ſignum certum primo modo*, quia nẽpe talis certitudo excluderet in ſuſcipiente debitã diſpoſitionem, quod non congruit aliis regulis generalibus diuinæ prouidentiæ, quà homo ordinatur in ſuum finem mediante lege, & diſpoſitione ſui per exercitium libertatis, retractando peccatum, vt debet, & expedit, faciendo bonum, & declinando à malo, & operando ſuam ſalutem cum timore & tremore. 3

*Congruit igitur*, inquit, *vt ſignum ſit certum, vt in pluribus.* i. ſemper, *niſi indiſpoſitio ſuſcipientis impediat*, &c. Tollitur calumnia, quæ prætendi poſſet, ſi effectus in hoc, vel illo ſepararetur ex inefficacia, aut inefficientia cauſæ quantùm eſt ex ſe, quia in propoſito non ita contingit, quia Sacramentum de ſe ſemper eſt efficax, ſed ſeparatur ab effectu ſolùm ex priuatione alicuius extrinſeci, per ſe requiſiti per modum diſpoſitionis, aut certè applicationis debitæ ad ſubiectum: vtrumque, impedimenti nomine, expreſſit Doctor, quod ſufficit ad intentum eius; reliqua omnia ſuis locis exponit, vt videbitur.

## SCHOLIVM.

*Aliud eſſe ſignum practicum inſtituere, aliud, illud certum facere. Homo poſſet inſtituere ſignum practicum gratiæ, ſed non poſſet illud facere certum, nec poſſet Deus ei talem inſtitutionem poſitiuè committere, niſi ſe aſtringeret ad cauſandum gratiam. Hîc videtur Doctor dicere poteſtatem inſtituendi Sacramenta, non poſſe communicari creaturæ, quod tenent* Dur. 4. *d.* 2. *quæſt.* 1. & Gabr. *hîc quæſt.* 2. *ſi enim Deus determinaret ſe generaliter ad aſſiſtendum ſigno per me inſtituendo ad cauſandam gratiam, & ego inſtituerem ſignum aliquod, adhuc inſtitutio non eſſet à me, vt ſit efficax & infallibilis, ſed*

*sed à generali Dei voluntate, & ego efficax præco, vel promulgator: sed non apparet certò Doctorem hoc tenuisse, quia non est hîc clarus, neque hîc est in re controuersia, sed in voce, quia negantes potestatem instituendi Sacramentum non posse communicari, intelligunt per hanc, potestatem independentem ab alio quoad exequutionem.*

4 De secundo [b] dico, quòd aliunde signum practicum habet, quòd significet practicè signatum: & aliunde quòd sit certum signum: quod patet, quia possibile est quandoque aliquem non veracem vti illo signo; signationem enim habet ex institutione: sed quòd sit certum, non habet nisi ex determinatione alicuius causæ cooperantis illi signo, ad causandum significatum. Verbi gratiâ, si ab aliquo legislatore instituatur in politia sua pro signo pacis, tactus manus, vel huiusmodi, & si ex ista impositione habet istud signum, quòd practicè significet pacem: tamen si alius non verax, potest vti isto signo, istud signum non est certum ex impositione legislatoris, sed remanet æquiuocum, quandoque scilicet verum, quando habet concomitans signatum, quandoque falsum. Falsus enim vtitur isto signo sine signato, sicut vteretur signo speculatiuo beneuolentiæ sine signato, dicendo, concedo tibi dilectionem meam, habens aliud, scilicet oppositum in mente.

5 Ad propositum, Sacramentum, & practicè significat effectum practicum causari in illo, cui adhibetur, & sic signat, quòd est signum certum vt in pluribus, siue regulariter, quantùm est ex parte eius. Quantùm autem ad signationem, possibile esset, quòd institueretur ab aliqua creatura: quia sicut posset homo imponere signum speculatiuum effectus Dei, vt patet de ista oratione, *Deus causat gratiam in anima*, ita posset imponere signum, quod practicè signaret Deum inuisibiliter agere, sed non posset dare illi signo, quòd esset regulariter certum: non enim potest dare certitudinem alicui signo practico, nisi in cuius potestate est posse causare signatum illius signi: solus autem Deus potest se determinare ad causandum effectum sibi proprium: ergo solus Deus potest dare certitudinem signo practico sui effectus. Sic ergo patet, quòd à Deo solo potest institui Sacramentum, quantùm ad signum certum: inquantùm autem absolutè est signum practicum, posset institui ab aliquo alio: sed non congruit, quia institutio talis signi esset omnino frustrà, cùm ex impositione nunquam sine aliquo intrinseco, posset habere veritatem, cùm non sit in potestate imponentis, nec vtentis, nec congruit, quòd Deus committat inferiori se instituere Sacramentum,

*An possit homo instituere signum practicè gratia.*

*A solo Deo institui potest Sacramentū, quoad certitudinem effectus.*

b *De secundo dico*, &c. Supposità distinctione inter signum certum, vt in pluribus, seu quantum est de se, & signum æquiuocum, cui potest substitui falsum quandoque, quandoque verum, affirmat Sacramentum esse certum semper, quantùm est de se, proinde contineri sub priori membro. 4

Vnde autem habeat hanc certitudinem explicat, nempe à solo Deo institutore; vnde concludit Deum solum instituere posse Sacramenta, ac proinde non posse communicari hanc potestatem creaturæ, quæ est conclusio huius articuli, quam tenet Durandus *in 4. d. 2. q. 1.* Gabriel *d. 1. q. 2. art. 5. dub. 2.* Vasquez *3. part. disp. 135. cap. 2.* *Certitudo Sacramenti ex diuina institutione est. Conclusio articuli.* Durandus. Gabriel. Vasquez.

Contrarium autem docet Sotus *in 4. d. 1. q. 5. art. 4.* Suarez *tom. 3. d. 18. sect. 2.* citant pro eadem D. Thomam, & D. Bonauent. & Richardum: quamuis (vt benè notauit Vasquez) hæc sit magis propria modernorum sententia, quàm anteriorum, qui obscuriùs, aut alio sensu locuti sunt. *Cõtraria sententia.* Sotus. Suarez.

Verùm, vt Scholiastes ait, est contentio de voce, ratio autem Doctoris manifesta est, quia de ratione Sacramenti est, vt sit signum certum, & infallibile de se, ex institutione, & efficax, quam efficaciam habet per ipsam institutionem: ergo illius solius est dare efficaciam, & certitudinem in ea fundatam Sacramento, in cuius potestate est coniungere physicè effectum ipsi Sacramento, hoc autem est solius Dei: ergo & instituere Sacramentum. *Sacramentū nequit instituere creatura. Probatio efficax.*

Viam autem conciliandi has opiniones Doctor in litera explicat. Quòd si institutio sumatur præcisè, vt est designatio formæ & materiæ sensibilis, vt præscindit à certitudine, & efficacia respectu effectus, sic posse talem potestatem communicari creaturæ. Et hoc patet, quia sic aliqui statuunt remedium legis naturæ fuisse institutum, vt in potestate cuiuslibet esset assumere quamlibet rem ad protestationem fidei: sic Christus per potestatem excellentiæ instituit Sacramenta quà homo: & sicut Ecclesiæ data est potestas instituendi ritus, & solemnitates Sacramẽtorum, ita potuit committi potestas designandi materiam, & formam, tamen inde non sequeretur certitudo, & efficacia signi instituit, sed ex decreto Dei, quo determinaret concurrendum infallibiliter ad signa, hoc modo instituta, in ordine ad effectum. Ab alio ergo signa sic instituta haberent impositionem; ab alio verò suam veritatem, à creatura primum, secundum à Deo haberent, & hoc modo alius esset actus institutionis, alius verò determinatæ cooperationis. 5 *Conciliatio opinionum ex Doctore.* *Designandi materiam potestas communicari potest creaturæ.* *Certitudo significationis esset à Deo.*

Ad hunc posteriorem modum, seu sensum, reduci potest secunda opinio, quæ tantùm intendit potestatem principalem, & authoritatiuam non posse communicari creaturæ; ministerialem verò posse.

Meliùs tamen dicitur, illam designationem materiæ, esse incompletam institutionem Sacramenti, de cuius ratione est, vt sit signum efficax, & certum, quod à nullo potest participare, nisi ab eo, in cuius potestate physica est effectus Sacramenti, eiúsque coniunctio ad ipsum Sacramentum in vsu.

Neque authoritas Augustini in oppositum adducta 6

*Niſi ſe aſtringeret ad tanſandum ſignatum, tunc enim falſitas eſſe non poſſet.*

mentum, inquantùm certum ſignum, ne Deus eſſet approbator ſigni falſi, vel æquiuoci. Poteſt tamen Sacramentum inquantùm ſignum, & inquantùm certum, ab alio à Deo promulgari, vt à præcone: ſed iſta promulgatio non eſt inſtitutio, ſed præſupponit inſtitutionem.

Ex iſto patet an Sacramentum ex inſtitutione ſua habeat efficaciam. Si enim intelligatur inſtitutio præcisè impoſitio ad ſignandum practicè; dico quòd non, & patet ex dictis. Si autem intelligatur inſtitutio determinatio quædam voluntatis ipſius inſtituentis ad cooperandum illi ſigno, quæ inſtitutio non eſt præciſa impoſitio ad ſignandum practicè, ſed cum hoc determinatio ſigni ad veritatem, & ad certitudinem; hoc modo ex inſtitutione habet efficaciam, hoc eſt, quòd ſignatum concomitetur iſtud ſignum.

6 *Ad ſignum practicè duo actus impoſitoris requiruntur.*

Et ſicut in homine eſſet alius actus realiter, quo inſtitueret oſculum, vt ſit ſignum reconciliationis: & alius actus, quo determinaret voluntatem ad iſtud ſignatum cauſandum, ſigno exhibito: ita eſt in Deo alius actus rationis ad inſtituendum ſignum ſenſibile, ad practicè ſignandum effectum Dei: & alius, quo determinat ſe realiter ad cooperandum tali ſigno regulariter, id eſt, ſemper, quando indiſpoſitio ſuſcipientis non impedit. Iſti tamen duo actus ſimul concurrentes, poſſunt dici vna Sacramenti inſtitutio completa, inquantùm eſt ſignum certum, & diſtinctum à ſigno æquiuoco.

*Sacramentũ à ſolo Deo inſtitui poteſt, vel eius commiſſione cum pacto de cauſanda gratia.*

Quòd ſi hoc eſt de ratione Sacramenti, vti videtur ex illa particula *efficax*, ſequitur, quòd de ratione eius propriè dicta eſt, quòd à ſolo Deo poſſit inſtitui. Si autem non eſt de ratione eius, quia accidit ſigno vtrùm ſignatum concomitetur ipſum, vel non, ſaltem ipſa perfectio ſuperaddita rationi Sacramenti, quæ eſt veritas, vel conformitas in ſignando ad rem ſignatam, requirit vt inſtituatur à Deo, ſiue, quòd Deus determinet ſe regulariter cooperari illi ſigno.

adducta quidpiã vrget. Talis eſt tract. 5. in Ioan. *Potuit autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſi vellet dare poteſtatem alicui ſeruo ſuo, vt daret Baptiſmum ſuum tanquam vice ſua, & transferre à ſe baptizandi poteſtatem, & conſtituere in aliquo ſeruo ſuo, & tantam vim dare Baptiſmo translato in ſeruum, quantam vim haberet Baptiſmus datus à Domino*, &c.

*Explicatur ſententia Auguſtini.*

Reſpondetur, Chriſtum non potuiſſe transferre à ſe poteſtatem, quæ, vt Deus erat, fuit in eo principalis & authoritatiua: neque etiam poteſtatem excellentiæ, quam habuit vt homo, quia hæc ipſi conueniebat & conuenit, quà caput eſt: ergo Auguſtinus non debet intelligi de translatione huius poteſtatis, etiamſi verba eius præter intentionem ad ſcopum huius quæſtionis torquenda eſſent: & conſequenter non de poteſtate inſtituendi Baptiſmum, ſed de poteſtate miniſteriali, & ſubauthoritatiua baptizandi intelligenda eſſent.

*Verus ſenſus eius.*

Reuera autem intelligitur de Baptiſmo, quatenus in nomine ſerui daretur, non autem in nomine ipſius Chriſti, ideò ſubdit: *Hoc noluit, ideò, vt in illo eſſet ſpes baptizatorum, à quo ſe baptizatos agnoſcerent, noluit ergo ſeruum ponere ſpem in ſeruo; ideò clamabat Apoſtolus, cùm videret homines volentes ponere ſpem in ſeipſo, nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis*, &c.

7 *Triplex poteſtas inſtituẽdi Sacramenta.*

Ex his patet triplex poteſtas inſtituendi Sacramenta: prima eſt principalis & authoritatiua, ex qua, velut radice, oritur veritas & efficacia Sacramenti, & illa ſoli Deo competere poteſt: ſecunda eſſe poteſt commiſſionis deſignandi materiam, aut verba in ſpecie: hæc delegari poteſt cuique in particulari, aut ipſi communitati, vt patet ex Doctore: tertia eſt excellentiæ, quæ ſoli Chriſto competit, inquantum conſtitutus eſt mediator Dei, & hominum, & meruit aſſiſtentiam cauſæ principalis ſigno à ſe inſtituendo, ſicut & poteſtatem Legislatoris ferendi legem, in quo eſſent media operantia & reducentia hominem ad ſalutem.

*Triplex clauis.*

Hæc diſtinctio inducitur iuxta modum, quo *infrà* Doctor cùm aliis *d.* 19. diſtinguit clauem, quæ deſignat poteſtatem, in principalem, quæ eſt ſolius Dei; præcellentiæ, quæ eſt Chriſti; & particularem, quæ neque principalis eſt, neque præcellentiæ, quæ eſt Eccleſiæ. Eodem modo de poteſtate inſtituendi Sacramentum diſſeritur. Videatur de poteſtate iudiciaria Chriſti *d.* 48. *quæſt.* 1.

8 *An poteſtas præcellentiæ poſſet communi pura creaturæ. Sententia negatiua.*

Sed adhuc de poteſtate illa præcellentiæ, quam habet Chriſtus, dubitatur, an conferri poſſit de potentia abſoluta puræ creaturæ. Vaſquez negat *loco citato ſub finem*, quia nulla pura creatura poteſt habere meritum condignum noſtra redemptione, neque proinde ipſi communicari tanquam condignè gratiam capitis, quia requiritur vnio hypoſtatica ad vtrumque.

*Præfertur affirmatiua. D. Thom.*

Oppoſitum eſt S. Thomæ 3. *p. q.* 64. *art.* 4. & tenenda eſt iuxta ſententiam Doctoris, qui *infrà loco proximè citato*, docet poteſtatem excellentiæ non poſſe communicari Eccleſiæ, ſaltem de congruo, inſinuando potuiſſe abſolutè.

*Reſponſio ad oppoſitum. Chriſtus ſine merito accepit poteſtatẽ excellentiæ.*

Ratio autem Vaſquez nulla eſt, dato quod prætendit, nimirùm puræ creaturæ meritum de potentia abſoluta non potuiſſe eſſe condignum redemptioni noſtræ; quia poteſtas hæc præcellentiæ data eſt Chriſto independenter à ſuo merito, eo ipſo quo conſtitutus eſt caput omnium: & quanquam concurrit deinceps meritum reſpectu noſtri ſe habuit vt cauſa remota, & motiua, ſeu impetratoria, ob quam, non autem, vt ratio intrinſeca poteſtatis, quæ independenter ab omni merito communicari potuit, & habere eandem efficaciam, quantùm ad inſtitutionem Sacramenti.

*Potuit eſſe, ſine merito etiam conſequente.*

Si enim Deus reduceret hominem per Chriſtum, non per viam iuſtitiæ & ſatisfactionis, ſed miſericordiæ puræ & liberalitatis, poſſet manere in Chriſto poteſtas excellentiæ legiſlatiua, & ordinandi hæc ipſa media ad ſalutem, quæ nunc ordinauit, quæ eo caſu non dependerent à merito eius ex hypotheſi; poſſet ergo ſimiliter puræ creaturæ, quamuis in ea non eſſet condignitas cauſæ meritoriæ,

imò

imò independenter ab omni eius merito, communicari hæc potestas legislatiua cum scientia infusa, & directiua, & reliquis, quæ fuerunt in Christo, excepto merito: dato etiam exigi meritum, iuxta sententiam nostræ scholæ, potuit esse condignum in pura creatura; vt patet *in 3.d.20.* si ordinaretur caput generis humani cum gratia, & potestate, & influentia capitis.

*Et sine vllo merito.*

*Et ob meritū puræ creaturæ.*

## SCHOLIVM.

*Pro omni statu post lapsum, congruum fuisse institui Sacramentum, non tamen pro statu innocentiæ, vel patriæ.* Alens. *sup.m.2. & communis: & licèt asserat ibi cum Hug.lib.1.de Sacram. p.8.c.12.13. Matrimonium in statu innocentiæ esse Sacramentum, intelligit de Sacramento secundùm quid, quatenus significat quodcumque mysterium.*

7 De tertio [c] articulo apparet ex primo. Nam pro quocumque statu, in quo est morbus, necessaria est medicina, & pro quocumque statu viæ (maximè post lapsum) congruum est hominem manuduci ad inuisibilia per aliquod sensibile: sed in omni statu viæ (maximè post lapsum) morbus est in natura: ergo pro omni illo, congruum est aliquod institui Sacramentum. In speciali autem, an plura pro tempore eiusdem legis, & quæ, vel quot, tangetur inferiùs: hîc enim tantùm quæritur in generali de *quando*, sicut de aliis conditionibus pertinentibus ad institutionem.

Ex hoc apparet, quòd in statu patriæ nullum congruit Sacramentum, quia tunc non indiget homo sensibilibus, vt cognoscat intelligibilia pertinentia ad salutem suam: neque tunc indiget excitari ad quærendum pertinentia ad salutem, quia est perfectè consecutus salutē. Pro statu etiam innocentiæ non fuit congruum institui Sacramentū, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia: tamen nullum sensibile fuit necessarium, tanquam conferens ad salutem, remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet possit dici propriè medicina. An verò Matrimonium, (quod certum est fuisse in statu innocentiæ) fuerit Sacramentum, de hoc inferiùs.

*Dist. 25.*

c *De tertio articulo apparet ex primo*, &c. Conclusio huius articuli est communis, nempe pro omni statu viæ, regnante morbo fuisse remedium eius: quod verò fuerit illud, & an propriè fuerit Sacramentum in specie, declarabitur infrà. Solùm enim est controuersia de remedio legis naturæ, an fuerit determinatum; & de Circumcisione fuerítne per se efficax, de quibus sub finem quæst. 6. & 7.

9 *Pro omni statu viæ fuisse sacramentum post lapsum.*

Per oppositum huius docet in patria, & statu innocentiæ, in quibus non est, aut fuit morbus, non instituenda esse Sacramenta, quamuis in statu innocentiæ posset esse profectus instructionis, & scientiæ ex sensibilibus, non sufficit ad institutionem Sacramenti, cùm ibi nullum esset impedimentum salutis, quod remoueri deberet per medicinam.

*In patria, in statu innocētiæ non esse remedia.*

*Quia deficit necessitas.*

Hæc sententia communis est, eam tradit D. Thomas *in 4.d.1. art.2. q.2.* Richardus *ibidem q.1.* Gabriel. *q.2. art.2. con.1.* Paludanus *q.3. con.2.* Maior *q.4.* Soto *d.1. q.2. art.2.* Caietanus *3.p.q.61. art.2.* & Vasquez *disp.130. cap.2.3. & 4.* Hugo de S. Victore *lib.1. de Sacramentis, cap.3. & 5. & in sum. part.9. cap.1.*

D. Thom. Richard. Gabriel. Paludan. Maior. Soto. Vasquez. Hugo.

10 Cæterùm Suarez *disput. 3.* postquam præmisit *sect. 2.* fore ibi cultum visibilem, & sacrificium *sect. 3.* dicit si Christus incarnaretur, Adamo non peccante, probabilius etiam ibi fore Sacramenta, vt sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ, quia hoc Sacramentum est maximè per se appetibile, secluso ordine ad peccatum; seclusâ significatione passionis, quæ tunc non foret.

Suarez. *Si Christus venisset non peccāte Adamo fore Eucharistia sacramentum.*

Hanc impugnat Vasquez. Primò, ex eo quòd Christus non venisset, si Adam non peccasset: ergo tollitur suppositio inferens connexionem extremorum, nempe Sacramentorum cum eo statu, mediante aduentu Christi, in Deo autem non fuit alia determinata dispositio distincta à definitione ipsarum rerum, ex quibus alia dependent,

*Vasquez impugnat. Christus non veniret.*

*Sacramenta sunt ex meritis Christi.*

*Duæ contradictoria falsa.*

*Non habent connexionem cum decreto posito & ordinario.*

*Aliud non supponitur.*

Hæc ratio quoad hypothesim de aduētu Christi non fore si Adam non peccasset, non probatur, ideóque non vrget contra Suarem, qui contrarium diceret, & supponit in suo discursu, nempe Christum venturum, si Adam non peccasset, neque adducta ad hæc probatio est vera: demus enim illum statum non dependisse à Christo, neque venturum Christum, nisi supposito lapsu Adami; non sequitur quin aliquem effectum, (qui nunc post lapsum dependet à Christo,) tunc habuissent homines, specificatiuè loquēdo; quamuis non vt dependentem à Christo, quia habuissent gratiam, & opera, quæ nunc dependent à Christo, licèt in eo statu non referrentur ad Christum, datâ hypothesi: ergo si non repugnat statui, potuerunt etiam habere sacramenta, quæ etsi nunc, supposito lapsu, dependent à Christo, tunc non dependissent, & habuissent eandem efficaciam, quantùm ad sanctitatem causandam,

11 *Reijcitur discursus. Deficit hypothesis quā admittit Suarez.*

*In statu illo quamuis non veniret Christus, essent gratia & opera.*

*Idem de sacramentis, si non repugnāt statui.*

*Essent efficacia ex diuina institutione.*

secluso ordine ad peccatum originale, & redemptorem: nam, vt in articulo præcedenti dictum est, non à causa meritoria habent Sacramenta efficaciam, sed à principali, qualis nequit esse meritoria; vt optimè Doctor *infrà d. 48. quæst. 1.* in simili de dominio Christi, & potestate iudiciaria.

*Media ad salutem possunt esse sine dependentia ad Christum.*

Causa enim meritoria supponit semper principalem, à qua impetrat, & quæ acceptat eius merita, ob quæ, tanquam motiua, inclinatur ad ponendum effectum, qui impetratur, & qui alioquin poni posset absque impetratione, & ex alio motiuo, cessante merito: in statu autem innocentiæ perinde Deus posset vel ex gratia operante, vel per sacramentum institutum reducere prædestinatum ad terminum gratiæ proportionatum gloriæ, ad quam prædestinatus est.

12 *Sententia probabilis.*

Deinde multi docent Christum venturum in eo casu, vt causam meritoriam, vel certè vt finalem, & exemplarem, & sic ab eo dependissent sacramenta illius statûs, si quæ essent, vel primo, vel secundo modo, & consequenter habuissent connexionem ad ipsum. Vtrum horum asseratur non est huius loci. Videatur Doctor *in 3. d. 7.* & Suarez ipse *3. p. tom. 1. disp. 40. & proleg. 3. de gratia, cap. 2. in fine.*

*Secunda ratio non obstat.*

Ex hoc etiam patet, secundam rationem Vasquez non vrgere, quæ talis est, nempe omnia Sacramenta quæ nunc habemus, esse ex meritis Christi: ergo dato quòd Christus venisset, non veniendo in carne passibili, cessasset mors, & passio eius; ac proinde meritum, ex quo sortiuntur efficaciam Sacramenta, quia ablatâ causâ in decreto Dei, aufertur etiam id quod ex illa definitum est.

*Soluitur. In casu veniret viator Christus, iuxta statũ naturæ. Posset mereri.*

Respondetur, ad probandum esse Christum etiam vt venientem in carne impassibili, iuxta statum innocentiæ, viatorem, secundùm corpus, quod licèt fuisset impassibile iuxta conditionem statûs; tamen non fuisset gloriosum, & nihil proinde habuisset repugnans merito; ac proinde probandum, inquam, erat non fore vt haberet influxum causæ meritoriæ in electos per opera congrua illi statui.

*Sacramenti motiuum an ex solo merito Christi?*

Secundò, probandum est quòd vnicum & solum motiuum instituendi Sacramentum, fuerit meritum ipsum, quia idem effectus ex pluribus motiuis extrinsecis haberi potest; sicut ipse aduentus Christi ex variis motiuis, & per diuersa ratione decreta, est ordinatus: primò vt caput fieret & glorificator, & primogenitus omnis creaturæ.

*Incarnatio est ex diuersis motiuis.*

13 Vnde Concil. Trident. *sess. 6. c. 7.* docet causas iustificationis finales, esse gloriam Dei, & Christi: & vt appareat hæc esse diuersa ratio causandi, nempe finis & causæ meritoriæ: infrà dicit Christum esse causam meritoriam; in intentione verò primùm est finis, quàm ordinatio medij, qualis est causa meritoria, & mediator inter Deum & hominem, per quem hic reduceretur ad finem, ad quem primò est institutus.

*Diuersum motiuum instituendi sacramenta*

*Exemplum.*

Sic Sacramenta licèt sint volita ex motiuo meriti Christi, tamen hic est finis extrinsecus perficiens; intrinsecus verò est sanctificatio hominis, cui applicantur, qui est effectus intentus ab instituente, & per se, & possunt manere secluso illo motiuo extrinseco: sicut prouidentia, seu decretum ordinandi hominem in finem supernaturalem, ex opinione Vasquez, præcessit ordinationem Christi, vt redemptoris. Ex quo decreto posset sufficienter haberi motiuum assumendi hoc medium sacramenti; itaque rationes istæ non multùm vrgent: sicut neque quædam corollaria ex iis deducta cap. sequenti, quibus non insistimus: melius ergo ipse Suarez petit rationem ex conditione, & naturâ illius statûs, vnde non repugnare illi institutio Sacramentorum. Ex quo statu nos torquemus argumentum in oppositum.

Probatur ergo conclusio aliter ex natura, & conditione huius statûs, non fore in eo instituenda Sacramenta etiamsi perseuerasset; quia vt constat ex Augustino variis in locis, (vt *de corrept. & gratia, cap. 7. 10. 11. 12. Enchiridij cap. 106. de natura & gratia cap. 48. lib. 6. contra Iulianum cap. 1. de Ciuit. lib. 14. cap. 26. & aliàs sæpè*,) status ille fundabatur in iustitia originali, neque patiebatur difficultatem in operando, neque errorem in cognoscendo, quæ duo secuta sunt peccatum, tanquam pœna; & profectus eius positus fuit in meritis liberi arbitrij, cum gratia Dei, sine qua non: vnde Deus in eo statu reliquit hominem sibi, cùm sola gratia quæ dabat posse, non autem velle, & operari; *Vt videret*, inquit Augustinus, *quid posset liberum arbitrium, quid verò suæ gratia beneficium, institiaque iudicium.* Ergo tali conditioni status non congruebant sacramenta. Patet consequentia, quia in eo statu, posita est gloria, in meritis liberi arbitrij cum gratia, quæ dabat potestatem; & consequenter alia media non expediebant, neque compati potuerũt cum statu.

14 *Conclusio cõmunis probatur contra Suarez. Augustin. De corrept. & gratia cap. 7. 10. 11. 12. Enchirid. cap. 106. de natura & gratia c. 48. lib. 6. contra Iulian. cap. 1. de Ciuit. lib. 14. cap. 26. Status innocentiæ qualis fuerit. Ei non congruebant sacramenta.*

Deinde eundem statum habuit primus homo in paradiso, qualem habuerunt Angeli viatores; vt vbique Augustinus docet de vtriusque differens. Sed in Angelis fuisse sacramenta nemo asserit: ergo neque in statu innocentiæ fuissent in hominibus.

*Status Angelorum, & hominis par erat.*

Tertiò probabilius fortè est, & magis conforme Doctori, eiúsque principiis, Christum in eo statu venturum, non vt causam meritoriam, ex cuius meritis homines haberent gratiam & valorem operum: ergo neque similiter ab aliis causis extrinsecis, & instrumentalibus congruum erat omnes participare gratiam ex opere operato.

*Christus non venisset vt causa meritoria.*

Quartò denique cessasset finis intrinsecus Sacramenti, quod ordinatum est vt medela infirmitatis, quia nulla fuisset in eo statu infirmitas. Hæc ratio supponit Sacramentum institui debere ad salutem hominis viatoris, vt constat ex definitionibus suprà explicatis. Contra tamen hanc conclusionem plura obiici possunt desumpta ex statu innocentiæ.

*Cessasset finis sacramenti.*

Obiicies primò, ibi fuissent sacrificia aliqua per cultum sensibilem: ergo potuerũt esse Sacramenta. Respondetur cum Soto probabiliter, negando antecedens ex variis rationibus, quarum hæc vna est, quia finis sacrificij sensibilis tolleretur; quia cùm cultus Dei tam internus, quàm externus per actus animæ, & corporis sufficienter, & perfectè haberi possit sine sacrificio sensibili, ibi sacrificium expiatorium nõ esset necessarium, quia non foret peccatum; impetratorium verò non esset, quia nulla esset indigentia eius, si auxilia specialia cessarent, vel si essent ibi aliqua beneficia specialia, vel communia impetranda, fieret impetratio per orationem mediante fide, spe, & charitate: sic etiam sacrificium laudis fieret sine oblatione rei externæ, & sensibilis: protestatio etiam diuinæ excellentiæ, & subiectionis creaturæ perfectè fieret per actus proprios, tam internos, quàm externos; vnde ex fine intrinseco cultus, non sequitur ibi necessitas sacrificij.

15 *Prima obiectio. Responsio. In eo statu non esset cultus sensibilis sacrificij.*

*Tollitur necessitas sacrificij in specie. Non esset ad distinctionẽ, aut instructionem & exercitium.*

Non requireretur etiam ad distinctionem, neque ad significationem mysticam; sicut & alia instituta

instituta sunt post lapsum ad distinctionem populi fidelis, & ad designandum sacrificium crucis: item ad exercitium, ne fideles in idololatriam laberentur.

*Secunda responsio.*

Hæc omnia cessassent in statu innocentiæ, & dato antecedente, respondetur secundò, negando consequentiam & paritatem, quia in hoc distinguitur Sacramentum à sacrificio, vt illud sit in ordine ad sanctificationem institutum, sacrificium verò in cultum.

16

*Secunda obiectio.*

Obiicies secundò ibi fore peccatum in aliquibus, vel saltem potuisse esse: ergo Sacramenti necessitas potuit esse, & sufficiens eius motiuum.

*Responsio. Peccatū veniale non repugnares statui.*

Respondetur in primis quantum ad peccatum veniale, quòd potuit compati cum statu innocentiæ, habituali, vt tradit noster Doctor *in* 2. *d.*21. quem sequitur Gabriel *d.*22. *q.*1. *art.*1. *dub.*1. Maior *quæst.*1. Bassolis *quæst.*1. *art.*1. cum reliquis nostræ scholæ. Almainus *3. moral. cap.*21. & probabilem tenet Richardus *d.*21. *art.*3. *q.*1. sicut & Vasquez 1. 2. *d.*148. qui malè tamen putat Doctorem asseruisse quodcumque genus peccati venialis etiam per surreptionem compati cum illo statu, quod non est verum, vt patet ex verbis eius, quæ manifestè loquuntur de illo genere peccati, quod ortum haberet ex libertate; sicut & Altisiodorensis de eodem loquitur, admittés fuisse compatibile cum iustitia originali 2. *p. sum. tract.* 10. *c.*3. *quæst. vlt. & tract.*28. *c.*2. *quæst.*3. *incidenti ad* 4.

Doctor. Gabriel. Maior. Bassolis. Almainus. Richard. Vasquez.

*Non per surreptionem, sed ex libertate.* Altisiodor.

Hoc autem peccatum per surreptionem non ideò negaret Doctor non compati cum illo statu, quia formaliter ex ratione maculæ illi repugnaret, sed in causa, quia nimirùm ortum habet vel ex passione, vel ex ignorantia, quæ ille status, iuxta communem Augustini & Scholasticorum sententiam non admitteret *in* 2. *d.*22. *& aliàs sæpè.*

*Non fore veniale.* D. Thom.

Oppositum huius docet S. Thomas *in* 2. *d.*21. *&* 1. 2. *quæst.*89. *art.*3. vbi eius commentatores. Sequendo autem hanc sententiam, nullum esset in eo statu peccatum veniale, & sic argumentum non vrget. Supponendo etiam pro nùc primam, (de quæstione non disputamus nunc,) quæ magis conformis est Augustino 14. *de Ciuit. cap.* 11. *&* *lib.* 41. *de Gen. ad litteram cap.*5. & Magistro *in* 2. *d.*20. Respondetur ex peccato veniali, aut potestate ad ipsum, non colligi sufficiens motiuum instituendi Sacramenti, quia neque de facto etiam Sacramenta sunt primariò instituta ad effectum deletionis peccati venialis: sufficiebant ergo alia remedia, quibus de facto extrà sacramentum deletur.

Augustin. Magist.

*Non infert necessitatem sacramenti.*

17

*Peccatū mortale non esset.* Anselm.

Quantùm autem ad peccatum mortale, sequendo sententiam Anselmi *lib.*1. *Cur Deus homo*, si vicissent primi parentes, sibi & posteris meriti essent in effectu confirmationem, ita vt amplius non peccarent. Quæ sententia cohæret aliquibus locis S. Augustini, vt videre licet in iam citatis suprà. Hæc sententia supponit solos prædestinatos nascituros in statu innocentiæ, quod docet expressè Gregor. *lib.*4. *Moral. c.*26. *aliàs* 28. vtrumque sequitur Doctor *in* 2. *d.*20. limitat tamen illam Anselmi, vt intelligenda sit de filiis, post etiam primam tentationem deuictam, fore vt confirmarentur, quia non essent melioris conditionis, quàm primus parens. Doctorem sequuntur Gabriel, Bassolis, & alij, nostræ scholæ; quibus accedit Pererius *lib.* 4. *in Gen. quæst. de procrea. mulieris.*

*Soli prædestinati tunc forent.* Gregor. Doctor.

*Vincètes primam tentationem confirmarentur.* Gabriel. Bassolis.

Pererius.

Hæc tamen confirmatio ex Doctore ibidem non tolleret potentiam peccandi, sed ita prouideretur, vt actu non peccarent.

*Esset potentia peccandi.*

Alij docèt oppositum, quantùm ad potentiam peccandi, sed primam sententiam Doctoris supponit Augustin. *lib.*4. *de Ciuit. cap.*10. *lib.*9. *de Gen. ad literam cap.*3. *lib.*1. *Retract. cap.*13. vbi implicat conditionem perseuerādi in iustitia, necessariam fuisse ad obtinendam gloriam; exponit proinde eos potuisse labi, & sequitur ex eo quod de facto est. Respondetur ex prima opinione euacuari obiectionem, quia licèt maneret potentia peccandi, tamen non sequeretur peccatum mortale; quod perinde supposità etiam secundâ sententiâ, dici potest; quia controuersia est tantùm, an haberent potentiam peccandi, & an confirmatio eam tolleret, etiam remotam, ex ea autem nemo asserit fore, vt aliqui certò, & cum effectu peccarent.

Augustin.

*Responsio.*

*Suppositò peccato reproborum nō essent sacramenta.*

Dato etiam quòd peccarent, vt si nascerentur non solùm prædestinati, sed etiam reprobi, non sequitur inde fore, vt Sacramentis adiuuarentur; sed desererentur, sicut Angeli peccantes, & damnationis sententiam acciperent statim à peccato, quia in vtrisque par status erat: sententiam insinuant verba Augustini lib. 4. de Ciuit. c. 10. *Nec quisquam ex eorum stirpe iniquitatem committeret, quæ damnationem reciperet.*

Quoad prædestinatos verò dico nullum lapsurum, quia per media illius statûs si perseuerasset, prout ordinatus est in primo parente, peruenissent ad terminum sicut Angeli boni, sine lapsu.

18

*Tertia obiectio ex causa instructionis per sacramenta.*

Obiicies tertiò, saltem causâ instructionis posse institui Sacramentum, vt ex sensibilibus intelligibilia cognosceret, quod non repugnat illi statui: ergo manet sufficiens ratio instituendi Sacramentum. Patet consequentia ex iis, quæ præmissa sunt quæstione superiori *art.*3. circa illam particulam definitionis Sacramenti, qua dicitur *signum sensibile.*

*Responsio.*

Respondetur, quòd intelligibile quod ex Sacramento cognoscitur, est ipsa gratia quam confert, & continet; vnde Augustinus *epist.* 23. *& de Catechizandis rudibus cap.* 26. ad hoc genus significationis refert instructionem, quæ ex Sacramento habetur: & patet ratione, quia instruit præcisè, quà signum est, & ducit in cognitionem signati; ac proinde instructio hæc necessaria est, & tollitur sublato significato; in eo autem statu non esset gratia sanans per modum medicinæ, neque consequenter sacramentum per modum signi instruentis, quod affirmat Doctor illis verbis.

Augustin.

*Instructio ex sacramento.*

*Tollitur necessitas eius.*

*Quia esse tunc homo potuerit*, inquit, *ex sensibilibus cognoscere intelligibilia; tamen intelligibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem, remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet dici possit propriè medicina*, &c. Ex quo sequitur non rectè pro oppositò citari à P. Suarez, Possunt hîc plura dici circa cognitionem illius statûs, & modum cognoscendi ex sensibilibus, quæ satis controuersa sunt; sed magis aptè ad alium locum spectant, nempe materiam de auxiliis; quibus proinde supersedeo, donec opportunior locus offeratur, & maior occasio quàm sit textus præmissus Doctoris.

## SCHOLIVM.

*Sacramentum propriè dictum, id eſt, cauſatiuum gratiæ, vel deletiuum peccati, fuiſſe aliud & aliud in alia, & alia lege: & explicat quomodo; & ex hîc dictis, & dicendis q. 6. colligitur Sacramenta hæc noua, & vetera vniuocè participare rationem Sacramenti.*

8 *Diuiſio Sacramenti.*

De quartò [d] primò oportet videre, quomodo Sacramentum poſſit diſtingui: & ſecundò ad propoſitum. De primo ſciendum, quòd *Sacramentum* vno modo diſtinguitur quaſi vox in ſignificationes, in Sacramentum propriè, & impropriè dictum. Alio modo diſtinguitur quaſi ſuperius in inferiora: & hoc quidem tripliciter. Cùm enim ſit ſenſibile ſignans aliquid, vel poteſt eſſe aliud, & aliud Sacramentum, quia aliud, & aliud ſenſibile; vel aliud Sacramentum, quia aliam ſignationem habens: & hoc dupliciter, vel ſimpliciter aliam reſpectu alterius, & alterius ſignati: vel ſecundùm quid, ſeu imperfectè aliam, reſpectu eiuſdem, variati ſecundùm magis & minùs.

*In omni lege fuerunt Sacramẽta propriè & impropriè dicta.*

Ad propoſitum dico, quòd in quacumque lege poteſt inueniri Sacramentum diſtinctum primo modo. In qualibet enim lege ſicut fuit Sacramentum aliquod propriè dictum ex tertio articulo, ſic fuit Sacramentum aliquod impropriè dictum: immò multa talia, puta à principio, genuflexiones, inclinationes, & proſtrationes ad terram, & huiuſmodi, quæ poſſunt generaliter dici ſacra ſigna, & ita impropriè Sacramenta, hæc etiam poterant eſſe eadem, & multa alia in lege Moyſi, & Euangelij.

Sed loquendo de Sacramento propriè dicto, dico quòd debuit eſſe aliud & aliud, in alia, & alia lege: & hoc non curando hîc de aliis Sacramentis, ſaltem hoc fuit congruum de eo, quod inſtituebatur vt medicina contra morbum originalis peccati. Debuit etiam eſſe aliud in ratione ſigni, & ratione ſenſibilis inſtituti ad ſignãdum. Primum probatur, non quidem, quòd ſignatio eſſet ſimpliciter alia & alia reſpectu alterius ſimpliciter. Nam ex quo in qualibet lege fuit medicina contra eundem morbum, non fuit ſimpliciter aliud, quod ſignabatur per tale Sacramentum in alia, & alia lege: ſed debuit ſignificatio eſſe alia reſpectu alterius, ſecundùm minùs, & magis variati. Quòd probatur, quia in proceſſu generationis humanæ ſemper creuit notitia veritatis, vt patet per Gregorium ſuper Ezechielem: ergo congruum fuit in lege poſteriori ſignum inſtitutum euidentiùs ſignare ſignatum: lex autem poſterior ſemper fuit perfectior, quia Deus ordinatè agens, procedit de

d *De quarto*, &c. Hoc quarto articulo diſtinguit primò *Sacramentũ* in ſuas ſignificationes, & ſignificata, quæ eſt diuiſio vocis æquiuocæ: aliud ergo eſt impropriè dictum, & ſub hoc comprehendit quidquid inſtitutum eſt ad cultũ, & non habebat efficaciam contra morbum: ex quo ſatis apertè patet quòd ſuprà ex mente Doctoris diximus de Sacramentis veteris legis, non conuenire ea vniuocè cum Sacramentis nouæ legis, exceptis iis, quæ erant efficacia contra morbum, & ſignificabant practicè gratiam.

19 *Articulus quartus. Diuiſio ſacramẽti æquiuoca.*

*Sacramenta impropriè dicta.*

Dicit ergo hæc Sacramenta plura eſſe poſſe in diuerſa lege, vt genuflexiones, inclinationes, & huiuſmodi, quæ poſſunt dici generaliter *ſacramẽta*, id eſt, ſacra ſigna, quia nẽpe ſignificant cultum: ita S. Auguſt. *lib. 2. de peccat. mer. & remiſſ. cap. 26. &* Auguſtin. *lib. 4. de Symbolo fidei ad catechumenos cap. 1.* exorciſmos, inſufflationes, crucem, cilicia, & eiuſmodi appellat ſacramenta: & Baſilius *lib. de Spiritu ſancto cap. 27.* plura huius generis enumerat. Baſilius.

*Diuiſio ſacramẽti propriè dicti.*

Sacramentum propriè dictum eſt illud, quod ſuprà definiuit, & comprehendit remedium legis naturæ & Circumciſionem, & huius poteſt eſſe diſtinctio, tanquam ſuperioris in ſua inferiora, tripliciter; quia inferiora ſignificant aliud & aliud, vt Pœnitentia, Euchariſtia, Baptiſmus, & hæc eſt diſtinctio formalis.

*Diuiſio formalis.*

*Secunda diuiſio per ſubiectum.*

Secundo modo ratione ſubiecti, vt quia aliud, & aliud ſenſibile, vt Circumciſio, & Baptiſmus, licèt fuerint inſtituta contra peccatum originale; tamen diſtinguuntur ſubiecto.

*Tertia diuiſio ſecundùm perfectionem.*

Tertio denique modo ſecũdùm magis & minùs diſtingui poſſunt, etiã in ordine ad ſignificatum; vt quia vel expreſſiùs ſignificet, vel maiorem gratiam conferat vnum quàm aliud: vtroque modo diſtinguitur Baptiſmus à Circumciſione.

20 *Concluſio. Diuerſa lex diuerſa etiã habet ſacramenta.*

Concluſio eſt affirmatiua, nempe congruum fuiſſe aliud, & aliud Sacramentum fuiſſe alterius, & alterius legis, & in ratione ſigni ſenſibilis, & ſigni expreſſioris; cuius congruentiæ ratio duplex eſt, vt patet ex litera. Prima, quia iuxta Gregorium *homil. 4. in Ezech.* in proceſſu generationis humanæ, ſemper creuit notitia veritatis: ergo congruum fuit ſignum inſtitutum in lege poſteriori expreſſiùs ſignificare. Gregor.

Hæc ratio procedit iuxta congruentiam illam, quã ex Patribus *ſuprà* oſtenſum eſt, Sacramenta continere inſtructionem; quam congruentiam Doctor in præcedentibus tradidit: mox ſubſumit, quòd lex poſterior, ſemper fuerit perfectior; quia Deus ordinatè agens, procedit de imperfecto ad perfectum.

*Ex perfectione legis. Poſterior perfectior.*

Hunc diſcurſum probat Auguſt. *lib. 18. de Ciuit. cap. 11.* aſſerens legem appellari vetus Teſtamentum, quia promiſſiones terrenas haberet, & per Ieſum Chriſtum futurum erat nouum Teſtamentum, in quo regnum cœlorum promitteretur, hãc ſubdens rationẽ ſimilem ei, quam adfert Doctor: *Hunc enim*, inquit, *ordinem ſeruari oportebat, ſicut in vnoquoque homine qui in Deum proficit id agitur, quod ait Apoſtolus, vt non ſit prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpirituale*, &c. Quod eſt procedere ab imperfecto ad perfectum ex lege continente promiſſiones carnales, & tẽporales, ad legem, Auguſtin.

de imperfecto ad perfectum : lex autem perfectior requirit adiutoria perfectiora ad sui obseruationem : ergo lex posterior debuit habere Sacramentum signans perfectiorem gratiam. Sic ergo congruum fuit in alia, & alia lege, esse signationem aliam, & aliam manifestiorem in posteriori, & respectu signati perfectioris.

Ex hoc sequitur, quòd decuit esse aliud, & aliud Sacramentum, quantùm ad sensibile signans : nam magis congruum est ad signandum perfectiorem gratiam, & manifestiùs signandum, nouum signum imponi, quàm antiquum remanere. Antiquum enim ex prima impositione nullo modo potuit aliud signare, quàm primò : ipsum autem primum, seu idem sensibile poni in secunda lege, ad aliud signandum, quàm primo, vel alio modo signandum, non erat ita congruum, sicut aliud imponi ; vt patet etiam in signis practicis institutis à nobis, quod rationabilius est ad significandum perfectiorem effectum nostrum, & manifestiùs, imponere nouum signum, quàm antiquum remanere, aut aliud priùs impositum de nouo imponere.

9 *Ad argum. princ.* Ad argumenta. Ad primum dico, quòd Deus non erat causa directè, nec occasio idololatrandi : non enim instituit illa sensibilia quasi in eis sit, vel crederetur aliquid numinis : sed instituit illa tanquam signa effectus sui creandi, ex quibus cognitio, & directio viatoris posset haberi ad quærendam salutem. Ad secundum argumentum inferiùs patebit.

*q. vlt. huius dist. soluendo 1. princ.* Ad tertium dico, quòd nullus alius à Deo, erat legislator, nisi sicut præco prænuntians legem : & ita potuit esse pronuntiator Sacramentorum huius legis ; sed non institutor. Ad quartum, patet ex quarto articulo, quia aliud, & aliud fuit institutum Sacramentum pro tempore alterius, & alterius legis ; saltem de illo sacramento, per quod fiebat principalis distinctio legis à lege : quia in illo debuerunt homines eiusdem legis, & inter se conuenire, & ab aliis alterius legis distingui.

legem, quæ spirituale continet, nempe, vitæ æternæ, & regni cœlestis.

Hinc idem Augustinus ait q.92.in Exod. *Licèt in veteri lege continebantur præcepta moralia, promissiones tantum carnales & temporales fuisse*, & q.33. in Num. lib. 4. contra Faustum ; & epist. 120. idem Bernardus serm. 3. in Cantica : *Graue*, inquit, *legis iugum, & vile pramium, nam terra est in promissione*, &c. Hieronym. etiam dialogo 1. contra Pelagianos, & Chrysostom. *in Matth.* docent regnum cœlorum primùm in Euangelio prædicatum fuisse ; vnde quamuis aliquando mentio regni & cœlestis vitæ habeatur in Scriptura, vt Tob. 2. Psalm. 118. *Inclinaui cor meum*, &c. 2. Machab. 7. & alibi, non fuit promissio hæc ex lege quà lex erat, sed ex Patribus & traditione. Vide D. Thomam 1.2.q.99.art.6. Augustin. Bernard. Hieron. Chrysost. D. Thom.

21 *Lex perfectior habet adiutoria perfectiora.* *Lex autem perfectior requirit adiutoria perfectiora ad sui obseruationem*, &c. Patet ex Paulo ad Hebræos cap. 7. vbi agit de translatione sacerdotij Leuitici, & Testamenti veteris propter infirmitatem, quam habebant ad sacrandum in sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech, & legem nouam ; *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem eius, & imbecillitatem, nihil enim ad perfectum adducit lex.* ad Roman. 7. *Peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit*, &c. *Quia cùm aliquid concupiscitur, & postea prohibetur, concupiscentiæ flamma magis attollitur*, inquit Chrysostom. homil. 12. in epist. ad Roman. Ex quibus colligitur infirmitas legis, sicut & 2. ad Corinth. 3. *Litera occidit, spiritus autẽ viuificat*, &c. Quod fusè probat & declarat Augustinus *lib. de Spiritu & litera.* Præcepta autem continebat, sed non dabat media, neque adiutoria illa obseruãdi, quæ quantùm ex fide mediatoris fuerũt, per Apostolũ. Hinc lex noua non solùm cõtinet præcepta, sed fidem & spiritum, ipsúmque authorẽ gratiæ, Sacramenta virtutem sanctificandi habentia ; non qualia fuerunt illa veteris legis, ex suprà dictis. Chrysost. Augustin. *Excedit noua veterem in medijs.*

Patet etiam ratione, quia media proportionata ad finem necessariò sunt assumenda : ergo quò lex perfectior est, & continet altiora præcepta, eò etiam media debent esse perfectiora. Vnde rectè concluditur intentum ; nempe, congruum fuisse in alia, & alia lege, esse significationem aliam, & aliam, in posteriori manifestiorem, & respectu signati perfectioris : gratiam autem vberiorem dari in lege noua, constat Ioan. 1. *Gratia & veritas per Iesum Christum*, &c.

22 *Secunda conclusio. In diuersa lege diuersum sensibile sacramentum. Prima ratio.* Secunda etiam conclusio Doctoris est, quòd congruum fuerit aliud & aliud sacramẽtum esse, in alia & alia lege, quoad signum sensibile, quia ad significandum perfectiorem effectũ, non conueniebat vti prioribus signis, quæ ex antiqua impositione non possunt significare sic effectum ; neque congruum erat vt iisdem accederet noua impositio : & hoc insuetum est in politia humana, cui Deus legislator se accommodat, quantùm ad hoc, quòd ex familiaribus, & consuetis homo deducatur ad superiora, vt patet in omni lege quam Deus hactenus dedit.

*Secunda ratio.* Deinde pareret confusionem vsus eiusdem signi ad aliud, & aliter significandum.

*Tertia ratio.* Tertiò, ex Augustino suprà, debet sacramentũ habere similitudinem quandã effectûs, ad quem assumitur : si ergo effectus est perfectior, debet etiã hæc similitudo in re sensibili esse aliquo modo expressior.

*Quarta ratio.* Quartò denique, quia id experientia constat ; quia lex posterior sicut diuersa fuit de facto, ita continebat abolitionem prioris, & Euangelica abolitionem veteris : ideóque sacramenta in illa debuerunt esse propria, & diuersa, tanquam media conducentia ad finem.

23 *Moyses præco fuit, non legislator.* In responsione ad tertium docet Moysen non fuisse legislatorem, sed præconem legis veteris, Deum autem fuisse legislatorem, quod fusè probant Patres contra antiquos hæreticos Clemens Roman. *lib. 6. constit. cap. 19.* Irenæus *lib. 1. cap. 10, 22. 29.* Epiphan. *hæres. 25. & 26.* Augustin. *hæres. 40. & in libris contra Faustum ; & Adimantum, contra aduersarium legis & Prophetarum, & in lib. de Spiritu & litera.* Vnde meritò Concil. Trident. *sess. 4.* definiuit vtriusque testamenti vnum esse authorem. Clem. Rom. Irenæus. Epiphan. Trident. *Reiicitur falsa sententia.*

Eiiciendus itaque Tiraquellus *in præfat. ad Retract. n. 10.* vbi negat præcepta legalia illius legis fuisse iuris Tiraquell.

Salmeron. iuris diuini,aliàs ſemper durarent, & non eſſent mutabilia: ſicut & Salmeron *diſput.61.& 62.in Acta* docet præcepta cæremonialia non eſſe ius diuinum, niſi tuto modo; eo modo, quo lex lata ab homine,per authoritatem, vt vocant,participatam à Deo,eſt diuina,vt ius Canonicum, & concludit ipſum Moyſen fuiſſe legiſlatorem immediatum eius; quod merito omnes Theologi damnant.

Quia Moyſes proponit illa præcepta vt reuelata à Deo, & obligantia ex voluntate Dei,& in perſona Dei lata;vt patet ex Pentateucho paſſim;*Exodi* 20.& *Matth.7.& 15.ad Hebr.9.1.ad Corinth.10.ad Galat.*4. expreſsè tribuitur Deo. Deinde nullus in illa lege poterat diſpenſare, vt patet ſæpè ex eadem ſcriptura, & ex Euangelio, vbi Phariſæi notantur à Chriſto de tranſgreſſione legis: hoc tamen falſum eſſet, ſi Moyſes eſſet legiſlator eius. Aduertendum tamen Doctorem illic in genere loqui, quòd nullus alius fuerit legiſlator illius legis; ſed vt præco, vt comprehendat non ſolùm Moyſen, ſed & Angelos, quorum miniſterio data eſt lex; *ad Galat.3.& Act.*7. quacumque ratione intelligatur, ſiue quoad totam, ſiue quoad partem cæremonialem, & iudicialem. Ad alia argumenta patet ex litera.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm ſit poſsibile aliquod Sacramentum quantumcumque perfectum, habere cauſalitatem actiuam reſpectu gratiæ conferendæ?*

Alenſ.4.*p.q.5.m.3.a.4.& q.8.m.3.a.5.* D.Bonau.*hîc* 1.*p.a.1.q.4.*Richard.*a.4.q.2.* D.Thom.*q.1.& 4.& 3.p. q.62.a.2.* Durand.*hîc q.4.5.* Gabr.*q.1.* Aureol.*q.1.a.3.* Sotus *q.3.a.1.* Suarez *3.p.tom.3.d.7.* Vaſquez *3.p.d.131.vide* Scot.*4.Metaph.q.11.*

*Magiſt. 2. Argum. 1. Vide Varr. 1. q 4.* VOD ſic, Auguſt. ſuper Ioan.homil.80.& 1.q.1. Detrahe. *Quæ eſt virtus iſta aquæ,vt corpus tangat, & cor abluat?* Loquitur de aqua Baptiſmali: ergo illa cor abluit: cor autem, id eſt,anima, non abluitur niſi per gratiam, vel gratiæ cauſam: ergo,&c.

*Argum. 2.* Item, Magiſter ponit in litera rationem Sacramenti,quod eſt ſignum gratiæ, ita vt eius ſimilitudinem gerat, & cauſa exiſtat: & per hoc aſſignat differentiam Sacramentorum nouæ legis, & veteris,quia illa veteris,erant tantùm ſigna gratiæ: iſta nouæ legis non ſunt ſolùm ſigna, ſed cauſæ: ergo eſſe cauſam gratiæ eſt conditio completiua in definitione Sacramenti perfecti.

*Argum. 3.* Item, in quadam oratione petit Eccleſia:*Perficiant in nobis Domine tua Sacramenta,quæ cõtinent.* Ex hoc arguitur dupliciter. Primò,quia petitur gratia,& nõ petitur impoſſibile: ergo eſt poſſibile Sacramenta efficere gratiam. Secundò,quia innuitur Sacramenta continere quod petitur, ſcilicet gratiam:non autem continent eam formaliter,patet: ergo virtualiter, aut cauſaliter.

*Ratio ad oppoſ.* Contrà, Bernard. in ſermone de Cœna Domini. *Sicut inueſtitur canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum: ſic diuiſiones gratiarum diuerſæ ſunt traditæ à Sacramentis.* Patet quòd illa,de quibus exemplificat,ſunt tantùm ſigna,& non cauſæ.

*Lib.8.quæſt. 153.* Item, Auguſt. *Quædam ſunt,quæ Deus efficit per ſeipſum,ſicut eſt illuminare animas:* ergo & ſic cauſat gratiam.Item,ſi Sacramentum eſſet cauſa gratiæ,aut vniuoca,aut æquiuoca: non vniuoca. Patet,quia non poteſt eſſe gratia formaliter in Sacramento:nec æquiuoca, quia cauſa æquiuoca eſt ſimpliciter perfectior ſuo cauſato: nobilius autem aliquid, vel eminentius gratiâ non poteſt eſſe in re ſenſibili, vt in ſubiecto eius.

PROSQVAM quæſtione ſecunda egit de eſſentia & definitione Sacramenti, de cuius ratione eſſe docuit continere ſuum ſignificatum virtute, & practicè, quæſtione autem tertia,de eius inſtitutione,& certitudine in ſignificando,& authore. Item,quòd in omni ſtatu viæ fuerit, & ſecundùm diuerſas leges diuerſum Sacramentum:tandem quæſtione quarta quærit, vtrùm illa efficacia Sacramenti poſſit eſſe phyſica reſpectu gratiæ. Quoniam autem efficientia & cauſalitas,colligitur ex principio formali cauſandi,ſine quo nequit ſubſiſtere,coniungit quæſtionem quintam, quia reſolutione etiam coniuncta eſt; & in ea quærit,an poſſibile ſit in ſacramento eſſe virtutem ſupernaturalem phyſicam cauſandi effectum. 1

*Argumẽtum quæſtionum.*

*Diuiſio in octo membra.* Diuiditur ergo in octo membra.Primum continet opinionem affirmatiuam pro prima quæſtione.Secundum conſequenter affirmatiuam pro ſecunda; vtraque eſt D.Thomæ. Tertium,impugnationem prioris. Quartum, impugnationem poſterioris.Quintum,reſolutionem propriæ ſententiæ in primo quæſito. Sextum ſimiliter reſolutionem in ſecundo quæſito.Septimum & octauum reſponſiones ad argumenta vtriuſque quæſtionis ſuo ordine quo proponuntur.Vide Scholiaſtem per ſingula membra in Summario: in his ſequemur ordinem præfixum textûs.

## SCHOLIVM.

*De hoc tractat,in quæſt.ſeq.n.2.& refutat opin. D.Thom.de ea,à num.4.ponit ſuam,num.12.& ſoluit argumenta hic poſita, num.17.*

QVÆ

## Quæstio V.

### *An possibile sit in Sacramento esse virtutem supernaturalem?*

Alens. 4.p.q.5.m.3.a.5. D.Thom. *hic q.1.art.4.q.1. & q.6.de potent. art.4. & 3.p.q.62.a.4.* Palud. *hic q.1.* Heruæus *q.1.* Ferrar. *3.contra c.56.* Suar. *3.p. in art.4.q.62.* Pesantius *ibi, qui ponunt virtutem aliquam supernaturalem in Sacramento, sed variè explicant, de quo citati q.praced. Vide* Scot. *9.Met.q.11.*

I Argum. 1. VOD sic, per Augustinum auctoritate supradictâ. *Quæ est ista virtus aquæ,* &c.

Argum. 2. Item medicina continet formaliter virtutem aliquam actiuam, respectu sanitatis: Sacramentum est medicina animæ, & quidem perfecta: ergo, &c.

Argum. 3. Item, noua relatio non aduenit alicui sine nouo fundamento, patet, quia 5.Physic.& *7.Non motus, neque mutatio ad relationem, nisi quia ad absolutum.* Nunc autem illud, quod ponitur signum sensibile in Sacramento, habet relationem nouam: ergo in illo est aliqua forma absoluta noua, illam dico supernaturalem virtutem nouam.

*Text. 10. Text. 17. & inde.*

*Ratio ad opp.* Ad oppositum, si ponatur talis virtus, non potest poni pertinere ad aliquod genus entis: omnis autem forma absoluta pertinet ad aliquod genus entis: ergo. Probatio primæ, quia discurrendo per omnia Genera, non posset pertinere nisi ad genus Qualitatis: sed nec ad illud, patet, discurrendo per omnes species eius: non enim est habitus, vel dispositio: nec naturalis potentia, vel impotentia: nec passio, vel passibilis qualitas: nec forma, vel figura: ergo, &c.

Præterea, ad idem Sacramentum quandoque concurrunt diuersa sensibilia, vt infrà patebit in multis Sacramentis nouæ legis: sed idem accidens reale absolutum, non potest esse in diuersis subiectis: ergo non potest esse aliqua vna virtus, quæ sic sit forma absoluta realis in tali Sacramento: vnius autem Sacramenti est vna virtus, &c.

Item, omne accidens reale supernaturale est simpliciter perfectius quocunque accidente naturali. Probatur, quia in illud non potest causa naturalis: in istud potest; & ista impotentia, non videtur esse nisi propter eminentiam effectus: si ergo in Sacramentis esset aliqua virtus supernaturalis, illa esset simpliciter nobilior omni qualitate naturali: ergo in verbis Sacramentalibus alicuius Sacramenti esset aliquod accidens absolutum simpliciter perfectius omni perfectione intellectualis creaturæ, quod est inconueniens.

## SCHOLIVM.

*Ponitur sententia D.Thomæ quoad primam quæst. harum duarum, & consistit in aliquot dictis. Primum*, Sacramenta nouæ legis sunt causæ gratiæ. *Secundum*, Non sunt causæ sine quibus non, nec causæ per accidens. *Tertium*, Non sunt causa perfectiua, nec principalis gratiæ. *Quartum*, Sunt causa instrumentalis ad dispositionem præuiam eius, *quæ in quibusdam est character, in aliis ornatus, & sic causant physicè dispositiuè gratiam.*

2 *Opinio D. Thom. in 4. d.1.q.1.* In istis [a] quæstionibus est vna opinio tenens partem affirmatiuam. Quantùm ad primam quæstionem, dicit, quòd omnes coguntur ponere Sacramenta nouæ legis esse aliquo modo causas gratiæ: tum propter auctoritatem Sanctorum, scilicet Augustini adductam ad principale, & aliorum: tum propter commune dictum, quòd Sacramenta nouæ legis hoc efficiunt, quod figurant: & secundùm istos, Sacramenta non possunt poni causa gratiæ, sine qua non, tantùm: quia causa sine qua non, quæ nihil potest facere ad effectum efficiendo, vel disponendo, nihil causalitatis habet supra rem, nisi sicut causa

a *In istis quæstionibus est vna opinio,* &c. Hîc proponit Doctor sententiam D.Thomæ quoad primum quæsitum, sicut & §. sequenti exponit opinionem eius quoad secundum. Lege scholia in quibus rectè comprehenduntur conclusiones, & asserta eius. 2

*Defenditur sententia variis modis.* Cæterùm antequam vlteriùs progrediamur, exponendi sunt breuiter varij modi, quibus illa causalitas physica Sacramentorum ab assertoribus defenditur, & reduci potest ad quatuor modos. Primus est D.Thomæ *in 4. d.1.q.1. art.4. & q.27. de Veritate art.4. ad 3.* & eum explicat Doctor in litera, nempè, Sacramenta causare gratiam, non quòd attingant physicè entitatem gratiæ quæ creatur; sed producant aliquam dispositionem præuiam, & quasi necessitantem ad gratiam, vt characterem in iis, quæ characterem imprimunt, vel ornatum quendam spiritualem: hanc

*Primus modus D. Thomæ.*

*Causare dispositiuè procendo characterem, aut ornatum.*

cauſa per accidens: Sacramentum autem non eſt cauſa gratiæ per accidens: tum, quia non poneretur in eius definitione, cùm tamen hîc ponat Magiſter in definitione Sacramenti: tum, quia illud, quod eſt per accidens, non pertinet ad artem, in Porphyrio: Sancti autem de Sacramentis tractantes, præcisè, vel præcipuè tractant de cauſalitate eorum reſpectu gratiæ. Pater, quia per hoc Sacramenta nouæ legis, & veteris diſtinguuntur, vt dicitur in litera. Si autem & hæc, & illa tantùm ſignarent gratiam, licèt iſta poſſent perfectiùs ſignare, quàm illa, tamen non eſſet diſtinctio in ratione cauſæ, & non cauſæ. Non enim eſſet diſtinctio, niſi per aliam, & aliam rationem ſignandi, quod nullo modo tribuit rationem cauſandi, & non cauſandi. Qualiter ergo Sacramentum ſit cauſa gratiæ, ponitur ſic: quia efficiens diſtinguitur dupliciter. Vno modo ex parte effectus in diſpoſitiuum, quod inducit effectum præuium: & in perfectiuum, quod inducit effectum principalem. Alio modo ex parte efficientis, in principale & inſtrumentale. Inſtrumentum autem duplicem habet actionem: vnam ex natura propria: aliam prout motum eſt à principali agente: & quando habet ſecundam, ſimul habet & primam: & per ſecundam attingit ad aliquid vltra illud, ad quod attingit per primam; aliàs non eſſet inſtrumentum: & illud ad quod attingit per ſecundam, quæ eſt eius inquantùm motum eſt, vel inſtrumentum, aliquando eſt terminus principalis agentis: aliquando eſt tantùm diſpoſitio ad illum terminum.

*Cap. de ſpecie.*

*Secundùm D Thom. Sacramentum ſ eſt cauſa inſtrumentalis, ad characterem, vel ornatum.*

Ad propoſitum, aqua per formam ſuam naturalem, habet operationem propriam, ſcilicet abluere, vel madefacere corpus. Vlteriùs autem inquantùm eſt inſtrumentum diuinæ miſericordiæ, habet effectum vlteriorem; non quidem ad gratiam, tanquam eam attingat etiam in virtute principalis agentis: ſed ad diſpoſitionem præuiam, quæ in quibuſdam Sacramentis eſt character: in quibuſdam eſt aliquis ornatus animæ proportionatus characteri. Sic ergo Sacramentum inſtrumentaliter non agit ad gratiam, ſed diſpoſitiuè: quia nec per actionem, quæ eſt eius tanquam inſtrumentum, attingit illam: ſed diſpoſitionem præuiam. Et ſecundum iſtos iſtud eſt conſonum dicto Magiſtri in litera, qui dicit, quòd homo non quærit ſalutem à Sacramentis, quaſi ab eis, ſed per ea à Deo: hæc enim præpoſitio, *à*, denotat cauſam agentem: *per*, verò notat cauſam inſtrumentalem.

efficaciam habent Sacramenta per modum inſtrumenti, vt eleuantur per communicationem virtutis impreſſæ; & receptæ in ipſis Sacramentis, quæ non eſt permanens, ſed tranſiens.

*Recipiunt virtutem impreſſam.*

Hanc defendunt omnes antiqui Thomiſtæ, vſque ad Caietanum: Paludanus *in 4. d. 1. q. 1.* Capreolus *q. 1. art. 1. concluſione 3.* Ferrarienſis 4. *contra gentes, cap. 57.* Eandem ſententiam primam inueniſſe noſtrum Alexan. Alenſ. *3. part. q. 5. m. 3. art. 5. & q. 8. m. 8. art. 1.* putat Soto citandus, ſed malè; quia *prædicto art. 5.* docet Sacramenta cauſare gratiam, non ſolùm diſponendo, ſed efficiendo.

3 Paludanus. Capreolus. Ferrarienſ. Alenſis.

Secundus modus defendendi hanc ſententiam eſt Soti *4. d. 1. q. 3. art. 1.* qui vt comprehendat duo extrema, nempe gratiam non educi de potentia ſubiecti, ſed creari, & Sacramenta habere reſpectu eius cauſalitatem phyſicam, dicit Sacramenta cauſare gratiam, quia cauſant gratum eſſe, attingendo non ipſam formam; ſed vnionem eius ad ſubiectum: ſicut homo generans alium hominem, non producit animam rationalem, quæ creatur, ſed eius vnionem ad ſubiectum, ac proindè dicitur generare hominem. Hunc modum cenſet probabilem Ledeſma *in 1. p. 4. quæſt. 3. art. 1.*

*Secũdus modus quo defenditur.* Sotus, *Cauſare gratum eſſe, ſeu vnionem tãtùm gratiæ.*

Tertius modus eſt Caietani *3. p. q. 62. art. 1. & 4.* vbi docet attingi ipſam entitatem gratiæ, per Sacramenta, tanquam inſtrumenta phyſica cauſandi, non per aliquam diſpoſitionem præuiam, neque per virtutem receptam in ipſis, quæ ſit principium actionis permanens, aut tranſiens, ſed per motum receptum à cauſa principali, per quem eleuentur; hunc autem motum *3. p. q. 18. art. 2.* ita demum explicat, vt ſit intentionalis, & ſpiritualis, non per modum principij, aut actionis receptæ, ſed per modum vſus inſtrumenti, quà per actionem naturalem defert imperium præceptiuum agentis principalis, & intimat in ordine ad effectum. Vnde autem dicatur intentionalis, & ſpiritualis, non ſuppetit, niſi per ordinem ad intentionem principalis agentis, & ad effectum, qui ſpiritualis eſt.

4 *Tertius modus Caietani.* *Cauſare per motum receptum ipſam gratiam.*

Quartus modus defendendi eſt Suarez *3. p. t. 3. diſp. 9. ſect. 2.* docet gratiam non creari, *ſect. 1.* & deinceps improbat modum dicendi aliorum, dicit etiam produci phyſicè inſtrumentaliter per potentiam obedientialem, quæ eſt virtus quædam inchoata agendi in qualibet creatura, qua ſubiicitur primò agenti, vt poſſit aſſumi ad quemcunque effectum, qui aliàs non repugnat: & hanc docet eſſe principium agendi in omnibus inſtrumentis diuinis: de qua fuſiùs diſſerit *tom. 1. in 3. partem, diſp. 31. ſect. 5.* Sunt & aliæ ſententiæ in hac quæſtione, quę videri poſſunt apud præfatos authores, & alios, quos *infrà* citabimus pro concluſione Doctoris, & prout occaſio dabitur, eas exponemus; interim ſequemur literam vt iacet.

*Quartus modus Suarez.* *Cauſare per potentiam obedientialem.*

SCHO

## SCHOLIVM.

*Quoad secundam q. D. Thom. ponit aliquam virtutem supernaturalem per modum entis incompleti, & in fieri, in Sacramento, quæ causat instrumentaliter physicè gratiam, modo explicato, quod variis exemplis declarat. Similem virtutem, sed diuersimodè explicatam, ponunt DD. citati ad tit. huius quæst.*

3 *D.Tho. in 4. d.1.q.1.*

Secundùm illam opinionem dicitur ad secundam quæstionem, quòd in Sacramentis est aliqua virtus supernaturalis, quæ non tantùm est ordo ad effectum, quia virtus semper nominat principium agendi: principium autem actionis, vt probatur 5. *Physic.* est aliqua forma absoluta. Qualis autem sit illa virtus, ostenditur per distinctionem. Nam virtus, quæ est principium agendi, semper proportionatur agenti: agens autem principale agit secundùm exigentiam suæ formæ, ideò virtus actiua in eo est forma habens completum *esse*. Instrumentum autem agit, vt motum ab alio: & ideò competit sibi virtus, vt proportionata motui: motus autem est ens incompletum, quasi ens medium inter potentiam & actum, 3. *Physic.* & ideò virtus instrumenti, inquantùm est huiusmodi, habet *esse* incompletum, non fixum in natura: sicut virtus immutandi visum, est in aëre, inquantùm est instrumentum motum à corpore; sed huiusmodi entia imperfecta, quæ sunt in *fieri*, solent intentiones communiter nominari: eo modo quo virtus in aëre ad immutandum visum, dicitur intentio coloris. Virtus' ergo spiritualis, quæ est in Sacramento, inquantùm instrumentum, est in eo, quasi in *fieri*, tanquam ens incompletum, siue intentionale.

*Secundùm D.Tho. ineſt, Sacramentis virtus ſupernaturalis quâ cauſant gratiam.*

*Text. 15. & circ. Idem etiam 8. Phyſ.*

Et si arguitur, quòd in corpore non potest esse aliqua virtus supernaturalis. Respondetur secundùm dicta, quòd licèt non possit ibi esse virtus supernaturalis secundùm *esse* completum: potest tamen ibi esse secundùm *esse* incompletum, per modum intentionis; sicut exemplificatur in multis. Primò quidem, quia sic sermo audibilis causa existens disciplinæ, secundùm Philosophum *in principio de Sensu, & Sensato*, continet quodammodò intentiones animæ, cuius conceptiones quodammodò exprimuntur per sermonem.

Secundò sic, virtus artis est quodammodò in instrumento moto ab artifice. Tertiò sic, in motu corporis cœlestis est quodammodò virtus substantiæ separatæ mouentis, secundùm Philosophos. Quartò sic, semen agit in virtute animæ, vt dicitur *2. de Animalibus*, & tangitur à Commentatore *7. Metaph. cap. 2.*

## SCHOLIVM.

*Impugnat quæ dicit D. Thom. ad primam quæstionem, quatuor rationibus. Prima, dispositio ad gratiam est terminus creationis, sed secundùm D. Thom. creatura creare nequit. Secunda, effectus Sacramenti fit in instanti, sed Sacramentum non potest agere nisi per motum. Tertia, in Eucharistia nihil est assignabile, à quo attingi posset transsubstantiatio. Quarta, ponitur pluralitas sine necessitate. Gratiam creari, præter* Scot. *hic, & d.16.q.2. tenent* Alens. *2.p.q.9.m.8.* D. Bonauent. *2.d.26.art.1.q.4.* Richard. *ibi art.1.q.4.* Capreol. *hic ad arg. Scot. contra 3.con.* Maior. *q.1.* Palud. *q.1.* Ferrar. *4. contra gen. c.57.* Caiet. *1.p.q.110.a.1.*

4 *1.p.q.45.a.5. in ſol. princ. Gratia creatur, ergo non fit à Sacramẽto phyſicè.*

Contra istam [b] opinionem; quantùm ad illa, quæ ponit ad primam quæstionem, arguitur primò sic: Creatura non potest agere instrumentaliter ad terminum creationis, secundùm ipsum: & hoc, vt dicit alibi, maximè verum est de substantia corporea, cuiusmodi est Sacramentum: dispositio autem proxima ad gratiam qualem ponit, est terminus creationis. Minor probatur, quia illa dispositio est simpliciter forma supernaturalis: & quælibet talis æquè non est educibilis de potentia naturali subiecti recipientis: æquè etiam subiectum est in potentia obedientiali ad quamcunque talem formam.

Item,

b *Contra istam opinionem, &c.* Impugnat Doctor sententiam D. Thomæ quatuor rationibus. Prima est, quòd creatura non possit creare, ne instrumentaliter quidem, etiam ex D. Thoma, vt patet quæst. prima huius, quæ propositio ex ratione speciali extenditur ad substantiam materialem, quæ in essendo dependet à materia, & cuiusmodi est Sacramentum institutum in materia sensibili: sed dispositio proxima ad gratiam, siue sit character, siue ornatus supernaturalis, est terminus creationis: ergo non attingitur à Sacramento. Minor patet, quia dispositio illa est simpliciter supernaturalis, quælibet talis æquè non est educibilis è potentia naturali subiecti, & æquè etiam subiectum est in potentia obedientiali ad quamcunque talem formam: ergo est simpliciter supernaturalis. Additur autem *simpliciter*, ad distinctionem actus supernaturalis, qui licèt sit superna

5 *Impugnat primiſſam ſententiam. Prima ratio.*

*Creatura nequit creare inſtrumentaliter.*

*Character, & ornatus ſimpliciter ſupernaturales.*

*Quid educi de potentia materiæ.*

Item, iſta[c] diſpoſitio reſpectu gratiæ, cùm ſecundùm ipſum, ſit neceſſitans reſpectu gratiæ, quando non eſt impedimentum in ſuſcipiente; ſequitur quòd ſimul fiant in animâ non indiſpoſitâ, iſta diſpoſitio & gratia: iſta ergo diſpoſitio fit in inſtanti, ſicut & gratia. Hoc etiam patet,

*Succeſſio in forma introductione, ex duplici capite prouenit.*

quia non eſt ſucceſſio in inductione alicuius formæ, niſi penes partes mobilis, vel penes partes ipſius formæ: neutrum autem eſt hîc. Primum non, quia ſubiectum eſt indiuiſibile. Secundum non, quia tunc gradus formæ, non poſſent eſſe, niſi talis diſpoſitio fieret continuè maior, & minor: ſed poſſibile eſt in aliquo ſuſcipiente Sacramentum, minimam diſpoſitionem induci, ſicut & minimam gratiam infundi: ad iſtam autem gratiam non requiritur, niſi minima diſpoſitio: non eſt ergo ibi ſucceſſio penes gradus, ſecundùm quos diſpoſitio ſucceſſiuè inducatur.

Patet etiam tertiò illa propoſitio, quia inſtrumentum non agit, niſi in virtute principalis agentis: ergo ſi inſtrumentum non poteſt agere, niſi in tempore ad iſtam diſpoſitionem, ſequitur, quòd Deus aget in tempore, vel ſucceſſiuè ad eandem. Conſequens videtur inconueniens, tum propter infinitatem potentiæ agentis: tum propter ſummam capacitatem ſuſcipientis non habentis contrarium: Sic ergo ſupponatur ex iſtis tribus probationibus, quòd illa diſpoſitio prævia ad gratiam, quam ponunt, inducatur, vel induci poſſit in inſtanti: Sacramenta autem non poſſunt habere actionem ſuam in inſtanti. Probatio, quia communiter in Sacramentis requiruntur verba multa, vt patebit inferiùs: illa autem non poſſunt habere *eſſe* in inſtanti: ergo in tempore, quare nec agere actione ſua naturali: ergo nec ſupernaturali, quia nec ſecundùm eos, quando inſtrumentum habet actionem excedentem ſuam virtutem, habet etiam actionem propriam.

*Sacramenta non poſſunt habere actionem inſtantaneam.*

5

Si autem fingatur aliquam vnam ſyllabam totius orationis inſtrumentalis habere *eſſe* in inſtanti (quod ideò fictio eſt, quia formatio huius ſyllabæ eſt cum motu locali aëris, & motus non eſt in inſtanti) adhuc non ſaluatur propoſitum, quia aut illa eſſet prima ſyllaba, aut vltima, aut intermedia: quæcunque ponatur, ex quo illa habet actionem, & diſpoſitionem illam, quæ cauſatur in inſtanti, & nulla alia, ſequitur quòd illa ſola ſufficeret, & inter omnes alias haberet rationem Sacramenti: quia omnes aliæ præter illam, nec inſtrumentaliter, nec quocunque modo agunt diſpoſitionem illam prævium: quod eſt inconueniens,

*6. Phyſic.*

ſupernaturalis, non tamen in eo gradu quo habitus, vt patet ex Doctore in 1. *diſt.* 17. *q.* 2. Dari ergo formam ſupernaturalem quoad ſubſtantiam, non negauit Doctor, vt patet hîc, & aliis in locis, vt q. 1. prologi §. *Ad quæſtionem*; & ſæpè per totam quæſtionem, & *q.* 3. *in* 1. *d.* 17. *q.* 2. *in* 2. *d.* 3. *q.* 9. *in* 3. *d.* 23. & deinceps vſque ad 32. vbi agit de habitibus infuſis *in* 4. *d.* 49. *q.* 11. & ne difficultas fiat de actu *in* 3. *d.* 23. §. *Aliter patet*, &c. dicit actũ fidei infuſæ, & acquiſitæ diſtingui eſſentialiter; & *diſt.* 24. idem aſſerit de actu charitatis infuſæ, & acquiſitæ: prout optimè notauit Scholiaſtes, ad locum citatum in q. 1. prologi. Et de his actibus, ac aliis habituum infuſorum dicit ita eos fieri à ſuis principiis, vt alio modo virtute naturali intellectûs, aut voluntatis produci non poſſint: vnde in hac quæſtione non eſt controuerſia quantùm ad mentem Doctoris.

*Dari formam ſupernaturalem in ſubſtantia.*

Difficultas tamen offertur circa illam probationem Minoris, qua probat ſupernaturalitatem illius diſpoſitionis, ex eo, quòd ad eam non ſit potentia naturalis in ſubiecto, ex qua educatur, ſed tantùm obedientialis, quo repugnat eius principiis, in locis iam citatis, vbi expreſsè aſſerit, in nobis dari inclinationem naturalem paſſiuam, ad formas ſupernaturales gratiæ, & gloriæ.

6

*Explicatur probatio.*

Sed reſpondetur hanc probationem eſſe ad hominem ex principiis conceſſis; nam licèt hinc inde vtraque ſchola admittat formas ſupernaturales quoad ſubſtantiam, & in ratione abſoluta, per ordinem tamen ad extrinſecum aliter, & aliter definiunt illam ſupernaturalitatem. D. Thomas 1. *p.* *q.* 1. *a.* 1. *q.* 12. *art.* 5. *q.* 67. *art.* 5. eiúſque diſcipuli docent illam ſupernaturalitatem deſumi in ordine ad ſubiectum, quatenus non ſupponitur in ipſo inclinatio naturalis ad formam, ſed tantùm potentia obedientialis: nos autem cum Doctore id negamus, ſed deſumendam eſſe tam potentiam obedientialem, quàm ſupernaturalitatem formæ in ordine ad agens: quia ergo illa controuerſia non eſt huius loci, ideò ſumit rationem ſupernaturalitatis ex mente D. Thomæ, non autem ex principiis à ſe aſſertis aliàs, vel ſecundùm ipſa, vt patet *infrà diſt.* 14. *& in diſt.* 49. *q.* 11. *& in* 3. *d.* 14. *q.* 1. vbi colligitur eleuationem potentiæ non fieri per formam, quà forma eſt, ſed quà principium agendi, & in locis ſuprà citatis, vbi exponit ſupernaturalitatem reſpectiuè ad agens. Vnde mihi videntur quidam ex noſtris, vt Tartaretus, & poſt eum alij, non rectè interpretari mentem Doctoris hîc, quaſi illa probatio minoris eſſet ex principiis adſertis eius, vel ex mente ipſius: vis ergo huius rationis conſiſtit ad hominem, in eo quòd quacunque ratione dicatur gratia non produci immediatè à Sacramentis, quia eſt terminus creationis: eadem ratio probat etiam ornatum illum non produci phyſicè à Sacramentis.

*Reſponſio. Vtitur probatione ad hominem ex principio aſſerto. D. Thom. definit in ordine ad ſubiectum ſupernaturalitatẽ.*

*Doctor verò in ordine ad agens, non ad ſubiectum.*

7

*Reſponſio Ferrar. & Capreoli.*

Reſpondet Ferrarienſis ex Capreolo *in* 4. *d.* 1. quòd forma dicatur ſupernaturalitas in duplici gradu. Nam quædam eſt talis, vt nullo modo attingi poſſit virtute creata, neque innata, neque ſuperaddita, neque conſequenter educi de potentia materiæ, talis eſt gratia. Alius autem gradus eſt, quando forma attingi poteſt, ſaltem virtute ſuperaddita, ac proinde educi de potentia materiæ, & huius generis eſt character: diſparitatem aſſignat infrà ex propria ſententia, quia gratia eſt ſupra totum ordinem naturæ, & coniungit nos Deo, ita à ſolo Deo produci poteſt: character autem,

*Duplex gradus ſupernaturalis.*

conueniens, quia in tali oratione Sacramentali, nulla vna syllaba ponitur Sacramentum, sed tota oratio.

Quòd si vltrà fingas vltimam syllabam esse instrumentum completiuè, & habere actionem istam, quæ attribuitur Sacramento, non in virtute propria, sed in virtute omnium præcedentium, sicut vltima gutta in virtute omnium præcedentium cauat lapidem 8. *Physic.* Hoc nihil est, nunquam enim in talibus vltimum completiuè causat effectum in virtute præcedentium, nisi quia præcedentia dereliquerunt aliquam dispositionem præuiam ad illum terminum: hîc autem syllabæ præcedentes, nullam dispositionem talem relinquunt ante vltimam: ergo, &c.

*Text. 23. Quomodo vltima gutta cauat in virtute præcedentium?*

Item in aliquo Sacramento, scilicet Eucharistiæ, non videtur ista causalitas esse possibilis, & hoc siue loquamur de Sacramento pleno, scilicet Eucharistiâ iam consecratâ: vel de ipsa consecratione Sacramentali, quæ est via ad Sacramentum. Nam primo modo loquendo, species illa panis non videtur esse causa instrumentalis attingendo effectum, scilicet existentiam realem corporis Christi, neque aliquam dispositionem ad illum effectum. De consecratione etiam patet, quia illa verba prolata non attingunt transubstantiationem, quæ est terminus principalis huius consecrationis: cùm illa transubstantiatio non fiat nisi virtute Dei infinitâ, quod æquè, vel magis patet, quàm de creatione, neque attingit aliquam dispositionem præuiam ad illam transubstantiationem: quia aut illa dispositio esset in pane, aut in Christi corpore: neutro modo potest dari. Non enim in corpore, quia iam non esset dispositio: nec in pane, quia, cùm illa dispositio esset necessitans ad transubstantionem, esset in eodem instanti cum transubstantiatione: & tunc in illo instanti esset panis, quia quando est dispositio, est & eius subiectum: simul ergo esset panis in eodem instanti, in quo est illa dispositio, & transubstantiatio, quod includit contradictionem. Similiter pura fictio videtur esse, quòd per ista verba: *Hoc est enim corpus meum*, magis alteretur realiter panis, quàm per alia verba prolata, scilicet, *iste panis est albus*, & huiusmodi, cùm sonus non habeat virtutem aliquam ad causandum alterationem realem in pane.

*Nihil est in Eucharistia, cui tribui possit transubstantiatio, vt causa physica.*

6 Posset etiam argui vt priùs, quia illa verba Sacramentalia habent esse in tempore: ergo & actionem suam præcisè in tempore: illa autem dispositio ad Eucharistiam si fingatur, non potest poni causari in tempore, autem, qui est dispositio ad gratiam, non est supra ordinem naturæ, imò est infra aliqua materialia sui generis, nempe, actum liberi arbitrij, qui disponit ad gratiam, & est supra characterem perfectione; ideóque non est inconueniens, vt à Sacramento instrumentaliter producatur, cùm aliquid sui generis virtute naturæ producat.

*Impugnatur.* Contrà, hæc solutio quoad primum petit principium, & distinctio adducta quoad euasionem conficta videtur, neque respondet ad probationem minoris. Quæro enim vnde colligatur supernaturalitas gratiæ aliter, nisi in ordine ad subiectum, in quo tantùm supponit potentiam obedientialem, sed perinde character etiam, & ornatus ille supponit potentiam obedientialem in subiecto, quia naturalis non admittitur ab ipsis, nisi vbi datur etiam agens naturale, quod educere potest illam potentiam ad actum: in reliquis conueniunt gratia & character, in esse formæ spiritualis accidentalis in genere.

*Petit principium.*

*Vtraque forma perinde supponit potentiam obedientialem solam.*

Vnde sicut potentia obedientialis immediatè subiicitur Deo agenti & soli, loquendo de ea, quæ est merè obedientialis (vt excludatur instantia de potentia vitali in ordine ad suum actum supernaturalem, quâ vitalis est, & naturalis) ita potentia obedientialis ad characterem soli Deo subiici debet, sicut & quæ est ad gratiam: quia perinde character dicitur à Deo produci, & infundi sicut gratia, si spectemus principia reuelata, vt infrà patebit: perinde etiam gratia dicitur causari à Sacramentis, sicut character. Ex ratione autem non suppetit aliquis diuersus, & notus modus causandi vtrumque: ergo solutio prædicta videtur omnino libera, & meritò à quibusdam discipulis D. Thomæ non probantur principia ad quæ reducitur. 8

*Soli Deo subiicitur potentia obedientialis.*

Deinde disparitas petita ab ipso Ferrariensi, quoad excessum perfectionis, in forma nihil concludit: in primis non admittitur gratia esse supra totum ordinem naturæ, ne quidem in genere formæ accidentalis, quia iuxta principia nostra; gloria, & actus supernaturalis fruitionis in patria est perfectior in entitate, & perfectiùs coniungit Deo, quàm ipsa gratia.

*Disparitas assignata supernaturalis relicitur.*

Et dato etiam oppositio iuxta sententiam asserentis, & eorum qui gratiam esse dicunt participationem diuini *esse*, & distingui re à charitate, non probat intentum, quia etiam quæ inferioris sunt gradus, aliquando exigunt ex natura sua superiorem causam, & materia prima, quæ est imperfectior formâ, petit ex peculiari ratione produci à Deo solo, quia est primum subiectum: quòd ergo gratiæ sic conueniat produci, non colligitur ex perfectione eius, sicut per illam, nec absoluitur omnino à subiecto, quin ipsi insit per modum inhærentis, & accidentis; de reliquo nihil conuenit ipsi in genere, quòd non conueniat characteri in ratione formæ supernaturalis.

*Ratio ex perfectione petita non valet.*

Et confirmari potest per exemplum datum, quia actus supernaturales sunt perfectiores, quàm character; educuntur tamen de potentia naturali subiecti non ita character: ergo id non est ex perfectione.

*Confirmatio.*

Deinde instantia de characterе, & actibus, libero arbitrio, non est ad propositum: agitur enim de dispositione naturali necessitante ad gratiam, qualis est character ex præfata sententia, ad quam non habet proportionem dispositio moralis, & impetratoria, vt sunt actus, qui supponuntur ad iustificationem, quia prior dispositio maiorem 9

*Instantia de dispositione per actus liberos excluditur.*

connexio

tempore, propter ſimiles probationes, quæ ſuprà tactæ ſunt in ſecundo argumento. In propoſito etiam eſt ratio ſpecialis, quia verba conſecrationis Euchariſtiæ non poſſunt habere actionem reſpectu tranſſubſtantiationis, ſeu diſpoſitionis neceſſariæ ad tranſſubſtantiationem: quia non priùs agunt circa paſſum, quàm tangant ipſum ſecundùm eos, & ſecundùm Philoſophum

*Text. 24.* 7. *Phyſicor.* de ſimultate agentis, & paſſi: nunc autem in inſtanti completæ prolationis nondum ſpecies illorum verborum tangunt ſpeciem panis, quia multiplicatio ſoni, & ſenſatio, non fit niſi in tempore, ſecundùm Philoſophum *in de ſenſu, & ſenſato, dubitatione penultima*: ergo per tempus poſt inſtans vltimum completæ prolationis verborum nondum tranſſubſtantiatio facta eſt; nec diſpoſitio prævia ad ipſam: ergo panis per totum illud tempus permanet: quod eſt contra communem opinionem de Euchariſtia.

7 Quartò arguitur [d], quòd iſta opinio ponit pluralitatem ſine neceſſitate, quod eſt contra doctrinam Philoſophorum, patet

*Text. 50. Text. 60. Text. 48. Idem 1. ca. t. c. 32. Pluralitas, ſine neceſſitate non admittenda.* *primo Phyſicorum* de opinione Meliſſi, & eius commendatione vltra Anaxa. & 3. *de Anima.* & 8. *Phyſicor.* quòd natura nihil facit fruſtrà. Semper enim, ſi ſufficit paucitas ad ſaluandum apparentia, eſt magis ponenda: ſed talem diſpoſitionem fieri in Sacramentis, omnino videtur ſuperfluum, nec huius pluralitatis videtur eſſe aliqua neceſſitas, vt patet in Euchariſtia: quia puriſſima fictio videtur eſſe, ponere ibi aliquam diſpoſitionem præcedentem, vel inter ſpecies panis, quæ ſunt Sacramentum, & inter exiſtentiam corporis Chriſti, quæ eſt res ſignata.

In aliis etiam Sacramentis hoc probatur, nam in illis, quæ non imprimunt characterem, nulla neceſſitas videtur ponendi illam diſpoſitionem, quæ dicitur ab illis ornatus. Primò hoc videtur eſſe contra

*Admiſſo ornatu fictè pœnitens non teneretur reconfiteri.* communem doctrinam Theologorum. In quibuſcunque enim Sacramentis imprimitur diſpoſitio ad effectum principalem, ſi propter obicem in ſuſcipiente non cauſatur, tunc effectus principalis, ceſſante obice ſufficit diſpoſitio ad illum effectum principalem (apparet in Sacramentis imprimentibus characterem, quæ propter hoc non ſunt iterabilia) ſed in fictè pœnitẽte, ceſſante fictione, nihil eſt, quod ſufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ; alioquin non oporteret talem fictè confeſſum, de eiſdem peccatis aliàs confiteri: ergo in tali Sacramento nulla imprimitur diſpoſitio, quaſi neceſſitans ad effectum Sacramenti.

SCHO

connexionem habet cum forma, quàm ſecunda: ergo magis exigit produci à cauſa producente ipſam formam, quàm hæc, neque conſequenter ex modo producendi huius ſequitur modus producendi alterius eſſe idem.

Conſequentia patet quoad primam partem, quia quod phyſicè coniungitur cum forma, magis eſt ipſi coniunctum re, & cauſalitate, quàm quod moraliter tantùm coniungitur. Patet eadem conſequentia quoad ſecundum, quia diſpoſitio naturalis & moralis ſolùm æquiuocè conueniunt, quia vnum habet *eſſe* tale, ex natura rei, & inferre, neceſſitando ad formam, aliud verò ſecundùm rationem tantùm, & ex inſtituto infert formam.

Confirmatur ergo ratio Doctoris, quia neque Scriptura, neque Patres tribuunt vllam efficaciam Sacramentis niſi reſpectu gratiæ, aut characteris in iis quæ imprimunt characterem: ergo ornatus ille ſine fundamento aſſeritur. *Confirmatur non dari ornatum.*

Dices aſſeri ornatum, vel diſpoſitionem aliam reſpectu gratiæ, vt ſaluetur proprietas cauſandi in Sacramentis, vt tribuitur eis per Patres, & Scripturam, quia cùm in eis nequeat ſaluari hæc cauſalitas per immediatam productionem gratiæ, quæ creatur, debet ſaltem quoad aliquid prius diſponens ſaluari. 10 *Reſponſio. Neceſſitas ornatus.*

Contrà, ornatus & character ſunt diuerſæ formæ: ergo nequeunt eſſe diſpoſitio neceſſitans ad eandem formam. Conſequentia patet in Phyſicis, vbi inuenitur ſemper diſpoſitio vnius rationis ad formam vnius rationis, qualis eſt gratia. *Impugnatur.*

Secundò, Patres & Concilia illam efficaciam Sacramentorum exponunt in ordine ad ipſam gratiam, vt terminum: ergo ſi proprietas ſaluanda eſt, potiùs dici debet ipſa gratia immediatè attingi.

Tertiò in Sacramentis, quæ imprimunt characterem aſſignantur tanquam diuerſi effectus Sacramenti gratia & character, vt patet ex Florentino, & Tridentino citatis, & in ordine etiam ad diuerſos effectus. *Florent. Trident.*

Quartò, neque character, neque quodcunque aliud eſt diſpoſitio ad gratiam neceſſitans phyſicè: ergo non ſaluatur cauſalitas phyſica Sacramentorum reſpectu gratiæ per ipſa. Antecedens probatur, quia character poteſt eſſe in ficto ſine gratia, & etiam cum peccato deſinente gratiâ, ſed vltima diſpoſitio neceſſitans ad formam ponitur ſimul cum forma, & tollitur ſublatâ forma: ergo character nequit eſſe talis. *Ad gratiam nulla forma neceſſitans phyſicè.*

Dices quantùm eſt ex vi characteris vltimò diſponi ſubiectum, niſi adſit aliquod impedimentum. Contrà, vltima diſpoſitio in gradu neceſſitante, & ſimultaneo cum forma non compatitur cum impedimento formæ: ergo cùm character, vt conſtat certò, compatiatur cum impedimento, non eſt diſpoſitio neceſſitans phyſicè. 11 *Reſponſio. Impugnatur. Diſpoſitio nõ compatitur cum impedimento.*

Quòd ſi dicas diſponere aliquo modo moraliter. Contrà, ergo Sacramentum producendo characterem non producit phyſicè gratiam. Patet conſequentia, quia effectus mediatus nequit aliter reduci in cauſam remotam, quàm reducitur in cauſam proximam, ſed proxima eſt character reſpectu gratiæ, qui tantùm moraliter cauſat proximam: ergo Sacramentum nequit aliter cauſare, quàm moraliter, ſiue producat phyſicè characterem, ſiue moraliter tantùm. *Reſponſio. Impugnatur. Effectus in cauſam remotã mediatè proximã reducitur.*

Confirmatur ſecundò, hæc diſpoſitio ad 12 gratiam,

*Nulla neceſſitas diſpoſitionis.*

gratiam vel exigeretur à natura formæ, vel ex natura ſubiecti, vel ex natura cauſæ efficientis inſtrumentalis; non primum, quia in contritis perfectè, & iuſtificatis extra Sacramentum habetur gratia ſine tali diſpoſitione: ergo non petitur ex natura formæ; non ex natura ſubiecti, quia anima eſt de ſe capax gratiæ, quatenus imago Dei eſt, capacitate phyſicâ, & recipit ſæpè gratiam ſine tali diſpoſitione; vt patet ex primo membro, quod eſſet falſum, ſi talis diſpoſitio eſſet phyſicè neceſſitans, ac proinde naturaliter prius gratiâ tanquam formâ poſteriori; ſed non datur poſterius naturaliter ſine ſuo priori, vt patet ratione dependentiæ; aliàs eſſet poſterius naturaliter, & non eſſet: patet in forma ignis & ſuâ diſpoſitione vltimâ, verbi gratiâ, calore vt octo; gratia autem datur ſine charactere, vel ornatu.

Tertium etiam dici nequit, quia nulla efficacia tribui poteſt Sacramento vt eſt cauſa gratiæ, niſi prout neceſſaria eſt ex parte gratiæ vt formæ producendæ; aut ſubiecti, vt diſponendi ad talem formam: ad neutrum horum exigitur vniuerſaliter talis diſpoſitio: ergo neque virtus productiua eius phyſica.

13 *Secunda ratio principalis.*

c *Item iſta diſpoſitio reſpectu gratia*, &c. Hæc eſt ſecunda ratio Doctoris, quæ ſummariè in hoc verſatur. Illa diſpoſitio ad gratiam fit ſimul cum gratia, atque adeò in inſtanti; ſed Sacramentum non poteſt producere aliquid in inſtanti phyſicè: ergo neque illam diſpoſitionem producit phyſicè.

*Diſpoſitio fit ſimul cũ forma in gradu neceſſitante. Gratia fit in inſtanti.*

Maiorem probat tripliciter. Primò, quia diſpoſitio neceſſitans, quando nullum eſt impedimentum in ſuſcipiente, fit ſimul cum forma; gratia autem fit in inſtanti; ſed in anima nullum eſt impedimentum reſpectu diſpoſitionis: ergo, &c.

*Cauſa ſucceſſionis in productione formæ.*

Secundò probat, quia non eſt ſucceſſio in productione formæ niſi ſecundùm partes mobilis, vel penes gradus, & partes ipſius formæ; id eſt, quia mobile habet diuerſas partes ſecundùm quas aliter, & aliter applicatur ad cauſam efficientem; vel quia forma eſt diuiſibilis, *ex 6. Phyſicorum*: non primum, quia ſubiectum hîc eſt indiuiſibile: non ſecundum, quia ad minimam diſpoſitionem induci poteſt gratia, &c.

*Explicatur Minor huius rationis. Gratia diuiſibilis eſt.*

Pro intellectione huius Minoris non eſt ſenſus Doctoris quòd gratia non ſit diuiſibilis; hoc enim repugnat formæ homogeneæ, quæ poteſt intendi, vt eſt gratia per ipſum in variis locis; vt patet de gratia Chriſti quam dicit eſſe intenſiſſimam; & gratiam baptiſmalem *infrà* docet maiorem & intenſiorem eſſe, quàm fuerit gratia data per Circumciſionem: loquitur de diſpoſitione in ordine ad formam, ad quam diſponit, quæ aliquando in determinato tantùm gradu intenſionis diſponit; ſicut calor ad ignem non in quocumque gradu remiſſo diſponit, ſed in intenſo: quando autem forma diſponens eſt talis poteſt contingere vt ſecundùm aliquos gradus inſit, vt remiſſos, ſine eo quòd inſit forma ad quam diſponit, vt calor vt tria, ſine igne, &c. Talis non eſt diſpoſitio hæc ad gratiam; quia quicumque gradus formæ diſponentis ſufficit ad infuſionem gratiæ: ergo poteſt ſimul diſpoſitio, & gratia fieri in inſtanti, quod eſt intentum eius.

14 Tertiò probat, quia inſtrumentum non agit niſi in virtute cauſæ principalis; ergo ſi inſtrumentum nequit agere niſi in tempore, Deus etiam non poteſt agere niſi in tempore, & ſucceſſiuè ad effectum inſtrumenti: quod eſt abſurdum ex duobus: primò ex infinita virtute Dei, cui nulla reſiſtentia, & ex parte ſubiecti eſt proportionata: vnde ex Philoſopho *ſuprà in 1. quæſtione huius* citato, ſi Deus immediatè moueret cœlum, moueret in inſtanti ob infinitatem virtutis: tum ſecundò propter ſummam capacitatem ſubiecti non habentis contrarium. *Inconueniens.*

Inſinuat hîc cauſas ex quibus contingit ſucceſſio in motu, nempe ex repugnantia paſſi, & limitata virtute agentis, ad quæ reducuntur reliquæ aſſignatæ à Comment. in capite *de Vacuo*; vt ipſe rectè probat infrà *diſt. 43. quæſ. 5.* Vide etiam ipſum *in 1. diſt. 2. quæſ. 1. ad vltimum in 2. diſt. 2. quæſ. 9. ad 4.* Item *in 3. diſt. 4. §. Maria fuit verè mater Dei*, &c. vbi optimè exprimit quomodo Maria cooperata fuerit in inſtanti ad illam actionem generatiuam Chriſti ſecundùm carnem ex ſuperueniente Spiritus ſancti virtute.

15 *Probatio Minoris principalis.*

Probatâ ergo Maiori, probat Minorem: quia Sacramentum eſt quid ſucceſſiuum (vt includit ſaltem formam verbalem ſucceſſiuam:) ergo nequit eſſe, aut agere; niſi in tempore, actione reali naturali: ergo neque actione ſupernaturali ſecundùm ipſos; quia hæc non competit inſtrumento, niſi vt ſimul habet actionem naturalem.

*Reſponſio.*

Si dicas vnam ſyllabam poſſe eſſe in inſtanti, & cauſare illam diſpoſitionem in eodem inſtanti: hoc in primis eſt falſum, quia etiam ſyllaba ſucceſſiuè formatur cum locali motu aëris; & eo dato, vel eſſet prima, vel media, vel vltima, verbi gratiâ; & ſic ſeorſim formata haberet eundem effectum, quod eſt falſum, quia nec ſenſum ſacramentalem, neque orationis ſola pars habere poteſt, neque dictionis ſyllaba. *Impugnatur. Succeſſiuum agit ſucceſſiuè tantùm.*

*Reſponſio.*

Si dicas in virtute præcedentium cauſare, ſicut vltima gutta in virtute præcedentium cauat lapidem, ex Philoſopho 8. *Phyſicorum*. Hoc etiam falſum eſt, quia ſic reciperet aliquam virtutem à prioribus, vel certè relinquerent poſt ſe aliquam diſpoſitionem, in cuius virtute cauſaretur terminus. *Impugnatur.*

*Argumenti difficultas ad duo reducitur.*

Hoc argumentum torſit aduerſarios, & perinde concludit contra omnes modos præfatos.

Pro maiori autem claritate, & euidentia eius, aduertendum quòd conſiſtat in duabus propoſitionibus.

*Primum. Exiſtentia realis cauſæ requiritur ad actionem realem.*

Prima eſt, quòd ad cauſandum aliquid phyſicè, requiritur exiſtentia cauſæ, vt per ſe notum eſt; ſiue in ſe (vt excludatur controuerſia) ſiue in alio, quod ſit virtus eius, vel quod in virtute eius cauſat; ſicut aliqui dicunt patrem mediante ſemine generare, etiam quando non eſt; & accidens ſeparatum in virtute ſubſtantiæ generare.

*Secundum.*

Secunda propoſitio eſt, quòd Sacramentum nihil cauſat quando eſt, nihil etiam ſubſtituit quod in virtute eius cauſaret: vnde ſequitur concluſio, quòd non ſit cauſa phyſica ſui effectus.

Minor autem probatur ex ratione illa Doctoris, quia Sacramenti forma nequit eſſe niſi in tempore.

16 *Confirm.*

Confirmatur itaque ratio hoc modo: forma

*Forma vt significat est fundamẽtum significationis, & virtutis sacramentalis.*

non secundùm sonum realem, & naturalem est fundamentum proximum significationis sacramentalis, sed prout ex instituto significatiua est; verba enim significantia ex vsu, & impositione assumpsit Christus in formis Sacramentorum: vnde Tridentinum *sess. 5. de peccato originali can. 4.* dicit formam Baptismi verificari in remissionem peccatorum in infantibus, aliàs esset falsa si in eis non supponeret peccatum originale. Idem Mileuitanum *can. 2.* African. *cap. 77.* Dioſpolitan. *art. 5.* quod argumentum mirum in modum torſit Pelagianos, vt patet ex Augustino *lib. 1. de peccat. merit. & remiss. cap. 17. 18. 20. & 30. de gratia Christi lib. 1. cap. 33.*

Trident.

Mileuitan.

African.

Dioſpolit.

Augustin.

Florent.

Hac ratione Florentinum docet Sacramenta constare rebus & verbis, quæ significatiua sunt. Hinc Doctores vniuersim admittunt mutationem substantialem in forma quoad sensum, nullum facere Sacramentum; hinc forma Pœnitentiæ ex Trident. *sess. 14. cap. 6. & can. 8.* significat actum iudicialem per modum sententiæ: sic dicitur forma Eucharistiæ esse demonstratiua, Extremæ Vnctionis deprecatiua, &c. quæ sunt affectiones formæ, quà significatiua est præcisè.

*Mutatur forma vt significat.*

*Forma iudicialis.*

*Demonstratiua.*

*Deprecatiua.*

*Sunt affectiones significationis.*

17

*Nõ fit Sacramentum donec compleatur sensus formæ.*

*Completur per prolationẽ integram.*

Quibus suppositis, sic argumentor: Sacramentum non completur donec perficiatur forma eius quoad sensum completum & sacramentalem; ergo ante prolationem integram formæ, nihil causat Sacramentum; siue sit character, siue ornatus, siue gratia ipsa eius effectus: sed repugnat compleri formam secundùm prolationem integram, donec omnes partes substantiales se inuicem determinantes (ex qua determinatione, quæ est affectio vocis quà significatiua est, consurgit sensus completus formæ) integrè proferantur: hoc autem non contingit ante vltimum *esse* formæ, seu instans extrinsecum prolationi: ergo nullus effectus Sacramenti ante illud instans extrinsecum completæ prolationis habetur. Consequentia est manifesta, quia ante illud non completur sensus formæ sacramentalis.

*Exemplum.*

Exempli gratiâ in forma Eucharistiæ non ponitur corpus Christi sub speciebus panis, quando proferetur, *Hoc est* præcisè, aliàs si obmutesceret Sacerdos ad reliqua duo, vel non diceret ea sensibiliter, adhuc consecratio esset facta, quod falsum est. Item, in forma Baptismi, si proferret minister illa verba, *Baptizo te*: sine inuocatione Trinitatis conferret gratiam baptismalem; quod nullus dicit, ex ratione iam præmissâ.

18

*Responsio.*

Ex qua nullo negotio euacuantur solutiones aduersariorum. Respondent enim quidam, quòd gratia, seu effectus Sacramenti, producatur pro aliquo tempore indeterminato ante instans extrinsecum, quo definit Sacramentum.

*Alia responsio.*

Alij respondent pro tempore determinato, quo vltima particula prolationis verborum durat produci. Has responsiones benè impugnat Pater Vasquez *tom. 2. in 3. parte, disputat. 132. cap. 4.* quorum impugnatio apud ipsum videri potest. Neque consequenter loquuntur qui dicunt gratiam creari, quia sic tota simul producitur: vel ergo tempore determinato, vel indeterminato ante instans prolationis producitur gratia successiuè, sicut fit ipsa prolatio formæ successiuè, & concomitanter se habent prolatio formæ quoad vltimam particulam, & productio gratiæ.

*Vasquez impugnat.*

*Contradictio.*

Sed hoc in primis est falsum, quia omnis effectus supponit suam causam in *esse* saltem priùs naturâ: forma autem vt prolata integrè, & sensibiliter, est causa gratiæ: ergo productio gratiæ nequit se habere concomitanter ad prolationem formæ secundùm aliquam particulam prolationis. Patet consequentia, quia donec proferatur integrè forma, nequit concipi in *esse*, etiam vt prius naturâ gratia: si verò gratia producatur simul cum prolatione successiua vltimæ particulæ formæ: ergo sunt simul in *fieri* gratia & forma ipsa, quia donec compleatur prolatio formæ, nunquam concipitur forma in facto *esse*: ergo neque vt causa priùs naturâ suo effectu.

*Euasio refellitur.*

*Donec compleatur forma, non est.*

19

*Imaginatio fallax & non cohærens.*

Imaginatio autem hæc, quæ est de motu, & suo termino nequit trahi ad causam, & effectum, quia sicut motus est actus productiuus termini, sic etiam terminus simul mediante motu fit successiuè, sicut ipse motus, vt patet in calefactione & calore, quia motus nequit esse, aut concipi sine suo termino, à quo specificatur; causa autem supponitur ad effectum in completo *esse*, nec ab eo specificatur, neque dependet in vllo genere, sed è contra.

*Solutionis vanitas.*

Secundò peto quid saluet dicere gratiam produci in tempore determinato, aut indeterminato vltimæ prolationis magis, quàm si dicatur produci toto tempore prolationis, atque per alterum? perinde etiam sequitur effectum Sacramenti supponi ad formam, quia donec cõmpleatur quælibet pars substantialis formæ, non est forma in sensu sacramentali, qui vt completus præexigitur ad effectum; quia, vt dicitur, significando causat, & continet suum effectum. Vnde sicut ponendo corpus, nisi ponatur anima vnita, non ponitur homo; sic ponendo quascumque formæ particulas donec ponatur vltima substantialis, non ponitur forma, vt est causa Sacramenti, aliàs enim sublatâ illâ particulâ maneret forma, & effectus eius, quod est falsum.

Sequela tamen probatur, quia si gratia producitur, quoad aliquem gradum sui, aut se totum antequam compleatur integra prolatio, & sit ille gradus productus in prima parte temporis determinati, aut indeterminati, *A*, pars autem formæ, quæ in sequenti profertur *B*: tunc *A* supponitur ad *B*: ergo subtracto *B*, manet *A*. Et sic manet subiectum sanctificatum per illum gradum quantumlibet minimum: ergo virtute formæ vtrumque rectè sequitur, quod est absurdum: vnde sequitur vtramque solutionem magis ludere in verbis ambiguis desitionis, & inceptionis entis successiui, quàm sustinere fundamentum oppositum, aut euacuare difficultatem.

20

*Significatio forma tota simul, & non successiua.*

Quod patet tertiò, resumendo quod suprà præmissum est de significatione formæ, quia licèt forma quoad sonum materialem, (qui est fundamentum remotum significationis, & efficaciæ sacramentalis, quam habet ex instituto Christi,) sit successiua; quantùm tamen ad significationem complexam, quæ est ex partibus, prout se mutuò determinant, non est successiua,

*Sensus formæ non est significatio partium.*

cessiua, sed permanens, & tota simul: quia hæc significatio propositionis non est aggregatio partium seorsim sumptarum, quoad id, quod absolutè significant, hoc enim materiale est. sed consistit in vnione prædicati ad subiectum, secundùm limitationes adiunctas, & determinationes: ergo non ponitur sensus completus, qui est fundamentum efficaciæ sacramentalis, nisi in instanti completæ prolationis, in quo partes se mutuò determinantes integrè receperunt *esse*, & pro quo sensus completus formæ haberi primùm potest in aliis, & de quo instruendi sunt recipientes Sacramentum, vt suprà exposuimus ex Patribus; quia instructio, quæ ex forma Sacramenti haberi potest, tum primùm incipit, quando forma est completè prolata: tunc autem non est forma secundùm suum *esse* reale, quia transiit completâ prolatione: ergo nequit tunc causare aliquid physicè ex Maiori suprà præmissâ.

21 *Refutatio aliorum.*

Respondent alij ad idem argumentum, concedendo totum quod prætenditur, nempe effectum Sacramenti causari in instanti suppositâ prolatione; sed aliter, & aliter: nam quidam dicunt in instanti extrinseco, in quo verum est dicere, iam prolatio non est, aut forma Sacramenti, & ante hoc immediatè fuit: & ita

Soto. respondet Sotus *in 4. distinct. 9. quæst. 2. articulo 7.* & declarat exemplo in generatione substantiali: nam calefactio, per quam producitur forma ignis, tunc producit formam ignis, quando in instanti extrinseco iam non est motus.

Hanc responsionem non omnes approbant, & meritò, quia neque exemplum est verum, neque est par ratio, eo etiam admisso: nullus enim ad hunc modum philosophatur, vt motus sit causa efficiens alicuius termini, vt principium *quo*, vel *quod*, sed via in terminum, seu actus productiuus: neque vllus vnquam dixit formam substantialem produci per motum calefactionis tanquam causam efficientem, sed vel à calore, vel à forma ignis generantis, iuxta varias in hac quæstione sententias: & dato, vt dixi, opposito, motus calefactionis relinquit post se calorem in subiecto, mediante quo, (vt quidam volunt,) efficitur forma ignis, tanquam virtute proximâ; vel certè vt dispositione vltimâ necessitante ad formam ignis, determinatur eius productio à quacumque causa fiat, siue vniuersali, siue particulari.

*Motus non est causa termini vt principium.*

*Non generatur forma ignis per calefactionem.*

Sed prolatio formæ præterita nihil post se relinquit reale, per quod causaret effectum, vel ad illum determinaret; & quod præteritum est, comparatum ad instans præsens producendi effectus perinde se habet, ac si nunquam existeret, quia tam propriè non est, sicut quod nunquam extitit, vel futurum erit quantùm ad præsens: ergo etiam æquè repugnat ipsi causare physicè, sicut ei quod nunquam extitit.

22 *Refutatio aliorum.*

Respondent ergo alij, quòd per instans prolationis intrinsecum producitur gratia, vt saluent aliquo modo existere Sacramentum, quando producit effectum. Ad propositum huius adducunt illud principium philosophicum, nempe, quòd in omni motu versùs finem detur aliquod *mutatum esse*, terminans motum, in quo vltima pars formæ producitur in instanti: sic ergo contingit in prolatione dari aliquod *mutatum esse* eius in quo causatur gratia.

*Produci in vltimo mutato esse prolationis.*

Hanc responsionem fusè impugnat Vasquez *Impugnatur.* suprà: nos breuiùs incedemus; nam ipsa se prodit: quare enim non recurrunt ad instans extrinsecum sicut prior, nisi quòd putent necessarium esse, vt Sacramentum existat, quando causat? ergo sit illud *mutatum esse*, prolatio consonantis, aut vltimæ literæ, modò hæc ipsa fiat in instanti: ergo tota virtus causandi formæ, vel Sacramenti, est in illa sola litera: ergo si sola esset, etiam causaret, quod est paradoxum. Probatur vtraque consequentia, quia hæc sententia ideò inducitur, vt saluetur causam existere, quando effectus causatur: ergo quidquid non existit Sacramenti, non facit ad actionem productiuam effectus, quia neque in se, neque in aliquo quod post se relinquit tanquam causato physico, quæ esset virtus eius.

Dicere autem quòd litera, vel syllaba, quæ 23
non sunt significatiua, sit forma Sacramenti, alienum est à sensu Ecclesiæ: redit ergo argumentum priùs factum. Completa significatio formæ non consurgit ex illa litera, neque ex vnica dictione, neque ad eius substantiam magis facit vltima, quàm prima, vel media dictio: vnde si fieret mutatio substantialis circa primam dictionem substantialem, vel non proferretur sensibiliter, quantumcumque reliqua manerent, nullus effectus sequeretur: ergo si forma causat, vt significatiua est, repugnat virtutem causatiuam formæ contrahi ad vltimum mutatum esse prolationis.

*Euasio non conducit.*

*Qualibet pars formæ substantialis requiritur.*

Et si dicas, quòd successiuum existat per *Vltimum mutatum est terminus motus, non pars.* partes tantùm, nihil iuuat, quia nunquam aliquis dixit motum esse per vltimum *mutatum esse*, in quo verum est dicere, iam non est motus, ante hoc immediatè fuit. Quòd si etiam motus nihil post se relinqueret, sed terminus eius transiret cum ipso motu per illud vltimum *mutatum esse*, non esset verum dicere, aut motum, aut terminum motus existere; verbi *Exemplum.* gratiâ, si motus calefactionis, & calor productus transiret, manente tantùm illo gradu indiuisibili, qui per *mutatum esse* acquiritur in instanti; æquè falsum esset dicere, quòd calor vt octo existeret pro illo instanti, sicut & motum pro illo instanti esse.

Sed ita contingit in motu locali, qualis *Applicatur.* est verberatio aëris, & in sono causato, quæ est prolatio formæ, vt simul transeat: ergo falsum est dicere formam, aut Sacramentum esse pro illo instanti *mutati esse*, quod terminat motum prolationis extrinsecè: quod confirmari potest ex Philosopho *de sensu & sensato, dubitatione penultimâ*: multiplicatio soni & sensatio non fit nisi in tempore. Accedit quòd Sacramentum existat principaliter ante illud *mutatum esse*, quia consistit in motu, & in *fieri*, seu vsu, & tunc maximè habet suum effectum naturalem: deinde fieri potest vt forma, verbi gratiâ, Baptismi, finiatur ante finitam lotionem, quid tandem fiet? Sed dicta sufficiant: manet ergo consequentia quòd Sacramenta nequeant physicè causare suum effectum; sit gratia, sit aliud.

Philosoph. *Multiplicatio soni in tempore fit.*

*Item in aliquo Sacramento, scilicet Eucharistia, non videtur illa causalitas esse possibilis*, &c. Hæc est 24

*Tertia ratio principalis.*

tertia ratio Doctoris contra prædictam opinionem, quam ipse clarè deducit in litera. Respondet tamen Vasquez hoc argumentum non vrgere, prout illud ex Richardo adducit : quia nempe illi admittunt ornatum illum ne concedant Sacramenta concurrere ad gratiam quæ creatur ; corpus autem Christi non fit in Eucharistia per creationem.

*Specialis difficultas de Sacramento Eucharistiæ.*

Cæterùm ratio vt à Doctore exponitur, est conueniens, & tollit omnem causalitatem physicam Sacramenti respectu effectus huius Sacramenti : quia transubstantiatio æquè, aut magis exigit virtutem infinitam, quàm creatio, inquit Doctor : ergo æquè est actio Dei propria, sicut creatio. Antecedens patet, quia dubium est inter aliquos an possit creatura assumi vt aliquid crearet, siue vt causa principalis, siue vt instrumentalis, saltem independenter à materia, sed de transubstantiatione, nulla subest ratio dubitandi ; quia hæc nequit attingi ab aliqua causa, in cuius potestate non est terminus vterque *à quo*, & *ad quem* ; neuter horum est in potestate creaturæ, quia Christum ponere indiuisibiliter sub speciebus, nequit creatura quantumcumque eleuata, quia virtus ipsi communicata est creata, & supponit subiectum, & tantùm agit ad modum naturalem essendi effectûs, vel agere potest : hìc deest subiectum proportionatum, quia vel esset Christus secundùm naturalem modum essendi præsuppositus ; & hoc non, quia vt sic, vel reproducitur totus, vt aliqui volunt sub speciebus, per actionem substantialem, quæ actio æquiualet creationi quoad hoc ; excedit quoad supernaturalem essendi modum, quem tribuit Christo & indiuisibilem : vel ageret actione adductiuâ, & sic nequit agere in subiectum extensum, nisi motu extenso per modum suscipientis recepto, & per mutationem prioris loci, vt per se constat : ergo nequit fieri terminus *ad quem*, transubstantiationis sub potestate creaturæ.

*Transubstantiatio similis creationi.*

*Excedit creationem.*

*Nequit subesse creatura terminus ad quem.*

25

Idem probatur de termino *à quo*, quia creatura nequit agere ad corruptionem alicuius, nisi inducendo formam incompatibilem in eodem subiecto, & corrumpendo dispositiones, quibus conseruatur forma corrupti : in proposito substantia panis & vini desinunt totaliter, quantùm ad *esse* substantiale ; quæ desitio æquiualet annihilationi. Et si dicas per separationem accidentium sequi hanc desitionem ex natura rei, parum refert : nam præterquam quòd hoc falsum esse infrà suo loco probabitur, nihil iuuat, quia separare accidens à subiecto, & conseruare separatum in *esse*, ab ea causa solùm fieri potest, quæ eminenter includit in sua potestate genus causæ materialis, & aliàs posset sine subiecto producere accidens ; sed hoc est Dei : nam ad hanc rationem vltimatè reducitur fundamentum, ex quo negatur creaturam posse aut principaliter, aut instrumentaliter attingere immediatè effectum creationis.

*Separare accidēs, & conseruare separatum solus Deus potest.*

26

*Creatura nequit in transubstātiationem.*

Ex his ergo patet creaturam non posse attingere transubstantiationem immediatè actione physicâ : ad quod probandum sufficit altera harum rationum : quia si nequit attingere terminum *ad quem*, nequit attingere terminum *à quo* ; & si nequit terminum *à quo* attingere, aut dare *esse* separatum accidentibus, nequit attingere terminum *ad quem* : ergo ratio Doctoris optimè concludit ; ac proinde, vt præfati authores saluent efficientiam Sacramenti in genere, iuxta sua principia, debent recurrere in hoc Sacramento ad aliquam dispositionem præuiam, & necessitantem ad *esse* effectus sacramentalis : quâ autem apparentiâ adstrui posset talis dispositio, viderint ipsi, & quod eius subiectum. In corpore Christi esse nequit, siue secundùm modum naturalem essendi, siue secundùm modum essendi sacramentalem, quia primum est distans ( non datur autem secundùm ipsos actio in distans ) neque cum vlla apparentia id affirmari potest ; ideò non indiget impugnatione, donec videatur ad quæ principia talis modus philosophandi reduci posset.

*Nulla præuia dispositio, aut ornatus necessitat ad esse Christi in Sacramento.*

Non secundum, quia sic non esset dispositio præuia necessitans ad talem modum essendi, qui est terminus, ad quem disponit ; non in speciebus, quia sic esset aliqua qualitas materialis inhærens ipsis vt subiecto, ac proinde non necessitaret ad separationem specierum à subiecto, qui est modus connaturalis essendi ipsarum ; accidens autem inclinatur ad suum subiectum hoc modo, à quo dependet : non est substantia panis ex eadem ratione, quia non necessitaret ad *non esse* panis ; dispositio enim necessitans videtur semper coniungi, & perseuerare cum termino ad quem necessitat ; ac proinde, si est accidens, exigere permanentiam subiecti à quo dependet ; non essent verba consecrationis, quia illa sunt causa effectiua in ordine ad aliud in quo producunt dispositionem illam, vt patet in aliis Sacramentis, iuxta hanc sententiam. Deinde non sunt verba, vt probatum est argumento præcedenti, quia non sunt quando dispositio illa causatur.

*Nullum subiectum assignari potest.*

Accedit vlteriùs seruando proportionem cum aliis Sacramentis, dispositionem causari in subiecto, in quo recipitur terminus, quod in hoc Sacramento nullum est, quia terminus est subsistens : ergo repugnat in hoc Sacramento saluari efficientiam illam physicam respectu termini, aut alicuius præuij : sed æquè propriè Sacramentum hoc causat suum effectum sicut reliqua sacramenta : ergo efficientia sacramentorum non est reducenda ad physicam, hoc modo.

d *Quartò arguitur quòd ista opinio ponit pluralitatem sine necessitate*, &c. Hìc ponit quartam rationem contra prædictum ornatum & dispositionem, quia superfluè ponitur contra doctrinam Philosophorum 1. *Physic. textu* 50. & 3. *de Anima textu* 60. & 8. *Physic. textu* 48. & 1. *de Cœlo, text. comm.* 32. Videtur, inquit, pura fictio talem in Eucharistia asserere. Item, in Sacramentis quæ imprimunt characterem, sufficit ex communi opinione Theologorum ipse character, vt recedente fictione detur effectus, & ideò Sacramentum est initerabile : in Pœnitentia autem recedente fictione nihil est, quod det effectum principalem, aliàs non esset necessarium sic fictum de iisdem peccatis iterum confiteri, &c. Circa hanc vltimam instantiam erit controuersia infrà in materia de Pœnitentia, *Vtrùm* scilicet, *Pœnitentia sit valida informis ?* Casus autem præsens formari potest cum circumstantia, quòd non adsit bona fides : & supponendo, ex Tridentino & Florentino, Sacramentum Pœnitentiæ primariò consistere in absolu-

27

*Quarta ratio principalis ex superfluitate.*

absolutione, quæ est actus iudicialis, de quo infrà d. 14. q. 4. in eo casu videtur, quòd absolutio causaret in ficto hanc dispositionem, etiam accedente malâ fide, quia bona fides nihil supplet per se requisitum ad Sacramentum essentialiter, sed excusat à peccato accedentem cum defectu: quod ergo absolutio nata esset facere stante bonâ fide, cum defectu videtur posse facere aliàs. Fortè casum non admittent aduersarij: loquitur ergo Doctor ex propria sententia, quem alij etiam sequuntur: aliàs tamen facilè hæc ratio confirmari potest ex significatione expressa, & formali formæ, quâ absoluit à peccato, quia est materia circa quam versatur, qui sensus non refertur ad illum ornatum tantùm, quia sic forma non caderet directè, tanquam actus iudicialis super peccatum: significatio autem practica formæ colligitur ex significatione speculatiua ipsius, quam habet ex proprietate verborum: ergo refertur ad peccatum immediatè, non ad aliquid prius.

## SCHOLIVM.

*Refutat responsionem D. Thomæ ad secundam quæstionem, quatenus ponit virtutem supernaturalem in Sacramentis. Primò, quia illa non esset tota in toto, & quâlibet parte Sacramenti, nec tota in toto, & pars in parte. Secundò, non esset in qualibet syllaba, nec in vna aliqua determinata. Tertiò, non est assignare quando infunderetur, quia non in applicatione Sacramenti, nec antè. Quartò, non sunt plura ponenda, quàm quæ fides, vel ratio docent.*

8 *Reprobat opin. D. Th. Virtus supernaturalis quomodo esset in Sacramento.*

Contra [e] opinionem istam, quantùm ad secundam quæstionem, arguo sic primò: Illa virtus supernaturalis si sit in Sacramento, aut est ibi indiuisibiliter, id est, aut tota in toto, & tota in qualibet parte: aut tota in toto, & pars in parte. Non primo modo, quia inter omnes formas perficientes materiam, sola intellectiua ponitur talis: non secundo modo, quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contra rationem virtutis spiritualis.

Item, in Sacramentis communiter requiruntur verba multa (vt patebit inferiùs) vel ergo in qualibet syllaba esset eadem virtus omnino; vel in alia esset alia & alia virtus. Si primo modo, oporteret dicere, quòd idē accidens migraret de subiecto in subiectū, & maneret postquam subiectum deficit. Si secundo modo, sequeretur, quòd Sacramentum consistens in tota oratione, non haberet aliquam virtutem vnam. Et si dicas quòd habet aliquam virtutē aggregatam ex multis virtutibus multarum partium; hoc improbatur per argumentum tertium contra opinionem ad quæstionem præcedentem. Non enim esset dare, quæ istarum virtutum esset principium causandi illum effectū spiritualem in anima, nec videtur probabile, quòd Sacramētum vnū formaliter (cùm huius ratio formalis sit ex ratione virtutis supernaturalis) habeat tot virtutes supernaturales aggregatas.

9 *Virtus illa nō daretur ante applicationem Sacramenti, nec pòst.*

Item [f], quæro quando ista virtus supernaturalis causatur in illo sensibili pertinente ad Sacramentum? Aut ante applicationem ad actum, siue vsum: aut in ipsa applicatione. Si antè, ergo causatio eius est purè miraculosa, quia est per actū diuinum, & non per aliquam dispositionem perpetuam, siue firmatā cum Ecclesia: nā non sequitur ad aliquid per quod possit dici quasi consequens naturaliter sine miraculo, sicut

e *Contra opinionem istam quantùm ad secundam quæstionem*, &c. Responsionem D. Thomæ, quantùm ad secundam quęstionem, impugnat quatuor rationibus. Prima est, quia illa qualitas supernaturalis, vel esset tota in toto, & tota in qualibet parte, per modum qualitatis spiritualis: sed hoc nequit dici, quia animæ intellectiuæ sic tantùm competit esse in subiecto materiali: vel esset totā in toto, & pars in parte, & sic non esset qualitas spiritualis, quia extenderetur per accidens ad extensionem subiecti.

28 *Impugnatio contra secundam sententiam suprà expressam. Prima est ex subiecto illius virtutis impressa.*

Deinde si esset in subiecto hoc secundo modo, repugnat ipsi producere per modum causæ totalis ornatum in anima; quia ex Augustino 12. *super Genesim ad literam*, agens est perfectius passo. Quod ratione patet, quia agens est in actu, passum verò in potentia & priuatione: vnde colligit Augustinus corpus non agere tanquam causam totalem in spiritum: & hinc concedunt Philosophi intellectum agētem in anima distinctum à possibili, ne admittatur obiectum materiale se solo agere immediatè in animam. Quòd verò talis qualitas ponatur in Sacramento, vel hoc esset, vt sub illa qualitate esset causa principalis, sicut aqua calida est causa calefaciendi. Patet hoc, quia virtus illa, quâ constituitur Sacramentum in *esse* actiui, immediatè se solâ attingit ornatum illum per modum, quo causæ secundæ attingunt suum effectum; nec refert quòd illa non sit permanens, quia id ipsi competit tantùm ex voluntate primi agentis, vel ex natura subiecti, quod non est permanens, sed transiens. *Agēs est perfectius passo.*

Vndę si poneretur in Sacramento Eucharistiæ, (quod solùm ex reliquis est permanens,) illa etiam virtus esset permanens, quia per eam conseruaretur res Sacramenti; verbi gratiâ, Christus sub speciebus, qui effectus est permanens. Neque negari potest hanc continuatam, & permanentem existentiam sub speciebus esse dependentem à speciebus, quia ex corruptione specierum tanquam causâ, desinit Christus esse sub speciebus, & consecratione specierum conseruatur.

Hæc ratio confirmabitur ampliùs per sequentem: nihil enim iuuat, si dicas illam virtutem esse intentionalem, quia id non tollit, quin sit extensa & materialis, vt opponitur spirituali: licèt dicatur intentionalis magis spiritualis ex distinctione ad obiectum cuius est in propria existentia.

ſicut de animatione. Si verò cauſetur in applicatione ad vſum, videtur inconueniens: nullum enim inſtrumentum formaliter eſt ideò aptum ad vſum, quia aliquis vtitur eo, vt inſtrumento. Patet hoc inductiuè, & ratione: nam idoneitas inſtrumenti præcedit naturaliter vſum inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt: non enim quia immergo puerum, ſiue vtor aliquo ſenſibili ad actum Sacramenti, ideò recipit illam virtutem ſpiritualem: non eſt ergo dare, quando recipiat.

Vltimò arguitur 8 ſicut priùs, quòd hinc ponitur pluralitas ſine neceſſitate: non enim patet aliqua neceſſitas talis virtutis, quæ fingitur in Sacramento, neque ſecundùm rationem naturalem, manifeſtum eſt, neque ſecundùm fidem: quia ſicut ſequenti rationem naturalem, non ſunt ponenda plura, niſi quæ ratio naturalis concludit; ita ſequenti fidem non ſunt ponenda plura, quàm veritas fidei requirat. Veritas autem fidei non requirit ponere talem virtutem ſupernaturalem in aqua, vel in verbis, vt patebit inferiùs: nec aliqua ratio cogit ad iſtam pluralitatem: ergo, &c.

*Nõ ſunt plura ponenda, quàm ratio, vel fides docens.*

10 *Reijcit exempla D. Thom. allata n. 3.* Exempla, quæ adducta ſunt de virtute receptâ in inſtrumento, non concludunt. Primum de ſenſibili ſermone accipit manifeſtè falſum: nam ſermo audibilis, non habet in ſe formaliter aliquam intentionem animæ; quod probatur, quia ſermo non impoſitus ad ſignandum, nullam talem formam habet in ſe; patet hoc omnibus: per impoſitionem autem non recipit aliquam abſolutam formam, nec relationem, niſi fortè rationis. Hoc etiam probatur aliter, quia eodem exiſtente agente principali, & inſtrumento ſufficiente, ſequitur eadem actio: ſed ſi Latinus proferat verba Latina Græco, idem eſt agens principale, & inſtrumentum, quod eſſet, ſi loqueretur alij Latino, tamen non ſequitur effectus, quia nullus conceptus cauſatur in Græco audiente: ergo ille ſermo non erat inſtrumentum ex ſe, ad cauſandum animæ conceptum in audiente.

*Sermo nihil cauſat phyſicè reſpectu ſignati.*

*Quomodo ſermo excitat ad conceptum rei ſignificatæ?*

Fallit ergo exemplum, pro tanto, quòd ſermo audibilis eſt ſignum rememoratiuum reſpectu conceptus, ita quòd factâ immutatione ſenſus ab ipſo ſermone, & vlteriùs intellectâ naturâ eius, inquantùm talis natura eſt, intellectus cognoſcens ipſum eſſe impoſitum ad ſignificandum talem naturam; ex collatione eius ad illud aliud, intelligit illud aliud,

Secunda ratio, vel illa virtus vt afficit formam verbalem Sacramenti, eſſet eadem in qualibet, verbi gratiâ, ſyllaba; ſed hoc non, quia ſic maneret poſtquam deſinit ſubiectum, & migraret de ſubiecto in ſubiectum, quia deſinente primâ ſyllabâ, maneret & tranſiret in ſecundam, niſi fortè dicas toties deſinere & reproduci, quoties oratio deſinit, & producitur ſucceſſiuè per ſuas partes tranſeuntes; quod eſt imaginarium, nihilque ſaluat, vt probabitur. 29 *Secunda ratio ad idem. Non eſſet in forma verbali.*

Vel eſſet alia & alia virtus in alia, & alia ſyllaba; & ſic non haberet Sacramentum aliquam virtutem vnam. Si dicas eſſe vnam integritate: contrà facit argumentum tertium contra primam opinionem, intelligit tertiam probationem factam in ſecundo argumento, quæ perinde in propoſito eandem habet efficaciam: quia dignoſci non poſſet quæ illarum virtutum cauſaret illum effectum in anima, quod patet ex dictis. *Reſponſio impugnatur*

Et confirmatur, quia illa virtus non eſt actiua, quæ nunquam poteſt habere effectum: ſed virtus, quæ eſſet in omnibus & ſingulis partibus formæ, nunquam habet effectum, vel habere poteſt, quia deſinit antequam compleatur vltima particula prolationis, donec autem compleatur vltima prolatio formæ, non producitur effectus eius: ergo, &c. *Confirm.*

Aliud etiam inconueniens adiungit Doctor; nempe improbabile eſſe Sacramentum vnum formaliter habere tot virtutes ſupernaturales aggregatas: & rationem inſinuat, quia conſtituitur formaliter per ipſam virtutem ſupernaturalem vnum. 30 *Alia ratio.*

Cuius rationis vis in hoc conſiſtit: Sacramentum formaliter conſtituitur per virtutem, quam habet cauſandi effectum; quia eſt ſignum practicum (loquendo de eo ex inſtituto præſentis quæſtionis, vt omnes admittunt:) ergo debet habere vnam rationem ſimplicem cauſandi, ſicut eſt ſimplex effectus. *Confirm. Explicatur.*

Dices, quòd materia Sacramenti habet virtutem cauſandi, & forma etiam aliam virtutem propriam, & ex vtroque integratur vnum Sacramentum integraliter. Reſpondetur, quòd hoc negari poſſet, vt infrà negat Doctor, probabiliter explicans definitionem Magiſtri, quam tradit de Baptiſmo, vt ſupponit pro materia tantùm, vt ſubiecto ſignificationis ſacramentalis, reliqua autem vt forma exiguntur, vt circumſtantiæ requiſitæ. Sic etiam in Sacramento Pœnitentiæ ſignificatio ſacramentalis eſt in forma, quaſi materia circa quam accedunt reliqua. *Obiectio. Soluitur.*

Poteſt ergo ſic explicari hic paſſus, vel vt tam verba, quàm res per modum vnius fundamenti concurrant, & ſignificatio ipſa in ſe ſit ſimplex, éſtque conforme iis quæ dicit quæſt. 2. huius, num. 9. §. *Vltimò dico*, &c. & infrà, agens de definitione Baptiſmi, non quòd ſit alia ſignificatio partialis integralis in vno, altera in altero (quia ſic vnum ſine altero conferret effectum, ſicut in Sacramento Euchariſtiæ vna ſpecies conſecratur ſeorſim; vel in extrema Vnctione, quidam dicunt quamlibet integralem vnctionem conferre ſuum effectum & diuerſum) ſed quòd integrent vnum materiale, vt ſubſunt eidem formali ſignificationi; quod de facili ſaluatur in noſtra ſententia, in ſententia tamen aduerſatiorum non ita; quia *in eſſe* rei faciunt diuerſa, & non vnum ſubiectum: quidquid aliqui fingant de compoſi 31

aliud, non ita quòd sermo per aliquam formam causet conceptum de aliqua re, sed sermo est prævius ad conceptum de re, de qua causatur per propriam speciem rei, vel phantasma in anima. Quod patet, quia quantumcunque sermo proferretur, si audiens non haberet in se speciem rei prolatæ, nullus conceptus causaretur in eo, de illa re. Vnde per voces non intelligimus res, nisi quarum habemus species: sed quòd actualiter eas consideremus, hoc est, propter collationem signi ad signatum.

*Serra nihil accipit quod sit effectiuū, quia tātùm habet figurā, quantitatem, motum.*

Secundum exemplum de instrumento artificis, non concludit. Valde enim improbabile videtur, quòd aliqua forma toties causaretur in serra, quoties mouetur ab artifice: & toties desinat esse, quoties desinit actu moueri. Tertium exemplum de motu non cogit, quia quomodocunque substantiæ causentur à cœlo, saltem motus localis cœli, non potest esse formale principium producendi eas. Et similiter de quarto exemplo de generatione animalium: quære 2. *lib. dist.* 18.

11 Est & alia opinio ad primam quæstionem. quære in Henrico *Quodlib.* 4. *q. vlt.*

Additio. *Nota quòd Henr. vbi suprà triplicem opinionem ponit de Sacramentis in comparatione ad gratiam. Prima est, quòd non est ponenda quæcunque virtus supernaturalis in Sacramentis nouæ legis, ad creandum gratiam: sed Deus ex pacto suis assistit Sacramentis, & in collatione suorum Sacramentorum per assistentiam causat gratiam. Secunda opinio est, quòd Sacramenta nouæ legis cooperantur ad gratiam, non sicut per se agens, & per formam in se existentem, sed sicut instrumentum motum ab agente per se: & his duabus opinionibus remotis, ponit tertiam, quæ sua est, & est talis: Sacramenta nouæ legis dicuntur causa gratiæ, non quia causent eam vllo modo plus quàm Sacramenta veteris legis: sed quia sunt contentiua illius, quod est causa gratiæ: aut realiter sicut Sacramentum Eucharistiæ, in quo continetur realiter humanitas Christi coniuncta diuinitati: ideò dicitur maximè contentiua gratiæ, & effectiua: aut virtualiter, sicut Sacramentum Baptismi, quod scilicet in virtute sanguinis Christi, dicente Apostolo Rom. 6.* Quotquot baptizati sumus, *in sanguine eius baptizati sumus. Et dat exemplum de diuinitate Christi, coniuncta eius humanitati, quæ operabatur mirabilia: vnde, & huic dicuntur Sacramenta nouæ legis, vasa gratiæ. Et differt, vt videtur, hæc opinio à prima, ad minùs verbaliter, quia prima dixit per assistentiam gratiæ, hæc verò per insistentiam, &c.*

*Contra istam opinionem. Deus non est aliter secundum* compositione quasi actûs, & potentiæ inter res & verba.

*Vis argumenti.* Hoc ergo est quod putat Doctor improbabile, nempe diuersas virtutes, & tot esse in Sacramento ex ratione iam præmissa: quod necessariò tamen dicendum est, si virtus hæc, in qua consistit significatio formalis Sacramenti, sit realis, quia sic alia erit in verbis, alia, verbi gratiâ, in aqua & lotione; & sequetur, si lotio præcedat integram prolationem formæ baptismalis, quòd conferet effectum gratiæ, & deletionis peccati, quia virtus efficax non frustrà applicatur, quod est falsum, quia sine inuocatione Trinitatis nequit quis validè baptizari. Vnde verificatur illud vulgare Augustini, *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*; antequam ergo accedat, non fit Sacramentum.

32 *Secundò explicatur.* Responderi potest secundò, interpretando Doctorem præcisè de ipsa forma, de qua differit, in qua tot virtutes partiales dare, videtur inconueniens ex confirmatione præmissa. Deinde, vt suprà præmissum est, in secundo argumento, forma non habet effectum, donec compleatur eius prolatio: ergo quidquid est in ipsa, priùs desinit, quàm habeat effectum, & sic frustrà ponitur. Neque dici potest, quòd vna particula permanens in virtute alterius desinentis, causet effectum, quia non in virtute illius est significatiua, aut integrans formam, sed ex institutione & ratione propria, cùm sit æquè essentialis: ergo neque in virtute alterius causat.

*Confirmatur ratio præmissa.* Confirmari potest tertiò totum argumentum; quia, vt suprà dictum est, forma vt est significans ex instituto hominum, est fundamentum significationis Sacramentalis, in qua consistit hæc virtus causatiua eius: sed fundamentum illud, nempe institutio humana non superaddit, nisi denominationem extrinsecam, vel aliquid rationis, & non reale, quidquid illud sit: hoc autem nequit esse ratio formalis subiectandi, aut fundandi aliquam qualitatem realem, quæ sit virtus Sacramenti.

*Forma quà significatiua non est subiectum formæ realis.*

33 *Ex defectu virtutis realis.* Deinde illa qualitas est vna, quia principium formale producendi vnum, & simplicem effectum in anima: sed oratio in *esse* rei & vocis, non est vna, nequidem integraliter, quia quot sunt voces & soni diuersi, tot sunt entia diuersa, quæ nullum ordinem ad se inuicem dicunt, nisi tantùm prolationis, quâ vna vox post aliam edatur; & hic ordo non est essentialis, neque dependentiæ vnius dictionis in *esse* rei ab alia: ergo solùm dicunt vnitatem significationis, quæ vnitas est rationis tantùm: sed accidens supponit vnitatem sui subiecti, à quo dependet: non potest enim dependere simul à duobus naturaliter tantùm, quod perinde etiam verum est de potentia absoluta Dei ex principiis Doctoris: ergo in forma neque materialiter, neque formaliter inuenitur ratio subiectandi talem qualitatem: destructo autem subiecto, destruitur accidens: ergo nulla hîc imaginari potest cum fundamento qualitas supernaturalis realis, quæ sit principium agendi, sicut nec subiectum reale eius.

*Accidēs supponit vnitatē sui subiecti.*

f *Item quæro*, &c. Hæc est tertia ratio Doctoris talis, vel illa virtus causatur in signo sensibili ante vsum & applicationem eius, vel in ipsa applicatione: si primum, ergo causatio eius est purè miraculosa. Patet consequentia, quia fit per actum diuinum, sine præuia dispositione perpetua, aut stabili cum Ecclesia, ad quam naturaliter sequere-

34 *Tertia ratio principalis.*

*ſecundùm eſſentiam, præſentiam, & potentiam, in Sacramento, quàm in alio corpore: ergo ſi ponatur aliter, hoc non eſt niſi ad aliquem effectum cauſandum. ſed quod ſic ſit ibi, non poteſt eſſe per aliquam cauſalitatem Sacramenti. Sacramentum autem nullo modo eſt cauſa Deum determinans ad cauſandum effectum ſibi proprium: ergo tantum eſt ibi hoc modo, aliter quàm in alio corpore, ex determinatione propriæ voluntatis, quâ diſponit ſic operari. Hæc autem diſpoſitio manifeſtata Eccleſiæ, dicitur promiſsio, vel pactio: ergo nihil aliud dicit iſta opinio, quàm illud de opinione alia, ſcilicet, de pactione.*

tur, ſicut animatio ad corpus: ſi in ipſa applicatione videtur inconueniens: nullum enim inſtrumentum ideò eſt aptum formaliter ad effectum, quia quis eo vtitur, quia aptitudo inſtrumenti præcedit vſum eius naturaliter: non enim quia immergo puerum, ſiue quia vtor aliquo ſenſibili ad actum Sacramenti, ideò recipit virtutem, non eſt ergo dare quando recipiat, &c.

Videtur hæc ratio non concludere, quia etiam ipſe Doctor admittit Sacramentum eſſe inſtrumentum cauſandæ gratiæ, & eſſe diſpoſitionem præuiam, vel cauſam moralem gratiæ, & ſic ratio adducta, vel non vrget aduerſarios, vel perinde ad eandem reſpondere cogitur. Diceretur ergo quòd ſicut res illa ſenſibilis ex natura rei, & ſecundùm propria, non habet cauſare effectum ſupernaturalem: ſed ex virtute extrinſecùs adueniente, ſiue moralis ſit, ſiue realis, perinde ineſſe vnam & alteram, ſiue ante vſum, ſiue in ipſo vſu: & quod dicitur de vna, dicetur de altera, excepta realitate.

*Obiectio.*

35 *Reſponſio.*

Reſpondetur tamen rationem eſſe vrgentem, procedit enim de inſtrumento phyſico, & phyſicè cauſante gratiam, vel effectum ſupernaturalem per virtutem ſuperadditam: vnde argumentum non eſt directè contra eos, qui negant talem virtutem ſuperaddi, vel eam eſſe innatam, quam vocant potentiam obedientialem: oportet ergo inſtrumentum, quod ſit actiuum per virtutem ſuperadditam, recipere ipſam, antequam attingat effectum, aliàs non eſſet inſtrumentum hoc modo: ſi ergo antequam applicetur, & aſſumatur ad vſum, recipit illam virtutem phyſicam, cauſatur miraculosè, quia ad illam nihil diſponit in natura. Hoc enim eſt cauſare aliquid miraculosè, vt patet ex Doctore *in 3. diſt.* 24. vbi ſimili ratione impugnat opinionem Henrici, qui ſtatuit lumen infuſum medium inter lumen gloriæ, & fidem, ad cognoſcendum credibilia, de quibus habetur fides: vbi ait, ſi Deus infunderet illud non in Baptiſmo, ſed quando quis applicaret mentem ad ſtudium Scripturæ, quòd infuſio eius non eſt miraculoſa: *Quando enim Deus aſſiſtit*, inquit, *vt generalis cauſa ad aliquem effectum cauſandum, ſi natura diſponit, non dicitur miraculosè cauſari, nec illud cauſatum dicitur ſupernaturale, ſed magis naturale, vt patet de corpore organico, & infuſione animæ*, &c. Sic etiam *in 2. d. 9. quæſt.* 2. negat agens naturale diſponere poſſe ad formam ſupernaturalem.

*Argumentum eſt contra eos qui aſſerunt virtutem ſuperaddi inſtrumento.*

*Quid ſit cauſare miraculosè?*

*Quid ſit effectus miraculoſus?*

36 Sumit eodem modo hîc productionem miraculoſam ſimpliciter ſupernaturalem, ad cuius terminum nihil diſponit in natura: intelligit autem diſpoſitionem latè, pro omni effectu priori, qui exigitur ad poſteriorem, ſiue ex natura rei, ſiue ex determinatione cauſæ, verbi gratiâ Dei, vt §. ſequenti, in reſponſione ad primam quæſtionem patet, in fine.

*Effectus ſupernaturales non miraculoſi ſuppoñt diſpoſitionem.*

Vnde excluduntur plures inſtantiæ: quia gratia ſanctificans prima, ſupponit diſpoſitionem hoc modo, nempè Sacramentum in re, vel in voto, cum actu perfectæ charitatis, aut contritionis; fides ſupponit doctrinam, & prædicationem ac reuelationem obiectiuam, augmentum gratiæ & gloriæ, in adultis meritum proprium, iuſtificatio in paruulis meritum Chriſti, & Sacramentum.

*Inſtantia de productione animæ rationalis.*

Et ſi hæc reiicias, reſponde ad inſtantiam de creatione animæ rationalis: quia etſi ad eam detur diſpoſitio ex natura rei, vt communiter dicitur, non eſt tamen diſpoſitio neceſſitatis per ſe ex natura rei, ſecludendo determinationem, & pacto m

ctum cauſæ primæ, quæ determinauit ſupplere vires naturæ, & aſſiſtere ei, vbi virtus eius deficit: alioquin cùm ſit creata; non repugnat, ſuppoſito corpore in omni diſpoſitione perfecta naturali, non infundere animam, aut infuſam ſeparare ſine præuia corruptione corporis.

37 Quòd ſi dicas ſubiectum eſſe capax animæ, non refert, quia ſic ex Auguſtino, & noſtro Doctore, anima noſtra dicit inclinationem naturalem ad formas ſupernaturales, vt ſuo loco videbitur. Diſpoſitio itaque ex parte ſubiecti dicit determinationem eius ad recipiendam formam ab agente, quia includit impedimentum: ideò autem dicitur neceſſitans reſpectu agentis, vel quia agens ex forma ſua eſt determinatum ad actionem in ſubiecto capaci, & ſine impedimento applicato, vt eſt agens naturale: vel, ſi eſt liberum, iam determinatur ex ſuppoſitione prioris actus ſuæ voluntatis, quæ infert neceſſitatem ſecundùm *quid*. Sicut autem Deus, vt author naturæ, ex pacto aſſiſtit cauſis naturalibus, vbi deficit earum virtus, & perfectio naturæ, vt procedit à ſuo authore, quæ exigit formam: ita etiam, vt author ſupernaturalium, diſpoſuit ordinatè media ſubleuandi hominis ad ſuum finem, quibus ſimiliter ex pacto aſſiſtit: & ſicut in his ex prouidentiæ diuinæ mera diſpoſitione ſeruatur ordo prioris, & poſterioris, ita prius ad poſterius diſponit, vt non contingat de potentia ordinaria poni ipſum ſine ſuo priori, vt gloriam ſine merito proprio, vel Chriſti.

*Diſpoſitio quomodo neceſſitans?*

*Diſpoſitio ad ſupernaturalia ex diuina prouidentia.*

38 Per quod explicantur illa verba Doctoris in primo membro huius argumenti, vbi loquens de illa virtute impreſſa ſigno ſenſibili antecedenter ad vſum: *Non ſequitur*, inquit, *quaſi ad aliquid, per quod poſſet dici tanquam conſequens naturaliter ſine miraculo*, &c. ly *naturaliter* intelligitur, non quaſi connexio ſit ex natura formarum intrinſecâ, qualis eſt inter formam ignis & caloris, ſed vt includit diſpoſitionem cauſæ extrinſecæ, & ordinem medij ad finem, vt facilè ex reſponſione ad quæſtionem intelligitur, vbi ſic dicit actionem ſacramentalem eſſe diſpoſitionem priorem ad productionem gratiæ. Quando autem negat alibi cauſam naturalem attingere diſpoſitionem ad gratiam, aut ſimpliciter ſupernaturale, intelligit de diſpoſitione priori modo ex natura formarum, earúmque connexione ſecundùm exigentiam phyſicam.

*Explicatio clauſulæ.*

*Sacramentum eſt diſpoſitio.*

Ad propoſitum itaque ſupponit Doctor eſſe 39 inconue

*Reducuntur dicta ad propositum.*

inconueniens, si virtus illa physica,& actiua, infunderetur signo sensibili ante vsum eius, quia nempe productio eius esset miraculosa, & præter cursum ordinarium diuinæ prouidentiæ, quia esset per actionem diuinam, & non per aliquam dispositionem perpetuam, siue firmatam cum Ecclesia, quod inconueniens est: quia ministerium Sacramentorum spectat ad Ecclesiam: vnde sine intentione eius, quæ saluatur in ministro,nihil fit, vt fides docet, quantumlibet signum sacramentale quoad formam,& materiam perficiatur,& applicetur, quod falsum esset, si in signo sensibili antecedenter ad vsum eius infunderetur virtus,quia causa efficax applicata subiecto capaci,& sine impedimento causat suum effectum:intentio autem Ecclesiæ,seu ministri,non antecedit vsum,sed concipitur simul cum vsu, & exprimitur in ipso vsu,quia est applicatio Sacramenti secundùm institutionem Christi ad effectum suum: ergo eam antecederet talis virtus infusa ante vsum, ac proinde independenter ab ipsa inesset rei sensibili. Deinde esset illa virtus in re sensibili permanens, quia virtus instrumenti transiens est tantùm in vsu,& applicatione: hoc etiam est inconueniens,quia & esset superfluum, & nihil faceret ad efficaciam Sacramenti, neque ad finem intentum,nempe saluterm hominis,quam sub potestate propria constituit: & ideò exigit aliquam dispositionem priorem ad formas supernaturales, vt patet ex dictis,& secundùm potentiam ordinariam.

*Probatur inconueniens allatum.*

*Intentio antecedit vsum Sacramenti.*

*Ad ea esset independens virtus impressa. Esset permanens, & superfluè sic impressa.*

40 *Ratio dubitandi suprà posita soluitur.*

Ex quo patet ad rationem dubitandi suprà allatam,quia in sententia Doctoris sufficit institutio prima Sacramenti,& voluntas Dei assistens,vt coniuncta ad signum sensibile in ipso vsu positis requisitis ad vsum; vt intentione debitâ ministrantis,& etiam consensu recipientis, si adultus est,cum debita applicatione,quæ omnia consummantur in ipso vsu, vel circa vsum Sacramenti: vnde sequitur virtutem illam non antecedere vsum ex hoc capite, & membro dilemmatis. Ex altero autem supponi ad vsum, quia instrumentum physicum debet habere aliquam formam (per quam sit aptum ad vsum) præuiam : si ergo per illam virtutem constituitur res sensibilis, vt apta ad vsum; sequitur eam esse ad vsum præuiam, quia hæc ipsa virtus est ratio formalis, quâ constituitur aptum in esse physico : quod non sequitur in sententia negante Sacramenta esse instrumenta per formam physicam,quia sufficit institutio signi cum talibus circumstantiis, quæ limitantur ad vsum.

*Probatur alterum membrum dilemmatis.*

*Confirmatur à destructione subiecti proportionati.*

Adiungi potest confirmatio suprà facta ex sensu formæ sacramentalis, & natura eius,cui repugnat infusio huius virtutis ante vsum, quia tunc non est : neque in ipso vsu, quia nondum est completa prolatio. Deinde quia non est subiectum proportionatum virtutis, quæ sit qualitas realis,neque in re sensibili potest esse, seu in materia,donec per formam limitetur.

41 *Quarta ratio principalis.*

g *Vltimò arguitur sicut priùs*,&c. Quartò tandem argumentatur ex eo quòd nihil superfluum sit asserendum, quando ratio,aut fides, non exigit ponenda esse plura. Ratio est clara in litera:infrà in responsione ad quæstionem confirmabitur.

*Impugnatio primi exẽpli. Improbatur præsa qualitas in voce.*

Subiungit impugnationem exemplorum', quæ ad probationem oppositæ sententiæ adducta sunt. Primum est in sermone,aut voce,esse quandam virtutem actiuam deriuatam ab anima per modum intentionalis qualitatis, & realis, quâ exprimat conceptus animæ. Impugnatio Doctoris est clara, & secundùm communem doctrinam. Hoc idem impugnat *in 2. dist. 42. respons. ad 2.* vbi etiam explicat quomodo vox causet conceptum : videatur etiam in *1. dist. 27. quæst. 2. §. Ad quæstionem, & quæst. 2. huius distinctionis.*

*Improbatur secundum exemplum.*

Secundum exemplum non subsistit,quia valde improbabile est, quòd aliqua forma toties causetur in serra,quoties mouetur ab artifice,& toties desinat, quoties desinit moueri. Non loquitur hîc de motu,aut impulsu,quem recipit serra à potentia motiua manus,sed de virtute,quæ esset deriuata ab arte, quæ esset principium agendi in serra,& antecedenter, aut concomitanter ad motum, & impulsum se haberet, quia sic intendit D.Thomas,vt patet suprà : & sic etiam facit ad propositum exemplum allatum, vt accommodari possit & virtuti, quæ est in Sacramento diuersa ab eius vsu; & virtuti sermonis quæ diuersa est, per D. Thomam ab ipsa formatione vocis per motum aëris.

*Declaratur ratio præmissa.*

*Obiectio.*

Dices saltem illud inconueniens,quod insinuat Doctor, non videtur vrgere, quia nihil aliud sequitur, nisi quòd illa virtus sit transiens, quod perinde contingit in ipso motu. Respondetur ex principiis D.Thomæ, quæ etiam approbat Doctor *suprà,quæst.1.huius distinctionis*,instrumentum ideò assumi, quia habet formam propriam, per quam est aptum; aliàs quodlibet assumi posset ad quemcunque effectum, neque essent instrumenta particularia artis.

*Soluitur.*

Hoc ergo supposito principio, quod Doctor etiam insinuat hîc,*Ratione* 3. si instrumentum artis fit aptum, inquantùm ab ipsa arte participat virtutem deriuatam per quam fit aptum ad vsum; (qui vsus eius est per motum,) sequi quòd illa virtus non imprimatur instrumento ante motum : hoc dato,non est fundamentum asserendi ipsam esse transeuntem, sicut est motus, quia à motu nullo modo dependet, neque ab vsu instrumenti. 42

*Vnde colligitur virtus transiens instrumenti.*

Deinde Doctor non inducit hoc inconueniens, tanquam si negaret, aliquas formas esse transeuntes, & dependentes à continuo influxu suæ causæ,qui paulatim subtrahitur, sed quia superstitiosum videtur asserere talem virtutem,quæ nulla necessitate effectûs ponitur, quia sine tali virtute ordo effectûs ad artem, & instrumentum saluatur.

*Non negat aliqua esse transeuntia.*

*Ad 3. exemplum de motu cœli.*

Ad reliqua duo exempla ibidem respondet, quòd neque motus cœli localis sit causa effectuum sublunarium productiua, quia motus non est principium producendi, sed magis actus productiuus:& quia ille motus,aut motor,vt eo præcisè mouens, nihil producit in inferioribus : sed inquantùm applicat actiua passiuis.

*Applicat actiua passiuis tantùm.*

*Quartum exemplum resoluit.*

*Est & alia opinio ad præsentem quæstionem*, &c. Hîc insinuat opinionem Henrici *Quodlibeto* 4. *quæst.* 37. quam intactam relinquit,& meritò,quia vel reduci debet ad alterum extremum, vel intelligi nequit: dicit enim Sacramenta esse instrumenta creatiua gratiæ, non quòd aliquâ suâ actione attingant gratiam, sed quia continent, authorem gratiæ, vel realiter, sicut in Eucharistia,aut virtualiter, sicut Sacramentum Baptismi, & per contactum Sacramenti, Deum producere gratiam. 43

*Opinio Henrici.*

*Reducitur ad alterutrũ extremum.*

gratiam. Negat Henricus esse aliquam virtutem supernaturalem in Sacramentis per quam producant gratiam.

*Explicatur de morali causalitate.* Trident.

Explicandus ergo est de causalitate morali: quanquam obscurum sit quomodo Deus sit in Sacramentis peculiari modo, nisi ratione institutionis, & significationis; ad quæ Tridentinum *de Sacramentis in genere, sess.7. & de Sacramentis in specie*, reducit continentiam virtualem Sacramentorum, vt sunt causæ effectuum, quos significant. Hæc autem continentia, vel ad assistentiam Dei, & institutionem reducitur, ac pactum, vel certè ad virtutem aliquam, quæ inest Sacramentis, tanquam principium agendi, quia aliud nequit commodè intelligi: ideóque circa hanc opinionem non immoratur Doctor.

*Cur non immoratur Doctor in sententia.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris quoad primam quæstionem est, omnem dispositionem necessitantem ad formam, quæ non est ratio receptiui, esse quodammodò causam actiuam eius instrumentalem. Sic meritum est causa præmij, & motus termini, & idem est de Sacramento, quia statuit Deus dare gratiam, illud dignè sumenti. Sicut ergo serra dicitur causa scissionis, licèt non efficiat eam, sed tantùm recipiat effectum ordinatum ad illam: ita de Sacramento respectu gratiæ.*

12 *Resol.q.4.superioris.*

Ad primam [h] ergo quæstionem, dico, quòd cùm necessitas eorum, quæ sunt ad finem, sumatur à fine: & secundùm omnes loquentes de Sacramentis, finis Sacramenti est gratia, vel aliquis effectus Dei inuisibilis, disponens hominem ad salutem: & iste finis possit sufficienter haberi eo modo, quo habetur per Sacramentum, absque hoc, quòd dicatur Sacramentum habere aliquam actionem propriè dictam, siue respectu gratiæ, quam non potest attingere, cùm illa creetur, siue respectu dispositionis supernaturalis præuiæ, quia illa etiam crearetur, sequitur quòd non sit ponenda talis actio: cùm nec ista plura sint necessaria, nec manifestè ponibilia.

Qualiter autem [i] cum hoc saluetur, quòd Sacramenta sunt causa gratiæ, non tantùm per accidens, & quòd per Sacramenta habetur gratia, sicut Sancti loquuntur.

Dico breuiter [k], quòd omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non est ratio receptiui, potest dici quodammodò causa actiua, siue causa instrumentalis respectu formæ: ipsum autem Sacramentum, siue susceptio Sacramenti, est talis dispositio, & immediata, non causans aliam mediam inter se, & gratiam: ergo ipsa potest dici quodammodò causa actiua, vel instrumentalis respectu gratiæ.

Maior probatur per exempla, & per rationem. Primum exemplum istius est, quia absolutè conceditur, quòd merita sunt causa instrumentalis respectu præmij, & quòd per merita acquiritur præmium: & tamen meritum non causat actiuè præmium in se, nec aliquam dispositionem mediam, sed solummodò ipsummet est dispositio præuia ad præmium: non tamen sicut ratio receptiui. Aliud exemplum, motus aliquo modo ponitur causa respectu termini: & verè & propriè conceditur, quòd

h *Ad primam ergo quæstionem dico*, &c. Conclusio Doctoris in hac quæstione est negatiua, quam in hoc sequuntur Durandus *dist.1.quæst.1.* Gabriel *art.1. con.7.* & reliqui Nominales: quin etiam D. Bonauentura *art.1. quæs.4.* Richardus *art.4. quæs.2.* Albertus *art.5.* Alensis 4. *part. quæs.5.m.3. art.5.§.3.4.& 5.* Aureolus *in 4.dist.1. quæs.1. art.4.* Vasquez *dist.132.cap.5.* Canus *relectione de Sacramentis in genere 4.part.post 6.conclusionem.* Ledesma *in 1.part. quæs.3.art.1.* éstque communis omnium antiquorum, præter iam citatos pro oppositio: quamuis in modo explicandi, quo Sacramenta attingunt gratiam, non conueniant; conueniunt tamen in negatiua, nempe hanc attingentiam non esse physicam.

44 *Conclusio Doctoris negatiua.* Durandus. Gabriel. Nominales. D.Bonauēt. Richardus. Albertus. Alensis. Aureolus. Vasquez. Canus. Ledesma.

Suppositis autem præmissis, quæ ad impugnationem affirmatiuæ adducta sunt, adiungit Doctor hanc rationem, quia necessitas alicuius colligitur ex fine; finis autem institutionis Sacramentorum est gratia, aut effectus aliquis inuisibilis supernaturalis, qui per Sacramenta haberi potest, sine actione physica, quâ ab ipsis procedit, &c. Hanc simul cum conclusione per sequentes rationes confirmabimus.

*Ratio Doctoris ex fine.*

*Ad eum non requiritur actio physica Sacramenti.*

45 *Confirmatur conclusio, & reliqua præmissa.*

Probatur conclusio, primò, quia Baptismus, verbi gratiâ, non potest habere perfectiorem modum causandi gratiam & iustificationem, quàm habet Christus, sed sola moralis, & meritoria conuenit Christo, vt efficiens est gratiæ: ergo physica, quæ est perfectior causalitas, non conuenit Baptismo. Patet Maior, quia Baptismus causat gratiam in valore operum Christi, cui applicata sunt per institutionem, ad Romanos 6. *Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu*, &c. (id est, in nomine & meritis eius, vt Origenes & Anselmus) *in morte ipsius baptizati sumus*, &c. Vide Augustinum Enchiridij cap.52. Probatur Minor ex Tridentino sess.6.cap.5. *Huius*, inquit, *iustificationis causa sunt, finalis quidem gloria Dei, ac Christi, & vita æterna; efficiens verò misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signans, & vngens Spiritu promissionis sancto*, &c. *Meritoria autem dilectissimus vnigenitus suus, Dominus noster Iesus Christus, qui cùm essemus inimici*, &c. *Suâ sanctissimâ Passione in ligno Crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit: instrumentalis autem Sacramentum Baptismi, quod est Sacramentum fidei*, &c.

*Christus vt causa moralis attingit gratiam, Sacramenta in virtute operū Christi.* Origenes. Anselmus. Augustinus. Trident.

Exponit Concilium causas per se iustificationis. Duplex autem genus causalitatis tribuit Christo, nempe finalis & meritoriæ, efficientiam autem, vt distinguitur contra meritoriam & instrumen

*Causa iustificationis*

quod per motum acquiratur terminus : & tamen motus non habet actionem aliquam ad causandum terminum , neque etiam dispositionem intermediam, sed ipsemet est dispositio proxima ad terminum , non tamen ratio receptiui.

13 Item, maior eadem probatur ratione: Quod est causa prioris , non propter hoc est causa posterioris, nisi ilud medium sit causa tertij; & hoc aliquo modo in eodem ordine causæ:agens causans dispositionem proximam ad formam ( secundùm eos) conceditur esse aliquo modo causa respectu formæ : oportet ergo quòd dispositio proxima ad formam , reducatur ad genus causæ efficientis, respectu formæ. Est ergo modus iste, quòd susceptio Sacramenti est dispositio necessitans ad effectum signatum per Sacramentum , non quidem per aliquam formam intrinsecam , per quam necessariò causaret terminum,vel aliquam dispositionem præuiam:sed tantùm per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessariò absolutè , sed necessitate respiciente potentiam ordinatam : disposuit enim vniuersaliter , & de hoc Ecclesiam certificauit , quòd suscipienti tale Sacramentum,ipse conferret effectum signatum. Nec obstat , quòd susceptio Sacramenti, est aliquid circa corpus ipsius suscipientis : gratia autem causatur in anima, quia sufficit, quòd dispositio,& forma,sint in eodem supposito , & maximè quando dispositio non est dispositio ex parte rei, sed in ordine ad agens voluntariè causans terminum.

*Quomodo Sacramentum causat gratiam.*

14 Ad intellectum huius sciendum,quòd *instrumentum* communissimè acceptum, extenditur quandoque ad causam secundam, vt tactum est in prima quæstione, propriè autem vt distinguitur contra causam secundam : quandoque verò accipitur pro eo quod est pars, per quam totum agit: & sic loquitur Philosophus vocans 2. *de Anima*, organa sensuum,& aliarum potentiarum instrumenta , siue partes per quas totum operatur tales operationes. Alio modo instrumentum dicitur causa actiua ad dispositionem præuiam. Tertio modo dicitur instrumentum,sicut instrumentum in arte,& ab isto primo tractum est hoc vocabulum.

*Instrumenti variæ acceptiones.*

*Text.6. & inde*

*Vide com.12. Met.cõm.24. Instrumenta artis non esse actiua.*

De isto autem dubium est , an sit actiuum propriè?& videtur probabilius, quòd non. Serra enim non habet in se,nisi quantitatem , figuram , & motum localem , de quibus omnibus patet, quòd non sunt formæ actiuæ. Et probatur,quia aliter Mathematicus considerando quantum figuratũ, non instrumentalem, tribuit absolutè Deo, & sine limitatione vlla , quam proinde intelligit physicam,quæ est efficientia simpliciter : ergo talis neque Sacramento , neque Christo competit. Probatur consequentia,quia meritum Christi declarat esse in Passione , per quam pro nobis satisfecit in Cruce , quæ satisfactio non manet in propria existentia, sed solùm in acceptatione diuina per modum meriti,& satisfactionis exhibitæ:sed satisfactio & meritum Christi non excedunt genus suum agendo,& influendo tantùm moraliter, neque iam possunt influere physicè,si aliàs id eis competeret, quia non sunt in propria existentia: neque Scriptura, aut Patres tribuunt Christo quà est homo,aliud genus causalitatis, quàm meritoriæ.

*Efficientia tribuitur Deo simpliciter.*

*Meritum & satisfactio causæ, morales tantùm.*

*Christus causa meritoria.*

Respondent quidam Thomistæ passionem Christi etiam physicè nunc mouere Sacramenta. Contrà , hoc primò est contra principia , cùm neque in se , neque in aliquo effectu suo realiter existat passio , tanquam causato physicè vnde illa efficacia redundaret : deinde videtur contra Concilium *loco citato* , quod reducit hunc effectum in passionem, vt habuit rationem satisfactionis , & meriti ; sic autem non excedit genus causæ moralis : solutio ergo videtur verbalis, & libera.

46 *Responsio. Impugnatur.*

*Ex Concilio.*

Quod probatur,quia passio Christi non aliter influxit in iustificatos , quantùm ad modum causandi vt exhibita,quàm vt exhibenda , quia vniformis fuit Redemptor , & caput omnium , qui præcesserunt,& subsecuti sunt, vt probat Paulus, quia fides Christi , quæ per charitatem operatur, saluauit in lege;quia *omnes biberunt de petra : petra autem erat Christus* , &c. Sed tunc non habuit rationem causæ influentis physicæ, quia opera eius non extiterunt; ergo neque nunc agit physicè, quia perinde tantùm vt in acceptatione diuina extiterunt , & existunt , habent rationem causæ.

*Passio vt exhibita,& exhibenda eodẽ modo causat,*

Confirmatur , opera Christi non vt ens physicum causabant gratiam , sed vt habebant rationem meriti , & satisfactionis acceptatæ à Deo, nempe vt erant bona ex obiecto, fine, & circumstantiis : ergo virtus,quæ competit ipsis,erit tantùm moralis,quia nequit excedere suam radicem, & fundamentum in *esse* entis,quod morale est.

47 *Confirmatur principium influendi in operibus Christi morale tantùm.*

Et si dicas non esse contra rationem causæ moralis,vt agat physicè,quia Deus est causa moralis, & voluntas ; agunt tamen physicè. Contrà, hîc agimus de causa morali per participationem extrinsecè , Deus autem non sic participat , quia actus eius est essentialiter bonus ex se , & prima regula moralitatis. Voluntas agit moraliter , inquantùm tribuit fundamentum libertatis ; bonitatem autem & malitiam recipit ab obiecto, & circumstantiis, loquendo de morali, & per influxum , non realem , aut physicum , sed moralem: quidquid aliqui dixerint , saltem id constat ; neque Deum , neque voluntatem habere influxum physicum ad *esse* meriti , quà tale est formaliter, aut satisfactionis; ( licèt ad substratum influant) quia sic non est natum terminare influxum physicum , vt in disputatione de bonitate & malitia humanorum actuum fusiùs probauimus : ergo virtus actiua Sacramenti , quâ ad hæc reducitur, non potest esse physica.

*Responsio.*

*Impugnatio.*

*Ad esse morale nulla causa potest agere physicè.*

Secunda ratio sit hæc , fides non est reddenda obscurior,aut difficilior,vbi non exigit reuelatio, aut mysterij reuerentia,aut certè ratio : sed causalitas physica Sacramentorum inuoluit maiorem repugnan

48 *Secũda ratio, quia reddi tur fides obscurior , sine necessitate.*

non abſtraheret à motu. Si autem ponatur, quòd durities ſit qualitas actiua, hoc nihil eſt, quia ſi Deus de potentia abſoluta, aliquod quantum molle conſeruaret in eadem quantitate, & figurâ, mouendo ipſum localiter, æquè diuideret aliquod corpus, ſicut modo inſtrumentum durum diuidit: ergo durities, quæ eſt qualitas, non eſt formale principium agendi. Apparet tamen eſſe pro eo, quòd eſt quædam impaſſibilitas reſiſtens corrumpenti: manente autem quantitate corporis, & figurâ, non mutato alio, nec corrupto, ſi localiter mouetur, oportet quòd expellat aliud proportionatum quantitati ſuæ, & figuræ, quod non oporteret, ſi eius quantitas non maneret, ſed cederet: ſicut eſt de molli.

*Serra ferria non plus efficit, quàm lignea.*

15 *Nota.*

Probatur etiam propoſitum, quia vbicunque eſt formalis incompaſſibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, ſed tantùm formaliter: agens autem inducens vnum effectiuè, expellit aliud effectiuè: corpora autem videntur habere incompaſſibilitatem reſpectu *vbi* eiuſdem, ſicut qualitates contrariæ reſpectu eiuſdem ſubiecti. Sicut ergo idem agens effectiuè inducit calorem, ita frigus expellit: non autem effectiuè calor expellit frigus, ſed tantùm formaliter.

*Serra expellit aliud corpus formaliter tantùm.*

Ita in propoſito de expulſione corporis ab *vbi*, per aliud corpus. Diuiſio autem ligni per ſerram, vel ſecurim, non eſt niſi quædam expulſio partium ab *vbi*, ad quod mouetur ſecuris ab ipſo artifice, cedendo.

Tenendo igitur, quòd inſtrumenta artificialia non ſunt formaliter actiua, ſed tantùm ſunt receptiua cuiuſdam effectus prioris ordinati ad effectum vltimum, apparet magis propoſitum, quomodo Sacramentum poteſt dici inſtrumentum, licèt non habeat virtutem actiuam propriè reſpectu termini: ſed ſit quidam effectus prior ordinatus ad gratiam. Et ſi dicatur non eſſe ſimile, quia Sacramentum non ſuſcipit illum effectum ſuperiorem, ſicut ſecuris recipit motionem, hoc non obſtat: quia ſicut totum illud, quod recipit effectum priorem, poteſt dici inſtrumentum, ita & quodammodò iſte effectus poteſt dici inſtrumentum: verè enim poteſt dici, quòd per motionem ſerræ lignum diuiditur, Sacramentum autem, ſiue ſuſceptio Sacramenti, eſt effectus ille prior in propoſito: ergo, &c.

*Effectus prior dicitur cauſa poſterioris.*

SCHO

repugnantiam ad principia naturalia, quàm moralis, vt patet ex impugnatione præmiſſa Doctoris, & infrà patebit ex ſequenti ratione, impugnando modum dicendi aliorum in ſpecie; eſtque difficilioris aſſenſûs & conceptûs, quàm ſit ipſa fides myſterij: ratio deficit, neque ſuppetit aliquod principium reuelatum, ex quo deducatur: ergo non eſt aſſerenda. Maior per ſe patet.

Minor autem probatur quoad vltimam partem, quia ideò phyſica cauſalitas Sacramentorum adſtruitur, quia in Conciliis, & Patribus, dicuntur Sacramenta cauſare gratiam, lauare animam, mundare cor, & huiuſmodi: quæ formulæ cum proprietate intelligi debent, & denotant cauſam efficientem.

*Fundamentũ ex reuelatione.*

Sed hic modus loquendi, neque conſuetudine Scripturarum, aut Patrum, aut Conciliorum refertur ad ſolam cauſalitatem phyſicam: ergo, &c. Patet ſubſumptum, quia & hoc munus primariò dicitur in Scriptura de ſanguine Redemptoris, vt cauſa magis principali, vbique 1. *Ioan.* 1. *Apocal.* 1. & 12. *Ad Rom.* 3. Item de ipſo Chriſto, & eius paſſione, ac morte, *Matth.* 27. *Marci* 15. *Luc.* 23. *Ioannis* 19. *Act.* 13. *ad Rom.* 5. 6. 8. & 14. 1. *ad Corinth.* 15. 2. *ad Corinth.* 5. 1. *ad Theſſalonic.* 5. & *alibi*: ſed Chriſtus, ex Concilio *ſupra*, eſt cauſa meritoria noſtræ iuſtificationis: & tam paſſio, quàm ſanguis, & alia eius opera habent rationem ſolùm meriti, & ſatisfactionis, vt patet ibidem.

*Deſtruitur ex efficacia ſanguinis & mortis Chriſti.*

Item, fides ſaluat *Matth.* 9. *Luc.* 18. dæmonia eiicit, ſerpentes tollit, ægros ſanat: *Marci* 16. habet & dat vitam æternam: *Ioan.* 3. *Act.* 1. dicitur dare ſanitatem: *Act.* 3. iuſtificare *Geneſ.* 15. *ad Rom.* 3. & 10. *ad Philippenſ.* 3. mundare corda: fide mundans corda; dare vitam *Ioan.* 11. de cuius virtute plura Paulus *ad Hebræos* 11. Et eodem modo de fide loquuntur Patres & Concilia; ſed hoc non conuenit ipſi per realem influxum, vt patet ſecundùm omnes, & Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 8. *Per fidem*, inquit, *ideò iuſtificari dicimur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix iuſtificationis*, &c. Sic etiam hæc eadem tribuuntur in Scriptura charitati, quæ *operit multitudinem peccatorum, quæ delet peccatum, mundat cor, iuſtificat*; ſic etiam operibus, ſic Pœnitentiæ: quæ non cauſant per influxum phyſicum hos effectus, vt in confeſſo eſt: ergo *mundare, ſanare, viuificare, iuſtificare* conſuetudine Scripturarum, non denotant cauſalitatem per influxum phyſicum.

49 *Ex efficacia fidei.*

Item, quod neque de rigore ſermonis etiam, hæc denotant talem influxum, quia dans conſilium, iubens, irritans, ſuadens, & huiuſmodi, quibus quis dicitur cauſa operis in aliis, quod inde ſequitur, tam vſu Scripturæ, quàm legum, quàm Doctorum, & Philoſophiæ moralis, ſunt ſimpliciter cauſæ operum, quæ ſequuntur: vnde dæmon, concupiſcentia, tentatio, paſſio, dicuntur cauſare in voluntate peccatum ſine influxu phyſico; ſic voluntas ipſa influit, vt propriè dicta cauſa in actus potentiarum inferiorum, vna virtus imperare actum alterius, intentio cauſa electionis, quæ ſecundùm aliquos non influit efficienter phyſicè in electionem: ergo nullo fundamento tribuunt aduerſarij cauſalitatem phyſicam Sacramentis ex huiuſmodi formulis loquendi, ſi conſuetudo Scripturæ attendatur, ſi proprietas locutionis. Exempla prædictorum obuia ſunt ex Scriptura.

*Cauſa moralis eſt cauſa per ſe de rigore.*

Vltimò

50 *Vltima ratio. Non ſaluari influxũ phyſicum. Patet diſcurrendo per modos quibus explicatur.*

Vltimò tandem poſſibilitas influxus phyſici non ſaluatur per aſſertores affirmatiuæ ſententiæ: in primis, modus dicendi antiquorum ſatis impugnatur per rationes Doctoris, vt in confeſſo eſt modernis, qui ad alios modos confugiunt: &, vt cætera omittam, non videtur quâ ratione conuenire poſſit cauſalitas phyſica formæ verbali Sacramentorum: idem autem modus cauſandi conuenit materiæ & formæ; quamuis id fatear quòd meo videri, cauſalitas per impreſſionem virtutis ſuperadditæ excogitata ab antiquis, magis accommodetur principiis naturalibus, quàm id quod inuenerunt moderni Thomiſtæ.

*Modus Capreoli impugnatur.*

Capreolus docet cauſalitatem Sacramẽtorum phyſicam reduci ad gratiã ſacramentalem, quam vocant, dumtaxat, non verò ad ſanctificantem; ſed hoc non coharet Conciliis, aut Patribus, qui Sacramenta docent cauſare ſanctitatem, & remittere peccata, vt patet de Baptiſmo, Pœnitentia, & Extrema Vnctione, ſuo modo: nec placet modernis, qui dicunt gratiam ſacramentalem, quam conſtituunt in auxiliis gratiæ actualis, pro certo, & congruo tempore dandis virtute Sacramenti cauſari moraliter, non phyſicè: quia quando datur, Sacramentum non eſt: ſed hoc ipſum deſtruit fundamentum ipſorum pro altera parte, circa cauſalitatem gratiæ ſanctificantis; tum quia hæc deſinente Sacramento cauſatur, tum quia idem eſt modus cauſandi Sacramenti inſtrumentalis, & ex opere operato: ergo ſi reſpectu vnius gratiæ eſt moralis, & habet rationem propriæ cauſæ, cur ſimiliter reſpectu alterius, ſic etiam declarari non debeat.

*Impugnatio modernorum in ipſos torquetur.*

51 *Modus Soti impugnatur.*

Reſpondet ergo aliter Sotus, quem ſequi videtur Oxonienſis, Sacramenta cauſare gratiam; non quòd attingant productionem gratiæ, quæ creatur, ſed gratum eſſe: ſicut reconcilians amicitiam inter duos, dicitur cauſare amicitiam; & ſicut homo cauſans vnionem animæ rationalis dicitur generare hominem; ſic etiam Sacramenta, quia efficiunt hominem gratum, &c. In primis, primum exemplum non facit ad propoſitum, quia non denotat niſi cauſalitatem moralem: præterea aliud eſt attingere gratiam, aliud verò vnionem eius; Concilia non loquuntur in concreto de forma; ſed etiam in abſtracto, vt eſt effectus Sacramentorum: dicunt enim Sacramenta conferre, & continere gratiam. Si ergo ex rigore verborum, & modo loquendi Conciliorum & Patrum, inducitur opinio de cauſalitate phyſica Sacramentorum, debet etiam explicari reſpectu ipſius formæ, quam Patres dicunt cauſari, & non reſpectu vnionis tantùm, quia hoc modo non ſaluatur Sacramenta attingere gratiam vt terminum; ſicut neque diſponens, aut vniens animam rationalem ad ſubiectum dicetur producere animam.

*Exempla reiiciuntur.*

*Modus loquẽdi Patrũ, & Conciliorum.*

*Vnio nequit phyſicè eſſe à Sacramento.*

Deinde cùm vnio gratiæ ſe teneat ex parte formæ, in qua eſt tanquam in ſubiecto, non apparet modus quo Sacramenta eam producerent, quia ſic agerent in ipſam gratiam, tanquam ſubiectum; quod neque proportionatum eſt, neque applicatum agenti materiali, & totali. Deinde redeunt argumẽta ſuperiùs facta contra antiquos.

52 *Alius modus eiuſdẽ reiicitur.*

Alio ergo modo idem author videtur explicare illud *gratum eſſe*, quod efficiunt Sacramenta; quaſi ipſum Sacramentum efficeret hominẽ gratum, quando applicatur; vnde monetur Deus vt infundat gratiam, hoc *gratum eſſe*, *ſacramentale*, priùs accidit, quàm infuſio gratiæ. Contrà: hoc videtur improbabile. Peto enim quâ acceptatione dicantur Sacramenta grata, vel homo gratus Deo per Sacramenta applicata, vt excluditur effectus ipſorum, id eſt, antequam infundatur gratia? non generali, quia talis acceptatio non ſufficienter determinat voluntatem diuinam ad infundendum effectum: non ſpeciali, niſi vt inſtituta ſunt: hoc autem tantùm eſt motiuum morale, niſi ſuperaddatur aliqua efficacia phyſica, quæ competat ipſis, vt cauſis efficientibus; & ſic non conſiderantur per modum formæ, vt reddant gratum, ſed vt inſtrumenta actiua; ac proinde nequeunt reddere gratum, vt præſcindunt ab effectu. Deinde loquendo de *grato eſſe*, ad ſcopum huius quæſtionis, nihil aliud formaliter reddit gratum, niſi gratia, in qua fundatur ius adoptionis, & quæ excludit peccatum, quod ſemper ineſt, donec infundatur gratia; verbi gratiã, in Sacramentis mortuorum: ergo denominatio grati, quæ eſt per formam gratiæ, non competit Sacramentis, niſi in genere efficientis, vt docent Concilia. Neque ergo ſententia illa fundata eſt, neque ad ſcopum facit quæſtionis, quâ examinatur efficacia Sacramenti, non effectus formalis eius.

*Quomodo Sacramenta acceptata?*

*Sacramenta non conſtituunt formaliter gratum.*

*Reſponſio non facit ad ſcopum.*

Reſponſio Caietani, modúſque eius interpretandi cauſalitatem phyſicam, vix intelligi poteſt: quomodo enim ille ſit artificioſus, & intentionalis motus, vel actus productiuus, ſi nullum ſupponat principium, aut actionem? æquè obſcurum eſt quomodo res quælibet intimet imperium diuinum agendo niſi agat. In primis non eſt alius modus cauſandi immediatè terminum phyſicè, niſi per virtutem & actionem phyſicam: ſicut non eſt alia acceptio cauſæ, niſi in actu primo, vel in actu ſecundo; vt habet virtutem, vel actionem, loquendo de cauſa immediata & proxima, à qua eſt terminus: ergo ſi Sacramenta cauſant phyſicè, ideò cauſant quia habent virtutem, & actionem reſpectu eius; & conſequenter ille motus quocumque modo vocetur, vel erit principium, vel ipſa actio; non principium ſecundùm ipſum; non actio etiam, quia ex principiis receptis Philoſophi motus, &c. motus eſt in eodem ſubiecto, in quo eſt terminus; gratia autem quæ eſt terminus eſt in anima, & non in Sacramento, in quo eſt ille motus.

53 *Modus Caietani reiicitur.*

*Obſcura metaphora.*

*Modus cauſandi duplex.*

*Sine eo nequeũt Sacramenta phyſicè agere.*

Deinde ſecundò: ille motus ſi concipiatur per modum actionis, vt procedentis à Sacramento; vel erit actio naturalis Sacramenti, ſi quam habet, vel ſupernaturalis; ſi naturalis, nequit attingere per modum actûs producentis effectum ſupernaturalem: ſi ſupernaturalis, debet etiam ſupponere virtutem ſupernaturalem communicatam Sacramento: ſi autem intelligat quòd ad præſentiam actionis naturalis Sacramenti Deus infundat gratiam, nequit ſaluari ſic attingentia phyſica, & immediata gratiæ per Sacramentum vt cauſam productiuam. Aliud per illa verba nequeo concipere, neque concipi poteſt, ſeruatâ communicatione vocis.

53 *Omnis actio ſupponit virtutem.*

Quòd appellet illum motum artificioſum, debet ſaluari ipſe motus, & ratio eius quâ ſubſit tali denominationi. Et vlteriùs peto cur dicatur artificioſus? niſi inquantum verbis eludit difficultatem: ſi vult ſeruare proportionem inſtrumentorum artis ad effectum cauſæ principalis, inſtrumenta illa vt ſunt ab arte præcisè non recipiunt aliud, quàm directionem, ab artifice verò applicationem per motum localem, vel impulſionem, ſi ſunt ſeparata: ſi coniuncta,

54 *Examinantur termini.*

iuncta, mouentur proximè ad motionem, verbi gratiâ, manûs, & pennâ motâ ad ſcriptionem. Vel vno, vel altero modo ſumpta, agunt per motum receptum. Si autem loquamur latiùs de inſtrumentis artis, quatenus artifex applicat actiua paſſiuis, hæc inſtrumenta habent virtutem actiuam in *eſſe* quieto, & ante applicationem, vt ignis ad liquefaciendam ceram: ergo quocumque modo ſumat inſtrumenta actiua, ſemper eſt aſſignare in ipſis principium motûs intrinſecum, aut extrinſecum, atque ipſe motus conſequens: ergo perinde aſſignari debet ſeruata proportione in Sacramentis motus artificialis, quo attingunt gratiam, quam producunt, atque adeò principium producendi, quæ non admittit præfatus author, quamuis velit ea eſſe actiua.

*Modus agendi inſtrumẽtorum.*

55 *Quid intendat per motum intentionalem.* *Duplex vſus vocabuli.* *Prima acceptio.*

Tertium inſuper quod aſſerit, nempe motum illum eſſe intentionalem, vt diſtinguatur à phyſico, æquè obſcurum eſt: nam referendo concretum ad abſtractum, *intentionale* dicitur ab intentione: cuius duplex eſt vſus in ſchòlis, & ſignificat vniuerſim progreſſum ad terminum. Primò ſignificat tendentiam potentiæ operatiuæ in ſuum obiectum; potiſſimùm verò cognitiuæ, ſicut ſagittæ in ſcopum: & hic eſt actus, quo vnitur obiecto, aut principium eius: & diſtinguitur contra rem ipſam, ſeu obiectum in quod tenditur. Hinc illa quæſtio apud Animaliſtas: *Vtrùm idem poſſit eſſe res, & intentio ſimul*; id eſt, ſpecies ſenſibilis, & obiectum ſenſationis. Secundò ſignificat progreſſum voluntatis in finem; vt diſtinguitur contra motum eius in media, & alia, quæ ſunt ad finem; & ſic diſtinguitur contra conſultationem, electionem, executionem, & huiuſmodi. In prima & ſecunda ſignificatione non facit ad propoſitum: ergo tantùm tertia acceptio accommodari poteſt; quatenus ſcilicet Deus aſſumit Sacramenta, vt inſtrumenta ad cauſandam gratiam; & ſic omnia inſtrumenta mouentur, & applicantur intentionaliter ab artifice: ergo hoc non eſt peculiare in ſacramentis; omnia enim aſſumuntur ex intentione finis: ergo diſtinguendo in ipſis motum intentionalem contra phyſicum principium & actionem, nihil inueniet Caietanus, niſi motum moralis cauſæ; quatenus ex ſola Dei voluntate, & intentione aſſumuntur, & ad applicationem ipſorum ſeclusâ actione phyſicâ, ipſe ſolus producit gratiam phyſicè; quæ intantum ab ipſis dependet, inquantum habent annexam promiſſionem & inſtitutionem Dei.

*Secunda acceptio.*

*Accommodatur ad propoſitum.*

56 *Quartus terminus intimationis.* *Quid propriè ſit?*

Quartum verò illud additamentum de intimatione imperij in rebus inſenſibilibus exigit magis interpretem, quàm impugnatorem: nam ſi propriè loquamur, non fit intimatio, niſi creaturæ rationali, declarando rem ipſi aliàs ignotam. Dicitur ſpecialiter ſolemnitas quædam iure inſtituta, quâ intimatur lis, aut præceptum in ordine ad ſcientiam, & proceſſum publicum, ſiue aliàs rem nouerit is, cui intimatur ſcientia priuata, ſiue non; & hinc ſumitur initium proceſsûs. Vt ergo aperiamus myſteria, in propoſito nequit eſſe alia intimatio, quàm ſubordinatio illa, quam habet Sacramentum in genere inſtrumenti actiui ad voluntatem diuinam, ſecundùm inſtitutionem eius, & aſſumptionem ad effectum gratiæ. Iam quæritur per hoc quid recipiat Sacramentum? Reſpondet Caietanus recipere eleuationem vt agat phyſicè. Contrà, non recipit principium agendi, aut motum actualem, aut formam vllam phyſicam, aliàs phyſicè moueretur & moueret; & poſito imperio manent inuariata in ſua entitate Sacramenta; quæ etiam ex ſe non habent principiũ talis actionis: ergo tam repugnat aſſertio, quàm quòd aliquid ſit productum ſine cauſa producente. Patet conſequentia, quia cauſa efficiens in actu primo conſtituitur per virtutem agendi; quâ deſtructâ tollitur omnis ordo cauſæ efficientis, & effectûs.

*Accommodatur ad propoſitum.*

57 *Modus Suarez.*

Hunc modum Caietani aſſumpſit Suarez, ſed in parte emendauit, admittens in qualibet creatura principium actionis permanens, quam vocat potentiam obedientialem, quâ poteſt Deus vti ad quemcumque effectum pro libito cum ipſa agens. Impugnatio huius magis ſpectaret ad alium, quantumlibet hîc tractari poteſt; ſed quia quæſtio eſt prolixa, breuiter eam ex inſtituto præſenti attingemus.

*Reijcitur ex dictis.*

Quidquid ergo ſit an detur in rebus talis potentia actiua, ad propoſitum efficaciæ Sacramentorum nihil iuuat: vt patet ex argumentis ſuprà factis. Primò Sacramenta cauſant quando non ſunt. Secundò, habent virtutem cauſandi, inquantum ſunt ſigna ex inſtituto: ergo virtus cauſandi fundatur in ipſis, vt habent inſtitutionem, ad quam ſequitur, non verò ad entitatem, quæ independens eſt ab inſtitutione: ſed potentia obedientialis, ſi datur, ſequitur entitatem, &c. Hæc argumenta iam fuſiùs deduximus contra alios, quæ perinde concludunt de quacumque virtute phyſica, ſiue innata ſit, ſiue ſuperaddita.

*Sacramenta cauſant quãdo non ſunt, & vt ſigna ex inſtituto.*

*Cauſant in virtute operum Chriſti.*

Tertiò, cauſant Sacramenta in virtute operum Chriſti: ergo ab ipſo participant virtutem cauſandi, & efficaciam: ſed nequeunt ab ipſo participare, aut recipere quidpiam, quod ipſis eſſentialiter, aut per modum proprietatis ineſt realiter, cùm non ſit creator, quà homo eſt, ſed cauſa meritoria: ergo neque communicat ſic entitatem, virtutem, aut actionem ſequentem.

*Virtus illa communicata non eſt hac potentia.*

Dices, Chriſtum meruiſſe vt Deus concurreret ſpeciali concurſu cum potentia obedientiali Sacramentorum. Contrà, hanc ſolutionem in aliis reprobat Suarez: & quidquid ſit de eius veritate, inde ſequeretur quòd Sacramenta cauſarent non in valore operum Chriſti, vt inſtrumenta, & cauſæ ſubordinatæ eius, ſed in virtute propria. Probatur ſequela, quia Chriſtus meruit nobis omnem gratiam, & adiutoria ſpecialia, ſine quibus non contingeret effectus: ſed neque gratia ſpecialis, neque voluntas, & intellectus noſter dicitur in virtute Chriſti operari, ſicut inſtrumenta eius, eo modo quo dicuntur Sacramenta agere: ergo, &c.

58 *Reſponſio.* *Impugnatur.*

Patet minor ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 1.* vbi in prima vocatione, & conuerſione hominis ad fidem, diſtinguit id quod eſt gratiæ, & id quod noſtrum eſt: & *canone 4.* definit expreſsè *liberum arbitrium coagere Deo excitanti, aſſentiendo vocationi, ſe diſponere, & præparare*, &c. Quam actionem ſupponit eſſe ex propriis liberi arbitrij, quamuis prærequirat vocationem, & influxum ſpecialem Dei præuenientis per vocationem. Vnde nullibi aſſerit, aut inſinuat hanc cooperationem prouenire à libero arbitrio tanquam inſtrumento Chriſti, ſed contrarium eſſe, nempe tanquam ex virtute propria actionem, & ab ipſo ſuppoſitâ vocatione: definit enim liberum arbitrium eſſe potentiam actiuam, nõ paſſiuam, & liberè coagere aſſentiendo; quamuis diſſentire poſſet, quibus

Trident.

exprimi

exprimitur modus connaturalis agendi liberi arbitrij, siue in naturalibus, siue in supernaturalibus; scilicet cum dominio pleno sui actus: Sacramenta autem non ita dicuntur agere in virtute propria, sed in virtute participata à Christo, tanquam instrumenta eius separata: ergo aliter subordinantur Christo, & eius meritis in agendo, quàm liberum arbitrium: quod falsum esset, si agerent per potentiam innatam obedientialem.

*Sacramenta non in virtute propria agunt.*

59 *Difficultas alterius loci.*

Hîc non ago de intellectu & voluntate, vt subordinantur causæ primæ, & gratiæ eius, an sic agant vt potentiæ obedientiales, quod infrà resoluemus contra modernos, in materia de Beatitudine: quidquid enim sit in hac quæstione dicendum, saltem non dicuntur instrumenta Christi, vt causæ meritoriæ; licèt gratia & concursus Dei specialis, quibus disponuntur & adiuuantur, sit ex meritis Christi: quod perinde de Sacramentis à fortiori dicendum esset, si agerent mediante potentiâ obedientiali.

*Confirmatio. Qualis sit cōcursus?*

Et confirmatur, quia ille concursus specialis Dei exhibitus potentiæ obedientiali, vel est aliquod complementum eius in actu primo, & per virtutem superadditam, vel certè per modum actionis simultaneæ: non primum, iuxta principia huius authoris, quia alioquin non esset fingenda potentia obedientialis, si necessariò superaddi deberet aliqua virtus per modum principij, quia potiùs actio deberet reduci in illam virtutem, vt causam totalem: & quia sic perfectiùs saluaretur ratio instrumenti in Sacramento, & quidquid repugnaret virtuti superadditæ, vt causæ totali, perinde repugnat virtuti partiali superadditæ, applicando inconuenientia, siue quæ idem author contra sententiam antiquorum proponit, siue quæ alij.

*Non est virtus superaddita.*

60 *Si sit simultaneus erit ordinarius.*

Si dicatur esse actio simultanea, intantum erit concursus specialis, inquantum Deus non coagit de potentia, & lege ordinaria potentiæ obedientiali, quod cessat in proposito, supposità institutione Sacramentorum, quibuscum concurrit de lege ordinaria; sequitur ergo illum concursum esse in sua entitate generalem, non specialem, quia potentia obedientialis in suo genere est completa, cùm nihil ei superaddatur, per modum virtutis: sed liberum arbitrium in ordine ad actus supernaturales non sic est completum, quia præter actionem Dei simultaneam, exigit aliquid per modum actus primi: ergo magis competit Sacramento mediante potentiâ obedientiali agere in virtute propria, quàm libero arbitrio; ac proinde minùs subordinatur Christo, vt causæ meritoriæ, tanquam instrumentum, quàm eidem subiiciatur liberum arbitrium vt excitatur per gratiam Christi.

*Magis ageret Sacramēta in virtute propria, quàm voluntate excitata.*

*Modus causandi ex conditione colligitur.*

Deinde materia & forma, vt componunt Sacramentum, causant effectum sacramentalem; inter illas autem, vt causant effectum communem, sufficit secundùm eundem & alios, propinquitas quædam moralis; & non requiritur simultaneæ existentiæ in omni rigore, sed successionis, & quasi continuatæ actionis; eædem vt causent, dependent ab intentione Ministri; sed conditiones causandi sunt eiusdem generis cum ipsa causalitate: ergo causalitas tantùm erit moralis, sicut & conditiones causandi.

*Remissio quæstionis in aliū locum.*

Hæc ex præsenti instituto. Alij fusiùs ad impugnationem illius sententiæ multa congerunt: sed hîc non est locus singula tractandi: sufficit nobis quòd per eam non saluetur commodè opinio contraria: fundamenta autem huius sententiæ infrà soluemus cum Doctore, respondendo ad argumenta contraria.

Interim vt prosequamur quod reliquum est, ratio illa Minoris, quam supponit Doctor communem omnibus antiquis, nempe gratiam produci per creationem propriè dictam, ac proinde non posse attingi physicè à Sacramento, patitur scrupulum. Hanc rationem impugnant quidam moderni, vt Vasquez 1. *par. tom. 2. disp. 174. c. 2.* Suarez *disp. 9. de Sacram. tom. 3. in 3. parte*, & alij, qui putant educi gratiam de potentia animæ: quidam verò cum Caietano dicunt concreari, non creari simpliciter. Oppositum supponunt omnes antiqui Scholastici, & noster Doctor hîc, & aliàs sæpè, vt *in 3. dist. 13. in 2. dist. 23. 26.* infrà *dist. 22. & dist. 21.* Vide alios citatos apud Vasquez suprà.

61 *Vtrùm gratia creetur.*

Cæterùm videtur Vasquez insinuare ibidem fundamentum friuolum pro hac sententia, quasi omnes antiqui in eo essent errore, vt putarent, si gratia educeretur de potentia subiecti naturali conuenire cum errore Pelagij, quod friuolum esset dictu, & notaret in ipsis magnam ignorantiam: neque cohæret cum eorum principiis, quia quidam admittunt potentiam obedientialem tantùm respectu gratiæ, & non naturalem; alij verò, vt noster Doctor (vt suprà est insinuatum *quæst. 1.*) dicunt esse potentiâ naturalem passiuâ in anima respectu gratiæ. Quòd ergo per actionē Deo propriam, educeretur gratia ex potentia subiecti, nihil faceret ad errorem Pelagij.

Vnde rectè noster Doctor *in 1. dist. 17. quæst. 2. §. Contra istam conclusionem*, &c. impugnans opinionem quæ imponitur Magistro, argumento ex secunda via desumpto, ex natura actus meritorij, aliter declarat errorem Pelagij; ita habet: *Cum operatio meritoria sit voluntatis, vel hominis per voluntatem operantis, sequitur quòd illud, quo meritoriè agit, sit forma eius: hoc autem quo meritoriè agit, non potest esse pura natura, quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere; quod videtur error Pelagij; igitur requiritur aliquid supernaturale*, &c. Quibus verbis supponit errorem, quem Pelagius docuit de viribus liberij arbitrij, & actu bono, seu meritorio, ad quem nihil facit modus producendi gratiam, siue per creationem, siue per eductionem ex subiecto.

62 Doctor.

*Error Pelagij.*

Quòd autem quidam verba Scripturæ in quibus gratia dicitur infundi, & creari, referant ad creationem eius simpliciter, non ita intelligi debent, quasi similis forma verborum non comprehendat etiam actus supernaturales, qui educuntur ex potentia subiecti, sed magis secundùm subiectam materiam, vt id in rigore intelligi debeat de gratia habituali. De aliis verò quatenus speciali Dei dono fiunt, & reducuntur ad gratiam, vel actu, vel potentiâ, vel secundùm directionem, finem, & imperium, denotando impotentiam liberi arbitrij, vt denudatur gratiâ, vel auxiliis æquiualentibus, quibus suppletur eius actiuitas: magis enim conuenit interpretari Doctores ex suis principiis alibi, quàm notare de absurda intelligentia Scripturæ, quam ipsi non admitterent, quasi *infusionis*, aut *creationis* vocabulum vniuersaliter de creatione in rigore dictâ intelligantur.

*Infundi & creari gratiā, quomodo intelligendum.*

Quantùm autem ad controuersiam in se, neutra opinio ex Scriptura, aut ratione conuinci potest, meo iudicio. Cæterùm communis Scholastici corum sententia in re obscura, & ambigua præferenda est, vbi nihil in oppositum vrget. Et suadetur primò: gratia est forma ordinis supernaturalis

63 *Resolutio pro parte affirmatiua.*

turalis ſimpliciter,ad quam nihil in natura diſponit per ſe ex natura rei, nequit etiam attingi virtute cauſæ creatæ propriâ, atque à Deo ſolo fit, vt ex Patribus infrà confirmabitur: ergo per actionem propriam Dei producitur; illa autem eſt creatio. Patet conſequentia,quia fit à Deo, vt authore ſimpliciter ſupernaturali:ergo ſine concurſu alicuius creaturæ.

*Reſponſio.* Dices eſſe accidens, ac proinde potuiſſe educi de potentia ſubiecti, neque conſtare ita non fieri; imò magis congruum eſſe, vt educatur de potentia ſubiecti, quia ſic magis ſeruatur modus connaturalis producendi ipſam, & modus ordi-
*Impugnatur.* narius agendi, quem Deus ſeruat. Contrà, licèt ita fieri poſſit abſolutè;tamen contrarium huius docent Doctores; neque ratio illa accidentis id conuincit, quia ſpecies Angelorum fuerunt ipſis
*Accidentia creata.* concreatæ; iuſtitia originalis fuit concreata primo homini; & vtriſque tam homini, quàm Angelo, fuit concreata gratia, quin & bona voluntas, vt interpretari licet ex Auguſtino, variis in locis,qui dicit, Deum creaſſe tam primum hominem, quàm Angelum in bona voluntate, & rectos ſecundùm intellectum & voluntatem: ergo neque ratio accidentis, neque etiam modus ordinarius producendi alias formas conuincit gratiam, & quamcumque formam accidentalem educi de potentia ſubiecti: idem dici poteſt de lumine gloriæ, & de lumine prophetico.

64 Confirmatur autem hoc de gratiæ productio-
*Confirmatio ex congruentia.* ne ex ſpeciali ratione, & ſecundùm legem ordi-
*Gratia cõſeruatio & deſitio.* nariam, quia conſeruatio gratiæ ſubiecta eſt libero arbitrio, eiúſque merito, aut demerito: ergo etiam eius inceptio debet eſſe per creationem, quia de lege ordinaria inceptio, & deſitio rei proportinantur.

*Demeritorie perdiuit.* Quòd verò deſitio eius ſit per annihilationem, eſt omnium quotquot dicunt peccatum, & gratiam moraliter tantùm, & non ex natura rei opponi,quæ eſt ſententia noſtræ ſcholæ, & plurium aliorum, quia non eſt priuatiua, cùm peccatũ priuatiuè opponatur tantùm iuſtitiæ actuali, & rectitudini oppoſitæ virtutis; non contradictoriè, quia peccatum conſiſtit in priuatione, vel ſaltem eam includit; non contrariè,quia non ſunt formæ maximè diſtantes ſub eodem genere proximo; vna enim conſiſtit in habitu, alia in actu, aut quaſi actu: ſed de hoc infrà agemus diſt.2.&17.

65 Ex dictis facilis eſt ſolutio ad fundamentum
*Fundamentum oppoſitæ ſententiæ ſoluitur.* oppoſitæ ſententiæ quâ dicitur gratia nobis in-
*Ad primum.* hærere, ex Tridentino *ſeſſ.6.* Item, gratia ineſt per modum accidentis:ergo inhærentis.Reſpondetur Concilium per *inhærentiam* intelligere iuſtitiam noſtram nobis ineſſe intrinſecè, & permanenter, non autem eſſe extrinſecam, vt hæretici docent: non ergo intendit *inhærentiam* in ſenſu Philoſophico.

*Ad ſecũdum.* Ad ſecundum reſpondetur, ſi per *inhærentiam* intelligas vnionem formæ, connotando dependentiam eius ad ſubiectum, negatur gratiam ſic
*Quomodo inhæret gratia.* inhærere, quia illa dependentia accidentis ad ſubiectum, quando eſt accidens abſolutum ſupplerí poteſt à Deo ſolo ſupplente cõcurſum ſubiecti: ſicut ergo poteſt ſeparare tale accidens à ſubiecto, & creare, etiam ſeparatum, ſic etiam creare idem in ſubiecto, concreando ei vnionem ad ſubiectum, quæ in eo caſu exigitur ad communicandum effectum formalem, non ad terminandum dependentiam, quod contingit in propoſito: non dico ergo gratiam priùs produci extra ſuibiectum, deinde vniri, vt dicit Sotus; ſed creari ſimul & vniri, concreando eidem vnionem ſui ad ſubiectum.

Neque inde infertur hãc formam exiſtere per ſe, ſicut formæ ſubſtantiales, quia quòd ſic exiſtat, prouenit à virtute cauſæ primæ creantis, & præuenientis dependentiam eius ad ſubiectum, quâ quidem poſſet ineſſe ex communi,& propria natura accidentis, & aptitudine ineſt, non actu: quia aptitudinalis dependẽtia eſt proprietas accidentis abſoluti;actualis verò eſt eius accidens, & ſeparabile: gratia verò, ex rationibus præmiſſis, dicit aptitudinalem, nõ actualem dependentiam, quam dicere poſſet, ſi Deus vellet ſic eam producere; & hoc libenter admitto aduerſariis. 66 *Gratia non exiſtit per ſe, quamuis non dependeat à ſubiecto.*

Vnde ſic interpretor rationẽ Doctoris in prima quæſtione huius,quando dicit quòd accidens nequit eſſe principium formale creandi, quia depender à ſubiecto vt intelligatur de aptitudinali, & etiam actuali, quantùm eſt ex ſe: & quamuis virtute creatoris non dependeat actu, non inde ipſi virtus creandi communicari poteſt, quia aptitudine dependet, neque poteſt habere actionem ad terminum ſecundùm perfectiorẽ modum eſſendi termini,qui non competit ei naturaliter; vnde non admitteret Doctor accidens ſeparatum poſſe producere formam ſeparatam à ſubiecto. *Explicatur Doctor.*

i *Qualiter autem cum hoc ſaluetur, quòd Sacramenta ſint cauſa gratia*, &c. Hæc eſt ſecunda concluſio huius quæſtionis, nempe Sacramenta non eſſe cauſas per accidens;ſed eſſe cauſas per ſe gratiæ, vt dicunt Sancti Patres. Ex qua primùm euacuatur calumnia modernorum,qui citant noſtrum Doctorem, quaſi aſſereret Sacramenta eſſe cauſas tantùm per accidens:quorum fundamento *infrà* reſpondebimus;nam ex ipſa concluſione de facili conuincitur contrarium. 67 *Secunda concluſio. Sacramenta eſſe cauſas per ſe gratia. Euacuatur calumnia.*

Excluditur etiam duplex modus dicendi, alter Nominalium,qui dicunt eſſe cauſas per accidens; alter Durandi, qui dicit eas eſſe conditiones ſine quibus non,non verò cauſas. Videatur Durandus *in 4.diſt.1.quæſ.5.* Gabriel *art.1.con.7.* Ocham *quæſ.1.* Aliacenſis *ibidem art.1. conc. 3.* Marſilius *quæſ.1. art.3.part.5.* Supponit Doctor ex ſanctis Patribus Sacramenta eſſe cauſas per ſe gratiæ, & hoc infrà declarat, alias autem opiniones, & modos modernorum non impugnat, quia tum non fuerunt in vſu:& quidquid ſit de intentione horum Doctorum,modus loquendi non eſt proprius,neque cohæret Sanctis,ad quos ſe remittit Doctor. In primis Florentinum & Tridẽtinum definiunt Sacramenta nouæ legis continere,& cauſare gratiam, quam ſignificant, & in hoc diſtingui à Sacramentis veteris legis;Tridentinum *ſeſſ.6.cap.7.* enumerat Baptiſmum inter cauſas per ſe iuſtificationis *ſeſſ.7. 13. 14. 24.* docet idem tam in genere quàm in ſpecie, de omnibus & ſingulis Sacramentis, tribuens eis effectum gratiæ in anima,& appellans eas cauſas illius ſine limitatione, aut diſtractione:quæ locutio, cùm ſit dogmatica, intelligi debet in rigore, & proprietate ſermonis: ergo Sacramenta non ſunt cauſæ per accidens,aut conditiones tantùm. Antecedens patet: & conſequentia probatur. *Reijciuntur duo modi dicendi.* Durandus. Gabriel. Ocham. Aliacenſis. Marſilius. *Probatio concluſionis.* Florent. Trident. *Sacramenta eſſe cauſas per ſe & propriè.*

Quoad primam partẽ contra Nominales,quia effectus non dicit dependentiam per ſe ad cauſam per accidens,neque in ea continetur virtute; neque cauſa per accidens ſemper habet effectum: & ſi habet illum, habet omnino per accidens, vt patet 2. *Phyſicorum.* Nam duobus modis dicitur cauſa per accidens: primò ex coniunctione prin- 68 *Quòd nõ ſint cauſæ per accidens.* *Quid ſit cauſa per accidens.*

cipij

*Dupliciter dicitur causa per accidens.*

cipij ad principium, vt quando muſicus dicitur ſanare, inquantùm medicus per ſe, vt inquantùm muſicus denominatiuè: vel ſecundò ex coniunctione effectus ad effectum fortuitâ & caſuali, vt foſſionis cum inuentione theſauri, quem neque fodiens ſciuit, neque intendit, licèt ex prouidentia Dei ſequatur: vnde neque foſſio eſt cauſa naturalis inuentionis theſauri, aliàs ſemper ad eam ſequeretur velut in plurimum; neque cauſa à propoſito, quia non præceſſit ſcientia, aut intentio theſauri in foſſore: ſed Sacramenta dicuntur continere effectum, & ſemper offerre quantùm eſt ex efficacia Sacramenti, vt Tridentinum *ſeſſ.7. can.7.* dicuntur inſtrumenta, ſanare, mundare, nutrire, abſoluere à peccatis, &c. ſine vlla limitatione, aut diſtractione, quæ ſunt notæ cauſæ efficientis per ſe: ergo non ſunt cauſæ tantùm per accidens.

69

*Non eſſe tantùm conditiones.*

Contra Durandum probatur conſequentia, quoad alteram eius partem, quia conditio ſine qua non exigitur ex neceſſitate cauſæ, non verò ex neceſſitate effectus, quia eſt determinatio requiſita ex parte cauſæ, vt poſſit exire in actum, non verò principium aliquod per ſe influens in effectum; aliàs haberet rationem cauſæ, & non conditionis; omne enim illud à quo dependet effectus vt principio, eſt eius per ſe cauſa. Probatur exemplo, approximatio cauſæ efficientis ad paſſum, eſt conditio requiſita ex parte eius, ob limitatam virtutem, quæ non poteſt in quodcumque diſtans: ab hac tamen non dependet effectus abſolutè, niſi vt eſt à tali cauſa, quæ ad ſphæram limitatur, quia à perfectiori cauſa poteſt produci idem in maiori diſtantia, & à cauſa, quæ eſt illimitata ad quamcunque ſphæram poteſt vbicumque produci: ſic apprehenſio finis eſt conditio requiſita ex parte cauſæ finalis, vnio conditio cauſarum intrinſecarum, & non ratio formalis principij. Idem patet in moralibus, in quibus conditio diſtinguitur à cauſa per ſe effectus: verbi gratia, conſenſus adulti eſt conditio materialis in adulto baptizando, vt recipiat effectum Baptiſmi, non autem requiſita ſimpliciter ex parte Sacramenti, quod effectum communicat infanti, ſine tali conſenſu, ſed ex regula generali, quâ Deus voluit ſalutem adulti dependere à libero ſuo arbitrio.

*Diſtinctio conditionis à cauſa.*

*Exemplum. Conditio efficientis.*

*Cõditio cauſa finalis, & intrinſecarum.*

*Conditio moralis.*

Item, præſentia Parochi eſt conditio reſpectu contrahentium, vt conſenſus teneat matrimonialis, poſt Tridentinum, vbi ſaltem eſt receptum. Item, intentio miniſtri eſt conditio requiſita, vt Sacramentum ſubordinetur cauſæ principali per modum applicationis inſtrumenti ad effectum: licèt ſit principium in ipſo Miniſtro.

70

Ex quibus colligitur multas eſſe conditiones, vt applicationem materiæ & formæ in Sacramentis, quibus non tribuitur efficacia, aut cauſalitas effectus ſacramentalis, qui dicitur eſſe ab ipſis Sacramentis, tanquam cauſis per ſe: ergo non confunduntur cum conditione ſine qua non in genere.

*Abuſus vocabuli.*

Si autem diſtinguat Durandus conditionẽ ſine qua non, contra cauſam influentem phyſicè in effectum, abuſus erit termini, quia ſic excluderetur à ratione cauſæ per ſe, cauſa quæcumque moralis, & artificialis, quod nec Philoſophi admittunt: quia artifex eſt cauſa per ſe; meritum eſt cauſa per ſe; fides iuſtificat, quæ operatur per charitatem; mundat à peccato, ſicut & pœnitentia; à domo ad intrà fit domus ad extrà; cognitio practica eſt cauſa effectus; voluntas eſt cauſa actus imperati in potentiis inferioribus; fomes & concupiſcentia cauſa peccati, ſicut ſuadens, impellens cauſa effectus, in quem non influit phyſicè; cauſa exemplaris, & idea cauſat ideatum; finis effectum, quamuis non habet influxum proprium diſtinctum à cauſalitate efficientis.

*Ad cauſam per ſe non requiritur influxus phyſicus eius.*

Ex his patet ad rationes in oppoſitũ, quæ fundantur in abuſu termini, vel in falſo principio: quia vel reſtringunt cauſam per ſe ad rationem ſuæ ſpeciei, vel tollunt efficaciã Sacramentorum, quam ſtatuũt Concilia & Patres. Vnde falſum eſt quod Durandus aſſerit, nẽpe Sacramenta à Patribus non vocari cauſas, ſed à Magiſto Sententiarũ. loca enim quæ adducit Magiſter in litera clara ſunt, & propriè intelligẽda ſecundùm ſubiectam materiam; ad quæ ſe rẽmittit noſter Doctor.

*Soluitur fundamentũ oppoſita ſententia.*

*Obiectio Durandi falſa.*

Quando autem Patres dicunt gratiam à ſolo Deo produci, non excludunt cauſam moralem, & inſtrumentalem, vt patet ex Tridentino, ſed phyſicè influentem & principalem: hinc moderni interpretantur præfatos authores in re ipſa non differre à noſtra ſententia; ſed in modo loquendi, & explicandi cauſalitatem Sacramentorum.

*Explicatio Patrum.*

71

*Modus cauſandi Sacramentorum.*

*Diſpoſitio prauia eſt cauſa.*

*Explicatio litera.*

1 *Dico breuiter quòd omnis diſpoſitio neceſſitans, &c.* Quoniam Sancti & Eccleſia, vt patet ex Tridentino, Sacramenta nunc appellant inſtrumenta gratiæ, nunc cauſas actiuas, ideò Doctor id ſupponens hîc, docet modum, quo ſaluari poſſit. Dicit ergo diſpoſitionem neceſſitantem ad formam, quæ non eſt ratio receptiui, poſſe dici quodammodò cauſa actiua, & inſtrumentalis: talis eſt Sacramentum, ſeu receptio eius, eáque immediata, non mediante aliâ formâ inter ipſum, & gratiam: ergo, &c. In Maiori additur, *qua non ſit ratio receptiui*; quia talis diſpoſitio, vt quantitas, & extenſio in materia, reducuntur ad genus cauſæ materialis. Item, ipſum ſubiectum & materia, quæ ſupponitur ad formam, ſic eſt diſpoſitio prior neceſſitans agens materiale. Dicit, *quodammodo*, id eſt, ſeruatâ proportione inter Sacramentum, quod moraliter diſponit, & non phyſicè, & alia, quæ phyſicè diſponunt, ſicut calor ad ignitionem.

Dicit in Minori ſuſceptionem Sacramenti eſſe diſpoſitionem immediatam ad gratiam; vt excludat modum, quo calor in igne, & alia quædam inſtrumenta phyſica diſponunt, quæ non attingunt effectum cauſæ principalis; ſed producunt aliquam formam mediam, quæ neceſſitat ad poſteriorem: id autem declarat *infrà* dicens quòd *Sacramentum non ſit diſpoſitio* (ſupple actiua, de qua loquitur) *per formam intrinſecam* (ſupple phyſicam) *cauſantem terminum; ſed ex Dei aſſiſtentia, qui diſpoſuit de potentia, & lege ordinaria ſuſcipienti Sacramentum* (ſupple debitè) *conferre effectum ſignatum per Sacramentum.*

72

*Probatio Maioris.*

*Ratio à priori.*

Maiorem probat exemplis, quæ, ex communi conſenſu, dicuntur ita reduci ad cauſam efficientem; quamuis in ſe ſint diſpoſitiones immediatæ. Primum eſt meriti reſpectu præmij. Secundum motus reſpectu termini. Tertium eſt ex opinione antiquorum, & D. Thomæ, quam ſuprà impugnauit; éſtque ratio à priori: quia cauſa prioris non eſt cauſa poſterioris, niſi medium ſit cauſa tertij, & hoc aliquo modo in eodem genere cauſæ: ſed cauſans diſpoſitionem proximam ad formam: ſecundùm Doctores citatos cauſat effectiuè, quia ſic exponunt ſacramenta cauſare characterem, aut ornatum, qui ſunt diſpoſitiones neceſſi

neceſſitantes ad gratiam, ac proinde cauſare gratiam: ergo etiam ipſa diſpoſitio in genere cauſæ efficientis, cauſat gratiam ſecundùm ipſos.

Sic etiam in ſententia D. Thomæ, vt patet ex prima quæſtione huius, cauſa inſtrumentalis habet ex propria forma actionem præuiam, quâ diſponit ad formam, & effectum cauſæ principalis: hinc negat creaturam agere poſſe inſtrumentaliter ad effectum creationis, quia nihil ſupponitur, quod ſic diſponi poteſt per inſtrumentum. Receptum eſt etiam in ſchola D. Thomæ formam contrariam, inductam ab agente, expellere aliam, non formaliter, ſed efficienter; ideò Sotus reprehendit cõtrarium in noſtro Doctore.

*Vera cauſalitas Sacramẽtorum ſaluatur.*

Sententia ergo Doctoris eſt, Sacramenta, vt habent inſtitutionem diuinam annexam, cauſare gratiam: & patet, quia voluntas, quâ Deus inſtituit Sacramenta, vt ſigna practica & certa, includit virtute voluntatem cauſatiuam ſignati: ergo Sacramenta, vt includunt illam voluntatem, includunt etiam voluntatis ſequentis effectum, & actionem ex diuina diſpoſitione: ſed Sacramenta, vt habent rationem inſtrumenti, & vt habent rationem diſpoſitionis neceſſitantis ad gratiam, includunt illam voluntatem, quia in *eſſe* rei talis efficacia eis non competit: ergo rectè per hoc explicatur eorum efficacia. Vt clariùs autem id fiat, adducemus impugnationem quorundam, qui hunc modum explicandi cauſalitatem Sacramentorum improbant.

73 *Obiectio Vaſquez.*

Vaſquez *diſputatione citatâ ad concluſionem principalem cap.* 1. obiicit quòd diſpoſitio conſiſtat in actibus humanis ſuſcipientis, ſacramenta in rebus, & verbis conſiſtunt: ergo non ſunt diſpoſitio.

*Soluitur.*

Reſpondetur nimis ſtrictè ſumi *diſpoſitionem* ab hoc authore; quamuis illa ſit diſpoſitio, & præparatio ad iuſtificationem, vt procedit ab operante: *non* tamen eſt diſpoſitio, quæ ex opere operato facit ad iuſtificationem. Doctor autem ſumit hîc *diſpoſitionem* pro eo, quod eſt priùs neceſſitans ad formam: quo ſenſu Philoſophi & authores, quos pro oppoſita ſententia adducit, loquuntur. Et certè diſpoſitio illa, quam intendit Vaſquez, eſt tantùm diſpoſitio ex ordinatione diuina, quatenus Deus acceptat, & ordinauit, verbi gratiâ, pœnitentiam adulti, antequam ei temitteret peccatum: ergo etiam eâdem proprietate receptio Sacramenti ex ordinatione diuina inſtituti per modum inſtrumenti, & cauſæ iuſtificationis, vocari poteſt diſpoſitio, eóque magis, quo magis certò infert, & neceſſitat ad effectum, quàm diſpoſitio aliqua pœnitentis, vt attritio, quæ ſine Sacramento eſt inefficax: non ideò enim aliqua forma diſponit ad aliam, quia producitur à tali, aut tali cauſa; ſed quia dicit ex ſe talem connexionem, ſiue ex natura rei, ſiue ex ordinatione cauſæ extrinſecæ.

*Diſpoſitio ex Dei voluntate.*

*Generans vt diſponit ad infuſionẽ eſt cauſa.*

Videantur quæ ſuprà præmiſimus, circa diſpoſitionem vtroque modo neceſſitatem; atque adeò quomodo agens creatum neceſſitat ad infuſionem animæ rationalis, ex pacto Dei generali, non aliter. Vide Doctorem *in* 3. *diſt.* 16. §. *Ad ſecundam*: verſu, *Reſpondeo, nulla diſpoſitio inducta ab agente naturali*, &c. *neceſſitat ad infuſionem animæ rationalis.* Quòd ergo diſpoſitio, quæ conſiſtit in actibus adulti, ſit ab ipſo, per gratiam Dei, ex ordinatione Dei eſt, quâ voluit ipſi non remittere delictum, niſi pœniteret eum peccaſſe.

74

Huic fundamento demùm ſuperædificat dictus Author vt tandem colligat hanc conſequentiam, nempe, *friuolum eſſe recurrere ad diſpoſitionem, vt ſalnetur efficacitas Sacramenti*: ſed ipſe malè diſcurrit, quia nec in ſchola D. Thomæ, neque noſtrâ, neque inter Philoſophos vocabulum *diſpoſitionis neceſſitantis*, de qua hîc Doctor, neque *diſpoſitionis ſimpliciter* ſoli pœnitentiæ, aut cæteris actibus hominis iuſtificati, attribuitur: & loquendo de neceſſitante, ſi ſequeretur doctrinam Tridentini à quo modum loquendi mutuauit, de facili inueniret *ſeſſ.* 6. *cap.* 5. 6. 7. *& potiſſimùm octauo*, diſpoſitionem, de qua loquitur Concilium, non eſſe neceſſitantem ſine Sacramento; imò Sacramentum inducere neceſſitatem iuſtificationis ex efficacia ſua: quia *neque fides, neque opera, quæ ipſam iuſtificationem antecedunt, ipſam iuſtificationis gratiam promerentur.* Inueniret etiam in hac ipſa materia nomen *diſpoſitionis*, ex communi Theologorum, non accommodari ſolis actibus ſuſcipientis Sacramentum; ſed & characteri, quæ eſt diſpoſitio neceſſitans ad effectũ gratiæ ſacramentalis recedente fictione, non ex natura rei, ſed ex diuina ordinatione. Item, ſecundùm principia aliorum, & eiuſdem alibi, radix libertatis eſt in intellectu, ita vt quamdiu manet iudicium intellectus indifferens reſpectu mediorum, verbi gratiâ, nequeat ſequi electio vnius determinati medij in voluntate, donec determinetur reſpectu eius primùm intellectus; & hoc non obſtante actus intellectus per eundem non influit phyſicè in actum voluntatis, quamuis actus intellectus neceſſitet ad electionem determinati medij ſtante intentione efficaci finis: quomodo autem neceſſitet, niſi per modum diſpoſitionis neceſſitantis?

*Cenſura Vaſquez.*

*Retorquetur.*

*Character diſpoſitio.*

*Iudiciũ practicum intellectus eſt diſpoſitio neceſſitans.*

Idem etiam negat voluntatem imperare proprios actus: cæterùm ſtante actu priori voluntatis, ex ſuppoſitione neceſſitatur ad actum poſteriorem, quæ neceſſitas etiã in Deum cadit, cuius actus eſt improducibilis. Item, actus voluntatis per eundem & alios, non influit phyſicè in actus aliarum potentiarum, quamuis ad eas neceſſitet, tanquam diſpoſitio antecedens: ſic etiã ſuppoſito amore, & præſentiâ obiecti, ſequitur dilectio neceſſariò, quæ eſt actus elicitus voluntatis, iuxta placitum ſcholæ D. Thomæ, quod ipſe ſequitur.

*Actus prior voluntatis reſpectu poſterioris.*

*Actus imperans reſpectu imperati.*

*Amor reſpectu delectationis.*

Item, quid magis vulgare in Philoſophia, quàm formam priorem, quæ non influit phyſicè in poſteriorem, quæ ad eam ſequitur; vt quando ab eadem cauſa proueniunt duæ formæ cum ſubordinatione actionis, vt prior, inquam, dicatur diſpoſitio neceſſitans.

Quid ergo ſi talis diſpoſitio neceſſitans reducatur, communi ſenſu Theologorum & Philoſophorum, ad genus cauſæ efficiẽtis? Quid, inquam, abſurdi ſequitur appellare Sacramẽtum, eiúſque receptionem *diſpoſitionem neceſſitantem* ad gratiam, ex diuina ordinatione & inſtitutione; quæ ordinatio & inſtitutio eſt diuina voluntas antecedens alligata Sacramento, continens virtute poſteriorem, quâ ponitur gratia in effectu.

75 *Accommodatur ad propoſitum.*

Et id mirum eſt, ſi id in propria ſententia abnuat, cùm doceat nobiſcum Sacramentũ eſſe tantùm cauſam moralẽ gratiæ: nam illa virtus moralis ſuperaddita Sacramento, quid ſuperaddit præter id quod Doctor aſſerit? Reducendo autem ſeruatâ proportione cauſam moralem ad modum cauſandi cauſæ phyſicæ, vt communiter omnes reducũt, ſicut ſpeciem inferiorem ad ſuperiorem; & ſecundùm *quid*, ad ſimpliciter (eo modo, quo ipſum ens morale concipitur, & intelligitur ſuo

*Cauſa moralis reducitur ad modum cauſãdi cauſæ phyſicæ.*

modo

*Sacramẽtum imitatur dispositi nem necessitãtem.*

modo ad instar entis physici, vel saltẽ respectiuè ad ipsum (tanquam perfectius,) certè ad nullum genus causæ physicæ, secundùm proportionem imitationis in causando, magis priorè reducitur hic modus, quo Sacramentum causat gratiam, quàm ad illud quod vocatur dispositio necessitans ad effectum.

*Suarez malè interpretatur Doctorem.*

Hinc insurgit Suarez *3. part. tom. 3. disput. 9. sect. 2.* impugnando tertium modum explicandi causalitatem Sacramentorum, confundens Doctorem nostrum cum Durando in reipsa. Quamuis Scotus, inquit, modum loquendi dissimulet, *quem variis*, inquit, *coniecturis philosophicis, & exemplis explicat, quæ non oportet referre.* Duo tantùm exempla adducit noster Doctor, alterum Philosophicum de motu, alterum Theologicum, & morale de merito; adiungit autem rationem, quam dissimulat Suarez, & rectè, quia ex sensu vtriusque est probans.

76

*Obiicit cõtra Doctorem. Responsio.*

Obiicit primò, quòd nequit dici dispositio, quod ex se nullam habet connexionem cum gratia, supple physicam. Respondetur rectè dici dispositionem, quia necessitat ad gratiam ex ordinatione causæ producentis gratiam modo dicto, sicut meritum causat hoc modo, & disponit ad præmium: sicut actus adulti, qui antecedunt iustificationem, vocat Tridentinum dispositionem ad ipsam, quamuis non ex natura rei necessitent ad iustificationem; sed ex ordinatione diuina præsupponi debent in adulto. Viderit Suarez an rectè, & propriè loquatur Concilium & Doctores Theologi vniuersim, qui idem dicunt.

*Trident. Dispositio ex diuina ordinatione.*

*Secunda obiectio.*

Obiicit secundò dispositionem recipi in eodem subiecto, aut supposito, in quo est forma: sed formæ, saltem Sacramentorum, non recipiuntur in eo, cui applicantur Sacramenta: neque cùm fit Eucharistia, forma recipitur in pane, aut in corpore Christi. Item, ipsa Eucharistia non recipitur in homine, quando manducatur, vt in subiecto, sed applicatur illi. Hæc non sufficiunt ad appellationem dispositionis, aliàs applicatio causæ ad passum vocari posset dispositio, & causa per se. Item, aliàs sequeretur, quòd quidquid ex diuina ordinatione necessarium esset ad aliquem effectum, ita vt illo posito statim poneretur effectus, & non aliàs posset dici dispositio vltima ad talem effectum, vt si Deus statueret me loquente, creare Angelum: hoc autem impropriissimè diceretur.

77

Præterea, non minùs impropriè Scotus vocat Sacramentum instrumentum per se, cùm nihil influat, nec sit aliud quàm conditio requisita ex ordinatione Dei, ad cuius præsentiam Deus producat gratiam. Item, ad hominem reducit argumentum, quia aliàs malè negat Scotus dari posse instrumentum creationis. Item, non cohærent inter se Sacramenta esse dispositiones vltimas ad gratiam, & esse instrumenta; quia dispositio non habet actionem respectu formæ, instrumenta verò sic. Concludit tandem Scotum non loqui in rigore philosophico, sed latè appellare Sacramẽta dispositionẽ, & instrumẽta, hoc est, morali modo.

*Responsio.*

*Ad primum. Dispositio necessitans non semper est in eodem subiecto, aut supposito cum forma.*

Respondetur, Doctorem loqui de dispositione morali, non physicâ, vt patet ex dictis; & sic appellare Sacramenta dispositionem, vt habent annexam institutionem Dei. Ad primum quod obiicitur, respondetur primò negando Maiorem semper, etiam quoad dispositionem physicam, quia in communiori opinione Philosophorum, accidentia absoluta non insunt materiæ, sed vel formæ, vel toti: quo supposito, dispositio antecedens formam substantialem, quæ dicitur vltima necessitans ad ipsam, neque est in eodem subiecto, aut supposito cum forma substantiali sequente: quia calor, verbi gratiâ, est in ligno, forma ignis adueniens est in materia prima, quæ deinceps spectat ad suppositum ignis, non autem ligni.

78

*Secunda responsio. Duplex dispositio.*

Respondetur secundò, transeat Maior quoad dispositionem physicam, quæ se tenet ex parte causæ materialis per modum necessitantis ad formam; negatur de dispositione, quæ est ex parte causæ efficientis necessitante ad actionem transeuntem: verbi gratiâ, ignis in stupa, & quæcunque materia rara, non est dispositus ab intrinseco ob dispersionem virtutis, vt agat perfectè in aquam, vel lignum, aut aliud quodcunque fortiùs resistens: in materia tamen densa est dispositus ex collectione suæ virtutis, vt agat. Loquor de dispositione in sensu aduersarij, quatenus est vltima limitatio causæ ad actionem, vel passionem, neque sola causa materialis dicitur disponi vt recipiat, sed etiam causa efficiens, vt agat. Quod maximè verum est in moralibus, vt omnes fatentur in materia de ignorantia & concupiscentia, vt sunt causæ humanorum actuum, & in materia de gratia, & libero arbitrio, quod disponitur per gratiam.

*Necessitãs ex parte materia, & ex parte efficientis.*

*Disponitur etiam causa efficiens.*

*Responsio 3.*

Respondetur tertiò, ad maiorem discussionem illius propositionis, quam ipse tanquam notam supponit, distinguendo maiorem; in physicis, transeat, in moralibus & artificialibus negatur; quia in iudicialibus præmittuntur plures dispositiones, & solemnitates lege præscriptæ ante sententiam; sic etiam in contractibus, in artificialibus similiter plures dispositiones circa conuersionem vnius materiæ in aliam applicando actiua passiuis. Item dispositio requiritur in forma & figura instrumenti, vt patet, Sacramentum autem est dispositio moralis.

*Dispositio habens connexionẽ moralem tantùm.*

*Responsio 4. & 5.*

Respondetur quartò, quando vltimatè disponens habet rationem formæ, transeat maior; quando verò est extrinsecum quod applicatur tantùm, negatur: huiusmodi est Sacramentum. Quintò denique negatur minor in iis Sacramentis, quæ consistunt in vsu, quia neque materia sola, neque sola forma causant gratiam in sententia aduersarij, sed compositum ex his, nempe Sacramentum integrum, quod aliqua sui parte consistit in actione, quæ recipitur in subiecto, cui applicatur, vt ablutione, vnctione, tactu, &c. Sufficit autem ad integram denominationem, vt successiuum secundùm aliquam sui partem insit, quamuis secundùm omnes non insit; sicut & secundùm partes existit, & non permanenter: & vera est hæc, *Baptismus fit*, licèt sola ablutio secundùm aliquam partem tunc existat.

79

*Sicut dispositio, ita & forma, ineſt subiecto.*

Quod ergo vrget præfatus author de forma Sacramenti, si vellemus ad alia eius principia idem torquere, perinde respondere cogitur, quia non magis est de ratione dispositionis ineſſe eidem subiecto, in quo est forma, quàm de ratione formæ esse in materia cum qua componit. Suarez autem contendit formam, & materiam Sacramentorum facere vnum per modum actus & potentiæ: iam inueniat nobis modum, quo Sacramenti forma per modum actus insit materiæ, vt potentiæ cum qua componit, & sic facilis erit solutio sui argumenti ex propriis.

*Soluitur obiectio.*

Interim dicimus de ratione signi practici esse,

vt verificet ſuum ſignatum circa ſubiectum, & hoc modo applicari formam ſacramentalem verbalem circa ſubiectum, in quo operatur effectum, non per contactum phyſicum, ſed ex vi verborum; & ſic applicatur forma conſecrationis circa materiam Euchariſtiæ: quomodo autem cum hoc erit diſpoſitio neceſſitans?

*Eſt diſpoſitio neceſſitans forma conſecrationis.*

Reſpondetur eſſe diſpoſitionem, non per modum materialis, vt toto ſuo argumento allùdit præfatus author, ſed eſſe diſpoſitionem reſpectiuè ad cauſam principalem, nempe Deum, per quam applicatur eius voluntas poſterior, & executiua ad cauſandum effectum Sacramenti in eo, cui applicatur (ſiue per actionem ſenſibilem, ſiue per modum ſignificandi verborum connotantium ipſum ſubiectum in quo, vel materiam circa quam, vt contingit in conſecratione) quæ voluntas continetur virtute in ipſo Sacramento, vt haber annexam promiſſionem, pactum, & inſtitutionem ſui per modum ſigni ſenſibilis practici.

80 *Cauſa prioris quomodo eſt cauſa poſterioris.*

Nam, vt benè Doctor, cauſa prioris, non eſt cauſa poſterioris, niſi medium ſit aliquo modo cauſa poſterioris; diſpoſitio autem neceſſitans ad formam eatenus neceſſitat, quatenus per eam poſitam, non ſolùm ſubiectum ſit capax ſublato impedimento, vt recipiat formam poſteriorem, quia ſic præcisè non eſſet neceſſitans, ſed inquantum eſt determinatio quædam agentis, vt ponat formam, ad quam diſponit: quando enim agens agit cum ſubordinatione ad diuerſas formas, & cum ordine, nunquam eſt in potentia proxima agendi, reſpectu formæ poſterioris, donec ponatur forma prior in *eſſe*: & ſic per formam priorem poſitam, determinatur actiuè, vt ponat poſteriorem.

*Forma Sacramenti determinat cauſam principalem.*

*Explicatur.*

Sic in propoſito Deus alligauit virtutem ſuam actiuam Sacramentis, ea inſtituendo, vt certa ſigna gratiæ poſitis requiſitis: his ergo applicatis determinatur ad cauſandam gratiam: & hoc modo intelligit Doctor Sacramenta eſſe diſpoſitionem neceſſitantem ad gratiam. Ex hoc ſolo patet ad reliqua omnia quæ præfatus author congerit.

*Reſponſio ad reliqua. Cauſa per ſe definitur iuxta materiam ſubiectam.*

Nam quod addit de applicatione, ſic vocari poſſe cauſam per ſe, ſicut Sacramentum. Reſpondetur naturam cauſæ per ſe definiri debere iuxta materiam ſubiectam; aliter autem ſumitur cauſa in materia morali & Theologia, aliter in materia phyſica, & vbique pro eo quod influit *eſſe* in effectum: applicatio in phyſicis non dicitur cauſa, quia ſpectat ad actum primum, & non per modum principij, ſed per modum conditionis in rigore phyſico; in moralibus autem per ſolam applicationem, quandoque communicatur *eſſe* morale: Sacramenta autem continent effectum ex ſui inſtitutione modo dicto moraliter, & applicant diuinam voluntatem: vnde ipſe Suarez in fine admittit, quòd id quod phyſicè eſt conditio, aut cauſa per accidens moraliter, poſſit eſſe cauſa per ſe. Nos autem aliter dicimus nullo modo Sacramento dici cauſas per accidens, ſed cauſas per ſe.

*Applicatio in phyſicis non eſt cauſa.*

81 *Quid ſit conditio? Inſtitutio qua tribueret Sacramento eſſe conditionis tantùm.*

Vnde notandum eſt, quòd Sacramentum, aut actio phyſica Sacramenti, ex inſtitutione etiam diuina poſſit ſupponi ad creationem gratiæ in anima duobus modis. Primo modo, vt ſemper præexigeretur, ita vt aliter Deus non cauſaret, niſi illo ſuppoſito, quamuis non determinaret Deus ſemper, & certò, poſitâ actione phyſicâ, verbi gratiâ, ablutionis baptiſmalis, & prolationis formæ producere gratiam, ſed tantùm eam non producere niſi illis præſuppoſitis: & hoc modo inſtitutio illa magis proprie tribueret Sacramento *eſſe* conditionis ſine qua non, quàm veræ cauſæ.

*Exemplum.*

Exemplum eſt in conſenſu adulti prærequiſito ad receptionem Baptiſmi, qui licèt ſemper præexigatur, non eſt cauſa per ſe gratiæ, ſed conditio etiam ex inſtitutione diuina. Et ratio eſt, quia licèt prærequiratur, non tamen habet efficaciam inferendi effectus.

*Quid ſit cauſa?*

Secundo modo inſtitutio Sacramenti prout contingit de facto, eſt, & habet voluntatem determinatam, & efficacem producendæ gratiæ annexam, quantùm eſt ex natura inſtitutionis, & determinatione cauſæ principalis: & ſic non ſolùm eſt conditio, ſed ratione talis voluntatis, & inſtitutionis virtute continet effectum, quantùm eſt ex ſe, & poſitum in debita applicatione illum infert.

*Inſtitutio præſens dat eſſe cauſæ.*

*Reſpondetur ad inſtantiã de creatione Angeli.*

Ex quo patet ad inſtantiam de creatione Angeli ad locationem Petri, quia ſpectandus eſt modus, quo Deus ſupponeret locationem Petri ad talem creationem, vt caſus declaretur ſecundùm principia poſita. Diſtinctio præmiſſa quantùm ad ſecundum membrum eſt Doctoris, §. *Ad quæſtionem ſecundam*: vbi dicit veritatem Sacramenti eſſe veritatem eius practicam, ſeu conformitatem ad ſignatum: & reſponſione ad primum, & ſecundum, ibidem.

82 *Ad intellectum huius, ſciendum, quòd inſtrumentum*, &c. Hîc Doctor varias acceptiones inſtrumenti aſſignat; deinde ſubiungit dubium de inſtrumento artis, an ſit actiuum? Cuius probatio eſt clara ex litera, quia neque durities, neque forma, aut figura inſtrumenti artificiati ſunt actiua. Deinde accommodando ad propoſitum, explicat quomodo Sacramentum ſit inſtrumentum hoc modo, licèt non agat phyſicè, ſed præſupponitur ad gratiam in ſuo *eſſe* phyſico & morali, tanquam effectus prior, vt prouenit à voluntate diuina inſtituente, & à miniſtro applicante: ex quo patet ad illud, quod Suarez deinceps opponit ex natura inſtrumenti, quod debet eſſe actiuum; hoc enim negatur, loquendo de actione phyſica. Minùs vrget quod arguit idem author quaſi ad hominem malè, Scotum negare dari poſſe inſtrumentum reſpectu creationis, aut termini eius, ſi inſtrumentum non eſt actiuum. Reſpondetur Scotum non negare dari inſtrumentum morale, quia id concedit de Sacramento, ſed negat dari inſtrumentum ex natura rei diſpoſitiuum, aut quod certè attingeret ipſum effectum creationis.

83 *Forma contraria ſe formaliter expellunt.*

Circa illam propoſitionem Doctoris: *Vbi eſt formalis incompoſſibilitas in creatura, vnum illorum non expellit aliud actiuè, ſed tantùm formaliter*, &c. Controuerſia eſt Philoſophica, quidam enim dicunt actiuè formas contrarias ſe expellere à ſubiecto. Sed meliùs Doctor, quia vna forma non expellit aliam, niſi propter incompatibilitatem in eodem ſubiecto, quâ ſubiectum eſt, ideò ſpecificatur eorum oppoſitio in ordine ad ſubiectum commune: ſicut ergo formæ, quà formæ ſunt, comparantur ad ſubiectum per modum actus ad potentiam, ſic quòd illis competit in ordine ad ſubiectum, competit ipſis quatenus ſunt formæ, & actus ſubiecti, ac proinde formaliter: & ſic etiam omnis alia oppoſitio attenditur formaliter,

vt

vt priuatiua, contradictoria, & etiam relatiua suo modo.

Aliud ergo est considerare hanc expulsionem, vt reducitur ad agens mediante formâ, vt suo effectu, quia sic ab ipso est mediante actione, & termino eius, ac proinde actiuè: quia quidquid est ab agente, est ab ipso actiuè, & quà est agens. Aliud verò loqui de eadem expulsione, vt est à forma ex incompatibilitate, quia non virtualiter includit talem incompatibilitatem, sed competit ei ratione sui *esse* formalis, & per differentiam specificam, quæ ex se primò est talis, non participatione ab alio formaliter: vnde perinde eidem conueniret talis incompatibilitas, etiamsi esset improducta. Hinc Doctor, variis in locis, dicit agentia virtualiter opponi ratione effectuum; effectus ipsos, seu formas opponi formaliter. Si comparetur forma in ratione effectus, & vt subest virtuti efficientis ad aliam formam sic dici potest aliquo modo effectiuè se habere, sed vt comparatur in *esse* causæ formalis, formaliter expellit.

Aliud supereſt dubium, An corpora circa idem, *vbi* opponantur formaliter, vel virtualiter? Quod infrà commodiori loco tractabitur in materia de Beatitudine, & eius dotibus, & de impenetrabilitate *dist.* 44.

## SCHOLIVM.

*Ad secundam quæstionem respondet consequenter, nullam virtutem physicam ponendam in Sacramento, propter rationes allatas. Sumendo tamen* virtutem *pro vltimo potentiæ signi practici, admittenda est in Sacramentis, quia tantùm est significare efficaciter, id est præuiè, & certò. Soluit argumenta pro D. Thom. adducta num. 2. & principalia q. 5.*

16 Ad quæstionem [m] secundam, patet per idem quòd nec manifestè possibile, nec necessarium est ponere illam virtutem, quæ sit forma realis in Sacramento. Vt quid enim toties generaretur, & corrumperetur? Nec per illam si poneretur, aliquid causaretur in anima, nec causaretur ipsa regulariter, nisi ex pactione diuina cum Ecclesia: & sic sine tot superfluis in aqua, & anima intermediis, potest saluari quòd pactio diuina sit immediata, respectu effectus conferendi, & recipiendi Sacramenta.

Si tamen fiat altercatio propter auctoritates de isto vocabulo *virtus*; potest dici, quòd virtus vno modo, est vltimum de potentia, *primo Cœli, & mundi.* Vltimum autem potentiæ signi practici, est quòd significet efficaciter, hoc est, præuiè, & certitudinaliter. Nam non posset signo, inquantùm practicum est, competere maior potentia. Tamen talis virtus potest concedi esse in Sacramento: sed ista non est aliqua forma absoluta, sed tantùm relatio conformitatis signi ad signatum. Et siue ista pertineat ad essentiam Sacramenti, (& tunc oporteret, quòd Sacramentum non tantùm includat rationem signi, cum suis differentiis, sed etiam aliquam rationem conformitatis ad signatum, quæ dicitur veritas in signo: & patet quòd istarum relationum vna accidit alteri, & quasi posterior fundatur in alia priori: conformitas enim in signo fundatur, & posset esse signum sine ea) siue ista non pertineat ad rationem Sacramenti, sed sit accidens concomitans, vt in pluribus, saltem ista ratio est illud vltimum de potentia signi practici, & sic virtus.

*Text. 16. Quæ virtus Sacramenti?*

17 Ad primum [n] autem dico, quòd aqua abluit cor, id est, animam, non quidem causan

m *Ad quæstionem secundam per idem*, &c. Hîc respondet ad quæstionem secundam, cuius conclusio est, *Nullam virtutem physicam superaddi Sacramento, nec possibilem esse talem*, id est, non ostendi per rationes, aut authoritatem illam inesse, & nullâ necessitate adstrui: efficacia enim Sacramenti est ex pactione diuina cum Ecclesia: & si contendatur de virtute propter authoritates Sanctorum, & Ecclesiæ, quæ dicit Sacramenta includere virtute suum effectum; potest dici (sumendo *virtutem* cum Philosopho 1. *de Cœlo, & mundo*, pro eo, quod est vltimum potentiæ) quòd sic virtus Sacramenti est esse signum efficax gratiæ, & aliam virtutem non posse eidem competere.

84 *Resolutio quæstionis quintæ. Conclusio negatiua.*

*Virtus Sacramentorũ.*

Dicit ergo Sacramentorum conformitatem cum suo signato esse hanc virtutem, quatenus vt priùs naturaliter illum certò significat & infert. Hæc omnia clara sunt ex dictis. Dubitat Doctor, vtrùm relatio conformitatis Sacramenti ad suum signatũ, sit de essentia eius? Respõdetur esse differentiam Sacramenti ex iis, quæ *suprà* diximus de definitione Sacramẽti, ex ipso Doctore, qui negat potestatem instituendi Sacramenti posse conuenire creaturæ, & fundatur in certitudine significationis sacramentalis, quæ fundatur in assistentia diuina. Vnde quando hîc separat à relatione signi etiam practici illam conformitatem, non loquitur de Sacramento completè sub omni ratione sui, sed tantùm sub ratione generica, & incompleta.

*Dubium.*

*Soluitur.*

*Explicatur Doctor.*

His ergo suppositis circa resolutionem vtriusque quæstionis per Doctorem, quantùm ad efficaciam, & virtutem, & modum causandi gratiam per Sacramenta, adiicio hanc confirmationem ex sanctis Patribus, ex quorum modo loquendi facilis est, & verax resolutio Doctoris.

85 *Confirmatio dictorum ex sanctis Patribus.*

Cyprianus serm. de Baptismo: *Remissio peccatorum, siue per Baptismum, siue per alia Sacramenta donetur, propriè Spiritus sancti est, & ipsi huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotem ministeriis attributa, visibile celebrant Sacramentum; rem verò Sacramenti Spiritus sanctus format, & efficit, & consecrationibus visibilibus, inuisibiliter manum totius author bonitatis apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguedo sanctificationibus officialibus infundit, & rem Sacramenti consummat, & perficit*, &c.

Ambro

cauſando diſpoſitionem mediam inter ipſam, & gratiam abluentem: ſed abluit tanquam diſpoſitio proxima, & immediata ad gratiam, eo modo, quo dicitur, quòd meritum inducit beatitudinem, vel quòd ſectio, ſiue alia huiuſmodi præparatio inducit ſanitatem. Si enim cauſaret diſpoſitionem ad gratiam, & ſic diceretur abluere, adhuc oportet illam diſpoſitionem immediatiùs abluere, ſicut argutum eſt ſuprà, de ordine cauſarum reſpectu tertij.

Ad ſecundum dico, quòd Magiſter in definitione Sacramenti, per hoc quod addit, *& cauſa exiſtit*, nihil aliud intelligit, niſi quòd eſt ſignum efficax, per quod intendit quòd ſit practicum certum, & verum, & præuium naturaliter ad ſuum ſignatum.

*Ad 2. Diuerſitas Sacram. vet. & nouæ leg. in cauſando gratiam.*

Per idem dico ad illud de diſtinctione Sacramentorum nouæ legis, & veteris: non enim diſtinguuntur per illud, quod neutri illorum poteſt conuenire, ſcilicet actiuè agere ad aliquid ſpirituale in anima: ſed iſta nouæ legis gratiam cauſant, tanquam ſignum efficax, illa autem veteris legis non, loquendo de Sacramentis, id eſt, de cæremoniis illius legis. De hoc patebit in ſequenti quæſtione.

*Ad 3.* Ad aliud dico, quòd ſi motio ſerræ eſſet diſpoſitio proxima ad inductionem alicuius formæ, & non ex natura alicuius motionis, ſed ex diſpoſitione alicuius agentis ſimul cooperantis, poſſet rationabiliter peti ab illo agente, quòd illa motio perficeret id quod continet: hoc eſt dictu, quòd ſicut continet illud tanquam diſpoſitio præuia, ſic perficiat illud, hoc eſt, ad ipſam immediatè ſequatur illud. Hoc modo eſt in propoſito.

18 *Ad rationes D. Thom. poſitas n. 2.* Ad illa quæ adducuntur in prima opinione, patet ex iſtis: Sacramentum enim non eſt tantùm cauſa per accidens, ſicut nec ipſe poneret ornatum, vel characterem eſſe cauſam per accidens reſpectu gratiæ: immò ſicut poneret illud cauſarum à Sacramento, eſſe per ſe diſpoſitionem ad gratiam: ita dico, quòd Sacramentum, vel eius ſuſceptio, eſt diſpoſitio proxima ad gratiam. Et per hoc patet, quomodo ponitur in definitione eius, & quomodo pertinet ad artem tractantium de Sacramentis. Si enim aliquis conſideraret inciſionem, vel aliquid huiuſmodi, inquantum ordinatur ad ſanitatem humanam, definiret ipſam, & differentiam aſſignaret per ipſum ordinem, licèt ipſe ordo accideret naturæ rei in ſe. Hoc modo Sancti, & Doctores, non curantes de Baptiſmali

Ambroſius *lib. 1. de Sacramentis, cap. 3.* diſcernens inter ea, quæ videntur in ſacro myſterio Baptiſmatis, & ea, quæ non videntur: *Ingreſſus es*, inquit, *vidiſti aquam, vidiſti Sacerdotem, vidiſti Leuitam*: & infrà, *Vidiſti, quæ videre potuiſti oculis tui corporis, & humanis conſpectibus, non vidiſti illa, quæ operantur, quia non videntur: illa multò maiora ſunt, quæ non videntur, quàm quæ videntur; quoniam, quæ videntur temporalia ſunt, quæ non videntur æterna*, &c. Per ea autem quibus tribuit operationem, & non videntur, intelligit Spiritum ſanctum, cui tribuit operationem gratiæ in anima: vt patet *cap. 5.* vbi adducit exemplum Naamam Syri, eiuſque purgationis in Iordane, alludens ad ea, quæ viſibilia ſunt in Sacramento, & alia, quæ non videntur, ſicut aqua Iordanis fuit viſibilis, & Naaman, ſed non virtus ſanatiua, quâ mundatus eſt à lepra: *Vidiſti*, inquit, *aquam, ſed non omnis aqua ſanat, ſed aqua ſanat, quæ habet gratiam Chriſti: aliud eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio: aqua opus eſt, operatio Spiritus ſancti eſt*, &c. Et lib. 3. cap. 2. dicit ad inuocationem Sacerdotis infundi Spiritum ſanctum baptizato, quæ inuocatio ad genus cauſæ moralis reducitur. Ambroſius.

Item Auguſtinus *epiſtola 23. ad Bonifacium*, docens peccatum parentum non poſſe nocere infanti offerentium ipſum idolo: non nocere, inquam, quantùm ad culpam, vt qui baptizatus eſt, & purgatus ab originali, quod contraxit ab Adamo: *Niſi quis*, inquit, *renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. *Aqua igitur exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ, ſoluens vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerans hominem Chriſto*, &c. *Sacramentum gratiæ*, id eſt, ſignum exhibet, *aqua forinſecus*, beneficium gratiæ operatur intrinſecus Spiritus ſanctus, *& lib. 15. de Trinit. cap. 26.* negat eâdem ratione diſcipulos Chriſti dediſſe Spiritum ſanctum: *Orabant*, inquit, *vt veniret in eos, quibus manus imponebant*. Item, Hieronymus, Iſaiæ 4. tractans illud Matth. 3. *Ego vos baptizo in aqua*, &c. *Ex hoc*, inquit, *dicimus quòd homo tantùm aquam tribuat, Deus autem Spiritum ſanctum*, &c. 86 Auguſtinus. Hieron.

Accedunt & Patres Græci explicantes illud Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. Purgationem à culpa tribuunt Spiritui: & quia homo compoſitus eſt ex anima & corpore, aquam corpori ſanando, Spiritum animæ accommodant. Nyſſenus in lib. de Baptiſmo circa initium: *Hoc autem*, inquit, *beneficium non aqua largitur (eſſet enim omni creatura ſublimior) ſed Dei præceptum, & Spiritus, qui myſticè ad noſtram libertatem venit acceſſus. Aqua verò ſubſeruit ad oſtendendam purgationem*. & infrà, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. *Quare bina illa, & non ſolus Spiritus ſufficiens exiſtimatus eſt ad completionem baptiſmatis*? Reſpondet, *Compoſitus eſt homo, & non ſimplex vt certò ſcimus: atque idcircò duplici coniunctòque cognata ſimiliáque elementa ad curationem deſtinata, atque attributa ſunt; corpori quidem quod apparet, aqua, quæ ſub ſenſum cadit, animæ verò quod viſum effugit. Spiritus qui non apparet, qui ſide vocatur, qui infallibiliter accedit*, &c. Idem docet Nazianzenus *oratione in ſanctum Baptiſma*. Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 3.* Cyrillus Alexandrinus, & Euthymius *in Ioannem*. Damaſcenus *lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 10.* Tertiò denique adduci poſſunt omnes expoſitores in illud *Matthæi 9. Marci 2.* ſuper illud: *Quis poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus?* vbi docent communiter ex remiſſione Nazianzen. Cyrillus Hieroſ. Cyrillus Alexand. Euthym. Damaſc.

Baptismali ablutione, quantùm ad naturam in se, non magis, quàm de natura balneationis cuiuscunque per se, considerant illud inquantùm ex institutione diuina habet ordinem ad gratiam: & ideò sic definiunt,& differentias assignant.

19 *Ad arg.1. q.2.* Ad primum argumentum secundæ quæstionis, patet quòd virtus illa est efficacia signi respectu signati, quæ efficacia non est forma realis,maximè absoluta, sed est veritas signi virtualiter præcedentis signatum.

*Ad 2.* Ad secundum, si sanitas non posset nisi ab agente voluntario induci, & ab ipso institueretur aliquod signum,quod esset efficax, seu dispositio necessitans ipsum ad inducendum sanitatem;illud signum esset medicina virtuosa:non tamen per aliquam formam absolutam, quæ esset principium sanandi,sed tantùm per ordinem efficacem ad sanitatem.

*Ad 3.* Ad tertium potest dici, quòd quoties Sacramentum est nouum, toties fundamentum est nouum: & tunc non est ibi noua relatio sine mutatione fundamenti: sed illa mutatio non est ad aliquod absolutũ in fundamento,sed ad esse fundamenti.

Vel aliter dici potest,quòd relatio rationis potest esse noua in aliquo,absque omni nouitate absoluti in ipso: sufficit enim noua comparatio absoluti ad alterum per actum intellectus: hoc modo potest Deus dici Dominus de nouo, sine nouo absoluto in ipso. Vel magis ad propositum potest nummus dici pretium de nouo: esse enim pretium,non dicit nisi relationem rationis, sicut nec esse commutatum pro alio: esse enim commutatum non magis dicit relationem realem, quàm esse datum: datum autem(vt manifestum est, cùm dicat habitudinem obiecti ad voluntatem) non dicit nisi rationis relationem in ipso dato: sicut nec intellectum esse in obiecto intellecto.

*Qualiter Deus acquirit relationes de nouo.*

remissione peccatorum, Christum ostendisse se esse verum Deum: ergo ad solum Deum id spectat, physicè loquendo,ad alios autem moraliter, & potestate communicatâ, quæ non excedit moralem,impetratoriam,aut ministerialem,aut certè meritoriam,quia variis modis hæc potestas communicari potest, & de facto communicata fuit Christo quà homo erat, vt capiti, Apostolis vt ministris,Sacramentis, vt instrumentis, quæ non excedunt genus causæ moralis, quia si physicè,vt ita dicam,communicaretur virtus dandi Spiritum sanctum per gratiam,& remissionem peccati,quæ de facto annexa est gratiæ, videtur argumentum colligendi Deitatem Christi ex eiusmodi operibus, esse satis ambiguum. Vnde Nyssenus dicens aquam Baptismi non largiri hoc beneficium, sed Dei præceptum,& Spiritum,&c.Subiungit rationem,*esset enim omni creaturâ sublimior*, supple,aqua, si daret gratiam: quod intelligi debet physicè, si attingeret productionem gratiæ: ergo si Christus quà homo habuit potestatem physicam dandi gratiam, vnde colligeretur ex hoc effectu eum esse Deum, argumento quod est à posteriori, & tanquam ab effectu ad causam,& quo vtuntur Patres:sicut non sequitur,producit calorem,ergo est ignis,quæ est fallacia consequentis. Atque idem colligitur rectè ex Tridentino suprà, assignando causas per se iustificationis, ad Deum solùm reducere efficientiam,quod intelligi debet ex sensu Concilij & Patrum de efficientia simpliciter physicâ:nam & Christus quem docet esse causam meritoriam, si loquamur de morali efficientia, est perfectior causa efficiens, quàm Sacramentum, quod in virtute operum Christi & passionis eius ac Crucis,operatur secundùm Patres: ergo quòd dicatur instrumentalis causa,non infertur esse instrumentum ex efficacia physica attingens gratiam immediatè: quod perinde concludit si respondeas,quòd etiam Christi humanitas per modum instrumenti physici attingebat opera miraculosa, quia eadem est difficultas: & suo loco ex Patribus oppositum probauimus in tractatu de Incarnatione.

*Potestas remittendi peccatum variè cõmunicata.*

*Argumentũ Patrum, quo colligunt Christum esse Deum.* Nyssenus.

88 *Responsio aduersariorum. Impugnatur.*

Ad hæc ergo loca, & similia, respondent aduersæ sententiæ assertores denotari causam principalem tantùm. Sed hæc responsio non tollit difficultatem,quia de hoc nemo vnquam dubitauit, aut dubitare potuit Deum esse authorem, & causam principalem salutis: ergo quando Patres excludunt à Sacramentis efficientiam, tribuendo eam soli Deo,debet intelligi physica simpliciter, cùm tribuant effectum Sacramenti Deo tanquam causæ; & cùm colligant diuinitatem Christi ex tali effectu, supponunt non posse procedere physicè ab alio principio.

*Confirmatur. Ex modo loquendi Patrũ contra Pelagianos.*

Confirmari potest ex iisdem Patribus, contra Pelagianos, quia licèt tribuant Deo principalem efficientiam, explicando Paulum circa bona opera liberi arbitrij; tamen reseruant libero arbitrio suum influxum vitalem, & physicum in eadem opera,ita tamen vt subsit gratiæ Dei præuenienti, & adiuuanti, disponenti & præparanti ad consensum, & operis boni prosecutionem, vt patet nouissimè ex Tridentino *sess. 6. cap. 5. & 6.*

Aliter autem loquuntur de efficientia gratiæ per aquam & Spiritum, excludentes eandem ab aqua, & tribuentes eam soli Spiritui,quod physicè intelligi debet: sic etiam loquuntur de operibus miraculosis, vt procedunt à Sanctis, quibus tantùm adscribunt fidem, orationem, & impetrationem, trationem, & soli Deo operationem physicam miraculi.

89 *Responsio. Impugnatur.*

Dices hoc argumentum tollere à Sacramentis etiam efficaciam moralem, & fauere hæreticis. Contrà, quia hanc ipsam denotant Sancti locis præfatis,cùm dicunt Deum ministrato foris Sacramento interiùs operari,& designant connexionem illam, quæ est ex pacto & promissione, inter aquam, verbi gratiâ, & Spiritum in ordine ad sanctificandum hominem:quorum verba satis concordant modo,quo noster Doctor explicat,& defendit efficaciam Sacramentorum: & de facili concordant ipsi Sancti, quando negant effectũ Sacramenti procedere ab eo,quod exteriùs datur, intelligi per efficientiam physicam, quia sic est

*Efficacia Sacramenti.*

solius

ſolius Dei propriè. Quando verò dicunt Sacramenta cauſare effectum intelligi de efficientia inſtrumentali & morali.

Neque ad defenſionem doctrinæ Catholicæ, aduocandæ ſunt nouæ difficultates, & philoſophicæ, cùm idem modus loquendi ſit Scripturæ: quoad alia, quibus nequit conuenire aliud genus efficaciæ quàm moralis. Quoad hæreticos autem nihil captare poſſunt; imò magis & facilius conuincitur eorum error: negant enim dari gratiam per receptionem Sacramentorum, ſed ea eſſe ſigna rememoratiua, aut excitantia fidem, & nihil conferentia de nouo, ſiue phyſicè illud cauſarent, ſiue tantùm moraliter.

*Error hæreticorum.*

Quæ controuerſia omnium conſenſu aliena eſt à quæſtione fidei, & verſatur circa modum, quo Sacramenta cauſant gratiam, quam dari per ipſa eſt de fide. Ex quibus patet reſolutio Doctoris in vtraque quæſtione.

90

n *Ad primum autem dico, quòd aqua abluit cor, id eſt, animam*, &c. Hìc reſpondet Doctor ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ, nempe D. Thomæ, & in primis ad illud Auguſtini hom. 80. in Ioannem: *Quæ eſt iſta virtus aquæ vt corpus tangat, & cor abluat?* Et habetur 1. quæſt. 1. capitulo *detrahe*, &c. His verbis Auguſtini adiungunt ſimilia loca Patrum moderni: ac tandem Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* vbi enumeratur Baptiſmus inter alias cauſas iuſtificationis, ſed cæteræ ſunt cauſæ propriè dictæ: ergo & Baptiſmus. Additur Senonenſe Conc. *cap. 10.* vbi tribuit eidem efficaciam reſpectu gratiæ. Moguntinum *cap. 11.* vocat Sacramenta inſtrumenta & remedia.

*Satisfit argumentis.*

Trident.

Senonenſe.

Moguntinū.

Reſpondetur ex dictis illa omnia verificari de Sacramentis tanquam cauſis moralibus, & non phyſicis. Abluit ergo aqua cor, quatenus habet annexam aſſiſtentiam Spiritus, & Dei pactum. Enumerat Tridentinum cauſas per ſe, & proprias iuſtificationis, quarum vna eſt Baptiſmus, altera etiam merita Chriſti, & principalior quàm Baptiſmus, quæ non cauſant phyſicè ſuum effectum.

*Baptiſmus eſt cauſa moralis inſtrumentalis.*

*Probatio, & explicatio Patrum.*

Perinde etiam illa loca referuntur ad quemcunque effectum, qui ex virtute Sacramenti confertur, qualis eſt gratia actualis effectus gratiæ, quem recipit fictus recedente fictione, ex efficacia Sacramenti præteriti, aut certè characteris, vterque effectus competit Sacramento, vt cauſæ morali. Quando etiam confertur mediante Baptiſmo, verbi gratiâ, effectus aliquis miraculoſus, ad virtutem Baptiſmi refertur, quæ erit tantùm moralis. Superiùs etiam oſtendimus per eandem formam verborum in Scriptura exprimi efficaciam fidei, pœnitentiæ, charitatis, &c. quibus moralis efficacia competit ſolùm. Adducta ſunt etiam alia exempla, quibus ſatis quadrat authoritas Bernardi, quam adducit Doctor pro oppoſito.

Adiicere licet aliquos Patres tribuere hanc virtutem ſanctificandi aquis, ex contactu carnis Chriſti in Iordane, vt Chryſoſtomus *homilia 25. in Ioan.* Beda *lib. 1. in Lucam, cap. 10.* Quamuis tamen nullam virtutem ſuperadditam recepit aqua, ſed deſignata tantùm fuerit materia Baptiſmi, & inchoatè ſanctificata per contactum carnis Chriſti.

Chryſoſt. Beda.

91

1. *Arg.*

Præterea obiiciunt proprietatem verborum ſeruandam eſſe, formam pœnitentiæ ſignificare liberationem animæ à peccato, quod nequit fieri, niſi Sacerdos conferat gratiam mediante ipſâ: ergo phyſicè. Reſpondeo, concedo Maiorem & Minorem, & nego conſequentiam: quia verba verificantur iuxta materiam ſubiectam; verba autem nequeunt participare talem virtutem, aut efficaciam phyſicam: habent efficaciam per modum actus iudicialis, & ſupponunt authoritatem abſoluendi in Sacerdote, quam tribuit ei Eccleſia, cuius exercitium ſunt illa verba: Eccleſia autem nequit transferre per approbationem Confeſſarij in ipſum authoritatem, quæ habeat efficaciam phyſicam, ſed moralem duntaxat: conſequentia ergo oppoſita ſequitur ex præmiſſis, neque ex vi ſolius ordinationis ſine approbatione Eccleſiæ validè abſoluit.

*Soluitur.*

*Quo modo & forma Pœnitentia delet peccatum.*

Tertiò denique obiiciunt, quòd Chriſtus Dominus mediante ſuâ humanitate tangendo, & loquendo conferebat phyſicè gratiam, operabatur effectus miraculoſos: ergo idem ſentiendum de Sacramentis. Reſpondetur, negando antecedens, quantùm ad modum cauſandi, quia contrarium docent Patres, vt ſuo loco videri poterit. Et dato antecedente, negatur conſequentia: primò, quia in Sacramentis, quæ tranſeunt, antequam effectus cauſatur, eſt repugnantia ex parte ſubiecti in ordine ad eam cauſalitatem; non ita in humanitate Chriſti, quod fuit ſubiectum permanens: deinde Sacramenta in virtute meritorum Chriſti, quatenus ea applicant, ſunt efficacia, vt patet ex *Trid. ſeſſ. 5. can. 5.* vbi dicit originale remitti, quà meritum Chriſti applicatur per Baptiſmum, ac proinde non poſſunt excedere cauſalitatem operum Chriſti, quæ moralis eſt,

92

4. *Arg.*

Ad reliqua argumenta D. Thomæ, ſicut & ad argumenta, quæ adducta ſunt in oppoſitum pro vtraque quæſtione, reſpõſio Doctoris eſt clara, & hactenus ſufficienter declarata; vlterius proinde non eſt immorandum. Controuerſia cum hæreticis tangenda erit de Sacramentis in ſpecie, ne eadem contingat repeti: & quia in hac quæſtione eam non tangit Doctor, ſupponens fidei principia, de quibus tamen nulla fuit controuerſia eo tempore in Eccleſia.

Supereſt tantùm vt breuiter adiiciam quid nomine *gratiæ ſacramentalis* (cuius mentionem fecimus in Commentario) intelligant Doctores. Alenſis *4. part. quæſt. 5. m. 4. art. 2. §. 1.* D. Bonauentura *diſt. 1. art. 1. quæſt. 6.* & Richardus aſſerunt gratiam ſacramentalem differre ab habituali in ratione effectûs, quòd illa ſcilicet detur per hoc, aut illud Sacramentum, ad finem ſpecialem Sacramenti, vt per Baptiſmum per modum regenerationis; per alia Sacramenta eodem modo in ordine ad ſuos fines, neque apud Doctorem inuenio aliam mentionem gratiæ ſacramentalis, quæ ab hac differat.

93

*Quid ſit gratia ſacramentalis.*

Alenſis.

D Bonauēt.

Richardus.

Paludanus *diſt. 2. quæſt. 3.* dicit ſacramentalem diuerſam eſſe ab habituali donis, & ornatu; & in quoque Sacramento dari propriam, & diſtinctam ad finem Sacramenti. Capreolus eodem modo dicit eſſe diſtinctam ab omni alia qualitate; intelligere autem videtur qualitatem eſſe diuerſam, & permanentem, quæ diſponat ad effectum peculiarem Sacramenti. Sotus interpretatur eum intendiſſe characterem in Sacramentis, quæ characterem imprimunt; in aliis verò ornatum, de quo *ſuprà* egimus. Moderni autem Thomiſtæ, vt Suarez, Vaſquez, Ledeſma, & alij, aſſerunt conferri virtute ſingulorum Sacramentorum auxilia ſpecialia gratiæ actualis, quæ conſiſtunt in piis impulſibus & inſpirationibus datis ad finem cuiuſque Sacramenti.

Paludanus.

Capreolus.

Sotus.

Suarez. Vaſquez. Ledeſma.

Res

94 *Resolutio.* Res est incerta: id autem constat, varios esse fines Sacramentorum; an autem ad eos gratia habitualis, circa quam Sacramenta primariam habent efficaciam, sit sufficiens, vt dicunt primi authores? An præterea dentur hæc auxilia actualis gratiæ regulariter, certò constare nequit, vniuersaliter loquendo; quamuis in specie fortè magis colligatur in quibusdam Sacramentis, quàm in aliis: in primis effectus Baptismi, qui est regeneratio hominis, & translatio ab eo statu, in quo quis nascitur filius Adam, ad statum adoptionis filiorum Dei, haberi potest per habitualem gratiam; & de hac solùm loquitur Tridentinum, & alia Concilia, quando agunt de effectu huius Sacramenti: de gratia autem actuali non loquuntur; & fortè sufficit character pro dispositione huius Sacramenti, inquantum est permanens, & quantùm est de se necessitans ad effectum Sacramenti. An præterea dentur auxilia ad obseruandam legem generalia, & professionem status, quem baptizatus assumit, exuens veterem hominem, & induens nouum: item vt reddatur homo magis dispositus ad dignam receptionem Sacramentorum; incertum est ex Conciliis, quamuis de bonitate Dei, & misericordia præsumi possit; id autem constat saltem ratione Baptismi, & characteris, baptizatum acquirere protectionem specialem sui contra diabolum, & inuisibiles potestates.

*Gratia Baptismalis.*

95 *Gratia Pœnitentialis.* Pœnitentiæ effectus est reconciliatio peccatoris, ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 3. quæ fit etiam per habitualem: interdum autem in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, inquit Concilium, *conscientiæ pax, & serenitas, cum vehementi spiritus consolatione, consequi solet*, &c. Hæc autem refundi potest in gratiam actualem, qui tamen effectus non est regularis in omnibus, saltem in eo gradu perceptibili; quamuis neminem esse putem, qui accedat cum fide, & deuotione ad Sacramentum, quin in eo acquirat pacem conscientiæ. Posset præterea dici, dari in hoc Sacramento gratia ad opera satisfactionis, & mortificationis, quæ excitant etiam ad frequentem vsum ipsius Sacramenti ex affectu satisfactionis, & vindicandi in se peccati.

*Gratia Eucharistica.* Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 2. effectum Eucharistiæ statuit in eo, vt & *sit cibus animarum, quo alantur, & confortentur viuentes vitâ illius, & sit antidotum à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus seruentur*, &c. Reducendo hunc effectum præseruationis à mortalibus ad principia communia de gratia Dei, & auxiliis, certum est hunc effectum, quem omnes tribuunt Eucharistiæ, prouenire à gratia actuali præueniente, quæ necessaria etiam est iustis & sanctificatis, vt euitent peccata: ex epistola Innocentij I. ad Concil. Carthaginen. & alia eiusdem ad Concil. Mileuitan. epistola Cælestini I. *can.* 6. ex Mileuitan. *can.* 4. & 5. Arausicano *cap.* 10. & supponit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 16. Innocent. I. Cælestin. I. Mileuitan. Arausican. Trident.

Idem dicendum videtur à paritate, de Sacramento Confirmationis; cuius effectus est tribuere robur, & constantiam ad profitendam fidem, & superandas tentationes, & pericula seducentia, quod debet fieri per gratiam operantem, quæ est actualis.

96 *Gratia cõfirmat.*

Item, res Sacramenti extremæ Vnctionis, vt docet Trident. *sess.* 14. de eodem Sacramento; gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quâ infirmus subleuatus, morbi incommoda ac labores leuiùs fert, & tentationibus dæmonis, calcaneo insidiantis, faciliùs resistit: hæc autem magna ex parte fiunt per gratiam actualem. *Gratia extremæ Vnctionis.*

Eodem modo de Ordine, cuius fine & ministerio, & dispensatione congrua, probabile est dari gratiam actualem, idque exigit finis eius & pericula emergentia, & rectus vsus. *Gratia Ordinis.*

Item, in Sacramento matrimonij exigitur similis gratia ad subleuanda onera matrimonij, & educandam prolem, & ad vincendam concupiscentiam, cuius moderamen Augustinus *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 2. reducit ad gratiam operantem, quæ datur tempore congruo. Videtur ergo sententia vltima certa esse in quibusdam Sacramentis, in aliis probabilis. *Gratia Matrimonij.*

Antiqui autem Scholastici, vtplurimùm loquũtur de effectu gratiæ sanctificantis, quæ etiam ad finem cuiusque Sacramenti datur. Hæc autem gratia sanctificans potest dici finis gratiæ actualis, quæ ad eius conseruationem ordinatur: vnde dici potest virtute in ea contineri hoc modo, & etiam habitualem, tanquam formam priorem ad eam disponere moraliter, prout ex fine Sacramenti datur: agunt ergo Doctores antiqui de illa, quæ confertur statim per Sacramentum, & in ordine, ad quam verificatur Sacramentum, quæ est habitualis; & forma Sacramenti de præsenti, & practicè.

---

## Quæstio VI.

### *Vtrùm in Circumcisione ex vi eius collata fuerit gratia?*

Alens. 4. *p. q.* 7. *m.* 7. *per totum.* D. Bonau. *hic* 2. *p. art.* 2. *q.* 3. Ric. *art.* 6. *q.* 1. Gabr. *q.* 4. Rubion *q.* 5. Mayron. *q.* 2. Maior. *q.* 5. Durand. *q.* 5. D. Thom. 3. *p. q.* 70. *a.* 4. Suarez *tom.* 3. *p. d.* 5 *sect.* 1. Vasquez 3. *p. d.* 165. *Vide* Scot. *de primo princ. c.* 3. *in Theorem.* §. *non potest probari.*

1 *Magist. S.* Hæc est [a] pars incidentalis huius distinctionis, in qua Magister determinat de Circumcisione. Circa quam quæritur, Vtrùm in Circumcisione ex vi eius conferebatur gratia? Quòd non, probatur. Rom. 4. *Signaculum accepit Circumcisionis.* Glossa, *Peccata ibi solùm dimittebantur: sed gratia ad benè operandum adiutrix non præstabatur.*

*Argum.* 1.

[a] Hic Doctor tangit partem incidentalẽ distinctionis. Primò differit ex more pro vtraque parte quæstionis: secundò docet Circumcisionẽ deleuisse peccatum: tertiò, an posset Deus de potentia absoluta delere peccatũ originale sine infusione gratiæ: quartò, an etiam de potentia ordinaria: & vltimò tandem respondet ad argumenta opposita. 1 *Ordo & diuisio quæstionis.*

*Argum. 2. In expoſ. tit. Pſalm. 73.* Item Auguſtin. in Pſalm. *Vt quid Deus repuliſti in finem:* illa, inquit, de Sacramentis veteris legis, tantùm promittebant & ſignabant: hæc autem dant ſalutem, ſcilicet Sacramenta nouæ legis.

*Argum. 3.* Item, Circumciſio non aperiebat ianuam, ſicut vult Beda ſuper illud *Luc. 2.* Poſtquam conſummati ſunt dies octo, habenti gratiam patet ianua regni, quia eius eſt hæres, ſecundùm Auguſtin. de Trinit. lib. 15. cap. 19. *Ipſa diuidit inter filios regni & perditionis.*

*Argum. 4.* Item, per rationem ſic, Sacramentum non cauſat niſi quod ſignat: Circumciſio tantùm ſignat ablationem, & non aliquid poſitiuum, quia non eſt ibi niſi ablatio partis à toto: ergo, &c.

*Ratio ad opp. cap. 11. & 4. cõtra Donat. 24.* Contrà, Auguſt. lib. 2. de Nupt. & concup. & ponitur de Conſecr. diſt. 4. *Ex quo inſtituta eſt Circumciſio in populo Dei, ad purgationẽ huius peccati veteris, valebat magnis, & paruis ſicut Baptiſmus valere cœpit ex quo inſtitutus eſt:* hoc nõ eſſet, niſi ibi conferretur gratia: ergo, &c.

Item, Beda ſuper illud Lucæ 2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo. Idem ſalutiferæ curationis auxilium Circumciſio in lege agebat, quod Baptiſmus tempore gratiæ agere conſueuit.*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit ex auctoritatibus Circumciſionem deleuiſſe originale. Ita* Auguſt. *citatus, & lib. 3. contra Iulian. c. 18. & lib. 5. c. 9. & in id Gen. 17.* maſculus cuius, &c. *& 4. de Bapt. c. 24. 13. Ciuit. cap. 26.* Gregor. *4. Mor. 2. & 3. habetur cap.* Quod autem, *de Conſecr. d. 4.* Proſp. *lib. de promiſſion. 1. p. cap. 14.* Cyprian. *de Cardin. operibus.* Iſidor. *lib. in Gen. c. 3.* Beda *citatus.* Bernard. *ſerm. de Circumciſ. habetur cap.* Maiores, *de Bapt.* Alenſ. *4. p. q. 7. m. 7.* D. Thom. *3. part. q. 61. art. 3. & q. 62. art. 6. & omnes communiter. Quærit Doctor an hoc patuerit fieri ſine gratiæ infuſione, & quâ potentiâ, ordinariâ, vel abſolutâ?*

2 Hic ſupponendum [b] eſt tanquam certum, quòd per Circumciſionem peccatum originale delebatur, quod patet per auctoritates Sanctorum. Et ad hoc eſt ratio congrua, quia Deus nullo tempore reliquit genus humanum ſine remedio neceſſario ad ſalutem, maximè illos, quibus ipſe legem dedit, vt per eius obſeruantiam pertingerent ad ſalutem. Fruſtrà enim fuiſſet data talis lex, ſine tali remedio: ergo tempore legis Moſaïcæ dedit aliquod tale remedium obſeruantibus huiuſmodi legem. Non poſſunt autem attingere ad ſalutem ſine deletione originalis culpæ: *Diſt. 19. & infrà.* quod ſupponitur ex ſecundo libro: ergo in illa lege inſtituit aliquod remedium contra illam culpam: iſtud, & non aliud, videtur eſſe ibi inſtitutum, tanquam tale remedium contra illam, iuxta illud Geneſ. 17. *Maſculus, cuius præputij caro,* &c.

Et ſi obiiciatur, quòd Circumciſio ſit ex Patribus, non ex lege, quia data eſt Abrahæ Circumciſio, & hoc per multos annos, ſcilicet 400. ante legem Moſaïcam datam in monte Sinaï. Hoc non obuiat quin ſit remedium contra originale peccatum. Quòd autem Deus voluit illud inſtituere ante legem Moyſi, arguit quòd non ſit remedium præcisè huiuſmodi legis: ſed nec lex illud euacuauit, ſed confirmauit.

Sed inquirendum eſt [c], an ex iſto ſuppoſito, ſequatur neceſſariò gratiam in Circumciſione conferri. Et quia dimiſſio culpæ, & collatio gratiæ, ſiue coniunctim, ſiue ſepara

b *Hic ſupponendum eſt,* &c. Vt hîc comprehendamus varia placita tam antiquorum, quàm etiam modernorum circa efficaciam Circumciſionis, quam ſupponit Doctor ex authoritate Sanctorum fuiſſe reſpectu peccati originalis delendi ſaltem, immorari paululum oportet, ne toties ad idem digrediendum ſit. *De efficacia Circumciſionis.*

Prima ergo ſententia eſt Magiſtri *diſt. 1. in fine,* & gloſſæ in cap. *Quod autem,* de Conſecratione, *diſt. 4.* per Circumciſionem ſolam culpam fuiſſe deletam & nullam collatam gratiam. *Prima ſententia.* Magiſtri. Gloſſæ.

Hæc ſententia inuoluit repugnantiam ad principia fidei, eámque impugnat Doctor, quia de facto non datur ſtatus medius inter amicum & inimicum; & nunquam remittitur peccatum originale, aut mortale, niſi per collationem gratiæ; vt patet ex materia de iuſtificatione, & docet Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* definiens iuſtificationem continere hæc duo, nempe remiſſionem peccati, & renouationem interioris hominis per gratiam. *Impugnatur. Non dari ſtatum medium inter peccatorem & filium. Quid iuſtificatio cõtinet.*

Æquiualenter videtur damnata in Pelagianis, & contrarium definitum. Illi docebant, preſſi authoritate Scripturæ & Eccleſiæ, gratiam Chriſti conſiſtere in ſola peccatorum remiſſione, vt habet Auguſtinus *lib. de gratia Chriſti, cap. 38. & 39.* Definitur contrarium *can. 11.* Tridentini, & Mileuitani: eius etiam impugnatio, iuxta rationem præmiſſam Doctoris, ex eo quòd non ſit ſtatus medius inter regnum & infernum poſt mortem; nec inter filium regni, & gehennæ in vita mortali. Hæc, inquam, impugnatio deſumi poteſt ex Auguſtino *lib. 1. de peccatorum meritis., cap. 17. 18. 20. 30. & 34.* vbi redarguuntur Pelagiani, qui locum medium & ſtatum inter regnum cœlorum, & damnationem ſtatuebant paruulis non baptizatis decedentibus ex via. Auguſtin. Trident. Mileuitan.

Secunda ſententia docet in Circumciſione datam fuiſſe gratiam quoad effectus priuatiuos, non *Secunda ſententia.*

ſeparatim, non reſpiciunt niſi potentiam diuinam : aliquid autem dicitur poſſibile Deo dupliciter, ſcilicet ſecundùm potentiam abſolutam, vel ordinatam. Ideò primò videndum eſt, an poſſibile ſit Deo de potentia abſoluta delere culpam originalem ſine infuſione gratiæ. Secundò, an hoc ſit ſibi poſſibile ſecundùm potentiam ordinatam.

*Duplex Dei potentia.*

*diſp.1.quæſt.2.art.5.quæſtiuncula 3.*& videtur D.Bonauenturæ *quæſt.vltima* dicentis,non ſuffeciſſe eandem gratiam ad profectum. Quam ſententiam vterque deſumpſit ex Alenſi *4.part. quæſt.4.m.7. art.4. §. 2.* vbi diſtinguit gratiam ſanctificantem à gratia, quæ ſit principium operandi meritum.

D. Bonau.

Alenſis.

Suarez. *Impugnatur.*

Hanc ſententiam impugnat Suarez *diſput. 10. ſect. 1.* primò, quia omnis gratia, quæ conſtituit filium, & gratum,quantùm eſt ex ſe,eſt ſufficiens ad meritum : ſecundò, quia talis gratia ſemper habet adiunctam charitatem : ergo ſufficiens ad ſuperandam concupiſcentiam, quia amor Dei eſt ex ſe fortior omnibus, 1. Ioan.3. *Omnis qui in eo manet non peccat,*&c. *Qui natus eſt ex Deo,peccatum non facit,*&c.

1.Ioan.3.

*Reijcitur impugnatio.*

Sed hæc impugnatio eſt inefficax, & falſa, quia gratia ſanctificans,ſi,(vt ſupponit impugnatio, ſit diuerſa forma à charitate,) non eſt principium operandi, adiunctâ etiam charitate habituali, niſi adſit gratia actualis, eſt inefficax; aliàs gratia excitans, & adiuuans non exigeretur in homine iuſtificato ad ſuperandum fomitem, & vincendas tentationes, quod eſt contra canones fidei. Potuit ergo Circumciſio conferre gratiam ſanctificantem, & nullum auxilium gratiæ actualis ad ſuperandam concupiſcentiam; & ſic interpretari poteſt hæc ſententia.

*Neceſſitas gratiæ actualis.*

*Reſponſio ad obiecta.*

Ex quo patet ad rationes in oppoſitum, dari ſcilicet per gratiam ſanctificantem ſufficiens principium meriti, quantùm ad dignitatem, & ſtatum perſonæ, & quantùm ad habitum; non autem, quantùm ad adiutoria neceſſaria ex parte operis ad excitandam voluntatem, & adiuuandam.

3 *Quarta ſententia.*

Bellarm.

Alanus.

Quarta ſententia eſt, in Circumciſione, aut aliis veteris legis Sacramentis nullam gratiam fuiſſe collatam, ſed totam gratiam correſpondere fidei & meritis. Hanc docet Bellarminus *lib.2.de Sacramentis cap.13.& ſequentibus.* Alanus, & multi alij ; vt defendant diſtinctionem inter Sacramenta nouæ & veteris legis, quam in hoc ſtatuit Tridentinum & Florentinum, vt illa cauſant gratiam quam ſignificant ; hæc autem ſignificarint tantùm, & non cauſârint ; ſub quâ diſtinctione comprehendi volunt Circumciſionem : & citatur pro ea D. Thomas *quæſt.62.art.3. quæſt.70.art.4.*

D. Thom.

Hanc ſententiam limitant aliqui, vt vera ſit in adultis, non autem in paruulis : ſed hanc limitationem non omnes admittunt, quia authoritates, quibus fulcitur hæc opinio, comprehendit tam adultos,quàm paruulos ; & negant vel generaliter per Sacramenta veteris legis, vel etiam in ſpecie datum fuiſſe vllum fructum gratiæ per Circumciſionem.

*De modo cauſandi gratiã in Circumciſione.*

Quantùm autem ad modum cauſandi gratiam per Circumciſionem, an ex opere operato, an ex opere operantis, variant etiam Doctores : diſtinguit Paludanus duplicem modum cauſandi gratiam ex opere operato. Primus eſt per efficientiam phyſicam ; & ſic cauſant Sacramenta non autem poſitiuos : per priuatiuos intelligere videtur remiſſionem culpæ & pœnæ ; per poſitiuos verò renouationem interioris hominis, Dei filium, & amicum conſtituere. Hæc ſic explicata nihil differt à præcedenti, ac proinde ex iam dictis reiicitur.

2 *Tertia ſententia.*

Tertia ſententia eſt, datam fuiſſe gratiam virtute Circumciſionis quæ ſufficeret ad remiſſionem culpæ, non tamen quantùm ad vim, & efficaciam ſuperandæ concupiſcentiæ, & merendi vitam æternam. Citatur D. Thomas *in 4.* D. Thom.

nouæ legis gratiam. Secundus per modum conditionis, & ſic cauſat Circumciſio. D. Thomas *3.part.quæſt.62.art.6.ad 3. & in 4.diſt.1.quæſt.2.art. 4.& 6.* Sotus *quæſt.1.art.4.* & alij, negant dediſſe gratiam ex opere operato.

D. Thom.

Sotus.

4 *Sententia Doctoris.*

Gabriel.

Durand.

Sententia Doctoris eſt, datam fuiſſe gratiam per Circumciſionem, & etiam ex opere operato; quem ſequitur Gabriel *quæſt. 4. art.1.* Durandus, & omnes Doctores noſtræ ſcholæ *in 4. diſt. 1.* idem tenuit Alenſis ſuprà, & Paludanus citatus. Probatur primò, quia Circumciſio fuit inſtituta vt remedium peccati originalis ; ergo ex diuina inſtitutione habuit efficaciam ad illud delendum : ſed quod fuit efficax ad delendum peccatum,fuit efficax ad ponendam gratiam, & conſequenter ex opere operato.

*Probatio.*

Primum antecedens probatur ex Cypriano *de cardinalibus Chriſti operibus , cap. de Circumciſione:* expreſſa eſt Auguſtini multis in locis *lib. 3. contra Iulianum cap.18. lib.5. cap.9. lib.2. de gratia, & peccato originali,c.30.& 32. lib.2. de nuptiis & concupiſcentia cap. 11.& 17. lib. 4. de Baptiſmo, cap. 24. lib. 2. contra literas Petiliani, cap. 27. lib.15. de Ciuit. cap. 16. lib.16. cap. 27. & lib. de Pœn. medicina cap. 5.* author Hypognoſtici *lib. 5.* circa medium : quibus in locis æquiparat Circumciſionem Baptiſmo, vt erant remedia peccati ; & ex neceſſitate vtriuſque probant veritatem peccati originalis. Vnde *lib. 4. de Baptiſmo , cap.24. (ut,*inquit,*præceptum eſt Abrahæ vt paruulos circumcideret, niſi quia ipſum Sacramentum per ſeipſum multùm valet.*

Cyprian.

Auguſtin.

Author Hypognoſtici.

Auguſtinum ſecuti ſunt poſteriores Patres, Gregorius 4.*Moralium,cap.2.&* 3.& habetur cap. *Quod autem* , de Conſecrat.diſt.4. Proſper *in epiſtola quæ eſt* 84.*apud Ambroſium, & lib.de promiſſionibus Dei, 1.part.cap.14.* Iſidorus *lib.in Geneſ.c.13.* Beda *lib.2. in Lucam cap. & homil.de Circumciſione.* Bernardus *ſerm.3.de Circumciſione;ſerm.2.de Aſſumptione Virginis :* & vniuerſi Scholaſtici cum Magiſtro *diſt.1.* Innocentius III. *cap.Maiores*, de Baptiſmo , æquiparans illa verba Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua , & Spiritu ſancto*, &c. cum illis Geneſis 17. *Maſculus cuius præputij caro*, &c. quantùm ad neceſſitatem vtriuſque perinde interpretatur.

Gregor.

Proſper.

Iſidorus.

Beda.

Bernard.

Magiſt.

Innocent.

Hinc aliqui putant priorem ſententiam abſolutè prolatam non ſolùm eſſe falſam, ſed etiam temerariam : ſed ſuperſedendo cenſuræ. Antecedens ſupponamus ex tanta Patrum authoritate. Conſequentia autem eſt manifeſta ; aliàs non eſſet Circumciſio remedium efficax. Subſumptum patet ex principiis fidei præmiſſis, quia originale non dimittitur de facto, niſi per gratiam : conſequentiam autem negat Bellarminus,& variè torquent hinc inde diſcipuli S.Thomæ.Contra Bellarmihum ſufficiêter probata eſt ex antecedente.

5 *Reſponſio.*

Reſpondent autem quidam, Circumciſionem cauſaſſe

causasse gratiam ex opere operantis, non autem ex opere operato, quia non causat physicè gratiam. Hæc ratio superiùs reiecta est, quoad suppositum de efficacia physica Sacramentorum nouæ legis: præterea illud causat ex opere operato, quod non correspondet meritis, aut bono motui operantis; sed talis fuit effectus Circumcisionis in paruulis: ergo, &c. Dices correspondere fidei parentum. Contrà, pactum initum est cum Abraham ratione Circumcisionis, vt patet *Geneseos* 17. deinde necessitas Circumcisionis ostenditur ibidem, & non fidei: pœnam comminatur Deus omissioni Circumcisionis, non autem fidei: ergo efficacia data est ipsi Circumcisioni, non fidei; neque responsio quadrat Augustino, aut aliis Patribus, qui de Circumcisione loquuntur per modum remedij sensibilis.

*Impugnatur.*

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Patres.

Secundò, vel fides haberet illum effectum vt meritum de condigno, vel de congruo; non vt meritum de condigno, quia id solùm conuenit operibus Mediatoris, vt valeant aliis de condigno: non vt meritum de congruo, quia parentes possunt esse in peccato, & fides etiam ipsorum vitiari; tamen non suspendebatur effectus Circumcisionis, qui fuit infallibilis; meritum autem de congruo non infert effectum infallibiliter, nisi habeat adiunctam specialem Dei promissionem, de hac promissione nihil habetur in Scriptura, nisi quando fides operatur per charitatem, & hæc promissio est respectu ipsius operantis quoad iustitiam propriam, non autem vt impetraret alteri infallibiliter iustitiam, quia soli Christo reseruatum est, vt audiretur pro nobis pro sua reuerentia, & infallibiliter.

*Efficacia fidei parentum.*

6 Tertiò, fides parentum non fuit efficacior in lege scripta, quàm in lege Euangelica, in qua est perfectior, & magis explicita, & perfectiùs innititur operibus Christi exhibitis, quàm fides priorum, quæ innitebatur exhibendis, neque fuit tam explicita: sed nunc non habet illum effectum infallibilem respectu peccati in paruulis, quibus nequit applicari in casu Baptismus: ergo neque tunc habuit.

*Fides in lege Euangelica perfectior.*

Maior patet: quia non minùs in lege noua tribuitur salus fidei, & iustificatio, quàm in lege antiqua; vt patet passim ex Apostolo ad Romanos, ad Galatas, ad Hebræos, & ex Euangelio: vnde distinguit ipse vbique legalia, legem, & remedia eius contra fidem, quæ sicut iustificauit Abrahamum, sic etiam per ipsum valet in lege noua.

*Efficacia eius in lege noua.*

Præterea in lege noua non fuit derogatum efficaciæ operum, quam habebant in veteri lege ex promissione Dei, vt patet de charitate & pœnitentia perfecta, quæ eandem vim iustificandi retinent in lege noua, quam habuerunt in veteri: ergo idem dicendum de fide.

*Non fuit derogatum fidei, aut peribus.*

Quartò, patet ratione Doctoris, quia lex vetus ordinauit sufficienter ad salutem: ergo habuit remedium peccati originalis; in lege autem non fuit aliud quàm Circumcisio: ergo, &c. Consequentia probatur, quia nequit existens in peccato originali esse ordinatus ad salutem, quia inscriptus est in ciuitate diaboli, quamdiu obnoxius est tali peccato: hinc filius Dei venit redempturus a peccato originali primariò: ergo lex, quæ non habet remedium peccati originalis, non sufficiéter ordinat ad salutem. Subsumptum patet ex communi interpretatione Ecclesiæ, quia nihil aliud in lege habuit illam efficaciam præter Circumcisionem: ergo si in Circumcisione non remittebatur, neque in lege remitti potuit.

*Cum peccato originali non est satis.*

Confirmatur, per Circumcisionem incorporabatur infans Synagogæ, seu Ecclesiæ: ergo delebatur etiam peccatum eius. Dices, deletum fuisse virtute fidei quæ applicabatur per Circumcisionem. Contrà, fides non erat efficax sine Circumcisione: ergo Circumcisio ex institutione diuina exigebatur ad deletionem originalis. Dices requiri vt conditionem. Contrà, quod directè cadit sub præcepto, & comminatione diuinæ pœnæ, per se intendebatur: talis erat Circumcisio, vt patet Geneseos 17. vbi Circumcisio statuitur vt pactum; *Hoc est pactum meum*, &c. *Circumcidetur ex vobis omne masculinum*, &c. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis*, &c. *Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit.* Quæ comminatio comprehendit infantes: vnde Septuaginta addunt: *cuius præputij caro octauo die circumcisa non fuerit*: Genesis 21. Isaac circumcisus fuit; *Et circumcidit eum die octauo, sicut præcepit Dominus.* Idem confirmauit lex *Leuitici* 12. Quomodo autem infans octo dierum pactum irritum faceret, nisi ratione peccati originalis, à quo per Circumcisionem liberabatur. Vnde Augustinus lib. 3. contra Iulianum cap. 18. *Respondeo*, inquit, *si potes cur ipse Isaac, nisi Baptismatis Christi signo circumcisus octauo die fuisset, periisset anima eius de populo suo? explica si potes, cur tanta pœna plecteretur, nisi ab hoc tanto Sacramento liberaretur*, &c. quod in locis iam citatis sæpiùs repetit.

7

*Circumcisio per se requisita.*

Septuaginta.

Augustin.

Vnde audiendi non sunt, qui hanc comminationem extendunt solùm ad adultos; vt patet ex lectione Septuaginta retenta in editione Sixtina, quâ vtitur Augustinus locis citatis. Ambrosius *epist.* 77. Origenes *lib. 2. in epist. ad Romanos cap. 3.* vnde intelligitur de pacto irrito in Adamo per peccatum, quod per Circumcisionem deletur, vt Augustinus, Isidorus, Beda intelligunt: ex quibus sequitur Circumcisionem, non vt conditionem requiri, aut fuisse; sed vt signum sacramentale, & efficax delendi originalis.

Augustin. Ambros. Origenes.

Confirmatur secundò, fides nequit esse Sacramentum proportionatum viatori per se: ergo exigebatur signum aliquod sensibile: hoc fuit Circumcisio, quia erat incorporatum in Synagoga: vnde Paulus ait quòd *circumcidens se est debitor vniuersæ legis*, loquens de Iudæis. Fuit etiam distinctiuum seminis Abrahæ; tam rigorosum autem præceptum comprehendens infantes octo dierum, non congruebat diuinæ clementiæ inferre, nisi ex necessitate fructus spiritualis adiuncti ex diuina institutione. Deinde Circumcisio valebat omnibus paruulis ex semine Abrahæ, sed multi ex his defecerunt à fide: ergo non in fide parentum Circumcisio in eis erat efficax.

8

*Remedium debuit esse sensibile.*

Accedit quòd in ipsa lege Moysi circumcidentes infantes non omnes habebant fidem explicitam Mediatoris; & validè circũcidebatur infans, eo ipso, quòd ad præcepti impletionem Circumcisio fiebat, absque alia fide explicitâ. Hinc Gregorius lib. 4. Moral. c. 2. *Quod apud nos*, inquit, *valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt mysterium Circumcisionis*, &c.

Sequendo ergo doctrinam Augustini & Patrum, qui eandem receperunt, sequitur Circumcisionem habuisse hanc efficaciam ex diuina institutione, ac proinde ex opere operato. Accedunt congruentiæ, sicut congruum erat sacrificia sensibilia

9

*Congruentia.*

sibilia huius legis determinari per ipsam legem, à fortiori magis fuisset congruum, illud quod erat remedium peccati originalis, statuere in aliquo sensibili: quia per illud sensibile, quod constituebat in Circumcisione, erat in Iudæis fundamentum, & quasi ianua, & professio legis, inducens obligationem eius obseruandæ, ad Galatas 5. *Testificor rursus*, inquit, *omni circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ*, &c. & ad Romanos 3. dicit, *Eloquia Dei*, id est, legem, *fuisse credita Circumcisioni*. Accedit

*Alia congruentia.*

Secundò, quòd sicut ad efficaciam Sacramenti nouæ legis non exigitur fides, & sanctitas, ministri: eadem congruentia ne remedium peccati originalis esset dubium, aut incertum in Synagoga, non debebat dependere à fide interna ministri, aut parentum, de qua non potuit iudicare Ecclesia, seu Synagoga, neque efficaciam inde participare; neque remedium commune dependere à fide priuata, sed ex solis meritis Christi.

10 *Responsio.*

Dices fortè eodem modo, quo Durandus loquitur de remedio legis naturæ, quòd Circumcisio, vt habet annexam fidem publicam Ecclesiæ, virtute eius habuisse efficaciam. Contrà, sacrificia etiam habuerunt eandem fidem annexam, tamen non poterant subuenire paruulo, respectu cuius Circumcisio habuit necessitatem medij, post diem octauum, vt patet ex Augustino, & cap. *Maiores*, de Baptismo; & aliis Patribus citatis: ergo efficacia delendi originalis peccati non fuit ex sola fide Ecclesiæ, sed ex institutione ipsius Circumcisionis, quod & comminatio præmissa de paruulis intellecta declarat ipsam Circumcisionem habuisse ex diuina institutione necessitatem medij, ac proinde ex opere operato ratione suæ institutionis: & continebat in se ratione institutionis fidem Christi, & opera, ex quorum valore participabat efficaciam, tanquam à causa meritoria; non secus ac alia remedia in virtute eorumdem operum sortiuntur efficaciam: quod magis consentaneum est dictis Augustini, quàm quòd in fide parentum, aut ministri, fuerit efficax: quæ non potuit dare certitudinem, & infallibilitatem effectus; sicut neque illa, quibus Ecclesia iam applicat fidem, & sanctitatem suam, habent infallibilem effectum, sicut Sacramenta habent.

*Impugnatur.*

*Circumcisio habuit necessitatem medij.*

*Obiectio.*

Obiicit Bellarminus contra hanc communem sententiam loca Pauli, & plura loca Patrum, quæ videntur negare Circumcisioni efficaciam vllam respectu peccati delendi, aut conferendæ gratiæ; sed tota reseruatur fidei, *ad Romanos 7. 2. ad Corinth. 3. ad Galat. 3. & 5.* & alibi.

11 *Responsio aliorum.*

Vtramque sententiam quidam conciliare contendunt, ex eo quòd Circumcisio ex peculiari institutione non habuerit illam efficaciam, sed inquantùm æquiualebat remedio legis naturæ, vel vt includebat fidem parentum: vel denique quia Circumcisio, licèt habuerit illam efficaciam, non fuerit ex primaria eius institutione, quæ respicit segregationem Iudæorum, aut stirpis Abrahæ ab aliis, per hoc signaculum, & inquantùm significabat futuram gratiam Baptismi, & Circumcisionem spiritualem conferendam per Christum.

*Alia responsio.*

Verùm si authoritates contrariæ aliquorum Patrum, & ipsius etiam Pauli in superficie, & forma verborum attendatur, & non secundùm subiectam materiam, & intentum primarium ipsorum, neutra responsio satisfacit: videntur enim Patres nihil conferre Circumcisioni, & omnem eius fructum euacuare, quantùm ad iustitiam, & deletionem peccati.

Irenæus *lib. 4. cap. 3.* asserit datam *non vt consummationem iustitiæ, sed vt cognoscibile perseueraret genus Abrahæ.* Origenes lib. 2. contra Celsum, *fuisse carnalem.* Chrysostomus *homil. 27. in Genesim.* Cyrillus *lib. 10. in Iulianum*, negat valuisse ad iustitiam. Theodoretus *quæs. 67. in Genes.* Tertullianus *contra Iudæos cap. 2.* & alij, quos ibidem citat Bellarminus; & omnes penè Græci Patres: ex Latinis etiam addi potest præter Tertullianum, Cyprianus *lib. 1. contra Iudæos cap. 8. lib. 3. epist. epistola ad Fidum*, 8. Ambrosius *epist. 72. ad Roman. 4.* Hieronymus *in cap. 3. ad Galatas.* Irenæus. Origenes. Chrysost. Cyrill. Theodor. Tertullian. Cyprian. Ambros. Hieron.

Hi omnes vel excludunt fructum iustitiæ à Circumcisione; vel effectum & vtilitatem eius declarantes, tacent hanc eius efficaciam delendi peccati, & ad omnes effectus, siue consignationis, & segregationis generis Abraham, & significationis mysticæ gratiæ Baptismalis, & Circumcisionis spiritualis, quos ipsi exprimunt, fructus eius, arctant, excludendo cætera.

12 *Responsio ad obiectionem. Error Iudæorum.*

Respondetur ergo, aliter Iudæos posuisse omnem iustitiam esse ex solis lege, & Circumcisione; & nullam aliam admittebant redemptionem, aut necessitatem eius: Messiam expectabant vt instructorem, & Doctorem, & qui eos liberaret à seruitute temporali, de qua intelligebant omnes promissiones redemptionis, & libertatis à peccato, quas promittebat Scriptura fore per Messiam; sicut & regnum eius fore temporale, & restaurationem regni Israël temporalis.

Hoc patet ex epistolis Pauli, differentis contra Iudæos & iudaïzantes, pro fide Iesu Christi: & hoc est argumentum ipsorum, vt explicant omnes expositores. Patet etiam Act. 15. *Et quidam descendentes de Iudæa docebant fratres: quia nisi circumcidamini secundùm morem Moysi, non potestis saluari*, &c. *Surrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes, quia oportet circumcidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi*, &c. Contra hos differit Paulus, asserens omnem iustitiam esse ex meritis Christi, & salutem esse per fidem, & redemptionem, quæ est in Iesu Christo, neque legem quidquam valere, neque Circumcisionem: eo nempe sensu, quo Iudæi salutem ex Circumcisione, & litera legis solùm esse adstruebant, & repromissiones sibi factas esse ex merito vtriusque & sanctitate. *Scopus Pauli.*

13 Non negabat ergo Paulus Circumcisionem nihil valere adiunctis meritis Christi, & eodem modo de lege, in quorum virtute per gratiam, quæ in Christo dabatur, valebant. Vnde ad Romanos 2. ait, *Circumcisio quidem prodest, si legem obserues*, &c. deinde ad Roman. 3. ostendens legem non iustificare, quia *ex lege tantùm cognitio peccati, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo; per legem enim cognitio peccati: nunc autem sine lege iustitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis*, &c. Vbi per iustitiam intelligit gratiam Dei, & eandem cõdistinguit à litera legis, cui Iudæi tribuebant efficaciam salutis. Et subdit: *Iustitia autem Dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum; non enim est distinctio* (supple personarum,) *Iudæi, aut Græci*, &c. & ratio est: *omnes enim peccauerunt, & egent gloria*

*Dei. Iuſtificati eſtis* (non ex merito ſcilicet naturæ, legis, aut Circumciſionis, aut operum) *per redemptionem, quæ eſt in Chriſto, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem iuſtitiæ ſuæ* (ſupple gratiæ, quæ intelligitur iuſtitia, per quam iuſtificamur) *propter remiſſionem præcedentium delictorum; vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum, qui eſt ex fide Ieſu Chriſti.* Concludit: *Vbi eſt ergo gloriatio tua? excluſa eſt. per quam legem? factorum? non: ſed per legem fidei*; quia nempe tollit gloriationem hominis, ſiue per legem, ſiue per opera naturæ, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius: & rationem ſubdit, *arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. An & Iudæorum Deus tantùm? imò & Gentium. Quoniam quidem vnus eſt Deus, qui iuſtificat Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem. Legem deſtruimus per fidem? abſit, ſed legem ſtatuimus*, &c.

14 *Concluſio Pauli.*

Poſtquam ergo Paulus docuit ſalutem eſſe non ex litera legis, neque ex operibus noſtris, ſed ex fide, gratia & redemptione Ieſu Chriſti: hæc diſtinguens à litera legis, in qua confidebant Iudæi, ſecludendo omnem aliam redemptionem, & gratiam, præter ſolam Circumciſionem & legem. Tandem docet eundem Deum Iudæorum, & Gentium eſſe, *qui iuſtificat Circumciſionem ex fide, & præputium per fidem*: ſalus ergo per ipſum fuit in Circumciſione ex fide, ſeu adiuncta fide, id eſt, in virtute fidei & gratiæ Dei, ac redemptionis per Chriſtum; ac proinde concludit fidem non deſtruere legem, ſed ſtatuere, vt quia per eam fuit efficax ad ſalutem.

*Argumẽtum capitis quarti.*

*Repromiſſiones fuiſſe ex fide, & non Circumciſione.*

Capite etiam ſequenti impugnat Iudæos, inquantùm aſſerebãt repromiſſiones fuiſſe ex Circumciſione & lege; non autem ex fide: probans repromiſſiones factas Abrahæ, non ex operibus naturæ, aut etiam ex Circumciſione, ſed ex fide, vt eſſet pater omnium credentium, etiam iis, qui ſunt ex Circumciſione, inquantùm ſectantur veſtigia fidei. Sic etiam *ad Galat. 2. & 3.* ſeruat eandem contrapoſitionem legis, quoad literam, & præcepta, ad fidem, & gratiam. Quam diſtinctionem ſequitur Auguſtinus variis in locis contra Pelagianos, & ſpeciatim libro, quem inſcripſit *Spiritus & litera*, explicans illud Pauli, *Litera occidit, ſpiritus autem viuificat*, extẽdens idipſum ad quamcumque legem, etiam moralem, inquantùm hæret in mandatorum cortice, & non includit ſpiritum gratiæ, per quam fit, vt opere compleatur: ac nouiſſimè tandem Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 1.* eandem ſequitur, aſſerens quòd neque Gentes per vim naturæ, neque etiam Iudæi per ipſam etiam literam legis Moyſi liberari potuerint à peccato. Et *canone* 1. idem definit, & quod ſuprà appellauit literam legis, in eodem canone dicit doctrinam legis, quæ conſiſtit in nuda oſtenſione, & mandato.

*Diſtinctio litera, & gratia.*

Trident.

*Eadẽ diſtinctio recepta in Concilijs antiquis.*

Diſtinxerunt & antiqua Concilia contra Pelagium, & ſectatores, gratiam à doctrina, & literam cuiuſcumque mandati & legis: conſtituebat nempe Pelagius gratiam, vel in natura, & viribus liberi arbitrij, vel in legis doctrina: de ipſo enim Auguſtinus lib. de Gratia Chriſti in principio cap. 3. ait, *Nam & gratiam Dei, & adiutorium, quo adiuuatur ad non peccandum, aut in natura & libero ponit arbitrio, aut in lege & doctrina, videlicet, cùm adiuuat Deus hominem, vt declinet à malo, & faciat bonum, reuelando, & oſtendendo quid fieri debeat, adiuuare credatur, non etiam cooperando, & dilectionem inſpirando, vt id quod faciendum eſſe cognouerit, faciat*, &c. Quod damnatur *art.* 7. Dioſpolitani *canone* 4. Mileuitani: quæ ſecutum eſt Tridentiuum *canone primo ſuprà*.

Auguſtin. *Error Pelagij.*

Dioſpolit. Mileuitan. Trident.

Ex quibus patet ſenſus Pauli contra Iudæos, quem aſſecuta eſt Eccleſia contra Pelagianos. Quando ergo dicit Circumciſionem, & legem non iuſtificare, eo ſenſu intelligit, quo contrarius error Iudæorum impugnatur, nempe, vt excluditur gratia, & redemptio facta per Chriſtum: ſicut & valor operum eius, in quorum virtute Circumciſio valebat: non autem loquitur de Circumciſione, & lege vt includebant gratiam ex operibus Chriſti præuiſis, & adiutoria neceſſaria collata: quorum vnum fuit Circumciſio reſpectu peccati originalis. Deinde ſpeciatim loquitur aliquando Paulus de lege iam abolita, contra iam iudaïzantes; quibus ne tum quidem valebat lex abrogata per veritatem, vt *infrà* videbimus.

15 *Verus ſcopus Pauli. Legem inutilem eſſe vt excludebat gratiam & fidem, & opera Chriſti.*

*Idem intendunt.*

In ſenſu & mente Pauli locuti ſunt Patres contra Iudæos, quandoque ſimpliciter in extremo contradictionis, ſcilicet, prout Iudæi ſanctitatem, iuſtitiam, repromiſſiones eſſe ex lege & Circumciſione tantùm aſtruebant, non autem ex fide Ieſu Chriſti, aut redemptione & gratia: quandoque etiam loquuntur de iiſdem, poſtquam adimpletâ veritate, & prædicato Euangelio, non ſolùm facta ſunt mortua, ſed etiam mortifera: quia Patres cùm ſe referant ad loca Pauli, non debent latiùs interpretari eorum ſententia, quàm locutus ſit Paulus de Circumciſione, & legalibus.

Et quando, per oppoſitum, dicunt ſalutem eſſe ex fide Ieſu Chriſti, ſequentes Paulum, intelligunt etiam ea, quibus applicatur fides, & merita eius, in quorum virtute habent efficaciam; ſic Circumciſio & remedium legis naturæ valebant in fide Chriſti, id eſt, virtute operum Chriſti; non autem in fide quæ ſit actus miniſtri, aut applicantis hæc remedia; ſic enim non loquitur de fide Chriſti Paulus, neque in eo ſenſu fides pro virtute ſumpta ad ſalutem ſufficeret; ſed nomine *fidei* comprehendit merita Chriſti, & redemptionem, ex quorum motiuo; tanquam ex merito præuiſo, Deus inſtituendo hæc remedia, conceſſit illam efficaciam Circumciſioni.

16 *Cenſura. Reconciliatio Patrum.*

Aſſerere ergo alterutrum, vel omnes Patres ante Auguſtinum impugnantes Iudæos fuiſſe in errore, vel Auguſtinum cum omnibus ſequentibus, quorum non eſt minor authoritas, accedente definitione Eccleſiæ, & communi conſenſu Scholaſticorum, fuiſſe in errore intelligentiæ Scripturæ, maior error eſt.

Interpretari ergo debent Patres anteriores ex ſubiecta materia contra Iudæos, & ad ſenſum Pauli; alioquin plura loca eorum, & rationes quibus impugnant Iudæos, habebunt paruam efficaciam, niſi ſupponant eorum errorem, ſalutem nempe ex ſola lege, & Circumciſione ſperandam eſſe, ſicut & repromiſſiones

Iuſtinus probat Circumciſionem datam eſſe in ſignum, & non in iuſtitiam, quia Abraham ex fide iuſtificatus eſt, & genus muliebre non erat capax circumciſionis: ſic Tertullianus dicit neque Adam, neque prolem eius, neque Patriarchas vſque ad Abraham fuiſſe circumciſos: ſic Cyprianus *lib. 1. contra Iudæos* ſimili argumento vtitur, quo Iuſtinus & Tertullianus.

Iuſtinus. *Ratio.*

Tertullian.

Cyprian.

Ex

*Explicatur ratio.*

Ex quibus non licet absolutè inferre Circumcisionem non iustificare, quia neque etiam baptizati fuerunt, cùm tamen inde non sequitur Baptismum non iustificare: valet tamen illa consequentia ex suppositione erroris prædicti; nempe non in sola Circumcisione, & seclusâ fide Redemptoris, quam implicitam habebat, datam fuisse iustitiam vllam per Circumcisionem: cuius contrarium Iudæi astruebant, vt visum est suprà; vel certè fidem nihil sine Circumcisione valere, vt nouitij Pharisæi baptizati contendebant.

*Valet & concludit ex suppositione erroris.*

17 Hieron. Damascen. Chrysost.

Alij autem, vt Hieronymus *in cap. 3. ad Galat.* Damascenus *lib. 4. fidei orthodoxæ, cap. 26.* Chrysostomus *hom. 27. in Genesim*, explicant effectum explicitum Circumcisionis, & magis notum: nempe eam datam esse in signum distinctiuum generis Abraham, ne commisceretur Gentibus: ac proinde illi dicunt, in deserto, vbi hæc commistio esse non potuit, quia erant soli, Circumcisionem cessasse.

*Circumcisio in distinctionem data.*

Quod verum est ex speciali Dei indulto, quia alioquin præceptum erat vt octauo die Circumcisio fieret: hoc non obstat, quin etiam Circumcisio ex institutione Dei fuerit remedium, quia ex fide saluabat, iuxta Paulum proderat obseruanti legem: ei credita sunt eloquia Dei: habuit ergo

Theodoret.

alios effectus præter expressum. Theodoretus dicit Idumæos, Ismaëlitas, & alios, qui defecerant à fide, circũcisos fuisse, nihilque illis prodesse. Hoc quidem rectè quantùm ad vanitatem Iudæorum,

*Explicatur.*

qui in ipsa gloriabantur: & intelligendum est etiam quoad adultos, qui in infidelitate erant, si erant ex genere Abraham, quibus sua infidelitas nocuit, & non de infantibus; non inde sequitur non profuisse Iudæis modo dicto.

Basilius.

Alij aliter loquuntur de Circumcisione respectiuè ad Baptismum, cuius erat figura, sicut Basilius *lib. de Spiritu sancto, cap. 14.* Loquitur in genere de legalibus. Epiphanius

Epiphan. Cyrillus.

*hæresi 8.* Cyrillus *lib. 10. in Ioannem*; & sic Circumcisio in comparatione Baptismi quasi nihil erat, sicut figura & vmbra respectu veritatis, quam significat, nihili reputatur, quod non tollit quin sit vtilis. *Iam quid sibi vult, dicet aliquis*, inquit, *Circumcisio?* (præmisit de Baptismo in igne & Spiritu) respondet: *Bona sanè est & vtilis, si typus esse credatur rei spiritualis.*

18 *Responsio ad aliorum obiecta.*

Ex quibus patet ad fundamenta Bellarmini in genere. Patet etiam ad fundamenta aliorum, quia negant hanc efficaciam Circumcisionis ex propria institutione, sed ex fide, quia si hæc referantur ad verborum superficiem, quæ ex Paulo desumuntur de efficacia fidei, æquè concluderet de facto, Sacramenta nouæ legis non habere efficaciam de facto per se, sed ratione fidei, quod omnino falsum est.

*Paulus vniuersaliter tribuit salutem fidei.*

Paulus enim loquitur vniuersaliter, quòd sola fides Iesu Christi faciat ad salutem, quod perinde verum est ante, & post Baptismum: vnde & hunc modum loquendi retinuerunt quidam Patres de Baptismo per eum saluari infantes in fide aliorum. Iustinus Martyr *quæst. 56. ad orthodoxos.* Augustinus

Iustinus. Augustinus.

*lib. 1. de peccatorum meritis, & remissione, cap. 2. lib. de vera & falsa pœnitentia, cap. 2. epist. 23. & 107.* & alibi sæpè: quod intelligi debet non de fide explicita ministri, aut aliorum; sed quia Baptismus est professio fidei Christi: ideóque dicitur Sacramentum fidei, vt appellat Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* Per eundem modum sicut Circumcisio ex dictis apud Iudæos fuit professio legis ex Paulo: sic etiam includebat fidem implicitam Messiæ, quæ tum saltem requirebatur, cuius erat protestatio suo modo, & in virtute eius delebat originale ex institutione diuina; alioquin lex illa non sufficienter ordinaret ad salutem, cuius incorporatio, & professio nihil conferret contra peccatum, deficientibus necessariis: quomodo alioquin saluabantur infantes, quibus nihil in lege succurrere potuit, præter Circumcisionem & remedium legis naturæ.

*Modus idem loquendi de Baptismo.*

*Circumcisio includebat fidem Messiæ.*

Obiiciunt denique Florentinum & Tridentinum, quæ negant efficaciam omnem Sacramentis veteris legis, quæ prænuntiabant gratiam futuram, & non conferebant. Respondetur, errorem fuisse Armenorum, Sacramenta nouæ legis esse nuda tantùm signa, neque habere aliam efficaciam, quàm habuerunt Sacramenta illa veteris legis, quæ fuerunt nuda tantùm signa.

19 *Obiectio ex Florent. & Trident. Responsio. Error Armenorum.*

Hunc errorem assumpsit Lutherus, & Sacramentarij, qui efficaciam Sacramentorum nouæ legis reducunt ad nudam excitationem signi, sicut Sacramenta veteris legis excitabant ad cognitionem gratiæ futuræ, non eam causabant. Contra illos processit Florentinum, contra vtrosque Tridentinum, retentâ eâdem definitione Florentini. Per Sacramenta veteris legis intelligunt illa, quæ erant nuda signa, & propria legis, non autem Circumcisionem, quæ est ex Patribus, & non ex lege. Dices, Concilia comprehendunt etiam omnia Sacramenta recepta per legem, & pro tempore eius currentia: ergo.

*Lutheri, & aliorum.*

*Obiectio.*

Respondetur negando antecedens, nam in ipsa Scriptura *Ioannis 7.* negatur Circumcisio data esse à Moyse, & per legem, *quia ex Patribus est*: quasi verò Concilia hæc vellent damnare sententiam expressam Augustini, & Patrum sequentium, atque etiam definitionem Ecclesiæ in capitulo *Maiores*, de Baptismo: quam amplexi sunt etiam Scholastici: quod est præter stylum Conciliorum reuocare in dubium, quod iam definitum est, aut decernere contra Augustinum, Gregorium, & alios sequentes; quin etiam contra communem Scholasticorum.

*Responsio.*

*Circumcisio ex Patribus, non ex lege.*

*Scopus definitionis.*

Loquuntur ergo Concilia in stylo, & verbis ipsius Augustini in Psalm. 73. *Sacramenta noui Testamenti dant salutem*, inquit, *Sacramenta veteris Testamenti promiserunt Saluatorem*, &c. Et epistola 19. ad Hieronymum: *Cur non dicam præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse, quia eis non iustificantur homines? vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam quâ iustificamur.* Item *lib. 19. contra Faustum, cap. 13.* similia habet. Sicut ergo Augustinus ipse loquitur de Sacramentis veteris legis, non comprehendendo Circumcisionem; ita etiam Tridentinum & Florentinum de iisdem agunt, quæ erant propria veteris legis: alioquin non rectè Circumcisio sub eiusmodi comprehendebatur, quæ etiam aliis valebant descendentibus ex genere Abraham, & viuentibus extra legem: ergo non fuit propria legis, nec sic comprehendi debuit sub propriis Sacramentis eius secundùm rigorem. Alias etiam resolutiones assignat Doctor infrà, quas suo loco tractabimus: & respondent quibusdam obiectis, quibus hîc supersedemus.

Augustinus.

c *Sed inquirendum est, an ex isto supposito sequatur,* &c. Suppositum præmissum est, conclusio Doctoris, nempe, Circumcisionem fuisse remedium contra peccatum originale. Quærit, an inde sequatur contulisse necessariò gratiam ex occasione

20

*Vtrùm originale remitti poſſit, ſine gratia infuſa.*

opinionis, quæ imponitur Magiſtro, nempe valuiſſe contra peccatum originale: non tamen contuliſſe gratiam: quærit ergo an de potentia abſoluta potuit remitti originale, aut etiam de facto poſſit ſine collatione gratiæ infuſæ, & ſanctificantis? Item, an de potentia ordinaria id fieri poſſit?

Hæc quæſtio diuerſa eſt ab illa, quam infrà tractat *diſt.15. & diſt.16, & alibi*: an ſcilicet poſſit remitti culpa peccatori, ſine alia in eo tranſmutatione per formam nouam. Hîc autem quærit de peccato originali determinatè, an poſſit de potentia abſoluta, vel certè ordinaria, remitti à Deo ſine infuſione gratiæ ſanctificantis: quamuis illa remiſſio eſſet per infuſionem alterius formæ, verbi gratiâ, iuſtitiæ originalis.

## SCHOLIVM.

*Sententia aſſerens repugnare peccatum tolli ſine gratia, quatuor rationibus ſuadetur.*

3 Quantum[d] ad primum, videntur aliqui dicere, quòd non. Et ſi rationes concludunt, videndum eſt. Prima eſt talis: non poteſt de anima peccatum deleri, niſi de immunda fiat munda; ſed hoc non poteſt fieri niſi per aliquam mutationẽ factam in anima: illa autem mutatio erit neceſſariò ad aliquam formam poſitiuam repugnantem culpæ, & hoc abſolutam: quia ad relationem non eſt motus, nec mutatio. 5. *Phyſic.* huiuſmodi formam abſolutam repugnantem culpæ in anima, dico gratiam: ergo, &c.

*Ric. hic a.6. q.3. Vide Ocham Quodl.5 q.4. & Var.q.2. quarti.*

*Text.10.*

d *Quantùm ad primum*, &c. Sententia negatiua eſt Richardi *hîc art.6.* Cuius rationes quatuor proponit Doctor, & infrà ſoluit. Eandem tenent alij, vt Ocham *Quodlibeto 5.quæſt.4.* Idem docent quotquot tenent peccatum non poſſe remitti per puram condonationem extrinſecam Dei, & ex alia parte iuſtitiam originalem conſiſtere primariò in gratia ſanctificante, quæ eſt ſententia D.Thomæ, vt quidam volunt, vel certè in gratia fuiſſe radicatam: contra quos non eſt diſputatio præſens ex inſtituto, ſed contra Richardum, vt mox declarabitur. 21 *Sententia negatiua.* Richardus. Ocham. & alij. D.Thom.

*Ratio 2.* Secunda ratio talis eſt, In peccato deformitas opponitur gratiæ, vt priuatio habitui: ſed priuatio non poteſt tolli à ſubiecto niſi per collationem habitus oppoſiti: ergo, &c. Et hoc eſt, quod Auguſtinus arguit, quòd culpa, & gratia opponuntur, ſicut tenebræ, & lux in aëre.

*Ratio 3.* Tertia ratio, Culpa non poteſt deleri, niſi tollatur deordinatio vt non imputetur ad pœnam; ſi autem deordinatio eius maneret, neceſſariò imputaretur ad pœnam, quia ipſa manens non poteſt aliter ordinari, quàm per pœnam inflictam: ergo culpa dimitti non poteſt niſi deordinatio eius tollatur: illa autem non tollitur niſi per gratiam: ergo, &c.

*Ratio 4.* Quartò, ſi culpa dimittitur, diuina offenſa remittitur: ergo peccator Deo reconciliatur, ergo per conſequens à Deo acceptatur: nullus autem à Deo acceptatur ſine gratia: ergo, &c. Et confirmatur, quia ſi non eſt inimicus: ergo amicus.

## SCHOLIVM.

*Originale eſt remiſſibile de potentia abſoluta ſine gratia intrinſeca, quia rectitudo naturalis ei repugnat. Nec gratia ei magis repugnat poſt, quàm ante lapſum, quia quòd præceſſerit peccatum, non mutat naturam gratiæ. de hoc Scot.1.d.17.q.2. & 2. d.37. q.2. §. Ex iſta ſolut. & 3. d.23. ad arg. & infrà d.15.q.1. a.2.fi. & d.16.q.2. quibus locis probat, ex natura rei non eſſe repugnantiam inter peccatum & gratiam.*

4 Contra iſtam[e] concluſionem arguo primò ſic: Quæcunque ſibi inuicem repugnant circa idem, mutuò ſe excludunt circa illud: ergo cui plura repugnant circa aliquod ſubiectum, illud poteſt per quodlibet illorum excludi ab illo ſubiecto: ſed culpæ originali repugnat rectitudo in puris naturalibus, etiam ſine gratia. Et patet de facto ſecundùm Magiſtrum ponentem hominem à Deo ſic conditum. Patet etiam de poſſibili, ratione; quia ſi nõ poſſet natura fieri recta rectitudine naturali, & ſine gratia, tunc gratia eſſet naturalis, licèt non naturæ lapſæ, tamen naturæ in rectitudine propria inſtituræ: illud enim eſt naturale, quod

*Si non poſſet natura eſſe recta ſine gratia, hæc eſſet ei naturalis, & loquor de rectitudine naturali ſecluſo lapſu.*

e *Contra iſtam concluſionem arguitur primò ſic*, &c. Duabus rationibus agit Doctor contra priorem ſententiam: prima eſt, quòd rectitudo naturalis opponitur peccato originali; quâ poſitâ deleri poteſt. Secunda eſt, ſicut Deus potuit primò conſtituere hominem rectum ſecundùm iuſtitiam originalem, & in rectitudine naturali; ſic etiam poteſt lapſum reſtaurare in eandem rectitudinem. 22 *Impugnatur.*

Ad euidentiam horum, in genere aduertendum eſt (omiſsâ ſententia modernorum) iuſtitiam originalem ab antiquis Scholaſticis conſtitui in integritate, & rectitudine naturali, & habituali naturæ, ſiue illa fuerit vigor ipſe naturæ & liberi arbitrij, vt Magiſter *diſt.24.* inſinuare videtur, cui ſuperaddit gratiam ſine qua non, non autem dona, aut gratiam ſanctificantem: & ex parte videtur conſentire Henricus *Quodlibeto 6. quæſt.11.* *Iuſtitia originalis.* Magiſter Henricus.

quod consequitur naturam secundùm se: ergo sequitur, quòd per solam rectitudinem naturalem, & sine gratia potest culpa expelli.

Si dicatur, quòd rectitudo absolutè potuit esse in natura absque gratia, tamen post culpam non potest restitui, nisi collatâ gratiâ. Contra istud, & simul ad conclusionem principalem, arguo sic: Forma non habens esse alterius rationis in subiecto, non habet inseparabilitatem aliam à quocunque: quia enim est talis forma, & tale esse habens, ideò est separabilis, vel inseparabilis à quocunque: sed forma non habet esse alterius rationis in subiecto, ex hoc, quòd eius oppositum præcessit in eo, vt patet de frigore & calore circa aquam: ergo forma non habet aliam inseparabilitatem à quocunque, per hoc, quòd eius oppositum præcessit in subiecto: sed rectitudo naturalis, si non præcessisset suum oppositum, posset separari à gratia, per te: ergo.

5 *Qualem potest Deus hominem creare, talem potest reparare.*

Item, qualemcunque secundùm formam absolutam potest Deus hominem creare, talem & præcisè potest reparare post culpam, secundùm formam absolutam: sed in pura rectitudine naturali potest hominem creare: ergo, &c. Maior probatur, quia culpa non facit naturam esse aliam in se: ergo nec quin sit capax eiusdem, cuius fuit priùs capax: agens autem diuinum potest illi imprimere quodcunque, cuius est capax, & hoc sine quocunque, quod non includitur in ratione illius impressi, & maximè si id non inclusum sit posterius ipsâ formâ impressâ: gratia est huiusmodi respectu iustitiæ, vel rectitudinis naturalis: ergo.

*An Deus possit reparare virginem.*

Si instetur contra maiorem, secundùm Hieronymum, quòd Deus non potest de non virgine facere virginem, & tamen à principio potest creare virginem. Respondeo, accipi in maiore qualemcunque secundùm formam absolutam: & sic non est instantia: quia accipiendo quodcunque absolutum importatum per virginitatem, sive sit perfectio in mente, sive dispositio in carne: totum potest Deus reparare: sed vltra ista virginitas dicit negationem quandam actus præteriti, vt scilicet nunquam cecidisse mente, vel carne in peccatum carnis: ex quo enim actus præteriit, non potest Deus facere, quin præteriit. Vnde

*Idem 7. Phys. text. com. 7.* Philosophus 6. *Ethicorum c. 3.* commendat dictum Agathonis rectè dicentis: *Hoc solo priuatur Deus ingenita facere, quæ facta sunt.* Et ratio est, quia nulla factio potest esse nõ entis, de aliquo non ente: quia (maximè extendendo

*quæst. 11.* Eam fuisse rectitudinem voluntatis, quæ opponitur curuitati, quæ est sicut qualitas in quantitate, per quam distinguitur natura instituta à se ipsa post lapsum, siue etiam fuerit donum aliquod superadditum, & supernaturale, ordinans hominem ad finem suum naturalem, prout tenet Doctor probabiliter, sequens sententiam antiquorum *in 2. dist. 29.* & reducens illam sententiam Henrici ad congruum sensum. Ita Alensis 2. *part. quæst. 9. m. 1. &* 2. D. Bonauentura *in 2. dist. 29. art. 1. quæst. 1. &* 2. Richardus (quem ex instituto hîc Doctor impugnat) *eadem dist. quæst. 1. & dist. 21. art. 1. quæst. 1.* qui negant Adam fuisse creatum in gratia, sed in sola iustitia originali. Quibus adiungi possunt, qui etiam negant Angelos creatos fuisse in gratia, vt Ægidius *in 2. dist. 4. quæst. 1. art. 4.* Argentinas *quæst. 1. art. 2.* Accedit Marsilius *in 2. quæst. 18.* Durandus *dist. 20. quæst. 5.* Gabriel *dist. 30. quæst. 1.* Maior *quæst. 2.* & primùm vniuersim nostri Doctores, quorum aliqui hanc quæstionem differunt in 4. *hac dist.* vt Bassolius, Rubion, Mayron. Ab his dissentire videtur D. Thomas tantùm in eo, quòd asserit iustitiam originalem fuisse radicatam in gratia sanctificante.

Alensis. D Bonauct. Richardus. Ægidius. Argentin. Marsilius. Durandus? Gabriel. Maior. Bassolis. Rubion. Mayron. D. Thom.

*Effectus iustitiæ originalis.*

Distinguit enim 1. 2. *q.* 109. integritatem naturæ, & gratiam sanctificantem. Patet etiam ex effectu iustitiæ originalis, qui fuit ordinatio potentiarum in operando delectabiliter, secundùm rectam rationem, & citra rebellionem, aut fomitem. Hanc ergo sententiam, quæ est Richardi, supponit Doctor: quid autem senserint moderni circa originalem iustitiam, non est huius loci disserere; & an ab iisdem dissentiat noster Doctor ex propria sententia.

23 *Alterum suppositum. Originale cõsistere in priuatione.* D. Thom. Alensis.

Alterum suppositum Doctoris est peccatum originale ex sententia Anselmi *lib. de Conceptu virginali, cap. 26. & lib. de peccato originali*, esse priuationem iustitiæ originalis: quam sequitur Doctor *in 2. dist. 31.* reliqui Sentẽtiarij *dist. 30.* Schola D. Thomæ 1. 2. *quæst. 51. art. 5. ad 2. & quæst. 82. a. 2. &* 3. Alensis 2. *part. quæst. 122.* quocunque modo explicent iustitiam originalem. Ex his duobus suppositis manifestæ sunt rationes Doctoris, & maximè contra Richardum, quem impugnat.

*Prima ratio.*

Prima ratio declaratur, quæ talis est: *Quæcunque sibi inuicem repugnant circa idem, mutuò se excludunt circa illud: ergo,* &c. *Sed culpæ originali repugnat rectitudo in puris naturalibus etiam sine gratia,* &c. intelligit *sine gratia* sanctificante, de qua est quæstio, non autem de dono gratuito supernaturali, in quo constituit iustitiam originalem, *in 2. dist. 29. quæst. vnica*: per oppositum huius intelligitur *in puris naturalibus*, comprehendendo etiam illud donum, quatenus rectificat naturam ad finem suum naturalem tantùm, id est, respectu cuiuscunque obiecti, & operationis perfectiuæ naturæ, secundùm rationem rectam, quantùm ad voluntatem, in qua statuit iustitiam originalem primariò: quamuis accessoriè admittat etiam donum infusum in appetitu sensitiuo, quo subdatur perfectè voluntati; & distinguit voluntatem *in puris naturalibus*, à seipsa, vt eleuatur per gratiam sanctificantem ad finem simpliciter supernaturalem.

*Declaratur.*

*In puris naturalibus vt sumitur.*

24 *Modus loquendi familiaris Doctori.*

Ex quo obiter admonendi sunt, qui aliis in locis calumniam inferunt Doctori ex hoc modo loquẽdi, vt infrà *dist. 14. quæst. 2. §. De secundo principali ad 3.* vbi dicit quòd voluntas existentis in peccato potest cum communi influentia moueri ad pœnitentiam, vbi non excludit adiutoria, quæ per

extendẽdo factionem,quælibet eſt, vel entis de non ente; vel non entis de ente,ſicut in annihilatione; vel entis de ente: præteritum autem non eſt ens, & ipſum non præteriiſſe,eſt aliud non ens: ergo non poteſt ex præterito fieri, quòd non ſit præteritum.

6 Si obiiciatur, ſi Deus totum illud abſolutum, quod eſt in virginitate, poteſt reſtituere, ergo & aureolam reddere, nam aureola videtur correſpondere alicui perfectioni abſolutè in virginitate. Poteſt dici, quòd *aureola* virginis eſt gaudium accidentale de ſua innocentia, id eſt, de nunquam cecidiſſe in illud peccatum, ad quod communiter natura prona eſt, maximè in adoleſcentia.

*Quid aureola.*

Et ſi obiiciatur, quòd iſta negatio non eſt materia gaudij multùm excellentis, vel ſpecialis. Reſpondeo, ſicut affirmatio eſt fugibilis,ſeu odibilis, ſic negatio amabilis: ſicut ergo excellens odibile eſt,fuiſſe lapsũ in tale peccatum; ita ex charitate amabile, & delectabile eſt, nunquam cecidiſſe. Etſi ergo gaudium eſſentiale eſt de bono poſitiuo,ſimò maximo,tamen non eſt inconueniens vltra illud addi aliquod gaudium accidentale de negatione, cui opponitur affirmatio odibilis. Multùm enim addit de gaudio non cecidiſſe in culpam vltra id, quod aliquis habet de hoc, quòd poſt culpam ſurrexit ad gratiam.

Concedo ergo [f] concluſiones vltimarum rationum, quòd de potentia abſoluta poſſet Deus dimittere culpam originalem, non conferendo gratiam: & hoc maximè, cùm gratia non opponatur formaliter peccato originali: nec modò dimittatur illud peccatum per collationem gratiæ, niſi quia gratia includit æquiualenter in acceptione diuina iuſtitiam originalem, quæ formaliter opponitur peccato originali.

*Gratia non opponitur formaliter peccato originali.*

7 Ad argumenta [g] pro opinione præcedente. Ad primum concedo, quòd poteſt fieri de immundâ munda, munditiâ oppoſitâ,ſi reſtituatur iuſtitia originalis, quam priuat peccatum originale: ſiue illud ſit donum ſuperadditum naturæ,ſiue ſit rectitudo naturalis, ſcilicet præſcindens omnem deformitatem peccati.

*Ad rationes Richardi adductas n. 3.*

*Ad 2. Sumitur iuſtitia non pro dono habituali, ſed pro rectitudine debita ineſſe, cui opponitur originale. de quo 2. d. 29.*

Ad ſecundum patet, quòd falſa eſt propoſitio de oppoſitione iſtius culpæ ad gratiam: immò ſic opponitur culpa iſta iuſtitiæ originali,& non gratiæ,niſi quia ipſa in acceptione diuina æquiualet iuſtitiæ originali: ſed nullo modo opponitur gratiæ vt propriè,& præcisè priuatio eius.

Ad tertium dubium eſt, vtrùm poſſit non imputari ad pœnam, deordinatione eius per communem influentiam comprehendit, ſicut ibi latiùs explicabitur, ſed intelligit voluntatem in naturalibus vt excludit charitatem habitualem,& gratiam ſanctificantem, eo modo, quo hîc loquitur de voluntate in puris naturalibus, quamuis comprehendat donum iuſtitiæ originalis, quod ipſe docet eſſe infuſum à Deo,& excludit gratiam ſanctificantem duntaxat,quæ ordinat ad finem ſimpliciter ſupernaturalem.

*Minoris probatio.* Minorem probat Doctor,tum authoritate Magiſtri, qui poſuit hominem à Deo ſic creatum, quem ſequitur etiam Richardus(quem impugnat Doctor) vt viſum eſt in notabili ſuppoſito; & patet ex argumento ſequenti, quod eſt ad hominem, vt ipſe indicat in fine. Reſpondet Richardus,quòd rectitudo abſolutè in natura poſſet eſſe ſine gratia, nequit tamen reſtitui ſine gratia. *Reſpõſio.* Contrà arguit Doctor, quia rectitudo naturalis, *Impugnatur.* ſeu iuſtitia originalis,quam per rectitudinem intelligit, non habet *eſſe* alterius rationis in ſubiecto, ſiue præceſſerit eius oppoſitum in ſubiecto, ſiue non,vt patet de calore & frigore,quæ formæ non variantur in ſuo *eſſe* naturali, ſiue ſibi ſuccedant in eodem ſubiecto,ſiue non: ergo neque ſeparabilitatem, & inſeparabilitatem à gratia habet iuſtitia originalis,ex eo quòd præceſſerit eius oppoſitum,vel non præceſſerit. *Formam non variari in ſe.*

25 Patet conſequentia, quia hæc competunt formæ per ſuum *eſſe*, & ratione alicuius prædicati intrinſeci, per quod dicit connexionem ad aliud, tanquam ad prius, vel poſterius, ſi connexio ſit intrinſeca,& ratione ſui *eſſe*, vel ex concomitantia cauſarum vtriuſque in actu,& ſimul; ſi connexio eſt extrinſeca, vt contingit in relatiuis, quæ ſunt ſimul naturâ, & cognitione. *Probatio cõſequentia à priori.*

Hîc non eſt concurſus talis cauſarum, quia Deus,qui eſt cauſa tam gratiæ, quàm iuſtitiæ originalis,agit liberè. Suppoſito ergo priori,nempe inter vtramque formam non eſſe ex natura ipſarum, ſeu per prædicatum intrinſecum aliquam connexionem inſeparabilem, neque etiam illa erit ſuppoſito quocunque extrinſeco, quod non ſit cauſa ipſarum: oppoſitum autem iuſtitiæ originalis præſupponi in ſubiecto, non denotat cauſam, aut cauſalitatem eius reſpectu ipſius iuſtitiæ, vel gratiæ: ergo neque inſeparabilitatem eius à gratia, quin ſeorſim ſine ipſa poſſit, ſuppoſito etiam peccato, poni in *eſſe*, de potentia abſoluta: ſed rectitudo naturalis, inquit, ſi non præceſſiſſet ſuum oppoſitum in ſubiecto,poſſet à gratia ſeparari per te, id eſt, qui ſequeris ſententiam Magiſtri: ergo etiam poſt peccatum. Hæc ratio facit etiam ad concluſionem principalem.

26 Secunda ratio eſt,quia Deus ſicut potuit creare hominem ſecundùm iuſtitiam originalem ſine gratia, poteſt etiam de potentia abſoluta eundem reſtaurare in iuſtitia originali:quia non deficit potentia ex parte Dei, neque poſſibilitas ex parte formæ, neque capacitas in natura tollitur per peccatum ad eandem formam, cuius priùs fuit capax ante peccatum,quia peccatum non facit naturam eſſe aliam, neque proinde tollit eius capacitatem: agens autem diuinum poteſt imprimere naturæ omnem formam abſolutam, cuius eſt capax ſine omni eo, quod non eſt de ratione formæ impreſſæ, maximè ſi ſit poſterius ipſa, talis eſt gratia reſpectu iuſtitiæ originalis, nempe in ſententia Magiſtri, & Richardi, qui ſentiunt hominem fuiſſe creatum non in gratia, ſed *Secunda probatio.* *Nihil obſtare quin reſtaurari poſſet iuſtitia.*

eius non ablatâ. Sed hoc conceſſo, oppoſita deordinatio iſta poteſt auferri abſque collatione gratiæ.

Ad quartum concedo, quòd diuina offenſa placatur, & iſte, cui dimittitur peccatum, reconciliatur: ſed non ſequitur, ergo eſt acceptus Deo iſtâ acceptione ſpeciali, quâ eſt acceptus per gratiam. Homo enim in puris naturalibus eſt placitus Deo, non tamen acceptus ſpecialiter, hoc eſt, dignus vitâ æternâ; pax enim, & reconciliatio non dicunt, niſi Deum nolle vindicare culpam iſtam: ſed acceptare plus dicit, ſcilicet iſtum ordinare tanquam dignum vitâ æternâ. Patet etiam in nobis: poſſum enim alicui, qui offendit me, placari, vt non ſim ſibi inimicus, neque velim vindicare commiſſum, abſque hoc, quòd recipiam eum ad amicitiam ſpecialem, ſecundùm quam ordinetur ad aliquod bonum ſpeciale.

*An Deus poſſet dimittere pec. orig. abſque collatione poſitiui contrarij, vt iuſtitiæ orig.*

Sed adhuc reſtat dubium [h], vtrùm Deus de potentia abſoluta poſſet dimittere peccatum originale, abſque collatione cuiuſcunque poſitiui repugnantis illi peccato, puta iuſtitiæ originalis, vel alicuius huiuſmodi. Et videtur quòd non, per tres rationes priùs factas de priuatione, & mutatione, & deordinatione: & ſpecialiter per hoc, quòd homo non habens iuſtitiam originalem, neceſſariò habet carentiam iſtius iuſtitiæ, & etiam debitum habendi, ſi eſt propagatus ab Adam. Hoc probo; ideò eſt enim debitor huius iuſtitiæ, quia accepit in Adam debitum ab ipſo naturaliter propagatus: ſed carentia huius iuſtitiæ cum debito habendi eam, complet rationem peccati illius originalis: ergo ſimpliciter neceſſarium eſt propagatum ab Adam habere peccatum originale, ſi non detur originalis iuſtitia in ſe, vel in aliquo æquiualenti.

*Idem infrà diſt. 19 q. 2.*

Item, *diſtinct. 17. primi lib.* probatum eſt charitatem eſſe in anima per mutationem illam, quæ fit in iuſtificatione peccatoris: ſi autem poſſit iuſtificari, ſeu reconciliari Deo, ſine mutatione eius, illa media non concluderent: ergo dicendo conſequenter his, quæ dicta ſunt ibi, neceſſe eſt ponere, quòd peccator non poſſit reconciliari Deo, ſine mutatione ad formam abſolutam: & illa repugnabit termino *à quo*, & per conſequens erit gratia, ſicut priùs eſt argutum.

8 *Peccatũ tolli poſſe abſque omni mutatione Phyſicâ.*

Primum argumentum requirit difficultatem tangendam inferiùs *diſtinct.* 14 An ſcilicet peccatum poſſit deleri abſque productione formæ nouæ in anima? Quòd ſi poneretur, quòd ſic, de originali, ſicut fortè ſed in ſola iuſtitia originali, quamuis poſtea ei fuerit collata gratia per ipſos.

Subiicit inſtantiam contra Maiorem, quam mox ſoluit, in litera eſt plana, explicans quare nequit fieri, quin præteritum ſit præteritum, optimam rationem à priori ſubiiciens. Item, quid ſit virginitas, & quâ ratione poſſit reſtaurari à Deo, & ſi reſtauraretur, non deberi ipſi aureolam, quæ eſt gaudium de innocentia non temeratâ, aut violatâ & amiſsâ. Item, quâ ratione poſſit gaudium eſſe de negatione excludente imperfectionem, ſeu affirmationem odibilis. *Inſtantia, & eius ſolutio.*

Aliqui citant Doctorem, quaſi fuerit in eadem ſententia cum Magiſtro, quam plures alij tenent, eſtque probabilis, fundamentum habet in Cypriano *epiſtola* 74. vbi intelligit illud Geneſis, *& ſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, &c. de gratia ſanctificante, aſſerens priùs fuiſſe creatum primum hominem, quàm acciperet ſpiritum vitæ; & in Auguſtino 13. *de ciuit. cap.* 24. intelligens priùs fuiſſe creatum primum hominem, & per ſpiraculum vitæ intelligi animam rationalem, quod confirmat verbis Pauli 1. ad Corinth. 15. *Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem, nouiſſimus Adam in ſpiritum viuificantem, ſed non priùs quod ſpirituale eſt, quàm quod animale*, &c. & lib. 2. de Geneſi ad literam contra Manichæos, cap. 8. ſequens eandem interpretationem: *Nondum tamen*, inquit, *ſpiritualem hominem debemus intelligere, qui factus eſt in animam viuentem, ſed adhuc animalem: tunc enim ſpiritualis effectus eſt, cum in Paradiſo, hoc eſt, in beata vita conſtitutus principium etiam perfectionis accepit, vt verbo Dei conſummaretur*, &c. & lib. 11. de ciuit. cap. 13. dicit iuſtum viatorem poſt lapſum eſſe beatiorem Adamo, quantùm ad ſpem vitæ æternæ, quod non eſſet verum, ſi Adam habuiſſet dona ſupernaturalia ſimul cum iuſtitia originali. 27 *Sententia Magiſtri patet.* Cyprianus. Auguſtinus.

Videtur etiam tunc congruenter fuiſſe diſtinctionem inter opera naturæ, & opera gratiæ: & ſicut de facto adultus non iuſtificatur ſine propria diſpoſitione: ita Adam, qui creatus eſt cum plena libertate, & relictus in manu conſilij ſui, videtur ſine propria diſpoſitione non recepiſſe gratiam: vt Doctor in ſimili dicit de Angelorum mora, vt in primo inſtanti fuerint creati in naturalibus; in ſecundo collata fuerit gratia; in tertio verò hi meruerint, illi demeriti ſint; in quarto fuerint in termino, & hoc ideò, quo omnem ſtatum experirentur. Vide ipſum *in 2. d. 3. quæſt. 1.* & poteſt ſumi fundamentum huius ex Auguſtino *lib. 1. de gen. ad literam cap. 4.* Hanc ergo diſpoſitionem potuit habere mediantibus adiutoriis gratiæ actualis. 28 *Congruentia.* *In quo ſtatu creati Angeli.*

Quamuis autem Patres frequentiùs aliter intelligant illa verba Geneſis; *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; &c. per *imaginem* intelligentes naturam, & capacitatem eius, per *ſimilitudinem* donum & virtutes, intelligi poſſunt quoad conſummationem operis, quæ tunc finem accepit, quando homo recepit gratiam, & dona, non quòd ſimul cum natura omnia ſint perfecta in executione, ſed tantùm ſecundùm intentionem, quæ ſucceſſiuè completa eſt. Et quamuis Auguſtinus intelligat hominem creatum fuiſſe in bona voluntate, & recta, 14. *de ciuit. cap.* 11. & 27. *de correpț. & gratia, cap.* 10. & frequentiùs per bonam voluntatem intelligit charitatem contra Pelagianos. *Explicantur Patres.*

Reſpondetur, inquam, Auguſtinum per bonam 29 volunta

fortè ibi dicetur de actuali; posset dici ad argumentum, quòd non omnis propagatus ab Adam, (quia propagatus) est debitor iustitiæ originalis: sed cum hoc, quia Deus vult talem teneri ad illam iustitiam. Potest autem non velle istum teneri ad illam iustitiam, absque mutatione aliqua positiua, & absolutâ in isto, vt tangetur ibi.

*In iustificatione duæ sint mutationes.*

Ad secundum, iuxta hoc consequenter potest dici, quòd in iustificatione peccatoris est vna mutatio priuatiua, quâ de inimico fit non inimicus. Est etiam alia positiua, quâ de indigno vitâ æternâ, fit dignus vitâ æternâ, & de non potente meritoriè agere, fit potens agere meritoriè. Licèt ergo ex prima mutatione non possit concludi aliqua forma noua in iustificatione: tamen ex secunda potest, & sic argutum est ibi, *dist.* 17. *primi.* Nõ enim est nunc dignus de nouo vitâ æternâ, neque nũc de nouo potest meritoriè agere, nisi formam aliquam nouam habeat, quâ sit dignus, & quâ possit agere.

*q. 2.*

*Explicatur Augustin.*

voluntatem & charitatem frequentiùs intelligere, quemcunque actum bonum virtutis procedentẽ à gratia, & adiutorio Spiritus sancti, siue sit actus charitatis, aut pœnitentiæ, aut alterius virtutis, qui actus rectè dicitur charitas per accommodationem, quatenus procedit ab adiutorio Spiritus sancti, cui appropriatur charitas & bonitas; estque medium, & dispositio ad charitatem eo modo, quo charitas dicitur plenitudo legis à Paulo. Accedit quòd per *bonam voluntatem* intelligit actualem, non habitualem, & adimpletionem legis, cuius præcepta omnia ad charitatem disponunt.

*Actus virtutis dicitur charitas.*

*Hominem creatum esse rectum,*

Quando autem Scriptura dicit hominem fuisse creatum rectum, intelligit sine obliquitate, aut macula, fomite, aut ignorantia, quæ sunt pœnæ peccati, in quibus constituit Augustinus, & Concilia, potissimùm primi hominis integritatem, & rectitudinem: quibus accedente gratiâ, sine qua non (quam sic vocat Augustinus illam, quæ data est primo homini) & adiutoriis, homo etiam in ordine ad supernaturalia operâ constitutus est rectus; & inchoatiuè ad gratiam habitualem, ad quam se mediante actuali disponit. Qui ergo sic voluerit nostrum Doctorem intelligere, vt fuerit in hac opinione, nihil sequitur incommodi, quia est frequentior antiquorum.

30

*Dubium si Doctor fuerit in ea sententia cum antiquis.*

*Scopus præsens eius.*

Cæterùm non mihi occurrit fundamentum, vnde dicam eum in ea esse sententia, quia quid in hoc sensérit non inuenio ab eo determinatè expressum. Hîc, vt notaui, argumentatur contra Richardum ex propriis eius principiis, & supponendo hanc, quam Richardus tenuit cum Magistro; in 2. autem *dist.* 29. loquitur præcisè de iustitia originali, vt erat propria illius status, & constituebat omnem tranquillitatem in homine operante secundùm rectam rationem, sine fomite; & præcisè loquitur de hoc dono, vt erat in voluntate, & appetitu sensitiuo; quamuis ad eandem spectabat etiam donum, quod fuit in intellectu, ex cuius priuatione in posteris per ipsum sequitur ignorantia, & error, quæ est doctrina Patrum, & Conciliorum.

*Neque inter electum, & reprobatum.*

*Leges diuinæ sapientia ex fine determinata.*

*Resolutio eius.*

In 2. *dist.* 5. *quæst.* 1. quamuis problematicus sit circa illud, an Angelus fuerit creatus in pura natura primùm, & non in gratia? videtur tamen magis inclinatus in eam sententiam, quâ dicitur creatus in gratia: §. *Ad inquirendum de istis*, &c. *propositione* 6. quod perinde de Adamo, cuius status vniformis erat, quantùm ad electionem, dicendum erat.

*Ordo prædestinationis.*

Supponendo ordinem etiam prædestinationis per ipsum assignatum in 1. *dist.* 40. & 41. & *in* 3. *dist.* 7. *quæst.* 3. quâ dicit electum ordinatum esse ad gloriam priùs, deinde ad gratiam, & *dist.* 44. de lege vniuersali omnem glorificandum priùs esse gratificandum: *dist.* 46. circa illud Apostoli, *Rom.* 9. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, intelligendum esse de voluntate antecedenti, & distributiuè.

31

*Creatura rationalis in gratia condita.*

Sic etiam supposito, quòd finis principalis creationis creaturæ rationalis fuerit gloria, ad quam determinauit Deus merita tanquam medium, quæ supponunt necessariò gratiam sanctificantem, quæ est gratia adoptionis: non videtur ratio vnde Adamum, & Angelum non diceret creatos in gratia fuisse, atque vt ipse infrà negat de potentia ordinaria dari statum medium inter iustum, & peccatorem, post lapsum saltem (quod addere videtur ne præiudicet opinioni Magistri) neque posse dari tale medium secundùm leges diuinæ sapientiæ; ita etiam neque ante lapsum datum fuisse tale medium, magis consentaneum est eius principiis assertis, sicut in legibus diuinæ sapientiæ, quibus status gloriæ, & reprobationis regulatur, non datur medium inter electum, & reprobatum.

*Nõ dari medium inter amicum, & peccatorem.*

Sicut ergo creatura rationalis fuit creata secundùm voluntatem vniuersalem in ordine ad gloriam, & finem supernaturalem principaliter, & hoc secundùm leges diuinæ sapientiæ statuentis media ordinata ad talem finem, vel sufficientia, vel efficacia; ita etiam debuit fuisse creata cum his mediis secundùm easdem leges, quarum determinatio non videtur admittere statum medium puræ naturæ, qui non conducit ad finem præfixum, & videretur superfluus.

32

*Congruentia.*

Sic ergo interpretor secundùm hanc partem ea quæ infrà habet §. *De potentia verò ordinata*, &c. conducit ad hoc congruentia, quam assignat in 3. dist. 23. §. *Ad quæstionem tamen dico*, &c. vbi dicit fidem infusam datam esse à Deo, vt perficiat animam in actu primo: *Quia Dei est*, inquit, *perfectè perficere quando perficit: vnde quando sanat aliquem secundùm corpus, perfectè sanat pro statu in quo est; ita etiam secundùm animam: & quia in anima est imago Dei secundùm tres potentias, quæ deformatæ erant per peccatum, ideò Christus reformando, sicut perficit voluntatem per charitatem, sic intellectum per fidem*, &c. Sicut autem Deus perfectè restaurat secundùm præsentem, & mortalem statum, qui est per peccatum, ita instituit hominem perfectè in statu primæuo cum mediis per se requisitis ad finem.

*Dei perfecta sunt opera.*

*Obiectio ex sententia eius de peccato originali.*

Et si obiicias hîc *responsione ad* 2. Richardi, & *in* 2. *dist.* 31. eum constituere peccatum originale non in priuatione gratiæ, sed iustitiæ originalis: ergo censet gratiam non collatam fuisse Adamo simul cum iustitia. Respondetur extra dubium esse apud omnes Theologos communiter, Adamum ante lapsum fuisse in gratia sanctificante: si autem non fuit collata cum iustitia, sed ex dispositione propria, fuit personalis, &

*Responsio.*

non

*Gratiã amitti potuisse, sine amissione iustitiæ originalis.*

non transfunderetur in posteros. Vel si teneatur etiam sententia eorum, qui dicunt gratiam potuisse amitti sine iustitia originali, & sic contigisse in Eua, quæ peccauit ante vitum, neque amisit iustitiam originalem, donec Adam peccauit, facile erit distinguere priuationem iustitiæ originalis à priuatione gratiæ.

33 *Responsio ex doctrina aliorum.*

Dicendo verò iustitiam originalem, vt aliqui etiam dicunt, non fuisse aliam ab ipsa gratiâ sanctificante, qui ex eminenti quodam modo eius, in illo statu fuit collatus effectus, qui dicitur iustitia originalis, ad quod fortè alludit D. Thomas D. Thom. 1. *part. quæst.* 97. *art.* 1. *ad* 3. asserens gratiam recuperari pro hoc statu, quantùm ad remissionem culpæ, & meritum gloriæ, non verò quantùm ad effectum illum immortalitatis, quem habuit in statu innocentiæ.

Tunc ergo diceretur peccatum originale esse priuationem gratiæ, non secundùm communem rationem eius pro hoc statu, & statu innocentiæ, sed secundùm rationem illam particularem.

*Restõsio propria.*

*Gratia forma communis, non propria.*

Respondeo tamen tenendo iustitiam originalem fuisse donum diuersum, & cum hoc gratiam fuisse collatam Adamo concomitanter, gratiam non fuisse propriam formam illius status, sed communem omni statui (loquendo de sanctificante) tam innocentiæ, quàm post lapsum, quàm gloriæ: iustitiam propriam illius status inquantum à cæteris distinguitur, fuisse constitutam in sola originali, de qua initum est pactum primò & per se, vt est forma distinctiua status illius ab aliis, & rectitudo propria ipsius.

34 *Confirmatio ex doctrina Augustini.*

Vnde Augustinus de *correptione & gratia*, *c.* 11. postquam asseruit hominem, & Angelum in bonis fuisse creatos, quo primùm ostenderet Deus quid posset liberum eorum arbitrium; deinde quid suæ gratiæ beneficium, aliquos lapsos fuisse per liberum arbitrium, alios stetisse per liberum arbitrium; & bona merita eorum fuisse opera liberi arbitrij, pro eo statu. Addit rectitudini ipsius status gratiam Dei, & adiutorium, sine quo non possint per solum liberum arbitrium stare: vnde distinguens tale adiutorium à gratia Christi.

*Distinctio gratiæ primi hominis à gratia Christi.*

*Tale quippe*, inquit, *erat adiutorium, quod desereret cum vellet, & in quo permaneret si vellet, non quo fieret vt vellet. Hæc est prima gratia quæ data est primo Adam; sed hæc potentior est in secundo Adam: prima est enim quâ fit, vt habeat homo iustitiam si velit: secunda ergo plus potest, quæ etiam fit vt velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, vt cærnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*, &c.

*Distinctio gratiæ primæ à rectitudine naturæ.*

Hæc gratia distinguitur præfatis in locis à rectitudine, & potentia liberi arbitrij, quòd nullam patiebatur rixam, aut difficultatem in operando: quamuis sine ea liberum arbitrium non posset habere meritum, aut stare in bono, quod est mereri vitam æternam: quamuis per eam non dabatur ipsum opus, sed posse ad opus meritorium. Distinguitur etiam à gratia Christi, id est, secundi Adam, quantum ad rationem peculiarem eius; quia hæc datur vt non solùm possit, sed etiam velit, & per eam superatur voluntas carnis & tentatio, & quodcumque aliud repugnans; & hæc consistit in adiutorio actuali excitante & adiuuante, quod etiam iustis pro hoc statu necessarium est ad benè operandum.

*Distinctio eiusdẽ à gratia Christi.*

35 *In quo consistebat illa gratia?*

Gratia ergo illa *sine qua non*, quæ fuit primi hominis cùm dei tantùm posse, & non velle, non in aliqua actuali statuenda videtur, sed in ipsa habituali, quæ prærequiritur ad meritum: quia primus homo in ea potestate liberi arbitrij, & rectitudine iustitiæ originalis, non indigebat aliquâ excitatione, quia non fuit in eo error secundùm intellectum, aut ignorantia, neque aliquis fomes, aut rebellio in voluntate & appetitu, quia sunt ex peccato; contra quæ excitari petit voluntas, & roborari per gratiam actualem: vt patet ex Conciliis, & Patribus contra Pelagianos. Rectè ergo intelligitur gratia sanctificans, quæ in omni statu ad iustitiam, de qua loquitur Augustinus, intelligitur necessaria, nempe perseuerandi in bono accepto.

*Primus homo non indigebat auxilio speciali.*

Accepit ergo illam primus homo creatus rectus, tanquam formam, sine qua non vellet meritoriè & perseuerãdo in bono, quod accepit in sui creatione, & quæ in omni statu ad perseuerantiam requiritur ad salutem in iusto: non verò tanquam propriam, & peculiarem illis status. Vnde satis commodè ex doctrina Augustini intelligitur peccatum originale opponi rectitudini peculiari illius status primò, & per se: secundò verò opponitur gratiæ habituali: nam, vt Doctor hîc asserit, gratia continet eminenter rectitudinem iustitiæ originalis, tãquam perfectius ordinans ad finem. Vnde patet quomodo originale per gratiam tollatur, tanquam per formam æquivalentem, & perfectionem, sicut ipse finis supernaturalis, ad quem ordinat gratia in seipso continet eminenter perfectionem finis naturalis: sic etiam gratia de facto remisit peccatum Adæ in specie, contra alias virtutes, vt intemperantiæ, & huiusmodi, quamuis illud sit priuatio rectitudinis temperantiæ in specie.

*Peccatũ originale opponi primò iustitiæ.*

*Secundò & concomitãter gratia.*

*Gratia sanctificans perfectiùs continet iustitiã in ordine ad finem.*

Patet etiam quomodo gratia sanctificans in posteros transfunderetur, perseuerante Adamo, ad communicationem iustitiæ, tanquam per se adiutorium necessariò cõcomitans iustitiam originalem. Qui autem velit oppositam sententiam secundùm mentem Doctoris tenere, nõ repugno, & suppetit ei fundamentum ex obiectione vltimò allata: quia tamen aliqui variant de mente eius; ideò pro vtraque parte proposui ea, quæ magis mihi occurrunt accommoda.

*Transiret ad posteros cum iustitia.*

Sed tenendo primam sententiam, & præfata argumenta authoris non solùm contra Richardum, sed alios, qui statuunt iustitiam originalem saltem primariò in gratia, esset replicandum contra eorum solutiones, quod in proprium locum differimus. Iam patet ex dictis responsio ad illud quod principaliter obiiciunt: nempe si peccatum originale esset priuatio iustitiæ originalis, sequi non tolli de facto, cùm illa non restituatur; priuatio autem solùm tollitur per habitum oppositum. 36

*Obiectio.*

Respondetur, hanc priuationem esse moralem, non physicam, & fundatur in debito iustitiæ conseruandæ, quæ perdita est demeritoriè per peccatum Adami: quamuis illud opponebatur rectitudini virtutis in specie: debitum autem illud morale, seu ex pacto habendæ iustitiæ originalis, sufficienter ordinatur per gratiam sanctificantem restitutum, quæ eminenter continet rectitudinem naturalem, non in sua specie, sed in perfectiori, nempe supernaturalis ordinationis ad finem supernaturalem simpliciter, ad quem remotè, & vt medium ordinabat rectitudo iustitiæ originalis. Quod autem proximè attingit finem & efficaciter, continet in se

*Respondetur.*

*Priuatio hæc fundatur in debito morali.*

*Gratia ordinat ad finem immediatè.*

*Iustitia mediatè.*

æquiualenter, & eminentiori modo perfectionem medij remoti, & subordinati, illúdque supplet: priuatio autem iustitiæ originalis naturalis, & physica, semper manet, neque habet rationem peccati.

*Duplex ordinatio.*

Intelligo autem cum Doctore *ordinationem* non physicam, & operationis; sed ordinationem moralem secundùm legem, institutionem, & acceptationem Dei; ex quibus tam gratia, quàm iustitia originalis opponuntur peccato saltem graui, quæ est offensa simpliciter, quidquid sit an iustitia opponebatur hoc modo veniali.

37 *Cõclusio propria.*

f *Concedo ergo*, &c. Hîc ponit tandem conclusionem suam, nempe de potentia absoluta posse remitti peccatum originale non infusâ gratiâ; & maximè, quia non opponitur gratia formaliter peccato originali, sed æquialenter, iustitia autem originalis formaliter. Contrà, gratia non compatitur cum peccato originali, aut cum vllo graui; sic etiam neque iustitia originalis: ergo perinde opponitur vtraque peccato originali formaliter, vel neutra.

*Obiectio.*

*Responsio.*

Respondetur gratiam opponi peccato originali ex communi ratione, quâ illud facit filium gehennæ, & excludit à regno, gratia verò dat ius ad regnum. Iustitia originalis ex sua ratione specifica opponitur peccato originali, quod est priuatio eius primò, & per se, ratione pacti, quo ad posteros debitum eius transiuit; atque adeò ipsa iustitia, quam in primo parente receperunt, perseuerante Adamo transisset. Et hanc intelligit Doctor oppositionem formalem, quæ nempe est inter immediatè oppositа priuatiuè.

*Peccatũ originale opponitur vtrique aliter, & aliter.*

*Peccatum actuale Adami demeritoriè opponitur iustitiæ originali, & gratiæ.*

Si autem loquamur de iustitia originali quatenus fuit in Adamo personalis, qui eam sibi etiam accepit in ordine ad perfectionem proprij suppositi, & non solùm vt caput reliquorum; peccatum actuale ipsius non fuit oppositum iustitiæ originali solùm, sed & actuali formaliter, quia fuit priuatio rectitudinis debitæ inesse in actu; consecutiuè verò, & demeritoriè, fuit priuatio iustitiæ habitualis, quæ non compatiebatur cum peccato.

*Rectitudo operis non transiret in posteros.*

Ex quibus patet differentia inter peccatum originale in nobis, & actuale & habituale Adami, quia Adamus non transferret in nos iustitiam actualem, seu rectitudinem operis, sicut neque Christus transfert; sed tantùm rectitudinem habitualem, & iustitiam, quæ vocatur originalis, quæque cum natiuitate transiret ad posteros & origine; ideóque in nobis peccatum est eius priuatio: in Adamo verò peccatum actuale fuit transgressio illius rectitudinis, quam in specie Deus per mandatum determinauit, quæcumque illa fuerit: habituale verò peccatum fuit quidquid ex actuali manere dicitur, quod infrà *dist.* 14. explicabitur. Vnde non rectè quidam moderni volunt peccatum originale esse in nobis priuationem rectitudinis, quæ debebat esse in actu Adami, quia, vt dixi, illa rectitudo non debebatur nobis; neque etiam transfunderetur in nos habitualiter, aut actualiter, sicut neque rectitudo actualis operum Christi transfunditur in iustos, sed dona habitualia, quæ nobis meruit.

38 *Ad fundamentum Richardi. Prima ratio.*

g *Ad argumenta pro opinione*, &c. Respondet fundamentis Richardi. Prima ratio est, quòd nequeat anima de immunda fieri munda, nisi per mutationem positiuam, inducendo formam absolutam, repugnantem peccato: hæc autem est gratia de facto. Respondetur, quòd fieret munda munditiâ oppositâ peccato, id est, per formam oppositam, si iustitia originalis infunderetur, siue illa fuerit donum superdditum naturæ; vt ipse censet *in 2. dist.* 29. siue rectitudo naturalis, scilicet præscindens omnem deformitatem peccati, vt sensit Richardus, & Magister.

*Soluitur. Tolli peccatum si infunderetur iustitia.*

Secunda ratio, quòd peccatum opponitur gratiæ, sicut priuatio habitui: sed priuatio nequit tolli à subiecto, nisi ponatur habitus, &c. Respondet, negando Maiorem, loquendo de oppositione præcisa, propria, & immediata: quia sic peccatum originale opponitur tantùm iustitiæ originali, æquialenter autem gratiæ secundùm acceptationem diuinam.

*Secunda ratio.*

*Responsio.*

*Opponi æquialenter gratia.*

Tertia ratio, non posse peccatum tolli, nisi tollatur eius deordinatio, quâ imputatur ad pœnam, quia ipsa manens non potest aliter ordinari, quàm per pœnam: hæc autem deordinatio tollitur per gratiam tantùm. Respondet, dubium esse, vtrùm possit non ordinari ad pœnam, deordinatione eius non ablatâ, scilicet, reatu, aut debito pœnæ: loquitur autem de potentia absoluta, de qua est quæstio, an posset Deus nõ punire actu peccatum manens quoad reatum pœnæ. Respondetur de potentia absoluta id posse, vt patet in peccatis damnatorum, quæ nouam pœnam non habent; sicut neque bona opera beatorum nouum præmium, Dei sapientiâ sic statuente: potuit ergo absolutè etiam non punire actu peccatum viatoris manens, & dignum pœnâ: & intelligitur de pœna sensus. De pœna autem damni videtur magis dubium, & dependet ab illa quæstione, an de potentia absoluta posset conferri beatitudo existenti in peccato habituali, quia de actuali supponitur certũ esse, quòd non. Non videtur autem posse, quia stante peccato habituali stat dignitas ad pœnam, quæ non compatitur cum gloria, quæ excludit miseriam; neque cum iustitia Dei.

*Tertia ratio.*

*Soluitur.*

*An possit Deus non punire peccatũ manens. Affirmatur.*

*Intelligitur de pœna sensus.*

*Quid dicendum de pœna damni?*

*Responsio, nequit glorificare existentem in habituali.*

39 *Obiectio.*

Dices non esse oppositionem physicam inter peccatum habituale contra aliquam rectitudinem moralem & naturalem, atque visionem, & fruitionem beatificam: ergo non excedit casus potentiam infinitam, ad cuius ostensionem posset dare gloriam isti, cessante omni motiuo iustitiæ, & misericordiæ.

*Soluitur.*

Respondetur, Deum non posse facere contra ordinem iustitiæ; contra autem ordinem iustitiæ esset, saluare manentem in peccato, & inimicum fieri amicum manentem in offensa, & inimicitia; hoc enim est contra bonitatem, & rectitudinem diuinæ iustitiæ, & etiam misericordiæ. Sic etiam Deus non potest mentiri; quamuis homini non repugnet mendacium; neque potest causare peccatum, quia nequit agere defectibiliter. Licèt ergo posset saluare peccatorem dimisso eius peccato, non potest eum saluare manente peccato, quia sic inordinatè ageret contra attributum iustitiæ.

*Quarta ratio.*

Quarta ratio, non posse remitti peccatum, nisi quis reconcilietur Deo: sed per solam gratiam fieri potest talis reconciliatio: ergo. Respondetur, hanc reconciliationem dicere remissionem peccati tantùm, & sublationem offensæ: & totum hoc contingeret per iustitiã originalem: non inde sequitur quòd homo esset acceptatus ad vitam, loquendo de potentia absoluta: potuit enim Deus ordinasse hominẽ solùm in beatitudine naturali in via, quæ esset secundùm iustitiam originalem,

*Soluitur.*

*Remissio peccati, & acceptatio ad gloriam ab extrinseco sunt coniuncta.*

ginalem, non eleuando ipsum ad finem supernaturalem; ordinare etiam media, quibus illa iustitia amissa reparari possit per pœnitentiam, aut aliud remedium. In eo casu posset reconciliari homo Deo per remissionem peccati, sine eo quòd acceptaretur ad gloriam.

40 Illa verba eius *pax & reconciliatio non dicunt aliud, quàm Deum non velle vindicare peccatum illud*, &c. Intellige de nolitione, quæ includit remissionem, & deletionem peccati: hîc enim agit de remissione peccati originalis per restitutionem iustitiæ originalis oppositæ; & sic non remaneret peccatum. De alia autem remissione, absque collatione alicuius positiui repugnantis peccato per solam extrinsecam condonationem agit in sequenti, §. *Crebrò*.

*Explicantur præmissa verba.*

*An possit sine vllius infusione remitti originale? Affirmatur.*

h *Sed adhuc restat dubium*, &c. Hîc quærit incidenter an possit remitti de potẽtia absoluta peccatum originale sine infusione alicuius formæ positiuæ repugnantis ipsi in anima? Resoluit autem tenendo partem affirmatiuam, per hoc quòd Deus tollat debitum iustitiæ originalis ab aliquo deleri peccatum originale, quia scilicet tollendo debitum, desinit negatio formæ esse priuatio, sine mutatione positiua.

*Tres mutationes in iustificatione.*

Concedit præterea tres mutationes fieri in iustificatione; vnam priuatiuam, per condonationem culpæ; aliam, quâ fit dignus vitâ æternâ; tertiam, quâ fiat potens mereri: has duas esse positiuas, & secundùm has intelligendas esse rationes, quibus impugnat opinionem, quæ imponitur Magistro *in 1. dist. 17. quæst. 2. art. 3.* De hac quæstione fusiùs agetur infrà de remissione peccati actualis & habitualis; ideò hîc non protrahemus disputationum.

41 Sed quoad primum modum remissionis, per ablationem debiti iustitiæ, petes quomodo hoc debitum posset auferre Deus? & quomodo peccatum sic desineret? Respondetur breuiter, sicut potuit de potentia absoluta eximere à lege vniuersali, & pacto, in quo posteri Adami includuntur, aliquem ex ipsis exemisse, ita vt non includeretur; ita etiam inclusum in dicto pacto, post incursum debitũ, potest à lege absoluere dispensatiuè, comprehensum in ipsa lege, sicut potest damnatum de potentia absoluta saluare, vt dicit Doctor *in 1. d. 43. quæst. vnica*: quâ dispensatione positâ, tolleretur debitum legis, quæ est eius obligatio respectiuè ad dispensatum. Ex hoc patet ad secundam petitionem, quia originale, licèt sit priuatio iustitiæ originalis, intantum est peccatum, inquantum fundatur in debito morali, ex obligatione pacti, & legis habendi iustitiam: sublato ergo hoc debito, desineret priuatio in *esse* peccati, & maneret tantùm in *esse* negationis, quia desineret eius debitum.

*Quomodo auferri debitum iustitiæ posset.*

Dices, iam incursum est peccatum, vt supponitur; neque dispensatio illa impedit quin fuerit incursum: ergo semper maneret, donec remitteretur ipsum peccatum directè. Respondetur peccatum non solùm in *fieri*, sed etiam in sui permanentia dependere à lege diuina, & eius debito: vnde eo ipso quòd iam desinat per dispensationem consequentem peccatum incursum persona comprehendi sub lege, desinit etiam debitum, in quo fundatur etiã peccatum: quia illa dispensatio exerit vires respectiuè ad legem, etiam pro tempore incursi peccati, in ordine ad relaxationem eius, quantùm ad omne debitum, quod inducit, & quod ex effectu legis incurritur de facto: & sic etiã erit remissio directa peccati: quia per dispensationem illam non fit homo obnoxius deinceps legi, vel quoad se, vel quoad effectum legis pro tempore consequente dispensationem. Ex quo patet ad obiectionem. Intelligi etiam potest Doctor de debito, vt includitur in ipso peccato.

## SCHOLIVM.

*Sententiam asserentem de facto Circumcisionem deleuisse originale sine gratiæ infusione, refutat. Primò, quia de facto non datur medium inter filium regni, & perditionis. Secundò, principaliùs intendit Deus gratiam dare, quàm peccati expulsionem. Tertiò, Sacramenta impropria legis veteris dabant gratiam ex opere operantis: ergo propria dabant ex operato. Soluit loca in contrarium, quòd procedant de impropriis Sacramentis legis veteris. Quòd si aliqua loquantur etiam de Circumcisione, tripliciter respondet ad ea. Quòd verò Circumcisio causabat gratiam, tenent* Alens. D. Bonau. Rich. Dur. Mayron. Gabr. Rubion, Maior. Suar. *citati &* Abul. *Iud. c. 13. q. 41. & Matth. 3. q. 46.* Sot. *4. d. 2. q. 1. a. 4. licèt ipse &* Suar. *in verbis differant ab aliis.*

9 De potentia verò ordinata [i] ponitur, quòd etiam de facto in Circumcisione deleret culpam originalem sine infusione gratiæ: propter auctoritates Sanctorum, quæ videntur negare gratiam à Sacramentis veteris legis, vt deductum est opponendo. Alij dicunt, quòd principaliter instituta fuit propter dimissionem originalis: ex consequenti autem ad gratiam conferendam, & pro tanto dicitur non conferre gratiam, quia non ex principali institutione, sed concomitanter.

*Magist. in 4. dist. 1. cap. vltimo. Varr. 1. dist. 41. q. 2.*

*Resolutio.*

Quoad hoc, teneo quòd non est possibile de potentia ordinata, culpam originalem, nec aliquam aliam mortalem dimitti

i *De potentia ordinata*, &c. Præmittit sententiam Magistri, quam ad initium huius quæstionis impugnauimus; & eam ipse hîc impugnat. Item sententiam Varronis sui præceptoris, qui asserit in Circumcisione gratiam non intendi principaliter institutione Circumcisionis, sed deletionem peccati originalis: secundò autem & concomitanter per eam datam esse gratiam, & pro tanto dicitur à Sanctis non conferre gratiam, quia non ex principali instituto id habet. 42 *Sententia Magist. Alia Varronis.*

Conclusio Doctoris est *de potentia ordinaria non remitti peccatum originale sine infusione gratiæ.* Ratio est iam suprà tacta, quia non datur, nec potest dari de potentia ordinaria, & secundùm leges fixas diuinæ sapientiæ status medius inter filium regni, & peccatorem post lapsum: hoc suprà probatum est in initio quæstionis. *Conclusio.*

Addit, contra secundam opinionem, gratiam

ſine infuſione gratiæ, quia licèt abſolutè ſine contradictione poſſit eſſe medium in ſpecie humana, inter filium regni, & filium perditionis, ſcilicet homo in puris naturalibus: tamen ſecundùm legem ſapientiæ diuinæ, poſt lapſum nullum eſt medium inter gratum, qui eſt filius regni, & peccatorem, qui eſt filius carceris. Nec poteſt eſſe loquendo de potentia ordinata, id eſt, conformi legibus à ſapientia, & voluntate diuinâ determinatis: & ideò nullum liberat, nec ſic liberare poteſt à culpa, niſi cui dat gratiam.

*Gratia datio an principaliùs intenditur, quàm peccati expulſio?*

Addo etiam contra ſecundam opinionem, quòd principaliter intenditur gratia in Circumciſione: quod probo, quia agens ſecundùm rectam rationem, principaliùs intendit perfectionem, quàm carentiam defectus, ſiue imperfectionis: quia non intendit illam carentiam, niſi propter perfectionem: Deus ergo in inſtituēdo Circumciſionem (cùm ſit agens ſecundùm rectā rationem) principaliùs intēdit perfectionem poſitiuam, puta gratiam, quàm carentiam imperfectionis, id eſt, peccati originalis.

10 Tertiò, propter confirmationem primæ opinionis, & auctoritates Sanctorum, declaro qualiter Sancti intelligūt Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam. *Sacramentum* enim, (vt dictum eſt priùs,) poteſt accipi impropriè, & propriè: & quidem in illa lege fuerunt multa dicta impropriè Sacramenta, ſcilicet purgationes ab immunditiis contractis ſecundùm legem, vt patet in Leuitico, de purgatione à tactu morticini, per aquam expiationis, & de purgatione à lepra, & aliis huiuſmodi. Erant etiam ibi Sacramenta impropriè dicta, alia ab iſtis, tamen plus accedentia ad perfectionem, cuiuſmodi erant oblationes hoſtiarum: hæc enim pertinebant ad cultum latriæ pro tempore, in quo Deus voluit ſic coli: hæc & illa, ſcilicet purgationes & ſacrificia, ſiue oblationes, dicebantur cæremoniæ, & impropriè Sacramenta.

*Quæſt. 3.*

*5. & 14. & Numer. 14. Sacrificia legis veteris impropriè Sacramenta.*

Et de iſtis concedo, quòd non cauſabant gratiam tanquam ſigna efficacia reſpectu gratiæ, eo modo, quo expoſitū eſt in definitione Sacramenti: ſed tamen in illis conferebatur gratia per modum meriti, licèt aliqui negare videantur, quòd in talibus ex charitate factis conferretur gratia. Hoc enim videtur nimis durum, ſcilicet quòd aliquis ex charitate, & obedientia ſit ſeruans Dei præceptum, & non mereatur. Hoc etiam videtur irrationabiliter dictum, quòd Deus alicui dederit præceptum, nolens obſeruantem præceptum mereri, quantumcumque ex charitate, & obedien

*Secunda concluſio gratiæ intendi principaliter.*

principaliter intendi per Circumciſionem, quia agens ſecundùm rectam rationem principaliùs intendit perfectionem, quàm carentiam defectus, ſeu imperfectionis, quam intendit propter perfectionem poſitiuam, & magis terminum *ad quem*, quàm terminum *à quo*. quia illum intendit per accidens, hunc autem per ſe.

*Patet in naturalibus. Patet in moralibus.*

Hæc ratio patet in naturalibus, quia cauſa primariò intendit aſſimilare ſibi paſſum. Patet etiam in moralibus, quia intendens finem principaliùs operatur propter finem, quàm propter impedimenta, quæ ſummouet declinans ab extremis vitiis, quæ opponuntur virtuti; principaliùs intendit medium virtutis, quàm fugam extremi, & hanc eligit ex motiua virtutis, & mediocritatis, quo aſſequatur medium: finis etiam præcepti negatiui eſt affirmatio oppoſita.

*Patet in ſupernaturalibus.*

Patet etiam in propoſito in ſupernaturalibus, quia deletio & remiſſio peccati intenditur propter ſalutem, & vitam vt remoueatur impedimentum: hinc pœnitentia concipitur ex motiuo charitatis, vt patet ex Tridentino *ſeſſ. 6. cap. 7.* & præexigitur in eo qui eſt in mortali ad receptionem, & miniſtrationem Sacramentorum. Trident.

Deus ergo inſtituendo Circumciſionem (cùm ſit agens ſecundùm rectam rationem) principaliùs intendit perfectionem poſitiuam, puta gratiam, quàm carentiam imperfectionis, id eſt, peccati originalis: quia perfectio poſitiua magis, & propinquiùs accedit ad finem electionis, & gloriæ, quàm remiſſio peccati: quod patet per Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 7. declarans, *iuſtificationem includere non ſolùm remiſſionem peccati, ſed ſanctificationem, & renouationem interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum*, &c. & ſubdit cauſam, ſeu rationem. *Vnde*, inquit, *homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ*, &c. fieri ergo hæredem vitæ æternæ, quod tribuit gratiæ, eſt finis remiſſionis peccati; vtriuſque autem, vt ibi ſequitur, finis, eſt gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna: hæc intelligenda ſunt de fine extrinſeco Sacramenti, non verò de fine intrinſeco.

*Tertiò propter confirmationem primæ opinionis*, &c. 43

Primam opinionem appellat communem, quæ docet in Circumciſione deleri peccatum originale, & deinceps reſpondet ad authoritates Sanctorum, qui videntur negare Circumciſionem eſſe remedium peccati originalis. Supponit in primis quædam fuiſſa Sacramenta in veteri lege impropriè dicta, vt purgationes, & baptiſmata ab immunditiis legalibus, oblationes, & ſacrificia: aſſerit autem illa nō contuliſſe gratiam vllam ex opere operato; contuliſſe autem gratiam per modum meriti ex opere operantis: tenet ergo contra extremas ſententias cum communi.

*Sacramenta veteris legis nihil contuliſſe, niſi ex opere operantis.*

*Sententia Hugonis.*

Hugo de Sancto Victore *lib. 1. de Sacrament. part. 9. cap. 1. & part. 11. cap. 5. part. 12. cap...* & *in ſumma part. 4. cap. 1.* aſſerit omnia illa contuliſſe gratiam ex opere operato, quod admittit etiam S. Bonauentura *diſt. 1. quæſt. 5.* quamuis illam efficaciam refundat in fidem, & non in ipſa Sacramenta ratione ſui. D. Bonau.

Durandus diſtinguit inter ea, quæ fiebant in expiationem legalem, & ea, quorum vſus non fuit ſine gratia; illa non conferebant gratiam; hæc autem ſic, vt conſecratio Sacerdotum. Paludanus etiam in eo ſtatu admittit matrimonium fuiſſe Sacramentum: noſter Rubion id admittit de Pœnitentia. Durandus. Paludan.

Altera

obedientia obseruaret : nunc autem de istis cæremoniis, tam purgationibus, quàm oblationibus, præcepta data erant in illa lege. Patet in multis locis, & quandoque videtur ex textu, quòd sunt præcepta necessaria ad salutem, puta, *Qui præterierit se lustrari de aqua prædicta, peribit anima illa de populo suo.* Quæ comminatio nunquam ponitur, nisi ad designandam transgressionem peccati mortalis : ergo Iudæi ex charitate obseruantes Sacramenta impropriè dicta, meruerunt gratiam, vel augmentum eius, si eam iam habebant: sed non propter hoc illa erant propriè Sacramenta. Sacramentum enim ex virtute operis operati confert gratiam, ita quòd non requiritur ibi bonus motus interior, qui mereatur gratiam : sed sufficit, quòd suscipiens non ponat obicem. Sed in illis actibus non conferebatur ex hoc solo, quòd offerens non poneret obicem : sed tantùm conferebatur ex virtute boni motus interioris, tanquam meriti.

*Numer. 15. & 19. Vide gloss. ibi.*

*Sacramenta impropria legis veteris dabant gratiam ex opere operantis. Quid conferre gratiam ex operato.*

11 Sed præter ista [k] in illa lege erat Circumcisio, quæ fuit propriè Sacramentum. Vnde & Magister ab illa vniuersali Augustini *super Psalm. 73.* excepit Circumcisionem : hæc enim per modum Sacramenti contulit gratiam, ex virtute operis operati, non tantùm ex virtute operis operantis, scilicet ex motu interiori. Et tamen si sint aliqua dicta Sanctorum, gratiam negantium ab illis Sacramentis, loquendo nõ tantùm de cæremoniis, sed etiam de Circumsione. Respondeo, dupliciter potest intelligi : vel quia paruam gratiam contulit Circumcisio respectu Baptismi, cuius ratio dicetur 1. *quæst. dist. sequentis:* vel quia non contulit gratiam vt dispositionẽ immediatam ad gloriam, quia non aperuit ianuam : sed hoc non fuit ex defectu eius, sed quia fluxit tempore, quo pretiũ non fuit solutum.

*Ad auctoritates, quæ videntur negare Circumcisionem dedisse gratiam.*

Vel tertio modo, non contulit gratiam, quia non vniuersaliter cuicumque suscipienti : determinabatur autem fortè ex institutione sua ad certum gradũ gratiæ, ita quòd vltra illum gradum non posset, nec intendendo, nec inducendo, & ita si tantùm gradum inueniret in suscipiente, nihil sibi conferret : & iste vltimus modus apparet esse de intentione Magistri. Dicit enim *c. penult.* quòd solùm peccata ibi dimittebantur, nec gratia ibi dabatur. Et subdit statim, *vt in Baptismo :* & modum statim exprimit, quia quantumcumque iustus accedat ad Baptismum, vberiorem ibi recipit gratiam : vnde Baptismus generaliter intendit ibi gratiam iam habitam, vel inuentam. Sed non est ita

*Circumcisio minorem gratiam dabat, quàm Baptismus.*

Altera autem sententia imponitur Magistro, nempe ex opere operantis nihil contulisse Sacramenta legalia. Contra illam militant Florentinum & Tridentinum iam citata; statuunt enim illa non contulisse gratiam, sed significasse conferendam per Christum. Augustinus *in Psalm. 73. epist. 19. ad Hieronymum*, & aliis locis citatis. adducuntur loca Pauli, vt ad Galat. 4. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa*, &c. Sed hunc locum in eandem epistolam intelligit Augustinus de idolis gentium, quæ etiam Iudæi adorabant; sicut & Solem, Lunam, & stellas; cui interpretationi fauet præmissa clausula, quia loquitur ad Gentiles, de quibus dicit: *sed tunc quidem ignorantes Deum, his qui naturâ non sunt Dij, seruiebatis*; & subdit : *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa, quibus denuò seruire vultis*; & subdit: *dies obseruatis, & menses, & tempora, & annos*, &c.

*Sententia Magistri.* Flor. & Trident. *Prima sententia impugnatur.* Augustin. Paulus. Augustin. *Explicatur locus Pauli de idolis.*

Tertullianus *lib. 5. contra Marcionem, cap. 4.* intelligit Sacramenta vetera. Huic fauet quod Paulus etiam in initio illius capitis comprehendit se etiam fuisse sub elementis, intelligens legem : *Ita & nos, cùm essemus paruuli, sub elementis mundi eramus seruientes : at vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret.* Deinde Paulus ex instituto retrahit Galatas à Iudaïsmo, quem sub hac metaphora videtur intelligere. 44 Tertullian. *Intelligit Sacramenta veterũ legis.*

Sed Hieronymus, Anselmus, Chrysostomus, Theophylactus, D. Thomas interpretantur locum de legalibus iam mortuis; sicut ad Hebræos 7. *Reprobatio autem fit prioris mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem.* Hic locus facit etiam ad propositum, sicut & illud ad Hebræos 9. *Habuit quidem & prius* (supple Testamentum) *iustificationes cultura, & sanctum seculare*, &c. *si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis*, &c. cui opponit sanctificationem animæ factam per sanguinem Christi. Hieron. Chrysost. Theophylactus. D. Thom.

Contra alias opiniones circa illa particularia Sacramenta legis, pugnat Tridentinum *sess. 7. can. 1.* vbi definit omnia legis nouæ Sacramenta fuisse instituta à Christo; contra aliud id definit 24. *cap. & can. 1.* contra Rubionem *sess. 14. cap. 2.* Contra Durandum, licèt non ita expressè, sess. 22. cap. 1. *Quoniam sub priori Testamento, teste Apostolo Paulo, propter Leuitici sacerdotij imbecillitatem, consecratio non erat*, &c. de quo agemus infrà suo loco. Trident.

Altera sententia Magistri rectè impugnatur à Doctore hîc asserente nimis durum esse, quòd præceptum Dei, eiúsque opus ex charitate & obedientia factum, nihil conferret ad salutem; quamuis Augustinus *epist. 19.* ad Hieronymum dicat illa præcepta, etsi non mala, non tamen bona fuisse, quia eis homines non iustificabantur, intelligendum est de iustificatione, quæ ex efficacia ipsorum Sacramentorum oriretur : non autem de iustificatione, quæ ex fide, & religione, & obedientia legis : vnde infrà cum Paulo ad *Romanos 7.* dicit legem fuisse sanctam, & mandatum sanctum & iustum, & bonum. Illud explicans concludit quomodo lex, & quibus fuit bona, quibus autem mala: *Hos ergo damnabiliter*, inquit, *esse sub lege, quos reos facit lex, non implentes legem, dum non intelligendo gratia beneficium, ad facienda Dei præcepta, quasi de suis viribus* 45 *Impugnatur sententia Magistri. Explicatur Augustinus.*

in Circumcisione. Vnde Abrahæ iam iustificato, signaculum tãtùm fuit: nihil enim sibi interiùs contulit, quia gratia Abrahæ iam attigerat, vel transcenderat illum gradum, ad quem determinata fuerat Circumcisio: & intelligo nihil ei intus contulit, per modum Sacramenti, sine virtute operis operati: sed credo, quòd ei contulerit per modum meriti, siue virtute operis operantis: quia credo, quòd actus circidendi se ex obedientia Dei, & ex charitate procedens, ei fuit meritorius, sicut & immolatio Isaac.

12 *Quomodo Circumcisio fuit efficax signum gratiæ.*

Et si obiiciatur, quòd Circumcisio non est propriè Sacramentum, quia non est certum signum, quia non semper habet collationem gratiæ concomitantem ex vi operis operati. Respondeo, quòd satis certitudinaliter significat, vel gratiam tunc in *fieri*, si non sit obex, vel tunc in *esse*, sicut si Beata Virgo fuisset in conceptione filij in summa plenitudine gratiæ, ad quam Deus disposuit eam peruenturam, si postea fuisset baptizata, nullam ibi gratiam recepisset de nouo; tamen Baptismus non fuisset in ea signum falsum, vel incertum: quia gratiam significaret, vel tunc fieri, vel priùs datam tunc in *esse*.

*superbâ elatione præsumunt: plenitudo enim legis charitas*, &c.

Quæ verba, & confirmant quæ suprà adduximus circa intelligentiam locorum Pauli de legalibus, & probant præcepta legis ex fide, & gratia, & charitate facta fuisse proficua ad salutem: quod & Patres passim contra Manichæos docent, & alios anteriores hæreticos reprobantes legem.

Et ratione patet, quia omnis lex diuina ordinatur ad salutem viatoris; & in ea lege fuit cultus religionis congruus illi tempori; vt fert Augustinus suprà, & ex transgressione eius incurrebatur pœna & peccatum, habuit etiam suas repromissiones: ergo & meritum, quando fides & charitas, obedientia & religio suffragabantur, sine quibus in nulla lege valet quis mereri: si enim ex lege data rectè probant Patres libertatem voluntatis nostræ ad bonum & malum, sine qua nihil conduceret lex, aut præceptum; ita etiam ex lege diuina rectè probatur potestas merendi, & demerendi.

*Ratio. Lex ordinans ad salutem.*

*Libertas ex lege probatur.*

*Et potestas merendi.*

k *Sed præter ista*, &c. Docet Circumcisionem dedisse gratiam ex opere operato, per modum Sacramenti, & non tantùm ex motu interiori. Hanc suprà probauimus in hoc commento. Respondet autem ad loca Patrum in genere, quæ asserunt Circumcisionem nullum habuisse fructum, aut effectum iustitiæ in Circumcisis. Respõdet, quòd Circumcisio paruam gratiam conferebat respectiuè ad gratiam baptismalem: & sic, quasi per antithesim comparata ad Baptismum, nihil conferebat, quia gratia per eam collata in comparatione gratiæ baptismalis, quasi nulla reputatur intensiuè & extensiuè. Et hoc modò intelligi possunt loca Basilij & Cyrilli, & Origenis *hom. 3. in Genesim.* Athanasij oratione in illud: *Omnia mihi tradita sunt*, &c. Epiphanij *hæres* 3. & aliorum, qui explicant vtilitatem Circumcisionis in eo, quòd fuerit vmbra, & figura Baptismi: figura autem ad figuratum relata, quasi nihil est rei, sed merum signum. Sed dices illos Patres excludere omnem iustitiam à Circumcisione. Respondetur, vt suprà ad Apostolum.

46 *Circumcisio ex opere operato dabat gratiam.*

*Responsio ad Patres.*

*Ad Baptismũ comparata, quasi nihil erat.*

*Hinc soluitur.*

*Secunda interpretatio Patrum.*

Respondet secundò, vel quia non contulit gratiam vt dispositionem immediatam ad gloriam: sed hoc, inquit, nõn fuit ex defectu eius, sed quia fluxit tempore, quo pretium non fuit solutum. Hoc idem declarat infrà, responsione ad 2. §. sequenti.

47 *Tertia interpretatio. Dabat determinatũ gradum.*

Respondet tertiò, quòd Circumcisio eatenus dicitur non dedisse gratiam, quia non vniuersaliter cuilibet recipienti conferebat. Determinabatur fortè ad certum gradum gratiæ, vltra quem non erat efficax, & ita si tantùm gradum inueniebat in suscipiente, non dabat ei gratiam; & per hoc explicat Magistrum, *cap. penultimo huius distinctionis*, ex eius verbis.

D. Bonau.

Eadem est sententia D. Bonauenturæ, *in expositione litera, part. 2. dub. 8. & quæst. vltima ad primum.* Hæc solutio fundatur in verbis Pauli *ad Romanos* 4. qui dicit iustificatum fuisse Abraham per fidem, cuius signaculum accepit Circumcisionem: hinc ei Circumcisio nihil contulit ex opere operato; sed ex opere tamen operantis per modum meriti accepit gratiam; neque hoc negauit Paulus: quamuis si interpretari eum liceat secundùm superficiem verborũ, & prout quidam intelligunt; neque sic valeret Circumcisio Abrahæ, quòd non quadrat regulis communibus meriti, & boni operis, atque adimpletionis legis, & mandati. Sed contrà obiicit Doctor, quia sic Circumcisio non esset certum signum, quia in adultis iustis non habuit effectum.

*Fũdatur interpretatio in Paulo.*

*Obiectio.*

Respondet negando antecedens, quia significaret gratiam, vel in *fieri*, si non esset obex, vel in *facto esse*: sicut si Beata Virgo recepisset plenitudinem gratiæ in conceptione filij, ad quam Deus eam destinauit, non recepisset gratiam si postea fuisset baptizata; quamuis Baptismus fuisset respectu eius verum signum, quia significaret vel gratiam in *fieri*, vel in *facto esse*: quod patet in simili, quia missio visibilis Spiritus sancti significat gratiam, vt Doctores in *dist.* 16. & 17. talis fuit missio eius in Apostolos in die Pentecostes, vt patet ex Chrysostomo *homil. 24. in Acta, & homil.* 4. super illud, *Repleti sunt omnes Spiritu sancto.* Cyrillus Hierosolymit. *Catechesi* 17. Gregor. *hom. 30. in Acta.* Hieron. *epist. ad Hedibiam*, & alij Patres.

48 *Solutio. Signũ ortum habet effectum in fieri, vel in facto esse.*

*Exemplum.*

Chrysost. Cyrill. Hierosol. Gregor. Hieron.

Hinc Scholastici plures docent, hanc missionem in eis fuisse per modum Sacramenti Confirmationis. Alensis 3. *part.* D. Thomas 3. *quæst.* 72. *art.* 4. *ad* 3. noster Doctor *in* 4. *dist.* 7. vbi alij, vt ibidem tractabitur: in his autem missio visibilis Spiritus sancti significauit gratiam in *fieri*. Missio super Christo in Iordane significauit gratiam in *facto esse*; neque inde fuit signum falsum: vt rectè D. Thomas *in* 1. *dist.* 17. 2. *part. dist. art.* 2. *resp. ad vltimum.* Sic etiam Christus sumpsit in vltima Cœna Eucharistiam sacramentaliter, cui non dedit gratiam, quia eam supponebat; non fuit inde falsum signum: sic forma Baptismi significat remissionem peccati; & collatus Baptismus iusto, non est signum falsum, quamuis

*Confirmatio Apostolorum.*

Alensis. D. Thom. Doctor.

*Significatio in facto esse.*

*Exempla.*

quamuis non deleat in eo peccatum: vt communiter Doctores de Baptismo & absolutione, quæ dantur iustificatis: noster Doctor *in 4.dist.8. quæst.6.dist.14.quæst.4. dist.29. quæst.2. ad 2.* Alensis *4.part.quæst.8. m.7. art.1.5.6.* D.Thomas *in 4.dist. 18. quæst.1. art.3. ad 2.3.part. quæst.68. art.1. ad 3.* D.Bonauent. *in 4.dist.6.quæst.2.* vbi reliqui. Ratio est, quia Sacramentum propriè dictum, vt Baptismus, non delet peccatum, neque significat gratiam, nisi practicè, quà exercet virtutem, & efficaciam respectu eorum; ideóque rectè Hugo de S.Victore *lib.2.de Sacram.part.14.cap.8.* docet formas sacramentales Baptismi, Pœnitentiæ, & sic de aliis, *non actum, aut euentum, sed virtutem suorum effectuum significare.*

Alensis. D. Thom. D.Bonauēt. *Ratio.* Hugo.

49 *Applicatio dictorum ad responsionem datam.*

Item Tridentinum *sess.7.de Sacramentis in genere, can.7.* definit Sacramenta dare gratiam, quantùm est ex parte Dei, & ipsorum, & ibi, & aliàs, hanc significationem statuit in efficacia ipsorum: quòd ergo conferant gratiam in actu, seu euentu, non est de ratione Sacramentorum, suppositio quocunque statu, & incapacitate subiecti, vel quia habet obicem peccati, vel quia iam est in termino, vt ampliùs non possit crescere in gratia, sicut fuit Christus, & in casu esset Beata Virgo, si admitteretur casus, de quo hîc non disputamus.

*Quomodo significat Sacramentum effectum in, facto esse?*

Dicitur autem Sacramentum in eo casu significare gratiam in *facto esse*, ex eo quòd gratia iam præsuppositam, quantùm est ex propria efficacia, conferret; eámque contineret in sua virtute, quantùm est de se: in *fieri* verò gratiam significat, quando eam confert per suam actionem practicè, qualiscunque sit illa actio: sic ergo se habuit Circumcisio in iustificatis per fidem, sicut fuit Abraham.

50 *Obiectio Bellarm. & Vasquez. Soluitur.*

Sed obiicit Bellarminus, & Vasquez, si Circumcisio conferret gratiam ex opere operato, quòd eam conferret cuicunque eam recipienti, & non ponenti obicem. Respondetur distinguendo sequelam ex dictis, in *fieri*, vel in *facto esse* concedo, in *fieri* semper, nego. Sed vnde id colligis? *Fundamẽtum solutionis.* Respondeo, ex fundamentis suprà positis me colligere Circumcisionem habuisse efficaciam ex institutione sua delendi peccatum originale, quod non potuit fieri post lapsum sine gratia. Colligo ex Paulo Circumcisionem non contulisse iustitiam Abrahamo; quam antea supponebat ex fide datam. Ex his duobus colligo hanc conclusionem, Circumcisionem non habuisse vllam efficaciam per modum Sacramenti, nisi vt conferret gratiam primam præcisè, quà prima erat, & non gratiam secundam, seu augmentum gratiæ, vt *Circumcisio tantùm conferebat gratiam primã.*

conferunt nostra Sacramenta Baptismi & Pœnitentiæ: & hîc est certus ille gradus gratiæ, ad quem limitabatur Circumcisio ex nostro Doctore, Alensi, & aliis iuxta intentionem Magistri, quem hîc interpretatur Doctor cum D.Bonauentura *suprà*.

*Secunda responsio.*

Respondeti etiam posset iuxta aliàs præmissa, Paulum non loqui quacunque ratione de iustitia absolutè, vt denotat gratiam tantùm, sed etiam de ipsa, vt liberat à peccato, & quà includitur in iustificatione; & sic Circumcisio non iustificauit Abrahamum, sed fides, quam habuit ante Circumcisionem: non inde sequitur, quin Circumcisio ipsi valuit ad augmentum iustitiæ, si non vt Sacramentum, saltem vt opus meritorium, vt dictum est: & sic non fuit nudum signaculum, nisi quantùm ad peccatum, quod supponit remissum per fidem. Adde Circumcisionem nihil valuisse in eo sensu, quem **interdebant Iudæi**, quos impugnat Apostolus.

*Dabat augmentum gratiæ. Quomodo fuit signaculum in Abraham.*

51 *Secunda obiectio.* Vasquez.

Obiicies, saltem sequeretur si Circumcisio remittit peccatum ex opere operato, quòd adultus accedens ad eam cum sola attritione, iustificaretur virtute illius; ita Vasquez. Item, quòd facta ab infideli cum intentione legitima, valeret infanti, quod est contra omnes, nisi fides applicaretur Ministri, quam non habet infidelis, nihil ideò conferret.

Respondetur, concedendo primam sequelam; & contra eam nihil cogit: nam quæ de necessitate pœnitentię, & fidei ad iustificationem, docet Scriptura, & Patres, in eo casu verificaretur; sicut verificatur in accedente ad Baptismum, & Pœnitentiam, cum sola attritione: quidquid aliqui dixerint de Pœnitentia necessaria ad Baptismum, quasi deberet esse contritio perfecta; oppositum enim verius esse suo loco ostendemus.

*Responsio.*

Respondetur ad secundam sequelam, eam admittendo, modò Circumcisio non exigebat aliquem determinatum ministrum; & negamus esse contra omnes: negatur etiam suppositum, nempe fidem ministri necessariam esse; si alioquin in eo saluatur legitima intentio: quia per eam fides Ecclesiæ, quæ tum erat Synagoga, applicatur rectè mediante Sacramento; & vt suprà ostendimus, illa est quæ exigitur, & includebatur in Circumcisione, non verò fides parentum, nisi illa intelligatur vniuersalis iam dicta, non autem particularis, & personalis ipsorum, quæ particularis non conducebat, maximè quando Circumcisio per alios fiebat.

## SCHOLIVM.

*Recapitulat solutiones datas, quæ assignari possunt multis auctoritatibus, quæ obiici possunt: & auctoritas PP. adducta n.1. &* D.Greg.*4.Mor.cap.2. & habetur cap.* quod autem. *de Consec. d.4. &* D.Bernard.*ep.77. cum d. c.* Maiores, *ac ratione Theologicâ allatâ n.2. Fundant benè has solutiones, quia Patres Patribus, sicut iura iuribus, concordandi sunt. Alij respondent omnia illa loca agere de Sacramentis legis Mosaïcæ. Circumcisionem verò esse legis naturæ, vel ideò dicunt Circumcisionem non dedisse gratiam, quia de per se instituta fuit ad signandum populum: causatio gratiæ ante eam erat, per remedium legis naturæ, & sic quoad hoc dicitur nihil fecisse, quia æquè benè causaretur gratia: etsi instituta non esset, per remedium antiquum.*

13 *Ad arg.1. & 2.*

Ex istis patet [1] ad omnes auctoritates, arguendo ad principale. Vel enim loquuntur de Sacramentis veteris legis impropriè dictis, scilicet de cæremoniis: vel si loquantur

1 *Ex istis patet ad omnes authoritates, arguendo ad principale,* &c. Respondet ad argumenta posita ad initium quæstionis. Litera est plana: ad primum, patet ex dictis. Ad secundum, responsio est clara. Patet de S. Ioanne Baptista, qui siue baptizatus

52 *Ad argumẽta principalia.*

tur de Circumcisione, quæ fuit propriè Sacramentum, negant eam gratiam conferre secundùm aliquem intellectum prædictum.

*Ad 1, Quare Circumcisio non aperiebat ianuam regni?*

Ad tertium de apertione ianuæ, dico, quòd non fuit defectus Circumcisionis, quòd non aperuit ianuam: sed quia cucurrit tempore, quo pretium non fuit solutum: nam post solutum pretium, potuit alicui aperiri ianua, qui non fuisset baptizatus, sed solùm circumcisus, & in gratia baptizato verò defuncto ante passionem, non patuisset ianua pro tunc.

*Ad 4.*

Ad vltimum [m] dico, quòd Baptismus quantùm ad actum exteriorem, non significat nisi quandam delectionem immunditiæ corporalis: & tamen nullus negat aliquid esse eius effectum positiuum.

Dico ergo ad maiorem, quòd Sacramentum magis propriè significat illum effectum *in anima*, ad quem confertur gratia in Sacramento, quàm signet ipsam gratiam. Vnde gratiâ existente vnâ in anima, Sacramenta tamen diuersa, distinguuntur penes diuersa significata propria, quæ sunt diuersi effectus eiusdem gratiæ, sicut dicetur pòst: effectus tamen gratiæ tam in Circumcisione, quàm in Baptismo, proprius, est ablutio animæ à peccato: licèt concomitetur alius, scilicet acceptatio ad vitam æternam.

fuerit, siue non, Baptismo Christi, saltem vitam consummauit martyrio; præter alias prærogatiuas, ac proinde decessit sine vllo peccato, aut debito pœnæ, vt supponit Augustinus *tract.84. in Ioannem; & 13. de ciuit. cap.7.* Clemens *lib.5. constitut. cap.7.* Cyprianus *epist.73.* & alij, qui tamen non intrauit in cœlum ante consumatam redemptionem, neque anima eius fuit beatificata. Augustinus. Clemens. Cyprian.

m *Ad vltimum*, &c. Respondet quòd Baptismus, etiam quantùm ad actum exteriorem, non significet, nisi ablutionem ab immunditia corporali, &c, Intendit significationem naturalem ablutionis, & speculatiuam formæ, quam habet ex instituto humano: non autem significationem practicam inuisibilem, & sacramentalem, quam habet ab institutione diuina.

*Sacramenta significare gratiam habitualem.*

In responsione ad Maiorem asserit Sacramenta, magis propriè significare effectum peculiarem, ad quem instituuntur, quàm gratiam; vnde eadem gratia est in specie, quæ tribuitur in omnibus Sacramentis, quantùm ad rationem formæ in se: Sacramenta autem sunt diuersa in quantùm quodlibet significat effectum diuersum eiusdem gratiæ.

*Finis diuersus.*

Loquitur de gratia habituali, quæ communis est omnibus Sacramentis; hæc causatur à Baptismo per modum regenerationis, ab Eucharistia per modum nutritionis, & sic in cæteris connotat diuersos effectus, & intendit effectum, quem statim & de præsenti confert Sacramentum; de quo, vt plurimùm loquuntur Doctores antiqui, & de effectu principali, qui semper datur, secluso obice.

53 *Quomodo gratia habitualis attingitur à Sacramento.*

An præterea detur aliquis effectus gratiæ actualis tempore congruo, neque asserit expressè, neque etiam negat. Posset tamen ex dictis eius inferri, talem effectum dari, de quo suprà diximus; non quòd Sacramentum proximè, & immediatè attingat illum effectum, qui datur, desinente Sacramento, sed remotè mediante effectu proximo gratiæ habitualis, vt datur ad finem peculiarem huius, vel illius Sacramenti: verbi gratiâ, in Confirmatione ad firmitatem, & robur confessionis fidei coram Tyranno.

54 *Obiectio contra dicta.*

Sed obiicies contra Doctorem, quæ dixit contra Varronem, nempe in Circumcisione intendi principaliùs gratiam, quàm remissionem peccati, sed significatio sequitur institutionem; hæc autem perficitur, aut determinatur per intentionem instituentis: ergo est magis ad significandam gratiam, quàm effectum peculiarem, verbi gratiâ, remissionis peccati, quod est contra hîc dicta.

*Gratia habitualis vnitione finis trahit secum media gratia actualia.*

Nam eo ipso quòd gratia virtute Sacramenti, verbi gratiâ, Eucharistiæ, vt dicit Doctor, causetur, quatenus habet ordinem ad perseuerantiam; & vincendas tentationes, concomitanter, trahit secum media ordinata ad perseuerandum, quæ consistunt in gratia actuali excitante, & adiuuante secundùm naturam, & exigentiam præcepti, & tentationis, seu operis in specie requisita: nam sola gratia habitualis etiam intensa nequit dare hunc effectum, sicut ex Patribus, & Conciliis constat, contra Pelagianos, etiam iustis, & perfectis necessarium esse adiutorium gratiæ actualis, & specialis, ad vincendas tentationes, & implendam legem.

*Responsio.*

Respondetur, suprà eum loqui de intentione Dei, vt ratio eius subiecta probat, quæ primariò respicit gratiam: significatio autem Circumcisionis, & Sacramenti cuiuslibet in specie, ex fine intrinseco respicit suum effectum determinatum, ex fine verò concomitante, & extrinseco gratiam, cum qua habet connexionem, & per quam datur.

*Sacramentũ respicit finem intrinsecum.*

Hinc perseuerantiæ donum est peculiare, & diuersum à gratia habituali; Trident. *sess.6. cap.13. can.22. & 26.* Datur autem hæc gratia etiam virtute Sacramenti modo dicto, quantùm est ex parte Sacramenti, nisi recipiens ipse sibi, & gratiæ Dei defuerit, non acceptando, neque etiam seipsum applicando, & disponendo ad eius receptionem; nam sicut effectus principalis Sacramenti non est ita infallibilis, quin dependeat à dispositione requisita ex parte recipientis, qui eidem potest ponere obicem; ita etiam huic effectui gratiæ actualis potest similiter ponere obicem. Trident.

*Potest poni obex gratiæ actuali, ex remissione nostra.*

Ad rationem autem dubitandi respondetur, duplicem esse voluntatem in Deo, aliam vniuersalem, aliam particularem, aliam finis, aliam medij. Vniuersalis respicit gratiam primò: particularis verò summotionem impedimenti, quale est peccatum, sic etiam voluntas eius, quà est finis, respicit gratiam, quà est medij, ablationem peccati. Institutio Sacramenti, & eius significatio specificatur à voluntate particulari, & medij intrinsecè, extrinsecè verò à voluntate vniuersali, & etiam particulari finis, quæ est gratia.

*Duplex voluntas in Deo.*

*Significatio Sacramenti specificatur à voluntate particulari.*

55 *Probatio conclusionis.*

His positis, probatur conclusio Doctoris: est autem controuersia, vt plurimùm de Sacramento instituto contra peccatum, vt de Baptismo, Circumcisione, Pœnitentia, in quibus plures negant

Sed

negant significationem Sacramenti in recto, esse remissionem peccati, sed gratiam remissiuam peccati, quantùm est de se. Oppositum colligitur primò de Baptismo, quia ablutio, & materia baptismalis illud significat primò, quod determinatur per formam Baptismi: sed forma Baptismi datur in remissionē peccatorum ex Diospolitano art. 5. Mileuitano *cap.* 2. illis verbis: *Vnde fit consequens, vt in eis* (supple paruulis) *forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsò intelligatur*, &c. nempe si traxerunt peccatum originale ex primo parente.

*Forma Baptismi datur in remissionē peccatorum.*

Diospolit. Mileuitan.

Hic idem canon resumptus est à Conciliis Africanis, & nouissimè à Tridentino *sess. 5. de peccato originali can.* 4. & habetur capitulo *placuit*, *de consecratione dist.* 4. Et hoc argumento pressi sunt Pelagiani, vt constat ex Augustino *lib.* 1. *de peccat. meritis & remiss. cap.* 17. 20. 30. & aliàs sæpè. Patet ex symbolo Constantinopolitano: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, &c. & hic eius effectus exprimitur *ad Titum* 3. *ad Colossen.* 2. *&* 1. *Petri* 1. *ad Ephesios* 5.

Concilia Africana. Trident.

Constantinopolit. 1.

56

Hinc etiam Patres vocant Baptismum mortem peccati, vt Leo Papa *epist.* 4. *&* 5. *ad Episcopos per Siciliam*: primam post naufragium tabulam ex illo 1. Petri 3. *Quòd & vos similis forma saluos fecit Baptisma*, &c. Origenes *hom.* 2. *in cap.* 6. *Geneseos*. Augustinus *lib.* 12. *contra Faustum, cap.* 14. 15. 38. 39. *& lib.* 29. *cap.* 12. Gregorius *hom.* 12. *in Ezechielem*. Hieronymus 1. *contra Iouinianum epist.* 57. *in dialogo contra Luciferianos*: ergo liberatio à peccato, eiúsque naufragio, est expressa significatio Baptismi in recto, atque adeò proprius eius effectus, ad quem ordinatur.

*Bapt. mors peccati.* Leo Papa. Origenes. Augustinus. Gregorius. Hieron.

Patet consequentia ex Florentino decret. vnionis: *Effectus*, inquit, *huius Sacramenti* (id est, Baptismi) *est remissio omnis culpæ originalis & actualis, omnis quoque pœna, quæ pro ipsa culpa debetur*, &c. Sed effectus Sacramenti est significatum in recto eius, quà practicè significat: ergo remissio peccati est illa. Neque est dicendum, quòd Concilium non explicet effectum proprium & primarium, qui conuenit Sacramento in recto, cùm definitiuè, & ex instituto declaret eius essentiam, sicut & in aliis Sacramentis id præstat per effectum proprium.

Florent. *Effectus Baptismi.*

57

Neque valet solutio, si dicas cum aliis, gratiam remissiuam peccati intelligi, quia omnis gratia ex se habet incompatibilitatem cum peccato, & à quocumque fiat, etiam delet peccatum: verbi gratiâ, si bona fide, & cum contritione quis accedat ad Sacramentum Eucharistiæ, remittitur ei peccatum; iuxta communiorem sententiam, quæ asserit Sacramenta viuorum cum bona fide, & attritione susceptâ, dare gratiam, quæ de se remissiua est peccati: ergo Baptismus ampliùs habet ex instituto, & significatione propria, quàm dare gratiam remissiuâ peccati; cùm & gratia hoc ex se habeat, quandoquidem det ius ad gloriam, & omnia Sacramenta nouæ legis conferant gratiam, sequitur quòd Baptismus ex ratione generica tantùm, haberet illum effectum, non autem specifica: & existatu subiecti competeret ei remittere peccatum, nempe si insit, quia dat gratiam, quæ est incompatibilis, non autem ex efficacia propria super remissione peccati, quod falsum est.

Vide dicēda infrà dist. 9.

*Baptismi effectus proprius, & diuersus ab aliis.*

*Probatio consequentia ab inconuenienti.*

Probatur consequentia, quia alioquin non videtur cur Baptismus conferri possit alicui existenti in peccato magis, quàm Sacramentum viuorum: verbi gratiâ, infanti, sine vlla dispositione eius, nisi alioquin Baptisma ex propria, & determinata efficacia haberet delere peccatum. Ad hoc autem non sufficit habere efficaciam dandi gratiam, quæ de se remissiua est peccati: sed requiritur vt Baptismus primariò remissionem peccati respiciat, gratiam verò inquantùm annexa est ei remissio peccati: ex quo sequitur remissionem peccati esse proprium eius, & expressum significatum; conferre autem gratiam, esse significatum concomitans, inquantùm ipsi connexa est talis remissio, vt dicit Doctor.

58

Hinc illa duo, *remissionem peccati*, & *collationem gratiæ*, tanquam diuersa (licèt concomitanter se habent) explicant Patres: hinc Mileuitanum *cap.* 3. damnat Pelagium asserentem gratiam ad solam peccatorum remissionem, quæ iam commissa sunt, pertinere: & Tridentinum *sess.* 6. *can.* 11. *& cap.* 6. docet iustificationem peccatorum vtrumque horum continere, & remissionem peccati, & renouationem interiorem per gratiam: & secundùm Augustinum, iustitia nostra principaliùs consistit in remissione peccati, quàm in collatione gratiæ: &, prout infrà dicetur, peccatum remitti posset de potentia absoluta sine gratia, quæ ei non opponitur ex natura rei, sed ex ordinatione diuina: ergo hæc remissio peccati potest esse effectus alicuius Sacramenti proprius, sicut est Baptismi, ac proinde non recte confunditur cum collatione gratiæ, tanquam vna & eadem mutatio, licèt de facto concomitanter se habeant, & vtraque fiat per Sacramentum, quamuis illa sit expressior eius significatio, & magis principalis.

*Remissio peccati collatio gratiæ diuersa.* Mileuitan. Trident.

49

Secundò probatur idem de Pœnitentia. Primò ex eius institutione Ioannis 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Item, Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. *& 6. & can.* 3. Definitur esse actus iudicialis absoluentis à peccato, & ligantis ad pœnam temporalem: quod etiam patet ex aliis locis eiusdem sessionis, vt suo loco ostendetur. Subiectum est reus & peccator, inquantùm peccator; materia circa quam, vel super quam cadit sententia, est peccatum. Huc etiam spectant actus pœnitentis, vt contritio, quæ est detestatio peccati, confessio, informatio iudicis, satisfactio, quæ est ordinatio temporalis pœnæ, in quam commutatur æterna: ergo effectus eius est absolutio hominis à peccato, vt declarat Florentinum; reconciliatio, vt definit Tridentinum, quæ fit per remissionem offensæ.

*Pœnitentiam dari primariò in remissionē peccatorum.* Trident.

Florent. Trident.

Ex his patet veritas sententiæ præmissæ, neque ei obstant quædam obiectiones aliorum, vt quòd peccatum non remittatur de facto, nisi conferendo gratiam, quòd Sacramenta nouæ legis ex Tridentino *sess.* 7. causent & contineant gratiam: ergo significant gratiam primariò. Respondetur, negando consequentiam: ad primum patet ex dictis, Sacramentum Baptismi & Pœnitentiæ conferre gratiam practicè: sic etiam alia Sacramenta causant eandem gratiam, vt ei est annexus effectus specialis Sacramenti, vt patet discurrendo per singula; tamen vt habet annexam remissionem peccati. & sub hac formali ratione eam causant: ex quo patet ad secundum.

*Soluuntur obiecta.*

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum tempore legis naturæ fuerit aliquod Sacramentum correſpondens Circumciſioni?*

Alenſis 4.*p.q.*5.*m.*1. & 3. D. Bonauent. *hîc a.*1.*q.*1. Ric. *art.*2.*q.*2. D.Thom. *q.*1.*art.*2.& 3. *p.q.*61.*art.*1. & 3. Suar. *ibi diſp.*4. Dur. *hîc q.*2.& 6. Gabr. *q.*2.

1 *Mag. G.H.I. K.* Argum. 1.

VIDETVR quòd non, *de conſe. diſt.*4. *Quod apud*, & eſt Greg. Moral. 4. lib. *Quod agit apud nos aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis ſola fides: vel pro maioribus virtus ſacrificij: non ergo Sacramentum.*

Argum. 2. Item, Sacramentum non poteſt inſtitui niſi immediatè à Deo, patet in quæſtione de Sacramenti inſtitutione: ſed non legitur Deum tempore illius legis (ſaltem vſque ad Abraham) inſtituiſſe aliquod Sacramentum.

Contrà, Auguſtinus 19.contra Fauſtum, *In nullum nomẽ religionis poſſunt homines colligari, niſi aliquorum ſignorum velut Sacramentorum viſibilium conſortio colligentur.* *Ratio ad opp.*

## SCHOLIVM.

*In lege naturæ fuiſſe Sacramentum contra originale, & ſi non conſtet fuiſſe aliquod certum ſignum ſenſibile eius. Ratio, quia nunquam reliquit Deus populum ſine remedio ſalutis, ita* Auguſt.3. *contra Iul.*7. & 19. *contra Fauſt.* Cyprian. *ſerm. de Circumc.* Hugo *lib.*1. *de Sacram. p.* 11. *cap.*1. Innoc. *cap. Maiores. communis DD.* Alenſ. *ſupr.* D.Thom. 3. *p.q.*70. *art.*4. *ad* 2.

2 *Tempore legis naturæ erat remed. contra peccatum originale.*

Reſpondeo [a], nullo tempore dimiſit Deus cultores ſuos ſine remedio neceſſario ad ſalutem: ſed omni tempore poſt lapſum, fuit neceſſaria ad ſalutem deletio originalis: ergo quocunque tempore aliquod remedium efficax erat ad hoc, & ſi potuit deleri in adultis per motum bonum intrinſecum: tamen in paruulis, in quibus talis motus fuit impoſſibilis, non potuit deleri per actum ſuum proprium: ergo per actum aliquem aliorum circa ipſos, vel ad ipſos relatum. Sed non poterat eſſe certum, quòd actus alterius relatus ad paruulum ſufficeret ſibi, niſi hoc eſſet inſtitutum à Deo. Nullus enim poteſt eſſe certus, quòd per aliquid attingat ad ſalutem, niſi ſit certus, quòd Deus acceptauit illud tanquam ſufficiens ad talem finem.

Cùm ergo non ſolùm adultis cultoribus ſuis prouiderit Deus de remedio neceſſario ad ſalutem, ſed etiam paruulis eorum (& hoc de remedio, de quo parentes poſſunt eſſe certi pro paruulis) ſequitur quòd tempore illius legis naturæ, erat à Deo inſtitutum aliquod remedium, vel ſignum certum, & efficax deletionis originalis peccati.

Et magis probabile eſt, quòd per aliquod ſignum ſenſibile, quàm per aliquod ſignum intelligibile tantùm: quia pro toto ſtatu naturæ lapſæ, congruunt homini ſigna ſenſibilia reſpectu ſpiritualium: ergo rationa

a *Reſpondeo nullo tempore*, &c. Hæc eſt concluſio Doctoris, nempe in ſtatu legis naturæ Deum inſtituiſſe aliquod Sacramentum in remedium peccati originalis. Hoc idem docuit ſuprà *quæſt.*3. *art.*3. Ratio eſt, quia Deus nunquam dereliquit hominem poſt lapſum, ſine remedio ad ſalutem neceſſario, quale eſt illud, quod delet originale: & patet hoc, quia lex naturæ ordinabat hominem ad ſalutem: ergo habuit media neceſſaria. Secundò, quia in illo ſtatu fuit vera Eccleſia, fuerunt electi, fuit fides, fuit iuſtificatio, quia Abraham ſecundùm Apoſtolum fuit iuſtificatus ex fide; fuit etiam ſacerdotium, & plura ſacrificia, quæ placuerunt Deo: ergo & remedium aliquod delendi originale. Patet idem ex ordine diuinæ prædeſtinationis, quo ſtatutus eſt Chriſtus Redemptor generis humani, ex cuius meritis præuiſis Deus ſemper pro omni tempore & ſtatu peregrinationis Eccleſiæ, & electorum contulit beneficia ſalutis inuocantibus ſe. Hoc etiam ſupponunt Patres. 1 *Fuiſſe Sacramentum in lege naturæ.* *Probatio concluſionis.*

Dubium autem eſt, an tale remedium fuerit verum, & propriè dictum Sacramentum? Negant D.Bonauentura *hîc art.*1. *quæſt.*2. Soto *diſt.*2. *q.*1. Durandus *quæſt.* 8. quia Sacramentum debet eſſe aliquod ſignum determinatum, quale non fuit remedium legis naturę, vel, vt aliqui volunt, ex fide parentum, ſaluabatur infans. 2 *An fuerit verum Sacramentum.* D.Bonauẽt. Sotus, Durandus.

Doctor autem docet illud fuiſſe neceſſariò ex inſtitutione diuina ſignum certum & efficax, qualecunque fuerit: deinde dicit quòd probabilius fuerit aliquod ſenſibile ſignum, quàm intelligibile, quia ita magis congruit homini pro ſtatu viæ, & reſponſione ad primum Gregorij *lib.*4. *Moralium*: & habetur de conſecratione diſt.4. cap. *Quod apud*, &c. dicentis: *Quòd agit apud nos aqua Baptiſmi, hoc egit apud veteres pro paruulis ſola fides, vel pro maioribus virtus ſacrificij*, &c. *Doctoris ſententia affirmatiua.*

interpre

rationabile est aliquod Sacramentum, saltem contra originale, fuisse in tempore legis naturæ. Si autem aliquod aliud, puta Matrimonium, vel aliquod correspondens alicui Sacramento nouæ legis, fuerit illo tempore, de hoc inferiùs in tractatibus de illis Sacramentis:

3 *Ad arg.1* Ad primum argumentum dico, quòd Gregor. non intelligit solam fidem, pro solo habitu, nec fortè tantùm pro actu interiori, sed pro actu exteriori sensibili protestante fidem: ille autem actus sufficienter potuit habere rationem Sacramenti: & sic distinguitur fides sola, id est, fides solitaria sine sacrificiis, contra fidem in sacrificio protestatam: & primum posuit ipse sufficere pro paruulis: fortè autem ista protestatio fiebat in verbo aliquo inuocandi Deũ, vel offerendi paruulum Deo. Secundum autem, scilicet fidem cum sacrificiis, pro adultis fuisse necessarium posuit.

*Ad 2.* Ad secundum potest dici vno modo, quòd potuit Deus tale Sacramentum reuelasse alicui Patrum, cum quo tunc frequentiùs loquebatur, licèt cui & quando, Scriptura non dicat, quæ ab Adam vsque ad Abraham satis succinctè pertransit.

4 *Fortè aliquod Sacrificium fuit tunc Sacramentum.* Vel potest dici, quòd expressè habetur ex Scriptura, quòd pro tempore illo placuerunt Deo sacrificia; quod non esset, nisi à Deo fuissent instituta: immò reputarentur fatui, & præsumptuosi, si talia sine diuino præcepto, vel inspiratione fecissent. Tum *Gen.* 4. de oblatione Abel, & Cain; tum ex oblatione Noë postquam exiuit de arca *Gen.* 8. tum ex oblatione Melchisedech, qui erat Sacerdos excelsi Dei, vt dicitur *Gen.* 14. tum ex oblatione Abrahæ, diu identis vaccam: ergo.

Et istud fuit rationabile, quia homines temporis illius fuerunt proni ad idololatriam, vt patet ex tanta multitudine, quæ tempore illo defluxit ad eam. Fuit ergo congruum in remedium, ne ad istam defluerent, quòd Deus suis cultoribus institueret sacrificia sibi offerenda. Possibile autem est, quòd aliquod determinatum sacrificium foret Sacramentum: non est enim contra rationem sacrificij, quòd ipsum, vel oblatio eius sit Sacramentum: & tunc (licèt indistinctè) habetur de tali Sacramento in diuersis locis Scripturæ, quòd sit institutum à Deo in lege naturæ.

*Esse Sacramentum, non est contra rationem sacrificij.*

interpretatur de actu exteriori & sensibili fidei, qui actus sufficienter potuit habere rationem Sacramenti ex institutione diuina. Quòd autem dicat sola fides, intelligitur priuatiuè ad fidem protestatam in sacrificiis; non autem ad eandem in actu externo & sensibili.

*Quid fuerit illud remedium.* Responsione autem ad secundum dicit, tale Sacramentum fuisse reuelatum Patribus, & potuisse esse aliquod sacrificium, quod simul etiam fuit Sacramentum: quia Scriptura dicit sacrificia quædam illius legis placuisse Deo; & congruitatem adiicit ex eo, quòd homines illius tẽporis fuerint proni ad idololatriam; quâ ratione etiam Patres docent in lege veteri institutum esse cultum in sacrificiis hostiarum, ne populus ad idololatriam pronus dilaberetur ex priuatione immolationis hostiarum.

Hæc ergo est resolutio Doctoris, certum esse datum fuisse remedium originalis in statu legis naturæ. Secundò, certum esse fuisse tale institutum à Deo, aliàs non haberet efficaciam. Tertiò, probabilius esse fuisse aliquod sensibile, siue fuerit fides exterior cum oblatione paruuli, vel aliquod sacrificium, quod simul fuerit Sacramentum, vel quid aliud speciale; de quo ex Scriptura nihil constat.

3 *Fuisse signum sensibile.* Fuisse signum aliquod determinatum sensibile magis concordat verbis Augustini lib. 5. contra Iulianum, cap. 9. *Nec ideò tamen credendum est*, inquit, *& ante datam Circumcisionem famulos Dei quandocunque in iis inerat mediatoris fides in carne venturi, nullo Sacramento eius opitulatos fuisse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit*, &c. Simile habet lib. 2. de Nuptiis & concupiscentia, cap. 12.

*Confirmatio ex congruentiis suprà allatis.* Ad probationem autem huius faciunt ea, quæ dicta sunt de efficacia Circumcisionis in commento præcedentis quæstionis in initio; quia eædem congruentiæ ibi adductæ, huc etiam spectant: vt quòd Ecclesia in statu naturæ fuerit visibilis & vna: ergo non solùm vnitate fidei, sed ritus, & maximè huius Sacramenti, in quo discerni posset membrum à non membro, & Ecclesiæ constare posset de remedio certo adhibito paruulis. Vnde verba illa Gregorij *sola fides*, intelligi possunt de fide alligata signo sensibile, quod ad hoc Deus instituit: quoniam verba sequentia denotant idem, nempe *virtus sacrificij quod profuit adultis*, quam habebant ex institutione & acceptatione diuina.

4 *Sacrificia oblata ex institutione diuina.* Quòd autem quidam referant electionem, & oblationem sacrificiorum, eorúmque designationem ad instinctum internum cuiusque, vel ad ipsius Ecclesiæ determinationem pro illo statu, non rectè videtur fundatum, quia in eo statu sicut fides & cognitio Dei fuit minùs explicita; ita non expediebat homines committere sibi ipsis, in iis potissimùm, quæ erant necessaria ad salutem; & vt ritè fierent, supponenda erat Dei acceptatio, & institutio iuxta rationem Doctoris, quæ non potuit aliter, quàm per reuelationem, & institutionem haberi: magis ergo periculum erroris fuit in eo statu, quantùm ad hæc, sine reuelatione diuina, quàm in aliis sequentibus statibus, in quibus cognitio veritatis creuit.

*Cur institutio Dei, & reuelatio necessaria.*

5 *Instinctus naturalis non sufficiebat. Neque instinctus priuatus sufficiebat.* Quòd si ille instinctus erat naturaliter, certum est non potuisse ex illo principio, lumine naturæ cognito, post lapsum circa aliam instructionem, aut traditionem sufficienter regulare naturam, in iis quæ erant ordinis supernaturalis: vt experientiâ constat, de lapsu hominum illius status in idololatriam, & vitia: quòd si erat diuinus, non sufficienter etiam regularet Ecclesiam, quæ fide & cultu visibili, & vniuersali vniri debuit, quia instinctus particularis ad hæc non sufficit,

cit, neque poteſt ſufficienter diſcerni, ſi ſit ſecurus, niſi ex regulis certis, & vniuerſalibus fidei reguletur.

Verùm de ſtatu legis naturæ non eſt huius loci diſſerere; aliàs autem datâ occaſione id fiet. Alia plura hîc diſputari ſolent de Sacramentis in genere, quæ infrà de ſingulis in ſpecie tangentur: hîc enim legem commenti ſequimur, prout textus Doctoris ſubminiſtrauit materiam, quamuis plura incidenter illata ex conſulto præterire libuit, ne occaſionem magis quærere, quàm rectum curſum ſequi videremur. Plura de Sacramentis nouæ legis in genere in ſequenti explicabuntur.

# DISTINCTIO SECVNDA.

## *De Sacramentis in ſpecie.*

*A* IAM ad Sacramenta nouæ legis accedamus, quæ ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Panis benedictio, id eſt, Euchariſtia, Pœnitentia, Vnctio-extrema, Ordo, Coniugium. Quorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt Baptiſmus; alia in remedium tantùm ſunt, vt Coniugium; alia gratiâ & virtute nos fulciunt, vt Euchariſtia & Ordo.

*Non tenetur hic Mag.*

### *Quare mox poſt hominis caſum non fuerint inſtituta.*

*B* SI verò quæritur, Quare non fuerint hæc Sacramenta inſtituta mox poſt hominis lapſum, cùm in his ſit iuſtitia & ſalus? Dicimus non ante aduentum Chriſti, qui gratiam attulit, gratiæ Sacramenta fuiſſe danda; quæ ex ipſius morte & paſſione virtutem ſortita ſunt. Chriſtus autem venire noluit antequam homo de lege naturali & ſcriptâ conuinceretur, quòd neutrâ iuuari poſſet.

*Hug. lib. 1. p. 8. c. 3.*

### *Quòd Sacramentum Coniugij fuit ante peccatum.*

*C* FVit tamen coniugium ante peccatum inſtitutum: non vtique propter remedium, ſed ad Sacramentum, & ad officium; poſt peccatum verò fuit ad remedium contra carnalis concupiſcentiæ corruptelam, de quo ſuo loco tractabimus.

*Idem ibid. c. 13. Gen. 2. d.*

### *De Baptiſmo.*

*D* NVnc verò de Baptiſmi Sacramento videamus, quod inter nouæ gratiæ Sacramenta primum eſt. Baptiſmum igitur Chriſti Ioannes ſuo Baptiſmo prænunciauit: qui primus baptizaſſe legitur, ſed in aqua, non in Spiritu. Sicut ipſe ait, Ego baptizo vos in aqua, id eſt, in pœnitentiam. Sola enim corpora abluebat, à peccatis verò non mundabat. Baptiſmus Ioannis erat in pœnitentiam, non in remiſſionem: Baptiſmus verò Chriſti in remiſſionem. Quia Ioannes baptizans homines ad pœnitentiam vocabat: & quos baptizabat, pœnitere docebat: ſecundùm illud, Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata ſua. Sed in Baptiſmo Ioannis non dabatur peccatorum remiſſio, quæ data eſt in Chriſti Baptiſmo.

*De Bapt. Ioan. Matth. 3. c. De differentia Bapt. Ioan. & Chri. Act. 19. a. Ioan. 1. d. Matth. 3. b. Marci 1. c. Luce 3. b.*

*Quid*

## *Quid vtilitatis habebat Baptiſmus Ioannis?*

E AD quid ergo vtilis erat Baptiſmus Ioannis? Quia homines vſu baptizandi præparabat ad Baptiſmum Chriſti. Sed quæritur, quare dictus eſt Baptiſmus Ioannis? ſicut veritas dicit, Baptiſmus Ioannis vnde eſt? Quia ibi Ioannis operatio tantùm viſibilis erat, exteriùs lauantis, non inuiſibilis gratia Dei interiùs operantis. Sed tamen & illa Ioannis operatio à Deo erat, & Baptiſmus ille à Deo erat, non ab homine tantùm, ſed hominis dictus eſt, quia nihil ibi gerebatur quod non ageret homo. Si verò quæritur, an Sacramentum fuerit? ſatis poteſt concedi ex eo ſenſu, quo legalia ſigna dicuntur Sacramenta. Significabat enim Baptiſmus Ioannis rem ſacram, ſcilicet Baptiſmum Chriſti, qui non tantùm eſt pœnitentiæ, ſed & remiſſionis peccatorum.

*Quare dictus eſt Baptiſmus Ioan.*

## *De forma Baptiſmi Ioannis, & de baptizatis ab eo.*

F HIc conſiderandum eſt, ſi baptizati à Ioanne iterum baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti, & quâ formâ verborum vſus ſit Ioannes. Illi qui baptizati ſunt à Ioanne neſcientes Spiritum ſanctum eſſe, ac ſpem ponentes in illius Baptiſmo, poſtea baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti. Baptiſmus autem Ioannis in nomine venturi tradebatur. Vnde Hieronymus ſuper Ioëlem. [Qui dicit ſe in Chriſtum credere, & non credit in Spiritum ſanctum, nondum habet claros oculos. Vnde baptizati à Ioanne in nomine venturi, id eſt, Domini Ieſu, quia dixerunt, Sed neque ſi Spiritus ſanctus eſt audiuimus, iterum baptizabantur, imò verum Baptiſma accipiebant. Illi verò qui ſpem non poſuerunt in Baptiſmo Ioannis, & Patrem & Filium & Spiritum ſanctum credebant, non pòſt baptizati fuerunt: ſed impoſitione manuum ab Apoſtolis ſuper eos factâ, Spiritum ſanctum receperunt. Alij verò qui non ita credebant, baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti, vt prædictum eſt. Vnde Hieronymus, [Qui Spiritum ſanctum neſciebant cùm Baptiſmum à Ioanne acceperunt, iterum baptizati ſunt Baptiſmo Chriſti, vt prædictum eſt, ne quis ex Iudæis, vel Gentibus putaret aquam ſine Spiritu-ſancto ad ſalutem poſſe ſufficere. De hoc etiam Ambroſius 1. *lib.* de Spiritu ſancto, [Quidam negauerunt ſe ſcire Spiritum ſanctum, cùm baptizatos ſe dicerent Baptiſmo Ioannis, qui in aduenientis Ieſu, non in ſuo baptizauit nomine.] Iſti ergo quia nec in Chriſti nomine, neque cum fide Spiritus ſancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere Baptiſmi Sacramentum: baptizati ſunt ergo in nomine Chriſti, nec iteratum eſt in his Baptiſma, ſed innouatum.

*Act. 19. a.*

*Comm. ad 2. c. in fine, To. 6.*

*Hic non tenetur Magiſt. Act. 8.*

*In epiſt. ad Ocean. de vnius vxoris viro, poſt med. Tom. 2.*

*Act. 19. a. c. 3. in princ. Tom. 2.*

IN prima diſtinctione egit Magiſter de Sacramẽto legis Moſaïcæ, & legis naturæ; in hac ſecunda diſtinctione incipit agere de Sacramentis nouæ legis. Hæc pars diuiditur in duas partes. Primò namque determinat de eis coniunctim, ſecundò de ſingulis ſeparatim, ibi: [*Nunc verò de Baptiſmi.*] Prima habet duas partes, ſecundùm quòd primò determinat, quæ & quot ſint Sacramenta nouæ legis. Secundò de tempore inſtitutionis, & efficaciâ eorumdem, ibi: [*Si verò quæritur.*]

## QVÆSTIO I.

### *Vtrum Sacramenta nouæ legis habeant efficaciam à Christi passione?*

Alens. 4.p.q.9.m.7. D.Bonau.*hic,dub.*2.*& art.*1,*q.*1.D.Thom.3.*p.q.*62.*art.*5.*& q.*64.*art.*2.3.Vasq.*ibi d.*135. Vega *lib.*7.*in Trident.c.*18.

1 *Mag. A.B.C. Argum.* 1.

CIrca hanc[a] distinctionem quæro, Vtrùm Sacramenta nouæ legis habeant efficaciã à Christi passione? Et videtur quòd non, quia 5. Metaph. & 2. Physicorum dicitur, quòd *Causa in actu & effectus in actu simul sunt, & non sunt*; sed passio Christi non est in actu; ergo nec effectus aliquis in actu: ergo, &c.

*Text.* 3. *Text.* 37.

*Argum.* 2. * *Aliàs præcredita.*

Item, aut ab illa, tanquam * præuisâ futurâ: aut vt exhibitâ: non primo modo, quia tunc potuissent Sacramenta veteris legis habuisse efficaciam per eam: tempore enim illius legis illa passio fuit præuisa, & prædicta: sed consequens est inconueniens, quia secundùm Sanctos, illa tantum promittebant gratiam, non vt exhibita, quia tunc Baptismus, & Eucharistia non haberent efficaciam per eam: erant enim institura ante passionem Christi, vt patebit inferiùs,

*Argum.* 3. Item, aut ab illa tanquam à causa principali: aut tanquam meritoria: non primo modo, quia nihil potest esse causa principalis Sacramenti, nisi quod potest esse causa principalis effectus significati per Sacramentum: sed hoc non potest esse, nisi solus Deus immediatè. Non secundo modo, quia respectu gratiæ nulla est causa meritoria; si enim est *ex meritis, iam non ex gratia*, Rom. 9.

*Argum.* 4. Item, si ab aliqua passione, hoc maximè fuisset à laterali vulnere, per illud August. 15. *de Ciuit.c.*26. vbi loquitur de arca Noë, dicens quòd *Ostium in latere arcæ, profectò illud est vulnus, quando latus Crucifixi perforatum est lanceâ. Hoc quippe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Sed ab illo vulnere non potest aliquod Sacramentum habere efficaciam: ergo, &c. Probatio minoris, quia illud vulnus fuit inflictum corpori iam mortuo, vt patet Ioan. 19. *Ad Iesum autem cùm venissent, & vidissent iam mortuum*, &c. sed corpus Christi post mortem non erat causa meritoria alicuius gratiæ.

*Ratio opp.* Contrà, multipliciter in litera, & August. de Ciuitate, vbi priùs.

## SCHOLIVM.

*Congruum fuisse institui Sacramenta in lege noua: quia est cæteris perfectior, quia in profectu posterior: & quia eius causa meritoria est perfectissima, scilicet Christus complens cursum suum, & exhibens pretium. Explicat pulcherrimè, & partim per simile, intensiuam & extensiuam nouorum Sacramentorum perfectionem.*

2 RESPONDEO[b] hîc, prima conclusio sit hæc; quòd legem Euangelicam congruum fuit Sacramentis perfectissimis adornari. Probatio, hæc est lex perfectissima, quam Trinitas disposuit dare homini pro statu viæ: est enim vltima, secundùm illud Matth. 26. *Noui & æterni Testamenti*, id est, post quod nullum aliud est futurum. In processu autem ab imperfecto ad perfectum, posteriora sunt perfectiora: istud etiam

*Vide D. Bonau. & alios.*

a *CIRCA hanc distinctionem*, &c. Hæc distinctio in duas partes principales diuiditur; quarum prima agit de institutione Sacramentorum nouæ legis, eorúmque numero: secunda verò de Baptismo Ioannis. Et iuxta hanc diuisionem præmissam à Doctore in expositione literæ Magistri, proponit ipse duas quæstiones, quarum prima est iam præmissa: secunda verò tangit Baptismum Ioannis, & eius efficaciam & fructum, 1 *Diuisio distinctionis.*

In hac ergo quæstione primò arguit ad oppositum. Secundò agit de perfectione Sacramentorum nouæ legis, & radice talis perfectionis, quæ fuit passio Christi exhibita. Tertiò de instituente, & causa meritoria. Ex quibus concludit duo corollaria. Primum quomodo misericordia, & iustitia concurrant simul circa institutionem Sacramentorum. Secundum est, quòd passio Christi fuerit magis efficax in lege Euangelica, quàm in lege veteri, aut antea. Quartò respondet ad argumenta. *Diuisio quæstionis.*

b *Respondeo hic, prima conclusio sit hæc*, &c. De hac conclusione aliquid dictum est suprà in quæstione 3. Probat Doctor, quia hæc est lex perfectissima, quam Trinitas disposuit dari homini pro statu viæ. Hæc patet ex illo Ioannis 1. quod infrà subiicit, *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christũ*, &c. ad Rom. 8. *Non accepistis spiritũ seruitutis in timore, sed accepistis spiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.* 2. ad Corinth. 3. dicitur, *lex scripta in corde*: ad Galat. *Non estis sub lege, sed sub gratia*, &c. Hæc itaque lex, vt patet ex dictis: habet vim iustificandi, ad Romanos 1. *Euangelium est virtus Dei in salutẽ omni credenti*, &c. & cap. 3. 2

etiam est proximum perfectissimo, scilicet statui finalis beatitudinis: ergo competebat homini in statu illius legis, perfectissimis adiutoriis ad gratiam præparari: cuiusmodi sunt perfectissima Sacramenta: ergo, &c.

*Causa meritoria Sacr. nouorum longè perfectior, quàm antiquorum.*

Item probatur secundò sic: Perfectissima causa meritoria gratiæ, quam Trinitas disposuit dare generi humano, fuit Christus complens cursum suum in hac vita nobiscum: causa autem meritoria iustè inclinat Deum ad conferendum bonum illi, pro quo talis causa meretur: causa etiam illa exhibita plus impetrat, quàm promissa: ergo per passionem Christi exhibitam, & confirmatiuam legis nouæ, congruum fuit maxima adiutoria ad gratiam hominibus conferri, pro tempore illius legis obseruandæ: ergo, &c.

3 Conditio ista perfectionis horum Sacramentorum exponitur perfectissimè, & quantùm ad intensionem perfectionis, & quantùm ad extensionem. Primum, quia perfectio Sacramenti consistit in perfectè significando verè, quantùm ad cognitionem, & in gratiam perfectam causando: ergo Sacramenta nouæ legis debuerunt esse perfectissima primo modo, quia est lex veritatis, secundo modo, quia est lex gratiæ. Vnde Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.*

Secundum, scilicet perfectio maxima quantùm ad extensionem declaratur, quia sicut in vita naturali, primum est generatio, deinde sequitur nutritio & corroboratio, & sanitatis perditæ reparatio, & hæc quatuor pertinent ad quamlibet personam singularem: præter hoc autem requiritur aliquod pertinens ad communitatem, quo aliquis constituatur in gradu necessario ad aliquem actum necessariũ communitati. Ita spiritualiter ad completam perfectionem extensiuè, oportet esse adiutorium aliquod pertinens ad generationem spiritualem; & secundò aliquid pertinens ad nutritionem; tertiò pertinens ad roborationem; quartò ad reparationem post lapsum. Præter hæc autem quintò requiritur aliquid esse, quo exiens finaliter præparetur: quia vita ista spiritualis quædam via est ordinans, vt benè viuens in ea, de ipsa sine impedimento transeat ad aliam, pro qua præparatur. Hæc ergo quinque requiruntur tanquam adiutoria necessaria personæ cuicumque pro se.

*Quinque adiutoria conguit dari singulis in lege noua.*

*Finis septem Sacramentorum.*

Ad bonum autem communitatis obseruantis istam legem requiritur, & multiplicatio carnalis, quia ista præsupponitur bono spirituali, sicut natura gratiæ: & multiplicatio spiritualis aliquorum in ista lege:



& cap. 3. vocat eam legem fidei, per quam excluditur gloriatio nostra: vnde vt ex præmissis Ioannis primo distinguitur à lege Moysi, in eo quòd hæc principaliter includit spiritum gratiæ, & ipsam veritatem, dans nõ solùm præcepta & consilia; sed etiam adiutoria, per quæ adimpleantur, quæ propria sunt huius: licèt enim in Mosaica, & legè naturæ dabantur adiutoria; ea tamen respectiuè ad legem nouam, & merita sui authoris Christi, quem continet, dabantur. In illis fuit promissio venturi Redemptoris; in hac ipsa veritas adimpleta est; ideò principaliter continet gratiam, & fidem, & veritatem.

*Antithesis legis nouæ ad alias.*

Item, sicut *ad Hebræos 9.* infirmitatem veteris legis colligit Paulus, ex eo quòd habuit Sacramenta, quæ iustificabant tantùm ad emendationem carnis, & munditiâ legali: ex opposito sensu lex noua, quæ est iustificans, habere debuit Sacramenta, quæ iustificant per Spiritum gratiæ à peccato; & sic rectè dicetur in hoc excedere veterẽ legem, sicut veritas promissa typum. Videatur Augustinus *lib. de Spiritu & litera, c. 4. 8. 14. 17. 18. contra duas epistolas Pelagianorum lib. 1. c. 7. & 21. lib. 1. de peccatorum meritis, & remiss. cap. 11. epist. 157.*

Probat autem Doctor illud antecedens, quia lex Euangelica est vltima, secundùm illud Matthæi 26. *Noui, & æterni Testamenti*, id est, *post quod nullum aliud est futurum*, &c. apud Matthæum non legitur illa particula *æterni*, neque apud alios Euãgelistas, aut Paulum 1. *Corinth.* 11. posita autẽ est in forma consecrationis calicis, quâ vtuntur Latini; quem autem effectũ habeat, infrà dicemus. Irrepsit ergo illa particula, *æterni*, non est autem Doctoris illa additio, sed alicuius scriptoris. Vnde infrà ipse Doctor *dist. 8. quæst. 2.* fatetur plura verba illius formæ non inueniri apud Euangelistas, vbi tractant de mysterio institutionis Calicis. Vel dicendum est citationem irrepsisse, licèt *noui Testamenti*, inueniatur apud Matthæum & Marcum.

3 *Explicatur Doctor.*

*Æterni non legitur apud Euangelistas.*

Vel tertiò dicendum est, particulam illam dictam esse à Christo in forma, quam tradit Matthæus & Marcus, licèt fuerit prætermissa ab Euãgelistis: & Doctor secutus est definitionem Innocentij III. cap. *Cùm Martha, de celebrat. Missarum*; vbi asserit Ecclesiasticam traditionem docere illam dictam fuisse à Christo; & rectè subintelligi per *noui Testamenti*, quia Paulus *ad Hebræos* 13. vocat sanguinẽ Christi, sanguinem Testamenti æterni: & *Apocalyps.* 14. dicitur Euangelium æternum, quia post illud non est futurum aliud; vt exponunt Theodoretus, & Anselmus, & ipsa fides. Vnde Psalmo 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.*

Innocent.

Theodor. Anselmus.

Qualis autem est lex, tale est sacerdotium & sacrificium; & translato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat *ad Hebr. 7.* vbi propter infirmitatem sacerdotij Leuitici, quod non consummabat ad perfectionem, sicut nec lex vetus consummabat, *nihil enim ad perfectum perduxit lex*, mutatum est in sacerdotium Christi secundùm ordinem Melchisedech, quod erat mansurum in æternum, & consummaret omnia quantùm ad perfectionem.

4 *Lex & sacerdotium correlatiua. Sacerdotij Leuitici, & legũ infirmitas.*

Ideóque ad stabilitatem eius præmittitur: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum*, id est, non mutabit institutum. Vide Augustinum *lib. 1. contra aduersarium legis & Prophet. cap. 20. & lib. 17. de Ciuit. cap. 17. & quæst. 124. in Exodum.* Tridentinum *sess. 22. cap. 1. & sess. 23. c. 1.* accedit Lucæ 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis:* & Danielis 2. *In diebus regnorum illorum suscitabit*

Augustin.

Triden:.

sic ergo congruum fuit septem adiutoria conferri obseruatoribus legis Euangelicæ, in quibus esset perfectio, non tantùm intensiua, sed etiam extensiua, & sufficiens ad omnia necessaria pro obseruantia huius legis; hæc autem sunt, (vt dicit Magister in litera,) Baptismus pertinens ad generationem spiritualem: Eucharistia necessaria ad nutritionem: Confirmatio ad roborationem: Pœnitentia ad lapsi reparationem: Extrema Vnctio ad finalem præparationem: Matrimonium ad multiplicationem in esse naturæ, vel carnali: & Ordo ad multiplicationem in esse gratiæ, vel spirituali.

*Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur:* quod rectè etiam de Ecclesia intelligitur: *& regnum eius alteri populo non tradetur*, &c. Dan. 7. *Potestas eius potestas æterna, qua non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur*, &c. Sicut ergo finis legis est iustificatio hominis, quæ perfectè consummatur per legem nouam; ita tollit omne motiuum stabiliendæ alterius, aut innouandæ.

Nouum ergo Testamentum rectè dicitur *æternum*, quod per sanguinem, & mortem testatoris Christi confirmatum est. Vnde redemptio æterna appellatur à Paulo: eodem modo *noui testamenti*: subinducit aliam particulam *æterni*, quia etsi *noui Testamenti* designare posset, quia renouat per gratiam, & spiritum hominem integrum, ex Augustino *tract. 63. in Ioan.* rectè etiam *noui* pro *nouissimi*, positiuum pro superlatiuo intelligitur; eo modo, quo Cyrillus *lib. 9. in Ioannem cap. 23.* interpretatur, *mandatum nouum do vobis*, Ioan. 13. pro vltimo: quæ interpretatio rectè cohæret antecedentibus, & consequentibus, & circumstantiis narrationis. 5 Augustin. Cyrillus.

*Hora vndecima qua?*

Sic in parabola de conducente operarios in vineam hora vndecima, quæ designat missionem Apostolorum sub Christo, & vocationem gentium in lege noua, dicitur *hora nouissima*, id est, vltima: sicut & 1. *Ioannis 2. Michææ 4. Actorum 2. ad Galatas etiam 4.* appellatur *plenitudo temporis*, id est, consummatio. Ex quibus patet litera & ratio Doctoris quoad probationem antecedentis.

*Probatio subsumpti.*

Subsumptum etiam patet ex dictis, quia prouidētia diuina sic processit ab imperfecto ad perfectum; à lege naturæ ad legem scriptam; à lege scripta, in qua, tanquam in semine, & vmbrà includebatur noua (*quid est*, inquit Augustinus, *lex vetus, nisi noui legis occultatio? quid est lex noua, nisi veteris legis reuelatio?*) ad nouam legem: ab hac tandem, quæ, vt comparatur ad gloriam, *in parte est*, ad ipsam gloriam, quæ est terminus peregrinationis electorum, qui processus est ab imperfecto ad perfectum.

*noua legis duplex. Perfectio intensiua.*

quantùm ad intẽsionem, & quantùm ad extensionem. Primum propter perfectã significationem, quantùm ad cognitionem veritatis, & propter efficaciam causandi gratiã: vtrumque horum suprà probauimus ex ipso, & ex Patribus, debere conuenire Sacramento *quæst. 2.* vtroque autem modo Sacramenta nouæ legis debuerũt esse perfectissima, quia est lex veritatis & gratiæ. Io. 1. *Lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, &c. Hoc patet ex cõmento ad primã rationem,

8

*Necessitas, & numerus Sacramentorum nouæ legis. Sacramenta spectantia ad necessitatem personalem.*

Perfectionem extẽsiuam pulchrè declarat, supponendo Sacramẽtorum necessitatem, eorúmque finem, qui est, vt remedium adhibeant morbo, & infirmitati. Declarat autem explicando necessitatem, primò personalem cuiusque seruatâ proportione ad vitam naturalem, in qua primùm est generatio; deinde nutritio; tertiò corroboratio; quartò sanitatis restauratio: & sic se habent ad vitam spiritualem cuiusque; Baptismus, qui est renascentia, & regeneratio hominis in Christo; Eucharistia, vt nutrimentum; Confirmatio, vt corroborans; Pœnitentia, vt restauratio sanitatis amissæ per peccatum mortale, post Baptismum commissum: quinto loco Extrema Vnctio, vt rectè disponat exeuntem ex vita mortali, vt transeat in aliam, quæ est promissa, immortalem: & hæc sunt adiutoria personalia.

*Sunt quinque.*

6

*Lex noua proxima perfectissimo.* Dionys.

*Est medium inter veterē, & gloriam.*

Secundò probat Doctor idem antecedẽs ex eo quòd nouum Testamentum sit proximum perfectissimo, id est, statui beatitudinis. Hæc patet ex dictis, estque Dionysij de *Ecclesiast. hierarch. cap 5.* vbi docet Euangelicum statũ participare de vtroque extremo, tanquam medium inter statum veteris legis, & gloriam; vt communicat beatitudini, participat iustitiã, & veritatem: vt autem communicat veteri legi, participat in signis, & figuris per cultum externũ sensibilem & visibilem: quatenus ergo est proximum ad gloriam, & tanquam vltima dispositio, conueniebat in eo esse perfectissima adiutoria gratiæ, & consequenter perfectissima Sacramenta: illud enim est perfectissimum medium, quod proximum est fini: ergo, &c.

Duo reliqua Sacramenta respiciunt communitatem, eiúsque multiplicationẽ, vel in filiis spiritualibus & cultu, ad quam institutus est Ordo; vel in *esse* naturæ, ad quod institutũ est Matrimoniũ. *Ordo. Matrimoniũ.*

Alias congruentias addunt Doctores huius numeri septenarij Sacramentorum; vt quia septem sunt vulnera; vel quia septẽ sunt virtutes; vel quia numerus septenarius est cõpletus, & approbatus in Scriptura. Sed prior congruentia est frequentior, & sumitur ex fine Sacramentorum, & sententia Patrum & Conciliorum, vt patebit in specie. *Alia cõgruentia.*

*Secunda probatio.*

Secundò principaliter probat cõclusionem, ex eo, quòd in lege noua sit perfectissima causa meritoria, quam Trinitas disposuit dare generi humano, &c. Christus autem & opera eius, & passio, in lege noua fuerunt, &c. Eadem passio vt exhibita fuit magis efficax, quàm vt promissa; ac proinde magis efficax motiuũ, vel inclinans Deũ ad dandam graciam, &c. Hæc ratio patet ex dictis, quia in hoc potissimùm perfectio legis nouæ superabundat: vnde Paulus ad Hebræos 5. *Exauditus est pro sua reuerentia*, &c. *Et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*, &c. Quod intelligitur ex sequentibus de infirmitate legis, sacrificiorum, & sacerdotij Leuitici.

Nec plura, neque pauciora esse propriè dicta Sacramenta nouę legis, tradũt omnes Doctores cum Magistro in hac distinctione, per quadringẽtos, & ampliùs annos, secundùm cõsuetudinem & fidem Ecclesiæ. Definit nouissimè Florentinũ & Tridentinũ, quæ supponimus quoad præsens in specie de singulis acturi latiùs contra hæreticos, quorum vertiginem benè notat Bellarminus *tom. 2. lib. 2. cap. 23.* ibique enumerat eorum errores, & dissidia, tam inter se, quàm cum Ecclesia. *Nõ esse plura, neque pauciora.* Florent. Trident. Bellarmin.

7

*Perfectio Sacramentorum*

c *Conditio ista perfectionis Sacramẽtorum*, &c. Perfectionem Sacramentorum nouæ legis colligit, quantum

Sed obiicies lotionem pedum factam à Christo Domino in vltima Cœna fuisse Sacramentum, iuxta Ambrosium *lib. 3. de Sacram. cap. 1.* Cyprianum *Obiectio.* Ambros.

Cyprian. Bernard. *Responsio. Quid denotabat lotio pedum facta in Cœna.*

Cyrillus.

prianum *in serm. de lotione pedum.* Bernardum *serm. de Cœna Domini.* Respondetur fuisse lato modo Sacramentum, non autem signum practicum gratiæ; fuit signum humilitatis & charitatis Christi: significabat etiam mystice lotionem spiritualem, quæ fieri debet per pœnitentiam, & abstractionem à temporalibus, & purgationem, quæ facienda erat per passionem, vt docet Cyrillus *in eundem locum*; ideóque Paulus 1. *ad Corinth.* 11. agens de probatione requisita ad hoc Sacramentum, intelligit pœnitentiam, *Probet autem seipsum homo*; nihil de lotione pedum ibi agitur: vnde rectè accommodatur illud Christi, *non lotis manibus* (adde etiam *pedibus*) *manducare panem, non coinquinat animam.*

Neque vnquam Ecclesia tradidit vllam obligationem lotionis pedum ante sumptionem Eucharistiæ: neque proponitur ibi vlla necessitas eius, quia comminatio facta Petro fuit in pœnam inobedientiæ, vt in illum locum docet Chrysostomus, & Cyrillus. Basilius *lib. 1. de Baptismo, c. 2.* Neque etiam illa lotio habet efficaciam delendi peccata venialia; alioquin Ecclesia non contemneret illam, & enumeraretur inter cæremonias sacras, essétque in vsu quotidiano. Cyprianus & Bernardus intelligunt fuisse Sacramentum, id est, signum quotidianæ expiationis, quæ debet fieri venialium peccatorum. Sanctus Ambrosius intelligit per Sacramentum cæremoniam sacram, quæ in aliquibus Ecclesiis fuit in vsu, & etiam cõtingit in aliquibus Religionibus exerceri. Iuxta ritum autem Romanæ Ecclesiæ, non fit ante communionem in feria quinta in Cœna Domini, sed post meridiem, ad recolendum factum, & exemplum Christi Domini: quod non fieret, si esset efficax Sacramentũ remissionis peccatorum.

Chrysost. Cyrillus. Basilius.

*Ritus ad recolendum factum Christi.*

## SCHOLIVM.

*Septem noua Sacramenta ab ipso Christo instituta fuisse, & adducit testimonia Scripturæ de singulis. Habetur in Trid. sess. 7. can. 1. vide* Aug. *ep.* 118. *c.* 1. *&* 19. *contra Faust.* 13. Ambr. 4. *de Sacr.* 4.

4 *Institutio omnium Sacramentorum.*

Secunda [d] conclusio hîc declaranda, sit hæc: Omnia instituta sunt à Christo, vel à Deo pro tempore istius legis. Quod breuiter ostendo hîc, quia de singulis in locis eorum propriis plenius apparebit. De

*Baptismi.* Baptismo patet: quia fuit institutus à Christo viuente, quia discipuli baptizabant, vt patet *Ioan.* 3. & præceptum fuit vt publicè prædicaretur. Matth. vltimo: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. De

*Eucharistiæ.* Eucharistia patet eius prædicatio diffusa, *Ioan.* 6. sed institutio in Cœna *Matth.* 26.

*Confirmationis.* De Confirmatione patet institutio, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum*, &c. vel in die Pentecostes, *Act.* 2.

*Pœnitentiæ. Vide Alen. 4. par. tract. de conf. q. 9.*

De Pœnitentia dicitur, quòd est instituta Iacob. 5. *Confitemini alterutrum*, &c. sed hoc non videtur probabile ex processu literæ, quia statim sequitur: *Orate pro inuicem*, &c. Manifestum est enim, quòd per illud sequens non intendebat aliquod Sacramentum instituere, nec promulgare: nec etiam erat apud Iacobum auctoritas instituendi aliquod Sacramentum, sicut pòst tangetur in ratione ponenda ad istam conclusionem. Melius ergo est, vt dicatur institutum fuisse, Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata*, &c. Et promissum Matth. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcumque ligaueris*, &c. Ista enim potestas non erat principaliter dimittendi peccata, quod est Dei proprium: sed arbitrandi de dimissione peccati, arbitrio approbato à Deo; sic autem arbitrari est in foro Pœnitentiæ soluere, vel ligare.

5 *Extrema Vnctionis.*

De Extrema Vnctione dicitur, quod Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis*, &c. Sed licèt ibi promulgauerit illud Sacramentum: est melius dicere, quòd fuerit institutũ à Christo.

d *Secunda conclusio hîc declaranda sit hæc*, &c. Determinat omnia Sacramenta legis nouæ fuisse instituta à Christo immediatè. Hæc est de fide, quam mox definiuit Tridentinũ sess. 7. c. 2. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit*, &c. Et quamuis hæc institutio intelligi posset facta à Christo mediatè, vel immediatè, ratio Doctoris probat esse immediatam; & hic, vt opinor, est sensus canonis, quia eum supponunt verba eiusdem Concilij *sess.* 21. *cap.* 1. vbi à potestate, quam habet Ecclesia in Sacramenta, excipitur eorum substantia, & nulla fuit necessitas exprimendi in Canone ipsam particulam *omnia*, quia nemo dubire potuit de institutione mediata: quamuis aliqui dubitauerint de institutione immediata Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, prout Doctor in litera insinuat, & reprehendit: quasi hæc instituta sint Iacobi 5. *Confitemini*, &c. *Infirmatur quis in vobis*, &c. hæc tamen infrà *sess.* 14. docet Concilium fuisse institutа immediatè ab ipso Christo *cap. 2. de Pœnitentia, & cap. 1. de Extrema Vnctione.*

10 *Esse instituta à Christo immediatè.* Trident.

*Sensus Canonis ille quem explicuit Doctor.*

Patet etiam à ratione, quia non fuit ratio, vnde Christus quædam Sacramenta, & non omnia instituere: instituit expresè quædam, vt patet de Baptismo *Ioannis* 3. *Matthæi vltimo*, Eucharistiam in vltima Cœna, Pœnitentiam *Ioannis* 20. Neque refert quòd in Scriptura institutio aliquorũ non habeatur tam expressa, nisi adiungatur traditio, & definitio Ecclesiæ, quia id perinde de Extrema Vnctione verum est: tamen Concilium definit fuisse à Christo Domino institutam, insinuatam *Marci* 6. commẽdatam & promulgatam *Iacobi* 5. prout etiam Doctor affirmat in litera. Ratio autem Doctoris superiùs tractata est in *dist. præcedenti quæst.* 2. nempe solius Dei esse principaliter instituere Sacramenta, quia illi soli subest effectus Sacramentorum. Accedit quòd in lege veteri Deus instituerit Sacramenta: ergo à fortiori, in noua idem magis congruit. Nihil occurrit circa literam, quod in specie tractari non debeat suo loco fusiùs.

*Probatio à ratione. Tria Sacramenta, quorum institutio est expressa. Extrema Vnctio immediatè à Christo instituta.*

*Vide Mag. 4. d. 23. cap. 2. & Hug. 2. de Sacram. p. 11. cap. 2.*

Legimus enim *Marci 6.* quòd Apoſtoli vngebant oleo multos infirmos, & ſanabantur: conſtat quòd hoc non fecerunt, niſi in virtute Chriſti, qui inſtituerat illam vnctionem virtuoſam.

*Matrimonij ex 1. & 2. Geneſ.*

De Matrimonio apparet Matth. 19. *Non legiſtis* (ait Chriſtus) *quia maſculum, & fœminam fecit eos*, ſupple Deus, & dixit, ſupple per os Adæ, *Quamobrem relinquet homo*, &c. vbi Chriſtus approbat & ratificat id quod Deus in ſtatu innocentiæ per os Adæ publicauit.

*Ordinis.*

De Ordine Matth. 26. *Hoc facite in meam commemorationem.* Et Ioan. 20. *Quorum remiſeritis peccata*, &c. Hæc enim duo pertinent ad ordinem ſacerdotalem, ſcilicet poteſtas reſpectu corporis Chriſti veri, & poteſtas reſpectu corporis Chriſti myſtici; vt dicetur in materia de Ordine.

*Intelligendus de potẽtia ordinaria, non de abſoluta.*

Quòd autem hæc omnia à ſolo Deo fuerint inſtituta, patet per illud, quod tactum eſt in generali de inſtitutione Sacramenti. Nulli enim competit ſignum inſtituere practicum, niſi vel reſpectu alicuius actus ſui proprij, vel reſpectu alicuius, qui ſubeſt ſibi, quantùm ad illum actum; Sacramentum autem eſt ſignum practicum reſpectu effectus Dei propriè, & Deus non poteſt in actu ſibi proprio, alicui alij ſubeſſe: ergo, &c.

## SCHOLIVM.

*Deum ſolum eſſe cauſam principalem & phyſicam Sacramentorum: Chriſtum verò quà homo, eſſe eorumdem cauſam meritoriam, ſeu moralem effectiuam, quia omnia remedia noſtra ad ſalutem, ſunt præmia operum eius.* Trident. *ſeſſ. 1. can. 1.* Flor. *in decret. Eugen.* Sotus *d. 1. q. 5. a. 2. &* Durand. *hìc q. 1. putant non eſſe hæreſim dicere Vnctionem & Confirmationem non eſſe inſtitutas à Chriſto: fauet* Hug. *2. de Sacram. p. 15. c. 2. &* D. Bonau. *d. 7. art. 1. q. 1.*

6 Ex his [e] duabus concluſionibus patet ſolutio quæſtionis, expoſito primo intellectu quæſtionis; quia Sacramentum habere efficaciam, eſt ipſum habere regulariter effectum ſignificatum concomitantem: ergo ab illo habet efficaciam à quo eſt, quòd effectus concomitetur.

Quòd autem ſic concomitetur, poteſt eſſe ab aliquo dupliciter: vel tanquam à cauſa principali principaliter cauſante huius concomitantiam: vel tanquam à cauſa meritoria, quæ ſcilicet meretur vt ſit talis concomitantia.

*Solus Deus cauſa principalis Sacramentorum?*

Et ſecundùm hoc dico, quòd Sacramenta nouæ legis à ſolo Deo habent efficaciam, tanquam à cauſa principali: à Chriſto autem patiente, ſiue à paſſione Chriſti, habent efficaciam tanquam à cauſa meritoria. Primum iſtorum probatur ex ſecunda cõcluſione præhabita. Solus enim Deus inſtituit hæc Sacramenta; & efficacia Sacramenti non poteſt eſſe ab alia cauſa inferiore, eam inſtituente. Hoc etiam patet ſic, ſolus Deus determinat ſe ad effectum cauſandum ſibi proprium: ſi enim poſſet ab alio determinari ad agendum, iam eſſet cauſa ſecunda reſpectu eius: effectus autem ſignificati per Sacramenta ſunt proprij ſoli Deo: ergo ſolus Deus poteſt determinare ſe ad cauſandum effectus Sacramentorum, regulariter concomitantes Sacramenta. Hoc eſt autem Sacramenta habere efficaciam, ſcilicet habere effectus regulariter concomitantes: ergo à ſola voluntate diuina habent determinatè Sacramenta efficaciam, tanquam à cauſa principali.

*Quid eſt efficacia Sacramentorum?*

7 *Chriſtum eſſe cauſam meritoriam Sacramẽtorum.*

Secundum patet ex diſtinctione 19. tertij libri: & quantum ad præſens, breuiter oſtenditur ſic: Homini facto Dei inimico per culpam, diſpoſuit Deus non remittere illam culpam, neque aliquod adiutorium dare ad talem remiſſionem, ſiue ad conſecutionem beatitudi

e *Ex his duabus concluſionibus*, &c. Hìc tandem reſpondet ad quæſtionem, & dicit duo. Primum, Deum eſſe cauſam principalem inſtituendi Sacramenta, à qua participant ſuam efficaciam, quod probat ratione præmiſsâ, & aliàs ſuprà deductâ. Secundum eſt, fuiſſe efficacia per Chriſtum, tanquam per cauſam meritoriam. Quod probat ex neceſſitate Incarnationis, ſecundùm legem ſtatutam ad ſaluandum hominem, quæ deſumitur ex doctrina fidei & Patrum, vt fusè tractatur in materia de Incarnatione: & concludit omne adiutorium datum homini poſt lapſum fuiſſe ob merita Chriſti, & paſſionem, quæ fuit magis grata Trinitati, quàm fuerit grauis offenſa generis humani.

11 *Deus inſtituit Sacramenta.*

*Eorum efficacia ex Chriſto, vt cauſa meritoria.*

Suprà probata eſt ſecunda concluſio, nempe, Sacramenta habuiſſe efficaciam à Chriſto, tanquam à cauſa meritoria; *diſt. præcedenti queſt. 4. & 5.* Notandum hîc, quòd Doctor per hoc quòd dicat Deum eſſe cauſam principalem efficaciæ Sacramentorum, non excludat poteſtatem excellentiæ à Chriſto, quam infrà tractat in materia de clauibus; ſed agit tantùm de cauſa, in quam certitudo & efficacia ſignificationis ſacramentalis refunditur, tanquam in efficientem: & ſic Chriſtus Dominus, inquantum Deus, efficaciam hanc tribuit Sacramentis: inquantùm homo verò potuit moraliter, & non phyſicè tribuere eandem efficaciam, applicando ſua merita, & prout habuit concomitantem voluntatem diuinam, & pactum, ſeu acceptationem, quæ ipſi competebant, vt mediatori & capiti.

beatitudinis, nisi per aliquid sibi oblatum, quod gratius acceptaret, quàm offensa illa esset sibi displicens, vel ingrata: nihil autem potest inueniri gratius Trinitati, quàm sit tota culpa, & offensa generis humani displicens, vel ingrata, nisi sit aliquod obsequium personæ magis dilectæ, quàm tota communitas illa, quæ offendit, per vniuersalem offensam fuerat, vel debebat esse cara, si non offendisset. Talem personam sic dilectam, non potuit genus humanum ex se habere, quia totum fuit inimicum de vna massa perditionis: ergo disposuit Trinitas personam sic dilectam sibi, dare generi humano, ac ipsam ad hoc molinare, vt ipsa offerret obsequium pro toto illo genere: talis persona non est nisi Christus, cui *non ad mensuram dedit Deus Spiritum* charitatis, & gratiæ, *Ioan.*3. & tale obsequium est illud, in quo maxima apparet charitas, quod est offerre se vsque ad mortem pro iustitia: ergo Trinitas nullum adiutorium pertinens ad salutem contulit homini viatori, nisi in virtute huius oblationis Christi in cruce factæ, & à persona dilectissima, & ex maxima charitate. Et per hoc passio illa fuit meritoria causa, respectu boni meritorij collati homini viatori.

*Omnia remedia ad salutem propter Christum nobis dantur, eorúmque est causa meritoria.*

## SCHOLIVM.

*Remedia salutis simul esse ex misericordia, & iustitia, item Christum causam esse meritoriam veterum Sacramentorum, sed perfectiùs nouorum, & vtrumque explicatur clarè.*

8 *Quomodo remedia salutis sunt ex misericordia, & ex iustitia.*

Hìc sequitur[f] corollarium, quomodo in collatione talium remediorum necessariorum generi humano, concurrunt & misericordia, & veritas. Maximæ enim misericordiæ opus est, homini inimico tanta remedia concedere: sed etiam maximæ iustitiæ est, propter obsequium tam gratum, personæ tam dilectæ, tantùm remedium conferre illis, pro quibus illa persona obtulit illud obsequium. Iustum enim est acceptare obsequium personæ tam dilectæ pro illo, pro quo offert obsequium. Maxima etiam fuit misericordia in persona offerente, sic se offerre pro inimicis Trinitatis, quam summè dilexit: sed etiam maximæ iustitiæ, tam in comparatione ad Deum, quàm ad hominem lapsum: quia non videretur maximè diligere Deum, & proximum, nisi pro tanto bono communi, scilicet beatitudine hominis, ad quam Deus prædestinauerat eum, & disposuerat eum, non aliter peruenturum, quàm per istud obsequium, vellet istud obsequium exhibere.

9 *Christus causa meritoria Sacramentorum veterũ, sed perfectiùs nouorum.*

Ex istis patet aliud corollarium, quod supposítum fuit in quæstione de Circumcisione, quia passio Christi, cùm esset causa meritoria respectu efficaciæ Sacramentorum veterum, & etiam respectu gratiæ collatæ antiquis Patribus; tamen maiorem efficaciam habet respectu nostrorum Sacramentorum, & gratiæ nunc conferendæ, quàm tunc. Quia iustè obsequium exhibitum ad bonum, maius acceptatur, quàm præuisum. Trinitas autem nunc confert tanquam propter passionem Christi exhibitam, etiam à nobis creditam, vt exhibitam: tunc autem contulit, vt propter eam à seipso præuisam, & ab aliis fideli

f *Hìc sequitur corollarium*, &c. Subiicit duo corollaria. Primum est, quomodo misericordia, & iustitia concurrant in collatione horum remediorum generi humano. Aduertendum ergo ex ipso in *dist...quæst...§....* quòd sicut potentia & sapientia Dei in creatione combinantur, & manifestantur, sic etiam misericordia & iustitia in operibus redemptionis, & administratione creaturæ rationalis, similiter concurrunt: quam concomitantiam notat etiam Augustinus, lib.2. de peccat. meritis & remission. cap.19. *Misericordiam & veritatem diligit.* Psal.83. *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi*, &c. & Psal.84. *Vniuersæ viæ Domini misericordia, & veritas.* Idem c.24. *Et quis explicet*, inquit, *quam crebrò hæc duo coniuncta diuinæ Scriptura commemorat? aliquando etiam mutatis nominibus, vt gratia pro misericordia ponatur; vnde est, & vidimus gloriam, gloriam sicut vnigeniti, plenam gratia & veritate: aliquando pro veritate iudicium; sicut est, Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine*, &c. Videatur Doctor infrà *dist.46.quæst.2.3. & 4.* Misericordia demonstratur respectiuè ad hominem lapsum, cui collata sunt hæc beneficia; iustitia verò respectiuè ad personam Christi merentem. Vide Paulum ad Rom.4. 12

*Potentia & sapientia in creatione manifestata. Misericordia & iustitia in redemptione.*

*Secundum corollarium*, quòd passio Christi præuisa habuerit efficaciam respectu Circumcisionis, & gratiæ collatæ antiquis Patribus; & hæc minor fuit, quàm efficacia respectu Sacramentorum nouæ legis; quia passio, vt exhibita, est præstantius obsequium in *esse* meriti, & satisfactionis, quàm obsequium in opinione, vel præuisione. Hæc veritas declarata est suprà ad initium huius quæstionis. 13

*Secundum corollar. Passio præuisa. Eadem exhibita magis acceptata.*

Ad primum in contrarium, ad initium quæstionis, dicit passionem Christi præteritam non esse præsentem in re physicè, sed in acceptatione diuina, quod sufficit ad causam meritoriam: est ergo præsens, quantùm ad medium iustitiæ, & pacti, & completæ satisfactionis, quâ sustulit chirographum peccati per abundantem redemptionem: sic solutio debiti semper ex lege est præsens, & eundem effectum habet secundùm iustitiam, quem habuit quando in effectu posita est. Sic etiam peccatum præteritum semper manet, quoad reatum donec deleatur: sic opera iusto-

*Ad primum respondet.*

*Passio exhibita semper præsens quoad efficaciam.*

fidelibus præcreditam, vt exhibendam.

*Quare Baptiſmus aperuit ianuam, non Circumciſio.*

Hinc etiam apparet quare Baptiſmus aperuit ianuam, non autem Circumciſio; non quidem ex parte meritorum: ſed quia quantumcunque magna gratia collata fuiſſet in virtute paſſionis Chriſti præuiſæ, non conferebatur vt efficax ad finem gratiæ, ſcilicet ad beatitudinem, niſi priùs obſequium illud eſſet ſolutum: minima autem, ſi conferretur nunc in virtute huius obſequij iam ſoluti, conferretur tamen vt ſufficienter diſponens ad beatitudinem. Exemplum in nobis, maius bonum conferimus propter obſequium exhibitum, quàm ſperatum.

10 *Ad arg. 2.*

Ad primum argumentum dico, quòd etſi paſſio Chriſti non ſit nunc in effectu, eſt tamen in acceptione diuina: & hoc ſufficit vt ſit cauſa meritoria. Patet enim, quòd nos conferimus multa propter aliquod bonum non præſens in ſe, ſed præſens in memoria noſtra, ſi ſit præteritum: vel in opinione, ſi ſit futurum.

*Ad 2. Noua Sacramenta etiam ante paſſionẽ inſtituta, habent ab ea, vt exhibitâ, vim ſuam.*

Ad ſecundum poteſt dici, quòd omnia Sacramenta nouæ legis habent à paſſione Chriſti, vt exhibitâ, efficaciam, non quidẽ in actu exteriori, ſed interiori exhibitã. Ab inſtanti enim cõceptionis Chriſtus habuit meritum paſſionis, & in illo interiori actu conſiſtit principalior ratio meriti: & ideò quicquid inſtituit tempore vitæ ſuæ, potuit etiam habere tunc efficaciam à paſſione volitâ perfectè ab ipſo Chriſto, in qua volitione erat principalis oblatio & principalis oblatio grata facta Deo. Nec poteſt dici, quòd ſic paſſio illa accepta fuiſſet ante incarnationem, vel paſſionem: quia etſi Deus eam præuidit, non tamen fuit oblata actu interiori, neque exteriori.

Vel poteſt dici, quòd Sacramenta nouæ legis viuente Chriſto, omnia minorem habuerunt efficaciam, quàm poſt eius paſſionem: & tamen non fuit inconueniens, quòd inſtituerentur ipſo viuente: quia erant inſtituta, non vt pro tunc, ſed vt pro tempore poſt eius mortem habitura principalem efficaciam.

11 *Ad 3 Gratia intuitu noſtri gratis, Chriſti verò, ex iuſtitia datur.*

Ad tertium dico, quòd intellectus Apoſtoli eſt, quòd gratia non habet cauſam meritoriam de condigno, in illo cui confertur: tamen poteſt habere cauſam meritoriam de congruo, in eodem: & cauſam meritoriam, de condigno extrinſecam, maximè ſi illa cauſa meritoria extrinſeca gratuitè ſit data illi, pro quo eſt cauſa meritoria, vt ſit ei talis cauſa.

Et ſi obiicis, Gratia data pro tali cauſa condigna, non eſt gratia: quia aliquibus meritis eſt debita, etſi non meritis recipientis.

rum ſemper ſunt præſentia, quamuis in re præterita. Vnde illud, *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, opera enim illorum ſequuntur illos*, &c.

14 *Ad ſecũdum argumẽtum.*

Secundum argumentum petit differentiam inter Sacramentum Circumciſionis, & Baptiſmi, & Euchariſtiæ ſaltem, de quibus conſtat fuiſſe inſtituta ante paſſionem exhibitam: ergo non fuit magis efficax reſpectu horum, quàm Circumciſionis. *Reſpondeo.* Reſpondet primò Doctor, ab inſtanti conceptionis paſſionem fuiſſe præſentem, quantùm ad acceptationem & oblationem internam per voluntatem Chriſti, *in* qua primariò conſiſtit fundamentum meriti eius; non ſic autem fuiſſe præſentem ante Incarnationem. Vnde patet qua ratione paſſio habuerit influxum diuerſum in Baptiſmum ab eo, quem habuit in Circumciſionem. Hæc ſolutio eſt magis ex ſententia Doctoris de inſtitutione Baptiſmi ante paſſionem, *in diſtinctione ſequenti queſt. 4.* Et patet ex eo, quòd meritum Chriſti poſitum in *eſſe* ante paſſionem habuerit valorem merendi, & ſatisfaciendi, cui initeretur efficacia quæcunque Baptiſmi, tanquam cauſæ poſitæ & acceptatæ, & ſuperabundanti, vt patet ex communi dogmate fidei circa valorem operum Chriſti in vtroque genere. Vnde in Extrauag. *Vnigenitus*, &c. dicitur vna gutta ſanguinis eius fuſa ob vnionem hypoſtaticam ſuffeciſſe pro redemptione totius mundi: hoc autem contigit in Circumciſione eius, quæ præceſſit inſtitutionem Baptiſmi. Accedit quòd ipſa paſſio iam in acceptatione poſita fuerit, & inchoatiuè: vnde Baptiſmus ab eodem mutuare poſſet efficaciam, & ſignificationem myſticam, vt rectè baptizati in mortem Chriſti, & paſsionem dicerentur tingi.

*Paſſio præſens quantum ad oblationem, & acceptationem in inſtanti Incarnationis.*

15 *Secunda reſponſio. Quòd Sacramenta ante paſſionem fuerint minoris efficacia.*

Secundò, inſinuando aliam ſolutionem reſpondet, quòd Sacramenta nouæ legis inſtituta, viuente Chriſto, minorem habuerint efficaciam, quàm poſt eius paſsionem: tamen non eſt inconueniens, vt fuerint tunc inſtituta, non pro tunc, ſed poſt eius mortem habitura principalem efficaciam. Hæc ſolutio intelligi poteſt, vel de efficacia reſpectu gratiæ, inquantùm non cauſarent omnem gratiam, quantùm ad gradum perfectionis & intenſionis ante paſsionem, quamuis virtute continebant, ratione ſuæ inſtitutionis, efficaciam eandem, cuius effectus abundantior, & perfectior ſuſpendebatur vſque ad paſsionem, & mortem Chriſti poſitam, à cuius exhibitione dependebant.

Hæc ſolutio ſic intellecta, mitigat ſententiam quorundã Patrum, qui negant Baptiſmũ Chriſti, ſeu illum, quo vtebantur diſcipuli dediſſe ſpiritum; de quibus infrà *diſt. ſequenti queſt. 4.* Et quamuis fortè ex ſententia ipſorum, non fuerit inſtitutum ante paſsionem: rationes tamen, quibus innituntur, fauent præſenti ſolutioni: quia nempe Baptiſmus Chriſti à paſsione, morte, & reſurrectione non ſolùm præuiſis, ſed poſitis in *eſſe*, virtutem ſuam & efficaciam mutuabat.

*Baptiſmus dependebat à paſſione poſita.*

Vnde Leo Papa *epiſtola 4. cap. 3.* poſtquam dixit formam, & poteſtatem baptizandi traditam fuiſſe diſcipulis poſt reſurrectionem, ſubdit: *de quo vtique eos ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe*, &c. & Rupertus eandem rationem adducit *lib. 3. in Ioan.* Supponunt Chryſoſtomus, Euthymius, Theophylactus, & antiquior Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap. 11.* cui fauent illa Ioan. 7. *Nondum Spiritus erat datus, quia Ieſus*

Leo Papa. Rupertus. Chryſoſt. Euthym. Theophyl. Tertullian.

*Nihil omnino gratis à Deo datum, nisi incarnatio.*

pientis Posset dici, quòd in vniuersis operibus Dei, non fuit aliquod opus merè gratiæ, nisi sola incarnatio Filij Dei, & hoc si ad illam nulla merita præcesserunt, quod vtique verum est in ordinatione diuina de illa Incarnatione. Quia si tempore conceptionis præcesserunt aliqua merita Mariæ, tamen non erant bona absolutè, respectu incarnationis, sed fortè accelerationis, vt impleretur illa incarnatio præordinata. Benè ergo ait August. 13. de Trinit. cap. 19. *In rebus per tempus ortis, illa summa gratia est, quòd homo in vnitate personæ coniunctus est Deo.*

*Quomodo Sacramẽta fluxisse dicũtur à vulnere lateris Christi?*

Ad vltimum dico[8], quòd si illud vulnus fuit inflictum Christo post mortem (vt narrat Euangelium) Sacramenta non fluxerunt ab illo, tanquam à causa meritoria: sed dicuntur specialiter inde fluxisse, propter quandam similitudinem expressiorem eorum, quæ ibi fluxerunt, ad sensibilia, quæ sunt in quibusdam Sacramentis. Sanguis enim specialiùs assimilatur speciei, sub qua est sanguis, & Eucharistia: & aqua specialiùs assimilatur materiæ Baptismi; quæ sunt duo principalia Sacramenta. Et iste intellectus potest haberi *Extra. de celeb. Miss. in fin.* vbi dicitur, quòd in illis duobus, scilicet aqua, & sanguine, duo maxima Sacramenta redemptionis, & regenerationis, relucent.

*Iesus nondum erat glorificatus*: sed magis loca Pauli, quæ dicunt baptizari nos in mortem Christi *ad Romanos 6.* & aliàs. Item, ad Romanos 4. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram*, &c. Quibus ostenditur dependentia iustificationis nostræ à morte & resurrectione.

Quamuis ergo teneatur sententia opposita, & communis de institutione Baptismi ante passionem, sustineri etiam potest & ratio prioris sententiæ iam præmissa cum illa limitatione, vt gratia quidem fuerit semper data per Baptismum à sui institutione, sed ante passionem propter dependentiam ab ipsa, vt causa posita in effectu, non fuisse tam abundantem, ac fuerit adimpleta causa, nempe passione & morte, in quibus principaliùs, & completè meritum Christi constitit, qui reconciliauit nos in sanguine suo.

*Applicatio dictorum ad solutionem.*

*Alia interpretatio.*

Alio modo intelligi potest dicta solutio non de effectu gratiæ sanctificantis, sed de aliis, vt est apertio ianuæ, tanquam dispositio vltima ad gloriam, de quo suprà: hîc autem effectus non conueniebat Baptismo, nisi post passionem exhibitam.

16 *Ad tertium, Gratia quomodo gratis data.*

Ad tertium respondet, *gratiam* nobis conferri gratis respectiuè ad merita nostra, & loquitur de gratia prima & iustificante; non tamen respectiuè ad merita, & passionem Christi, qui eam nobis meruit, & in priori sensu intelligitur Apostolus *ad Romanos 9.* Addit infrà nullum fuisse in operibus Dei aliquod meræ gratiæ præter solam incarnationem.

*Explicatur de operibus ad salutem.*

Loquitur de operibus supernaturalibus prædestinationis, & vocationis, & reliquis dispositionibus ad vitam; non autem de naturalibus, quibus etsi nomen *gratiæ* non accommodatur, quando non conferunt ad salutem, vt rectè D. Thomas 1. 2. *quæst.* 111. *art.* 9. vt patet ex Augustino *lib. de præ-*

D. Thom. Augustinus.

*dest. Sanct. cap. 5. epist. 95. & 105.* incongruè enim *gratia* dicuntur stylo Scripturarum, licèt gratis dentur, id est, sine meritis nostris, & etiam sine dispositione naturali præuia, vt patet ex epistola 95. citata.

*Intendit etiã quoad effectum in executione.*

Loquitur etiam de operibus in executione, & effectu, non autem secundùm quemcunque actum internum diuinæ voluntatis, quantùm ad intentionem: quia per ipsum electio ad gloriam non supponit merita, estque omnino gratuita hoc modo. Agit ergo de ipsis operibus ad extra, & supposito lapsu. Quidquid ergo facit ad salutem, datum est nobis propter Christum eiúsque merita & passionem, vt Scriptura & Patres docent,

*Extensio illius principij.*

contra Pelagianos. Quòd si ampliùs hoc principium latiùs interpretari volueris suppositâ sententiâ Doctoris *in 3. dist. 7. quæst. 3.* nempe incarnandum filium Dei, etiamsi non peccasset Adam, quem sequitur Suarez *in 3. part. tom. 1. dist. 42. & prolegom. 3. de gratia, cap. 2. in fine.* Dicendum est, omnia dona, siue naturalia, siue supernaturalia,

*Omnia dona ex Christo.*

fuisse ex Christo capite, quia ad Coloss. 1. *Ipse est primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa in cœlo, & in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse ante omnes, & omnia in ipso constant*, &c. Ratio est, quia naturalia ad supernaturalia reducuntur, vtraque propter prædestinatos, prædestinati propter Christum, Christus autem propter Deum, 1. ad Corinth. 3. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus Christus autem Dei*, &c. Christus ergo habuit influxum capitis secundùm omnia dona concessa, eiúsque intuitu concessa sunt; & ita non gratis data, sumendo *gratiam* latè, vt excludit omnem causam extrà Deum; vt sæpiùs sumitur: quatenus opponitur non solùm debito iustitiæ, & legis, sed causæ, & etiam naturæ.

17 *Quale fuerit debitum donorum in Christo. Explicatur illud debitũ variis exemplis.*

Et ita sicut Christus fuit institutus caput vniuersorum, licèt ipse gratis datus est; reliqua tamen in ipso tanquam capite debebantur, & dependenter ab eo collata sunt. Debentur ergo in ipso debito fidelitatis & pacti, quod solùm cadit in Deum respectiuè ad creaturam. Sic debetur Ecclesiæ directio mediante Vicario Christi, & Petro, cui facta est promissio: sic merito nostro debetur præmium, sic mediantibus Sacramentis debetur gratia ex promissione Dei, etiamsi institutio eorum non fieret intuitu meritorum Christi. Quòd si in eo statu gratia, & influxus capitis non applicaretur membris per merita eius; tamen necessariò applicarentur dependenter ab ipso, vt causa morali, alioquin non saluaretur influxus capitis, neque institutio; si nullus esset eius influxus in membra.

*Debitum in capite morali.*

*Sententia aliorum.*

Sic quidam explicant electionem ad gloriam fuisse sub ratione præmij dependenter ab operibus, non quidem sub ratione meriti formaliter, sed sub ratione causæ moralis, quidquid sit de veritate huius asserti. Sic etiam Adam constitutus, est caput naturæ propagandæ in posteros, cum iustitia

*Debitũ iustitiæ originalis.*

iustitia originali, vt licèt meritum eius non transiret in posteros, tamen si perseueraſſet iustitia, erat debita posteris, ita vt non gratis communicata diceretur, licèt non ex merito Adami in posteros transiret: sed ex primo pacto, quod ab eius perseuerantia dependebat: merita nempe Adami non erant communia, sed personalia: quia opera filiorum ab ipsis non dependerent, sicut nec acceptarétur à Deo, sicut opera iustorum post lapsum, & satisfactio acceptantur in operibus Christi: vt docet Tridentinum sess. 15. cap. 8. *Non habet homo inde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfaciemus, facientes fructus dignos pœnitentiæ; qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur patri, & per illum acceptantur à patre*, &c.

*Merita Adami personalia fuerunt.*

Trident.

18 Quòd si amplius dicatur, quòd etiam Christus veniret, vt causa meritoria, licèt non vt satisfactoria, quia satisfactione non indigeret ille status; magis saluatur prædicta doctrina.

Quidquid autem sit de illa quæstione, cui supersedeo; saltem de facto potest etiam illa doctrina intelligi vniuersaliter quoad omnia dona, & hoc verba Pauli sonant. Patres autem in illa epistola 95. & aliàs, contra Pelagianos, intelligendi sunt de gratia saluante, & iustificante, de qua fuit controuersia cum Pelagio, atque adeò de gratia Redemptoris. Vnde Ecclesia sic interpretatur in suis Collectis & orationibus, quas per Christum dirigit ad Deum, siue temporale, siue spirituale, siue naturale, siue supernaturale postulat, omnia in nomine eius petit, iuxta illud, *Quidquid petieritis Patrem in nomine meo*, &c. *omnia in nomine meo petite*, &c.

*Interpretatio Patrum.*

*Ecclesia petit etiam temporalia per Christum.*

19 Altera assertio Doctoris est, incarnationem fuisse omnino gratuitam, & independenter ab omnibus meritis, siue ipsius Christi, siue aliorum. Oppositus error tribuitur Origeni, lib. 2. Periarchon, quòd asseruerit animam Christi fuisse simul cum Angelis creatam, & meritò virtutum obtinuisse vnionem hypostaticam. Photinus pro eodem errore citatur à D. Thoma 3. p. q. 1. art. 11. asserens Christum hominem præcessisse, & meruisse vnionem cum Verbo accidentalem, cum distinctione suppositi, vt asseruit Nestorius.

*Altera assertio Doctoris.*

*Error Origenis.*

*Animã meruisse Incarnationem.*

Photinus, D. Thom.

Pro hoc errore Augustinus, Philaster, & alij antiqui, non citant Photinum, cum potiùs tenuerit cum Sabellio, negando Trinitatem, & cum Paulo Samosateno asserente Christum fuisse purum hominem.

Augustinus. Philaster.

*Error Photini.*

Cæterùm, quidquid sit de Photino, non videtur contemnenda sententia Cassiani (licèt non inueniatur ab Augustino, & gestis Ecclesiasticis expressa) *lib. 5. & 7.* de Incarnatione, asserentis Nestorianam hæresim à Pelagio priùs fuisse conceptam, qui putauit Christum primùm fuisse hominem purum: deinde purè & integrè ita vixisse, vt meruerit liberi arbitrij Deificationem: hinc Nestorius subsequens duo in Christo supposita cum vnione accidentali asseruit. Fortè ad hanc historiam alluſit Prosper in Epitaphio de vtraque hæresi.

*ErrorPelagij.*

*Nestorius.*

*Nestoriana lues succeſſi Pelagiana,*
*Qua tamen est vtero progenerata meo.*
*Infelix miseræ genitrix & filia natæ,*
*Prodiui ex ipso germine, quod peperi*, &c.

Conclusio prædicta Doctoris est communis omnium, quantùm ad meritum ipsius Christi *in 3. dist. 2. & 3. part. quæst. 2. art. 11.* est Augustini *in lib. de dono perseu. cap. 1. de corrept. & gratia. cap. 11.* Videatur *de dono perseu. cap. vltimo lib. 2. de peccator. meritis & remiss. cap. 17. lib. 13. de Trinit. cap. 17. serm. 9. in Euang. Matth. serm. 8. de verbis Apost. in Enchiridio cap. 38. & cap. 40.* Aliqui contrarium docent esse contra fidem: alij esse errorem. Augustinus *cap. 11. de corrept. & gratia*, supponit esse fidei veritatem: quod verissimum puto, maximè si loquamur de merito antecedente.

*Conclusio.*

Asserit præterea Doctor, Patres etiam, ac B. Virginem non meruisse Incarnationem, nisi fortè eius accelerationem, quantum ad meritum de condigno, id docent omnes; quia merita Patrum non sunt ordinata ad illum effectum. Secundò, quia ipsa & omnis gratia eorum fuit ex Incarnatione, tanquam radice: *Principium autem meriti non cadit sub merito.* Tertiò, nullus meretur gratiam primam sibi de facto, neque auxilia, neque donum perseuerantiæ; minùs ergo Incarnationem, ex qua illa redundant. Quartò denique, quia ipse sibi Christus de facto non meruit incarnationem. Quintò, quia ex ipso, tanquam capite, omnia emanant in reliquos: ergo saltem, vt Doctor in textu, præordinatio capitis præcessit omne meritum præuisum in aliis. Vltimò, ordinatio Christi Redemptoris facta fuit nullo præuiso merito post lapsum, aut capacitate merendi ob peccatum, vt de fide constat, *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu sancto*, &c.

20 *Tertia asserotiv.*

*Nullum meritum de condigno præcessisse Incarnationem.*

An potuerit autem de potentia absoluta dari meritum Incarnationis in pura creatura, dubitari solet. Rationes quorundam circa præcedens, non solùm tollunt actum, sed & potentiam; ideoque communiter asserunt de possibili quidem dari non posse meritum de condigno Incarnationis in pura creatura. Ita Vasquez *3. part. disp. 22. cap. 1.* Suarez *disp. 10. sect. 5.* ex parte concordat, nempe non posse dari meritum ex toto condignum. Cabrera *dist. 4. in art. 11. quæstionis 2. D. Thomæ 3. partis.* Lorca *dis. 21.* Fauet ratio D. Thomæ, nempe meritum de condigno esse æquale præmio, incarnationi nihil esse æquale in pura creatura. Altera ratio est ex hypothesi incarnationis, prout est de facto radix omnis meriti; principium autem meriti non cadit sub merito; sed supponitur sicut causa ad effectum.

21 *Dubium. An de potentia absoluta potuerit præcessisse.*

*Sententia negans.*

Contrarium docet Medina in præfatum articulum D. Thomæ, Suarez etiam in parte accedit, & solùm asserit meritum illud puræ creaturæ deficere à mensura, seu rotalitate condignitatis, quia non esset æquale, quæ est ratio D. Thomæ. Hæc sententia magis est secundùm principia Doctoris, licèt in reipsa nihil differat de præmissa quæstione in specie, quia vbique ad meritum de condigno nihil exigit præter statum personæ, & promissionem Dei, cum conditione operis; & docet principia contraria fundamento primæ sententiæ *in 3. dist. 20. §. Contra*: vbi negat vitam humanam Christi fuisse bonum infinitum, & idem negat de operibus. & *§. In ista quæstione*, & *responsione ad 2.* comparat infinitatem actus ex obiecto, & fine, ad infinitatem, quæ dicitur peccati: *& responsione ad 1.* docet si Christus secundùm portionem tantùm inferiorem meruerit, præmium collatum fuisse excedens meritum eius, nempe perfectione specificâ, quia spectat ad portionem superiorem: si autem meruerit secundùm portionem superiorem, meritum Christi excessisse. Deinde negat meritum debere esse æquale præmio, sed esse inferius, quantùm ad æqualitatem

*Affirmatiua.* Medina. Suarez.

*Magis conformis Doctori.*

rei

rei ibidem. Tenendo ergo hæc, Conclusio præmissa sequitur: & quoniam in terminis non datur à Doctore, non erit alienum à proposito illam probare.

22 *Probatio affirmativa.*

Probatur ergo, quia illa æqualitas inter rem præmij, & meriti, non requiritur ad meritum de condigno: duplicem enim statuunt præfati Doctores, primam inter merentem & præmiantem: *Non requiri æqualitatem proportionalem.* secundam inter rem præmij, & meriti. Aliqui dicunt non requiri vt sit formalis æqualitas, sed sufficere vt sit virtualis, ita vt meritum hoc modo sit æquale præmio; hinc gratia, quæ est semen gloriæ, dat operi bono, vt sit æquale gloriæ.

His suppositis probatur antecedens, quia datum fuit meritum de condigno in Angelis, quorum gratia non dependebat à Christo per ipsos, & quoscunque negantes Incarnationem fuisse primum determinatam independenter à præuisione peccati: sed inter ipsos & Deum præmiantem nulla fuit æqualitas personarum: idem patet etiam de merito iustorum: ergo prima æqualitas non requiritur. Et quamuis diceretur gratiam esse quãdam participationem Dei, per quam constitueretur illa æqualitas, certum est non posse esse participationem in substantia, neque per eam constitui æquale secundùm medium iustitiæ commutatiuæ, & proportionem Geometricam; aliàs non esset ratio cur negaretur, puram creaturam non posse de condigno satisfacere, mediante illâ gratiâ, pro peccatis, prout ipsi negant, & confugiunt ad inæqualitatem personarum satisfacientis creaturæ, & Dei offensi. Pater etiam instantia de Rege præmiante subditum, duce præmiante militem, & diuite præmiante pauperem mercenarium, in quibus seruatur proportio requisita iuris ad condignitatem, & debitum.

*Tollitur æqualitas personarum.*

*Æqualitatẽ non esse ex gratia sanctificante.*

*Exempla.*

23 *Secunda probatio. Præmium esse finem meriti.*

Secundò probatur, quia meritum ordinatur ad præmium, vt ad finem: omne autem ordinatum, vt ad finem perficientem, quale est præmium, est imperfectius ipso: hanc tangit Doctor loco citato. Confirmatur, omnis ordinatio secundùm rectam rationem, & prudentiam, est inferioris ad superius & perfectius, quod etiam in operibus Dei obseruatur: sic lex vetus ordinatur ad nouam: hæc verò ad gloriam, ex Dionysio *de Eccles. hierarchia, cap. 5.* sic virtutes omnes ad charitatem; sic prædestinati ad Christum, ex Paulo, Christus autem ad Deum, sic iustificatio à peccato ad hæreditatem: & patet in cæteris: recta namque ratio ordinat secundùm exigentiam rerum in seipsis, sed ex intentione recta tam præmiantis, quàm merentis ordinatè agentium, meritum ordinatur ad præmium, vt ad finem: ergo præmium est perfectius: aliàs nisi præmium excederet, non rectè commutaret merens suum meritum pro præmio, neque alliceret præmians merentem proposito præmio, nisi esset maius bonum in æstimatione.

*Ordinatio regulata est inferioris ad superius.*

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Dices fortè, præmiantem intendere meritum, propter quod commutat præmium, etiam prudenter. Contrà, non intendit meritum, nisi vt est medium acquirendi finis extrinseci, & principaliter intenti, quod excedit tam meritum, quàm præmium; aliàs certè imprudenter ageret.

Hinc Deus intendens per meritum Christi præmium nostrum, intendit per meritum nostrum, proposito præmio gloriæ, primariò manifestationem gloriæ suæ, iustitiæ, & bonitatis, qui est finis omnium operum Dei ad extrà, & illa excedens intendit etiam gloriam Christi principaliter tanquam finem iustificationis nostræ, vt docet *Trid. sess. 6. cap. 7.* sic Princeps soluens, & præmians militem, intendit salutem publicam, quæ præponderat præmio.

Deinde patet exemplo, quia gloria, quæ est præmium propositum, excedit meritum nostrum in via, quod est condignum respectu eius: ergo stat inæqualitas cum condignitate meriti. Patet antecedens, quia perfectiùs attingit finem, quæ autem remotiora sunt à fine, sunt imperfectiora. Præterea patet authoritate, *Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*, &c. *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis intrauit, quæ præparauit Deus diligentibus se*, &c. *Momentaneum tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operatur*, &c. & plura similia, in quibus superabundantia præmij supra meritum declaratur, atque perfectionis excessus in Scriptura.

24 *Gloria excedit meritum viæ.*

*Excessus præmij supra meritum.*

Et quamuis vtrumque consistat in actu, tamen præmium excedit in modo & substantia. Neque satisfacit responsio præmissa de æqualitate, quæ statuitur ex parte meriti, quâ procedit ex gratia sanctificante (de qua iam non differo, ne omnia vertamus in dubium, an scilicet ex natura rei sit talis, an ex ordinatione diuina: videantur dicenda infrà *d. 16.*) quia status peregrinationis nequit comparari in perfectione ad statum gloriæ, & comprehensionis, secundùm Scripturam & Patres.

*Status viæ imperfectior statu gloriæ.*

Quod probatur discurrendo Theologica ratione per singula, quia lumen gloriæ excedit fidem cui succedit, tentio spem: hæc duo, nempe fides & spes, excidunt in patria, ex Paulo 1. ad Corinth. 13. *Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*, &c. Euacuabitur ergo spes & fides, quæ imperfecta sunt, adueniente eo quod perfectum est, id est, gloriâ: *Videmus nunc per speculum in enigmate*, id est, per fidem, quæ obscura est; *tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*, &c. *Nunc manent fides, spes, charitas, tria hæc, maior autem horum est charitas*, &c. quæ manet in patria, secundùm Apostolum; *charitas nunquam excidit*, &c.

*Probatio ex mediis vtriusque.*

In his tribus consistit quantùm ad habitum iustitia viatoris, ex Trident. sess. 6. cap. 7. quas vocat *veram, & Christianam iustitiam, ac stolam primam (pro illa quam perdidit nobis Adam per peccatum, & inobedientiam) candidam, immaculatam, quam iubentur renati conseruare.*

*Iustitia viatoris.*

Vnde sic argumentor, licèt manet in patria charitas, est principium perfectioris actus, quàm sit in via, excidunt fides & spes tanquam imperfecta, succedentibus aliis perfectioribus; ergo comparando gloriam ad meritum in ratione actus, non est æqualitas, sed excessus, tam quoad principia operandi, quàm quoad ipsum opus: si autem addas gratiam sanctificantem ab his distinctam, quæ sit in essentia animæ, non est principium meriti, sed conditio & status personæ prærequisitus: & quidquid dicatur abstinendo ab vlteriori quæstione & controuersia, illa manet etiam in patria cum excessu præmisso, neque ipsi comperit constituere æqualitatem meriti ad gloriam, in quam non influit, sed potiùs æqualitatem in persona merente: aliàs sequeretur quòd omnia merita iustorum essent etiam æqualia, cùm perinde prærequirant hanc gratiam, quod nemo admittit:

25 *Argumẽtum ex præmissis.*

*Occupatur responsio.*

*Gratia non statuit æqualitatem inter merita.*

tit: ſi ergo inter merita, quæ conſiſtunt in opere in via, inter ſe nequit ſtatuere æqualitatem, minùs ſtatuit æqualitatem inter gloriam, quæ conſiſtit etiam in opere, & ipſum opus meriti: ex iiſdem enim principiis hinc inde ſumitur fundamentum inæqualitatis, quæ maior eſt inter merita & gloriam, quàm inter merita inter ſe collata.

26 *Tertia probatio. Ex pretenſa proportione iuſtitiæ.*

Tertiò idcirco requireretur ad meritum de condigno talis æqualitas ad præmium, vt ſeruaretur medium iuſtitiæ inter datum & acceptum: ſed non magis requiritur ad hoc æqualitas meriti ad præmium, quàm præmij ad meritum, vt ſeruetur mutua proportio ſecundùm æqualitatem: ſed poteſt præmium excedi à merito ſine offenſione iuſtitiæ: ergo & meritum excedi à præmio in perfectione. Pater ſubſumptum, quia meritum Chriſti Domini excedit præmium pro ipſo conſtitutum, in quo tamen ſeruatur debita proportio iuſtitiæ.

Illud quod dicunt de virtuali æqualitate meriti viatoris ad præmium, non videtur adeò fundatum: hæc enim virtualitas non conſiſtit in alio, quàm in eo quòd connotet dignitatem perſonæ merentis per gratiam ſanctificantem, de quo iam dictum eſt, vel certè quia meritum eſt cauſa præmij: ſed hoc etiam eſt ſatis debile fundamentum, quia præmij eſt cauſa tantùm moralis, vt includit promiſſionem, & pactum Dei, quod perinde conueniret in caſu propoſito merito puræ creaturæ.

27 *Obiectio. Soluitur.*

Obiicies primò, meritum Chriſti Domini excedere præmium ipſi deſtinatum, quod eſt iuſtificatio & gloria noſtra. Reſpondet Doctor meritum excedi à præmio, quando quis meretur ſibi, non autem quando alteri diſtincto à ſe. Secundi generis eſt meritum Chriſti, qui aliis, non ſibi meruit. Dices hoc videtur liberè dictum. Reſpondetur negando aſſumptum, quia illud vulgare, *Deus præmiat vltra condignum*, intelligitur de merito & præmio perſonali: diſparitas autem eſt ſumenda ex principio Doctoris iam præmiſſo: quando enim meritum eſt perſonale, ordinatur ad præmium, vt ad finem, ac proinde præmium eſt excedens, & fit proceſſus ab imperfecto ad perfectum in *eſſe*, & à minori bono, ordinando ipſum ad maius bonum: meritum autem Chriſti non ordinatur ad præmium perſonale, ſed eius præmium eſt gratia & gloria aliorum, ad quæ non ordinatur tanquam ad finem vltimatum, ſed tanquam ad finem ſub fine; opera enim Chriſti ſubordinata ſunt ad iuſtificationem noſtram ex occaſione peccati, & non primariò, & vltimatè, ſed ad gloriam Dei, & ipſius Chriſti, quæ ſunt finis noſtræ iuſtificationis, vt definit Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.*

*Præmiũ perſonale excedit meritum perſonale. Meritum excedit præmium datum alteri.*

*Ratio diſparitatis.*

*Qualis eſt relatio boni perfecti ad imperfectum.*

Hoc ergo modo bonum perfectum quandoque refertur ad minùs perfectum, non tanquam finis operis, ſed tanquam finis operantis: vnde quamuis omnis virtus, ſicut & tota lex refertur ad finem charitatis inducendæ, aut conſeruandæ; actus tamen charitatis refertur quandoque ad finem pœnitentiæ, vt quando ex motiuo charitatis concipitur, vt declarat Tridentinum *ſeſſ. 6. c. 6.* quæ relatio non eſt ex fine vltimato operis, ſed ex fine operantis proximo, & ſubordinato.

28 *Secunda obiectio. Soluitur.*

Obiicies ſecundò, inter meritum & præmium ſeruatur medium iuſtitiæ commutatiuæ, ſed hæc exigit æqualitatem in dato & accepto: ergo inter meritum & præmium. Reſpondetur, ſeruare medium ſecundùm proportionem, quæ in hoc conſiſtit, vt quantùm intenſiuè & extenſiuè creſcat meritum, tantum etiam augeatur, & debeatur præmium, non autem aliter, quia infimum ſupremi excedit ſummum infimi, vt gloria infantis in cœlo, meritum cuiuſcunque puri viatoris, iuxta illud Matthæi 11. *Inter natos mulierum, non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, qui autem minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo*, &c. Quam clauſulam intelligunt Auguſtinus *lib. 2. contra aduerſ. legis.* Hieronymus, & Beda in eundem locum de Beatis. Quidquid ſit de aliis interpretationibus, ſententia eſt vera. Dixi *puri viatoris*, quia meritum Chriſti (quantùm ad actus internos, in quibus primariò conſiſtebat, & ſecundùm portionem ſuperiorem, vt probabilius iudico, etiam ex mente Doctoris, quia ex perfectiſſima charitate, vt commendat Scriptura, præceſſit) exceſſit præmium cuiuſcunque alterius in gloria.

*Proportio iuſtitiæ inter meritum, & præmium.*

Auguſtinus. Hieron. Beda.

*Excipitur meritum Chriſti.*

Obiicies tertiò, meritum de congruo non diſtingui à merito de condigno, niſi ratione illius æqualitatis: ergo. Reſpondetur, negando antecedens, quia idem actus continuatus poteſt eſſe meritum de condigno, & meritum de congruo ob diuerſum ſtatum elicientis, vt quando attritio, ſeu contritio, infuſa gratiâ continuatur. Differentia autem ſumitur ex eo quòd meritum de congruo ſit diſpoſitio ad gratiam, vt fides & opera quæ antecedunt iuſtitiam: neque acceptetur ad præmium, ſicut meritum de condigno, quod propriè eſt meritum, & ſecundùm iuſtitiam, eo modo quo interuenit iuſtitia inter Deum, & creaturam. Contrà, contritio perfecta habet annexam promiſſionem Dei, eſtque actus bonus, & ſupernaturalis ſecundùm inclinationem charitatis: ergo differentia illa non rectè fundatur.

29 *Tertia obiect. Soluitur.*

*Differentia inter meritũ de condigno, & de cõgruo.*

*Replica.*

Reſpondetur, negando conſequentiam, quia fundatur in Paulo & Conciliis, quæ dicunt, nos iuſtificari gratis, & non ex meritis, vt docet Apoſtolus ad Romanos 4. *Iuſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu*, &c. quæ eſt definitio Dioſpolitani contra Pelagium *art. 12.* Mileuitani *can. 3. 6. & 8.* vnde Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 8. Gratis autem ideò iuſtificari dicimur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promerentur*, &c.

30 *Soluitur. Contritio da congruo iuſtificat quare.*

Dioſpolit. Mileuitan. Trident.

Promiſſio facta contritioni itaque in hoc differt à promiſſione, quâ acceptata ſunt opera iuſtorum, quòd hæc acceptatio ſit ex motiuo iuſtitiæ, & per modum meriti, quia vita æterna propoſita eſt iuſtis, & filiis, vt benè declarat Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 16. Atque ideò benè operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus* (loquitur de iuſtificatis) *proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, &c. Vita autem æterna non promittitur peccatoribus, & quamuis diſpoſitionem perfectam per contritionem infallibiliter conſequatur iuſtificatio; hæc tamen fit gratis *per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu*, & miſericorditer, & non per meritum propriè dictum, ſed congruum, quæ congruitas in Dei bonitate fundatur, quæ reſpicit verè contritum, & conuerſum à viis ſuis prauis, non in merito ipſius; litèt eadem Dei bonitas, & miſericordia reſpiciat gradum & menſuram ſuæ conuerſionis infundendo gratiam, vt docet Trident. *ſeſſ. 6. c. 7.* ſecũdùm propriam cuiuſque diſpoſitionẽ, &c.

*Promiſſio diſpar ex motiuo.*

Trident.

Ex

31 *Differentia assignata declaratur.*

Ex quibus patet differentia præmissa, tam inter promissiones factas, quàm inter ipsos actus, quia illa quæ annexa est merito, est ex medio, & motiuo iustitiæ,& pacto;quamuis admixta misericordia Dei:sed quæ annexa est contritioni,est ex mera misericordia: vnus actus se habet,vt dispositio,& non vt meritum;alter autē vt meritum de condigno,de quo loquimur.Et quamuis appellari possit dispositio ex Doctore *dist.precedenti q.*4.Est tamen dispositio ad gloriam;contritio autem peccatoris dispositio ad iustificationem, & remissionem peccati, quæ fit gratis, & quâ acquiritur capacitas merendi gloriam per gratiam sanctificantem, quæ facit de iniusto iustum, & de filio gehennæ, filium regni, cui facta est promissio hæreditatis.

*Meritū dispositio ad gloriam.*

*An possit dari meritū de congruo Incarnationis? De potentia absoluta posse dari.*

His suppositis, quantùm ad meritum de condigno; superest quid dicendum sit de merito de congruo, quantùm ad potentiam absolutam, & quantùm ad ordinariam,& id quod in facto contingit. Quoad primum,non est controuersia potuisse dari meritum de congruo respectu Incarnationis,quia in hoc deficit illa conditio præscripta æqualitatis, quam exigunt Doctores,quos impugnauimus in præcedenti dubio, necessariā esse ad meritum de condigno, non autem de congruo: nos autem affirmamus cum Doctore ad neutrum horum exigi:ex vtraque ergo sententia sequitur, non esse implicantiam huius meriti de congruo, quantùm ad potentiam absolutam.

32 *Quid de ordinaria? Varia sententia.* Caietan. Cabrera. Suarez.

Quantùm verò ad ordinariam,seu de facto,aliqui asserunt Sanctos Patres meruisse de congruo, non solùm circumstantiam, sed & substantiam Incarnationis:pro hac citatur Caietanus *3.p. q.2. art.*11. & quidam recentiores,inter quos Cabrera id asserit *dist.5.concl.5.* Suarez verò *disp.*10.*sect.6.* admittit meritum de congruo præcessisse in Patribus quoad executionem,nō tamen quoad prædestinationem, quia nempe hæc prædestinatio præcessit quoad substantiam, & circumstantias Incarnationis, meritum Sanctorum Patrum,executio subsequitur. Alij docent eos non meruisse substantiam Incarnationis,siue in intentione,siue in executione; benè tamen circumstantias quoad vtrumque ordinem. Hanc defendit Vasquez *disp.* 22. *cap.*4. Quarta sententia est nullam etiam circumstantiam quocumque modo, & ordine eos meruisse, ne quidem ipsam accelerationem eius. Lorca *disp.*22. *3.partis art.*11.

*Tertia sentētia.* Vasquez. *Quarta sententia.* Lorca.

33 *Conclusio.* Alensis. D. Thom. D. Bonau. Richard. Gabriel. Almainus. Doctores nostræ schole. Scotus.

Conclusio Doctoris est *meruisse solam accelerationem,*& hæc est frequentior opinio antiquorum Theologorum. Alensis *3.part.quæst.*8.*m.*3.D.Thomæ *in* 3. *dist.*4. D. Bonauenturæ *eadem dist. art.*2. Richardi *art.3.quæst.*1. Gabrielis *art.3.dubio* 3. Almaini *q.*1.*dub.*1. quibus accedunt nostri in *eadem dist.* Scotus *in.*2. *de Iustitia & Iure,q.*4.*art.*3. *con.*3. Patet primò, quia eadem est ratio de merito condigno & congruo, quantùm ad dependentiam ab Incarnatione, tanquam principio, quod vtrique supponitur: principium autem meriti non cadit sub merito, sicut neque causa à suo effectu dependere potest, siue remota sit, siue proxima: omnis autem gratia Sanctorum Patrum processit ab Incarnatione, & meritis Christi.

*Prima probatio.*

Augustin.

Secundò id supponunt verba Augustini citata, æquè enim excludunt vtrumque meritum cap.1.de dono perseuerantiæ: *Eâdem,*inquit,*gratiâ fit ab initio fidei homo quicumque Christianus, quâ gratiâ ab initio homo ille factus est Christus*, &c. Ante fidem non datur meritum de congruo,quia illud esset solius arbitrij sine fide,& gratia: fides autem, & vocatio antecedunt omnia merita. Deinde *de corrept.& gratia,cap.*11. negat meritum etiam impetratorium & congruum: *Vnde meruit,* inquit, *quod eius bonum qualecumque præcessit? quid egit antè? quid petiuit vt ad excellentiam ineffabilem perueniret,*&c.

Et quamuis Augustinus loquatur de merito elicito ab ipso Christo, perinde est, quia si excludatur meritum Christi, à fortiori aliorum; maximè ex ratione Augustini: quia nempe priùs assumpta fuit humanitas, quàm operata: sic etiam priùs fuit ordinata Incarnatio quoad intentionem, & executionem à Deo, vt esset principium omnis meriti, & boni operis, ac gratiæ in cæteris, quàm præuisum fuerit aliquod bonum in cæteris, quod esset meritum eius. Vnde idem Augustinus 13. *de Trinit. cap.*15.asserit Incarnationem fuisse summam gratiam inter reliqua opera Dei, quod non solùm intelligi debet, quantùm ad excellentiam & perfectionem, sed quantùm ad modum,quo ex mera Dei bonitate processit, & gratuitè absque omni merito ex parte nostra:quod plures rationes Sanctorum Patrum probant, quæ pro congruentia facti suo loco adducuntur. 34

*Incarnatio præcessit omne meritum præuisum in aliis.*

Augustin.

Sicut ergo vocatio ad fidem non supponit aliquod meritum,ac proinde dicitur gratuita respectu vocati ad fidem, radix & principia eius, sicut & ipsa fides cæterorum,quæ in iustificatione subsequūtur:ita similiter dici debet à fortiori quoad Incarnationem, cuius ordinatio in massa perditionis nihil potuit supponere boni præter solam naturam, quæ peccato fuit vniuersim vitiata.

*Argumētum à simili.*

Et si dicas quoad intentionē id verum esse,non quoad executionem.Contrà,Incarnatio vt determinatè ponenda in *esse*, & sic etiam vt determinata à Deo, fuit causa omnis gratiæ, & boni, in homine, & sic, & non aliter fuit causa vocationis & fidei: si ergo hæc non supponunt meritum ex parte nostri, aut bonum, & dependent ab Incarnatione in re determinatè ponendâ, supponunt in Deo nō solùm eius ordinationem,quoad intentionem, sed etiam quoad executionem: ergo quidquid ex his procedit, nempe à fide & vocatione, supponit Incarnationem ordinatam, & præuisam in executione.

*Responsio.* *Impugnatur.*

Confirmatur,omne meritum nostrum quod acceptat Deus de facto, siue sit condigni, siue congrui,est antecedēs, & independens à suo præmio tanquam causa anteriore, vt patet vniuersim ex Scriptura, in qua nullum inuenitur meritum à Deo præmiatum,nisi antecedens,nulla promissio facta operibus, nisi exhibitis,aut exhibendis, antequam ius aliquod acquiratur præmij, & antequam ipsum præmium detur. Patet in dispositione peccatoris ad gratiam, in meritis iustorum respectu præmij, sibi, vel aliis impetratoriè dandi, vel etiam de condigno, quoad proprium fructum,& perfectum:patet ex promissionibus absolutè factis in lege, & Euangelio,ex comminationibus, & etiam præceptis, quæ supponunt, vel exigunt exhibitionem operis, & non solam præuisionem: ergo cùm Incarnatio in acceptatione, & ordinatione diuina antecedat tanquam causa, & principium, quodcumque bonum opus nostrum,sequitur non dari meritum eius.Dices,vnde hæc cognoscatur cùm potuerit de potentia absoluta saltem cadere sub merito de congruo, & secundùm nos de condigno. 35

*Confirmatur. Meritū de lege ordinata antecedit præmium.*

*Documenta Scripturarū.*

*Obiectio.*

*Responſio.*

Reſpondetur, quòd ſicut non admittitur meritum de condigno eius de facto, ſic paritas rationis excludit quodcumque meritum eius de congruo, quod perinde à radice Incarnationis eſt, ſicut & meritum de condigno; & documenta Scripturarum ſequenda ſunt, quæ non admittunt meritum aliquod conſequens in Deo de facto, licèt foret poſſibile, vt aliàs in tractatu huius materiæ diſputaui.

*Potentia ordinaria Dei ex factis colligenda.*

Reiicienda eſt ergo ſententia aſſerentium incertum eſſe, neque poſſe dici aſſertiuè quid Deus de facto ordinauerit, quia nempe modus ordinarius agendi diuinæ voluntatis ſatis ex Scriptura liquet; neque alius modus ſupponendus eſt præter conſuetum, qui ex Scriptura patet: quia, vt dicit Auguſtinus, epiſtola 108. *Non omnia, quæ facta ſunt, ſcripta inueniuntur; verumtamen facta eſſe ex cæteris documentis probantur*, &c.

*Auguſtin.*

36 *Exemplū applicatur. Vnde colligitur non præceſſiſſe meritum.*

Loquitur de Baptiſmo Apoſtolorum, quo ipſi baptizati ſunt, qui licèt ſcriptus non inueniatur; tamen ex iis, quæ de Baptiſmi præcepto traduntur in Scriptura, colligitur factus. Eodem modo licèt non inueniatur reuelatum in ſpecie, quòd Deus non acceptârit meritum aliquod de congruo reſpectu Incarnationis; tamen ex documentis eorum, quæ de Incarnatione ipſa habentur ex Scriptura, colliguntur: quia *de plenitudine eius omnes accepimus*; eſt radix & principium noſtræ iuſtitiæ, fidei & vocationis, quæ euacuant omne meritum ex parte noſtra; & ex altero documento Scripturæ, quo reperimus omne meritum tam ſpirituale, quàm temporale eſſe independens à ſuo præmio. Occurrit, inquam, ex his duobus ſufficiens documentum, vnde colligamus accedente ſententiâ Magiſtrorum ſcholæ, quòd *principium meriti non cadit ſub merito*, vnde euacuemus omne meritum reſpectu Incarnationis.

37 *Peccatū præuiſum non puniri.*

Accedit etiam quòd Deus de facto nullum peccatum præuiſum noſtrū per anticipationem puniat, nullum opus bonum præmiet per anticipationem; ſed æqualis eſt ratio vtriuſque apud ipſum, qui ſingulis partitur prout gerunt in corpore ſuo, ſiue bonum, ſiue malum: doctrina enim falſa fuit Semipelagianorum, præuiſum motum liberi arbitrij præmiari, aut puniri à Deo. Vnde ab hac vniuerſali regula non eſt recedendum, niſi ratio aliqua ſuadeat exceptionem, quæ in propoſito nulla eſt.

*Error Semipelagianorū. Regula tenēda.*

*Obiectio. Soluitur.*

Quòd ſi vrgeas merita Chriſti præuiſa acceptata fuiſſe & profuiſſe Patribus. Reſpondetur, id verum eſſe, ſed ſingulare in Chriſto Domino, qui eſt caput vniuerſorum; imò confirmat propoſitam concluſionem Doctoris: quia licèt opera Chriſti præuiſa influxerint in prædeſtinatos, qui eum anteceſſerunt, gratiam, fidem, & remiſſionē peccati (aliàs non fuiſſet eis ſufficienter in Chriſto prouiſum) quæ neceſſaria erant ad ſalutem ipſorum: tamen ex operibus Chriſti præuiſis non receperunt præmium completum antequam fuerunt exhibita in reipſa; & licèt habuerint illam efficaciam quoad ſufficientia, & neceſſaria pro ſtatu viæ, & ſic fuerint acceptata quoad hæc præcisè, non tamen erant efficacia, quoad præmium completum, & vltimatum, antequam exhibitum fuit completum meritum in paſſione: ergo ſequitur Deum non acceptare meritum præuiſum puræ creaturæ, cùm non acceptarit meritum Chriſti, niſi tantùm quoad neceſſaria ad ſalutem prædeſtinatorum in via, quibus aliter per Chriſtum ſubſequentem, vel in ipſo non fuiſſet prouiſum.

*Opera præuiſa Chriſti acceptata. Confirmatio Doctorum.*

Hæ rationes probant contra Suarez, quòd nec Patres meruerint ſubſtantiam Incarnationis, etiam in executione. Neque refert dicere quòd nulla ſit repugnantia, quia licèt de potentia abſoluta id verum ſit, quoad ordinariam tamen, & regulas diuinæ ſapientiæ poſitas, non eſt verum: licèt enim præceſſerint opera bona in Patribus Incarnationem factam; ſubſecutæ tamen ſunt eandem in præuiſione quoad executionem, & dependentiam cauſalitatis, atque principij, quod tollit ordinem meriti, & præmij inter ipſa.

*In executione nullus meruit ſubſtantiam Incarnationis.*

Concluſio prædicta etiam probatur quoad incluſiuam, ſeu affirmatiuam, quâ dicuntur Patres meruiſſe accelerationem Incarnationis: quia Sancti Patres orauerunt pro acceleratione Incarnationis: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis*, Pſalm. 84. *Emitte Domine agnum dominatorem terræ de petra deſerti*, Iſaiæ 16. & plurima ſimilia. Sed hæc non ſolùm declarant deſideria Sanctorum, ſed etiam orationem, quæ non fuit temeraria, ſed ex inſtinctu Spiritus ſancti; ac proinde quod petebat, impetrari potuit ex opinione, & fiducia orantium Patrum: hinc Danielis 9. *Septuaginta hebdomade abbreuiatæ ſuper populum tuum, vt vngatur Sanctus Sanctorum*, &c. vbi acceleratio impetrata videtur: & Pſalm. 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus*, &c. quod, etſi de redemptione à captiuitate temporali intelligi poteſt, poteſt etiam de redemptione ſimpliciter intelligi, conſueto ſtylo Scripturæ, quæ plura myſteria vnicâ ſententiâ nonnunquam comprehendit.

38 *Accelerationē fuiſſe ſub merito Patrum.* *Orationes Patrum ex fide.* *Fuerit exaudita.*

Secundò, non ſequitur hinc aliquod inconueniens, vt neque illud, quod deductum eſt contra priorem ſententiam, quia Incarnatiò ſecundùm ſubſtantiam ſuam, eſt principium meriti, & gratiæ Sanctorum Patrum, & non ſecundùm hanc circumſtantiam; quod enim fieret hoc, aut illo tempore, nihil derogat, aut ſuperaddit eius valori: ergo hæc circumſtantia cadit ſub meritum, quod procedit ex ſubſtantia Incarnationis, ſine eo quòd principium meriti cadat ſub meritum. Dices Deum prædefiniuiſſe omnes circumſtantias Incarnationis, quando ipſam Incarnationem prædefiniuit ante præuiſa merita Sanctorum Patrum: ergo & hanc circumſtantiam prædefiniuit,

*Secunda probatio.* *Tollitur impedimentum, & repugnantia.* *Obiectio.*

Reſpondetur, negando antecedens, quia Incarnatio prædefinita fuit ante præuiſum peccatum ex noſtræ ſcholæ ſententia; præuiſo autem peccato, modus Incarnationis in carne paſſibili, & ad finem redemptionis eſt ordinatus: ſic ergo & hæ, & illæ circumſtantiæ (quidquid de priori dicatur quod exempli loco adducitur) extrinſecæ Incarnationi non neceſſariò præfinitæ ſunt ſimul cum ipſa; ac proinde potuerunt eſſe ex merito Sanctorum Patrum, impetratorio ſaltem, de quo agitur; nam de condigno non ita ſuppetit fundamentum: hoc enim exigit pactum, & legem, de quibus nō conſtat adeò ex Scriptura.

39 *Reſpondeo.*

Reſponderi poteſt ſecundò, licèt præceſſerit illa prædefinitio abſoluta, quantùm ad intentionem, nihil obſtare, quin in executione circumſtantia illa cadat ſub meritum, cuius ipſa nullo modo eſt principium: ſic electi prærdinati ſunt ad gloriam, quantùm eſt ex vi electionis efficacis,

*Secunda reſponſio. Etiam tempus præfinitū poteſt cadere ſub merito.*

efficacis, ante præuisa merita: hæc tamen in executione sunt causa eius: & secundùm Augustinum Deus facit, vt petamus quæ ipse facturus erat: non obstat ergo decretum intentionis executioni, quin hæc dependeat ab aliqua causa, à qua non dependet executio: per quod soluitur quodcumque inconueniens quod potest obiici, quia etsi intentio determinet rem quoad *esse*, executio tamen superaddere potest aliquam determinationem vlteriorem, quoad extrinseca, vt moralibus exemplis, & obuiis de facili potest demonstrari.

40 *Obiectio.* Dices, circumstantia temporis non cadit sub meritum, quando substantia operis non cadit sub meritum, sed substantia Incarnationis non cadit sub meritum: ergo neque circumstantia vlla eius. *Respondetur.* Respondetur negando maiorem, quia circumstantia temporis quandoque superaddit aliquam bonitatem præmio diuersam: vt si debitor anticipârit solutionem creditori ob aliquod eius speciale obsequium, ad quam anticipationem aliàs ex pacto, & lege non tenebatur. Ex quibus patet conclusio.

*Alia circumstãtia Incarnationis.* Disputatur etiam de aliis circumstantiis Incarnationis; potissimæ sunt descendentia secundùm carnem ex Patribus Abrahamo, Dauide, & aliis, quibus promissus est Christus: an illam meruerint. Item, de circumstantia Maternitatis; an eam meruerit Beata Virgo de congruo, vel condigno. Item, de circumstantia videndi, & annutiandi Christum in carne: in quibus variant Doctores: eas autem in suum locum remittimus, quia textus hæc explicare non exigit: licèt fortè per consecutionem excludat ad hæc meritum præcessisse, cùm solùm doceat sub dubio meritum accelerationis respectiuè ad Patres, etiam ad Virginem: loquitur tamen de Incarnatione quoad substantiam, & ea quæ proximè, & intrinsecè ipsam afficiunt in effectu; non autem de extrinsecis, quæ spectant ad causas eius.

41 *Quid de merito Beatæ Virginis.* Quidquid dicatur, textus non repugnat; si enim dicatur nullum præcessisse meritum: Respondeti potest speciatim ad illa loca, quæ pro merito Beatæ virginis afferuntur, quibus dicitur digna fuisse vt fieret mater Christi, intelligenda esse quantùm ad dignitatem excellentiæ, & perfectionis; ad quam partim ex meritis, partim ex priuilegiis collatis absque merito peruenit; non autem de merito rigorosè sumpto, quod supponit pactum, & acceptationem specialem, aut generalem respectu talis præmij; quia illud pactum præcessisse non constat, aut scientiam eius; quod ex modo Incarnationis, & Annuntiationis atque colloquio cum Angelo magis liquet, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco*, &c. *Cogitauit qualis esset illa salutatio*, &c. & quamuis in Prophetis legerit, quòd Virgo foret mater Christi: *Ecce Virgo concipiet & pariet filium*, &c.

Humilitas eius non permisit vt id in seipsa complendum fore præsumeret sine speciali reuelatione eius, quam non videtur habuisse ex prædictis Euangelij verbis: sine autem speciali scientia non potuit habuisse meritum explicitum respectu talis præmij, atque ad ipsam directum, cùm fuerit particulare, & non lege statutum.

Quòd si teneatur oppositum, explicandus est textus vt suprà præmissum est: & ad rationem iam adductam diceretur sufficere scientiam illam, quam habuit ex lege, & Prophetis, quæ promiserunt nascendum Messiam ex Virgine, cum prærogatiua bonorum operum, quæ fuerunt in Virgine, quamuis ea specialiter non direxerit in eum finem, vt in seipsa promissio compleretur; direxit tamen sua opera orando, vt promissio facta compleretur, quod sufficit ad meritum in ipsa saluandum, sicut saluatur in ea meritum respectu accelerationis eius, &c. *Pro altera parte.*

g *Ad vltimum dico, quòd si illud vulnus fuit inflictum*, &c. Quidam dixerunt, vt Petrus Ioannis, vulnus laterale Christi in vita ei fuisse inflictum, ac proinde verba Ioannis per recapitulationem dicta non seruare ordinem narrationis: definitum est in Concilio Viennensi Clementina *de Summa Trinitate, & fide Catholica*, Ioannem seruasse ordinem gestorum suâ narratione; ac proinde vulnus laterale post mortem inflictum fuisse. Hæc definitio contigit post mortem Doctoris: antea autem illa interpretatio falsa licèt, videtur fuisse tolerata, vel saltem non fuit in terminis ab Ecclesia damnata. Itaque illa particula, *si*, non dubitatiuè intelligitur, sed permissiuè, atque ad excusandum tractatum, qui ad hunc locum non spectat, quia Doctor infrà *dist. sequenti quæst. 3. respõsione ad vltimum*, supponit contrarium cum Innocentio; quod perinde hîc etiam insinuat in illis verbis, *vt narrat Euangelium*, supple, Ioannis: de quo infrà loco prædicto, *Et qui vidit, testimonium perhibuit veritati*, &c. supponit ergo ordinem seruasse narrationis. 42 *Error.* *Clementina definit cõtrarium.* *Explicatio Doctoris.* *Definit veritatem.*

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm baptizatus Baptismo Ioannis, necessariò tenebatur baptizari Baptismo Christi?*

Alens. 4. *p. q. 9. m. 7.* D. Thom. 3. *p. q. 38. art. 6. & q. 66. art. 9.* D. Bonau. *hîc art. 2. q. 3.* Rich. *art. 2. q. 4.* Durand. *q. 4.* Gabr. *q. 2.* Bellarm. *lib. 1. de Baptismo, cap. 20. & tribus seqq.* Abulens. *in c. 3. Matth. à q. 36.*

1 *Mag. D. E. F. Argum. 1.* Videtur quòd non, quia Magister *in litera cap. vltim.* dicit: Qui spem non posuerunt in Baptismo Ioannis, & Patrem & Filium & Spiritum sanctum credebant, non sunt postea rebaptizandi.

Item, in receptione Sacramentorum, quod datur non est iterandum: sed si aliquid omittatur, cautè est supplendum: *Extrà de clerico per saltum promoto, cap. vnico, & de Sacramentis non iterandis, cap. 1.* sed in Baptismo Ioannis dabatur ablutio exterior: ergo si defuit interior, illa fuit supplenda: sed non exterior iteranda.

*Ratio ad oſp.* Contrà, de conſecr. diſt. 4. Aliud; & accipitur ab Aug. ſuper Io. hom. 5. *Si quos baptizauit Ioannes, iterum ſunt baptizandi: planè iterũ, ſed non iterato Baptiſmo; quos enim Iudas baptizauit, & Chriſtus: quos baptizauit Ioannes, non*, &c. Item Aug. de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 5. *Chriſtus tali Baptiſmo mundat Eccleſiã, quo accepto, alterũ non erat neceſſariũ. Ioannes autẽ tali Baptiſmo pertingebat, quo accepto eſſet Baptiſmũ dominicum neceſſarium.*

## SCHOLIVM.

*Reſpondet affirmatiuè ex c.* Aliud, *de conſecr. d. 4. & Auguſt. citato: & ex illo Ioan.* 1. Ego baptizo in aqua. *Ratio eſt, quia Baptiſmus Ioannis non fuit Sacramentum, de quo dedit Chriſtus præceptum, de quo habetur Act.* 19. Trident. *ſeſſ. 7. c. 1. Vide* Nazianz. *oratione* 39. *in ſancta Lumina.* Chryſoſt. *hom.* 10. *& 11. in Matth.* Hieronym. *dialog. contra Lucifer. c. 3. & in c. 2. Ioël.* Ambroſ. *lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. Vide* Coccium 2. *Tom. lib. 5. art. 5. citantem pro hoc PP. Græcos & Latinos, contra hæreticos nouos & veteres, oppoſitum tenentes.*

2 Reſpondeo [a], poteſt intelligi dupliciter Ioannem baptizauiſſe. Vno modo, in forma Baptiſmi Chriſti, quam potuit ſcire à diſcipulis Chriſti, vel ab aliis audientibus hos baptizare: & tunc non diceretur propriè Baptiſmus Ioannis; ſicut nunc non dicitur Baptiſmus Petri, vel Pauli. Iſtum enim errorem reprehendit Apoſtolus 1. *ad Corinth.* Et ſi iſto modo baptizaret Ioannes, planum eſt, quòd talis non eſſet iterum baptizandus.

*Ioannes non baptizauit Baptiſmo Chriſti.* Alio modo [b] poteſt intelligi, Ioannem baptizaſſe non in forma Baptiſmi Chriſti, ſed vel in aliqua alia forma propria, ſcilicet in nomine venturi: vel abſque aliqua forma; & de ſic baptizato ſatis videtur manifeſtum, quòd erat baptizandus Baptiſmo Chriſti; tum, propter præceptũ eius generale obligans omnes, quod præceptum non impleuerat baptizatus à Ioãne (iſtud autem præceptum generale fuit rationabile: quia rationabile fuit omnes obligari ad hoc, quòd eſſent membra Eccleſiæ, & ad ſuſcipiendum ſignum illud commune omnibus ingredientibus Eccleſiam) tum, quia medicinâ præparatiuâ ſuſceptâ, cõgruum eſt recipere medicinam curatiuam: diſpoſitione etiam inductâ, congruum eſt adhuc induci formam principalem: ſed ille Baptiſmus Ioannis erat ſicut diſpoſitio merè præparatiua ad Baptiſmum Chriſti, vt per illam ablutionem faciliùs inclinarentur homines ad ſuſcipiendum ablutionem ſibi ſalutarem: nec eſſet moleſtum ipſis iam ad ſimile exercitatis. Et hanc rationem innuit Ioan. Baptiſta, Ioan. 1. *Baptizo vos aquâ* (ſupple tantùm) *medius autem veſtrùm ſtetit, quẽ vos neſcitis*: qui (ſupple) baptizat vos non in aqua tantùm, ſed in Spiritu, & veritate.

*Baptiſmus Ioannis medicina præparatiua, Chriſti curatiua.*

3 Si dicatur [c], quòd Magiſter loquitur de baptizatis à Ioanne primo modo, vtente, ſcilicet formâ Chriſti in baptizãdo; hoc non poteſt ſtare, quia infidelitas ſuſcipientis Baptiſmũ, non eſt cauſa ſufficiens, quòd oporteat

a *Reſpondeo poteſt intelligi dupliciter Ioannem baptizaſſe*, &c. Hîc agit Doctor de Baptiſmo Ioannis reſpectiuè ad titulum præfixum ex principali inſtituto; incidenter autem plura breuiter dicit, quæ ad quæſtiones diuerſas, & titulos reuocantur à Doctoribus. Quæſtio ergo eſt: *An baptizatus Baptiſmo Ioannis tenebatur ad Baptiſmum Chriſti?* Quod duobus modis intelligi poteſt, nempe ſi aliquis baptizatus fuerit à Ioanne in forma Baptiſmi Chriſti, id eſt, in nomine Trinitatis, quam formam diſcere potuit à diſcipulis Chriſti, eo caſu ille Baptiſmus ſic datus non eſſet Baptiſmus Ioannis (cuius neque promulgator, neque inſtitutor fuit) ſicut neque eſt Petri, vel Pauli, vel alterius miniſtri, 1. *ad Corinth.* 1. Hic autem caſus non eſt ad ſcopum quæſtionis; quia ille reciperet Baptiſmum Chriſti, qui non eſt iterabilis. 1 *Explicatio quæſtionis.*

Secundo modo intelligitur de Baptiſmo Ioannis, quo ipſe vtebatur, vel in forma propria, ſcilicet in nomine venturi: vel ſine vlla forma. Ad quæſtionem hoc modo intellectam, reſpondet affirmatiuè, propter præceptum generale, quod præceptum fuit rationabile, tum vt baptizatus fieret membrum Eccleſiæ; tum, quia recipiens medicinam præparatiuam, & diſpoſitiuam, congruum erat vt reciperet purgatiuam: Baptiſmus Ioannis fuit præparatiuus, & vt diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti. Origenes tomo 8. in Ioannem: *Vt præparem*, inquit, *veluti populum inſtructum, ego veni, & ad præparandum locum reſipiſcentiæ per Baptiſmum poſt me venturo*, &c. Athanaſius quæſt. 134. *Baptiſma Ioannis introductorium* appellat: Baſilius exhortatione ad Baptiſmum, *initiatorium*: Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 26. *præparatium*: & lib. 2. cap. 57. *introductorium*: ſicut & Damaſcen. lib. 4. fidei orthodoxæ, *rudimentum*, &c. Denique Cyprianus de Baptiſmo Chriſti, & manifeſtatione Trinitatis; *Præparabat viam Domino Ioannes lauando exterius corpora, vt præcederet exterius lauacrum, ſecuturum Baptiſma in quo conferretur animarum ablutio, & peccatorum remiſſio*, &c. Auguſtinus in Enchiridio cap. 49. *Non renaſcebantur qui Baptiſmate Ioannis baptizabantur*, &c. *ſed quodam præcurſorio illius miniſterio, qui dicebat: Parate viam Domini: huic vni, in quo ſolo renaſci poterant, parabantur*, &c. 2 *Senſus intentus quæſtionis.* *Concluſio affirmatiua.* Origenes. Athanaſ. Baſilius. Cyrill. Alexandrinus. Damaſc. Cyprian. Auguſtin.

Gregorius Magnus *hom.* 7. *in Euang.* idem docet, & alij; proinde rectè Doctor ſignificat vſum Baptiſmi Ioannis in hoc ſolo fuiſſe, vt diſponeret ad Baptiſmum Chriſti, tum exercitando per ablutio Gregor.

oporteat eum aliàs baptizari: dum tamen adsit intentio suscipiendi illud, quod confert Ecclesia. Et si ergo à Ioanne baptizatus non habuisset fidem Trinitatis: dum tamen intenderet recipere illum Baptismum, quem Ioannes intendebat dare (qui sic intelligendo, poterat esse verus Baptismus Christi) non erat iste postea baptizandus: cuius oppositum dicit Magister de postea baptizandis.

4 *Ad argum. 2. Reijcit Magistrum.*

Ad primum argumentum dico, quòd non tenetur Magister: nec argumentum quod sumitur ex Actibus 19. concludit. Verum enim est, quòd non habentes fidem fuerunt baptizandi Baptismo Christi: sed non sequitur, ergo habentes fidem non erant postea baptizandi. Iste modus arguendi non tenet, nisi in causis præcisis, quod non est in proposito. Infidelitas enim non erat causa præcisa rebaptizationis Baptismo Christi, immò magis, quia priùs non receperant gratiam Baptismi.

*Ad 1.*

Ad secundum argumentum dico, quòd maior est vera, quando aliquid Sacramenti Baptismi confertur, in Baptismo autem Ioannis nihil Sacramenti Baptismi conferebatur: ablutio enim exterior, sine determinatis verbis, & determinatâ intentione prolatis, omnino nihil est Sacramenti Baptismi, sicut nec quæcũque alia balneatio.

Et si obiicias, vbi ergo habet veritatem illa maxima, *Vbi omissum est aliquid, cautè supplendum est?* Respondeo, vel non potest habere locum in Sacramento verè vno, quia duobus concurrentibus ad istud Sacramentum, alterum sine altero nihil est Sacramenti: quia alterum sine altero nec significat gratiam, nec efficit, & tunc exponenda est illa maxima de diuersis Sacramentis ordinatis, cuiusmodi sunt ordinatio in Diaconum, Subdiaconum, & huiusmodi, & de talibus est ibi sermo. Vel si possibile est in aliquo Sacramento verè vno, vnam partem esse sine alia, puta in Eucharistia, (loquendo de speciebus panis, & vini,) ibi locum habet illud, *quod omissum est, est supplendum.*

Sed in proposito non, quia ablutio Ioannis nihil erat Sacramenti Baptismi: ideò non valet.

ablutionem aquæ externam, tum etiam prædicando fidem, & pœnitentiam peccatorum, appropinquante regno cœlorum, & gratiâ nouæ legis: subiicit mox sententiam Magistri, eámque impugnat. His positis quantùm ad summarium & diuisionem, difficultates & controuersias breuiter perstringam suo ordine, resumendo membra ipsius quæstionis iuxta consuetum stylum.

Hîc supponit Doctor opinionem veriorem circa institutionem Baptismi Christi ante passionem factam; quam & inferiùs docet: nempe discipulos Christi non fuisse vsos alio Baptismo, quàm instituto à Christo, cuius formam à discipulis potuit Ioannes discere. 3 *Suppositio.*

Cæterùm Ioannem non fuisse vsum Baptismo Christi, sed suo, supponunt omnes Patres; neque alioquin ministerium Ioannis, quo vt præcursor fungebatur, permittebat ipsi congruè vsum alterius Baptismatis sacramentalis instituti à Christo; sed seruato discrimine inter vtrumque, soli Christo, & eius discipulis proprium esse debebat: quamquam simul pro aliquo tempore concurrerent; vt patet Ioannis 3. & 4. Baptismus autem Ioannis vnum annum circiter, vel paulò ampliùs durauit, donec missus est in carcerem, & tunc extinctus est vsus Baptismi Ioannis, quod à solo eius ministerio pendebat: vt probat Augustinus *tract. 4. in Ioan.* Casus ergo propositus est speculatiuus, & non facti; & sic etiam differendi gratiâ à Doctore proponitur: non verò asserendo. *Ioannem non fuisse vsum Baptismo Christi.* *Concursus vtriusque.*

b *Alio modo potest intelligi*, &c. Hîc docet distingui Baptismum Christi à Baptismo Ioannis. Oppositum errorem docuit Petilianus, eundem scilicet fuisse Baptismum Christi & Ioannis, in quo distinguebat tres gradus: vnum, qui fuit in aqua, & hic fuit Ioannis; secundum, in spiritu, & hic fuit Christi; tertium in igne, & hic fuit Paracleti: vide Augustinum *lib. 2. contra literas Petiliani cap. 32. 34. & 37.* Idem docent hæretici huius temporis, nullum discrimen agnoscentes inter vtrumque Baptismum, nisi quòd Baptisma Ioannis fuerit efficax in virtute Christi exhibendi in Cruce, Baptisma Christi in virtute iam exhibiti. Vide Bellarminum *lib. 1. de Baptismo, cap. 19.* 4 *Distinctio vtriusque Baptismi.* *Error Petiliani.* Augustin. Bellarm.

Hæc hæresis damnata est ab omnibus Patribus. Vide citatos, & quos refert Scholiastes. Damnatur *sess. 7.* de Baptismo, à Tridentino: *Si quis dixerit Baptisma Ioannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit*, &c. *Error Nouatorum.* Trident.

*Ioannem baptizasse*, &c. Materiam Baptismi Ioannis fuisse aquam, & ablutionem, habemus *Matth. 3. Luca 3. Marci 1. Ioan. 1. & 3. Act. 1.* De forma non ita constat, ideo Doctor alterutrum supponit: primum autem, scilicet baptizasse in determinata forma, vt in *nomine venturi*, ita sentit Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacram. part. 6. cap. 6.* Magister *in hac dist. cap. vltimo*, quem sequitur communis opinio præter citandos: Alensis *4. part.* 5 *An fuerit vsus formæ.* *Sententia communis affirmat.* Hugo. Magist. Alensis.

D. Thom. Doctor. *quæst. 6. in 3. art. 1.* D. Thom. *3. part. quæst. 58. art. 6. ad 5.* & noster Doctor tanquam magis receptam eam-

Ambros. dem primo loco statuit; cui fauent multi Patres, Ambrosius *lib. 1. de Spiritu sancto, cap. 7. Ioannes quidem in aduentis Iesu, non in suo baptizabat nomine.*

Augustin. Augustinus lib. quæstionum noui Testamenti, quæst. 29. dicens *Baptismum Ioannis non fuisse sine mentione Christi.*

Hieron. Diuus Hieronymus in illa Ioëlis 2. *Effundam de Spiritu meo*, &c. Item Actorum 19. *Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ, dicens, in eum qui erat post ipsum vt crederent*, &c. vbi videtur hæc forma insinuari.

Oppositum huius etiam insinuat Doctor vt probabile; quem secutus est Durandus *in hæc dist. quæst. 3.* Gabriel *quæst. 2. art. 1.* Sotus *quæst. 2. art. 1.* & alij. Et patet congruentiis, quia locus ille Actorum habet commodam interpretationem ex superficie verborum; nempe ex eo quod Ioannes dum baptizaret, instruxerit etiam de fide ventu- *Negatiua probabilis.* Doctor. Gabriel. Durand. Sotus.

turi. Secundò, quia forma illa esset falsa, cùm Christus iam venerit; ac proinde non erat venturus, & idipsum scierit Ioannes. Tertiò, quia eadem etiam forma baptizando Christum proferretur falsò: Ioannes autè idem Baptismа Christo, & aliis ministrauit, quia Baptisma Ioannis non conferebat gratiam: ergo non dabatur sub aliqua forma verborum determinatâ, quia hæc tantùm datur in Sacramentis nouæ legis ad significandum effectum interiorem gratiæ. Ad fundamentum oppositæ sententiæ intelligendi sunt Patres; sicut & locus Actorum, ad quem alludunt, iam præmissus declaratur.

6 *Communis sententia præferenda.*

Præferenda tamen magis est prior sententia, cui magis fauent Patres, & citati Magistri scholæ; ac proinde negatur quod primò adducitur, quia interpretatio dictorum Patrum, & Doctorum sic intelligit, illo loco designari formam Baptismi Ioannis. Ad secundum, negatur antecedens, quia *venturi* intelligitur respectiuè ad manifestationē, & munus baptizandi, quia Ioannes disponebat baptizando ad Baptismum Christi, quod non fuit tum institutum, saltem ante Christum baptizatū. Ad tertium, patet per idem. Alij dicunt Ioannem non vsum fuisse illâ formâ baptizando Christum, quia per reuelationē eum cognouit; ita Paludanus: alij, vt Mayron, vsum esse aliâ formâ. Ad quartum, negatur consequentia, quia forma illa potuit habuisse effectum institutionis de Christo venturo, quē sola ablutio non sufficiēter indicaret. Vnde Augustinus, Ioannem ait fecisse mentionem Christi inter baptizandum. Potissima ergo ratio huius sententiæ, ex hoc eliditur, de falsitate scilicet formæ præscriptæ, quia prædicatio Ioannis erat de Christo venturo, & venturum designabat, *Qui post me venit*, Ioan. 3. quod intelligitur de aduentu secundùm manifestationem, vt dixi, non secundùm Incarnationem; aliàs prædicatio illa non esset vera: quod perinde de forma dicendum est, quia illa forma non vendicat maiorem, aut certiorem gradum veritatis, cùm non fuerit practica, quàm ipsa institutio, & prædicatio Ioannis de Christo venturo, quæ non fuisset falsa; & intelligitur modo iam explicato eius veritas.

*Satisfit fundamentis secundæ sententiæ.*

*Quòd forma non esset.*

7 *Sententia Magistri.*

c *Si dicatur quòd Magister intelligatur de baptizatis à Ioanne primo modo*, &c. Magister hac distinctione docuit alios baptizatos esse à Ioanne, qui ponebant spem in illo suo Baptismo, neque cognoscebant Spiritum sanctum: & hos docet necessariò baptizandos esse Baptismo Christi: alios verò non posuisse spem in prædicto Baptismo, & habuisse fidem, & cognitionem Trinitatis; ac proinde tertiæ personæ, & hos non fuisse baptizandos Baptismo Christi, sed recipiendos per manus impositionem.

*Sententia Magistri impugnatur.*

Assertio Magistri intellecta iuxta primum modum, quem adducit Doctor in litera, quasi aliquādo baptizaret Baptismo Christi, hoc etiam casu dato, est falsa, quia infidelitas suscipientis Baptismum non euacuat Sacramentum; ita vt iterari debeat, modò adsit intentio illud suscipiendi cum reliquis, deficiente solâ fide. Hunc autem casum non intendit Magister, qui loquitur de proprio Baptismo Ioannis, quem distinguit à Baptismo Christi: & solùm iuxta mentem, & errorem hæreticorum casus hic admittitur in praxi, quia non distinguunt inter Baptismum Christi, & Baptismum Ioannis.

Secundo modo intellecta sententia Magistri reiicitur ab omnibus, estque erronea, quia præceptum generale Baptismi Christi comprehendit baptizatos à Ioanne, sicut & cæteros; & à fortiori baptizatos à Ioanne magis, quàm circumcisos, quia Circumcisio conferebat gratiam, & delebat peccatum: non ita Baptismus Ioannis. Deinde propter characterem, & consignationem, & initiationem in lege noua requiritur Baptismus Christi, etiam respectu eorum, qui habuerunt fidem, & iustitiam. 8 *Notatur error. Præceptū generale. Baptismus Christi ob consignationem.*

Tertiò, quia Baptismus ille fuit præparatorius ad Baptismum Christi, cui subordinabatur tanquam dispositio, vel introductio, & exercitatio, vt constat ex Patribus & Scriptura *Matth.* 3. dicit Ioannes ad Pharisæos & Sadducæos à se baptizatos; *Ego baptizo vos in aqua*, &c. *qui autem post me venturus est*, &c. *ille vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni*, &c. Item, quia inter eos qui baptizati sunt ab Apostolis, *Act.* 2. & 4. præsumendum est fuisse aliquos baptizatos à Ioanne: quia *loco citato Matthæi*, dicitur tota Ierosolyma, in qua baptizarunt Apostoli, frequentasse Baptismum Ioannis. *Tertia ratio ex subordinatione.*

Et quidquid sit de hoc, doctrina de Baptismo, eiúsque necessitate proposita à Petro *Act.* 2. non excipit baptizatos à Ioanne: quæ doctrina vniuersalis fuit, respectu totius populi, in quo fuerunt baptizati à Ioanne: neque respondere licet fuisse etiam in populo baptizatos à Christo. Respondetur enim illis necessitatem Baptismi, eiúsque susceptionem non fuisse propositam, quia iam initiati sunt, & instructi, antequam ad Baptismum admissi sunt. Respectu ignorantium Baptismum loquitur ex subiecto argumento Petrus, & interrogantiū quid facere deberent. Conclusionem hanc tradit S. Augustinus *tract.* 5. *in Ioannem*; & habetur de consecr. dist. 4. cap. *Aliud est*, &c. *& lib.* 5. *contra Donatistas de baptismo.* Augustin.

Fundamentum Magistri nullum est, vt respondet Doctor in litera: quia infidelitas non est præcisa causa suscipiendi Baptismum: quamuis ergo infideles baptizandi sunt, non tamen soli: & iste modus argumentandi non concludit: verbi gratiâ, infidelis baptizandus est: ergo solùm infidelis est baptizandus: tenet tantùm in causis præcisis, in quibus sicut affirmatio est causa affirmationis, ita etiam negatio est causa negationis, propter mutuam adæquationem causæ, & effectus, vt est inter definitionem, & proprietatem subiecti; quæ adæquatio in hoc saluatur, vt vbicumque saluetur vnum, ibidem saluetur & alterum extremum: authoritates autem Hieronymi, & Ambrosij à Magistro adductæ designant tantùm infidelitatem esse sufficientem causam applicandi Baptismum, non solam, neque præcisam. *Et si obijcias*, inquit, *illam maximam, vbi omissum est aliquid, cantè supplendum esse*, &c. non intelligi de partibus essentialibus eiusdem, quia si deficiant, nihil fit; deficit enim fundamentum significationis sacramentalis, sed intelligendum esse in Sacramento Ordinis, vel Eucharistiæ, quod ex diuersis integratur, quorum quodlibet seorsim poni potest. Habetur illa maxima cap. vnico *de Clerico per saltum ordinato*, & *de Sacramentis non iterandis*, *cap.* 1. Qui voluerit, circa hanc materiam de Baptismo Ioannis legat Alensem citatum, & D. Thomam 3. *p. quæst.* 38. *& sequenti.* Hæc ex instituto præsenti sufficiant. 9 *Fundamentum Magistri soluitur.* *Causa præcisa se inferit.* *Quando aliquid supplendum in Sacramentis.* Alens. D. Thom.

DISTIN

# DISTINCTIO TERTIA.

## *De Baptismo.*

A POST hæc videndum est quid sit Baptismus, & quæ sit forma, & quando institutus, & causa institutionis. *Baptismus* dicitur intinctio, id est, ablutio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta. Si enim ablutio fiat sine verbo, non est ibi Sacramentum, sed accedente verbo ad elementum, fit Sacramentum: non vtique ipsum elementum fit Sacramentum, sed ablutio facta in elemento. Vnde Augustinus. [Verbo Baptisma consecratur: detrahe verbum, & quid est aqua, nisi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. Vnde est hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Nam & in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus intus manens.] In duobus ergo consistit Sacramentum Baptismi, scilicet in verbo, & elemento. Ergo, etsi alia desint, quæ ad decorem Sacramenti instituta sunt, non ideò minùs est verum Sacramentum & sanctum, si verbum sit ibi & elementum. Nam & in hoc Sacramento, & in aliis, quædam solent fieri ad decorem & honestatem Sacramenti, quædam ad substantiam, & causam Sacramenti pertinentia. De substantia huius Sacramenti sunt verbum & elementum, cætera ad solemnitatem eius pertinent.

*Tract. 80. in Ioan. Tomo 9. & ser. de Catachys. c. 3. Tomo 9.*

## *De forma Baptismi.*

B SED quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit Sacramentum? Veritas te docet, quæ huius Sacramenti formam tradens, ait discipulis; Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Inuocatio igitur Trinitatis verbum dicitur, quo Baptisma consecratur: & hæc est forma verborum, sub qua traditur Baptismus. Vnde Bonifacio Episcopo Zacharias Papa ait, [Firmissimè præceptum est in Synodo Anglorum, vt quicunque sine inuocatione Trinitatis mersus fuisset, quòd Sacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum est, quòd si mersus in fontem Baptismi quis fuerit sine inuocatione Trinitatis, perfectus Christianus non est, nisi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti fuerit baptizatus.] Legitur tamen in actibus Apostolorum, Apostolos baptizasse in nomine Christi, sed in hoc nomine, vt exponit Ambrosius, tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim cùm Christum dicis, & Pater, à quo vnctus est, & ipse qui vnctus est, & Spiritus sanctus, per quem vnctus est. Vnde Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum. A quodam Iudæo multos baptizatos asseritis, & quid inde agendum sit consulitis. Hi profectò si in nomine sanctæ Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt, vnum enim, idémque est, vt exponit Ambrosius, rebaptizari non debent.

*Matth. vlt. d.*

*De conse. dist. 4. c. in Synodo.*

*Act. 2. f. 8. c. 10. g. & 19. a.*

*Lib. 1. de Spir. sanct. c. 3. de cons. dist. 4. A quodam.*

*Cap. præallegatis.*

### *Si in nomine Patris tantùm, vel Spiritus sancti, possit tradi Baptismus.*

C HIC quæritur, An Baptismus esset verus, si diceretur in nomine Patris tantùm, vel Spiritus sancti tantùm: vt cùm dicitur in nomine Christi?

*Ambr.lib.1. de Spirit. sanct.c.9. Tom.2.*

Ambroſius videtur dicere,quòd ſi fide myſterium Trinitatis teneatur, & vna perſona tantùm nominetur, plenum eſſe Sacramentum : & è conuerſo,ſi tres nominentur, & non rectè de aliquo illorum ſentiatur, vacuum fieri myſterium Trinitatis. Ait enim ſic: [Vbi non eſt plenum Baptiſmi Sacramentum,nec principium, nec ſpecies aliqua Baptiſmi æſtimatur. Plenum autem eſt,ſi Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum fatearis. Si vnum neges, totum ſubrues. Et quemadmodum ſi vnum in ſermone comprehendas, vel Patrem,vel Filium, vel Spiritum ſanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum: ita, etiam licèt Patrem & Filium, & Spiritum ſanctum dicas, & aut Patris,aut Filij, aut

*Ibid. paulo poſt. Ioan. 1.c. Act.1.a.*

Spiritus ſancti minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium.] [Cùm enim dicitur nomine Chriſti,per virtutem nominis impletum eſt myſterium: nec à Chriſti Baptiſmate Spiritus ſeparauit, quia Chriſtus baptizauit in Spiritu.

## *Quæſtio Ambroſij.*

*D*

*Ambr.lib.1. de Spirit. ſanct.c.3, Solutio, Act.10.f.*

NVnc conſideremus, Vtrùm ſicut in Chriſti nomine legimus Baptiſmi plenum eſſe Sacramentum,ita etiam Spiritu ſancto tantùm nuncupato, nihil deſit ad myſterij plenitudinem ? Rationem ſequamur, qui vnum dixerit, Trinitatem ſignauit : ſi Chriſtum dicas,& Patrem,à quo vnctus eſt Filius, & ipſum qui vnctus eſt, ſcilicet Filium & Spiritum ſanctum, quo vnctus eſt, deſignaſti. Scriptum eſt enim hunc eſſe Ieſum à Nazareth, quem vnxit Deus

*Pſal.3.*

Spiritu ſancto. Et ſi Patrem dicas,Filium eius,& Spiritum oris eius pariter indicas,ſi tamen id etiam corde comprehendas. Et ſi Spiritum ſanctum dicas, & Deum Patrem à quo procedit, & Filium eius, cuius eſt Spiritus nuncupaſti.

*Act.1. a. Matth.3.c. Marci 1.b.*

Vnde vt rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit: Vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto, ex quo indicat nos rectè poſſe baptizari in Spiritu ſancto.]

## *Perſtringit præmiſſorum intelligentiam cum determinatione cuiuſdam dicti.*

*E*

EX his apertè intellexiſti, in nomine Chriſti verum Baptiſma tradi: vnde nihilominùs inſinuari videtur, verum Baptiſma dari poſſe in nomine Patris tantùm, vel Spiritus ſancti tantùm, ſi tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat,quæ Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis peruersè credens,& errorem inducere intendens, vnum de tri-

*Quid operæ-teat determinari.*

bus tantùm nuncupet, non complet myſterium. Quod verò ait : nominatis tribus vacuum eſſe myſterium, ſi baptizans minuat poteſtatem Patris, vel Filij,vel Spiritus ſancti, id eſt,ſi malè ſentiat de potentia alicuius horum,non credens vnam potentiam trium ; intelligendum eſt hoc ſuper eum, qui non intendit,nec credit baptizare:qui non tantùm caret fide, ſed etiam intentionem baptizandi non habet. Qui ergo baptizat in nomine Chriſti, baptizat in nomine Trinitatis,quæ ibi intelligitur. Tutius eſt tamen tres perſonas ibi nominare, vt dicatur in nomine Patris, & Filij,& Spiritus ſancti : non in nominibus,ſed in nomine,id eſt,inuocatione,vel in confeſſione Patris,& Filij.&

*Ambr.lib.1. de Spirit. ſanct.c.3.*

Spiritus ſancti. [Inuocatur enim ibi tota Trinitas,vt inuiſibiliter ibi operetur per ſe, ſicut extrà viſibiliter per miniſterium. Si autem dicatur in nominibus, non eſt ibi Sacramentum, quia non ſeruatur forma Baptiſmi.

De

## *De institutione Baptismi.*

F DE institutione Baptismi quando cœperit, variæ sunt æstimationes. Alij dicunt tunc esse institutum, cùm Nicodemo Christus ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Alij dicunt institutionem Baptismi factam, cùm Apostolis dixit, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Sed hoc dixit eis post resurrectionem, præcipiens eis de vocatione gentium, quos ante passionem binos miserat ad prædicandum in Iudæa, & ad baptizandum, dicens: In viam gentium ne abieritis. Iam ergo institutus erat Baptismus: quia baptizabant simul & prædicabant.

*Ioan. 3. a.* *Matth. vlt. d.* *Luc. 10. a. & b.* *Matth. 10. a. & b.*

## *De forma, in qua baptizauerunt Apostoli, ante passionem Christi.*

G SI verò quæritur, in qua forma tunc baptizauerunt Apostoli? Sanè dici potest in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma, in qua baptizauerunt postea gentes: quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licèt non sit scriptum. Non ergo tunc illam formam Christus tradidit, cùm ad euangelizandum gentibus misit: sed quam antè tradiderat, mittens eos in Iudæam, pòst iterauit, cùm ad gentes misit. Commodiùs ergo dicitur institutio facta, quando Christus à Ioanne baptizatus est in Iordane: quod dispensauit, non quia mundari voluit (cùm sine peccato fuerit) sed quia contactu mundæ carnis suæ vim regeneratiuam contulit aquis, vt qui postea immergeretur inuocato nomine Trinitatis, à peccatis purgaretur. Tunc ergo institutus est Baptismus Christi: in quo Trinitas, cuius mysterium ibi innotuit, interiùs hominem baptizat.

*Matth. vlt. d.* *Matth. 3. d. & 10. a.* *De cōs. d. 4. Nunquam aqua.* *Aug. ser. 2. dom. infrà oct. Epiph.*

## *Quare in aqua tantùm fiat?*

H CElebratur autem hoc Sacramentum tantùm in aqua, non in alio liquore, vt ait Christus, Nisi quis renatus, &c. [Ideóque vniformiter id fieri in aqua præcipitur, vt intelligatur, quòd sicut aqua sordes corporis, ac vestis, abluit: ita Baptismus maculas animæ, sordésque vitiorum emundando abstergit.] Vel ideò, vt nullum inopia excusaret, quod posset fieri, si in vino, vel oleo fieret: & vt communis materia baptizandi inueniretur apud omnes: quod aqua significauit, quæ de latere Christi manauit, sicut sanguis alterius Sacramenti signum fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari Baptismus, nisi in aqua.

*Ioan. 3. a.* *Ambr. c. 6. in illud Rom. 15.* Ita & nos in nouitate vitæ. *Ioan. 10. f.*

## *De immersione, quoties fieri debeat.*

I DE immersione verò, si quæratur quomodo fieri debeat, præcisè respondemus, Vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ. Vnde Gregorius. [De trina immersione Baptismi nil verius responderi potest, quàm quod vosipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diuersa. Quia enim in tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismo ter, vel semel immergere: quia & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Nos verò qui tertiò immergimus, etiam triduanæ sepulturæ Sacramentum signamus.] Secundùm hoc, licèt non modò ter, sed etiam

*Epist. 41. lib. 1. Regist. & habetur de cons. dist. 4.* De trina immersione.

etiam ſemel tantùm immergere. Ibi tamen dumtaxat immergere ſemel licet, vbi conſuetudo Eccleſiæ talis exiſtit. Si quis verò id facere incipiat, vbi conſuetudo talis non eſt, vt ſemel tantùm mergendum aſſerat, reprehenſibilem ſe conſtituit. Vnde Haymo [In ſuo ſenſu abundabat Cyprianus, cùm ſemel mergebat in Baptiſmo paruulos: qui quod intelligebat, ſtudiosè implebat bonis operibus abundando, licèt in hoc neſcius delinqueret: ſed quia bonis operibus abundabat, poſtea correptus à Deo abundauit altiori ſenſu, ter illos mergendo.] Ecce habemus, quia deliquit qui ſemel merſit. Sed hoc ideò, quia aliter ſe habebat conſuetudo illius Eccleſiæ, vel quia vnam tantùm faciẽdã merſionem aſſerebat. De trina merſione Auguſtinus ait. [Poſtquã nos credere promiſimus, tertiò capita noſtra in ſacro fonte demerſimus: qui ordo baptizandi duplici myſterij ſignificatione celebratur. Rectè enim tertiò immerſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Trinitatis. Rectè tertiò immerſi: quia accepiſtis Baptiſmum in nomine Chriſti, qui die tertiâ reſurrexit à mortuis. Illa enim tertio repetita immerſio, typum dominicæ exprimit ſepulturæ.] Conſtat ergo baptizandos tertiò debere immergi, & tamen ſi ſemel tantùm immergantur, verum Baptiſma accipiunt. Et qui ſemel immergit tantùm, non peccat, niſi conſuetudo Eccleſiæ obſiſtat, vel hoc modo tantùm debere fieri aſſerat.

*In illud Rom. 14. Vnuſquiſque in ſenſu ſuo abundat.*

*Habetur de conſ. diſt. 4. c. Poſtquã.*

*Rom. 6. a.*

## *Quando Circumciſio amiſit vim ſuam?*

KOlet etiam quæri, Si Circumciſio amiſit ſtatim vim ſuam ab inſtitutione Baptiſmi? Ad quod dicimus, in Chriſti morte terminata eſſe legalia omnia. Ex tunc ergo Circumciſio perdidit vim ſuam, ita quòd poſtea non profecerit, ſed potiùs obfuerit obſeruatoribus ſuis. Sed vſque ad oblationem veræ hoſtiæ potuit prodeſſe. Si enim ante paſſionem legalia finem habuiſſent, non, eâ imminente, vetus paſcha cum diſcipulis manducaſſet.

*Ioan. 29. f. Conſummatũ eſt. Matth. 26. b. Luc. 22. a. Marci 14. b. Ioan. 13. b.*

## *De cauſa inſtitutionis.*

LCAuſa verò inſtitutionis Baptiſmi, eſt innouatio mentis, vt homo qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam Baptiſmi renouetur, quod fit depoſitione vitiorum, & collatione virtutum. Sic enim fit quiſque nouus homo, cùm abolitis peccatis, ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem. Appoſitio virtutum affert decorem, & hæc eſt res huius Sacramenti, ſcilicet interior munditia.

## *Quæritur an Baptiſmus aperuit cœlum, quod non aperuit Circumciſio?*

MSI quæritur, Vtrùm Baptiſmus aperuit cœlum, quod non aperuit Circumciſio? dicimus, quia nec Baptiſmus, nec Circumciſio regni nobis aditum aperuit, ſed in hoſtia Saluatoris: quæ ſi tempore Circumciſionis oblata fuiſſet, illius temporis homines regnum intraſſent. Res ergo huius Sacramenti iuſtificatio eſt.

SVPRA Magister [a] egit de quodam præambulo ad Baptismum Christi: hîc agit de Sacramento Baptismi. Et diuiditur in duas, in procœmium, & tractatum, qui incipit ibi, *Baptismus dicitur*. Prima diuiditur in partem principalem, & incidentalem, quæ incidentalis incipit capite 4. Principalis diuiditur in tres partes. Primò agit de partibus intrinsecè pertinentibus ad Baptismum. Secundò de suscipiente Baptismum 4. *dist.* Tertiò de ministro *dist.* 5. *Post hoc sciendum*. Prima, quæ pertinet ad præsentem lectionem diuiditur in tres: Primò, agit de quiditate Baptismi, siue quid sit Baptismus. Secundò, de forma eius, ibi, *Sed quid est illud verbum*. Tertiò, de institutione eius, ibi: *De institutione*. Et in illa tertia parte interserit de materia Baptismi, ibi: *Celebratur autem, &c.*

a SVPRA *Magister egit*, &c. Hîc exponit Doctor ordinem. Postquam enim tractauit de Sacramẽtis nouæ legis in genere, subiecit etiam tractatum de Baptismo Ioannis, tanquam præambulo ad tractatum de Baptismo Christi, quem explicat in hac distinctione. Eius argumentum comprehendit Doctor quatuor quæstionibus, hoc ordine: primò explicat *quid rei* per definitionem, quæ supponitur in qualibet scientia. Secundò explicat partes Sacramenti Baptismi: in secunda quæstione formam, quæ est magis principalis in composito: in tertia verò quæstione, agit de materia: in quarta verò, de institutione eius per ordinem ad causam efficientem, & de promulgatione, & concurrentia eius cum Circumcisione.

*Ordo distinctionis.*

*Eius diuisio.*

Circa istam distinctionem tertiam, quærendum est de quatuor. Primò, de Baptismi definitione, an illa propria sit eius, quàm ponit Magister: *Baptismus est tinctio, id est, ablutio corporis exterior facta sub forma verborum præscripta?* Secundò, de forma Baptismi: an hæc sit præcisa forma eius: *Baptizo te in nomine Patris, & Filj, & Spiritus sancti. Amen*? Tertiò, de materia, an sola aqua naturalis pura, sit materia conueniens Baptismo? Quartò, de institutione, vtrùm institutio Baptismi euacuet Circumcisionem.

---

## QVÆSTIO I.

### *An illa definitio Baptismi sit propria, quam ponit Magister, scilicet:* Baptismus est tinctio corporis exterior, facta sub forma verborum præscripta?

Hugo Vict. *lib. 2. de Sacram. p. 6. cap. 2.* Alens. *4. p. q. 11. m. 2. &* 3. D. Thom. *3. p. q. 66. art. 1.* (*vbi* Suar. & Vasq.) *& hic q. 1. art. 1.* D. Bon. *4. d. 1. q. 1. &* 2. Ric. *4. d. 1. q. 3.*

1 *Mag. A. Argum. 1.*

AD primum arguitur [b], quòd non, quia pars non prædicatur de suo toto: ablutio est pars Sacramenti Baptismi, quia secundùm Augustinum quæst. 1. Detrahe: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

Sacramentum ergo sicut non est verba, ita nec ablutio ipsa.

Contrà, Magister in distinctione ista.

*Declarat* quid nominis *in Baptismo.*

In solutione huius quæstionis potest procedi sicut suprà *distinctione prima q. 2.* de definitione Sacramenti. Supponendo enim ex vsu loquentium, significatum nominis *Baptismi*, scilicet, quòd *Baptismus* significat quoddam speciale Sacramentum, vt si *Baptismus* significet ablutionem, sicut apud Iudæos erant Baptismata corporum, & vasorũ, id est, ablutiones: tunc hoc quod erit *Sacramentum Baptismi*, (intelligendo ibi constructionem intransitiuam) significat Sacramentum speciale, & hoc tam specificando significationem, & effectum significatum, puta purificationem animæ à peccato

b *Ad primum arguitur*, &c. Adductâ ratione dubitandi, supponit *quid nominis*, tam quoad formale Baptismi, quod est significatio practica, quàm quoad materiale, quod est fundamentum talis significationis, iuxta aliàs præmissa *dist. 1. quæst. 2.* Ex hoc supposito deducit, quâ ratione potest definitio conuenire Baptismo, iuxta principia in eadem quæstione posita circa definitionem Sacramenti, de quibus ibi sufficienter egimus. 1

*Varia appellationes huius Sacramenti.*

Patres autem varias tradunt appellationes huius Sacramenti, vt Nazianzenus *orat. in sanctum Baptisma, quæ est* 40. Clemens Alexandrinus *lib. 1. Pædagog. cap. 6.* Basilius *homil. 13. quæ est exhortatio ad Baptismum.* Chrysostomus *homil. ad baptizandos, tom. 5.* Damascenus *lib. 4. fidei Orthodoxæ, cap. 10.* Neque secus in Scriptura variis appellationibus dicitur, *ad Romanos 6.* Baptismus, sepultura, crucifixio: *ad Coloss. 2.* Circumcisio: *ad Titum 3.* Lauacrum, seu ablutio, & balneum, λοῦτρον: *ad Hebræos 6. & 10.* illuminatio.

Nazianzen. Clemens Alexand. Basilius. Chrysost. Damasc.

*Sepultura, crucifixio. Circumcisio, lauacrum, illuminatio.*

Hæ autem appellationes præter Baptismi, & lauacri, seu ablutionis, desumuntur ab effectu, seu à significatione mystica; vocabulum autem *Baptismi* est commune, & in vsu omnibus, vt *Ioan. 3. & 4. Matthæi vltimo, Act. 2. & per totum*; éstque ex vsu Patrum Latinorum, & omnium Conciliorum, & Scholasticorum: & desumitur ab intrinseco

*Appellatio vulgaris, & propria.*

peccato originali: quàm ſpecificando fundamentum talis ſignificationis & relationis.

*Baptiſmum habere conditiones rei definibilis, iuxta dicta d. 1. q. 2. n. 2. & 3.*

Ex hoc, inquam, ſuppoſito, apparet qualiter Baptiſmus poteſt habere definitionem, cùm enim definibile oporteat eſſe ens poſitiuum, per ſe vnum, & reale, & commune, vt habetur ſuprà, Baptiſmus non eſt purè non ens, ſicut impoſſibile. Et probatur eo modo, quo ſuprà de Sacramento, quia ratio eius non eſt in ſe falſa; nulla enim eſt repugnantia, quodcunque ſenſibile, vel quæcunque ſenſibilia inſtitui à Deo ad ſignificandum efficaciter ablutionem animæ à peccato. Neque etiam eſt purum non ens, ſicut negatio, vel priuatio, patet. Eſt etiam per ſe vnum, quantùm ad illud quod principaliter ſignificat, quod eſt talis relatio ſigni ad tale ſignificatum.

ſeco Sacramenti, atque ab eo quod continet in recto, ſiue vt totum fundamentum ſignificationis ſacramentalis, iuxta opinionem quorundam, vel certè, vt pars fundamenti iuxta aliam, ac proinde magis propriè exprimit myſterium, quàm cætera, quæ ſunt appellatiua ab effectu hoc, vel illo particulari; vel certè à ſignificatione myſtica, & ſimilitudine proportionis, vt quando dicitur ſepultura, vel crucifixio, &c.

Nec huic obſtat, quòd connotat correlatiuum ſuum, & fundamentum, quia ſic relatio quæcunque connotat; nec quòd in fundamento ſunt multa connotata, quia, vt dictum eſt ſuprà, vna relatio rationis poteſt fundari in quantumcunque diſtinctis in re.

*Sola ſubſtãtia definitur primò.*

Talis tamen connotatio benè prohibet habere definitionem primò: nihil enim habet definitionem primò, niſi ſubſtantia, quæ non definitur per aliquod additum; neque ſicut correlatiuum additur in definitione correlatiui; nec ſicut ſubiectum in definitione accidentis, talia enim habent definitionem, ſed non primò. patet 7. Meta. §. *Illud autem palam.*

*Text. 18.*

Sola ergo tertia conditio, ſcilicet quòd oportet definibile eſſe ens reale, excludit à Sacramento Baptiſmi, quòd non habeat omnino perfectam definitionem; habet tamen eo modo, quo ſecundæ intentiones, vel quæcunque relationes rationis definiuntur, quod ſufficit quantùm ad intellectum habentem ſcientiam per definitionem. Eodem enim modo eſt definitio, ſicut illa cui correſpondet quiditas in re.

## SCHOLIVM.

*Poſt declaratum* quid nominis, *&* rei *in Baptiſmo, ponit duplicem opinionem: vna ait ablutionem, & verba eſſe fundamentum relationis Baptiſmi, & ſecundùm hanc falſa erit definitio Magiſtri, ob primum argumentum. Altera ponit ſolam ablutionem, ſed circumſtantionatam verbis, vt fundamentum: & ſecundùm hanc, teneri poteſt definitio Magiſtri. Prima magis placet: parua vis eſt vtrat teneatur.*

2. Secundò principaliter [c] eſt videndum, an hæc ſit eius definitio, quam ponit Magiſter. Vbi notandũ eſt, quòd duobus modis poteſt de fundamento relationis poni, quã importat Baptiſmus. Vno modo, quòd illa fundetur in toto iſto, ſcilicet ablutione ſimul, & verbis, tanquam in vno fundamento: & hoc eſt benè poſſibile, non obſtante vnitate eius, cùm ſit relatio rationis. Alio modo, quòd eius fundamentum ſit ſola ablutio, ſola, inquam, id eſt, nihil aliud fundet, neque vt totum fundamentum, neque vt pars fundamenti: ſed non ſola, id eſt, ipſa ſine quibuſcunque aliis: immò oportet eam habere multa alia concomitantia, ad hoc vt fundet, ſcilicet & quòd ſit à tali miniſtro, ſic intendente: nec iſtud eſt inconueniens, quòd reſpectus tales præcedant in fundamento relationem rationis, tanquam præſuppoſiti illi relationi rationis. Et ſic in iſta ablutione præcedit habitudo ad verba concomitantia, & ad perſonam ſuſcipientem aliqualiter conſentientem: & ſic in omnibus relationibus talibus præcedẽtibus in

c *Secundò principaliter eſt videndum*, &c. Definitio Baptiſmi tradita à Magiſtro, eſt, quòd ſit *interiectio, id eſt, ablutio corporis exterior facta ſub forma verborum præſcripta*, &c. Aliam aſſignat Hugo lib. 2. de Sacramentis part. 6. cap. 12. *Baptiſmus eſt aqua diluendis criminibus ſanctificata per verbum Dei*, &c. Hæc definitio reipſa coincidit cum priori, quia vltima verba denotant ablutionem, & vt ſic applicata, idonea eſt abluendis criminibus. Aliam ipſe Doctor aſſignat infrà, quæ eſt magis explicita, & denotans quidquid per ſe exigitur ad conſtituendum intrinſecè Baptiſmum, & reſpectiuè ad intrinſeca concurrentia, quæ talis eſt: *Baptiſmus eſt ablutio hominis aliqualiter conſentientis, facta ab alio, in aqua, ſimul verba certa cum debita intentione, proferente, ſignificans efficaciter, ex inſtitutione diuina, ablutionem animæ à peccato*, &c. Aliam adiungit: *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis animæ à peccato, conſiſtens in ablutione hominis aliqualiter conſentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis ſimul ab eodem abluente, cum debita intentione, prolatis.*

2 *Definitio Baptiſmi, Magiſtri, Hugo.*

*Definitio quã Doctor aſſignat.*

*Altera definitio.*

Hæc differt à priori, quòd illa ſit Sacramenti, vt eſt ſignum, & in genere relatiui, & datur per extrema, nempe fundamentum, quod eſt *ablutio* (iuxta opinionem: quam primo loco explicat Doctor, vt probabilem) cum conditionibus fundandi, & per terminum, qui eſt *ablutio animæ à peccato*. Conditiones autem fundandi ſunt, vt ſit *aliqualiter conſentientis*,

3 *Explicatio primæ definitionis.*

in fundamento sic relato per ipsas, posset poni, relationem significationis illius, quam importat Baptismus, fundari.

Si primum istorum poneretur, tunc cùm in definitione accidentis in concreto, ponatur totum suum subiectum, & non pars præcisè, sicut nec ipsum in concreto prædicatur de parte sui subiecti, sed de toto: non esset Baptismus, siue Sacramentum Baptismi, ablutio: sed ablutio, & verba simul. Sicut è conuerso, ablutio non esset Baptismus: quia ablutio sola non est subiectum, vel fundamentum huius relationis, sed ambo simul, scilicet ablutio, & verba: ergo nec alterum eorum denominatur per se ab alio.

Si autem secundum poneretur, tunc sicut de ablutione denominatiuè prædicaretur definitio Baptismi (licèt illa ablutio intelligatur circumstantionata multis relationibus talibus, ad hoc vt sibi conueniat illa relatio) sic & è conuerso in definitione huius relationis in concreto acceptæ, posset poni *ablutio* solummodò in recto, & omnia alia in obliquo, cum quibusdam determinationibus significantibus illa determinare, siue circumstantiare ipsam ablutionem.

3 Istorum duorum primum videretur verius: quia verba non videntur esse simpliciter necessaria, nisi essent signum, vel pars signi: si tamen diceretur, quòd essent quædam determinatio ipsius ablutionis, quæ est signum, & sufficit illud ponere signum, magis quàm duo, quando in vno potest inueniri ratio sufficiens significandi: ablutio autem exterior satis potest poni significare ablutionem interiorem. Hoc ponendo, posset poni talis ratio Baptismi: quòd *Baptismus est ablutio hominis aliqualiter consentientis, facta ab alio in aqua, simul verba certa cum intentione debita proferente, significans efficaciter ex institutione diuina ablutionem animæ à peccato.*

*Definitio Baptismi.*

Quòd si teneatur alia via, scilicet, quòd verba sunt pars fundamenti, tunc posset poni alia ratio Baptismi: quòd *Baptismus est Sacramentum ablutionis animæ à peccato, consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis, facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis.*

*Alia definitio.*

4 Qualiter autem particulæ positæ in vtraque ratione sunt necessariæ ad rationem Baptismi, benè patebit specialiùs de singulis, in quæstionibus sequentibus.

Nec est differentia inter istas rationes, quin eadem secundùm vtramque sint ne-

*consentientis*, quod intelligitur de adulto: quamuis etiam possit extendi ad eos, qui in seipsis nequeunt habere consensum, vt infantes, habent tamen in alio, nempe in Ecclesia, quæ pro ipsis spondet, ex Augustino variis in locis. Item, requiritur vt sit *ab alio habente debitam intentionem, & proferente simul* verba formæ, vt infrà declarabitur. Secunda autem definitio in duobus differt; nempe quòd detur per genus proximum, quod est *Sacramentum*, & designet totale fundamentum non esse solam ablutionem, sed simul accedere verba, ex quibus consurgit integrum fundamentum. Prior autem statuit integrum fundamentum relationis sacramentalis, seu significationis in sola ablutione; cui accedunt verba per modum conditionis specificantis, & determinantis ad fundandam significationem sacramentalem.

*Secunda definitio.*

*Diuersitas vtriusque definitionis.*

Hæc varietas oritur ex diuersitate modi sentiendi circa illud, quod *Sacramentum* importat in recto, tanquam fundamentum significationis practicæ. Alij dicunt solam ablutionem, seu materiam, esse essentialiter Sacramentum, non autem formam; sed esse requisitam tantùm, quamuis nihil efficiat, aut significet practicè. Alij dicunt vtrumque spectare ad essentiam Sacramenti in recto, & simul instituta esse ad causandam gratiam, per modum vnius totalis signi sacramentalis. Prima definitio est secundùm priorem sententiam: secunda verò secundùm posteriorem. Primam tenet Magister, secundam D. Bonauentura *dist. 3. art. 2. quæst. 1.* vbi verba significare principaliùs gratiam docet. Vtraque est probabilis ex Doctore, sed secunda magis probabilis, quia alioquin non viderentur exigi verba, nisi spectarent ad signum sacramentale. Hæc ratio declaratur, quia ablutio exterior habet de se sufficientem proportionem similitudinis ad ablutionem interiorē, vt eam significet quantùm ad naturam ipsius actus: sicut circumcisio in carne ad significandum circumcisionem cordis, quam sine verbis adiunctis, accedente sola institutione diuina, significauit.

4 *Fundamentū diuersitatis.*

*Varia sententia de subiecto significationis.*

Magist.

D. Bonau.

*Sententia secunda, & magis probabilis probatur.*

Non minor est proportio ablutionis ad internam: ergo verba adiuncta non specificant, neque determinant ablutionem ad aliquam maiorē proportionem, & specificam huius institutionis, quia solùm denotant ipsam actionem in fieri, *Ego te baptizo*, &c. Quæ ablutio seipsâ perinde sensibiliter manifestatur ex natura, & apparentia ipsius actus, qui tactu, & visu comprehendi potest. Inuocatio autem Sanctissimæ Trinitatis non continet determinationem, quæ accedat ablutioni per modum specificantis; sed denotat authoritatem, & potestatem eius, in quo fit interna ablutio, ac proinde magis institutionem diuinā, & efficaciam ablutionis externæ ex ipsa redundantem, non aliquam specificationem ablutionis in se: ergo sequitur hanc formam non esse conditionem specificantem solùm; sed partem essentialem, & fundamentum significationis practicæ.

5 *Verba nō accedere, vt circumstantia ablutionis.*

Patet consequentia, quia intentio ministri, & consensus baptizandi, sufficienter determinarent illum actum ablutionis, ad significationem sacramentalem, seclusâ formâ, si essentialiter consisteret Sacramentum in sola ablutione, quia intentio ministri est conditio vltimò specificans tam formam, quàm materiam Sacramenti, ad hunc sensum practicum, sine qua nihil omnino fieret, quibuscumque aliàs positis: ergo

*Ablutio sufficienter per alia specificatur.*

ceſſaria ad Baptiſmum: ſed vna ponit in definitione eius ſolam ablutionem in recto, alia ponit & ablutionem, & verba ex æquo ad eius rationem pertinere, quæ differentia conſurgit ex diuerſo opinandi modo de fundamento huius relationis, an ſit ſola ablutio circumſtantionata; an ſimul ablutio, & verba.

*Reſol. Doct.* Patet ergo ſolutio quæſtionis: quia Magiſter videtur loqui ſecundùm illam opinionem, quòd ablutio circumſtantionata ſit Baptiſmus: & ſic ponendo, tangit ea, quæ principaliter pertinent ad rationem Baptiſmi: licèt multa concomitantia debeant intelligi, quæ exprimit ratio illa, *Ablutio hominis*, &c.

5 *Rich. in 4. diſt. 1. art. 1. q 1. in ſolut. 2.* Ad argumentum [d] dicitur, quòd de re artificiali benè prædicatur materia, cùm ſit tota ſubſtantia artificiati: vnde arca non tantùm eſt lignea, ſed lignum: Sacramentum autem, quia eſt res rationis, aſſimilatur artificiali. Sed hoc nihil eſt, quia pars materiæ non prædicatur de artificiato (non enim domus eſt lapides, ſed ad *eſſe* domus requiritur aliud cum lapidibus) quia, vt dictum eſt priùs, nihil ponitur in concreto, in definitione accidentis concreti, niſi illud, de quo accidens prædicatur in concreto: nullum autem prædicatur de parte ſui ſubiecti.

Oportet ergo dicere ſuſtinendo definitionem Magiſtri, quòd ablutio non eſt pars fundamenti relationis, quam includit Baptiſmus: ſed eſt totum fundamentum, licèt remotum, inter quod, & relationem ſigni mediant quædam relationes rationis, vt dictum eſt.

*Articuli.* Si obiiciatur, quòd neque ſic, neque ſic, poteſt deſcribi, quia formaliter importat relationem rationis: illa autem non eſt aliquid reale, neque illa realia: ergo, &c. Reſpondeo, ſicut relatio rationis in concreto dicitur de re * extrà: quemadmodum hæc eſt vera; hæc vox *homo* eſt nomen, vel ſignum naturæ humanæ: ita è conuerſo, in definitione talis concreti poteſt poni res extrà, vt additum, tanquam fundamentum relationis, ideò non valet. Sic de primo.

* Aliàs *aliqua alia.*

*Cõmunis antiquiorum. D. Thom. D. Bonau. Paludan. Richard. Maior. Doctor. Baſſolis. Tartaretus. Gabriel. Niſa. Suarez. Vaſquez.* Hæc ſententia eſt communior antiquiorum cum Magiſtro, qui ſuſtinent definitionem ab eo traditam. D. Thomas 3. *part. quæſt. 66. art. 1.* D. Bonauentura *in 4. diſt. 3. quæſt. 1.* Paludanus *art. 1.* Richardus *eadem.* Maior *toto art. 1. queſt...* cámque tenet Doctor vt probabilem: aliam verò vt magis probabilem, quem ſequitur Baſſolis *quæſt. 1. art. 1.* Tartaretus *ſuper textum.* Gabriel *quæſt. 1.* Niſa *tract. 6. part. 3. quæſt. 1.* & alij: frequentior etiam modernorum, qui vniuerſaliter tenent materiam, & formam eſſe de eſſentia cuiuſlibet Sacramenti *3. part. quæſt. 60. art. 8.* Suarez *diſp. 2. ſect. 1. ſub calcem.* Vaſquez *diſp. 129. cap. 3.*

His hæc ſufficienter determinaret ablutionem, ſi in ea ſola conſiſteret fundamentum ſignificationis.

6 *Accedũt Patres.* Fauent etiam Patres, qui dicunt *per inuocationem Spiritus dari vim ſanctificandi aquis*; quam inuocationem intelligunt per formam Sacramenti inuocando Trinitatem, vt intelligere videtur Nicenum Concilium *lib. 3. de ſancto Baptiſmo:* Nicen. & fauet Florentinum *in decreto Vnionis*; Florent. nam, cùm oſtendiſſet in forma alterutra, vel Latinorum, vel Græcorum ritè, & validè celebrari Sacramentum; ſubdit hanc rationem: *Quoniam cùm principalis cauſa, ex qua Baptiſmus virtutem habeat, ſit Sancta Trinitas, inſtrumentalis autem ſit miniſter, qui tradit exterius Sacramentum, ſi exprimitur actus, qui per ipſum exercetur miniſtrum, cum Sancta Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum*, &c.

*Soluuntur & explicantur prædicta.* Cæterùm qui ſequitur ſententiam priorem, reſponderet, intelligi cauſam principalem gratiæ, eo modo, quo Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* dicit eſſe Deum, qui operatur interiùs gratiam phyſicè, neque aliud intendere Florentinum. Patres verò vt plurimùm, quando dicunt aquam ſanctificari per ſpiritum, intelligunt inuiſibiliter; vt Irenæus *lib. 3. cap. 19.* Cyrillus Hieroſolymitanus *Catecheſi 3.* Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap. 15.* Nazianzenus *oratione 40.* Nyſſenus *oratione in ſanctum Baptiſma.* Cyrillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioannem, cap. 42.* Theophylactus *ad cap. 13. Ioannis.* Tertullianus *lib. de Baptiſmo, cap. 4.*

Trident. Irenæus. Cyrill. Hieroſolym. Baſilius. Nazianzen. Nyſſenus. Cyrill. Alexandrinus. Theophylactus. Tertullian.

Confirmatio etiam peti poteſt ex iiſdem Patribus huius ſententiæ; quia loquentes de hoc Sacramento tribuunt vim ſanctificandi aquis, & ablutioni, ac ſi in iis conſiſteret in recto Sacramentum, vt videre licet in iam citatis: quibus addi poteſt Auguſtinus tract. 80. in Ioannem; *Vnde iſta tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo*, &c. Vbi efficaciam abluendi cor tribuit aquæ in recto, quamuis non ſine verbo. Et epiſtola 23. ad Bonifacium, *Aqua exhibens forinſecus Sacramentum gratiæ, & ſpiritus operans intrinſecus beneficium gratiæ.*

*Confirmatur prima ſententia.* Auguſtin.

7 *Solutio rationis præmiſſæ in fauorẽ ſecundæ ſententiæ.* Ad rationem etiam ſuperiùs præmiſſam reſponderi poteſt, quia Baptiſmus eſt initiatio hominis Chriſtiani, atque adeò Sacramentum fidei; vt Tridentinum ſuprà appellat, & ſæpiùs Auguſtinus, requiri inuocationem Sanctiſſimæ Trinitatis, cuius fidem in Sacramento baptizatus profitetur. Et vt explicetur cauſa principalis ſalutis, vt dicit Florentinum, ſicut & miniſtri actus, qui eſt cauſa inſtrumentalis, hoc non tollit quin tota ſacramentalis ſignificatio funderur in ipſa ablutione, quamuis ex diuina inſtitutione requiratur forma verborum: ſicut & plura alia, quæ non fundant relationem ſacramentalem.

8 *Suppoſitio definitionis. Prima ſententia.* His quoad vtramque ſententiam dictis, reſtat inquirendum pro quo ſupponat definitio. Quidam dicunt ſupponere pro ablutione, quia in artificialibus materia eſt tota ratio compoſiti, vt prædicatur de toto recto. Alij dicunt ſupponere pro compoſito ex materia & forma verbali.

*Secunda ſententia. Definitio ſupponit pro ſignificatione in concreto.* Sententia Doctoris eſt, ſupponere pro ſignificatione ſacramentali in concreto, atque definitionem eſſe per additamentum; definitur enim Baptiſmus

Baptismus vt est signum efficax gratiæ, abluens animam,&c. Sic Patres,sic Concilia,sic Scriptura, agit de Baptismo ; & spectat ad considerationem Theologicam. Vnde non sola ablutio physica,vt dicit prima sententia, neque verba prædicantur de Baptismo ; de ablutione, & verbis, loquendo materialiter. Aliæ verò illæ determinationes, vt, *ablutionem animæ significans*, &c. non sunt determinationes ipsarum in *esse* naturali, & fundamentali tanquam naturales specificationes in *esse* rei, sed in *esse* formali, quæ continent, & significant effectum gratiæ : ergo sic supponunt in hac definitione formaliter, id est, pro significatione sacramentali in concreto : sicut peculiare est relationi, vt definiatur & intelligatur per extrema. Vnde definitio Magistri ad hunc sensum,quem implicitè includit, reducenda est;aliàs esset falsa aliter intellecta. Vide quæ dicta sunt in commento quæst.2.dist.1.art.2.

9 *Sotus impugnat definitionem præmissam.* Sotus reprehendit hanc definitionem assignatam à Doctore,quasi suffarciat aliqua non necessaria ; sed hæc verba sunt : meliùs præcidisset argumento quod superfluum est. Definitio enim non comprehendit aliud,quàm fundamentum,& terminum, & rationes fundandi essentialiter requisitas, sine quibus significatio sacramentalis non subsisteret,aut Sacramentum:definitioni autem relationis in concreto addere conditiones,& rationes fundandi,non est contra artem definiendi, quæ specifica & propria exponit,& conuertitur cum definito:ergo vt conuertatur, & sit propria, debent necessariò addi tam ex parte subiecti,quàm prædicati specificatio ad hoc requisita: nisi dicas bonam esse definitionem Platonis, quâ definiisse dicitur hominem quòd fuerit animal implume bipes. Vnde licèt definitio debeat esse ratio breuis, debet tamen esse speciei expressio,& conuertibilis cum ipsa. *Definitio relationis requisita.*

10 *Definitionem non esse superfluâ ostenditur.* Vt ampliùs ergo id ipsum declaretur,sumendo definitionem traditam à Magistro, iuxta significationem tantùm explicitam, non soli Baptismo sacramentali competit: vt si quis baptizaret canem, vel animal, vt malefici quandoque faciunt cum præscripta verborum forma, non esset ablutio baptismalis, quamuis esset exterior corporis cum præscripta forma : rectè ergo Doctor dicit *ablutio hominis :* si inuitus baptizaretur, non esset baptismalis:rectè ergo addit *aliqualiter consentientis* ; si à seipso, non esset baptismalis similiter: rectè ergo addit *ab alio facta* ; si esset in alio liquore, non esset baptismalis : rectè ergo additur *in aqua* ; si ioco, & sine intentione fieret ; non esset baptismalis : rectè ergo addit *cum debita intentione.* Verba illa *certa verba proferente*, admittit Sotus esse de ratione Sacramenti, eiúsque definitione. Item, si non *significaret efficaciter ex institutione diuina*,&c. *ablutionem animæ à peccato*,&c. non esset baptismalis ; neque differret à Baptismo Ioannis, qui fuit ex institutione diuina, Lucæ 3. *Factum est verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptismũ pœnitentiæ*,&c. & Ioannis 1. *Qui misit me baptizare,ille mihi dixit*,&c. Cyrillus lib.2.in Ioannem,cap.2.& 3.ait hæc dixisse Ioannem, *ne sua sponte præcurrere videretur, qui non suæ voluntatis, sed diuinæ dispensationis minister fuit*, &c. Augustinus *lib.4. de Baptismo,cap.22.* idem docet. Fuit etiam Baptismus Ioannis sub determinata forma verborum, vt suprà vidimus, sed non fuit in remissionem peccatorum, in quo differt à Baptismo Christi.

11 *Remouentur quoque species superflui.* Quælibet ergo particula in illa definitione posita, adiunctis aliis, vel omnes simul ita determinant naturam specificam Sacramenti, vt simul sumptæ, *Omnibus non insint,vel simpliciter quæ sunt, vel iis quæ sub eodem genere sunt definitorum*, &c. quod est primum genus superflui in definitione traditum à Philosopho 6. *Topicorum, cap.* 2. Quâlibet etiam sublatâ,non manet definitio propria Sacramenti, quod est secundum genus superflui *ibidem :* nulla particula exprimitur, quin omnibus insit, quæ sunt sub specie ; quod est tertium genus. Nihil est bis positum, aut frequenter dictum, quod est quartum genus. Non additur aliqua pars ad totum ; quod est quintum genus. Definitio denique est *ex prioribus & notioribus, & immediatis*:ex quibus sequitur artem definiendi obseruasse Doctorem quoad definitionem traditam.

12 *Ad argumenta.* d *Ad argumentum dicitur*,&c.Hîc reiicit solutionem Richardi,qui dicit materiam,aut subiectum, prædicari de artificialibus in recto, hoc verum esse, si sumatur tota materia, aut subiectum, non autem pars. Supponit autem sententiam Richardi, asserentis formam verborum esse de materia Sacramenti, seu essentia, & fundamento relationis sacramentalis : domus non dicitur esse lapis. Aduertendum insuper illud non esse peculiare enti artificiali, quia de omni concreto accidentali prædicatur subiectum suum totale ; quod importatur per prædicatum ex modo significandi in concreto, saltem secundariò ; benè enim dicitur, *currens est Petrus.* *Quomodo subiectũ prædicatur de toto.*

Et hæc est ratio quare subiectum entis artificialis prædicetur de ipso in concreto ; quæ prædicatio esset falsa, si sumeretur forma artificialis in abstracto:non sufficit enim, vt forma insit,nisi ex modo significandi denotet suum *inesse*, atque illud,cui insit,importet.Ratio ergo quorumdam, vt Soti, iam præmissa, & falsa est, & committit *non causam vt causam :* quia nec tota quiditas, & ratio entis artificialis, vt artificiale est, est sua materia;neque si esset,inde sumeretur fundamentum prædicandi ; sed ex eo quòd in concreto per alterutrum,siue formam,siue materiam importatur reliquum:tota enim ratio hominis est humanitas ; sed non rectè de ipso prædicatur sic in abstracto, sed tantùm in concreto.

## Qvæstio II.

### *Vtrùm hæc sit præcisa forma Baptismi :* Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Alens.4.p.q.13.m.3.per quatuor art. D.Bonau.*hîc art.2.per totum.*Rich.*art.2.q.3.* D.Thom.*q.2.& 3.p.q.66. art.5.vbi* Suarez *disp.21.*

1 *Magiſt. B.C. D.E.F.G. Argum.1.*

AD ſecundum [a] principale, ſic proceditur, & arguitur, quòd hæc non ſit forma Baptiſmi: *Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Primò, quia cuiuſcumque habentis materiam,& formam, forma eius eſt in materia: ſed hæc verba non ſunt in aqua, nec in ablutione, vt in ſubiecto: patet.

*Argum. 2.* Secundò, quia Chriſtus *Matthæi vltimo* exprimens formam Baptiſmi, non expreſſit iſtam: ſed ab ipſo habetur forma Sacramentorum, quæ inſtituit: ergo,&c.

*Argum. 3.* Tertiò, ſi iſta eſt forma, aut vt vera, aut vt falſa. Non vt falſa, quia nihil falſitatis eſt in Sacramentis veritatis. Non vt vera, quia veritas eius ſequitur ordine naturæ collationem Sacramenti Baptiſmi: veritas enim orationis ſequitur *eſſe* eius, quod ſignificatur per ipſam: iſta autem oratio ſignificat collationem Sacramenti Baptiſmi: forma autem, eo quòd eſt forma, non eſt poſterior eo cuius eſt forma naturaliter, ſed prior, 7. *Metaph. text.*7.

*Argum.4.* Item, de partibus iſtius formæ arguitur, primò ſic; Græci verè baptizant, & baptizati ab eis, quando veniunt ad nos, non rebaptizantur: non autem ſeruant noſtram formam, ſed hanc: *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.*

*Argum.5.* Item, ſecundùm Priſcianum, verbum primæ perſonæ dat intelligere Nominatiuum; ergo ſufficeret dicere, *Baptizo te*, abſque hoc Pronomine, quod eſt, *ego*. Et confirmatur per illud, Extrauag. de Baptiſmo, & eius effectibus. *Si quis*, vbi dicit gloſſa, quòd Pronomen non eſt de ſubſtantia formæ: quia plenum ſenſum generat hæc vox *baptizo*, ſine Pronomine.

2 *Argum.6.* Item arguitur, de conſecr. diſtinct. 4. *Retulerunt*; vbi dicitur. *Si quis dicit te baptizo*, &c. *baptizatus eſt, ex quo baptizare intendit*; ſed ibi non ponitur Pronomen.

Item, Ambroſius *de Conſecratione diſtinct.* 4. A quodam, *Si in nomine Trinitatis, vel in nomine Chriſti baptizati ſunt, non debent rebaptizari, quia ſic Apoſtoli baptizabant*, vt habetur Act.2.10.& 19.

*Argum.7.* Item 5.de Trin.cap.7. *Idem eſt Patrem eſſe, & genitorem:* æquè ergo eſſe valeret dicere, in nomine genitoris, & geniti, ſicut Patris, & Filij.

Item, Ambroſius de Spiratione Spiritus ſancti, *cap.*4. & ponitur in litera, *Si fide myſterium Trinitatis tenetur, & vna tantùm perſona nominetur, plenum eſt Sacramentum.*

*Argum.8.* Item 2.*Perihermenias c.*1.nomina & verba tranſpoſita idem ſignificant: ergo æquiualeret, ſi iſta verba eſſent tranſpoſita: ergo iſta forma non eſt præciſa.

*Ratio ad opp.* Contrà, de Baptiſmo, & eius *eſſe* Extrau. Si quis: *Si quis puerum ter in aqua merſerit, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen; & non dixerit, Ego baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen, non eſt puer baptizatus.*

## SCHOLIVM.

*Propriè loquendo, relationem ſigni eſſe formam cuiuſlibet Sacramenti, & fundamentum huius eius materiam; tamen comparando partes fundamenti inter ſe, illa quæ eſt actualior, & magis determinans, eſt forma reſpectu aliarum: & ideò verba in omni Sacramento, in quo interueniunt, ſunt forma, quia ſecundùm Auguſt.2.de Doctr.Chriſt.1.obtinent principatum in ſignificando.*

3 *Forma Sacramẽti ipſa relatio ſigni, omnia alia ſunt materia.*

Hìc primò [b] videndum eſt, ſi aliqua verba poſſunt eſſe forma huius Sacramenti. Vbi aduertendum eſt, quòd (propriè loquendo de forma, prout eſt altera pars compoſiti,) forma Sacramenti eſt ipſa relatio ſigni, quâ formaliter eſt tale Sacramentum: & materia eſt totum fundamentum ipſius relationis. Verumtamen, ſi in fundamento iſto ſint plura, ex quibus aliquo modo fit vnum Sacramentum, quæ non omnino æqualiter ſe habent, ſed alterum

a *D ſecundum principale*, &c. Hac quæſtione Doctor explicat ea, quæ ad formam Baptiſmi ſpectant. Primò, quomodo forma & materia, & ſecundùm quam proportionem inueniantur in Sacramentis. Secundò, de forma neceſſaria neceſſitate præcepti. Tertiò, de forma neceſſaria neceſſitate Sacramenti, id eſt, ſine qua nihil fieret, & de eius variatione, quantùm ad ſubſtantiam. Quartò de variatione eius ſecundùm quantitatem. Quintò, de variatione eiuſdem ſecundùm qualitatem. Sextò denique, de variatione ſecundùm *vbi*: & reſpondet ad argumenta poſita in principio quæſtionis. 1 *Ordo & diuiſio quæſtionis.*

b *Hìc primò videndum eſt*, &c. Florentinum definit Sacramenta nouæ legis, perfici in tribus, *rebus, tanquam materia; verbis, tanquam forma; & perſona miniſtri, habente intentionem faciendi, quod facit Eccleſia.* Hoc ipſum docent Scholaſtici, & Tridentinum ſupponit vbique agens de Sacramentis in ſpecie: peculiare eſt in Sacramentis nouæ legis, quia circumciſio non conſtabat verbis. Durandus negat id vniuerſaliter verum eſſe in Sacramento matrimonij, quod celebrari poteſt nutibus, abſque verbis. Fauet ipſum Florentinum, dicens, *Cauſa efficiens matrimonij regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus*, &c. 2 Florent. *Res & verba in Sacramentis noua legis.* Durand. *Verba in matrimonio non requiri.*

alterum sit quasi præuium, & determinabile: alterum quasi posterius, & determinatio præcedentis: primum potest dici quasi materia, per quandam similitudinem ad materiam, & alterum forma. Materiæ enim est præcedere secundùm originem, & determinari: formæ autem sequi, & determinare. Similiter illud quod est principalius, & actualius, potest dici forma, respectu potentialioris. Similiter quod est spiritualius, potest dici forma respectu eius, quod est minùs spirituale.

*Prima inter partes fundamēti dici potest materia respectu sequentium.*

*Actualius, dicitur forma, respectu potentialioris.*

4 Ad propositum, in fundamento relationis Baptismi concurrunt ablutio, & verba, siue tanquam partes fundamenti, secundùm vnam opinionem, siue tanquam fundamentum, & circumstantiæ fundamenti, secundùm aliam.

Si primo modo, pars principalior in significando sunt verba: quia secundùm Augustin. 2. de doctrina Christiana, cap. 1. *Verba inter homines obtinuerunt principatum in significando*; & similem sententiam dicit, 15. *de Trin.* Tunc propter istam principalitatem, verba possent dici forma, respectu alterius.

Secundo modo patet, quòd verba sunt determinantia respectu ablutionis: & siue sic, siue sic, pater, quòd verba sunt magis spiritualia ablutione. Sic ergo secundùm istas metaphoras prædictas, patet, quòd vbi aliquod signum concurrit sensibile in fundamento alicuius relationis Sacramenti, & aliqua verba simul, verba semper dicuntur forma. Hæc de primo.

*Quare verba dicantur forma in Sacramentis.*

ablutionem, sustinendo definitionem traditam à Magistro exponit Doctor, sic minùs potest habere, id est, rationem partis componentis, cùm non fundet significationem sacramentalem.

4 Secundò, debemus interpretari hanc notionem materiæ & formæ, iuxta naturam earum rerum, in quibus consistunt: sed in aliquibus, res, quæ dicitur materia, vel cui accommodatur hoc nomen, nequit esse materia compositionis: verbi gratiâ, in Eucharistia panis, & vinum, sunt materia, quæ non sunt materia significationis sacramentalis per modum componentis, cùm destruantur per formam consecrationis; neque ergo in *fieri*, neque in *facto esse*: in *fieri* enim forma habet rationem causæ effectiuæ, non actus informantis, aut quasi informantis, & ex vi verborum desitio panis & vini fit, sicut & Corpus Christi præsens. In pœnitentia, tanquam materia sunt actus pœnitentis, nequit esse compositionis, quia significatio sacramentalis fundatur in forma, seu absolutione, quæ est sententia iudicialis; & exercitium clauium, vt suo loco dicetur.

*4 Quomodo seruatur proportio hæc materiæ & formæ?*

*In Eucharistia forma est effectiua, non quasi informans.*

*In pœnitentia forma est actus iudicialis.*

*Explicatur proportio vtriusque.*

Materia itaque & forma dicuntur secundùm quandam proportionem, quâ sumitur hæc metaphora: quæ proportio rectè declaratur à Doctore, in eo quòd res, quæ dicitur materia in Sacramento, est prior & supponitur formæ, quia sacramentalis actio incipit plerumque à re, vel eam supponit; vel quia habet rationem determinabilis respectu verborum in significando, éstque indifferens, donec per verba (quæ principaliùs, & expressiùs significant, ex Augustino 2. *de doctrina Christiana, cap.* 1.) adiuncta determinatur ad supponendum pro effectu, quem forma exprimit, & connotando materiam ad effectum ipsum refert: sicut forma Baptismatis ablutionem fieri ad effectum per inuocationem Trinitatis designatum: & in hoc sensu illud vulgare Augustini: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, &c. verificatur. Alio modo dicitur *materiale*, per oppositionem ad spirituale; sic res opponitur intentioni, & verbis tanquam magis abstrahentibus ab *esse*, & materia sensibili, quà sunt signa ex instituto.

Augustin.

Aduertendum præterea, non eâdem proportione materiam per oppositionem ad formam, vel econtrà, dici in singulis Sacramentis: nam in quibusdam Sacramentis materia, circa quam operatur forma per modum effectiui tantùm, inuenitur, vt in Eucharistia, panis & vinum, in Pœnitentia, peccata, & actus pœnitentis diuerso modo, vt contritio per modū dispositionis, confessio per modū informationis, & accusationis, de quibus

5 *Nō est eadem proportio materiæ in singulis.*

*Verba equiualenter dicuntur signa per nutus.*

In Sacramento autem materia, & forma dupliciter sumi potest. Primò, vt seruatur proportio ad compositionem, & constitutionem, & sic materia est quodcumque institutum ad causandam gratiam siue sint verba, siue res: forma verò est ipsa ratio formalis significationis practicæ conueniens ex institutione diuina, per quam illis competit continere, & causare effectum gratiæ, vel quicumque sit Sacramenti: & hoc modo non loquitur Concilium de materia, & forma.

3 *Duplex acceptio materiæ & formæ. Prima acceptio. Pro fundamento significationis.*

Alio modo sumitur materia per modum determinabilis, & forma per modum determinantis; vel secundùm aliam proportionem; & hic est sensus Concilij. Malè autem quidam volunt seruari hîc compositionis rigorem, aut proportionem, quia, siue loquamur de ipsis, vt præscindunt ab institutione diuina, sunt condistincta, neque vnum dicit ordinem ad aliud per modum partium: verbi gratiâ, ablutio, & forma verbalis, *Ego te baptizo*, &c. sed alterum potiùs est signatum, vt ablutio; verba autem sunt signum actionis, quæ habet rationem signati: vnde nō sic ordinantur per modum compartiū eiusdem signi.

*Secunda acceptio pro determinabili, & determinante. Non seruant rigorem compositionis.*

Si autem loquamur de iisdem, vt sunt instituta à Deo, faciunt vnum signum totale, quando vtrumque spectat ad fundamentum significationis practicæ, neque vnum significat ratione alterius, sed vtrumque per modum vnius totalis fundamenti, & æquè primò: quod si alterum horum habeat rationem solius circumstantiæ, prout in præcedenti quæstione verba se habere ad

bus confeſſarius cognoſcit,& ſatisfactio per modum ordinationis iudicialis inuenitur : in his enim duobus Sacramentis, loquendo de Euchariſtia in *fieri*, exercetur poteſtas, & hoc per formam : ſi loquamur de Euchariſtia in *facto eſſe*, non inuenitur forma verborum, quia hæc conſiſtit in fluxu, ac proinde nequit eſſe de ratione permanentis: ſpecies autem ſunt Sacramentum, quæ ſunt res ſenſibilis, & non verba. Vnde rectè Concilium Florentinum dicit, *perfici Sacramenta rebus & verbis*, &c. Abſtinendo ab eo, quod eſt de conſtitutione intrinſeca Sacramenti, ad quod aliquando ſpectat ſola forma, aliquando ſola materia, aliquando vtraque, iuxta varia placita Theologorum.

*Duplex forma Euchariſtiæ.*

6 *Materia circa quam in quibus inuenitur?*

In Sacramentis ergo, in quibus exercetur poteſtas, ſeu quæ in exercitio poteſtatis conſiſtunt, probabile totam ſignificationem practicam conſiſtere in ſola forma, vt in Pœnitentia, Euchariſtiæ conſecratione, Ordine : in his enim materia *circa quam* inuenitur, vt declaratum eſt in duobus primis. In Ordine confertur poteſtas exercenda circa corpus Chriſti verum, & myſticum. In aliis Sacramentis inuenitur materia, in qua exercetur actio ipſa ſacramentalis : & probabilius eſt vtrumque ſpectare ad eſſentiam Sacramenti ; licèt in Baptiſmo ſuſtinendo definitionem Magiſtri, probabile ſit ſacramentalem ſignificationem fundari in ſola materia.

7 *Quid de alijs Sacramentis?*

Quòd ſi vrgeas, Confirmationem eſſe exercitium poteſtatis, & Ordinis. Reſponderi poteſt, in ea adhiberi materiam, in qua exercetur actio ſacramentalis, quæ denotatur per formam, per illa verba : *Confirmo te Chriſmate ſalutis*, &c. neque miniſterium huius Sacramenti ita connexum eſſe characteri Epiſcopali, quin delegari poſſit etiam non Epiſcopo ; vt ſuo loco dicetur : forma ergo ipſa exprimit Ordinem ad materiam, non ita in ordine : de quibus in ſpecie agendum erit. Sic etiam in Extrema Vnctione : *Per hanc ſacram Vnctionem*, &c. magis exprimitur efficacia materiæ, quàm formæ, quæ eſt deprecatiua : in matrimonio conſenſus mutuus, vel quidquid ponatur, ſicut per ſe exigitur ad contractum legitimum ; ita quomodocumque explicetur, ſiue in ratione formæ, ſiue materiæ, perinde fundat relationem ſacramentalem.

8 *An materia & forma ſint definita à Deo? Veritas fidei quam tradit Doctor.*

Occurrit controuerſia cum hæreticis circa formam, & materiam huius Sacramenti, & reliquorum, vtrùm ſint definita & determinata? Veritatem affirmatiuam ſupponit Doctor hîc, & in quæſtione ſequenti, & in prima quæſtione huius, per illam particulam *ex. diuina inſtitutione ſignificans* ; & in explicatione definitionis traditæ à Magiſtro, & *diſt. 1. quæſt. 2. per totum* ; éſtque veritas fidei definita in

Triden. Florent.

Tridentino, vbicumque agit de Sacramentis in ſpecie ; & *ſeſſ. 7. can. 13. de Sacramentis in genere* : & in Florentino *ſuprà*, & cap. *Ad abolendam, de hæreticis.*

Paret quoad præſens, *Ioannis 3.* vbi deſignatur materia Baptiſmi, aqua ; *Matthæi vltimo* eius forma : ſicut & *Matthæi 26.* forma & materia

Dionyſ.

Euchariſtiæ : Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 1. *Primi ſacerdotalis muneris duces viſibilibus ſignis cœleſtia Sacramenta texuerunt, & partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt*, &c. Auguſtinus de vnico Baptiſmo, c. 8.

Auguſtin.

dicit Sacramenta Chriſti debere *ritu Euangelico* celebrari : & lib. 3. de Baptiſmo cap. 15. *debere celebrari verbis Euangelicis* : & aliàs ſæpè hanc veritatem docet. Tertullianus de Baptiſmo cap. 13. *Lex tingendi impoſita eſt, & forma præſcripta.* Cyprianus ſerm. de Baptiſmo Chriſti. *Verborum ſolemnitas, & ſacri inuocatio nominis, & ſigna Apoſtolicis inſtitutionibus, & Sacerdotum miniſterijs attributa, viſibile efficiunt Sacramentum*, &c. Vide Auguſtinum *epiſtola 118. & lib. 19. contra Fauſtum, cap. 16. & lib. 3. de Baptiſmo cap. 10. epiſt. 23. lib. 7. de Baptiſmo cap. 47. & 53. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 19.*

Tertullian. Cyprian. Auguſtin.

9 *Hæreſis contraria. Euthym. Nouatores huius temporis. Obiectio Caluini.*

Contrariam hæreſim docuerunt Paulitiani, vt refert Euthymius *in 2. parte Panoplia art. 21.* qui non requirebant aliquam materiam, ſed verba. Item hæretici huius temporis, qui negant requiri aliud verbum, niſi concionatorium, & doctrinæ ; quia hoc ſolum neceſſarium eſt ad excitandam fidem. Obiicit autem Caluinus, nulla conuentio Chriſti ad Belial : ſed magi vtuntur certis carminibus, & rebus ad maleficia : ergo hæc non debuerunt admitti in Sacramentis.

*Reſponſio.*

Reſpondetur, ſi argumentum quidpiam valeret, inferret neque in lege veteri Deum inſtituiſſe cæremonias certas, quibus coleretur, neque vſum fuiſſe ſacrificiorum in lege naturæ approbatum.

*Secunda obiectio.*

Secundò obiicit illud Auguſtini tract. 80. in Ioannem : *Vnde iſta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens: hoc eſt verbum fidei quod prædicamus.*

10 *Reſponſio. Bellarmin. Vaſquez. Intelligi de verbo rituali ſolo.*

Reſpondetur Auguſtinum interpretari illud Ioan. 10. *Iam vos mundi eſtis propter ſermonem quem locutus ſum vobis*, &c. vnde loquitur tam de rituali, ſeu ſacramentali, quàm de doctrinali : ita quidam cum Bellarmino, quem ſequitur Vaſquez. Sed meliùs refertur authoritas ad ſolum rituale ex contextu Auguſtini : & dicitur verbum fidei, quatenus creditur ab Eccleſia eius virtus ad mundandum : & quia eſt inuocatio ſanctiſſimæ Trinitatis, id eſt, verbum, quod eſt obiectum creditum, non à ſuſcipiente, quando eſt infans, vel infidelis ; quamuis habeat conſenſum recipiendi Sacramenti quod Eccleſia miniſtrat, ſed ab Eccleſia.

Vnde in fine ſic ſubdit : *Mundatio igitur nequaquam fluxo, & labili tribueretur elemento, niſi adderetur in verbo. Hoc verbum fidei tantum valet in Eccleſia Dei, vt per ipſum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum mundet infantem, quamuis nondum valentem corde credere ad iuſtitiam, aut ore confiteri ad ſalutem*, &c. Vnde Baptiſmus eſt Sacramentum fidei, & in eius forma exprimitur articulus primarius, & obiectum formale fidei ; inde forma ipſa rectè dicitur *verbum fidei*, ab Auguſtino. Vltima autem verba citata deſtruunt concluſionem Caluini, quâ vult celebrari Baptiſmum ex hac authoritate Auguſtini, in verbo concionatorio, extante fidem, cùm in infante nulla poſſit eſſe fides : virtutem mundandi à peccato originali tribuit Auguſtinus ipſi verbo, quod nequit eſſe concionatorium, quia ſaltem nihil in infante valet.

*Redarguitur Caluinus ex Auguſt.*

Vnde, vt notat benè Anſelmus in 1. ad Corinthios 1.

Anſelmus.

*Baptizãt qui nequeunt concionari.*

rinthios 1. multos esse ministros Sacramenti, qui non sunt idonei ad concionandum, quod maximè apparet in casu necessitatis, vbi baptizatur infans ab obstetricibus. Ambrosius aduertit etiam Sacramentum perfici verbis solemnibus, & Petrum priùs docuisse Cornelium, præcepisse mox, vt à ministris baptizaretur. Paulus docuit Corinthios, sed neminem baptizauit, quia euangelizare missus est, & non baptizare.

*Exempla scripta.*

Ambrosius.

## SCHOLIVM.

*De necessitate præcepti formam consuetam Baptismi esse necessariam, nec ordinarium ministrum excusari ignorantiâ. Formam verò Græcorum olim fuisse licitam, & iuste in ea non exprimi personam ministri: nec constare quòd nec modò apud eos sit licita.*

5

*Aliquid dupliciter necessarium in Sacramentis.*

De secundo [c] videndum est, quæ verba sint forma isto modo. Vbi sciendum est, quòd in Sacramentis est aliquid necessarium simpliciter, scilicet ex parte Sacramenti, quo scilicet non existente, omnino non est Sacramentum. Aliquid est necessarium aliqualiter, scilicet ex parte ministri, sine quo minister dispensando Sacramentum, non potest vitare peccatum.

Si quæratur de forma secundo modo necessariâ, hoc est, de forma necessariò obseruandâ à ministro, dico, quòd in tota Ecclesia Romana forma necessaria hæc est, de qua quæritur, forma necessaria scilicet ministro: & hoc loquendo de ministro, cui competit ex officio baptizare. Quis sit ille, dicetur *distinct.* 5. nam istum non potest ignorantia excusare, quia tenetur scire illa, quæ sunt sui officij, ad quod deputatur. Probatur, quia quilibet minister in Ecclesia Romana tenetur necessariò illam formam seruare, quam talis Ecclesia imposuit ministris: huiusmodi est ista, de qua quæritur: vt patet *Extrau.* in arguendo, scilicet ad oppositum in illo capitulo, *Si quis.*

Si quæras de forma [d] necessaria ministro apud Græcos; dici potest, quòd quantùm ad aliqua verba, non principalia in forma, scilicet illa, quibus exprimitur suscipiens, & actus, siue minister, Ecclesia Græca quandoque non voluit formam istam seruare: cuius causam tangit Apostolus primæ Corinth. 1. *Hoc autem dico, quòd vnusquisque vestrûm dicit, Ego quidem sum Pauli, &c.* gloriabantur enim de ministris baptizantibus, quasi eis ascriberetur Baptismus: & redarguit eos, & istam eorum contentionem, dicens, *Diuisus est Christus?*

*Quare apud Græcos nõ exprimebatur baptizans in forma?*

6

Et propter hoc, ortum fuit inter eos schisma, & ordinatum fuit inter eos, ad istud schisma tollendum: ne minister exprimeretur in propria persona, nec actus in indicatiuo modo, sed optatiuo: quia tunc minister non significatur esse auctor Baptismi: sed tantùm minister desiderans, & orans effectum Baptismi conferendum à Deo, & suscipiens etiam non exprimeretur in secunda persona, sed in tertia, quasi non

c *De secundo videndum est*, &c. Primum docet in Ecclesia Latina teneri ministrum ad formam præscriptam, & maximè si ex officio ministrat Sacramentum, quia tenetur scire quod est sui muneris, & conformari ritui suæ Ecclesiæ, maximè Romanæ, quæ illam formam præscribit, & veram doctrinam de Sacramentis tradit, cap. *Ad abolendam, de hæreticis.* Præscribi autem præfatam formam in Ecclesia Romana, patet ex capitulo allegato, & aliis sequentibus *extrà tit. de Baptismo*, & ex ritualibus, & communi Theologorum.

11

*Obligatio ministri ad formam.*

*Forma Ecclesia Latina.*

d *Si quæras de forma necessaria ministro apud Græcos*, &c. Dicit Græcos non vti formâ, quâ Latini vtuntur; & causam subiungit ex schismate orto inter Corinthios 1. *ad Corinth.* 1. in quo gloriabantur de ministris baptizantibus: *Ego sum Pauli*, &c. Hinc ordinatum est ne minister suum nomen exprimeret in forma. Idem docet D. Thomas 3. *part. quæst.* 66. *art.* 6. D. Bonauentura *art.* 2. *quæst.* 3. *ad* 9. Richardus *art.* 2. *quæst.* 3. Gabriel *art.* 2. *com.* 2. quos sequuntur posteriores: Vasquez autem id reuocat in dubium, quia nemo antiquior dictis Scholasticis, id dixit; secundò quia non colligitur ex textu, Corinthios fuisse in eo errore, quasi virtutem Baptismi tribuerent ministris, sed tantùm gloriatos esse de magistris suis in *fide*: nullus autem ex interpretantibus, siue Græcis, siue Latinis, docet eos fuisse in illo errore.

12

*Causa schismatis, & forme particularis Græcorum.*

D. Thom. D. Bonauent. Richardus. Gabriel. Vasquez dubitant.

Cæterùm tenenda est sententia Scholasticorum, quam apud historicos Græcos reperiri docet Cornelius à Lapide, eandémque causam exprimendæ sic formæ baptismalis, non expressâ personâ ministri, simul cum alia hæresi, quæ in Oriente contigit, quę maiorem fructum Baptismi à meliori ministro dari contendebat, fuisse docet Petrus Arcudius Græcus *lib.* 1. *de Baptismo, cap.* 8.

13

*Sententia Scholasticorũ tenenda. Cornelius à Lapide.*

*Petrus Arcudius.*

Erasse autem Corinthios circa Baptismum, est expressa sententia Augustini, *lib. de vnico Baptismo cap.* 5. tempore Apostolorum, *qui dicebant: Ego quidem sum Pauli*, &c. *quamuis non per impiorum, sed Sanctorum nomina; ipsi tamen impia schismata faciebant; hoc ipsorum erat detestabile vitium*, &c. Vide quæ sequuntur; & cap. 11. *Nec illos Corinthios arbitror, quos in schismata dissiluisse redarguit, veram fidem habuisse quòd dicebant, Ego sum Pauli, hoc enim falsum erat: verumtamen Baptismum habebant, ex cuius veritate, vt istam corrigerent falsitatem, ab eo ipso audiunt, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis?* Dicit etiam eos habuisse errorem, quamùis crediderint Christum resurrexisse circa resurrectionem mortuorum, quem Paulus ex resurrectione Christi confutat, *Si mortui non resurgunt neque Christus resurrexit*, &c. confutans errorem eorum ex veritate, quam tenebat de resurrectione Christi: sic etiam

*Erasse Corinthios circa Baptismum. Augustinus.*

non præcisè reciperet, quod recipit ab aliquo ſermone ſibi dirigente. Verumtamen meliùs potuiſſet ſuſcipiens fuiſſe expreſſus, quàm per hoc, *ſeruus Chriſti*, ſcilicet, nomine proprio. Non enim iam ſeruus Chriſti baptizatur, ſed baptizatur vt ſit ſeruus Chriſti, loquendo de ſeruitio ſpirituali, quo Chriſtianus eſt ſeruus Chriſti.

*Formâ Græcorum fuiſſe olim licitam, & fortè modò apud ipſos.*

De hac forma poteſt dici, quòd quamdiu tolerata fuit ab Eccleſiâ Romana, licita fuit eis, & pro tempore, pro quo inſtituta fuit, rationabilis fuit durante causâ prædictâ: ſed ceſſante illâ causâ, rationabiliter potuit forma communis fuiſſe eis impoſita. Vel ergo Romana Eccleſia prohibuit illam formam, quantùm ad eos, & tunc peccant ſeruando (quod expreſsè non inuenitur in aliquo capitulo, ſpecialem mentionem faciente de eis) vel ſi permiſit, ſiue conceſſit, licitum videtur eis illam formam continuare. & ſi tali permiſſione, ſeu licentiâ, ſtante, in Conciliis ſuis particularibus, ordinauerunt inter ſe talem formam eſſe ſeruandam, videtur quòd miniſter eorum tenetur eam ſeruare: ſicut ſtante iſtâ permiſſione Eccleſiæ Romanæ, quòd alicubi fiat trina immerſio, alicubi vna; in illa Eccleſia, quæ determinauit trinam immerſionem ſeruandam, ſic faciendum eſt, & eſt de neceſſitate miniſtri, præceptum & modum propriæ Eccleſiæ ſeruare. Hæc de forma neceſſaria ex parte miniſtri.

*Miniſter Sacramentorum tenetur ſuæ Eccleſiæ morem ſequi.*

errorem de Baptiſmo in nomine miniſtri confutauit, ex veritate de Baptiſmo in nomine Chriſti: & ita ſtatuit faciendum cum aliis, vt ex veritate, quam tenent, corrigatur error in aliis, adducens exempla de Iudæo, & Gentili.

Auguſtinum ſequitur iiſdem verbis Beda *in 1. ad Corinth. 1.* Eoſdem erraſſe ſupponit Primaſius: ibidem, Sedulius in illud, *Gratias ago Domino Deo meo, quòd neminem veſtrùm baptizauí, &c. Idcirco neminem veſtrùm baptizaui, ne quis me putaret in meo nomine baptizaſſe, niſi Criſpum, & Caium, qui ſe non dicunt in meo nomine baptizatos, &c.* Aſſerit Hieronymus in epiſtolam ad Titum aſſeruiſſe ex hac occaſione ordinatum eſſe, ne duo Epiſcopi ſint in eadem ciuitate: ſed & Petrus Lombardus in illa, *diuiſus eſt Chriſtus: Adeò enim*, inquit, *errabant iſti, vt putarint gratiam dari ab homine, non quaſi miniſtro, ſed authore; vel putabant Chriſtum in Baptiſmo magis operari per meliorem baptiſtam; & minùs per minùs bonum.* & infrà, *Vehementer errabant iſti, quia oſtia ſibi præter Chriſtum conſtituebant, & fundamenta diuerſa, &c.*

14 Beda. Primaſius. Sedulius. Hieron. apud Sedul. Petrus Lombard.

Quin etiam Chryſoſtomus hom. 3. in illa, *Aut in nomine meo baptizati eſtis: Nec dixit: nunquid Paulus baptizauit, baptizauit enim multos: ſed non erat id quod quærebatur, à quonam baptizati eſſent, ſed in cuius nomine eſſent baptizati, nam quoniam hæc quoque erat cauſa ſchiſmatis, quòd vocarentur ab iis, qui baptizarent*, &c. Quamuis autem his verbis non inſinuat eos fuiſſe in illo errore; infrà tamen dicit periculum eius fuiſſe: *nam ſi cum viles & abiecti, & qui nullius ſunt exiſtimationis homines baptizarent, orta eſt hæreſis; ſi ego qui annunciaui Baptiſmum multos baptizaſſem, veriſimile eſſet futurum fuiſſe, vt conuenientes, non ſolum in meo nomine vocarentur, ſed mihi quoque baptiſmum tribuerent, &c.*

Chryſoſt.

Hoc ipſum periculum ſufficiebat, vt taceretur perſona miniſtri, ne Baptiſmus in nomine eius videretur dari; & hæreſis mox ſubſequens in Oriente, quæ Baptiſmum ex meritis miniſtri metiebatur, eandem cauſam ſubminiſtrauit. Ex quibus pater Vaſquem non rectè id in dubium reuocare, neque benè, & ad ſenſum Auguſtini explicuiſſe, quæ dixit *tractatu 5. in Ioannem*: vt patet ex alio eius loco iam citato. Quòd autem fuerit æmulatio, & zelus Corinthiorum circa magiſtros, verum eſt; ſed non ſolùm in hoc terminatus fuit error, qui de Baptiſmo emerſit, quem Paulus confutat, gratias agens ſe paucos baptizaſſe: vt quid enim tanta diſſereret de Baptiſmo Paulus, niſi cauſa ſubeſſet?

15

16 *Vterque modus habetur ex Scriptura.*

Vterque modus actum ablutionis exprimendi habetur ex Scriptura, vel actiuè, vt faciunt Latini, ex Matthæi vltimo, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij*, &c. vbi traditur forma Baptiſmi, vt Patres docent: vel etiam paſſiuè, vt Matthæi 3. *Venit Ieſus*, &c. vt *baptizaretur*, &c. *Ego à te debeo baptizari:* & Actorum 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum*, &c. Et vtrumque modum proferendi approbat Florentinum, ſiue dicatur baptizatur, ſiue baptizetur.

Cæterùm apud Græcos, vt refert Arcudius, indicatiuum ſeu enunciatiuum verbum eſt in vſu, vt βαπτίζεται ὁ δοῦλος, vel ἡ δοῦλη τοῦ θεοῦ, *baptizatur ſeruus, vel ſerua Dei*, &c. Verbum autem *baptizatur*, quidam imperatiuè dictum interpretantur; quidam deprecatiuè. Primum docet D. Thomas, ſecundum autem noſter Doctor hîc, Richardus *art. 2. ar. 3. ad 9.* & alij: licèt neuter modus ſit ſecundùm vſum formæ Græcorum, quæ eſt indicatiua; vterque ſufficit ad veritatem Baptiſmi, & ſecundus modus magis congruit, retentâ ratione, ob quam Græci non exprimunt perſonam miniſtri; ne ſcilicet in ſeipſo glorietur, aut Baptiſmus ab ipſo virtutem vllam ſortiri intelligatur, tanquam à cauſa principali, quia imperatiuus modus deſignat authoritatem miniſtri; deprecatiuus autem non ita, ſed magis authoritatem cauſæ principalis, à qua Sacramentum habet ſuam efficaciam, licèt miniſterialiter ſit à conferente. Imperium etiam ſiue dirigatur ad effectum Sacramenti, ſiue ad perſonam miniſtri, non tam propriè, quia neque ſibi propriè quis imperat, neque effectus, qui eſt à cauſa ſuperiore, cadit propriè ſub imperium inferioris; maximè quando non fundatur in poteſtate iuriſdictionis communicatæ; ſicut effectus pœnitentiæ, qui procedit à poteſtate clauium: ſed quidquid ſit, vterque modus ſignificat ablutionem in *fieri*; quod ſufficit, & requiritur ad verum Baptiſmum, qui conſiſtit in vſu: & ideò forma quâ vtuntur nunc Chaldæi per verbum præteriti *baptizatus eſt*, inualida cenſetur, quantùm ad rigorem verborum, niſi præteritum pro præſenti apud ipſos in vſu ſit.

D. Thom. Doctor. Richardus.

*Verbum imperatiuè, aut deprecatiuè prolatum ſufficit.*

*Secundus modus magis congruit.*

SCHO

## SCHOLIVM.

*Hæc litera tractans de forma necessaria, necesitate Sacramenti, continet aliquot dicta. Primum, minister, & ly* ego, *non necessariò exprimuntur. Secundum, actus, & suscipiens, necessariò exprimuntur. Tertium, quoad mutationem substantiæ verborum, si ponatur aliud verbum, idem eadémque ratione significans, validè fit. Quartum, non valet Baptismus datus in nomine genitoris, &c. nec Trinitatis. Quintum, baptizatus in nomine Christi, dubius est de suo Baptismo; olim tamen licuit sic baptizare, ex Ambr. adducto à Magistro hîc. & colligitur ex Act. c.* 8. 10. *&* 19. *vbi est mentio de Baptismo in nomine Iesu Christi, sine vlla Trinitatis expressione. ita* Mag. *hîc.* Alens. 4. *p. q.* 8. *m.* 3. *art.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 66. *art.* 6. *ad* 1. Alb. *hîc, art.* 2. Bonauent. *p.* 1. *art.* 2. *q.* 2. Ric. *art.* 2. *q.* 3. *ad* 10. *cum* Scoto *hîc & aliis. Est contra* Suar. *suprà s.* 3. Canum 6. *de loc. cap.* 8. *ad* 7. *& alios, qui putant Apostolos nunquam baptizasse in nomine Christi.*

7 Tertiò [e] de forma necessaria ex parte Sacramenti, patet, quòd ista non est talis quantùm ad omnia verba, ex hoc quòd dictum est, quòd Græci verè baptizabant, non tamen sub eâdem forma. Vnde aduertendum est, quòd in ista forma sunt verba principaliter pertinentia ad eam: aliqua autem non principaliter pertinent, quia exprimunt ministrum, actum, & suscipientem. Ministrum enim non est simpliciter necessarium aliquo verbo exprimi, neque pronomine cuiuscunque personæ: quia non est in verbis Christi, *Matth. vltimo.* Alia autem duo, sciliet actum, & suscipientem, necessarium est exprimi: sed non determinatè eodem modo, quo istis verbis exprimuntur, scilicet actus verbo indicatiui modi, & suscipiens pronomine secundæ personæ: sed potest actus exprimi verbo alterius modi, & suscipiens verbo alterius personæ, vt Græci exprimunt. Ratio autem necessitatis, quòd illa duo sic, vel sic exprimerentur, sumitur ex illo Matth. vltimo, *Baptizantes eos*, &c. vbi exprimitur actus, & suscipiens.

*Minister non necessariò exprimitur in Bapt. nec ly* ego.

*Actus & suscipiens exprimi debent.*

De verbis autem [f] principalibus quæ sunt, *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, an ista sint præcisè pertinentia ad formam? Ad huius intellectum aduertendum est, quòd secundùm Philosophum 5. *Physic.* quadruplex est mutatio, scilicet secundùm substantiam, qualitatem, quantitatem, & vbi: sic secundùm ista verba, potest fieri quadruplex variatio, scilicet *secundùm substantiam*, alia verba ponendo pro istis, vel aliud verbum pro isto; *secundùm quantitatem*, apponendo, vel subtrahendo: & si apponendo, vel anteponendo, vel postponendo, vel interponendo; *secundùm qualitatem*, scilicet auferendo aliquam requisitam terminationem ad congruam locutionem: *secundùm vbi*, transponendo.

*Text.* 7. 9. 18. *Quadruplex est, mutatio in forma Sacramentorum.*

Et de quacunque istarum variationum, dico, quòd si varians intendit vti verbis, quibus vtitur tanquam formâ Ecclesiæ, præcisè

e *Tertiò de forma necessaria ex parte Sacramenti*, &c. Conclusio Doctoris est, ad necessitatem Sacramenti requiri, vt exprimatur actus baptizandi, & suscipiens cum inuocatione sanctissimæ Trinitatis, non tamen persona ministri: est doctrina communis, quæ habetur ex capitulo, *Si quis*, &c. *de baptismo*, quod est Alexandri III. *Si quis puerum ter in aquam immerserit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen*, & non dixerit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen, non est puer baptizatus.*

17 *Exprimenda in forma Baptismi.*

*Actus ministri exprimendus.*

Illa autem *baptizo te* requiruntur ad expressionem actus baptizandi, & ipsum suscipientem, non aliter, quia persona ministri non necessariò exprimitur; vt patet ex forma Græcorum, & alia per *baptizatur*, & *baptizetur*; quam formam ratam habet Concilium Florentinum in decreto Vnionis Armenorum de hoc Sacramento; vbi triplicem modum exprimendi formam validam Sacramenti declarat. Primus est, *Ego te baptizo*: secundus, *baptizatur seruus Christi*, &c. siue, *baptizetur seruus Christi manibus meis*, &c. Cuius rationem subdit hanc:

Florent.

*Triplex modus exprimēdi formam validè.*

*Quoniam, cùm principalis causa, ex qua Baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit minister, qui tradit exteriùs Sacramentum, si exprimitur actus, qui per ipsum exercetur ministrum, cum sanctæ Trinitatis inuocatione perficitur Sacramentum*, &c. Quamuis autem Concilium hîc non declaret suscipientem esse exprimendum, illud supponit, quia tam forma, quàm ablutio, seu actus, vt importatur per formam, verificantur circa subiectum ablutionis; & de hoc nulla fuit controuersia, aut diuersitas in ritu quoad substantiam, licèt quoad modum grammaticalem exprimendi suscipientem fuerit varietas, qui in forma Latinorum in accusandi casu, in forma Græcorum in nominatiuo exprimitur: exprimitur tamen persona subiecti in vtraque, & significatio formæ practica ad ipsum dirigitur.

*Ratio definitionis fidei.*

*Exprimenda persona baptizati.*

Concilium autem declarat varietatem, quæ contingit circa expressionem, vel suppressionem personæ ministri, in quibus fuit diuersitas ritus inter vtramque Ecclesiam. Conclusio etiam patet Matthæi vltimo: *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij*, &c. vbi traditur forma baptizandi, vel iam tradita exprimitur iuxta sensum communem, & interpretationem Ecclesiæ.

Dubitatur autem circa modum exprimendi actum baptizandi, an debeat exprimi, vt actus ministri, ita vt si ita restringatur, vt supponat verbum pro actione Dei tantùm, vt in hac, *baptizet te Deus*, sit valida forma? Respondet Soto *in hac dist.*

*Dubium.*

præcisè, non baptizat: quia deficit ſibi intentio vtendi verbis, quibus vtitur, tanquam formâ Eccleſiæ: intendit enim vti illis verbis aliqualiter variatis, tanquam formâ præcisâ Baptiſmi.

8 Suppoſito ergo, quòd non deficiat intentio, quæramus ex parte verborum in ſe, quæ iſtarum variationum poteſt ſtare cum forma, & quæ non? Et hoc de ſingulis per ordinem.

De prima dico, quòd poteſt intelligi dupliciter, vel quòd aliud verbum ſecundùm quid ponatur in loco alicuius verborum illorum, puta alia vox: tamen idem, & ſub eadem ratione ſignificans, vel aliud verbum ſimpliciter, ſcilicet alia vox aliud ſignificatum habens. Et ſi ſecundo modo, adhuc dupliciter, quia vel illud ſignificatum eſt omnino diſparatum à ſignificato vocis, pro qua ponitur, vt ſi poneretur *lapis* loco huius, quod eſt *pater*: vel eſt ſignificatum conueniens omnino, habens idem ſubſtratum in re: & hoc contingit dupliciter, vel quia exprimit diſtinctè tres perſonas ſub aliis rationibus ſignificatas, quàm ſignificantur per hoc, *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*: & ſic eſt de iſtis nominibus *genitoris, geniti, & ſpirati*: iſta enim ſignificant perſonas ſub ratione proprietatum: non autem ſub ratione ſubſiſtentium, & hypoſtaſum. Vel illæ perſonæ ſignificantur implicitè, & hoc vel tantùm in toto collectiuo, quomodo ſignificat eas hoc nomen *ſancta Trinitas*; vel implicitè, vt in quodam importante perſonas per correſpondentiam effectus ad cauſam: & ſic importantur per hoc nomen *Chriſtus*. Hoc enim nomen ſignificat Filium ſecundùm naturam humanam, qui vnctus eſt: & dat intelligere Patrem, à quo vnctus eſt, & Spiritum ſanctum, quo vnctus eſt. Sic ergo habemus quantùm ad iſtud membrum, nomen aliud tantùm ſecundùm vocem, vel nomen, aliud habens ſignificatum omnino diſparatum: vel nomina ſignificantia tres perſonas, non ſub ratione perſonarum, vt *genitor*, *& genitus*, vel nomen ſignificans iſta collectiuè, vt *Trinitas*, vel nomen connotans perſonas, ſicut effectus cauſam.

*Chriſtus quomodo importat tres perſonas*

*Mutatio nominis quotuplex eſſe poteſt.*

De iſtis quinque, de primo, patet, quòd manet eadem forma, quia in qualibet lingua poteſt fieri Baptiſmus: fortè tamen non licet baptizanti ex officio, & ſolemniter, vti verbis cuiuſlibet linguæ: ſicut nec in confectione Euchariſtiæ: quia ordinauit Eccleſia Romana, quòd officia Eccleſiaſtica dicantur, & Sacramenta miniſtrentur in Latino Grammatico: & hoc rationabiliter, quia *diſt. queſt. vnica art.* 5. requiri, vt non excludatur, quamuis non exigitur eius expreſſio; ac proinde illa forma eſſet ſufficiens. Contrarium docet Vaſquez *diſp.* 142. *cap.* 2. tum, quia illud denotatur per verba illa Matthæi, ex quibus colligitur expreſſio actus, quæ expreſſio non exigeretur, niſi importaretur actus, vt à miniſtro eſt, alioquin tribueretur tota actio Deo, & denotaretur miniſtrum nihil concurrere, neque conſequenter Sacramenta à ſe data eſſe cauſam gratiæ, ſed ſolum Deum.

*Vaſquez negat. Requiri expreſſionem actus, vt eſt à miniſtro.*

Conſequenter dicit illam formam, quam approbat Sotus, non eſſe validam, quia reſeruat nihil miniſtro: tum, quia non competit Deo baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, quia hic modus denotat authoritatem, quam non habet Deus in ſe, ſed in miniſtro, cuius actioni rectè additur illa particula *in nomine*. Secundò ſequitur ſi forma per modum imperandi proferatur, ita vt actus ille exprimatur, vt miniſtri, validam eſſe, quia ſic authoritas per Proſopopœiam dirigitur ad effectum, ſicut ſi quis ex fide imperet arbori *tranſplantare*. Tertiò ſequitur, ſi proferatur deprecatiuè, nihil fieri, niſi denotetur per verba adiuncta actio, vt procedit à miniſtro, quia ſic reiicitur tota actio in Deum. Vnde hæc inualida eſſet: *Baptizetur ſeruus Chriſti in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, ſi deprecatiua eſt. Hæc autem valida, *per iſtam ablutionem remittat tibi Deus peccata tua*. ſicut in Sacramento Vnctionis: *Per iſtam ſacram Vnctionem remittat tibi Deus*, &c.

*Fundamenta Vaſquez.*

19 Reſpondetur tamen in forma non exprimi neceſſariò actionem, vt eſt à miniſtro: eſt Doctoris, D. Bonauenturæ, *hic in* 1. *p. diſt.... art.* 2. *queſt.* 1. Richardi *loco citato*, Durandi *queſt.* 1. Paludani *ibidem*, Gabrielis *art.* 1. Adriani *in* 4. *queſt.* 1. §. *Ad videndum*, &c. & omnium, qui formam Græcorum intelligunt deprecatiuè, in qua non ſignificatur actio vt miniſtri, vel vt eſt à miniſtro ex vi verborum.

*Contrarium defenditur.* D. Bonauent. Richardus. Durandus. Paludanus. Gabriel. Adrianus.

Quia *baptizatur*, & *baptizetur* non denotant perſonam miniſtri, cùm ſint verba paſſiua, ſed ſubiectum, in quo eſt actio per modum paſſionis: implicitè autem connotat agens correlatiuum, ſeclusâ aliâ particulâ, quæ ipſum exprimeret, ſicut correlatiua ſunt ſimul cognitione, vt eſt actio, & paſſio. Vnde in forma Græcorum nulla particula exprimit perſonam miniſtri, neque actionem explicitè, vt à miniſtro.

*Non requiri expreſſionem actus, vt à miniſtro eſt,*

Quamuis autem Florentinum addat *manibus meis*, id declarationis gratiâ fuit, non neceſſitatis, cùm Græci illam non exprimant. Neque ratio huius vſus baptizandi per Græcos introducti, aliam expreſſionem permittit; vnde, vt rectè Arcudius, ἀπ' ἐμοῦ, vel διὰ ἐμοῦ, id eſt, *à me*, vel *per me*, rectè ſubintelligitur, & ratio facta conuincit importari implicitè perſonam miniſtri, vt exerceat actionem baptizandi externam.

Ratio etiam Florentini præmiſſa idem ſupponit, docens non neceſſariò exprimi cauſam inſtrumentalem, ſed actio vt à miniſtro eatenus neceſſariò exprimenda eſſet in forma, quatenus ipſe miniſter eſſet exprimendus: hoc autem non requiritur per ipſum Vaſquez. Probatur antecedens, quia ideò exprimeretur per ipſum actio, vt eſt à miniſtro, quatenus concurſus cauſæ inſtrumentalis, ſeu miniſtri exprimendus ſit, ne alioquin denotaretur ſolus Deus eſſe cauſa gratiæ abſque miniſtro, & conſequenter abſque Sacramento,

*Exprimere actionem, vt à miniſtro, eſt ipſum miniſtrum exprimere.*

i. de dispar. quia istud distinctiùs potest scribi, & proferri De omnino impertinente patet, quòd omnino forma non seruatur.

Baptismus nomine genitoris, &c. nullus contra Caiet. 3.p.q. 66.5.

De nominibus [g] significantibus proprietates, & non personas, vt *genitor*, &c. dico, quòd non seruatur in eis forma, quia Christus voluit personas vocari nominibus personarum, & rationabiliter secundùm illud, quod tactum est in primo libro *dist.*2. vt sicut Iudæis datum erat aliquod nomen significans essentiam diuinam sub propria ratione quod ipsi vocabant nomen Dei Tetragrammaton: ita Christus dedit Ecclesiæ nomina significantia personas sub propriis rationibus. Si etiam non sic dederit, tamen benè probabile est in aliqua inuocatione, nomen personæ habere aliquam efficaciam, quam non habet nomen proprietatis personæ! petendo enim aliquod donum ab aliquo pro amore Ioannis, citiùs impetraretur, quàm si loco nominis proprij poneretur nomen significans proprietatem suppositi.

Baptismus in nomine Trinitatis, nullus.

De nomine *Trinitatis* patet, quòd Christus intellexit illas personas explicandas: in hoc autem nomine *Trinitatis*, tantùm importantur implicitè. & ideò quod dicit illud capitulum, *A quodam*: Trinitas debet intelligi explicitè pro tribus personis.

Baptismus nomine Christi olim licitus. D.Thom.3 p. q.66.6. Nùc illicitus, an teneat, dubium.

De quinto, scilicet de nomine Christi, patet, quòd aliquando licitum fuit baptizare, *Act.*2.10. de Cornelio & 19. Sed an [h] modò esset baptizatus, si sic traderetur, dubium est. Videtur quòd sic baptizans peccaret mortaliter, imò omnino non baptizaret. Primum probatur, quia legem superioris nullus inferior potest reuocare, nec simpliciter, nec ad tempus: lex de baptizando in ista forma communi, *In nomine Patris, & Filij*, &c. promulgata fuit à Christo *Matth. vltimo*: ergo eam pro tempore, pro quo Christus non reuocauit, nullus alius potest reuocare: sed licèt dispensauerit in illa lege, pro tempore primitiuæ Ecclesiæ, quia fuit ratio dispensandi, vt diuulgaretur nomen Christi: tamen illâ ratione cessante, non dispensauit: ergo nullus inferior pro tempore illo posteriori, potest aliqualiter à lege illa absolui.

10 Consimiliter probatur secundum, quia forma tradita communiter semper manet forma, nisi per formæ institutorem pro aliquo tempore fiat aliqua dispensatio: sed forma non fuit dispensatiuè tradita nisi pro tempore, pro quo fuit dispensandi ratio, scilicet in Ecclesia primitiua, vt nomen Christi diuulgaretur: ergo tempore illius dispensationis cessante, forma illa sola mento, vt ipse infert: concursus autem ministri nequit exprimi, nisi exprimatur ipse minister, quia est actio, vt fluit à virtute agentis: sed Concilium dicit sufficere, vt exprimatur actio, vt est à causa principali, & non instrumentali, quia exprimere causam respectiuè ad effectum in *fieri*, vt contingit in proposito, est exprimere causam vt influit, & ab eo effectus fit: ergo, &c.

Deinde exprimendo influxum causæ principalis, vt agit mediante instrumento, sufficienter importatur actio instrumenti, vt ab instrumento, ex præscripto ordine causarum, & influxus: sed exprimitur in forma deprecatiua in verbis præscriptis, Deus causa principalis, vt influens mediante Sacramento sensibili, quod ponitur per ministrum, & consistit proximè in actibus eius sensibilibus: ergo sufficienter importatur per hoc solùm actio, & concursus ministri, sine alia expressione. 20

Expressio causæ principalis denotat instrumentum.

Tertiò denique, quia ex natura rei, accedente institutione diuinâ, forma, & materia ab eodem ministro debent applicari; ita vt si altera harum per diuersos ministros applicetur, forma per vnum, materia per alterum, non integrent materiam, seu fundamentum significationis sacramentalis, neque sacramentaliter applicentur: ergo ex coniunctione harum ad inuicem, rectè designatur ablutio esse à proferente verba, & vtrumque ab eodem, seclusâ aliâ quacunque particulâ id exprimente ex institutione item diuina, ex ordine formæ ad materiam, tanquam compartem applicatam ab ipso proferente, ex natura tam actionis ablutiuæ, quàm prolationis verborum, ex ordine ablutionis receptæ in subiecto, & signatæ per formam, ex subordinatione Sacramenti, & ministri ad causam principalem: sufficienter, inquam, denotatur actio, vt est à ministro, vel esse ab ipso: ac proinde superfluit omnis additio ad illud exprimendum, quamdiu prædicta saluantur.

Tertia ratio.

Ex coniunctione materiæ, & formæ respectiuè ad eundem ministrum.

Peto enim quid designet ipsam formam esse à ministro? an etiam ad hoc requiratur particula vlla in forma, quæ id designet? & hoc non, vt per se patet: ergo nihil aliud hoc exprimit, præter ipsam prolationem eius, quæ fit à ministro. Eodem modo actus ablutionis factæ à ministro designat seipsum, vt dicit ordinem ad ministrum, & ministrum, vt ab eo fit visibiliter: expressiùs ergo designat ministrum in reipsa, quàm si per verba exprimeretur: hinc itaque ablutio designat ministrum; hinc forma, quæ connotat ablutionem fieri hîc & nunc circa subiectum & personam susceipientis, éstque tantùm illa, quæ fit à ministro, sufficienter denotant actionem fieri à ministro, aut vt est à ministro: neque alia eius expressio requiritur. 21

Ablutio seipsam designat visibiliter, & ministrum.

Magis mirum est quomodo præfatus author velit, etiam in forma consecrationis, denotari actionem, vt à ministro est, seu exprimi, cùm minister non proferat formam in persona propria, sed in persona Christi, neque vllum sit verbum, quod exprimatur practicè, aut speculatiuè in ordine ad personam ministri: vel si eo quòd sacerdos proferat verba consecrationis in persona Christi, denotat se habere authoritatem consecrandi; quare etiam, vt profert formam Baptismi, vt minister Christi, non denotet se esse ministrum, quamuis non exprimatur ex vi verborum explicitè.

Forma Eucharistiæ non designat in modo significandi ministrum.

Neque fundamenta, quæ adducit contra Sotum, sunt magni ponderis, hærent enim in superficie 22

ſola manet, quæ fuit forma ex inſtitutione.

*An baptizatus in nomine Chriſti ſit baptizatus?*

Quid ergo? Non audeo dicere, quòd baptizatus hodie in nomine Chriſti, eſſet baptizatus, ſed nec audeo dicere, quòd non eſſet baptizatus: quia non lego vbi fuerit illa diſpenſatio reuocata. In hoc ergo caſu reputo dubium an talis ſit baptizatus?

Circa iſtum autem tale remedium habendum eſt, ſicut vniuerſaliter in aliis dubiis adhibetur, de quo *Extrau. de Baptiſmo*, & eius effectu, de quibus dubium eſt, an baptizati fuerint, baptizentur verbis iſtis præmiſſis, *Si baptizatus es, non baptizo te: ſed ſi non es baptizatus: ego te baptizo in nomine Patris, & Filij*, &c. Et vniuerſaliter in omnibus dubiis quantùm ad materiam, & formam, ſunt tres maximæ. Prima eſt iſta, *Si poſſibilitas adeſt, via tutiſſima eſt eligenda.* Secunda, *Si non adeſt poſſibilitas, viæ tutiſſimæ proxima eſt tenenda.* Tertia eſt iſta; *Ceſſante impoſſibilitate, cautè eſt ſupplendum, quod impoſſibilitas prohibebat.*

*Tres maximæ in vſu Sacramentorũ.*

ficie verborum, vel procedunt ex ſuppoſito non admiſſo; concedimus enim Sacramentum Baptiſmi conſiſtere in *fieri*, denotate ablutionem in vſu, & exercitio, vt eſt influxu, ac proinde, vt eſt à proxima cauſa: & hoc denotatur per formam quamcunque, quæ exprimit actum baptizandi de præſenti, cum perſona ſuſcipientis, & inuocatione Trinitatis: quia ergo materia Baptiſmi eſt ablutiõ in *fieri*, & forma iam præſcripta, vt eſt in prolatione actuali non interruptâ, & ſupponunt ex ordinatione diuina intentionem miniſtri, cuius eſt hæc applicare, denotatur actio vt à miniſtro eſt; non quòd hoc debeat neceſſariò exprimi per ipſa verba formæ, quæ verificatur ſpeculatiuè, & practicè circa ſubiectum, & non circa perſonam miniſtri neceſſariò.

*Soluuntur fundamenta Vaſquez.*

*Deſignari actionem, vt à miniſtro, non exprimi per formam.*

Negatur ergo prima ſequela, ex iam dictis, nempe denotari actionem illam eſſe ſolius Dei, priuatiuè ad cauſam inſtrumentalem vtramque, tam miniſtrum, quàm Sacramentum. Neque illam doctrinam admitto, quàm ex Alenſi pro fundamento ſtatuit, nempe per actionem miniſtri rectè deſignari actionem Dei, vt cauſæ principalis, non è contrà: quia relatiua eodem modo ſe habent ad inuicem, quot enim modis dicitur *inſtrumentum*, tot modis etiam *cauſa principalis*. Licèt ergo de potentia abſoluta Deus poſſit gratiam conferre ſine miniſtro, & Sacramento, tamen de potentia ordinaria, vt agit mediante Sacramento, agit mediante miniſtro, vt inſtrumentali cauſa: & hoc modo actio Dei mediante Sacramento,

*Doctrina non admittitur.*

quæ explicatur in forma prædicta, importat actionem miniſtri conficientis Sacramentum.

Neque Patres agentes contra Donatiſtas, dum negarent miniſtrum ſanctificare, vel dare effectum Sacramenti, quem Deo reſeruant (vt infrà videbimus) ex illa forma, & modo loquendi, excludunt actionem miniſtri inſtrumentalem, multò minùs excluditur per illam formam, quæ excluſiua non eſt, ex vi verborum, & modo ſignificandi, licèt exprimat tantùm cauſam principalem, vt agentem per Sacramentum. Et ex his negatur altera conſequentia.

*Forma non eſt excluſiua.*

23 *Ad alia reſpondetur. Maior expreſſa non officit.*

Ad formam illam, quã reprobat, Reſpondetur eſſe bonam. Ad improbationem, Reſpondetur expreſſionem maiorem alicuius in forma non vitiare ipſam; ſicut quando dicitur, *Ego baptizo te Paulum*, vbi pronomina ſubintellecta exprimuntur, & ſi addatur iſtis *Spiritus ſancti ab vtroque procedentis*, &c. neque illa eſt interpretatio congrua illius formæ, quam ibidem ſubiungit, quaſi inuocatio Trinitatis referatur ad Deum, vel baptizatio miniſterialis, tanquam à Deo facta, ſed ad miniſtrum deprecantem Deum, vt conferat effectum per inuocationem trium perſonarum, factam in forma à miniſtro: ſicut ſæpè inuocamus Deum, vt per nomen ſanctum ſuum ſit nobis propitius, *Deus in nomine tuo ſaluum me fac*, &c. neque etiam rectè interpretatur illud *in nomine*, quaſi deſignaret authoritatem baptizandi, quam habet miniſter, quia deſignat potiùs poteſtatem Dei, & vnitatem perſonarum reſpectiuè ad baptizatum, & effectum ablutionis animæ à peccato. Cætera, quæ ibidem adducit contra cauſam prætenſam à Scholaſticis mutationis formæ factæ in Eccleſia Græca, iam impugnauimus.

24 *Verba principalia, & minùs principalia.*

f *De verbis autem principalibus*, &c. In forma diſtinguit Doctor, quoad ea etiam, quæ eſſentialia ſunt, quædam verba principalia, & quædam minùs principalia. Principalia continent inuocationem Trinitatis; minùs principalia ſunt verba, quibus quibus exprimitur actus baptizandi, & perſona ſuſcipiens.

Hæc diſtinctio non ſumitur in eo ſenſu, quaſi ſi deeſſet aliquod verbum, quod dicitur minùs principale, perficeretur forma in ſenſu ſacramentali, in quo perinde forma dependet æquè ab omnibus, quia deficiente quocunque, nihil fit; & ſic quæcunque ſic ſunt principalia. Dicitur ergo *principale*, primò quantùm ad modum ſignificandi expreſſiùs, & magis propriè; & ſic inuocatio Trinitatis debet fieri nominibus propriis; alia verba per æquiualentiam, licèt non adeò propria, poſſunt ſuppleri, modò exprimant actum, vt *abluo, immergo*, & huiuſmodi, vel ſuſcipientem, vt *Paulum, ſeruum Chriſti*, &c. Secundò dicuntur principalia quantùm ad ſignificatum, quia exprimunt cauſam principalem, à qua eſt effectus: alia verò ſubiectum, in quod recipitur, & actum exteriorem exercitum à miniſtro, vel ipſum effectum interiorem cauſatum in anima: & hanc tangunt authoritates Patrum, qui dicunt *in nomine*, & inuocatione Trinitatis ſanctificari nos per Baptiſmum, & ſupponit Florentinum ſuprà.

*Explicatur diſtinctio.*

*Principalia quo ſenſu dicantur.*

His itaque ſuppoſitis, Doctor hîc determinat de variatione facta in forma, & de verbis præcisè requiſitis. Supponit ergo, ex Philoſopho, quatuor eſſe in genere mutationes. Prima, quæ fit in Subſtantia; ſecunda, quæ in Quantitate; tertia, quæ in Qualitate; quarta, quæ ſpectat ad *Vbi*; & ſeruatâ proportione totidem modis poſſe formam Sacramenti mutari. Et idem dico de materia. Ex iis ergo, quæ hîc tradit Doctor de variatione circa formam Baptiſmi, applicando principia generaliter ad formam aliorum Sacramentorum, ſtatuo has regulas.

25 *De variatione forma. Mutatio quadruplex.*

*Varia regula.*

Prima regula, *Mutatio formæ per verba ſinonyma eiuſdem, vel diuerſi idiomatis, non eſt ſubſtantialis, ſed acciden*

26 *Prima reg.*

*Mutatio accidentalis.* *accidentalis, & sic ritè conficitur per talem formam:* patet in exemplo de forma Baptismi apud Græcos, & Latinos.

27 *Secunda regula. Mutatio substantialis. Mutationi verbi, & eorum cõnexione.* Secunda regula: *Illa est mutatio substantialis in forma, quæ destruit sensum sacramentalem.* Pro quo aduertendum est, illum dependere à quibusdam particulis formæ, & etiam dispositione earum, quæ se mutuò determinant, vnde consurgat sensus formæ: verbi gratiâ, in forma Baptismi, vt dictum est, requiritur expressio actus, & suscipientis cum inuocatione Trinitatis; si hæc manent, quamuis mutetur forma Grammaticaliter, non mutatur substantialiter in sensu Theologico; éstque valida. His mutatis contrarium contingit: quæ autem verba, quæ dispositio sit substantialis hoc modo, dependet à tractatu in specie de singulis Sacramentis.

28 *Tertia regula.* Tertia regula: *Mutatio facta in forma animo inducendi errorem, modò illa maneat, quoad sensum substantialem, non est substantialis.* Est contra D. Thomam *quæst. 66. art. 8.* Richardum *hîc art. 2.* Aliacensem *quæst. 2.* Adrianum, & alios. Probatur, quia Græci, vt refert Durandus, & Sotus, vel aliqui eorum, vt moderni apud Arcudium suprà; & aliqui ex antiquis apud Innocentium, ita vtuntur forma Baptismi, vt putent eam esse omnino necessariam, & formam Latinorum nullam; tamen validè baptizant, modò saluetur intentio; quæ si deficiat, nullitas non est ex defectu formæ, sed intentionis.

*D. Thom. Richard. Aliacensis. Adrianus. Durand. Soto.* *Error particularis non annullat Sacramentum modò adsit intentio.*

*Responsio. Impugnatur.* Respondet Durandus & Sotus, id verum esse, modò ritus ipsorum toleretur ab Ecclesia; secus si contrarium contingat. Contrà, quòd ritus toleretur, vel non, non facit ad essentiam formæ, quæ non dependet in sensu suo ab Ecclesia, aut ministro, sed à sola institutione Christi: ergo quamdiu manet forma quoad requisita à Christo instituta, semper erit de se efficax, quantùm ex parte formæ, quia aliàs esset signum æquiuocum & fallibile: sicut autem institutio formæ non dependet ab Ecclesia, sic nec sensus eius substantialis, & sacramentalis.

*Sensus formæ non dependet ab Ecclesia.*

*Obiectio.* Obiicies responsionem Zachariæ Papæ *de Consecrat. dist. 4. c. Retulerunt:* circa baptizantem *in nomine Patria, & filia,* &c. qui Baptismum decernit esse validum, modò non animo inducendi errorem sic baptizauerit. Respondetur defectum, qui tum contingeret, esse ex defectu intentionis, & non formæ.

29 *Quarta regula.* Quarta regula: *Significatio formæ non dependet ab intentione ministri, ita vt per eam reddatur valida, quæ aliàs fuit inualida; vel econtrà.* Hęc est cõtra Suarez *tom. 3. in 3. p. disp. 2. sect. 5.* ponit enim casum, si forma sit ambigua, & verum sensum eius intendat minister, validè per eam conficere Sacramentum: si autem sensum falsum intendat, nihil facere, non solùm ex defectu intentionis, sed etiam formæ. Contrarium probatur ex dictis, quia formæ significatio dependet ab institutione, & acceptatione communi; si loquamur de humana, quæ est per authoritatem publicam; vnde intentionem interpretamur per verba, non econtrà: & in contractibus, & transactionibus statur verbis, non intentioni, quæ nequit aliter cognosci, quàm per verba. Sicut ergo intentio priuata non dat significationem verbis, ita neque suppositionem: (licèt enim in ordine ad seipsum posset hoc, vel illud intendere per verba,) verba tamen dant intelligere hoc, quod important per communem impositionem, & acceptationem.

*Suarez. Eius sententia.*

*Significatio est ex institutio.*

Eâdem ratione patet significationem practicam, quæ est ex institutione Christi, non dependere ab intentione proferentis priuatâ, ac proinde intentio accommodata formæ in sensu sacramentali, non est priuata intentio ministri, qualitercumque concepta; sed intentio communis, quam habet, vt minister Ecclesiæ, & Christi, quæ saluari potest, manente priuatâ corruptâ per errorem: hoc non esset verum, si intentio priuata ministri posset distrahere, aut determinare formam quoad sensum: nam Arianus ex errore (quem tamen in forma non exprimit) in forma Baptismi intendit Filium non esse consubstantialem Patri, neque particulam, *in nomine*, significare vnitatem trium personarum, quæ intentio eius non distrahit formam à sensu sacramentali, modò intendat conferre Baptismum Christi: & hoc ideò, quia forma in sua significatione non dependet ab intentione eius priuata, sed ab institutione Christi.

*Intentio accommodata formæ.*

Ad propositum ergo inquiro, an forma ambigua faciat determinatè sensum sacramentalem ex vi verborum, quamuis ad alium sensum, etiam quouis modo torqueri possit? si sic, validè conficit, modò adsint reliqua, vt intentio ministri: si contrarium, nihil fiet, quantumlibet minister intendat sensum sacramentalem: nam præter intentionem ministri requiritur forma ex vi verborum significans. Vnde si quis intenderet per hanc formam baptizare, *Ego te baptizo in nomine Patris, & cætera,* per particulam, *& cætera* intendens reliqua, quæ supersunt, nihil faceret: per hanc, *hæc est vera oratio, baptizo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, nihil fieret, quantumcumque haberet intentionem baptizandi: quia illa prolatio formæ, vel forma sic prolata, non supponit pro sensu sacramentali, sed pro subiecto præmisso: *talia enim sunt prædicata, qualia permittuntur à subiectis*; & forma hoc modo recitatiuè dicitur, & non significatiuè, quia sic proferens formam, non profert vt minister Sacramenti & practicè, sed vt Theologus, aut dialecticus in ordine ad enuntiationem speculatiuam; & si intenderet conficere, nihil fieret ex defectu formæ. 30

Præterea nulla est forma, quin aliqua eius verba possint torqueri ad sensum æquiuocum, saltem in sensu tropico, & figurato; vt *absoluo te*, supple à vinculis materialibus, aut ab excommunicatione, & censuris; vel certè recitatiuè, vel significatiuè proferri potest, hoc est speculatiuè, vel practicè: ergo si minister debeat, excludendo sensum ambiguum, quacumque ratione supponi possit, determinare sacramentalem significationem, sæpiùs committit Sacramentum nullum, quando non reflectit. 31 *Inconueniens illius sententia.*

Dices, sufficere intentionem vniuersalem, quæ determinat ad sensum sacramentalem. Contrà: ergo, saluâ illâ, semper validè fiet Sacramentum, quantumcumque per priuatum errorem, aut malitiam intendat sensum disparatum; & sic tollitur casus: si autem non habeat prædictam vniuersalem, aut particularem, ad faciendum Sacramentum, ille defectus est intentionis, & ministri, non autem determinationis in forma, quæ vtcumque fuerit determinata, non applicatur nisi per intentionem ministri. *Responsio. Impugnatur.*

Aliud autem est formam esse sufficientem de se; aliud esse applicatam ab intentione ministri,

recipit determinationem, quantùm ad ſui applicationem; non tamen quantùm ad ſignificationem: & per hoc patet ad illud, quod obiicitur, ex illo cap. *Retulerunt.*

32 *Explicatur caſus cap. Retulerunt.*

Sed dices, forma illa: *in nomine Patria, & filia*, &c. continet in ſe verba omnino diuerſæ ſignificationis ab iis, quæ inſtituta ſunt: ergo quoad formam erit inualidum Sacramentum, niſi poſſit recipere limitationem à proferentis intentione. Reſpondetur in eo contextu non eſſe diuerſæ ſignificationis, neque verba ſignificata ſua, aliàs propria, poſſunt ſupponere, quia forma debet facere ſenſum aliquem rationabilem & humanum, aliàs non haberet rationem ſigni: talem autem ſenſum in propoſito nequit alium facere quàm ſacramentalem; ideóque vnuſquiſque intelligit ad eum tantùm ſenſum referri verba, & eſſe corrupta quoad terminationem finalem, cùm alium ſenſum non faciant, qui ſit in vſu: ac proinde intelligunt ibi non eſſe verba alia ſubſtituta, ſed eadem ipſa formæ, corrupta in terminatione finali.

Dices, quid ergo dubitat Pontifex, an animo inducendi noui ritus erronei id fecerit? Reſpondetur, quia in eo caſu forma ſupponeret pro verbis non corruptis, & ſic non faceret ſenſum congruum: vnde intelligenda eſſet forma in ſenſu diſparato: potuit autem ita contingere ex malitia miniſtri. Vnde Gnoſtici apud Irenæum lib. 1. cap. 18. *in nomine* (ſeu *in nomen*, vt apud alios legitur) *Patris ignoti, & veritatis matris omnium, & deſcendentis Ieſu*, &c. baptizabant. Quæ forma tam diſparata videtur, quàm prior; etiamſi in ſenſu intelligeretur diuerſo, ab eo quem iam explicauimus.

*Forma Gnoſticorum.* Irenæus.

33 *Quinta regula.*

Quinta regula; *Eandem eſſe formam & materiam Sacramentorum per vniuerſam Eccleſiam; eandem dico quoad ſubſtantiam & eſſentiam.* Hæc eſt de fide, & contra quoſdam Canoniſtas in cap. 1. *de Baptiſmo*, qui putant in Eccleſia Græca ſufficere præſcriptam formam *baptizetur*, &c. ſi quis tamen in Latina ea vteretur, nihil faceret. Ratio veritatis eſt, quia Sacramenta quoad ſubſtantiam non ſubſunt Eccleſiæ, ſed quoad diſpenſationem & ritum accidentalem, ſeu extrinſecum, vt ſupponit Tridentinum *ſeſſ. 21. cap. 2.*

*Error Canoniſtarum.*

*Fundamentum præmiſſæ regulæ.*

Trident.

*Varij errores, & corruptelæ.*

Fuerunt & alij errores circa ſubſtantiam formæ baptiſmalis, vt illorum, qui in nomine trium Patrum, vel trium Paracletorum, tempore Apoſtolorum baptizabant; de quibus *canon* 48. vel 49. Apoſtolorum. Marcionitæ, qui & Gnoſtici, negabant Deum Patrem, quem annuntiârunt Scripturæ & Prophetæ eſſe patrem Domini noſtri, quia hic notus eſt, ille verò ignotus: ideò vrebantur formâ præmiſſâ: *In nomine Patris ignoti*, &c. Paulianiſtæ etiam non ſeruabant veram formam, ſicut & Cataphryges *1. q. 1. Nicen. can. 19.* Ariani etiam corrumpebant formam. Arelatenſe I. *can. 8.* Nicephorus *lib. 13. cap. 35.* Eunomiani quandoque non baptizabant in nomine trium perſonarum, ſed in Domini morte. Socrates *lib. 5. c. 23. Can. 50. Apoſtolorum.*

34 g *De nominibus ſignificantibus proprietates*, &c. Propoſuit quinque modos, quibus mutatio fieri poteſt in hac forma, per variationem dictionis. Primo modo, vt ſit variatio ſecundùm ſonum dumtaxat, & non quoad ſignificationem, aut modum ſignificandi; & hæc variatio non officit. Alio modo vt variatio ſit quoad ſignificationem vocis, & ſignificatum, vel omnino diſparatum, & ſic nihil fiet; vel conueniens in re, ſed aliter ſignificans, & ſub alia ratione, quàm per formam præmiſſam exprimitur: verbi gratiâ, ſi explicentur tres perſonæ per dictionem collectiuam *Trinitatis*, vel per proprietates notionales, vt *genitoris, geniti, & procedentis*; vel in aliquo per modum effectus denotans tres perſonas; ſicut *Chriſtus* denotat vngentem, qui eſt pater, vnctum, qui eſt ipſe, & vnctionem, quæ ſignificat Spiritum ſanctum. Ac tandem reſoluit quid ſit tenendum circa illam formam, *Baptizo te in nomine genitoris, & geniti, & procedentis*, &c.

Dicit ergo formam illam non eſſe ſufficientem, quæ eſt cómunis. Altiſiodorenſis *lib. 3. Summæ tract. 3. cap. 4. quæſt. 4.* Alenſis *4. part. quæſt. 8. m. 3. art. 3.* D. Thomæ *3. part. quæſt. 66. art. 5. ad 7.* D. Bonauenturæ cum reliquis Sententiariis *in hac diſt.* Sotus autem negat in praxi eſſe ſequendam contrariam; quidquid ſit de veritate eius ſpeculatiua: quam probabilem etiam cenſet Suarez *diſp. 21. ſect. 4.* non in vſu ſequendam. Contrariam amplectitur Caietanus ſuper *art. 5.* D. Thomæ loco citato; & Victoria *de Baptiſmo* §. 14. Probatur ratione Doctoris ſententia communis: quia ſicut Iudæis datum eſt nomen יְהוָה *Iehoua*, Tetragrammaton, quod ſignificat Deum ſub ratione eſſentiæ propriæ, & cuius eſſet vſus inuocando Deum, & proteſtando fidem vnius Dei, quæ fuit explicita in omnibus, & ſingulis illius legis: ita etiam, cùm fides Trinitatis ſit explicita in populo Chriſtiano, ad quam omnes tenentur, ſicut ad inuocationem Dei in tribus perſonis; congruum fuit vt Chriſtus exprimeret, ſicut expreſſit, nomina propria trium perſonarum in ordine ad proteſtandam fidem, & inuocationem Dei, ſeu trium perſonarum in vna eſſentia; quia, vt inquit, quando exprimitur perſona alicuius, cuius intuitu poſtulamus gratiam, per proprium nomen, facilíùs impetratur, quod petitur, quia nempe exprimitur perfectiùs motiuum ſic, quàm ſi per aliquam proprietatem exponeretur: verbi gratiâ, ſi dicatur per filium Zebedæi, vel huiuſmodi, intelligendo Ioannem.

35 *Cõcluſio negatiua.* Altiſiodor. Alenſis. D. Thom. D. Bonau. Sotus. Suarez.

*Probatio concluſionis.*

*Congruentia appoſita.*

*Requiri inuocationem trium perſonarũ ſub notione ſuppoſiti.*

Cùm in Baptiſmo itaque per inuocationem Trinitatis, & fiat proteſtatio fidei in facie Eccleſiæ, & petatur gratia regenerans in Chriſtum, congruum fuit, vt inuocatio inſtitueretur perſonarum ſub propriis nominibus, prout Chriſtus expreſſit *Matthæi vltimo*, & Eccleſia ſemper tenuit in vſu tam profeſſionis fidei, quàm inuocationis diuinarum perſonarum, edocta tam ex loco prædicto, quàm ex aliis, *Quidquid petieritis patrem in nomine meo. Nemo nouit patrem niſi filius*, &c. *Pater clarifica*, &c. & vbique in Teſtamento nouo hic modus exprimendi perſonas eſt in vſu, quo vtitur Eccleſia in Symbolis, & orationibus, & benedictionibus; eſtque magis accommodus captui omnium: quia non omnes intelligunt notiones diuinarum perſonarum, aut intelligere poſſunt.

36

Sicut ergo forma Baptiſmi ita eſt tradita, vt ſicut miniſterium Sacramenti fieret cómune cuicumque quantùm ad valorẽ, tam vitis, quàm mulieribus, tam fidelibus, quàm infidelibus, qui conferre poſſunt Sacramentũ validè in omni caſu, & licitè in caſu neceſſitatis; ita etiam cõgruum fuit, vt fieret per propria nomina perſonarum, quibus fides explicita Trinitatis, & inuocatio, ſecundùm captum cuiuſque exprimeretur, & non per alia, quæ captum excedunt vulgarem.

Hoc

Hoc ipsum declaratur exemplo: verbi gratiâ, in materia Eucharistiæ institutus est panis vsualis; hinc in pasta nequit consecrari, quamuis specie physica non distinguatur à pane, quia nempe panis non est vsualis; licèt quantùm ad effectum nutritionis, panis dici possit, respectu eius, cuius stomachum non offenderet. Ita in verbis contingere potest, vt ea quorum vsus est communis, & accommodatus captui omnium congruum fuerit institui, non alia, licèt respectu aliquorum sint æquialentia, nempe Theologorum; non tamen respectu omnium, quibus accommodari debuit forma; sicut & potestas ministrandi Sacramentum ad eos fuit translata.

37 *Vasquez reijcitur.* Fundamentum ergo primarium est institutio Christi accedente vsu, & interpretatione tam Ecclesiæ, quàm Doctorum. Vasquez *disp.* 144. *cap.* 3. putat Doctorem deficere in suo discursu, quia non assignat rationem, quare inuocatio personarum sub nominibus propriis fieri debeat, & non sub æquialentibus, *quod docere*, inquit, *deberet ipse, & alij quos reijcit.* Sed non integrum Doctoris discursum ponderat: illa enim est conclusio communis, quam probationis loco non substituit Doctor, sed assertionis. Eam probat ex ratione præmissa, sumptâ congruentiâ ex modo inuocandi Deum, & significandi vsu Synagogæ per nomen יהוה *Iehoua*, Tetragrammaton proprium Dei. Congruum erat etiam Christum sic instituisse formam Baptismi sub inuocatione personarum sub nominibus propriis, quia talis inuocatio proponit motiuum expressius, ex quo reddatur magis efficax inuocatio: totum autem refertur ad institutionem, quia non obseruabatur in illa *genitoris & geniti*, &c. forma instituta à Christo. Comprehendit etiam Doctor sub inuocatione trium personarum, non solùm expressionem causæ principalis; sed etiam professionem fidei, prout omnes supponunt, cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, & professio legis Euangelicæ, & ad vtrumque deseruit expressio personarum sub nominibus propriis.

Negat etiam æquiualentiam vtriusque formæ, quantùm ad modum significandi speculatiuè, & quantùm ad significationem practicè, seu efficaciam. Comprehendit ergo in re quidquid superaddit Vasquez; quamuis tantùm declaret inuocationem respectiuè ad effectum Sacramenti, vt est expressio principalis causæ sanctificantis: prout etiam est ex vsu Conciliorum, speciatim Florentini, ac Patrum, contra Donatistas, & alios hæreticos iam præmissos.

38 Caietan. *Prima obiectio.* Obiicit Caietanus in cap. *A quodam Iudæo*, approbari Baptismum in nomine Trinitatis, vel in nomine Christi collatum: ergo à fortiori in prædicta forma collatum; quæ magis accedit ad formam ordinariam, & continet expressam inuocationem Trinitatis. Respondetur per *Trinitatem* intelligi explicitam inuocationem per propria nomina, sicut dictum est. Quantùm ad secundum de Baptismo collato in nomine Christi, respondebitur in sequentibus. Ita Doctor.

*Soluitur.*

*Secunda obiectio.* Obiicit secundò Ambrosium *lib.* 1. *de Spiritu sancto*, vbi dicit per nomen Christi dari intelligi Trinitatem, quia vngentem, vnctum, & vnctionem: ergo constat inuocationem implicitè Trinitatis sufficere. Respondetur negando consequentiam, & declarabitur antecedens infrà.

*Soluitur.*

39 *Tertia obiectio.* Obiicit tertiò Eugenium IV. in decreto fidei, licèt posuerit inuocationem Trinitatis sub propriis nominibus in forma, non reprobare aliam, quæ aliter per synonyma exprimeret mysterium, & insinuat in ratione, quam adducit pro forma Græcorum, & eius sufficientia, quia denotat actum ministri, & inuocationem Sanctissimæ Trinitatis, vt causæ principalis: ergo id sufficit. Respondetur eum intendere, illam inuocationem, vt tradita est in formis, quas approbat, non aliter, sufficere: abstinere autem ab incertis opinionibus: quia illam, quam defendit Caietanus & Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 7. *art.* 5. vt probabiliorem docet Glossa in cap. *Multi, de consecrat. dist.* 4. tanquam legitimam, & hoc ante Eugenium. *Responsio.* Ledesma. Glossa.

Obiicit quartò, quòd illa forma sit æquialens, sed hoc ex dictis negatur, quia licèt æquialens aliquo modo speculatiuè, vt quidam volunt, non tamen practicè, quia id dependet ab instituto. Melius negatur etiam primum ex Doctore, quia notiones non designant personas, sed proprietates. Sed vrget Suarez, quòd etiam Pater formaliter significat proprietatem. Respondetur negando antecedens, quia non sumitur *Pater* denominatiuè in hac forma, sed substantiuè, prout subsistit, licèt importet sic constitutiuum sui: notio autem significat proprietatem; nam licèt in re sit eadem cum paternitate, tamen significat actum notionalem, vt est ad terminum per modum actus productiui, & non constitutionem personæ sub illa ratione, & modo significandi vocis: *paternitas* autem significat subsistentiam per modum constituentis: sic ergo differunt illæ voces in modo significandi, etiam speculatiuè. Vide Doctorem infrà *resp. ad* 7. 40 *Quarta obiectio. Soluitur.* Suarez. *Pater substantiuè sumitur.*

Obiicit quintò exempla, vt, *Ego baptizo te in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti: in nomine Patris, & Filij, & Spiritus paracleti.* Respondetur primam formam non esse validam, secundam autem validam esse, quia mutatio illa est solius epitheti, non substantiæ; *Spiritus* enim significat personam: vnde si tollatur epithetum, valet secundùm aliquos; vel saltem si mutetur in aliud, quòd soli personæ competit, nihil obest. Sequitur ex his minùs valere inuocationem Trinitatis implicitam, per nomen collectiuum, vt benè Doctor: cuius oppositum docet Caietanus: nam vbicumque dicitur Baptismum debere fieri in nomine Trinitatis, intelligitur explicitè inuocatio personarum, prout Christus expressit, éstque ex vsu Ecclesiæ. *Quinta obiectio. Responsio.* *Formam per inuocationem implicitè non valere.*

Dubitari solet quid designet illud *in nomine* positum in forma; & an sit particula substantialis? de quo nihil Doctor in præsenti quæstione. Supponit Doctor §. *De tertio*, &c. *quarta mutatio*, vbi insinuat designare vnitatem trium personarum; aliqui putant intelligi fidem, & confessionem. Hugo de Sancto Victore *lib.* 2. *de Sacramentis, part.* 6. *cap.* 2. Alij autem intelligunt exprimi Deitatem, authoritatem, & potentiam cum vnitate. Ambrosius *lib.* 2. *de Sacramentis cap.* 7. Nazianzenus *oratione* 40. Hieronymus *in illud ad Ephesios* 4. *Vnus Dominus*, &c. Augustinus *lib.* 3. *contra Maximinum cap.* 32. Supponit idem Doctor dicto §. *de Tertiò*, &c. *quarta mutatio* insinuat designare vnitatem trium personarum. Respondetur vtrumque rectè designari; nam in Sacramento exprimi debet causa principalis, qui est vnus Deus vnus in substantia, 41 *In nomine quid designet?* Hugo. Ambros. Nazianzen. Hieron. Augustin.

& trinus in perſonis ; & huius profeſſio publica in facie Eccleſiæ per Sacramenti ſuſceptionem fit, quantùm eſt ex natura, & inſtitutione actus.

Idem deſignat fides Eccleſiæ, per quam miniſtratur Sacramentum,& inuocatio ex eadem fide: qui enim non confitetur Patrem eſſe Deum, & reliquas perſonas eſſe eundem Deum, non inuocat Trinitatem. Vna ergo eſt fides, & confeſſio perfecta diuinarum perſonarum; ſicut & vna Deitas, per quam conuenit ipſis ſanctificare: vnde iſta coniungit Apoſtolus ad Epheſios 4. *Vnus Dominus,vna fides,vnum baptiſma vnus Deus*,&c.

43 Rectè itaque confeſſio vnius fidei, in qua vocantur, & vniuntur in Baptiſmo fideles, per illam particulam datur intelligi ; prout multi Magiſter. Scholaſtici,poſt Hugonem, intellexerunt:vt Magiſter in litera exponit *in nomine*, id eſt, inuocatione, vel confeſſione: Alenſis, D. Bonauentura, D. Bonau. Gabriel, Paludanus. Fauent loca Auguſtini,quibus dicit Baptiſmum in fide Eccleſiæ valere,quod perinde eſt ac confeſſione Eccleſiæ:non rectè ergo Vaſquez reprehendit hanc interpretationem *Reijcitur Vaſquez.* Hugonis, & antiquorum, quaſi duram, & extortam. Negat etiam Baptiſmum datum in fide, & confeſſione Patris, & Filij, & Spiritus ſancti,eſſe validum, *quia*, inquit, *baptizans,verbi gratiâ, poteſt errare in fide Trinitatis, negando conſubſtantialitatem trium perſonarum, vt ſi ſit Arianus.* Sed hoc nihil eſt, quia non intelligitur illa particula *in fide*, vel *confeſſione*, de fide priuata miniſtri baptizantis, ſed de fide Eccleſiæ, cuius eſt miniſter; *In fide Trinitatis baptizari, idem quod in nomine.* ſicut neque intentio eius priuata officit,etiam ex errore concepta, modò ſeruet communem intentionem, quam habet Eccleſia ; & ſi intelligatur particula de fide obiectiua articuli, vel de ipſo actu publico, & externo, in quo eiuſdem fidei proteſtatio fit,connotando etiam internum, quo creditur conformiter ad Eccleſiam, perinde eſt, atque æquiualet, quia tam actus internus, quàm externus ſupponunt pro obiecto, non ſecus ac ſignum vocale:quia non minùs vox ſupponit pro obiecto, quàm conceptus ; & enuntiatio primariò inuenitur in mente,ſecundariò in voce.

Intelligitur autem *fides* & *confeſſio* non in omni ſua extenſione ad articulos materiales quoſcumque, ſed præcisè, vt limitatur per verba ſequentia *Patris & Filij*, &c. ad fidem & confeſſionem myſterij Trinitatis, quod proponitur in forma; ideóque Magiſter in litera inuocationem, & fidem,ſeu confeſſionem Trinitatis ſynonymè, & non ſub diſiunctione,aut diuerſitate ſumit; quod Ambroſius ab eodem citatus facit ; & Altiſiodorenſis *tract.3.cap.4. queſt.* 4. fidem & vnitatem Dei debere exprimi in forma Baptiſmi, ſumens illa ſynonymè, nempe *fidem* & *vnitatem*, cui conſentiunt Patres citati.

Ex his patet ad ſecundum, illam particulam, vel in ſe, vel æquiualenter expreſſam, eſſe ſubſtantialem: vnde qui diceret *in nominibus, in authoritatibus, in poteſtatibus Patris, & Filij*,&c. nihil faceret.

44 Sed quid dicendum, an particula *in*, vel *per* ſufficienter denotet vnitatem perſonarum? vt ſi quis baptizet *in Patre, & Filio, & Spiritu ſancto?* Vel *per Patrem,& Filium, & Spiritum ſanctum*,&c. Vaſquez. quod perinde eſt. Vaſquez, & alij moderni videntur negare Baptiſmum eſſe validum, quia debet exprimi vnitas diuinarum perſonarum in *Reſponſio.* forma. Reſpondetur tamen, ſaluo meliori iudicio, in illa forma ſufficienter exprimi vnitatem, quia exprimitur in ea cauſa principalis ſanctificans; & illæ propoſitiones *in* & *per* deſignant authoritatem, & poteſtatem trium perſonarum vnam. Vnde Apoſtolus ad Romanos 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu*, &c. ad Galatas 3. *Quicumque in Chriſto Ieſu baptizati eſtis*, &c. ad Epheſios 4. *Nolite contriſtare Spiritum ſanctum Dei, in quo ſignati eſtis*, &c. Ad Coloſſenſes 2. *in quo circumciſi eſtis*, &c. quibus in locis particula *in* ex modo loquendi Scripturæ deſignat poteſtatem, & authoritatem trium perſonarum, maximè iuxta expoſitionem eorum, qui negant fuiſſe aliter datum Baptiſma : & perinde eſt dicere *baptizari in Chriſto Ieſu*, ac *baptizari in nomine Chriſti Ieſu.*

Quam formam loquendi expreſſit Petrus, Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*, &c. ergo eodem modo ſignificat poteſtatem, & *nomen Patriæ, & Filij, & Spiritus ſancti*, etiam ſub ratione vnitatis, ſeu vnius, etiam de rigore ſermonis, quoniam ſine differentia,& vniformiter ad tres perſonas refertur, & ſupponit pro poteſtate, quam in re ipſa habent vnam ; nec requiritur expreſſio vnitatis aliter quàm implicitè, quia particula *in nomine*, eo ipſo quòd in ſingulari ponitur, arguit vnitatem ex modo ſignificandi ſingulariter, non exprimit inſtitutione prima vocis. Hinc Athanaſius in Symbolo : *Deus Pater,* Athanaſius. *Deus Filius, Deus Spiritus ſanctus*, non nugatoriè ſubiungit explicitum conceptum vnitatis: *non tres Dij, ſed vnus eſt Deus : Omnipotens Pater, omnipotens Filius*, &c. *non tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens*,&c. & Hieronymus ad Epheſios 4. *Vnus Dominus*,&c. *non baptizamur in nominibus Patris, & Filij*, &c. *ſed in nomine vno quod intelligitur Deus*,&c.

Huic ſententiæ fauet Tertullianus lib.de præ- 45 ſcriptionibus aduersùs hæreſes,cap.20. *Iuſſit gen-* Tertullian. *tes baptizari*, inquit, (ſupple Chriſtus) *tingentes in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Et lib.contra Praxeam,cap.26. *Mandans,vt tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum*, &c. Hieronymus, dialogo contra Lucife- Hieron. rianos,cap.3. *Cùm in Patre,& Filio,& Spiritu ſancto baptizatus homo templum Domini fiat.* & ca- *Canon Apoſtolorum.* non Apoſtolorum 49. *Qui non baptizauerit in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum.* Reſpondet *Reſponſio.* Vaſquez, Tertullianum agere de præcepto baptizandi, non de forma Baptiſmi. Contrà, Ter- *Impugnatur.* tullianus non ſolùm præceptum tradit, ſed etiam formam ex Matthæo : & ſaltem contra Praxeam id verum eſt, cùm ex ipſa forma probet contra eundem, Patrem diſtingui in perſona à Filio : vnde ſubdit, *non in vnum* (ſupple quoad perſonas) *nam nec ſemel, ſed per ſingula nomina in perſonas ſingulas tingimur.* Vbi & ritum, & formam Baptiſmi deſignat ; vt rectè etiam aduertit Pamelius annotatione prima in lib. eiuſdem Tertulliani de Baptiſmo:eodémque modo canon præfatus Apoſtolorum tradit formam baptizãdi contra hęreticos baptizantes *in nomine trium principio carentium, vt trium Filiorum, vel trium paracletorum.* Quamuis autem verſio Latina,tam Dionyſij Exigui, quàm Gratiani, vertat *in nomine Patris, & Filij*,&c. non ſic continetur in textu Græco, ſed *in Patrem, & Filium*, vt rectè notauit ipſe Vaſquez,quamuis non reſpondeat niſi ad Tertullianum. Canon autem ita habet : εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος χρῖσμα τῷ κυρίῳ διάταξιν μὴ βαπίσῃ εἰς

εἰς πατέρα, ἢ υἱὸν, ἢ ἅγιον πνεῦμα; ἀλλ' εἰς τρεῖς ἀνάρχους, ἢ τρεῖς υἱοὺς, &c. καθαιρείσθω. *Si quis Episcopus, vel Presbyter, iuxta Domini ordinationem non baptizauerit in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, sed in tres principio expertes, vel tres Filios, &c. deponatur.* Hic ergò canon tradit formam contra hæreticos reprobatos, ſicut & canon ſequens ritum trinæ immerſionis, contra eos, qui vnam tantùm dabant in Domini mortem: ſubiungens rationem: *non enim dixit nobis Dominus, in morte mea baptizate; ſed euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Vnde colligere licet huic æquialere formam ſuperiorem, ex ſenſu vtriuſque canonis, cùm in ſuperiori tradat veram formam corrigens errorem hæreticorum, & in hoc ſupponat eandem ex Matthæi vltimo, contra baptizantes vnà immerſione in Chriſti mortem: quâ autem ratione id improbetur, dicetur in ſequenti quæſtione. Prima forma datur per particulam *per*, cui æquialet particula *in*.

Confirmari poteſt. ad Corinthios 6. *Et hæc quidem fuiſtis*, &c. *ſed abſoluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in Spiritu Dei noſtri*, &c. id eſt, per Spiritum ſanctum, vt exponunt Chryſoſtomus, Theophylactus, OEcumenius, & alij. Loquitur autem Apoſtolus de ablutione & ſanctificatione baptiſmali. Et primo loco dicit *in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*; in ſecundo autem dicit *in Spiritu Dei noſtri*, &c. vbi propoſitio *in* ſumitur æquialenter pro *in nomine*.

46 *De Baptiſmo in nomine Chriſti. Sententia cõmunis.* Armachan. negat. Canus. Suarez. Sotus. Vaſquez.

*De quinto, ſcilicet de nomine Chriſti: patet quòd aliquando licitum fuit*, &c. baptizare ſcilicet *in nomine Chriſti*. Hæc eſt ſententia cõmunis omnium Scholaſticorum, quos citat Scholiaſtes, & aliorum, præter ſolum Armachanum *lib.* 8. *de quæſtionibus Armenorum cap.* 3. quem ſequitur Canus, & Suarez citati, & Sotus art. 6. huius diſtinctionis, & Vaſquez *diſp.* 143. *cap.* 3. & 4. qui certè magnis coniecturis oppoſitã ſententiam probant; & nunquam fuiſſe in vſu baptizare in nomine Chriſti, non expreſsâ inuocatione trium perſonarum.

47 *Varij modi explicandi ſententiam communem.* Alenſis.

Concluſio communis variis modis defenditur. Alenſis cum aliis ſequentibus, docent diſpenſatiuè in principio per ſpecialem reuelationem conceſſum eſſe Apoſtolis, vt nomen Chriſti contemptibile apud Iudæos, & Gentiles redderetur glorioſum, cùm per inuocationem eius daretur gratia baptiſmalis, & Spiritus ſanctus; & cum hac moderatione limitant vſum illius formæ pro illo tantùm tempore, donec nomen Chriſti ex fructu innotuit.

Caietan. Adrianus.

Caietanus tamen in *art.* 6. *quæſt.* 66. D. Thomæ, & Adrianus in quartum, dicunt formam citra diſpenſationẽ validam eſſe pro quocumque tempore: quibus fauent Ambroſius, Nicolaus Papa cap. *A quodam Iudæo*, & Magiſter in litera, & Hugo de Sancto Victore *lib.* 2. *de Sacram. part.* 6. *c.* 2. qui ſine limitatione loquuntur: & probabilem eſſe docet Ledeſma 4. 1. *part. quæſt.* 7. *art.* 6. Cæterùm omnes conueniunt in eo, quòd forma fuerit in vſu. Probatur autem hoc ex Act. 2. *Baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſſionem peccatorum*; & cap. 8. *Baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu*, &c. & cap. 19. *His auditis batizati ſunt in nomine Domini Ieſu.*

Ambroſ. Nicolaus. Magiſt. Hugo. Ledeſma. *Probatio cõmunis ſententiæ.*

48 *Reſponſio.*

Reſpondent aliqui primò, hoc idem eſſe in nomine Domini Ieſu, quod in authoritate & poteſtate Ieſu Chriſti, id eſt, Baptiſmo, quem inſtituit Chriſtus; quâ ratione diſtinxit Lucas ibi hoc loquendi modo, Baptiſmum Chriſti, à Baptiſmo Ioannis: ita Sotus, & Canus. Et primum confirmant variis teſtimoniis Scripturæ, Marci vltimo, *In nomine meo dæmonia eiycient*, &c. Contrà: hoc modo etiã dici poſſet quòd Matthæi vltimo, vbi eſt ſimilis forma loquendi, & Patres interpretantur dari formam baptizandi; intelligeretur etiam authoritas baptizandi conceſſa Apoſtolis per inſtitutionem Sacramẽti, cuius miniſterium ipſis collatum eſt, non autem forma intelligeretur baptizandi: ergo ſpectando præcisè modum loquendi Scripturæ, nõ colligitur magis ex præcepto baptizandi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, formam tradi baptizandi, quã ex modo loquẽdi, quo vſus eius, & exercitium declaratur factus *in nomine Domini Ieſu*, declarari formam in qua Apoſtoli, & diſcipuli miniſtrarunt Baptiſmum. *Reijcitur ex modo ſimili loquendi.*

Alij reſpondent ex textu Græco colligi diuerſum modũ loquendi, quia Matthæi vltimo habetur εἰς ὄνομα, id eſt, *in nomen*; *Act.* verò *ſecundo* habetur ἐπὶ τῷ ὀνόματι, id eſt, in nomine. Contrà: hoc nihil eſt, vt benè aduertit etiam Vaſquez, quia æquialent hæc etiam apud Græcos; quoniã *Act.* 8. & 19. habetur εἰς ὄνομα, ſicut & Matthæi vltimo: neque dubium eſt idem dici atque intelligi *Act.* 2. & 10. vbi exprimitur *in nomine*, & 8. & 19. vbi dicitur *in nomen*: ideóque eodem modo vertit Latinus interpres vtrumque, ſicut & Matthæi vltimo dicit *in nomine*, & non *in nomen*; & vt in præmiſſis diximus perinde ſignificant. *Alia reſponſio.* *Impugnatur.*

49 *Differentia præſenſa ſuperfluit.*

Quod ſecundo loco additur, non ſubſiſtit, quia Baptiſma Ioannis efficaciâ, & formâ diſtinguebatur à Baptiſmo Chriſti. Actorum autem 2. ſatis declaratur Baptiſma Chriſti dare remiſſionem peccatorum, & Spiritum ſanctum, ex aliis verbis adiunctis, vt patet ex illis, *in remiſſionem peccatorum veſtrorum accipietis donum Spiritus ſancti*: Actorum autem octauo & decimo, non fuit neceſſitas explicandi differẽtiam inter Baptiſmum Chriſti, & Ioãnis, quia neque Samaritani, neque Gentiles fuerunt baptizati Baptiſmo Ioãnis; ſed ſoli Iudæi, ad quos miſſus eſt Ioannes, *Parate viã Domini*, &c.

*Reſponſio Vaſquez.* *Impugnatur.*

Reſpondet Vaſquez illa loca intelligi inuocato etiã *nomine Ieſu*, vel quia in forma apponebant non ſolùm nomen Filij, ſed ſimul Ieſu Chriſti exprimendo etiã ſimul diſtinctè reliquas perſonas; vel quia perſona Ieſu Chriſti exprimeretur non ſub hoc nomine, ſed ſolùm ſub nomine Filij, quæ eadem eſt perſona. Contra primũ, non congruè inuocaretur Ieſus Chriſtus ad effectũ Baptiſmi, ita vt in nomine & inuocatione eius diceretur baptizari in remiſſionem peccatorum, ſi ſolùm adiiceretur formæ inſtitutæ, in cuius efficacia datur remiſſio peccatorum, & non ex efficacia adiuncti, quæ nulla eſt ex ſententia oppoſita.

50

Hæc ergo locutio baptizari *in nomine Domini Ieſu in remiſſionem peccatorum*, &c. facit hũc ſenſum (ex ſtylo Scripturæ, & modo interpretandi Patrum, atque Eccleſiæ, ſicut illa quæ de inuocatione Trinitatis habentur Matthæi vltimo) nempe remiſſionem peccatorum dari per inuocationem eiuſmodi, non expreſſis iis, quæ ſunt de eſſentia formæ, prout non exprimuntur in dictis. Sed hoc non ſolùm eſſet impropriè dictum, ſed eſſet omnino falſum, quia illa inuocatio nominis Ieſu ſic intellecta, neque ſic eſſet de ſubſtantia formæ, aut Sacramenti, neque haberet efficaciam reſpectu talis effectus: ergo interpretatio præmiſſa minùs quàm reliquæ, quadrat Scripturæ, aut doctrinæ receptæ circa formam Sacramenti:

quia vel vitiaret illa additio formam, vel omnino superflueret: quia instructio præmitti solita, ante lotionem sufficeret.

*Confirmatur.* Confirmatur: quia, vt colligit Tridentinum cum Mileuitano, & Patribus, aduersùs Pelagianos, si nõ esset peccatum originale in infantibus, forma Baptismi falsò enuntiaretur in remissionem peccatorum: enuntiatur autem in remissionem peccatorum, quatenus potissimùm exprimit causam principalem ex Florentino, vt visum est: ergo Baptismus tantùm datur in remissionem peccatorum (quod supponit, & contendit sententia oppositа) in inuocatione causæ principalis, id est, Trinitatis: ergo falsò enunciatur Baptismus in remissionem peccatorum in nomine Iesu Christi; si hæc inuocatio non fuit inefficax.

*Enunciatur forma in remissionẽ peccatorum.*

*Est de se remissiua peccati.* Patet consequentia: quia ad veritatem formæ non magis requiritur, vt supponat peccatum remittendum in infantibus, quàm quòd ipsa forma sit remissiua peccati, cuius remissionem enũtiat; imò hoc magis exigitur, quia forma verificari potest circa subiectum, in quo non est peccatum; & semper est remissiua peccati, quantùm est de se: quòd autem actu remittat peccatum, aut supponat remittendum, est ex statu subiecti, cui aliud remedium applicari non contingit; vt de lege ordinaria est status infantum.

51 *Forma falsa.* Præterea si quis nunc baptizaret *in nomine Patris, & Iesu Christi, & Spiritus sancti*, ille Baptismus non esset validus, quia secunda persona non exprimitur proprio nomine, vt subsistit in Deitate: ergo etiam tum non valebat talis Baptismus sub illa forma, secluſa dispensatione: quæ perinde affirmari potest facta in forma illa, quam docet communis, tum fuisse validam.

Secunda etiã interpretatio non consonat proprietati locutionis, & Scripturæ, quia non est dubium, quin Petrus eandem acceptationem appellationis seruârit hîc, & in præcedentibus, prædicando Christum Iudæis; vbi sumitur appellatio *Christi Iesu*, secundùm primam institutionem nominis; vt patet ex toto decursu sermonis Petri.

Quantùm ergo ad argumentum ex Scriptura sistendo in proprietate vocis & literæ, *nihil* haberi potest prædictis repugnans: nam quod *Matthæi vltimo* dicitur de forma Baptismi, intelligi potest de lege, illam esse formam ordinariam, & necessariam: de hoc autem *in nomine Christi*, saltem pro tempore, fuisse dispensationem, quam ex facto colligimus, & prout illis in locis declaratur: certum enim est Apostolos rectè ministrasse Baptismum, siue per se, siue per alios.

52 *Obiectio.* Obiicies quia *Actorum* 19. colligitur Apostolos baptizasse in nomine Spiritus sancti, quod intelligi non debet, quasi in solo nomine Spiritus sancti baptizassent, sed simul aliarum personarum: ergo similiter non est intelligendum eos baptizasse in solo nomine Christi, non inuocatâ Trinitate, iuxta institutum Christi, *Matthæi* 28. Antecedens patet, quia Paulus interrogauit quosdam discipulos Ephesi, *Si Spiritum sanctum accepistis credentes? responderunt: neque si Spiritus sanctus est, audiuimus*; subdit Paulus: *in quo ergo baptizati estis?* quasi supponeret, si baptizarentur Baptismo Christi, fore vt Spiritum sanctum rectè nossent; non aliâ ratione, quàm ex forma Baptismi, in qua inuocatur: ergo hoc supponit Baptismum in inuocatione trium personarum fuisse ab Apostolis, non aliter, datum.

Atque sequitur alterius declaratio, & intelligentia prædictorum locorum, in quibus dicitur Baptismus datus in nomine Christi, quia hoc ipso loco inferiùs dicitur, *& his dictis baptizati sunt in nomine Domini Iesu*, &c. cùm primùm insinuasset Paulus formam Baptismi dari in inuocatione Spiritus sancti, nempe simul cum aliis personis.

*Responsio.* Respondet Vasquez ex hoc loco id non intelligi efficaciter, quia licèt baptizarentur in nomine Christi solùm, iam per institutionem præuiam, & catechesim deberent noscere Spiritum sanctum; quamuis non inuocaretur expressè in ipsa forma: Paulus autẽ interrogando an recepissent Spiritum sanctum, intẽdit receptionem eius visibilem per impositionem manus in Confirmatione: vt patet ex verbis subsequentibus, *& baptizati sunt in nomine Domini Iesu, & cùm imposuisset illis manùs Paulus, venit Spiritus sanctus super eos*, &c. Contrà vrgent alij: ergo interrogatio, seu illatio Pauli, non esset idonea, nisi supponeret ex communi modo loquendi, eos baptizari debere in Spiritum sanctum, quem non audierunt.

53 *Confirmatur responsio.* Respondetur tamen illam solutionem bonam esse, quia cùm Baptismus ex communi sententia, quam tradit Cyrillus Alexandrinus *lib. 11. in Ioannem cap. 16.* supponit fidem explicitam Trinitatis, & instructionem circa hunc articulum, quoad adultos (quales fuerunt illi discipuli, quibuscum loquitur Paulus) Baptismus datus etiam in nomine Christi hoc importat: deinde requirit etiam vt præmittatur instructio de necessitate, & fructu Baptismi per collationem Spiritus sanctificantis, vt Petrus *Actorum* 2. præstitit: *Baptizetur*, inquit, *vnusquisque vestrùm in nomine Domini Iesu, in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus sancti*, &c. Illa ergo dispositio in adulto requiritur ad Baptismum, vt patet ex scrutinio quod semper præmittitur ex vsu antiquo Ecclesiæ, de quo optimè Pamelius annotatione prima in librum Tertulliani de Baptismo. Potest ergo interrogatio Pauli respectiuè etiam ad efficaciam Baptismi Christi intelligi, & Spiritum sanctificantem, de quibus instruendi erant baptizandi, sicut de fide Trinitatis: supponit enim fuisse baptizatos, & instructos, quod denotat particula *credentes, si Spiritum S. accepistis credentes?* Vel sicut in Græco legitur πεπιστευκοτες, *postquam credidistis?* Et finis interrogationis fuit, vt impositionem manus acciperent, si nondum fuerit eis data, id est, Confirmationem, per quam visibiliter Spiritus sancti dona cõmunicabantur.

*Instructio præmittitur ante Baptismum.*

*Pamelius. Tertullian.*

Vnde secunda interrogatio locum habuit (illis dicentibus, *neque si Spiritus sanctus est, audiuimus*) respectiuè ad Baptismum Christi, qui in Spiritu sancto, & igni baptizabat, *Actorum* 1. siue sub forma hac, vel illa conferebatur, & respectiuè ad Baptismum Ioannis, qui fuit in aqua tantùm, non in Spiritu, atque ad eius differentiam: alius autem Baptismus in vsu non fuit, qui fidem Christi haberet annexam. Facit ad hoc quod subiungit Paulus; *Ioannes baptizauit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens in eum, qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, in Iesum*, &c. 54

Ex quibus verbis, (vt suprà ostẽdimus, in quæstione vltima præcedentis distinctionis,) colligunt Doctores Ioannem baptizasse in illa forma. Illa præterea particula *in quo baptizati*, &c. in Græco neutraliter ponitur εἰς τί, id est, *in quid?* ac proinde non refert personam Spiritus sancti, sed potius ipsum Sacramentum, vel Baptisma, sicut & responsio accommodata, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, id est,

id eſt, *in Ioannis Baptiſma*. Et dato etiam quòd maſculinè poneretur, non ſemper denotat innouationem, ſicut neque eius reſponſio appoſita, vt volunt aduerſarij: & patet Ioannis primo. *Hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto*; vbi denotatur fructus Baptiſmi Chriſti ſanctificantis.

55 *Secũda ratio.* Secundò, hæc interpretatio illorum locorum fundatur in ſufficienti authoritate Patrum, & Scholaſticorum, qui ita intelligunt prædictas Scripturas. Citatur pro ea Athanaſius *orat. 2. contra Arianos*, arguens Diuinitatem Chriſti, ex forma Baptiſmi ordinariâ; *& ſermone ſequenti*. Citatur Cyprian. etiam Cyprianus epiſtola ad Quiritium, quæ nihil tale continet, ſed in epiſtola ad Iubaianum, & Pompeium, citat pro hac ſententia Stephanum Papam in literis ad ſe miſſis, circa controuerſiam de rebaptizandis hæreticis, in qua errauit Cyprianus. In prima ſic ſubdit: *Cùm eadem epiſtola animaduerterim etiam Marcionis fieri mentionem, vt nec ab ipſo venientes dicat baptizari oportere, quòd iam in nomine Ieſu Chriſti baptizati eſſe videantur*, &c. & in epiſtola ſequenti: *Cur in tantum Stephani fratris noſtri obſtinatio dura prorupit etiam de Marcionis Baptiſmo*, &c. & illic, *In nomine Ieſu Chriſti dicat remiſſionem peccatorum dari*, &c.

Auguſtinus. Ad hoc tacitè reſpondet Auguſtinus *lib. 3. de Baptiſmo cap. 15*. Marcionis Baptiſmum fuiſſe validum, *Si verbis euangelicis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti fuerit collatum*. Cæterùm non ita Cyprianus intelligit Stephanum, vt patet in epiſtola ad Iubaianum, quem proinde impugnat; ſaltem apud Gentes Baptiſmum aſſerens ex Matthæo, fieri debere in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, *Docete omnes Gentes baptizantes eos in nomine Patris*, &c. & ibidem ſupponit apud hæreticos Baptiſmum datum fuiſſe in nomine Domini Ieſu: *Quomodo*, inquit, *non cognito, ſed blaſphemato Deo Patre, qui apud hæreticos Chriſti nomine baptizati dicuntur peccatorum remiſſam conſecuti iudicantur?* & magis expreſsè inferiùs: *Quomodo ergo*, inquit, *quidam dicunt*, &c. *modò in nomine Ieſu Chriſti vbicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe; quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari iubeat in plena & adunata Trinitate?*

56 Hunc locum citant authores oppoſitæ ſententiæ, ſed mihi incertum eſt, ſi illis faueat Cyprianus, qui videtur hac in quæſtione obſcurus, & impugnare Stephanum eâ ratione tantùm, quâ apud Gentes illam formam valere dicat, non verò apud Iudæos: nam poſtquam apud Marcioniſtas negat eſſe verum Baptiſma, quia non fuit apud eos vera fides de Patre, aũt aliis perſonis, maximè circa humanitatem, & perſonam Chriſti, aliáque myſteria Redemptionis, in quibus ſcopus diſſertationis verſatur, concludit in hunc modum: *Cùm ergo ex ipſius Chriſti prædicatione, & conteſtatione Pater antè cognoſcendus ſit, qui miſit, tunc deinde Chriſtus, qui miſſus eſt, nec poſſit eſſe ſpes ſalutis; niſi duobus ſimul cognitis: quomodo non cognito, imò & blaſphemato Deo Patre, qui apud hæreticos, Chriſti nomine baptizati dicuntur peccatorum remiſſam conſecuti iudicantur?* & ſtatim occurrens tacitæ obiectioni, ſeu fundamento Stephani, quo Baptiſmus aſtruitur datus in nomine Chriſti, *Act. 2.* per Antitheſim loquens de Iudæis, & Gentibus, atque de forma baptizandi vtrôſque, videtur admittere, ſic fuiſſe Baptiſmum datum *in nomine Chriſti* Iudæis, Gentilibus verò in *plena & adunata Trinitate*. Verba eius ſunt, *Alia enim fuit Iudæorum ſub Apoſtolis ratio, alia eſt Gentilium conditio: illi quia iam legis, & Moyſis antiquiſſimum baptiſma fuerant adepti, in nomine quoque Ieſu Chriſti erant baptizandi, ſecundùm quòd in Actis Apoſtolorum Petrus ad eos loquitur, & dicit: Pœnitemini, & baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in nomine Domini Ieſu Chriſti*, &c. Subdit deinceps verba Petri, & ſubiungit: *Ieſu Chriſti mentionem facit Petrus, non quaſi Pater omitteretur, ſed vt Patri quoque Filius adiungeretur*, &c.

Quæ verba ſic ex ſcopo Cypriani intelligenda mihi videntur, vt non de omiſſione, quæ fiebat in forma baptizandi, ſed de omiſſione ſpectante ad cognitionem Patris, de qua in ſuperioribus tractat, ſumantur; alioquin non ſeruaretur antitheſis, neque differentia illa inter Iudæos, & Gentiles, & formam baptizandi vtroſque, quam ſtatuit à principio: neque altera pars aduerſa illius antitheſis, quæ ſubſequitur, rectè cohæreret, quæ eſt talis: *Denique vbi poſt Reſurrectionem à Domino Apoſtoli ad Gentes mittuntur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizare Gentiles iubentur. Quomodo ergo quidam dicunt foris extra Eccleſiam, imò & contra Eccleſiam, modò, in nomine Ieſu Chriſti vbicunque, & quomodocunque Gentilem baptizatum remiſſionem peccatorum conſequi poſſe? quando ipſe Chriſtus Gentes baptizari iubeat in plena, & adunata Trinitate.* 57 *Explicatur antitheſis poſita à Cypriano.*

Illa verba, *extra Eccleſiam*, & *contra Eccleſiam*, tantumdem ſignificant hîc, ac extra fidem veram, & contra fidem, vt fuerunt Gentiles extrà, & hæretici contrà ex ſententia Cypriani, qui conſtituit Iudæos intra Eccleſiam, nempe Synagogam per veram fidem legis Moyſis, & antiquum Baptiſma, ſupple Circumciſionem. Aduertenda etiam illa particula *modò*, quæ determinat tempus præſens controuerſiæ, & implicitè ſupponit alias baptizatos fuiſſe Iudæos *in nomine Ieſu Chriſti* ſolùm, & non *in plena, & adunata Trinitate*, ſicut ex præcepto Chriſti baptizari debent Gentiles. Tantum ergo eſt, vt non modò non aduerſetur Cyprianus hoc loco, quem pro ſe adducunt aduerſarij, vt magis faueat noſtræ ſententiæ. *Baptiſmus Iudæorum in nomine Chriſti.*

58 Hilarius. Item, Hilarius *in lib. de Synodis circa finem*, vbi contendit non eſſe mutandas Scripturas; licèt aliqui eas ſub contradictione, in aliquibus, intelligant ex prauo ſenſu: inter alia exempla adducit hoc: *Pereant quoque*, inquit, *ſi videtur (quòd non ego dixerim, ſed reſponſionis neceſſitas) omnia diuina illa, & ſancta Euangelia ſalutis humanæ, ne ſe inuicem contraria dictorum opinione compugnent*, &c. & infrà: *Ne poſtremò Apoſtoli reperiantur in crimine, qui baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti iuſſi, tantùm in Ieſu nomine baptizauerunt?* Agit contra eos, qui *homouſion* non retinendum cenſebant, quamuis aliqui dubitent de intento Hilarij, aſſerentes neutram partem ab eo hîc definiri: mihi tamen videntur illa verba expreſſa eſſe, pro noſtra ſententia, quia clauſula illa, *tantùm in Ieſu nomine baptizauerunt*, eſt excluſiua, & aduerſatiua priori, in qua exprimitur mandatum baptizandi *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*, &c. neque contradictio, aut repugnantia proponitur in hoc: An ſcilicet iuſſerit Chriſtus baptizari in nomine Trinitatis, & an Apoſtoli baptizauerint tantùm in Ieſu nomine? quia vtrumque horum aſſerit: ſed ambiguitas ſtatuitur in eo, an ſcilicet Apoſtoli baptizantes in ſolo nomine Ieſu, peccauerint contra præceptum datum? alioquin, ſi intelligeret non baptizaſſe contra præceptum, non eſſet locus dubitandi: nec Hilarius dicit,

quod legantur baptizaſſe *in ſolo nomine Ieſu*, quâcunque ratione interpretari hoc debeat, ſed aſſertiuè aſſerit eos ſic baptizaſſe *in nomine Ieſu*, & factum præcepto opponit, non autem modum loquendi Scripturæ, quo ſic baptizaſſe dicuntur.

59 Ambroſius. Beda. Nicolaus I. Bernardus. Hugo. Magiſter. Scholaſtici. Theophyl.

Præter hæc concedunt ipſi aduerſarij Ambroſium, Bedam, Nicolaum I. Bernardum, Hugonem, Magiſtrum, & reliquos antiquos Scholaſticos eſſe in eadem ſententia, quod veriſſimum eſt: quibus adiungi poſſet, & Theophylactus in caput vltimum Lucę, tertia reſponſione, ad quæſtionem propoſitam, quæ talis eſt: *Quomodo autem Baptiſma in nomine ſolius Chriſti fieri intelligemus, præſertim cùm alias doceamur baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Reſpondet primò, quia Baptiſma Chriſti ſpirituale eſt, non Iudaïcum, ita dici, non quòd in ea forma ſine inuocatione Trinitatis fuerit conceſſum. Hæc autem reſponſio excluditur, quia Baptiſma Chriſti eſſe ſpirituale ſatis declaratur ex verbis ſubſequentibus Petri; *In remiſſionem*, inquit, *peccatorum veſtrorum, & recipietis donum Spiritus ſancti*: priora ergo verba non ad id ſpectant: ſed ad formam, & inuocationem Chriſti: ſi autem referantur verba ad Baptiſmum, quo ipſe Chriſtus baptizatus eſt, non facit ad interpretationem, quia in Actis agitur de Baptiſmo collato aliis *in remiſſionem peccatorum.*

*Prima reſponſio.*

*Refellitur.*

*Secunda reſponſio. Refellitur.*

Secundò reſpondet *in nomine Chriſti* intelligendum eſſe pro eo, quòd eſt *in mortem Chriſti*: ſed neque hæc declaratio rectè quadrat; quia *in nomine* denotat inuocationem, ſeu authoritatem, & efficaciam; *in mortem* autem Chriſti, ſimilitudinem quandam analogicam imitationis. Tertiò reſpondet aliter, & vt Chriſti nomen in ſeipſo continet, & *Patrem vngentem, & vnctionem Spiritum, & Filium vnctum*, &c. Supponit ergo cum Ambroſio hanc inuocationem Trinitatis æquialere, vel ſimpliciter, vel pro tunc, & Baptiſmum ab Apoſtolis datum *in nomine Ieſu* comprehendiſſe hoc modo inuocationem Trinitatis in ipſo nomine incluſam: alioquin hæc reſponſio non eſſet ad propoſitum quæſtionis: minùs autem interpretatio quorundam circa hunc locum, quaſi id non intenderit Theophylactus, qui tres diuerſas reſponſiones dedit ad propoſitum; & hæc eſt tertia: quælibet ergo ſatisfacit ex mente ipſius.

*Tertia reſponſio.*

*Sequitur Ambroſ.*

60 *Tertia ratio concluſionis ex congruentia.*

Tertiò tandem, congruentia dandi Baptiſmum in nomine Chriſti pro illo tempore, quam adducunt Doctores, non videtur contemnenda: nam & ſermo Petri *Actorum* 2. ad hoc dirigitur, vt exaltaret nomen eius; & Act. 3. & 4. *Non eſt aliud nomen ſub cœlo datum hominibus in quo oportet nos ſaluos fieri*, &c. Actorum 8. *Aperiens Philippus os ſuum, & incipiens à Scriptura iſta, euangelizauit illi Ieſum*, &c. *Ecce aqua, quis me prohibet baptizari? dixit autem Philippus, ſi credis ex toto corde, licet: & reſpondens ait, credo Filium Dei eſſe Ieſum Chriſtum*, &c. *& baptizauit eum.* Et ante dicitur de Philippo, quòd prædicabat Samaritanis Chriſtum; & *in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur viri, ac mulieres.*

Huc etiam ſpectat inſtructio, & ſermo Petri ad Cornelium, & domum eius *Actorum* 10. qui ſic clauditur: *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum*, &c. Et cùm ad hæc cecidiſſet Spiritus ſanctus in eos, iuſſit eos baptizari Petrus in nomine Ieſu Chriſti, &c. Ex epiſtolis etiam Pauli plura deſignant Baptiſmum datum *in nomine Ieſu*, & ſalutem per ipſum conſequi, quæ breuitatis gratiâ omitto. Vnde ſequitur modum illum baptizandi, & formam congruere doctrinæ, & prædicationi Apoſtolorum, quæ præmittebatur ante Baptiſmum, ſicut & illis verbis Pauli 1. ad Corinth. 1. *Nunquid in nomine Pauli baptizati eſtis? gratias ago Deo, quòd neminem veſtrûm baptizaui*, &c. *ne quis dicat, quòd in nomine meo baptizati eſtis*, &c. & infrà, quantùm ad doctrinam, & prædicationem; *Nos autem prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, Gentibus ſtultitiam*, &c.

Ex prædicatione autem nominis Chriſti facilè cognoſcebatur, & perſuadebatur Trinitas perſonarum, quamuis aſſumptum fuerit prædicare Chriſtum eſſe Filium Dei, & in nomine eius dari redemptionem, & remiſſionem peccatorum, ac Spiritus ſancti dona.

Congruentia ſpecialis fuit apud Iudæos dari Baptiſmum in remiſſionem peccatorum ſub nomine Chriſti, qui negabant neceſſitatem redemptionis, & Redemptoris, ponentes ſalutem ex lege ſola. Apud Gentiles non defuit ſimilis congruentia, qui ex mirabilibus, quæ fiebant in nomine Chriſti, (vt Simon Magus *Actorum* 8.) credebant, ac proinde etiam congruum fuit, vt baptizarentur in nomine eius, in quem credebant.

61 *Alia congruentia.*

Addi poteſt & alia congruentia ex natura actionis, quia licèt Chriſtus non fuerit cauſa principalis phyſica gratiæ, fuit tamen principalis, & vnica cauſa meritoria, & iuſtificatio habita per Baptiſmum, non ſolùm refertur ad ipſum, vt cauſam meritoriam, ſed etiam, vt cauſam finalem, ex Tridentino ſeſſ. 6. cap. 7. *Cauſa finalis gloria Dei, & Chriſti.* Si ergo illa forma, quâ daretur Baptiſmus in nomine Chriſti, non eſſet falſa, quia denotaret cauſam meritoriam, ex qua habet efficaciam, & finalem, ad quam refertur Sacramentum; & connotaret cauſam principalem phyſicam implicitè per nomen Chriſti, vt præter Ambroſium admittit Baſilius lib. de Spiritu ſancto cap. 12. *In ſolo Chriſti nomine profeſſionem totius Trinitatis contineri.* Irenæus lib. 3. de fide cap. 20.

Trident.

Baſilius.

Irenæus.

His congruentiis potuit Baptiſmus in illa forma diſpenſatiuè conferri ſine vllo errore in forma practicè, aut ſpeculatiuè: ita autem factum eſſe ex modo loquendi Scripturæ, & authoritate tot Doctorum fulcitur, non ratione.

62

Aduerſa ſententia noſtri Armachani, & aliorum non videtur meo iudicio minùs fundata, cui tantùm tribuunt cæteri, præter Magiſtrum, qui in toto ſecutus eſt ſententiam, quæ Ambroſio imponitur, & Bernardo, vt talem Baptiſmum, contra formam euangelicam præſcriptam, non admittant factum, ſine ſpeciali diſpenſatione, & congruentia illius temporis, non verò permanenter: ita omnes, præter Caietanum, Adrianum, & Ledeſmam.

Præterea fatentur inuocationem Trinitatis eſſe de eſſentia formæ ſub propriis nominibus. Accedunt Patres, & potiſſimùm Auguſtinus loco citato, & in omnibus libris contra Donatiſtas, qui non agnoſcunt alium Baptiſmum validum, niſi in nomine Trinitatis. Canones etiam Eccleſiæ hanc formam, vt neceſſariam retinent, Lateranenſ. ſub Innocentio III. cap. *Firmiter*; & Florentinum, cap. *Primum, de Baptiſmo*, cap. *Multi ſunt*, cap. *de trina*, cap. *Si quis Presbyter*, de conſecratione diſt. 4. & alij plures. Cæterùm quia prior etiam ſententia eſt communior

Auguſtin.

Lateran.

Florent.

inter

inter antiquos, respondendum erit parti aduersæ.

63 *Prima obiectio.* Obiicies primò duos Canones Apostolorum suprà citatos, qui pro incorruptis retenti sunt à Patribus,& Conciliis: ex his videtur traditio petenda, in quibus prohibetur aliter baptizari, quã *in nomine Patris,& Filij, & Spiritus sancti*: ergo non fuit alius vsus baptizandi tempore Apostolorum:& verba illa secundi Canonis, scilicet 49. extrema hoc clarè insinuant; *Non enim dixit nobis Dominus,in morte mea baptizate: sed,euntes docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine Patris,& Filij,& Spiritus sancti*,&c.

*Responsio.* Sed respondetur, hæc dici contra hæreticos, qui neutrâ formâ vtebantur in primo Canone, qui est 48. In secundo etiam damnari eos, qui in mortem Christi baptizabant cum vna immersione,animo inducendi, & exprimendi errorem suum circa Trinitatem; vnde rectè conuincuntur ex verbis euangelicis, vbi forma regularis proponitur, & lege statuta. Si ergo forma Baptismi inuocationem Trinitatis continet expressam, debet esse *in nomine Patris*, non in nomine trium principio carentium, *& Filij*, non in tres Filios,*& Spiritus sancti*, non tres Paracletos,quia hæc forma hæreticorum falsa est, & meritò reprobatur: & hic sensus primi Canonis, qui aduersando exprimit formam, quæ hæreticis fuit in vsu.

64 Secundus etiam Canon exprimit magis errorem,quem in materia immersionis prætendebant, quacunque illi forma vtebantur, vt excluderent Trinitatem personarum,& Deitatem Christi: & si dicatur eos vsos fuisse forma *in nomine Christi*, de quo nihil constat,saltem illa forma, vt esset vera, non debuit habere exclusiuam personarum, quas implicitè Baptismus in nomine Christi importat: hanc autem exclusionem ex intentione hæreticorum importabat, siue fuerit expressa verbis, siue per vnicam illam immersionem: & hunc errorem corrigit Canon; vsus trinæ immersionis Tertullian. inductus est in Ecclesia: vt supponit etiam Tertullianus *lib.contra Praxeam, cap.26.* sicut & trina ipsa immersio,intermissa est propter Donatistas, vt patet ex Toletano IV.& refertur can.*Propter*,de consecrat. *dist.*4. ideóque ex his Canonibus non probatur intentum. Potuit tamen fieri, vt illa forma baptizandi in nomine Christi clarificato iam vbique eius nomine, & subortis hæreticis cessauerit; tum, quia causa dispensationis cessauit; tum, quia hæreses obortæ ex ea quærebant vmbram sui erroris. Sensus Canonum ampliùs declarabitur quæstione sequenti.

65 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò Patres,qui vel hanc formam simpliciter tradunt *in nomine Patris & Filij*, &c. vel certè ita necessarium putant, vt aliter non valeat Baptismus, vt Clemens Romanus primũ docet *lib.*7.*Constitut.c.*23.Iustinus *in Apologia* 2. Supponit Dionysius *cap.*3. *de Ecclesiastica hierarchia*, Origenes *lib.*5. *in epist.ad Romanos cap.*6. *Quicunque in Christo Iesu baptizati estis*,&c. Supponit Baptisma solùm in nomine Trinitatis datum valere ex Matth.28. Didymus *lib.*2.*de Spiritu sancto,inter opera Hieronymi tom.*6. Damascenus *lib.*4.*fidei Orthodoxæ*,explicans *baptizari in Christum*,nihil aliud esse,quàm credendo in ipsum tingi. Tertullianus etiam locis suprà citatis docet,Baptismum inuocatione trium personarum, & cum trina immersione celebrari: citatur etiam Cyprianus, quem suprà explicuimus.

Clemens Rom. Iustinus. Origenes. Dionys. Didymus. Damasc. Tertullian.

Respondent, qui docent Baptismum in nomine Christi datum æquiualere,etiam modò id colligi ex Scriptura suprà citata,non requiri inuocationem explicitam Trinitatis, vt colligunt ex aliis Patribus, sed implicitam sub nomine Christi, illos autem Patres benignè interpretandos, aliud non intendisse. Sed meliùs respondetur,Patres,qui loquuntur simpliciter,vel cum limitatione,intelligere formam,vel quæ regulariter tradita est,& secundùm legem ordinariam, non autem casum dispensationis, vel loqui etiam euacuata iam dispensatione, quæ non debet extra statum, & tempus currentis necessitatis protrahi; manente in reliquis lege, & institutione ordinaria. 66 *Responsio aliorum.* *Responsio magis congrua*

Verùm est aliquos non posse hac generali interpretatione comprehendi, vt est Fulgentius *lib.de Incarnatione & gratia.* & Damascenus, qui explicant baptizari in nomine Christi non debere sic intelligi,vt omissa fuerit vnquam inuocatio Trinitatis: sed his opponimus, quæ dicta sunt pro sententia Ambrosij, Hilarij, Stephani Papæ, atque Cypriani, Nicolai I. Bedæ, Bernardi, & Scholasticorum, qui aliter illa loca intelligenda docuerunt. 67 *Tertia obiectio.*

Obiicies tertiò contrarium definitum esse à Pelagio Papa,in epistola ad Gaudentium Episcopum, docente eos, qui dicunt in nomine solius Christi, & vna immersione se fuisse baptizatos, denuò esse baptizandos in nomine Trinitatis: & Zacharias epistola 11. ad Theodorum Archiepiscopum, confirmans quæ definita sunt in Synodo Anglicana,vbi est determinatum Baptismum,sine inuocatione trium personarum esse nullum: & si quis dicat Nicolaum I. aliter decreuisse in capite *A quodam Iudeo* suprà,sicut & Stephanum apud Cyprianum.

*Responsio aliorum.* Respondent hinc inde quidam authores nunc Nicolaum errasse, nunc alios anteriores, Pelagium & Zachariam; & respondisse vt Doctores priuatos,vel certè(vt mitiùs quidam respondent) nihil definiuisse, sed respondisse iuxta diuersas opiniones. Respondeo in primis diuersos esse casus. Pelagius in illa epistola (quam citat Gratianus can.*Multi*: & Canone *Si reuera*,de consecrat. *dist.*4. & Iuo in suo Decreto *cap.*261. apud alios autem non habetur) respondet de hæreticis, qui baptizabantur in nomine solùm Christi, & baptizabant vna solùm mersione; fortè autem aliquid adiiciebant formæ in professionem erroris, quem per vnicam mersionem designabant, nam & hoc familiare est hæreticis, quando deueniunt in profundum; vt patet de Arianis ex Concilio Arelatensi primo, qui iubentur proinde baptizari,quia vitiabant formam in sui erroris maiorem expressionem. Sed dices, vnde id colligis? Respondeo, ex verbis citatis illius epistolæ non colligi, cæterùm magis id præsumendum est, quàm admittenda correctio Decretorum, & contrarietas in materia fidei, & essentialibus Sacramenti:& sicut Nicolaus non rectè dicitur contra Pelagium dogmatizasse; sic etiam neque Pelagius dicendus est contra Stephanum aliquid determinasse, qui,vt docet Cyprianus, asseruit Baptismum collatum *in nomine Iesu* non esse iterandum: quia neque Cyprianus malignè interpretatus est Stephanum, quasi imponeret quod aliàs Stephanus non scripsit: neque etiam dicendum est eum non intellexisse decretum Stephani,quod in hoc ex parte impugnat. Stephanus autem inhærebat *Respondetur aliter.* Gratianus. Iuo. *Hæretici vitiabant formam. Arelatense primum. Replica solui-tur.*

hærebat consuetudini & traditioni, decernens *nihil innouandum esse præter id, quod traditum est.* Contrà, Cyprianus non consuetudini, sed Scripturis, quas pro se loqui putabat, inhærendum docuit: ergo Stephanus supposuit ex traditione retinendum esse Baptisma datum *in nomine Christi.*

Stephano accessit Concilium Nicenum, quod decreuit non esse rebaptizandos hæreticos, præter Cataphryges, & Paulianistas, & vt Doctores interpretantur, quia illi non vtebantur aliqua forma, hi verò formam falsabant: quod perinde de istis, de quibus Pelagius in suo Decreto agit, præsumendum magis videtur, quàm quòd aliquid decreuerit contra traditionem à Stephano, & Concilio Niceno assertam.

68 Hoc ergo posito id non potuit præsumere Nicolaus de Iudæo, qui fidem Christi non habuit, neque proinde adhærebat vlli particulari errori, contra veritatem Sacramenti; quem in forma exprimeret: & sic respondet Pontifex absolutè iuxta sententiam Stephani, & Ambrosij, quæ traditione, & definitione Ecclesiæ fulciebatur. Hęc responsio magis quadrat sententiæ asserenti etiamnum Baptismum, sub præfata forma, datum valere.

*Tertia responsio.* Respondetur tertiò, nihil definitum esse à Pelagio, sed decreuisse tales hæreticos esse rebaptizandos: quamuis hoc decretum supponat Baptismum eorum fuisse inualidum, & baptizari debere sub inuocatione Trinitatis, ex mente Pontificis. Hoc autem non derogat quin Baptismus dispensatiuè ab Apostolis fuerit datus in Christi nomine, ex motiuis suprà expressis. Dices, incurritur idem inconueniens, quia sic Pelagius decreuit contra Stephanum, & traditionem firmatam in Niceno. Respondetur Pelagium secutum fuisse regulam euangelicam, de qua constabat, & elegisse quod tutius erat in casu proposito; in quo etiam probabiliter interpretari potuit, neque Stephanum, neque Concilium aliud intendisse: quamuis Cyprianus intellexerit Stephanum iuxta modum loquendi Lucæ in Actis Apostolorum. Verba tamen Stephani admittunt eundem modum interpretationis, quem admittit Scriptura, & quem secutus est Augustinus, & posteriores, præter iam citatos, & quem Ecclesia habuit in praxi: in ministerio autem Sacramentorum tutior pars sequenda est. Dices, ergo debuit adiicere conditionem. Respondetur negando consequentiam, quia stante regulâ euangelicâ de dando Baptismo sub inuocatione Trinitatis, & sequendo opinionem præscriptam Patrum, potuit esse in ea sententia, vt putaret Baptismum aliter datum, esse nullum simpliciter. Et econtrà Nicolaus sequendo Ambrosium, & Stephanum iuxta modum interpretandi Cypriani fuit in opposita opinione. Contradictio ergo Decretorum reducitur ad opiniones contrarias, quarum neutra definita est ab hoc, vel illo; & in quibus etiamnum graues Theologi hæsitant, non obstantibus quibuscunque determinatis ab Ecclesia circa ministerium, & essentialia Baptismi quantum ad valorem Sacramenti.

*Replica.*

*Soluitur.*

*Reconciliatio Decretorum.*

69 Eodem modo respondetur ad locum Zachariæ, eum nihil definisse, sed secutum fuisse regulam Canonum, in quibus præscribitur, vt Baptismus fiat sub inuocatione Trinitatis: sic etiam respondet Bellarminus nullum ex his tribus Pontificibus aliquid definiuisse.

*Explicatur Decretum Zachariæ.*

Fortè etiam, & diuersus est casus propositus Zachariæ, quanquam enim in initio probat determinationem Concilij Anglicani circa formam Baptismi, illud non fuit quod potissimùm in quæstione versabatur.

Sed quid agendum esset, de iis qui baptizati sunt à quibusdam sacrilegis sacerdotibus, qui etiam idolis sacrificabant, & dubitabant plures superstites si in nomine Trinitatis fuerint ab eis baptizati: nulla autem fuit quæstio an sub nomine Christi baptizati erant, illa autem verba: *Vt qui vel vnam de Trinitate personam in Baptismo non nominaret, illud Baptisma esse non posse*, &c. Videntur subindicare dubium exortum fuisse, an baptizantes in forma sub inuocatione Trinitatis, rectè protulerint formam, vel ex ignorantia, vel incuria, vel certè superstitione affectati erroris, vel aliquid vitians sensum adiunxerint: nam ex ignorantia Latini sermonis Baptisma collatum *in nomine Patria, & Filia*, &c. putauit Bonifacius esse iterandum, quòd Zacharias prohibet, si abfuit intentio erroris inducendi. Similis casus in prædictis Sacerdotibus contingere potuit. Motiuum autem dubitandi non declaratur ex eo, quòd sciri non potuerit status rei. 70

Possunt etiam intelligi Pontifices ex eo, quòd cessârit Baptismus collatus ex dispensatione *in nomine Christi*, sicut dictum est suprà probabiliter. Varias explicationes afferunt Doctores circa reconciliationem horum extremorum, de quibus videri possunt moderni. Quæstio satis perplexa est, pro qua hinc inde graues authores, & Patres differunt, quorum opinioni nihil præiudicare expedit: itaque relinquo discussionem eius vlteriorem magis instructo. Hæc pro opinione Doctoris sufficiant, qui etiam perplexus est in illa quæstione, an hodie talis baptismus valeat collatus in nomine Christi: & non audet affirmare, vel negare: supponit autem fuisse in vsu primitiuæ Ecclesiæ: de quo hactenus. *Quarta responsio.*

h *Sed an modo esset baptizatus, si sic traderetur*, &c. Vasquez *cap.* 1. suprà citat Doctorem nostrum valde inclinatum fuisse in affirmatiuam, quia non constat de reuocatione dispensationis factæ Apostolis. Eam tenet Magister, Caietanus, Adrianus. Probabiliorem censet Ledesma: fauent Ambrosius, Nicolaus Papa, Beda, Bernardus. Cæterùm inclinatur Doctor magis in negatiuam, quæ est communior antiquorum; quia inclinatio eius ex discursu colligi debet: primò asserens sic baptizantem peccare mortaliter. Secundò, videri nullo modo baptizare validè, quia lex communis de forma Baptismi in nomine Trinitatis est data Matthæi vltimo, nullus autem inferior eam reuocare potest, neque simpliciter, neque ad tempus: in hac autem lege licèt Christus ipse dispensauerit exigente ratione in primitiua Ecclesia, eâdem cessante ratione non dispensauit. Secundò forma communiter tradita sempermanet, nisi per institutorem pro aliquo tempore fiat dispensatio: sed alia forma non fuit dispensatiuè tradita, scilicet baptizandi sub inuocatione Christi, nisi pro tempore, pro quo fuit ratio dispensandi: ergo eo cessante cessat forma baptizandi in nomine Christi. *Quid ergo?* Respondet modestè: *non audeo dicere*, &c. Scilicet an sit baptizatus, quia rationes dictæ obstant: neque quòd non sit baptizatus, quia non lego vbi fuerit dispensatio reuocata: non dicit ergo Doctor, vt Vasquez putat, non fuisse reuocatam dispensationem, sed se non legisse illam 71 Vasquez.

Magister. Caietan. Adrianus. Ledesma. Ambrosius. Nicolaus. Beda. Bernard. *Explicatur Doctor.*

illam reuocationem, ac proindè nihil affirmare de ea. Dubium hoc de reuocatione dispensationis, propter authoritatem Magistri, & Hugonis, Nicolai Papæ, & Ambrosij sententiam fundatur, qui valuisse etiamnum illam formam videntur asserere: quibus non vult præiudicare Doctor. Et si etiam verba illius absolutè intelligere luber, illa reuocatio non videtur in terminis legi, quia neque Canones eam liquidè exprimunt, referentes se ad legem, & formam ordinariam, quam pro omni tempore valuisse contendunt, neque exprimunt casum dispensationis, aut tempus, sed illam formam per inuocationem Trinitatis esse, quàm in vsu communi, & sub præcepto generali Christus tradidit: & de æquiualentia vtriusque formæ adhuc disceptatur.

Dictum autem est suprà, probabiliùs fortè sub tempore Apostolorum, obortis hæresibus, cessasse dispensationem; id tamen non est adeò certum, vt absolutè Sacramentum sic datum censeatur nullum: sufficiens tamen ratio subest, vt censeatur dubium, prout dicit Doctor, assignans tres regulas, quibus regulari debet quilibet casus circa Sacramentum dubium, vnde baptizari deberet sub conditione. Hanc sententiam etiam sequitur Richardus art. 2. quæst. 3. ad 10.

## SCHOLIVM.

*Si addatur aliquid repugnans verbis essentialibus formæ, vel diminuens illa, vt ponendo conditionem non existentem, nihil fit. Idem est, quando interponitur aliquid etiam non repugnans, si discontinuat sermonem subtrahere verbum principale, annullat: subtrahere syllabam, non.*

11 *Quatuor modis mutatur forma secundùm quantitatem apponendo, subtrahendo, interponendo, diminuendo.*

De secunda[i] variatione principali, scilicet, secundùm Quantitatem; dico, quòd si aliquid addatur repugnans verbis principalibus formæ, vel diminuens verba illa, nihil fit, quia non seruatur forma, verbi gratiâ de primo, si sic dicatur: *In nomine Patris maioris, & Filij minoris*, &c. Verbi gratiâ de secundo, si præmittatur, vel disiungatur, vel interponatur aliqua conditio, quæ non existat, vtpote, *Si ego sum omnipotens, ego te baptizo*, &c. Vel si sit aliqua oratio disiunctiua contra rationem formæ: quia disiunctiua non ponit determinatè alteram partem, & eodem modo de similibus. Similiter si anteponitur, vel postponitur aliquid non repugnans, fit: si aliter, non.

*De interpositione.*

De interpositione tamen, esto quòd non sit alicuius distrahentis, vel repugnantis, est speciale hoc: quia si interrumpat vnitatem debitam formæ, non manet forma. Quando autem talis vnitas necessaria interrumpitur, iudicatur ex aliis actibus humanis. Quando enim ex communi loquela, ex interpositione impertinentis non iudicatur quin posset prior sermo continuari; consimiliter nec debet in proposito iudicari: vtpote si quis inciperet orationem, & diceret, *Tacete*, vel *recedite*, non propter hoc esset necessarium incipere orationem: sed non obstante tali interruptione posset eandem continuare, & complere.

*Si verbum aliquod principale subtrahatur forma, nihil fit.*

De subtractione verò, si subtrahatur aliquod verbum de non principalibus, dictum est priùs. Si autem de principalibus aliquod subtrahatur, nihil fit: quia quodlibet verbum illorum, est per se necessarium ad formam: sed si subtrahatur aliqua syllaba per syncopam, non propter hoc destruitur

i *De secunda variatione principali*, &c. Hîc docet, si additio repugnet sensui formæ, vel diminuat, id est, distrahat à sensu sacramentali, nihil fieri: exemplum ponit in litera, *in nomine Patris maioris*, &c. Hîc additur particula repugnans vnitati personarum in essentia, & potestate; diminui potest præponendo, disiungendo, interponendo aliquid, primo modo: *Si ego sum omnipotens, te baptizo*, &c. quia est conditio non subsistens: disiungendo, vt si dicatur: *Ego te baptizo, vel interficio in nomine Patris*, &c. quia disiunctiua non ponit determinatè alteram partem, seu disiunctum determinatum; forma autem Sacramenti ex rigore verborum determinatè significat: hinc sequitur si aliquis baptizet: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & Beatæ Virginis*, non esse validum Baptismum, quia de rigore sermonis particula *in nomine*, eodem modo refertur ad personas, & ad Virginem. Aliqui non videntur rectè tenere contrarium, quia neque rigor sermonis ab intentione priuata proferentis dependet, sed ex institutione publica: aliàs Ariani intendentes suum errorem per formam, non rectè baptizarent, si forma determinationem in significando reciperet ab intentione proferentis, ac proinde in forma illa ex intentione proferentis, non refertur particula *in nomine* ad Virginem, aliter de rigore sermonis, quàm ad personas. 72 *Secunda variatio formæ.*

Item, si additio fieret in principio, vt si diceretur, *in nomine Beatæ Virginis, & Patris, & Filij*, &c. aut si interponeretur dicendo *in nomine Patris, & Beatæ Virginis, & Filij*, &c. Forma esset nulla: ergo similiter si postponatur, quantumlibet proferens intendat aliter inuocationem Beatæ Virginis, aliter personarum, si non distrahit additio sensum formæ non derogat, vt si addatur, *& sis saluus*, & huiusmodi, quod non distrahit sensum formæ præmissæ. 73

*Interpositio* quamuis non distrahat sensum formæ, determinando particulas eius orationis ad sensum alienum, seu diuersum; potest tamen esse tanta, vt tollat cõhærentiam partium, discontinuando eas ab inuicem, vt consueto modo loquendi non faciant vnam orationem: vt si quis dicat: *Ego baptizo te*, & subiungat interponendo orationem Dominicam, & *Credo* antequam proferat reliqua formæ. Si verò interpositio sit talis, *Interpositio.*

deſtruitur forma. Non enim voluit Deus omnino determinare hominem ad verba in Sacramentis, vltra illum modum, quo verba ſufficiunt ad exprimendum conceptum: ſed cum ſyncopa benè intelligit audiens conceptum loquentis. Hoc autem magis cauendum eſt in verbis ſacramentalibus, quàm in aliis verbis, propter reuerentiam Sacramenti. Nec tamen auderem dicere, quòd non vitans eam, peccet mortaliter, ſi non vitat, non ex contemptu, ſed ex quadam infirmitate, vel inconſideratione humanâ, quæ non præcauet omnibus quantum poſſet.

talis, vt conſueto modo loquendi non interrumpat notabiliter formam, non officit, vt ſi dicat: *Ego baptizo te* (tace te, vel expecta) *in nomine Patris, & Filij*, &c.

Subtractio contingit, vel detrahendo aliquod verbum, quod non eſt de ſubſtantia formæ; & hoc non officit; vel aliquod ſubſtantiale, & ſic nihil fit: ſi autem per ſyncopen detrahatur ſyllaba, non officit: quia vt Doctor: Deus non determinauit formam ad verba in Sacramentis vltra illum modum, quo ſufficiunt ad exprimendum conceptum, cum quo ſtare poteſt ſyncopa, vt experientia conſtat: vitanda tamen eſt propter reuerentiam Sacramenti, ſi ex contemptu fiat, erit mortale peccatum; ſi verò ex infirmitate, non erit mortale: licèt non ponatur omnis ſolicitudo, cum qua euitari poſſit. *Subtractio.*

74 Ex his ſequitur quòd Baptiſmus datus in nomine ſolius Patris, aut cuiuſlibet perſonæ, non expreſſis aliis, eſſet nullus, quia forma data ſub inuocatione explicita Trinitatis, debet exprimere omnes perſonas ſub nominibus propriis. Hæc eſt communis contra Magiſtrum. Contrarium imponitur Ambroſio, vt communis ſchola eum intelligit cum Magiſtro, & aliis anterioribus: quidam piè interpretantur mentem eius: alij autem nullum eſſe locum interpretationi contendunt. Cæterùm mihi videtur interpretatio D. Thomæ *quæſt. 66. art. 6. ad 2. & 3.* Magis accommodari poſſe, quæ eſt, vt nihil aſſertiuè dixerit Ambroſius: ſed per illam rationem, quâ oſtendit Baptiſmum datum in nomine Chriſti in primitiua Eccleſia, continere profeſſionem Trinitatis, ſicut & nomen Chriſti, vt etiam alij Patres loquuntur: ſic etiam, inquam, Baptiſmum datum in nomine Spiritus ſancti, continere profeſſionem implicitam Trinitatis: & in primo occurrit obiectioni, quæ fieri poteſt, quia Baptiſmus eſt profeſſio fidei Trinitatis, ideóque dicitur Sacramentum fidei. Hanc autem profeſſionem etiam ſaluat Ambroſius in Baptiſmo dato in nomine Chriſti, prout datus legitur in Actis; & ex ſimilitudine rationis idem contineri in Baptiſmo, qui daretur in nomine vnius perſonæ, vt Spiritus ſancti. Intendit namque Ambroſius probare ex inſtituto vnitatem, & inſeparabilitatem diuinarum perſonarum, atque adeò Spiritus ſancti à Patre: & reſpondet obiicientibus hæreticis loca, quæ faciunt mentionem Patris, & Filij, tacitâ Spiritus ſancti perſonâ; dicens ſubintelligi, ſicut econtrà loca, quæ exprimunt tantùm Spiritum ſanctum, etiam important reliquas perſonas: inducit autem, & ſermonem de Baptiſmo, dicens, *Plenum eſſe Baptiſmum ſi Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum fatearis; ſi vnum neges, totum fubrues; & quemadmodum ſi vnum in ſermone comprehendas, aut Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum; fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum ſanctum abneges, plenum eſt fidei Sacramentum: ita etiam quamuis & Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum dicas, & aut Patris, aut Filij, aut Spiritus ſancti, minuas poteſtatem, vacuum eſt omne myſterium*, &c.

*Contra Magiſtrum. Ambroſius explicatur. D. Thom.*

*Inſeparabilitas diuinarũ perſonarum.*

75 Videtur ergo loqui de Baptiſmo, quatenus includit myſterium fidei trium perſonarum, & prout habet annexam fidem miniſtri, id eſt, mediante ipſo Baptiſmo poteſtatem, ſiue rectam, ſiue falſam: vnde ſiue vnam, ſiue plures perſonas exprimat voce, modò fides interior ſit recta, plenum eſſe fidei Sacramentum, quia in eſſe, & operatione vnâ, creditur inſeparabilis ab aliis expreſſis in ſermone, & corde creditur perſona, quæ non exprimitur, & intentione per verba importatur. Si autem ſit erronea fides, negans interiùs vnitatem, & minuens poteſtatem, licèt ſermone omnes perſonæ proferantur, vacuum eſt omne myſterium, quantum eſt ex parte proferentis, qui ſeparat perſonas in *eſſe*, & in *operari*. Agit ergo de Sacramento, vt ſubeſt fidei, & intentioni particulari conficientis ipſum. Et hoc modo loquitur Athanaſius *ſerm. 2. & 3. contra Arianos*. Sic Cyprianus *in epiſt. ad Iubaianum de Baptiſmo*, vt ſubeſt fidei miniſtri. Non videtur Ambroſius loqui de Sacramento abſolutè, & quoad omnia eſſentialia ad effectum, ſed præcisè vt continet profeſſionem fidei, quæ eſt in miniſtro: certum eſt enim ipſum, vt infrà videbimus, docere ſanctitatem, & fidem miniſtri non exigi ad effectum Sacramenti.

*Athanaſius. Cyprian.*

76 Item, tradere videtur ad formam Baptiſmi in ordine ad effectum neceſſariam eſſe inuocationem Trinitatis ſub propriis nominibus, *lib. 2. de Sacram. cap. 5. & 7. & lib. de iis qui initiantur, cap. 4.* Non agit ergo de Baptiſmo, quà eſt efficax ad ſalutem, ſed quà eſt profeſſio fidei, quæ non permittit ſeparari diuinas perſonas, licèt voce non exprimantur: & potiſſimè vt eſt profeſſio fidei, quam habet miniſtrans. Vnde Athanaſius etiam hoc modo dubitatiuè loquendo de Baptiſmo Arianorum loquitur, quantùm ſcilicet ad intentionem, quæ fundatur in fide ipſorum, an ſit legitima. Si quis dicat hanc expoſitionem eſſe duram. Reſpondetur id quidem verum eſſe, ſed commodiùs applicari expoſitionem duram loco ambiguo, & difficili, quàm admittatur ſenſus erroneus: neque prædicta expoſitio ita eſt dura, quin verba & diſcurſus Ambroſij eidem poſſit accommodari. Hæc tantùm inſinuauerim non repugnando communi ſenſui aliorum, qui Ambroſium aliter intelligunt: quia videtur magis expedire, vt benignè pro reuerentia intelligatur, prout alij piè eum interpretantur, ſicut Altiſiodorenſis, D. Thomas, & Bonauentura, Richardus, & alij, quos videre licet apud alios. Pater Vaſquez omnem interpretationem eius excludit: alij Doctores, vt noſter Doctor cum reuerentia prætereunt, & diſſimulant difficultatem, tractantes quæſtionem iuxta communem deciſionem Eccleſiæ.

## SCHOLIVM.

*Incongruitas in fine verborum, si singulorum verborum conceptus capi possint, non annullat, & idem est de transpositione mutante conceptum orationis.*

12 *Quæ corruptio verborum annullet formam?*

De tertia [k] variatione principali, quantùm ad Qualitatem, id est, terminationes, quæ pertinent ad congruitatem, patet per illud capite de consecr. dist. 4. *Retulerunt*, vbi Papa respondet de Sacerdote qui baptizauit *in nomine Patria, & filia, & spiritu sancta.* Quòd si hoc fecit ex imperitia linguæ Latinæ, non intendens inducere errorem, verè baptizauit. Quod intelligendum est, quando est talis incongruitas in fine dictionis, quæ non prohibet quin possit capi conceptus significatus per dictionem. Et quomodo hoc sit possibile, benè experiuntur aliqui audientes quosdam illiteratos, qui loquuntur incongruè: & tamen benè concipiunt quid volunt dicere, etiam quantùm ad singula verba.

13 *De variatione secundùm vbi.*

De quarta [l] variatione principali, scilicet *Vbi*, dico quòd aliqua transpositio omnino variat sententiam, vt si diceretur, *Ego Patris baptizo te in nomine Filij*, &c. Aliqua autem transpositio permittit vt transposita teneant quasi eandem virtutem in ipsa forma; vt si diceretur, *In nomine Filij, & Patris*, &c. Et prima transpositio impedit, quia aufert conceptum orationis, vt instituta est. Secunda non impedit, quia etsi congruum esset seruare ordinem proferendo personas, qui est personarum secundùm originem, & necessarium sit hoc quantùm ad ministrum: tamen non videtur omnino necessarium ex parte Sacramenti: quia personæ quocumque ordine nominatæ, sunt vnum efficiens principale in Baptismo, & vt sic inuocantur.

*Prolatio personarum secundùm suum ordinem, an essentialis.*

14 *Ad arg. 1.*

Ad primum argumentum patet ex primo articulo, quid sit propriè forma hîc, & qualiter verba sunt forma.

*Ad 2.*

Ad secundum patet ex secundo articulo, quòd Christus expressit verba, quæ sunt principalia in forma illa, & quæ non principalia, scilicet actum, & suscipientem: sed in potestate Ecclesiæ fuit determinare quibus verbis primæ, vel secundæ personæ, & indicatiui, vel optatiui modi exprimerentur suscipiens, & actus: & Ecclesia Latina elegit exprimere suscipientem in secunda persona, & actum indicatiuè, & rationabiliter, vt notaret ministrum verè conferre Sacramentum. Ecclesia autem Græca elegit aliter, & rationabiliter pro tempore, vt dictum est, vt auferretur schisma gloriatium de baptizantibus ministris.

*Ad 3.*

Ad tertium potest dici, quòd diuisio

k *De tertia variatione principali quantùm ad qualitatem*, &c. Intelligit qualitatem non Logicaliter, quia sic attenditur secundùm affirmationem, & negationem, sed Grammaticaliter, iuxta varias terminationes vocis; casum suprà explicuimus, estque clarus ex textu. 77

l *De quarta variatione principali*, &c. Si variat sensum substantialem, corrumpit formam. Exemplum clarum est in textu, vt *Ego Patris baptizo te in nomine Filij*: si autem transpositio non variat sensum formæ, non tollit efficaciam eius, vt si dicatur *in nomine Filij, & Patris*, &c. peccat tamen minister sic inuertens, quia tenetur non inuertere ordinem originis in forma, quamuis id non tollat, quin forma etiam sic prolata sit sufficiens.

*Inuersio ordinis secundùm originem non vitiat formam.*

78 *Sententia opposita.* Alensis. D. Bonau.

Contrarium huius tenet Alensis 4. *part. quæst. 8. m. 3. art. 3.* quem sequitur Doctor in Reportatis *dist. 3.* Sanctus tamen Bonauentura *hac dist. part. 1. dist. quæst. 3. art. 4.* tenet præmissam conclusionem Doctoris. Et ratio facit, quia sufficienter illa forma exprimit causam principalem, quod exigit tantùm Concilium Florentinum; estque per eam expressa, & propria inuocatio Trinitatis sub propria appellatione personarum, quod exigunt tantùm Patres.

*Forma inuersa exprimit causam principalem.*

*Secunda ratio.*

Accedit & ratio, quia tres personæ quà sunt vnum in natura, & potentia, & authoritate, sunt causa principalis sanctificandi, non autem prout dicunt ordinem originis inter se: vnde si essent improductæ, & subsistentes in eadem natura, adhuc retinerent eandem potentiã, & authoritatem, quæ competit Patri, non quia producit, sed quia est Deus, neque filio inquantum producitur, sed inquantum Deus. Comparantur autem ad extra secundùm quòd vnum sunt in potentia, & essentia inseparabiliter, & indiuisibiliter in essendo, & operando, quod exprimitur per illam formam; licèt non sit secundùm ordinem originis, qui respicit personas vt comparantur ad inuicem, & ad intrà, non verò ad extrà.

79

Sicut ergo in creaturis modus communicandi principium actionis agenti, non attenditur quantùm ad influxum, neque variat ipsum influxum principij: sic etiam in diuinis modus participandi, aut communicandi diuinam naturam supposito producto, non variat influxum eius: quia licèt filius generatione recipit naturam diuinam, non tamen ad extrà agit per modum naturæ, sed voluntatis, sicut cæteræ personæ: quòd si dicas formam esse efficacem, vt subest institutioni Christi, & prout ab ipso tradita est *Matthæi vltimo*; sic autem tradita seruat ordinem originis: ergo sine hoc est nulla.

*Fides explicita Trinitatis est necessaria.*

Respondetur negando consequentiam, quia institutio formæ sumit explicationem, seu interpretationem à fide explicita, quam debet habere tam minister, quàm recipiens Sacramentum; hæc autem est illa quâ credat tres personas esse vnum in essentia, diuersas in persona, quia id tantùm accommodatur communi captui: ordo autem originis, & modus procedendi personarum excedit captum communem, & simplicium,

non eſt ſufficiens: quia benè poſſibile eſt, quòd verba aliqua materialiter ſumpta, ſint forma in aliquo Sacramento: immò potuit Deus inſtituiſſe verba non ſignificatiua, pro forma.

*An forma cauſet vt vera. Vide infrà d. 8. quæſt. 1. art. 3.*

Aliter poteſt dici, quòd oratio vt vera, non pro tempore prolationis, ſed pro vltimo inſtanti complente prolationem, ſicut dicetur inferiùs in materia de Euchariſtia: & tunc cùm arguitur, vt vera ſequitur actum rei, verum eſt, quòd conſequitur ipſam ablutionem, & ipſa ablutio importatur per hoc verbum *baptizo*: & tunc non erit ſenſus *baptizo*, id eſt, Sacramentum Baptiſmi confero: ſed *baptizo*, hoc eſt, abluo.

*Ad 4. & 5.* Ad quartum de Græcis patet. Ad quintum de pronomine *ego*, verum eſt quòd non eſt ſimpliciter de neceſſitate formæ, neque expreſſum, neque vt implicitum in verbo primæ perſonæ: ſed quantùm ad Eccleſiam Latinam (ad minùs poſt tempus Alexandri) neceſſarium eſt miniſtro exprimere *ego*: & gloſſa illa, *Si quis*, cum probatione ſua, (*Retulerunt*) poteſt intelligi pro tempore præcedente illam conſtitutionem Alexandri III. *Si quis.*

15 *Ad 6.* Ad illud de Trinitate, & Chriſto, patet in dictis de prima variatione verborum.

*Ad 7.* Ad illud de *genitoris*, &c. dicendum, quòd Auguſtinus ibi intelligit, quòd idem eſt genitor, & pater quantùm ad hoc, quod eſt dici ad alterum, ſiue importare proprietatem eiuſdem perſonæ: ſed non ſunt idem quantùm ad primum conceptum ſignificatum vtrobique. Quia Pater ſignificat primò, & per ſe ſuppoſitum in natura diuina: aliud autem ſignificat primò, & per ſe proprietatem: & non eſt eadem vis nominis proprij, & proprietatis nominis, in inuocatione facta alicuius perſonæ, ad aliquem effectum.

*Ad 8.* Ad vltimum dico, quòd propoſitio Philoſophi vera eſt abſolutè de nominibus tranſpoſitis: ſed non ſequitur quòd conceptus totius orationis ex talibus nominibus ſic, & ſic tranſpoſitis, ſit idem: forma autem non conſiſtit tantùm in ſignificatione incomplexorum, ſed in ſignificatione totius orationis.

& vix à doctis capitur, neque exprimitur aliter in forma, niſi quatenus in prolatione perſonarum ſeruetur ordo, qui eſt ſecundùm proceſſionem earum; quod non ſufficit vt interpretemur hoc eſſe de neceſſitate formæ, cuius vſus, & fides debet eſſe communis tam doctis, quàm indoctis ex inſtitutione Sacramenti, prout Eccleſia declarat.

Hic caſus intelligitur, quando non intenderetur error in forma, quo negaretur ordo originis per talem tranſpoſitionem, vt dicit Doctor. Sed dices, etiamſi intenderetur talis error, adhuc de ſe eſt valida; ergo modò talis intendat errorem ex priuata intentione, & adhuc ſaluet intentionem vniuerſalem, forma adhuc eſſet valida; & ſic exceptio, ſeu limitatio adiecta per Doctorem eſt inutilis.

*Limitatio doctorum.*

*Obiectio ſoluitur.*

Reſponderur, dato quòd forma eſſet valida, adhuc exceptio locum habet, quia poſſet eſſe defectus intentionis requiſitæ, & non ſeruari etiam vniuerſalis intentio, quæ ad minimum requiritur, vt applicatio formæ in cauſa miniſteriali. Reſpondetur ſecundò, formam non eſſe validam, quia licèt ordo originis non requiratur ſeruari in forma: tamen requiritur vt non excludatur; excluſio autem eius ſufficienter eſt expreſſa in forma per talem inuerſionem ordinis, & redditur forma falſa, ſi inuerſio fiat ad expreſſionem erroris, quem etiam forma nata eſt indicare, iuxta eorum ſententiam, qui putant formam accipere determinationem ab intentione proferentis, quando facit varios ſenſus. Prior reſponſio magis quadrat dictis ſuprà, regulâ vltimâ datâ circa mutationem formæ.

80 *Reſponſio.*

Reſponſiones argumentorum ſunt claræ, & ſatis manent explicatæ per decurſum totius commenti ſuis locis.

*Secunda reſponſio.*

## QVÆSTIO III.

### *An ſola aqua naturalis pura ſit conueniens materia Baptiſmi?*

Alenſ. 4. p. q. 13. m. 2. art. 1. D. Bonau. *hîc p. 2. a. 1. q. 1.* Rich. *art. 3. q. 2. & 3.* D. Thom. *q. 1. art. 3. & 3. p. q. 66. art. 3. & 4.* Suarez *ibid.* 20.

1 *Mag. H. I. Argum. 1.* AD tertium principale ſic proceditur, & arguitur, quòd non ſolùm aqua naturalis pura ſit conueniens materia Baptiſmi: quia aqua artificialis habet eadem accidentia cum aqua naturali, ſcilicet humiditatem, frigiditatem, perſpicuitatem, & *Text. 12.* huiuſmodi: ſed ex accidentibus cognoſcitur

IN hac quæſtione agitur de materia Baptiſmi, tam remota, quàm proxima, quæ eſt altera pars Sacramenti, iuxta ſententiam præmiſſam, in prima quæſtione, vel totum fundamentum iuxta modum exponendi ſententiam Magiſtri. Primò ſuppoſitis argumentis ad oppoſitum explicat materiam vtramque. Secundò conditiones requiſitas ad materiam remotam, & reſpondet argumentis.

*Ordo quæſtionis & diuiſio.*

SCHO

tur subſtantia, *ex proœmio primi de Anima.*

*Argum. 2.* Item, miſtum eſt groſſius aquâ elementari: aqua autem artificialis eſt ſubtilior, vel ſaltem non groſſior: ergo non eſt aliquod miſtum: ergo elementum, & non niſi aqua: ergo, &c.

*Argum. 3. Text. 38.* Item, miſcibilia poſſunt ſeparari à miſto, *primo de Generatione*: ergo aliquis poteſt adhibere actiuum paſſiuo ad faciendum talem ſeparationem: ergo aqua artificialis poteſt eſſe aqua elementaris, ſeparata à miſto.

*Confirmatio.* Confirmatur per illud *Exod.* 7. de ranis; vbi ars dæmonum adhibuit actiuum paſſiuo ad producendum ſtatim ex aqua fluuij ranas: ergo æquè poſſibile eſt è conuerſo per artem exhiberi actiuum paſſiuo, vt fiat ſeparatio elementi à miſto, maximè cùm reſolutio ſit facilior, quàm generatio, vel compoſitio.

*Argum. 4.* Item, quantùm ad illam particulam *pura*, aqua naturalis ex *ſecundo Meteororum c. 1.* eſt ſubtilior quàm vſualis, & patet per experientiam: quia per decoctionem, vel depurationem ſeparatur terra ab aqua vſuali, quæ reſidet in fundo.

*Argum. 5.* Item, ex latere Chriſti fluxit aqua, in qua inſtitutus eſt Baptiſmus ſecundùm illud, *Extrau. de celebratione Miſſarum, cap. In quadam*: ſed illud, quod ibi fluxit, non fuit aqua elementaris, ſed phlegma: quia in corpore mortuo non ſtatim eſt aliquis humor, qui ſit aqua elementaris: nec per vulnerationem exiit aliquis humor, niſi qui tempore apertionis erat in corpore: ſed tunc non erat in corpore aqua pura: ergo, &c.

*Ratio ad oppoſ. Ioan. 3.* Contrà, Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c.

*Habetur cap fin. in Auic.* Item, per Auicennam, *Sciant artifices alchymiæ ſpecies per artem permutari non poſſe.* Et Philoſophus etiam 4. *Meteororum*: ergo non poſſunt miſtum reſoluere in puram aquam.

## SCHOLIVM.

*Aquam eſſe materiam remotam, & lotionem proximam Baptiſmi, ex Ioan. 3. & Matth. 3.* Trident. *ſeſſ. 7. can. 2.* Flor. *decret. Eugen.* Lateranen. *cap.* Firmiter, *de Sum. Trin. & ponit congruentias optimas talis inſtitutionis. Propriùs tamen loquendo, totum fundamentum relationis eſt materia, ex quæſt. præced. num. 3.*

2

*Materia Baptiſmi proxima, ablutio: remo, aqua.* Hîc dicendum [a] eſt proportionabiliter ad illud, quod dictum eſt in principio præcedentis quæſtionis. Materia enim propriè accipiendo, ſicut illud, in quo eſt forma rei, eſt totum illud, quod eſt ibi ſenſibile, in quo fundatur relatio ſigni, quod eſt formale in Baptiſmo: ſed ſicut in illo toto ſenſibili aliquid eſt principalius, vt vltimatè determinans, & ideò dicitur forma: ita aliquid eſt minùs principale, vel determinabile, & illud dicitur materia: ſed tale poteſt intelligi vel proximum, ad ſignificandum, vel remotum. Proximum eſt ipſa ablutio viſibilis: ipſa enim cum verbis tanquam ſignum proximum ſignificat effectum Baptiſmi. Et ideò non vrget nos illa dubitatio, prima q. 1. *Detrahe*, ne fortè aſinus bibat Sacramentum: quæ verè eſt dubitatio aſinina: quia illa ablutio non durat niſi in *fieri*: & quantumcumque aqua poſſet bibi, vel huc, vel illud tranſundi, ipſa ablutio non.

*Vide infrà, d. 6. q. 3. Fuit illa dubitatio Gandulphi in gl. ibi.*

Et intelligitur [b] ablutio hîc, non tantùm ſicut aqua dicitur lauare corpus quaſi formaliter: ſed ſicut homo dicitur lauare corpus cum aqua, quaſi propriè actiuè. Nam ſolus contactus corporis ab aqua, quæ eſt quaſi ablutio formalis, non eſt inſtituta tanquam ſignum, vel pars ſigni, ſed ipſa lotio effectiuè facta ab aliquo abluente. Nec oportet,

a *Hîc dicendum eſt*, &c. Præmiſſa acceptione materiæ duplici, ſiue in ordine ad verba, quæ habent rationẽ formæ, ſiue in ordine ad ſignificationem vt formale conſiſtens; vel diuidendo ipſam materiam, vt condiſtinguitur contra verba, in proximam, & remotam. Concluſio Doctoris eſt, materiam remotam Baptiſmi hoc modo ſumptam *eſſe aquam naturalem, proximam verò ablutionem.* 1

*Concluſio Doctorũ.*

*Errores circa materiã Sacramenti.* Circa materiam remotam fuerunt aliquot errores. Gnoſtici negabant aquam ſenſibilem eſſe materiam Baptiſmi, vel adhibendam in myſterio. Irenæus *hæreſi 1. lib. 18.* Idem dicebant Seleuciani apud Auguſtinum *hæreſi 59.* Paulitiani, vt refert Euthymius 2. *part. Panoplie, titulo 21.* qui proinde ſolis verbis baptizabant: eundem docebant Manichæi, vt Auguſtinus *hæreſi 46.* aſſerentes aquam à malo Deo fuiſſe creatam: & licèt id primum docuerint Marcioniſtæ, aquam tamen ex præcepto ipſi adhibebãt; vt aſſerit Theodoretus *lib. 1. hæretic. fabularum.* Illi priores aquam Metaphoricè intelligendam putabant, Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu*, &c. vt aliàs quandoque ſumitur in Scriptura, *Exibunt de ventre eius flumina aquæ viuæ.* Erratunt tamen Iacobitæ, qui nõ in aqua, ſed in igne Baptiſmũ dabant impreſſo ſtigmate fronti in formam Crucis ferro candente. Sanderus *lib. 3. de viſibili Monarchia, hæreſi 113.* Prateolus verbo *Iacobita.* Quidquid ſit de ceremonia, fuit error Seleuci, & Hermæ Galatarũ.

Gnoſtici, & alij. Irenæus. Auguſtin. Euthymius. Auguſtin. Theodoret. Iacobitæ. Sanderus. *Error Seleuci, & Hermæ.*

Fundamentum huius erroris fuit, quòd Chriſtus dicitur baptizare in Spiritu ſancto, & igni, Ioannes autem in aqua *Matthæi 3. Lucæ 3. Ioannis & Marci 1. Act. 1.* Fuerunt & Flagellantes, qui errabant per vicos, & flagellis ſeipſos concidentes Baptiſmum in ſanguine fieri contendebant:

Flagellantes.

*Lotio eſt materia proxima, non ablutio ab ea diſtincta.*

oportet, quòd ſit ibi ablutio prout diſtinguitur contra lotionem, & includit amotionem ſordium à corpore per contactum aquæ: ſed ſufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua, alio hoc agente; quòd nihil aliud eſt, niſi quòd oportet iſtum contactum corporis ab aqua fieri, ab alio cauſante contactum iſtum: & iſto modo intelligendo ablutionem, & lotionem, lotio eſt materia proxima, quaſi per ſe fundamentũ, vel pars fundamenti iſtius ſignificationis: aqua autem eſt materia remota, quæ applicatur corpori in iſta lotione.

*Quinque proprietates congruentes materiæ Baptiſmi.*

Et huius probatio [c] non eſt alia, niſi quia ſic inſtitutum eſt, vt patet Ioan. 3. & Matth. 3. Quare autem ſit ſic inſtitutum, ſunt apertæ congruentiæ: quia aqua eſt frigida, fluida, lucida, neceſſaria, & communis: & hæ omnes proprietates conueniunt illi humori, in quo debet fieri Baptiſmus, qui eſt ad reprimendum æſtum concupiſcentiæ; ad flectendum rigorem inobedientiæ; ad illuſtrandum claritatem fidei; ad introducendum in viam ſalutis: & hoc eſt commune omnibus, ſicut lex iſta, cuius hoc Sacramentum eſt initiatiuum, communis eſt omnibus ad ſalutem.

VVitclef apud VValdenſem Tomo de Sacramentalibus, illud Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ſignificare dicebat paſſionem Chriſti; propter aquam, quæ exiuit de latere eius: apud Lutherum in Sympoſiacis, id eſt, colloquiis conuiualibus, cap. 17. incertum eſt an aqua; vel ceruiſia loco aquæ ſufficiat, vt refert Bellarminus *lib. 1. de Baptiſmo cap. 2.*

VVitclefus. VValdenſ. Lutherus. Bellarmin.

2 *Concluſio fidei.*

*Concluſio* tamen poſita eſt de fide, definita à Tridentino *ſeſſ. 7. de Baptiſmo can. 2.* Lateranen. *in cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica.* Florentino *in decreto vnionis Armenorum*: patet Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. & cap. 4. Act. 8. *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari.* Act. 10. *Numquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperant, ſicut & nos*, &c. ad Epheſios 5. *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*, &c. Vbi omnes interpretes, & Patres eandem veritatem docent. Clemens Romanus *epiſtola 4.* Iuſtinus *orat. ad Antoninum Pium.* Irenæus *lib. 3 contra hæreſes, cap. 19.* Clemens Alexandrinus *Pædagogi, cap. 6.* Origenes *hom. 14. in Lucam.* Nicenum Concilium *lib. 3. de ſancto Baptiſmate.* Cyrill. Ieroſolymitanus *Catecheſi 3.* Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, c. 14. & 15.* Nazianzenus *orat. 40.* Chryſoſtomus ſæpè *homil. 25 in Ioannem.* Damaſcenus *lib. 2. de fide orthodoxa, cap. 9.* ex Latinis Martialis Papa *epiſt. ad Toloſanos, cap. 1. & 4.* Tertullianus *lib. de Baptiſmo, cap. 4.* Cyprianus *epiſt. 65. & 76.* Melchiades Papa *in epiſt. ad Epiſcopos in Hiſpania.* Hilarius *in Pſalmum 65.* Ambroſius *lib. 2. de Pœnitentia, cap. 2. ſerm. 31. in Luc. 22. de Sacramentis, lib. 1. cap. 4. de iis qui initiantur, cap. 3. & cap. 9.* Hieronymus *in epiſt. ad Oceanum, quæ eſt 83.* Auguſtinus *tract. 80. in Ioannem*, & alibi ſæpè; Gregorius *lib. 4. moralium, cap. 3.* & reliqui omnes tam Patres, quàm Doctores.

*Concluſio fidei.* Trident. Lateran. Florent. Clem. Rom. Iuſtinus. Irenæus. Clem. Alexandrinus. Origenes. Concil. Nicenum. Cyrillus Ieroſolymit. Baſilius. Nazianz. Chryſoſt. Damaſc. Martialis Papa. Tertullian. Cyprian. Melchiades. Hilarius. Ambroſ. Hieron. Auguſtin. Gregor.

Quòd autem delirant Seleuciani de igne tanquam materia Baptiſmi ex Matthæi 3. &c. non intelligitur ignis elementaris, ſed Spiritus ſanctus, qui, vt Patres dicunt, ſanctificat aquas. Alij verò intelligunt de miſſione viſibili Spiritus ſancti in Apoſtolos in die Pentecoſtes, vt ſignificatur *Act. 1.* Alij de miſſione etiam inuiſibili per Baptiſmum in Spiritum, quo diſtinctio denotetur inter Baptiſmum Chriſti, & Ioannis, qui fuit in ſola aqua. Aquam etiam ſumi allegoricè, ſeu myſticè in illo loco Ioannis 3. eſt erroneum, & contra ſenſum totius Eccleſiæ, & Patrum: nam *cap. 4.* baptizabant diſcipuli Chriſti in aqua, non alio Baptiſmo quàm Chriſti, vt in quæſtione ſequenti videbitur: & ideo in aqua naturali quam hanc ipſam deſignauit Chriſtus *Ioannis 3.* docens neceſſitatem Baptiſmi à ſe inſtituti, & materiam, in qua inſtitutus eſt.

3 *De ablutione.*

b *Et intelligitur ablutio hîc*, &c. Dicit ablutionem formalem non eſſe materiam proximam Sacramenti, ſed actiuam. Aliqui inde ſumpſerunt occaſionẽ interpretandi ipſum, quaſi aſſerat fundamentum ſignificationis ſacramentalis conſiſtere in ablutione, quà eſt actio, non verò in ablutione, quà eſt paſſio, & recipitur in ſubiectum: ita Suarez intelligit Doctorem. Sed hanc quæſtionem infrà *diſt. 6. quæſt. 2. §. Ex illo*, definit Doctor magis conſiſtere in paſſiua ablutione, quà recipitur in ſubiecto, quod propriè abluitur tam materialiter, quàm etiam ſpiritualiter: intelligitur tamen paſſiua, vt eſt ab agente.

*Quandò ablutio eſt materia.*

Suarez.

*Eadem ablutio actiuè, & paſſiuè ſumitur.*

Hîc autem intendit tantùm ablutionem neceſſariò eſſe à miniſtro, ſiue concipiatur hoc, vel illo modo; nam ſi contingat fieri ab alio quam à proferente verba, nihil fit; & ablutio paſſiua etiam hoc modo eſt actiua: nam licèt paſſiuè ſumatur, vt refertur ad ſubiectum recipiens; tamen vt eſt ab agente actiuè ſumitur ad differentiam eius, quæ per alium fieret, aut per caſum: & in quæſtione præcedente reſponſione 2. *ad 3.* dicit quòd verbum *baptizo* non ſignificat ipſum Sacramentum, ſed ipſum actum ablutionis, nempe vt eſt ab agente in ſubiectum.

Perinde tamen eſt, ſiue actiuè, ſiue paſſiuè proferatur verbum *baptizo*, aut *baptizetur*, vt proferunt Græci, quia vtroque modo denotari poteſt actus, vt ab agente eſt, hîc, & nunc proferente formam, & exercente actum. Significatio ſacramentalis conſiſtit in ablutione ſubiecti ab agente, vel agentis circa ſubiectum: vtrumque ergo horum pertinet ad materiam Sacramenti, vt ablutio ſit tranſitiua, & importet vtrumque ordinem, tam ad abluentem, quàm ad ſubiectum quod abluitur.

4 *Dubium. De trina immerſione.*

Dubitari ſolet, an ritus baptizandi trina immerſione ſpectet ad eſſentiam Baptiſmi? & an vna immerſio ſufficiat? Supponimus quantùm eſt de neceſſitate miniſtri ſecluſo caſu, eum teneri ad ritum præſcriptum ſuæ Eccleſiæ. Trina immerſio, eiúſque vſus frequens eſt apud antiquos Patres: eam tradit canon Apoſtolicus 49. inter Canones Apoſtolorum; & habetur de conſecr. diſt. 4. can. *Si quis Epiſcopus*, &c. Dionyſ. Areopagita *Eccleſiaſtica hierarchia, c. 2.* Origenes *lib. 2. de principiis.* Athanaſius *quæſt. 124.* Cyrillus Ieroſolymitanus *Cathecheſi 2.* Baſilius *lib. 2. de Spiritu ſancto, c. 15.* Gregor. Nyſſenus *oratione Catechiſtica, cap. 35. & oratione de ſacro Baptiſmate*: ſupponit Synodus Conſtantinopolitana prima *can. 7.* docet Chryſoſtomus *homil. de fide in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum; & homil. 24. in Ioannem.*

Canon Apoſtolicus. Dionyſ. Origenes. Athanaſ. Cyrill. Ieroſolym. Baſilius. Nyſſenus. Synod. Conſtantinopol. Chryſoſt.

Damaſce

Damasc. Tertullian. Ambros. Hieron. Augustin. Leo I. Pelagius. Gregor. Magnus. Tolet. IV. Alcuinus. Doctor.

Damascenus *epist. de Trisagio, & lib. 4. fidei orthodoxæ, cap.* 10. ex Latinis Tertullianus *lib. de corona militis cap. 3. & aduersùs Praxeam, cap.* 16. Ambrosius *lib. 2. de Sacramentis, cap. 7.* Hieronymus *dialogo aduersùs Luciferianos, cap. 4. & in cap. 4. ad Ephesios.* Augustinus *serm. 91. de tempore, & serm. 201. & homil. 4.* Leo I. *epist. 4. cap. 3.* Pelagius *cap. Multi, de consecratione, dist. 4.* Gregorius Magnus *epist. 41.* Concil. Toletan. IV. *cap. 1.* Alcuinus *de officijs Ecclesiasticis, cap. 19.* & alij posteriores: noster Doctor *in Reportatis quæst. 4. huius*, docet eam necessariam esse necessitate ministri, explicans varios casus, in quibus alioquin excusatur. Ibidem etiam tradit mysterium huius trinæ immersionis esse, quia baptizamur in Christi mortem, & sepulturam, quâ triduo mansit in sepulchro.

*Eius significatio.*

Hanc significationem tradit Cyrillus Ierosolymitanus: Nyssenus orat. de Sancto Baptismate, Ambrosius, Leo Papa, & multi alij. Trinitatis mysterium significare docet Dionysius, & Origenes, & Hieronymus: vtrumque designari docet Augustinus vltimo loco, & Gregorius Magnus.

5 *Sufficit vna ad valorem Sacramenti.*

Quamuis autem aliqui Patres trinam immersionem ad traditionem Apostolicam referùt, non ita intelligendum est, vt necessitate Sacramenti exigatur; quin vna immersio, seu etiam aspersio, vel infusio sufficiat: est communis Theologorum in hac dist. & cum S. Thom. *quæst. 66. art. 7.* docet Cyprianus *epist. 7. aliàs 76.* qui aspersionem & profusionem tanquam sufficientem docet: supponit Tertullianus *lib. de pœnitentia, cap. 6.* definit Gregorius Magnus *in epist. ad Leandrum, quæ est lib. 1. epistolar. 41.* & habetur canone *de Trina, de consecrat. dist. 4.* qui vtrumque ritum, seu vnâ, seu tribus immersionibus baptizandi approbat; quem sequitur Toletanum IV. Non esse verò trinam immersionem necessariam ex institutione Christi supponit *canon 49.* Apostolorum, quia Trinitatis invocationem docet necessariam ex institutione Christi *Matthæi vltimo*: quamuis reprehenderit vnam immersionem factam in mortem Christi, & trinam fieri præcipiat; institutionem Christi refert ad Baptismum in invocatione trium personarum, non in trinam immersionem.

Scholastici. D. Thom. Cyprian. Tertullian. Gregor. Magnus. Tolet. IV. Can. Apostolorum.

6 Pelagius.

Sic etiam Pelagius Papa *suprà citatus*, agens de eo quod necessitate Sacramenti institutum est, docet baptizari debere in nomine Trinitatis, quamuis immersionem trinam fieri debere supponat; non tamen refert eâ ad Christi institutionem; sicut reuera in ea non inuenitur, nec Ioannis 3. nec Matthæi vltimo; neque vllibi ex sacra Scriptura colligitur necessariò facienda.

*Exempla solius aspersionis.*

Quod amplius est *Actorum* 2. vno die baptizati sunt tria millia, quod magis præsumitur factum per aspersionem, quàm per trinam immersionem, quia tempus non suppetebat post horam diei sextam. Item, in actis Laurentij martyris legitur aspersione baptizasse instante suo martyrio.

*Congruentia.*

Accedit denique ratio & congruentia, quia ideo Baptismus institutus est in aqua, vt materia eius propter necessitatem esset peruia; data est cuilibet potestas baptizandi validè ex eadem ratione: sed multi sunt casus propter infirmitatem, aut defectum aquæ, in quibus trina immersio non esset possibilis: ergo non fuit congruum ad eam ligari Sacramentum.

Deinde siue dicatur denotare tres personas,



siue etiam sepulturam Christi, non requiritur; quia tres personæ perfectiùs, & expressiùs per formam Baptismi, quàm per trinam immersionem denotantur; & ipse actus baptizandi sub inuocatione trium personarum sufficienter significatur per formam. Ex Apostolo desumpta similitudo mortis, & sepulturæ Christi sufficienter denotatur per vnam immersionem, quia maximè intelligitur de morte peccati, & resurrectione ab ipso, vt ipse Paulus insinuat ad *Roman. 6.* ergo nulla congruitate trina immersio poni potest ad essentiam Sacramenti spectare.

7 *Obiectiones soluuntur.*

Neque obstat epistola Cornelij apud Eusebium de Baptismo Nouati sub vna mersione, reuocantis in dubium Baptismum eius, *Si modò*, inquit, *talem hominem Baptismum accepisse dicendum sit*, &c. quia de ritu non dubitat, sed de fructu Baptismi in homine peruerso. Obiicitur etiam canon præfatus Apostolorum, vbi reprobatur vnica immersio in mortem Christi: sicut & *canone 7.* primæ Synodi Constantinopolitanæ damnantur Eunomiani, quòd in vna immersione, & in mortem Christi non inuocatâ Trinitate baptizârint: de quibus Theodoretus, seu de eorum authore Eunomio dicit, quòd sancti Baptismi ritum à Christo, & Apostolis traditum subuertit.

*Responsio.*

Respondetur ex dictis: dari Baptismum vnâ immersione, & in nomine Christi mortui, seu in mortem Christi fuisse reprobatum; tum, quia forma subuertebatur, quæ fuit Matthæi vltimo; & hanc rationem damnationis adducit canon Apostolorum; tum, quia ritus nouus inducebatur ad finem erroris, vt Eunomiani faciebant, qui negabant Trinitatem, & ad professionem talis erroris vtebantur tantùm vnâ immersione, sicut postmodum Ariani trinâ ad professionem erroris, & separationis trium personarum in natura, & consubstantialitate, vt refert Gregorius Magnus suprà.

Gregorius.

8 *Synodus Constantinopolit.*

Hinc Synodus Constantinopolitana docet Eunomianos redeuntes ad Ecclesiam esse baptizandos. Vnde illa vna immersio Eunomianorum non fuit baptismalis, quia non recipiebat determinationem per formam legitimam, aut etiam validam. Quia licèt dicamus Baptismum datum in nomine Christi valere etiamnum, vt quidam volunt, vel certè pro aliquo tempore valuisse currente motiuo, vt causâ dispensationis factæ, non est idem baptizare in nomine, & potestate Christi, ac baptizare in mortem Christi, vel in Christum reduplicatiuè, inquantum mortuus erat, & sepultus. Licèt enim Baptismus repræsentet analogicè mortem & sepulturam Christi, ex his tamen non sumit efficaciam, sicut neque Christi meritum ad mortem & sepulturam extenditur: & sicut natura humana desiit per mortem destructâ vnione animæ ad corpus; sic etiam neque Christus fuit, id est, Filius subsistens in natura humana subsistente ex partibus vnitis durante morte & sepulturâ.

*Differentia erroris condenati à eo, quem suprà in præcedenti explicuimus.*

9 *Forma inualida.*

Particula verò *in nomine* refertur ad Christum subsistentem, sicut & potestas designata, inuocatio etiam Trinitatis implicita in nomine Christi, de qua Ambrosius suprà, requirit Christum subsistentem: forma autem Baptismi exigit expressionem causæ principalis, vt sit valida ex Florentino, & connotat principium, à quo est sanctificatio: vnde si dicatur: *Baptizo te in æternitate Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non esset legitima forma, quia non quæcunque

*Quænam inuocatio requiritur.*

inuocatio expreſſa trium perſonarum exigitur,& ſufficit ad Sacramentum; ſed illa, quâ denotantur eſſe cauſa principalis ſanctificationis,vt ſupponit Florentinum in ratione prædicta, quâ declarat per ſe ſpectantia ad formam ſubſtantialiter, vt benè Vaſquez colligit *diſp.*140. *cap.*4. ſub finem:hoc non denotat æternitas, neque immenſitas trium perſonarum.

10 Ad propoſitum ergo applicando prædictam doctrinam,hæc forma: *Baptizo te in nomem Chriſti*, vel *in Chriſtum mortuum reduplicatiuè*, quæ eſt æquiualens, non denotat cauſam ſubſiſtentem, & principalem, ſiue meritoriam, quæ eſt Chriſtus ſubſiſtens & inſtituens Sacramentum, ſiue principalem phyſicam, quæ eſt Trinitas, vt importatur per nomen *Chriſti* modo explicato: ac proinde defuit ſufficiens forma, per quam determinaretur illa ablutio,vt fieret baptiſmalis.

Hunc eundem errorem eſſe eum, quem damnant Apoſtoli, conſtat ex tenore Canonis;quem Eunomius poſtea aſſumpſit,éſtque ſecutus. Hinc ſequitur hos Canones non præiudicare opinioni communi, quàm ſuprà defendimus. Sequitur perinde ex prædictis non haberi trinam immerſionem ſpectare ad neceſſitatem Sacramenti, ſed fuiſſe introductam per modum ritus, in quo magis explicitè declararetur myſterium Trinitatis, vel certè ſimilitudo Baptiſmatis, ad triduanam ſepulturam Chriſti; & viguit in Eccleſia Orientali & Occidentali, vſque ad Gregorium Magnum; quæ conſuetudo tunc in aliquibus Eccleſiis eſt abrogata ad reprobationem erroris, qui per eam à ſchiſmaticis, & hæreticis intentatus eſt, atque ex aliis congruentiis.

*Quàdiu viguit trina immerſio.*

Factum approbat Pontifex quem ſequitur Toletanum IV. neque enim conſtat. Tolet. IV.

Sed traditio Apoſtolica, ſicut in illis Canonibus apparet,paſſim comprehendit, non ſolùm quæ à Chriſto ordinata ſunt, tanquam neceſſaria, ſed quæ ipſi Apoſtoli per aſſiſtentiam Spiritus ſancti ordinârunt obſeruanda, tanquam tempori congrua, & ſtatui fidelium; quarum aliqua differentia caſus, & circumſtantiarum omittenda exigebat. Alia verò retenta ſunt,quæ omni tempori deſeruiunt: nam eadem poteſtas ad ſucceſſores tranſiuit, vt poſſint etiam circa Sacramenta, ſaluâ eorum ſubſtantiâ, ea ordinare, quæ vtilitati fidelium, & ipſorum Sacramentorum reuerentiæ cedunt: vt rectè Tridentinum *ſeſſ.*21.*cap.*2.determinat.Alia quæ ad hanc materiam ablutionis ſpectant, infrà tractabuntur ex occaſione in ſequentibus. Trident.

c *Et huius probatio non eſt alia*, &c. Suprà *diſt.*1. *quæſt.* 2. *art.* 2. probauimus Sacramenta debere ſimilitudinem earum rerum habere, quarum ſunt Sacramenta, ſicut cauſam inſtructionis ex eadem ſimilitudine,ſecundùm proportionem deſumptam: quæ ratio fuit vt Sacramenta in rebus, & verbis inſtituerentur ex Dionyſio,Chryſoſtomo, & aliis citatis. Hinc Doctor ex proprietatibus aquæ naturalis declarat congruentiam, vnde Sacramentũ Baptiſmi in aqua, & non in alia quauis materia fuerit inſtitutum. Eaſdem congruentias tradit Alenſis 4. *part. quæſt.* 8. *m.* 3. *art.* 2. §.1. D. Thomas *in* 4. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. 3.*part.quæſt.*66.*art.*3. D.Bonauentura *eadem diſt.*3. *part.*2.*art.*1.*quæſt.*1.Vidę Hugonem *lib.*2.*de Sacramentis part.*6.*cap.*4. 11 Alenſ. D. Thom. D. Bonau. Hugo.

## SCHOLIVM.

*Aquam artificialem non eſſe materiam Baptiſmi,quia eſt æquiuocè tantùm aqua, quod probat dupliciter, & impuritatem non obſtare,modò maneat apta ad lauandum,& ſubſtantia aquæ. De prima parte habetur in* Florent. *decret. Eugen. & in* Trident.*ſeſſ.*7.*can.*2. *&* c. Firmiter,*de Sum.Trinitate.*

3 *Aqua artificialis æquiuocè aqua.*

Quod autem d in quæſtione ponitur *naturalis* ad diſtinguendum aquam artificialem. Reſpondeo, quòd aquæ illæ, quæ communiter dicũtur artificiales, ſunt corpora quædã miſta, & non dicuntur aquæ, niſi æquiuocè: quod patet primò, quia ita eſt ex qualitatibus conſequentibus totam ſpeciem, quòd vna qualitas ſimilis non concludit identitatem ſubſtantiæ: ſed vna diſſimilis in tota ſpecie concludit aliam eſſe ſubſtantiam. Illæ autem quæ dicuntur aquæ artificiales, habent à tota ſpecie aliquam qualitatem diſſimilem aquæ elementari. Hoc patet ſecundò, ex modo generationis iſtarum: nam impoſſibile eſt toti naturæ creatæ ex vno generare aliud, niſi ſeruando determinatum proceſſum, per media determinata: tota enim natura creata non poſſet ex aceto generare vinum ſtatim, ſed oportet redire ad materiam primam communem eis, quæ eſt aqua, quæ attracta in ſtipite vitis tandem in vua conuertitur in vinum.

*Vna qualitas diſſimilis in tota ſpecie arguit ſubſtantialem ſpeciſicam differentiam.*

d *Quod autem in quæſtione ponitur naturalis*, &c. Excludit aquam artificialem, quæ cõmuniter dicitur talis,& fit per expreſſionem,aut diſtillationem miſti, quæ non eſt aqua naturalis, aut elementaris; ſed ſubſtantia miſti expreſſa, vel quid aliud tertium. Litera eſt clara. Excludit etiam infrà aquam miſtam, ſeu impuram, eâ miſtione, quæ vetat ablutionem;ſic neque aqua in ſpongia, ſeu paſta, non eſt apta materia donec exprimatur; ſicut neque nix,neque glacies donec reſolutione fiat apta lotioni. Excludit etiam humores, vt ſaliuam, & vrinam. De aliis alterationibus vt brodij, farinatæ,ceruiſia,medone,lixiuio, non eſt adeò certum ad ſenſum, an varient ſpeciem; quod Philoſophi naturalis determinare eſt, non Theologi, neque Canoniſtæ. 12 *Quanã aqua requiritur?*

*Quòd ſi de aliquibus*, inquit, *ſit dubium, ſeruandæ ſunt regulæ ſuperiùs datæ circa formam in quæſtione præcedenti.* Aliqui autem Doctores dubitant de his,aut quibuſdã ex ipſis, vt de brodio,ſi nimiam habeat admiſtam ſubſtantiam carnis decolatam; de ceruiſia etiam videtur planè diuerſa;de lixiuio etiam, quando trahit ſecum qualitates cineris in perfecto gradu. Conſiderandæ ergo ſunt qualitates prædominantes, & an nomen muteti;grauiſſimè peccaret, qui illis vteretur, & Baptiſmus eſſet dubius,& ſub conditione iterandus. 13

& ista sententia ponitur à Philosopho 8. *Metaphysicæ*, & patet ad sensum, quòd ita est. Sed istæ aquæ artificiales ex quocunq; sint, fiunt non seruato processu naturæ per media determinata ordinata. Istæ etiam vniuersaliter fiunt per actionem ignis decoquentis, & resoluentis, ignis autem non videtur esse sufficiens in virtute actiua ad corrumpendum, vel conuertendum quæcumque mista in aquam elementarem: propter quod vniuersaliter concedi potest, quòd aquæ illæ, quæ dicuntur artificiales, non sunt conueniens materia Baptismi, quia non sunt in specie aquæ elementaris.

*Text. 14.*

*Aqua artificialis non potest esse materia Baptismi.*

Sicut autem eiusmodi liquores habent differentes gradus, ita Philosophus de ipsis iudicaret ex natura accidentium. Aduertenda illa ratio Doctoris, vnde colligat aquam artificialem non esse naturalem; *quia ars ex misto non potest immediatè transformare elementum, quia agit motu ordinato per medias formas, sicut producendo mistum, ita etiam resoluendo*; ideóque sæpè non contingit mistum resolui in idem elementum, ex quo fit, sed in aliud mistum, vt lignum in cineres. Hæc maxima videtur etiam currere in Angelo, qui mediante igne, verbi gratiâ, nequit statim conuertere mistum in aquam elementarem: ideóque, quod dicit de Angelo bono, vel malo, intelligitur iuxta illam maximam: & loquitur de conuersione misti in aquam elementarem, quæ conuersio nequit esse prima resolutio talis misti per ignem, vt patet ad sensum per experientiam. Sed quidquid sit, non est huius loci, in quo agitur præcisè de aqua, quæ instituta est materia Baptismi.

*Maxima.*

4 Quod additur in quæstione, *pura*, est intelligendum, quòd impuritas in aqua, potest intelligi duobus modis. Vel propter mistionem, secundùm iuxtapositionem, vt aqua lutosa dicitur impura: vel propter mistionem alterantem à specie, sicut humor mistus dicitur non esse aqua pura. Et prima quidem impuritas non prohibet: dum tamen non excludat ab aqua, quin sit conueniens ad lauandum, vel abluendum. Nec est alia ratio, nisi quia sic institutum est. Vnde aqua inhibita farinæ in pasta, vel in spongia, dum ibi est, vel imbibita in spisso luto, & sic de aliis, si contingant carnem, non sunt conueniens materia Baptismi tales aquæ, quia talis contactus non est lotio, sed tantùm contactus aquæ fluidæ liberæ coniungentis se cuti, vel separantis inter cutem, & aliud corpus.

*Puritas aquæ qualis requiritur ad Baptismum.*

In secundo modo, dico quòd aliqua impuritas potest esse manente aquâ intra speciem: sicut fortè si incipiat inspissari tendendo ad generationem elementi grossioris: ista non prohibet, dum tamen sit fluida. Quod pro tanto dico, quia in glacie, niue, & grandine, quæ tamen sunt imperfecta, vel in via ad mistionem, dum talia sunt, non potest in eis fieri Baptismus, quia ibi non est lotio, sicut nec in duro.

*Nix, glacies, grando, non sufficiunt ad Bapt.*

Si autem per illam alterationem, iam sit extra speciem aquæ, omnino non est materia Baptismi: & de quibusdam alterationibus satis patet, quia constituunt alteratum extra speciem aquæ, puta de humoribus naturaliter resolutis per digestionem, vt saliua, vrina, & huiusmodi, iuxta illud *Extrau. de Baptismo, & eius effectu, Non vt apponeres.* 5

De aliis autem non est ita manifestum, puta de decoctionibus, & admistionibus secundùm sensum, in quibus non apparet euidenter, quòd sit alterata species: vt patet de brodio carnium, & farinata, & huiusmodi, & ceruisia, & medone. Non enim manifestum est, quòd sit ibi aliquod actiuum corrumpens speciem aquæ: tamen hoc discutere non pertinet ad Theologum determinantem materiam Baptismi, inquantum haberi potest ex Canone Bibliæ: neque ad Canonistam determinantem conditiones materiæ, prout determinantur ab ordinatione Ecclesiæ: sed pertinet ad Philosophum naturalem, cuius est inquirere, quæ alteratio transferat aquam à specie sua, & quæ non: quòd si de aliquibus sit dubium, & in talibus fuerit Baptismus factus, vtendum est ibi illis tribus maximis positis in solutione præcedentis quæstionis de remediis adhibendis circa eos, de quibus probabiliter dubitatur.

*Ric. hic q. 3. art. 3. Decoctio, aqua farinata, an sufficiant ad Baptismū.*

*n. 10.*

Ad primum argumentum dico, quòd aqua artificialis, etsi habeat aliqua accidentia similia: tamen aliquod, vel aliqua dissimilia habet à tota specie, ex quibus sequitur distinctio substantiæ. 6

*Ad arg. 1.*

Ad secundum dicendum, quòd etsi aliqua aqua artificialis videatur subtilior, quàm elementaris, quia magis penetratiua: ista tamen subtilitas non est subtilitas simplicitatis, sed virtutis actiuæ: & hoc modo vinum est subtile, vel subtilius aquâ: subtilitas autem conueniens aquæ elementari est subtilitas simplicitatis, eo modo, quo elementum est simplicius misto.

*Ad 2.*

Ad tertium concedo, quòd possibile esset Angelum bonum, vel malum, adhibere aliqua actiua misto, vt passo, per quæ resolueretur ab eo, aqua elementaris. Non enim negaui aquam artificialem esse aquam elementarem, quia ars ibi concurrit (quia non concurrit producens terminum, sed vt adhibens actiuum passiuo) sed dico, quòd nulla ars potest adhibere idem actiuum, puta ignem, quantumcunque diuersis mistis & passis, ita

*Ad 3.*

*Idem ex quãtumuis diuersis, non potest facere aquam naturalem.*

quòd per illud agens, fiat immediatè resolutio in aquam, scilicet elementarem: quia illud idem agens non potest habere virtutem, vt sit sine formis intermediis mutandi: neque etiam ita taliter diuersa in eundem terminum corrumpendi.

Ad quartum, patet ex dictis de impuritate per iuxta positionem.

*Ad 4.*

Ad quintum respondet Innocẽtius ibi, quòd illa aqua, quæ fluxit de latere Saluatoris, non fuit phlegma, sed vera aqua. Quod probat ex verbis Euangelistæ, *Et qui vidit, testimonium perhibuit veritati.* Profectò non aquam, sed phlegma dixisset, si non fuisset aqua, sed phlegma. Probat etiam à posteriori per materiam Sacramenti Baptismi: *Nec in hoc,* inquit, *verum regenerationis Sacramentum fuisset ostensum, cùm per Sacramentum Baptismi, non regenerentur in phlegmate, sed in aqua.* Probat etiam per aquam miscendam in Sacramento Eucharistiæ. Probat etiam quartò per figuram, quæ præcessit super hoc, in veteri Testamento, quando Moyses percussit silicem, & ex ea non phlegma, sed aqua manauit.

*Ad 5. Vera aqua fluxit de latere Christi. Vide Trid. sess. 22. c. 7.*

Ad probationem respondet ibi, quòd vel illa aqua fuit ibi de nouo creata miraculosè, vel de componentibus resoluta. Sed qualitercunque dicatur de aqua lateris Christi, quia fluxit sicut sibi placuit: non propter hoc ibi Sacramenta susceperunt efficaciam, vt suprà dictum est: sed propter quandam similitudinem perfectiorem ad Baptismum, & Eucharistiam. Certum est tamen, quòd Baptismus non potest fieri, nisi in aqua vsuali, quia Christus hoc instituit.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm institutio Baptismi euacuet Circumcisionem?*

Alensis 4. *p. q. 7. m. 9.* D. Bonau. *hic 2. p. a. 3. q. 1. & 2.* Ric. *d. 1. a. 6. q. 4. & hic a. 5. q. 2. & 3.* D. Thom. *d. 1. q. 10. & 3. p. q. 66. a. 2.* Suar. *3. p. tom. 3. disp. 31.*

1 *Mag. K. L. M. Argum. 1.*

AD quartum principale, sic proceditur, & arguitur, quòd institutio Baptismi, non euacuauit Circumcisionem, quia Matth. 5. *Non veni soluere legem, sed adimplere*; sed Circumcisio erat præcepta in lege, Genesis 17. ergo Christus non euacuauit eam instituendo Baptismum. Confirmatur, quia ipse Christus in se ipso eam susceperit.

*Ordo & diuisio quæstionis.*

IN hac quæstione supponit primò Baptismum fuisse institutum ante mortem Christi. Secundò, institutum Baptismum fuisse priùs sub consilio antequam fuerit sub præcepto. Tertiò, docet Circumcisionem non fuisse euacuatam: quoad fructum antequam Baptismus fuerit solemniter promulgatus in die Pentecostes. Quartò, diuersa tempora, & status Circumcisionis, & legis exponit. Quintò, exponit controuersiam de legalibus inter Petrum & Paulum, inter Hieronymum, & Augustinum, & respondet argumentis ad limen quæstionis propositis.

*Argum. 2.*

Item, Genes. 17. data fuit Abrahæ Circumcisio in fœdus sempiternum: ergo ad semper permansurum: alioquin non fuisset sempiternum.

*Argum. 3.*

Item, nullus inferior habet auctoritatem reuocandi legem institutam à superiore: sed certum est, quòd Dominus instituit legem Mosaïcam, & Circumcisionem: & non inuenitur vbi eam reuocauerit, etiam in nouo Testamento: immò Christus toto tempore vitæ suæ mortalis, eam seruauit, etiam ante cœnam comedendo agnum Paschalem; discipuli autem non habuerunt auctoritatem reuocandi: ergo, &c.

*Ratio ad opp. Ioan. 3.*

Contrà Ioannis tertio, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. ergo Baptismus post sui institutionem erat simpliciter necessarius ad salutem: ergo Circumcisio est euacuata: quia non simul concurrunt duo remedia necessaria, & sufficientia contra idem.

Item, ad Galat. 5. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.*

## SCHOLIVM.

*Baptismum fuisse institutum ante passionem, etsi non certò constet quando: quia discipuli Christi baptizabant ante eius mortem, & Baptismo Christi, non Ioannis, nec alio, vt tenent* D. Thom. *3. p. q. 66. a. 2.* Richard. *hic a. 1. q. 1.* D. Bonau. *2. p. a. 1. q. 1.* Augustt. *tr. 13. in Ioan. & tr. 5. & habetur cap.* Aliud, *de consec. d. 4.*

2 Ista quæstio [a] supponit Baptismum institutum fuisse in lege noua, quod verum est, & rationabile. Verùm, sicut patet ex multis

a *Ista quæstio supponit Baptismum institutum fuisse in lege noua, quod verum est*, &c. Definitur in Florentino in Decreto vnionis, & in Tridentino *sess. 7.* de Sacramentis in genere *canone primo*; colligitur

1 *Institutio Baptismi in lege noua.*

multis auctoritatibus noui Teſtamenti, & Chriſti, & Apoſtolorum, in quibus probatur neceſſitas Baptiſmi, quod non eſſet, niſi eſſet inſtitutus in lege illa legitimè.

Quando tamen [b] primò fuit inſtitutus, dubium eſt, non quidem quando Chriſtus baptizabatur à Ioanne, quia ille non fuit Baptiſmus Chriſti, id eſt, in forma Chriſti, ſed in forma Ioannis: tamen Chriſtus dedicauit tunc aquam tanquam materiam idoneam ſuo Baptiſmo, ex contactu ſuæ mundiſſimæ carnis: quia in legiſlatore confirmatus eſt vſus aquæ, id eſt, vt miniſterium. Nec etiam in illo verbo Ioan. 3. dicto Nicodemo, *Niſi quis*, &c. quia non eſt veriſimile tam neceſſarium Sacramentum in conclaui coram perſona priuata inſtitui, quæ non debuit eſſe præco inſtitutionis illius. Neque etiam differebatur inſtitui, vſque ad tempus aſcenſionis, Matth. vltimo, nam diſcipuli Chriſti ante paſſionem baptizabant Baptiſmo Chriſti. Ioan. 3. dicunt diſcipuli Ioan. ad ipſum: *Rabbi cui teſtimonium perhibuiſti, ecce ipſe baptizat, & omnes veniunt ad eum.* & ſequitur cap. ſequenti, *Quanquam Ieſus non baptizaret, ſed diſcipuli eius.* Conuincitur ergo tempus inſtitutionis fuiſſe ante illud tempus, quo diſcipuli Chriſti baptizabant, licèt præcisè hora inſtitutionis non legatur in Euangelio.

3 Iſtud etiam ſuppoſitum eſt rationabile, quia Sacramentum principale legis Euangelicæ, per quod ſcilicet intratur in eius obſeruantiam, debuit eſſe nouum, & proprium illi legi, vt priùs dictum eſt in quæſtione de inſtitutione Sacramenti in communi, diſtinctione primâ. Debuit etiam iſtud Sacramentum eſſe euidens in ſignificatione, quia iſta eſt lex veritatis euacuans vmbram. Et debuit eſſe copioſum in gratiæ collatione, quia hæc eſt lex gratiæ. Ioan. 1. *Gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Debuit etiam eſſe facile, quia *iugum Chriſti ſuaue eſt, & onus eius leue*, Matth. 11.

Item debuit eſſe commune, quia Deus ad legem Moyſi elegit vnum populum tantùm: ſed ad nouam legem totum mundum, *In omnem terram exiuit*, &c. Hæc quatuor inueniuntur in vno, ſcilicet in ablutione cum verbis, quia hoc euidenter ſignificat mundationem animæ, quæ eſt effectus principalis, & dat gratiam copiosè. Vnde in Pſalm. dicitur, aqua refectionis, *Super aquam refectionis educauit me.* Eſt & facilis, quia nullo modo periculoſa, ſicut fuit Circumciſio: & communis omni ſexui, & ætati.

*Pſalm. 22.*

SCHO

colligitur Matthæi 3. Lucæ 3. Ioannis 1. Marci 1. ex iis quæ Ioannes de Baptiſmo Chriſti docuit, accedente interpretatione Eccleſiæ & Patrum. Item, *Ioannis 3. & 4. Matthæi vltimo*; ex variis locis Actorum Apoſtolorum, & epiſtolarum Pauli, in quibus oſtenditur neceſſitas, & fructus Baptiſmi.

b *Quando tamen*, &c. Hîc tangit controuerſiam illam an fuerit inſtitutus ante, vel poſt paſſionem Chriſti? Partem negatiuam, ſcilicet non fuiſſe inſtitutum ante paſſionem, expreſsè docet Leo Papa epiſt. 4. cap. 3. *Dominus*, inquit, *Ieſus poſtquam reſurrexit à mortuis, diſcipulis ſuis, in quibus omnes Eccleſiarum præſules docebantur, formam & poteſtatem tradidit baptizandi, dicens: Euntes ergo nunc docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. De quo vtique eos ante paſſionem potuiſſet inſtruere, niſi propriè voluiſſet intelligi regenerationis gratiam ex ſua reſurrectione cœpiſſe*, &c. 2 *Non fuiſſe inſtitutum ante paſſionem Chriſti.* Leo Papa.

Idem tenere videtur Optatus Mileuitanus *lib. 5.* contra Parmenianum: *Cùm Ioannes*, inquit, *infinita millia hominum baptizaret, iam Chriſto præſente operabatur ſeruus, & vocabat Dominus antequam baptizandi daret formam: peractum eſt non modicum tempus, millia hominum in pœnitentia, & remiſſione tincta ſunt peccatorum: ſed nemo tinctus fuerat in Trinitate; nemo adhuc nouerat Chriſtum, nemo audierat eſſe Spiritum ſanctum. At vbi venit tempus plenitudinis, certo tempore dedit leges Baptiſmatis Filius Dei, & dedit viam quâ iretur in regna cœlorum, dum præcepit, dicens: Ite docete omnes gentes, baptizantes eos*, &c. & in ſequentibus idem docet ſupponens Baptiſmum Chriſti non incepiſſe ante datam formam Matthæi vltimo. 3 Optatus Mileuitan.

Eandem ſupponit Tertullianus *lib. de Baptiſmo cap. 7.* vbi docet diſcipulos Chriſti *Ioan. 4.* baptizaſſe baptiſmo Ioannis tantùm: Chryſoſtomus *hom. 28. in Ioan.* afferens Baptiſmum, quo baptizabant, fuiſſe Spiritus expertem, ſicut fuit Baptiſmus Ioannis, nullum fructum diuerſum habuiſſe, quem ſequũtur Euthymius, & Theophylactus *in Ioannem.* Idem etiam Chryſoſtomus *homil. 24. in Acta*, docet miſſionem viſibilem Spiritus ſancti Baptiſmi loco Apoſtolis, neque alium recepiſſe: & *homil. 4.* in illud, *Repleti ſunt omnes Spiritu ſancto*, &c. *Non acceperunt aliud*, inquit (ſupple Baptiſma in aqua ſenſibile) *ſed hoc primum; erat enim nouum, nec erat opus alio ſigno*, & clarè *homil. 1.* in Acta ſuper illud, *Baptizabimini in Spiritu ſancto*, &c. 4 Tertullian. Chryſoſt. Euthym. Theophyl.

*Sed quomodo*, inquit, *dicit, baptizabimini, cùm aqua non eſſet in cœnaculo?* reſpondet: *Quoniam in Baptiſmo præcipua pars eſt Spiritus, per quem & aqua fit efficax. Itaque quemadmodum & ipſe dicitur vnctus, quamuis nequaquam vnctus eſſet oleo, ſed accepiſſet Spiritum ſanctum, ſic & baptizati dicuntur diſcipuli. Eſt & alia interpretatio: comperire licet illos fuiſſe tinctos, idque diuerſis temporibus* (quæ verba non denotant ex mente Chryſoſtomi iteratum, aut multiplicatum Baptiſmum Apoſtolorum in aqua, ſed diuerſis temporibus recepiſſe ablutionem in aqua, & Spiritum ſanctum, vt patet per verba ſubſequentia) *in nobis enim vtrumque fit pariter, tunc verò diſiunctim: ſiquidem ab initio à Ioanne baptizati ſunt*, &c. Negat ergo ipſos baptizatos fuiſſe Baptiſmo Chriſti, ſed Ioannis, vt dicit Tertullianus; quod ſupponit Baptiſmum Chriſti non fuiſſe inſtitutum ante paſſionem, aliàs vſus eius eſſet potiſſimùm in diſcipulis: neque alio fundamento aſſeritur inſtitutio Baptiſmi, quàm ex illo Ioan- 5

nis

nis 3.& 4. Primo loco declaratur eius neceſſitas, ſed non inſtitutio: ſecundo verò loco præſumitur tantùm fuiſſe diuerſum Baptiſma diſcipulorum Chriſti à Baptiſmo Ioannis, quod negant prædicti Patres.

Rupertus. Magiſter. Alenſis. Eandem tuetur Rupertus *lib.3.in Ioannem.* Magiſter *in 4.diſt.*3. probabilem docet, contrariam verò probabiliorem: eandem ſequitur Alenſis 4. *part.quæſt.*8. *m.*2.*art.* 3. quem moderni notant obſcuritatis,ſed clariſſimè loquitur. Quamuis enim dicat plures Baptiſmi inſtitutiones fuiſſe:primum in Iordane per deſignationem materiæ, & ſanctificatis aquis in Iordane per Spiritum ſanctum deſcendentem ſuper Chriſto, & per contactum Chriſti:& hanc vocat materialem, aliam formalem, per traditionem formæ Matthæi vltimo, hanc ſimpliciter intendit eſſe inſtitutionem Sacramenti. Canus *lib.*8. *de locis cap.*5. & plures recentiores docent hanc ſententiam vt probabilem; S.Thomas 3.*part.quæſt.*73.*art.*5.*ad* 4. eam vt probabiliorem videtur prima reſponſione amplecti: cauendus proinde modus loquendi, & prompta cenſura quorundam qui hanc ſententiam damnant.

Canus. D.Thom.

7 *Concluſio Doctoris.* Magiſter. D.Thom. D Bonauēt. Richardus. Auguſtin. Origenes. Concluſio tamen Doctoris eſt magis recepta; eam defendunt communiter Scholaſtici cum Magiſtro *in 4.diſt.*3. vbi D.Thomas, D.Bonauentura, Richardus,& reliqui omnes, præter citatos. Eam tradit Auguſtinus *tract.5.in Ioan.& tract.*13.& 15. *& epiſt.*118. Origenes *tom.*7. in Ioannem quamuis verba eius quædam ſint ambigua, vt magis pro priori ſententia facere videantur, tom. tamen 8. hanc ſententiam docet: *Lauacrum aqua*, inquit, *ſymbolum & nota exiſtens purificationis animæ ablutæ ab omni ſorde malitiæ: nihilominùs (etiam ex ſe) eſſe principium ac fontem munerum diuinorum propter patentiam inuocationum adorandæ Triadis ei, qui ſe exhibuerit Deitati*, &c. Et infrà: *Quin & hoc inſuper notandum, quòd Ioannis Baptiſmus Ieſu Baptiſmo, qui dabatur per diſcipulos eius, inferior erat*, &c. quod probat ex *Actorum* 19.

Hoc loco exponit differentiam, quæ fuit inter Baptiſmum Ioannis in Iordane, & Baptiſmum, quem dabant diſcipuli Chriſti; ſupponit proinde integram inſtitutionem Baptiſmi præceſſiſſe, & quoad materiam, & quoad formam: tractat enim de controuerſia, & æmulatione ortâ ex occaſione Baptiſmi diſcipulorum Chriſti, ad quem plures conueniebant, quàm ad Baptiſmum Ioannis 4. Verba ergo eius in præcedenti tomo, ſeu capite intelligenda ſunt aliter quàm ſonant; ita enim habet: *Cùm ergo ipſe tum non baptizarit, ſed aliis ceſſerit hanc prouinciam, quomodo cùm acceſſerit iuxta Malachiæ vaticinium baptizaturus eſt?* & reſpondet: *igitur Chriſtus in aqua non baptizat, ſed diſcipuli eius, ſibi ipſi reſeruans Baptiſmum in Spiritu ſancto, & igni*, &c. Quæ verba non referuntur ad excluſionem Spiritus dati per Baptiſmum Apoſtolorum, quaſi in ſola aqua eſſet ſine ſanctificatione (cuius contrarium prioribus verbis docet) ſed ad miſſionem viſibilem Spiritus ſancti poſt Aſcenſionem. Idem docet Cyrillus Alexandrinus in Ioannem *lib.*2.*cap.*17.& *cap.*18.

Cyrillus Alexand.

8 *Secunda probatio concluſionis ex Scriptura.* Secundò hæc ſententia magis fundatur in Scriptura, quſa ipſe Ioannes *Matth.* 3. *Luc.*3. *Ioan.& Marci* 1. prædicauit Baptiſmum Chriſti fore in Spiritu ſancto, & igni, non in ſola aqua: vnde ſumunt Patres communiter differentiam inter Baptiſmum Chriſti & Ioannis (quam ſuprà tractauimus) ſicut & Paulus *Actorum* 19. Item Ioannis 3. Chriſtus ipſe docuit neceſſitatem, & efficaciam ſui Baptiſmi: Ioannis autem 4. baptizabat ipſe Chriſtus, ſeu diſcipuli eius, ſed non Baptiſmo Ioannis, neque alio Baptiſmo vacuo, qui in ſola aqua fieret: ergo proprio Baptiſmo, qui dabat Spiritum & remiſſionem peccatorum. Probatur ſubſumptum cum conſequentia, primò quia Baptiſmus datus à diſcipulis Chriſti, ſiue Chriſtus manibus propriis baptizauit aliquos, ſiue non; tribuebatur Chriſto authori, *Ioannis 3.& 4.* quia eius authoritate fiebat, aliter enim non miniſtraretur à diſcipulis: & ſi Baptiſmus Ioannis erat de cœlo, vt ſupponit Chriſtus, quantò magis ille Baptiſmus, qui miniſtrabatur à diſcipulis Chriſti, & ipſi Chriſto veraciter tribuitur tanquam authori?

*Baptiſmus Chriſti Ioan. 3.& 4.*

9 *Diſcipuli non vſi ſunt Baptiſmo Ioānis. Non fuit cōgruus vſus Baptiſmi Ioannis à diſcipulis.* Non fuit Baptiſmus Ioannis, vt intellexit Tertullianus, quia ſecundùm Patres, & vt benè aduertit Cyrillus, ille Baptiſmus Ioannis ab ipſo ſolo dabatur, non ab eius diſcipulis; neque congruum erat, vt Chriſtus, quem prædicabat Ioannes, venturum & baptizaturum in Spiritu ſancto aſſumeret miniſterium Ioannis, ſed potiùs miniſtraret proprium ſimul cum prædicatione veritatis, ne videretur potiùs agnoſcere Ioannem ſuperiorem & doctorem, cuius Baptiſmum aſſumeret miniſtrandum.

*Non ſunt vſi Baptiſmo vacuo.* Præterea ſi vel ipſum Ioannis Baptiſmum miniſtraret, & prædicaret (Baptiſmus enim quem miniſtrabant Apoſtoli, non fuit ſine inſtructione) vel alium in ſola aqua miniſtraret ad euacuandam deceptionem ſigni falſi: neceſſaria etiam erat inſtructio de hoc Baptiſmo, quatenus vacuus erat Spiritu (prout Ioannes etiam de ſuo docuit eſſe ſolùm in aqua) & ſic ſi diuerſus eſſet à Baptiſmo Ioannis, & ſine Spiritu, eneruaret teſtimonium Ioannis de Chriſto, & eius Baptiſmo in Spiritu per remiſſionem peccatorum, cùm videretur Chriſtus in effectu, nihil aliud ſuo Baptiſmo conferre: euacuaret etiam, quæ Chriſtus ipſe docuit de neceſſitate, & efficacia Baptiſmi ſui, quem coniunctum eſſe cum Spiritu docet illis verbis, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*, &c. hæc enim dicta ſunt, cùm Chriſtus baptizaret, & prædicaret, & ſigna faceret: vt patet ex circumſtantia literæ.

*Inconuenientia vrgentur contra primā ſententiam.*

10 Vnde aduertenda ſunt illa, quibus primùm reſpondet Nicodemo conſulenti de via ſalutis: *Amen, Amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei.* quod infrà declarat: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto*, &c. Quibus verbis oſtendit renaſcentiam, ſeu regenerationem ex Baptiſmo per aquam, & Spiritum, eſſe ianuam, & ingreſſum in regnum Dei, quod eſt Eccleſia, vel certè ad fidem, ſeu cognitionem veram Chriſti, qui (vt quidam intelligunt cum gloſſa ordinaria) eſt *viſio veritatis, & regnum Patris.* Nicodemum enim humiliter de Chriſto ſenſiſſe conſtat ex Chryſoſtomo *homilia* 23. *in Ioannem.* Auguſtinus *tractatu* 11. putauit eum eſſe purum hominem, ideóque proponitur ipſi neceſſitas regenerationis ſpiritualis per Baptiſmum; & hoc ipſum ex decurſu literæ patet, & comprehendit reſponſio Chriſti ad interrogationem Nicodemo. Supponitur ergo Baptiſmus, cuius neceſſitatem docet Chriſtus, fuiſſe inſtitutus.

*Error Nicodemi.* Chryſoſt. Auguſtinus.

Nam, vt benè Doctor in conclaui & homini priuato non primum proponenda erat doctrina, & inſtitutio Sacramenti, quod ordinatum eſt reſpectu communitatis: ergo hic ipſe eſt Baptiſmus, quem

quem in illo capite. & sequenti ministrarunt Apostoli, seu discipuli ex authoritate Christi: & hoc congruum erat, vt vocatio ad fidem Christi, quem prædicauit Ioannes venturum, & baptizaturum in Spiritu sancto, inciperet cum Baptismo, qui continebat regenerationem in Christo, & professionem fidei, & legis nouæ.

*Doctrina Christi incepit cum Baptismo eius.*

11 Deinde patet ex verbis illis discipulorum Ioannis: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum:* & cap. 4. *Vt ergo cognouit Iesus, quòd audierunt Pharisæi, quòd Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quàm Ioannes,* &c. Quibus verbis denotatur concursus omnium ad Baptismum Christi, vnde indicatur causa, quia nempe dabatur non in nuda aqua, sed in Spiritu sancto, vt Ioannes prædixit, & in remissionē peccatorum, ideóq; ex fructu Baptismi omnes concurrebant ad ipsum, visis etiam signis, quæ in confirmationem suæ doctrinæ, & Baptismi Christus faciebat: quas rationes attingit suprà Origenes: sequitur ergo intentum, nempe illum Baptismum esse Baptismum Christi, & verum Sacramentum ab ipso institutum.

*Causa frequentiæ cōcursus ad Baptismum Christi.*

12 Præterea vt omnes Patres docent, Baptismus Ioannis fuit dispositio ad Baptismum Christi mox subsecuturi: ergo non debuit esse ministerium solius aquæ, sed veritas rei, ad quam Ioannis præparando suo Baptismo præiuit, cùm figuram veritas ipsa semper subsequatur. Vnde tollitur ratio Tertulliani, quâ putat causâ disciplinæ tantùm baptizasse Christum, & discipulos eius, vt faciliùs reciperetur verum Sacramentum; quia, vt dixi, operis ipsius, seu Sacramenti recipiendi, cuius tantus esset fructus, & necessitas, non fuisset difficultas, cùm talis non fuerit, quoad Baptismum Ioannis, qui erat pœnitentiæ, & quia ipse Ioannes sufficienter disposuit populum; & quia fides necessaria ad Baptismum, cuius professio exigebatur primùm in adultis *Actorum* 8. sic facilitabat ad receptionem Sacramenti: otiosus ergo, quoad hoc, foret Baptismus discipulorum: debuit ergo prædicatio Euangelij incipere cum Baptismo, qui est proprius eius, & ingressus ad ipsum, vt distingueretur à Baptismo Mosaico, & Baptismo Ioannis, & vt succederet figuræ veritas, & in propriis Sacramentis, & mediis subsisteret.

*Baptismus Ioannis dispositio ad Bapt. Christi.*

*Soluitur ratio Tertull.*

13 Tertiò accedit, quòd ita ordo rerum exigit, vt sicut sacerdotium Leuiticum supponebat Circumcisionem, quæ fuit incorporatio hominis circumcisi in Synagoga, ita etiam sacerdotium noui Testamenti supponeret Baptismum, per quem est ingressus, & incorporatio debita huic legi. Sicut enim translato sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat, *ad Hebræos* 7. & vt ibidem dicitur, sub sacerdotio Leuitico populus legem accepit: ita etiam sub sacerdotio secundùm ordinem Melchisedech accepit legem euangelicam, quæ est reprobatio prioris mandati ob infirmitatem, & hoc in passione, & morte legislatoris, qui consūmauit omnia, quæ de ipso dixerunt Moyses, & Prophetæ, & figurauit lex: sed in vltima cœna instituti sunt Apostoli Sacerdotes, & ministri legis Euangelicæ: ergo tum primum subsistebat ipsa lex, & porta per quam ad legem fuit ingressus, quæ est ipse Baptismus, & sine quo lex euangelica esset simpliciter infirma, neque posset incorporare Christo professores suos per regenerationem, quæ *est translatio ab eo statu, in quo quis nascitur filius Adam ad statum adoptionis Filiorum Dei.* Tridentinum *sess. 6. cap. 7.*

*Tertia ratio principalis. Ex ordine & connexione legis & sacerdotij.*

*Debuit Baptismus præire Sacerdotiū.*

Trident.

In tota lege non est aliquod remedium efficax originalis, quod sit proprium ipsius legis, præter Baptismum: ergo debuit fuisse institutus antequam conferretur sacerdotium; hoc autem in vltima cœna collatum & institutum est, vt patet ex Trident. *sess. 22. cap. 2.* Hoc denique confirmatur ex natura sacrificij, tum instituti, quod nulli prodest, nisi incorporato per Baptismum: ergo nullâ congruentiâ differri posset institutio Baptismi, vsque ad resurrectionem.

Trident. *Confirmatiō.*

*Soluitur ratio Leonis.*

Hinc reiicitur ratio quam adducit Leo Papa suprà: quamuis enim Baptismus institutus esset ante passionem, non sequitur, quin verè ad passionem, & mortem Domini ferretur; sicut & Eucharistia ad sacrificium Crucis referrur: *Hoc facite in meam commemorationem:* quamuis eius institutio præcesserit.

14 Deinde, vt docet Tridentinum sess. 13. cap. 2. in fine: *Eucharistia est Symbolum vnius illius corporis, cuius ipse caput est* (supple Christus) *cuique nos tanquam membra arctissimâ fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit,* &c. quod & Patres docent, Chrysostomus *homil. 61. ad pop. Antioch.* Augustinus *tract. 27. in Ioannem.* Hæc autem vnio fit in nobis mediante Baptismo, vt docet Tridentinum suprà, & *sess. 24. cap. 2.* explicans differentiam Baptismi, & Pœnitentiæ: sicut ergo vnionem corporis mystici per fidem, spem, & charitatem significat Eucharistia, quæ vnio fit mediante Baptismo, & supponitur per se ad Eucharistiam, tanquam dispositio præuia, rectè sequitur Baptismum fuisse institutum ante Eucharistiam, idque necessarium fuisse ex præfixo ordine signorum, & significatorum: quoniam Eucharistia solùm nutrit vitam concessam per Baptismum, quod est lauacrum regenerationis in Christo dans vitam.

Trident. *Eucharistia symbolū corporis mystici.*

Chrysost. Augustinus. *Vniuntur membra per Baptismum.*

Facilis est responsio ad fundamenta oppositæ 15
sententiæ, quia illa loca, quæ dicunt Christum baptizaturum in Spiritu sancto & igni, non solùm referuntur ad plenitudinem Spiritus receptam in Pentecoste in linguis igneis, sed etiam ad ignem charitatis, & ad Spiritum sanctum inuisibiliter datum. Item, quod dicitur *Ioannis* 7. de Spiritu, qui *nondum fuerat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus,* intelligitur non de Spiritu inuisibiliter dato, aliàs quomodo Magdalena, Zacheus, & Matthæus, aliique fuerint à Christo iustificati? Deinde sacerdotium receptum in vltima cœna, & Eucharistia sic nihil conferrent Apostolis: neque Ioannis 20. per illa, *Accipite Spiritum sanctum,* &c. quidquam receperint, contra expositionem communem Patrum; hæc tamen insufflatio Christi in Apostolos cum verbis prædictis præcessit missionem illam visibilem Spiritus sancti, quam promisit, ad quam alludit ibi Ioannes, & postea communicata est Apostolis, & successiuè aliis credentibus, vt patet in primitiua Ecclesia, ex locis citatis *Actorum* 10. & 19.

*Explicantur dicta in oppositum.*

*Dabatur Spiritus à Christo ante passionem.*

Præter duas præmissas sententias aliam lego 16
apud authorem Commentarij in epistolas ad Romanos, quæ est inter opera Ambrosij; non tamen est ipsius Ambrosij, vt benè probat Bellarminus, & alij de Scriptoribus, sed vel Hilarij Diaconi, qui defciuit *in schisma ad Luciferianos,* vel certè, vt alij volunt, Remigij Lugdunensis: ille ergo author quicunque sit in *cap. 5. epistolæ ad Romanos,* in illa verba: *Non autem scriptum est tantùm propter*

*Tertia sententia.*

ipsum

*Baptiſmum Chriſti dediſſe remiſſionem ſine gratia.*

*ipſum ſolum, quia reputatum eſt illi ad iuſtitiam, ſed & propter nos,* &c. *Ante paſſionem enim,* inquit, *qui baptizati ſunt ſolam remiſſionem acceperunt peccatorum, quorum zelo Sathanas occidit. Saluatorem: poſt reſurrectionem tamen, qui priùs, quàm qui poſtea baptizati ſunt; omnes iuſtificati ſunt per datam formam fidei Trinitatis, acceptóque Spiritu ſancto, qui ſignum eſt credentium, quòd ſint Filij Dei,* &c.

17 *Reiicitur vt erronea.*

Hìc ergo videtur ſeparare remiſſionem peccatorum in effectu à iuſtitia; quod erroneum eſſe ſuprà docuimus de Circumciſione, niſi fortè intelligendus ſit, illam remiſſionem non fuiſſe datam virtute Baptiſmi, ſed Pœnitentiæ; atque adeò intendere Baptiſmum Ioannis, qui fuit Pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, ità vt alius Baptiſmus non fuerit in vſu ante reſurrectionem. Sed neſcio quare ſeparet iuſtificationem à remiſſione peccati, ſiue per pœnitentiam, ſiue alio modo habitam: quidquid ſit, author eſt ſuſpectæ fidei, atque in hoc ipſo fortè denotat iuſtitiam eſſe in ſola remiſſione peccatorum, vt Pelagius docuit, ideóque ſuſpecta mihi ſunt illa verba vltima eius, *Quòd Spiritus ſanctus ſit ſignum, quòd ſint recipientes filij Dei*, cùm potiùs conſtituat filios Dei, & intelligere videtur de Spiritu inuiſibiliter dato per formam Baptiſmi. Vnde colligi poſſet conſtituere iuſtitiam in remiſſionem peccatorum, ſicut Pelagius, atque ſeparare eam à gratia. Locus mihi obſcurus eſt; alij viderint, quis ſit ſenſus eius idoneus.

18 *De tempore inſtitutionis, Concluſio Doctoris.*

*Quando tamen primò fuit inſtitutus* (ſuppple Baptiſmus) *dubium eſt*, &c. Hìc agit de tempore, quo inſtitutus eſt à Chriſto; &, concluſio eius eſt, quòd *neque in Iordane, quando ipſe eſt baptizatus, neque Ioannis 3. in illis verbis ad Nicodemum, & colloquio, neque Matthæi vltimo; ſed aliquo tempore intermedio inter Baptiſmum Chriſti in Iordane, & miſſionem diſcipulorum ad baptizandum.* Idem docet Gabriel *hac diſt. quæſt. vnica, art. 3. dubio vltimo*; & eandem in reipſa videtur docuiſſe S. Bonauentura *ead. diſt. part. 2. art. 2. quæſt. 1. ad vltimum.* Richardus *art. 5. quæſt. 1.*, dicunt enim, quòd Chriſtus facto inſinuauit Baptiſmum fore in aqua per deſignationem materiæ. Secundò, verbo, in colloquio ad Nicodemum. Tertiò, inſtituit cùm ipſe baptizare cœpit; quòd intelligunt circa id tempus factum, quia inſtitutio debuit fieri antequam diſcipuli iuſſu eius baptizarint: & hoc eſt, quod intendit Doctor.

*Gabriel.*

*S. Bonau. Richardus.*

19 *Probatur ratione congruentii.*

Congruentiæ Doctoris rectè probant factum, quia ita ratio poſcebat; quia Sacramentum legis nouæ, quæ eſt ianua, & profeſſio eius incipere debuit, quando ipſa lex noua incepit prædicari à Chriſto, & per vocationem diſcipulorum congregari Eccleſia ex Iudæis. Hac enim ratione negant communiter omnes Chriſtum inſtituiſſe Baptiſmum antequam fuerit ipſe baptizatus à Ioanne; quia antea non incepit docere: ergo congruum fuit Baptiſmum tum primùm inſtitutum fuiſſe, quando incepit habere diſcipulos, quibus miniſterium, & vſus Baptiſmi committeretur ex authoritate inſtituentis.

*Baptiſmus inſtitutus, quando cœpit Chriſtus docere.*

Poſt autem Baptiſmum receptum à Ioanne, & ieiunium, & tentationem, cœpit Chriſtus docere, & vocare diſcipulos; ergo & tunc ſimul cum legis nouæ prædicatione inſtituit Baptiſmum: ergo non in Iordane. Confirmari poteſt, quia inſtitutio Sacramenti debuit eſſe publica, & reſpectiuè ad Eccleſiam, in qua ſupponi debuit inſtructio, & fides ad recipiendum Baptiſmum, qui eſt proprium Sacramentum ipſi cum lege datum: ſed ante prædicationem Chriſti, & vocationem diſcipulorum nulla fuit Eccleſia congregata ſub lege noua viſibilis, & ſub Sacramentis eius: ergo neque Sacramentum eius proprium inſtitutum: & quod magis eſt, nullum ſubſiſtit motiuum eius priùs inſtituendi pro tempore, & ſtatu, in quo nullus potuit eſſe vſus eius, aut fides præuia requiſita, neque inſtructio. Accedit quòd Ioannes poſt ſe venturum Chriſtum, & baptizaturum promiſit, quòd intelligitur de manifeſtatione eius per doctrinam, & miracula, & vocationem Iudæorum ad viam ſalutis in lege noua.

*Confirmatur. Inſtitutio Sacramenti debet eſſe publica. Non fuit lex noua ante prædicationē.*

20 *Finis & vſus Sacramenti ſupponit prædicationē & vocationē ad legem nouā.*

Peto igitur, quis finis tum eſſet inſtitutionis, aut cui facta, & reuelata eſſet inſtitutio? ſi enim nemini reuelata eſt, non fuit inſtitutio publica, quæ conuenit Sacramento: ſi autem reuelata fuerit alicui, non videtur fundamentum illud aſſerendi ex Scriptura, ſed potiùs contrarium: quia tunc Ioannis Baptiſmus non ceſſauit, qui fuit diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti; ceſſauit autem cùm cœpit Chriſtus baptizare; neque Ioannes fuit de lege noua, ſed præcurſor eius: & ſuppoſitâ inſtitutione Baptiſmi videtur promulgatio eius alteri facienda, debere fieri alicui qui eſſet miniſter, & cultor legis, pro qua currit Sacramentum tanquam proprium eius.

*Non fuit inſtitutus ante manifeſtationem Chriſti.*

Neque etiam videtur hoc notum fuiſſe aliis, quia diſcipuli Ioannis zelabant pro magiſtro, *Ioannis 3.* & zelus ipſorum ſupponit Baptiſmum: ſi antea fuit inſtitutus à Chriſto, fuiſſe eis ignotum: aliùs non fuit, cui id reuelaret Chriſtus, quia nondum habuit ſequaces. Non fuit etiam congruum vt vſus Baptiſmi Chriſti fieret ab alio antequam ab ipſo Chriſto, aut per ſe, aut per alium eius præcepto, & iuſſu fieret, quia aliàs hoc inferret dubium authorem, ſi Baptiſmus Chriſti ante manifeſtationem eius daretur ab aliis, quod probat inſtitutionem non debuiſſe fieri à Chriſto, ante ſui manifeſtationem per doctrinam & opera: quia ſuppoſitâ inſtitutione Sacramenti iam potuit vſus eius fuiſſe legitimus, ab aliis ante Chriſtum.

*Manifeſtatio Chriſti in Iordane, qualis fuerit.*

Quòd ſi dicas in Iordane fuiſſe manifeſtatum Chriſtum per vocem Patris, & deſcenſum Spiritus ſancti in ſpecie columbæ. Reſpondetur hæc tantùm Ioanni, & non aliis patuiſſe; fuit ergo priuata, & non publica manifeſtatio, quæ requirebatur ad inſtitutionem legis & Sacramenti. Et quidem pater Suarez licèt concluſionem teneat cum aliis, in explicatione eius concordat cum Doctore *diſp. 19. ſect. 2.*

21 *Sententia Magiſtri, &c.* D. Thom. Caietan. Sotus. Gloſſa. Vaſquez. *Inſtitutionem fuiſſe in Iordane.* Tertullian. Ambroſius. Auguſtin. *Aquam ſanctificatā per contactum Chriſti.* Beda. Hieron. Hilarius. Nazianzen. Damaſcen.

Contrariam ſententiam docuit Magiſter *in hac diſtinct.* nempe Baptiſmum fuiſſe inſtitutum, quando Chriſtus baptizatus eſt in Iordane; D. Thomas 3. *part. quæſt. 66. art. 2.* vbi Caietanus, Sotus *diſt. 3. quæſt. vnica, art. 2.* gloſſa ſuper capitulo, *Per aquam*, de conſecrat. *diſt. 4.* Vaſquez probabiliorem cenſet. Hæc fundatur in ſententiis Patrum. Tertullianus *aduerſus Iudæos, c. 8.* dicit Chriſtum ſuo Baptiſmo *ſanctificaſſe aquas.* Ambroſius lib. 2. in Lucam cap. vltimo, quòd *mundauit aquas, vt ius baptiſmatis haberent.* Auguſtinus etiam *ſermone 36. de tempore*, ſimilia habet, dicens, *Vndam, quia lauit Chriſtum, mundatam eſſe, nos ſanctificare, & recepiſſe fœcunditatem vt gigneret filios Chriſto.* Beda in Matthæi 3. *Sanctificaſſe fluenta aquarum, tribuens eis virtutem regenerandi hominem.* Hieronymus *in Matthæi 3.* ſimilia habet: ſimilia habet Hilarius *in canone 2. ſuper Matthæum.* Nazianzenus *orat. 28.* omitto Damaſcenum *lib. 4. de*

*de fide*; qui putat Christum baptizatum fuisse proprio baptismo. Sed hæ locutiones nequeunt saluari nisi fuerit aqua mundata, sanctificata, per institutionem Sacramenti: ergo, &c. Accedit quòd Ioannes tunc baptizatus fuerit à Christo, vt quidam volunt ex Hieronymo *in Matthæi 3.* Item mysterium Trinitatis tunc reuelatum est, quia vox Patris intonuit, & Spiritus sanctus descendit in forma columbæ super Christum.

22 *Non intelligi de institutione Sacramenti.*

Respondetur hæc non vrgere plurimùm, quia Patres dicunt contactu sanctissimæ carnis Christi fuisse mundatas aquas, & sanctificatas, non autem institutione Sacramenti; & inde ius induisse purgandi, seu sanctificandi: quod non intelligitur de ipsa institutione Sacramenti, sed de sanctitate ex contactu, per quem aqua dedicata est, & designata, vt fieret materia Baptismi, præ aliis liquoribus, seu rebus, in quibus institui potuit Sacramentum.

*Designata est solum materia.*

*Probatur interpretatio ex Tertulliano, & alijs.*

Perspicuum enim est ex dictis, Tertullianum, qui hoc modo loquendi vtitur, in contraria fuisse sententia, quia, vt superiùs allegauimus *cum præcedenti*, nullum vsum Baptismi Christi admisit, neque institutionem ante passionem; quin etiam ea, quæ de Baptismo discipulorum habentur *Ioannis 3. & 4.* interpretatur de Baptismo Ioannis, & non Christi. Sicut, & alij Patres, quos suprà citauimus, qui negant Baptismum Christi fuisse institutum ante mortem, & resurrectionem, ab hoc modo loquendi de sanctificatione aquarum per contactum Christi non abhorrent.

23 *Sanctificatio aquæ per benedictionem Sacerdotis.*

Communis modus loquendi Patrum est sanctificari, & purgari aquas per benedictionem Sacerdotis, antequam in iis fiat Baptismus; de qua Clemens Romanus *lib. 7. Constitut. Apost. cap. 44. & lib. 8. cap. 9.* Dionysius Areopagita *Eccles. hierarchiæ, cap. 2.* Tertullianus lib. de Baptismo cap. 4. *Omnes aquæ de pristina originis prærogatiua Sacramentum sanctificationis consequuntur inuocato Deo; superuenit enim statim Spiritus de cœlis, & aquis superest, sanctificans eas de semetipso, & ita sanctificatæ vim sanctificandi combibunt*, &c. Cyprianus epistola 70. *Oportet ergo mundari, & sanctificari aquam priùs à Sacerdote, vt possit Baptismo suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere.* Ambrosius *lib. 1. de Sacram. cap. 5.* Augustinus *lib. 50. homil. 27. & lib. 6. contra Donatist. cap. 25.* Rabanus Maurus *de institutione Cleri, lib... cap. 25.* Videantur rituales Ecclesiarum in quibus benedictio fontis, & aquæ baptismalis inuenitur.

Clem. Rom. Dionys. Tertullian. Cyprian. Ambros. Augustin. Rabanus.

Ex his ergo colligitur sanctificationem, & purgationem aquæ, vt vim sanctificandi combibat, non intelligi solùm de sanctificatione per institutionem Sacramenti; sed etiam de dedicatione ipsius aquæ, & benedictione præuia, vt Patres loquuntur. Figuratum ergo fuit mysticè Sacramentum Baptismi in illo Baptismo Christi in Iordane, tam quoad formam, quàm quoad materiam, & vtraque designata facto, vt dicit S. Bonauentura *suprà* ex contactu carnis Christi sanctificata aqua, ex apparentia personarum, designata forma.

*Aqua sanctificata.*

Hæc autem sanctificatio aquæ rectè dicitur dedisse ius mundandi à peccatis; non quòd tum fuerit institutio Sacramenti; sed dedicata materia eius in contactu carnis Christi; ex quo etiam aliæ res sanctificabantur ex contactu eius; & ipsa aqua designata est, vt fieret materia Sacramenti, pro tempore institutionis eius.

*Materia Sacramenti designata.*

24 Abulens. Caietan. *Baptistam nō suscepisse Baptismi Sacramentum.* Hieron. Damasc. Nazianzen.

Quod adducitur etiam pro Baptismo Christi susceptо à Ioanne, res est omnino incerta, neque fundamentum habet ex Patribus. Abulens. proinde *quæst. 78. in Matthæi 3.* verisimiliùs ait non fuisse baptizatum: sic Caietanus *in 3. p. D. Thom. quæst. 38. art. 6.* ait baptizatum in Spiritu, quod & asserit Hieronymus *in 3. Matthæi.* Damascenus *lib. citato* dicit, impositа diuino Domini capiti suâ manu suo etiam cruore fuisse baptizatum. Nazianzenus *orat. 39.* dicit suo cruore baptizatum, atque etiam Baptismo flaminis: hunc fuisse Baptismum eius docet Nicetas *præfato loco* repetitis verbis Damasceni. Et videtur magis fundari in Scriptura hæc coniectura, quia Christum præsentibus aliis verisimile est fuisse baptizatum à Ioanne, atque adeò discipulis. Si autem Christus tunc reciprocum Baptismum Ioanni tribueret, non esset fundamentum querelæ discipulorum Ioannis de Baptismo ministrato à Christo, cùm iam viderint ipsum Ioannem baptizari à Christo, vel certè intellexerint ab ipso Ioanne, & aliis.

*Coniectura ex Scriptura.*

## SCHOLIVM.

*Baptismum non obligasse ante solemnem eius promulgationem in die Pentecostes, & priùs fuisse sub consilio, postea sub præcepto, & explicat vtrumque. Ita cum Doct.* Aureol. *hîc, q. 4.* Rubion *q. 3. art. 2.* Gabr. *d. 1. q. 4.* Suar. *3. p. tom. 3. d. 27. sect. 4. & omnes Scotistæ hîc, contra D. Thom. sup. & 1. 2. q. 103. art. 3. & sequaces, asserentes Baptismum, & totam legem nouam fuisse sub præcepto, statim à morte Christi, sed eo vsque sub consilio*

4 Hoc ergo supposito [c] tanquam vero, & rationabili: videndum est primò vnde erat susceptio Baptismi simpliciter necessaria. Secundò, an ex eodem fuerit Circumcisio euacuata?

Quantum ad primum dico, quòd institutio præcessit promulgationem: non enim promulgatur lex, nisi primò sit determinata à legislatore, à quo habeat firmitatem (& ista determinatio potest dici institutio) nisi etiam ab ipso sit reuelata ali-

c *Hoc ergo supposito tanquam vero*, &c. Nempe institutione Baptismi, & quòd sit proprium legis nouæ Sacramentum, & commune omni populo, non sicut lex Mosaïca fuit populo Iudæorum soli tradita. Mouet deinceps duas quæstiones: prima est de necessitate Baptismi, & vnde redundet illa necessitas. Secunda, an institutio Baptismi euacuet circumcisionem? Primam quæstionem *hoc* §. resoluit, alteram in sequenti. Primò dicit, nullam legem positiuam Dei ante promulgationem sui obligare, quod colligit *Ioannis 15.* est commune; vel enim promulgatio spectat, secundùm aliquos, ad essentiam legis, vel certè

25 *Duplex quæstio.* *Nulla lex ante sui promulgationē obligat.*

cui tanquam præconi ſolenni, & hoc ſi per præconem illam voluerit promulgari.

De hac inſtitutione, dico duo. Primò, quòd propter eam non erat neceſſarium ſimpliciter baptizari, quod patet Ioan. 15. *Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent.* Ex quo dicto accipio iſtam propoſitionem, quòd nullus tenetur ad aliquod præceptum diuinum, niſi per aliquem idoneum, & autheticum ſibi promulgetur; vel famâ veridicâ, & teſtimonio bonorum, cui debet quilibet rationabiliter credere: & hoc intelligo de lege poſitiua, quæ non eſt nota interiùs in corde. Non ergo per ſolam iſtam inſtitutionem præcedentem promulgationem obligatur populus neceſſariò ad Baptiſmum, & hoc maximè de iſto præcepto: quia erat tantummodò poſitiuum: illud autem poſitiuum quod præceſſit de Circumciſione, non debuit ſtatim dimitti, ex quo certum fuit, quòd à Deo fuerat inſtitutum; niſi etiam certitudo fieret illud ſecundum fuiſſe datum à Deo: hæc autem certitudo de ſecundo, non poterat haberi ſine promulgatione authentica.

*Lex ante promulgationem non ligat.*

5 *Promulgatio Baptiſmi duplex, conſultiua & præceptiua.*

Secundò dico, quòd promulgatio huius Sacramenti, poterat poni duplex, vna per modum conſilij: alia per modum præcepti. Hoc autem fuit congruum, quòd primò promulgaretur per modum conſilij, propter duo. Primò, quia lex Euangelica, quæ eſt perfectiſſima, non debuit præcipitanter imponi, ſed homines primò ad illam allici, cadentem adhuc ſub conſilio, vt poſtea exercitatis poſſet ſub præcepto imponi. Secundò, quia lex vetus non erat mala, ſicut eſt idololatria, & ideò non debuit ſubitò repelli: in hoc enim fuiſſet repulſa quaſi mala. Sed debuit Synagoga cum honore ſepeliri, vt oſtenderetur fuiſſe bona pro tempore ſuo. Impoſitio autem Baptiſmi per modum præcepti, euacuatio fuit Circumciſionis, ſaltem quantùm ad neceſſitatem. Debuit autem aliquando ſequi promulgatio per modum præcepti, quia aliter nunquam haberet lex iſta firmitatem, vel neceſſitatem, ſaltem quantum ad illud Sacramentum.

*Synagoga debuit ſepeliri cum honore.*

*Conſiliũ Dei obligat ad nõ contemnendum: præceptum ad obſeruandum.*

Et notandum generaliter, quòd promulgatio facta de conſilio diuino, obligat ad non contemnendum. Qui enim conſilium contemnit, contemnit conſulentem, inquantum conſulentem: & ideò nolens ſeruare conſilium diuinum Euangelicum, quaſi contemnens illud, tanquam irrationabile, & infructuoſum, peccat mortaliter. Vnde videant mordentes paupertatem Euangelicam ne fortè (cùm nolint ſeruare, quia non eſt neceſſarium) contemnant: quia tales contemnentes, vel paruipendentes, contemnunt Chriſtum, qui hanc ſuaſit obſeruari tanquam meritoriam, & vtilem ad vitam æternam: vt habetur *in 6. lib. de verb. ſign.* Promulgatio autem per modum præcepti obligat, non ſolùm ad non contemnendum, ſed etiam ad obſeruandum, ſi eſt affirmatiuum: vel cauendum, ſi eſt negatiuum.

6 *Præcepiũ hominis, quandoque contemnendum.*

Hæc autem dixi de conſilio, & præcepto diuino: quia ſecus eſt de humano, etiam loquendo de conſilio, ſeu præcepto hominis ſuperioris, ſeu Prælati. Licet enim tam conſilium, quàm præceptum alicuius ſuperioris contemnere, id eſt, irrationabile, & infructuoſum certè eſt conditio per ſe requiſita, vt lex obliget ſecundùm alios. Videantur Doctores *tit. de legibus, & conſtitutionibus.*

Ratio eſt in promptu, quia lex non eſt regula faciendorum, niſi proponatur, & deueniat in cognitionem; hoc autem contingit per eius promulgationẽ: hinc colligit Doctor per præciſam inſtitutionem, ante promulgationem, neminem fuiſſe obligatum ad Baptiſmum, ex ratione vniuerſali præmiſſa; tum etiam, quia præceptum de Circumciſione, quod erat diuinum, non debuit intermitti antequam conſtaret Baptiſmum fuiſſe inſtitutum in remedium peccati; quæ certitudo non potuit eſſe ante ſolennem promulgationem. Hanc ſententiam ſupponit (vt reliqua omittam) Tridentinum ſeſſ. 6. c. 4. *Hæc tranſlatio* (inquit, *poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poterat*, &c.

*Baptiſmus ante promulgationem non obligauit.*

26 *Baptiſmus ſub conſilio datus vſque ad mortem Chriſti.*

Ex quibus verbis inſinuatur diſtinctio, quam Doctor ſubiungit de promulgatione Baptiſmi ſub conſilio tantùm, & de promulgatione eius ſub præcepto. Sub conſilio fuiſſe Baptiſmum vſque ad mortem Domini omnes conueniunt: congruè autem debuit primùm proponi per modum conſilij, quia non debuit præcipitanter, ſed maturè induci lex noua, quæ eſt perfectiſſima. Secundò, quia neque lex vetus, quæ præceſſit, & à Deo lata eſt, debuit etiam præcipitanter abrogari, ſed ſenſim, & ſuppoſitâ debitâ inſtructione de eius adimpletione, completâ veritate, quam obſcurè figurabat. Tertia addi poteſt, quia non erat tam facilis tranſitus à lege veteri ad nouam, & à Circumciſione ad Baptiſmum quoad Iudæos, qui Patrum traditionibus inhærebant: his autem primùm propoſitus eſt Baptiſmus: non debuit ergo præſcribi ſub præcepto, ſed ſub conſilio.

*Id exigebat vtraque lex noua & vetus.*

*Sic congruebat Iudæis.*

Hoc tamen conſilium diuinum nequit, inquit Doctor, contemni, licèt non obliget, ſicut neque conſilium Euangelicum, quia ſemper eſt rationabile, & de meliori bono, non ſic conſilium hominis, quando eſt irrationabile, etiamſi eſſet Prælati; ſed cum debita moderatione debet, quantùm fieri poteſt, irritari & cõtemni, quantùm ad vſum eius: quod intelligit, quando ipſo facto conſtat de incongruitate, & nocumento talis conſilij; non autem ſi eſt cõſilium probabile, aut dubium, quia in dubiis præualet ſententia Prælati, & ſi addat præceptum, eſt ſequendũ, quia eſt in poſſeſſione authoritatis, & iuris in ſubſidiũ, quia ei debet deferre, etiã in rebus indifferentibus ſubditus.

*Non debet cõtemni conſilium diuinum.*

*Semper eſt rationabile, nõ ita humanum.*

*Conſiliũ Prælati quomodo ſequendum.*

fructuosum iudicare: sed non licet dum est Prælatus, contemnere non obseruando, quia dicitur Matth.13. *Super cathedram Moysi sederunt*,&c. Istud de contemptu consilij, vel præcepti superioris, probatur: quia non tenetur aliquis necessariò habere falsam opinionem de suo superiore: sed monitio eius, vel præceptum, potest in se esse irrationabile, & infructuosum: & rationabiliter, & vtiliter tunc laborandum est ad eius reuocationem, & ad correptionem, vel amotionem talis Prælati fatuè præcipientis: ergo non tenetur subditus reputare præceptum eius, tanquam rationabile, & fructuosum: sed potest oppositum reputare, sicut est, & sic contemnere non approbando.

Sic ergo patet, quòd prima obligatio Baptismi per modum consilij, obligauit omnes ad non contemnendum. Secunda autem per modum præcepti obligauit omnes, ad quos legitimè venit, ad suscipiendum.

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thom.3.p.q.66. art.2. & 1.2.q.103.art.3. Baptismum fuisse sub consilio vsque ad passionem, & postea statim sub præcepto, Circumcisionem verò vsque ad passionem necessariam fuisse, inde ad Pentecosten licitam, sed inutilem, à Pentecoste autem mortiferam. Hanc refutat Doctor quoad singulas eius partes, satis clarè.*

7 *Rich. hic art. 5.q.4. & vide eum dist.1. q.vlt.*

De secundo [d] principali, scilicet an ex eodem fuerit Circumcisio euacuata, ex quo fuit susceptio Baptismi simpliciter necessaria, dicitur quòd tempus, quo Baptismus fuit sub consilio, erat à prima publicatione eius, vsque ad Christi passionem, & hoc non euacuauit Circumcisionem, etiam quantum ad necessarium: illo enim tempore necessarium erat Iudæo circumcidere paruulum suum, quia nondum fuit illa lex reuocata, sicut nec alia imposita. A tempore autem passionis vsque ad tempus publicationis Euangelij, fuit Circumcisio licita: sed nec necessaria, nec vtilis: quia in Christi morte legalia sunt consummata. Quod probatur ex illo Ioan. 19. morte imminente dixit Iesus, *Consummatum est*. Et si quæritur, quid erat paruulo Iudæi in remedium contra originale, à passione vsque ad publicationem Euangelij? Dicitur, quòd non Circumcisio, sed fides parentum, vt tempore legis naturæ. Tertio verò tempore post publicationem Euangelij, Circumcisio fuit mortifera, pro quo tempore loquitur Paulus ad Galat. 5. *Quòd si circumdamini*,&c.

*Refellitur sententia Richardi.*

Contra primum arguitur sic: Si vnum præceptum impositum totaliter reuocat aliud, consilium, seu monitio de vno, facit aliud non necessarium: quia cuius actus præceptum est alterius prohibitio, eius actus consilium, est licentia de non obseruando reliquum: ergo si præceptum de Baptismo erat prohibitio Circumcisionis quantum ad fructum, & consilium de Baptismo erat reddens Circumcisionem non necessariam.

8 *Puer baptizatus ante passionem, non circumcisus, saluaretur.*

Hoc confirmatur, quia si ante passionem aliquis Iudæus ad prædicationem Christi, vel Petri paruulum suum baptizasset,

d *De secundo principali*, &c. D. Thomas distinguit duo tempora Baptismi *3.part. quæst.66. art.2.* & *1.2. quæst.103. art.3.* Primum tempus fuit Baptismi, vt erat sub consilio, & hoc durauit vsque ad mortem Christi. Secundum tẽpus, in quo fuit sub præcepto, & hoc incepit statim à morte Christi. Tria præterea tempora statuit Circumcisionis, primum vsque ad mortem Christi, & tunc Circumcisio fuit non solùm sub consilio, etiam institutio Baptismo; sed etiam sub præcepto, quia nondũ fuit abrogata lex. Secundum tempus fuit Circumcisionis vsque ad promulgationem legis in die Pentecostes, & pro illo tempore fuit Circumcisio inutilis, quia lex vetus fuit abrogata in morte Christi, sicut & Circumcisio, quæ tamen vsque ad Pentecosten fuit licita, quia nondum promulgata erat lex Euangelica. Tertium tempus fuit Circũcisionis deinceps post promulgationem Euangelij, in quo fuit mortifera, & sic loquitur Paulus de Circumcisione ad Galatas *5. Quòd si circumcidamini*, &c. Hanc sententiam sequitur Sotus *de Iustitia & iure, lib.2. quæst.5. art.5.* & *hic quæst. vnica, art.2.* Richardus *dist.1. quæst. vltima, & præsemi dist.art.5.quæst.3.*

27 *D. Thomas, eius sententia.* *Duo tempora Baptismi.* *Tria tempora Circumcisionis.* *Circumcisio fructuosa vsque ad mortem Christi.* *Deinceps vsque ad Pentecosten licita.* *Post Pentecosten mortifera.* Sotus. Richard.

Verùm, vt tria hæc seorsim differamus, nempe de Circumcisione vsque ad mortem Christi, de eadem post mortem, & tertiò post promulgationem factam in die Pentecostes. Respondendum erit seorsim ad singula. Præmittendum tamen est hîc Doctorem non differere ex instituto contra D. Thomam, quamuis contrarium interpretentur vtriusque scholæ Authores; sed contra Hugonem de S. Victore, cuius sunt ea, quæ adducit Doctor quoad singula asserta. Vnde non existimo Doctorem aliud docere de Circumcisionis præcepto, quàm D. Thomas docuerit quoad hoc punctum, vt infrà sub calce Commentarij ostendam: interim tamen explicabo difficultatem iuxta communem interpretationem, vt liberum sit lectori, hoc, vel illud sequi.

*Dissertatio Doctoris non est contra D. Thomam, sed Hugonem.*

Quoad primum tempus, Circumcisionem fuisse in præcepto, non obstante institutione, & consilio Baptismi suscipiendi, supponit non fuisse mortuam quoad fructum eius, de quo suprà disseruimus. Solùm ergo controuersia præsens est de præcepto, an baptizatus illo tempore, tenebatur ad Circumcisionem, si antea non fuerit

28 *Quãdiu Circumcisio fuit præcepta, fuit fructuosa.* *Status controuersiæ.*

zasset, & non circumcidisset; si paruulus fuisset mortuus, saluatus fuisset, quia recepit gratiam in Baptismo: à prima enim institutione Baptismus contulit gratiam.

Et si dicitur, quòd verum est, quòd paruulo suffecisset Baptismus, sed pater peccasset non circumcidendo. Contrà, quia ante octauum diem potuit baptizare paruulũ, & ex quo ille habuit iam remedium contra originale, & hoc credidit pater (nam credidit Baptismum efficacẽ ad hoc) tunc videtur quòd non tenebatur necessariò prouidere paruulo de alio remedio.

*Iudæi ad Baptismum & Circumcisionem non aliter se habuerunt post passionem, vsque ad Pętecosten, quàm antè.*

Contra secũdum, quod dicitur de tempore inter passionem Christi, & promulgationem Euangelij, arguitur sic, quia nullus aliter se habet nunc, quàm priùs ad aliquam legẽ, nisi quia est sibi aliter promulgata: sed post passionem Christi, antequam Apostoli Baptismum prædicarent, non fuit Baptismus aliter populo promulgatus, quàm antè: ergo non aliter obligabatur aliquis post passionem ad Baptismum, quàm antè; nec per consequens ad Circumcisionem aliter se habuit.

9 Item, ab eodem habent præcepta (scilicet Baptismus & Circumcisio) vim obligandi & medendi, seu curandi: patet per Bedam super illud Ioan. 3. & ponitur in litera, dist. 1. *Nisi quis renatus*, &c. *Qui nunc per Euãgelium suum clamat terribiliter & salubriter, nisi quis renatus*, &c. (terribiliter dicitur propter arctam obligationem: salubriter, propter efficacem medelam) *ille dudum clamabat per suam legem, masculus, cuius præputij caro circũcisa non fuerit, peribit anima eius de populo suo.* Sed Circumcisio habuit vim obligandi vsquequo reuocaretur: ergo per idem habuit vim medendi vsque ad illam reuocationem. Sed per solam Christi mortem, non est aliter reuocata, quàm priùs vt patet ex ratione præcedente: quia nulla lex est aliter promulgata: ergo, &c.

*Genes. 17.*

Item, post mortẽ Christi vsque ad promulgationis tempus, Iudæi tenebantur circumcidere paruulos suos, quia nullo modo cõstabat eis de reuocatione Circumcisionis: non autem contulerunt eam paruulo, nisi vt vtilem, & necessariam sibi ad salutem, quia tenebantur ponere spem in ea, sicut & priùs: ergo tenebantur de necessitate habere falsam opinionem de Circumcisione; quod nihil est dictu: quia Deus nullum decipit, nec obligat necessariò ad decipiendum.

Item, nunquam fuit homo relictus sine remedio certo, & de quo non esset certus, quòd erat remedium certum: sed in illo tempore post passionem, ante publicationem nullum fuit aliud certum nouum remedium circumcisus. Partem affirmantem docuit S. Thomas, quem in hoc sequuntur omnes discipuli eius, tam antiqui, quàm moderni, *& hic, & in* 1.2. *quæst.* 103. vbi Suarez *de legib. lib.* 9. *c.* 12. Vasquez *disp.* 180. *cap.* 2. Medina, & alij, *in art.* 3. *D. Thomæ.* Capreolus *in* 4. *dist.* 3. *quæst. vnica ad* 1. *contra* 1. *conclusionem.* Paludanus *quæst.* 6. quibus accedit D. Bonauentura *quæst.* 2. *art.* 3. & Richardus.

*Sententia D. Thomæ.*

Suarez. Vasquez. Medina. Capreolus. Paludan. D. Bonau. Richard.

Oppositam tenet Doctor *hic*, quam sequitur Gabriel *dist.* 1. *quæst.* 4. *art.* 3. [illegible]ada *tomo* 2. *Controuersiarum art.* 2. & reliqui eius discipuli. Hanc probat Doctor §. *Contra primum arguitur sic*, &c. Ex eo quòd præceptum impositum de Baptismo euacuat Circumcisionem quoad fructum, & obligationem: ergo consilium de Baptismo tollit obligationem Circumcisionis. Antecedens admittunt omnes. Consequentiam probat Doctor ratione morali, desumptâ ex natura legis, & præcepti, quia quando vna lex, seu præceptum de aliquo tollit aliam legem, & præceptum de alio in toto, consilium etiam de altero, tollit obligationem alterius.

29 *Baptismo instituto, & suscepto cessit necessitas Circumcisionis. Præceptũ Baptismi euacuat Circũcisionem.*

Ad hanc rationem respondent aduersarij primò, admittendo hanc maximam, quando actus sunt tales, vt non possint simul consistere, sicut est consilium de virginitate, quæ cum matrimonio consummato nequit consistere, non ita Circumcisio, & Baptismus; quia simul consistere possunt; sicut ante mortem Christi compatiebantur præceptum de Circumcisione, & consilium de Baptismo. Admittit autem Doctor vtrumque fuisse proficuum pro illo tempore: ergo non repugnabant eorum actus. Contrà, præceptum de Baptismo non inducit simpliciter maiorem repugnantiam inter actus, quàm consilium legislatoris de Baptismo: sed omnes concedunt præceptum de Baptismo sustulisse ex toto obligationem Circumcisionis: ergo & consilium. Maior probatur, quia præceptum de Baptismo, quantùm est ex natura actus non addit repugnantiam vllam ad Circumcisionis præceptum, sed addit obligationem ad actum Baptismi: neque in se formaliter, neque virtualiter est reuocatio Circumcisionis ex vi præcepti, aut actus subtrahi præcisè, quia in lege noua potuit etiam continuari Circumcisio cum suo præcepto, & Baptismus sub suo præcepto.

*Responsio aliorum.*

*Quãdo actus sunt incompossibiles, consilium de vno euacuat necessitatem alterius.*

*Impugnatio responsionis.*

*Præceptũ non inducit repugnantiam actus magis, quàm consilium.*

Peto ergo, vnde Baptismus sub præcepto sustulit ex toto Circumcisionem? non aliunde, quàm ex mente Christi legislatoris, quâ voluit Baptismum succedere Circumcisioni, quatenus Baptismus est professio legis nouæ, & ingressus ad Euangelium fidem explicitam Christi continens, & veritatem figuratam per Circumcisionem: totum hoc habetur ex voluntate Christi instituentis Baptismum, & consulentis eius receptionem, & transitum ad legem nouam inchoatiuè: ergo perinde institutio publica Baptismi, de qua agitur, & consilium quod secum ferebat vsus eius, tollit obligationem Circumcisionis, sicut & præceptum: & ponit etiam repugnantiam inter Circumcisionis obligationem, & necessitatem, siue vt medium erat, siue vt præceptum habebat: hæc autem repugnantia erat ex motiuo intrinseco institutionis Baptismi, quatenus vtrumque cadit sub intentionem legislatoris: Baptismus ergo tollit obligationem Circumcisionis, antequam etiam datus est sub præcepto pro illo tempore, quo fuit sub consilio.

30 *Cur præceptũ Baptismi sustulit Circumcisionem.*

*Euacuatio Circumcisionis ex institutione Baptismi, quoad necessitatem.*

Ex quibus patet, instantiam illam de virginitate & matrimonio, si sumantur in oppositione morali,

31 *Impugnatur instantia.*

remedium datum eis: quia nec publicatum: ergo remansit idem quod priùs: & æquè certum remedium: ergo æquè Circumcisio remansit sicut priùs.

10 *Prima Synod. de elect. Matthia. Act. 1. 2. de 7. Diaconi. Act. 6.*

Contra tertium, quod dicitur de tempore post publicationem Euangelij, apparet *Act. 21. cap.* vbi legitur de Paulo, qui ascendit Ierusalem, & ibi de consilio Iacobi, & aliorum fratrum post quartam Synodum habitam in Ierosolymis, purificatus secundùm legem ascendit templum; & obtulit pro se sacrificium: quamuis solemniter antè iam ibi fuerat Euangelium publicatum. Patet *Act. 21. cap.* quia ibidem dixit Iacobus: *Vides frater, quot millia sunt in Iudæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis:* ergo stante tantâ publicatione Euangelij ibi, & in ipso Paulo, & in Iudæis conuersis approbatur obseruatio legis. Et ipse Paulus ibidem inter tot Christianos opus legis impleuit.

3. *de missione Petri, & Ioan. cap. 8.*

4. *de cessatione legalium, cap. 15.*

*Aliter videtur Scot. numerare, secundum Magistrum historiarum.*

Quo autem tempore facta fuerit ista Pauli purificatio, & oblatio secundùm legẽ coniici potest partim ex textu Actuum, & partim ex Magistro historiarum. Istud enim fuit ante captionem Pauli per septem dies, sicut patet *Act. 21.* illa autem captio fuit circa principium regni Neronis, quia tertio anno regni Neronis venit Romam, secundùm Magistrum historiarum; Nero autem incepit regnare circa vicesimum annum post Christi passionem. In tanto autem tempore videtur Euangelium satis publicatum fuisse, & maximè in Iudæa, vbi tamen Paulus obseruauit legalia.

*Regula moralis.*

morali, & non solùm physicâ, confirmare propositum, quia voluntas instituendi Baptismum habuit oppositionem ad Circumcisionem, inquantùm erat sub præcepto. Sic etiam mouens, aut consulens aliquid fieri, quod aliàs non licet, si est superior, habens facultatem dispensandi, censetur dispensare tacitè in lege oppositâ: vt si Pontifex det beneficium illi quem nouit esse irregularem, vel præcipiat comedere carnes die, quo scit esse prohibitam comestionem carnis. Innocentius cap. *Veniens de fil. Presbyt.* Panormitanus cap. *Cùm in cunctis, de electione,* & cap. *Diuersis, de Clericis coniugatis.* Nauarrus *praludio 9. n. 15. & cap. 25. n. 74.* Azorius *tom. 1. lib. 5. cap. 15. quæst. 10.* Armilla *verbo Dispensa.* Syluester *ibidem.* Aymon *cons. 95.* Sanchez *lib. 8. de Matrimonio, disp. 4.* cum communi.

*Consilium de opposito à legislatore tollit obligationem præcepti.*

Innocent. Panormit. Nauarrus in Summa. Azorius. Armilla. Sylueſter. Aymon. Sanchez.

*Ratificatio, & consuetudo derogant legi.*

Item ratificatio suppositâ scientiâ Principis, & consuetudo contraria tollunt vim legis propter voluntatem tacitam, & repugnantem Principis annexam: quod ergo facit consilium & monitor quoad effectum dispensationis respectu priuati, seu ratificatio & consuetudo respectu legis, quam vel in toto, vel in parte euacuat, quantùm ad vim obligandi, hoc facit lex contraria in exercitio posita sub consilio, ad finem derogandi priorem, antequam etiam præcipiatur. Talis est lex noua respectu veteris, prout sensim inducta est à Christo; & speciatim lex de Baptismo respectu Circumcisionis: ergo Baptismus positus, & institutus sub consilio, euacuauit Circumcisionem quoad obligationem.

*Baptismus, & lex noua inducta ad euacuandam veterem.*

32 *Confirmatur.*

Confirmatur, qui vouet opus bonum vt ingressum religionis laxioris, illud adimplet ingrediendo strictiorem, & perfectiorem, vt constat: ergo Iudæus professus fidem Euangelij, & sequens Christum, rectè adimplebit quidquid ei per legem veterem præscriptum erat. Probatur consequentia, quia lex Euangelica continet perfectè, & explicitè quod figuratè in lege veteri est præscriptum, & promissum. Tenebantur etiam Iudæi recipere, & acceptare Christum promissum in sua lege, eúmque sequi: ergo & acceptare Baptismum, & doctrinam eius, iuxta illud Ioannis 10. *In propria venit, & sui eum non receperunt; quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri,* & cap. 15. *Si non venissem, & locutus eis fuissem, peccatum non haberent:* ergo peccatũ habuerunt audiendo, neque recipiendo Christum, & doctrinã eius.

*Perfectius adimpletur lex vetus per nouam.*

*Doctrina Christiana adimpletio legis.*

Quæ autem docuit, & instituit Christus, erant adimpletio legis, & perfectiùs attingebant finem ipsius, vt cultum Dei, & sanctificationem hominis, quàm vt in lege præscripta erant, quod abundè de Baptismo constat, vt comparatur ad ipsum, tanquam figura ad veritatem, ipsa Circumcisio, & vt comparatur ad Christum tanquam ad finem legis; *finis autem legis Christus,* inquit Apostolus.

*Baptismus adimplet Circumcisionem, & finẽ eius.*

Si etiam consideremus Circumcisionẽ, vt erat professio legis, & fidei per legẽ præscriptæ, nempe Messiæ (quâ ratione plerique oppositæ sententiæ docent eam valuisse, vt includebat fidei protestationem, non aliter) quoad hoc munus Baptismus nõ solùm æquiualet, sed etiam supereminet, quia habet annexam fidem explicitam, non solùm implicitam; vt Circumcisio: item fidem Christi subsistentis, non autem futuri tantùm. Si consideremus eandem, vt denotat Circumcisionem spiritualem. hæc etiam perfectiùs denotatur per Baptismum, *in quo circumcisi estis per Circisionem non manufactam,* &c.

33 *Alij effectus Circumcisionis perfectiùs habentur in Baptismo.*

Præterea, si loquamur de Circũcisione, vt fuit data Abrahæ & Patribus, ne cómiscerentur posteri eorum aliis propter reuerentiam Christi, qui ex semine eius erat venturus, vel propter signaculum fidei, & discrimen populi fidelis ab idololatris, cessauit primus finis adueniente Christo, & secundus instituto Baptismo: quia Baptismus (vt dixi) quoad hoc præfertur Circumcisioni, & præter effectum fidei explicitæ, eiúsque professionem, consignatio est ouium per characterem in anima, de quo inferiùs: hæc autem signatio longè perfectior est, quàm illa, quæ fiebat in carne, vt vocant Patres, more pecudum.

*Circũcisio ex Patribus, non ex lege.*

Si denique asseratur quòd Circumcisio fuit professio legis Iudaicæ, & incorporatio in ipsam, & per legem confirmata fuerit, tanquam initiatio, & Sacramentum eius. Contrà, quia fuit ex Patribus, & retenta in lege: non ergo incepit sub lege, fuit incorporatio in Synagogam, ratione remedij peccati originalis, quibus aliud non suppetebat extra casum necessitatis: hinc Paulus ad Romanos 3. *Quid ergo amplius Iudæo est? aut quæ vtilitas Circumcisionis? multum per omnem modum. Primùm quidem, quia credita sunt illis eloquia Dei,* &c. Eloquia ergo Dei, id est,

*Ei credita sunt eloquia Dei.*

lex credita est Circumcisioni, quæ primùm fuit sub præcepto, & lege ex Patribus. Vnde Apostolus ibidem probans salutem esse ex fide, concludit *eundem Deum esse Iudæorum, & Gentilium*; quia *iustificat Circumcisionem ex fide, & præputium per fidem:* lex ergo Mosaïca licèt credita fuerit circumcisioni, Circumcisio non fuit eius professio specialis, quia & filij Esau tenebantur ad Circumcisionem, & Ismaëlitæ: ergo non fuit signum distinctiuum legis, sed commune legi, & aliis existentibus extra legem. Eatenus itaque ei fuit credita lex: quia fuit signaculum fidei, & remedium peccati originalis, ad quod tenebatur Iudæus ante institutionem Baptismi: post autem institutionem Baptismi, quia fuit figuratum Circumcisionis, iam non manebat sub præcepto, quamuis retinuerit efficaciam, donec setisim aboleretur lex, & hoc sufficiebat ad effectum præfatum, quamuis non maneret obligatio præcepti respectu baptizati.

*Quomodo, & quâ ratione id verum est?*

34 *Neque lex, neque finis eius comprehendit baptizatum.*

Ex his ergo omnibus patet desitio Circumcisionis quoad præceptum respectu baptizatorum; quia nec lex illa comprehendit baptizatos, neque ratio, neque finis legis; ad quos autem hæc non extenduntur, non extenditur ipsa lex. Sequitur secundò, quòd etiam vniuersim desierit ipsa obligatio præcepti positiui, de quo hîc agitur; quia cessante fine legis in vniuersali, cessat ipsa lex, vt communior fert opinio, quam tenet noster Castro *lib. 1. de potestate legis pœnalis cap. 5. documento* 3. Medina 1. 2. *quæst.* 90. *art. 2. ad* 4. Sylvester verbo *Lex, quæst.* 9. Sotus *lib. 7. de Iustitia & iure, quæst. 1. art. 3.* Et ratio est, quia *res, per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur:* de regulis iuris 6. Si autem lex inutilis esset, à principio esset nulla, redditur inutilis deficiente eius fine, & ratione: ergo etiam deficit. Vnde D. Thomas *quæst. 90. art. 2. & quæst. 96. art. 6.* ait, quòd lex intantum habet vim, inquantum est vtilis bono communi.

*Cessante fine legis in vniuersali, cessat ipsa lex.* Castro. Medina. Sylvest. Sotus. *Regula iuris.*

D. Thom.

Item, ex cap. *Cùm cessante, de appellationibus*; cessante causâ cessat effectus: finis autem legis, qui est intrinsecus, est sua causa: ergo illo deficiente cessat. Instituto autem Baptismo cessauit finis præcepti de Circumcisione, maximè admittendo Circumcisionem, non fuisse remedium peccati originalis, nisi ratione fidei, non autem sub ratione sua particulari, ex institutione propria, vt plerique docent eorum, qui in opposita sententia sunt. Et dato etiam quòd fuerit remedium ex institutione propria, cessante necessitate eius, cessat præceptum: quia ipsi additum fuit, inquantùm erat medium vnicum pro masculis: vnde præfati Doctores (vt suprà visum est) negant quidpiam contulisse adultis, institutum etiam Baptisma sustulit illam necessitatem.

*Cessante causa cessat effectus.*

*Circumcisio solùm valebat ratione fidei, iuxta opinionem plurium.*

35 *Circumcisio dabat solùm primam gratiam.*

Adde iuxta opinionem probabilem, quam insinuat Doctor, eam dedisse gratiam in determinato gradu; quo supposito nihil conferret. Vnde ex interpretatione plurium, non dedit gratiam Abrahamo, quia supponit eum iustificatum per fidem; vnde colligunt efficacem tantùm fuisse in infantibus. Ad quod consentaneum est fuisse limitatam ad dandum solùm primam gratiam, non augmentum eius. Supposita, inquam, hac opinione, Circumcisio etiam cócurrens cum baptismo pro eo tempore, baptizato infanti nihil conferret; & sic quoad fructum ex propria institutione conuenientem, fuit euacuata quoad baptizatos infantes; licèt fuerit efficax in iis, qui non fuerunt baptizati: ex quibus sequitur intentum, quia quoad reliquos fines, qui designantur, patet etiam ex dictis non fuisse vtilem.

Dixi superiùs cessasse præceptum Circumcisionis positiuum, ad excludendum naturale, quia illud mansit sub disiunctione, etiam instituto Baptismo, respectu eius, qui non assumeret Baptismum, nec vellet sumere; alterum enim remedium ex duobus tenetur assumere, & contempto Baptismo, tenebatur ad Circumcisionem, quia aliud remedium non suppetebat salutis infantibus masculis: ita Doctor §. sequenti, *primum tempus & secundum:* ex eo ergo tenebantur parentes præcepto diuino naturali aliquid horum applicare.

*Quomodo mansit præceptum naturale Circumcisionis.*

Obiiciunt aduersarij, quia vsque ad mortem Christi saltem tenebantur Iudæi ad legem Mosaïcam; vt patet ex variis locis Scripturæ: *Non veni soluere legem, sed adimplere.* Matthæi 5. *Super cathedram Moysi sederunt scribæ*, &c. *Quæcumque dixerint vobis facite*, &c. Matth. 23. Lucæ 5. dixit Christus mundato leproso: *Offer pro emundatione tua sicut præcepit Moyses.* Item cap. 17. *præcepit vt alij mundati se præsentarent Sacerdotibus.* Idem patet ad Hebræos 7. de translatione Sacerdotij, & confirmatione Testamenti per sanguinem, & mortem Christi, & *cap. 8. & 9.* vbi significat fuisse consummatum Testamentum vetus in morte Christi; & similibus, vbi ostenditur lex mansisse vsque ad mortem Christi saltem: ergo omnia præcepta legis manserunt: ergo & præceptum de Circumcisione.

36 *Prima obiectio. Tenuisse legē vsque ad passionem.*

Respondetur, negando consequentiam vltimam. Ad antecedens respondetur *legem* sumi pro tota collectione contentorum in lege, siue fuerint prophetiæ, siue institutiones, & consilia, siue præcepta, siue cæremonialia; & ita sumit Hieronymus *epist. ad Algasiam*, interpretando illa; *sicut scriptum est in lege eorum: quia odio habuerunt me gratis*, &c. Quamuis hæc prophetia non inter præcepta, aut legem receptam à Moyse, sed in Psalmis habetur. Sumendo autem sic *legem*, non fuit tota consummata in morte Christi; sed partim in morte, partim post mortem, partim ante mortem. Vnde Lucæ 24. dixit discipulis; *hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum; quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*, &c. quod mox subiungit aperiēdo eis sensum, & Scripturas, dicens; *sic oportuisse Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam.* Intelligitur ergo illa consummatio quoad totum tempus, quo Christus fuit in terris donec ascenderit ad Patrem, & promissum Spiritum sanctum miserit Apostolis. Intelligitur etiam principaliter de eius morte, & passione, in qua consummata est redemptio generis humani, & finis aduentus Christi in carne passibili. Intelligitur de consummatione legis, quantùm ad sacrificia, & oblationes, quæ figurabant mortem Christi, confirmationem Sacerdotij, & Testamenti noui, per mortem testatoris, & completa antiquatione prioris tabernaculi, Testamenti, & Sacerdotij Aaronici; saltem in causa: & de his loquitur Paulus: non autem quoad singula, quasi tum primum impleta essent omnia in lege data, quæ sensim, & successu temporis adimpleta sunt, aduenientē veritate, & completis mysteriis.

37 *Responsio. Pro quibus supponit lex.*

Hieron.

*Tempus consummationis legis.*

*Consummatio eius quomodo facta?*

Ad

38 *Lex manſit, & ſi aliquod eius præceptū fuerit abrogatum.*

Ad primam conſequentiam, negatur, quia non eſt neceſſarium vt lex maneat quoad omnia præcepta, & ſingula, ad hoc vt lex ſimpliciter manere dicatur: poteſt enim derogari in parte quoad aliqua contenta, ipsâ adhuc manente; poteſt quoad aliqua ſuppoſita etiam ex priuilegio principis derogari, quamuis quoad reliquos maneat. Accedit, (vt infrà dicetur) quod neque lex noua, tum completè fuerit introducta, quia neque reſurrectio, neque aſcenſio Domini, neque promiſſio Spiritus ſancti facta, neque præceptum de Baptiſmo datum, neque pœnitentia inſtituta, vt Sacramentum, neque Eccleſiæ inſtituta, datis clauibus Petro, monarchia. Non poteſt ergo intelligi illa conſummatio de adimpletione legis completa tum facta, neque de reuocatione mandatorum eius, ac proinde conſequentia in hoc fundata, quaſi eouſque manſerit lex, & non ampliùs eſt nulla.

Referendo etiam conſequentiam illam ad cauſam in qua fundatur, de adimpletione legis, & figurarum conſummata veritate, oppoſitum ſequitur, quia ante mortem, Baptiſmus, cuius figura fuit Circumciſio, erat inſtitutus: ergo ſequitur euacuatum fuiſſe præceptum Circumciſionis adimpletâ veritate.

39 *Secunda reſponſio. Sacramenta propria legis conſummata in morte Chriſti.*

Reſponderi poteſt etiam ſecundò, intelligi conſummationem legis in morte, eiúſque permanentiam, quoad præcepta, quæ propria erant legis, eo modo quo ſuprà, cum communi ſchola, explicatur, Sacramenta veteris legis non contuliſſe gratiam, ex definitione Tridentini, ſed ſignificaſſe conferendam per Chriſtum, intelligi de Sacramentis, quæ erant propriè illius legis; non autem de Circumciſione, aut remedio legis naturæ, quæ erant ante legem. Vnde Leuitici 12. continuatur præceptum de Circumciſione. Geneſis 17. datum tanquam fœdus ſempiternum Abrahæ, & ſemini eius. Hinc *Ioannis* 7. dicitur Circūciſio eſſe ex Patribus, & non ex Moyſe, & loco citato ad Romanos 3. *Credita fuiſſe eloquia Dei Circumciſioni*; quod ſupponit obligationem Circumciſionis præceſſiſſe; retentum autem eſſe in lege, non ex præcepto proprio ipſius, quod fruſtaneum eſſet, priore nondum reuocato. Per hoc intelligo, quod ſuprà aſſerit Doctor, fuiſſe confirmatam Circumciſionem in lege, quia nempe ei credita eſt lex, & eloquia Dei: potuit ergo lex remanere, deſinente obligatione Circumciſionis, ex præcepto proprio, quod non fuit legis.

*Circumciſionis præceptū ex Patribus.*

40 *Obiectio.*

Dices, ergo lex non obligaret ſic, quia non obligauit niſi circumciſos: ergo obligatio fixa legis ſupponit obligationem Circumciſionis, donec lex reuocetur. Reſpondetur primò, negando ſecundam conſequentiam, vel eam diſtinguendo: negari enim poteſt reſpectu baptizatorum, quia eſt de ſubiecto non ſupponente, quia neque lex obligauit baptizatos, qui translati ſunt, in legem nouam per Baptiſmum, vt ſuprà dictum eſt in confirmatione: non obligauit, inquam, in ſenſu figurali, quia cultus eius in eo ſenſu eſſet falſus iam, poſtquam venit Chriſto; tum, quia in legem nouam, quam figurauit, translati, obſeruant illam in ſenſu ſpirituali, quæ eſt perfectior eius obſeruantia, quia ſecundùm veritatem; ideóque Cyrillus 9. contra Iulianum: *Tranſitus ad veritatem ab vmbris, legem Moyſis non tollit, ſed manifeſtiorem eius mentem exhibet*, &c. *qua in nobis impletur iuxta ſpiritualis cultus modum*, &c. Vide Theodoretum *ad Philipp. 3.* Bernardum *hom. 1. ſuper Miſſus eſt.*

*Soluitur.*

*Non obligauit lex baptizatos in ſenſu figurali.*

*Cyrillus.*

*Theodoret. Bernard.*

Hoc potiſſimè verum eſt quoad infantes; adultos autem potuit obligare ratione ſcandali, vel quia iam ſupponuntur circumciſi, circumciſus autem debitor eſt vniuerſæ legis, ex Paulo ad Galatas: vel per accidens infantes etiam obligabantur, ſeu parentes ipſorum ad Circumciſionem, non ex præcepto Circumciſionis, ſed quia debebant ipſos præſentare in templo ex præcepto legis, quia non poterant admitti, niſi circumciſi; ideò ex præcepto legis per accidens tenebantur parentes infantes circumcidere; ſicut qui eſt in peccato mortali, poteſt obligari per accidens ad confeſſionem; vt ſi miniſtret; aut recipiat aliquod Sacramentum; hæc obligatio non eſt ex præcepto confeſſionis, ſed ex præcepto Sacramenti, quod miniſtrat, aut recipit: hinc non ſequitur reſpectu baptizati manere obligationem Circumciſionis.

*Obligatio Circūciſionis per accidens.*

Poteſt etiam dici, quòd contempto Baptiſmo, tenebantur parentes prouidere de remedio Circumciſionis, quod tum etiam valebat, non ex præcepto poſitiuo, ſed naturali: & hæc obligatio fuit non determinata, ſed indeterminata, quatenus hoc, vel aliud, applicare debebant. Accedit vlteriùs, quòd præceptum Circumciſionis adhuc reſpectu eorum manebat, quibus non fuit nota inſtitutio Baptiſmi; hoc tamen per accidens, ratione ignorantiæ.

41 *Obligatio ſub diſiunctione.*

Reſolutio ergo eſt, præceptum Circumciſionis manſiſſe reſpectu communitatis, in qua excipiebantur illi, ad quos deuenit notitia Baptiſmi, aut eius inſtitutio: in his autem ceſſauit quoad infantes, qui poterant baptizari, quæ Circumciſione erat perfectior, & eminentior. Cætera præcepta legis non concernebant infantes præter vnicum illud præſentationis eorum in templo, & oblationis. Ab hoc poteſt dici fuiſſe exemptos infantes, ſicut & ab ipſa Circumciſione: vel certè ſi teneatur oppoſitum, quia parentes tenebantur iam circumciſi, vt ſupponitur, ante Baptiſmum, & debitores adimplendæ legis, donec reuocaretur: tunc per accidens tenebantur circumcidere infantes ex præcepto illo oblationis faciendæ, non ex præcepto Circumciſionis.

*Obligatio Circūciſionis ex ignorantia Baptiſmi.*

42

De reliquo non ſubſiſtit illa ſuppoſitio conſequentis reſpectu adultorum, qui iam circumciſi erant, iuxta præceptum legis, die octauo. Si autem caſus daretur, aliquem adultum tunc non eſſe circumciſum; dico non teneri eum ad Circumciſionem, ſi Baptiſmum ſuſciperet, neque etiam ad legem, quæ ſolos circumciſos obligabat. Aliud eſt de infantibus ex obligatione parentum circumciſorum, quia tenebantur ad legem circa ſe, & ſuos infantes obſeruandam. Diſparitas autem eſt, quia lex non obligabat niſi circumciſos; deſinente ergo hac obligatione in adulto baptizato, deſinit etiam obligatio vniuerſæ legis, deſinit illa recepto Baptiſmo.

Ex quibus patet ad primam conſequentiam, quæ etiam negatur, quia ablatâ obligatione Circumciſionis, potuit manere obligatio legis reſpectu eorum, quia antea fuerant circumciſi, vt dictum eſt. Aduertendum vlteriùs, quòd illa obligatio præſentandi paruulum in templo, tantùm concernebat primogenitos, non alios, neque fœminas, vnde minuitur vis argumenti, quòd tantum formari poſſit caſus in primogenitis infantibus, quantum ad obligationem propriam legis, quæ concernebat infantes, aut parentes ratione infantum. Ex quibus patet ad omnia fundamenta

aliorum, tenendo ſententiam Doctoris iuxta interpretationem communem, quam Doctores citati, & eius diſcipuli adhibent.

43 *Sententia vera Doctoris.* Cæterùm neſcio cur ita Doctorem interpretari cogamur, cùm mens eius ex diſcurſu colligi debeat, qui agit de Circumciſione, vt erat neceſſaria neceſſitate medij, ad tollendum peccatum originale, & ad ſummum de præcepto annexo, vt habuit hanc neceſſitatem, quòd fuit diuinum naturale ex ſuppoſitione inſtitutionis eius, vt medij neceſſarij ad hunc effectum, non videtur autem agere de præcepto legali, & poſitiuo: duplex enim præceptum fuit Circumciſionis, aliud datum Abrahæ, ex quo induit neceſſitatem medij; aliud verò legale, quo credita ſunt ei eloquia Dei, vt dicit Paulus, & vt ait Doctor, confirmata eſt per legem. *Leuitici* 12. Hoc præceptum legale manſit, quamdiu ipſa lex obligauit, primum verò ſpecificans neceſſitatem medij, inſtituto Baptiſmo, ceſſauit, & de hoc ſolùm agit Doctor. Vnde in confirmatione ſubiecta dicit, ſi paruulus baptizatus moreretur abſque Circumciſione, quòd ſaluaretur; vnde colligit Circumciſionem ei non fuiſſe neceſſariam. Et reſpondendo ad replicam, dicit quòd parentes infantis tantùm tenebantur ei prouidere de remedio neceſſario. Item infrà contra ſecundam aſſertionem argumento tertio, ſumit argumentum ex obligatione, quam habebant Iudæi circumcidendi vſque ad tempus promulgationis Euangelij, quia non conſtabat de reuocatione Circumciſionis, &c. Et §. *ſequenti* agens de ſecundo tempore Circumciſionis, dicit ipſam fuiſſe vtilem currente Baptiſmo tantùm ſub conſilio, non verò neceſſariam determinatè, ſed neceſſariam ſub diſiunctione, vel ipſam, vel Baptiſmum.

44 Loquitur Doctor de præcepto Circumciſionis in ratione medij, quòd deſinit obligare determinatè ſicut priùs, quia prouiſum eſt de alio medio efficaci reſpectu eiuſdem effectus, manſit tamen ſub diſiunctione, & indeterminatè obligans: eſt enim de natura præcepti generalis, vt ſic, vel ſic obliget mutatâ naturâ, & ſtatu mediorum ad finem: præceptum procurandæ ſalutis obligat ad medium vnicum tantùm & determinatè, ſi aliud efficax non ſuppetat: ſi tamen alia ſuppetant, obligat ſub diſiunctione. Tale eſt præceptum diuinum naturale procurandæ ſalutis, quod ante inſtitutionem Baptiſmi limitabatur ad Circumciſionem maſculi, in illo populo, die octauo determinatè: inſtituto verò Baptiſmo ſub diſiunctione, & indeterminatè obligabat, quamdiu Baptiſmus manſit ſub conſilio: euacuata ex toto Circumciſione ad, ſolùm Baptiſmum limitatur, quoad materiam peccati originalis, & incorporandi ſe Chriſto, & legi nouæ, in qua ſola datur ſalus, ad Baptiſmum, inquam, vel in re, vel in voto de lege ordinaria. Non agit ergo Doctor de præcepto poſitiuo Circumciſionis: quod confirmari poteſt ex hac diſtinctione in Reportatis *quæſt.* 5. vbi hâc materiam tractat §. *Circa quæſtionem*, &c. *Dupliciter*, inquit, *fuit promulgatio facta Baptiſmi. Vno modo per modum conſilij, Chriſto veniente in carne, ſed non per modum præcepti. Primo modo non fuit neceſſarium recipere Baptiſmum, quia tunc imponebatur neceſſariò Iudæis Circumciſio vſque ad paſſionem Chriſti, & legem Moſaicam*, &c. Infrà autem impugnat dicentes neceſſariam omnino fuiſſe Circumciſionem, neceſſitate ſalutis, per rationes ſuprà allatas; dicens Baptiſmum quantùm ad effectum ſalutis ſuffeciſſe paruulo ante paſſionem Chriſti. Vnde colligitur in priori parte agere de Circumciſione ratione præcepti poſitiui, vt fuit legis nondum reuocatæ. In ſecundo loco agit de eadem, vt fuit medium ad ſalutem efficax, & vtile pro tunc, non tamen neceſſarium inſtituto Baptiſmate ſub conſilio, niſi ſub diſtinctione.

Sed quid iſta Doctor? quia D. Thomas, quem hîc videtur impugnare, loquitur de neceſſitate Circumciſionis ex præcepto poſitiuo, non autem de neceſſitate eius, vt erat medium efficax concurrente etiam Baptiſmo ſub diſiunctione. Reſpondetur, Doctorem hîc non diſſerere cum S. Thoma, à quo non videtur diſſentire, meo iudicio, ſed contra Hugonem de S. Victore, quem citat in Reportatis; is enim *lib.* 2. *de Sacramentis part.* 6. *cap.* 4. vbi agit de tempore, quo inſtitutum eſt Baptiſma, citat varias opiniones circa hoc. Prima fuit, quæ dicebat *Ioannis* 3. Baptiſma in illis, *Niſi quis renatus fuerit*, &c. fuiſſe inſtitutum; alij Matthæi vltimo, *Euntes docete omnes gentes*, &c. & alij quando Ioannes cœpit baptizare, alij in paſſione, quando dixit Chriſtus: *Conſummatum eſt*, &c. veteris Teſtamenti Sacramenta finem accepiſſe, & Noui exordium, putant. Subiicit propriam opinionem, dicens: *Commodius autem videtur, vt dicamus Baptiſmum priùs per Ioannem, & deinde per Chriſtum, ſiue per diſcipulos Chriſti aliquandiu, ſolùm ne à conſuetudine abhorreret in vſum productum: nouiſſimè autem quando vniuerſum mundum prædicatores baptizare miſſi ſunt, generaliter inſtitutum*, &c. Quibus verbis nihil diſcernit inter Baptiſmum Ioannis, & quem dabant diſcipuli Chriſti (*aliquandiu ſolùm ne à conſuetudine*, inquit, *abhorreret*) diſtinctione quoad fructum: ac proinde mihi videtur eſſe in ſententia Tertulliani, Chryſoſtomi, & Leonis Papæ. Quidquid dicat Vaſquez citans eum *in cap.* 6. *ſequenti*, vbi diſtinguit inter Baptiſmum Ioannis & Chriſti, quòd ille fuit Sacramentum tantùm, Chriſti Baptiſma conferebatur cum Sacramento, id eſt, cùm ſigno res ipſa, & remiſſio peccatorum, quia ibi loquitur de Baptiſmo poſt completam eius inſtitutionem, & prout erat in exercitio poſt antiquatam legem; & nunc eſt in Eccleſia.

45 *Concordat cũ D. Thoma, quem nõ impugnat, ſed Hugonem.* *Sententia veterum.* *Propria ſententia Hugonis.* Vaſquez.

Vnde in verbis præfatis refert inſtitutionem generalem Baptiſmi ad tempus poſt reſurrectionem: infrà autem dicit, *quòd noua inchoata ſunt ante paſſionem ad conſuetudinem*, quòd perinde eſt ac ad vſum, non ad fructum ex mente ipſius: & poſtea, *& in iſto medio tempore* (ſupple vtriuſque concurrentis ante paſſionem) *quo fuit Baptiſmus cum Circumciſione ab inchoatione ſua, vſque ad paſſionem Chriſti: hoc fuit Circumciſio cum Baptiſmo poſt paſſionem, vſque ad illud tempus, quo ipſa Circumciſio cœpit prohiberi*, &c. Dicit ergo Circumciſionem in morte Chriſti finem accepiſſe, & ante illud tempus ita Baptiſmum ſe habuiſſe ad Circumciſionem, ſicut Circumciſio poſt mortem Chriſti ſe habebat ad Baptiſmum: ergo ſentit non fuiſſe fructuoſum Baptiſmum ante paſſionem: quod clariſſimè, profequendo eandem comparationem, docet, aſſerens, ſicut Circumciſio in ſuo ſtatu ante paſſionem ad ſalutem ſuſcipiebatur, neque licuiſſe Baptiſmum contemni; ſic poſt mortem Chriſti Baptiſmus in ſuo ſtatu ſuſcipiebatur ad ſalutem, neque debuit, aut licuit contemni Circumciſionem donec prohibebatur: ac tandem comparando vtrumque dicit: *Rurſus quemadmodum Baptiſmus à Ioanne ſecundùm ſolum Sacramentum dabatur*

46 *Comparatio Baptiſmi, & Circũciſionis quoad diuerſa tempora.*

*dabatur vt ij, qui baptizandi vsum non nouerant, erudiuntur: sic in nouissimo à quibusdam fidelibus Circumcisio dispensatoriè secundum solum Sacramentum* (id est, signum externum) *suscipiebatur, ne ij qui circumcidi consueuerant, scandalizarentur*, &c. Vbi de Baptismo Ioannis loquitur, perinde ac de Baptismo, quo vtebantur discipuli Christi *Ioannis 3. & 4.* quia eundem planè sensit fuisse cum Tertulliano, & aliis suprà, ad vsum, & consuetudinem, non ad fructum vllum.

Hanc doctrinam impugnat Doctor, nempe quâ tribuit necessitatem medij ad salutem soli Circumcisioni ante passionem Christi, & instituto Baptismo: & opinio illa, quam hîc citat Doctor, quoad omnia est Hugonis; quam etiam secutus est Alensis citans Hugonem 4. *part. quæst.* 8. *m.* 2. *art.* 3. §. 1. *&* §. 2. vbi idem docet. Contrariam sententiam probat Doctor vtroque loco, & rationes eius eò tantùm spectant, neque agit de derogatione Circumcisionis, & præcepti eius, nisi vt fuit medium necessarium salutis. Quando autem institutus est Baptismus, non fuit mediũ necessarium determinatè, sed indeterminatè & sub disiũctione, vt videre licet ponderanti rationes eius, & consequentiã illam, quã infert: *Ergo*, inquit, *si præceptũ de Baptismo erat prohibitio Circumcisionis, quantum ad fructũ* (id est, euacuatio Circumcisionis; alludit enim ad verba, & rationem Hugonis) *& consilium de Baptismo erat reddens circumcisionem non necessariam*, &c. Supple quoad fructum determinatè, quia infrà dicit sub disiunctione fuisse necessariam. Patet idem ex confirmatione eius, vt legenti apparet: hoc videtur ergo mihi institutum Doctoris, non illud, quòd communiter imponitur, licèt pro ea differuerim ex reuerentia Scholæ, & speciatim Illustrissimi Magistri mei, qui in Scholio, & marginalibus communem interpretationem sequitur, quam etiam in Scholis semper dictauit.

e *Contra secundum, quod dicitur de tempore inter passionem Christi, & promulgationem Euangelij*, &c. Secundum assertum Hugonis de inutilitate Circumcisionis post mortem Christi, hîc impugnat Doctor, sicut & tertium assertum de prohibitione Circumcisionis promulgato Euangelio. Rationes Doctoris satis claræ sunt, eáque in sequenti §. examinabimus exponendo conclusiones.

## SCHOLIVM.

*Ponit quoad Baptismum duo tempora. Primum, vsque ad promulgationem solemnem. Secundum, posthea: quoad Circumcisionem verò quatuor tempora statuit. Primum, necessitatis, vsque ad institutionem Baptismi. Secundum, concomitantiæ cum Baptismo, vsque ad Pentecosten. Tertium, concurrit cum secundo tempore Baptismi, quoad Iudæos, pro aliquot annis, saltem vsque ad initium imperij Neronis, quòd fuit 20. ann. post passionem: quia tunc Paulus purificauit se Act. 21. Nam venit Romam anno 3. Neronis secundùm Mag. historiarum. Quartum, quando omnino fuit illicita. De hac controuersia Hieron. in epist. ad Gal. 2. & ep. 89. ad Aug. & ipse Aug. ep. 19. acerrimè disputant.*

11 *Duo tempora Baptismi, vnum vsque ad Pentecostem, alterum post.*

Quantum f ergo ad istum articulum, dico, quòd in Baptismo non est distinguere, nisi duo tempora: scilicet tempus, quo erat sub consilio: & tempus, quo erat sub præcepto: & primum durauit à principio, ex quo prædicabatur Euangelium, vel Baptismus per Christum, vel per Apostolos, vsque ad prædicationem solemnem, & authenticam eiusdem post Ascensionem Christi; ita quòd primum tempus nullam habet differentiam per mortem Christi, nec post eam, ex hoc solo, quòd aliter cucurrit pòst Baptismus, quàm antè. Secundum autem tempus, (vt credo) incepit in die Pentecostes in Ierusalem, quia vsque ad illum diem Apostoli non prædicauerunt publicè, iuxta illud verbum Christi Luc. 24. *Vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto.* Sed in die Pentecostes misso Spiritu sancto, solemniter prædicauerunt, & apposita sunt illo die circiter tria millia, & baptizati sunt. *Act.* 2. Inde autem ad alias ciuitates, secundùm ordinem, cuilibet loco, vel genti, erat tempus secundum, quando ibi publicè, & solemniter prædicabatur lex euangelica; ita quòd tempus non incepit simul apud quoscun

*Tempus secundum Baptismi successiuè incipiebat variis locis.*

f *Quantum ergo ad istum articulum*, &c. Duo tempora Baptismi discernit. Primum, vt erat sub consilio; secundum, vt erat sub præcepto: vtrumque tempus admittunt communiter Theologi, sed controuersia est, quando fuit terminatum tempus primum, quo Baptismus erat sub consilio, & quando incepit esse sub præcepto, inter hæc enim in re non fuit medium tempus ex natura rei, suppositâ institutione Baptismi, vt duraret vsque ad finem mundi, sicut lex noua, cuius est proprium Sacramentum, sic est duratura. Non obligasse Baptismum vsque ad mortem Christi, est communis sententia Theologorum: an autem post mortem statim, & ante Pentecosten, est controuersia. D. Thomas asserit in morte, seu post mortem Christi, obligasse Baptismum *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 1. *art.* 4. *quæstiuncula* 3. *& dist.* 3. *quæst.* 1. *art.* 5. *quæstiuncula* 3. *& 3. part. quæst.* 66. *art.* 7. quem sequitur Richardus *dist.* 1. *quæst.* 6. Durandus *quæst.* 9. Soto *suprà citatus*, quos plures etiam moderni suprà sequuntur.

48 *Duo tempora Baptismi.*

*Nõ obliguuit Baptismus vsq; ad mortem Christi.*

D. Thom.

Richardus. Durandus. Sotus.

Contrariam sententiam tractat Doctor *hîc*, quem sequuntur reliqui eius discipuli: est D. Bonauenturæ *in hac dist.* 2. *p. dist. quæst.* 2. Aureolus *quæst.* 4. Rubionis *quæst.* 3. *art.* 2. Gabrielis *dist.* 1. *quæst.* 4. Suarez *tom.* 3. *in* 3. *parte disp.* 27. *sect.* 4. *de leg. lib.* 10. *cap.* 4. citantis alios in eius fauorem. Et hanc sententiam sequuntur Patres, qui negant datam esse formam Baptismi ante Matthæi vltimum, vt Leo Papa, & alij, quos suprà citauimus: quam tenet etiam Hugo iam citatus, quia institutionem vniuersalem Baptismi

*Sententia Doctoris.* D Bonauent. Aureolus. Rubion. Gabriel. Suarez.

Leo Papa.

Isaia 2. quoſcunque,ſed *de Sion exibat lex, & Verbum Domini de Ieruſalem*,iuxta prophetiam Iſaiæ:& quibuſdam incepit tempus ſecundum ad menſem poſt Pentecoſten ; & aliquibus ad annum ; aliquibus ad decem annos, & ſic deinceps, ſicut eis prædicabatur.

12 *Quatuor tempora Circumciſionis.* Sed quantum [g] ad Circumciſionem,diſtinguo quatuor tempora. Pro primo erat neceſſaria : pro ſecundo vtilis, non neceſſaria:pro tertio nec vtilis,nec neceſſaria,tamen licita : pro quarto omnino illicita, & mortifera.

Primum tempus Circumciſionis præceſſit vtrumque tempus Baptiſmi. Secundum tempus Circumciſionis comitabatur primum tempus Baptiſmi:nam ſicut arguitur fuit priùs,ex quo primo conſulebatur Baptiſmus, non fuit Circumciſio neceſſaria volenti baptizari : ſed tunc cucurrit vtrumque ſub diſiunctione, vt Iudæus eligeret quodcunque vellet. Licuit enim, & profuit ſibi circumcidi,ſi voluit (nec enim fuit tunc reuocata quantùm ad vtile, nec quantùm ad licitum) licuit etiam ſibi,immò laudabile fuit baptizari : & hoc etiam ſatis congruum fuit, quòd in tempore intermedio inter duas leges, quando non ſubitò prima tollitur, nec ſecunda imponitur ; illò inquam tempore, ſimul currant ambæ ſub diſiunctione.

*Circumciſio nõ fuit illicita ſtatim poſt Pentecoſten, quoad Iudæos ſaltem.* Tertium [h] autem tempus Circumciſionis cucurrit cum ſecundo tempore Baptiſmi : & hoc quantùm ad Iudæos, vſque ad illud tempus Pauli, de quo arguitur eſt priùs. Immò veriſimile eſt, quòd benè vltrà,quia tempore purificationis Pauli videbantur fratres in Ieroſolymis approbare obſeruantiam legis, & de ea conſulere Paulo. Sed quantùm ad Gentiles conuerſos ad fidem, ſecundùm tempus Baptiſmi, & quartum Circumciſionis ſimul concurrerunt, ſaltem poſt quatuordecim annos à paſſione Chriſti, vel circiter;quando ſcilicet Paulus aſcendit Ieroſolymam ad ſeniores, ſuper illa quæſtione conſulens, de qua habetur *Actuum cap.* 15.vbi primò allegat Petrus factum Cornelij, de quo habetur *Actuum* 10.& deinde Iacobus tanquam Epiſcopus in Ieroſolymis profert ſententiam ſecundùm Magiſtrum hiſtoriarum, dicens : *Ego iudico non inquietari eos, qui ex gentibus conuertuntur ad Deum:ſed ſcribere ad eos,vt abſtineant ſe à contaminationibus*, &c. & de illis quatuor, duo, ſcilicet abſtinere ab idololatris, & fornicatione, ſunt neceſſaria.

*Loquitur ſecundùm Hiſtoricũ, qui a Petr.ibi præſedit, quod ſentit Scot.n. 15.infr. dum ait nuntios Iacobi eſſe ſubditos Petri.*

Et ideò ſpecialiter eis ſcribenda, quia de illis gentes minùs curabant. Duo alia, ſcilicet ſimi ad illud tempus refert, ibique factam docet.

49 *Baptiſmum non obligaſſe vſque ad diẽ Pentecoſtes.* Probatur,quia Baptiſmus non aliter fuit indictus poſt mortem,aut per ipſam mortem Chriſti, & reſurrectionem, quàm fuerat datus ante mortem,ſed ante mortem fuit ſub conſilio tantùm,& non ſub præcepto : ergo & reliquo tempore. Secundò, quia lex noua non cœpit obligare, ſicut neque vlla lex ante promulgationem Baptiſmi, neque in ipſa morte, neque poſt mortem ; licèt datum ſit præceptum eius nouiſſimè ante aſcenſionem:tamen non fuit promulgatum, vt conſtat ex *Actor.* 1.& Lucæ 24.quia reliquo tempore non prædicarunt Apoſtoli,ſed ieiunio & orationi incubuerunt vſque ad aduentum Spiritus ſancti, quo recepto, tum primùm cœperunt prædicare, *Actor.* 2. vt rectè Doctor. Quamuis autem Ioannis 3.in illis,*Niſi quis renatus fuerit*.&c. declaratur neceſſitas Baptiſmi : tamen non eſt fundamentum colligendi illum obligaſſe, antequam præceptum eius eſt latum, vt omnes ſupponunt : & refertur ad tempus, quo neceſſitatem habiturus erat ex præcepto : ſicut & ea, quæ de Euchariſtia habentur *Ioannis* 6.& eius neceſſitate, referuntur ad tempus futurum, in quo ipſa inſtituta, & præcepta fuit.

*Requiri promulgationẽ.*

50 *Reſponſio legem diuinam non exigere promulgationem. Vaſquez impugnatur.* Reſpondent aliqui,vt Vaſquez,legem diuinam non exigere promulgationem ſui : contrà, quia lex diuina nequit obligare ad impoſſibile : ergo lex diuina,quæ in ordine ad homines fertur, debet intimari,& publicari,antequam ſit regula faciendorum, obligans communitatem hominum. Alij, cum Soto, dicunt legem de Baptiſmo non obligaſſe per modum legis ante promulgationem; ſed per modum præcepti, quod reuelatum eſt Apoſtolis. Contrà, licèt in eandem materiam cadunt & præceptum & lex, vel cadere poſſunt, nequeunt eſſe idem, quia præceptum eſt reſpectu perſonæ particularis, lex reſpectu communitatis: ergo præceptum illud non fuit obligans communitatem:ſed de hac obligatione quæritur,non de priuata.

*Differentia legis & præcepti.*

*Obligatio præcepti requirit promulgationẽ.* Deinde ſicut præceptum non obligaret priuatum,cui datur,niſi ſuppoſitâ eius cognitione, neque haberet vim præcepti reſpectu eius, ſequitur quòd præceptum Baptiſmi per modum legis obligans omnes, nequeat habere vim legis, niſi ſuppoſitâ promulgatione, & notitiâ publicâ : de hoc autem quæritur, nempe quando ſic obligatio Baptiſmi data eſt.

Tertiò ad nullum effectum ſeruiret illa reuelatio præcepti facta Apoſtolis,quia nullum obligaret, niſi ipſos Apoſtolos, qui, iuxta communiorem ſententiam Auguſtini, & Theologorum, iam fuerunt baptizati, ad alios autem non extenditur.

51 Si dicas non fuiſſe præceptum comprehendens illos ad ſuſceptionem Baptiſmi, ſed vt miniſtrarent Baptiſmum, vel publicarent. Contrà, non publicârunt ante Pentecoſten; ergo ſignum eſt, non fuiſſe præceptum pro illo tempore obligans, aut ad publicationem, aut ad obſeruantiam ſui. Neque primum dici poteſt, quia præceptum de Baptiſmo,de quo quæritur,fuit vniuerſale reſpectu omnium tam Iudæorum, quàm Gentilium, atque adeò comprehendens vniuerſum orbem: ſed aliud præceptum datum à Chriſto, quando miſſi ſunt ad prædicandum:nempe, *In viam Gentium non abieritis*, &c. &, quo veritum eſt, ne prædicarent Gentibus, non fuit relaxatum in morte, vel

*Præceptum Baptiſmi vniuerſale.*

Act. 15. scilicet quòd *abstineant à suffocato, & à sanguine*, non erant necessaria: sed benè congruebant, vt gentes conuersæ ab ipsis abstinerent, ne essent abominabiles Iudæis: sicut in societate benè decet, quòd homo abstineat à quibusdam, quæ sunt abominabilia sociis, licèt non sint simpliciter illicita: ergo secundum tempus Baptismi, à principio sui totaliter fecit Circumcisionem illicitam, quantùm ad gentes conuersas, vel saltem post tempus tertij Concilij Ierosolymis, de quo nunc tactum est, de quo seniores decreuerunt legem non debere imponi gentibus conuersis decimo quarto, vel decimo quinto anno post passionem Christi.

*Propter socios abstinendum quandoque à licito.*

13 Sed quantùm ad Iudæos conuersos, secundum tempus Baptismi, nec à principio sui, nec post Concilium illud tertium Apostolorum, exclusit omnino Circumcisionem tanquam illicitam; nec alia legalia, sed multò pòst tempore licitè seruabantur.

Apostoli prædicare, quod est contra alia constituta à Christo, vt manerent expectantes, donec induerentur virtute ex alto, per aduentum Spiritus sancti; habuit ergo vim obligandi pro futuro suppositâ promulgatione.

Bernard. Trident. Tertiò eadem est sententia expressa S. Bernardi *epist.* 77. & eam supponit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 4. dicens, Baptismum promulgato Euangelio fuisse necessarium, ac tandem, vt in præcedenti commento dictum est, plura legis nouæ mysteria adhuc non erant completa in morte, & resurrectione Christi, vt institutio capitis in Ecclesia, quæ facta est post resurrectionem: congruum autem erat hierarchiam Ecclesiæ ordinare, antequam daretur lex ipsi de obseruantia Baptismi obligans. Aliæ congruentiæ adduci possunt, sed dicta sufficiant: ex quibus respondeti potest fundamentis contrariæ partis.

*Ratio ex congruitate.*

53 *Obiectio prima ex consummatione legis.* Obiiciunt quòd lex vetus fuerit consummata in morte Christi: ergo debuit lex noua incipere obligare, & potissimùm ad Baptismum, qui ianua & ingressus est ipsius legis. Antecedens patet ex Paulo, locis suprà citatis, ad Hebræos, vbi agit de translatione tabernaculi, & Sacerdotij, & legis, de confirmatione Testamenti in sanguine testatoris atque morte. Sic etiam intelligunt Augustinus & Hieronymus in suis epistolis, cessasse veterem, nouam obligasse in morte Christi.

*Responsio. Cõsummatio legis quomodo intelligitur? Cõsummatio in causa.* Respondetur per illud *Consummatum est*, si referatur ad legem veterem intelligi quoad obligationem ad summum, non verò quoad fructum: deinde, si negetur cessasse ex toto quoad obligationem, prout multi probabiliter docent, illa verba intelligenda esse quoad cessationem in causa, quia ex morte Christi cessauit, tanquam ex causa motiua, & finali, quia illum figurauit: non tamen cessauit quoad obligationem pro tunc, sed pro tempore congruo destinato per diuinam prouidentiam; prout vtilitati congruebat Iudæorum, quibus data est: & sicut fuit publicè data, sic etiá publicè debuit derogari. Hęc solutio in reipsa est S. Bonauenturæ, & Doctoris in Reportatis.

Si vel post resurrectionem Christi, vsque dum dictum est Matthæi vltimo, *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos*, &c. vbi tam præceptum de Baptismo ministrando vniuersim omnibus, eiúsque susceptione datum est, quàm etiam primùm illud relaxatum, iuxta communem Interpretum: ergo non fuit antea datum præceptum Apostolis de Baptismo; minùs autem aliis de eodem suscipiendo.

*Derogatio alteri particulari, quod eousque duraut.*

Exemplum autem, quod præfati adducunt, nihil facit ad propositum; dicunt enim sicut Princeps domesticis suis aliquid iniungit, dicens, vt ipsi id primùm faciant, deinde aliis faciendum publicent; sic factum de præcepto Baptismi. Sed hoc nihil est, quia illud, vt dixi, non accommodatur Apostolis, qui iam baptizati erant, neque idem sunt mandare vt ipsi faciant, & publicent faciendum aliis, id est, communitati, quia primum haberet rationem præcepti, sicut & alterum de publicatione: vt verò primum publicatum est, respectu communitatis, sic est obligans, si esset lex, & non priùs. 52 *Refutatur exemplum.*

*Veritas ex certis petēda.* Neque video cur ad reuelationes incertas, & dubias recurrendum sit, cùm ex ipso Euangelio loco citato veritas habeatur: quamuis ibi datum præceptum tunc quidem habuit vim obligandi, quantùm est ex determinatione voluntatis Christi, sed non pro tunc, quia sic etiam tenerentur

*Plura mysteria legis nouæ non fuerunt completa in morte Christi.* 9i intelligatur consummatio respectu legis nouæ, non fuit in toto completa pro tunc, sed in causa, nempe morte Christi, & redemptione generis humani, quia plura mysteria adhuc erant complenda. Intelligitur etiam consummatio quoad ipsam redemptionem, passionem, & mortem Christi, quæ in lege, & Prophetis sunt prædictæ, & figuratæ.

Ex quibus patet ad illa, quæ adducta sunt in probationem antecedentis, & negatur consequentia, ex Tridentino, & Bernardo, & aliis suprà adductis. An autem cessauerit lex vetus in morte Christi, quoad obligationem Circumcisionis, infrà dicemus: an quoad reliqua, non est huius loci tractare. Videantur authores citati in materia de legibus. Illud tamen est quod contenditur, nempe, non ex cessatione eius quoad obligationem, inferri cessationem quoad fructum, aut ex vsu concurrente legis nouæ in parte sequi obligationem prætensam Baptismi. Trident. Bernardus.

54 *Præceptū Baptismi succes. siuè obtinuit.* Secunda conclusio Doctoris est, post promulgationem Euangelij solemnem, tum præceptum Baptismi obtinuisse, & sequitur ex priori. Hæc autem promulgatio sicut successiuè fuit in diuersis partibus orbis, ita etiam præceptum Baptismi successiuè etiam obtinuit, primùm Ierosolymis ipso die Pentecostes; secundò in aliis ciuitatibus prouinciæ, quando illuc notitia eius peruenit, in Samaria, quando ibi prædicauit Philippus, & sic de reliquis: quia non maior obligatio fuit suscipiendi Baptismum, quàm fidem Christi: imò maior erat suscipiendæ fidei, quia hæc non fuit sub consilio, sicut Baptismus; sed semper in præcepto, vt suprà insinuauimus ex *Ioannis* 15. ideóque peccauerunt Iudæi non suscipientes Christum, neque credentes in illum: sed præceptum fidei non obligat, nisi præsuppositâ notitiâ eius, quia *fides ex auditu; auditus autem per verbum Christi.* Item, *quomodo credent, nisi audiant? quomodo audient nisi mittantur?* &c. Ergo præceptum Baptismi, tum

*Non maior obligatio Baptismi, quàm fidei suscipiendæ.*

non

non obligauit Iudæos in diuersis partibus orbis existentes, sicut neque præceptum fidei explicitæ in Christum; hæc enim supponitur ad Baptismum adultorum: eius enim præceptum non obligauit neque Iudæos, neque Gentiles, nisi suppositâ sufficienti institutione, quia *qui citò credit, leuis est corde*; &, vt dicit Hugo suprà citatus, *neque fides, neque ratio admittunt repentinas mutationes.*

*Fides supponit doctrinã.*

*Lex noua suauiter inducta.*

Iisdem etiam congruentiis fulcitur hæc conclusio, quibus ostenditur in ipsa Iudæa Christum docuisse Baptismum sub consilio, quia lex noua non debuit temerariè, & præcipitanter induci; hoc enim esset contra suauem Dei prouidentiam, & naturæ hominum accommodatam, & inducere iugum amarum & rigorosum, atque onus graue, & non leue.

55 Vnde in ipsis legibus humanis saltem præceptiuis (quidquid sit de irritantibus) post promulgationem earum in metropoli datur sufficiens tempus, quo publicari possint in prouincia, antequam obligent; quantò magis in lege Dei id factum interpretabimur, qui magis compatitur infirmitati nostræ. Neque valet quorundam responsio, dicentium, quòd acceptatione populi, seu institutione, id contingat in humanis legibus; quia potestas legislatoris à populo dependet, non ita potestas Dei: hæc, inquam, responsio nulla est; quia sæpè non dependet talis potestas à populo, quando ab eo non deriuata; vt si iure belli, aut alio titulo oneroso redactus est in seruitutem; vel quando potestas deriuatur immediatè à Deo, vt est potestas Pontificia: sed prædictum spatium exigit lex ipsa naturalis, & conditio hominis, qui ad nihil obligari potest, nisi suppositâ notitiâ sufficienti, vel debito eius, contra quam nequit obtinere vlla lex positiua, ne quidem ipsius Dei.

*Tempus requiri ad obligationem legis humanæ.*

*Excluditur responsio.*

*Lege naturali exigi tempus, & promulgationem positiuæ.*

Vnde sicut ignorantia fundata, & inuincibilis iuris in foro interiori excusat à culpa priuatum; sic etiam ignorantia inuincibilis publica aufert obligationem legis à fortiori, quæ per sufficientem, & idoneam promulgationem non est proposita: vnde nequit dici ignorantia propriè, sed nescientia, quæ est negatio notitiæ legis, non autem priuatio; quia nullo modo humano est debita scientia eius per promulgationem in certo loco, ex quo nequeat deuenire in cognitionem aliorum magis, quàm si in pectore adhuc resideret. Ea ergo promulgatio, per quam hæc habet, vt sit publica agendorum regula, requiritur & sufficit ad legem, vt vim obtineat in communitate.

*Legis nondũ promulgatæ idoneè nõ est ignorãtia, sed nescientia.*

56 Hæc sententia est Bernardi quantum ad obligationem & promulgationem legis nouæ, & Hugonis, eámque tenet Suarez loco citato, & quotquot requirunt promulgationem legis in prouincia necessariam esse, vt lex obliget: quod perinde dicendum est de lege noua, quia, vt inquit Doctor, *de Sion exiuit lex, & verbum Domini de Ierusalem*, Isaiæ 2. vnde concludit, quibusdam præceptum Baptismi, & Euangelij post mensem, aliis post annum, aliis post decem annos incepit.

Sotus. Medina. *Nulla fuit obligatio Baptismi ante præceptum.*

Hinc reiicitur sententia singularis Soto *lib. 2. de Iust. & iure, quæst. 5. art. 4.* quem sequitur Medina 1. 2. *quæst. 103. art. 3.* asserentes Gentiles fuisse obligatos suscipere Baptismum, si crederent in Christum, ante etiam Baptismum promulgatum: nullum enim est fundamentum asserendi Baptismum propositum simpliciter sub consilio Iudæis obligasse sub præcepto Gentiles credentes in Christum: quia neque Euangelium tum directè prædicatum est Gentibus, neque discipuli missi ad prædicandum, & baptizandum *Matthæi 10.* missi sunt ad Gentiles; sed prohibiti sunt ad eos ire, *In viam Gentium ne abieritis*: & Matthæi 5. *Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel*: & illud: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, &c.

Si ergo Euangelium non proponebatur tunc gentibus, vt patet ex dictis, sed solis Iudæis; ita etiam neque remedium eius potest obligare Gentes per modum legis, quæ primò respicit communitatem, neque per modum præcepti priuati, quia non aliter proponebatur ipsis, quàm Iudæis.

*Gentiles ad illum nõ obligabantur ante præceptum.*

Dices, quòd Iudæi habebant remedium legis, id est, circumcisionem, ideóque non obligabantur ad Baptismum; hoc non habuerunt Gentes. Sed hæc ratio non valet, quia plures alij; vt filij Esau, & Ismaëlitæ habuerunt Circumcisionem, tamen inter Gentes computabãtur. Deinde remedium legis naturæ valebant Gentibus, sicut Circumcisio Iudæis. Accedit quòd Gentes poterant circumcidi & recipere legem, vel fieri proselyti. Ex quibus patet ad fundamentum aliorum, quod est illud iam impugnatum.

*Responsio. Impugnatur.*

*Gẽtibus valebat remedium legis, & naturæ applicatum sine Baptismo.*

g *Sed quantum ad Circumcisionem distinguo quatuor tempora*, &c. Primum fuit ante institutionem Baptismi, & sic fuit necessaria Iudæis; secundùm autem est post institutionem Baptismi, vsque ad promulgationem eius: & sic non fuit necessaria, sed vtilis. Loquitur autem Doctor de necessitate medij, prout suprà explicuimus eius mentem, in prima expositione. Adde etiam, si secunda magis placet, fuisse necessariam necessitate præcepti positiui, vbi non fuit Baptismus promulgatus. Tertium tempus fuit eius post promulgationem Baptismi, & pro illo non fuit vtilis, aut necessaria, sed licita. Quartum fuit, quando iam fuit mortifera, & non tolerata.

57 *Quatuor tẽpora Circumcisionis.*

Secundam conclusionem Doctoris de vtilitate Circumcisionis post mortem Christi, vsque ad promulgationem, impugnant Doctores, quibus iam respondimus; qui putant legem nouam obligasse in morte Christi, vel certè in resurrectione, & ab eo tempore Circumcisionem fuisse licitam quidem, sed inualidam, & inefficacem: quia succedẽte obligatione Baptismi, sublata est eius virtus. Eam probat Doctor *in §. præcedenti* quatuor rationibus, & sequitur ex iam dictis, quia tum primum cœpit Circumcisio esse inualida, quando Baptismus positus est in præcepto: & hoc supposito,

*Circumcisionem fuisse vtilem, vsque ad promulgationem legis nouæ.*

Prima ratio est; nullus aliter se habet ad legem nunc, quàm antea se habuit, nisi quia est ei aliter promulgata; sed non fuit Baptismus aliter promulgatus sub præcepto post mortem Christi, vsque ad Pentecosten, quàm fuerat antea promulgatus viuente Christo; tunc fuit sub consilio, & Circumcisio fuit valida: ergo, &c. Hanc rationem iam *in præcedenti commento* tetigi, & impugnata est responsio aduersariorum, qui negant minorem.

58 *Prima ratio. Lex non inducit nouam obligationẽ, nisi vt aliter est promulgata.*

Secunda ratio: Ab eodem habent Circumcisio, & Baptismus vim obligandi, à quo habent vim medendi, & curandi: patet ex Beda *in Ioannis 3.* Sensus huius propositionis est, quòd Circumcisio & Baptismus inquantùm erant obligantia, habuerint vim medendi pro tẽpore suæ obligationis, & denotat connexionem obligationis, & efficaciæ: Circumcisio autem non est aliter reuocata post mortem Christi, & pro illo tempore, quàm fuerit ante

*Secũda ratio.*

*Declaratur.*

ante mortem reuocata, & habuit vim obligandi antequam reuocaretur: ergo, &c. Videtur hîc ſupponere Circumciſionem habuiſſe obligationem præcepti poſitiui, quod nõ fuit reuocatum, vſque ad promulgationem Euangelij, iuxta ſecundam expoſitionem, quam ſuprà præmiſi, & idem videtur ſupponere etiam in ſequenti argumento; ideóque ſequendo hoc, explicantur ea quæ dicit ibidem de Circumciſione, docendo non fuiſſe neceſſariam, intelligere in ratione medij concurrente Baptiſmo, ſicut antea fuit, neceſſaria iuxta primum tempus eius; & etiam de præcepto naturali redundante ex neceſſitate medij ſub diſiunctione obligante, vel ad Baptiſmũ, vel ad Circumciſionem. Quòd ſi cõmunis expoſitio magis placeat, dicas hîc eum argumentari ex principiis ſuppoſitis, & admiſſis, tã ab Hugone, quàm à D. Thoma, non verò ex propria opinione, aut aſſertione.

*Hæc ratio cõfirmat expoſitionem, quam ſecundo loco ſuprà adhibuimus.*

59 *Tertia ratio ex errore practico, cuius cauſa aliòquin eſſet Deus.*

Tertia ratio eſt etiam clara de obligatione, quam habebant Iudæi circumcidendi pueros, vſque ad promulgationem Euangelij, quia nullo modo conſtabat eis illã fuiſſe reuocatam, ipſiſque neceſſarium erat ponere ſpem in Circumciſione, vt remedio vtili: ergo tenebantur neceſſariò habere falſam opinionem de Circumciſione, quantùm ad eius efficaciam poſt mortem Chriſti, & errorem practicũ, applicando ipſam vt remedium ſalutis, quod nõ fuiſſet, ſi eſſet inutilis: Deus autẽ neminem decipit, neque obligat ad deceptionẽ: ergo, &c. Ad hoc reſponderi poteſt nõ eſſe inconueniẽs Iudæos fuiſſe in illo errore ex culpa ſua, quia non crediderunt in Chriſtum; credendo namque ipſis eſſet ſufficiẽter nota deſitio Circũciſionis in morte Chriſti, & omnia legalia fuiſſe adimpleta.

*Reſpõſio quòd error ex culpa eſſet Iudæorum.*

*Impugnatur. Error eſſet inuincibilis.*

Contrà, quia non omnibus etiam credentibus fuit hoc notum, vt patet ex Actis in pluribus locis, vbi conuerſorum ad Chriſtum zelus legis exponitur; imò neque ipſis Apoſtolis, & diſcipulis fuit notum, quia ſenſus Scripturarum nõ fuit eis apertus vſque ad reſurrectionem, *Lucæ* 24. Si ergo Scripturas, quæ de Chriſto loquebantur, non intellexerunt, minùs intellexerũt ceſſationem Circumciſionis, & legaliũ, quod colligitur *ex Actor.* 10. & 11. nam cùm diſceptarent, *qui de Circumciſione erant*, cum Petro, dicentes, *quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis?* &c. Reſpondit ex viſione quam habuit, & ſecundùm ordinem geſtorum in domo Cornelij: non autem ex peculiari reuelatione habita in morte Chriſti, cuius non eſt veſtigium in Euangeliis: patet etiam *ex Actorum* 15. Neque ergo Chriſti morte hoc fuit promulgatũ Apoſtolis, vt potuiſſent deuenire in publicã notitiam: ergo minùs reliquis.

*Confirmatio. Reuocatio legis per ſubſequẽtem debet eſſe publica.*

Confirmatur ergo ratio Doctoris: quia ſicut promulgatio ſe habet ad cõmunitatem; ita etiam & reuocatio legis per ſubſequentem: ergo ſicut publicatio legis Moſaïcæ fuit publica, & plana, ita & reuocatio eius per legem Euangelicam publicata, debuit eſſe publica, & prædicari neceſſitas Baptiſmi, ſicut prædicauit Petrus, & Apoſtoli Ieroſolymis. Deinde, vt Doctor ait, ſine culpa ſua obligare Synagogam ad errorẽ practicum, in medio neceſſario ad ſalutem plurimùm derogaret diuinæ prouidentiæ, quod non eſt admittendum: ideóque quæcumque ratio ſuadet Baptiſmum congruè datum eſſe ſub conſilio, antequam eſſet ſub præcepto, eadem ſuadet non fuiſſe reuocatam Circumciſionem quoad vtilitatem, antequam Baptiſmus obtineret vim præcepti declarantis eius neceſſitatem, ſicut & tranſlationis legis veteris in nouam.

Quarta ratio pro concluſione eſt, quòd Deus non dereliquit communitatem hominum in ſtatu viæ, ſine remedio ad ſalutem neceſſario, de quo eſſet certum: ſed non fuit certitudo Iudæis propoſita de alio, quàm de Circumciſione, quam habuerunt ante, & poſt legem: ergo remanſit, donec aliud fuerat publicatum. Reſpondent Soto, & quidam alij, ſaluari potuiſſe infantes per remedium legis naturæ pro illo tẽpore. Contrà, perinde ſublatum eſt hoc remedium, per neceſſitatem præſcriptam Baptiſmi, ſicut & Circumciſio: deinde non tollitur inconueniens: quia remedium legis naturæ, abrogatâ Circumciſione, fuiſſe efficax æquè ignotum fuit Iudæis, ſicut & ipſa abrogatio Circumciſionis: remedium autem eſſe de ſe efficax nihil cõducit, niſi conſtet de eius efficacia, vt applicari poſſit: meliùs ergo diceret, Baptiſmum fuiſſe efficacem in reſaluandis pueris; imò etiam, vt ipſe vult, fuiſſe neceſſarium; quàm ſaluaret Dei prouidentiam per remedium legis naturæ, quod ex lege non licuit applicare paruulo, niſi in caſu neceſſitatis ante octauum diem: ergo ſicut ſupponit ſpectaſſe ad Dei prouidentiam, & miſericordiam non dereliquiſſe pro eo tempore Synagogam ſine remedio, quod applicaret practicè, & de cuius efficacia conſtaret: ſequitur nullum aliud fuiſſe præter Circumciſionem.

60 *Quarta ratio. Deus non dereliquit communitatẽ, ſine remedio efficaci certo.*

*Reſponſio Soti.*

*Impugnatur.*

*Requiri vt remedium efficax, ſit etiã notum.*

Hæc tamen reſponſio eſt Hugonis de S. Victore, & Alenſis *locis citatis*, quæ minùs quadrat ſententiæ cõmuni de tali remedio, eiúſque materia, quia materia (vt dicunt) talis remedij erat fides externa parentũ applicata ad aliquod ſignum ſenſibile: ſed perinde hæc fides applicari poſſet, & proteſtari, per oblationẽ paruuli in Circumciſione, ſicut in aliis, quia non determinabat certam materiam. Plerique autem ex ſchola D. Thomæ docent Circumciſionem non habuiſſe aliam efficaciam, niſi ratione fidei proteſtatæ, & vt includebat remediũ legis naturæ: ergo ſicut fuit licita pro illo tempore, vt omnes concedunt, ſic etiam erat valida, ſi remedium legis naturæ fuit validum: ac proinde ſaluat Soto, & alij, quod euitare conantur, dicendo tale remedium fuiſſe validum; quod non cohæret cum neceſſitate Baptiſmi pro illo tempore, aut abrogatione Circumciſionis quoad fructum.

61 *Hugo, & Alenſis.*

Reſpondet Vaſquez, non eſſe inconueniens, vt in caſu non ſuppeteret aliquod remediũ pro paruulis, per accidens. Contrà, hoc eſt contra cõmunem Theologorum, & ſuauem diſpoſitionẽ diuinæ Prouidentiæ, vt cõmuniter Eccleſia, qualis fuit tum Synagoga, ante promulgationem Euangelij ſufficientem, in qua fuit fides, & cultus veri Dei, derelinqueretur ſine vllo remedio, reſpectu paruulorũ, cum errore practico, & inuincibili, quem habuit citra culpam, & negligentiam ſuam, quæ imputari poſſit, quia ſeclusâ publicâ reuocatione Circumciſionis, non tenebatur aliud remedium quærere, quod eouſque fuit priuatum, & nullâ lege ſtatutum. Meliùs ergo dicitur, non fuiſſe vllam rationem tam immaturæ obligationis Baptiſmi pro tunc, donec promulgaretur: quæ eſt ſententia S. Bernardi, quam ſupponit Tridentinum *ſuprà*; hoc enim ipſo quòd Baptiſmus habuit totam neceſſitatem poſt promulgationem Euangelij, ſupponit non fuiſſe antè neceſſarium; ac proinde aliud remedium, quod fuit lege ſtatutum, manſiſſe validum, & vtile.

62 *Reſpõſio Vaſquez.*

*Non dereliquit Deus Eccleſiam ſine remedio.*

*Concluſio.*

Ex quibus patet ſententia, & concluſio Doctoris: quæ intelligi debet iuxta ſententiam eius de obligatione Baptiſmi, eiúſque promulgatione,

*Vtilitas Circumcisionis successiuè desiit.*

quæ ſicut ſucceſſiuè facta eſt, ita & fructus Circumciſionis etiam ſucceſſiuè quoad Iudæos deſiit, quando ad eos peruenit notitia Euangelij, & Baptiſmi, aut peruenire potuit: nam ſicut obligatio Baptiſmi fuit euacuatio Circumciſionis quoad fructum, & obligationem (tenendo hanc manſiſſe, donec publicè fuerit reuocata in diuerſis prouinciis, promulgatione Baptiſmi requiſitâ) ſic etiam tunc primùm ceſſauit vtilitas Circumciſionis, quando incepit neceſſitas Baptiſmi: quod docet etiam Suarez *loco citato*, & alij; & Auguſtinus ſupponere videtur *epiſtola* 9.

72 *Circumciſionẽ mortuam pro aliquo tẽpore fuiſſe, non mortiferam.*

h *Tertium autem tempus Circumciſionis*, &c. Hæc concluſio Doctoris ſequitur ex præcedentibus, nempe Circumciſionem, licèt euacuata fuerit quoad fructum, & obligationem; tamen fuiſſe licitam aliquo tempore poſt promulgationem Euangelij: quod patet *Actorum* 15. *&* 21. vbi agitur in primo de exemptione Gentium à legalibus; in ſecundo loco de purificatione Pauli Ieroſolymis ex conſilio ſeniorum: patet etiam *Actorum* 18. *& alijs locis*, quia Iudæi ex ipſa lege per inſtructionem eius ſenſim erant reducendi, vt notant plures expoſitores cum Chryſoſtomo, & Beda, quos infrà citabimus. Fuit etiam aliud motiuum eius, vt cum honore ſepeliretur, & tanquam quæ ſuo tempore à Deo data, cultum & fidem eius continebat: ex quibus motiuis actus erat licitus, & honeſtus, & potuit eſſe vtilis ex opere operantis; quamuis remedia illius legis ex opere operato ceſſaſſent quoad fructum. Iudicialia etiam illius legis, quæ diutiùs manente republicâ Iudæorum, obſeruanda erant, hanc tolerantiam, & vſum legalium cæremoniarum exigebant. Hanc concluſionem docent Auguſtinus & Hieronymus cum omnibus expoſitoribus in illa loca Actorum, & ad Galatas 2. vbi Beda, Hugo de Sancto Victore ſuprà citatus, communiter Theologi in *diſt. præſenti*, cum Magiſtro, & Alenſis ſuprà citatus cum D. Thoma, & reliquis eius diſcipulis.

*Ratio & motiuũ permiſſionu.*

*Cõcluſio communis.*

73 *Vſus legaliũ qualis tum licitus, aut permiſſus?*

Obſeruandum tamen, hanc obſeruantiam pluribus modis fieri potuiſſe: primo modo, ponendo ſpem in lege & Circumciſione, ſine vlla fide, aut dependentia ad Redemptorem, & hic modus vtendi legalibus, tanquam ex proprio habere vtilitatem, & non ex fide, & operibus Chriſti, nunquam fuit licitus: ſed damnabilis, quia continebat in ſe errorem & hæreſim: & ſic Paulus damnat vſum legalium in epiſtolis ad Romanos, & Galatas, & poſt eum omnes Patres contra Pelagianos: nouiſſimè Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 1. can. 1.* Secundo modo potuit eſſe vſus eorum in fide Chriſti venturi, ſic vtebantur eis Iudæi non conuerſi, neque cognoſcentes veniſſe iam Chriſtum: & ſic etiam fuit error quidem, ſed particularis, ſicut eſt eorum, qui ex errore particulari concipiunt intentionem miniſtrandi Sacramentum, verbi gratiâ, Baptiſmi, vt Ariani, ſeruantes tamen intentionem vniuerſalem, & quæ inſtituta ſunt, & ſic non derogant efficaciæ Sacramenti.

*Secundus modus vtẽdi legalibus.*

Iudæi ergo, qui putabant Chriſtum nondum veniſſe, & vtebantur Circumciſione in fide venturi, validè quidem circumcidebant, quantùm ad fructum Sacramenti, quem ex inſtitutione diuina habuit independenter ab errore illo particulari, quamdiu hæc efficacia durauit. Hoc dixerim ad confirmationem eorum, quæ ſuprà diſſerit Doctor de efficacia Circumciſionis ex opere operato *diſt. 1. huius quæſt. 6.* Nam ex communi ſententia omnium, tam Patrum, quàm Scholaſticorum, Circumciſio ante mortem Chriſti valebat etiam inſtituto Baptiſmo ſub conſilio; valebat, inquam, quoad ea, quæ ipſi conueniebant, quantùm ad fructum, qualis fuit remiſſio peccati, iuxta ſententiam Auguſtini, & Scholaſticorum, quod eſſet falſum, ſi ratione fidei tantùm haberet illam efficaciam; cùm fides venturi non fuerit vera, neque ſupernaturalis, cui nequit ſubeſſe falſum, poſtquam Chriſtus venit in carnem: ergo illa efficacia delendi peccati non conueniebat ipſi ratione fidei miniſtri, aut Synagogæ, quæ erat in Chriſtum venturum; ſed ex propria inſtitutione: Iudæi autem credentes in Chriſtum non poterant vti Circumciſione hoc modo.

74 *Error priuatus non derogat Sacramento.*

*Circumciſio valuit vſque ad mortem ſaltem Chriſti.*

*Quod ex opere operato patet.*

Tertius ergo modus vtendi Circumciſione ex vſu credentium fuit, quatenus erat licitum, & honeſtum eâ vti, etiam quando euacuatus eſt eius fructus, ex rationibus, & motiuis præmiſſis, quia nondum erat prohibita, ſicut neque lex illa reuocata. Quamdiu autem hic vſus Circumciſionis, & legis fuerit protractus, incertum eſt, quia ex Scriptura non conſtat, vt in fine §. ſequentis docet Doctor, immediatè ante argumenta: de hoc ergo ibi aliquid dicemus, eſtque quartum tempus Circumciſionis, in quo fuit, & eſt deinceps mortifera.

*Tertius modus vtendi legalibus.*

## SCHOLIVM.

*Explicat cauſam reprehenſionis Petri à Paulo, clarè demonſtrans legalia fuiſſe licita longè poſt Pentecoſten, quod Auguſt. ſuprà contra Hieronym. conuincit; quem ſequitur communis DD.* D. Thom. 1. 2. *q.* 103. *art.* 4. *ad* 2. *vbi* Caiet. *& alij.* D. Bonau. *hîc* 2. *p. art.* 3. *q.* 2. Rich. *d.* 1. *a.* 6. *q.* 4. Durand. *ibi q.* 6. Palud. *q.* 6. *a.* 5. Gabr. *q.* 4. *a.* 3. Maior. *q.* 2. *Soto* 2. *de iuſt. q.* 5. *a.* 4. *ad* 3.

13 *Reprehenſio Petri à Paulo.*

Si obiicitur i, quòd Paulus reſtitit Petro in Antiochia, vt ipſe ſcribit Gal. 2. *Cùm veniſſet*, inquit, *Cephas, in faciẽ ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat.* Et reddit cauſam. *Priùs enim, quàm veniſſent quidam à Iacobo, edebat Petrus cum Gentibus. Cùm autẽ veniſſent, ſubtrahebat, & ſegregabat ſe ab illis, timẽs eos, qui ex Circumciſione venerant; & ſimulationi eius conſenſerunt cæteri Iudæi.* Sequitur ibidem reprehẽſio: *Si tu, Iudæus cùm ſis, gentiliter, & non*

i *Si obijcitur quòd Paulus reſtitit Petro*, &c. Hîc tractat Doctor controuerſiam illam, quæ fuit Antiochiæ inter Petrum & Paulum, quæ habetur *ad Galatas* 2. *cap.* 2. in quo primùm docet ſe non ceſſiſſe Iudæis, qui explorabant libertatem eius in Euangelio, qui nempe volebant inducere iugum legis, & contuliſſe Euangelium cum Petro, Ioanne, & Iacobo, qui dexteras ei dederunt ſocietatis, vt ipſe, & Barnabas inter Gentes prædicarent Euangelium, ipſi verò inter Iudæos: tandem ſubiungit: *Cùm autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti*, cauſam reprehenſionis ſubiun

75 *Controuerſia.*

*Reſtitit Paulus Petro.*

*non Iudaïce viuis, quomodo Gentes cogis iudaizare?* Istud autem non erat diu post illud tertium Concilium in Ierosolymis, vt patet secundùm Magistrum historiarum. Nam quarto Claudij anno venit Petrus Romã; & in illa via versùs Romam, cùm transiret Antiochiam, facta sunt ista: hoc autem erat satis citò post Concilium supradictum, quod decimoquarto anno, vel decimoquinto post passionem Christi.

14 Respondeo, quòd de isto facto Petri si peccauerit, vel non, videbatur controuersia inter duos egregios Apostolos, scilicet Petrum, & Paulum: & postea inter duos Doctores famosos, Augustinum, & Hieronymum. Saluâ reuerentiâ aliorum, teneo cum Paulo, & Augustino, licèt enim Apostoli in actibus, vel verbis, quæ dixerunt vt homines, potuerunt errare: tamen nullus Apostolus, vel Propheta, inquantum scriptor alicuius partis Scripturæ, aliquo modo errauit: quia secundùm Aug. in epistola ad Hieron. & ponitur in Canone dist. 9. *Si ad Scripturas diuinas admissum fuerit aliquod mendacium, quantumcumque paruum, seu officiosum, nihil remanet in ea solidæ veritatis, quâ conuincatur aduersarius. Quidquid enim contra ipsum allegatum fuerit, respõdebit illud mendaciter esse dictum, iocosè, vel officiosè, vt est illud aliud, quod conceditur ita esse dictum.* Vnde dicit ibid. Aug. *His solis libris scriptarum, qui Canonici nominantur, hanc didici ferre reuerentiam, quòd nullum eorum in scribendo errasse, firmissimè credam.* Cùm ergo Paulus ad *Gal.* 2. quæ est pars Scripturæ Canonicæ, hoc scribat, *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, & subdit, *Cùm autem vidissem, quòd non rectè ambularet ad veritatem Euangelij:* necesse est dicere ista verba esse simpliciter vera: vel totius Scripturę auctoritas auferretur. Quærendũ est ergo quis sit intellectus istorum verborum, vt vera sint; non enim potest dici, quòd tunc reprehensibilis erat, quia seruabat tunc legem. Nam post illud factũ, etiam Paulus circumcidit Timotheum: istud enim fuit factum citò post tertium Concilium, Barnabâ adhuc existente cum Paulo in Antiochia, post reuersionem eorũ de Ierusalem, vt Magister historiarum narrat, quando scilicet Petrus pergens Romam, trãsiuit per Antiochiam. Paulus autẽ circumcidit Timotheum, post separationem eius à Barnaba, quando sumpto Syla profectus est ad visitandum fratres, quibus priùs prædicauerat, vt patet *Act.* 16. Post illud etiam tempus, benè ad quatuor annos, Paulus purificatus est secundùm legem, & tota multitudo conuersa in Iudæa obseruabat legem, *Act.* 21.

*Idem in prol. 1. q. 2. via 3. Si admittatur, vel iocosum mendacium in Scriptura, tota ruit, secũdùm Augst.*

*Non propter obseruãtiam legis reprehendit Petrum.*

*Paulus circumcidit Timoth. post Cõcil. Ierosolym. Paul. postea purificatus est.*

subiungit, *quia reprehensibilis erat*, &c. priùs enim, quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem venissent, subtrahebat, & segregabat se: subdit motiuum huius segregationis fuisse timorem: *timens eos, qui ex Circumcisione erant*, &c. effectum exponit, qui ex tali segregatione sequebatur: *& simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cùm vidissem quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus*, &c. subiicitur ipsa reprehensio; *si tu cùm Iudæus sis gentiliter viuis, & non iudaicè*, &c. nempè conuersando, & edendo cum Gentibus, antequam venirent nuntij à Iacobo: *quomodo Gentes cogis iudaizare?*

*Causa reprehensionis.*

Reiiciuntur in primis Hector Pintus *in Danielis, cap.* 1. qui negat hunc Cepham fuisse Petrum, sed vnum ex discipulis illis septuaginta Petri, Gentilem, & sic appellatum, secutus Eusebium *lib.* 1. *historiar. cap.* 12. citantem in eandem sententiam Clementem Alexandrinum *lib.* 5. *Hypotypaseon*; quam tenet Dorotheus *in Synopsi.* Hanc sententiam meritò reiicit Hieronymus, & communis, quia in illo capite, cum Iacobo & Ioanne, tanquam columnis modò Petrus dicitur, modò Cephas, quod nequit conuenire alteri; neque etiam alius quispiam ex discipulis septuaginta duobus tantæ fuisset authoritatis, vt suo exemplo reliquos Iudæos Antiochiæ, & maximè Barnabam Apostolum traheret ad imitationem sui. Vnde Tertullianus *de præscript. contra hæreticos, cap.* 23. *lib.* 4. *contra Marcionem, cap.* 2. *lib.* 5. *cap.* 3. Cyrillus Alexandrinus *lib.* 9. *contra Iulianum, in fine*, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, in prædictum locum epistolæ ad Galatas, Gregorius *homil.* 11. *in Ezechielem*, & omnes Scholastici, & interpretes.

76 *Interpretatio quorumdam reijcitur.*

*Non fuisse reprehensum aliquẽ ex septuaginta, sed Apostolum.*

Tertullian.

Cyrillus.

Chrysost.

Hieron.

Augustin.

Gregor.

Altera controuersia fuit de modo, quo obseruarunt Apostoli legalia, inter Hieronymum & Augustinum; dicit Hieronymus non licuisse ea obseruare, nisi ex simulatione quadam, & non ex animo, quia nempe erant mortifera. Contrà, Augustinus docet non fuisse mortifera, sed mortua, prædicato Euangelio: ex priori ratione dispensatoriæ simulationis intelligit ex condicto Apostolos certasse; vt Petrus, qui erat Apostolus Circũcisionis, ageret pro Iudæis, eorum infirmitatis curam gerens, eísque benignè condescendendo: Paulus verò, qui erat Apostolus Gentium, eodem modo condescendens ipsis, pro Gentibus staret, & vtrimque decertando instruerentur, tam Iudæi, quàm Gentiles. In eandem sententiam refert Hieronymus Græcos Patres, quos sequitur Adrianus *in* 4. *quæst.* 1. Cæterùm Augustinum sequuntur omnes posteriores interpretes Latini, & Scholastici, quin etiam ipse Hieronymus transiuit tandem in sententiam Augustini, vt infrà videmus, quod probationis loco sufficiet.

77 *Controuersia inter Augst. & Hieron.*

*Sententia Hieronymi.*

Probat ergo Doctor ex sententia Augustini Petrum verè, & non simulatorie fuisse reprehensibilem, quia ad Scripturam non est admittendum mendacium: sed dicit Paulus in ea Sciptura Petrum fuisse reprehensibilem: ergo ita fuit verè, & non simulatoriè: & subdit causam dignam reprehensione, effectũ ex ea redundantem: docet simulationi eius consensisse alios, & Barnabam. Accedit denique scopus Pauli in hac epistola, vbi disserit contra eos, qui cogebant Galatas ad legẽ obseruãdam & Circumcisionẽ; & initio capitis dicit Iudæos quosdã, dum esset Ierosolymis, subintrasse, vt

78 *Probatur sententia Augustini ex veritate Scripturæ infallibili.*

*Scopus Pauli.*

Nec videtur quòd reprehenſibilis erat, quia ſic obſeruabat legem, ſcilicet in diſcernendo cibos: quia & hoc non magis fuit mortiferum, quàm alia legalia, ſcilicet purificatio, & huiuſmodi.

15 *Duplex cauſa reprehenſionis Petri.*

Vel ergo dicetur reprehenſibilis fuiſſe, quia in illo actu obſeruabat legem, ſubtrahendo ſe à Gentibus in cibo, & potu: & quòd hoc non erat faciendum, videtur priùs ſibi fuiſſe dictum à Deo *Act.* 10. de Cornelio: vel quia priùs non obſeruans legem in hoc, coram Gentibus; poſtea venientibus Iudæis, etiam in hoc obſeruabat: & vtrumque iſtorum duorum poſſet poni multipliciter.

*Cauſa reprehenſionis Petri, examinatur.*

Primum enim poterat dici reprehenſibile, quia *ad quamcumque Eccleſiam veneris, illi te conformes*, ait Ambroſ. Auguſt. ergo reprehenſibile fuit in Eccleſia Gentium, non conformare ſe modo eorum viuendi, vel quia in hoc dabat occaſionem Gentibus ſeruandi legem: vel quia oſtendens facto illud eſſe neceſſarium, vel ſaltem neceſſarium ad hoc vt conuerſi ex Iudæis vellent communicare cum eis: & ſæpè inferiores facerent aliqua difficilia, ne excluderentur à communione ſuperiorum. Ad iſtum intellectum poteſt referri illa reprehenſio Pauli, *Gentes cogis iudaizare, Galat.* 2. *cap.* Vel oſtendendo eis exemplo, neceſſarium ſimpliciter fore eis ſeruare legem: vel fore neceſſarium eis, vt ſint digni communione Iudæorum fidelium; vel ſaltem laudabilius eis fore exempla maiorum imitando, quàm foret oppoſitum.

Secundum etiam poteſt intelligi, vel quia ſimulabat, non reputans hoc corde eſſe faciendum, quod fecit in opere. Ex primo enim facto, quod fecit in abſentia nuntiorũ Iacobi, apparuit quòd non ſenſit fore abſtinendum à Gentibus conuerſis ad fidem: & in ſecundo facto oſtendit, quòd hoc eſſet faciendum. Et ad iſtum intellectum poteſt referri illud verbũ Pauli, *ſimulationi eius conſenſerunt cæteri*, *Galat.* 2. Vel poſſet ſecundum dici reprehenſibile, quia non vtebatur auctoritate Prælati. Cùm enim eſſet ſuperior illis nuntiis Iacobi, magis debebat ipſe veritatem conſtanter tenere in opere, & eos adducere ad rectitudinem ſuam; quàm propter timorem eorum flecti ad illud, quod erat eis placitum, vel magis acceptum: & talis remiſſio, ſeu timiditas Prælati, eſt pro tempore reprehenſibilis, & ad iſtum intellectum poteſt referri, quod ait Paulus, *Galat.* 2. *Segregabat ſe ab aliis, timens circumciſos.* Non enim erat ibi verè timor, quia ſimpliciter licitum erat Iudæis non ſeruare legem; & maximè

*Galat. 2. Alia cauſa reprehenſionis.*

vt probarent libertatẽ noſtram, inquit; nempe pro veritate, & libertate Euangelij in Chriſto Ieſu, à ſeruitute legis; illi videlicet pro lege certabant, Paulus verò pro Euangelio; *quibus neque ad horam*, inquit, *ceſſimus ſubiectione, vt veritas Euangelij permaneat apud vos*: ſubdens mox authoritatem Euangelij, & ſuæ doctrinæ, quam prædicauit, collatione factâ cum primariis Apoſtolis, Petro, Iacobo, & Ioanne, qui nihil ei contulerunt, quantùm ad doctrinam, & veritatem Euangeli, dexteras iunxerunt, vt Paulus ad Gentiles pergeret, ipſi verò ad Circumciſionem: deinde ſubdit illud factum Petri Antiochiæ, & reprehenſionem à ſe datam, *quia reprehenſibilis erat.*

Ex quibus videtur clarum, nihil hîc factum 79
ſub ſimulatione; ſi reprehenſibilem aſſerit ſimulationem Petri, longe debet ipſe eſſe à ſimulatione. Accedit vlteriùs circumſtantia temporis, quo hæc reprehenſio, & cauſa eius contigerit poſt Concilium Ieroſolymitanum, in quo decretum eſt, ne iugum legis Gentibus conuerſis imponeretur; ac proinde ſegregatio illa Petri à Gentibus vt ſimularet obſeruantiam legis, videtur incongruè facta. Accedit quòd & antea ipſi fundauerit Eccleſiam Antiochenam, in qua ſeptem annis præſedit. Hinc ergo patet prima ratio, in qua reprehenſibilis videbatur Petrus, quia debebat Petrus ſe conformare Eccleſiæ, & moribus Eccleſiæ Antiochenæ, tum maximè quòd eam fundauerit: ſuo autem facto oſtendebat neceſſitatem legis obſeruandæ, vel ſimpliciter, vel ſaltem neceſſariam eſſe, vt communio Iudæorum conuerſorum ad fidem haberetur: vel denique factum illud interpretari poſſe tanquam melius, & perfectius foret conformare ſe exemplo maiorum, & ſpeciatim Petri, in obſeruatione legis, quam Iudæi conuerſi intentabant Gentibus imponere; vt patet ex variis locis Actorum, & ex hoc loco Pauli.

*Circumſtantia euacuant ſimulationem.*

*Effectus ſimulationis.*

Vel ſe undò, reprehẽſio referri poſſet ad ſimu- 80
lationem, quia corde non ſenſit, quod fecit eſſe neceſſarium; facto autem contrarium monſtrauit: ad quod referri poteſt illud: *ſimulationi eius conſenſerunt cæteri.* Vel tertiò denique, inquit Doctor, poſſet dici reprehenſibilis, quia ſuccubuit timori; & magis debuit prædicare veritatem illis nunciis Iacobi, quàm conformare ſe illis, qui erant inferiores, maximè Antiochiæ, & inter Gentes, ad quas ipſe aliàs, cum aliis Apoſtolis ſcripſit, eas non obligari ad legalia; quod exemplo etiam confirmaſſe debuit. Licèt ergo in facto fuerit peccatum, tamen perſona Petri excuſatur à graui lapſu, ſi vllus fuit, quia fortè ex inſtructione præſumebat nullum fore ſcandalum Gentium ex illa ſegregatione, quam vt Iudæos lucrifaceret, fecit, vel non aduertit, & factum illud ad perſonam Petri refertur, vt proceſſit ab intentione eius: quia licitum erat inter Iudæos ſeruare tantùm legem, quod & Paulus etiam fecit; licuit & inter Gentes non obſeruare; & notum fuit Iudæos adhuc perſeueraſſe in legis obſeruatione, & hoc ipſis fuiſſe licitum pro illo tempore, quia conſilium Ieroſolymitanum nihil de Iudæis ſtatuit: ratione ergo charitatis & humanitatis Petrus conformauit ſe illis nunciis Iacobi, non præſumens inde aliquod in Gentibus euenturum ſcandalum, neque præuidens, quia ipſi ex definitione Concilij, & prædicatione Apoſtolorum habuerunt regulam, cui ſe conformare deberent.

*Excuſatur Petrus.*

Cæterùm

ximè quando erant inter Gentes: & hoc debuit Petrus exemplo suo ostendere nuntiis illis, tanquam suis inferioribus.

16 De singulis istorum quatuor posset discuti qualiter, vel quantum esset reprehensibile: & si possint verba Pauli in Scriptura saluari ibidem *cap.* 2. meliùs est dicere, quòd quocumque istorum ibi fuisset, potiùs fuisse veniale, quàm mortale. Nec potest excusari Petrus, quòd hoc faceret propter scandalum Iudæorum vitandum: quia non erat ibi materia scandali perfectis, neque paruulis, sed tantùm Pharisæis; de quo scandalo non esse curandum, docet Christus Matth. 15. cui, cùm dixissent discipuli: *Scis quia audito hoc verbo Pharisæi scandalizati sunt*, scilicet de comedendo absque lotione manuum. Respondit, *quod enim intrat in os, non coinquinat hominem*, &c. quasi diceret, non curetis de illo scandalo. *Sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum.* Tale autem scandalum fuisset hoc, quia ex genere actus, nullus debuit scandalizari, nisi malè sentiens de libertate Euangelica. Nec per similem rationem de scandalo vitando, potest excusari Paulus in circumcidendo Timotheum, vel purificando se: quia nullum illicitum est committendum, propter scandalum quodcumque vitandum. Vnde *Extrau.* de regulis iuris, Qui scandalizauerit, *vtilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.* Ad minùs hoc verum est pro veritate vitæ in præceptis negatiuis semper, & pro semper: & in affirmatiuis, pro tempore, pro quo sunt adimplenda.

*Culpam Petri fuisse venialē, si aliqua fuit.*

*Matth. 15.*

*Hoc vrget Aug. contra Hieron.*

17 Breuiter ergo Paulus licitè inter Iudæos seruauit legalia, etiam multo tempore post tertium Concilium, & hoc fuit licitum: dum tamen ipse non poneret in eis spem, licèt nō esset vtile, nec necessarium.

*Quomodo licuit Paulo seruare legalia, longè post Euāgelij promulgationem.*

Inter Gentes autem Gentibus se conformauit: quia licuit sibi legem non seruare, pro illo secundo tempore Baptismi. Petrus autem in Ierosolyma seruans legem, non peccauit, quia licuit Iudæo, & inter Iudæos legem seruare tunc. In Antiochia autem inter Gentiles conuersos, non seruans legem, non peccauit: sed se conformans eis in cibis, & potibus, non peccauit: sibi enim licuit non seruare legem: peccauit autem postea segregans se ab eis in cibis, & potibus, propter aliquam quatuor rationum prædictarum, vt verba Pauli prædicta saluentur.

[ Et si quæras, quando fuit Circumcisio simpliciter illicita, etiam Iudæis conuersis?

*Non constare, quando legalia incepерunt esse illicita.*

Respondeo, quòd tempus illud non habemus in Scriptura aliqua, quia historica Scriptura non perducit Ecclesiam vltra

Cæterùm ipsum per se factum fuit reprehensibile ratione scandali, quod generari posset ex segregatione præfata à Gentibus: & hoc modo reprehendit Paulus factum. Hæc autem quæstio non est iuris, sed facti, in qua potuit esse error sine præiudicio personæ errantis.

Maior difficultas esset, si legalia essent mortifera, vt sensit Hieronymus, quia simulatio illa vix excusari posset, cùm sit in materia Religionis, & contineret falsum cultum, qui nullâ ratione admitti potest: meliùs ergo Augustinus admittit legalia fuisse licita, & non prohibita, quando ea obseruarunt Apostoli: ac proinde tandem ipse Hieronymus transiuit in sententiam Augustini; vt patet ex dialogo 1. contra Pelagianos: *Primum*, inquit, *quod dixit irreprehensibilis, aut nullus, aut rarus; quis est enim, qui non in pulchro corpore, aut næuum, aut verrucam habeat? si enim ipse Apostolus dicit de Petro, quòd non recto pede incesserit in Euangelij veritatem; & in tantum reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eandem simulationem; quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?* Idem docet ipse Augustinus epistola 260. ad Oceanum: *Sed quid hinc diutius*, inquit? *cùm de hac quæstione* (scilicet obseruantiæ legalium, & circa locum Pauli ad Galatas 2.) *inter nos ego, & prædictus Venerabilis frater Hieronymus satis literis egerimus, & in hoc opere recentissimo quod nomine Critoboli aduersùs Pelagium modò edidit, eandem de ista re gesta dictis Apostolicis sententiam tenuit, quam Beatissimi Cypriani etiam nos secuti sumus*, &c. Ex quibus patet Hieronymum, visis scriptis Augustini *in epistola* 19. mutasse sententiam, & adhæsisse Augustino: non est ergo quòd alij eam contra mentem ipsius Hieronymi defendere conentur.

81

*Retractatio Hieron.*

*Augustinus eandē retractationem vidit.*

Ad fundamenta adducta ab Hieronymo, patet illam suppositionem eius de inhibitione legalium non esse admittendam, nisi eo sensu, quo quis in eis spem poneret, & non in gratia Christi, quem sensum Paulus damnat, sicut & vsum conformem, de his plura moderni Doctores; sed compendio data solutio sufficit; non videntur enim aduertisse Hieroymum tandem mutasse sententiam.

k *Et si quæras, quando fuit Circumcisio simpliciter illicita Iudæis etiam conuersis*, &c. Respondet id incertum esse, & probabiliter dici posse ex toto fuisse inhibitam subuersa Ierosolyma, & templo, quod valde consentaneum est rationi, non durasse ampliùs, quia & Synagoga, & populus ille diuino iudicio, & sententia, tunc reprobatus & eiectus, libertatem, & legem amisit; cuius finis est vastitas, & solitudo: probabile ergo est durasse ipsis eousque tolerantiam legis, ita vt fieret eis licita, sed mortua; deinceps verò destructo regno, & distractis hinc inde Iudæis, & iis datis in reprobum sensum, atque ex alia parte, dilatatâ per vniuersum orbē Ecclesiâ, & explicatâ veritate, quæ per vmbras legis significabatur, iam ampliùs nullam habitam esse rationē Iudæorum, neque toleratam esse Circumcisionem. Probabile etiam est illud factum esse antè; quando autem, incertum est: vestigium eius inuenitur apud discipulos Apostolorum Ignatium, Iustinū, Dionysium, & desiuit vterque finis illius tolerantiæ, nempe ad vocationem magis facilem Iudæorum, & vt cum honore desineret lex illa à Deo data, quia primus ex obstinatione, & obcæcatione Iudæorum, atque reprobatione cessauit; vt quia

82

*Tempus quo Iudæorum legalia facta sunt mortifera.*

*Finis tolerantiæ cessauit.*

quintum annum Neronis, ſcilicet, non vltra triceſimum annum à paſſione Chriſti: & toto illo tempore etiam Iudæi conuerſi obſeruabant legem, quod eis licuit. Nec credo, quòd hoc fuerit omiſſum vſque ad euerſionem Ieruſalem, ſiue ad diſperſionem Iudæorum cum Gentibus, inter Iudæos conuerſos: tunc enim fortè conformabant ſe Gentibus, inter quas erant diſperſi, & ſic paulatim ceſſauit etiam apud eos obſeruatio.

Vel poteſt aliter dici, quòd Deus per Apoſtolos, vel ſucceſſores eorum, determinato tempore ſimpliciter prohibuit legalia ſeruari, licèt de hoc non habeamus in Scriptura: quia hiſtoria Scripturæ non datur, vel durat vſque ad illud tẽpus. Iſtud autem eſt probabile, quia Eccleſia tenet, quòd hæreſis eſt dicere legalia currere cum lege Euangelica, vt habetur *Extrau. de Baptiſmo, & eius effectu, c. Maiores*, vbi dicit Innocentius, *Abſit vt in illam damnatam hæreſim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & Circumciſionem cum Baptiſmo ſeruandam.* Non autem videtur, quòd Eccleſia hoc iudicaret hæreſim, ex ſola omiſſione Iudæorum quâdam neceſſitate diſperſionis, ſeu huiuſmodi non ſeruantium legem: ſed videtur quòd hoc fuit propter aliquam reuocationem ſimpliciter factam à Deo.

*Dicere nunc legalia non eſſe illicita hæreſis eſt.*

18 Ad argumenta pro opinione præcedente. Ad primum, cùm dicitur, quòd Circumciſio non fuit ante mortem Chriſti reuocata: verum eſt tanquam inutilis, & illicita, ſed benè tanquam relaxata, vt iam non eſſet neceſſaria: quia conſilium de alio remedio, relaxauit præceptum de priori. Ex quo enim ſecundum fuit remedium ſimpliciter, & conſulebatur, licuit, immò laudabiliter licuit, non vti remedio priori circa idem.

*Ad argum. num. 7. poſita Circumciſio ante paſſionem, relaxata non reuocata.*

Conſummatũ eſt, *explicatur.* Ad illud Ioan. 19. *Conſummatum eſt*; dico, quòd hoc intelligitur de his, quæ ſcripta ſunt de filio hominis, iuxta illud Lucæ 18. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de filio hominis.* Vel ſi illud referatur ad antiquam legem, ſic debet intelligi: Conſummatum eſt in cauſa. Nam mors Chriſti cauſa erat confirmationis legis Euangelicæ: ſed illa non fuit confirmata tanquam neceſſaria ad obſeruandum, ante prædicationem eius publicam, quæ non incepit in paſſione, ſed in Pentecoſte: tempore enim intermedio ſederunt in cœnaculo, nemini ſolenniter, vel publicè prædicantes.

19 Ad argumenta principalia. Ad primum dico, quòd in lege erant moralia, ſiue legalia, iudicialia, & cęremonialia: & quantùm nullus fuerit deinceps fructus prædicationis Euangelij inter ipſos. Secundus etiam deſiuit, declaratâ lege per veritatem, quam incluſit vbique iam perceptam, & curſu ſufficientis temporis tam Iudæis in Iudæa, quàm inter Gentes degentibus, atque ipſis Gentibus conuerſis prædicatam.

*Ad argum. 1. Tria genera præceptorũ in lege.*

Vnde ex natura rei deſiuit finis tolerantiæ, obtinente deinceps veritate Euangelicâ; & magis inualeſcẽte obcæcatione Iudæorum, qui ſalutem in Circumciſione ſtatuebant; vnde reddita eſt ipſa vt pernicioſa, & tanquam ſignum illius hæreſis diſtinctiuum; contra quam Paulus ſcripſit in ſuis epiſtolis: tranſlationem autem legis ſatis prædicauit Paulus in ſua epiſtola ad Hebræos. Declaratio illa, quam intendit Doctor factam, videtur etiam aliquouſque inſinuata in Apocalypſi Ioannis *cap. 2.* in epiſtola illa ad Angelum Smyrnenſis Eccleſiæ, qui ex probabiliori, & magis recepta opinione, fuit Polycarpus: *Blaſphemaris ab his qui ſe dicunt Iudæos eſſe, & non ſunt; ſed ſunt Synagoga Satanæ*, &c. Iudæus eſt nomen denotans cultum, & religionem, ad Romanos 2. *Non enim qui in manifeſto eſt*, &c. Negat ergo Chriſtus præfato loco Iudæos eſſe Iudæos, id eſt, qui ſe dicebant Iudæos, habere verè cultum & religionem, ſed eſſe Synagogã Satanæ; & prout Victorinus Martyr, aliique aſſerunt, quam colliget Antichriſtus, & quæ deſeruit Chriſtum promiſſum in lege, & Prophetis: & ſupponitur reprobatio iam facta Iudæorum: hi enim perſequebantur Eccleſiam, & Apoſtolos, ſpeciatim verò Polycarpum, vt conſtat ex epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ, ad Eccleſiam per Pontum, quam habet Euſebius *lib. 4. hiſt. cap. 14.*

*Obſeruatio reddita pernicioſa.*

*Inſinuata reuocatio legis.*

*Perſecutio Iudæorum in Polycarpum.*

Confirmari poteſt ex Canonibus Apoſtolorum; nam *Canone* 8. prohibetur Paſcha celebrari cum Iudæis, quam eſſe traditionem Apoſtolicam omnes concedunt, & Petrum ac Paulum ordinaſſe celebrandum in die Dominica: *Si quis*, inquit Ignatius epiſtola 8. ad Philippenſes, *cum Iudæis Paſcha celebrat, aut Symbola eorum recipit, particeps eſt eorum, qui Dominum occiderunt, & Apoſtolos eius*, &c. Canon etiam 63. prohibet ingreſſum in Synagogam Iudæorum, ad orandum: *Can. 69.* prohibet ieiunare cum Iudæis, id eſt, ieiunia legis, feſta eorum celebrare, xenia ab ipſis recipere, vt azyma, & ſimilia: Canon 70. prohibet lucernam accendere in Synagoga Iudæorum ſub feſtis eorum; aut oleum ad eandem Synagogam eodem tempore deferre; ſicut & eadem prohibet eadem facere in templo Gentilium ſub feſtis ipſorum; vt nempe tollatur omnis præſumptio cultus legis & idolorum. Aliqui etiam citant Bedam, & Dionyſium Carthuſianum aſſerẽtes terminum obſeruãtiæ legalis Iudæis cõuerſis fuiſſe poſitum, quamdiu ſtaret templũ, & ſacrificia Ieroſolymis,

*Confirm. Ex Canon. Apoſtolorum.*

84 Reſponſiones ad argumenta ſuperiùs attigimus explicando controuerſiam de morte legalium, quæ clarè, & fundatè hîc explicat Doctor: nam conſummatio facta in Cruce intelligitur, vel de iis quæ de filio hominis erant ſcripta, vt patet Lucæ 12. *Ecce aſcendimus Ieroſolymam*, &c. & aliis locis ſuprà citatis: vel de conſummatione in cauſa, vt etiam S. Bonauentura & alij ſuprà citati explicant, non tamen in effectu donec lex promulgaretur.

*Reſponſio ad argumenta.*

Argumenta etiam principalia, vt illud: *Non veni ſoluere legem, ſed adimplere*, intelligitur vniuerſaliter; primùm quantùm ad moralia, quæ manent perfectiùs explicata. Iudicialia manent non in ſe, ſed in æquiualenti, quantùm ad finem pacis

*Quomodo adimpleta lex?*

tùm ad quodlibet istorum, potest intelligi verbum Christi, *Non veni soluere*, &c. quia Decalogus simpliciter manet, sed perfectiùs exponitur, quàm Iudæi intelligunt, vt patet Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis: Non occides. Ego autem dico vobis, Quicumque dixerit fratri suo Racha, &c. Et, Non mœchaberis, &c. Ego autem dico vobis, Quicumque viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c.*

*Matth. 5. Quomodo Christus non soluit legem veterem?*

*Iudicialia quomodo nũc manent. De his 3. d. 40.*

Iudicialia autem manent, non in se, sed in æquipollenti, quantùm ad finem. Finis enim iudicialium erat pacifica cohabitatio hominum; mores autem Euangelici plus valent ad pacificam conuersionem, quàm lex talionis: magis enim seruatur pax si non percutias percutientem, quàm si oculus pro oculo, & dens pro dente reddatur. Vnde breuiter nullum iudiciale illius legis (quia illius legis) ligat nunc: licèt tamen benè Principibus nunc statuere aliqua, quæ erant in lege Moysi: & illa ligant auctoritate Principis, nunc statuentis, non auctoritate legis veteris. Sicut licet vni Regi in regno suo statuere legem, quæ est in alio regno: sed illa non ligat ibi, quia lex est alterius regni, sed quia instituta hîc ab isto Rege.

pacis publicæ, quæ perfectiùs per Euangelicam legem seruatur. Cæremonialia non manent in se, sed in suis significatis; non soluit Circumcisionem, aut legem quoad fructum, sed multò abundantiùs in perfectiori retenta est. Quòd Christus fuerit circumcisus, fuit propter adimpletionem legis, quæ tum durauit antequam alia statuta est: sic etiam quæ erant legis naturæ, perficiebantur circa Moysen, donec lex in Sinaï data est: intelligit de sacrificiis, non de Circumcisione, quia Moyses circumcisus est. Ad secundum dicitur fœdus sempiternum, vel cum particulari genere Abraham, quia aliud specialiter non fuit datum, vel certè, vt quidam volunt cum Cyrillo, fuit sempiternum donec ex natura sua reuocaretur, ex diuersa conditione, & statu generis humani; & hoc etiam insinuat Doctor: vel intelligitur æquiualenter, vt dicit Augustinus, quòd lex noua fuit reuelatio verbis legis, in eáque continebatur, sicut in semine fructus.

*Cæremonialia manèt in suis significatis.*

Cæremonialia autem non manent in se, sed in suis significatis: quia vmbra transiit, & veritas successit. Omnes enim illæ purificationes significabant purificationem à peccato, & illæ oblationes figurabant oblationem perfectam Christi, & actus quosdam latriæ, fidei, spei, & charitatis in Deum: & hæc sunt completa, hostiâ illâ iam oblatâ: & per eam peccatis purgatis, & mentibus in cultum Dei directis.

Dico ergo, quòd non venit soluere legem, vel Circumcisionem, quantùm ad fructum, ad quem erat instituta, imò perfecit eam, copiosius remedium, & longè perfectius instituendo, vt dictum est in declarando suppositum istius quæstionis.

*Ad confirm.*

20 Ad confirmationem, cùm dicitur, Christus in se fuit circumcisus. Respondeo, non oportuit legislatorem, statim circa natiuitatem suam legem ferre. Et ideò in principio sui temporis lex prior adhuc durauit: vnde & illa, quæ fuerunt legis naturæ, fuerunt obseruanda circa Moysem, vsque ad tempus dationis legis in monte Sinaï: ita hîc. Et eodem modo potest dici de agni Paschalis comestione in cœna, quia in morte Christi causaliter expirauit lex vetus, licèt non pro tunc, sed pro tempore publicationis huius causæ, & legis Euangelicæ: & ideò vsque ad mortem, potuit Christus licitè illa cæremonialia seruare.

*In morte Christi causalitèr cessauit lex.*

*Ad 2. Circumcisionem fuisse fœdus sempiternum, dupliciter exponitur.*

Ad secundum, potest exponi fœdus sempiternum, in se, vel in æquiualente: vel fortè magis ad intellectum literæ, quòd erat fœdus sempiternum inter Deum, & Abraham, & specialiter eius semen: quia numquam fuit aliud signum specaliter inter Deum, & illud genus: & tamen futurum erat aliquod signum fœderis, inter Deum, & totum genus humanum: & melius erat semini Abrahæ transire in illud fœdus commune, quàm remanere sub signo fœderis specialis: quia melius est partem esse in toto, cui simpliciter benè sit, quàm esse distinctum à cæteris partibus, vt sibi aliqualiter benè sit, & aliis malè.

*Ad 3.*

Ad tertium patet, quia quantùm ad Gentiles conuersos, præceptum de Circumcisione erat reuocatum in tertio Concilio, auctoritate Petri, & Iacobi, imò Spiritus sancti, quia ait Iacobus: *Visum est nobis, & Spiritui sancto.* Quantùm autem ad Iudæos, supponitur aliquando reuocata, licèt tempus reuocationis non fuerit simpliciter explicitum in Scriptura.

*Act. 15.*

*Ordinem hactenus obseruatum, vbi Commentarius R. P. F. Hiquæi Quæstionibus Doctoris Subtilis è regione positus, abhinc nonnihil immutatum inuenies. Ne mireris, id enim in solatium tuum futurum nobis visum est. cùm prior ordo, quem putauimus fore clariorem faciliorémque, ex postfacto repertus fuerit obscurior, atque difficilior.*

# DISTINCTIO QVARTA.

A Hîc dicendum eſt, aliquos ſuſcipere Sacramentum, & rem Sacramenti, aliquos Sacramentum, & non rem, aliquos rem, & non Sacramentum. Sacramentum & rem ſimul ſuſcipiunt omnes paruuli, qui in Baptiſmo ab originali mundãtur peccato: quamuis quidam diffiteantur, illis qui perituri ſunt paruulis, in Baptiſmo dimitti peccata, innitentes illi verbo Auguſtini: [Sacramenta in ſolis electis efficiunt quod figurant:] non intelligentes illud ita eſſe accipiendum, quia cùm in aliis efficiant Sacramenta remiſſionem, non hoc eis faciunt ad ſalutem, ſed ſolis electis. Nam quòd omnibus paruulis in Baptiſmo remittatur peccatum per Baptiſmum, Auguſtinus euidenter dicit: [A paruulo, inquit, recenter nato vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibetur à Baptiſmo, ita nullus eſt, qui non peccato moriatur in Baptiſmo: ſed paruuli tantùm originali, maiores verò etiam omnibus, quæ malè viuendo addiderunt ad illud, quod naſcendo traxerunt, niſi enormitas vitæ impediat.] Adulti quoque qui cum fide baptizantur, Sacramentum & rem ſuſcipiunt.

*Lib. de Bapt. paru. 2. c. 27. In Ench. c. 43. to. 3. Habentur de conſecr. diſt. 4. à paruu. Comment. ad 16. cap. Ezech. ſup. illud*, In aqua non eſt lota, *& citatur in gloſſ. ibid.*

## *De fictè accedentibus.*

B QVi verò ſine fide, vel fictè accedunt, Sacramentum, non rem ſuſcipiunt. Vnde Hieronymus: [Sunt lauacra gentilium, hæreticorum: ſed non lauant ad ſalutem. In Eccleſia etiam, qui non plenâ fide accipiunt Baptiſma, non Spiritum, ſed aquam ſuſcipiunt.] Auguſtinus etiam ait, [Iudæis omnibus communia erant Sacramenta, ſed non communis omnibus erat gratia, quæ eſt virtus Sacramentorum: ita & nunc communis eſt Baptiſmus omnibus baptizatis, ſed non virtus Baptiſmi, id eſt, ipſa gratia.] Item, [Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, cùm accedit ad Sacramentum fidelium, niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non poteſt inchoare. Ab hac pœnitentia, cùm baptizantur, ſoli paruuli immunes ſunt. His aliiſque teſtimoniis apertè oſtenditur, adultis ſine fide, & pœnitentiâ verâ in Baptiſmo non conferri gratiam remiſſionis: quia nec paruulis ſine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in Baptiſmo remiſſio. Si quis ergo fictè accedit, non habens veram cordis contritionem, Sacramentum ſine re accipit. Videtur tamen Auguſtinus dicere, quòd etiam fictè accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipſo momento quo baptizatur, omnia condonentur peccata, & poſt Baptiſmum mox redeant. Sed non hoc aſſerendo dicit, imò hanc opinionem, & præmiſſam ſententiam conferendo. Ait enim ſic: [His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur: quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: aut in ipſo temporis puncto per vim Sacramenti dimiſſa, iterum per fictionem replicantur: vt etiam illud verum ſit, Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, &c. & illud, Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: vt induat eum Chriſtum ſanctitas Baptiſmi, & exuat eum Chriſtum pernicies fictionis. Nam redire dimiſſa peccata, vbi fraterna charitas non eſt, apertè Dominus docet etiam in illo ſeruo, à quo dominus dimiſſum debitum petiit, quia ille conſeruo dimittere noluit. Sic non impeditur Baptiſmi gratia,

*Hieronym. Enarrat. in Pſalm. 77. in princip. Aug. lib. de Pœnit. medicina, c. 2. tom. 9. Et ponitur de conſecr. diſt. 4. cap.* Omnis qui. *Lib. de Bapt. cõtra Donatiſt. 1. c. 12. to. 7. de conſecr. diſt. 4. cap.* Quomodo Deus, *in fine.*

*Sap. 1. c.*

*Matt. 18. d.*

gratia, quo minùs omnia peccata dimittantur, etiam si fraternum odium in eius,cui dimittuntur,animo perseuerat. Soluitur enim hesternus dies, & quicquid supereſt,& soluitur etiam ipsa hora momentúmque ante Baptismum,& in Baptismo. Deinceps autem continuò reus incipit esse non solùm consequentium,sed etiam præteritorum dierum,horarum, momentorum,redeuntibus omnibus, quæ dimissa sunt.] Hoc autem,vt prædiximus, non sub assertione dixit: quod ostenditur ex eo, quòd ait in eodem libro sic, [Si ad Baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa: eligant quod voluerint.] Ecce apertè cernis,si tamen attendis,id dixisse Augustinum non asserendo, sed quærendo, & aliorum opinionem referendo. Idem enim ait, [Tunc valere incipit ad salutem Baptismus,cùm illa fictio veraci confessione recesserit: quæ corde in malitia perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri.] Non ergo fictè accedenti peccata dimittuntur.

*In init. c. 12. De consec. dist. 4. c.* Ostenditur illos, *circa med. Ibid. & de consec. d. 4. tunc valere.*

## *Quomodo intelligatur illud: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis.*

C QVæritur ergo, quomodo illud accipiatur, Quotquot in Christo baptizati estis,Christum induistis? Potest dici,quòd qui in Christo,id est, in Christi conformitate baptizantur, scilicet vt moriantur vetustati peccati, sicut Christus vetustati pœnæ, induunt Christum,quem per gratiam inhabitantem habent. Potest & aliter solui. Duobus enim modis Christum induere dicimur, vel assumptione Sacramenti, vel rei perceptione. Vnde Augustinus. [Induunt homines Christum aliquando vsque ad Sacramenti perceptionem,aliquando vsque ad vitæ sanctificationem: atque illud primum bonis & malis,potest esse commune,hoc autem est proprium bonorum & piorum.] Omnes ergo, qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, vel secundùm Sacramenti perceptionem,vel secundùm vitæ sanctificationem.

*Gal. 3. d. Rom. 6. a.*

*Aug. lib. de Bapt. cõtra Donat. 5. c. 24. tom. 7.*

## *De illis qui suscipiunt rem, & non Sacramentum.*

D SVnt & alij, vt suprà posuimus, qui suscipiunt rem,& non Sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Iesu,etsi non Sacramentum, rem tamen accipiunt. Vnde Augustinus. [Quicumque non percepto regenerationis lauacro, pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismi.] Audistis quòd passio pro Christi nomine susceptа, supplet vicem Baptismi. Nec tantùm passio vicem Baptismi implet,sed etiam fides & contritio, vbi necessitas excludit Sacramentum, sicut apertè docet Augustinus,dicens: [Baptismi vicem aliquando implere passionem,de latrone illo, cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso; Beatus Cyprianus non leue documentum assumit. Quòd etiam,atque etiam ego considerans,inuenio non tantùm passionem pro nomine Christi, id quod ex Baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionémque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum; nec quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum ergo valeat, etiam sine visibilis Baptismi Sacramento, quod Apostolus ait: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem; in illo latrone declaratũ est.

*13. cin. c. 7. & Bern. ep. 77. ante medium.*

*Lib. 4. de Bapt. cõtra Donat. c. 22. in init. tom. 7. Luc. 23. f. In epist. ad Iubaianum circa fin. & de consecr. dist. 4.* Baptismi vicem. *Rom. 10. b.*

eſt. Sed tunc impletur inuiſibiliter, cùm myſterium Baptiſmi non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.] [Et Baptiſmus quidem poteſt eſſe vbi conuerſio cordis defuerit: conuerſio autem cordis poteſt quidem ineſſe non percepto Baptiſmo, ſed contempto Baptiſmo non poteſt: nec vllo modo dicenda eſt conuerſio cordis ad Deum, cùm Dei Sacramentum contemnitur.] Ecce hîc habes, non ſolùm paſſionem, ſed etiam fidem & contritionem conferre remiſſionem, vbi non contemnitur Sacramentum: vt in latrone illo oſtenditur, qui non per paſſionem, ſed per fidem ſaluatus eſt, ſine Baptiſmo. Sed dicunt quidam hoc retractaſſe Auguſtinum. Retractauit quidem exemplum, ſed non ſententiam. Ait enim in 4. libro de Baptiſmo. [Cùm dicerem vicem Baptiſmi poſſe habere paſſionem, non ſatis idoneum poſui illius latronis exemplum, quia vtrùm non fuerit baptizatus, incertum eſt.] Conſtat ergo ſine Baptiſmo aliquos iuſtificari & ſaluari. Vnde Ambroſius de Valentiniano, [Ventrem meum doleo, vt prophetico vtar eloquio, quia quem regeneraturus eram, amiſi: veruntamen gratiam, quam ille poposcit, non amiſit.]

*Aug. ibid. cap. 25.*

*Aug. lib. 2. Retr. c. 18.*

*Cap. 22. cõtra Donat. lib. de obitu Valẽt. paulò ante med. tom. 3. Ier. 4. c.*

## *Quæ videntur obuiare prædictis.*

EHis autem videtur obuiare quod Dominus dicit, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt intrare regnum cœlorum: quod ſi generaliter verum eſt, non videntur eſſe vera ſuperiùs poſita. [Sed illud intelligendum eſt de illis, qui poſſunt & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum eſt, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, id eſt, ex ea regeneratione, quæ fit per aquam & Spiritum ſanctum, non ſaluabitur. Illa autem regeneratio fit non tantùm per Baptiſmum, ſed etiam per pœnitentiam & ſanguinem.] Vnde Auctoritas dicit, [Ideò Apoſtolum pluraliter dixiſſe fundamentum Baptiſmatum, quia eſt Baptiſmus in aqua, in ſanguine, in pœnitentia.] Hoc autem non ideò dicit, quòd Sacramentum Baptiſmi fiat non niſi in aqua, ſed quia ipſius virtus, id eſt, ſanctificatio, datur non modò per aquam, ſed per ſanguinem, vel pœnitentiam interiùs. Ratio etiam id ſuadet. Si enim non valentibus credere paruulis ſufficit Baptiſmus, multò magis ſufficit fides adultis volentibus, ſed non valentibus baptizari. Vnde Auguſtinus. [Quæris quid ſit maius, fides an aqua? non dubito quin reſpondeam, fides. Si ergo quod minus eſt ſanctificare poteſt, nónne quod maius eſt, id eſt, fides? de qua Chriſtus ait, Qui crediderit in me etiam ſi mortuus fuerit, viuet.] Sed dicunt aliqui, nullum adultum in Chriſtum credere, vel charitatem habere ſine Baptiſmo, niſi ſanguinem fundat pro Domino, ſubdita introducẽtes teſtimonia. Auguſtinus ait. [Ex illo tempore quo Saluator dixit; Niſi quis renatus fuerit, &c. abſque Sacramento Baptiſmi, præter eos qui in Eccleſia ſanguinem fundunt, aliquis vitam æternam accipere non poteſt.] Item, [Nullum Catechumenum, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi tota Sacramenta Baptiſmi complentur.] Item, [Baptizatis tantùm iter ſalutis eſſe credimus.] Sed quod in his minùs dixit, in aliis capitulis ſuprapoſitis ſuppleuit. Et ideò hæc ſic intelligenda ſunt, vt ſoli habentes tempus baptizandi excipiantur: ſi enim aliquis habens fidem & charitatem voluerit baptizari, & non valet neceſſitate præuentus, ſupplet omnipotentis benignitas, quòd Sacramento defuerat. Dum enim ſoluere poteſt, niſi ſoluat, tenetur: ſed cùm iam non poteſt, & tamen vult, non imputat ei Deus,

*Ioan. 3. a. Bern. epiſt. 77. & eſt ad Hugon.*

*Gloſ. ſuper epiſt. ad Hebr. 6. a.*

*Auguſt. de vnico Bapt. Et Hugo lib. 1. part. 6. cap. 4. Ioan. 11. a.*

*Lib. de fide ad Petr. c. 3. Ioan. 3. a. Aug. de Eccleſiaſt. dogm. c. 74. Ibid.*

Deus,qui ſuam potentiam Sacramentis non alligauit, Quòd verò inuiſibilis ſanctificatio ſine viſibili Sacramento quibuſdam inſit, apertè Auguſtinus tradit ſuper Leuit. dicens, [inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe, & profuiſſe ſine viſibilibus Sacramentis. Viſibilem verò ſanctificationem, quæ fit Sacramento viſibili,ſine inuiſibili,poſſe adeſſe,non poſſe prodeſſe,nec tamen viſibile Sacramentum ideò contemnendum eſt,quia contemptor eius inuiſibiliter ſanctificari non poteſt.Hinc Cornelius,& qui cum eo erant,iam Spiritu ſanctificati baptizati ſunt. Nec ſuperflua iudicanda eſt ſanctificatio viſibilis, quia inuiſibilis præceſſit. Sine viſibili ergo inuiſibilis ſanctificatio eſſe poteſt, & prodeſſe: viſibilis autem quæ fit Sacramento tenus, ſine inuiſibili prodeſſe non poteſt, cùm iſta ſit omnis illius vtilitas. Simoni Mago viſibilis Baptiſmus non profuit, quia inuiſibilis non affuit: ſed quibus inuiſibilis affuit, profuit:] nec tantum valet fides aliena paruulo, quantum propria adulto. Paruulis enim non ſufficit fides Eccleſiæ ſine Sacramento, qui ſi abſque Baptiſmo fuerint defuncti, etiam cùm deferuntur ad Baptiſmum, damnabuntur, ſicut multis Sanctorum auctoritatibus comprobatur. At quòd hoc vnum ſufficiat, Auguſtinus ait, [Firmiſſimè tene paruulos, qui vel in vteris matrum viuere incipiunt, & ibi moriuntur, vel de matribus nati ſine Sacramento Baptiſmi de hoc ſæculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos: quia etſi propriæ actionis peccata non habuerunt,originale tamen peccatum traxerunt, carnali concupiſcentiæ conceptione.] Et ſicut paruuli, qui ſine Baptiſmo moriuntur, infidelium adſcribuntur numero: ita qui baptizantur fideles dicuntur, qui à fidelium conſortio non ſeparantur, cùm orat Eccleſia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo ſunt non propter virtutem, ſed fidei Sacramentum. Vnde Auguſtinus, [Paruulum etſi nondum fides illa,quæ etiam in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen fidei ipſius Sacramentum, id eſt, Baptiſmus fidelem facit,ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei percipiendo Sacramentum.]

*Aug. c.84. tom.4.*

*Act.10.a.*

*Act.8.e.*

*Aug. lib.de fide adPetr. cap.27.*

*Habetur de conſec. diſt. 4. cap.* Firmiſſimè.

*Aug.ep.ad Bonif. quæ eſt 23.to.2. de conſec. diſt.4. cap.* Nihil eſt aliud.

## *Quid proſit Baptiſmus his qui cum fide accedunt?*

F SOlet etiam quæri de illis, qui iam ſanctificati Spiritu, cum fide & charitate ad Baptiſmum accedunt, quid eis conferat Baptiſmus? Nihil enim eis videtur præſtare, cùm per fidem & contritionem iam remiſſis peccatis iuſtificati ſunt. Ad quod ſanè dici poteſt, eos quidem per fidem & contritionem iuſtificatos, id eſt, à macula peccati purgatos,& à debito æternæ pœnæ abſolutos: tamen adhuc teneri ſatisfactione temporali, quâ pœnitentes ligantur in Eccleſia. Cùm autem Baptiſmum percipiunt, & à peccatis, ſi qua interim poſt conuerſionem contraxerunt,mundantur,& ab exteriori ſatisfactione abſoluuntur,& adiutrix gratia, omníſque virtus in eo augetur, vt verè nouus homo tunc dici poſſit. Fomes quoque peccati in eo ampliùs debilitatur. Ideò Auguſtinus dicit, quòd fides quæ fideles facit,in aquis Baptiſmi datur, vel nutritur: quia non habenti aliquando ibi datur, & iam habenti, vt pleniùs habeat, datur: ſic & de aliis intelligendum eſt. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior,& omni habenti ibi ampliùs datur. Quòd verò omnis exterior ſatisfactio ibi relaxetur, Ambroſius oſtendit ſuper illum locum, Sine pœnitentia ſunt dona Dei, & vocatio,dicens, [Gratia Dei in Baptiſmo non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus: ſed & omnia gratis condonat.]

*Aug.hom. 74.ſupr. Ioan.*

*Matt.25.c Rom.11.d.*

*Tom.5. non longè à fine comm. ad cap.11. ad Rom.*

*Et de conſec. diſt. 4. Sine pœnitentia.*

condonat.] Quod quidem de exteriori gemitu, vel planctu accipiendum eſt. Nam ſine interiore nemo adultus renouatur: ſed exteriores ſatisfactiones, & afflictiones, ſcilicet ſordes pœnitentium ibi dimittuntur. Multum ergo confert Baptiſmus, etiam iam per fidem iuſtificato: quia accedens ad Baptiſmum, quaſi ramus à columba portatur in arcam: qui antè intus erat iudicio Dei, ſed nunc etiam iudicio Eccleſiæ intus eſt. Cùm verò in Baptiſmo peccatum deleatur, & ſatisfactio exterior non imputetur: quæritur, Cur pœnalitas, cui pro peccato addicti ſumus, non tollatur? Hoc ideò tradunt fieri viri Sancti, [quia ſi à pœna homines per Baptiſmum liberarentur, ipſam putarent Baptiſmi pretium, non æternum regnũ. Ideò ſoluto reatu peccati, temporalis pœna tamen manet: vt illa vita ſtudioſiùs quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena.] Ideò etiam manet, vt ſit fideli & certandi materia, & vincendi occaſio, qui non vinceret, ſi non pugnaret; nec pugnaret, ſi in Baptiſmo fieret immortalis.

*Gen. 8. b.*

*Iſid. lib. 1. de ſummo bono, c. 24.*

*Aug. lib. 13. de ciu. Dei, cap. 4.*

## *Cuius rei Baptiſmus, qui datur iam iuſto, ſit Sacramentum?*

G SI quæritur, Cuius rei Baptiſmus ille ſit Sacramentum, qui datur iam iuſto? Dicimus Sacramentum eſſe & rei, quæ præceſſit, id eſt, remiſſionis antè per fidem datæ, & remiſſionis temporalis pœnę, ſiue peccati, ſi habetur, quod interim committitur, & nouitatis ac omnis gratiæ ibi præſtitæ. Omnis etenim rei ſignum eſt, cuius cauſa eſt. Nec mireris rem aliquando præcedere Sacramentum, cùm aliquando etiam longè pòſt ſequatur; vt in illis, qui fictè accedunt: quibus, cùm poſtea pœnituerint, incipiet Baptiſmus prodeſſe: in quibus fuit Baptiſmus Sacramentum huius ſanctificationis, quam pœnitendo habent. Sed ſi nunquam pœniterent, nec à figmento recederent: cuius rei Sacramentum eſſet Baptiſmus ab illis ſuſceptus? Poteſt dici, rei quæ ibi fieret, ſi non eorum enormitas impediret.

## *Si paruulis datur in Baptiſmo gratia, quâ poſſũt in maiore ætate proficere?*

H SOlet etiam quæri, Si paruulis in Baptiſmo datur gratia, quâ cùm tempus habuerint vtendi libero arbitrio, poſſint benè velle & currere? De adultis enim, qui dignè recipiunt Sacramentum, non ambigitur quin gratiam operantem & cooperantem perceperint: quæ in vacuum eis cedit, ſi per liberum arbitrium pòſt mortaliter deliquerint: qui merito peccati gratiam appoſitam perdunt. Vnde dicuntur contumeliam Spiritui ſancto facere, & ipſum à ſe fugare. De paruulis verò, qui nondum ratione vtuntur, quæſtio eſt, An in Baptiſmo receperint gratiam, quâ ad maiorem venientes ætatem poſſint velle, & operari bonum? Videtur quòd non receperint: quia gratia illa charitas eſt, & fides, quæ voluntatem præparat & adiuuat. Sed quis dixerit eos accepiſſe fidem & charitatem? Si verò gratiam non receperint, quâ benè operari poſſunt, cùm fuerint adulti, non ergo ſufficit eis in hoc ſtatu gratia in Baptiſmo data, nec per illam poſſunt modò boni eſſe, niſi alia addatur: quæ ſi non additur, non ex eorum culpa, quia iuſtificati * ſunt à peccato. Quidam putant gratiam operantem & cooperantem cunctis paruulis in Baptiſmo dari in munere, non in vſu: vt cùm ad maiorem venerint ætatem, ex munere ſortiantur vſum, niſi per liberum arbitrium vſum muneris extinguant peccando, & ita ex culpa eorum eſt, non ex defectu gratiæ, quòd mali fiunt: qui ex Dei munere valentes habere vſum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, & vſum prauum elegerunt.

*2. Cor. 6. a. Heb. 10. f.*

*aliàs, non ſunt.*

ORDO

## ORDO QVÆRENDORVM.

POSTQVAM [a] Magiſter egit de Baptiſmo quantùm ad eius intrinſeca, hîc agit de ſuſcipientibus Baptiſmum, & conſiſtit tota determinatio iſtius diſtinctionis in declarando, quandam diſtinctionem trimembrem de ſuſcipientibus, quæ eſt, quòd aliqui recipiunt Sacramentum, & rem: aliqui Sacramentum, & non rem: aliqui rem, & non Sacramentum, & diuiditur in tres. In prima, huius diuiſionem ponit. In ſecunda, eam exponit. In tertia, circa eam dubitationes mouet, & ponitur ſecunda ibi: *Sacramentum, & rem.* Tertia ibi: *Solet quæri de illis.* Prima pars manet indiuiſa. Secunda diuiditur in tres, ſecundùm tria membra, quæ declarat. Secundum membrum ibi: [ *Si verò ſine fide.* ] Tertium ibi: [ *Sunt & alij.* ] Et vtraque iſtarum partium habet duas: quia primò declarat veritatem. Secundò obiicit, & ſoluit, & contra dicta in declaratione ſecundi membri ponit duas obiectiones. Prima eſt ex auctoritate Auguſtini, ibi: [ *Videtur tamen Auguſt.* ] Secunda ex auctoritate Apoſtoli, ibi: [ *Quæritur quomodo.* ] Contra etiam dicta in declaratione tertij membri ponit duas dubitationes. Prima, ibi: [ *Eis autem videtur:* ] Secunda ibi: [ *Sed dicunt aliqui.* ] Tertia pars principalis, diuiditur in duas, ſecundùm duas dubitationes, quas mouet. Prima mouetur circa tertium membrum, & ponitur ibi: [ *Solet quæri*, &c. ] Secunda mouetur circa ſecundum membrum, ibi: [ *Solet etiam quæri.* ] Primum membrum, ſcilicet ſuſcipere rem, & Sacramentum, certum eſt quòd conuenit paruulis. Secundum, recipere Sacramentum, & non rem, certum eſt quòd tantùm conuenit adultis. Tertium membrum, poteſt competere vtriſque, quia vtrique poſſunt habere Baptiſmum ſanguinis, & flaminis. Secundùm hoc ergo, primò quærendum eſt de paruulis. Secundò de adultis. Tertiò ſimul de vtriſque. Quantùm ad paruulos tria quæro. Primò, Vtrùm paruuli ſint baptizandi? Secundò, Vtrùm paruuli baptizati recipiant effectum Baptiſmi? Tertiò, Vtrùm paruulus exiſtens in vtero matris poſſit baptizari?

## COMMENTARIVS.

*Ordo diſt.*

[a] *Poſtquam Magiſter*, &c. Poſtquam in prioribus cum Magiſtro expoſuit extrinſeca Baptiſmi, quantum ad formam, materiam, definitionem, inſtitutionem, nunc proximè agit de ſuſcipientibus Baptiſmum, qui ſunt infantes, & adulti, ad quos poſſit tripliciter comparari, vel vt recipiunt Sacramentum tantùm; vel ſecundò, vt recipiunt rem Sacramenti; vel tertiò, vt recipiunt Sacramentum, & rem Sacramenti ſimul. Suſcipere Sacramentum tantùm, & non rem, competit ficto: Sacramentum verò & rem Sacramenti ſuſcipiũt infantes, & adulti, qui ſine fictione accedunt; rem Sacramenti ſine ipſo Sacramento ſuſcipiunt, qui baptizantur Baptiſmo flaminis, & ſic decedunt ſine Baptiſmo fluminis, cuius non eſt copia. Item, qui in ſanguine baptizantur propter Chriſtum, vt qui Martyrio ante Baptiſmum afficiuntur. Hîc triplex modus ſuſcipiendi Baptiſmum patet ex locis Auguſtini, & Hieronymi in litera citatis à Magiſtro.

*Triplex modus ſuſcipiẽdi Baptiſmum.*

*Diuiſio diſtinctionis.*

Tractatum vniuerſum abſoluit Doctor nouem quæſtionibus, prima pars eius eſt de Baptiſmo infantium; continet tres quæſtiones; prima, *An ſint baptizandi?* ſecunda, *An recipiant effectum Baptiſmi?* tertia, *An in vtero materno poſſint baptizari?* Secunda pars eſt de adulto, & cõtinet quartam & quintam quęſtionem: *Vtrùm non conſentiens recipiat effectum Baptiſmi? Vtrùm fictus recipiat eundem?* Tertia pars eſt de vtriſque, ad quam ſpectat quæſtio ſexta & ſeptima: *Vtrùm iuſtificati teneantur ad Baptiſmum? Vtrùm omnes baptizati æqualiter recipiant effectum Baptiſmi?* Quarta pars continet octauam & nonam: prima eſt de paruulo expoſito. Secunda paruulis Iudæorum, & infidelium.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm paruuli [b] ſint baptizandi?*

Alenſ. 4. *p. q.* 17. *m.* 1. D. Bonau. *hîc* 2. *p. art.* 2. *q.* 1. & 2. Richard. *art.* 1. *q.* 2. D. Thom. *q.* 6. & 3. *p. q.* 69. *art.* 6. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 25. *ſect.* 1. & 2. Aug. 6. *contra* Iulian. 5. Concil. Mileuit. 2. Lateran. *c. Maiores, de Bapt.* Clem. 1. *de ſum. Trin.* Trident. *ſeſſ.* 5. *de pecc. orig.* & *ſeſſ.* 7. *can.* 12. 13. Coccius *latè* 2. *tom. lib.* 5. *art.* 6.

AD primum arguitur, quòd non; quia Baptiſmus eſt remedium contra peccatum: ſed paruuli non habent peccatum, quia neq; vſum rationis, vel voluntatis: & ſecundùm Auguſtinum de vera Religione, *Peccatum adeò eſt voluntarium, quòd ſi non ſit voluntarium, non eſt peccatum:* ergo, &c. 1 *Magiſt.* 1. *Argum.* 1.

Item Matth. vlt. *Qui non crediderit, condemnabitur.* Paruulus non poteſt credere: ergo per Baptiſmum non poteſt ſaluari: ergo fruſtrà baptizatur. *Argum.* 2.

*Ratio ad opp.* Contrà, Augustinus de fide ad Petrum: *Firmissimè tene, paruulos, qui sine Sacramento Baptismi de hoc sæculo transeunt, æterno supplicio puniendos: quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt.*

## COMMENTARIVS.

1 *Explicatio quæstionis.* b *Vtrùm paruuli*, &c. Hæc quæstio potest explicari secundùm varias controuersias, quæ circa Baptismum infantum contigerunt. Primò, an paruulus necessitate salutis debeat baptizari; ita vt aliter in eo statu decedens, non saluetur, vel certè nequeat esse membrum Christi, & Ecclesiæ sine Baptismo, ratione peccati originalis? Et hic est scopus Doctoris, quia disserit contra Pelagianos, qui negârunt peccatum originale, contra quos Augustinus, & Patres agunt, probantes ex Baptismo paruulorum, qui datur in remissionem peccati, verè infantem, qui naturali generatione descendit ab Adamo, contrahere peccatum originale, & ideò formam Baptismi in ipsis verificari in remissionem peccati, ex quo indigent Baptismo, vt liberari possint. Secundus sensus est, vtrùm conueniat eos baptizari? Tertius, vtrùm sit aliquod præceptum baptizandi paruulos, ita vt parentes, & Ecclesia teneatur eis de hoc remedio prouidere?

*Error Pelagij.*

Neutrum horum attingit hîc Doctor, sed supponit vtrumque ex praxi Ecclesiæ, quia suo tempore nulla fuit necessitas hæc examinandi: antiqui enim errores fuerunt extincti; & quamuis Pelagianismus cum illis etiam fuerit extinctus, per Concilia, & Patres; tamen vt effectus Baptismi, ciúsque necessitas declaretur, disserit cõtra Pelagianos breuiter supponens quæ definita sunt aduersùs Pelagium, qui magis ex instituto disseruit contra veritatem peccati originalis, cuius remedium est primariò, & ex speciali institutione Baptismus, vt ab aliis Sacramentis distinguitur, quia est regeneratio in Christum; & per eum fit *translatio ab eo statu, in quo quis nascitur filius Adam in statum adoptionis filiorum Dei*, vt docet Tridentinum *sess. 6. cap. 7.*

2 *Declaratur error Pelagij. Primus error.* His suppositis: Pelagius negabat peccatum originale, vt patet ex Augustino *lib. de dono perseu. cap. 3. lib. de pecc. orig.* & *lib. 1. de peccatorum merit. & remiss. cap. 8.* & *deinceps vsque ad finem libri.* Secundò docebat consequenter non baptizari paruulos in remissionem peccati originalis. Augustinus enim & Patres vrgebant consuetudinem Ecclesiæ, quæ baptizabat paruulos in remissionem peccatorum; & illud de necessitate Baptismi; *Nisi quis renatus fuerit*, &c. *non intrabit in regnum cœlorum*, Ioannis 3. Quo argumento diuisi sunt Pelagiani; nam quidam dicebant baptizari in remissionem peccati non originalis, sed actualis, quod tum committebat: ita Augustinus *cap. 17.* Alij verò negabant baptizari in remissionẽ peccatorum; sed vt intrarent in regnum cœlorum, ipsis constituentes vitam beatam extra regnum cœlorum: ita Augustinus *cap. 18. 20. 30.* & *34.* Vtriusque erroris Authores fuerunt Cælestius, & Pelagius, vt colligitur ex Augustino in libello, quẽ Cælestius gestis Ecclesiasticis alligauit Romæ sub Zozimo, admisit paruulos baptizari in remissionem peccatorum, negans tamen in eis peccatum originale: ita Augustinus *de gratia Christi lib. 1. cap. 33.* Pelagius verò alterius erroris fuit author; nam teste Augustino *lib. 2. de peccato orig. cap. 21.* interrogatus de paruulis, qui moriebantur in peccato originali absque Baptismo, quò irent, respondit, non ire in regnum cœlorum scio, quò verò eant se nescire dicebat, &c. Et hic est articulus quintus propositus eidem in Concilio Diospolitano: damnatur quoad vtrumque sensum in Mileuitano *can. 2.* & in Trident. *can. 4.* docebat peccatum Adæ non origine transire in posteros, sed imitatione. Augustinus *lib. 1. de peccat. meritis, & remiss. cap. 9.* Infantes nasci in eo statu, in quo fuit primus parens ante peccatum; est articulus tertius Diospolitani, & *can. 1.* Arausicani: negabat etiam pœnas peccati originalis, quod ad alium locum spectat.

*Diuisio Pelagianorum.*

*Baptizari infantes non in remissionem originalis.*

*Secundus error.*

*Non baptizatos infantes habere vitã, extra cœlum beatam.*

*Peccatũ Adæ solâ imitatione in posteros transire.*

Secunda hæresis circa infantes non baptizatos fuit Vincentij Victoris, quem Augustinus impugnauit tribus libris de anima, & eius origine. Hic admisit peccatum originale in infantibus, sed asseruit vlteriùs, si sine Baptismo decederent, saluari in paradiso per oblationes Sanctorum, quæ pro ipsis fiebant, vbi detinebantur vsque ad diem iudicij, post quod transituri sunt in regnum. 3 *Hæresis Vincentina.*

Tertia hæresis negat Baptismum infantum, vt Petrus Brusius apud Bernardum, & quidam Henricus, à quibus dicti sunt eorum sectatores Petrobrusiani, & Henriciani, quos confutat Bernardus *epist. 240.* & *serm. 66. in Cantica.* Hi negabant infantes capaces esse Baptismi. VVitclefus apud VValdensem *tom. 2. de Sacramentis, cap. 96.* negabat Baptismum aquæ necessarium esse infantibus, & adultis, ad salutem, sed sufficere flaminis Baptismum per merita Christi. Anabaptistæ negant Baptismum licere dare, nisi solis adultis, idque circa annum 30. vt quidam eorum apud Caluinum *lib. 4. Institut. cap. 16.* Huius sectæ Author fuit (apud Cochleum in actis Lutheri anno 1528.) Balthazar Pacimontanus, postea Viennæ crematus. Caluinus *in Antidoto Tridentini, cap. 5. sess. 1.* & *loco citato*, docet paruulos etiam sine Baptismo morientes saluari, & fieri sanctos, & membra Ecclesiæ, quibus plures huius temporis hæretici consentiunt. 4 *Tertia hæresis Brussij.* VVitclefi. Anabaptistarum. Caluini.

Quidam etiam negant paruulos baptizandos esse, quia cùm efficaciam Baptismi, & Sacramentorum doceant cum Luthero consistere in excitatione fidei tantùm per verbum, quæ nequit esse in paruulis, sic negant posse baptizari. Alij contrà docent fidem actualem esse in paruulis, & sic baptizari posse ratione illius fidei, cùm sint capaces. Alij docent aliquos motus dilectionis, & fidei in ipsis, similes iis, quos habuit Ioannes Baptista in vtero matris, non quòd intelligant paruuli, sed quòd habeant quasdam inclinationes similes motibus fidei, & dilectionis: ita Pseudoconcilium VVittembergense apud Cochleum *lib. 3. Miscellaneorum tract. 8. cap. 2.* *Errores aliorum.* VVittembergensium

His obliquè accedit Erasmus *præfatione Paraphrasis in Matthæum*, vbi docuit interrogandos esse qui in infantia sunt, cùm adoleuerint, & si non consenserint in Baptismum receptum, esse dimittendos liberos. Ludouicus Viues *Annot. ad cap. 27.* Augustini *lib. 1. de Ciuit. cap. 27.* dicit olim neminem consueuisse baptizari, nisi in ætate adulta, & qui per se peteret Baptismum, & intelligeret quid sit baptizari. 5 Erasmi. Ludouici Viues.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Paruulos esse baptizandos vt liberentur ab originali, contra Pelagium, de quo* Dion. *c. vlt. Eccles. Hier.* Cyprian. *3. epist.* 8. Nazianzen. *orat. in sanctum lauacrum.* August. 10. *de Genes.* 23. Prosp. 2. *de voc. gent.* 8. Mileuitanum Concil. *can.* 2. *vide* Bellarm. *lib.* 1. *de Bapt. c.* 8. Castro *v. Baptismus, hær.* 9. Trident. *sess.* 6. *c.* 4. *& sess.* 7. *de Bapt. can.* 12. 13. Coccium *supr. vbi citantur Patres Græci & Latini.*

Hìc fuit error Pelagij, quòd paruuli non habent peccatum originale. De hoc, & eius improbatione tactum est *lib.* 2. *d.* 30. 2

Teneo [c] ergo oppositum, quia cùm secundùm Scripturam, & fidem, paruuli contrahant originale peccatum; ad eius deletionem, quæ necessaria est ad salutem, sunt baptizandi: quia tempore legis Euangelicæ, Baptismus institutus est in remedium contra illam culpam. *Paruulos esse baptizãdos.*

Ad primum argumentum, illa auctoritas Augustini debet de actuali peccato intelligi, & isto modo peccatum originale fuit in primo parente voluntarium; non tamen oportet quòd quodcumque peccatum sit voluntarium voluntate illius in quo est. *Peccatum non semper voluntarium ei, in quo est. Argum.* 2.

Ad aliud patet, quòd debet intelligi de adultis per illud quod præcedit, *Qui crediderit, & baptizatus fuerit.* Vel potest dici, quòd qui non crediderit, nec actu, nec habitu, condemnabitur, quia secundùm Apostolum Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo; credere enim oportet accedentem ad Deum.* Paruuli autem, etsi non possunt habere actum credendi, possunt tamen habere habitum, vt in sequenti quæstione dicetur: ideò non valet

## COMMENTARIVS.

6

*Prima conclusio. Secunda conclusio.*

*Probatio prima.*

Diospolit. Mileuitan. African. Cõcilia Lateranens. Florent. Trident. Ad Rom. 5.

7

*Probatio secunda cõclusionis ex Scriptura.* Ad Rom. 6.

c *Teneo ergo oppositum*, &c. Hìc duas conclusiones oppositas eisdem erroribus breuiter comprehendit Doctor. Prima est, *peccatum originale esse in paruulis.* Secunda, *paruulos necessitate salutis esse baptizandos: quia originale in lege Euangelica, in ijs nequit deleri, nisi per Baptismum*, &c. Per *legem Euangelicam* intelligit ordinariam, quæ est præsentis status: non comprehendit casum Martyrij, aut sanctificationis per Baptismum flaminis. Vtraque conclusio est de fide. Prima conclusio supponitur ex materia de gratia, & peccato originali. Eam definiunt Diospolitanum, Mileuitanum, & reliqua Concilia habita in Africa contra Pelagium; Lateranense, Florentinum, Tridentinum: & patet ad Romanos 5. *Per vnum hominem peccatum intrauit*, &c.

Secunda conclusio quæ ad præsentem materiam spectat, probatur ex Scriptura; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, &c. Ioannis 3. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit*, &c. Matthæi vltimo. *An ignoratis, quia quicũque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per Baptismum in mortem*, &c. nemo autem saluatur, nisi qui est in Christo Iesu, ad Romanos 8. *Nihil nunc damnationis est in his, qui sunt in Christo Iesu*, &c. *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, ad Titum 3. *In quo & circumcisi estis, Circumcisione non manufactâ, in expoliationem veteris carnis, sed in Circumcisione Christi, consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem operis Dei, qui suscitauit illũ à mortuis*, &c. ad *Colossenses* 2. Sic etiam Baptismus 1. Petri 1. appellatur Circumcisio spiritualis: *Mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*: ad Ephesios 5. per Baptismũ induimus Christum ad *Galatas* 3. & plura similia: ergo supposità priori veritate de originali peccato in omnibus, qui descenderũt per naturalem propagationem ex Adamo, necessarius est Baptismus per quem induimus Christum, exuimus veterem hominẽ, liberamur, mundamur, saluamur, circumcidimur à peccato & illuminamur, vt habetur ad *Hebræos* 6.

Secundò eadem veritas ex Patribus patet, Syricius Papa *epist.* 1. *cap.* 2. supponit eum, qui absque Baptismo decedit, perdere vitam, & regnum. Irenæus *lib.* 3. *contra hæreses, cap.* 19. Aquam & spiritum esse necessaria, vt homo in vitã Dei perficiatur. Leo Papa *epist.* 78. aliàs 80. Qui Baptismo priuatur, necessaria liberatione priuari, &c. Hieron. *dial.* 3. *contra Pelagium.* August. *de peccat. meritis & remiss. contra duas epist. Pelagianorum, cap.* 4. *lib.* 1. *de Anima, & eius origine, cap.* 10. *lib.* 2. *cap.* 12. *lib.* 3. *cap.* 9. *epist.* 28. & alibi passim contra Pelagianos. Concilium Constantinopolitanum: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* 8

*Secunda probatio ex Patribus.* Syricius. Irenæus. Leo Papa. Hieron. Augustin. Concilium Constantinopolitan.

Tertiò probatur specialiter de paruulis ex cõmuni Patrum, & Ecclesiæ sensu & definitione. Clemens Romanus *lib.* 6. *cap.* 15. *constit. Apost.* id docet, *Baptizate*, inquit, *pueros infantes*, &c. *Sinite enim, ait Dominus, pueros venire ad me, & ne prohibete eos.* Dionys. *Eccl. hier. cap.* 7. Iustinus in quæst. 56. *Infantes digni sunt Baptismi commodis, fide eorum, qui illos ad Baptismum offerunt.* Irenæus *lib.* 2. *c.* 39. Origenes *hom.* 8. *in Leuit.* afferens Baptismum Ecclesiæ dari in remissionem peccatorum etiam infantibus ob peccatum originale *homil.* 14. *in eadem, & lib.* 5. *in cap.* 6. *ad Roman.* Athanasius *quæst.* 124. Basilius *homil.* 13. *quæ est exhortatio ad Baptismum*, docens omne tempus, & totam ætatem hominis esse accommodam Baptismo. Nazianzenus *orat.* 40. Cyprianus *epist.* 59. Ambrosius *lib.* 10. *epist.* 84. *in cap.* 1. *Luc. de mysterio Paschæ, cap.* 5. Syricius *epist.* 5. *c.* 1. Hieronymus *loco citato, & epist.* 7. *ad Latam.* Augustinus variis in locis, vt *lib.* 1. *contra Donatistas, c.* 23. *& 24. & locis suprà citatis epist.* 28. *ad Hieron. de Gen. ad literam, lib.* 10. *c.* 23. Concilia, & omnes Patres, tam Græci, quàm Latini, quotquot scripserunt de hac materia Baptismi. Carthaginen. V. Mileuitanum, Bracharense II. Matisconense II. Toletanum XII. Concilium

9

*Tertia ratio de Baptismo infantium.* Clem. Rom. Dionys. Iustinus. Irenæus. Origenes. Athanasius. Basilius. Nazianzen. Cyprian. Ambros. Hieron. Augustin. Carthagin. Concil. Mileuitan. Bracharens. Matisconen. Toletan.

Metenſe. Lateranenſ. Viennenſ. Trident.

cilium Metenſe, Lateranenſe, Viennenſe, ac Tridentinum *ſeſſ.7.de Baptiſmo can.*14. & *ſeſſ.5.can.*4. Priori loco damnatur ſententia eorum, qui negant baptizandos paruulos. Et certè veritas hæc ita paſſim à Doctoribus, Patribus, Conciliis, atque Pontificibus continuâ traditione definitur, vt mirum ſit quâ fronte aliqui fuerint auſi contradicere. Ex dictis autem tam neceſſitas, quàm congruentia Baptiſmi paruulorum patet.

9

*Eſſe præceptum baptizandi paruulos.*

*An baptizari paruulos ſit in præcepto?* Aliqui dubitant aſſerentes, circa hoc non inueniri aliquod præceptum poſitiuum Eccleſiæ, ſed conſuetudinem obtinere vim præcepti. Cæterùm videtur conſuetudo fundata eſſe in præcepto, quod ad

Nazianzen.

traditionem Apoſtolicam referri debet. Vnde Nazianzenus ſumit fundamentum baptizandi paruulos ex præcepto de Circumciſione, quod poſt

Auguſtin.

ſeptimum diem vrgebat. Idem docet Auguſtinus *lib.1. de Baptiſmo, cap.*24. *& epiſt.* 28. *ad Hieronymum, & de Gen.ad literam, lib.*10.*cap.*23. dicens eſſe

*Eſt traditio Apoſtolica.*

traditionem Apoſtolicam. *Conſuetudo*, inquit, *matris Eccleſia in baptizandis paruulis, nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda, nec omnino credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio.* Et epiſt.illa 28. *Beatus Cyprianus non aliquod decretum condens nouum, ſed Eccleſiæ fidem firmiſſimam ſeruans, ad corrigendos eos, qui putabant ante octauum diem nauitatis non eſſe paruulum baptizandum, non carnem, ſed animam dixit eſſe perdendam; & mox natum ritè baptizari poſſe cum ſuis quibuſdam Coëpiſcopis cenſuit.*

10

Hoc decretum habetur apud Cyprianum *epiſt.* 59. argumentum ſumentem à Circumciſione, quæ die octauo fiebat ex præcepto; Can. 85. in Trullo decernit pueros baptizandos, de quorum Baptiſmo non conſtat, neque teſtimonium haberi poteſt: id ipſum decreuit priùs Concilium Car-

Carthag. V.

thaginenſe V. *cap.*6. cuius ille eſt Canon, vt rectè aduertit Theodorus Balſamon. Idem decreuit Concilium VVormatienſe *cap.*70. Hincmarus

VVormatienſe. Hincmarus.

Rhemenſis ad Hincmarum Laudunenſem, prohibentem infantes baptizari, improperat id nunquam in Eccleſia ab vllo tentatum eſſe, proponens ei regulam Eccleſiaſticam à Beato Syricio Papa in hos prolatam. Hæc autem regula habetur in epiſtola Syricij ad eundem Hincmarum Rhemenſem. Vnde meritò Tridentinum docet eſſe traditionem Apoſtolicam *ſeſſ.5.can.*4.

Statutis autem diebus, extra periculum, in quibuſdam Eccleſiis Baptiſmus paruulorum fiebat,

Matiſconen.

vt patet ex decreto Matiſconenſi cap. 3. *Omnes omnino*, inquit, *à die quadrageſima cum infantibus ſuis ad Eccleſiam obſeruare præcipimus, vt impoſitionem manus certis diebus adepti, & ſacri Olei liquore perunctí, legitimi diei feſtiuitate fruantur, & ſacro Baptiſmate regenerentur*, &c. Intelligit autem Concilium exorciſmos, & vnctiones, quæ ante Baptiſmum præmittuntur, certis diebus fieri debere in infantibus ante Baptiſmum, qui in die reſurrectionis miniſtrabatur.

Iuo Carnot. enſ.

De his Iuo Carnotenſis in ſermone de Sacramentis dedicationis. In lib.6. Caroli Magni *cap.* 185. habetur, *Placuit vt populus infantes ad Baptiſmum non afferat, niſi duobus temporibus, ſi infirmitas non occupauerit*, &c. Æthiopes, vt docet Zaga Zabo Æthiops, in confeſſione fidei, quadrageſimo die maſculos, octogeſimo verò fœminas, baptizãt; niſi antea ſit periculum. Moſcouitæ etiam quadrageſimo die Baptiſmum conferunt, vt docet Sigiſmundus, de rebus Moſcouitarum, *cap.de Baptiſmo.* In Eccleſia tamen Latina, vt notauit Rupertus *de diuinis officijs, lib.*4.*c.*18. Eccleſia propter pericula mortis dedit indulgentiam Baptiſmi, ſolennitate Baptiſmi in paucis, vſque ad reſurrectionem retenta.

Rupertus.

11

His ergo fidei ſuppoſitis fundamentis, facilis eſt probatio concluſionis, quam probat Doctor ex illo de fide ad Petrum; *Firmiſſimè tene, paruulos, qui ſine Sacramento Baptiſmi de hoc ſeculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos, quia originale peccatum in carnali conceptione contraxerunt*, &c. Hæc authoritas continet fidem Eccleſiæ, vt patet ex dictis. Sub nomine Auguſtini proponitur

*Liber de fide ad Petrũ eſt Fulgentij.*

à Doctore, liber tamen eſt Fulgentij: communis autem error fuit antiquorum Scholaſticorum, qui ipſum Auguſtino tribuebant, quia inter opera eius habetur. Accedit etiam ratio, quam Doctor inſinuat, quia paruuli contrahunt originale, cuius remedium neceſſarium in illis eſt Baptiſmus: ergo non limitatur ex ſui inſtitutione ad ſolos adultos; ſicut neque morbus ad eoſdem limitatur; Deus autem omnes homines vult ſaluos fieri: ergo etiam remedium illud contra morbum voluit eſſe commune.

12

*Nullâ ratione excludi infantes à Baptiſmo.*

Ex quo ſequitur quòd neque ex præcepto diuino excluduntur paruuli, quia neque præceptum Sacramenti conformatur eius inſtitutioni, quæ ad infantes indigentes ſalute extenditur; non præcepto Eccleſiaſtico, vt patet ex dictis, excluduntur à Baptiſmo: non excluduntur etiam ex defectu diſpoſitionis, & ratione ſtatus, quia ſicut ex Adamo, ſine actu proprio contrahunt peccatum, ſic etiam ſalutem habere poſſunt in Chriſto per Baptiſmum ſine actu proprio, vt patet ad Romanos 5. *Si enim vnius delicto mors regnauit per vnum, multò magis abundantiam gratiæ, & donationis*, &c. *accipientes in vita regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum*, &c. *Igitur ſicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, ſic & per vnius iuſtitiam in omnes homines in iuſtificationem vitæ*, &c. Vide quæ ſequuntur.

*Chriſtus Redemptor infantum.*

Sicut ergo condemnatio, & peccatum ex primo parente regnat in infantibus, ita etiam iuſtitia per Chriſtum, & ſalus ad eoſdem extenditur; qui venit ſaluum facere, quod perierat; & primariò ad redemptionem peccati originalis: aliàs non eſſet verè redemptor infantum, ſi vel ipſi peccatum non haberent, vel ſi habent, non poſſet eis applicari remedium. Qui ſaluantur in Chriſto, fiunt membra eius & Eccleſiæ, quod non contingit lege in infantibus, niſi per Baptiſmum: & ſicut condemnantur ex peccato, quod voluntate Adami, non propriâ, commiſerunt; ſic etiam ſaluantur per Chriſtum in fide Eccleſiæ, ac virtute Baptiſmi. Deinde *Ioannis* 3. vbi oſtenditur neceſſitas Baptiſmi non fit mentio fidei, quæ quidem in adulto exigitur, non tamen in infante haberi poteſt, qui non eſt eius capax, benè tamen Baptiſmi.

13

*Argumenta Anabaptiſtarum.*

Argumenta Anabaptiſtarum benè ſoluũt Doctores moderni, vt Bellarminus *lib.1.de Sacr. Baptiſmi, cap.* 8. quia nullius ſunt difficultatis; vrgent enim ea quæ de neceſſitate fidei ad ſalutem loquuntur, quæ nequit in paruulis. Reſpondent Patres quantùm ad effectum Baptiſmi, & ſalutis in infantibus, ſufficere fidem aliorum, vel Eccleſiæ, quia non ſunt ſui arbitrij, ſed in poteſtate aliorum, qui pro ipſis reſpondere, & ſpondere iure poſſunt: & vt reſpondet Doctor, paruuli credunt habitu, licèt non actu: ita Innocentius cap. *Maiores, de Baptiſmo*, recipientes enim iuſtitiam mediante

*Soluuntur.*

*Fides infantium.*

Doctor.

Innocent.

mediante Baptismo, recipiunt fidem, spem, & charitatem; ex quibus integratur iustitia: ex Tridentino *sess. 6. cap. 7.* vnde infantes habent hanc post Baptismum, & essentialiter requiritur; ideò à Græcis Patribus dicitur Baptismus illuminatio.

Trident.

Aliam verò, quæ consistit in actu, éstque dispositio præuia in adultis, quibus proponuntur primùm credenda, (dispositio, inquam, ad Baptismum,) non habent infantes, neque requiritur in ipsis; sed ipsa susceptio Baptismi est professio fidei, & legis nouæ ex natura actus. Vnde Augustinus lib. 1. de peccator. meritis, & remiss. cap. 27. *Quis autem nescit*, inquit, *credere, esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari*, &c. Vbi latè probat ex Euangeliis, & Scriptura, & epistolis Apostolorum, necessitatem Baptismi quoad infantes. Videatur *epistola* 23. 57. 105. *ser.* 10. & 14. *de verbis Apostoli, lib.* 3. *de lib. arbitrio, cap.* 23. *lib.* 4. *de Baptismo, c.* 24. & 25. & multis aliis locis, vbi hanc veritatem ex instituto probat contra Pelagianos.

*Baptismus fidei professio.*

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm paruuli baptizati recipiant effectum Baptismi?*

Alens. 4. *part. quæst.* 17. *m.* 2. D. Thom. D. Bonauent. Richard. *& alij citati pro quæst. præced.*

AD secundum sic proceditur, & arguitur quòd paruuli baptizati non recipiunt effectum Baptismi: quia talis effectus est gratia: paruuli non recipiunt gratiam: quia non infunditur sine fide, quia *sine fide impossibile est placere Deo*, vt habetur *Hebr.* 11. sed paruuli non recipiunt fidem. Quod probo, primò, auctoritate Apostoli Rom. 10. *Fides est ex auditu*: paruuli non possunt sic accipere fidem. Secundò, probo ratione, quia habens habitum, potest vti eo cùm voluerit non impeditus: paruulus baptizatus cùm venerit ad vsum rationis, non potest vti habitu fidei: quia non potest exire in actum credendi articulos fidei.

1 *Argum.* 1.

Et confirmatur istud, quia habens habitum se habet aliter ad actum, quàm non habens: aliquo enim modo habitus se habet ad actum, & secundùm illum modum differt habens à non habente: sed paruulus baptizatus nullo modo aliter se habet ad actum credendi, quàm si non fuisset baptizatus: quia si baptizatus nutriatur inter infideles, & ab eis doceatur, similiter acquiescet errori eorum, sicut alius non baptizatus: si etiam non baptizatus nutritur inter fideles, & in lege eorum doceatur, similiter acquiescet illi legi, sicut aliquis baptizatus. Si ergo nullo modo aliter se habet ad actum credendi baptizatus, quàm non baptizatus, nullo modo habet habitum fidei.

Si verò respondeatur, quòd habitus acquisitus aliquo modo se habet ad actum, non sic autem infusus. Contra hoc, & ad confirmationem principalis argumenti, quia si Deus infunderet alicui habitum Geometriæ concurrentibus sibi rationibus terminorum Geometralium, posset ex illo habitu assentire veritatibus Geometricis: ergo à simili in proposito, ex fide infusa, si adesset, posset habens assentire occurrentibus rationibus terminorum: & ita apprehensâ ratione mortui, & resurrectionis, posset aliquis assentire huic veritati; mortui resurgent, cuius oppositum experimur.

2 *Fides non ita tendit in credibilia, sicut scientia in scibilia.*

Tandem confirmatur propositum, quia cùm habitus det aliquam facilitatem, & delectationem in opere, ex *secundo Ethicor.* nullus autem faciliùs, nec delectabiliùs operatur contra habitum suum, quàm secundùm eum: sed paruulus baptizatus postquam fuerit adultus, faciliùs dissentit à credibilibus, quàm consentiat; vt experimur: ergo, &c.

Item ad principale: nullus recipit gratiam à Deo, nisi aliquo modo sibi coniungatur: nam actualiter auerso, & omnino indisposito, Deus non dat gratiam. Prima autem coniunctio ad Deum fit per fidem: ergo non habenti illam, non datur gratia: paruulus non habet eam ante Baptismum: ergo non datur ei in Baptismo.

*Arg.* 2.

Contrà, August. in Enchiridio, *A paruulo recenter nato, vsque ad decrepitum, sicut nullus prohibetur à Baptismo, ita nullus est qui non moriatur peccato in Baptismo*: sed nullus moritur peccato, nisi recipiat gratiam: ergo, &c.

*Ratio ad opp.*

## SCHOLIVM.

*Secundùm fidem certum eſt, gratiam infundi, ſicut & originale dimitti paruulis in Baptiſmo, de quo citati pro quæſt. præced. eſt de fide ex cap.* Maiores, *de Bapt.* Trident. *ſeſſ. 7. can. 6. 7. & 8.* & Florent. *decret. Eugen.* Ambroſ. *lib. 2. in Luc.* Aug. *5. contra Donat. c. 21. vide* Coccium & Bellarm. *citatos.*

3 Ad quæſtionem [a] dico, quòd ſicut eſt creditum paruulo in Baptiſmo originale dimitti, ita & creditum eſt ſibi gratiam infundi; quia, vt dictum eſt in quæſtione de Circumciſione, Deus pro ſtatu naturæ lapſæ, nulli remittit culpam, niſi cui dat gratiam: nullum enim liberat à perditione, niſi quem ordinat ad hoc vt ſit filius regni.

*Ad arg. 1.* Ad primum [b] argumentum, licèt Deus de potentia abſoluta, poſſet dare gratiam ſine fide (ponendo quòd ſint duo abſoluta ſimpliciter diſtincta) tamen quia Dei perfecta ſunt opera, *Deuteron. 32.* Et quando hominem ſanat, totaliter ſanat, ideò conceditur, quòd non infunditur gratia paruulo ſine fide, & ſine ſpe.

*Non datur gratia ſine fide & ſpe Trid. ſeſſ. 6. cap. 7.* Illæ autem probationes, quæ ſunt contra hoc de fide, locum habent in *3. lib. diſt. 23.* probant enim nullam eſſe fidem infuſam, & ideò ibi habent ſolui, ſicut ibi habet declarari propter quid ponenda eſt fides. Vel enim ponitur habere aliquam cauſalitatem reſpectu actus, & tunc actus non poſſet eſſe talis, ſine ea, qualis eſt ipsâ poſitâ; vel nullam, & tunc manifeſtum eſt, quòd ex actu non poteſt perpendi fides ineſſe.

4 Sed etſi aliquam cauſalitatem habeat, adhuc hoc poteſt eſſe dupliciter, vel præciſam ſcilicet, quòd nulli alij poſſit competere: vel non præciſam; putà ſi talis cauſalitas poſſit competere fidei acquiſitæ. Et ſi primum iſtorum poneretur, poſſet fortè certitudinaliter fides cognoſci ineſſe, per hoc quòd aliquis cognoſceret talem conditionem ſuo actui ineſſe, quæ non poſſet ineſſe ſine fide infuſa.

*Virtutes infuſas dari, fide tantùm, vel ſaltem non ratione, probari poteſt.* Si ſecundum ponatur, ſimpliciter non poteſt cognoſci fidem infuſam ineſſe ex actu, neque ex aliqua conditione ipſius actus: & tunc eſſet dicendum, quòd licèt nihil ſit in actu, nec pertinens ad actum, in quo diſtinguatur habens fidem à non habente, ac per hoc non poſſet eſſe notum ſecundùm rationem naturalem, fidem ineſſe, tamen hoc eſt creditum: & ſic poſſet dici generaliter, quòd nulla virtus ſupernaturalis poteſt probari ineſſe, neque ex actu aliquo, neque ex aliqua conditione alicuius actus: ſed nec fortè in vniuerſali poteſt probari per rationem naturalem, aliquam virtutem ſupernaturalem ineſſe. De iſtis ampliùs in 3. lib. in materia de virtutibus, dictum eſt.

*Ad 2. arg. Alex. in 4. part. ſum. tit. de Bapt. collat. de baptizandis, q. 1.* Ad ſecundum [c] principale dicitur, quòd paruulus coniungitur Deo per fidem parentum.

Contrà, pone parentes hæreticos, vel infideles. Dicitur adhuc quòd per fidem Eccleſiæ. Contrà, eſto quòd in Eccleſia militante nullus eſſet fidelis, tamen intenderet facere, quod Chriſtus fecit, paruulus adhuc verè baptizaretur, & reciperet gratiam.

*Nulli datur gratia, niſi per Chriſtum.* Dico ergo ad argumentum, quòd de facto nulli datur gratia, niſi per aliquam cauſam meritoriam, quæ meretur coniunctionem eius primam cum Deo: & hæc cauſa meritoria eſt Chriſtus, ſed præter iſtam non oportet dare aliam intrinſecam in recipiente, quâ coniungatur Deo, antequam recipiat gratiam.

## COMMENTARIVS.

1 *Concluſio fidei dari gratiam per Baptiſmum infanti.*

a *AD quæſtionem dico*, &c. Concluſio Doctoris eſt de fide, dari gratiam infanti baptizato per Baptiſmum, qui delet in eo peccatũ originale, quod nequit fieri, niſi per collationẽ gratiæ. Hæc probata eſt ſuprà de effectu Circũciſionis contra Magiſtrum, eiuſque efficaciâ, quia, vt dictum eſt, non remittitur peccatum originale, aut mortale, niſi per gratiam. De Baptiſmo autem certiorem gradum obtinet, quàm de Circumciſione, quæ ex aliquorum opinione erat ineffiax ad delendum peccatum, vt ibi viſum eſt; & ex opinione Magiſtri, licèt deleuerit peccatum, non contulit gratiam: de Baptiſmo autem inter Catholicos Doctores nullus id affirmauit quantum eſt ex efficacia Sacramenti: licèt aliqui dubitauerint an infantes eſſent capaces omnis eius effectus, ratione ſui ſtatus.

*Errores circa effectum Baptiſmi.* Fuerunt varij errores circa efficaciam Baptiſmi. Aliqui negabant omnem eius fructum; Caiani apud Tertullianum *lib. de Baptiſmo, in principio*: Manichæi apud Auguſtinum *hæreſi 46.* Archentici apud Epiphanium *hæreſi 40.* Meſſaliani, ſeu Maſſaliani apud Theodoretum *lib. 4. hæreticar. fabularum, in fine*: quibus adiungi poſſunt Armeni, qui id in genere dixerunt de omnibus Sacramentis legis nouæ; contra quos ſpecialiter eſt decretum Eugenij Papæ, & Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacramentis, can. 2.*

Tertullian. Auguſtin. *Antiquæ hæreſes.* Epiphan. Theodoret. Florent. Trident.

*Nouatores huius temporis.* Quibus reipſa accedunt, quotquot dicunt Sacramenta eſſe nuda ſigna excitantia fidẽ, vt huius temporis

temporis hæretici: quia sic tollunt omnẽ efficaciã propriam Sacramenti, & omnem iustitiam in fide statuunt, non quòd hæc etiam deleat peccata, sed tegat; seu faciat, vt non imputentur. Quamuis autem modum loquendi Scripturæ, Patrum, & Ecclesiæ quandoque simulant, vsurpantes verba, quæ denotant efficaciam Sacramentorum; tamen ad prauum sensum torquent, quod proprium hæreticorum est.

2 *Tegere peccata.* Theodoret. Epiphan. Gregor. Augustinus. Bellarm.

Hic modus radendi, seu tegendi peccata fuit antiquus, quia sic docebant apud Theodoretum Messaliani, per similitudinem nouaculæ, quæ radit pilos, non tollit radicem. Sic etiam quidam Proclus Origenista apud Epiphanium ex Methodio *hæresi* 64. Damnatur modus ille loquendi etiam à Gregorio *lib.9.Registri, epist.*39. ab Augustino *lib.*1. *contra duas epist. Pelagianorum, cap.*13. *& lib.* 3. *cap.*3. Eum assumpserunt hæretici huius temporis, vt docet Bellarminus *lib.*1. *de Baptismo, cap.*18. qui perinde extendunt hunc modum ad peccata præterita, & futura, seu quæ post Baptismum committuntur, & consequenter quidem: quia excitatio fidei, cuius ille est effectus per ipsos, perinde fieri potest per Baptismum quoad præterita & subsequentia, quos damnat *canon* 10.

Trident. *Trident. sess.7. de Baptismo sess.6. can.* 20. Canon etiam 6. damnat ibidem alium ramum eiusdem erroris circa instituta fidei; quo dicunt baptizatum nullo modo posse amittere gratiam quantumcunque peccet, nisi nolit credere: quasi sola fides sufficiat ad iustitiam, quod perinde ante, & post Baptismum dicere debent.

3 *Error Iouiniani.* Hieron. Augustin.

Hunc errorem de impeccantia baptizati tenuit etiam Iouinianus, vt refert Hieronymus *lib.*2. contra ipsum; & Augustinus *lib. de hæresib.*82. Quòd si peccabat baptizatus, dicebat eum non fuisse verè baptizatum quem ibidem confutat Hieronymus. Alij dixerunt quidquid sit de impeccabilitate eius, saltem non fore, vt damnetur: de quibus Augustinus *lib.* 21. *de ciuit. cap.*20. & eundem confutat 25. Caluinus incidit in eundem

Idem. *Caluini hæresis.* *in Antidoto Conc. Trident. sess.*2. *can.* 2. vbi asserit Baptismum esse chirographum, quo certiores reddimur de perpetua gratia adoptionis: & *lib.*3. *Institut. cap.*2. dicit veram fidem semel habitam non posse amitti, & esse donum electorum: hic tamen sicut gratiam, & fauorem Dei extrinsecum, & prædestinationem statuit, ita etiam in eandem refert illam efficaciam non perdendi fidem, & non damnationis, non verò in

*Effectus pretensi Sacramenti.* Baptismum. Alios pariter effectus tribuunt Baptismo, vt quòd tollat omnem obligationem, & vinculum legis Ecclesiasticæ, vt subuertant potestatem Prælatorum: ita Lutherus *de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo.* Hanc damnat hæresim Tridentinum *sess.7. de Baptismo can.*8. *& sessione 6. can.*23. Item, quòd omnia vota tollat; ita Lutherus *ibidem*, Caluinus *in Antidoto in sessione* 7. *can.*9. & Kemnitius *in Examine eiusdem.* Damnatur eodem canone. Horum effectuum non meminit hactenus antiquitas, aut Scriptura, aut traditio Ecclesiastica: contrarium autem in materia de legibus, & voto latè probatur à Theologis, neque ea, quæ Paulus differit de libertate renatorum in Christo, sic intelliguntur, sed de libertate à iugo legis Mosaicæ, & de libertate à peccato.

*Lutheri hæresis.*

*Inuentiones nouæ.*

4 Impugnatio autem harum hæresum prout ad præsentem materiam spectant petitur ex iis, quæ præcedenti quæstione præsupposuimus, quæ non solùm probant necessitatem Baptismi, sed etiam eius efficaciam quoad remissionem peccati, & collationem gratiæ, in qua necessitas eius fundatur. Effectus ergo Baptismi est, non solùm tollere peccatum originale, sed etiam actualia, quoad culpam & pœnam. Est de fide. Concil. Florentin. *in decreto vnionis Armenorum.* Tridentinum *sess.*6. *cap.*7. *sess.*7. *can.*9. *sess.*14. *cap.*1 *sess.*5. *de peccato orig. can.* 5. Carthaginense IV. *cap.* 1. inter dogmata fidei, quæ profiteri debet Episcopus, quando consecratur, proponit eandem veritatem profitendam: *Quærendum*, inquit, *ab eo si in Baptismo omnia peccata, id est, tam illud originale contractum, quàm illa quæ voluntariè admissa sunt, dimittantur. Admissa*, inquit, & non *admittenda*, vt ineptè hæretici. Martialis Papa epist. ad Tolosanos, cap.1. *Vos enim estis membra Christi, & corpus immaculatum, nec aliqua in re coinquinatum, neque sordibus obuolutum*, &c. Subdit rationem, *iam enim sanctificati, & mundati estis aquâ regenerationis*, &c. Cyprianus de ablutione pedum: *De abdito & secretissimo Spiritus sancti munere, huius gratiæ liquor emanat, sic lauans quos parentalis labes infecerat, vt nec actualis, nec originalis macula sui post ablutionem illam vestigia derelinquat*, &c. Lactantius lib.7. cap.5. *Cùm homo cœlesti lauacro purificatus exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento diuini vigoris acceptо, fit homo perfectus, & plenus.* Rheticius Augustodunensis apud Augustinum lib.1. contra Iulianum, cap.3. *Hanc esse principalem in Ecclesia indulgentiam neminem præterit, in quo antiqui criminis omne pondus exponimus, & ignorantiæ nostræ prisca facinora delemus*, &c. Vbi loquitur de Baptismo. Ambrosius *de iis qui mysteriis initiantur*, cap.3. *Aqua est, quâ caro mergitur, vt omne abluatur peccatum, sepelitur illic omne vitium.* Hieronymus libro aduersùs Ruffinum, cap.7. & epistola 83. ad Oceanum, cap.2. *Omnia scorta, & publicæ colluuionis sordes, impietas in Deum, parricidium & incestus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriusque sexus mutatâ naturâ, Christi fonte purgantur*, &c. *Omnia in Baptismate condonata sunt crimina, nec post indulgentiam iudicis est metuenda seueritas, dicente Apostolo: Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri, omnia peccata donata sunt*, &c.

Fiorent. Trident. Carthag. Martialis Papa. Cyprian. Lactant. Rheticius. Ambrosius. Hieron.

5 Vt cætera ergo omittam omnia hic ipse locus Pauli veritatem hanc luculenter docet 1. ad Corinth. cap.6. *Nolite*, inquit, *errare, neque fornicarij, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque auari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt: & hæc quidem fuistis*, &c. Subiungit efficaciam Baptismi, qui hæc omnia deleuit: *Sed abluti*, inquit, *estis*, &c. Ex quibus colligitur veritas fidei definita à Conciliis, nempe peccata, tam originale, quàm actualia, quæ præcedunt Baptismum (de his enim agit Paulus dumtaxat) per Baptismum deleri. Quòd verò futura peccata commissa post Baptismum, non deleat Baptisma, vt variè gloriantur hærerici, omissis aliis locis, patet vel ex hoc ipso capite, vbi reprehendit Corinthios, dicens: *Iam quidem omnino delictum est in vobis, quòd iudicia habetis inter vos:* & infrà monet, vt fugiant fornicationem, cui plurimum addicti erant Corinthij, vt exponunt Patres, & colligitur ex epistolis Pauli. Item, ad Romanos 8. *Nihil ergo nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu.* Et subdit exceptionem, *qui non secundùm*

*Baptismus non delet peccata futura.*

*carnem ambulant*, &c. Vnde qui ſecundùm carnem ambulant, licèt priùs fuerint in Chriſto Ieſu per Baptiſmum regenerati, habent damnationem. Item, ad Hebræos 6. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel illuminati ſunt*, &c. Vbi clarè colligitur inefficacia Baptiſmi ad tollenda peccata commiſſa poſt Baptiſmum: quod rectè definiuit Tridentinum *ſeſſ. 7. de Baptiſmo, can. 10. & ſeſſ. 14. can. 1. & 2.*

6 *Fundamenta hæreticorum.* Fundamenta hæreticorum, vel ſupponunt ſolam fidem eſſe iuſtitiam, ad quam concurrunt Sacramenta, vt ſigna excitantia, vel concupiſcentiam eſſe peccatum, quæ manet in renatis: quorum vtrumque falſum eſt, ſi intelligatur peccatum propriè: ſi autem latè, quatenus concupiſcentia ex peccato eſt, & in peccatum inclinat, vt exponit Tridentinum *ſeſſ. 5.* verum eſt: ſed monendi eſſent ſic intelligendo, vt contentionem deponant; ſenſum tamen erroneum prætendunt, quem non faciunt ea, quæ de concupiſcentia diſſerit Paulus, vel de lege membrorum *ad Romanos, cap. 6. & 7.* vt aliàs in materia de peccatis fuſiùs diſſeritur.

*Concupiſcentia quomodo dicitur peccatum.*

7 *Obiectio.* Obiicies Auguſtinum *lib. 1. de nuptiis & concupiſcentia, cap. 32.* vbi ſeruans oleaſtri & oleæ inſertæ ſimilitudinem; per primum intelligens peccatum, per ſecundum iuſtitiam & gratiam; *Quia tam magnum peccatum fuit*, inquit, *vbi magna in deterius fieret mutatio naturæ, ſolum genus humanum fecit oleaſtrum, vt quemadmodum nunc in ipſis videmus arboribus, ſi quid inde in oleam gratia diuina conuertit; ibi vitium primæ natiuitatis, quod erat originale peccatum de carnali concupiſcentia traductum, & tractum, remittatur, tegatur, & non imputetur: inde tamen oleaſter naſcatur, niſi & ipſe in oleam eadem gratia renaſcatur*, &c. & cap. 33. *Beata itaque olea, cuius remiſſa ſunt iniquitates, & cuius tecta ſunt peccata: beata, cui non imputauit Dominus peccatum, ſed illud remiſſum, & tectum eſt, & non imputatur donec fiat in æternam immortalitatem plena mutatio, habet vim quandam occultam, vnde ſeminetur amarus oleaſter, niſi illic eadem Dei agricultura remittatur, tegatur, non imputetur*, &c.

Quibus verbis docet peccatum quidem originale ita remitti, vt tegatur, non imputetur: ergo manet. Deinde docet, qua ratione id fiat, dicens regenerationem quæ nunc fit per lauacrum, vſque in finem cuncta mala hominis purgare, & ſanare: & infrà: *Sic inquam accipiendum eſt* (ſupple quod dicit Apoſtolus ad *Epheſios 6.* de mundatione Eccleſiæ per lauacrum aquæ) *vt eodem lauacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſteriùs humanâ ignorantiâ, vel infirmitate contrahuntur; non vt Baptiſma quoties peccatur toties repetatur, ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit vt non ſolùm anteà, verum etiam poſteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet, vel ante Baptiſmum pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur, vel poſteà, niſi præcederet?* &c. Ergo Baptiſmus etiam facit ad remiſſionem peccatorum ſubſequentium, & in virtute eius fit.

*Baptiſmum facere ad remiſſionem peccatorum ſequentium.*

8 *Reſponſio.* Hæc loca difficilia eſſe docent quidam moderni, & nimiùm fauere hæreticis, ſed nihil minùs: ipſe enim verbis præmiſſis clarè docet omnia peccata, vel quidquid habet rationem peccati, dimitti in Baptiſmo. Fuit illa calumnia Pelagianorum contra Auguſtinum lib. 1. contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. 13. *Dicunt*, inquit, *& nos dicere Baptiſmum non dare omnium indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, ſed radere, vt peccatorum radices in mala carne teneantur: quis aduerſus Pelagianos hoc, niſi infidelis affirmet? Dicimus enim Baptiſmum dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere; nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneamus, quaſi raſorum in capite capillorum; vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Nam & iſtam ſimilitudinem comperi ſua illos adhibere calumnia, tanquam hoc nos ſentiamus, atque dicamus*, &c. *Sed hæc etiamſi vocatur peccatum, non vtique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur ſicut ſcriptura manus cuiuſque dicitur, quod manus eam fecerit: peccata autem ſunt quæ ſecundùm carnis concupiſcentiam, vel ignorantiam, illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur*, &c. Et infrà dicit, *concupiſcentiam vocari peccatum, ſiue quod peccato facta ſit, ſiue quod peccandi delectatione moueatur, etſi ei delectatione iuſtitiæ non conſentiatur*, &c. Ex quibus verbis Tridentinum ſimiliter declarans *ſeſſ. 5. can. 5.* cur concupiſcentia dicatur peccatum; dicit ideò appellari, *quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.*

*Omnia peccata dimittit Baptiſmo.*

Trident.

Remitti autem omnia in Baptiſmo non ſolùm loco præfato, ſed in anterioribus, vt *cap. 25. & 26.* & ſequentibus, vſque ad vltimum, quod eſt 35. *lib. 1. de nuptiis & concup.* vel expreſſè dicit, vel ſupponit, diſtinguens concupiſcentiam à reatu, qui dimittitur in Baptiſmo; hoc eſt, ipſam inclinationem corruptam ad malum, tam à peccato originali, quod reatum appellat (& ex quo venit ipſa concupiſcentia, quæ impropriè peccatum dicitur, vt cap. 31. docet) quàm à peccato actuali, ad quod mouendo allicit, etiamſi ex gratia Dei non conſentiatur,

9

*Concupiſcentia pro fomite ſumitur.*

Aliquando etiam loquitur de concupiſcentia, non ſolùm quantùm ad inclinationem, ſed etiam quantùm ad reatum. Et ſic dicit remitti, tegi, non imputari oleæ, quæ dulceſcit ex agricultura Chriſti, per gratiam baptiſmalem. Vnde hæc verba remiſſionis, tectionis, & non imputationis peccatorum deſumpſit Auguſtinus ex Pſalm. 31. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata*, &c. *Beatus vir, cui non imputauit Dominus peccatum*, &c. vnde *tegi* & *non imputari*, idem eſt quod remitti peccatum per indulgentiam; *Tecta ſunt peccata, non ſic intelligas*, inquit Auguſtinus in illum Pſalmum, *peccata cooperta, quaſi ibi ſint, & viuant*, &c. Quod & docent alij expoſitores, ita tegi vt amplius non ſint: teguntur enim per charitatem & iuſtitiam, & alias virtutes, tanquam per primam ſtolam, candidam, & immaculatam, quâ tollitur turpitudo peccati: ſic enim *charitas operit multitudinem peccatorum, per Apoſtolum.* Origenes *in cap. 4. epiſt. ad Romanos.* Ambroſius *de arca Noë cap. 31.* Gregorius *hom. 4. in Ezechielem.* Perinde intelligitur non imputari; imputatur enim peccatum quamdiu eſt; ſicut & bona opera, & fides dicitur reputari ad iuſtitiam ſæpiùs à Paulo, & dicitur merces ad præmium. Bernardus ſerm. 1. de Annuntiatione: *Vtique quod factum eſt, Deo tamen non imputante, erit, quaſi non fuerit*, &c. Scilicet per indulgentiam, & remiſſionem obliteratum, ſanatum, mundatum, vt dicitur de peccatis deletis per Baptiſmum. Quòd autem Auguſtinus dicat, *cap. illo 33. verbis citatis*, illud quod remiſſum eſt, & tegitur, & non imputatur, habere vim quandam occultam; vnde ſeminetur amarus oleaſter, intelligi poteſt de concupiſcentia carnali, vel in ipſis parentibus reſpectiuè ad prolem, quæ etiam, vt naſcitur à parentibus

*Aliquando etiam pro reatu.*

*Quid ſit non imputari.*

Bernardus.

*Explicantur alia verba Aug.*

*Calumnia Pelagianorũ contra Auguſtinum.*

tibus baptizatis, per viam concupiscentiæ, trahit peccatum, & fit oleaster, donec per Baptismum remittatur reatus, tegatur, non imputetur. Vel intelligi potest respectiuè ad personam baptizati; in qua viget adhuc concupiscentia in agonem & certamen, & sollicitans ad peccatum actuale, nisi per gratiam baptismalem, & aliam superadditam remittatur, id est, minuatur, prout fit in Baptismo, vt infrà docet Doctor *quæst. 7. huius §. Respondeo, aliqui dicunt*, &c. & patet ex Augustino variis in locis; vt hîc *capite 32. & cap. 25.* Tegitur etiam per refrænationem eius, & maiori iustitiæ vincente amore: non imputatur, quando ei non datur consensus.

10 *Alia verba Augustini explicantur.*

Alia item verba Augustini, quibus extendere videtur efficaciam Baptismi, ad peccata subsequentia Baptismum, quatenus valet, vt impetretur per ipsum venia eorum, intelligitur eo sensu, quo Baptismus necessariò supponitur ad veniam eorum, quæ per alia media fit, vt sunt ibi enumerata; quia hæc media esse efficacia docet, sed necessariò supponentia Baptismum, & ideò pœnitentia appellatur secunda post naufragium tabula, vt suo loco dicetur. Baptismus enim est medium necessarium ad salutem, & primum, quod applicari debet, & ianua reliquorum, ideò necessariò supponitur, vel in re, vel in voto, ad reliqua media, quæ cum Baptismi contemptu nihil valent ad salutem.

*Quid facit Baptismus ad subsequutem remissionem peccati in baptizato?*

*Argumẽtum Pelagianorum.*

Baptismus ergo reddit subiectum capax reliquorum donorum, atque effectus eorundem. Pelagiani, quos ibidem impugnat Augustinus, captabant fraudulenter argumentum ex illo ad Ephesios 5. *Mundans eam* (supple Ecclesiam) *lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet, &c. non habentem maculam, aut rugam.* Captabant, inquam, argumentum ex hoc, vnde negarent in Ecclesia esse peccatum, eósque hîc impugnat Augustinus; sicut & *lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7.* vbi ex parte hæc ipsa replicat de oratione Dominica; quæ frustrà diceretur ad remissionem peccatorum quotidianorum, nisi dicens esset baptizatus. *Hoc enim propterea, dicunt*, inquit, *vt credatur Ecclesia post Sanctum Baptismum, in quo fit omnium remissio peccatorum, alterius non habere peccatum*, &c.

11 Intentum ergo Augustini est, Ecclesiam reddi sine macula, & ruga per indulgentiam omnium peccatorum in Baptismo; & tamen in singulis suis suppositis adultis habere peccata quotidiana, quia veraciter dicunt, *Dimitte nobis debita nostra*, &c. Ostendit ergo quomodo locus Apostoli intelligendus sit, nempe quoad remissionem plenariam peccatorum præteritorum per Baptismum: & vlteriùs quòd idem lauacrum iam receptum facit ad remissionem eorum, quæ postea cõmittuntur; quia remedia, per quæ delentur, non sunt efficacia, nisi supposito Baptismo in re, aut voto, qui est ianua, & fundamentum reliquorum, sicut est fides: est enim prima natiuitas hominis in Christo, & Sacramentum fidei & initiatorium: nihil ergo Augustinus fauet hæreticis, à quibus longè discrepat, eósque impugnat, quorum error tum non emersit.

Præter citatos errores, fuit etiam quorundam sententia, quam declarat Innocẽtius III. capitulo *Maiores, de Baptismo*; & post eum Clemens V. *Clementina I. de summa Trinitate & fide Catholica*, &c. Vbi quidam dicuntur asseruisse non infundi gratiam, aut virtutes paruulis; quia nullus potest in eis esse vsus ipsarum, donec peruenerint ad ætatem adultam, peccatum verò remitti per Baptismum. Hæc sententia toleratur in illis decretis, quia non condemnatur; & huc magis spectat scopus Doctoris, in hac quæstione.

*Sententia quorundam veterum.*

Conclusio eius est quòd *sicut creditum est paruulo in Baptismo dimitti originale, ita & creditum est sibi gratiam infundi.* Loquitur Doctor de *credito* fide diuina; & eundem gradum certitudinis tribuit his duobus, nempe *per Baptismum remitti originale, & infundi gratiam*: & patet; quia iustificari, mundari, & sanctificari, perinde tribuitur Baptismo, sicut & renasci per ipsum, mori peccato, viuere Christo, infundi Spiritum sanctum in cordibus nostris: vt patet ex Scripturis suprà allegatis. 12 *Conclusio Doctoris.* *Gratiam infundi paruulis.* *Ex Scriptura.*

Eadem veritas patet ex Patribus allegatis suprà de efficacia Baptismi Christi supra Baptismũ Ioannis, eorúmque differentia. Item in commento præcedentis quæstionis; & in commento iam præmisso: Nazianzenus *orat. 40.* Chrysostomus *hom. 40. in Genesim*, id docet de infantibus etiam; & homilia ad neophytos: *Hac de causa*, inquit, *& infantulos baptizamus, vt non sint coinquinati peccato, vt ijs addatur sanctitas, iustitia, adoptio, hereditas, fraternitas Christi, vt eius membra sint omnes, vt Spiritus habitatio fiant*, &c. Lactantius *lib. 7. cap. 5.* Cyprianus *epistola 12. & epist. 6.* Damascenus *lib. 2. fidei, cap. 9.* Cyrillus *lib. 2. in Ioan. cap. 42.* Theodoretus *in epitome diuinor. decretor. cap. de Baptismo.* Augustinus variis in locis partim citatis, partim in aliis contra Pelagianos, & Donatistas. *Ex Patribus.* Nazianzen. Chrysost. Lactant. Cyprian. Damascen. Theodoret.

Hanc tandem velut definitam colligere licet ex Florentino *in Decreto vnionis*, vbi definit omnia Sacramenta nouæ legis causare gratiam, & ex particulari Baptismum, ex Tridentino sess. 5. can. 5. *Si quis per Iesu Christi Domini gratiam quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat*, &c. *Anathema sit: in renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismum in mortem, qui non secundùm carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, & nouum qui secundùm Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, ita vt nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.* Hæc definitio Concilij sine vlla limitatione posita, comprehendit omnes baptizatos, quantùm ad effectum, qui natus est haberi in omnibus, ex vi Sacramenti & secluso obice. 13 Florent. Trident. *Effectus Baptismi.*

Item *sess. 6. cap. 3.* docet sicut peccatum Adæ non potuisset communicari, aut contrahi, nisi ab eo, qui ex semine Adæ propagatus nasceretur: sic etiam, nisi renasceretur in Christo, nunquam iustificaretur: *Cum ea*, inquit, *renascentia per meritũ passionis eius gratia, qua insti fiunt, illis tribuatur*, &c. Hæc autem renascentia fit per lauacrum regenerationis: ergo & gratia collata, quâ renatus fit iustus. Hæc etiam doctrina est vniuersalis respectu omnium, qui in Christo renascuntur. 14 *Renascentia in Christo.*

In capite sequenti docet hanc renascentiam post promulgationem Euangelij, sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse: & *cap. 7.* docet Baptismum esse causam instrumentalem iustificationis, quam definit non *in sola peccatorum remissione consistere* (prout dicebant Pelagiani apud Augustinum lib. de gratia Christi, cap. 38. & 39. & damnat Mileuitan. can. 3.) *sed in sanctificatione etiam, & renouatione interioris hominis* per *Non in sola peccatorum remissione.* *Sed etiam in sanctificatione.*

*per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: vnde homo ex iniuſto ſit iuſtus, & ex inimico amicus, vt ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ*: & hæc omnia cauſat in eo Baptiſmus. Et infrà, cauſam formalem iuſtificationis, per Baptiſmum datæ, aſſerit eſſe *iuſtitiam Dei, non quâ ipſe iuſtus eſt* (vt vanè moderni Nouatores garriunt) *ſed quâ nos iuſtos facit, iuſti nominamur, & ſumus, eam in nobis recipientes.* Et hanc iuſtitiam dicit eſſe charitatem Dei, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret, ſubiungens, *in ipſa iuſtificatione, cum remiſſione peccatorum ſimul recipere ſpem, fidem, & charitatem.*

15 Hæc doctrina plana eſt; & quamuis de iuſtificatione adultorum loquatur, tamen perinde intendit hæc etiam communicari infantibus, qui aliter non diſcernuntur; niſi quòd in adultis exigatur diſpoſitio antecedens iuſtificationem, & Sacramentum, per quod iuſtificantur; infantes autem non ſunt capaces illius diſpoſitionis, quę conſiſtit in actibus liberi arbitrij, cuius in eis non eſt vſus. Idem definit can. 2. *Si quis dixerit homines iuſtificari, vel ſolâ imputatione iuſtitiæ Chriſti, vel ſolâ peccatorum remiſſione, excluſâ gratiâ & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum infundatur, atque illis inhæreat, aut etiam gratiam, quâ iuſtificamur, eſſe tantùm fauorem Dei, anathema ſit.* Canon vniuerſalis eſt comprehendens tam infantes, quàm adultos, qui iuſtificantur; quia ſine illis duobus nequit ſaluari iuſtificatio ex deſcriptione eius ſuppoſitâ à Concilio.

Item *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 6. 7. & 8.* definitur vniuerſim ſacramenta cauſare gratiam quam ſignificant ſecluſo obice. Eandem ſupponit *can. 6. de Baptiſmo.* Et *can. 13.* definit infantes baptizatos computari inter fideles. Et *ſeſſ. 14. c. 1.* eandem veritatem ſupponit, nempe in Baptiſmo dari gratiam. *Si ea*, inquit, *in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam in Baptiſmi ipſius beneficio, & gratia, ſuſceptam, conſtanter tuerentur*, &c. Supponit enim ritum Eccleſiæ baptizandi paruulos, & gratiam recipere: nam rarus eſt inter fideles, qui adultus baptizatur.

16 Aliqui moderni propter ea, quæ dicuntur *in cap. Maiores, de Baptiſmo, & Clementina 1. de ſumma Trinitate & fide Catholica*, dicunt non eſſe de fide, iuſtitiam conſiſtere in habitu & qualitate; ſaltem in adultis, in quibus poteſt eſſe iuſtitia actualis: in infantibus autē id eſſe de fide. Hęc quæſtio magis ſpectat ad materiam de iuſtificatione, quam ibidem differuimus. Alij contrarium docent tanquam proximū fidei ſaltem, modò abſtineatur ab illa appellatione habitus, & qualitatis.

*Vtrùm gratia ſit habitus.*

*Etiam in adultis eſſe habitum ex cōmuni cōſenſu.*

Viris magnis, & grauibus, & benè meritis de ſchola, nolo ex propria opinione præiudicare. Cæterùm videtur mihi ex communi conſenſu veritatem hanc magis tenere in adultis; de quibus nemo videtur inter Doctores antiquos Scholaſticos aliàs dubitaſſe: & primum id confirmo ex authoritate prædictorum Canonum, in quibus tantùm dubitaſſe quoſdam Theologos docetur de effectu gratiæ, & donorum in paruulis, an ipſis communicetur per Baptiſmum? Et ratio eorum fuit, vt inſinuatur, quia vſus prædictorum habituum, nempe gratiæ (quam ipſi ſupponebant conſiſtere in charitate, & eſſe habitum operatiuum, quia alioquin fundamentum eorum non ſubſiſteret) ſpei, & fidei, non potuit eſſe in infantibus, ex defectu, & incapacitate illius ſtatus.

*Probatio ex canonibus.*

*Caſus canonum.*

17 Cæteri autem tam antiqui, quàm moderni Doctores admittebant infuſionem habituum, tam in infantibus quoad rem, licèt quoad vſum, quàm in adultis quoad vtrumque: priores ergo, qui negabant infuſionem gratiæ in infantibus, ideò id negabant, non quòd de efficacia Baptiſmi, quantùm eſt ex parte Sacramenti, dubitauerint, ſed quia putabant nihil otioſè conferri, vbi nullus eius vſus eſſet; & infantes ob defectum ætatis, eſſe incapaces habituum, ſicut & vſus: quæ ratio ceſſat in adultis: ac proinde admittebant in adultis completum effectum Baptiſmi, & habitus infuſos. Quæſtio autem fuit de gratia informante per modum habitus, id eſt, qualitatis permanentis, & informantis: vnde in Clementina ita habetur: *Nos attendentes generaleſ efficaciam mortis Chriſti, quæ per Baptiſmum applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem quæ aſſerit, tam paruulis, quàm adultis dari in Baptiſmo, informantem gratiam duximus eligendam*, &c.

*Cauſa exceptionis infantium.*

*Deciſio.*

*Contenta in Decreto.*

Ex quibus habentur hæc ex communi conſenſu, tam Innocentij *in cap. Maiores, de Baptiſmo*, quàm Clementis, & Concilij Viennenſis, quàm etiam Doctorum diſſentientium, circa effectum Baptiſmi in paruulis. Primum eſt *gratiam conſiſtere in habitu, & qualitate phyſica informante*, de quo, vt dixi, nulla fuit controuerſia. Secundum eſt, *eandem gratiam, & dona concomitantia communicari adultis*, in quibus ceſſat ratio dubitandi alterius partis. Tertium verò fuit in controuerſia ſolùm, *An* ſcilicet, *gratia, & dona darentur paruulis*? Ergo nullum fundamentum peti poteſt dubitandi, an gratia collata per Baptiſmum, & alia Sacramenta, conſiſtat in qualitate, & habitu, id eſt, phyſicè, & permanenter inhærente, & informante?

18 Nulla ratio dubitandi, inquam, ex prædictis Canonibus peti poteſt, neque etiam ex opinione Doctorum diuerſa, quia in iiſdem inſinuatur, cùm contrarium doceant, & ſupponant: neque aliter Tridentinum (quamuis loquatur de iiſdem ſub appellatione iuſtitiæ, & gratiæ, & non habitus, & qualitatis) licet interpretari: nam reipsâ tenet quòd omnes Scholaſtici, & præfati Pontifices docuerunt, aſſerens gratiam renouare interiùs animā, interiùs infundi, ineſſe nobis, denominare verè iuſtum inhærere, augeri, amitti, recuperari; vt patet ex tota ſeſſ. 6. abſtinuit tamen ab appellatione illa Philoſophica, & Scholaſtica, quā dicitur *habitus, & qualitas*; & quam admiſerunt Clemens, & Innocentius, commodiùs ſequens modum loquendi Scripturæ, & Patrum, & antiquorum Conciliorum, in materia de iuſtificatione hominis; reipſa tamen id tenuit, quod alij ſub dictis appellationibus explicant: ſicut & Patres, vbicumque agunt de communicatione Spiritus ſancti hominibus, de reformatione imaginis, de renouatione interioris hominis, de efficacia Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum, de iuſtificatione à peccato, de gratia adoptionis: quibus in locis loquuntur de dono aliquo permanente, communicato hominibus.

*Conuenientia Doctorum.*

*Trident.*

19 Ratio autem dubitandi de iuſtitia, ſeu gratia baptiſmali in adultis, an ſit habitus, cùm ipſi poſſint iuſtificari per actus, eſt noua: nam licèt verum ſit eſſe iuſtitiam actualem in benè operantibus, & adimplentibus legem, longè ab hac diuerſa eſt gratia ſanctificans ex mente Concilij Viennenſis, & Innocentij in illis Decretis, ac etiā Scholaſticorum, ac nouiſſimè Tridentini: nam, vel ille actus antecederet Baptiſmum, & hoc non; quia

*Iuſtitia ſanctificante non conſiſtere in actu.*

quia sic non causaretur à Baptismo, neque significaretur practicè. Deinde Tridentinum cap. 7. explicans necessariam dispositionem adulti ad Baptismum, enumerat actus fidei, spei, dilectionis, pœnitentiæ, & negat in his consistere iustitiam: *Hanc*, inquit, *seu præparationem, iustificatio ipsa consequitur, quæ non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio, & renouatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum*, &c. Cuius causas ibi enumerat, & inter alias Baptismum, dicit augeri secundùm mensuram dispositionis præuiæ, dicit infundi per Spiritum sanctum, & causam eius efficientem esse Deum, meritoriam Christum, instrumentalem Baptismum, nullam autem actiuitatem respectu eius tribuit baptizato, nisi inquantùm se disponit cooperans gratiæ vocationis, quod nequit dici de iustitia, quæ consisteret in actu vitali, ac proinde inter alias causas eius deberet enumerari liberum arbitrium hominis à Deo motum, & excitatum, vt declarat *in cap. 5. & 6. & can. 4. 5. & 6.* sic agere ad actus.

*Baptizatus non producit gratiam sanctificatem ad quam solùm disponit.*

20 *Proprietates habitus permanentis.*

Item, *cap.* 8. dicit ideò nos dici iustificari gratis, quia *neque fides, neque opera, quæ iustificationem antecedunt, ipsam iustificationis gratiam promerentur.* Dicit deinde iustitiam nostram nobis inhærere, & augeri, & amitti; quæ in rigore aliter nequeunt intelligi, quàm de illa, quæ permanenter ineſt. Dicit iustitiam nostram *cap. illo.* 7. consistere *in charitate, quæ diffunditur in cordibus eorum, qui baptizantur*, atque ipsis inhæret.

Item, *in ipsa iustificatione simul cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, & charitatem*, &c. In his quocunque modo textus intelligatur (vt abstineamus ab illa quæstione, An gratia à charitate differat) consistit integra iustitia Christiani, id est, quâ fit homo insertus Christo per Baptismum Christianus. Hæc non possunt referri ad actum: quia ante Baptismum habuit adultus actus fidei, spei, & charitatis: vnde si in ipsis consisteret iustitia, id est, in actibus, non intelligerentur per Baptismum infusa, aut supponi, vt dispositio requisita ad Baptismum adulti: quia de ratione iustitiæ est, (quando ineſt in quocunque gradu,) iustificare. Ex quibus patet in nullo actu, præcedente Baptismum, consistere iustitiam baptismalem.

*Non consistere gratiam sanctificantem in actu antecedente Baptismum.*

21 *Neque in actu consequente.*

Sed neque in actu etiam consequente Baptismum consistit, quia distinguit Concilium gratiam iustificationis ab actibus consequentibus, quos vocat fructum iustificationis, cap. 16. *Hac igitur ratione*, inquit, *iustificatis hominibus, siue acceptam gratiam perpetuò conseruauerint, siue amissam recuperauerint, proponenda sunt verba Apostoli, Abundate in omni opere bono*, &c. vbi distinguit iustitiam, quæ perpetuò conseruari potest, vel amissa recuperari, à bonis operibus consequentibus: sicut eam superiùs distinxit ab operibus antecedentibus; neque Concilium agnoscit vltra hæc, alios actus virtutum, ad quos concurrat liberum arbitrium: neque etiam Patres, aut Scholastici loquendo de operibus, quibus homo iustificatur, neque Scriptura: ergo sine fundamento asseritur potuisse hanc iustitiam, de qua loquimur, adulti, de facto, & lege ordinaria, consistere in actu aliquo suo.

22 *Gratiã causant Sacramenta ex opere operato, quod non ẽpetit actui.*

Accedit quòd hoc tenendo, non rectè definiret Concilium *sess.* 7. de Sacramentis in genere can. 8. *gratiam conferri à Sacramentis nouæ legis ex opere operato*, id est, sine cooperatione liberi arbitrij: maximè ex sententia statuente actum vitalem non posse esse à solo Deo: vnde hæc sententia tollit efficaciam Sacramentorum, eam dico, quam habent ex *opere operato*. Confirmari potest ratione: quia nullo probabili fundamento statui potest gratia adoptionis secundùm speciem, alia in infante, & alia in adulto; aut Baptismum aliam efficaciam, & effectum in specie habere in infante, aliam in adulto: ergo non in alio consistit iustitia, & gratia infantis; in alio, inquam, diuerso specie, à gratia adulti. Patet consequentia ex Tridentino *cap. illo* 7. *sess.* 6. vbi videtur designare vnam, & eandem formam esse iustitiam in omnibus. *Demum*, inquit, *vnica formalis causa est iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit*, &c. In hac iustitia dicit, *cap.* 10. nos crescere per merita, quæ ex fide fiunt, eundo de virtute in virtutem: & *cap.* 14. de lapsis, & eorum reparatione; *Qui verò ab accepta iustificationis gratia, per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt cum excitante Deo per Pœnitentiæ Sacramentum merito Christi amissam gratiam recuperare procurauerint.*

*Confirm.*

*Eadem est in specie efficacia Sacramenti.*

Demus ergo casum ordinarium, infantem baptizatum ad annos discretionis venientem peccando amisisse iustitiam, deinde pœnituisse: peto quam iustitiam recuperauerit? an eam quæ est habitualis, & quam accepit infans, & perdidit adultus? an verò actualem, quæ est adultorum? Si dicas, vel illam, vel hanc, quæ æquiualet. Contrà, quia Concilium debet intelligi in rigore sermonis, & secundùm proprietatem in materia fidei loquens, & vt loquitur de vna simplici forma in specie.

23 *Occurritur fundamento opposito.*

Deinde si ex modo loquendi Patrum contra Pelagianos procedendum sit, cùm appellationem iustitiæ, quæ consistit in actu, tribuat omnibus, & singulis operibus ex gratia factis, cum debitis circunstantiis, videtur hoc fundamentum ex modo loquendi desumptum reddere ambiguum, in quo consistit iustitia, per quam habemus adoptionem, & filiationem: & cùm pœnitentia sit secunda post naufragium tabula, ad recuperandam iustitiam in Baptismo collatam per iustificationem à peccato, non confert aliam in specie iustitiam, quàm sit illa, quæ data est in Baptismo, quantum ad gratiam sanctificantem: sic etiam Eucharistia, quæ ordinatur ad nutriendam eandem iustitiam, & augendam, debet respectu eiusdem formæ esse efficax; non alterius, & perinde de aliis Sacramentis dicendum erit.

24 *Non esse actiũ dilectionis, aut contritionis.*

Quòd si dicas contritionem, aut actum perfectæ dilectionis, quæ non compatiuntur cum peccato, esse iustitiam, hoc est, contra dogma Ecclesiæ, quia hi actus per modum dispositionis tantùm faciunt ad iustitiam quæ consequitur, & in voto Baptismi, aut Pœnitentiæ, vt definit Tridentinum *sess. 6. can. 4. & sessione 14. cap. 4.* vbi dicitur quòd reconciliatio non debet adscribi contritioni, sine Sacramenti voto, quod in ea includitur, & discernitur inter ipsam contritionem, & reconciliationem tanquam diuersas formas: quòd si ex natura actus contritio esset formalis iustitia, non diceretur in voto, & virtute Sacramenti reconciliare, maximè tenendo iustitiam ex natura rei iustificare; prout dicti authores de gratia disserunt. Deinde quando ex attritione cum Sacramento adultus iustificatur, quomodo fieri possit, vt per actualem iustitiam diuersam ab ipsa attritione, (tenendo distinctionem, quam contendunt esse inter hos actus etiam in specie)

*Requiri votũ Sacramenti.*

quomo-

quomodo hoc ſaluari poſſet per actum nouum, quin experientia conſtet iuſtificato ſe recepiſſe iuſtitiam, ſicut habere poteſt experientiam de ſuo actu nouo, & diuerſo, quoad motiuum & obiectum formale. Hac ergo opinione prætermiſſâ,

25 *Probatio cõcluſionis Doctoris.* Concluſio Doctoris patet ratione, quia Baptiſmus eſt efficax reſpectu gratiæ, vbi nullum inuenit obicem, ſed in infante non eſt talis obex: ergo. Maior eſt de fide, ex Trident. *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 6. & 8.* Minor probatur, quia non eſt repugnantia voluntatis contrariæ, non eſt peccatum actuale, quod exigit pœnitentiam, ſolum eſt peccatum originale, quod non eſt obex reſpectu Baptiſmi, quia ad eius deletionem habet efficaciam: non obſtat defectus liberi arbitrij, vt patet ex dictis, quia ſunt capaces gloriæ: ergo & adoptionis, quæ nequit contingere per ſolam remiſſionem peccati originalis: ſicut neque per ſolam remiſſionem peccati inferuntur Chriſto, ſed per gratiam adoptionis filiorum: ergo recipiunt ipſam gratiam: deinde poſſunt ſaluari per martyrium, & Baptiſmo flaminis: ergo ſunt capaces gratiæ.

*Nulla repugnantia eſt infantis ad gratiam.*

*Confirmatio ex conſuetudine.* Confirmari poteſt ex conſuetudine primitiuæ Eccleſiæ, quæ etiamnum in Eccleſia Græca continuatur, infantes communicandi, quamuis in Eccleſia Latina ceſſauit ob reuerentiam Sacramẽti. Euchariſtia autem ex primaria inſtitutione, & per ſe, non ordinatur ad conferendam primam gratiam, ſed augmentum eius, & nutritionem: ergo hæc conſuetudo ſupponebat ex communi ſenſu Eccleſiæ, eos recepiſſe gratiam primam per Baptiſmum, ſecundam per Euchariſtiam, quia alioquin neque communio eſſet licita, neque vllus eius finis aſſignari poſſet, ſi non eſſet fructuoſa: vt ſuo loco videbitur, contra quoſdam aſſerentes fuiſſe infructuoſam quoad effectum gratiæ.

*Communio infantum.*

*Confirmatio infantum.* Confirmari etiam poſſunt infantes, & ſolent, antequam ad annos diſcretionis peruenerint: ergo & recipiunt effectum Sacramenti, ſcilicet gratiam, alioquin non expediret eos confirmare, donec eſſent capaces effectus, quod perinde dici poſſet de ipſo Baptiſmo.

26 *Reſponſio.* Quòd ſi dixeris effectum gratiæ ipſis conferri, cùm primum ad annos diſcretionis peruenerint, niſi ponant obicem, quo etiam ſublato datur gratia debita Sacramento, vt contingit, iuxta receptam ſententiam in ficto baptizato, & mox

*Impugnatur.* pœnitente. Contrà, quidquid ſit de Baptiſmo ob remiſſionem peccati, ſaltem praxis illa communicandi paruulos, & confirmandi, niſi reciperent effectum Sacramenti, eſſet inutilis, quia neque ad reuerentiam Sacramenti, neque ad fructum, & profectum recipientis valeret: idcirco magis conſultum eſſet omiſſio Confirmationis, vſque ad annos diſcretionis, quibus eſſet plenè fructuoſa, quia nullâ neceſſitate præcepti, aut medij confertur infantibus.

27 *Inconueniens ex ſtatu infantiæ.* Et peto vlteriùs de infante baptizato quid fieret, ſi moreretur, aut vbi reciperetur? non in cœlum, quia non haberet gratiam adoptionis, cuius non erat capax, & ſine qua neque primus parens, ſi perſeueraſſet, ſaluaretur, neque Angeli, ſine eadem erant capaces gloriæ, neque vllus ſine hac ſtola ingreditur ad nuptias, non in Infernum, quia non ſunt capaces damnationis, ſicut neque vllum habent peccatum: oportet ergo fingere ipſis locum medium, inter damnationem, & ſalutem, quod reprobant Patres contra Pelagianos: eſtque fidei dogma cuicunque applicatur per medium efficax paſſio Chriſti, ſicut infantibus in Baptiſmo applicatur, eſſe eum in ſtatu ſalutis, ſi nullum habeat peccatum.

Quòd ſi dicas infantibus, in eo caſu, dari gratiam in tranſitu (prout infrà dicetur, remitti venialia quoad culpam in iuſto, vel dari ipſi augmentum gratiæ, correſpondens actibus remiſſis meritoriis in via) hinc colligitur ipſos eſſe capaces gratiæ, ac proinde eam meliùs cauſari per ipſum Sacramentum, quando recipitur.

28 *Infans capax characteris.* Confirmatur ſecundò, quia infantes ſunt capaces characteris: ergo & gratiæ. Antecedens patebit infrà. Conſequentia probatur, quia nequit dari diſparitas; tum quia principaliùs configurantur Chriſto per gratiam, quàm per characterem: quia character poteſt compati cum peccato, & ſecundùm aliquos cum damnatione, non ita gratia: vnde Catechumenus iuſtus, decedens cum gratia, & fide, ſaluatur, non ita deſcedens cum ſolo charactere ſine gratia, batizatus: tum etiam, quia gratia, & dona non otiosè conferuntur infanti, vt falsò ſupponit prior opinio, quia ipſe Baptiſmus non otiosè, aut fruſtra ei confertur, quamuis non habeat in eo plenum effectum in ſententia ipſorum; aliquem tamen habet iuxta capacitatem ſubiecti, nempe remiſſionis peccati; & ideò ipſis eſt vtilis, & neceſſarius. Sic etiam gratia æquè neceſſaria eſt ad ſalutem infantis, per quam ſine operibus ſaluari poteſt, & cum qua ſola, etiam ſine Baptiſmo, ſaluaretur, vt ſi eſſet ſanctificatus in vtero, aut extra vterum; non ita cum ſolo Baptiſmo, & remiſſione peccati, quia ſic conſtituitur tantùm in ſtatu puro naturæ, ſine vlla iuſtitia, aut conformitate ad Chriſtum, excepto charactere, qui non ſufficit ad ſalutem.

*Configuratur Chriſto per gratiam.*

*Non otiosè conferri gratiam infanti.*

*Sola remiſſio peccati non facit ad ſalutem.*

Deinde gratia dat ius ad gloriam, eſtque filiatio, & natiuitas eius in Chriſto, per eandem, & dona, reformatur imago ſecundùm Patres, neque ſunt inutiles in dormientibus, & amentibus perpetuis, poſt vſum rationis habitum, quamuis nequeant tranſire in actum; ergo non ſunt otioſa in infantibus, qui ſunt capaces illorum effectuum.

29 *Si ſubiectum eſt capax priuationis, eſt etiam forma.* Accedit quòd ſicut infans eſt capax in ratione ſubiecti, vt ab eo tollatur macula, quæ conſiſtit in priuatione iuſtitiæ originalis, & gratiæ infuſæ, vel ſaltem tanquam æquiualentis formæ; ita etiam eſt capax ipſius gratiæ: nam iuxta principia Philoſophica (ex quibus procedunt prædicti magis, quàm ex reuelatis) pro quocunque ſtatu ſubiectum eſt capax priuationis, eſt etiam capax formæ oppoſitæ, quantùm eſt ex parte ſubiecti: ergo applicatâ cauſâ efficaci, quæ à nulla diſpoſitione ſubiecti dependet, qualis eſt Baptiſmus (aliàs non haberet remiſſionis peccati in infante effectum) etiam recipit ab ea formam, ſeu habitum priuationi oppoſitum: & ſi alius effectus, qui aliàs conueniret gratiæ per modum principij *quo* efficientis, non habeatur ex impedimento ſubiecti, ſeu alterius conprincipij per ſe requiſiti, vt liberi arbitrij; gratia tamen per modum cauſæ formalis expellentis peccatum non eſſet otioſa.

Ex quibus patet ad fundamentum prætenſum ſententiæ oppoſitæ. Qui autẽm ſtatuunt nó eſſe de fide

fide, aut certum, iustitiam adultorum consistere in aliquo dono habituali, vel probabilius esse, eam consistere in actuali. Adducunt loca quædam Augustini, potissimùm in quibus accommodatur appellatio iustitiæ operibus, & charitati actuali: sed non est huius loci illa examinare; admonendi tamen sunt, Augustinum præfatis in locis ex scopo differere contra Pelagianos de iustitia operum bonorum, & adiutoriis gratiæ necessariis, & comprehendere, vel supponere quidquid per se requiritur ad opera digna præmio, & completè bona, & dona habitualia conuenire cum actualibus nomine adiutorij, quandoque; quamuis aliquando discernantur. Sed de hoc per occasionem opportunam in materia de iustificatione: hîc enim agitur solùm de iustitia, vt est effectus Sacramenti.

*Augustini scopus.*

30 *Ad primum. Infundi fidē, spem, & charitatem.*

b *Ad primum argumentum*, &c. In responsione ad primum, docet Doctor, fidem, & spem infundi simul, & gratiam vniuersaliter in prima iustificatione peccatoris, & speciatim infantibus. Probat, quia *Dei perfecta sunt opera*: & quando sanat, sanat perfectè: & ratio Innocentij *cap. Maiores, de Baptismo*, & Hieronymi *contra Pelagianos*. Patet hæc conclusio ex dictis; nam Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* id expresè docet, & Clementina prima, & Innocentius tanquam veriorem; est communis Theologorum: & hac ratione Baptismus vocatur ad Hebræos 6. *illuminatio*; quam proprietatem eidem tribuunt Patres, quos suprà citauimus. Patet etiam ad Hebræos 2. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Vbi Patres, & expositores de necessitate fidei ad salutem differunt. Item 1 *ad Corinth.* 13. vbi agitur de fide, spe, & charitate, tanquam de integra iustitia: fides enim & spes spectant ad integritatem iustitiæ: vnde infantes computantur inter veros fideles, vt definit Tridentinum *sess. 7. de Baptismo can.* 13. Augustinus *lib. 1. de peccator. merit. & remiss. cap. 19. & lib. 3. cap.* 2. Hoc idem supponunt Patres, differentes de Baptismo infantum, cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, & initiatio hominis Christiani, inserens baptizatos in Christo, communicat fidem infusam, & principium credendi. Alia ibi de necessitate fidei differit Doctor, quæ fusiùs tractat *in 3. dist. 23.* vbi docet necessariò fidem infusam admitti propter authoritatem Patrum & Scripturæ, quamuis probari non possit ratione, aut demonstrari; quod perinde docet de aliis virtutibus infusis.

Trident.

*Necessitas fidei.*

*Infantes baptizatos esse fideles.*

31 *Ad secūdum.*

c *Ad secundum principale dicitur*, &c. Hæc responsio est Alensis 4. *part. sum. quæst. 8. m. 7. art. 7. & m. 8. art. 3. §. 1.* Vbi admittit requiri fidem in offerente, aut suscipiente paruulum, vt ei coniungatur gratia. Hanc rectè impugnat Doctor; primò si offerens esset infidelis, & idem de parentibus, adhuc validè baptizatur infans. Respondetur fidem Ecclesiæ valere. Contrà, inquit Doctor, quia etiam dato quòd nullus esset in Ecclesia fidelis, adhuc valeret baptismus saluâ intentione faciendi quod fecit Christus. Respondet quidam nostræ scholæ modernus scriptor, quòd argumentum supponit impossibile, quia Ecclesia semper manebit fidelis. Sed hæc responsio non valet, quia etiam ad cognoscendam causam præcisam alicuius effectus, admittitur suppositio impossibilis non implicans ex terminis: hîc autem quæritur de causa, per quam præcisè coniungitur gratia paruulo, non de instrumentali, quæ est Baptismus, sed de meritoria.

*Non requiri fidem Ministri.*

Respondet autem Doctor quòd nullam aliam causam oportet assignare præter Christum, quæ extrinseca est, & per quam primò coniungatur Deo, nempe *per redemptionem, quæ est in Christo Iesu.* Idem docet Tridentin. *cap. 7. suprà*: aliam autem non oportet esse extrinsecam, qualis esset fides offerentium, neque etiam intrinsecam in recipiente gratiam, vt patet ex Tridentino *sess. 6. cap.* 8. vbi negatur etiam & fidem & opera, quæ antecedunt, in adulto per modum præparationis, & dispositionis, ipsam gratiam iustificationis mereri. Loquitur autem de merito rigoroso, seu condigno: & veritas hæc satis liquet contra Pelagianos. In paruulo autem ipse Baptismus applicat meritum passionis, vt docet Clementina *loco suprà citato*, & Tridentinum *sess. 5. de peccato orig. can. 3.* non per hoc negatur in fide Ecclesiæ offerri infantes, vt quidam Patres dicunt, quos aliàs citauimus, & baptizari, sicut & Tridentinum *sess. 7. de Baptismo can.* 13. asserit: quia per hoc non intenditur quòd fides Ecclesiæ habeat rationem causæ meritoriæ: sed de fide agitur, vt reducitur ad intentionem legitimam, & ministerialem baptizandi, vel de fide vt est alligata ipsi Sacramento, tanquam articulo credito, & cui annexa est professio fidei tanquam institutioni hominis Christiani. Nescio quâ ratione idem modernus hanc quæstionem reducat ad virtutes morales infusas paruulo, tanquam de mente Scoti, qui contrarium planè tenet, negando morales per se infusas *in 3. dist. 36.* & hîc tantùm loquitur de Theologicis: & quæstio, vt antiquitùs mota fuit, charitatem, fidem, & spem tangebat.

32 *Solus Christus causa meritoria iustificationis.*

*Non clari morales.*

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm paruulus in ventre matris baptizari possit?*

Alens. 4. *part. quæst. 17. m. 2.* D. Bonauent. *d. 6. p. 2. art. 1. quæst. 1.* Rich. *ibi art. 2. quæst. 1.* D. Thom. *quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. & 3. part. quæst. 68. art. 11.* Suarez *ibi d. 27. sect. 3. qui omnes cum Doct. & communi negant. Sed* Caiet. *ibi temerè ait paruulum in vtero, per Baptismum in voto, saluari.*

AD tertium sic proceditur, & arguitur quòd paruulus in vtero possit baptizari, quia donum Dei perfectius est, quàm peccatum Adæ, vt patet *Rom. 5.* paruulus autem in vtero matris potest inficì peccato Adæ: ergo potest perfici dono Dei, & sic recipere Sacramentum perfectius. 1 *Argum. 1.*

Item, paruulus in vtero potest liberari à seruitute temporali. Patet ex manumissione matris: ergo, &c. potest ergo ibi baptizari. *Argum. 2.*

*Argum.3.* Item Rom.11.cap.*Si radix ſancta,& rami:* Mater ſancta comparatur arbori,ramus autem dicitur proles in vtero: ergo,&c.

*Ratio ad cpp.* Contrà,1.Cor.15. *Non prius quod ſpirituale,ſed quod animale,deinde quod ſpirituale:*ergo priùs oportet naſci carnaliter, quàm ſpiritualiter renaſci. Item,vt vult Iſidorus, *Qui natus ſecundùm Adam non eſt, renaſci per Baptiſmum non poteſt.*

## SCHOLIVM.

*Reijcit opinionem Richardi dicentis, ideò paruulum non poſſe in vtero baptizari,quia coniunctus eſt cauſæ ſuæ corruptionis; hinc enim ſequeretur, quòd non poſſet habere Baptiſmum flaminis, vel ſanguinis in vtero; quod eſt falſum, & contra Auguſt.17. Ciuit. 7. quia Baptiſmus ſanguinis omnibus valet, vt tenet communis cum D.Thom.2.2.q.124.art.1. & quodl. 6. art.4. & omnes hîc contra Armachan.lib.8.de quæſt. Armen.cap.27.& Adrian.quæſt.vlt.de Bapt.*

2 *Petrus de Tarant. lib. 4. diſt. 6. problem. 2. q.1.* Dicitur [a] quòd non, quia paruulus in matris vtero coniunctus eſt cauſæ ſuæ corruptionis: tale autem ſic coniunctum, non poteſt mundari dum coniunctum eſt.

Contrà, quia caro matris in paruulo non eſt cauſa corruptionis,niſi mediata: caro autem ipſa paruuli eſt cauſa immediata, loquendo de corruptione originali (ſtatim enim cùm anima paruuli informat carnem eius, inficitur illâ corruptione) immediatiùs ergo cauſat corruptionem iſtam in paruulo caro ſua, quàm caro matris. Si ergo ſtante conjunctione ad cauſam corruptionis, non poteſt purgari ea per te, ſequitur quòd paruulus habens carnem ſuam propriam, nunquam à peccato originali poteſt purgari: quod eſt contra fidem.

Item, licèt paruulus in vtero matris ſit coniunctus matri localiter: tamen eſt diſtinctus ab ea perſonaliter, quia habet aliud corpus, & aliam animam: ſed diſtinctio perſonalis ſufficit ad diſtinctionem ſecundùm peccatum, vel iuſtitiam, & non iuſtitiam; nam peccatum, & iuſtitia inſunt iſti perſonæ ſecundùm quòd hæc, non quia in tali, vel tali loco: ergo non obſtante illâ coniunctione locali propter diſtinctionem perſonalem, poteſt paruulus eſſe iuſtus, licèt mater qualitercumque habeat ſe ad iuſtitiam.

Item, ſi non poſſet cum coniunctione iſta ad cauſam corruptionis ſtare gratia in paruulo: ergo non poſſet paruulus in vtero habere Baptiſmum flaminis, vel ſanguinis, quorum vtrumque eſt falſum. De flamine patet de Ieremia, *Ierem.* 1. & de Ioan. Baptiſta, *Lucæ* 1. & de matre Chriſti hoc tenet firmiter Eccleſia.

*De hoc 3. d.3.q.1. vbi de concept. B.Virg. In vtero baptizari poteſt quis flamine & ſanguine.*

De ſecundo patet per hoc, quòd ſi quis perſequitur matrem grauidam, eadem de cauſa perſequitur paruulum in vtero eius: ergo ſi mater occiditur pro iuſtitia, ſimiliter & paruulus. Si autem paruulus occideretur extra vterum, haberet Baptiſmum ſanguinis, ſi pro iuſtitia, vel fide occideretur etiam non baptizatus: ergo eodem modo rationabile eſt, quòd Deus non contemnet eum,pro ſimili cauſa in vtero matris paſſum.

Et ex hoc poteſt argui contra opinionem, quia ſi paruulus poteſt habere Baptiſmum flaminis:ergo poteſt habere purgationem à peccato originali. Sed coniunctus matri,quæ eſt cauſa corruptionis, per te poteſt habere Baptiſmum flaminis: ergo,&c.

## COMMENTARIVS.

1 *Concluſio communis, ſine Baptiſmo damnari infantem.* a *Dicitur quòd non,*&c. Concluſio communis omnium, tam Patrum, quàm Conciliorum, quàm etiam Scholaſticorum, hîc ſupponitur;quam probat Doctor ex Apoſtolo, & Iſidoro, argumento liminari contra obiecta ad oppoſitum;nempe paruulum ſine Baptiſmo decedentem in vtero materno,aut extra vterum,damnari. Vnde ab omnibus notatur ſententia Caietani 3.*part. quæſt.68.art.2. & art.11.* dicentis votum, & fidem parentum pro paruulis in neceſſitate, ſiue intra, ſiue extra vterum, quando Baptiſmus applicari non poteſt,valere ad ſalutem.

*Sententia Caietani.*

*Confutatur.* Hæc ſententia Caietani omiſſa eſt iuſſu Pij V. in Commentariis Romæ impreſſis; & de facili confutatur ex iis, quæ de neceſſitate Baptiſmi traduntur in Scriptura:vt Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit,*&c. Quæ eſt vniuerſalis regula quoad omnes, quibus Baptiſmus in re, vel in voto, aut certè æquiualens,vt Baptiſmus ſanguinis,aut flaminis applicari nequit; eámque perpetuò ſupponit Auguſtinus contra Pelagianos, & probat locis ſuprà citatis,vt contra Vincentium Victorem *in lib. de Anima, & eius origine.* contra Pelagium; *in lib. de peccator. merit. & remiſſ. & lib. de gratia Chriſti,cap.*8. *de bono perſeuerantia,cap.*12. omnium Patrum, quos ſuprà citauimus de Baptiſmo infantium, & eius neceſsitate,& reliquorum interpretum in prædictum locum Ioannis, & in Matthæi vltimum, *Baptizantes eos,*&c. aliiſque in locis, vbi denotatur neceſsitas Baptiſmi. Patet ex cap. *Maiores,de Baptiſmo;*ex Conſtantienſi *ſeſſ.*15. ex Trident. *ſeſſ.*5. *can.*3. *ſeſſ.*6. *cap.*4. deſcribente, *iuſtificationem eſſe tranſlationem ab eo ſtatu,in quo quis naſcitur filius primi Adam,in ſtatũ gratiæ,& adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum. Quæ quidem tranſlatio*, inquit, *poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto, fieri non poteſt, ſicut ſcriptum eſt: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto,non poteſt introire in regnum Dei.*

Ioan.3. *Regula generalis.* *Auguſtin.* *Lateran. Conſtantienſ. Trident.*

Item *ſeſſ.*7. *de Sacram. in genere can.* 4. damnat negantes Sacramenta nouæ legis eſſe neceſſaria

ad

2 ad salutem, quod potissimùm ob necessitatem Baptismi, & Pœnitentiæ docet; vt patet ex clausula finali, vbi docet omnia singulis non esse necessaria; & *de Baptismo can. 5.* damnat asserentes Baptismum liberum esse, hoc est non esse necessarium ad salutem. Aliqui autem damnant sententiam præfatam hæresis; alij erroris, & temeritatis. Notatur similiter Gerson quòd monuerit in simili casu offerri debere infantes, atque pro ipsis orari; *serm. de Annunt. B. Virginis, part. 3. consid. 2.* Sed magis excusandi sunt, quia non dogmaticè id asseruerunt; sed ex quadam pietate, admonendo parentes, & alios, vt præstent quod possint, cùm alia facultas non suppetat, & oratione recurrant ad Deum pro salute filiorum, cùm aliud medium humanum non superfit; hoc autem licet & expedit. Non est ergo præsumendum Doctores Catholicos, & exercitatos voluisse defendere contra certam regulam Ecclesiæ, fidem, & votum parentum valere tantum, promulgato Euangelio, quantum olim remedium legis naturæ, aut fides protestata in sacrificio pro paruulis; vel esse certum, & indubitatum remedium, aut ex pacto, & promissione diuina efficax: sed consuluisse, vt quoniam virtus Dei non sit alligata Sacramentis, & magna sit virtus fidei recurrentis ad Deum, deficiente alio quocumque medio, vt parentes cum fide ad Deum in casu necessitatis recurrant. Malo autem interpretari sic dictos authores, quantumlibet incautè discurrant, quàm calumniam intentare, quorum proculdubio intentio sincera fuit, & sub correctione, expressa, vt Caietanus loquitur in commento articuli 2. Reiicitur etiam prædicta sententia ex iis, quæ Doctor tangit in calce præcedentis quæstionis contra Alensem & Richardum *dist. 4. art. 1. quæst. 1.*

*Cæsura aliorum.*

Gerson.

*Excusantur.*

*Non dogmaticè loquuntur.*

3 Suppositâ autem conclusione communi, quidam negant baptizari infantem posse in vtero; ex eo quòd infans coniunctus causæ suæ corruptionis, nequeat mundari, quamdiu ita sit coniunctus: citatur pro hac Petrus à Tarantasia *in 4. dist. 6. problemate 6. quæst. 2.* Eandem solutionem insinuat Richardus *art. 2. quæst. 3.* in corpore, & *responsione ad 1.* vbi dicit fidem Ecclesiæ ex diuina ordinatione disponere paruulum ad receptionem Baptismi: & hoc impugnat specialiter ratio Doctoris: quia si esset ex diuina ordinatione dispositio requisita, sine ea nihil fieret; sicut nihil fieret in adulto sine suo consensu, aut sine intentione ministri: illud autem est falsum ex Tridentino; quia Sacramenta perficiuntur ex rebus, & verbis, tanquam materiâ & formâ, & intentione ministri. Neque fides Ecclesiæ elicita subsistit respectiuè ad paruulum, nisi vt est in parentibus, aut ministro, in quibus fides esse non potest, quamuis paruulus validè baptizetur saluatis reliquis.

*Non posse baptizari infantē in vtero.*

Tarantasia.

Richardus.

*Fides Ecclesiæ non est dispositio necessaria ad Baptismū infantis.*

Sed aliam priorem subsstituit Richardus, eámque impugnat Doctor, & benè; primò quia caro matris, est causa mediata corruptionis, supple peccati in paruulo; sed immediata & proxima, est ipsa caro infantis; vt patet ex Anselmo de Conceptu virginali cap. 11. vsque ad 17. Augustino *lib. 1. de Gen. ad literam, cap. 19. & 20. & lib. 2. contra Iulianum, & lib. 5. c. 9. epist. 89. quæst. 3.* Et supponunt Concilia antiqua cum Tridentino *sess. 5. & 6. cap. 3.* & communis Theologorum de peccato originali: sed causa immediata effectus habet cum eo maiorem connexionem, quàm remota: cùm ergo caro pueri sit semper coniuncta animæ dum viuit, vt est capax Baptismi, & mundationis à peccato, sequeretur quòd nunquam esset capax remedij, quod est contra fidem.

*Caro pueri causa proxima peccati.*

Anselmus.

Augustin.

Trident.

*Causa immediata magis coniungitur effectui, quàm remota.*

Secundò, quia status iustitiæ & peccati attenditur secundùm diuersitatem suppositorum, seu personarum; sed infans in vtero matris est aliud suppositum: ergo capax iustitiæ, aut peccati, qualitercumque se habeat ad hæc mater gestans vterum.

*Infans diuersum suppositum à matre.*

Tertiò, quia infans, non obstante coniunctione cum matre, potest in vtero habere Baptismum flaminis, vt constat per exempla, & Baptismum etiam sanguinis, vt si quis propter fidem persequatur matrem, persequitur & partum; & sicut mater occumbit propter fidem, & iustitiam, ita & filius: & idem de infante etiam nato, & occumbente per martyrium asserit saluari absque alio Baptismo aquæ.

*Potest in vtero habere Baptismum flaminis.*

*Et martyrij.*

4 Quoad primum casum eandem resolutionem tenet Richardus *hac dist. art. 2. q. 3.* Gabriel *quæst. 2. art. 3. dub. 2.* Paludanus *dub. 6. q. 1. art. 3.* Ratio est, quia qui persequitur matrem, persequitur infantem, cuius vita dependet à vita matris, & qua priuatur simul cum matre in odium fidei: & idem dicendum si occidatur infans solus in odium fidei; quamuis mater ex tormentis supersit, in quibus occumbit infans in vtero: quod intelligo, si mors eius per se ex persecutione Tyranni sequatur, & non per accidens.

*Quod infans in vtero saluetur per martyrium.*

Secundus casus patet à paritate rationis, quia Innocentes fuerunt Martyres, nec aliâ ratione, nisi quia propter Christum occisi sunt ab Herode, vt communis schola tenet cum sanctis Patribus, & Ecclesia. D. Thomas *2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. & quæst. 6. art. 4.* Patet ex festo, & officio quod cantat Ecclesia: *Innocentes pro Christo infantes occisi sunt*, &c. & in oratione, *Deus cuius hodiernæ die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, &c. Cyprianus serm. de Stella Magis; *Dum putat perdere quos occidit, melioris vitæ statum eis procurat*, &c. Augustinus *serm. 10. de Sanctis, & serm. 1. de Innocentibus, & lib. 3. de libero arbitrio, cap. 23.* & aliàs. Origenes *homil. 3. in varios locos Euangelij.* Leo Papa *serm. 1. de Epiphania*, & communiter omnes Patres in homiliis, & sermonibus de sanctis Innocentibus, & expositores. Ex quibus manet confirmatus prior casus ex fundamento Patrum, quia licèt salus prædictorum infantum referri possit in Circumcisionem, tamè probabile est à bimatu, & infrà, interfectos fuisse aliquos nondum circumcisos ante octauum diem: hos autem comprehendi in numero electorum, & innocentum patet, quia nulla fit exceptio aliquorum: ergo idem dicendum de non baptizatis interfectis propter Christum. Deinde Patres, & Ecclesia appellat omnes Martyres ratione mortis datæ in odium Christi, & sanguinis effusi in confessionem nominis eius, *non loquendo*, vt cantat Ecclesia, *sed moriendo*: ergo hoc sufficit ad salutem infantis, qui neque corde credere, neque ore confiteri ad salutem potest.

*Extra vterū etiam saluatur, sicut Innocentes.*

D. Thom.

*Innocētes verè Martyres.*

Cyprian.

Augustin.

Origenes.

Leo Papa.

*Occisi aliqui non circumcisi infantes.*

*Ad martyrii confessio per passionē sufficit.*

Tertiò, quia non in Circumcisionem, aut aliud quodcumque refert Ecclesia, aut Patres ad salutem ipsorum, sed in martyrium, quod subierunt, quia ne verbum quidem fit de eorum Circumcisione, sed de morte & martyrio: ergo id sufficit ad salutem quibuscumque infantibus, quia eadem conditio omnium quoad hoc.

5 *Martyrium, & salus innocentum in passionem refertur solùm.*

Quartò, si à Circumcisione penderet effectus martyrij in ipsis quoad salutem, Ecclesia hanc limitationem exponeret, nec promiscuè omnes posset colere, aut pro Sanctis prædicare.

*Non dependet à Circumcisione.*

*Catechumenus sit martyr.*

Quintò, nihil obstat nisi defectus Baptismi, hoc autem non obest, quia Catechumenus pro Christo occumbens in suo sanguine baptizatur *de consecrat. dist. 4. cap. Catechumenum:* nam in Martyrio tota Baptismi Sacramenta complentur, vt ibi dicitur, & de dogmatibus Ecclesiasticis, c. 74. Vide Augustinum lib. 4. contra Donatistas, cap. 21. & lib. 13. de Ciuitate, cap. 7. *Quicumque non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte Baptismatis*, &c. Sed dices, in infante nequit esse Martyrium, vbi nec fides, nec confessio esse potest. Contra, hoc damnatur ex præmissis de martyrio Innocentum; in quibus neque fides, neque confessio fuit cordis, sed mortis: quia *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, vt cantat Ecclesia cum Augustino serm. 4. de iisdem.

Fulgent. Augustin.

6 *Confessio perinde ad Sacramentum requiritur, sicut ad martyrium.* Augustin.

Deinde non minùs ad Baptismum requiritur fides, & confessio, quàm ad martyrium, vbi defectus ætatis, & impossibilitas non excusat, sicut excusat infantes: nam Matthæi vltimo dicitur, *Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit; qui non crediderit condemnabitur.* Vnde Augustinus *suprà cap. 24.* ostendit necessitatem vtriusque, & infantes à fide cordis, & confessione oris excusari, ob defectum ætatis, pro quibus alij proinde spondent, & respondent in Baptismo: sed in martyrio similiter ipse sanguis, & mors atque odium Tyranni substituitur confessioni, & fidei in iisdem: vnde dicuntur non loquendo, sed moriendo confiteri Christum: ergo sicut fructuosè baptizantur, ita & confitentur fructuosè Christum per martyrium illatum. Neque enim ideò dicuntur confiteri Christum innocentes, quia circumcisi sunt, sed quia mortui sunt propter Christum; in quibus martyrium, non secus ac Baptismus ex opere operato delet originale, & configurantur Christo, eiúsque morti, qui propter iustitiam innocens occisus est. Vnde Clemens *lib. 5. Constitut. cap. 5. alias 7.* dicit Baptismum Catechumeni veriorem esse ipsum martyrium; in quo non tantùm secundùm figuram, sicut in aqua baptismali, sed etiam reipsa commoritur Christo.

*Baptismus martyrio cõparatur.*

Armachanus *lib. 8. de quæstionibus Armenorum*, & Adrianus *in 4. quæst. vltima de Baptismo ad 3.* licèt non omnino definiant, asserunt tamen probabiliter oppositum huius, etiam de Innocentibus dicentes, nihil sanctitatis, aut gratię per mortem acquisiuisse; quin etiam eos, qui incircumcisi fuerunt in illis non fuisse saluatos. Hoc meritò ab omnibus temerarium, & erroneum iudicatur, quia alioquin errorem inurit Ecclesiæ, & Patribus in cultu eorum, qui censentur ab iis veri Martyres, eorúmque passio colitur, quæ si nihil ipsis gratiæ, aut sanctitatis conferret, non esset materia cultus specialis. Eiusdem sententiæ videtur Alensis 4. *part. quæst. 8. m. 9. art. 5.* in quo agit de excessu Baptismi aquæ, vt comparatur ad Baptismum sanguinis: primò quia illud prodest pluribus, nempe adultis, & paruulis, hoc verò solis adultis: & ad calcem dicit, quòd illud tollit originale, & actuale, hoc verò nequaquam; sed ex bono meliorem facit, non verò de malo bonum: sicut Baptismus sanguinis bonum, sic facit Baptismus aquæ. Vasquez magis excusat hanc sententiam, quàm priorem; non inuenio tamen quid differentiæ sit inter Innocentes, & quoscumque alios infantes pro Christo occisos; cùm eadem sit causa salutis, & efficacia martyrij in omnibus. Fundamento oppositò respondet ratio præmissa; & citari possunt pro hac conclusione, quæ Patres docent de efficacia Baptismi sanguinis.

7 *Sententia negatiua.* Armachan. Adrianus. *Nihil conferri infanti per martyrium. Impugnatur.*

Alensis. *Differentia pretensa Baptismi aquæ, & sanguinis.*

Vasquez. *Reijcitur.*

## SCHOLIVM.

*Si nihil pueri extra vterum est, baptizabilis non est, si pars principalis, sic; si autem pars minùs principalis appareat, baptizandus est, & postea natus, sub conditione rebaptizandus. Quod addit puerum de ponte eiectum non esse baptizatum, id tenent* Richard. *hic art. 4. q. 2.* Palud. *d. 6. q. 1. art. 3.* Marsil. *4. q. 4. art. 4. dub. 8.* Soto *d. 3. q. vn. art. 8. fin.* Sylueſt. *v. Baptismus 4. §. 10. & 5. §. 1.* Auguſt. & Armil. *ibi.* Scot. *d. 5. q. 3. innuit oppositum, vel saltem manet dubius.*

3 Ad [b] quæstionem dico, quòd vel puer secundùm omnes partes est in vtero matris: vel secundùm aliquam partem apparet extra vterum. Si primo modo, dico quòd non potest baptizari: non propter rationem priorem, quia coniunctus est causæ corruptionis: sed quia Baptismus est lotio, vel ablutio in aqua: sed paruulus sic in vtero, non potest lauari, quia nec sic immediatè tangi ab aqua.

*De hoc infr. d. 5. q. 3.* Ex hoc sequitur [c] corollarium, quòd si paruulus corio inuolueretur, & illud poneretur in aqua, ita quòd aqua non tangeret corpus, non esset baptizatus: sed si tangeretur aquâ, benè; sed proiectus de ponte non, quia hoc non est ad vitam ordinatum, vel lotionem, sed ad mortem.

*Partẽ principalem baptizari sat est.* Si secundò [d] modo sic; aut apparet pars principalis, vt caput, & tunc potest baptizari in illa parte: & in hoc etiam simpliciter baptizari: non est enim verisimile, quòd in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia, *Act. 2.* quòd quilibet quantùm ad totum corpus suum lauaretur aquâ, sed præcisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantùm ad caput perfundendo. Et in isto casu, si pòst puer nasceretur, non oporteret ipsum baptizare. Si autem apparet pars minùs principalis, scilicet manus, vel pes, illa est baptizanda, quia ibi est tota anima, licèt non omnis sensus, sicut in capite. Et si hoc minùs sufficeret ad hoc, vt esset simpliciter baptizatus, si nasceretur postea viuus, esset sub conditione baptizandus, vt docetur *Extrau. de Baptismo, & eius effectu, cap. de quibus.* Credendum enim est, quòd Deus suppleret illud, quod impotentia impediret: talis enim etsi mortuus nascitur, sepeliendus est in terra benedicta, ratione dictâ.

*Parte minùs principali baptizata non fit Baptismus certus.*

Ad

Ad primum concedo, quòd Deus per donum suum, potest iustificare paruulum non natum, sicut fuit de Ieremia, Ioan. Baptista, de Virgine Maria: sed non per istud Sacramentum, quia dum est in vtero matris, capax non est huius Sacramenti. 4 *Ad arg.* 1.

Ad secundum dico, quòd quantùm ad seruitutem temporalem, filius dum est in vtero, non est distinctus à matre: non enim habet dominus dominium in paruulo, nisi quia in matre: sed quantùm ad seruitutem, vel libertatem spiritualem, non est simile, quia ista respicit distinctam personam: paruulus autem in vtero, est ita distinctus in persona à matre, sicut extra vterum. *Ad* 2.

Ad tertium, concedo, quòd fructus inquantum est aliquid arboris, sequitur conditionem arboris: tamen inquantum est aliquid in se, potest habere conditiones oppositas arbori in se: potest enim fructus esse mollis, & arbor dura. Sic in proposito, quia iustitia & iniustitia respicit personam in se, non vt coniunctam, vel diuisam localiter, respectu alterius personæ: & ideò iustitia potest competere proli, licèt non matri, & è conuerso. *Ad* 3.

*Aliter potest dici ad intentionem Apostoli, sed hoc sufficit hîc. Ibi enim,* 11. *c. reprehendit Romanos ab insultatione Iudæorum, dicebant Iudæos esse ramos excisos, & aliquos insertos, propter hoc, dicit aliquos Iudæos bonos esse, & non excisos, sed naturales ramos. Sic dicendo,* si radix sancta est, *id est, Patriarchæ, qui fuerunt quasi radices plebis Iudaïcæ,* & rami, *scilicet Sancti; patet de Apostolis, qui fuerunt Iudæi.* ADDITIO.

Circa secundum membrum distinctionis de recipiente Sacramentum, & non rem Sacramenti, quod præcisè conuenit adultis, quæro duo. Primò, Vtrùm adultus non consentiens potest recipere effectum Baptismi? Secundò, Vtrùm adultus fictus recipiat effectum Baptismi?

## COMMENTARIVS.

8 *Quarta conclusio.* Alensis. D. Thom. b *AD quæstionem dico.* Quarta conclusio quoad primam partem est communis. Alensis 4. *part. quæst.* 8. *m.* 7. *art.* 1. §. 2. citat varias rationes veterum, quæ per rationem suprà allatam à Doctore confutantur. D. Thomas 3. *part. quæst.* 8. *art.* 11. & cæteri Doctores *in hac dist.* 4. Patet ex Augustino *lib.* 6. *contra Iulianum cap.* 1. 6. & 8. *cap. Si quidquid, de consecrat. dist.* 4. In Concilio Neocæsariensi *cap.* 6. negatur Baptismum prægnantis valere partui. Ratio autem est, quia nequit ablui, aut tangi aquâ; quòd si contrarium posset fieri, & saluari sufficiens ablutio, validè baptizaretur à sensu contrario. Augustin.

9 *Incluſus corio non baptizatur.* c *Ex hoc sequitur corollarium,* &c. Exprimit duos casus, in quibus Baptismus est nullus; primus, si in corio inuoluatur infans, ita vt aqua non tangat eius corpus, non erit baptizatus; & perinde est de alio quocumque inuolucro prohibente contactum aquæ, si aliquo modo non adhæreat, vt pars quædam connaturalis corpori: quod dico propter secundinas, quibus inuoluitur infans: quia aliqui putant, si tangatur sic inuolutus secundinis, fore baptizatum; vt Syluester, & Summa Rosellæ, verbo *Baptismus*; & Vasquez *disp.* 145. *cap.* 4. Syluester. Rosella. Vasquez.

*Dubius est baptismus infantis in secundinis, nisi aqua tangat corpus.* Cæterùm res hæc non videtur dubio carere, quia secundinæ non videntur adhærere corpori, vt pars eius, siue animata, siue inanimata, quæ faciat ad integritatem corporis, aut substantiam, aut aliquid eius; & fortè propter inuolucrum secundinarum negant Doctores communiter baptizari posse infantem in vtero matris, aut tangi aqua, de quo nihil mihi constat, cùm hoc decernere magis ad medicos, & obstetrices spectet. Si tamen vrgeret casus necessitatis, sic etiam esset baptizandus in festinatione periculi, & cùm Doctores graues id affirment valere, sepeliendus esset in loco sacro.

10 *Casus de proiecto infante* Secundus casus est, de infante proiecto ex ponte in aquam, in qua esset submergendus; dicit non esse verè baptizatum, neque ablutionem il-



lam esse baptismalem; quæ non ad mortem per se tendat, sicut illa infantis proturbatio ex ponte in flumen, & quæcumque similis ad mortem per se tendens. De hac etiam agit *dist.* 5. *quæst.* 3. quam tenent omnes Doctores citati à Scholiaste; estque magis communis antiquorum, qui casum formant, pro qua etiam citari potest Holcot *in* 4. *quæst.* 1. *art.* 7. *casu* 2. qui licèt doceat infantem saluari Deo supplente defectum, docet non esse verum Baptismũ. Eum sequitur Aliacensis *in* 4. *q.* 2. *ex ponte non esset baptizatus.*

Gabriel autem *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. tenet contrariam; quem sequitur Vasquez, vt probabiliorem *loco iam citato, cap.* 3. Suarez *disp.* 20. *sect.* 3. Rosella verbo *Baptismus.* *Sententia affirmatiua.* Gabriel. Vasquez. Suarez. Rosella.

Ratio Doctoris est, quia ablutio baptismalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem, per se nempe. Sed respondet Suarez committi æquiuocationem, quia vita ad quam ordinatur Baptismus est vita animæ, & non corporis. Vnde si Sacerdos intendens etiam mortem infantis, immergat eum aqua calidissima, ex qua immersione sequatur eius certa mors, modò simul habeat animum baptizandi, erit verus Baptismus. *Respõsio Suarez.*

11 *Respõdet Vasquez.* Aliam instantiam assignat Vasquez dicens: si Sacerdos mergat Catechumenum in fontem, ex quo eum casu non possit extrahere, sed submergatur, modò adsit intentio baptizandi, & cætera adsint, verè baptizat. Contrà tamen ratio Doctoris adhuc persistit, quia non intelligit ablutionem ordinari ad vitam in eo sensu, quo eam interpretãtur præfati Doctores, quia id esset puerile, & extra scopum discurrere: sed intelligit institutionem diuinam limitasse pro materia Sacramenti ablutionem illam, quæ ex natura sua compatibilis est per se cum vita corporali; & hoc per *ordinari ad vitam* intendit Doctor. *Explicatur Doctor.*

Et probatur, quia Deus eam materiam, & formam Sacramentorum instituit, & maximè huius Sacramenti, quod voluit esse commune omni sexui, & ætati, quæ non repugnat per se vitæ corporali; & hoc spectat ad suauem eius prouidentiam, *Confirmatur ratio Doctorũ.*

*Quæ lotio eſt materia Sacramenti.*

dentiam, & lotionem etiam vſualem, & ex conſuetudine hominum, quæ ſordes corporis, non vitam per ſe tollat. Vnde ſicut materiam Euchariſtiæ voluit eſſe panem triticeum, (inde colligũt Doctores paſtam non eſſe ſufficientem materiam: quia non cenſetur panis vſualis, licèt ſpecie phyſica non differant panis, & paſta:) ſic etiam *ablutio*, quæ eſt materia Baptiſmi, ex diuina inſtitutione debet intelligi ablutio vſualis, & communis vt comprehendit etiam aſperginem: ſed talis proiectio infantis in flumen à nemine ſecundùm rigorem, & communem vſum vocabuli, cenſetur ablutio, ſeu lotio, quæ habeat proportionem cum ſola ablutione ſordium, in qua communiter deſignatur proportio ſimilitudinis fundamentalis materiæ Baptiſmi, cum effectu ſpirituali, ſeu ablutione animæ: ſed eſt merſio infantis, quæ ex natura actionis ordinatur ad mortem eius; nó autem ad ablutionem, per quam tollantur ſordes ſaluâ ſubſtantiâ, & vitâ baptizati.

*Illa proiectio non eſt lotio.*

Hoc etiam congruit prouidentiæ, & reuerentiæ Sacramenti. Vnde vt ſequamur inſtantiam de materia Corporis Chriſti, grauium authorum eſt ſententia; licèt panis ſit materia Euchariſtiæ, in quantitate exceſſiua non poſſe panem conſecrari; vt docet Alenſis, D. Bonauentura, & alij, quos infrà citabimus, quia habet terminum ſuæ magnitudinis reſpectiuè ad conſecrationem validam. Eodem ergo modo, & materia Baptiſmi habere poteſt limitationem ex diuina inſtitutione congruam fini Sacramenti, qui eſt prouidere ſaluti animæ, ſine præiudicio ſalutis corporalis, per ſe loquendo; quia finis Sacramentorum eſt mederi infirmitati viatoris ſine deſtructione ſuppoſiti: *per ſe* dico, ſpectando naturam actionis, non conditionem per accidens huius, aut illius, ſi in caſu ablutio, verbi gratiâ, eſſet nociua, quæ vix practicè fingi poteſt.

*Inſtantia.*

12 *Inſtituit Sacramenti non regulatur per caſum, ſed per legem.*

Præterea, in caſu extraordinario, & per accidens, Deus non tenetur de communi lege, nec debuit inſtitutionem Sacramenti accommodare, ideò infanti in vtero non prouidit, pro eo ſtatu: ergo etiam in caſu, quem exponimus, non eſt fundamentum aſſerendi Deum inſtituiſſe ablutionem talem eſſe materiam Sacramenti, cui de neceſſitate annexum eſt homicidium, & peccatum miniſtri ex natura ipſius actionis: conſtat autem peccare mortaliter, & inexcuſabiliter, per ſe loquendo, qui miniſtraret ſic Baptiſmum, & eſſe homicidam ex communi omnium: ergo non eſt præſumendum Dei inſtitutionem comprehendere talem ablutionem pro materia Baptiſmi.

*Reſponſio explicatur.*

Neque valet ſi reſpõdeatur in aliis caſibus poſſe miniſtrum peccare ex praua intentione, quia id per accidens eſt, non ex natura Sacramenti, aut conficiendi, & miniſtrandi Sacramentum; non autem ex natura ipſius miniſterij, aut actionis ſacramentalis; ſicut eſt in illo caſu: non eſt ergo dicendum Deum inſtituiſſe Sacramentum in aliqua materia, quæ ex intrinſeco eſt mala, quia hoc eſſet contra eius ſuauem diſpoſitionem, vt inſtitutio derogaret ab intrinſeco ex natura actionis eſſentialis Sacramenti legi ſuæ, & potiſſimùm naturali.

*Materiã Sacramenti non extendi ad malum ab intrinſeco.*

13 *Inconueniens ſequitur ex oppoſito.*

Præterea videtur in eo caſu obligari parentes, vt hoc modo prouideant ſaluti pueri iam moribundi; demus aliter prouideri non poſſe: hoc omnino eſt abſurdum: patet tamen ſequela, quia tenentur prouidere puero in eo ſtatu, vt ſaluetur anima eius, cùm adſit copia Baptiſmi: ergo præceptum hoc deobligaret præcepto naturali de homicidio; & ſic, ſi inſtitutio comprehenderet talem caſum, conſtitueret parentes in perplexitate; vtrumque enim præceptum naturale eſt.

Præterea, Catechumenus adultus in eo caſu, ne decederet ſine Baptiſmo, teneretur ſibi prouidere, vt baptizaretur; nam quamuis ei contritio ſine contemptu Sacramẽti valeat, incertum eſt ipſi, an habeat veram contritionem, & ſecuritatem ſuæ ſalutis, prouidere tenetur, non obſtante damno vitæ corporalis, quæ ipſi iam eſt defectura.

*Aliud inconueniens.*

Præterea, confeſſio eſt materia Sacramenti Pœnitentiæ; & quamuis confeſſio per literas ſufficeret ad naturam actus iudicialis, in quo inſtitutum eſt Sacramentum; tamen eſſet inualida talis confeſſio, quia Sacramenti inſtitutio ad eam non extenditur, cùm præiudicet fini & reuerentiæ Sacramenti, & reo: ergo etiamſi materia Sacramenti Baptiſmi licèt ſit ablutio, non debet comprehendere ablutionem, quæ per ſe, & vbique eſt nociua, & peccaminoſa, quia id derogaret Sacramento, & cultui religionis, ac etiam perſonæ cui applicaretur, & miniſtro.

*A ſimili de confeſſione.*

Vltimò tandem, ablutio, quæ eſt materia Sacramenti, debet conſiſterę in actione miniſtri, vt ſuprà vidimus; & docent omnes: talis ablutio non procedit proximè à miniſtro, neque eſt actio eius per modum ablutionis immediatè ab ipſo procedentis, vt recipitur in paſſum: ergo non eſt baptiſmalis. Minor probatur, quia ablutio, quæ eſt baptiſmalis, videtur illa eſſe, quæ determinatur à forma ſecundùm rigorem verborum; *Ego baptizo te*, vel *baptizatur à me ſeruus Chriſti*: licèt enim non neceſſariò exprimatur perſona miniſtri in forma: ſubintelligitur tamen, & ſecundùm Vaſquez requiritur vt actio ſignificetur vt exercita à miniſtro, vel vt exiens ab ipſo; ac proinde videtur requiri vt proximè applicet per ſe, aut inſtrumentum coniunctum, vel puerum aquæ, vel aquam puero, quod non videtur eo caſu fieri.

14 *Ex natura ablutionis ſacramentalis.*

Aliter probat Richardus eandem ſententiam, quia lotio baptiſmalis exigit, vt immerſioni ſuccedat emerſio, quæ intelligi ſic debet, vt ſaltem ſuccedere poſſit, quantùm eſt ex natura ablutionis, ſeu immerſionis, licèt per accidens non ſequatur, vt contingit in caſu propoſito ad oppoſitum, quo non poſſet miniſter extrahere Catechumenum ex fonte, hoc enim per accidens eſt ex defectu virium: alter caſus de aqua calidiſſima admitti etiam poteſt, vel negari, quia non ex natura ablutionis in aqua mox ſequitur mors pueri, ſed ex qualitate accidentali ipſius aquæ. Sed meliùs fortè negatur valor talis ablutionis: quæ non eſt materia Baptiſmi; ſed illa quæ natura actionis non ordinatur ad mortem eius, quia ſic magis congruum diuinæ inſtitutioni: & communicationi Sacramenti, & ablutioni eſuali, ſeu conſuetæ, & morali.

*Ratio Richardi explicatur.*

d *Si ſecundo modo ſic aut apparet*, &c. Hæc eſt reſolutio communis Doctorum, & patet ex rationibus, quas Doctor ſubiicit; ſi ergo pars principalis attingatur aquâ, iterum non debet baptizari natus; ſi autem minùs principalis ſub conditione baptizandus eſt: quamuis Sotus exiſtimet ſimpliciter non fieri Baptiſmum in parte minùs principali, *art. 7. diſt. 3.* quem ſequitur Suarez *diſp. 20. ſect. 2.* Minùs principalis quoad dubietatem Sacramenti eſt pes, vel manus, quoad nullitatem eſt pars minimæ quantitatis, vt digitus, vel pars digiti, ſecundùm eoſdem. Vaſquez oppoſitum docet *cap. 4.* per partem principalem intelligit Doctor illas, de quibus aſſeritur dubium Sacramentum,

15 *De baptizato in parte.*

Sotus.

Suarez.

Vaſquez. *Quæ ſit pars minùs principalis.*

ſum, ita vt repeti debeat ſub conditione, nempe pedem, vel manum, non autem partem quamcunque minimæ quantitatis, quia de hac antiqui non loquuntur, neque textus quem citat. Videtur ergo opinio Vaſquez non eſſe tenenda in praxi, ſed Baptiſmum abſolutè conferendum eſſe taliter nato, quod magis ſupponere videntur Scholaſtici, quia vehemens eſt dubium de valore Sacramenti ex defectu materiæ, cùm illa non cenſeatur moraliter ex conſuetudine ablutio abſoluta hominis, vel quæ totum hominem denominet, ſicut neque Æthiops dicitur albus abſolutè propter dentes, ſed ſecundùm quid: vehemens autem ſuſpicio non videtur admittere eam ſcientiam, aut probabilitatem, ex qua Sacramentum ſub conditione ſit miniſtrandum, quia non tribuit in praxi fundamentum ſufficiens applicandæ conditioni: ideò abſolutè applicari debet.

*Dubia eſt reſolutio Vaſquez.*

16 Cæterùm non improbandus eſt, qui vel ipſum digitum, ſi aliud non apparet, in euidenti periculo, & certo baptizaret, cùm alia ſententia non ſit omnino certa, & ſepeliendus eſſet infans ſic baptizatus, & mortuus, in loco benedicto, quia non deeſt fundamentum ex opinione grauis Theologi ad hoc ſufficiens: qui tamen ſic baptizaret ſequendo illam ſententiam, poſſet etiam ſub conditione baptizare, ſi infans ſuperuixerit: in hoc autem remedio ad ſalutem neceſſariò, magis præſumendum eſt de miſericordia Dei, & in caſu neceſſitatis extendenda manus, quàm arctanda, vbi nihil certò in oppoſitum habetur.

In Sacramentis enim iuxta regulas Doctoris ſuprà aſſignatas *d. 3. q. 2. a. 5.* debet applicari quando poteſt, quod certum eſt: ſi autem nequit, quod ad certum magis accedit, & ſic in neceſſitate, quæ remedium non habet, applicari quod poteſt: neque ſententia Vaſquez eſt improbabilis ſpeculatiuè loquendo; quamuis, vt dixi, in praxi fortè non eſſet applicanda conditio in forma Baptiſmi nato puero, quia per partem minùs principalem non intelligunt Doctores digitum, quamuis viuus ſit, ſed illam quæ immediatè concurrit ad compoſitionem integralem totius, vt eſt pes, vel manus, & in qua non eſt principalis functio vitæ, ita vt ſine ea homo conſiſteret in vita: tamen dubitant de Baptiſmo in hac parte, & iterandum docent ſub conditione: quamuis etiam non requiritur, vt tota manus, vel pes tingatur, requiritur tamen vt tingatur in illa parte ſecundùm quam poteſt denominari tota manus, vt verbi gratiâ in palmo, quia dicitur manus lota. Ad hanc autem denominationem non videtur ſufficere, vt tingatur digitus, vel pars digiti, quia in digito, aut minima parte ipſius non conſiſtit ſufficiens ratio denominandi totam manum principaliter (quia eſt pars mediata) ex qua redundaret denominatio totius.

*Quid requiritur ad denominationẽ totius.*

17 Ratio autem Vaſquez non concludit, dicit enim denominationem, & formam intrinſecam totius non eſſe abſolutè, niſi forma illa inſit ſecundùm aliquam ſaltem partem principalem: non ita quoad denominationes extrinſecas, ſeu à formis extrinſecus ſe habentibus: vnde dicitur homo ſimpliciter, & abſolutè vulneratus, quacunque in parte vulneratus ſit, talis eſt ablutio. Negatur diſparitas hæc quoad formas intrinſecè, & extrinſecè ſe habentes, quia denominatio ſumitur ab effectu formæ, & ita ſe habet ad totum, ſicut principium denominans ad totum: illa autem pars nata eſt ſolùm denominare totum abſolutè, quæ concurrit ſeipsâ ad eius conſtitutionem, & non remotè, neque mediatè & ſecundùm quid, vt quia eſt pars partis ſaltẽ heterogenea, vel huius etiam pars. Neque exemplum de vulnere ſubſiſtit, quia non quæcumque læſio digiti denominat hominem vulneratum abſolutè, & ſecundùm rigorem, niſi abuſiuè & impropriè quis loquatur, à quo genere locutionis non debet regulari ſermo, neque etiam veritas materiæ, & formæ Sacramenti, ſed à proprietate, & ſecundùm vſum receptum, & approbatum ſapientum.

*Soluitur ratio Vaſquez.*

Dices, ergo ſacrilegum eſſet illum puerum baptizare in digito. Reſpondetur negando conſequentiam, quia res eſt incerta ex eo quòd definiri nequeat quantùm ad materiam Sacramenti, an talis ablutio ſufficiat ex inſtitutione diuina, ideóque ſine irreuerentia Sacramenti, vrgente neceſſitate, applicatur: hîc enim non eſt fundamentum aſſerendi, aut negandi, ex reuelatione diuina, præter generale illud, quòd nempe ablutio hominis ſit materia Baptiſmi. Doctores autem diſſerunt de ablutione ſecundùm vſum, & acceptionem vocis, non ex reuelatis, quærentes an ſit ablutio illa partis ſufficiens, & quænam ſit ſufficiens? in qua certitudo Mathematica nequit haberi. 18 *Obiectio ſoluitur.*

Doctor adducit congruentiam, ex qua Baptiſmus in parte minùs principali probetur validus, quia nempe illa eſt viuens, & habet totam animam. Eandem aſſumit Durandus *diſt. 6.* & Gabriel *ſuprà*. Hanc autem rationem ita interpretantur quidam, & reiiciunt, vt Vaſquez iam citatus; quòd nempe anima quæ contraxit peccatum originale in illa parte ſit tota, ac proinde ablui dicatur. Eandem etiam reiicit Suarez ſic intellectam: quia in anima eſt effectus ablutionis baptiſmalis, & non eſt ſubiectum eius ablutionis, ſed homo. Verba Doctoris ſunt, *Si autem appareat pars minùs principalis, ſcilicet manus, vel pes, illa eſt baptizanda, quia ibi eſt tota anima, licèt non omnis ſenſus, ſicut in capite*, &c. Quæ ratio non rectè intelligitur à præfatis Doctoribus, quia non ideò dicit eſſe totam animam in parte, quaſi anima eſſet ſubiectum ablutionis, ſed loquitur reſpectiuè ad caput, in quo Baptiſmum fieri poſſe omnes concedunt, ex eo quòd ſit pars principalis, in qua ſenſus animæ magis vigent, & functio vitæ, & ſine qua vita nequit conſiſtere in homine, quæ eſt differentia partis principalis à non principali, eſtque fundamentum, ex quo Doctores colligunt Baptiſmũ in ea parte eſſe abſolutè Baptiſmum hominis & validũ. Ad occurrendum ergo obiectioni tacitæ, quæ fieri poteſt contra Baptiſmũ in parte non principali, dicit animam totam eſſe in parte non principali; quamuis non ſit *ibi* omnis ſenſus, qui eſt in capite. Hic verus ſenſus Doctoris, non autem ille ab aliis præſumptus, qui humilis eſt, & ſatis puerilis in hac materia. Excluditur etiam Baptiſmus, qui fieret in capillo, vel vngue per ſtillam, quem contendit Vaſquez eſſe verum Baptiſmum: nam ſi dubitant Doctores de Baptiſmo partis non principalis, licèt viuentis, & vno ore dicunt iterandum eſſe Baptiſmum ſub conditione, vt etiam præſcribunt Rituales, quantò magis excluditur ab ablutione baptiſmali ea, quæ fieret in capillo, aut vngue, quæ denominant hominem abſolutè. Reſponſio ad argumenta eſt clara. *Congruentia.* *Vaſquez.* *Suarez.* *Ratio Doctoris.* *Explicatur eius intentũ.* *Occurrit obiectioni.*

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm non conſentiens poſsit recipere effectum Baptiſmi?*

Alenſis 4.*p.q.*18.*m.*1. D.Bonau. *hic* 1.*p.a.*2.*q.*1. D.Thom.3.*p.q.*68.*a.*7. Ric.*d.*6.*a.*2.*q.*3. Palud.*quæſt.*2. Durand.*q.*7. Suar. 3.*p.tom.*3.*d.*14.*ſ.*2. Vaſq. *d.*157.

1 *Mag.B.C.* Argum. 1. AD primum arguitur, quòd non: Nullus diſſentiens contrahit Matrimonium carnale: ergo nec ſpirituale: quia ibi non minùs, ſed magis requiritur conſenſus ſpiritualis. In Baptiſmo autem contrahitur quoddam Matrimonium ſpirituale, quia anima deſponſatur Deo: ergo, &c.

Argum. 2. Item Auguſtinus, ſicut patrinus reſpondet pro paruulo, ita adultus reſpondet pro ſeipſo: ſed ſi patrinus non conſentiat, paruulus pro quo reſpondet non baptizatur: ergo, &c. Videtur enim conferri Baptiſmus in virtute reſponſionis illius, quâ ad quæſtionem illam, *Vis baptizari?* reſpondet patrinus, *Volo*: & ſubiungit Sacerdos, *& ego te baptizo*, &c. quod autem fit ſub conditione, ſi conditio non exiſtat, nihil eſt.

Argum. 3. Item, in Baptiſmo fit quoddam votum abrenuntiandi Satanæ, & adhærendi Deo: ſed nullus inuitus, vel diſſentiens vouet, vel ſe obligat: ergo, &c.

Argum. 4. Item, magis nocet baptizato malitia ſui, quàm miniſtri baptizantis: ſed in baptizante requiritur non tantùm conſenſus, ſed intentio baptizandi: ergo multò magis requiritur conſenſus baptizati.

*Ratio opp.* Contrà, *Extrauag.de Baptiſmo, & eius effectu, cap.Maiores.* Qui terroribus, atque ſupplíciis violenter attrahitur, ne detrimentum incurrat Baptiſmi, ſuſcipit Sacramentum talis: ſicut & is, qui fictè ad Baptiſmum accedit, characterem ſuſcipit chriſtianitatis impreſſum: & ipſe tanquam conditionaliter volens, licèt abſolutè non velit, cogendus eſt ad obſeruationem fidei Chriſtianæ: ergo abſolutè non volens, recipit Sacramentum Baptiſmi.

## SCHOLIVM.

*Adultum à natiuitate furioſum, baptizandum eſſe, ſicut infantem, expectandum tamen lucidum interuallum, ſi ſperatur: furioſum, quandoque ratione vſum, iuxta deſiderium quod ante furiam habuit, erga Baptiſmum, baptizandum eſſe, vel non.*

2 Hic diſtinguo [a], tam ex parte eius, qui dicitur adultus, quàm ex parte eius, qui dicitur non volens. De primo, aut adultus non vtitur nunc ratione, nec eſt vſus vnquam, vt furioſus, vel fatuus à natiuitate: aut non vtitur nunc ratione, ſed aliquando eſt vſus: aut tertiò nunc vtitur actualiter ratione.

*Adultus, qui nunquā vſus eſt ratione, infans cenſetur.* De primo breuiter dicendum eſt, ſicut de paruulo, niſi quòd in hoc eſt differentia, quòd ſi ſperatur ipſum aliquando curandum, & vſurum ratione, expectandum eſt tempus illud, vt cum maiori reuerentia ſuſcipiat Sacramentum. Si autem deſperatur de eo quòd ad vſum rationis nunquam attingat, ſtatim conferendum eſt ſibi Sacramentum: quia nulli Deus excludit remedium ad ſalutem.

*Furioſus, qui quandoque vſus eſt ratione, quomodo baptizandus.* De ſecundo, ſcilicet nunc non vtente, qui aliquando tamen vſus eſt ratione, dico quòd ſupponitur nunc habitualiter conſentiens, vel diſſentiens, ſecundùm quòd ſe habuit in ſanitate, ante iſtud impedimentum immediatè, ſcilicet ſi tunc actualiter conſenſit, iudicatur nunc habitualiter conſentiens; ſi tunc actualiter diſſenſit, nunc iudicatur habitualiter diſſentiens. Et dixi, *immediatè*, ita quòd inter actum illum, & iſtud impedimentum, non interuenit motus voluntatis oppoſitus. Et ſic vniuerſaliter dico, quòd iſte habitualiter ſe habens, poteſt recipere Sacramentum, ſicut patuit priùs, quando actu ſic, vel ſic ſe habuit. Qualiter autem actualiter ſe habens, poſſit baptizari, ſtatim dicetur in tertio membro.

Sed, expeditne talem baptizari? Multa enim licent, quæ non expediunt, 1.*Corinth.*6. Reſpondeo, ſi ſperetur eum rediturum ad vſum rationis, magis expedit tempus expectare, quo vteretur ratione, puta de dormiente, tempus vigiliæ expedit expectare: & de furioſo tempus lucidi interualli. Si autem non ſperetur, puta de eo, qui incidit in perpetuum impedimentum vſus rationis, eum expedit baptizare, ſi tamen eſt capax Baptiſmi: quia aliàs exponeretur periculo damnationis. Qualiter autem ſit capax, ſtatim dicetur de vtente ratione.

COMMEN

## COMMENTARIVS.

1

Alensis: D. Thom. D.Bonauēt. Richard. Paludanus. Gabriel. Durandus. Gabriel. Marsilius. Adrian. Sotus.

*Requiri consensū adulti.*

*Diuersi status adulti, & quomodo sit faciendum?*

a *Hic distinguo tam ex parte eius qui dicitur adultus*, &c. Resolutio huius quæstionis est communis Theologorum, Alensis 4.*part.quæst.* 8.*m.*7.*art.*2. §. *vltimo.* D.Thomæ 3.*part. quæst.*69. *art.*12. reliquorum *in* 4.*dist.*4. vbi D.Bonauentura *art.*2.*quæst.*1. Richardus *dist.*6.*art.*1.*quæst.*2. Paludanus *ibidem quæst.*2.*art.*1. & 2.*q.*2. Durandus *dist.*4. *quæst.*7. Gabriel *eadem dist.quæst.*2.*art.*2. Marsilius *in* 4.*quæst.*4.*art.*4.*dub.*3. Adrianus *quæst.*1.*de Baptismo,art.*3. Sotus *in* 4.*dist.quæst.*1. *art.*7. & moderni Scriptores 3.*part. quæst.*64.*art.*10.& 69.*art.*12. vel in Magistrum *in* 4.*dist.*4.5.& 6. Hi omnes docent requiri consensum adulti, vt validè recipiat Baptismum. Resolutio est quoad adultum, alium esse ætate solùm adultum, alium simul mente: prior si nunquam habuit, aut speratur habiturus vsum rationis, reputatur puer in ordine ad Baptismum suscipiendum, & sic non requiritur in eo vllus consensus: si autem fuit à prima ætate semper amens, sed expectatur peruentutus ad vsum rationis, expectandus est, vt cum maiori fructu recipiat Sacramentum, nisi periculum aliquod subsit, aut videatur. Si autem alius habuit vsum rationis, quo nunc carer, & præsumitur nunquam ratione vsurus, spectandus est status, quem habuit dum rationis, & consensus fuit capax, quia vel habuit aliquem consensum non retractatum, de quo constat, & ille nunc ineſt habitu, & sufficit ex parte subiecti, & ministri vt *infrà* videbimus, vel habuit dissensum, & nunc etiam habetur dissentiens, neque est baptizandus, quia voluntas præterita non retractata ipsius, pro statu præsenti amentiæ reputatur; vel neutro modo se habuit, vt infidelis, verbi gratiâ, qui captus à Christianis incidit in amentiā, antequam quidpiam de Baptismo audiuit, vel certè ex ipsa libertate ita manſit aliàs suspensus, licèt audierit, & sic etiā non est baptizādus, quia non volens quod tenetur velle reputatur moraliter nolens. Si autem est adultus compos rationis, potest habere consensum, vel dissensum, & vtrumque vel habitualiter, vel virtualiter, vel actualiter: vtrumque etiam secundùm quid, vel simpliciter, eo modo, quo distinguitur voluntarium secundùm quid, & simpliciter: verbi gratiâ, proiiciens merces in naufragio est voluntarius simpliciter, inuoluntarius secundùm quid: quid autem requiratur, iam dicemus.

2

*Triplex modus consentiendi.*

*Actualis. Virtualis consensus.*

*Habitualis consensus.*

Hic autem modus triplex consentiendi, vel dissentiendi, sæpiùs traditur à Doctore, vt *in* 2.*dist.* 41. *quæst.vnica*, vbi agit de modo, quo refertur actus bonus in finem charitatis: & infrà *dist.*6. *quæst.*4. consensus actualis est ille, qui nunc est præsens in exercitio, virtualis qui fuit aliquando actualis, & manet in virtute, quia sollicitauit voluntatem ad ponendum effectum, per medium remotum, vel proximum: talis est in distracto: habitualis verò est voluntas inefficax habita, & nunquam retractata, qua redditur Sacramentum volitum, licèt non applicet media pro tunc, quando erat, tollit tamen obicem contrariæ voluntatis, siue negatiuè, per suspensionem actus secundi non consentientis, siue etiam contrariæ dissentientis.

*Alius modus consensus habitualis.*

Præter hunc consensum habitualem concedit alium Doctor, *in illa dist.*41. nempe qui dicitur ex habitu, & dispositione voluntatis in actu primo, vt quādo habens habitum charitatis, elicit actum bonum, non secundùm inclinationem charitatis, id est, qui natus est referri in finem charitatis, & posset referri ab eliciente, quamuis in actu secundo non referat ex negligentia, aut inaduertentia hæc habitualis voluntas, licèt habeat locum in merito, non pertinet ad scopum præsentis quæstionis, quia inclinatio illa habitualis non ineſt adulto respectiuè ad Baptismum, suppositò quòd non habuit actus, ex quibus esset, & quamuis etiā ineſſet, eā non obstante, Baptismus eius esset nullus, si postea retractaret priores actus, quibus consensit in Baptismum: nam dispositio requisita ad Baptismum adulti est aliquis actus secundus, quo de se ipso disponit in ordine ad Baptismum, & salutem, habens suiipsius plenam dispositionem, & dominium, quæ non attenduntur aliter, quàm in actu secundo; & hoc ex lege generali, quâ Deus voluit salutem adulti dependere à suo libero arbitrio, sicut media in exercitio ab eodem dependent. Consensus secundùm quid & simpliciter patet ex iis, quæ tradit Doctor infrà *dist.*29. quid sint, & ex Philosopho 3.*Ethicorum.*

*Nō sufficit ad Baptismum.*

*Requiritur consensus in actu secundo.*

## SCHOLIVM.

*Nullum esse Baptismum datum nolenti illud, secus si ex metu velit. Ratio primi, quia Deus neminem inuitum suæ familiæ ascribit. Ratio secundi, quia talis simpliciter vult. Vtraque pars habetur, cap.* Maiores, *de* Bapt. *Item sufficere intentionem virtualem ad Baptismum. De triplici intentione vide* Scot.2.*d.*41. *& infrà d.*6.*q.*4. *Requiri autem aliquam intentionem tenent citati, & omnes, & colligitur ex* Carthag.III. *cap.*34.*&* Arauſ.I.*c.*12. *& cap.* Maiores *de* Bapt.*vnde* Caiet.3.*p.q.*68.*art.*7.*dicens nullum consensum baptizati requiri, cum gl. c.* Solet.*v.* implorand. *de* consecr.*d.*4.*meritò reprehenduntur.*

3

*Dist.*25. *Volens ex metu, simpliciter vult.*

De tertio membro b, scilicet de adulto vtente ratione, distinguo de eo, quod ponitur in quæstione, *non consentiens*: quòd potest intelligi contrariè, vel negatiuè. Negatiuè, tantùm negat actualem consensum: contrariè verò ponit actualem dissensum: & patet distinctio, quia non est idem non velle, & nolle: si autem accipiatur *contrariè*, pro dissentiente actū, aut dissentit simpliciter; aut secundùm *quid*, & intelligo *simpliciter*, sicut est expositum in tertio libro, quòd ille, qui vt fugiat aliquod incommodum, vult aliquid, simpliciter vult illud: sicut proiiciens merces in mare, vt fugiat submersionem, simpliciter

citer vult proiicere merces. Nam potentiam ſuam motiuam ad proiiciendum, voluntas mouet imperando, & ipſa ſeipſam liberè mouet, quia cogi non poteſt. Simpliciter ergo volens proiicit: ſed ſecundùm *quid* nolens, hoc eſt, ſub conditione nolens, quia nollet, ſi poſſet alio modo ſaluare vitam.

*Nolens Baptiſmum nõ recipit. De regulis iuris, in 6. Melius eſt quod inuitus quis ſeruet legem Chriſtianã, quàm quod permittatur impunè mala agere.*

Si ergo iſte ſit vtroque modo diſſentiens, dico quòd non recipit Sacramentum: quia Deus per Sapientem dicit Prouerb. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*: nolens aliquem omnino inuitum aſcribi familiæ ſuæ: ſuſcipiens autem Baptiſmum, aſcribitur per hoc familiæ Chriſti. Nec oportet hîc diſtinguere de reclamante, ſiue proteſtante, ſigno exteriori, ſuum diſſenſum, & de non reclamante: quia in rei veritate ſi eſt diſſenſus, omnino idem eſt quo ad Deum: tamen quantùm ad iudicium Eccleſiæ iudicantis de manifeſtis, & eum, qui tacet præſumentis conſentire, non cogetur reclamans ad obſeruantiam religionis Chriſtianæ: cogetur autem non reclamans. Nec in hoc poteſt argui Eccleſia, quòd iſti nolenti, tamen non reclamanti fiat iniuria. Minus enim malum eſt ſibi, quòd inuitus ſeruet legem Chriſtianam, quàm quòd impunè permittatur agere contra eam: quia minus malum eſt inuitum aliqua bona facere, & mala fugere: quàm liberè, & impunè mala agere, & bona dimittere.

4

Si autem ſecundùm *quid* diſſentiat, ſed ſimpliciter conſentit: & hoc non tantùm in illam ablutionem, tanquam in quoddam balneum, ſed in ablutionem eo modo, quo illam intendit facere Eccleſia, ille ſimpliciter recipit Sacramentum: quia ſimpliciter eſt volens, licèt ſecundùm *quid* nolens, & de tali loquitur illud Concilium Toletanum, quod allegatur *Extrau.* de Baptiſmo, & eius effectuis, cap. *Maiores*: Quòd *illi, qui iam pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, quia iam conſtat Sacramentis diuinis aſſociatos, oportet vt fidem, quam neceſsitate ſuſceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blaſphemetur, & fides, quam ſuſceperunt, contemptibilis habeatur.*

*Quomodo volens ex metu, verè id velit?*

Exemplum huius, qualiter aliquis poteſt conſentire in illam ablutionem ſuſcipiendam, eo modo, quo confertur ab Eccleſia, & tamen nollet, ſi poſſet euadere tormenta, quia non credit eam aliquid valere, ſicut poteſt haberi de eo, qui non credit verba incantationis poſſe habere aliquem effectum, tamen concedit incantanti, quòd dicat illa verba ſuper eum, eâ intentione, quâ ſolet ea dicere, dicendo in corde ſuo, valeant quantum valere poterunt. Iſte verè diceretur incantatus: & ſi talis incantatio ſuper aliquem diceretur conſecrato diabolo, ille eſſet diabolo conſecratus. Patet autem differentia iſtius membri ſecundùm *quid* diſſentientis à membro præcedenti: quia ille ſimpliciter diſſentiens, omnino non recipit Sacramentum, & ideò ceſſante diſſenſu eſſet ſimpliciter baptizandus. Iſte verò, quia ſimpliciter conſenſit, licèt ſecundùm *quid* diſſentiat, eſt baptizatus, & ceſſante diſſenſu illo ſecundùm *quid*, non eſt iterum baptizandus.

*Ad Sacramenta ſufficit intentio virtualis.*

Si quis autem non conſentiat tantùm negatiuè, dico, quòd recipit Sacramentum, ſi conſenſit virtualiter: quia noluit Deus obligare hominem ad impoſſibile, vel ſecundùm ſtatum huius vitæ, nimis difficile. Nunc autem non diſtrahi, nimis videtur difficile homini pro ſtatu, quia ſecundùm Aug. 3. de liber. arbitr. *Non eſt in voluntate noſtra, quin viſis tangamur*: ergo noluit Deus ſalutem hominis ponere in iſta conditione, *ſi non diſtrahatur.* Nec ergo voluit obligare eum, quòd in ſuſcipiendo Baptiſmum, non diſtraheretur. Et ita eſt vniuerſaliter in aliis Sacramentis. Sacerdos etiam in conſecrando Euchariſtiam, non obligatur (neceſſariò dico) ad hoc vt non ſit diſtractus. Verè enim conficit diſtractus, dum tamen priùs induendo ſe, intenderet celebrare Miſſam, ſecundùm morem Eccleſiæ.

5

*Et inf. diſt. 6. q 4. An ſufficiat habitualis intentio ad Baptiſmũ?*

Et ſi quæras, eſto quòd non conſentiens actualiter, tamen conſentiens virtualiter (eo modo, quo poſitum eſt, exemplum de Sacerdote celebrante) recipiat Baptiſmum, nunquid & ille qui ſolùm conſentit habitualiter recipit? diſtinctio autem iſtorum, *virtualiter*, & *habitualiter*, patet 2. *lib. diſt.* 41. Et eſto quòd ſic, nunquid ille, qui tantùm negatiuè non conſentit, negatiuè etiam non diſſentit? quia nec actum, nec habitum oppoſitum habet. De primo poſſet dici, quòd talis iudicatur habitualiter conſentiens, quia aliquando habuit conſenſum actualem, non interueniente diſſenſu: & talis, licèt vtens ratione, recipit Sacramentum, quia non videtur propter aliquam conditionem minùs capax, ſi vtitur ratione, quàm ſi priùs vſus, non vtatur nunc: ſed in tali non vtente nunc, priùs tamen vſo, ſufficeret habitualis conſenſus: ergo & hoc. De ſecundo licèt difficile eſſet aliquem talem inuenire, præcipuè qui priùs aliquandò cogitaſſet de Baptiſmo, quia vel tunc placuiſſet ſibi baptizari, vel non placuiſſet, imò diſplicuiſſet: & ſecundùm vltimum modum iudicaretur talis habitualis conſenſus, vel diſſenſus eſſe in poſterum. Tamen ſi quis eſſet omnino non conſentiens, nec diſſentiens, tam actualiter, quàm habitualiter: &

*Saltem habitualis intentio neceſſaria eſt in vtente ratione.*

tamen

ramen vtens ratione non esset capax Baptismi, quia ex quo vtitur ratione, oportet quòd habeat deuotionem aliquam ad Sacramentum, si debet sibi valere; aliter enim videretur contemnere.

Ad primum argumentum dico, quòd in Baptismo magis propriè est adoptio in filium, quàm Matrimonium: quia paruulus non potest dici propriè contrahere Matrimonium, cùm non vtatur ratione, cuius vsus requiritur ad omnem contractum: in adoptione autem sufficit solus actus adoptantis, etsi nullum habeat adoptatus. 6 *Ad arg.*

Ad secundum dico, quòd malitia potest esse ministri, inquantùm minister, scilicet in malè ministrando: vel quia non benè credit, vel quia non intendit conferre Sacramentum: & hæc malitia, maximè non intendendi, impedit Sacramentum conferri, magis quàm malitia moris in suscipiente, & ratio dicetur in distinctione sequenti. Alia autem potest esse malitia ministri, non inquantùm minister, sed concomitans, puta quòd est in peccato mortali: & hoc non impedit Sacramentum conferri. Patet ergo quòd non intentio ministri impedit, sed non quælibet alia malitia. Non autem sequitur ex hoc, ergo non intentio suscipientis impedit: quia in agente secundo, etiam requiritur quod per se pertinet ad agens, quod est intendere in agente per rationem: intentio autem, non per se est suscipientis, inquantum huiusmodi. *Ad 2. Non requiritur tanta intentio in suscipiente, quanta in ministro.*

Ad tertium, dicendum, quòd si adultus baptizandus, ex voto intendit renunciare Diabolo, & pompis eius, tamen illud votum præcedens non est de necessitate Sacramenti: sed pertinens tantùm ad eius solemnitatem. *Ad 3.*

Ad aliud, concedo, quòd consuetudo Ecclesiæ bona est, quòd nullum adultum baptizat, nisi respondeat pro seipso: & est consuetudo laudabilis, & rationabilis, vt solùm volens ascribatur familiæ Christi. Sed licèt non responderet, quia scilicet non vteretur ratione, vt dormiens, posset sibi Sacramentum conferri, dum tamen esset habitualiter consentiens: sed hoc, vt dictum est priùs, non expedit facere, sed expectare tempus, quo actualiter consentiat. *Ad 4.*

## *COMMENTARIVS.*

3 b *De tertio membro*, &c. Respondet Doctor, quòd dissentiens negatiuè, aut contrariè non baptizatur validè. Est Augustini loco suprà citato in com. præcedenti, *ex lib. 4. de Baptismo, cap. 24.* Et probat ex illo Ioannis 9. *ætatem habet ipse pro se respondeat*; ideò autem infantes sine consensu baptizantur validè, quia nondum arbitri suiipsius ex defectu ætatis: an autem requiratur in eis consensus parentum, aut tutorum ad valorem Sacramenti, infrà videbimus: patet ex cap. *Maiores, de Baptismo*, & ratio est iam tacta.

Augustinus. *Dissentiens negatiuè, aut positiuè non baptizatur.*

*Dissensus secundùm quid non impedit.* Tolet. I V.

Innocent.

Secundò dicit, si dissensus ille sit tantùm secundùm quid dissensus, simpliciter tamen consentit, Sacramentum esse validum. Patet ex Toletano I V. *cap. 56.* & habetur 45. *dist. de Iudeis*: cuius verba citat Innocentius in dicto capitulo *Maiores, de Baptismo*; & eadem habet Doctor in litera, & exemplum subdit accommodatum, vt ibidem patet. Quòd si consensus eius non sit verus, sed simulatus, & fictus, non erit coram Deo baptizatus, sed in foro Ecclesiæ tenebitur pro baptizato: quia exterior consensus verbis expressus, supponit interiorem, quantùm ad præsumptionem, quæ non tollitur nisi probetur contrarium.

*Consensus fictus quid inducit?*

*Sufficit virtualis.*

Tertiò, dicit voluntatem virtualem sufficere, vt benè probat, quia hæc etiam sufficit in ministro Sacramenti, nam semper voluntas præterita præsumitur durare, nisi mutetur. *De his quæ vi, metúsve causâ fiunt*, cap. *Perlatum*: & illa sufficit ad meritum; & imputationem, & contractus, & transactiones, vt patet in iis, quæ per procuratores fiunt.

4 Quartò, dicit voluntatem habitualem sufficere ad receptionem validam Sacramenti. Patet ex ratione præmissa, quia voluntas præterita reputatur donec reuocetur, vt patet ex illo cap. *Maiores*, de *Baptismo*, vbi dicit Pontifex, quòd amentes, & dormientes, qui iam consenserunt, neque postea dissenserunt, recipiunt Baptismum validè. Carthaginen. I I I. *cap. 34.* Arausicanum I. *cap. 12.* quæ docent priuatos vsu rationis, & loquelæ, si habent testimonium præteritæ voluntatis, baptizandos esse, & reconciliandos, & Rituale Romanum.

*Sufficit habitualis primo modo dictus.*

Carthag. Concilia.

Arausic.

Rituale Romanum.

*Indifferens nihil recipit.*

Quintò, dicit quòd qui indifferenter se habet, nec consentit, nec dissentit, non recipit Sacramentum: patet ex dictis. Contrarium huius dicit Caietanus 3. *part. quæst. 68. art. 7.* Primò ex illis, cap. *Maiores*, de Baptismo: *Tunc characterem sacramentalis imprimis operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit*, &c. in tali non est contraria voluntas: ergo. Deinde patet in Extrema Vnctione, quæ datur priuato subitò vsu rationis. Item, in paruulis non requiritur talis consensus: ergo. Item, Florentinum *in Decreto vnionis* tantùm requirit materiam formam, & intentionem ministri ad perficiendum Sacramentum. Item, si requireretur consensus, non sufficeret habitualis, quod falsum est ex dictis. Antecedens patet in ministro, quia præter habitualem requiritur actualis, aut virtualis, &c.

*Sententia affirmatiua.* Caietan.

Ad primum respondetur *contrariam voluntatem* dici ibi etiam eam, quæ negatiua est, vt patet ex textu: *Ille verò*, inquit, *qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem, nec characterem suscipit Sacramenti, quia plus est expresè contradicere, quàm minimè consentire*, &c. Vbi illa verba, *sed penitus contradicit*, nõ adduntur per modum limitationis, sed 5 *Respondetur ad primum.*

*Quid sit contraria voluntas ex textu.*

ſed per modum augmenti, quia caſus propoſitus fuit de iis, qui ad Baptiſmum cogebantur, vel ſunt coacti, in quibus dicit Baptiſmum eſſe nullum, ſi contradicunt, quia *plus eſt contradicere, quàm minimè conſentire:* vbi ſupponit etiam hunc validè baptizari: qui enim non conſentit, cenſetur inuitus.

*Vnctio ſupponit conſenſum vniuerſalem,*

Ad ſecundum reſpondetur, Extremam Vnctionem non ſupponere alium conſenſum, quàm vniuerſalem, quo homo fidelis, & pœnitens vult muniri omnibus Sacramentis.

Ad tertium de infante, patet ex Auguſtino *loco citato*, vbi hanc differentiam ſuprà expreſſam aſſignat, inter infantem, & adultum reſpectiuè ad conſenſum, & non conſenſum. Dices, ſaltem requiri conſenſum parentum, ita vt aliàs Baptiſmus fieret nullus: ita ſentit Durandus *in 4. diſt. 4. quæſt. 7.* Paludanus *quæſt. 4.* Catherinus *opuſculo de infantibus Iudæorum baptizandis*: hi negant filios infidelium, qui non ſunt ſub poteſtate Chriſtianorum recipere Sacramentum validè, ſine conſenſu vero, aut interpretatiuo parentum, quia voluntas patris reputatur voluntas filij, qui pro ipſo teſtatur, & eligit ſepulturam, & contrahit; ſi deſint parentes, requiritur conſenſus tutoris, vel eius qui curam eius gerit.

*Sentētia Durandi, &c.*

*Infantem non validè baptizari, ſine conſenſu parentum.*

6 *Communis & contraria ſententia. Auguſtin.*

Contrarium huius tenent communiter Doctores, vel ſupponunt, eſtque Auguſtini *epiſt. 23. ad Bonifacium*, vbi expreſsè docet paruulum non dependere à voluntate parentum, ſiue quoad ſalutem per Sacramentum, ſiue quoad conſecrationem eius diabolo per incantationem: *Cæterùm*, inquit, *cùm infans non redeat in parentem, vt cum illo, & in illo vnus ſit homo, ſed omnino alter ſit, habens carnem ſuam, & animam ſuam, anima quæ peccauerit, ipſa morietur. Nec illud te moueat, quòd quidam non ea fide ad Baptiſmum percipiendum paruulos ferunt, vt gratiâ ſpirituali ad vitam regenerentur æternam, ſed quòd eos putent hoc remedio temporalem retinere, vel recipere ſanitatem, non enim propterea illi non regenerantur, quia non ab iſtis hac intentione offeruntur*: & ſubdit rationem, *Celebrantur enim per eos neceſſaria miniſteria*, &c. id eſt, Baptiſmus.

Supponit ergo ſalutem infantum baptizatorum non dependere à fide, aut intentione infidelium parentum, ſed à ſolo Baptiſmo: ſicut ſubiungit interfectores eſſe filiorum, qui eos dæmoniis conſecrant; non quòd interficiant ſpiritualiter filios reipſâ, ſed quantum in ipſis eſt: & addit, *Afferri paruulos ad percipiendum ſalutem, non tam ab eis, quorum geſtantur manibus (quamuis & illi etiam offerant ſi fideles, & boni ſunt) quàm ab vniuerſa ſocietate Sanctorum*; & concludit, *Tota ergo hoc mater Eccleſia, quæ in Sanctis eſt, facit, quia tota omnes, tota ſingulos parit.* Et infrà: *Illud autem nolo te fallat, vt exiſtimes reatus vinculum ex Adam tractum, aliter non poſſe diſrumpi niſi paruuli ad percipiendam Chriſti gratiam à parentibus offerantur. Sic enim ſcribit, vt dicit ſicut parentes fuerunt authores ad eorum pœnam, per fidem parentum identidem iuſtificentur, cùm videas multos non offerri à parentibus, ſed etiam à quibuſlibet extraneis*, &c. *Per hoc nihil aliud hic fieri vides, niſi quod in Euangelio ſcriptum, cùm dominus interrogaſſet quis illi à latronibus ſauciato, & ſemiuiuo in via derelicto, proximus fuiſſet, reſponſum eſt enim, qui in illo fecit miſericordiam*, &c.

*Paruulorum ſalus non dependet à voluntate parentum.*

7 *Argumentum à ratione.*

Probatur primò, quia voluntas parentum non imputatur ad contrahendum originale peccatum, neque ab ea pendent quoad hoc, vt de fide eſt, quia etiam infantes Chriſtianorum perinde contrahunt originale, ſicut & infidelium, quia à ſola illa voluntate, & peccato primi parentis, in quo omnes vnum erant, & peccauerunt, dependet: ergo etiam non dependent quantùm ad ſalutem conſequendam in Baptiſmo à voluntate parentum, ſed à ſolo Chriſto, in quo omnes vnum ſiunt, & regenerantur ad iuſtitiam per Baptiſmum.

*Contrahitur originale independenter à voluntate parentum.*

*Ita regeneratio.*

Patet conſequentia, quia non magis debent conſtitui in voluntate parentum quoad iuſtitiam recipiendam per Chriſtum, quàm quoad peccatum contrahendum ab Adamo: hoc enim eſſet contrà diuinam miſericordiam, & in præiudicium infantum: ergo *ſicut delictum, ita & iuſtitia*, vel gratia; & *vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia*: ergo ſicut peccarum non dependet, niſi à conſenſu proprio, aut primi parentis: ita nec gratia dependet, niſi à conſenſu proprio, vel Chriſti Redemptoris, quaſi minùs eſſet efficax Chriſtus ad ſaluandum, quàm Adam ad damnandum, vel ius parentis in filium eſſet maius reſpectiuè ad Chriſtum, quàm ad Adamum. Hanc rationem habemus ex Auguſtino in primis verbis citatis.

8 *Secũda ratio.*

Secundò, magis docent Patres in fide aliena paruulum baptizari, quàm in voluntate aliena, ſeu per alienam voluntatem offerri: ſed in fide aliena non intelligitur fides parentum: ſed vel ipſe Baptiſmus, qui eſt Sacramentum fidei, vt Auguſtinus in calce illius epiſtolæ, & aliàs docet, vel fides Eccleſiæ; ergo etiam ſufficit voluntas Eccleſiæ, quæ ſaluatur in miniſtro ad valorem Sacramenti. Deinde ſi ius paternum, & diſſenſus in eo fundatus, impedit valorem Sacramenti, manebit etiam eadem poteſtas Patris reſpectiuè ad Baptiſmum, quamdiu ius eius non expirat, ſed non expirat veniente filio ad vſum rationis: ergo etiamſi tum conſenſerint in Baptiſmum, repugnantibus parentibus, & tutoribus, Baptiſmus erit nullus; quod nemo ſaluâ fide aſſerit. Probatur conſequentia, quia illud ius paternum valet ad irritandum votum filij, & alios actus quamdiu eſt impubes, & poteſt diſponere de filio impuberi non ſecus ac de infante, etiam contra voluntatem filij, vt eum vendere, & in ſimilibus.

*Ius paternum non derogat Sacramento.*

9 *Filij fidelium inuitis parentibus validè baptizantur.*

Præterea non eſt minus ius Chriſtianorum in ſuos filios, quàm infidelium, quia fides non præiudicat iuri naturali parentum in filios, & præceptum de honorandis parentibus in lege noua confirmatur: ſed ſi filius fidelis, aut hæretici, baptizetur inuito parente, manet Baptiſmus ratus, etiamſi talis actio eſſet prohibita ab Eccleſia; quia efficacia Sacramenti huius non dependet ab Eccleſia.

*Per martyrium inuito parente ſaluatur.*

Præterea ſi martyrio in odium Chriſti interficeretur infans infidelis, ſaluaretur ſine conſenſu parentum: ergo etiam erit verè baptizatus, ſi abſque eodem conſenſu baptizaretur. Antecedens patet, quia Innocentes inuitis parentibus fuerunt occiſi, & tamen ſunt Martyres, vt ſuprà diximus. Conſequentia probatur, quia martyrium ex natura actûs magis dependet à conſenſu voluntatis, & fide adulti, quàm Baptiſmus, vt per ſe conſtat: ergo idem dicendum eſt quoad infantes, ſi exigeretur conſenſus parentum ad Baptiſmum, magis exigi ad martyrium. Præterea quoad bona temporalia, & vitam corporalem, poteſt reſpublica, vel Princeps, ſuſcipere patrocinium infantis contra iniquos parentes, aut filios: ergo etiam infantem in periculo mortis conſtitutum, poteſt

baptizare

baptizare inuito patre, & repugnante, etiam homo priuatus, ſicut vi eripere infantem à patre, qui eum eſſet occiſurus: ergo tum valebit Baptiſmus; quod eſſet falſum, ſi eſſentialiter exigeret conſenſum paternum ad ſui valorem. Sed de hoc inferiùs agetur latiùs.

10 Bapti ſmus itaque non exigit conſenſum proprium infantis, qui non poteſt eſſe; neque conſenſum parentum eius ad valorem Sacramenti: quidquid ſit an liceat ita baptizare. Neque expediens fuit valorem Sacramenti in infantibus, quod ipſis eſt vnicum remedium ſalutis, conſtituere ſub voluntate parentum, quia in periculo ſæpè non vacaret conſenſum eorum expectare, & Sacramenti efficacia committeretur incertitudini: neque Concilia, aut Patres, qui docent Sacramentum eſſe ſemper validum, ni ſi ponatur obex, mentionē alicuius obicis fecerunt in infantibus, qui redderet Sacramentum nullum, ſed in ſolis adultis; & ſanè eſſet magna iniuria, ſi Baptiſmus infantum penderet ab alio, quàm à forma, materia, & intentione miniſtri, præterire conditionem eſſentialem requiſitam: ideò non expreſſio eius quoad infantes, & expreſſio quoad adultos, reddit doctrinam, quam tenemus, eſſe vniuerſalem, & priorem omnino falſam eſſe, quam meritò Caietanus dicit irrationabilem.

*Argumētum efficax ab authoritate negatiua.*

Ad quartum Caietani reſpondetur conſenſum 11
baptizati non requiri ex parte Sacramenti; ſed ex parte ſubiecti, vt ſit capax ſalutis, & remedij ad ſalutem ordinati ex lege vniuerſali, quâ ordinata ſunt hæc in poteſtate liberi arbitrij in capace proprij conſenſus vt ſint voluntaria. *Ad quartum. Conſenſus adulti cur exigitur?*

Ad quintum reſpondetur, in miniſtro requiri voluntatem efficacem reſpectu Sacramenti, quia concurrit effectiuè ſaltem applicando Sacramentum: in adulto autem baptizando, ſufficit quicumque actus, quæ redditur voluntate diſpoſitus, vt Sacramentum velit recipere. Alia ad initium quæſtionis poſita ſoluuntur ex textu. *Ad quintum. Diſparitas inter miniſtrū, & adultum.*

---

## QVÆSTIO V.

### *An adultus fictus recipiat effectum Baptiſmi?*

Alenſ.4.*p.q.*18.*m.*2.*art.*1.*&* 2. D.Bonau.*hic* 1.*p.art.*2.*q.*2. Richard.*art.*1.*q.*2.D.Thom.3.*p.q.*69.*art.*9.Vaſquez 3.*part.d.*158.

AD ſecundum ſic proceditur, arguitur quòd adultus fictus recipiat gratiam Baptiſmi: quia Galat.3. *Quotquot in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis:* ſed nullus induit Chriſtum, niſi accipiendo gratiam, quia per hoc fit conformis Chriſto: ergo, &c. 1 *Argum.*1. *Galat.*3.

Item, ſi fictus non recipit gratiam, cùm non poſſit ſaluari ſine gratia baptiſmali: ergo recedente fictione, eſſet aliàs baptizandus. Conſequentia patet à ſimili, quia fictè pœnitens, tenetur ad pœnitendum verè de eiſdem peccatis. Conſequens eſt inconueniens, vt patet auctoritatibus Sanctorum in litera. *Argum.*2.

Item, Baptiſmus expellit peccatum, non illud, quod iam priùs expulſum eſt (quod enim expulſum eſt, expelli non poteſt) ergo expellit peccatum, quod tunc ineſt: ergo nullum peccatum in ficto impedit effectum Baptiſmi. *Argum.*3.

Contrà, Auguſt.*de Pœn.c.*2.& ponitur in litera.*Omnis qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt, cùm accedit ad Sacramentum fidelium, niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non poteſt inchoare.* *Ratio ad op. Auguſt.*

Item, de Baptiſmo paruulorum, dicit Auguſtinus: *Tunc valere incipit Baptiſmus ad ſalutem, cùm illa fictio veraci confeſsione receſſerit, quæ corde in malitia perſeuerante, peccatorum ablutionem non ſinebat fieri:* ergo illa fictio impediebat ablutionem in Baptiſmo, & per conſequens gratiam.

## SCHOLIVM.

*Fictum, id eſt, exiſtentem in mortali, de quo non conteritur, nec atteritur, non accipere gratiam Baptiſmi, ex* Trident.*ſeſſ.*6.*c.*6. Auguſt.*lib.de medicina pen.c.*2.*& de fide & oper.c.*4.*& ſeq.* Carthag.4.*c.*85.Aquiſgran.1.*c.*114.Dion.*de Eccleſ.Hierarch.c.*2.Nazianz.*orat.in ſanctum lauacrum.* Baſil.*lib.*1.*de Bapt.* Ambroſ.*lib.de his qui myſt. initiantur.*

Reſpondeo *, fictus dicitur, qui aliud prætendit exteriùs, aliud habet interiùs: poteſt ergo aliquis in ſuſcipiendo Baptiſmum eſſe fictus dupliciter. Vno modo, quòd oſtendat ſe velle recipere illam ablutionem, eo modo, quo Eccleſia intendit eam conferre: & tamen oppoſitum habet in animo: & ille non recipit Sacramentum; vt patet ex quæſtione præcedenti, quia ſimpliciter eſt nolens reſpectu ablutionis ſacramentalis, licèt ſit volēs, reſpectu ablutionis ſimplicis, & ſi talis poſtea recederet à fictione, eſſet baptizandus: tamen Eccleſia iudicaret eum conſentire in ablutionem ſacramentalem, & cogeret eum ad obſeruantiam fidei Chriſtianæ: quia præſumit partem meliorem, quando ſigna magis prætendunt eam, ſicut præſumit poſt matrimonium, de ficto cognoſcente illam, 2 *Fictus quis dicatur. Fictio duplex. Alia contra Sacramentū, alia contra diſpoſitionem eius. Eccleſia præſumit ſemper meliorē partem.*

quam affidauit cognoſcere affectu maritali: & ideò cogit eum ad verum conſenſum matrimonialem in eam.

Alio modo poteſt aliquis eſſe fictus, oſtendendo ſe eſſe diſpoſitum, ad recipiendum Sacramentum, & tamen non eſt diſpoſitus interiùs: vel quia non habet rectam fidem; vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur. Et iſto ſecundo modo communiter loquuntur Sancti, & Doctores de fictè baptizato.

Dico tunc [b], quia nolentem Deus non iuſtificat, ſecundùm illud Auguſt. *Qui creauit te ſine te, non iuſtificabit te ſine te.* Iſte, qui habet actualiter obicem contra gratiam, puta infidelitatem, vel aliquod peccatum, quod tunc actu voluntatis committit, vel quod priùs commiſit, & nullo modo ſibi diſplicet, nullo modo recipit gratiam, ſecundùm Auguſtinum, vbi ſuprà: *Omnis qui ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus eſt*, &c. & de iſto intelligitur illud Sap. 1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.*

3 Et ſi obiicitur [c], ergo iſte tunc videtur eſſe perplexus, quia non patet ſibi via ſalutis, cùm non poſſit iterum baptizari, quia baptizatus eſt, & ſine gratia baptiſmali ſaluari non poteſt. Reſpondeo, rebaptizari non poteſt, quia Deus inſtituit Baptiſmum in iterabilem, ne propter plenam remiſſionem, quæ fit ibi tam culpæ, quàm pœnæ, daretur occaſio ſæpiùs delinquendi, ſi Baptiſmus poſſet ſæpiùs iterari. Quòd autem in Baptiſmo fit remiſſio omnis pœnæ, dicit Ambroſius *de conſecr. diſt.* 4. & ſumitur de gl. ſup. illo verbo: *Sine pœnitentia ſunt dona Dei*, Rom. 11. *Gratia*, inquit, *Dei in Baptiſmo, non requirit gemitum, vel planctum, vel aliquod opus; ſed omnia gratis condonat:* & Magiſter 4. *diſt. cap. antepenult.* tamen nulli quotieſcumque labenti, præcluſit Deus viam ſalutis in hac vita: non enim ad maiorem miſerationem voluit ipſe quemcumque noſtrum ad proximum obligare, quàm ipſe voluerit habere ad ſubditum. Petro autem quærenti, Matth. 18. quoties deberet dimittere fratri peccanti in ipſum, *an ſepties?* Reſpondit, *ſeptuagies ſepties*: immò ſecundùm Auguſtinum in Homil. *millies, millies*: & vniuerſaliter, quotieſcumque peccauerit, & recognouerit, parcendum eſt ei. Sic ergo Deus inſtituit aliquod aliud remedium, quotieſcumque peccanti in via, ſcilicet Sacramentum Pœnitentiæ: & tunc dico, quòd iſti patet via ſalutis, per veram pœnitentiam de iſta fictione: iuxta ſecundam auctoritatem Auguſtini adductam.

*Cur Baptiſmus non ſit iterabilis.*

*Per Baptiſmum tollitur omnis pœna. Trid. ſeſſ. 5. de peccat. orig. Floren.*

## *COMMENTARIVS.*

1 a *Reſpondeo fictus dicitur*, &c. In ſuperiori quæſtione egit de diſpoſitione requiſita ad valorem Sacramenti in adulto, qui eſt conſenſus eius tantùm, & aliud non requiri; patet ex dictis, & amplius patebit infrà de Baptiſmo hæreticorum, contra ſententiam, quæ fuit Cypriani: in hac autem agit de requiſita diſpoſitione adulti, vt recipiat effectum Sacramenti, qui eſt iuſtificatio eius à peccato. Hæc ergo quæſtio explicat primò quid ſit fictio: ſecundò quomodo tollatur, iuxta varios modos dicendi.

*Quid fictio, & quot modis contingat.*

Quantùm ad primum dico *fictionem vt in actibus humanis inuenitur eſſe in eo, quòd aliquis exterius prætendat, aut præ ſe ferat, quod interiùs non habet*, &c. in verbis dicitur mendacium, in operibus ſimulatio, & hæc ex vſu Theologorum appellatur *fictio*: quæ duplex eſſe poteſt quantùm ad præſens. Primò vt interiùs nullus ſit conſenſus recipiendi Sacramenti, quod exteriùs ſimulat recipere, vel certè ſit diſſenſus internus abſolutè; & talis, inquit, non recipit Sacramentum validè, vt in præcedenti dictum eſt: quamuis ab Eccleſia cogatur ad obſeruantiam fidei, quia præſumitur ex verbis, & factis conſenſus, qui debet ineſſe, & non contrarium.

*Simulatio.*

*Fictio ſecundo modo tribus modis cõtingit.*

Secundo modo ſumitur *fictio*, ex vſu præſentis quæſtionis, & ſententia tam Patrum, quàm Theologorum, quatenus eſt in ſimulatione congruæ diſpoſitionis, ſeu requiſitæ ad ſuſceptionem Sacramenti legitimam, & fructuoſam, quâ tamen caret, vt ſi caret fide, non credendo myſteria, quorum fides exigitur, vel omnia, vel aliqua, vel quia deeſt pœnitentia de peccatis ante Baptiſmũ commiſſis, vel certè etiamſi nullum mortale aliàs commiſerit, vel ſi commiſerit, non ſolùm omittendo pœnitentiam, ſed etiam actu peccando mortaliter in ipſa ſuſceptione Sacramenti peccat de nouo.

2 b *Dico tunc quia nolentem Deus non iuſtificat*, &c. Intelligit nolentem iuxta ſcopum Auguſtini, & concluſionis, non ſolùm de nolitione contraria, ſed etiam de interpretatiua, ſeu omiſſione eius, quod debuit adeſſe, nempe diſpoſitionis debitæ, vt ſi deeſt fides, aut pœnitentia de malè commiſſis, & remotione impedimenti, vt peccati actualis tunc commiſſi. Concluſio autem Doctoris eſt nullo modo ſic fictum recipere gratiam ſanctificantem: eſt de fide, eámque ſupponit Doctor ex Sanctis Patribus, eam breuiter probans ex Auguſtino & Scriptura.

*Non iuſtificatur fictus.*

Prima ergo diſpoſitio ad iuſtificationem adulti in Baptiſmo eſt fides. Loquitur autẽ Doctor in ordine ad recipiendam gratiã ſanctificantem. Requiri autem fidem patet Matthæi vltimo, *Euntes docete*, &c. præmittitur doctrina ob neceſſitatem fidei, *fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei*, id eſt, prædicationẽ, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit*, &c. Marci vltimo. Actorum 8. *Si credis, licet*, inquit Philippus Eunucho, *Credo*, inquit, &c. Patet fusè ex locis Pauli de neceſſitate fidei, ſine qua *impoſſibile eſt placere Deo.*

*Prima diſpoſitio eſt fides.*

Hinc exigitur confeſſio fidei à Catechumenis, & Symbolum ante Baptiſmum. Clemens Romanus *lib. 7. Inſtitut. c. 42.* Dionyſius *de Eccleſiaſt. hierarchia,*

Clem. Rom. Dionyſ.

Origenes. Conc.Laodicen. Cyrillus Ierosolymit. Basilius. Synod.Constantinopol. Chrysost. Cyrill. Alex. Tertullian. Cyprian. Hilarius. Ambros. Hieron. Ruffinus. August.n. Trident.

*rarchia, cap.2.* Origenes *hom.5. in Num.* Synodus Laodicen.*can.46.&* 47. Cyrill. Ierosolymitanus *Catechesi mystagogica,* & *Catechesi* 2. Basilius *lib.3. ad Eunomium.* Sexta Synodus Constantinopolitana *cap.* 7. Chrysostomus *in cap.* 15. 1. *ad Corinthios, in cap.*1.*ad orat.*1. Cyrillus Alexandrinus *in c.25.Isaiæ lib.*12.*in Ioannem,cap.*64.& reliqui Græci Patres. Idem docent Latini, Tertullianus *de spectaculis,c.*4. Cyprianus *epist.*70.*&* 76. Hilarius *in Matthæum can.*75. Ambrosius *lib.*2. *de Sacram. cap.*75.*& lib.de Spiritu sancto,cap.*11. Hieronymus *dialogo contra Luciferianos, cap.* 5. *ad Pammachium contra errores Ierosolymitani, cap.* 4. Ruffinus *in explicatione Symboli.* Augustinus *de fide & operibus, c.9.& c.*20. & omnes Rituales idem præscribunt, ac nouissimè Tridentinum *sess.6. cap.5.* hanc primam constituit in dispositione adulti ad iustificationem; & rationem subdit *cap.*8.quia est *radix & fundamentum iustificationis.*

3 *Requiri pœnitentiam de actuali.* *Vera sententia.*

Secunda dispositio est pœnitentia de actuali, sine qua nequit consequi gratiam sanctificantem; ita Doctor expresè,§. *Alio modo,*&c. & versu,*Dico tunc:* quæ est secunda conclusio huius quæstionis. Cæterùm ab aliis citatur,quasi asseruerit non requiri aliquem dolorem de peccato, sed solam voluntatem recipiendi Sacramentum, sine cõplacentia actuali peccati;ita eum citat Gabriel pro hac sententia *in* 4. *dist.*14. *quæst.*2. *art.*2.*not.*2. *& dist.*4.*quæst.*2.*art.*2.*post* 4.*conclusionem.* Almainus *in* 4. *dist.*14. *quæst.* 4. Adrianus *quodlibeto* 5. *art.* 3. Sylvester in Summa, verbo *Confessio* 1. *quæst.* 21. Angelus *ibidem* 1.*num.*27. Rosellus §.4.

*Calumnia.* Gabriel. Almainus. Adrian. Sylvester. Angelus. Rosellus. *Vindicatur.* Vega. Corduba. Vasquez. Suarez. Scholiastes. *Falsa interpretatio.*

Scotum ab hac calumnia vindicat Vega *lib.* 9. *in Trident.c.*5.*& lib.*13.*c.*33.*&* 34. Corduba *lib.*1. *quæstionarij,quæst.*2. Vasquez *tom.*2.*in* 3. *disp.*158. *cap.*1. & Suarez *disp.*28.*sect.*1.*concluf.*1. & optimè Scholiastes hîc *Scholio* 2.& infrà *dist.*14. Malè tamen censet Vasquez Doctorem asseruisse illum dolorem requisitum non esse supernaturalẽ,quem suo loco vindicabimus commodiùs *illa dist.*14. vbi de natura pœnitentiæ,eiúsque actibus per se agit.

4 *Explicatur Doctor, & reijcitur prætensa calumnia.*

Pro prætensa autem opinione iam præmissa citatur in 4. dist.14. quæst.3. art.3.versu, *Dicitur ergo,*&c. Verba eius sunt:*Sicut ergo adultus primam gratiam delentem originale potest habere duplici viâ, vel ex bono motu disponente ad illam de congruo, vel ex susceptione Sacramenti;ita & in proposito,*&c.*Hoc declaratur sic, quia ad primam susceptionem gratiæ,requiritur aliquis motus meritorius de congruo; ad secundam autem non requiritur,nisi voluntaria susceptio Baptismi,& sine fictione; hoc est cum intentione suscipiendi quod confert Ecclesia, & sine actu,vel voluntate peccati mortalis; ita quòd in primo requiritur aliquod opus intrinsecum, aliquo modo acceptum, tanquam meritum de congruo: in secundo solùm requiritur opus exterius cum amotione interioris impedimenti. Non solùm ergo attritus per aliquod tempus,*&c. Hunc locum ita interpretantur præfati Doctores, vt Doctor non asseruerit non requiri pœnitentiam ad dignam susceptionem Baptismi,sed non requiri cõtritionem perfectam, quæ extra Sacramentum iustificet; de qua contritione vtplurimùm tota illa distinctione loquitur: & hoc secundum verum est; sed declarando literam planè, & secundùm mentem Doctoris, non est necessarium ad hoc recurrere,quia clarè loquitur, si membra discursus eius discernamus, & scopum perpendamus.

*Interpretatio aliorum.*

5 *Vera sententia Doctoris explicatur.*

In principio itaque illius articuli reiicit sententiam Magistri *in dist.*18.asserentis Sacerdotem Euangelicum non remittere peccata, sed ostẽdere remissa.Hanc impugnat,quia derogat Sacramento Pœnitentiæ,quia sic nunquam remitteret peccata,sed supponeret remissa per veram contritionem,& consequenter non esset secunda post naufragium tabula. Subdit sententiam Alensis, quæ dicit ad Sacramentum Pœnitentiæ adeò requiri dispositionem congruam,vt per Sacramentum remittat peccatum, non tamen alligasse virtutem suam Sacramentis, quin sine ipsis remittat peccatum per perfectam dispositionem extra Sacramentum, quod est maioris misericordiæ duplicem viam, & medium remittendi peccati instituere,quàm ad vnum tantùm arctare.

*Duplex modus remittendi peccatum.*

Subdit autem Doctor exemplum de Baptismo adulti,& remissione peccati originalis per duplicem illam viam;vel per bonum motum voluntatis,tanquam meritum de congruo;vel per realem susceptionem Baptismi, excludendo fictionem; vt inde probet etiam peccatorẽ post Baptismum vtroque modo iustificari, siue per contritionem, siue per Sacramentum Pœnitentiæ suppositâ attritione, quod denotat illa clausula, *ita & in proposito,*&c. id est, de Pœnitentiæ Sacramento.

Et ampliùs subdit declarationem, *Hoc,*inquit, *declaratur sic,* &c. *quia ad primam susceptionem gratiæ,*(nempe ab adulto,quando iustificatur à peccato originali extra Sacramentum) *requiritur aliquis motus meritorius de congruo,*&c.

6 *Casus quem declarat Doctor.*

Casus ergo est de adulto cum peccato originali solùm, quia non facit mentionẽ vllam Doctor de peccato personali eius mortali, sicut in præsenti quæstione,& conclusione facit, & ita nõ est sibi contrarius,vt malè asseruit Gabriel;& solùm loquitur de iustificatione adulti à peccato originali,non autem à peccato mortali personali:*Sicut ergo adultus,* inquit,*primam gratiam delentem originale potest habere duplici viâ,* &c. quæ est ipsa expressio exẽpli,& casus, quam deinceps nihil mutatam prosequitur. Non video ergo quâ ratione trahatur ad aliũ diuersum præsentis quæstionis, in qua agitur de ficto,& dispositione in eo requisitâ ad iustificationem. Ad confirmationem facit, quòd iustificationem adulti ab originali asserat fieri,non per pœnitentiam,sed per motum meritorium de congruo, nempe vel per fidem formatam, seu operantem per charitatem,& iustificantem,vt Apostolus *in epist.ad Galatas,c.*5.vel certè, si habet aliqua venialia cum originali, per actum pœnitentiæ perfectæ,quæ sine peccato personali nequit concipi; non requirit tamen determinatè pœnitentiam,quæ nequit esse de originali: infrà tamen agens de dispositione requisita ad remissionem peccati mortalis post Baptismum cõmissi, specificat actũ debere esse (nempe per se loquendo,& secludẽdo casum,quo excusatur à pœnitentia formali,& expressa supplente dilectione, quæ virtualis est pœnitentia eius defectum in eo qui nõ aduertit ad peccatum)attritionem perfectam, id est,contritionẽ,vel remissam cum Sacramento.

*Loquitur de adulto habẽte originale tantùm.*

7

Quòd ergo de adulti iustificatione per Sacramentum ab originali (quod per se primò est materia Baptismi, secundaria autem peccatum personale,si insit, de quo nihil præfato loco Doctor) sufficere voluntatem recipiendi Sacramentum sectusâ fictione,verissimum est;nec solùm sententia communis, sed veritas fidei. Ex quibus patet nullum esse locum calumniæ, vel aliter interpretandi sententiam eius quam sonat: quia doctrinalis propositio secundùm proprietatem intelligenda est. Casus autem præsentis quæstionis est diuersus ab eo,quem in loco citato exprimit Doctor,non solùm verbis, sed & sententiâ. Omitto

quod dicit *in quæſt.1. art.2.* de lege ordinaria non deleri peccatum perſonale, niſi per pœnitentiam, vel aliquid æquiualens in acceptatione diuina; & plura alia loca citari poſſunt. Hæc enim pœnitentia ſolùm reſpicit peccatum perſonale, non originale, vt ſupponit probatio principalis concluſionis ſequens.

Aduertendum eſt, caſum hunc admitti ex principiis Doctoris, nempe adultum carere poſſe peccato mortali perſonali: de quo alius locus eſt diſſerendi: eundem autem caſum ſupponit hîc in textu in ſecundo genere fictionis, nempe dum peccat ſuſcipiendo Sacramentum: poteſt ergo per ipſum accedere cum ſolo originali, ſine mortali perſonali, & tunc ſufficit ei voluntas recipiendi Sacramentum, & fides, ſine pœnitentia; quod ſupponitur infrà q.7. in fine, *v. Quòd ſi compares*, &c.

8 *Neceſſitas pœnitentiæ.*

Probatur ergo concluſio, Actorum 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm*, &c. Author de vera, & falſa pœnitentia cap.18. *Baptiſmus ſine pœnitentia nunquam profuit ei qui peccauit ſpontaneè: peccauit ſpontaneè*, inquit. Auguſtinus etiam variis in locis, ſæpè idem docet, vt *epiſt.*48. & 118. Fulgentius de fide ad Petrum *cap.* 30. & ex hac ratione iniungebatur ante Baptiſmum Catechumenis ad exercendam pœnitentiam, vt puriores accederent ad lauacrum opera pœnitentialia, vt abſtinentia à carne, vino, & aliis, ex Cyrillo *Catecheſi citatâ ſuprà*. Concilio IV. Carthaginenſi *can.*85. Auguſtino *de fide & operibus, cap.6.*, Nazianzeno *Orat. in ſanctum lauacrum*.

*Cyrillus. Auguſtin. Nazianzen.*

Item Tridentinum *ſeſſ.6. cap.6.* declarat pœnitentiam neceſſariam eſſe ad iuſtificationem adulti peccatoris, *per eam pœnitentiam*, inquit, *quam ante Baptiſmum agi oportet*, &c. & can. 3. *Si quis dixerit ſine præueniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque eius adiutorio*, &c. *pœnitere ſicut oportet, vt ei iuſtificationis gratia concedatur, anathema ſit.* Loquitur autem de iuſtificatione per Baptiſmum, atque adulti peccatoris: & ſeſſ.14. cap.1. *Fuit autem*, inquit, *vniuerſis hominibus, qui mortali aliquo peccato inquinaſſent* (nota hæc verba, in quibus præſcribitur materia præciſa pœnitentiæ, ob quam neceſſaria eſt eſſe peccatum mortale, actuale, ſeu perſonale, & non originale) *quouis tempore ad gratiam, & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria; illis etiam qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt peruerſitate abiectâ*, &c. Idem declarat *cap.*4. in principio.

Hinc excluditur ſententia illa, quam tribuunt iniuſtè præfati authores noſtro Doctori, cuius concluſio manifeſta eſt ex hac quæſtione, in qua agit de adulto peccatore, cuius verba expreſſa ſunt in textu: & probat eam ex Auguſtino, libro de Pœnitentiæ medicina: *cap.* 2. vbi illa verba citata habet; imponitur tamen Caietano *3. part. quæſt.86. art.2. dubio vltimo*, qui aſſerit voluntatem ſuſcipiendi Baptiſmum in remiſſionem peccatorum eſſe ſufficientem pœnitentiam ſine alio expreſſo propoſito emendæ, quia illa ipſa voluntas eſt virtuale propoſitum emendationis. Explicat eum congruè Suarez, quamuis illam excuſationem non admittat Vaſquez.

*Caietan.*

9 *Quàm debet eſſe pœnitentia?*

Cæterùm quoniam voluntas ſuſcipiendi Sacramenti poſſit ſeparari à pœnitentia requiſita in adulto, & reipſa contingere poſſit, ſine ſufficienti pœnitentia, quæ non eſſet attritio, aut contritio, licèt eſſet æſtimata, vel vna, vel altera; modus loquendi dubius eſt, & obſcurus: ad pœnitentiam, quæ ſit fructuoſa etiam in Baptiſmo, exigit Tridentinum præter dolorem propoſitum emendationis ſeſſ.6. cap.6. *Denique*, inquit, *dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum inchoare nouam vitam, & ſeruare diuina mandata*, &c. & *ſeſſ.14. cap.* 4. dicit pœnitentiam, quæ eſt diſpoſitio in Sacramento requiſita poſt Baptiſmum, continere votum Sacramenti, ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, & veteris odium: & infrà de attritione, ſeu contritione imperfecta, quæ extra Sacramentum non iuſtificat vt diſpoſitio ſit legitima, requirit, vt voluntatem peccandi excludat: quæ excluſio non ſolùm intelligenda eſt quaſi negatiuè, vt ſcilicet ſufficiat non complacentia actualis in peccato, ſed neceſſaria eſt voluntas poſitiua, quæ eſt firmum propoſitum non peccandi, vt colligitur tam ex initio capitis, vbi agit de contritione, vt communis eſt ad perfectam, atque imperfectam, quâ impetrat veniam peccatorum, requirit enim propoſitũ emendationis. Et infrà *can.5.* adiicit idem tanquam circumſtantiam requiſitam; *Cum propoſito*, inquit, *melioris vitæ.* & ſeſſ. 6. cap.14. idem ſupponit requiri ad pœnitentiam hominis Chriſtiani, quæ debet eſſe ceſſatio à peccatis, & ex natura rei ad pœnitentiam peccatorum veram, quæ diſponat ad indulgentiam, id requiritur, quia eſt dolor efficax quâ applicatur Sacramentum, vt medium ſalutis, & intenditur efficaciter ipſa ſalus, & amicitia Dei, quâ non eſt dignus, niſi qui impedimenta tollere de præſenti & futuro proponit. Vnde Apocalypſis 2. *Memor eſto vnde exciderîs, age pœnitentiam, & prima opera fac*, &c. per vltimum intelligitur conatus emẽdationis 2. ad Corinth.7. *Quæ ſecundùm Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Operatur*, inquit, *in ſalutem ſtabilem pœnitentiam*: ergo nulla eſt ſecundùm Deum triſtitia, quæ triſtabiliter non operatur pœnitentiam cum propoſito emendationis.

*Requiri propoſitũ emendationis.*

Sic etiam Prophetæ prædicauerunt conuerſionem peccatoribus, vt *quieſcerent agere peruersè*, emendarẽt vias ſuas, fugerent iniquitatem, ſequerentur Dominum: ergo non eſt aliquod fundamentum id negandi, cùm alioquin pœnitentia, quæ id excluderet, non eſſet vera conuerſio peccatoris. Quòd ſi de actu perfecto amoris cum obliuione peccatorum id doceretur, rectè quidem; ſed hoc modo non ſtat cum voluntate recipiendi Sacramentum in remiſsionem peccatorum, niſi comprehendatur ſolum originale, & caſum ipſa dubitatio ex titulo excludit: in eo enim qui recordatur peccati ſui, nequit eſſe amor perfectus diuinæ charitatis, niſi ſequatur dolor de peccato commiſſo.

*Perfectus amor inducit pœnitentiam.*

10 *Dubium de qualitate pœnitentiæ.*

Dubitabis, quam pœnitẽtiam intendit Doctor requiri, ad Baptiſmum validè ſuſcipiendum ab adulto peccatore, vt deleatur peccatum mortale eius, & quænam exigatur, & ſufficiat in reipſa? Reſpondet Gabriel requiri veram contritionem *in 4. diſt.4. quæſt.2. art.2. poſt concluſionem quartam*, quam tenet Petrus à Soto *de Inſtitutione ſacerdotum, lectione 4. de Baptiſmo, §. Vltimò tandem.* Citari etiam poſſunt, qui aſſerunt ad remiſſionem peccati in Sacramento Pœnitentiæ requiri perfectam contritionem, ſicut Magiſter *infrà diſt.* 18. & Marſilius *in 4. quæſt.12. art.2. in 2. part. articuli dubio incidentali*: & alij, quos *infrà diſt.14. quæſt.3.* citabimus. Alij vt Nauarrus *in ſumma cap.1. num.* 39. docet requiri ſaltem contritionem æſtimatam, cui accedere videtur Corduba, *lib.1. quæſtionum, quæſt.2. ad 3. argumentum.* Alij docent non ſolùm requiri, & ſufficere contritionem, & attritionem communiter dictam, ſed diſplicentiam humanam

*Requiri contritionem.* Gabriel. Petrus de Soto. Magiſt. Marſilius. Nauar. Corduba.

humanam ob infamiam, aut mortem, viribus naturæ conceptam sufficere ad valorem Sacramenti. Idem infrà docent etiam de disposítione requisita ad Sacramentum Pœnitentiæ, vt validè conferatur.

11 *Cõclusio Doctoris.*

Conclusio Doctoris est, requiri displicentiam de peccatis commissis, & pœnitentiam, quam intendit Augustinus, loco ab illo citato suprà, quam in sequentibus dicit veram pœnitentiam aliquoties, vt requiritur ad tollendam fictionem, in responsione ad vltimum vocat contritionẽ, §. *Posset ergo aliter dici*, &c. *in responsione ad secundam obiectionem*, appellat contritionem, vel attritionem in fine. Requirit ergo Doctor illam pœnitentiam, quam infrà *dist.* 14. *quæst... loco citato*, docet necessariam esse ex lege ordinaria ad delendum peccatum mortale actuale, seu personale. Quæstione autem secunda, *art.* 1. & 2. docet illam pœnitentiam esse actum circumstantionatum omnibus requisitis circumstantiis, quas ibidem declarat; alioquin dubium esse, si aliqua ex ignorantia, aut negligentia desit, an sit sufficiens dispositio ad deletionem peccati? Inter alias circumstantias requirit, vt sit imperatus, aut elicitus actus à charitate supernaturali, seu secundùm finem charitatis. Et quæstione quarta, *art.* 3. *citato*, diuidit actum illum pœnitentiæ in attritionem perfectam, quæ sine Sacramento iustificat, & in imperfectam, quæ requiritur vt Sacramẽtum suscipiatur, quod docet etiam *dist.* 20. *quæst. vnica*; & quæ sine Sacramento non sufficeret; vt patet in corpore articuli, & infrà *responsione ad primum*, parem facit efficaciam Baptismi, & Pœnitentiæ, quantum est in hoc, vt virtute vtriusque remittatur peccatum, quod supponitur non dimissum. Responsione etiam ad 2. explicans locum Augustini *in Ioannis* 12. de suscitatione Lazari; *nemo potest confiteri, nisi fuscitatus*: vbi agit de suscitatione per gratiam. *Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam Sacramenti Pœnitentiæ, oportet fuscitari* (supple peccatorem) *vel simpliciter; & tunc per Pœnitentiæ Sacramentum non deletur peccatum, sed qua gratia infuit* (supple mediante contritione perfectâ) *augetur; vel fuscitari secundum quid, scilicet vt habeat aliqualem displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cætero, & velit fuscipere Sacramentum Pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc fuscitatur simpliciter per Sacramentum*, &c. Et responsione ad vltimum, concedit quòd Sacerdos dimittat tam in Baptismo, quàm in Pœnitentia, peccatum quod inest, & deletur virtute ipsius Sacramenti realiter suscepti, non priùs dimissum.

*Requiri supernaturalem.*

*Sufficere attritionem.*

12 *Trident.*

Vnde quando *in hac quæstione* appellat hanc pœnitentiam, *responsione ad vltimum*, contritionem, loquitur sicut Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. nomine contritionis comprehendens tam perfectam, quàm imperfectam. Requirit ergo ex dictis, vt sit dolor supernaturalis, & expressè patet infrà *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. *in fine*, vbi admittit propter merita mortificata Deum citiùs dare gratiam ad resurgendum peccatori, quando sunt plura, & perfecta, & affirmat pœnitentiam diuinitùs inspirari. Requirit pœnitentiam perfectam extra Sacramentum, imperfectam in Sacramento; non autem perfectam, etiam vt talem æstimatam. Quæ sententia contradictoriè opponitur opinionibus iam citatis. Est communior modernorum, quam tenet Suarez *disp... sect.* 2. Vasquez *disp.* 158. *cap.* 3. 4. & 5. & alij. Requiri autem dolorem, iam probatum est in commento, esse debere supernaturalem,

*Suarez. Vasquez.*

Probatur primò esse debere inspiratum à Deo, & hoc sensu supernaturalem, quia de hoc dolore agit Augustinus locis citatis, & vbique Patres contra Iudæos, & Pelagianos, negant virtute legis, aut naturæ posse hominem resurgere à peccato sine gratia Dei, aut adultum sine adiutorio eiusdem gratiæ, *Pœnitere*, sicut *oportet, vt ei iustificationis gratia concedatur*, vt definit Tridentinum *sess.* 6. *can.* 3. *iam supra citato*, cui correspondet cap. 5. *Declarat præterea ipsius iustificationis in adultis à Deo per Christum Iesum præueniente gratia sumendum esse; hoc est ab eius vocatione, quia nullis eorum existentibus meritis vocantur, vt qui per peccatum à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam ad conuertendum se*, &c. *disponuntur*, &c. Et *cap.* 6. enumerans actus conuersionis ordinatæ, vltimo loco statuit pœnitentiam. *Cap.* 14. dicit ab eadem gratia lapsum post Baptismum excitari ad pœnitentiam, *cap.* 4. contritionem imperfectam asserit *esse donum Dei, & Spiritus sancti impulsum mouentis, quo pœnitens sibi viam ad iustitiam viam parat.*

*Quòd sit supernaturalis.*

Secundò, probatur altera pars, nempe nõ exigi contritionem perfectam, ratione Doctoris, loco citato contra Magistrum, quia sequeretur quòd Baptismus realiter nunquam conferret primam gratiam, vel remitteret peccatum; hoc autem est inconueniẽs, quia Baptismus per se remittit peccatum, iuxta ea, quæ Concilia, & Patres de efficacia huius Sacramenti docent, vt illud: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum.* Et forma Baptismi datur in remissionem peccatorum ex Milcuitano *can.* 2. Trident. *sess.* 5. *can.* 4. quod non solùm intelligitur in infantibus, sed etiam in adultis, vt patet ex verbis ipsis formæ in significatione practica, *Baptizo te*, &c. nempe à peccato; ideóque Tridentinum *eadem sess. can.* 3. anathematizat negantem meritum Christi tam infantibus, quàm adultis *applicari in remedium peccati per Baptismi Sacramentum in forma Ecclesiæ ritè collatum.* Ergo supponit Baptismum realiter datum, & receptum, esse efficax, etiam vt remedium proximum delendi peccati, aliàs forma eius non esset vera, si non haberet talem efficaciam quantum est de se. Et *sess.* 6. *cap.* 4. dicit iustificationem impij *vel in re, vel in voto* causari per Baptismum: quæ disiunctio importat alterutrum esse remedium iustificandi. Et *cap.* 7. dicit iustificationis *causam instrumentalem esse Baptismum*; & loquitur de iustificatione adulti.

13 *Secunda probatio ab inconuenienti. Ratio Doctoris.*

*Constantinopol.*

*Mileuitan. Trident.*

*Baptismum dari in remissionẽ peccatorum.*

Ergo ex his apertè sequitur Baptismum non exigere illam dispositionem perfectam in adulto, quæ dimitteret peccatum. Patet consequentia, quia remedium ordinarium, & efficax delendi peccati non determinat dispositionem priorem, talem esse, vt ex sua virtute remittat peccatum, aliàs efficacia illa remedij non esset de se sufficiens, neque vnquam causa proxima remittendi peccati, quantum est de se, si eâ necessitate quâ præexigit dispositionẽ in adulto peccatore, præexigeret etiam eam dispositionem esse remissiuam peccati. Deinde non esset vera illa locutio Concilij, quòd Sacramentum, seu Baptismus in voto remitteret peccatum actuale, & personale, si Sacramentum in re non esset efficax respectu eiusdem remissionis: quia nulla esset subordinatio inter Sacramentum in re, & in voto, cùm nulla esset efficacia Sacramenti in re, quoad illum effectum, qui ex necessitate Sacramenti, vt dignè & validè recipiatur, supponitur peccatum ablatum.

*Si non remitteret in re, peccatum non remitteret in voto.*

14 *Ex differētia vtriuſque Sacramenti.*

Præterea Tridentinum *ſeſſ.*14.*cap.*2. explicans differentiam ſacramentorum Baptiſmi, & Pœnitentiæ quoad fructum : *Per Baptiſmum enim,* inquit, *Chriſtum induentes noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes:* quod negat fieri in Pœnitentia, quoad omnem ſcilicet pœnam temporalem, niſi ſit perfectiſſima. Præterea Baptiſmus eſt Sacramentum regenerationis in Chriſto; hæc autem regeneratio fit per iuſtificationem, quæ eſt tranſlatio à ſtatu peccati originalis ad gratiam adoptionis. Si ergo Baptiſmus habet efficaciam dandi gratiam primam adoptionis in Chriſto, habet eandem efficaciam ex ſe ad tollendum quidquid eſt repugnans illi; & non ſolùm originale, ſed etiam perſonale.

15 *Requiri attritionem in re.*

Ex hoc ſequitur primò, non requiri contritionem etiam æſtimatam neceſſitate effectus Sacramenti, hoc eſt, iuſtificationis à peccato, quia Concilium & Patres non de tali loquuntur, ſed de contritione vera, quæ inſit, *contritione* dico, vt eſt communis ad attritionem imperfectam, & de illa quæ ſubſiſtit in reipſa non ſolùm in apparentia.

*Quod ſufficiat.*

Sequitur ſecundò, ſufficere attritionem ſupernaturalem in reipſa, & æſtimatione talem, quia ſi exigatur dolor ſupernaturalis, & non contritio perfecta, neque valeat æſtimata, quæ non eſt realis, ſed apparens, ſequitur ſufficere attritionem dictam: vnde Tridentinum *ſeſſ.*14. *cap.*1. perinde exigit ſine differentia vlla pœnitentiam ad Baptiſmum, & Pœnitentiam. Cap. autem quarto docet, ſufficere attritionem ad pœnitentiam; ſequitur etiam ſufficere ad Baptiſmum: & *ſeſſ.*6. *cap.*5. *&* 6. non agit ſolùm de contritione perfecta, & cum voto dumtaxat Sacramenti iuſtificante, ſed etiam contritione communi ad perfectam, & imperfectam: ideò ſupponit *cap.*4. Baptiſmum in re, vel in voto eſſe cauſam iuſtificationis: & *cap.*7. eſſe cauſam inſtrumentalem iuſtificationis adulti, quam maiorem, vel minorē recipit, vt ibi Concilium docet, iuxta menſuram ſuæ diſpoſitionis maioris, vel minoris. Hinc excluditur fundamentum aduerſæ partis petitum *ex cap.* 5. *ſeſſ.* 8. quaſi ibi ageret Concilium de contritione perfecta, quia agit de ea, quæ eſt ex dilectione Dei ſuper omnia: quidquid enim alij dixerint de diſtinctione contritionis, & attritionis ſpecifica, cōtra Doctorem, hoc nihil vrget, quia docet omnem contritionem requiſitam ad effectum ſalutis, debere eſſe imperatam, aut elicitam ſecundùm inclinationem charitatis diuinæ. Aliud fundamentum, quod alij prætendunt, infrà ſoluetur, oſtendendo remiſſionem peccatorum medio Sacramento fieri per ipſum Sacramentū inſtrumentaliter, miniſterialiter per miniſtrum, qui verè abſoluit, & abluit à peccato, & non ſolùm monſtrat abſolutum, & ablutum. De natura & differentia contritionis & attritionis, infrà agetur *diſt.*14. vbi per ſe materiam tractat Doctor de virtute Pœnitentiæ.

Trident.

*Baptiſmus in re, aut voto iuſtificat.*

c *Et ſi obijcitur, ergo iſte tunc videtur eſſe perplexus,* &c. Rationem dubitandi ſoluit, dicens Baptiſmum non eſſe iterabilem, ne maior occaſio ſumeretur peccandi, ſi Baptiſmus, in quo omnis pœna & culpa tollitur, poſſit iterari ad faciliorem, & plenam indulgentiam quæ congruentia veriſſima eſt; eáque ratione multi differebant Baptiſmum olim, vſque ad ſenectam, quo hac indulgentiâ ſine maiore labore egrederentur ex vita: nullus enim ſubiret opera ſatisfactionis, & alia pœnitentialia, ſi liceret Baptiſmum aſſumere toties, quoties peccatur ſine confeſſione peccatorum, eorúmque ſatisfactione. De propoſito hîc non aſſignat rationem intrinſecā, quæ ſumitur ex charactere, quia de ea inferiùs agit fuſiùs *diſt.*6.

16 *Congruentia optima. Si Baptiſmus poſſet iterari, contemnerentur alia remedia.*

*Plenaria Indulgentia ex Baptiſmo.* Ambroſ. Trident. Florent. Cyprian. Clem. Alexandrinus.

Omne non ſolùm peccatum, ſed & pœnam, per Baptiſmum tolli probat ex Ambroſio: patet ex Tridentino *ſeſſ.*14. *cap.*2. *&* *ſeſſ.* 5. *can.*5. ex Florentino *in decreto vnionis*; quam latè tradunt Patres, vt Cyprianus *lib.*3. *ad Quiritium, cap.*56. *& ſerm. de lotione pedum.* Clemens Alexandrinus *lib.*1. *pædagogi, cap.* 6. videantur citati ſuprà iam aliquoties, circa efficaciam Baptiſmi.

*Fictio per pœnitētiam tollitur.*

Tandem docet concluſionem cōmunem, nempe fictionem tolli per pœnitentiam, quæ iterabilis eſt, ac proinde non eſſe occluſam viam ſalutis indignè baptizato, quod probat benè in litera; & patebit ex ſequenti.

## SCHOLIVM.

*Recedente fictione, effectum Baptiſmi à Deo immediatè, non à charactere, cauſandum. Quod ait, num.*4. *fortè de illis ſex peccatis, de quibus habitus eſt dolor, cum complacentia ſeptimi peccati non eſſe neceſſariam attritionem. vt tollatur fictio, & detur effectus Baptiſmi, videtur loqui in ſententia tenentium attritionem non eſſe deteſtationem peccati propter Deum, ſed ex alio motiuo, & ſic dabilem eſſe, de aliquibus peccatis, cum complacentia aliorum. Vel fortè vult imperfectam attritionem etiam propter Deum, non eſſe neceſſariò de omnibus peccatis, quia eſt diſpoſitio ad iuſtificationem, ex* Trident. *ſeſſ.*6. *c.*6. *& habetur priùs illa aliquando duratione, de quo* Vega 6. *in Trident. c.*28.29. *Vide* Cord. *lib.*1. *q.*2. §. *Vbi nota.* Vega 9. *in Trident. q.*15. *& lib.*13. *c.*33.34. Ang. *v. Confeſsio.*1. *n.*27. Roſel. *n.*4. *qui Scotum vendicant ab ijs qui ei imponunt, quòd nullum dolorem poſuerit neceſſarium ad delendum actuale per Baptiſmum, vel Pœnitentiam, de quo poſtea, d.*14. *&* 15. *plura notabo; huiuſmodi attritio eſt actus pœnitentiæ ortus ex imperfecto amore Dei, quo incipitur diligi vt fons iuſtitiæ, vt loquitur* Trident. *d. c.*6.

4 Et ſi obiicitur [d], quomodo habebit iſte gratiam baptiſmalem, vel effectum aliquem Baptiſmi? Vno modo poteſt dici, quòd illa fictio non dimittitur, niſi per veram pœnitentiam: ſed eâ dimiſsâ, habet Baptiſmus effectum ſuum reſpectu omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, quæ tamen non erant cauſa fictionis in Baptiſmo. Verbi gratiâ, aliquis ante Baptiſmum commiſit ſeptem peccata mortalia, & veniens ad Baptiſmum de ſex attritus, ſeptimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur; illud ſeptimum ſolum eſt cauſa fictionis eius in Baptiſmo: oportet ergo quòd verè pœniteat de

de isto septimo, & in se, & inquantùm fuit causa fictionis eius in Baptismo. Quod pro tanto dico, quia *fortè* peccauit nouo peccato mortali, faciens irreuerentiam Sacramento Baptismi, recipiendo illud cum tali fictione; sed recedente istâ fictione (quæ fuit impedimentum effectus Baptismi) Deus confert gratiam Baptismalem, in remedium contra alia peccata, quæ fuissent deleta in Baptismo, nisi fictio occurrisset, & ideò talem de illis aliis non oportet habere nouam pœnitentiam, nec fortè nouam attritionem, præter illam quæ habita fuit ante Baptismum, sed solo impedimento amoto, sicut Deus signo suo priùs astitisset ad causandum effectum eius, vel dandum, quando suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum in suscipiente, ita paratus est semper post susceptionem eius signi, assistere ei, qui suscepit, ad causandum effectum eius, quando cessat illud impedimentum.

*Fortè, dicit quia si ex oblitione, vel inaduertētia sisciperet, non peccat mortaliter.*

*Per pœnitentiam intelligit contritionem.*

Nec oportet dicere characterem in ficto aliquid operari, sed solùm, quòd Deus ex eadem pactione, assistit etiam postea ei, qui suscepit, ad causandum effectum, quàm citò obex tollitur.

*Constat hinc falli, qui Scoto imponunt, quòd nullum dolorem ponat ad hunc effectum requisitum.*

Sed contrà istud arguitur, quia per pœnitentiam deletur ista fictio per se: non autem potest deleri vnum peccatum mortale, quin deleantur omnia, quia secundùm August. *Impium est à Deo dimidiam sperare veniam*: ergo per illam pœnitentiam delentur omnia alia peccata; non ergo gratia Baptismalis delet illa alia.

Item, nullum peccatum mortale, quod inest post Baptismum, potest deleri sine pœnitentia: quia illa est secunda tabula post naufragium, secundùm Hieronymum, illa autem alia peccata, quæ non sunt causa fictionis, insunt post Baptismum: ergo non delentur, nisi per pœnitentiam: vel si fingas illa deleri per Baptismum, quando tollitur impedimentum effectus Baptismi, quare non potest ita illa fictio, quæ fuit causa impedimenti, tolli, quando cessat impedimentum per ipsum Baptismum?

5 *Pœnitentia secunda tabula post naufragii.*

Si dicatur ad primum istorum, quòd pœnitentia, quantùm est de se, posset delere omnia peccata: tamen quando præuenitur ab aliqua causa potentiori, non delet illa: sed ista causa est hîc quantùm ad alia sex peccata, scilicet gratia Baptismalis, quæ præuenit pœnitentiam, vel effectum eius. Hoc non videtur rationabile, quia priùs naturaliter tollitur fictio, quàm per Baptismum aliquid causetur: sed in illo priori oportet habere veram pœnitentiam, quia fictio non tollitur sine vera pœnitentia, secundùm Augustinum, vera pœnitentia plenè reconciliat Deo, quantùm ad omnia: ergo Baptismus non potest præuenire effectum pœnitentiæ, quantùm ad aliquid delendum ibi; imò pœnitentia præuenit, quantùm ad omnia.

*Responsio quorundam.*

Posset ergo aliter dici, quòd pœnitentia vera perfectè reconciliat Deo; & per consequens nullum peccatum relinquit. Sed tamen non omne, quod infuit, per se curat: sed tantùm illud quod est obiectum pœnitentiæ, de quo scilicet pœnitens pœnitet. Quandoque autem oportet omne peccatum, quod deletur, esse obiectum pœnitentiæ, vtpote si omnia illa peccata sint commissa post Baptismum: quandoque autem non oportet, vt in proposito. Non ergo per virtutem pœnitentiæ dimittuntur hîc omnia peccata: sed in pœnitentia dimittuntur, partim per pœnitentiam, partim per aliam causam: & sic non habetur ibi dimidia venia peccatorum, sed tota à Deo: non tamen tota per pœnitentiam, quia non oportuit de omnibus, quæ inerant, peccatis pœnitere. Et secundùm hoc esset dicendum, quòd illa sex delentur, & quantùm ad culpam, & quantùm ad pœnam: nec de eis oportet habere contritionem, nec confessionem, nec satisfactionem: sed solùm de illo septimo, quòd fuit causa fictionis.

6 *Pœnitētia, & Baptismus quandoque sunt vna causa adæquata remissionis peccatorū.*

Ad secundum potest dici, quòd omnia peccata mortalia, etsi insunt post Baptismum, tamen nullum eorum fuit causa, quin iam essent deleta. Illud autem septimum, fuit causa quare nec ipsum, nec alia sunt deleta, & ideò rationabile est, quòd respectu eius non habeat Baptismus efficaciam, sed respectu aliorum: quia ipsum formaliter impediuit effectum Baptismi, alia non. Et tunc illa propositio, *Peccatum mortale post Baptismum non deletur, nisi per pœnitentiam*, debet intelligi, de peccato commisso post Baptismum: vel omnino inhærente, sic scilicet, quòd de ipso nec fuerit contritio, nec attritio in Baptismo, nec post Baptismum.

7 *Baptismus non delet ipsam fictionem, quia nō præcedit eum, estque directè contra eius effectum, alia verò præcedētia delet, cùm fictio per pœnitētiā deletur.*

Aliter potest dici [e], quòd quando verè aliquem pœnitet de fictione illa, gratia infunditur sibi perfectior, quàm esset illa, quæ præcisè virtute pœnitentiæ infunderetur: ita quòd illa includit in se perfectionem gratiæ pœnitentialis, & Baptismalis: & hoc modo Baptismus habet effectum, quia gratia æquiualens gratiæ Baptismali, datur pœnitenti de fictione, simul cum illa quam meretur de pœnitendo.

*Recedente fictione datur gratia Baptismalis & pœnitentialis.*

Sed contra hoc arguitur [f], quia tunc ille haberet commodum de fictione sua, maius

quàm ſi tunc non fuiſſet fictus:& pòſt in peccatum cecidiſſet,ſimile illi fictioni:nam ſi cecidiſſet,& modò pœniteret,non haberet modò gratiam,niſi tantùm virtute pœnitentiæ. Tu autem dicis,illum qui tunc fuit fictus in Baptiſmo,habere in pœnitendo quaſi duplicem gratiam.

8 Hic poteſt dici vno modo,quòd non habet commodum,ſed magis detrimentum:quia tempore Baptiſmi,& ſequenti vſque ad pœnitentiam,eſt filius gehennæ, & omnia opera ſua mortua ſunt : ſi autem non fuiſſet fictus,fuiſſet tunc , & pòſt vſque ad lapſum , filius regni,& opera eius viua,quibus meruiſſet augmentum,& gratiæ,& gloriæ.

*Reſurgens à peccato recuperat omnem gratiã deperditã.*

Aliter poteſt dici, quòd ſi non fuiſſet fictus , & poſtea lapſus,& poſtea pœniteret, in pœnitendo reciperet tantam gratiam , quantam nunc recipit pœnitens de fictione : quia reſurgens per pœnitentiam à peccato mortali, recuperat totam gratiam, à qua cecidit,& aliquam vltrà per pœnitentiam:& hoc vel in re, vel in diuina acceptione, ſed de hoc inferiùs in materia de Pœnitentia.

Tertio modo [g] principaliter poteſt dici,quòd ille pœnitens de fictione tantùm recipit gratiam virtute pœnitentiæ : & ita non maiorem , quàm ſi non fuiſſet fictus in Baptiſmo, & poſt Baptiſmum cadens reſurgeret per pœnitentiam. Non eſt enim veriſimile , quòd æquè pœnitenti,& de æquali peccato, vel minori , non detur æqualis gratia: ille autem lapſus poſt Baptiſmum , licèt quantùm ad aliquid , grauiùs peccauerit , quàm fictus : tamen fictus quantùm ad aliquid, grauiùs peccauit : quia Sacramento irreuerentiam fecit. Et tunc illa verba,quæ dicuntur de effectu Baptiſmi , quem ſortitur pœnitens de fictione, intelligenda ſunt , non quòd in pœnitentia illa recipiat gratiam aliquam virtute Baptiſmi(quia ſuſceptio eius mortua fuit,& mortuus reuiuiſcere non poteſt ) ſed abſolutus eſt à præcepto de Baptiſmo ſuſcipiendo , quia illud impleuit ; illa autem impletio nihil ſibi valuit ad ſalutem ante iſtam pœnitentiam.

*Prima & ſecunda reſponſio probabiliores ſunt.*

Recipit ergo effectum Baptiſmi, quando pœnitet : quia eſt filius regni : & non obligatur ad ſuſcipiendum Baptiſmum ad hoc vt ſit filius regni : quia illud præceptum impleuit,& hoc nota quòd actualiter peccans mortaliter,in alio,ſiue in illo actu poteſt implere præceptum affirmatiuum etiam in illo actu.

9 Ad primum argumentum [h] , dico, quòd omnis baptizatus induit Chriſtum,quantùm ad hoc quòd Chriſti familiæ aſcribitur,ſed non induit Chriſtum ſemper per charitatem, vel gratiam,& primum indumentum poteſt dici commune omnibus de familia : ſecundum eſt indumentum ſpecialiter filiorum. Vel poteſt dici , quòd ille non eſt baptizatus in Chriſto , ſed in Chriſti nomine : quia non in virtute Chriſti interiùs baptizantis.

*Argum. 1. Quilibet baptizatus induit Chriſtum , ſed alio, & alio modo.*

Ad ſecundum , patet ex dictis in corpore quæſtionis. Ad tertium dico , quòd Baptiſmus expellit omne peccatum,non quia in eodem inſtanti inſit gratia,& peccatum : ſed gratia baptiſmalis expellit omne peccatum,quòd inſuit vſque tunc. Culpam autem quæ tunc ineſt actu, vel quæ actu tunc committitur , vel quia de illa nulla contritio ineſt,non expellit,quia inuenit obicem contrariæ voluntatis,

*Argum. 2.*

*Argum. 3.*

## COMMENTARIVS.

17 Auguſtinus.

b ET ſi obiiciatur, &c. Recedente fictione valere Baptiſmum , eſt ſententia Auguſtini lib. 1. de Baptiſmo contra Donatiſtas , cap. 12. *Sicut enim in illo qui fictus acceſſerat,ſit vt non demùm baptizetur,ſed ipſa pia correctione, & verâ confeſſione purgetur , quòd non poſſet ſine Baptiſmo , ſed vt quod ante datum eſt tunc valere incipiat ad ſalutem,cùm illa fictio veraci confeſſione receſſerit* , &c. & infrà dicit, quòd Baptiſmus hæreticorum, & ſchiſmaticorum,qui in eo ſtatu non valebat ad ſalutem , tunc incipiat valere ad remiſſionem peccatorum, cùm recipit vnitatem,& pacem Eccleſiæ : idem habet *lib. 3. cap. 3.*& *lib. 6. cap. 1.* Hanc veritatem confirmant Concilium Nicenum , Pontifices, & Patres citandi infrà *quæſt. 1. diſt. ſequenti* , qui hæreticos recipiebant baptizatos in Eccleſiam , per ſolam manus impoſitionem , quos ſequuntur omnes Scholaſtici. Sola difficultas eſt quomodo recedente fictione valeat Baptiſmus,& quid conferat, an remiſſionem peccatorum ſolùm ? an etiam gratiam ? aut remiſſionem tantùm omnis pœnæ ? Hanc ergo quæſtionem mouet Doctor in præſenti dubio.

*Dari gratiã recedente fictione.*

*Difficultas quæſtionis eſt de modo, & effectu quem recipit pœnitens.*

18 Reſpondet variis modis : primò admittendo caſum , quòd baptizatus haberet ſeptem peccata mortalia , attritionem autem de ſex , de ſeptimo autem, vel complacentiam , vel nullam attritionem : ſeptimum ergo ſolum fuit cauſa fictionis, & oportet vt doleat de illo in ſe , & inquantùm fuit cauſa fictionis in Baptiſmo : *Quod pro tanto,* inquit , *dico, quia fortè peccauit nouo peccato mortali faciens irreuerentiam Sacramento,recipiendo illud cum tali fictione,* &c. Illa particula *fortè*, non exprimit dubitationem de peccato indignè recipientis Sacramentum , ſimpliciter loquendo , quia indubitanter id aſſerit *d. 9.* & *d. 17.* ſed exponit caſum inaduertentiæ,quæ excuſaret à peccato ſacrilegij, qui poſſet contingere iuxta ſententiam eorum, qui exigunt dolorem diſtinctum de ſingulis peccatis, quam ex profeſſo infrà tractat Doctor:eam autem

*Caſus propoſitur.*

*Explicatur litera.*

autem ex mente aliorum hic ſupponit, vel etiam ſi accedat bonâ fide: reipſa tamen impœnitens, quia ſolùm ex intento quærit modum, quo remittatur fictio, & detur effectus ſacramenti Baptiſmi, & Pœnitentiæ, & ordinem cauſandi, quem inter ſe retinent Sacramenta, in caſu fictionis expreſſo, peccare autem talem indubitanter aſſerit in tertio modo dicendi §. *Tertio modo principaliter.*

*Primus modus dicendi.*

Dicit ergo illud peccatum per pœnitentiam, cætera per Baptiſmum cui Deus aſſiſtit ad totum effectum recedente fictione, tam gratiæ, quàm remiſſionis. Caſus huius ſuppoſitum, nempe dari poſſe pœnitentiam de vno peccato, quæ non extendatur ad alia, etiam tum cogitata diſſeremus infrà *diſt. 15. queſt. 1.* ita contingere ſatis vulgare eſt apud antiquos Doctores, vel qui de ſingulis peccatis ſingulos dolores exigunt, vel certè vt extendatur vnus dolor ad ſingula cogitata neceſſitate remiſſionis, ſed de hoc ibi.

19

*Peccatū quod dedit cauſam fictioni, remitti per pœnitentiam. Impugnatur.*

Cæterùm præmiſſam doctrinam admittit Suarez *ſect. 5.* eo excepto, quòd aſſeritur peccatum, quod præceſſit Baptiſmum, nempe ſeptimum, quod dedit cauſam fictioni, remitti per pœnitentiam, quia ſequeretur quòd Baptiſmi efficacia non extenderetur ad omnia peccata ante Baptiſmum commiſſa, quod eſt falſum. Secundò, quòd illud peccatum remitteretur quoad totam pœnam temporalem. Tertiò, quia peccata ante Baptiſmum commiſſa non cadunt ſub iuriſdictionem Eccleſiæ: ergo non ſpectant ad ſacramentum Pœnitentiæ. Quartò, quia peccata non quà inhærent, ſed quà ſunt actu commiſſa, ſunt materia confeſſionis, & abſolutionis: ergo non omne peccatum quod tum ineſt, & perſeuerat poſt Baptiſmum, eſt materia pœnitentiæ, ſi fuit ante Baptiſmum commiſſum. Quintò, quia pœnitentia non habet effectum niſi in baptizato, & inſignito charactere Baptiſmali: ergo non comprehendit peccata; quæ ante Baptiſmum infuerunt, nec ſpectant ad pœnitentiam. Conſequentia patet ex Tridentino *ſeſſ. 14. cap. 1. & 2.* vbi docet pœnitentiam inſtitutam eſſe contra peccata poſt Baptiſmum commiſſa.

*Peccata ante Baptiſmum commiſſa non ſpectare ad pœnitentiam.*

*Reſponſio.*

Reſpondetur tamen ſententiam illam Doctoris eſſe veram, quam tradit etiam infrà reſponſione ad ſecundam obiectionem, dicens rationabile eſſe quòd peccatum, quod dedit cauſam fictioni, non ſubſit efficaciæ Baptiſmi, & ſubdit: *Et tunc*, inquit, *illa propoſitio: peccatum mortale poſt Baptiſmum non deletur, niſi per pœnitentiam, debet intelligi de peccato commiſſo poſt Baptiſmum, vel omnino inhærente, ſic ſcilicet quòd de ipſo nec fuerit contritio, nec attritio in Baptiſmo, nec poſt Baptiſmum*, &c. Hæc clauſula dedit locum impugnationi, nam ex eo præcisè, quòd peccatum aliàs factum inſit, de quo non eſt contritio, neque attritio, non videtur ſpectare ad fictionem, quæ in ipſa omiſſione contritionis, ſeu attritionis, & irreuerentia commiſſa in Sacramentum, ſine debita diſpoſitione ſuſceptum conſiſtit. Sed declaratâ mente Doctoris facilis eſt ſolutio.

*Vrgetur difficultas.*

20

*Explicatur Doctor.*

Reſpondetur itaque Doctorem non intelligere peccatum inhærens de inhærentia habituali, eo modo, quo inſuit ante Baptiſmum, ſed de inhærentia actuali per complacentiam, inquantùm dedit cauſam fictioni: verbi gratiâ, quis habet attritionem de aliis ſex, quæ requirit etiam voluntatem emendandi ſe in illis, & quælibet attritio ſit concepta ex turpitudine cuiuſque in particulari; hæc attritio, vt declarauimus ſuprà ex Tridentino, exigit voluntatem præmiſſam emendandi talis, quoad illa ſex ita diſpoſitus, quoad ſeptimum non habet attritionem, neque contritionem, vt dicit Doctor; vel ſupponit; quæ ſuppoſitio intelligenda eſt non ſolùm negatiuè, quaſi ſuſpenſus maneret: quia hic caſus non eſt practicus, ſed ſicut in præcedenti quæſtione dixit, vix inuenire poſſe adultum, qui ſic negatiuè ſe haberet recipiendo Baptiſmum, id eſt, ſine conſenſu, ſiue etiam diſſenſu: minùs autem poteſt intelligi, practicè loquendo, in præſenti caſu voluntas ſuſpenſa circa ſeptimum peccatum in eo, in quo eſt voluntas efficax ſuſcipiendi Sacramentum.

*Suppoſitio caſus quomodo intelligenda eſt?*

Non ſubeſt ergo motiuum, cur etiam de ſeptimo fiat ſimilis attritio, niſi complaceat in ipſo, & quantùm eſt de ſe continuat ſeptimum; quo ſenſu intelligit Doctor illud eſſe cauſam fictionis, ſeu indignæ receptionis Sacramenti. Illud ergo ſic animo continuatum, fit actuale in eo inſtanti recepti Sacramenti; & ſic non ſpectat ad Baptiſmum, ſed ad pœnitentiam: quia omne peccatum quod fit contra dignam receptionem Sacramenti integrat fictionem; alioquin neque defectus conſenſus liberi, & ſine vlla repugnantia, neque fidei, neque pœnitentiæ, neque propoſiti emendationis, neque ſeruandi legem Chriſti, qui omnes committuntur ante Baptiſmum actu ſuſceptum ſpectarent ad fictionem. Præcepta enim de his determinant actus fieri, vt diſpoſitionem præuiam ante receptionem dignam Sacramenti: ſic ergo voluntas continuandi ſeptimum ſpectat ad fictionem, & ipſum ſeptimum dat cauſam, non verò quà præteriit pridem quoad actum, aut manſit deinceps quoad habitum & reatum culpæ, quia hoc modo non eſt materia pœnitentiæ, quæ reſpicit actum præteritum: ſed ſubeſt complacentiæ.

21

*Septimum quomodo fiat actuale in facto.*

*Peccata facta contra dignã receptionem Sacramenti ſpectant ad pœnitentiam.*

Hæc interpretatio manifeſta eſt etiam ex Reportatis *diſt. 4. queſt. 7. §. Quæſtionem*, &c. *reſponſione ad primam obiectionem.* Verba eius ſunt: *Dico quòd fictus poteſt habere multa peccata, & non propter quodlibet eſt fictus, quia de multis poteſt habere diſplicentiam continuando tantùm vnum, ſic ſi eſt fictus de vno tantùm peccato, & habeat diſplicentiam de omnibus aliis, oportet habere pœnitentiam de illo vno peccato, ſicut de commiſſo poſt Baptiſmum, & alia delentur per Baptiſmum*, &c. Videatur reſponſione ad tertium.

22

*Confirmatio ex Reportatis.*

Ex his patet ad rationes Suarez, quæ procedunt omnes ex mala intelligentia, quia illud *ineſſe*, ſeu *inhærere peccatum*, quod intendit Doctor eſt ineſſe, & inhærere per continuationem, & voluntarium conſenſum, non autem per ſolam maculam habitualem, quia ſic etiam reliqua inhærent ante, & poſt Baptiſmum, in eo caſu ſuſceptum, neque peccatum vllum dat cauſam fictioni, niſi medio libero conſenſu voluntatis præſenti, ex quo oritur fictio, ſeu omiſſio diſpoſitionis ad finem debitum Sacramenti. Rationes itaque præmiſſæ concludunt quoad peccata ante Baptiſmum commiſſa, & quorum malitia conſummata eſt quoad ſe, & motum voluntatis independenter à Baptiſmo; non autem de peccatis commiſſis circa ſuſceptionem ipſam Sacramenti, quale eſt illud ſeptimum quantùm ad continuationem ſui, quæ inducit fictionem.

*Reſponſio ad obiecta Suarez.*

Concluſionem, ſeu reſponſionem impugnant alij, vt Vaſquez *cap. 3.* tota eius impugnatio, ſeduci-

23

tur

*Vasquez impugnat eandē conclusionem.*

citur ad eam, quam Doctor sibi obiicit, & soluit, nempe pœnitentiam ordine naturæ, & causalitatis priùs operari ad remissionem fictionis; gratiam autem datam virtute sacramenti Pœnitentiæ delere omnia peccata, quædam per se, vt fictionem, quæ ad materiam pœnitentiæ per se spectat; alia verò quæ præcesserunt Baptismum per accidens: ergo ad remissionem eorum, nihil facit Baptismus, quia nullum inuenit in posteriori naturæ operans, quod remittat. Deinde, quia de hoc nullum est fundamentum asserendi, ita Christum instituisse Sacramentum, vt recedente fictione conferret effectum gratiæ, aut remissionis peccati. Si obiicias Augustinum, fatetur locis præfatis ita docuisse Augustinum, sed neque traditione Ecclesiæ, neque ex Scriptura, neque ex definitione, neque ex ratione id probasse: & concludit, vnde igitur Augustinus hoc priuilegium Baptismi, quod ex sola Dei voluntate pendet, colligere potuit? perinde respondet ad Scholasticos, qui eum ad vnum omnes secuti sunt.

*Totam remissionem esse per pœnitentiam, nihil dari per Baptismum. Non subesse fundamentū.*

*Perstringit Augustinum.*

*Temeraria insultatio.*

*Retinetur.*

Sed hoc nimium est, & præter reuerentiam dictum; sufficit enim authoritas solius Augustini, quæ fundatur in benigna interpretatione diuinæ misericordiæ, vt id asserat, & præferri debet ratiunculæ malè cohærenti, quam ipse non primus excogitauit, sed alij; eámque soluunt: & interrogari posset etiam vnde ipse contra Augustinum, & alios Doctores, id neget, cùm à sola voluntate Christi pendeat? opera enim nostræ redemptionis, & media ad salutem ordinata, non mercatoria trutina sunt ponderanda; sed iuxta diuinam bonitatem interpretanda, vt illud factum interpretemur, quod magis est secundùm diuinam misericordiam, profectum nostrum, & Sacramentorum commendationem; & reuerentiam ac magis inclinat homines ad Sacramenta suscipienda. Potuit autem ex condescendentia ita institui Baptismus, vt recedente fictione conferret effectum suum: quod magis facit ad perfectionem Sacramenti, vt per se constat, & congruit.

*Congruentia intelligendi factum.*

24 Quia cùm hoc Sacramentum sit initiatio, nec sit iterabile, & inducat onus legis obseruandæ, congruit vt impeditum per accidens possit recedente impedimento habere effectum; hoc magis sollicitat ad pœnitentiam dignam faciendam ipsum factum. Hoc etiam magis commendat suauem prouidentiam Dei, & Christi, qui venit peccatores saluos facere, quia casus hic fictionis non ita ratus est, quin ei prospici congruerit, quia sæpissimè contingere potuit, & potest in adultis, qui non ita perfectè deponunt sarcinam peccatorum, aut conuertuntur, quin etiam in reipsa quamuis habeant fidem, & dolorem æstimatum, tamen non sit verus dolor, & dispositio sufficiés, & supernaturalis, sed humanus dumtaxat; & sæpè in hoc falluntur, qui putant se facere quod tenentur, aut etiam possunt, & quorum ratio non congruit habuisse Christum ex fine institutionis Sacramentorum, vt non solùm ad surgendum instituerit pœnitentiam, sed etiam reparari voluerit dispendium gratiæ baptismalis. Quòd si ergo auxilia actualia conferuntur sic baptizatis intuitu Baptismi susceptis, vt resurgant, & vt adimplentiõem legis perficiant, quæ auxilia non in efficaciam pœnitentiæ, sed Baptismi susceptis referuntur: congruit etiam vt gratia sanctificans, & remissio peccatorum eisdem tribueretur ex eodem fine: non desunt ergo argumenta, ex quibus interpretatio Augustini fulciatur.

*Fictorum ratio haberi debuit.*

*Dantur auxilia actualia ficto intuitu Sacramenti, vt resurgat.*

Cæterùm non solus Augustinus, & Scholastici docuerunt Baptismum recedente fictione valere ad salutem; ita Collatio 54. Carthagine habita contra Donatistas. *Ideò ad Christum*, inquit, *venire debent, qui extra communionem Baptismum eius habent, non vt quod deerat adsit, sed vt quod inerat prosit*, &c. ergo hæc fuit sententia Patrum Africanorum etiam, & non solius Augustini. Prosper lib. Sententiarum, cap. 325. *Habe*, inquit, *bonum quod nondum habes* (scilicet fidem operantem per charitatem) *vt prosit tibi bonum quod habes*; supple Baptismus. Gregorius Magnus lib. 9. epistolarum, epistola 61. *Sanctum Baptisma, quod sunt apud hæreticos consecuti, tunc in eis vires emundationis recipit, cùm vel illi per impositionem manus Spiritum sanctum acceperint, vel isti propter professionem fidei sanctæ, & vniuersalis Ecclesiæ visceribus fuerint vniti*, &c. Isidorus Hispalensis lib. 2. officior. cap. 24. *Habet quidem Baptismum Christi hæreticus, sed quia extra vnitatem fidei, nihil ei prodest: at vbi ingressus fuerit, statim Baptisma, quod habuerat foris ad perniciem, incipit illi iam prodesse ad salutem*, &c. Idem docet author sermonis de Cœna Domini, & serm. de lotione pedum, inter opera Cypriani, vt infrà videbitur.

25 *Idem docent alij.*

Gregor. Magnus.

Isidorus.

Confirmari potest ex Trident. *sess. 6. cap. 4.* quod docet sine Baptismo in re, vel voto non fieri iustificationem à peccato originali: & *cap. 6.* dicit requiri votum, seu voluntatem suscipiendi Baptismum: & *sess. 14. cap. 1. & 2.* materiam circa quam Baptismi esse peccata ante Baptismum commissa, commissa verò post Baptismum esse materiam pœnitentiæ, sed pœnitentia non in voto Baptismi remitteret illa peccata commissa ante Baptismum, quia non est talis subordinatio eius ad Baptismum: ergo virtute Baptismi sunt remissibilia, & remittuntur non virtute pœnitentiæ; & consequenter Baptismus susceptus valet ad remissionem eorum; vt verba Concilij secundùm rigorem intelligenda præ se ferunt.

26 *Confirmatur.*

*Peccata ante Baptismum commissa sūt materia eius.*

Dices cum Vasquez remitti per accidens, per gratiam, quæ datur in pœnitentia, quæ per se quidem remittit fictionem, per accidens verò quidquid repugnat gratiæ, quale est originale, & reliqua, quæ antecedunt Baptismum. Contrà, quia præfato loco Concilium docet necessitatem Baptismi, vt est medium in re, aut voto ad iustificationem requisitum: ergo dicens non remitti originale, nisi per Baptismum in re, aut in voto, supponit quòd non sit aliud medium eius remittendi, aliàs possent etiam excogitari alia media, vt quòd Circumcisio & remedium legis naturæ in eo casu valerent, quod non alia ratione negatur, nisi quia hæc efficacia tribuitur soli Baptismo in re, vel in voto, tam à Scriptura, quàm à Patribus: ac proinde excluditur quodcunque aliud medium.

*Responsio Vasquez.*

*Impugnatur.*

*Necessitas Baptismi in re, aut voto excludit alia remedia esse efficacia.*

Patet consequentia, quia ob determinatam necessitatem Baptismi, & Pœnitentiæ ad remissionem peccati originalis, & actualis respectiuè, subordinatur ipsis contritio, seu pœnitentia perfecta, quæ non valet, neque acceptatur ad remissionem peccati, vt locis citatis docet Concilium, & *sess. 14. cap. 4.* nisi coniunctum sit votum Sacramenti; quamuis aliàs ante institutionem horum Sacramentorum absolutè, & sine subordinatione ad remissionem actualis valebat: ergo ita intelligenda est remissio peccati fieri à Sacramento in re, aut voto, vt aliter fieri non possit de lege ordinaria, neque per se, neque per accidens: ab alio

27

*Contritio sine voto Sacramenti in efficax.*

remedio

remedio *de lege ordinaria* dico, vt excludamus priuilegium Baptismi flaminis infantum, aut sanguinis, atque etiam potentiam Dei absolutam.

Sed non magis reuocatur remissio peccati in genere ad hæc Sacramenta in re, aut voto, quàm ad quodlibet horum, quod est propriæ materiæ, tanquam ad medium necessarium: ergo ita peccatum originale,& actuale ante Baptismum commissa,reuocantur ad ipsum Baptismum, vt neque per se, neque per accidens remitti possint per pœnitentiam. Antecedens patet ex iisdem principiis, ex quibus colligitur omne peccatum per Sacramenta in re, vel in voto, remitti per se, quia etiam per eadem distinguitur vtriusque Sacramenti materia, vt iam præsupponimus ex dictis: ergo sequitur intentum, nempe Baptismum in re susceptum habere efficaciam respectu originalis, & actualis, recedente fictione, secundùm illam regulam generalem,& doctrinam Ecclesiæ: aliàs excipiens esset status fictorum, qui est vulgaris.

*Necessitas respectiuè ad propriam materiam intelligenda.*

28 *Responsio.* Dices fortè, aliquando in casu ignorantiæ, & bonæ fidei,modò adsit attritio, remitti per accidens peccatum mortale per Sacramenta viuorum, vt Eucharistiæ,vt multi Doctores docent,vt infrà videbitur in materia de Eucharistia. Item,remitti etiam peccata per Extremam Vnctionem,quando confessio fieri nequit: ergo ab illa regula generali datur exceptio. Contrà, illa regula generalis datur iuxta legem ordinariam, & stante scientiâ peccati, & necessariæ dispositionis, prout habetur in ficto: vnde intelligenda est iuxta hunc casum; non autem iuxta Dei prouidentiam extraordinariam, supplentem defectum, qui non est in potestate hominis, quales sunt illi, qui exprimuntur;& casus de Presbytero non baptizato, Extrau. cap.*Veniens, de Baptismo.* Et idem dicendum est de eo, qui habet votum implicitum, & operatur per fidem, & charitatem perfectam, cum ignorantia inuincibili sui peccati:in habente tamen scientiam sui peccati, neque per se, neque per accidens remittitur de lege ordinaria, nisi per remedium ad hoc institutum per se, quale est Baptismus respectu originalis, & actualis dicti, & hoc ex ordinatione diuina, iuxta interpretationem Ecclesiæ, aliàs sequeretur dari aliquem statum satis vulgarem peccatoris viatoris, cui non prouideretur de remedio ordinario, per quod applicaretur per se meritum Christi, quod est contra perfectionem legis nouæ, & suauem Dei dispositionem.

*Impugnatur.*

29 *Probat id à priori.* Secundò hoc probo à priori, supponendo difficultatem non esse in hoc, quod magis premitur ad oppositum, nempe si pœnitentia in eo casu daret suum effectum gratiæ, remitti proculdubio omnia peccata per talem: de hoc enim vix est fundamentum aliquod dubitandi: sed difficultas est, an possit dare effectum gratiæ per modum Sacramenti, si Baptismus non concurreret? & probo, quòd nullâ ratione ministrari possit sacramentum Pœnitentiæ in eo casu, iuxta institutionem eius præsentem, nisi Baptismus concurreret, saltem attrito tantùm, & non contrito: quia efficacia sacramenti Pœnitentiæ primariò consistit in iurisdictione clauium,seu authoritate absoluendi per actum iudicialem; quando autem status rei est talis, vt non subsit iurisdictioni clauium,non potest absolui.

*Explicatur difficultas.*

*In casu pœnitentiam nõ valere sine concursu Baptismi.*

*Exempla.* Patet exemplo in eo, qui non habet iurisdictionem in censuram annexam peccato, nequit absoluere à peccato,quia iurisdictio eius non extenditur ad illum casum. Sic etiam dicendum est de absolutione data quoad casus reseruatos ab eo,qui caret potestate absoluendi tales casus: & idem de eo, qui non dolet de aliquo peccato, sed magis complacet, licèt de aliis habeat aliquam displicentiam;loquor de mortalibus.

Sed in proposito originale, & actualia ante Baptismum commissa non subsunt iurisdictioni Ecclesiæ, neque directè, neque indirectè de illis potest cognoscere: ergo fictus nequiret absolui, nisi Baptismus in re susceptus haberet efficaciam respectu illorum accedente pœnitentiâ, quæ simul tollat fictionem: nam sicut ponitur obex respectu Baptismi per fictionem, sic etiam est obex respectu pœnitentiæ per priora peccata: neque maior ratio est, vt exigatur pœnitentia ad tollendam fictionem, quàm Baptismus ad tollenda peccata, quæ sub efficacia eius sunt. Vnde si iterari possit, sine dubio non posset pœnitentia sola valere ficto: ergo congruum fuit hanc efficaciam eius manere, quando in re fuit susceptum, vt etiam recedente fictione valeret ad remissionem peccatorum,vt dicit Augustinus,quia sic magis prouisum est adulto, & magis saluatur differentia, & natura propria vtriusque Sacramenti,& remissio peccatorum per causam per se, nempe per Baptismum, & pœnitentiam respectiuè; atque, vt dixi, sic magis prouisum est, quia neque adultus in statu peccati mortalis, & originalis debuit relinqui sine remedio per se eius,neque peccatum mortale dimitti, absque tali remedio,quo applicaretur ei directè meritum Christi, in quo habemus redemptionem à peccato;applicatur autem per Baptismum tantùm peccato originali, vt patet ex Tridentino *sess.5.can.3.& sess.6. cap.4.* & aliis locis citatis: & casus ipse fictionis ordinarius est, cui proinde debuit ex bonitate diuina, & fine institutionis Sacramenti prouideri.

*In ficto est obex respectu pœnitentiæ Sacramenti, nisi concurrat Baptismus.*

Ex his colligo Baptismum recedente fictione dare gratiam ex opere operato: hoc patet ex dictis suprà de efficacia Baptismi, & Sacramentorum nouæ legis,quia Baptismus non datur in remissionem peccatorum, nisi mediante gratiâ, quam causat, & cui de facto annexa est remissio peccatorum: vnde vel nihil causaret,vel vtrumque effectum causaret, quia vtriusque est capax subiectum;adest dispositio de præsenti,vt dolor, qui sufficit ad pœnitentiam, vel etiam attritio prior habita, iuxta varios modos dicendi, quos mox examinabimus. Idem etiam dico de remissione totius pœnæ temporalis, & æternæ, quia hæc consentanea est ad priorem effectum Baptismi. 30

*Responsio ad obiectionem.* Ad obiectionem illam, quam Doctor in litera, & Vasquez vrget, nempe pœnitentiam delere omnia peccata mortalia, quia impium esset à Deo dimidiatam sperare veniam: & effectus pœnitentiæ est incompossibilis cum peccato originali,& actuali mortali. Respondent quidam, quòd pœnitentia tolleret illa peccata, nisi præueniretur à causa perfectiore, & potentiore, nempe à Baptismo. Hanc reiicit Doctor,& meritò, quia nequit Baptismus habere effectum, nisi priùs naturaliter tollatur impedimentum fictionis: ergo nequit præuenire pœnitentiam in causando.

*Responsio quorundam.*

Respondet ergo ipse Doctor,quòd pœnitentia perfectè 31

*Responſio Doctoris. Remitti omnia in pœnitentia non per ipſam. Declaratur.*

perfectè reconciliat Deo, vt dicit Auguſtinus, ſed non per ſe curat omnia peccata ficti, ſed quædam per Baptiſmum, quædam per pœnitentiam curantur: omnia ergo dimittuntur in pœnitentia, inquit, non tamen virtute pœnitentiæ. Quod declaro ſic ad propoſitum doctrinæ iam præmiſſæ; non intendit Doctor, neque alij huius concluſionis aſſertores, quòd priùs gratia pœnitentialis infundatur, per quam præcisè remittitur fictio,

*Senſus erroneus excluditur.*

mox ſubſequatur gratia baptiſmalis in poſteriori ad remittenda peccata reliqua, quæ non ſpectant ad pœnitentiam, quia hic ſenſus non ſubſiſtit, & benè impugnatur ex natura gratiæ, quæ habet annexam remiſſionem peccati inferentis damnationem, & excludentis ab adoptione & regno, ſed

*Senſus verus.*

quòd applicato ſacramento Pœnitentiæ exteriùs cum requiſitis, & prolatâ ſententiâ, ſeu abſolutione de reo in vltimo inſtanti prolationis verborum ſimul datur gratia pœnitentiæ, & Baptiſmi virtute vtriuſque Sacramenti: quando enim

*Dependentia mutua.*

duæ cauſæ ita concurrunt, vt vna dependeat ab altera reſpectu ſui effectus, neutra priùs cauſat, ſed vtraque ſimul, ita nempe dependet Pœnitentia à Baptiſmo ratione impedimenti peccati originalis, & aliorum, quæ præceſſerunt Baptiſmum; ita etiam Baptiſmus à Pœnitentia ratione fictionis, vt neutra ſeorſim in eo caſu ex coniunctione fictionis, & peccati originalis, & actualis præcedentis, efficax ſit ſeorſim, dependentia ergo eſt mutua in eo caſu, & cauſalitas ſimultanea; & hoc eſt, quod intendit Doctor dicens *in pœnitentia omnia remitti, non tamen virtute ſolius pœnitentiæ*, ſed etiam Baptiſmi.

32 *Quomodo ſe habeant Sacramenta ad ſe, & ad effectum.*

Baptiſmus in re manet applicatus, non tamen eſt efficax, niſi concurrat cauſa, quæ nata eſt tollere impedimentum, quæ eſt pœnitentia, & hæc eſt prioritas Baptiſmi ad effectum Pœnitentiæ, nempe vt priùs cognoſcatur de fictione, & proferendo ſententiam perficiatur Sacramentum, & in genere cauſæ materialis ſupponatur reſpectiuè ad effectum Baptiſmi tolli impedimentum: & hæc conſideratio eſt inadæquatę remiſſionis, quæ fit in ficto, quoniam ex altera parte perinde manet ſimile impedimentum reſpectu pœnitentiæ, & ſupponitur Baptiſmus in re ſuſceptus, vt hoc ſubiectum ſit eius capax, & efficacia Baptiſmi concurreret, vt pœnitentia habeat ſuum effectum; ideò, vt dixi, eſt mutua dependentia eorum, ratione diuerſorum peccatorum, quæ ſimul concurrunt in ſubiecto, & per ſe exigunt vtramque cauſam particulariter, ex conditione & natura ſingulorum, vt dictum eſt. Et exemplo declaratur in materia, & forma Sacramenti, quando vtraque eſt efficax, & talis eſt dependentia, vt quamuis abſoluatur vna ante alteram, nihil efficit; niſi altera finita, & tum ſimul cauſant. Similis dependentia poteſt eſſe etiam inter cauſas totales ſubordinatas ex conditione ſubiecti; ſicut continet ex ſtatu ficti inter Baptiſmum, & Pœnitentiam. Neque

*Neutrum cauſat indiuidè.*

ergo Baptiſmus per accidens remittit fictionem, neque etiam Pœnitentia, per accidens remittit originale, aut alia, quæ ſunt materia Baptiſmi, quia id impropriè dicitur, cùm cauſa diſparata non dicitur per accidens, ſeu indirectè (quod idem eſt in propoſito) vel ſecundariò habet re effectum per ſe alterius cauſæ, niſi quando eam quoad hoc ſupplet, ipſâ non agente: quod non contingit hîc, quia vtrumque Sacramentum agit quod ſuum eſt, reſpectiuè ad effectum, & materiam propriam, non autem indirectè reſpectu alterius, quod ipſi non ſubeſt, vt docet Paludanus *in 4. diſt. 4. quæſt. 5.* quia vbi nullus ſequitur effectus ex virtute cauſæ procedens ſaluari non poteſt cauſatio directa eius, aut indirecta: vtrumque autem Sacramentum hîc cauſat directè remiſſionem peccati proprij, nihil relinquit cauſandum alteri directè, vel indirectè reſpectiuè ad idem. Minùs etiam verum eſt quod ibidem aſſerit, Baptiſmum cauſare remiſſionem peccatorum, tam præcedentium, quàm etiam fictionis, accedente ſolâ attritione, quæ extra Sacramentum iuſtificare nequit.

*Reiicitur ſententia Paludani.*

Hæc doctrina ſupponit dari diuerſam gratiam per vtrumque Sacramentum completum, quia datur gratia baptiſmalis quæ ineſſet, ſi fictio non præceſſiſſet, & vlteriùs gratia pœnitentialis. Eſt communior ſententia, quam Doctor vt probabiliorem defendit primo loco, & perinde applicari poteſt ad fictum, qui reſurgit ad perfectam contritionem, quæ extra Sacramentum requiritur ad tollendam fictionem, vt ſupponit.

*Dari per vtrumque gratiam cõpletè.*

e *Aliter poteſt dici*, &c. Hîc oſtendit Doctor aliam viam defendendi modum, quo fictio deleatur, & reſtituatur gratia baptiſmalis, non in ſe, ſed in æquiualenti; quâ ſcilicet daretur gratia perfectior reſurgenti per pœnitentiam, quàm ſit illa, quæ virtute ſolius pœnitentiæ daretur præcisè: quia gratia æquiualeret baptiſmali & pœnitentiali.

33 *Secũdus modus dicendi.*

Hæc ſententia ita declaratur, vt nullam gratiam reciperet virtute Baptiſmi ex opere operato, ſed totam virtute pœnitentiæ, & maiorem, quàm aliàs præcisè per pœnitentiam extra caſum fictionis reciperetur: intuitu tamen Baptiſmi, vt diſpoſitionis præuiæ, pœnitentia haberet talem efficaciam, ſicut in meliùs diſpoſito, quantum creſcit eius diſpoſitio ad recipiendum Sacramentum, tantum etiam Sacramentum fit magis efficax, & cauſat perfectius, vt docet Tridentinum de ipſo Baptiſmo *ſeſſ. 6. cap. 7.*

*Declaratur. Recipit maiorem gratiam.*

*Ad Baptiſmum eſt diſpoſitio.*

Trident.

Congruum autem eſt, vt Sacramentum receptum, cuius effectus fuit impeditus, & quod iterari nequit, vt quoniam ipſum in re nequeat repeti, neque vt præteritum aliquid agere per modum Sacramenti, cuius totum eſſe, & efficacia conſiſtit in vſu, ſaltem conferat ſic emolumentum, quandoquidem vt præteriit nequit effectum habere ex opere operato, ex ratione præmiſſa. Et iuxta hunc dicendi modum, dicendum eſt habere eundem effectum per modum diſpoſitionis præuiæ, & virtute pœnitentiæ ex opere operato; ſicut contritio perfecta, verbi gratiâ, aliter habet effectum in peccatore, aliter in iuſto; eundem tamen effectum quoad intenſionem graduum in peccatore cauſat per modum diſpoſitionis, in iuſto per modum meriti: ſic etiam Baptiſmus per modum diſpoſitionis, poteſt habere effectum, quem aliàs habet per modum Sacramenti, quoad gradum gratiæ, non quoad modum cauſandi: & pœnitentia non ſolùm ex ratione propria, ſed ex diſpoſitione præuia habet effectum maiorem.

*Baptiſmus præteritus nõ agit ex opere operato.*

*Exemplum de contritione.*

Si petas quomodo ſacramentum Baptiſmi poteſt eſſe diſpoſitio? Reſpondeo, quia per Baptiſmum aſſumitur noua dignitas perſonę, per quam aſcribitur in familiã Chriſti, per conſignationem characteris, eſtque vera initiatio hominis in lege noua: hinc rectè poſſe acceptari perſonam magis ad gratiam ratione Baptiſmi ſuſcepti, quod conſtituit membrum Chriſti per fidem & ſpem, iuxta ſententiam eorum, qui dicunt hæc dona

34 *Quomodo ſit diſpoſitio.*

infundi

infundi seorsim quandoque à gratia: & in casu, saltem, est ipsa fidei Christi professio, & Sacramentum fidei; & per illud magis accedit quis ad Deum, ratione cuius accessus, & reuerentiæ Sacramenti maior est acceptatio personæ in ordine ad salutem.

Et fortè hoc intendit Cyprianus, vel author serm. de Cœna Domini: *Et licèt indigni sint*, inquit, *qui accipiunt* (supple Baptismum) *Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat accessum, & vbi redierint ad cor constat ablutionis donum, & redit effectus munerum; nec aliàs quæri, aut repeti necesse est salutiferum Sacramentum*, &c. Quæ verba applicari possunt ad doctrinam præmissam, sicut etiam authoritates Patrum suprà allegatæ, & Cypriani *sermone de Lesione pedum*: vbi asserit quòd Pœnitentia facit, vt reuersis iterum Sacramenta possint prodesse, quorum si pœnitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum: quacumque enim viâ Baptismus, siue per modum dispositionis, siue ex operato, & per modum Sacramenti prosit, sufficit ad saluandum authoritates Patrum.

*Cyprianus, vel alius.*

35 *Fides impetratoria est.*

Præterea sicut fides ipsa est impetratoria, vt constat ex Augustino *epist.* 105. & 106. & *lib. de prædestinatione Sanctorum, cap.* 2. & aliis Patribus; quin etiam id supponit Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 8. sequitur etiam Baptismum, cui annexa est professio fidei, iuxta Augustinum *epist.* 23. (nam sic dicit infantem profiteri fidem per realem receptionem Sacramenti) esse impetratorium suo modo, ratione operis, & dignitatis, in qua personam constituit. Item, sicut merita mortificata, & bona opera ex fide facta in statu peccati, possunt esse meritum remotum de congruo; vndè Deus tribuat gratiam pœnitentiæ ad resurgendum à peccato, quamuis illa in re sint præterita; sic etiam Baptismus potest de congruo disponere ad primam gratiam ampliorem recipiendam, quamuis præteritum sit.

*Merita mortificata disponunt ad conuersionem.*

*Obiectio.*

Dices secundùm Doctorem suprà, Sacramenta causant gratiam per modum dispositionis præuiæ: ergo si Baptismus præteritus habet se vt dispositionem respectu gratiæ subsequètis per pœnitentiam, eam causat vt Sacramentum. Respondetur, quando Sacramenta, vt causant gratiam per modum Sacramenti eam causant vt dispositio necessitans, & sic verè causant, vt realiter suo modo sunt in *fieri*: sed vt præterita non necessitant ad gratiam hoc modo, sed pœnitentia est quæ necessitat simpliciter, & vt supponit Baptismum perfectiùs causat.

*Responsio.*

*Dispositio necessitans, & nõ necessitans.*

36 *Obiectio.*

Dices, ergo cùm semper supponat Baptismum, sic etiam semper causabit in eodem gradu, quantùm est ex dispositione Baptismi. Respondetur negando consequentiam, quia licèt omnia Sacramenta supponant Baptismum hoc modo, vt subiectum sit capax Sacramentorum; tamen Sacramenta ordinantur ad diuersos effectus, ad quos specialiter nõ facit Baptismus; ad primam tamen iustificationem hominis, quæ est effectus specialis Baptismi, specialiter disponit; ac proinde pœnitentia, ex cuius efficacia habetur prima simpliciter iustificatio in casu fictionis, efficacior est in eo casu, quàm aliàs, quando dat secundam iustificationem, quæ non spectat ad Baptismum.

*Responsio.*

*Ad primam iustificationẽ disponit specialiter Baptismus.*

*Perfectiùs applicatur passio Christi.*

Ratio est, quia passio Christi vt applicatur ad primam iustificationem, perfectiùs applicatur per pœnitentiam supplentem defectum Baptismi, quàm ex propria institutione regulariter eam applicat, ad secundam iustificationem à peccato post Baptismum commisso. Hæc autem differentia oritur ratione Baptismi susceptì, vt congruæ dispositionis; vnde sicut non fuit applicata passio perfectè per ipsum lauacrum, quod non regenerauit à peccato ex impedimento fictionis, congruum est diuinæ misericordiæ, & fini institutionis Sacramentorum, vt ille defectus, & inchoata applicatio suppleatur perfectè per pœnitentiam, per quam deletur fictio.

f *Sed contra hoc arguitur*, &c. Opponit Doctor, quòd talis haberet commodum ex fictione. Respondet dupliciter, negando primò; quia opera eius sunt mortua in eo statu, donec surrexit. Respondet secundò, quòd nullum commodum etiam lapsus post Baptismum ritè susceptum, & resurgens per pœnitentiam habet, licèt recuperet etiam gratiam baptismalem, & aliquid amplius, nullum, inquam, commodum ex lapsu: hanc remittit infrà *ad dist.* 22. vbi agit de reuiuiscentia meritorum per pœnitentiam. 37

Vasquez reiicit illam obiectionem, quia quod reciperet commodum ex fictione vltra illud quod recipit non fictus, sed post Baptismum lapsus, & resurgens, non refert, modò aliàs talis efficacia Baptismo ostendatur competere. Verùm neque hoc commodum Doctor intendit ibi recipi per Baptismum, sed per pœnitentiam; & alioquin esset inconueniens, vt ex fictione reciperet commodum præ eo, qui non est fictus; sicut inconueniens esset, cæteris paribus, vt lapsus reciperet commodum ex lapsu, quod non reciperet perseuerans; hoc enim esset contra vias Domini, quæ sunt misericordia & veritas. Nemo enim peccando fit melior, neque magis acceptatus Deo, cæteris paribus, vt in sequenti §. docetur.

g *Tertio modo principaliter potest dici*, &c. Tertiò tandem respondet exponens modum, quo fictio remittatur: dicit ergo quòd fictus pœnitens recipit gratiã virtute pœnitentiæ, per quam remittuntur ei peccata, ipsa fictio directè, cætera verò indirectè; nullam autem gratiam recipit virtute Baptismi recepti; quia indignè recepit. Nec est verisimile, inquit, quòd pœnitenti æquè de eodem peccato quoad malitiam in indiuiduo, & specie quantum ad rationem intrinsecam, scilicet post Baptismum ritè susceptum, quando lapsus est, non detur eadem gratia: quia licèt lapsus post Baptismum quantùm ad aliquid grauiùs peccauit, scilicet ob ingratitudinem, vt explicat infrà Doctor, *dist.* 22. *quæst. vnic.* & Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 1. & 2. tamen fictus grauiùs peccauit ob sacrilegium commissum in Sacramentum. 38 *Tertius modus nihil recipere intuitu Baptismi.* Trident.

Et si obiicias, quòd Baptismus sic non valeret conuerso ad salutem. Respondet valere non quoad gratiam, sed quia adimpleuit præceptum, quæ adimpletio ipsi non valet quoad salutem, nisi per pœnitentiam, & fit filius regni, & ampliùs non alligatur præcepto Baptismi: *Et hoc nota*, inquit, *quòd actualiter peccans mortaliter in alio, siue in illo actu potest implere præceptum affirmatiuum etiam in illo actu.* Hæc regula patet in præsenti materia, quia fictus adimpleuit præceptum: patet etiam ratione, quia præceptum affirmatiuum determinat actum quoad substantiam, non verò quoad finem extrinsecum, aut alias circumstantias, quæ separari possunt à substantia actus,

*Baptismum valere quoad impletionem præcepti.*

*Regula moralis.*

*Ratio eius.*

actus, prout cadit ſub præcepto: hinc communicans ſacrilegè in Paſchate ſatisfacit præcepto Eccleſiæ, vt communior tenet cum Couarruuia *in cap. Alma mater.*

39 Gabriel. Angelus. Adrian. Vaſquez. Gloſſa. Auguſtin.

Hanc ſententiam, ſeu modum explicandi, ſequitur Gabriel quantùm ad effectum gratiæ, & remiſſionem actualis culpæ. Angelus *verbo Baptiſmus.* Adrianus *in 4. quæſt. 5. de Confeſſione.* Vaſquez *cap. 4.* & Gloſſa *in cap. Tunc valere, de conſecratione, diſt. 4.* Hic modus dicendi applicari poteſt authoritatibus Auguſtini, qui *lib. 1. de Baptiſmo, cap. 12. loco citato*, dicit baptizatum fictè *piâ correctione*, id eſt, conuerſione per pœnitentiam, *& verâ confeſſione purgari: quod non poſſet*, inquit, (ſupple confeſſio & correctio) *ſine Baptiſmo:* quia nempe non eſſet capax confeſſionis, & Sacramenti Pœnitentiæ, niſi eſſet baptiztus; & ſubdit: *ſed tamen quod ante eſt* (ſupple Baptiſma) *tunc valere incipiat ad ſalutem, cum illa fictio veraci confeſſione receſſerit.* Quibus verbis ſoli correctioni, & confeſſioni tribuit effectum purgationis à peccato, licèt ad hoc faciat Baptiſmus, inquantum conſtituit hominem capacem illorum donorum, illa autem clauſula, *tunc incipiat valere ad ſalutem*, ſupple Baptiſmus, eadem ratione intelligenda eſt, nempe quia præceptum adimpleuit, ſine qua adimpletione non fit capax ſalutis, & deinceps conſtituit hominem capacem, recedente fictione, aliorum donorum, & mediorum, quæ ad ſalutem faciunt.

*Explicatur Auguſtinus.*

40 *Interpretatio confirmatur.* Auguſtin.

Hæc etiam interpretatio eſt ſecundùm ſtylum Auguſtini, aliis in locis, vt lib. 1. de nuptiis, & concupiſcentia, cap. 33. *Sic enim*, inquit, *accipiendum eſt* (ſupple quod dicit Apoſtolus ad Epheſios 5. de mundatione Eccleſiæ per lauacrum regenerationis) *vt eodem lauacro regenerationis, & verbo ſanctificationis, omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur, atque ſanentur; non ſolùm peccata quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo, ſed etiam quæ poſteriùs humana ignorantia, vel infirmitate contrahuntur, non vt Baptiſma quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo quod ſemel datur, fit, vt non ſolùm antea; verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur. Quid enim prodeſſet vel ante Baptiſmum Pœnitentia, niſi Baptiſmus ſequeretur? vel poſtea niſi præcederet*, &c. Idem dicit *lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 7.* quæ verba eius ita intelligenda ſunt, vt ſuprà explicuimus *quæſt. 1. huius diſtinctionis*, quatenus Baptiſmus facit ſubiectum capax mediorum, per quæ reliqua poſt ipſum peccata remittunt, vt patet ex diſcurſu Auguſtini. Ergo valere Baptiſmum ad remiſſionem peccatorum ex mente Auguſtini, ſic commodè interpretari poteſt; non quòd ipſe remittat peccata in caſu fictionis; ſed quòd reddat ſubiectum capax, & diſpoſitum reſpectu pœnitentiæ, per quam remittuntur, & dependet hoc ſenſu remiſſio peccatorum à Baptiſmo, etiam in fictione ſuſcepto; non ſolùm eorum quæ per pœnitentiâ mox primò remittuntur; ſed etiam eorum, quæ denuò committuntur: non autè quòd Baptiſmus ad ea remittenda habeat virtutem.

*Explicantur ad propoſitum authoritates.*

41 Hoc modo intelligi etiam poſſunt verba ſubſequentia, de baptiſmo hæreticorum, & ſchiſmaticorum, quando dicit ipſa reconciliatione, & pace præſtari, vt ad remiſſionem peccatorum Baptiſmus prodeſſe incipiat. Sic intelligi poſſunt aliæ authoritates eius locis citatis, vt *lib. 3. cap. 3. lib. 6. cap. 5.* quæ idem ſonant: & eodem modo alij Patres ſuprà citati loquuntur.

*Explicatur Trident.*

Ad ea quæ pro oppoſito ſuprà citauimus ex Tridentino, reſponderi poteſt, Concilium loqui regulariter, & prout lex ſtatuit accedendum eſſe ad Baptiſmum, non autem de caſu fictionis, quo ſuppoſito, via ſalutis quærenda eſt per pœnitentiam, per quam fictio directè, cætera verò indirectè remittuntur; neque peccata priora, ita pertinent rigoroſè ad Baptiſmum, vt ſi ea non remittat ex culpa fictionis, remitti poſſint per Baptiſmum ex opere operato (cuius virtus ſacramentalis tranſit cum ipſa materia & forma, & ſine quibus manere non poteſt ſublatâ fictione) ſed tunc ſubſunt pœnitentiæ per accidens, aut indirectè, quoad remiſſionem, quia habent repugnantiam cum effectu pœnitentiæ.

42 *Dubium de pœna debita in cuius virtute remittitur.* *Sententia Vaſquez. impugnatur.*

Sed quid de pœna illorum peccatorum tam æterna, quàm temporali dicendum eſt? Vaſquez aſſerit remitti pœnam temporalem per Baptiſmum, citans Gabrielem, & noſtrum Doctorem in eam ſententiam, & Alenſem: ſed Doctor id non dixit in præfato loco, neque alibi, quantum pro nunc occurrit: neque, meo videri, conſequenter dici poteſt: nam ſi tota remiſſio fit quoad culpam per pœnitentiam; ſic etiam omnis remiſſio fit per gratiam pœnitentialem, quæ nullo modo habet hunc effectum, vt decernit Tridentinum *ſeſſ. 14. cap. 2.* in fine, niſi ſit perfectiſſima, quæ non requiritur ad remiſſionem fictionis. Et probatur, quia pœnæ æternæ talis eſt remiſſio, qualis eſt virtus cauſæ, per quam remittitur culpa, quia vt Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 14.* dicit, pœnam æternam per Sacramentum, aut Sacramenti voto remitti ſimul cum culpa: ſed Pœnitentia non habet talem efficaciam remittendi culpam, & pœnam æternam quoad peccatum ipſum fictionis, circa quod primò, & per ſe, operatur, quin maneat pœna temporalis: ergo minùs poteſt remittere pœnam æternam eorum, ad quæ ratione effectus extenditur per accidens; ita vt non remaneat pœna aliqua temporalis pro ipſis ſoluenda. Patet conſequentia, quia gratia pœnitentialis, per quam remittuntur, non habet annexam talem remiſſionem.

*Pœnitentia non remittit neceſſariò peccatum cum omni pœna temporali.*

43 *Sublatâ efficaciâ Baptiſmi quoad culpam tollitur quoad pœnam.*

Secundò, quia Baptiſmus non dat vllam remiſſionem ficto, tenendo hunc modum explicandi, neque dare poteſt, niſi mediante gratiâ baptiſmali, per quam ita regeneratur homo, vt tollat culpam, & omnem pœnam ſimpliciter, & cui annexa eſt talis remiſsio, quia eſt prima ſtola recuperata per merita paſſionis, perfectiſsimo, & ſingulari modo applicata per Baptiſmum: ergo ſublatâ efficaciâ Baptiſmi circa remiſsionem tam culpæ, quàm pœnæ, tollitur efficacia eius quoad pœnam temporalem.

Tertiò, quia ipſi Baptiſmo, vt datur in remiſſionem peccatorum, tribuunt Patres, & Canones hanc efficaciam: vt patet ex omnibus locis, ex quibus ſuprà probauimus efficaciam Baptiſmi; vt declarat Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7. ſeſſ. 5. can. 5. ſeſſ. 14. cap. illo ſecundo*: & probat ille locus Pauli ad Romanos 8. *Nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto, qui non ſecundùm carnem ambulant*, &c. vt rectè Tridentinum *ſeſſ. 5. can. 5.* declarans per hoc efficaciam Baptiſmi: ſed Baptiſmus ficti, *qui ſecundùm carnem ambulat*, non fuit ipſi in remiſſionem, ſed in damnationem, & peccatum, per quod indignè illum ſuſcepit: ergo nullam habet efficaciam remittendi pœnam temporalem.

De

44 De lege autem manet pœna temporalis peccato mortali, non obstante pœnitentiâ, nisi sit abundans; neque illa, quæ sufficit ad remissionem peccati, etiam extra Sacramentum, est sufficiens, vt tollatur pœna temporalis; neque olim etiam ante institutionem Baptismi habuit illam efficaciam, aliàs nunc haberet, quia nihil ipsius virtuti derogat institutio Sacramentorum, sed solùm subordinationem addit: ergo in proposito casu non habet talem effectum tollere, nisi quando est ita perfecta, vt dixi, vt æquiualeat satisfactioni, quantùm ad dignitatem actus.

Dicendo ergo quòd Baptismus non sit efficax ad remissionem culpæ in ficto, dicendum est etiam non remittere pœnam temporalem: nam si vlla efficacia per modum Sacramenti ipsi tribuenda est, debet saluari primaria iuxta primum modum, qui communis est, & quem, vt magis probabilẽ, defendit Doctor, quidquid dicat Vasquez, quia & eum primo loco statuit, & in Reportatis eum solùm adducit; aliis supersedendo.

*Opinio Gabrielis reiicitur.*

Opinio autem Gabrielis, quâ dicit peccatum originale remitti virtute Baptismi in ficto, & non actualia, quæ fuerunt ante Baptismum, meritò ab omnibus reprehenditur, quia remissio peccati originalis non fit sine gratia, quæ si tunc daretur virtute Sacramenti, tolleret & fictionem, & reliqua peccata: impugnatio eius habetur ex dictis, neque est tuta.

45 h *Ad primum*, &c. Hîc respondet Doctor ad argumenta, quæ responsio est clara. Quando dicit respondendo secundo, quòd fictus non sit baptizatus in Christo, sed in nomine Christi: quadrat locis Apostoli, quia de eo nequit dici, quòd sit *sepultus cum Christo in mortem peccatorum*: ad Ephesios 4. neque quòd sit in Christo, quia *damnationem habet*, & *secundùm carnem ambulat*, neque spiritum Christi habet; *Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius*, ad Romanos 8. Baptizatus tamen est in nomine Christi, id est, in authoritate Christi per Baptismum, in quo est signatus.

*Ad argum. Fictus nõ est in Christo, sed in nomine eius baptizatus.*

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm iam iustificati teneantur ad susceptionem Baptismi?*

Alens. 4. *p. q.* 18. *m.* 7. D. Thom. 3. *p. q.* 68. *art.* 1. *& q.* 66. *art.* 9. *& hic q.* 3. *art.* 3. Richard. *art.* 1. *q.* 3. D. Bonau. *d.* 6. 2. *p. art.* 1. *q.* 2. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 31. *sect.* 1. *& communis, affirmant. vide* Scot. 9. *Metaph. q.* 15.

1 IRCA [a] tertium membrum distinctionis, quod est de susceipientibus rem, & non Sacramentum, quæro: Vtrùm iam iustificati teneantur ad susceptionem Baptismi? Et arguitur quòd non; quia non legitur de Apostolis, nec de Beata Virgine quòd fuerint baptizati.

1 *Mag. D. E. F. G. Argum.* 1.

Item, baptizatus Baptismo sanguinis, non tenetur ad Baptismum fluminis: ergo nec baptizatus Baptismo flaminis tenetur ad illud. Consequentia patet per se, quia ista duo baptismata æquè dicuntur supplere Baptismum fluminis. Antecedens est manifestum, quia talis euolat. *Argum.* 2.

Item, nullus tenetur recipere Sacramentum frustrà, quia in operibus Dei nihil est frustrà: sed Baptismus receptus à iustificato frustrà recipitur, cùm habeat effectum, qui est ablutio animæ à peccato. Iam enim priùs est ablutus. *Argum.* 3.

Item, nullus tenetur iniuriari Sacramento: sed ex hoc fieret iniuria Sacramento, si iustificatus baptizaretur: iniuria enim est Sacramento, facere quantùm in se est, quòd ipsum sit signum falsum: sed talis suscipiens facit hoc, quia caret tunc signato, quia tunc non dat gratiam. *Argum.* 4.

Contrà, Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit*, &c.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Explicatur quæstio, quoad varios status subiectorum.*

a *Circa tertium membrum*, &c. Hîc tractat per se de effectu Baptismi, & obligatione in iustificatis, quia in his habet peculiarem difficultatem, qui iam receperunt gratiam, & præuenti sunt, vel per aliud remedium æquiualens, vt qui sunt iustificati in lege per Circumcisionem, & pœnitentiam, & fidem; vel Martyrio suppositâ promulgatione præcepti, vel in vtero ex speciali priuilegio, sine ordine ad Baptismum, aut subordinatione; de aliis siue peccatoribus, siue iustificatis, suppositâ promulgatione legis, & cessantibus aliis remediis, non est tanta difficultas, quia in eis habet Sacramentum in re, vel voto, necessitatem medij, & præcepti, de quibus hactenus Doctor; vt de infantibus, & adultis tam fictis, quàm non fictis; & quid in eis requiratur, & quem effectum recipiant Sacramenti; quod tangit etiam in sequenti quæstione: ij etiam qui in voto Sacramenti cum contritione iustificantur, vt sunt Catechumeni adulti, clarum est obligari illos ad Sacramentum in ordine, ad quod realiter suscipiendum iustificantur: quamuis & hos etiam comprehendit ratio tertia ad oppositum, prima autem, secunda, & quarta comprehendit iustificatos primo modo, sine ordine ad Sacramentum.

## SCHOLIVM.

*Iam iuſtificatos poſt Baptiſmi promulgationem teneri ad eius ſuſceptionem. Primò, quia præceptum eſt vniuerſale. Secundò, tenetur quilibet eſſe membrum Eccleſiæ. Tertiò, aliter contemneretur Baptiſmus, cum aliorum ſcandalo. Ita communis Doctorum.*

2 Reſpondeo [b], dicendum quòd poſt Baptiſmum promulgatum per modum præcepti, quilibet qualitercumque iuſtificatus, qui non impleuit illud præceptum, cum quo Deus non diſpenſauit ſpecialiter, vt non teneretur ad illud, tenetur ad Baptiſmum affectu, & pro loco & tempore effectu, ſi manet viator nobiſcum, quouſque poteſt commodè recipere in effectu. Huius ratio fundamentalis eſt, quia lex vniuerſaliter promulgata omnes obligat (*vniuerſaliter* dico illam promulgari, in cuius promulgatione non eſt aliqua acceptio perſonæ, ſiue cuiuſcumque exceptio perſonæ, vel circumſcriptio circumſtantiæ) tale fuit præceptum de Baptiſmo ſuſcipiendo, & hoc rationabiliter, quia congruum fuit omnes de lege Chriſtiana habere vnum ſignum, in quo conuenirent inter ſe, & diſtinguerentur ab aliis, vt dictum eſt in quæſtione de inſtitutione Sacramenti in communi: & maximè illud ſignum, per quod ingrederentur obſeruantiam huius legis: per eius enim ſuſceptionem adſcribuntur illi legi, & dicuntur de familia Chriſti.

*Omnes etiã iuſtificati tenentur ad Baptiſmũ.*

Poſſet etiam alia ratio aſſignari, quia quilibet viator tenetur eſſe membrum Eccleſiæ militantis; non tantùm in ſcientia diuina, ſed etiam quantùm ad notitiam aliorum membrorum, quantùm in ſe eſt: quia tenetur cum aliis membris communicare in his, quæ pertinent ad obſeruantiam legis, & eos non ſcandalizare. Si autem non acciperet Sacramentum, per quod fit membrum Eccleſiæ ſecundùm iudicium Eccleſiæ, non eſſet aptus ad communionem cum aliis membris in multis actibus pertinentibus ad Eccleſiam: ſcandalizaret etiam actiuè alia membra, quæ haberent occaſionem iudicandi ipſum, contemnere communitatem.

Ex hoc poteſt formari tertia ratio, quia qui poteſt ex actu facili magnam gratiam acquirere, ſi negligat illum actum, videtur gratiam contemnere, vel ſaltem non eam ita appretiari quantum eſt appretiabilis: ſed ille, qui non eſt baptizatus, quantumcumque aliter ſit iuſtificatus, per actum facilem, ſcilicet per ſuſceptionem Baptiſmi, poteſt magnam gratiam acquirere: quia quantumcumque perfecto de lege communi accedenti ad Baptiſmum, augetur gratia: ergo ſi negligat, videtur contemnere gratiam, & dat aliis occaſionem ſic iudicandi.

## COMMENTARIVS.

2 *Concluſio affirmatiua, & communis.*

b *Reſpondeo dicendum, quòd poſt Baptiſmum promulgatum*, &c. Concluſio eſt communis omnium in hac diſtinctione, & 3. *part. quæſt.* 68. *art.* 1. eſtque de fide: patet Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. & ex aliis locis ſuprà citatis de neceſſitate, & efficacia Baptiſmi. Definitur in Tridentino *ſeſſ.* 7. de Baptiſmo can. 5. *Si quis dixerit Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem, anathema ſit*: qui canon etiam referri poteſt de lege ordinaria. Item *ſeſſ.* 6. *cap.* 4. In Florentino *decreto vnionis, cap. Maiores, de Baptiſmo*; & locis aliis iam citatis; ſpeciatim vbi declaratur tempus, quo hæc obligatio incepit, & de ceſſatione legalium.

Trident. Florent. Innocent.

*Probatio Doctoris.* Eandem probat Doctor argumento morali, primò, quia lex vniuerſaliter promulgata omnes obligat, &c. intelligit *vniuerſaliter* diſtributiuè, ſeu collectiuè, in materia, quæ omnes, & ſingulos capaces doli comprehendit; & prout ipſe declarat, vt excludit legem, in cuius promulgatione eſt acceptio perſonæ: ſicut in legibus Imperatoris intelligitur non comprehendi Auguſta; neque lege Aſſueri comprehendebatur Eſther regina, ob acceptationem perſonæ, quæ eximitur à lege oneroſa, & indicente pœnam; quamuis verbis legis non excipiatur expreſsè: ſic etiam leges continentes cenſuram Eccleſiaſticam, non includunt Reges, quantumlibet exprimatur clauſulâ vniuerſali, niſi fiat eorum expreſſa mentio: nempe ob acceptationem illarum perſonarum: quia æquitas fundata in qualitate, & dignitate perſonæ, non permittit legem, aut voluntatem legiſlatoris ad eam extendi: *vel etiam exceptio perſonæ*, id eſt, vel per ipſam legem, vel per particulare priuilegium, cui lex non derogat; *vel circumſcriptio circumſtantiæ*, ſcilicet temporis, loci, vel aliorum, quæ limitant legem, & materiam eius, vt non ſit pro omni tempore, perſonis, loco, &c. obligans: præceptum autem de Baptiſmo fuit vniuerſale hoc modo; vt patet Ioannis 3. *Niſi quis renatus*, &c. & Matthæi vltimo, *Docete omnes gentes baptizantes*, &c. Neque ad locum, aut tempus limitatur, neque ad perſonas: ergo.

*Lex vniuerſalis.* *Lex quæ patet exceptioni perſonarum.* *Exceptio hæc quomodo fiat.* *Lex Baptiſmi vniuerſalis, ſine exceptione.*

Probat etiam ex congruitate deſumptâ à Baptiſmo, quà eſt ſignum diſtinctiuum legis, & profeſſionis, & ingreſſus in Euangelicam legem, à qua nemo excipitur poſt eius promulgationem: ergo vſus eius debet eſſe communis, ſicut & lex & fides, cuius eſt Sacramentum. Secundò probat, quia viator debet eſſe membrum Eccleſiæ viſibilis, & militantis, & eſſe capax communionis viſibilis cum aliis, quoad actus, qui ad hanc communionem ſpectant, idque iudicio Eccleſiæ, quæ non iudicat de occultis, ſed viſibilibus & externis, cui reſeruatur iudicium diſcernendi

3 *Secunda probatio. Baptiſmus ianua legis noua.* *Viator debet fieri membrum Eccleſiæ viſibile.*

nendi membrum à non membro, & cui reseruatur ministerium illorum actuum, in quibus communicant membra, vt Sacramenta & sacrificium, ad quæ non admittitur non baptizatus, quia non est capax, & patet de Catechumenis, qui non tantùm à Sacramentis, sed etiam à multis aliis actibus excludebantur: patet etiam ratione scandali actiui in eo, qui non communicaret in his actibus cum aliis: ergo congruum fuit legem Baptismi omnes comprehendere. Tertia ratio est, quia alioquin præsumeretur contemptus, non solùm Baptismi; sed etiam gratiæ baptismalis. *Tertia ratio à contemptu gratiæ Baptismi.*

## SCHOLIVM.

*Ad primum putat Apostolos fuisse baptizatos, ita* Augustin. *epist.* 108. *& 3. de orig. animæ, c.* 9. *referunt* Niceph. *2. hist. c.* 3. *ex Euodio, &* Euthym. *in* 3. *Ioan. Christum baptizasse Petrum, & à Petro, Andream, Ioan. Iacob. baptizatos; & ab his cæteros Apostolos. &* à Petro *&* Ioan. 72. *discipulos. Baptistam fuisse baptizatum, tenet* Sotus *d.* 5. *q.* 2. *& Author imperf. homil.* 4. *in Matth. & indicat* Hieron. *in* 3. *Matth.*

Ad primum [c] argumentum dicendum, quòd Glossa quædam super illud Ioan. 13. *Qui lotus est*, &c. videtur dicere, quòd Apostoli fuerunt baptizati. Quod probabile est, quia Christus fecit eos Sacerdotes, conferens eis in cœna potestatem conficiendi corpus Christi, dicens, *Quotiescumque*, &c. & conferens eis post resurrectionem potestatem absoluendi. Ioan. 20. *Quorum remiseritis*, &c. contulit eis etiam officium baptizandi solemniter Matth. vlt. *Euntes baptizate*, &c. ordo autem sacerdotij supponit Baptismum saltem de congruo, *Extrau. de Presb. non bapt. c. Veniens.* 3 *Ad arg.* 1. *Apostoli baptizati sunt.*

Nec videtur necessitas, quòd Christus cum Apostolis in hoc dispensauerit: quia nulla videtur ratio dispensandi nec aliqua necessitas, vel vtilitas consecuta; cùm nec ipsi essent gratiores Deo per hoc, quòd non baptizati: nec fuissent efficaciores Doctores in Ecclesia. Imò videtur, quòd minùs efficaces, quia minùs valet Magister moralis, qui non vult opere implere, quod docet, secundùm Gregorium. Christus etiam in seipso voluit Baptismum suscipere, saltem Ioannis, antequam legem Baptismi aliis imponeret, quia Act. 1. dicitur, *Cœpit Iesus facere, & docere.* *Magister morum opere doceat.*

Consimiliter supponendum est de Beata Virgine, nisi fortè ipsa sit excepta ab illa lege, & de ea fuisset ratio dispensandi: quia fortè habuit in conceptione filij sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit eam peruenire. *Beatam Virginem fuisse baptizatam sub dubio est.*

Ad aliud dico [d], quòd baptizatus Baptismo sanguinis, si postea est nobiscum viator, tenetur, affectu, & pro loco, & tempore recipere effectu Sacramentum, id est, Baptismum fluminis: hoc autem quod supponitur est benè possibile, sicut de quibusdam legitur, quòd sunt facti bis confessores, quia sustinuerunt bis pœnas pro fide, propter quas tamen non sunt mortui. Si autem Baptismus sanguinis sit completus, quia sic baptizatus moritur, & non remanet nobiscum viator; non est obligatus ad præceptum viatoris: Sacramenta autem non habent locum, nisi pro statu viæ, vt tactum est distinctione prima. 4 *Ad* 2. *Vt si quis accepto vulnere lethali pro fide miraculosè cõualesceret. q.* 3. *art.* 3.

Ad aliud dico, quòd nullus recipit frustrà Baptismum, quia gratia ibi augetur, nisi peruenerit ad terminum: & si fortè priùs peruenerit, additur ibi meritum, obediendo præcepto diuino. Nec etiam est frustrà post plenitudinem gratiæ, si quis eam haberet, addere opera meritoria. *Ad* 3.

Ad aliud dico, quòd ille non iniuriatur Sacramento: nec facit, quòd sit falsum signum: quia vel ibi confertur gratia aliqua, & tunc est signum practicum verum: vel nulla, si iam priùs erat gratia perfecta, & tunc est signum verum practicum, non respectu eius, quod est gratia in *fieri*, sed in *esse*. *Ad* 4. *Licèt Sacramentum non causaret gratiam in non ponente obicẽ, non ideò esset signum falsum.*

Si autem obiicitur, quòd saltem non habet secum significatum, scilicet ablutionem à peccato: dico, quòd illa ablutio significatur vel tunc in *fieri*, vel tanquam quæ nunc infit, vel tanquam infienda quantùm est ex parte Sacramenti, si scilicet aliquid inesset, à quo anima esset abluenda.

## COMMENTARIVS.

4 *Apostolos fuisse baptizatos.* Ioan. 20. Matthæi vltimo.

c *Ad primum argumentum*, &c. Dicit, quòd probabile est Apostolos fuisse baptizatos, quia fuerunt ordinati Sacerdotes in vltima Cœna; receperunt claues absoluendi, *Ioan.* 20. præceptum docendi, & baptizandi, *Matthæi vltimo*, &c. Hæc omnia ordine suo, & secundùm legem supponunt Baptismum, & etiam de cõgruo ante eius obligationem. Vnde quãdo Doctor ordinem supponere dicit Baptismũ, saltem de congruo, non alludit ad opinionẽ, quæ in eo cap. *Veniens*, &c. dicitur quorumdam fuisse, qui putãrunt non baptizatum, modò habeat fidem, validè ordinari, quia habet Christum, qui est primarium fundamentum: sed loquitur iuxta præsentem casum de Apostolis, in quibus est dubium, si fuerint baptizati, quamuis certum sit eos fuisse ordinatos.

*Tollitur ratio dispensandi cum Apostolo.*

Non videtur ergo ratio vlla dispensationis subesse, quæ neque in dignitatem, neque in fructum cederet, neque in maiorem efficaciam doctrinæ: qui ergo docebant alios baptizandos ex lege, congruebat ipsos esse baptizatos, sicut Christus, *cœpit facere & docere*, Actorum 1. Et ipse voluit à Ioanne baptizari, antequam legem Baptismi aliis imponeret. Idem docet de Beata Virgine, *nisi forte*, inquit, *fuerit à lege exempta*, in qua occurrit ratio specialis priuilegij, *quia forte in conceptione filij sui, habuit plenitudinem gratiæ, ad quam illam Deus voluit peruenire*, &c.

*Dubium de Baptismo Virginis.*

5

*Sententia affirmatiua.*

Doctor. Bianson. Vorilen. Bassolis. Rubion. Anton. Andreas. Baconius. Arimineñ. Paludan. Sotus. Suarez. Vasquez. Bellarmin. Salazar. Valentia. Canisius. Vega.

Quantùm ad assertionem de Baptismo Apostolorum, & Virginis, eam tenent non solùm Doctor hic, sed etiam in Reportatis *quæst.* 8. Bianson is *quæst.* 4. Vorilen 1. *p. dist.* 4. *a.* 3. Bassolis, Rubion *eadē dist. q.* 9. Maynones *quæst.* 3. Antonius Andreas *quæst.* 6. & reliqui nostræ scholæ Doctores. Baconius *dist.* 6. *q.* 1. Ariminensis *dist.* 2. *dub.* 2. Paludanus *dist.* 6. *q.* 1. *art.* 2. Sotus *dist.* 5. *quæst. vnica, art.* 2. Suarez 2. *tom. in* 3. *p. disp.* 18. *sect.* 3. Vasq. *disp.* 119. *c.* 7. Bellarm. *lib.* 1. *de Baptismo, c.* 13. *& lib.* 1. *de Summo Pontifice, cap.* 23. Salazar *de Conceptione Virginis, c.* 24. Valentia *tom.* 4. *disp.* 4. *quæst.* 3. *puncto* 4. Henriquez *lib.* 2. *de Baptismo, cap.* 5. §. 2. Canisius *lib.* 1. *de Beata Virgine, c.* 9. Turrecremata *c. Quando, de consecrat. dist.* 4. Vega *lib.* 3. *de iustificat. cap.* 12. & alij.

6

*Præmissa sententia incerta est.*

Augustin.

Cæterùm neque Baptismus Apostolorum est certus, sed sub opinione illud asseruit D. August. *epist.* 118. minùs autem certus est Baptismus Virginis: de vtroque præter documenta, & congruentias, quas adducit Doctor in præmissis, nihil certius habetur, quàm authoritas cuiusdam traditionis, quam ita narrat Euthymius in cap. 3. Ioannis: *Scribunt quidam*, inquit, *Apostolorum temporibus proximi, quòd Christus Petrum, & Virginem Mariam baptizauit: Petrus verò reliquos Apostolos*, &c. Hanc traditionem Nicephorus Callixtus lib. 2. historiæ, cap. 3. aliter proponit: *Dionius*, inquit, *Euodius, & ipse Apostolorum successor fuit, in Commentarijs suis, præcipuè autem in epistola quam lumen inscripsit* (Græcè φῶς) *hoc quoque posuit: Christus*, inquiens, *manibus ipse suis Petrum, tantummodò baptizauit; Petrus porrò Andream, & filios Zebedæi; ij deinceps reliquos Apostolos: septuaginta autem illos Petrus & Ioannes Theologus baptizarunt*, &c. Solus Euthymius ex omnibus antiquis mentionem facit Baptismi Virginis; & variat in narratione: quia dicit Christum baptizasse Virginem, quod non asserit alter: item Petrum reliquos Apostolos baptizasse, quod negat alter, præter Andream, & filios Zebedæi, hi autem reliquos. Et quamquam posterior fuerit Nicephorus ducentis annis, tamen verba ipsa Euodij transcribit; cui adstipulatur Clemens *Stromat. lib.* 5. exponens illud Apostoli 1. ad Corinthios c. 3. *Gratias ago*, &c. *quia neminem vestrùm baptizaui*, &c. *Christus*, inquit, *dicitur Petrum solum baptizasse, Petrus Andream, Iacobum, & Ioannem, illi reliquos*, &c.

*Traditio.* Nicephor.

*Euthymius variat.*

*Clem. Alexandrinus.*

*Responsio.*

Et quamuis aliqui respondent excludendam intelligendam esse, vt cùm dicitur solus Petrus baptizatus à Christo, respectiuè ad Apostolos, non ad matrem dici; responsio non quadrat verbis Euodij, quem citat Nicephorus, neque intento Clementis, qui verba Apostoli ad exemplum Christi refert, & præterit Baptismum Virginis loco opportuno, qui perinde faceret ad propositum sicut Baptismus Petri: non erat ergo locus exclusioni, nisi vt tollatur frequentatio, vt pluralitas actus.

*Impugnatur.*

Accedit, quòd hæc traditio non fuerit recepta à Patribus; in primis Augustinus *epist.* 118. dicit esse scriptum, quando baptizatus est Paulus, non autem inueniri scriptum, quando baptizati sint Apostoli; quamuis credibile putat baptizatos fuisse, vel Baptismo Ioannis; sicut nonnulli asserunt; siue quòd magis credibile est Baptismo Christi: & hoc ipsum colligit ex documentis aliis eorum, quæ facta sunt, & secundùm congruentiam, & non ex traditione vlla.

7

*Traditio non fuit recepta.* Augustin.

Eam non admittūt quotquot negant Baptismo Christi vsos fuisse Apostolos, aut illum esse institutum antequam data est forma baptizandi, *Matthæi vltimo*; quæ sententia probabilis est, vt suprà ostendimus de tempore huius institutionis. Fortè etiam eneruat illam traditionem, quòd Petrus tum non habuit prærogatiuam inter Apostolos, quando fuerunt baptizati, quâ reliquis præferretur, quia nondum fuerant promissæ ei claues; baptizari autem debuit sub initio prædicationis Christi, quando institutus est Baptismus, & data authoritas baptizandi discipulis: & hoc indicat congruentia de Baptismo eorum, quæ adducitur ab Augustino suprà: *Neque enim ministerio baptizandi defuit, vt haberet baptizatos seruos, per quos cæteros baptizaret*, &c. Hæc etiam coniectura Augustini non conuincit, quia authoritas baptizandi etiam de facto penes non baptizatos est, vt validè baptizarent; cuius fortè exemplum præcessit in Apostolis; & Ioannes Baptista non baptizatus Baptismo pœnitentiæ baptizabat ex commissione suæ missionis; tunc autem Apostoli non habuerunt aliam quàm delegatam.

*Respondetur congruentiæ.*

8

Chrysost. *Baptizatè Apostoli in die Pentecostes.* Tertullian.

Accedit quòd Baptismus Apostolorum fuerit reseruatus, ex sententia Chrysostomi, in diem Pentecostes, vt eminentiori modo baptizarentur in Spiritu sancto, & igni: vel, vt dicit Tertullianus, fuerit æquialenter suppletum per vocationem, & familiaritatem Christi, lib. de Baptismo cap. 11. *Illis*, inquit, *prima adlectionis, & indiuidua familiaritatis prærogatiua compendium Baptismi conferre posset*, &c.

*Confirmatè illo die tantùm.*

Accedit non maiorem fuisse rationem, vt Apostolis reseruaretur Confirmatio in diem Pentecostes, quam missione visibili Spiritus sancti receperunt, non per Vnctionem, aut manus impositionem, sicut cæteri fideles, quàm quòd Baptismus similiter ex prærogatiua sic daretur eminentior, quàm si fieret in aquâ: quia ipsi tanquam capita Ecclesiæ, & principes tenebantur ad Sacramentum Confirmationis ratione exempli, & scandali, & cuiusque alterius congruentiæ, quæ pro Baptismo ipsorū in aqua adduci potest. Illam verò missionem visibilem Spiritus sancti in eos, loco Confirmationis fuisse, plures docent; tenet Alensis 3. *part. quæst.* 9. *m.* 1. D. Thomas *in* 4. *dist.* 2. *quæst.* 2. *art.* 4. *ad* 3. *& 3. part. quæst.* 72. *art.* 1. noster Doctor *in* 4. *dist.* 7. *quæst.* 1. *responsione ad primam obiectionem.* Ex quibus eliditur congruentia, quæ secundùm legem ordinariam sumitur, non autem in casu priuilegij.

*Alensis. D. Thom. Doctor.*

9

*Argumentum ex necessitate Baptismi soluitur.*

Argumentum etiam ex necessitate Baptismi, siue vt medium est, siue vt præceptum, non vrget, quia, vt suprà visum, illam non est sortitus vsque ad promulgationem Euangelij; antea fuit sub consilio, non præcepto, & alia remedia fuerunt fructuosa. Neque etiam Glossa super illud, *Qui lotus est non indiget*, &c. similiter conuincit: ex illo enim loco adducit Augustinus *loco citato*, argumentum, quo probet ipsos fuisse baptizatos, atque adeò intelligi lotionem baptismalem; *& serm. de*

Glossa.

Augustin.

Ambrosius. Tertullian.

Gregor. Pacianus. Cyprian. D. Thom.

*de Cœna Domini tract. 56. in Ioannem.* Ambrosius *lib.3.de Sacramentis, cap.1.* Tertullianus *lib. de Baptismo, cap. 11.* quamuis concipiat Baptismum Ioannis. Gregorius *lib.9.Reg.cap.99.* Pacianus *epistola 1.contra Pelagianos.* Cyprianus *serm. de Cœna Domini.* D.Thomas *3.part.quæst.38.art.8.ad 3.* & nonnulli alij.

Tertull. Augustin. *Locum non intelligi de Bapt.* Chrysost. Cyrillus. Leontius. Theodor. Theophyl. Euthym.

Hæc, inquam, lotio intelligi potest de lotione per Baptismum Ioannis & pœnitentiæ, vt intelligit Tertullianus, & insinuat ipse Augustinus à nonnullis sic intelligi probabiliter *in epist.118.* Non intelligi de baptismali docent omnes Patres Græci *in eundem locum*, sed de lotione spirituali à peccato, & metaphorica, vt Chrysostomus, Cyrillus, Leontius, Theodorus Mopsuestensis, & alius Heracleota, Theophylactus, Euthymius: quibus fauent verba sequentia: *Dicit ei Iesus, qui lotus est, non indiget nisi vt pedes laues, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes, sciebat enim quinam esset qui traderet eum: propterea dixit, non estis mundi omnes*, &c. hæc exceptio propter proditorem non quadraret, si locus de baptismali lotione intelligeretur, quia etiam Iudas baptizatus est. Interpretatio ergo prior non est literalis, sed symbolica.

*In vsu priuilegij non obligat lex.*

Neque contemptus legis, Sacramenti, aut gratiæ baptismalis in eo casu, & ex priuilegio notorio præsumi potuit, aut trahi in exemplum, reclamante lege *Ioannis 3. Matthæi vltimo*, quæ ipsius legis promulgatione, Apostolorum doctrinâ, exemplo credentium, & fructu Baptismi euacuantur: ideóque rectè S.Thomas in 4.dist.2.art.4.ad 3. asserit, *Credi quidem Apostolos baptizatos esse Baptismo, quamuis scriptum non reperiatur: si tamen Christus, qui habuit potestatem remittendi peccata, eos sine Baptismo, ex priuilegio quodam sanctificare voluisset, & qui virtutem suam Sacramentis non alligauit, non esset ad consequentiam trahendum*, &c.

10 *Respondetur ad aliam cõgruentiam ex ianua legis, & vnione membrorum.*

Neque aliud insuper obstat ex eo, quòd per Baptismum quis fit capax Sacramentorum, & membrum Ecclesiæ visibilis, & professor fidei, ac legis Euangelicæ: hæc enim de lege Baptismo conueniunt (& suppositâ sententiâ Chrysostomi, Leonis Papæ, Tertulliani, & aliorum, quos suprà citauimus, asserentium Baptismum Christi non habuisse efficaciam ante resurrectionem, & mortem, neque institutionem, donec data est forma baptizandi *Matthæi vltimo*) Apostoli fuerunt membra Ecclesiæ ante illud tempus, ipsâ electione, & vocatione fuerunt instituti Sacerdotes, receperunt claues, Petrus institutus est Vicarius Christi, minister, & dispensator Ecclesiæ, ac mysteriorum Dei: si ergo ministri, dispensatores, principes, & fundamentum etiam erant membra, & non hospites, & aduenæ; *Sed ciues & domestici*, ac proinde Augustinus serm.135.de Tempore: *Ecclesia tunc in vna domo erat, accepit Spiritum sanctum, in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat*, &c.

11 *Doctor primus asseruit inter Scholasticos Baptismum Virginis.*

Ex his patet rectè Doctorem sub opinione cum Augustino constituisse Baptismum Apostolorum; Baptismum autem Virginis cum maiori incertitudine asseruit primus inter Scholasticos, quem alij deinceps secuti sunt: quia neque Augustinus, neque alij Patres quidquam dixerunt, præter Euthymium, qui memoria lapsus videtur, quia neque verbis Euodij citatis à Nicephoro, neque Clementi Alexandrino multis sæculis anteriori cohæret, & plures rationes supperunt eximendi Virginem, quàm Apostolos, quæ electionis prærogatiua & gratiæ, totius electæ creaturæ culmen superauit, & à peccato fuit præseruata; sic etiam congruum fuit, vt remedio per se ordinato ad remissionem peccati, eiúsque præcepto eximeretur (quamuis etiam sine præiudicio suæ puritatis baptizari potuit, vt infrà, responsione ad vltimum, dicetur) quam congruentiam insinuat Augustinus *tract.5. in Ioannem*, cur Christus solo Baptismo Ioannis fuit baptizatus? quia neque hoc ipso indiguit.

*Congruentia specialis pro Virgine militat.*

Augustinus.

12 *Ratio exemptionis sustinetur.*

Rationem autem huius exemptionis Virginis à Baptismo subdit Doctor: *Quia*, inquit, *habuit in conceptione filij sui illam plenitudinem gratiæ, ad quam Deus disposuit illam peruenire*, &c. Hanc sententiam, quam sub dubio proponit Doctor, tenuit Alensis *3. parte quæst.9.m.3.art.2.§.2.* tam in argumento in oppositum, quàm in corpore, vbi dicit recepisse plenitudinem gratiæ in Conceptione filij, eámque fuisse in statu perfectæ gratiæ, vt intelligit gratiæ in termino, vnde in responsione ad primum dicit, *Non posse peccare*, inquit, *non solum pertinet ad statum gloriæ, sed etiam ad statum perfectæ gratiæ, sicut est in sancto homine perseuerante finaliter, qui moritur cum perseuerantia in bono, non habet potentiam peccandi, scilicet in vltimo instanti, non tamen est in statu gloriæ, sed est in statu plenæ gratiæ, quia perseuerantia est finalis status plenæ gratiæ: cùm ergo Beata Virgo post sanctificationem secundam (id est, in Conceptione filij) esset in statu plenæ gratiæ, vnde dixit Angelus: Aue gratia plena, patet quòd non habuit potentiam ad peccandum.*

Alensis. *Virginem in Conceptione Filij peruenisse ad terminum gratiæ.*

Ex quibus patet intelligere statum plenæ gratiæ, illum, qui est in termino suæ intensionis; quod dixerim propter aliquos, qui eum aliter interpretantur. Loquitur etiam de gratia habituali, vt patet; quia dicit minimam gratiam sufficere ad delendum mortale: videatur §. *sequenti*. Et hæc sententia videtur D.Thomæ *3.part.quæst.27.art.5.* cuius titulus est: *Vtrum Beata Virgo per huiusmodi sanctificationem adepta fuerit plenitudinem omnium gratiarum?* &c. vbi intendit de gratiis infusis per modum habitus, vt patet responsione ad 3. negans eam recepisse sapientiam quoad vsum docendi. In argumento autem ad affirmatiuam partem, eam probat ex verbis Angeli Lucæ 1. & verbis Hieronymi *serm. de Assumptione*, qui dicit aliis per partes datam fuisse gratiam, Mariæ infusam totam plenitudinem. Probat in corpore, quia illa magis propinqua erat filio, principio gratiæ, quãdo eum concepit in vtero: & responsione ad 1. dicit recepisse, in illa sanctificatione secunda, plenitudinem gratiæ, vt esset propinquissima authori gratiæ: & responsione ad 3. explicat diuersos gradus perfectionis formæ naturalis: verbi gratiâ, caloris, qui vt est dispositio antecedens formam ignis est remissior, vt consequenter est in intenso gradu perfectionis, vt est in centro, & cùm iungitur fini consummatur. Sic Beata Virgo in prima sanctificatione se habuit vt disposita, quo esset mater Dei, in secunda verò fuit perfectio gratiæ, sicut caloris qui consequitur ignem, ex præsentia filij Dei in vtero incarnati. Item *in 3. dist.3.quæst.1.art.2. quæstiuncula 3.* dicit fuisse consummatam gratiam eius quantùm ad statum viæ, in secunda sanctificatione; ideò necessitatam fuisse ad non peccandum ampliùs. Loquitur ergo S.Thomas non solùm secundùm prærogatiuas gratiæ, sed secundùm intensionem, & terminum: neque etiam ipsa prærogatiua, per quam ex plenitudine gratiæ constituta est in tali perfectione, vt necessitaretur ad non peccãdum, etiam venialiter

D.Thom.

*Cur data plenitudo.*

*Similitudo opposita.*

intelligi potest sine intensione gratiæ, ad quam spectat ratio D. Thomæ de propinquitate matris ad Christum authorem gratiæ; & similitudo adducta de forma caloris, & applicatio eius ad gratiam Virginis. Videatur etiam D. Bonauentura *in 3. dist. 13. quæst. 3.*

14 *Ratio D. Thomæ optimè deducitur, & explicatur.*

Ratio autem D. Thomæ præmissa satis congruè probat illam sententiam, propter propinquitatem eius ad Christum authorem gratiæ, dum illum concepit de Spiritu sancto, qui sicut disposuit corpus virginale, vt eum conciperet carne, sic etiam eius mentem, vt eum conciperet in Spiritu, iuxta illud: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud*, &c. Et rectè probatur antecedens ab eadem authoritate Dionysij, quia Spiritus Angelici, quo magis accedunt ad Deum, eò magis participant perfectionem: & similiter Ecclesia, quo propinquior erat Christo, vt ij qui habebant primitias Spiritus, eò magis perfecta fuit. Item, nullum statum in via perfectiorem habuit Virgo, quàm sit ille, in quo facta est mater Dei, concipiens de Spiritu sancto: decuit ergo eam tunc dignificaram fuisse summâ gratiâ ipsi destinatâ.

*Accessus ad Deū perfisit.*

*Status vita in Virgine perfectissimus fuit in Conceptione Filij.*

Accedunt ad hoc authoritates sanctorum Patrum, qui causam tantæ gratiæ in ipsa assignant conceptionem filij Dei, quia, vt dicit Bernardus *hom. 3. super Missus est*: *Leginus*, inquit, *in Actis Apostolorum, & Stephanum plenum gratiâ, & Apostolos fuisse repletos Spiritu sancto: sed longè dissimiliter à Maria, nec in Stephano habitauit plenitudo diuinitatis corporaliter, quemadmodum in Maria, nec Apostoli conceperunt de Spiritu sancto, quamodo Maria*, &c. Vnde serm. 61. de Virgine: *Quòd fœmina*, inquit, *conciperet Deum, est, & fuit miraculum miraculorum*, &c. Proposuit nempe non fuisse mirum, vt Deus Pater generaret filium, quia nulla requirebatur dispositio, cùm ei ex natura conueniret, sed quòd fœmina conciperet Deum, fuisse miraculum miraculorum, &c. & subdit dispositionem ad hoc necessariam: *Oportuit enim*, inquit, *vt sic dicam, fœminam eleuari ad quandam quasi æqualitatem diuinam, per quandam infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam creatura nunquam experta est. Vnde (vt credo) ad illam abyssum imperscrutabilium charismatum Spiritus sancti, quæ in Beatam Virginem descenderunt in hora diuina Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerant attingere*, &c. Videantur expositores in Lucæ 1. super illa, *gratiâ plena*, & in opusculis, & sermonibus de Deipara. Quinimò nullam agnoscit Ecclesia maiorem prærogatiuam in Virgine, quàm concepisse de Spiritu sancto filium Dei: congruit ergo, vt in eo statu, & gradu perfectionis eum conciperet, quem nullus alius in via, & vita mortali eius, excederet, vt in illis verbis insinuat Bernard.

Bernardus.

*Abundantia gratiæ virginalis.*

15 *Quid meruerit esse mater Dei.*

Vnde qui dicunt eam meruisse, vt fieret mater Dei, vel certè eum sanctitatis gradum attigisse, qui dignus hoc priuilegio fuit, non debent plurimùm ab hac sententia abhorrere, cùm, omnium consensu, dispositio necessaria ad hoc fuerit sanctitas, & eminentia gratiæ ex parte Virginis: & ipsa prærogatiua conceptionis exigebat eam sanctitatem, quæ maxima posset esse in statu viæ, & pura creatura: & omnis sanctificatio Virginis à Deo facta, & priuilegia ad hunc finem ordinabantur: sanctificatio ergo Virginis, & sanctitas per gratiam collata fuerunt medium disponens ex parte Virginis, sed dispositio, & medium tunc maximè est perfectum, quando fini coniungitur

*Medium coniunctum fini est in perfecto statu.*

in effectu, quia tunc est in actu, & quiete, non in motu: ergo talis fuit gratia Virginis in Conceptione Filij, vt fuerit in termino suæ perfectionis.

Et hoc est, quod intendunt citati Doctores, per illum effectum secundæ sanctificationis, quo dicunt eam constitutam esse in ea gratiæ plenitudine, vt necessitaretur ad non peccandum leuiter, qui est summus gradus perfectionis in viatore, participans impeccabilitatem patriæ, quantum communicari potest puro viatori: ad hæc causæ efficaces applicatæ fuerunt, nempe Spiritus sanctus, ex quo concepit Filiū, & ipse Filius cōceptus, per quas suppleri potuit omnis efficacia causæ inferioris, vt meriti. Si ergo Sacramēta applicata producunt effectum gratiæ, qui aliàs haberi posset per meritum, & eò perfectiùs causant, quò perfectiorem in seipsis virtutem continent passionis, & meritorum Christi, quàm meritum contineat; rectè ergo in proposito licet à fortiori argumentari, quia perfectior fuit coniunctio Christi (vt benè D. Thomas) cum Beata Virgine in Conceptione sua, quàm eiusdem mediante Sacramento recipientis ipsum Sacramentum, quia hæc est mediante signo tantùm, illa verò per participationem naturæ: ergo à fortiori magis applicatum in esse causæ ad causandum sanctitatem; quàm sit meritum quod consistit in actu. Corroborari potest duobus exemplis, quia Christus in vtero matris sanctificauit Baptistam per salutationem Matris, & repletus est Spiritu sancto: ergo à fortiori magis fuit coniunctus ipsi Virgini, ad effectum sanctificationis, vt supponunt omnes Patres. Secundum exemplum est de Eucharistia, quæ cæteris Sacramentis perfectionę gratiæ præfertur, quia ipsum Christum authorem gratiæ in se realiter continet.

*Causa efficax applicata.*

*Perfectior cōiunctio Christi cum Matre in natura, quàm per Sacramentum cum viatore.*

Præterea, hæc sententia non minuit dignitatem Virginis, sed magis auget, quia sicut non est contra dignitatem naturæ assumptæ, vt intuitu vnionis, & assumptionis eius, fuerit ipsi concessa gratia in summa perfectione, tanquam dispositio consequens vnionem, ita etiam ex assumptione Virginis in Matrem Dei non minuit eius dignitatem, sic recipere gratiam, quæ ipsi destinata est, tanquam dispositionem antecedentem, & concomitantem ipsam Conceptionem, imò auget, quia ex altiori titulo maternitatis ipsi collata fuit, quàm si per propria merita de communi lege eam reciperet.

16 *Non minuit hæc sententia dignitatem Virginis.*

*Altior titulus collatæ gratiæ supra legem.*

Dignificat ipsam gratiam, neque minuit efficaciam meriti virginalis, quantùm est de se, vt patet in meritis Christi Domini, quæ de se quidem poterant habere valorem, vt mererentur gratiam sanctificantem, seu habitualem (nisi quia iam fuerunt præuenta) si Deus ita vellet, sicut meruerunt gloriam corporis, & exaltationem nominis: quia hæc subsecuta sunt opera Christi, ac perinde poterant cadere sub meritum eius, gratia autem tota præcessit, idcóque non poterat cadere sub meritum, quia erant principium meriti.

*Dignificat gratiam, & merita.*

*Merita Christi.*

Exemplum sit in Sacramentis, verbi gratiâ *Baptismo*, qui natus est dare primam iustificationem, & gratiam de lege quantum est de se, nec minuit eius efficaciam, si præueniatur ab alia causa superiori, vt careat effectu huiusmodi in subiecto particulari, ex conditione & statu subiecti, non defectu efficaciæ Sacramenti. Et si dicas saltem dare augmentum gratiæ. Respondetur nihil referre, quia id tantùm dat ei, qui non est in termino

*Exemplū de Baptismo.*

*Efficacia Sacramenti.*

mino, quantùm ad gratiam destinatam; vnde de ratione Sacramenti est tantùm, vt significet gratiam in *fieri*, vel in *facto esse*; non autem semper in *fieri*, vt benè D. Thomas, & Doctor in loco infrà citando. Vnde Eucharistia sumpta à Christo Domino, sumpta est sacramentaliter, non tamen ei contulit augmentum illum gratiæ sanctificantis; neque ex hoc erat signum falsum; sed meritum non est magis secundùm legem, & voluntatem diuinam ordinatum ad causandam gratiam, seu eius augmentum, quàm Sacramentum Eucharistiæ: ergo, &c.

17

*Non derogatur meritis Virginis.*

Vltimò tandem, vt propiùs attingamus fundamentum aduersæ partis, non destruit meritum in Beata Virgine, quòd non fuerit causa gratiæ sanctificantis, post Filij conceptionem: ergo ex hoc malè infertur contrarium. Probatur antecedens, quia iustitia operum est longè diuersa à iustitia sanctificante per modum habitus, & per se requiritur ad eam in adulto, *Si vis ingredi ad vitam, serua mandata*, *Matthæi* 19. imò hæc magis per se exigitur præscriptum legis, in quibus exercitium nostri consensus, & arbitrij habetur, & subiectio ad legem Dei, quàm augmentum iustitiæ sanctificantis. Vnde & opera requiruntur magis per se ad gloriam in adulto, vt conferatur per modum coronæ, cui alioquin non datur nisi vt corona regulariter, quàm exigatur augmentum iustitiæ habitualis, quod potiùs habet rationem præmij, & ponitur ex parte Dei, neque immediatè cadit sub legem sicut opera, & gloria, quæ est præmium consummatum. Et aliquando est necessitas operis, cui nihil accrescit iustitiæ sanctificanti in via, vt ex sententia Doctorum de natura, & conditione meriti (quam si attenderent moderni, non tam rigidè hanc, quàm hactenus tractamus, censerent) probare libet.

*Finis primarius meriti.*

18

*Actus remissior, aut æqualis gratiæ, ipsam non auget.*

In primis non augeri gratiam, aut gloriam essentialem, per actus æquales, aut remissiores (in quibus tamen saluatur obseruatio legis, & necessitas operandi occurrente præcepto) quàm sit habitus præcedens: est plurium Magistrorum sententia, neque his mereri augmentum nouum gratiæ in via, aut gratiæ & gloriæ in patria, nisi, ad summum, gaudium aliquod accidentale de bono opere præterito, & perpetuitas præmij. Quibus dicunt vlteriùs correspondere præmium essentiale gratiæ & gloriæ, non nouum, vt dixi, sed antiquum, quod prioribus promeritum est: nam idem præmium pluribus meritis correspondere potest, sicut gratiæ habituali gloria per modum hæreditatis, & vltimæ dispositioni correspondet vt merces; exaltatio nominis Christi ratione vnionis hypostaticæ, & ratione meritorum: ita D. Thomas *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *art.* 3. D. Bonauentura *in* 2. *dist.* 40. *art.* 2. *quæst.* 3. Capreolus *in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 3. Conradus 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 8. videatur etiam D. Thomas 1. 2. *quæst.* 114. *art.* 8. *ad* 3. & 2. 2. *quæst.* 24. *art.* 6. Addamus & Durandum dicere *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 8. actibus remissis nos mereri augmentum gloriæ, & non gratiæ.

D. Thom.
D. Bonauent.
Capreolus.
Conradus.

19

*Applicatur prædicta sententia ad propositum.*

Hanc ergo sententiam applicando de facili inuenitur ex merito non inferri augmentum gratiæ sanctificantis semper; quamuis viatori adulto, & iusto incumbat necessitas operandi, vt seruet legem: & applicando hanc doctrinam ad Beatam Virginem, eiusque opera, post Conceptionem Filij, & plenâ gratiam in termino, diceretur, quòd meruit eandem gratiam per merita subsequentia; eámque duplici titulo habuit, nempe vt erat dispositio data ad maternitatem, & vt per opera subsequentia eam meruit, sicut præfati authores docent meritum æquale, & remissum mereri etiam præmium ex antiquo debitum, sicut per exempla adducta patet: sic etiam iustificati ex communi sententia merentur primam gloriam; quamuis aliàs correspondeat primæ gratiæ, quæ non est ex meritis: quibus fauet Tridentinum *sess.* 6. *can.* 32. Neque hoc absurdum est apud Theologos, aut Iurisperitos aliquid pluribus titulis acquiri posse.

*Mereri præmium per meritum subsequens.*

Secundò diceretur, quòd Beatissima Virgo habuit, dando consensum Incarnationi, omnia in perfectissimo gradu requisita ad meritum puræ creaturæ, & tunc assistente causâ efficaci, factam fuisse in termino suæ gratiæ sanctificantis, quæ non potuit vlteriùs augeri per aliquod meritum subsequens, quia nullum erat intensius gratiâ receptâ, vel merito, per quod illud recepit, & sic merita subsequentia erant merita respectu gloriæ tantùm: & hæc satis congruit illis sententiis, potissimùm Durandi.

*Maritij Virginis in Conceptione Filij.*

20

Ex quibus patet, hanc sententiam satis probabilem esse, applicando principia à pluribus Doctoribus satis recepta. Eam præter citatos tenet Almainus *in* 3. *dist.* 3. *quæst.* 2. *not.* 2. Eam impugnat noster Vega *lib.* 10. *in Tridentinum*, *cap.* 2. & Vasquez 3. *part. dist.* 119. *cap.* 5. quorum impugnationi respondet vltimum argumentum, concedendo meritum Beatæ Virginis, vel fuisse solius gloriæ; loquendo de eo quod habuit post Incarnationem; vel certè fuisse meritum respectu gratiæ antiquæ, neque repugnare hoc merito, neque legi, & iustitiæ, quæ est secundùm meritum, vt pluribus actibus mereatur quis idem, cui vnicus tantùm æquiualet.

*Eligatur sententia, quæ magis placet.*

Teneatur quod magis ad dignitatem Matris, & mysterij, facit, & hanc ego censeo probabiliorem, quam hactenus diffeuimus, quia magis fundata videtur in authoritate, & ratione, quam non impugnat alia ratio, quàm illa de operibus subsequentibus, vt sunt meritum, & satis est ambigua, & malè applicata: neque canon Tridentini vrget 32. vbi damnat *asserentes iustificatam per bona opera non mereri augmentum gratiæ*, &c. quia damnat hæreticos, negantes fructum iustitiæ, & mercedem bonorum operum in iusto, non intendit per quæcumque opera mereri iustum, & in omni casu augmentum gratiæ; quia sic præfata sententia Scholasticorum maneret damnata, quod non est verum: vnde Doctor *responsione ad* 2. dicit non esse frustrà post plenitudinem gratiæ, si quis eam haberet addere opera meritoria. Quod patet ex ratione præmissa, & iuxta sententiam Doctorum, quos citauimus.

*Canon Trid. non obstat.*

Doctor.

d *Ad aliud dico, quòd baptizatus Baptismo sanguinis*, &c. Hæc responsio est clara, & doctrina in ea tradita communis: quia sanctificatio, siue per martyrium, siue per fidem, recepta, non eximit à præcepto suscipiendi Baptismi Catechumenum, si potest illud commodè adimplere, cuius omissio esset contemptus, vt patet ex Augustino *lib.* 13. *de Trinitate cap.* 19. *super Leuiticum quæst.* 84. *de prædest. Sanct. cap.* 7. *lib.* 1. *de Baptismo cap.* 8. *lib.* 4. *cap.* 21. & *aliàs sæpè*. Fulgentius *de fide ad Petrum*, *cap.* 3. & alij: & patet ex iis, quæ suprà præmisimus: & Doctores passim adducunt de necessitate Sacramenti, quòd in martyre haberet effectum, vel gratiæ, vel characteris, & consignationis, &c. Responsio ad 2. patet ex dictis.

21

*Martyrium nõ tollit obligationem ad Sacramentũ si vita superest.*

Augustin.

Fulgent.

Tertium

*In quo consistit veritas formæ.*

Tertium argumentum petit exponi, in quo consistat veritas practica Sacramenti, & significatio formæ, quæ datur in remissionem peccatorum? & quánam ratione verificari possint, tam Baptismus, quàm forma eius practicè in iustificato, & potissimùm in Virgine, supposito quòd in Conceptione Filij peruenerit ad terminum gratiæ sanctificantis, vel crescere in ea ampliùs non

*Ratio difficultatis.*

possit, saltem in via: supposito etiam quòd nullum habuit peccatum, vel originale, vel actuale, quomodo erat capax Baptismi, qui datur in remissionem peccatorum? Quam difficultatem mouet Doctor in obiectione ad calcem. Respondet autem ad primum de effectu gratiæ, quòd Sacramentum significet semper, vel in *fieri*, vel in *facto esse*.

*Soluitur.*

*D. Thom.*

Sic respondet D. Thomas *in 1. dist. 17. 2. part, dist. resp. ad vltimum* in simili; estque vera resolutio Doctorum, quia significare per Sacramentum est causare: perinde ergo valet prædicta distinctio, quando Sacramentum, vel causat effectum, & sic significat in *fieri*, vel supponit causatum ab alia causa præueniente Sacramentum effectum suum, quem in virtute continet, & sic quantum est de se causaret, nisi iam ipsum præsupponeret; & hoc est causare in *facto esse*, id est, supponere causatum, quod aliàs ipsum Sacramentum natum esset causare, si subiectum esset in potentia.

*Quid sit causare in fieri.*

*Quid in facto esse causare?*

22

*Eadem distinctio applicatur remissioni peccati.*

Ad aliud quod obiicitur de effectu remissionis peccati, respondet similiter causari semper per Sacramentum, vel in *fieri*, vel in *facto esse*, vel in *fiendo*, hoc est, in *fore*, si aliquid ibi esset remittendum in *fieri* causat remissionem quoad infantes, & eos qui habent peccatum, si sint adulti, & accedant ad Sacramentum cum attritione: in *facto esse* causat in iis, quibus inest peccatum, sed præuenti sunt per aliud remedium ante susceptum Baptismum: in *fiendo*, aut *fore*, refertur ad solam Virginem, in qua nullum fuit peccatum.

*Differentia secundi & tertij modi dandi gratiã.*

Vterque hic modus denotat virtutem Sacramenti, quantum est de se, ad remissionem peccati, sed differentia solùm est in hoc, quòd secundus modus in ordine denotat actualem remissionem factam fuisse; tertius verò non supponat actualem remissionem peccati, quia non inest, sed solùm potentiam Sacramenti ad hunc effectum, si peccatum fuisset incursum. Priori modo subiectum recepit primam gratiam per modum iustificationis per translationem subiecti, aut personæ ab eo statu, in quo natus est homo filius Adami ad statum adoptionis filiorum Dei, per veram renouationem à peccato per gratiam, & sic indigentiam Baptismi ratione peccati incursi, aut alterius remedij æquialentis. Sed alius modus non admittit primam gratiam datam esse per modum iustificantis, aut remissionis, sed solùm per modum sanctificantis, & præuenientis peccatum, quod aliàs inesset, nisi præueniretur per gratiam.

23

*Impugnatur tertius modus.*

Vt autem hæc doctrina, & solutio, magis declaretur, obiicitur (omissis Scripturis allegatis suprà) Concilium Constantinopolitanum: *Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum*, &c. Mileuitanum can. 2. *Item placuit, vt quicunque paruulos recentes ab vteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adamo trahere originalis peccati, quod regenerationis lauacro expietur: vnde fit consequens, vt in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non verè, sed falsè intelligatur, anathema sit*, &c. *Propter hanc enim fidei regulam, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in seipsis adhuc committere potuerunt, ideò in peccatorum remissionem veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt*, &c. Hìc idem canon resumptus est à Conciliis Africanis, & Tridentino *sess. 5. de peccato originali, can. 4.* habetur, *cap. Placuit, de consecrat. dist. 4.* ergo forma Baptismi, tunc est vera, cùm causat quod significat; vel tunc datur in remissionem peccatorum, quando supponit peccatum, vel quod inest, vel quod infuit: ergo non potuit dari veraciter Beatæ Virgini, nisi ex suppositione peccati, non actualis, quod nunquam admisit: ergo originalis, alioquin non habet forma veram significationem remissionis peccati in re, aut in voto.

24

*Confirmatio.*

Confirmatur, Pœnitentia non magis respicit peccatum actuale post Baptismum commissum, quàm Baptismus peccatum originale, aut actuale antea commissum; alioquin consequentia Concilij non valeret in paruulis: nam ex eo quòd non habeant actuale, infert ad veritatem formæ in ipsis requiri originale: sed pœnitentia ita respicit peccatum post Baptismum, vt non possit ministrari, nisi respectiuè ad ipsum, neque absolui, nisi qui sic fuit peccator: ergo neque Baptismus dari, aut forma eius verificari, nisi respectiuè ad peccatum, quod infuit: vtrumque enim ex fine intrinseco institutum est ad remissionem peccati; alterum per modum regenerationis; alterum per modum reconciliationis: vtrumque appellatur tabula, quâ saluamur à naufragio. Baptismus 1. Petri 3. *Quod & vos similis formæ saluos fecit Baptisma*, &c. Origenes *hom. 2. in 6. cap. Geneseos*. Augustinus *lib. 12. contra Faustum, cap. 14. 15. 38. 39. & lib. 19. cap. 12.* Gregorius *hom. 12. in Ezech.* Hieronymus *lib. 1. contra Iouinianum, & epist. 57.* Pœnitentia verò secunda tabula *dist. 1. de pœnitentia, can. secunda tabula.* Idem *epist. ad Demetriadem, & alia ad Sabinianum, & lib. 2. in Isaiam. cap. 3.* Scholastici *in 4. dist. 14. & 3. part. quæst. 83. art. 6.* Vtrique etiam æquè competit necessitas medij & præcepti, quâ ordinantur ad peccatum. Si ergo forma Pœnitentiæ non potuit esse vera in Beata Virgine, quia non habuit actuale, etiam veniale, vt tenet Ecclesia, Tridentin. *sess. 6. can. 23.* ita etiam neque Baptismi forma vera fuit, nisi ex suppositione originalis.

*Comparatio Baptismi, & Pœnitẽtiæ in ordine ad peccatum.*

Origenes. Augustinus. Gregor. Hieron.

Hæc difficultas tangit plura, quæ breuiter tangùm hìc tractare licet, vt ex fidei regulis verum formæ baptismalis sensum eliciamus, qui est ille, quem paucis verbis attigit Doctor in responsione præmissa in textu ad calcem quæstionis. Ne autem videatur libera, & sine fundamento probatur per sequentes conclusiones.

*Solutio Doctoris probatur sequentibus.*

25

*Conclusio. Hæreticorum Baptismus verax, sine remissione peccati.*

Prima conclusio: *Non est de veritate formæ baptismalis, vt vllum peccatum, siue originale, siue actuale, quod inest, remittat in determinata subiecti dispositione, & statu; quamuis validè conferatur Baptismus, & consequenter forma eius practicè verificetur.* Hæc conclusio est de fide, & probatur ex illa veritate sæpè determinata ab Ecclesia, contra antiquum errorem, nempe Baptismum ab hæreticis collatum etiam adulto, esse validum, quamuis illum receperit in hæresi seruatâ formâ, & materiâ, & intentione requisitis. In his tamen quoad adultos professores hæresis, non significabat actu remissionem peccatorum: ergo non est ille sensus verus formæ, & necessariò requisitus. Antecedens patet ex determinatione Stephani Papæ, contra Cyprianum: ex Nicæno *can. 19.* & aliis, quos infrà

suo

fuo loco citabimus. Minor & conſequentia probantur,quæ etiam ſunt de fide,quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo,ad Hebræos* 11.ergo & ſanctificari adultum. *Iuſtus ex fide viuit*, &c. *Eſt initium, & fundamentum iuſtificationis*,Trident.ſeſſ.6.cap.8. & cap.7. *Primò diſponit ad ipſam, requiritur vt inſit ſicut oportet, & per Dei gratiam*, can.3. *ſine ea nihil eſt ſanctum.* Leo Papa *ſerm.4. de Natiuitate*, & alij omnes, qui neceſſitatem fidei declarant in adulto.

Trident.

Leo Papa.

26 Secundò patet ex alia veritate fidei, quæ eiuſdem eſt certitudinis: adiunctis rationibus Patrum pro eadem, hæc autem eſt: Baptiſmus ritè collatus nequit iterari, *can.17. aliàs 16. Apoſtolorum.*Florentinum *in Decreto vnionis*,Tridentinum *ſeſſ.7. de Sacramentis in genere*, *can.9.de Baptiſmo*, *can.*11.Clemens Romanus *lib.6. Conſtitut.cap.15.* Cyprianus *lib.2.epiſtolarum,epiſt.3.aliàs 63.ad Cæcilium.* Quòd autem fuerit in illo errore, quòd putauit apud hæreticos, & ſchiſmaticos non eſſe Baptiſmum, proceſſit ex eo quòd putârit, neque fidem, neque charitatem eſſe apud hæreticos, quod verum eſt,neque conſequenter remiſſionem peccatorum, quod æquè verum eſt, reſpectiuè ad adultos in hæreſi, & ſchiſmate perſeuerantes, de quibus loquimur: ex alia autem parte non poſſe ſine his Baptiſmum eſſe validum.

*Secũda ratio. Baptiſmus nequit iterari.*

Trident.

Clem. Rom. Cyprianus.

*Error Cypriani.*

Auguſtin. *Hac ratione* (inquit Auguſtinus lib.4.de Baptiſmo cap.6.)*quæ illi veræ viſæ ſunt in obſcuriſſima quæſtione laboranti, & de remiſſione peccatorum fluctuanti, vtrùm in Baptiſmo Chriſti poſſit non fieri, & vtrùm apud hæreticos poſſit fieri*, &c. ſupple remiſſio peccatorum: & lib.6. cap.1. ideò dicit eum erraſſe, *quia non diſtinguebat Sacramentum ab effectu, vel vſu Sacramenti*, &c. De hac agemus cum ſuis fundamentis & rationibus, vnde probetur Baptiſmus validus in hæreticis, & ſchiſmaticis, in quibus non habet effectum remiſſionis peccati infrà *diſt.6.*

*Baptiſmus dubius iterandus.* Huc etiam ſpectat veritas de Baptiſmo dubio ſub conditione iterando, & in iis,in quibus nulla eſt memoria Baptiſmi ſuſcepti,aut veſtigium, in epiſt.Leon.37.*aliàs* 35. *ad Leonem Rauennatem*, in Carthaginen. V. *cap.6.* Concilio Africano ſub Bonifacio *cap.*39.VVormatien.*cap.*70.& refertur *de conſecrat.cap.4.Placuit.*Item caſus de ficto baptizato, quem ſuprà tractauimus. Sed his omnibus ritè confertur Baptiſmus, quamuis in iis non habeat remiſſionem peccatorum: ergo remittere peccata,quæ etiam inſunt,non exigitur ad veram, & practicam ſignificationem formæ Baptiſmi; aliàs eſſet ſignum falſum, neque conſisteret Sacramentum.

Leo. Carthagin. VVormat.

*Fictus validè baptizatur.*

27 Ratio autem huius eſt, quia ad veritatem Sacramenti non exigitur niſi materia, & intentio miniſtri, & conſenſus adulti. Primum patet ex Florentino, & Tridentino *ſeſſ.7.de Sacram. in genere,can.4.* ſecundum verò ex cap.*Maiores, de Baptiſmo*, quæ ſaluantur in ordine ad eum, cui nullum peccatum remittitur: ad veritatem autem Sacramenti nihil aliud requiritur, eſt enim ſignum de ſe efficax,ex Trident. *ſeſſ.7. de Sacram.in genere,can.2.& 6.* & ex Florentino.

*Ratio dictorũ.*

*Quid requiritur ad efficaciã cauſæ.* Ad ſaluandam autem efficaciam cauſæ moralis,& naturalis, non exigitur vt in quocunque ſubiecto, qualitercunque diſpoſito habeat quemlibet effectum ſuum; ſufficit enim vt habeat aliquam ex pluribus, cuius capax eſt ſubiectum, vt in præſenti materia characterem,vel gratiam, vel ingreſſum in Eccleſiam, apertionem ianuæ: & perinde hoc probari poteſt in aliis Sacramentis, quidquid ſit de Pœnitentia, & cum hac clauſula Tridentinum loco citato *can.6. & 7.* aſſerens Sacramenta de *ſe continere gratiam,quam ſignificant,& non ponentibus obicem conferre, quantùm eſt ex parte Dei*: & hoc patet in omnibus ea validè conferri non obſtante obice alicuius ſui effectus, quin etiam pœnitentia ex opinione D. Thomæ *in 4. diſt.17.quæſt.3. art.4. quæſtiuncula prima*, datur informis, & valida, quem plures authores ſequuntur: & ij qui docent Sacramenta omnia cauſare vel characterem, vel aliquem ornatum, ſaluant per hoc veritatem formæ, & materiæ in ſignificando.

*Opinio frequens.*

*Concluſio probata & intenta.* Ex quibus colligitur Baptiſmum in Virgine, quoad veritatem ſignificationis ſaluari in his effectibus; quamuis in ea non habuerit remiſſionem peccati; nam eadem eſt ratio, & idem fundamentum: nam magis eſt contra veritatem formæ baptiſmalis non ſignificare remiſſionem, vel eam non dari in remiſsionem peccatorum, quæ inſunt, quàm eam non dari in remiſsionem, quando nullum peccatum ineſt: ergo non fuiſſe remiſſum in ipſa aliquod peccatum in *fieri*:vt reſpondet Doctor,quando fuit baptizata,non tollit veritatem formæ baptiſmalis.

28 Secunda concluſio: *Ad veritatem formæ Baptiſmi in omni ſubiecto non requiritur, vt peccatum aliquod ei inſit,quando verificatur ipſa forma.*Hæc etiam loquendo de peccato ſimpliciter, quod excludit à vita æterna,quale eſt originale,& actuale,eſt de fide, & ne diffundamur, probatio eius peruia eſt ex iis,quæ Scriptura, Patres, Concilia, & omnes Doctores tradunt de efficacia fidei operantis per charitatem,de efficacia etiam ipſius charitatis, & pœnitentiæ perfectæ, quæ dicitur contritio, non eſt quòd ex multis pauca proferamus. Patet etiam ex iis,quæ de Baptiſmo flaminis,eiúſque efficacia traditur ex Patribus *Actorum* 10. Ex his duabus concluſionibus colligitur, non eſſe de veritate formæ Baptiſmi, vt peccatum quod ineſt remittatur,neque quòd peccatum remiſſum ſit per ipſum Sacramentum in re, licèt cum voto eius remittatur.

*Secunda concluſio. Non requiri peccatum in eſſe quãdo verificatur forma.*

29 Tertia concluſio: *Non eſt de veritate formæ Baptiſmi, vt peccatum originale, & actuale in voto eius remittantur, aut cum ſubordinatione ad Sacramentum.* Hæc etiam eſt de fide: quia forma Baptiſmi fuit verificata in circumciſis, qui conuerſi ſunt ad prædicationem Chriſti, & Apoſtoli iuxta communiorem ſententiam ſcholæ,& alij, in quibus antea Circumciſio remedium legis naturæ, fides,charitas, & pœnitentia habuerunt effectum remiſsionis peccati,vt in Magdalena, & Latrone ſine ſubordinatione ad Baptiſmum ante mortem ſaltem Chriſti, quo tempore non habuit neceſsitatem medij,aut præcepti, vel etiam ante inſtitutionem Baptiſmi, quando remedia de lege currebant contra peccatum,& ſine vlla ſubordinatione ad Baptiſmum:valebant ergo ſine voto Baptiſmi. Exemplum ſit in iis, qui conuerſi ſunt ad prædicationem Ioannis Baptiſtæ, & pœnituit eos de peccatis,vel in Nathanaële,qui laudatus eſt verus Iſraëlita, in quo non fuit dolus;in Ioanne Baptiſta ſanctificato in vtero.

*Tertia concluſio, Non eſſe de ratione Baptiſmi, vt peccatum in voto eius remittatur, ſemper.*

*Sanctificati in vtero.*

Demus etiam iam aliquos ſanctificatos in vtero, quod non repugnat; & ex Legendis Sanctorum aſſerunt quidam, vt probabile aliquos tales fuiſſe poſt promulgationem Euangelij, & neceſſitatem Baptiſmi, quibus collatus mox Baptiſmus,

ſmus, neque in re, neque in voto remiſit aliquod peccatum: non in re, quia iam ſanctificati ſunt ex priuilegio, & ſupra legem: non in voto, quia votum Sacramenti nequit haberi niſi per actum proprium, qui non poteſt eſſe in infante, vt ſupponit canon ad oppoſitum citatus contra Pelagianos, aſſerentes infantes baptizari in remiſſionem peccati, non originalis, ſed actualis, & propria voluntate commiſſi, de quibus ſuprà egimus de Baptiſmo infantum *quæſt.* 1. hi tamen comprehenderentur præcepto Baptiſmi, ſicut Apoſtoli, & Iudæi circumciſi, comprehenſi ſunt. Comprehendit enim lex tam iuſtos, quàm iniuſtos, tam Gentiles, quàm Iudæos: quod non eſſet verum, ſi ad veritatem formæ eius requireretur in ſingulis ordo Baptiſmi ad peccatum in effectu, vel in re, vel in voto: vt patet in caſibus expreſſis.

*Comprehenduntur præcepto Bapt.*

30 Confirmari poteſt primò ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 1. & 4. vbi declarat neceſsitatem, & efficaciam pœnitentiæ ad remiſsionem actualis mortalis ante Baptiſmum inſtitutum, quo tempore nullam habuit ſubordinationem ad Baptiſmum remiſsio peccati: ſic tamen iuſtificati tenebantur ad Baptiſmum promulgatâ lege, vt communis ſententia ſupponit.

*Alius caſus.* Item, ſupponamus aliquem Catechumenum raptum ad martyrium, & qui ſit in peccato, neque recordetur in illo agone, Sacramenti, aut peccati, habeat tamen diſpoſitionem, quæcunque illa ſit, ad paſsionem pro Chriſto, & recipiat vulnus lethale, quamuis pro tunc ſtatim non expiret, ſed poſtea ex ipſo vulnere expiret, recipit gratiam martyrij, vt benè noſter Vega *lib. 6. in Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 37.* quem ſequitur Suarez, vt infrà videbimus, de Baptiſmo ſanguinis, tenetur talis ad Baptiſmum, ſi occaſio datur, in quo Baptiſmus ſuſceptus non remittit peccatum in re, aut aliàs in voto, ſed gratiam & remiſsionem accipit per martyrium, quod nullo modo ſubordinatur Baptiſmo, cùm ſit vltimus actus tranſeuntis ex vita de lege ordinaria, & remittat culpam, & omnem pœnam; ex Auguſtino *tract. 84. in Ioan.* Tertulliano *in Apologet. in fine*, Clemente Romano *lib. 5. conſtitut. cap. 7.* Cypriano epiſt. 73. vbi æquat martyrium Baptiſmo. Videatur etiam Auguſtinus *lib. 3. de ciuit. cap. 7.* & communis Patrum, qui de neceſsitate Baptiſmi agentes ad ingreſſum regni cœlorum, excipiunt caſum confeſsionis Chriſti, per effuſionem ſanguinis.

Vega. Suarez.

*Martyrium non ſubordinatur Bapt.*

Auguſtinus. Tertull. Clemens. Cyprian.

*Martyrium dat gratiam in termino.* Quin etiam martyrium natum eſt de lege ordinaria dare gratiam in termino, ad quem deſtinata eſt perſona, vt ex ratione præmiſſa patet. In eo ergo caſu Baptiſmus non daretur Martyri in remiſsionem peccatorum, ſed in conſignationem, vel certè ad alios effectus implendæ legis, & gratiæ, ſi daretur, aut eſſet capax, & ingreſſum regni. Diceretur fortè Baptiſmum habere in voto implicito, ratione fidei, & charitatis, quâ pro Chriſto patitur. Contrà, de voto implicito non loquuntur Patres, aut Concilia, & quidquid ſit de hoc, ne de caſu diſputemus; patet veritas concluſionis propoſita ex aliis præmiſsis; ac proinde ſtat hunc effectum remiſsionis peccati in re, aut voto, non exigi ad veritatem formæ baptiſmalis; ſed remiſsio peccati nequit fieri per Baptiſmum in effectu, niſi in re, vel voto, vt ſupponit Tridentin. *ſeſſ. 6. cap. 4.* ergo formæ veritas, quæ ſubſiſtit in caſibus præmiſsis, non dependet à remiſsione peccati in effectu, ſiue in re, ſiue in voto: & quia non ſolùm reſponderi poteſt, quod ſaltem veritas eius ſupponit fuiſſe: ſit

*Baptiſmus cauſat tantùm in re, aut voto.*

Quarta concluſio: *Ad veritatem formæ baptiſmalis non requiritur, neque connotatur peccatum fuiſſe.* Hæc concluſio eſt contra dictam reſponſionem, neque minùs certa eſt ex dictis. Probatur, ſupponendo duplicem ſignificationem formæ, quarum altera eſt ſpeculatiuè, & ex inſtitutione humana: hæc autem non refertur ad peccatum tanquam ſignificatum, neque connotat peccatum eſſe, aut fuiſſe, aut remiſsionem eius in effectu, aut virtute, ſed ſolùm ablutionem corporalem, quæ etiam ex natura actionis, aut inſtitutione humana ad illum effectum non refertur, cùm ad alios fines, aut voluptatis, aut munditiei, aut ſalutis corporalis frequens ſit vſus balneorum. Altera ſignificatio eſt formæ, ex diuina inſtitutione, quæ dicitur practica, & per eam ſortitur efficaciam remiſsionis peccatorum; ſed ad veritatem huius non requiritur, vt in omni ſubiecto qualitercunque diſpoſito, denotet peccatum fuiſſe: ergo neque hoc ſpectat ad veritatem formæ, reſpectiuè ad quodcunque ſubiectum. Et probatur Minor cum conſequentia.

31 *Quarta concluſio, Non requiri peccatum fuiſſe.*

*Veritas ſpeculatiua formæ.*

*Veritas practica.*

Significatio formæ Baptiſmi hoc modo ſumpta, non eſt ſpeculatiua, ſed practica; ſicut & cuiuslibet Sacramenti nouæ legis, hæc autem eſt in cauſando effectum Sacramenti, vt docet Florentinum *in Decreto Vnionis*, diſtinguens per hoc, Sacramentum nouæ legis, à Sacramentis veteris legis. Trident. *ſeſſ. 7. de Sacram. in genere, can. 2. 4. 6. 7.* & 8. Idem ſupponit canon primus de Baptiſmo, in hoc diſtinguens Baptiſmum Chriſti à Baptiſmo Ioannis *ſeſſ. 6. can. 4.* & *7. ſeſſ. 14. cap. 1.* & *2. ſeſſ. 5.* tribus vltimis canonibus definit hanc ſignificationem conuenire Baptiſmo, quâ habet efficaciam ad remiſsionem peccati originalis.

32 *Conſiſtit in cauſando.*

In his omnibus vbi denotatur ordo Baptiſmi in ſignificando ad peccatum, dicitur in eo eſſe, vel quia cauſat gratiam, vel applicat meritum Chriſti ad ſanctificationem, vel regenerat, delet peccatum, remittit, tollit, quæ omnia nihil denotant præter efficaciam Baptiſmi in cauſando ſuum effectum. Et vt breuior ſim, nunquam aliter aſſeruerunt Concilia, Patres, aut Doctores, Baptiſmum, aut formam eius, connotare peccatum, niſi ex efficacia Sacramenti, neceſsitate ſubiecti, & ſtatu eius.

Ex hac fidei regula ſic argumentor primò; Baptiſmus non ſupponit peccatum ex modo ſignificandi, aut ipſa ſignificatione formæ, niſi quatenus virtus eius extenditur ad remiſsionem peccati, vt patet ex præmiſsis, ſed in caſu primæ, ſecundæ, & tertiæ concluſionis, nullam exercet cauſalitatem in reipſa collatum circa peccatum, quo non obſtante verificatur ſenſus formæ baptiſmalis circa ſubiectum: ergo ad eam non ſpectat ſignificare, aut connotare peccatum fuiſſe in ſubiecto, & ſi fuerit, non facit ad veritatem formæ, modò non exerceat cauſalitatem in re, aut voto, circa peccatum: ergo perinde erit forma eius vera, etiam in eo, in quo nullum fuetit peccatum, modò exerceat aliquam cauſalitatem in ipſum, talis eſt Beata Virgo, reciperet enim characterem, & ſecundùm plurium ſententiam gratiam, incorporationem in Eccleſia viſibili, adimpleret præceptum, redderetur capax aliorum Sacramentorum: ergo, &c.

33 *Formam Baptiſmi connotare peccatũ eſt illud delere in re, aut voto.*

*Eſſe verum, licèt nõ ſupponat peccatum.*

*Effectus eius in Virgine.*

Confirmatur, non eſt contra veritatem formæ *Prima cõfirm.*

non

non significare remissionem peccati in hæretico, & ficto: in quo est peccatum, & in quo forma verificatur, quamuis incapax sit huius effectus remissionis propter obicem, sed æquè, aut magis, incapax est qui nunquam habuit peccatum, vel si habuit, est iam remissum, quàm fictus, qui similiter est capax non solùm omnium effectuum, quos recipit fictus, & quorum ratione verificatur in eo forma, sed gratiæ & regni: ergo à fortiori, vera erit in eo forma Baptismi. Probatur minor, quia Deus de potentia absoluta, nequit remittere peccatum, quod non est, sed causa instrumentalis, qualis est Baptismus, non extendit suam actiuitatem vltra actiuitatem, & potentiam causæ principalis, qui est Deus, vt assistit Sacramentis, Tridentin. *sess. 6. cap. 7.*

*Magis verificari formam in Virgine, quàm in ficto.*

34 *Secunda confirmatio.*

Secundò confirmatur, non est magis de veritate practica formæ Baptismi remittere peccatum, quàm conferre gratiam, imò hoc magis cadit in veritatem formæ practicam, & efficacem, quia gratia est terminus *ad quem*, terminus autem *à quo* est peccatum, neque remittit illud, aut remissiua est peccati, nisi vt confert gratiam peccatori: terminus autem *ad quem* in physicis & moralibus magis intenditur ab agente, quia per se, terminus *à quo* per accidens. Actio autem baptismalis, vt est circa peccatum, concipitur per modum regenerationis, & iustificationis, in quibus terminus *à quo* est peccatum, vt concipitur tanquam priuatio vitæ, quæ est per iustitiam; ideóque tam Scriptura, quàm Patres hanc regenerationem explicant per renascentiam, mundationem, ablutionem, sanctificationem à peccato, in quibus omnibus peccatum connotatur vt terminus *à quo*; ipsa gratia, vt sanctificans & mundans, generans ad vitam, iustificans, vt terminus *ad quem*.

*Terminus à quo, & ad quem iustificationis.*

Et nouissimè Tridentinum *sess.... cap. 5. & 7.* in descriptione iustificationis, eiúsque explicatione sic docet: esse *translationem ab eo statu, in quo quis nascitur filius Adam, ad statum adoptionis filiorum*, &c. & loquitur de ea, quæ fit per Baptismum, vbi denotat terminum *à quo* esse peccatum, *ad quem* verò, gratiam & renouationem interioris hominis.

*Trident. idem docet.*

Et optimè Diuus Thomas *in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 1. ad 1. & quæst. 28. de veritate, art. 1. in corpore* distinguit terminum *à quo* iustificationis, in purè negatiuum formæ, quo modo inueniebatur in Angelis, & primo homine in statu integritatis, iustificatio procedens ex pura carentia formæ, ad ipsam formam. Alio modo, vt supponit contrarium, vel rigorosè negatiuum, vt est iustificatio impij, & in qua consistit actio baptismalis, quæ nullo modo imaginario connotat peccatum, nisi vt terminum *à quo*, aut significat: ergo gratia, quæ est terminus *ad quem*, magis cadit sub veritate formæ, quàm peccatum: quo supposito, sic subsumo:

D. Thom. *ad idem.*

*Non connotari peccatū, nisi vt terminum à quo.*

35 Sed de fide est, formam esse veram in ficto, vel hæretico & schismatico, quamuis non significet collationem gratiæ; nec, quod ampliùs est, remissionem vllam peccati: ergo etiam vera esse potest à fortiori, in eo, in quo significat gratiam, quamuis nullam remissionem peccati, aut ipsum peccatum connotat.

*Tertia confirmatio.*

Confirmatur, eatenus agit Baptismus ad remissionem peccati, quatenus habet efficaciam conferendæ primæ gratiæ, vt supponitur ex dictis, & patet ex Trident. sess. 5. cap. 9. *Quamuis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa vnquam fuisse peccata, nisi gratis diuina misericordia*, &c. Quomodo autem fiat, docuit cap. 7. *Quanquam enim*, inquit, *nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur; id tamen in hac impij iustificatione fit, dum eiusdem sanctissimæ passionis merito per Spiritum sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhæret*, &c. Et infrà assignans causam formalem iustificationis, & instrumentalem: *Instrumentalis item Sacramentum Baptismi*, &c. *demum vnica formalis causa est, iustitia Dei, non quâ ipse iustus est, sed quâ nos iustos facit, quâ videlicet ab eo donati renouamur*, &c. *iusti nominamur, & sumus, iustitiam in nobis recipientes*, &c. ergo quoties absoluitur forma à conferenda gratia, seu eius collatione, absoluitur etiam à connotatione, & significatione peccati, à collatione gratiæ absoluitur in ficto: ergo à remissione peccati, & eius connotatione; absoluitur etiam in iustificatis aliàs, seu quocunque modo existentibus in gratia à collatione gratiæ primæ, quæ sola habet annexam remissionem peccati, eiúsque connotationem per modum termini *à quo*: ergo etiam absoluitur à connotatione peccati, quod solùm connotat inquantum illud remittit actu per collationem gratiæ; connotat, inquam, quantùm ad *inesse* eius: ergo in Beata Virgine à fortiori absoluitur ab hac connotatione, cui probabile est nullam dedisse gratiam iuxta superiùs dicta, vel si dederit in sententia totius Ecclesiæ, & scholæ, non potuit esse prima gratia, quæ habet annexam remissionem peccati.

*Formam non cõnotare peccatum, quando non confert gratiam.*

36 *Quarta confirmatio.*

Confirmatur, & peto, quo fundamento asseritur, formam Baptismi connotare peccatum? Nullum aliud afferri potest, nisi illud solum, quo dicitur dari in remissionem peccatorũ: sed Scriptura & Patres hanc veritatem, & significationem formæ referunt ad peccatum, quod inest, & remittitur de facto virtute Sacramenti, recepti in eius remissionem; non verò referunt hunc sensum ad peccatum, quod non inest, sed fuit remissum per alia remedia, quia sic se habet, quasi nunquã inesset, quando suscipitur Baptismus: vnde remissionem eius, aliàs obtentam non referunt in efficaciam Baptismi, quâ Sacramentum est, sed in fidem, pœnitentiam, & charitatem, vel sanctificationem ex priuilegio, vt contigit in iis, qui in vtero sanctificãtur: vt patet *Actor. 10.* vbi Chrysostomus, & alij, Augustinus *lib. 4. de Baptismo, c. 15. & aliis locis suprà citatis, & prædicto c. 21. & 22.* docet ministrari Sacramentum iustificatis, vt Cornelio, non in remissionem peccatorum, sed vt coniungerentur Ecclesiæ, & ad ingressum regni cœlestis.

*Connotari tantùm peccatum, quod inest.*

Chrysost. Augustinus.

Quam veritatem communi consensu Scholastici, vt D. Thomas *in 4. dist. 18. quæst. 1. art. 3. ad secundam responsionem*, asserens neque Baptismum, neque Pœnitentiam dari in remissionem peccati sanctificatis per contritionem. Et *3. part. q. 68. art. 1. ad 3.* dicit sanctificatos in vtero recipere remissionem peccati, per Baptismum autem characterem. Videatur *quæst. 66. art. 11. & quæst. 69. art. 4. ad 2.* Alensis *4. part. quæst. 8. m. 7. art. 1. §. 6.* D. Bonauent. *in 4. dist. 6. q. 2.* vbi etiam S. Thomas *quæst. 1. art. 1. quæstiuncula 3.* vbi afferunt quòd si sanctificato in vtero daretur Baptismus in remissionem peccati, fieret contemptus, & sacrilegium,

*Non dantur sanctificatis in remissionem peccatorum.*

Alensis. D. Bonauẽr.

Richardus. dari autem ad alios effectus. Richardus *in 4. dist. 4. quæst. 3. ad 4.* noster Doctor *loco citato*, & communiter omnes. Ex quibus patet, Baptismum nullo modo connotare peccatum præsens, aut præteritum in sanctificatis.

*Si daretur in remissionem Sanctis, esset signũ falsum.*

Applicant quidam eorum rationem, quam adducunt Patres contra rebaptizantes, quæ perinde hîc concludit: quia si Baptismus daretur in remissionem peccati sanctificatis, esset signum falsum significans peccatum esse, quod non est: sicut si Baptismus daretur baptizato, esset signum falsum: quia denotaret eum non habere consignationem quam habet. Videatur Clemens Romanus *lib. 6. constitut. c. 15.* Ambrosius *lib. 2. de Sacram. cap. 2.* Basilius *lib. de Spiritu sancto, c. 15.* Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 10.* Isidorus *lib. 2. de diuinis officijs, cap. de Baptismo.* Augustinus tract. 5. in Ioannem, *Dare*, inquit, *non potes quod iam habet. sed facis negare quod habet*, &c.

Clem. Rom. Ambros. Basilius. Damasc. Isidorus. Augustin.

37 *Quinta conclusio. Formam de se continere remissionem virtute.*

Quinta conclusio: *Sensus formæ sacramentalis est vt contineat in virtute sua remissionem peccati quantùm est ex parte Sacramenti, non verò quod actu conferat cuicumque subiecto illam remissionem, si non est capax remissionis, siue ex obice, siue quia non indiget, vt cui nullum insit peccatum.* Hæc sequitur ex dictis: & probari potest ex Tridentino *sess. 7. de Sacram. in genere can. 6.* vbi definit Sacramenta nouæ legis continere gratiam, quam significant: nempe in virtute, & efficacia, quæ competit causæ efficienti instrumentali, eámque dare suscipientibus quantùm est ex parte Sacramenti, nisi obex ponatur; idem habet Canone sequenti. Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacramentis, part. 14. cap. 8.* vbi dicit formas sacramentales Baptismi, & Pœnitentiæ, *non actum, aut euentum, sed virtutem suorum effectuum significare*; quod perinde est, ac denotare virtutem, & efficaciam respectu effectus; non autem semper ipsum effectum, quia hic dependet etiam à statu, & dispositione subiecti.

Tridentinum. Hugo.

Corduba. Hinc rectè noster Corduba *lib. 1. quæstionum, quæst. 1. opinione 2. ad secundum*: sic interpretatur sensum formæ Baptismi, & Pœnitentiæ, *Do tibi Sacramentum habens virtutem deletiuam peccati, quoad culpam & pœnam æternam*, &c. *si eges*, &c. *& nisi obicem posueris.* Suarez *tom. 4. in 3. p. disp. 19.* hanc appellat communem Doctorum, quam ipse sequitur; quod rectè colligitur ex iam citatis suprà, & ex negantibus Baptismum dari in remissionem peccatorum sanctificatis. Vasquez *tom. 4. in 3. part. quæst. 91.* & quotquot specialiter cum D. Thoma dari Sacramentum Pœnitentiæ validum in formæ.

Suarez. Vasquez.

Sicut ergo Baptismus datus paruulis non habet in omnem effectum suum; nempe remissionem actualis, quia illud non est in paruulo; ita in adulto sanctificato verè forma Sacramenti, & ipsum etiam Sacramentum verificatur; quamuis non in remissionem peccati, sed ad alios effectus. Vnde manet probatum, quod suprà dicit Doctor, Sacramentum remittere peccatum aliquando in *fieri*, nempe quando inest; aliquando in *facto esse*, & in *fore* si inesset; per quæ verba nihil aliud denotat quàm virtutem Sacramenti, quantùm est ex parte ipsius.

Doctor.

38 *Cõfectio dictorum.*

Sequitur ex his in Beatissima Virgine, & immaculata ab omni peccato operis, & originis, potuisse verificari formam Sacramenti, sine vllo præiudicio suæ innocentiæ, sine vlla connotatione peccati præteriti & præsentis, quia in ea Baptismus haberet alios suos effectus, per quos subsisteret veritas practica eius: sicut fusiùs probatum est, non esse de veritate, aut efficacia Sacramenti, aut vllius causæ, aut etiam in actu secundo, vt producat omnem effectum, ad quem ordinatur ex virtute sua, in quouis subiecto quomodocumque disposito, aut non capaci.

*Perinde esse quantum ad præsentẽ difficultatẽ Virginem fuisse sanctificatam, aut præseruatam à peccato.* Sotus.

Et perinde difficultas suprà proposita vrget authores, qui asserunt Virginem fuisse à peccato sanctificatam in vtero, sicut aliàs negantes contraxisse peccatum, vt ingenuè fatetur suprà Sotus; nam, vt infrà videbimus, & iam probatum est; Canon citatus (quantùm ad vim consequentis & argumenti sumpti de veritate formæ Baptismi in infantibus, quo probet eos habere peccatum originale contractum ex primo parente; quod est intentum consequentiæ illatæ) intendit probare peccatum inesse, & non quòd tantùm fuerit nec concluderet, si aliunde deleri posset, quàm per Baptismum de lege; vnde cõsequentia Concilij nõ extenditur ad adultos; quibus alia remedia ante Baptismũ suppetunt delẽdi peccati.

39 *Vltima conclusio.*

Vltima conclusio: *Baptismus Virginis, & forma eius fuit vera practicè absque connotatione peccati, vel quod tum infuit, aut quod antea fuerit.* Hæc est conclusio principaliter intenta: & probata est in præcedentibus per argumentum à loco intrinseco; de natura, & efficacia, & significatione formæ baptismalis ex fidei, Patrum, Doctorum regulis. Eam ex abundanti probamus, ex vsu aliorum Sacramentorũ, & per medium extrinsecum.

*Argumẽtum ex Circumcisione.* Augustin.

Primò, Circumcisio fuit instituta in remedium peccati originalis; quæ est constans sententia S. Augustini *lib. 2. contra Iulianum, c. 18. lib. 5. c. 9. lib. 2. de gratia Christi, & peccato orig. cap. 30. & 32. lib. 2. de nuptijs, & concupisc. cap. 11. & 12. lib. 4. de Bapt. cap. 24. lib. 2. contra literas Petil. cap. 72. lib. 13. de Ciuit. cap. 16. lib. 16. cap. 27. epist. ad Dardanum, epist. 203. in Psalm. 75. tract. 30. in Ioann.* idem Author Hypognostici *lib. 5.* Prosper *epist. quæ est 84. inter Ambrosianas, & lib. de promissionibus Dei, 1. part. cap. 14.* omnes Patres posteriores, & Scholastici, quos suprà *dist. 1. quæst. 6.* citauimus. Sed Ieremias fuit circumcisus, in quo non habuit illum effectum Circumcisio, neque habere potuit, quia fuit sanctificatus in vtero, vt Athanasius *lib. 4. contra Arianos* docet. Ambrosius *lib. 4. de fide, cap. 4.* Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi 3.* plerique Patres & Scholastici. Ioannes Baptista eodem modo sanctificatus in vtero, vt Athanasius, Eusebius Emissenus, Cyrillus Ierosolymitanus, Cyprianus, Ambrosius, Gregorius Magnus, & Scholastici asserunt, fuit circumcisus, sine eodem effectu. Abraham similiter circumcisus sine simili effectu, *ad Romanos 4.* Saluator circumcisus fuit, *Lucæ 1.* Circumcisio autem figura fuit Baptismi, & liberationis à peccato, *ad Colossens. 2.* sicut præputium signum peccatoris, Deuteronom. 10. & 30. *Circumcidite præputium cordis vestri*, &c. ad Rom. 2. *Si autem præuaricator legis fis, circumcisio tua præputium factum est*, &c. & Philip. 3. fuit signum peccati originalis, vt docet Augustinus *lib. 6. contra Iulianum, c. 7.* esse signum peccatoris, ait Bernard. *serm. 1. & 3. de Circumcisione.* Alensis *4. p. q. 8. m. 7. art. 1. §. 6.* D. Bonauent. *in 4. dist. 1. p. 2. dist. art. 1. quæst. 2.* & communis Theologorum. Sed in Christo non habuit hanc significationem, neque habere potuit; sed alias, de quibus Epiphanius *hæresi 30.* nempe vt confirmaret legem à se datam, vt ostenderet veritatem carnis,

Author Hypognostici. Prosper.

*Ieremias circumcisus.* Athanas. Ambros. Cyrillus.

*Ioannes Baptista circũcisus.* Athanas. Eusebius. Cyrillus. Cyprian. Ambros. Gregor.

*Christus, & Abrahã circumcisi.*

*Circumcisio signum peccatoris.* Augustin. Bernard. Alensis. D. Bonau. communis Theologorum. Epiphan.

*Effectus eius in Christo.*

nis, & se esse de genere Abraham, cui promissus est, vt Iudæi non haberent excusationem: ergo similiter Baptismus potest esse verus, sine eo quòd significet peccatum in Virgine.

40 *Secundò probatur.* *Baptismus Ioannis signũ peccatoris.* Beda. Theophyl. Magister. D. Thom.

Secundò, Baptismus Ioannis in Iordane fuit signum peccatoris,& pœnitẽtiæ, *Marci 1. Matth. 3. Lucæ 3.* Beda, Theophylactus *in 1. Marci.* Magister *in 4. dist. 2.* & reliqui. D. Thomas *3. part. quæst. 37. & 38.* Sed hoc baptismate tinctus est Christus, in quo non significauit peccatum, aut pœnitentiam; nec proinde in ipso fuit falsum signum, ob alias rationes, ab his diuersas, quæ per tale Baptisma designabantur, quas colligit D.Thomas *in 4. dist. 2. q. 2. art. 3. in corpore.* Alensis *4. part. q. 6. m. 5. & m. 6. art. 1.* Glossa *in Marcum.* Augustinus *lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 11.* Vnde S. Thomas *quæstiuncula 1.* obiicit quòd Christus non potuit baptizari Ioannis Baptismo, quia erat pœnitentiæ, & designabat peccatum, quorum neutrum potuit esse in Christo; sicut etiam circumcisus fuit non in remedium peccati, sicut & alij.

D. Thom. Alensis. Glossa. Augustin.

*Tertia ratio. Christus oblatus in templo.*

Tertiò, Christus fuit in templo præsentatus, & pro eo oblatum sacrificium par turturum, aut duo pulli columbarum; quod sacrificium iubebat lex *Leuit. 12.* offerri pro peccato non patris, sed filij, siue intelligatur originale, siue immunditia legalis contracta ex vi conceptionis, aut natiuitatis sanguinolentæ, vt docet Augustinus *lib. Quæst. in Leuiticum, quæst. 40.* Beda, & Euthymius *in cap. 2. Lucæ*; & alij: sed neutrum horum contigit in Christo, quia prodiit clausо vtero, & absque secundinis, aut vlla macula, vt habet Canon 37. in Trullo, epist. Sophronij in VI. Synodo *Act. 11.* Cyprianus *serm. de Nat. Domini.* Augustinus *lib. 29. contra Faustum, cap. 3. & 4.* S. Thomas *3. part. quæst. 35. art. 6.* Hoc autem sacrificium fuit verum, & religiosum in Christo: sed non secundùm illam significationem, sed aliam approbationis & adimpletionis, & oblationis suo Patri in templo: ergo, &c.

Augustin. Beda. Euthymius. Canõ Trullanus. Sophronius. Cyprian. Augustin. D. Thom.

41 *Quarta ratio. Sumpsit Eucharistiam.* D. Thom. Hieron. Tertullian.

Quartò, Christus in vltima Cœna sumpsit Eucharistiam cum discipulis, vt Hieronymus *in epist. ad Hedibiam, quæst. 2.* & D. Thomas *3. part. quæst. 79. art. 1.* Tertullianus *lib. 4. contra Marcionem*, & alij, vt suo loco dicemus. Si ergo Circumcisio, oblatio in templo, & sacrificium, Baptismus Ioannis denotant peccata, vt significata sua primaria, quo non obstante fuerunt vera signa in Christo, sine tali significatione: eodem modo Baptismus Virginis fuit verum signum practicum, quamuis non habuerit adiunctam remissionem peccati, cuius non erat illa capax, quia aliorum effectuum eius fuit capax, & probabiliter etiam gratiæ.

Adduci ad hæc possunt aliæ rationes, iuxta satis fundata placita, & communia plurium Doctorum, vt quòd fuerit in Virgine pœnitentia virtus, quæ non minùs respicit peccatum actuale, quàm Baptismus originale ex primaria inclinatione. Item, Virginem suscepisse Extremam Vnctionem, quæ habet virtutem remittendi peccatum, & corroborandi contra finales persecutiones, vt plures asserunt cum Trident. *sess. 14.*

*Veritates elicita.*

Ex quibus omnibus, & aliàs præmissis colligo has veritates; prima, quòd *Virgo, gratia plena, & in ea confirmata non habuit peccatum originale, aut actuale, quando suscepit Baptismum.* Secunda veritas est, quòd *Baptismus non potuit dari eidem in remissionem peccati.* Tertia, quòd *Baptismus non significat, neque connotat peccatum, nisi vt datur in remissionem peccatorum.* Quarta, quòd *forma Baptismi sit vera, in eo etiam, cui non datur in remissionem peccatorum; modò saluentur aliqui alij eius effectus in ipso: ac proinde veram fuisse in Virgine, sine vllo præiudicio sua innocentia immaculatæ.*

*Responsio ad primam pro opposito.*

Ad rationem dubitandi superiùs adductam, patet ad primum dari Baptismum in remissionem peccatorum, & quis sit verus sensus formæ eius, nempe intelligi, & referri ad potestatem, virtutem & efficaciam, quantùm est ex parte Dei, & Sacramenti; non verò in effectu ipso, nisi iuxta statum, & capacitatem subiecti, aut dispositionem.

42 *Ad secũdum. Responsio eiusdem. Argumẽtum esse ex propriis hæreticorum, non ex sensu Ecclesiæ.*

Ad secundum, quod est Canon Mileuitani, respondet quidam vir aliàs doctus & pius, in suo libro de Immaculata Conceptione, *cap. 24. n. 119.* asserens non ex propria sententia, sed in sensu hæreticorum locutos fuisse Patres Concilij, & veluti argumento ad hominem eos confodisse ex propriis, quia cùm illi vltrò admittebãt, annuentes Baptisma dari *in remissionem peccatorum*; imò ipsi formæ adderent illa verba, *in remissionem peccatorum*, &c. vt ex illo ipso Canone Concilij & verbis formę Baptismi *in remissionẽ peccatorum*, &c. inferri putat; & tamen negarent infantulos habere peccatum, à quo emaculari, & abstergi possent per Baptismum, efficaciter deduxit cõtra eos Concilium, formam illam, quam assignabant *in remissionem peccatorum*, &c. esse falsam; dum per eam ex eorum doctrina nullum remittebatur peccatum. Vnde idem author consequenter negat Concilium eo canone quidpiam asserti uè enuntiasse, aut declarasse Baptismi formam non veram, si paruuli peccato carerent.

*Refellitur.* Constantin. Concilium.

Cæterùm hæc interpretatio nequit cõmodè sustineri, neque est vera: nam eo ipso, quòd ex Constantinopolitano (vt Scripturas & Patres omittamus) datur *Baptisma in remissionẽ peccatorum* (quod perinde priores Canones Tridentini, aliáque plura loca iam citata apertè docent) non potuit forma Baptismi non dari in remissionem peccatorum; quod etiam satis constat ex ipsis eius verbis.

*Dari Baptisma in remissionem peccatorum.*

Accedit quòd prædictus Canon iisdem verbis concipitur in aliis Conciliis Africanis, sub Zozimo, Bonifacio, & Cælestino: habetur in decretis Gratiani, Burchardi, Iuonis. Neque consuetum sit in definitionibus Ecclesiæ aliquid præter assertionem professam intexere. Ne ergo repetamus quod aliàs suprà diximus, tractantes de erroribus, qui contra veritatem Baptismi emerserunt; & speciatim quid docuerint Pelagiani, & respondent ad hoc argumẽtum, quod vrgebant Patres ex forma Baptismi, & consuetudine Ecclesiæ exorcizantis, & baptizantis paruulos in remissionẽ peccatorum: vt patet ex pluribus locis Augustini, ibidem citatis, diuisi sunt in duas partes; alij admittebant baptizari eos in remissionem peccati, non originalis, quod negabant, sed actualis, quod propria volũtate in paruulis est commissum. Alij verò dicebant baptizari tantùm vt ingrederẽtur regnum cœlorum, non in remissionem peccati: de quibus fusè Augustinus locis suprà citatis, cuius doctrinam secutum est Concilium Mileuitanum, cui interfuit, & conditor cum reliquis ipsius Canonis fuit: vt Prosper carmine de ingratis, loquens de eo Concilio, *Cui dux Aurelius, ingenium Augustinus erat*, &c. Videatur etiam epistola Synodica ad Innocentium, & alia Innocentij ad Patres Concilij Mileuitani, quibus sensus Ecclesiæ declaratur.

*Habetur in aliis Conciliis.* *Canõ est sententia Ecclesiæ asserta.* *Vacillatio hæreticorum, qui diuisi sunt ex efficacia argumenti.* Prosper.

Sed omnia remitto quoad hoc ad loca Augustini suprà citata; & apertissimè colligitur ex ver-

Trident. bis ſubſequentibus ipſius Tridentini, rationem ſubiungentis dictorum ex Apoſtolo, & interpretatione Eccleſiæ: *Quoniam*, inquit, *non aliter intelligendum eſt id quod dixit Apoſtolus; per vnum hominem peccatum intrauit in mundum; & per peccatum mors, & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccauerunt, niſi quemadmodum Eccleſia Catholica vbique diffuſa ſemper intellexit: propter enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt: niſi enim quis renatus fuerit*, &c. Quibus verbis totius Canonis fundamentum habetur ex Scriptura, traditione Eccleſiæ, forma baptizandi, & neceſſitate baptiſmi.

Senſus ergo Canonis planus, quem colligere licet ex Auguſtino variis in locis, & ſpecialiter Auguſtin. *lib.2.de peccato originali, cap.40.* qui hoc argumento vtitur, non ſimulatoriè, ſed dogmaticè: nam cùm docuiſſet omnes filios Adam, etiam à parentibus Chriſtianis, eſſe ſub peccato, & damnatione, donec in Chriſto regenerantur; ſubdit: *Denique ipſa Eccleſiæ Sacramenta, quæ tam priſcæ traditionis authoritate concelebrat, vt ea iſti, quamuis in paruulis, exiſtiment ſimulatoriè potiùs, quam veraciter fieri; non tamen audent aperta improbatione reſpuere; ipſa, inquam, ſancta Eccleſia Sacramenta ſatis indicant paruulos, à partu etiam recentiſſimos, per gratiam Chriſti de diaboli ſeruitio liberari: excepto enim quòd in peccatorum remiſſionem non fallaci, ſed fideli miniſterio baptizantur, etiam priùs exorcizatur in eis, & exſufflatur poteſtas contraria, qui etiam verbis eorum, à quibus portatur, ſeſe renuntiare reſpondent*, &c. & cap.6. aſſerit ſe nunquam aliud audiuiſſe, aut legiſſe antequam Carthagine illud audierit, ſuboriente hæreſi Pelagiana.

45 *Primũ quod damnat Canon.* Canon ergo ſecundùm hanc doctrinam Eccleſiæ, damnat primùm negantes paruulos verè baptizari in remiſſionem peccati, & per hoc aſſerentes ſimulatoriè baptizari, vt dicebant Pelagiani, ſaltem quantùm ad remiſſionem peccati: *Error Pelagij.* hoc enim docebat Pelagius, baptizari eos tantùm vt ſanctificarentur, & ad ingreſſum regni cœlorum; non ad remiſſionem peccati: comprehendit infantes natos ex Chriſtianis parentibus: hoc enim erat potiſſimum argumentum Pelagianorum contra Eccleſiam.

*Secundus error damnatus à Canone fuit Cælestij.* Secundò damnat errorem Cæleſtij, qui admittebat paruulos baptizari in remiſſionem peccatorum, ſed non originalis, quod negabat, ſed actualis per propriam voluntatem commiſſi.

*Infertur tertiò cõſequens.* Infert tertio loco illud conſequens; nempe ſequi formam Baptiſmi in eis eſſe falſam, ſi non haberent originale. Rationem autem conſequentis infrà, ſubiicit: *Paruuli qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt; ideò in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt*, &c.

*Suppoſitio Canonis expreſſa.* Supponit autem Concilium paruulos non habere peccatum actuale, aut habere poſſe, quia non habent vſum ſui arbitrij, ſiue in bonum, ſiue in malum; ac proinde non poſſe applicari paruulis alia remedia, vt fidei, & charitatis, per quæ poſſint iuſtificari, quia hæc per proprium actum diſponunt ad iuſtitiam, & liberè conuertendo ſe Trident. in Deum, vt Tridentinum *ſeſſ.6.cap.5.can.4.* conſequens eſt eos baptizari in remiſſionem peccati originalis, quod aliter de lege nequit in eis tolli; ac proinde formam fore falſam, niſi ſupponeretur originale.

Quod conſequens eſt verum: ſed non extenditur vltra ſubiectam materiam, quia non comprehendit ſanctificatos in vtero, neque paruulos circumciſos, ſi qui fuerint baptizati currente fructu huius remedij; neque etiam adultos, quia infrà *ſeſſ.6.cap.4.* agens de iuſtificatione adulti, admittit quandoque ſanctificari cum voto Sacramenti, quibus non datur mox Sacramentum in remiſſionem peccatorum. Minùs autem recepit illud Beatiſſima Virgo in remiſſionem peccatorum, ad quam proinde nihil ſpectat Canon præfatus, neque conſequens illatum à Patribus: imò eſt ad oppoſitum, quia intendit peccatum originale eſſe actu in infantibus, non autem fuiſſe. Accedit vlteriùs quòd ipſi Patres Concilij ſub finem noluerunt comprehendi in dictis canonibus Beatiſſimam Virginem: *Declarat tamen hæc ſancta Synodus*, &c.

*Conſequens comprehendit ſolos paruulos.*

*Eximitur Virgo à Patribus Tridẽtini à Canone.*

Ad confirmationem petitam ex Sacramento Pœnitentiæ, reſpondetur negando antecedens, quia maior eſt ordo, & dependentia pœnitentiæ ad peccatum, quàm Baptiſmi: quod declaro, quia quantùm ad efficaciam & virtutem vtrumque Sacramentum in hoc conuenit, vt perinde dicant efficaciam ad delendum mortale actuale, & Baptiſmus originale. Quantùm ad efficaciam remiſſionis maior eſt in Baptiſmo, quia totam pœnam remittit, & omnia peccata venialia: Pœnitentia mortalia tantùm, & confeſſa venialia, & pœnam æternam remittit, non tamen totam pœnam temporalem: vide Tridentinum *ſeſſ.14.cap.2.* Conueniunt tertiò, quòd in voto vtriuſque remittatur mortale actuale per contritionem; & forma tam Baptiſmi, quàm Pœnitentiæ verificatur non in remiſsione peccati remiſſi, vt dictum eſt.

46 *Ad confirmationẽ reſpondetur.* *Pœnitentia magis dicit ordinẽ ad peccatum, quàm Baptiſmus.* *Vtriuſque cõuenientia.*

Differunt tamen in hoc, quod eſt connotare peccatum præteritum, quod non competit Baptiſmo: conuenit tamen pœnitentiæ propriè dictæ, vt eſt virtus, & vt eſt Sacramentum; ideóque neceſſariò ſupponit, peccatum nequit eſſe in Beata Virgine vt rigoroſè ſumitur: quia pœnitentia virtus, vt definitur in lib. de vera & falſa pœnitentia, eſt *dolor animi punientis in ſe, quod dolet commiſiſſe*: ſupponit ergo peccatum tanquam materiam circa quam, in quo differt à Baptiſmo, qui per accidens ratione peccati actualis in adulto exigit pœnitentiam, & non per ſe. Pœnitentia etiam habet ordinem ad peccatum præteritum ratione non ſolùm contritionis, quæ eſt pars materiæ eius; ſed etiam confeſsionis, quæ eſt actus iuridicus, & accuſatio criminalis rei per ſeipſum, & recurrentis ad hoc tribunal ob peccatum. Præterea, ratione ſatisfactionis, quæ imponitur propter peccatum, dicit ſimilem ordinem ad peccatum. Præterea, ratione formæ quæ eſt pars principalis, & conſiſtit in actu iudiciali per modum ſententiæ latæ. Hæc patent ex Tridentino *ſeſſ.14. cap.2. 4. 5. & 6.* non ergo ideò pœnitentia dicit ordinem ad peccatum præteritum, quia inſtituta eſt contra peccatum; ſed ex modo ſpeciali ſuæ inſtitutionis, in quo differt à Baptiſmo. Baptiſmus reſpicit peccatum vt terminum *à quo* tantùm, ſi ineſt: pœnitentia verò vt materiam circa quam perficitur ordo iudicialis, ad cuius normam inſtituta eſt; & exercetur poteſtas ligandi, atque ſoluendi; ideóque requirit peccatum eſſe, aut fuiſſe, de quo cognoſcit per ſe: non ita Baptiſmus, quia ex conditione ſubiecti hoc tantùm petit, non ex ratione materiæ, aut formæ: ex quo reſponſio ad argumentum patet.

*Differentia.*

*Definitio Pœnitentiæ virtutis.*

*Ex multis rationibus Pœnitentia Sacramẽtum ſupponit peccatum fuiſſe.*

QVÆ

## Quæstio VII.

### *Vtrùm omnes baptizati recipiant æqualiter effectum Baptismi?*

Alens.4.p.q.21.m.3.D.Bonau.*hic p.2.art.2.q.3.*Richard.*art.3.q.3.*D.Thom.*3.p.q.69.art.8.* Suarez *&* Vasquez *ibi.* Sotus *d.6.q.vnic.art.6.*Palud.*hic q.1.*Gabr.*q.2.art.2.*Bassol.*q.1.art.3.* Eckius *de Bapt.hom.13.*

1 *Magist. H. Argum.1.*

VLTIMO quæro [a], vtrùm omnes baptizati recipiant æqualiter effectum Baptismi? Videtur quòd sic, quia effectus Baptismi magis dependet à conferente, quàm à suscipiente; sicut effectus vniuersaliter magis dependet à causa efficiente, quàm à materia. Apparet etiam in proposito, quia in ministro requiritur perfectior intentio, quàm in recipiente; quod non est, nisi quia ab eo magis dependet Baptismus, quàm à suscipiente: sed ministrorum inæqualitas nihil facit ad inæqualitatem effectus Baptismi: ergo multò magis nec inæqualitas suscipientium: & per consequens nulla est causa inæqualitatis effectus huius.

*Ratio opp. Text. com.* 24.

Contrà, *actus actiuorum sunt in patiente dispositio.* 2. de Anima: ergo in magis disposito perfectiùs recipitur effectus: ergo, &c.

2 *Rich. in 4. dist. 4. q.3. Quære Bon. hic art.2.*

Respondeo, aliqui distinguunt de effectu, qui est res, & Sacramentum, qui dicitur character: & de effectu, qui est res tantùm: sed de primo effectu nondum habitus est sermo, sed habebitur distinct. 6. De secundo ergo est quæstio, & dicitur, quòd plures effectus tales habet Baptismus; ordine tamen quodam: quia causare gratiam, & remittere fomitem, & huiusmodi. Patet autem quòd non in omnibus baptizatis æquè remittitur fomes.

Sed istud non est verum, nisi intelligatur sanè, quia fomes cùm sit in carne, vel in virtute aliqua corporali, per gratiam, quæ est in anima, non potest formaliter diminui: quia non est inter ipsum, & gratiam formalis repugnantia, cùm non sint nata fieri circa idem. Sed dicitur fomes diminui quantùm ad effectum, quem consueuit causare in anima, scilicet peccatum: nam secundùm quòd gratia augetur, fomes minorem habet efficaciam inclinandi ad peccatum. Ponitur autem exemplum conueniens de lapillo alligato alis aquilæ, quia si crescceret virtus motiua aquilæ, licèt non diminueretur grauitas lapilli (quia opposita non sunt nec in eodem) tamen grauitas lapilli diminuitur quantùm ad effectum: quantò enim maior est virtus in ala, tantò lapillus minùs impedit ascensum, vel volatum.

*Fomes quomodo diminuitur, declaratur exemplo lapilli ligati alæ aquilæ.*

## *COMMENTARIVS.*

1 a *VLtimò quæro vtrùm omnes*, &c. Postquam superiùs egit de effectu huius Sacramenti, quantùm ad gratiam, & remissionem culpæ, hìc consequenter quærit de perfectione illius effectus, & speciatim gratiæ: an scilicet æqualis sit in omnibus; nam de remissione peccati, & pœnæ non agit, quia illa est æqualis, nisi varietur status subiecti, quoad peccata operis plura, vel pauciora: *Illi enim, qui plus debet, plus etiam dimittitur*; Lucæ 7. Adducit sententiam Richardi *hac dist. quæst.3. in corpore*, quantùm ad effectum minuendi fomitem per gratiam baptismalem, eámque declarat, & benè, quomodo contingat remissio fomitis quantùm ad effectum ne trahat in consensum; & hoc est mortificare membra, reprimere hominem inferiorem, & non consentire legi membrorum. Et hinc Patres ad hunc effectum definiunt necessariam esse gratiam Dei, quia rebellio fomitis consistens in appetitu sensitiuo, & prauâ inclinatione volũtatis, est infirmitas, quam incurrit liberum arbitrium ex peccato, ad faciendum bonum, quæ per gratiam subleuatur, vt vincat concupiscentiam malam, sequendo legem, & rationem. De his fusiùs agitur in materia de gratia, & auxiliis. Sacramentum autem regenerationis non solùm tribuit gratiam sanctificantem, seu alios habitus supernaturales fidei, spei & charitatis, quibus datur posse operari ad salutem, quantùm ad eleuationem potentiæ; sed etiam tribuit specialia auxilia ad reprimendum fomitem, vt insinuant Patres, quos suprà citauimus, agentes de necessitate, & efficacia Baptismi, & renouatione per ipsum factâ; quam fusè Cyprianus in scipso fuisse declarat, & maximè ad propositum libertatis à concupiscentiis.

Richard.

*Baptismus minuit fomitem.*

*Fomes quid sit.*

2 *Gratia baptismalis minuit fomitem.*

Prima ergo conclusio Doctoris in hac quæstione est, remitti fomitem, hoc est, minui per baptismalem gratiam, & modus quo id fieri declarat, est, ex doctrina Patrum, qui ad hoc statuunt necessitatem gratiæ Christi, vt obseruetur lex, vincantur concupiscentiæ, & tentatio, quæ resistunt operi in exercitio. Hic autem effectus fomitis in adultis valet, in infantibus sopitur: quia nondum habent vsum arbitrij, & in quibus remissio fomitis per gratiam intelligenda est, quantùm ad potestatem, & vires, non pro tunc exercendas, & quantùm ad gratiam habitualem, non autem actualem datam, pro tunc, sed pro tempore congruo recipiendam virtute Sacramenti percepti; quando scilicet perueniet ad vsum rationis. Exemplum adductum à Doctore satis commodum est, quia vt Augustinus 83. quæstionum quæst. 36. *Perfectio charitatis est diminutio cupiditatis*, &c.

## SCHOLIVM.

*Ex parte Dei communiter æqualem dari gratiam baptiſmalem, poſsibile tamen eſt vnum accipere maiorem gratiam alio per Baptiſmum ſine maiori diſpoſitione, ſi Deus ita ſtatuiſſet. Nec Scotus dicit de facto dari maiorem gratiam baptiſmalem ei qui prædeſtinatus eſt ad maiorem gloriam, vt falsò ei imponit Sotus ſuprà, ſed tantùm loquitur de poſsibili, quo cum conuenire videntur Alenſ. & Bonau. ſupr. ſed de facto dari tenent Palud. Gabr. Baſſol. Eckius citati.*

3 *Inæqualitas gratiæ baptiſmalis, vel eſt ex Deo, vel cauſa meritoria, vel ſuſceptiua.*

Sic ergo [b] ponendo vnicum effectum Baptiſmi, ſcilicet gratiam, reſpondeo, quòd cùm ad effectum Baptiſmi, ſcilicet gratiam, concurrat cauſa principalis, ſcilicet Deus, & cauſa meritoria, vt paſſio Chriſti, & ipſe ſuſcipiens Baptiſmum: ex parte cuiuſlibet iſtorum poſſet attendi æqualitas, vel inæqualitas. Quantum ad Deum determinantem ſe cooperari iſti ſigno per effectum ſignificatum, & in hoc inſtituentem iſtud ſignum, in ratione ſigni certi (vt dictum eſt ſuprà) aliquo modo poteſt eſſe differentia, aliquo modo non. Aliquam enim gratiam diſpoſuit regulariter conferre cum iſto ſigno, ita quòd nulli minorem: & iſta poteſt dici conferri virtute Baptiſmi, quia virtute veritatis huius ſigni, & ſicut determinatio illa vniuerſalis, quantum ad iſtum gradum, eſt vniformis, ita effectus æqualis.

*Loquitur de poſſibili.*

Verumtamen, quia Deus prædeſtinauit diuerſos electos ad diuerſos gradus gloriæ, & hoc ante determinationem huius ſigni ad tantam, vel tantam gratiam conferendam: & ordinato ad maiorem gloriam, rationabiliter poteſt conferri maior gratia: poteſt Deus in determinando veritatem, ſeu certitudinem huius ſigni, diſponere, conferre alicui ſuſcipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem ſigni: & alicui maiorem, quem prædeſtinauit ad maiorem gloriam, ſed ille vlterior gradus non conferretur virtute Baptiſmi, ſed de ſpeciali beneuolentia diuina. Propter hoc dici poteſt, quòd ex parte cauſæ principalis, effectus eſt regulariter æqualis ſimpliciter qui datur virtute Baptiſmi: quia ſupponitur, quòd de lege communi, prima gratia non datur maior abſque omni differentia extra cauſam principalem.

## COMMENTARIVS.

3 *Varia cauſa gratiæ ſacramentalis.*

b *Sic ergo*, &c. Supponit quantùm ad effectum gratiæ cauſandum cõcurrere Deum vt cauſam principalem, paſſionem Chriſti vt meritoriam, & ipſum ſuſcipientem vt cauſam diſpoſitiuam; nempe quando confertur adulto, in quo poteſt eſſe maior, vel minor diſpoſitio. Eſt doctrina Tridentini *ſeſſ. 6. cap. 7.* Ex his patet vnde æqualitas, vel inæqualitas attendi poſſit in effectu: de meritoria, & diſpoſitiua agit, §. ſequenti. Quantùm autem ad cauſam principalem dicit duo; quæ eſt ſecunda, & tertia concluſio. Primò, vt habet voluntatem vniuerſalem de lege alligatam ex inſtitutione, Sacramento, effectum eius eſſe æqualem in omnibus, quantùm eſt ex parte Dei, & Sacramenti, quod ſicut habet materiam, & formam definitam, vt ſuprà dictum eſt contra hæreticos, ita etiam & effectum, qui importatur ex determinatione ſignificationis practicæ Sacramenti: & de hac æqualitate loquuntur Patres, quando dicunt Sacramenta à malo, aut bono miniſtro collata eſſe paria, & intelligitur illud *vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus*, &c. *quantum eſt*, inquit, *ex parte Dei, & Sacramenti*, excludendo differentiam, quæ poteſt eſſe ex parte ſuſcipientis, ex qua poteſt creſcere effectus gratiæ, vt ſi eſt meliùs diſpoſitus. Hæc concluſio eſt communis omnium, præter paucos.

Tridant.

*Effectus Sacramenti de lege æqualis. Secunda concluſio.*

Secundò aſſerit Doctor potuiſſe Deum, præter illum effectum gratiæ communis, qui eſt ex voluntate ordinaria, & lege, dare alicui in particulari maiorem effectum, ex ſpeciali voluntate particularis acceptionis perſonæ: vel quia prædeſtinatus eſt, vel quia aliter acceptus ad maiorem gloriam. Hic exceſſus nõ proueniret à Baptiſmo, ſcilicet vt eſt inſtrumentum ordinarium, & habet efficaciam, vt ſubeſt voluntati diuinæ ordinariæ, ſed ex beneuolentia Dei, quæ etiam mediante Sacramẽto, peculiariter ad hoc aſſumpto, poſſet cauſare illum effectum ex opere operato, vel certè independenter à Sacramento. Hæc etiam concluſio eſt veriſsima, quia nihil aſſerit præter potentiam eſſe ex parte Dei ſic operandi, ſi vellet; neque deeſſe congruitatem, ex parte baptizati, quin Deus poſſet ſi vellet eãdem beneuolentiam exercere, vel hoc medio in particulari, vel aliis quibus ſic electus peruenìet ad gratiam proportionatam ſuæ gloriæ, iuxta communiorem ſententiam, quæ hanc proportionem æqualitatis inter gratiam & gloriam ſtatuit. Hîc ergo docet Doctor, quâ ratione poſſet eſſe inæqualitas effectus gratiæ, ex parte cauſæ principalis; & non aſſerit, an ſic contingat, ſicut aſſerit æqualitatem gratiæ eſſe ex parte Sacramenti, & Dei, quantùm ad legem ordinariam,

4 *Tertia concluſio. Deũ mediante Sacramento poſſe ex ſpeciali voluntate dare effectum maiorem.*

*Duplex modus cauſandi illũ effectum.*

*Docet poſſibilitatem.*

*Non aſſerit factum.*

## SCHOLIVM.

*Poſsibile eſt Chriſtum obtuliſſe ſuam paſsionem ad maiorem gratiam obtinendam per Baptiſmum his, quàm illis: & fortè Baptiſmus poſt paſsionem, maiorem gratiam dat, quàm antè. Videtur enim ſuprà dicere maiorem gratiam paruulo dari, ob deuotionem miniſtri, ſed tantùm loquitur de*

*de passibili, vel dubitat: id tamen asserunt Bassol. & Gabr. citati, & Eckius tom. 3. hom. de S. Nicol. sed hoc intelligi debet, de merito de congruo, & fortè tantùm de gratia actuali, non de iustificante, quia hanc de condigno purus homo alteri mereri nequit. de quo 1. 2. quæst. 114. art. 6.*

De secundo [c] potest dici, quòd illa causa meritoria potest efficaciùs operari ad gratiam in vno, quàm in alio: vel quia specialiùs oblata pro vno quantùm ad intentionem offerentis, quàm pro alio: vel quantùm ad executionem pro vno oblata in effectu, pro alio non, nisi in præuisione diuina. Primo modo Christus ponitur communiter nosse omnia, quæ Deus nouit scientiâ visionis, & per consequens nouit omnes electos, & ad quem gradum gloriæ fuerunt electi. Potuit ergo pro prædestinatio ad maiorem gloriam, pleniùs offerre passionem suam, & præcipuè cùm se offerret pro genere humano ad hoc, vt de eis impleretur diuina prædestinatio. 4 *De Christi merito, vide 19. d. 3. q. vnica.*

Secundo modo, passio Christi efficaciùs cooperatur pro nobis, qui sumus in lege Euangelica, quàm pro Patribus in lege Moysi: quia obsequium præstitum ad maius bonum retribuendum, magis acceptatur, quàm beneficium præuisum. Et illo secundo modo est inæqualitas in suscipientibus gratiam per Circumcisionem, & Baptismum: propter inæqualem applicationem causæ meritoriæ ad istos: & fortè etiam in baptizatis ante passionem, & post passionem. Si autem primo modo, scilicet propter specialem oblationem in voluntate Christi sit inæqualitas gratiæ in aliquibus nunc baptizatis, dubium est de facto: sed possibilitas est ostensa. *Passio exhibita efficacior, quàm præuisa.*

De tertio dico [d], quòd vel baptizati sunt paruuli, vel adulti: comparando paruulum ad paruulum, cùm nullum habeant motum proprium, nullam habent inæqualitatem ad gratiam, ex parte sui recipiendam. Potest tamen in parentibus vnius, esse maior motus quàm alterius pro suo paruulo: vel in aliquibus aliis ministrantibus, vel assistentibus Baptismo: propter quorum merita Deus vni paruulo potest conferre maiorem gratiam, quàm alteri: sed hoc non virtute Baptismi, sed meriti. Et hoc modo fortè parentes beati Nicolai orationibus suis meruerunt sibi maiorem gratiam, quæ erat in eo etiam paruulo principium tam mirabilis effectus, vt duobus diebus in hebdomada vnica tantùm lactatione contentus maneret. Et quoad hoc magis optandum est puerum baptizari à bono Sacerdote, quàm à malo: quia orationes Sacerdotis boni, quas multas facit ante, & post Baptismum magis exaudiuntur, & valent illi, pro quo fiunt, quàm orationes mali. 5 *Nō asserit, sed dubitat, asserunt Bassol. Gabr. citati, & Eckius, tom. 3. de S. Nicol. Quomodo præstet baptizari à bono, quàm à malo.*

Si autem baptizati sint adulti, cùm illi per motum proprium possint esse inæqualiter dispositi, & in Sacramento confertur gratia secundùm proportionem dispositionis in suscipiente, sequitur inæqualis effectus. *Gratia Baptismi datur secundū dispositionē suscipientis.*

Quòd si compares paruulum adulto, regulariter paruulus nullum meritum habet: adultus quantumcunque tenuem habeat voluntatem, dum tamen consentiat recipere Sacramentum, nec ponat obicem aliquem, videtur habere meritum proprium, & pro tanto magis dispositus est, quàm paruulus: ergo, &c.

Sed esto, quòd adultus toto tempore Baptismi peccet venialiter, videtur ergo esse indispositus quodammodò: paruulus autem nullam indispositionem habet: ergo in illo casu paruulus maiorem gratiam recipiet. Respondeo, peccatum veniale non prohibet gratiam infundi, nec etiam actum meritorium simul habere: tamen quia anima pluribus actibus, non potest simul æquè perfectè esse intenta; actus bonus, cum quo concurrit veniale, est minùs intensus: & ideò minùs meritorius, quàm foret sine vllo veniali. Et ad propositum sequitur, quòd adultus si non ponit obicem peccati mortalis, & in susceptione Baptismi consentit; aliquem motum habet disponentem, quo caret paruulus: non obstante quòd ille habeat veniale peccatum simul. *Veniale non prohibet meritum simultaneum cōtra Caiet. 3. p. q. 79. art. 1. Adultus nō fictè baptizatus, accipit maiorē gratiam paruulo.*

Ad argumentum dico, quòd Baptismus plus dependet à ministro, ad hoc, vt sit Sacramentum, quia in eo simpliciter requiritur intentio: non sic in suscipiente, quia non potest vti ratione, sed quo ad hoc, vt hic effectus maior, vel minor recipiatur, magis dependet à baptizato. *Ad arg.*

## COMMENTARIVS.

5 *Quarta conclusio. Contingere posset inaqualitas per causam meritoriam.*

c *De secundo potest dici*, &c. Declarat quomodo possit prouenire inæqualitas gratiæ ex applicatione diuersa causæ meritoriæ: quæ diuersitas potest esse, vel ex parte offerentis, vel ex parte rei oblatæ. Ex parte offerentis, nempe voluntatis Christi, quæ aliter pro reprobis, aliter pro prædestinatis obtulit suam passionem, quia pro illis quantùm ad sufficientiam, pro his etiam quantùm ad efficaciam obtulit: quia propter electos principaliter venit, & ad complendum effectum diuinæ prædestinationis, vt dicit Doctor: sic etiā potuit obtulisse passionē suam efficaciùs pro *Ex speciali oblatione est assensus.*

aliquo, qui maiorem ad gloriam, est prædestinatus, verbi gratiâ, pro matre sua. Et hæc quarta huius quæstionis conclusio.

*Quinta conclusio. Ex parte oblatæ posset esse diuersitas.*

Diuersitas autem ex parte rei oblatæ contingit secundùm diuersum statum eius, & acceptationem diuersam, aliter enim fuit passio, vt præuisa tantùm acceptata, aliter vt exhibita, quia obsequium præstitum magis acceptatur, quàm præuisum. Primò fuit applicata Patribus per remedia legis naturæ, & scriptæ; & sic attenditur inæqualitas gratiæ inter Circumcisionem, & Baptismum propter inæqualem applicationem ex parte rei oblatæ. Et hæc est quinta conclusio huius quæstionis. Ex cuius fundamento deducit aliam probabilem, licèt incertam: nempe ex eadem ratione Baptismum ante passionem non habuisse eundem effectum gratiæ, quem habuit post Baptismum; de qua suprà dixi *in commento quæstionis* 1. *dist.* 2. Tandem concludit quantùm ad factum: si autem primo modo, scilicet propter specialem oblationem in voluntate Christi, sit aliqua inæqualitas in aliquibus nunc baptizatis dubium est de facto; sed possibilitas est ostensa, &c. Ex quibus constat Doctorem nihil definire quantùm ad factum, sed solùm quantùm ad possibilitatem quoad inæqualitatem gratiæ ex parte causæ principalis & meritoriæ.

*Nihil definit quantùm ad factum, sed quoad possibilitatem.*

6

Immeritò itaque Sotus *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 6.* assertorem huius sententiæ Doctorem facit, sicut & Vasquez *disp. 135. cap. 4.* & quidam alij: quia nihil asserit Doctor quoad factum, solùm extendens potentiam, vt benè aduertit etiam Scholastes venerandus meus Magister & Pater. Conclusionem ipsam asserunt alij ab eo citati, & præ cæteris Paludanus *quæst. 1. art. 9.* ex alio fundamento id asserit in paruulis, qui ante vsum rationis moriuntur, quia putat omnes tam Angelos, quàm homines, electos esse ad inæqualem gloriam, & consequenter gratiam: quidquid sit de hac sententia, & eius fundamento, nescio quâ ratione alij existimeni eam esse omnino liberam, aut sine fundamento assertam; quia id perinde etiam diceretur de opinione communi, præter hoc solùm, quòd lege communi congruum sit definire effectum Sacramenti, vt dicit Doctor.

Sotus. Vasquez *imponunt Scoto.*

*Paludani sententia.*

Sed respondeti potest id certò etiam non constare, quin aliquid contingat mediante Sacramento vltra illam mensuram ex dispositione adulti, vt infrà dicemus, quòd etiam ex opere operato causat Sacramentum: & vltra hoc etiam aliud causari, ex speciali dispositione Dei videtur insinuare Tridentinum, sess. 6. cap. 7. *Iustitiam in nobis recipientes* (loquitur de gratia sanctificante) *vnusquisque suam secundum mensuram, quam Spiritus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem*, &c.

*Causari diuersam gratiam in Sacramento ex speciali Dei voluntate.*

Duas ergo causas assignat Concilium, vnde potest crescere gratia secundùm mensuram diuersam in singulis, alteram ex voluntate Spiritus, qui partitur singulis mensuram prout vult; & quamuis loquatur Concilium de gratia iustificante, alludit tamen ad verba Pauli 1. *ad Corinth.* 12. vbi agit de distributione donorum per eundem Spiritum, earúmque diuersitate secundùm voluntatem Spiritus sancti donantis, singulis prout vult, & nō ex merito cuiusquā, aut dispositione: ergo supponit Concilium dari inæqualitatem gratiæ baptismalis, de qua agit, non solùm in adulto ex inæqualitate dispositionis, quæ est altera causa iam assignata; sed etiam ex inæqualitate, quæ prouenit ex voluntate Spiritus: sed non est maior ratio, cur id fiat in adultis, quàm in paruulis, quia adulti præter dispositionem, & vsum, quem habent liberi arbitrij, sunt pares paruulis: ergo si possunt esse inæquales adulti in gratia hac, non solùm ratione dispositionis, sed etiam ex speciali voluntate Dei, nihil obstat quin id in paruulis contingat.

*Partitio donorum, & gratia diuersa.*

Et confirmatur, quia licèt gratia sacramentalis sit de communi lege determinata, id ita intelligendum est, quantum ad gradum infra quem non datur alia minor virtute Sacramenti, non tamen quantùm ad excessum: ita etiam posset dici saltem in adulto, in quo est aliqua dispositio, quam non habet paruulus; & recipit virtute Sacramenti gratiam maiorem, quæ etiam maior & maior est secundùm excessum dispositionis: ergo, si ex lege nō determinatur gratia sacramētalis in adulto, quantùm ad excessum, ita etiam posset dici, saltem in aliquibus paruulis, etiam non seruari mensuram determinatam. Patet consequentia, quia licèt in paruulo electo ad maiorem gloriam, non sit propria dispositio, à qua excusatur ob inhabilitatem: tamen est maior acceptatio, quâ ordinatur ad perfectiorem gradum gratiæ & gloriæ.

8

*Gratia, sacramentalis quomodo definita.*

*Variatur in adulto.*

Quòd verò illa gratia conferatur per hoc, vel aliud medium diuinæ prouidentiæ, perinde est, maximè, cùm Sacramentum, posita inæqualitate ex parte subiecti, non limitatur ad gradum æqualem effectus; imò magis videtur præter diuinam prouidentiam ordinariam, vt Deus, suspendendo concursum causarum naturalium, perducat infantem ad eum statum, quo possit attingere gradum gratiæ destinatum, siue per frequentationem Sacramentorum, siue per actus proprios, quàm vt per ipsa Sacramenta recepta vberiorem gratiam conferat, quia sic operatur per media ordinaria, quæ ex se alioquin ex inæquali dispositione subiecti habent efficaciam maiorem, vel minorem; & casus ponatur in infante valetudinario.

*Non esse cōtra Dei prouidētiam, si aliquibus paruulis conferat effectum maiorem.*

Confirmatur secundò, quia quantùm ad alios effectus concomitantes, vt extinctionem, aut diminutionem fomitis, auxilia gratiæ, & gratias gratis datas, inæqualis est effectus Sacramenti etiam in infantibus: ergo etiam perinde dici potest de gratia gratum facente, saltem in aliquibus, in quibus visa est illa inæqualitas effectus cōcomitātis, vt in sancto Nicolao. Patet consequentia, quia dare hos effectus mediante Sacramento, qui regulariter per ipsum non conferuntur, videtur magis extraordinarium, quàm quòd effectus ordinarius eius detur intensior, aut perfectior.

9

*Secunda confirmatio.*

Nec video, quid vrgeat contra hanc sententiam ex Conciliis, aut Patribus: nam loca Cypriani, quæ adducit Suarez, ad aliud intentum spectāt, vt benè aduertit Vasquez. Rationes etiam, quas adducit ipse Vasquez, nō conuincunt. Quod primò dicit non deesse Deo alia media, quibus infantem perduceret, aut certè adultum, ad gradum destinatum gratiæ, id verum est, sed inter media diuinæ prouidentiæ subiecta, est etiam Sacramentum: id certum est ex bonitate diuina, & misericordia quæcunque sint media applicari, & donari absque proprio merito; nam siue per opera eius perducatur, ipsa opera donantur, siue per Sacramenta eodem modo dispōnitur ad Sacramenta.

*Respōsio ad obiecta.*

Vasquez.

*Ad primam.*

*Media salutis à Deo donari gratis.*

Quod secundò asserit, illam electionem ex præuisione sub conditione modi & medij, quo illum

10

*Secūda obiect.*

illum perducere posset, dato etiam hoc, quod non admittitur communiter. Respondetur inter alia media, & modum hunc, quem iam diximus, posse comprehendi. Aliud, quod adiicit ex singulari opinione redundat, quæ reiicitur.

*Rationes Suarez. soluuntur.*

Quòd obiicit etiam Suarez non conuincit: nam Tridentinum *sess.7. can.7.* nihil ad præsens institutum facit, cùm docet Sacramentum effectum suum dare semper quantùm est ex parte Sacramenti, & Dei, nisi ponatur obex, id verum est: sed an quibusdam conferat vberiorem effectum, nihil asserit, aut negat Concilium, quod solùm determinat de efficacia Sacramentorum.

*Concilium explicatur.*

*Quòd effectus Sacramenti sit determinatus, & quomodo?*

Deinde significatio, inquit, Sacramentorum est determinata: ergo & effectus. Respondeti potest esse determinatam quantùm ad gradum, infra quem non dat alium; non tamen ita determinata, quin crescere possit secundùm mensuram effectus prout Spiritus sanctus partitur dona prout vult; neque hoc efficaciæ, aut certitudini Sacramentorum derogat, sed eam ampliat.

Tertiò adiicit eodem modo dici posse nullum Sacramentum comparatum ad aliud in specie habere determinatum effectum, sed nunc hunc, nunc illum pro Dei arbitrio. Respondetur negando sequelam, quia determinationem effectus Sacramenti in specie habemus ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, verbi gratiâ, quòd Baptismus regenerat, Eucharistia nutrit, Pœnitentia absoluit, &c. De hac alia determinatione non ita nobis constat,

*Determinatio effectus in specie.*

Quartò, inquit, vbi est æqualitas ex parte passi, & æqualitas ex parte causæ, & Sacramenti. Respondetur cæteris paribus id concedi posse, sed non est æqualitas ex parte passi, vt consideratur in ordine electionis, neque Sacramentum solùm operatur ex virtute limitata ad hunc, vel illum gradum, sed prout mouetur, vel applicatur à causa principali, nunc æqualiter, nunc perfectiùs, prout vult; & cuius virtus non est alligata Sacramento, nisi vt ad gradum inferiorem effectu ordinario referatur: ad perfectiorem autem, ex beneuolentia particulari extendi potest.

*Instrumentū operatur prout applicatur, & mouetur.*

11 *Obiectiones Soti. Supponit non admissa.*

Obiicit plura Sotus, sed procedunt ex non concesso, quia supponit illum gradum excedentem non dari hîc, & nunc virtute Sacramenti: hoc non supponit Doctor; quamuis enim dicat, quòd ille vlterior gradus non detur virtute Sacramenti, sed ex speciali beneuolentia diuina, id intelligendum est iuxta antecedentia, vbi dicit ex voluntate vniuersali Deum disposuisse dare gratiam regulariter mediante hoc signo certo in determinato gradu, ita vt nulli minorem: *Et illa*, inquit, *potest dici conferri virtute Sacramenti*; & hoc modo esse æqualem virtutem Sacramenti in omnibus; & in hoc sensu dicit illum gradum excedentem non conferri virtute Sacramenti, sed ex beneuolentia particulari: quia nempe Sacramentum vt habet efficaciam, & assistentiam Dei, vt signum certum ex voluntate vniuersali tantùm, non extenditur eius virtus, aut significatio vltra illum gradum: vt subest tamen voluntati speciali Dei, causat illum gradum excedentem, etiam ex opere operato; nam & hoc titulus ipse quæstionis supponit, & impugnatio huius sententiæ: nam alioquin ille gradus, si à solo Deo produceretur non mediante Sacramento, concomitanter se haberet ad effectum Sacramenti, nec sic esset locus quæstioni: *An*, scilicet, *omnes baptizati æqualiter recipiant effectum Baptismi*? neque etiam impugnationi, vt dixi, quæ procedit ex determinata significatione, & significato Sacramenti, cui non correspondet gradus excedens à solo Deo causatus, magis, quàm si causaretur per meritum, vel alio modo: ideóque Doctor hunc sensum supponens dicit: *Quantùm ad Deum determinantem se cooperari isti signo per effectum significatum*, &c. *aliquo modo potest esse differentia, aliquo modo non*, &c. quando effectus est æqualis, quando inæqualis fit à Deo cooperante Sacramento.

*Sacramētum aliter, & alias applicari.*

Ex his corruit secunda ratio Soti, quæ est contra suppositionem quæstionis, ita enim procedit, ac si ille excessus non causaretur per Sacramentum. Tertia ratio procedit in sensu contrario, admittendo suppositionem, quasi liberum sit sententiam studio impugnationis ad extrema trahere, & propellere ad contradicentiam, quo facilius explodatur. Summa rationis est: quòd perinde etiam dici possit Deum per meritum æquale conferre inæqualem gratiam. Respondetur negando sequelam, quia inter meritum, & gratiam, & gloriam datur proportio secundùm medium iustitiæ, non ita in Sacramento, quod operatur ex mera liberalitate instituentis, & independenter à merito, & dispositione infantis; in adulto verò ex proportione dispositionis seruatur medium iustitiæ de congruo, quando est in peccato personali.

12 *Secunda & tertia ratio soluuntur.*

*Aliter meritum, aliter Sacramētum causat.*

Minùs vrget altera consequentia, nempe extra Sacramentum & meritum, Deum posse causare illam gratiam ex motiuo prædestinationis, & sic tota meritorum ratio proscriberetur. Respondetur absolutè potuisse Deum sic facere; non tamen regulariter, perducere prædestinationem ad effectum, nisi per media ordinaria, & statuta, nempe Sacramenta, & opera; quamuis aliquos præter legem iustificauerit in vtero, vt sortirentur effectum prædestinationis, qualis erat illa gratia: nihil in hoc præscriptum, aut proscriptum est contra legem ordinariam, sed supra illum actum est, quod per media eius haberi potest in diuerso statu infantis.

*Consequentia non cōcludit.*

*Deum aliquando secūdum legem, aliquando supra legem agere.*

Oporteret etiam probare, de lege ordinaria, ita arctasse Deum efficaciam Sacramenti, vt vltra gradum determinatum, ex speciali voluntate ad vlteriorem gradum quandoque non extendantur. Et quamuis de lege ordinaria media salutis comprehendantur sub Sacramentis, & operibus, non eodem modo omnes electi vocantur, mouentur, & pertingunt finem: nam quidam per opera, quidam per Sacramenta; aliis alia sunt opera, prout donantur, neque singulis omnia, vt per se notum est; neque si per pœnitentiam finalem, & fidem saluatus est latro in Cruce, proscribitur meritum iustitiæ, aut fortitudinis, aut aliarum virtutum, neque si infantes mediante Sacramento saluantur, despicit ideò Deus opera piorum: &, vt suprà dictum est, in commento præcedentis quæstionis; si gratia vberior mediante Sacramento daretur alicui, non ideò excluditur à iustitia operum, quibus meretur gloriam, quando ad eum statum pertingit, vt patet in Beato Ioanne Baptista, & Ieremia: non licet ergo inferre ex gratia collata à Deo mediante Sacramento dispensationem operis: nam ex sententia D. Thomæ (vt ibi visum est) opera subsequentia comparari possunt ad gratiam antecedentem etiam liberaliter datam, vt meritoria eius.

13 *Diuersitas vocationis, & meriti.*

Ex quo patet ad quartum, quo vrget ex hac sententia sequi, quòd qui prædestinatus est ad

14 *Quarta ratio.*

maiorem

maiorem gloriam habeat ampliora merita; quia nempe ex illa beneuolentia recipit maiorem gratiam,& gloriam proportionatam. Reſpondet Paludanus, admittendo conſequentiam; verbi gratiâ,in infante ſi ſic decederet; ſed quantùm ad præſentem quæſtionem, & in caſu argumenti, quo talis peruenìat ad ætatem capacem meriti, facilis eſt reſponſio ex dictis; imò argumentum ſeipſum deſtruit, quia vberior gratia actualis, & habitualis in adulto ordinatur ad perfectionem operis proximè,ſicut perfectiora media ad perfectiorem finem.

*Reſponſio Paludani.*

*Alia reſpõſio.*

Extra controuerſiam eſt adultis, qui ſaluantur per opera, ex Dei dono,per vberiorem gratiam, dari etiam perfectiora merita; illa gratia abundantior datur à Deo, vt principium excedens; & ſicut adiutoria perfectiora gratiæ actualis correſpondentia ad finem perfectioris operis: ſicut ergo prædeſtinatus adultus ad gloriam maiorem, requirit etiam perfectiora opera; ſic vberior gratia, quàm reciperet mediante Sacramento, cui etiam correſponderent adiutoria proportionata gratiæ actualis non eſſet otioſa, ſed abundantiùs reduceretur ad actum meriti. Et ſicut gloria in adulto iuſtificato,non eſt ex ſola gratia,ſed etiam ex operibus per gratiam factis, quo abundantiùs ei prouidetur de gratia, ita abundantiùs prouidetur de operibus proportionatis. Alia inconuenientia quæ adducit præfatus author,explicando hanc ſententiam modo dicto, & iuxta principia Doctoris noſtri,vel non ſequuntur, vel non concludunt.

*Gratia in adultis ordinatur ad merita.*

Hæc differendi cauſa dixerim,quia ex inſtituto commenti non faciunt, cùm Doctor non aſſerat de facto contingere inæqualem effectum hoc modo,ſed vt oſtenderetur poſſibilitas huiuſmodi non derogare, aut meritis, aut Sacramento, aut Dei prouidentiæ. Quod namque opponitur de merito,eiúſque neceſſitate,ſolùm habet locum in adultis,non in paruulis, in quibus non habet locum, niſi cùm peruenerint ad ætatem adultam: tunc autem ſicut & in adultis, ſaluatur meritum perfectiùs ratione gratiæ perfectioris, quæ ad opera perfectiora inclinat. De paruulis autem decedentibus ante vſum rationis, haberent gloriam perfectiorem ratione gratiæ perfectioris, iuxta tenentes eos fuiſſe electos ad maiorem gloriam:ſed id non ſpectat ad hanc quæſtionem:quia incertum eſt,an ſint ita electi aliqui ipſorum præ aliis; ſoli Deo reſeruatum eſt.

15 *Quinta concluſio.*

d *De tertio dico*, &c. Declarat quomodo poſſit eſſe inæqualitas effectus ſacramentalis ex parte recipientis,inter paruulum, & paruulum nulla eſt inæqualitas ab intrinſeco,ab extrinſeco poteſt eſſe ex impetratione parentum, aut miniſtri, aut offerentium. Hæc eſt quinta concluſio in ordine. Prima patet, quia nullum habent actum proprium,aut diſpoſitionem. Secunda patet, quia fides,& merita ipſa poſſunt maiorem gratiã impetrare paruula. Circa hanc benè aduertit Scholiaſtes, intelligendum eſſe non de ſanctificante, ſed de aliquo dono gratuito,quod gratia actualis,aut gratis data dicitur: quia ſuprà *quæſt.2.huius reſp. ad* 2.negat dari aliquam cauſam meritoriam primæ gratiæ, ſiue ſit fides parentum, ſiue Eccleſiæ, præter ſolum Chriſtum: hæc dona autem annexa effectui Sacramenti poſſunt impetrari à miniſtro,vel aliis, vt aſſerit S.Thomas 3. *p.q.64.art.*1. *ad* 2.imò idipſum docet Caietanus de gratia ſanctificante, poſſe eam maiorem impetrari per miniſtrum,ita præfato loco intelligens S.Thomam, & alij authores,quos citat Scholiaſtes.

*Explicatur ſenſus Doctoris.*

D. Thom. Caietan.

Citatur etiam noſter Doctor hîc pro hac opinione communiter,ſed immeritò ex dictis. Quòd ſi quis eam defendere voluerit tanquam eius, videat quæ dicant Patres de virtute fidei ad impetrationem de ieiunio matris Samſonis quantum valuit filio:item Matthæi 9.*Videns Ieſus fidem illorum*, (nempe ſupponentium paralyticum ex tecto) *dixit confide fili,remittuntur tibi peccata tua*:vbi gloſſa: *Quantum valeat apud Deum fides propria, apud quem ſic valuit aliena,vt intus, & extra ſanaret hominem?* Item, quantum valuit oratio Stephani pro Paulo, & innumera huiuſmodi? Hoc tamen erit meritum de congruo tantùm,ex cuius motiuo Deus in Sacramento dat vberiorem gratiam, quàm aliàs regulariter non confert. Quòd autem contra hoc afferri poſſet ex illa quæſtione, quâ dicitur Sacramentum non dependere à malitia, aut bonitate miniſtri, intelligitur quantùm ad ſubſtantiam Sacramenti, effectum, & fructum, eius ex lege,& ordinarium.Quibus non obſtantibus Deus adiicere poteſt ex liberalitate aliquid ob impetrationem aliorum.Contraria opinio magis placet,vt quæ communis eſt,& magis conſentanea principiis Doctoris.

16 *Principia ex quibus maior effectus acquiritur.*

*Soluitur ratio oppoſita ſententiæ.*

*Præfertur communi.*

Subiicit in adultis inueniri inæqualitatem effectus ex inæquali diſpoſitione; eſt Tridentini *c.7.iam citato*,& communis Theologorum:ex quo ſequitur tertium,quod adiicit,inæqualem eſſe effectum Sacramenti in paruulo,& adulto: quia in hoc maior eſt ratione conſenſus,& fidei, & actus boni diſponentis. Loquitur de adulto abſolutè, ſicut aliàs ſuprà explicuimus,nempe vt habet originale tantùm, & non mortale actuale, licèt habere poſſit veniale: reliqua patent.

*Inæqualis effectus in paruulo & adulto.*

*Nota.*

## QVÆSTIO VIII.

### *Quid faciendum de paruulo expoſito?*

D.Thom.*q.66.a.9.*Richard.*hîc art.vlt.q.*1. Sotus *d.3.a.9.* Suar. *tom.3. 3.p.d.22.ſ.2. & d.31.ſ.6. cap.cùm itaque. c.ſimilia. & c.paruulos,de conſec.d.4.ſunt.* Leon.*&* Greg.

TVXTA iſta patent quædam quæſtiones ſine argumentis. Primò, quid faciendum eſt de paruulo expoſito? Reſpondeo, aut inueniuntur in eo certa ſigna, quòd non eſt baptizatus, ſicut mulierculæ conſueuerunt cum eo apponere ſal. ſicut cum deportandis ad Baptiſmum fit: & tunc abſque aliqua hæſitatione baptizandus eſt abſolutè. Aut non inueniuntur cum eo talia ſigna, & adhuc,

adhuc,quòd non potest de eo haberi tale signum per viciniam,nec per testimonium fide digni,quòd sic baptizatus, baptizandus est:tamen tutius est vti illâ illius capituli *Extrau.* de Baptismo, & eius effectus, *de quibus dubium.* Et de isto casu loquitur Leo de consec. distinct.4.*De quibus* (inquit Leo) *nulla extant indicia inter propinquos,& vicinos,quibus baptizati fuisse doceantur,agendum est vt renascantur, ne pereant; in quibus, quod non ostenditur gestum, ratio non finit, vt videatur iteratum.*

## COMMENTARIVS.

*De expositio.*

Leo. Carthagin. African. VVormat. Alexand.III.

IVxta ista patent quædam quæstiones, &c. Resolutio huius quæstionis est vera, non solùm ex Decreto Leonis citato, sed etiam Carthaginensi V. *cap.* 6. Concilio Africano sub Bonifacio, *cap.* 39. VVormatiensi *cap.* 70. & refertur *de consecrat. distinct.* 4. *cap. Placuit.* Alexander III. capitulo, *De quibus.* Ex quo resoluit Doctor dandum esse tutius Baptismum, sub conditione. Anteriores Patres absolutè baptizandum docuerunt ex speciali conditione illorum temporum, in quibus minùs fundari posset præsumptio. *Explicantur alij.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrùm paruuli Iudæorum, & infidelium sint inuitis parentibus baptizandi?*

D.Thom.3.*p.q.*68.*a.*10.(*vbi* Caiet. *& alij*) *&* 2.2.*q.*10.*a.*11. Richard.*d.*6.*a.*3.*q.*3. Durand.*hic q.*6. Palud. *q.*4. Gabr.*q.*2.*a.*3. Vasq.3.*p.d.*155. Suarez 3.*p.tom.*3.*d.*25.*s.*4. Sotus *d.*5.*q.*1.*a.*7.

DE paruulis [a] Iudæorum, & infidelium, an sint inuitis parentibus baptizandi. Dicitur quòd non: quia aut redderentur parentibus, & tunc baptizatio eorum esset in contumeliam fidei Christianæ, quia pòst nutrirentur à parentibus in errore parentum: aut non redderentur,& tunc fieret iniuria,quia dum sunt paruuli,ius habent parentes in eos. 1 *Rich. in* 4. *d.*4. *art.* 3. *q.*3.

Sed hæc ratio, licèt fortè concludat de quacumque persona priuata, quòd non posset paruulos à talibus auferre, nec iustè baptizare; non videtur tamen concludere de Principe, cui in regimine reipublicæ tales sunt subditi. Nam in paruulo Deus habet majus ius dominij,quàm parentes: vniuersaliter enim in potestatibus ordinatis, Potestas inferior non obligat in his, quæ sunt contra superiorem, sicut docet Augustinus de verbis Domini,hom.6. & ponitur cap.vlt. lib.1. *Si aliquid iubet potestas,quod non debes facere; hîc sanè contemne potestatem,timendo potestatem maiorem.* & declarat in exemplo de Curatore, & Proconsule, de Proconsule,& Imperatore, de Imperatore, & Deo: ergo si quis habet regere rempublicam, magis debet quantùm in se est, cogere vnumquemque subdi domino superiori, quàm inferiori: imò superiori contempto inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori. *Tom.*10. *Superiori Domino cõtra inferiorem obediẽdum est.*

Sicut ergo Imperator deberet sententiare aliquem obedire debere Proconsuli, contempto præcepto Curatoris,id est,inferioris Proconsule,si contradiceret Proconsuli: ita etiam,si essent sub eodem dominio ordinata, scilicet, quòd aliquis esset seruus Titij, & Titius Petri: magis deberet Imperator cogere seruum seruire Petro, quia superior est Titio, quàm Titio, si Titius vellet vti seruo illo contra dominum Petri: ergò maximè debet Princeps zelare, pro dominio seruando supremi Domini, scilicet Dei,& per consequens non solùm licet,sed debet Princeps auferre paruulos à dominio parentum volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus, & honestissimus dominus, & debet eos applicare cultui diuino.

## COMMENTARIVS.

1 a *DE paruulis Iudæorum*, &c. Hanc quæstionem paucis absoluunt antiqui,quam moderni, ex variis dicendi modis, in varias etiam quæstiones trahunt; quorum,vel ipsas opiniones prolixum est referre: videantur authores, quos citat Scholiastes sub titulo quæstionis de filiis infidelium, qui non subsunt Principibus Christianis,siue vt serui,siue vt ciues, non est quæstio, sed de iis qui subsunt, & quorum potest adhiberi cura debitæ educationis, & disciplinæ in Christiana religione; & iis quæ spectant ad salutem: quia in his tantùm fuit praxis aliquorum regnorum, vt in Hispania, ex qua fortè primùm mota est quæstio inter Scholasticos:neque est quæstio de Baptismo authoritate priuatâ dato, sed publicâ,quæ supponit potestatem in parentes. *Scopus quæstionis.*

Quantùm

*Negatiua.* Quantùm ad ſubiectos ciuiliter, negant aliqui poſſe baptizari inuitis parentibus, licitè: alij negant etiam validè baptizari; in priori ſententia eſt D. Thomas, & Richardus loco citato à Scholiaſte, & alij. Secundam docent quamdiu ſub cura parentum degunt, & poteſtate quotquot docent ad Baptiſmum infantis requiri conſenſum, & voluntatem alienam; non ſecus, ac ad Baptiſmum adulti conſenſum proprium: ita Durandus *in 4. diſt. 4. quæſt. 6.* Paludanus *quæſt. 4.* Capreolus *diſt. 5. quæſt. 1. art. 3. ad 3.* Syluester *in ſumma, verbo Baptiſmus 4. quæſt. 7.* Marſilius *in 4. quæſt. 4. art. 4. dub. 3.* Quantùm ad ſeruos communiter tenentur, filios eorum poſſe baptizari inuitis parentibus, ſed differentia eſt, quòd quidam baptizari non poſſe aiunt, antequam ſeparentur; alij dicunt etiam ante ſeparationem baptizari poſſe.

D. Thom. Richardus. Durandus. Paludanus. Capreolus. Syluester. Marſilius. *De filiis ſeruorum.*

Affirmatiuam partem docet Doctor cum limitatione ſuperiùs adiectâ, quem in præſenti quæſtione ſequuntur omnes eius diſcipuli, & Gabriel: vide ſcholium quod ſummariè, & clarè reſoluit hanc difficultatem. *Affirmatiua Doctoris.*

## SCHOLIVM.

*Principem poſſe inuitis parentibus infidelibus ſubditis, baptizari facere eorum paruulos, modò prouideat ne maiora mala inde ſequantur: imò ipſi parentes fortè minis inducendi eſſent ad profeſſionem fidei, ſi circumſtantiæ id vtile ſuaderent in fidei fauorem. Ratio, quia Princeps debet zelare pro dominio Dei, quod habet in paruulos vt baptizentur, & ei ſeruiant; & compeſcere ſubditos abutentes ſuo ſubordinato dominio in contrarium. Ratio eſt Auguſtini citati à Doctore: non tamen ſub pœna mortis eſſent compellendi: ſed benè pœna exilij, vel mortis ciuilis, & ſic intelligit Doctor, & hoc ſecundum practicauit Ferdinand. Rex Hiſpan. & habetur ex l. Cunctos, C. de ſum. Trin. primum prohibuit Concil. Tol. IV. vt habetur, c. de Iudæis d. 45. illud certum & commune, paruulos inuitis parentibus infidelibus validè baptizari, quia non requiritur propria, nec parentum intentio in paruulo, ex Auguſt. 23. eſt contra Dur. hic q. 7. & Cathar. opuſc. de infantibus Iud. baptiz.*

2 Dico ergo breuiter [b], quòd ſi Princeps hoc faceret, cum cautela bona, ſcilicet ne parentes priùs cognoſcentes hoc futurum, occiderent pueros ſuos, & quòd baptizatos faceret religiosè educari: benè fieret. Imò quod plus eſt, crederem religiosè fieri ſi ipſi parentes cogerentur minis, & terroribus ad ſuſcipiendum Baptiſmum, & ad conſeruandum poſtea ſuſceptum: quia eſto quòd ipſi non eſſent verè fideles in animo: tamen minus malum eſſet eis, non poſſe impunè legem ſuam illicitam ſeruare, quàm poſſe eam liberè ſeruare. Item filij eorum ſi benè educarentur in tertia, & quarta progenie, eſſent verè fideles.

*Iſai. 10.* Et ſi dicas, quòd ſecundùm prophetiam Iſaiæ, quam recitat Paulus Rom. 9. *Reliquiæ Iſraël conuertentur in fine*; & ideò Iudæos non oportet cogere totaliter ad Baptiſmum ſuſcipiendum, & relinquendum legem ſuam. Reſpondeo, non dubito, quin vera ſit prophetia Chriſti, quam recitat Chriſtus Ioan. 5. *Ego veni in nomine Patris mei, & non accepiſtis me: ſi alius venerit in nomine ſuo, illum ſuſcipietis*: ergo ad minùs ex verbo Chriſti erunt peruertendi, quia adhærebunt illi peſſimo Antichriſto, de quo eſt ſermo Chriſti prædictus. *Ioan. 5.*

3 Et ſi dicas, quòd viſâ deſtructione Antichriſti, illi qui ſibi adhæſerant, conuertentur; dico pro tam paucis, & ſic tardè conuertendis, non oporteret tot Iudæos in tot partibus mundi, tantis temporibus ſuſtinere in lege ſua perſiſtere: quia, finalis fructus de eis Eccleſiæ eſt, & erit modicus. Vnde ſufficeret aliquos paucos in aliqua inſula ſequeſtratos permitti legem ſuam ſeruare, de quibus tandem illa prophetia Iſaiæ impleretur.

Iſtud autem de parentibus infidelibus cogendis per minas, & terrores, videtur probari, quia ſimile commendat illud Concilium Toletanum ſupra allegatum. d. *Qui pridem ad Chriſtianitatem coacti ſunt, ſicut factum eſt temporibus religioſiſſimi principis * Aſſebuci*: ergo in hoc approbat eum tanquam principem religioſum, quia infideles coëgit ad fidem. *Concil. Tol. 4. c. 55. * al Siſebuci.*

## COMMENTARIVS.

2 b *Dico ergo breuiter*, &c. Hæc eſt concluſio Doctoris, quam probat ratione præmiſſâ ex authoritate S. Auguſtini, & ex ſubordinatione iuris parentum in filios, ad ius quod habet in ipſos Deus; contra quod nec licitè nec iuſtè fit vſus dominij inferioris, non ſolùm in præiudicium iuris diuini; ſed ipſius tertij, nempe infantis, cui tenetur parens prouidere de remedio neceſſario ad ſalutem, non ſolùm ex præcepto diuino, ſed etiam naturali: non ſecus ac de alimentis. Et hoc de iuſtitia eo modo, quo poteſt interuenire inter patrem, & filium iuſtitia: ſed Princeps habet poteſtatem coactiuam reſpectu ſubditorum ad defenſionem innocentis, quia *gladium Dei portat*; alioquin non rectè conſiſteret politia à Deo inſtituta inter homines. Si delictum publicum particularis perſonæ, & ſubiectæ non ordinaretur per ſufficientem authoritatem, quantùm

*Concluſio affirmatiua.* *Probatur.* *Poteſtas Principis.*

tùm ad posse, & maximè si est contra ius tertij, quale in proposito est ipsius infantis, & Dei, quia parens tenetur filio infanti reciprocè, sicut filius parenti: ergo si ex iure parentis in filium, fieret iniuria, si parenti auferretur; sic etiam ex debito parentis, quo obligatur filio infanti, fieret iniuria infanti, si abstrahat necessaria ad vitam corporalem, & spiritualem, sine quibus nequit consistere: vnde sicut Princeps potest vindicare occisionem infantis, quantùm ad vitam corporalem in parentem, & eripere infantem hoc periculo, & separare à parentibus: ita etiam potest à fortiori vitam eius spiritualem defendere, quia hæc potior est, ad eámque retinendam, exponenda est vita temporalis.

*Ius reciprocum filij in parentes.*

*Tenentur ei quoad necessaria, & cogi possunt.*

3 *Responsio aliorum.*

Respondent aduersarij, quòd licitè defenduntur infantes, & separantur à parentibus, quando iniusta vis ipsis infertur in rebus debitis iure naturæ; eo quòd defensio hæc locum habeat solùm contra vim, & fraudem manifestè repugnantem iuri naturæ. Parentes infideles non inferunt talem iniuriam, neque abuntur patriâ potestate propriè contra legem naturæ, sed contra legem fidei, & contra pietatem non lumine naturali cognitam, sed solo lumine fidei notam: ex quo inferunt, futile esse hoc argumentum; quia aliàs probaret priuatâ authoritate, sicut licet defendere infantem, quem occidit parens; ita etiam liceret baptizare eo inuito.

*Teneri parentes ad ea quæ necessaria sunt lumine naturæ.*

4 *Impugnatur ius naturæ nõ obligat contra legem fidei.*

Contra hanc responsionem primò, ius naturale non obligat contra legem fidei, quidquid enim conceditur iure naturali, completur in Decalogo, & reducitur ad præcepta virtutum, quæ omnia confirmantur lege fidei; & quæcumque lex ordinatur ad finem charitatis, quia charitas est plenitudo legis: nam sicut nullus est status medius naturæ puræ; sic etiam nulla lex naturalis, quæ non subordinatur charitati, fidei, & saluti: ergo nulla obligat in præiudicium fidei, & charitatis: pietas enim, in qua fundatur omne ius parentis in filium ratione propagationis, non obligat contra finem ipsius propagationis, qui est cultus Dei, recta educatio prolis ad salutem ordinata, ad quæ ordinatur etiam matrimonium, siue vt contractus naturalis est, siue vt Sacramentum: ergo pietas non obligat contra fidem, aut charitatem, aut salutem, & rectam educationem prolis, aut contra ipsam pietatem, qua parens tenetur infanti; ergo nullum ius concedit parenti in filium contra debitum pietatis, quâ tenetur filio, contra præceptum fidei, quo tenetur parens, & charitatis, contra præceptum de suscipiendo Baptismo, quod obligat tam fideles, quàm infideles.

*Omnis lex subordinatur charitati, & fidei.*

*Finis propagationis, & matrimonij.*

5 *Obligatio recipiendæ fidei propositæ sufficienter.*

Sed hæc præcepta lumine naturali ipsi non sunt nota; & iis propositis sufficienter tenetur ea amplecti, neque est ignorans: ergo etiam præceptum, quo tenetur ex pietate ad rectam educationem, & necessariam infanti ad salutem sufficienter propositum eum obligat; ita vt nullam habeat excusationem, aut prætendere possit, quin peccet contra pietatem; sicut is, cui prædicatur sufficienter fides, & eam non vult recipere, peccat peccato infidelitatis, vt per se notum est; & cui prædicatur necessitas Baptismi, & legis obligantis, illúdque contemnit, omnium opinione peccat, quia lege comprehenditur, & nullam iuris, aut facti ignorantiam prætendere potest, cùm ipsi sufficienter proponatur; quod ergo lumine naturali, aut lumine fidei diuinæ, aut humanæ cognoscat obligationem, quâ tenetur prouidere filio, non facit ad propositum, modò subsistat ipsa eius obligatio, quamuis ignorantia fundata, & inuincibilis ipsum aliàs excusaret à culpa, donec proponatur ei sufficienter præceptum. Multa enim sunt præcepta naturalia, quæ seclusâ traditione, & instructione per alienam authoritatem, priuatam, aut publicam, non cognoscuntur ab infidelibus.

*Ad obligationem non facit quod lumine naturali non sit notum.*

Sed infideles sub Principe Christiano, & inter Christianos degentes, nequeunt prætendere ignorantiam fidei, aut Baptismi, vt praxis docet, quia coguntur in plerisque locis audire verbum fidei, & mysterium, ac necessitatem Baptismi, vt Romæ Iudæi: ergo tales tenentur præcepto naturali prouidere filio de Baptismo, & consequenter nullum ius habent educandi filium contra præceptum, in perniciem, & damnationem: sed vbi non læditur ius paternum, quod in proposito est nullum, non fit iniuria prouidendo filio per publicam authoritatem, quæ succedit, & corrigit errorem patris; & seclusis aliis inconuenientibus & impedimentis, hoc ad eam spectat: ergo licitè potest id præstare, non obstante authoritate parentum.

*Infideles inter Christianos, nequeũt prætendere excusationem.*

*Publica succedit potestati paternæ ad correctionem.*

Secundò, Baptismus, aut fides susceptа, non inducit maiorem obligationem legis naturalis parentibus respectiuè ad pietatem, quâ tenentur filijs: quia non aggrauat legem naturæ fides, neque destruit, neque præiudicat iuri parentum in filios, aliàs essent peioris conditionis in hoc quàm infideles, & Iudæi; sed filij hæreticorum, & fidelium possunt secundùm aduersarios baptizari authoritate Principum, & Ecclesiæ renuentibus parentibus: ergo etiam infidelium subditorum filij baptizari, sine præiudicio iuris paterni, inuitis parentibus, authoritate Principis.

6 *Secunda ratio. Fides non minuit ius paternum.*

*Filij hæreticorum, & fidelium baptizari possũt inuitis parentibus.*

Maior patet ex dictis: quia fides confirmat legem naturalem, ac proinde non tollit ius parentum in filios. Minor conceditur communiter ab omnibus, exceptis fortè iis, qui requirunt consensum parentum, vt Baptismus sit validus: quæ sententia superiùs impugnata est, eámque meritò reiiciunt communiter authores post Augustinum; & quidquid de ea sit, non facit ad institutum, in quo quærimus præcisè de titulo iustitiæ requisitæ ad actum, ne fiat contra ius paternum. Consequentia probatur ex eo, quòd quis sit baptizatus, nullum ius politicus Princeps acquirit in filios eius magis, quàm in alios subditos infideles, eorúmque filios; nullum ius Baptismi recipiendi accrescit baptizatorum filiis, magis quàm aliis in præiudiciũ potestatis paternæ: nullum ius acquirit, ipsa etiam Ecclesia in filios parentum baptizatorum magis, quàm in alios, qui foris sunt, donec recipiant Baptismum; & quidquid sit, tantùm obligantur ad baptizandum filios, plusquam infideles, ratione fidei receptæ, & Baptismi, vnde redundat potestas compulsiua in Principe, vt possit prouidere filiis, & compellere parentes; sed fides recepta non variat obligationem, aut materiam pietatis, & nihil iuris addit, vel adimit parentibus: & præcepta quæcumque siue de fide, siue de Baptismo, quæ obligant parentes respectiuè ad filios, perinde obligant fideles, & infideles ciues, & quoad politicam subiectionem sunt pares: ergo etiam par potestas Principis in ipsos, quâ compellat ad Baptismum filiorum.

*Par potestas Principis in filios fidelium, & infidelium.*

7 *Tertia ratio. Ex potestate in filios seruorum.*

Tertiò seruitus politica, & ciuilis non magis inducit potestatem in præiudicium potestatis pa-

ternæ, quàm præceptum diuinum naturale, quo tenentur parentes prouidere filiis de neceſſariis ad ſalutem, quæ neceſſitas alligata eſt Baptiſmo, ſuppoſitâ promulgatione eius, vt ſuprà viſum eſt: ſed Principes poſſunt inuitis infidelibus ſeruis, auferre filios, & ſeparare à patentibus, eóſque baptizare ante, vel poſt ſeparationem, vt admittunt authores præmiſſi: ergo etiam idem dicendum de filiis infidelium ciuium. Maior cum conſequentia probatur, ſeruitus non eſt inducta iure naturali, ſed iure politico, aut Gentium: neutrum horum poteſt præiudicare iuri naturali, quod eſt fundamentum reliquorum; ideóque poteſt ſeruus, & ſerua agere pro alimoniis neceſſariis, ſicut Monachus, & Monacha, quibus nihil eſt proprij: ſed acquirunt Monaſterio, ſicut & ſeruus domino; & poteſt ſeruus, & ſerua fugere, ſi cogantur à domino ad violationem iuris naturalis; vt ſi ſerua de pudicitia ab eo tentetur; imò hoc ipſo ſit libera.

*Seruitus non eſt inducta iure naturali*, vide infrà d. 15.

*Non præiudicat iuri naturali.*

Ergo ſi ſeruitus præiudicat poteſtati paternæ in filios, vt eo inuito baptizari poſſint: ſic etiam præceptum Dei, & iuris naturalis, quo ipſe tenetur eis prouidere de remedio, & inſtructione, ſeu educatione neceſſariâ ad ſalutē, perinde præiudicat eidem poteſtati, quia hoc ſtrictiùs obligat in ordine ad Deum, & ad ipſum infantem, quàm titulus ſeruitutis, in ordine ad dominum politicum. Si ergo poteſtas paterna non præiudicat ſubiectioni ad dominum temporalem, quæ concedit ius & facultatem extrahendi, & vendendi, aut baptizandi ſeruorum filios, à fortiori non præiudicat, neque extenditur contra ſubiectionem debitam Deo, & legi naturali, quæ eſt de debita educatione prolis.

*Præceptū iuris naturalis ſeruitutis titulo ſtrictius.*

8 *Confirmatur. Præceptis cōcurrentibus potiùs tenet.*

Confirmatur, quia concurrētibus duobus præceptis in eadem materia, inferioris præceptum cedit præcepto ſuperioris; politicum diuino poſitiuo; naturali poſitiuum; inferioris virtutis præcepto ſuperioris, cæteris paribus. In propoſito autem id magis patebit, comparando præceptum, ſeu ius ſeruitutis cum præcepto diuino, & naturali, vt patet in inſtantiis datis, de ſeruo, & ſerua; quia ſubiectio per ſeruitutem diſſoluitur, quando nequit obſeruari ſine præiudicio legis diuinæ, aut ſine periculo fidei, caſtitatis, aut alterius peccati, quæ ſit grauis offenſa diuinæ legis, aut naturalis, aut iuris, etiam tertij: ſed ſeruitus ita præiudicat parentibus infidelibus, & ſeruis, quantùm ad ius paternum in filios quoad propoſitum caſum; ita vt contra voluntatem domini non teneat: ergo à fortiori ius diuinum naturale de recta educatione prolis, ſimiliter præiudicat poteſtati paternæ, quando vſus eius ſit contra legem Dei, & cedit præcepto fidei, & Baptiſmi, quo tenentur parentes in ſeipſis, & in ordine ad filios, ex fundamento ſententiæ oppoſitæ; quæ reducit ius paternum, & obligationem ſtrictam eius in hoc, quòd infans ſit aliquid patris; & quantùm ad ius poſitiuum non ſint diuerſæ perſonæ, quia quod acquirit parens, acquirit etiam filio: ergo etiam ſicut parens tenetur præcepto Baptiſmi, & ſalutis ſuæ procurandæ; ita etiam hoc præceptum comprehendit ſuo modo filium, quantùm ad obligationem parentis, ſaltem quando filius non eſt capax voluntatis propriæ.

*Seruitus cedit legi diuinæ.*

*Ius paternum in quo fundatur.*

9 *Quarta ratio. Filius peruenies ad vſum rationis bapti-*

Quartò, filius peruenies ad vſum rationis modò conſentiat, inuitis parentibus, baptizari poteſt; & ſi ſubſit periculum ſubuerſionis, etiam poteſt ſeparari; ſed vſus rationis in filio nihil derogat poteſtati paternæ: ergo etiam ſine præiudicio paternæ poteſtatis ſimiliter poteſt infans baptizari. Maior eſt conceſſa ab omnibus: quia in iis quæ faciunt ad ſalutem, non ſubeſt patri, quando ipſe eſt capax proprij conſenſus. Minor probatur, quia in omnibus reliquis eſt ſubiectus, ſaltem quamdiu eſt impubes; ita vt contractus, donationes, vota eius poſſint irritare parentes: ergo ideò, quoad ea, quæ ſunt ſalutis non ſubeſt, quia in fauorem fidei cultus, & ſalutis eximitur à poteſtate paterna, quando his repugnat: ergo etiam quando eſt infans in præiudicium ſalutis, &c. non ſubiicitur poteſtati paternæ.

*zatur volens inuitis parentibus.*

*Non ſubeſt parentibus in præiudicium ſalutis.*

Patet vltima conſequentia, quia vſus rationis non eximit illum à poteſtate paterna, vt dixi, in omni materia, ad quam ſubſiſtit ipſa poteſtas: non ſubſiſtit quoad peruenientem ad vſum rationis contra fidem, ſalutem, & reliqua, quæ ad ſalutem faciunt, & in ordine ad Deum, cui magis ſubiicitur, quàm parentibus, & in detrimentum animæ propriæ; hæc omnia concurrunt in eo infante: ergo præiudicant poteſtati paternæ, quando repugnat.

Patet ſubſumptum, infans eſt capax ſalutis & damnationis, ſubiicitur neceſſitati Baptiſmi, & præcepto, quantùm eſt ex parte legis: in infantia habet ius propriæ ſalutis, ſicut & alia iura hæreditatis, alimentorum, legitimæ ſucceſſionis, educationis, quamuis vſus impediatur; pro ipſo Chriſtus paſſus eſt, eſt capax fructus, & applicationis meritorum Chriſti, etiam quoad vſum, & effectum ſalutis, vt de fide eſt: habet neceſſitatem: quia peccatum quod ineſt independenter à voluntate parentum, & quod expiari poteſt Sacramento, habet periculum certæ damnationis, ſi in ea ætate decedat ſine remedio: ergo ſicut poteſtas paterna non præiudicat aliis iuribus politicis, & naturalibus, quæ obſeruare cogitur à Principe, & debet; ita etiam minùs præiudicare poteſt huic iuri magis fundato, & ex quo acquiritur maius emolumentum, & fundatur in ſubiectione infantis ad Deum, quæ tolli nequit, & cuius violatio irreparabile detrimentum afferre poteſt: ergo etiam infans in illo ſtatu habet quodcumque ius, quantùm ad titulum, in ordine ad ſalutem, quod habet perueniens ad vſum rationis, ſicut & neceſſitatem: & in hoc ſolùm differt perueniens ad vſum rationis quòd fiat capax ſui iuris in vſu per proprium conſenſum: ſed ad Principem ſpectat vindicare ius innocentis contra inuaſores, deficientibus inferioribus miniſtris, & abutentibus ſuâ poteſtate: ergo & defendere infantem contra parentes in ſuo iure, & fructu, quo in ea ætate frui poteſt.

10 *Infans eſt capax ſalutis, & habet ius eius obtinenda.*

Confirmatur, infans in certo periculo mortis conſtitutus, poteſt baptizari inuitis parentibus, vt concedunt aliqui ex Doctoribus oppoſitæ ſententiæ, etiam à priuata perſona; hoc eſſet falſum, ſi poteſtas paterna præiudicaret neceſſitati infantis, & præcepto charitatis, quo alius in extrema neceſſitate conſtituto ſubuenire debet, ſecluſo alio inconuenienti, præter læſionem prætenſam poteſtatis paternæ, quæ nulla eſt: ergo etiam Princeps in probabili periculo mortis poteſt ſubuenire infantibus per remedia opportuna, etiam inuitis parentibus, ſecluſis aliis inconuenientibus; imò fortè, quod amplius eſt, tenetur, non ſecus ac priuatus in caſu expreſſo. Probatur conſequentia; iure adminiſtrationis publicæ tenetur ſubmouere pericula multorum ſubditorum, ſi commodè, & ſine maiore incommodo poteſt, non ſolùm præſentia, & certa; ſed etiam probabi

11 *Confirmatur. In periculo mortis poteſt baptizari inuitis parentibus.*

*Obligatio Principis.*

probabilia, & imminentia: quia hoc ad prudentiam, & prouidentiam legislatoris spectat, secundùm quam operari tenetur respectiuè ad subditos; & pater in periculo probabili infantis, tenetur etiam ei subuenire: sed infantes infidelium subditorũ sunt magna pars Reipublicæ, & in ea ætate, quæ minimo cuique nocumento subest, & infert periculũ probabile mortis, propter teneritudinem, & minimam resistentiam, accedente infidelitate parentum, qui remedia salutis & sibi, & infantibus necessaria nunquam adhibebant, sed abhorrent: ergo de iis potest prouidere Princeps inuitis parentibus contra rationem & debitum, nullúmque ius habentibus, illa propulsandi.

12 *Responsio.*

*Impugnatur.*

Si dicas, infantes habere ius, sed impeditum, & remotum, quia cùm nequeat habere voluntatem propriam, reputatur voluntas parentum tanquam voluntas eius, quæ repugnat. Contrà, si interpretari licet voluntatem infantis præsentem, aut futuram, illa interpretanda est, quæ ad necessitatem tollendam valet, & pro qua diuina lex, & salus infantis clamat, & supponit, & quæ est secundùm ius ipsius, & ordinationẽ Dei, & Christi, eámque voluntatem, quæ debet inesse parentibus, non quæ inest, sicut in fide, & intẽtione Christi, & Ecclesiæ, baptizantur validè, non in fide parentum, si infideles sunt, aut hæretici, vel si minister est talis, ex errore priuato, modò saluetur in eo intentio vniuersalis: ergo non est interpretanda voluntas iniqua parentum esse infantis.

*Nequit voluntas iniqua parentis esse infantis.*

13 *Quinta ratio.*

*Potestas paterna est in fauorem infantis.*

Quintò, quia potestas, quam habẽt parentes in infantem, seu tutores, qui parentibus succedunt, magis est in fauorem infantis, quàm in fauorem ipsorum, quamdiu manet in ea ætate: ergo nequit esse aut fundari in præiudicium infantis. Antecedens patet, quia in ea ætate nequit aut sibi, aut aliis, per se proficere; parentes autem ipsi tenentur de educatione, & aliis necessariis: ex actu autem, & vsu sufficienter declaratur potestas, & eius finis; quando autem peruenit infans ad vsum rationis, parentibus tenetur; sed non in iis quæ repugnant saluti; quia *qui non odit patrem suum, & matrem*, &c. *non est me dignus*, vt explicat Gregorius *quos aduersarios sentit in via Dei*: ergo minùs parentes videntur habere potestatem in ipsum infantem in præiudicium suæ salutis, quia filius nõ debet portare iniquitatem patris, aut ei subesse quoad hoc: & si filius quando iam proficit patri, non est in potestate eius, quoad ea, quæ sunt salutis, quando obest, minùs congruum erat bonitati diuinæ eum constituere sub eius potestate iniqua, quàm quando est infans, & minùs sibi subuenire posset.

*Minùs subest parenti infans, quàm perueniens ad vsum rationis, quoad salutem.*

*Potestas Principis ad vindicãdum ius suum infanti.*

Sed est aliqua potestas coactiua, & executiua huius iuris, quod habent infantes, non alia, quàm Principis, deficientibus, aut abutentibus sua potestate tutoribus, & parentibus: ergo potest Princeps dare suum ius infantibus, reclamante pro ipsis lege diuina, & propria necessitate.

14 *Responsio. Impugnatur.*

Dices, quòd Princeps habet tantùm ius positiuum. Contrà si parentes in aliis virtutibus malè educant filios contra legem naturalem, potest Princeps emendare eorum errorem; sed nihil magis est de lege naturali, quàm Dei cultus verus, nihílque magis conducit ad pacem publicam, & profectum Reipublicæ: ergo Princeps habet potestatem corrigendi errorem in religione, qui redũdat in publicum detrimentum, inuitis etiam parentibus educantibus filios in contemptum religionis, & veri cultus: & quamuis Princeps non habeat potestatem directam in ordine ad spiritualia, habet tamen indirectam, quando error vergit in detrimentum vtilitatis communis: sicut, ex sententia Theologorum, Pontifex habet potestatem indirectã, & vniuersalem quoad temporalia, quãdo necessaria sunt ad finem spiritualem.

*Princeps habet ius vindicandi corruptelã educationis.*

Ex his omnibus vnica hæc coclusio elicitur, 15
nempe ius parentis in filium nullum esse, in præiudicium salutis eius, & fidei, ac institutionis diuinæ: ac proinde posse Principem sine læsione iuris, quod non fundatur, potestatis paternæ, eo inuito filium eius baptizare.

*Vasquez reijcitur.*

Vasquez d. 155. qui illam responsionem hactenus impugnatam transcripsit, velut communem Doctorum aduersæ sententiæ, adducit diminutè fundamentum, seu rationẽ Doctoris, & quasi in contemptum dicit eam vnicam esse, nõ aduertens quòd in contraria sententia vnica, etiam sit, quæ desumitur ex potestate parentum in filios: in quæstione autem versatur quomodo hæc parentum potestas sit intelligenda. Doctor contendit non esse intelligendam, quasi extendat se contra potestatem Dei in eundem infantem, & quæ nullo modo extẽdatur in præiudicium ipsius infantis, neque fidei, & cultus diuini, quia est potestas subordinata, nec tenet contra potestatem superiorem; nec tenet contra ius tertij, ipsius scilicet infantis; nec tenet contra debitum fidei, & cultus quod strictiùs ligat; nec tenet vniuersaliter contra iustitiam: & hoc videtur verum etiam in multis aliis; vt est exempli gratiâ, obligatio contractus matrimonialis inter infideles, quæ est iuris naturalis, non tenet altero coniugum ad fidẽ conuerso, in præiudicium fidei, & religionis, quando subest tale periculum: non ligat restitutio debiti, quãdo vrget necessitas grauissima debitorem; non vrget debitum coniugale cum abusu contra temperantiam: non vrget ipsa subiectio filij parentibus, quando peruenit ad vsum rationis, cum periculo subuersionis propriæ: non vrget præceptum de non auferenda re aliena, quando præualet extrema necessitas, si dominus est nolens; non vrget præceptum conseruandi vitam per medicinam, & alia exquisita remedia, quæ exhauriunt integram substantiam ægri, in detrimentum vxoris, & filiorum, & familiæ.

*Quæstio versatur, circa interpretationem iuris paterni.*

*Consequẽtiæ plura ex ratione Doctoris.*

*Casus derogantes iuri priuato.*

Aliud ergo est parentes habere ius absolutè in 16
filium infantem; & aliud est ius prædictum cum omni limitatione, & concurrente ex vna parte iniquitate parentis, & aliis circumstantiis, quas hactenus explicuimus, subsistere: nam inter ipsos oppositæ sententiæ Doctores, in alia quæstione, de dispensatione legis naturalis, nihil est magis vulgare, quàm materiam legis naturalis, accedente noua circumstantia, ita variari, vt definat obligare, per hæc soluendo exempla, quæ dispensationem sonant.

Quamuis ergo parentes habeant ius absolutè, illud non extenditur ad materiam, in quauis circumstantia, quæ eam omnino mutat; qualis est quælibet ex dictis. Sic Princeps habet ius in regnum, quod potiùs est ex fine, quàm parentis in filios, quia si necessitas subest Reipublicæ, potest priuare parentem, separando filium eo inuito, & exponendo pro salute Reipublicæ; sed ius non habet, vt tyrannicè eo vtatur, & contra finem debitum in ruinam Reipublicæ, cui tenetur de recta administratione; pater habet ius in filios, familiam, & substantiam; tamen si est prodigus, abliguriens patrimonium, & peruersè vtens suo iure, potest priuari illo iure. Hæc & plura ex vnica illa ratione, & sit vnica Doctoris, elicere

possumus. Redargutio autem allata ab eo (quasi priuatus posset, quod in nostro casu posset princeps) in responsione, est satis in doctrina morali infirma, quia homo priuatus nequit sine authoritate ingerere se administrationi publicæ, neque potest; ac proinde nequit priuare parentes, aut alios suâ possessione, etiam iniquâ, ex propria authoritate; si tamen casus extremæ necessitatis infantis vrgeret, neque alius adesset, posset eum inuito parente baptizare iam moribundum; vt vel ipsi etiam alterius sententiæ docent. Sequela ergo illata ex doctrina Doctoris non est ad propositum, neque ex principiis eius sequitur.

17 *Responsio aliorum.* *Si baptizare licet, licet etiam separare.*

Respondent alij non esse contra ius paternum batizari infantē eo inuito, sed separari esset contra ius paternum, quæ tamen separatio necessaria foret. Contrà, si non est contra ius parentum baptizare infantē, iis inuitis, minùs est contra idem infantem baptizatum separare, si sit necesse, quia, suscepto Baptismo, iam transit in ius Ecclesiæ, & prævalet favor fidei, & Sacramēti. Consequentia probatur, quia accessoriū sequitur naturam principalis: ergo si iure fit Baptismus infantis inuitis parentibus, etiam separatio, inuitis parentibus, si necessaria est, iure fit; cùm ratione Baptismi nouus acquiritur titulus infanti, contra parentes, & Ecclesiæ. Accedit quòd etiam sine vlla separatione possit infanti prouideri donec vsum rationis attingat; tunc autem non subest parentibus in iis, quæ sunt salutis: potest ergo tunc separari, & cogi ad obseruantiam fidei, etiam inuitus; ex Toletano IV. & cap. *Cùm Martha:* quia subest directè Ecclesiæ.

18 *Responsio aliorum refellitur.*

Alij respondent fore scandalum. Sed contrà, quia illud scandalum nescio in quo fundatur: in primis non est scandalum ex parte infantis, cuius saluti rectè prouidetur: non est scandalum parentum, nisi tantùm Pharisaïcum, quia iam supponuntur dari in reprobum sensum: neque est scandalum respectu credentium, vt per se constat. Si dicas reddi posse fidem odiosam per hoc, apud infideles, qui similiter vterentur eadem violentia circa infantes fidelium quos rapiunt: sed primum nihil est, quia vix fides potest reddi magis odiosa apud infideles iam obduratos, quàm sit artificio dæmonis, & eadem ratio vrgeret baptizando filios Anabaptistarum, aut aliorum hæreticorum, quibus sic licet succurrere. Deinde infideles, & hæretici non minùs diligentes sint ad subuersionem filiorum, aut infantum fidelium, siue casus noster habeat praxim, vel non habeat. Vltimò, tandem casus noster intelligitur

*Impedimenta ex scandalo pretensa subuertuntur.*

*Casus noster excludit maius damnum.*

practicandus, vbi non emergat maius damnum.

19 *Aliorum respensio.* *Ex quibus colligenda est voluntas Dei.*

Respondent alij, quòd Deus nō ita voluit violentè homines vocari ad fidem, sed liberè, & nullâ necessitate: sed hoc vnde constat nescio, dato casu: quia voluntatem Dei licet colligere ex institutione Sacramenti, quod hoc modo collatum valet; quidquid dixerint quidam: lex charitatis, & iustitia secundùm quas in proposito operatur, est lex Dei. Deus etiam in forma patrisfamilias vocauit liberè ad cœnam seruos suos, sed alios negantes cótempsit, alios etiam induxit per *compelle intrare*: Habemus etiam exempla Matathiæ 1. *Machab. cap.* 2. qui sic in virtute circumcidit infantes in finibus Israël, in quibus vix est dubium fuisse aliquos filios infidelium, & Assebuti quod adducit Doctor, qui religiosus Princeps appellatur à Toletano IV. Habemus etiam exemplum Ferdinandi Catholici, & aliorum Regum Hispaniæ, qui Mauros, & Iudæos compulerunt ad Baptismum, inter quos non est dubium fuisse multos inuitos ad Baptismum proprium, & filiorum. *Exempla & praxis.*

Ex quibus patet ad fundamenta oppositæ sententiæ, & ad alteram partem conclusionis, quæ magis spectat ad materiam de fide: eam hîc tangit Doctor incidenter; proinde ne prolixiùs trahamus hanc quæstionem, quàm Doctor sine argumentis, vt ipse asserit, sicut, & præcedentem transegit, in suum locum eam remittimus. Videnda est obligatio Principis, vt prouideat verum cultum, qui est iuris naturalis, & summoueat blasphemias, & errores publicos, quæ prouocant iram Dei in detrimentum publicæ pacis; quid conducat ipsis infidelibus religio, & huiusmodi; & cur magis extendatur potestas ciuilis in hæreticos, quàm in infideles, & huiusmodi alia, vt sunt sacrilegia, quæ ab huiusmodi contra fidem publicè, & priuatim fiunt, an habeat ius illa vindicandi, aut prohibēdi vsum suæ superstitionis, ex quo redundare potest periculum subuersionis aliorum fidelium: sicut & plura alia peccata contra ipsam legem naturalem. De his nihil ad præsens dico, ne prolixior sim; sed tantùm intelligendum dico esse Doctorem de minis, & terroribus in materia ciuili, & exilio, non autem in iis minis, quæ tendunt ad mortem corporalem; vt benè aduertit Scholiastes, cap. vt autem, *de Iudæis, dist.* 45. sic intelligitur de minis, quibus succedit mors corporalis, & tormenta; non priori modo; nam vbi detrimentum publicum, & periculum vrget tam proditionis, quàm rebellionis, ac etiam subuersionis fidelium, rectè prior necessitas ipsis potest imponi.

# DISTINCTIO QVINTA.

*A*

POST hæc sciendum est, Sacramentum Baptismi à bonis & à malis ministris dari, sicut à bonis & à malis sumitur. Nec melior est Baptismus, qui per meliorem datur, nec minùs bonus, qui per minùs bonum datur, nec malus qui per malum datur, nec maius munus datur in Baptismo dato à bono, nec minus in Baptismo dato à malo, sed æquale: quia non est munus hominis, sed Dei; quod totum subditis declaratur testimoniis. Augustinus ait, [Baptismus talis est, qualis ille, in cuius potestate datur, non qualis est ille,

*Augustin. sup. Ioan tract. 5. ante med.*

per

per cuius miniſterium datur. ] Item, [ Prorſus fieri poteſt, vt aliqui verum habeant Baptiſma, & non habeant veram fidem. ] Item, [ Si inter bonos miniſtros, cùm ſit alius alio melior, non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem datur: nullo modo malus eſt, qui etiam per malum datur, quia idem Baptiſmus datur: & ideò per miniſtros diſpares Dei munus eſt æquale, quia non illorum, ſed eius eſt. ] Idem, [ Cùm baptizat malus, illud quod datum eſt, vnum eſt: non impar propter impares miniſtros, ſed par & æquale propter hoc: Hic eſt qui baptizat. ] Item, [ Ego dico, & nos dicimus omnes, quia iuſtos oportet eſſe, per quos baptizatur: iuſtos oportet eſſe tanti Iudicis miniſtros. Sint miniſtri iuſti, ſi volunt. Si autem noluerint eſſe iuſti, qui ſedent in cathedra Moyſi, ſecurum me facit Magiſter meus, ſcilicet Chriſtus: de quo Spiritus ſanctus, Hic eſt qui baptizat. ] Item, [ Quos baptizauit Iudas, Chriſtus baptizauit, Si quos ergo baptizauit ebrioſus, homicida, adulter: ſi Chriſti erat Baptiſmus, Chriſtus baptizauit. Non timeo adulterum, nec ebrioſum, nec homicidam: quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hìc eſt qui baptizat. ] Item, [ Homicida dedit Baptiſmum Chriſti: quod Sacramentum tam ſanctum eſt, vt nec homicidâ miniſtrante polluatur. ] Item, [ Si in hæreſi quaſcumque, vel ſchiſmate quiſpiam in nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti Baptiſmi Sacramentum acceperit, integrum Sacramentum accepit: ſed ſalutem, quæ virtus eſt Sacramenti, non habebit, ſi extra Eccleſiam Catholicam ipſum Sacramentum habuerit. Debet ergo ad Eccleſiam redire: non vt Sacramentum Baptiſmi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere, ſed vt in ſocietate Catholica vitam accipiat. Baptiſmus enim extra Eccleſiam nequit prodeſſe. Ibi enim cuique prodeſſe poteſt Baptiſmus, vbi poteſt prodeſſe eleemoſyna, ſcilicet, in Eccleſia. ] Item Iſidorus, [ Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, ſed ſpiritum Dei ſubminiſtrare gratiam Baptiſmi, licèt paganus ſit qui baptizat. ] In his perſpicuè cernis, Baptiſmum verum bonis & malis dari, & à bonis, & à malis: & ipſum tamen æquè ſanctum eſſe, & munus eius æquale in bonis, ſiue à bonis, ſiue à malis baptizentur.

*De vni. Baptiſmi contra Petil. cap. 11.*
*Aug. lib. 3. cõtra Creſc. Gram. c. 6.*
*Sup. Ioan. tract. 6. Ioan. 1. e.*
*tract. 5. ſuper Ioan. poſt med.*
*Matth. 23.*
*Ioan. 1. e.*
*Ibid. paulo poſt.*
*Ibid. paulo inferius.*
*Lib. de fide ad Pet. c. 4. verſus finẽ.*
*In decret. Iſid. tit. de ſacr. Bapt.*
*De conſecr. diſt. 4. cap. Roman.*

## *De poteſtate Baptiſmi & miniſterio.*

B QVia miniſterium tantùm habent, non poteſtatem Baptiſmi. Poteſtatem enim ſibi Dominus retinuit. Quod nouit Ioannes, cùm vidit columbam deſcendentem ſuper Chriſtum. Vnde Auguſtinus, [ Quid nouerat Ioannes Baptiſta? Dominum; quid non nouerat? Poteſtatem dominici Baptiſmi in nullum hominem à Domino tranſituram, ſed miniſterium planè tranſiturum, poteſtatem à Domino in neminem transferendam, ſed miniſterium in bonos & malos. Non exhorreat columba miniſterium malorum, reſpiciat poteſtatem Domini. Quid facit ibi miniſter malus, vbi bonus eſt Dominus? ] [ Neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Si ſuperbus fuerit miniſter, cum diabolo computatur, ſed non contaminatur donum Chriſti, quod per illum fluit, purum eſt. ] [ Per lapideum canalem tranſit aquâ ad areolas: in canali lapideo nihil generatur, ſed hortus fructus plurimos affert. ] Habent ergo non modò boni, ſed etiam mali miniſterium baptizandi, ſed neuter poteſtatem Baptiſmi. Miniſterium enim dedit Chriſtus ſeruis, ſed poteſtatem ſibi retinuit, [ quam ſi vellet poterat ſeruis dare, vt ſeruus daret Baptiſmum ſuũ tanquam vice ſuâ. Et poteſtatem ſuam

*Ioan. 1. e. Aug. tract. 5 ſup. Ioan. litera f. De conſecr. diſt. 4. Baptiſmus talis.*
*1. Cor. 3. b. Ibid. paulo poſt med. litera h.*
*Ibidem.*

conſtituere poterat in aliquo, vel in aliquibus ſeruis ſuis, vt tanta vis eſſet in Baptiſmo ſerui, quanta eſt in Baptiſmo Domini, ſed noluit: ne ſeruus in
*Ier.17.* ſeruo ſpem poneret. Baptizat ſeruus vt miniſter, baptizat Dominus tanquam poteſtatem habens: quam ſi daret ſeruis, vt ſcilicet ipſorum eſſet quod Domini erat, tot eſſent Baptiſmi, quot ſerui: vt ſicut dictus eſt Baptiſmus Ioannis, ſic diceretur Baptiſmus Petri, vel Pauli. Quod ne fieret, retinuit ſibi Dominus poteſtatem Baptiſmi, ſeruis autem miniſterium dedit. Si ergo ſeruus dicit ſe baptizare, rectè dicit, ſed tanquam miniſter baptizat, & ideò non dif-
*Ibid. & lib. 5. de Baptiſmo contra Donatiſt. c.14.* fert ſiue bonus, ſiue malus baptizet.] [ Inde etiam nemo dicit, Baptiſmus meus, cùm tamen dicat, Euangelium meum, prudentia mea, licèt ſint hæc à Deo, in quibus differentia eſt. Alius enim alio meliùs operatur in euangelizando: & alius alio prudentior eſt. Alius autem alio magis minúſve baptizatus, ſiue ab inferiori, ſiue à ſuperiori baptizetur, dici non poteſt.]

## *Quæ fuit poteſtas Baptiſmi, quam potuit Chriſtus dare ſeruis?*

C HIc quæritur, quæ ſit illa poteſtas Baptiſmi, quam Chriſtus ſibi retinuit, & potuit dare ſeruis? Hæc eſt, vt plurimi volunt, poteſtas dimittendi peccata in Baptiſmo, ſed poteſtas dimittendi peccata, quæ in Deo eſt, Deus eſt. Ideò alij dicunt hanc poteſtatem non potuiſſe dare alicui ſeruorum: quia nulli potuit dare vt eſſet quod ipſe eſt, vel vt haberet eſſentiam, quam ipſe habet, cui hoc eſt eſſe quod poſſe. Dicunt enim, ſi hanc potentiam alicui dare potuit, potuit ei dare creaturas creare: quia non eſt hoc maioris potentiæ, quàm illud. Ad quod dici poteſt, quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata, non tamen ipſam eandem, quâ ipſe potens eſt, ſed potentiam
*Hic Mag. non tenetur.* creatam, quâ ſeruus poſſet dimittere peccata, non tamen vt auctor remiſſionis, ſed vt miniſter, nec tamen ſine Deo auctore: vt ſicut in miniſterio habet exteriùs ſanctificare, ita in miniſterio haberet interiùs mundare: & ſicut illud facit Deo auctore, qui cum eo, & in eo operatur illud exterius, ita interiùs mundaret Deo auctore, qui eius verbo velut quodam miniſterio vteretur. Item etiam poſſet Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tan-
*1.Cor.3.* quam auctorem, ſed miniſtrum, cum quo & in quo operaretur: ſicut in bonis operibus noſtris ipſe operatur & nos: nec ipſe tantùm, nec nos tantùm, ſed ipſe nobiſcum, & in nobis: & tamen in illis agendis, miniſtri eius ſumus, non auctores. Ita ergo potuit dare ſeruo poteſtatem dimittendi peccata in Baptiſmo, id eſt, vt in mundatione interiori ſeruus cum Domino operaretur: non ſeruus ſine Domino, nec Dominus ſine ſeruo, ſed Dominus cum ſeruo, & in ſeruo: ſicut in exteriori miniſterio Dominus operatur cum ſeruo, & in ſeruo. Vnde & Dominus dicitur ſanctificare, & ſeruus: ſed Dominus in-
*Cap. 84. tom.4. Leuit.21. Exod.19.c.* uiſibili gratiâ, ſeruus viſibili Sacramento. Vnde Auguſtinus ſuper Leuit. Dominus ait, Ego Dominus qui ſanctifico. Et de Moyſe etiam dictum eſt, Et ſanctificabis eum. Sed Moyſes ſanctificat viſibilibus Sacramentis per miniſterium, Dominus autem inuiſibili gratiâ per Spiritum, vbi eſt totus fructus viſibilium Sacramentorum. Sine hac ſanctificatione viſibilia Sacramenta nil proſunt. Si quis hoc meliùs aperire poterit, non inuideo.

POSTQVAM Magister egit de Baptismo in se, & de suscipiente, hîc agit de ministro. Primò ergo agit de conditionibus ministri. Secundò de modo ministrandi, ibi [*Hîc etiam sciendum est.*] Prima in duas, primò de ministri potestate: secundò de eius statu, & gradu. Secunda in principio dist. 6. [*Nunc quibus liceat baptizare.*] Prima in duas, primò ostendit, quòd illa potestas non est impedibilis per malitiam ministri: secundò ad quid se extendit, ibi [*Hîc quæritur.*] Prima in duas, primò ostendit, quod ita est: secundò ostendit propter quid ita est, ibi, [*Quia ministerium.*]

Circa hanc distinctionem quintam quærendum est qualiter malitia ministrantis se habet ad impedimentum; vel non impedimentum Baptismi, & circa hoc quæro duo. Primum, Vtrùm malitia ministri impediat conferri verum Baptismum? Secundò, Vtrùm recipiens Baptismum scienter à malo ministro, mortaliter peccet?

## COMMENTARIVS.

IN hac distinctione postquã hactenus tractauit de essentialibus Sacramenti, eius effectu, & susciepiente, agit de ministro quoad statum eius: in sequenti verò agit de per se requisitis ex parte ministri. Hac ergo distinctione quærit primò, *An malitia ministri impediat effectum Sacramenti si cætera adsint, quæ requiruntur?* Secundò, *an recipiens Sacramentum scienter à malo ministro, peccet mortaliter?* Tertiò, *an licitè ministretur Baptismus, quando præsumitur sequi periculum vitæ corporalis?* *Ordo & diuisio distinctionis.*

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm malitia ministri impediat collationem Baptismi?*

Alens. 4. *p. q.* 16. *m.* 2. *per tres art.* D. Bonau. *hic a.* 1. *q.* 1. Richard. *d.* 3. *q.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 64. *a.* 5. *&* 9. Vasq. 3. *part. d.* 137. Suar. *tom.* 3. *d.* 13. *s.* 4. Castro *v. Baptismus hær.* 5. *&* *v. potestas.* VValdens. 1. *tom. lib.* 3. *c.* 81. 82. 83. *late* Coccius 2. *tom. lib.* 5. *art.* 2.

AD primum sic proceditur, & arguitur, quòd sic, Ambrosius in libro de initiandis rudibus, & habetur 1. *q.* 1. non sana. *Baptismus perfidi non mundat, sed polluit.* Quod probat auctoritate Psalm. 31. *In diluuio aquarum*, &c. dicitur de malis. Probat etiam per illud Apostoli ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est.* 1 *Mag. A. B. C.* *Argum. 1. Ambr.*

Item 1. *q.* 1. *Corporalia*, & est Augustinus de Baptismo paruulorum, *separati formam habere possunt: virtus in eis esse non potest, quemadmodum sensus non sequitur membrum, quando amputatur à corpore.* *Argum. 2.*

Item ratione, membrum aridum non potest esse causa influendi vitam in aliud membrum: minister malus est membrum aridum Ecclesiæ: quia sine gratia, quæ est vita Ecclesiæ: ergo, &c. *Argum. 3.*

Item, in aqua ad hoc, vt sit materia conueniens, oportet vt sit aliqua virtus supernaturalis: probatur per illud Ambrosij de *consecr. dist.* 4. *per aquam*: ergo multo magis requiritur aliqua sanctitas, vel virtus supernaturalis in ministro, vt baptizet: magis enim dependet Baptismus à dispositione ministri conueniente, quàm ab aliqua virtute aquæ: ergo, &c. *Argum. 4.*

Item, Augustinus de vnico Baptismo, post medium refert Martyrem Cyprianum glorioſum, qui apud hæreticos, vel schismaticos, datum Baptismum nolebat cognoscere, &c. ex hoc arguo sic, errans circa aliquem articulum fidei, si in illo errore moritur, damnatur: quia *sine fide impossibile est placere Deo*, Hebræor. 11. Cyprianus dixit, à malo ministro, saltem hæretico, vel schismatico, non posse dari verum Baptisma. 2 *Argum. 5. cap. 13.* *Hebr. 11.*

Et in ista sententia finaliter perdurauit, & tamen non est damnatus, sed Martyr glorioſus: ergo ista sententia non est erronea, nec contra aliquem articulum fidei. Sed veritas Sacramentorum pertinet ad illum articulum: *Sanctam Ecclesiam Catholicam*, & *Extrau.* de hæres. & schis. Ad abolendam, *Vniuersos, qui de Sacramentis ecclesiasticis aliter docere non metuunt, aut assentire, quàm sacrosancta Romana Ecclesia docet, vinculo perpetui anathematis innodamus*: ergo ista sententia, quòd hæreticus baptizat, non est veritas pertinens ad aliquod Sacramentum: sed nihil est asserendum tanquam certum, & necessarium ad Sacramentum, quod non est verum pertinens necessariò ad Sacramentum: ergo, &c.

3 *Ratio ad opp. Auguſt.*

Contrà, Magiſter in litera, & adducit multas auctoritates, & accipiuntur plures ab Auguſtino. Vna eſt ſuper Ioan. hom. 5. *Baptiſmus talis eſt, qualis ille, in cuius poteſtate datur, non qualis miniſter, à quo datur.*

Item, Contra Creſcent. *Si non eſt melior Baptiſmus, qui per meliorem datur, nullo modo malus eſt qui per malum datur: quia idem datur.*

Et ſi illæ auctoritates exponantur de malo ſecundùm mores, non de hæretico, & ſchiſmatico: tamen de his expreſsè dicit Auguſtinus ad Oroſium, q. 59. *Quamuis vnum ſit Baptiſma hæreticorum, qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti baptizant, & Eccleſiæ Catholicæ: tamen qui foris Eccleſiam baptizantur, non ſumuntur ad ſalutem.* & ſequitur: *Eccleſia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati ſunt.*

## COMMENTARIVS.

1 *Quid malitia miniſtri comprehendit?*

b SVb malitia miniſtri comprehendit Doctor improbitatem vitæ, quoad mores, & hæreſim, ac ſchiſma, quæ ſeparant à corpore Eccleſiæ, quantùm ad fidem, & charitatem. Solet ab aliis proponi quæſtio, *An*, ſcilicet, *probitas & fides miniſtri requiratur ad valorem Sacramenti Baptiſmi?* & perinde eſt de aliis Sacramentis in genere. Requiriſ autem fidem, ita vt ab hæreticis, & ſchiſmaticis non conficiatur Sacramentum validè, primus videtur docuiſſe Agrippinus, qui pluribus annis præceſſit Cyprianum in Sede Carthaginẽſi, vt ipſe Cyprianus docet *in epiſt. ad Iubaianum, quæ eſt* 73. docuit inter hæreticos, & ſchiſmaticos non fuiſſe verum Baptiſma, ac proinde venientes ad fidem rebaptizandos docuit in Concilio aliquo prouinciali; quia id moris tum fuit, vt doctrina vniuerſalis in Conciliis proponeretur: & Cyprianus innuit *in epiſtola* 71. ita factum eſſe ab Agrippino, & epiſtola præfata 3. *Sub Agrippino*, inquit, *bonæ memoriæ viro conuenientes in vnum, Epiſcopi plurimi hoc ſtatuerunt*, &c. poſt Agrippinum idem ſtatutum eſt ab aliis Iconij congregatis, quod ſecutus eſt mox Cyprianus, vt ex præfatis epiſtolis, & Conciliis ſub eo habitis conſtat. Succeſſerunt Nouatiani, qui addiderunt præterea, neque Baptiſma ab improbo datum valere, quod docuit Parmenianus de manifeſto peccatore, apud Auguſtinum *lib. 2. contra eundem cap. 1.* quin etiam ſi occultus eſſet, non valere Baptiſmum, vt Creſconius *apud eundem lib. 2. contra Creſconium, cap. 28.* Erarunt Apoſtolici, qui apud Bernardum *ſer. 66. in Cantica*, idem de peccatoribus docuerunt: ſicut & VValdenſes apud Antoninum *tit. 11. cap. 7.* addit VVitclefus quòd neque præſciti, apud VValdenſem *tom. 2. de Sacram. cap. 14.* damnantur in Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* De antiquis Luciferianis incertum eſt an in hac quæſtione errârint circa ordinationem Sacerdotum, & Epiſcoporum, quamuis conſtet ex dialogis Hieronymi contra Hilarium Luciferianum, eum ſenſiſſe etiam cum Donatiſtis baptizatos ab hæreticis eſſe rebaptizandos. Condidit autem Lucifer Caralitanus ſchiſma in odium Conciliabuli Ariminenſis, potiſſimum contra Epiſcopos Catholicos lapſos in hæreſim Arianam, quos etiam pœnitentes in ſuo gradu recipere noluit: ſed de hæreſi eum non traducit Epiphanius, neque Philaſter: interpretari ergo poteſt id in pœnam peccati tentaſſe, non quòd malè de ordinatione ſenſerit, vel certè ad correptionem, & cauſam ſubmouendi periculi: quamuis eius ſequaces ad maiora prolapſi ſint. Malè Eraſmus hoc ſchiſma inurit Smyrnenſi: fuerunt alij anteriores hæretici huius nominis.

*Sententia Agrippini de baptizandis hæreticis.*

Parmenian.

Auguſtin. Creſconius. Apoſtolici. Bernardus. VValdenſes Antonin. VVitclefus. VValdenſis. Luciferiani. Hieron. Hilarius Diacon. Lucifer. Caralitan. Epiphan. Philaſter

## SCHOLIVM.

*Nullam malitiam miniſtri annullare Sacramentum, modò intendat facere quod Chriſtus inſtituit, ita* Concil. Nicen. *teſte Hier. contra Lucifer.* Carthag. I. *can.* 1. Conſtantienſe *ſſ.* 8. Trid. *ſſ. 7. can. 4. & 12.* Auguſt. *omnibus libris contra Donatiſtas, & contra ep. Parmen. lib. 2. cap. 10. & auctoritates adductæ à Doctore.* Vincent. Lirinen. *in commonitorio.* Hieron. *dial. contra Lucifer. fi. vbi ait Concilium Carthag. ſub Cypriano mutaſſe ſententiam, &* Aug. *epiſt. 48. credit ipſum Cyprian. ante mortem ſententiam mutaſſe, quâ tenuit baptizatos ab hæreticis, eſſe rebaptizandos, quia talium erat nullum.*

4 *Nulla malitia miniſtri obſtare valori Sacramenti, ſi adſit vera intentio. Ioan. 1.*

Veritas quæſtionis patet ex auctoritatibus multis, quòd quacunque malitiâ miniſter ſit malus, ſiue hæreſis, ſiue ſchiſmatis, ſiue morum, ſaluâ vnitate Eccleſiæ, ſi intendit facere, quod facit Eccleſia, & feruet modum Eccleſiæ; verè confert Baptiſmum: & talis Baptiſmus verè habet effectum in baptizato, non obſtante malitiâ miniſtri: niſi obſtet malitia ſuſcipientis, in hoc quòd recipit à tali miniſtro, de quo dicetur in ſequenti quæſtione. Veritas autem iſtius ſolutionis non habet niſi rationem vnam *propter quid*, ſcilicet quia ita placuit Chriſto inſtituere, vt malitia miniſtri non impediret Sacramentum, nec eius effectum. Et quòd ſic inſtituit, Auguſtinus colligit de illa auctoritate Ioannis Baptiſtæ. *Super quem videris Spiritum deſcendentem, hic eſt qui baptizat*, quæ ſcribuntur *Ioan. 1.* Quod autem ita fuerit Baptiſmus inſtituendus, ſunt plures rationes congruentiæ. Prima, quòd rationabile eſt Deum aſſiſtere ſuo ſigno practico, ad cauſandum ſignatum ex determinatione voluntatis ſuæ, præcedente omnem conditionem miniſtri, vt ſicut illa determinatio

*Dantur cõgruentiæ, quare malitia miniſtri non obſtat valori Sacramẽtorũ.*

terminatio sua, quâ tribuit signo esse certum signum, est ab ipso immediatè omnino, & primò: ita & assistentia consequens illam determinationem ad cooperandum, sit immediatè ab ipso.

Secunda congruentia sumitur ex fine, quia si Baptismus non posset conferri, nisi à bono; non esset in magnum remedium viatoris, sed quasi communiter in detrimentum. Cùm enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria, multò magis, nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate ministri penderet Baptismus, nunquam posset aliquis esse certus, se verè recepisse Baptismum, quod est inconueniens. 5

Et si obiicias, quòd nec modò potest esse certus, quia nescit dispositionem suam propriam; hoc non obstat: quia satis potest nosse certitudinaliter, sicut requiritur certitudo, quòd ipsemet intendit recipere Baptismum: & hoc sufficit ex parte eius.

Si dicas quòd non potest esse certus de intentione ministri: hoc non obstat, quia probabiliter præsumi potest, quòd ministri talem actum exercentes, intendant facere illud, ad quod actus secundùm se ordinatus est: sed non ita posset haberi certitudo de bonitate, vel sanctitate ministri.

Præterea ex parte suscipientis est congruentia; quia omnino iniustum est, alterum pro iniquitate alterius puniri, quando ille alter nullo modo communicat iniquitati illius, ita vt possit sibi imputari, sed ille baptizandus disponit se ad gratiam quantùm potest: si ergo malitia ministri impediret, ille puniretur propter culpam alienam, nullo modo sibi imputandam.

Ad primum ergo dico, quòd aut hæreticus baptizat paruulum in forma & intentione Ecclesiæ, & nihil obest paruulo, nec quantùm ad Sacramentum: nec quantùm ad effectum. Aut baptizat adultum, & adhuc confert sibi Sacramentum, & effectum eius, si in adulto non est aliquis malus motus, puta assensus in hæresim baptizantis, vel intentio, vt fiat discipulus eius: & de tali intelligenda est auctoritas Ambrosij, & similiter auctoritas Augustini, quòd virtus illa Sacramenti vita est: ergo & illa non manet in membro præciso. Non tamen sequitur, quin per Sacramentum eius possit esse in suscipiente, quod patet ex responsione statim sequente. 6 *Ad arg. 1.*

Vnde ad rationem statim respondendum est, quòd in toto corpore humano vita vna est omnium partium, & participatur ab eis ordine quodam, quia primò in corde: secundò in aliis, secundùm quòd propinquiùs se habent ad illud principium vitæ: & ideò ibi per vnam partem non potest vita deriuari ad aliam, nisi ista pars deriuans priùs viuat eâdem vitâ, modo suo perfecto. Non est sic in corpore mystico, quod est Ecclesia, quia non est in eis vna vita numero: nec oportet, quòd illud membrum, quod ministerialiter dat vitam alteri, sit propinquius principio vitæ in participando vitam, sed tantùm in gradu ministrandi. Exemplum esset, si venæ in corpore non viuerent formaliter, tamen essent media ministrandi vitam cæteris paribus. *Ad 2. Aliter vita deriuatur in corpore mystico, quàm in naturali.*

Ad illud de sanctificatione in aqua, negatum est suprà *dist.* 1. nec videtur multùm probabile virtutem supernaturalem toties generari, & corrumpi: neque etiam, quòd post generationem in aqua Baptismali semper permaneat, permanente aquâ. *Ad 3.*

Ad auctoritatem Ambrosij, quære suprà. Dici potest, sicut dictum est *dist.* 1. *quæst.* 4. & 5. quòd non est virtus aliqua in aqua, quæ sit actiua secundùm aliquam formam absolutam: sed tantùm est virtus, quæ est vltimum de potentia, scilicet efficaciter significare gratiam. *Ad 4.*

Ad aliud de Cypriano, dico quòd aliqua sunt ita simpliciter de substantia fidei, quòd omnes etiam simplices post tempus aliquantulum vsus rationis tenentur ista explicitè credere, sicut sunt articuli de incarnatione, vt Christus est natus, & mortuus, de quo sunt solemnitates speciales in Ecclesia, & quos potest populus concipere, quia sunt de Christo homine. Alia sunt explicitè requisita de substantia fidei, obseruanda à maioribus Ecclesiæ: vtpote, quòd Deus est trinus, & huiusmodi pertinentia spiritualia, & imaginabilia: & illa distinctio potest haberi ab August. 14. *de Trinit. cap.* 1. Alia sunt, quæ nec necessariò sunt explicitè credenda ab istis, nec ab illis: quia non adhuc illorum veritas est declarata, & determinata per Ecclesiam: cuiusmodi sunt multæ conclusiones necessariò inclusæ in articulis creditis: sed antequam sunt per Ecclesiam declaratæ, & explicatæ, non oportet quemcunque eas credere: oportet tamen circa eas sobriè opinari, vt scilicet homo sit paratus eas tenere pro tempore, pro quo veritas fuerit declarata. *Ad 5. Credibilia in triplici sunt differentia.*

Hoc modo, dico quòd Baptismum esse Sacramentum nouæ legis necessarium ad salutem, statim erat de veritate fidei Christianæ, quia expressè habitum est in Euangeliis: sed quòd ab hæretico posset conferri, non sic statim expressum fuit: imò nec tempore

Cypriani

*Cyprian. non docuisse contra fidē da Bapt. hæreticorū.*

Cypriani declaratum, propter quod circa illam veritatem Baptismi declarandam, multùm laborauit Augustinus in libris suis, vt de vnico Baptismo, & contra Donatistas. Vnde si Cyprianus ita sensit, scilicet apud hæreticos non esse Baptismum, quod tamen promptus esset sentire animo circa hoc, quòd Ecclesia determinauit: in nullo erraut, nisi fortè venialiter peccando: quia nimis asseruit illud, ad quod nec auctoritatem, nec rationem cogentem habuit. Ratio enim sua non valet, scilicet quod quis non habet, non potest dare, quia baptizans non dat gratiam, sed Sacramentum: & illud habet in virtute, quia habet ordinem, & hoc modo fortè innuit Augustinus eum peccasse venialiter, cùm subdit in auctoritate præallegata: *Dum eos*, inquit, *detestaretur. si quid purgandum erat, passionis face tolleretur.* Et hoc modo potest excusari Abbas Ioachim: quia etsi sententiam erroneam dixit, sicut patet *Extrau. de sum. Trinit. & fi. Cath.* Quòd tres personæ non sunt aliqua vna res, quæ non generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur, quia non dicitur hoc pertinaciter defendisse, sed omnes libros suos reliquisse secundùm iudicium Ecclesiæ corrigendos.

*Vide in 1. dist. 5. q. 1. de opin. Ioachim.*

## COMMENTARIVS.

2 *Conclusio fidei.*

c VEritas quæstionis patet ex autoritibus multis, &c. Resolutio est de fide: videantur Patres, Concilia citata per Scholiastem. Eam probat à priori Doctor ex institutione Christi, quam verè assecuta est Ecclesia cum Augustino, & Patribus citatis. Eius institutionis varias assignat congruentias, & bonas. Prima est, quia congruum est, vt institutio signi practici, & certi, quæ per se est anterior & stabilis, à statu ministri quoad bonitatem, & malitiam eius non dependeat à ministri conditione variabili, & similiter neque eius certitudo, aut efficacia. Secunda est à fine, quia vix aliàs esset certum Ecclesiæ, aut suscipienti Sacramentum se verè suscepisse medium necessarium ad salutem, cùm incertus sit de bonitate ministri. Tertia est ex parte suscipientis, qui non debuit pati ex iniquitate alterius, cui nullo modo communicat. Quarta addi potest, quia non habent Sacramenta efficaciam, nisi à merito Christi, in quo solùm quisque constituitur, tanquam in capite, à quo recipiat influxum, & redemptionem, sanctitatem, quod non esset verum, si efficacia Sacramenti, aut salus recipientis Sacramentum dependeret à ministri bonitate, & fide.

*Congruētia.*

*Secunda congruentia, ex fine.*

*Tertia ex parte suscipientis. Quarta ex causa meritoria.*

*Tria genera credibilium.*

Respondet benè argumentis vsque ad vltimum, in quo saluat Cyprianum; ostendens tria genera veritatum fidei. Quædam necessariò, & explicitè credenda ab omnibus, etiam aliquantulum post vsum rationis, vt ea quæ spectant ad humanitatem Christi, quorum terminos de facili apprehendunt; nam actus fidei supponit capacitatem. ad concipiendum terminos aliquo modo articuli, de quo est fides explicita. Alia quæ sunt remotiora à sensibus, & magis spiritualia, & solemniter proposita, & declarata ab Ecclesia, & in Scriptura; & hæc debent à maioribus Ecclesiæ explicitè credi. Tertium genus est eorum, quæ exigunt definitionem Ecclesiæ; & antequam definiantur, neque hi, neque illi tenentur ea credere explicitè sed sobriè expedit in illis opinari.

3 Huius generis fuit veritas illa de Baptismo ab hæreticis collato, eiúsque valore, quæ aliàs, vt dicit, non fuit declarata, quod verum est, quia nec Stephanus, neque aliquis anterior in hac re quidpiam definiuit, prætendebat enim Stephanus traditionem obseruandam esse, & consuetudinem Ecclesiæ, dicens, *nihil innouandum esse præter id quod traditum est*, &c. vt patet ex epistola ipsius Cypriani ad Pompeium, Eusebio *lib. 7. historiarum cap. 3. & 4.* Vincentio Lyrinen. neque etiam illa consuetudo licèt fuerit ex traditione Apostolica, vt supponit variis in locis Augustinus, tamen præceptum aliquod scriptum ab Apostolis non habebatur, vt dicit idem *lib. 5. de Baptismo, cap. 23.* Cyprianus ergo consuetudinem suorum anteriorum, & Ecclesiæ in qua sedebat, seruare voluit, quam etiam Cappadoces cum Fermiliano, & alij in Asia tenuerunt, vt constat ex epistola Dionysij Alexandrini, qui mox omnes transierunt in sententiam Stephani Papæ, quæ in Niceno primo definita primùm fuit; antea verò consuetudine, & traditione fulciebatur.

*Non fuisse definitum articulum ante Cyprianum.*

Cyprianus. Eusebius. Vincent. Lyrinen. Augustin.

*Definitio Niceni Concilij.*

Cyprianus rationes, & Scripturas opponebat, putans apud hæreticos sicut non est fides, sic etiam nec Baptisma; quia *vna fides, vnum Baptisma*: &, vt dicit Augustinus in quæstione obscurissima non discernens Sacramentum ab effectu gratiæ, & remissionis peccatorum, vbi hæc non erat; sic nec Baptismus ex eius sententia: hinc saluatur rectè Cyprianus ab omni nota erroris damnabilis, seu hæresis, & schismatis, quia sine læsione charitatis, & separatione à Stephano disseruit pro consuetudine suæ Ecclesiæ, quam putârat magis ratione, & Scripturis fundatam, vt patet ex præfatis epistolis eius, in quo error in eo fuerit materialis, vt vocant, non formalis: *Sic*, inquit, *Doctor potest saluari Abbas Ioachim*, &c. quod perinde etiam verum est: vide cap. *Damnamus, de sancta Trinitate, & fide Catholica*, & epistolam Honorij III. anni 1. sui Pontificatus apud Posseuinum in verbo *Ioachim*, quo id abundè probat.

*Cyprianus non habuit errorē pernicioſum ſibi.*

---

## QVÆSTIO II.

### *An recipiens Baptismum scienter à malo ministro, mortaliter peccet?*

D. Thom. *d. 5. q. 2. a. 2. & 3. p. q. 64. art. 6.* Richard. *hic, a. 3. q. 4.* Couar. alma mater *p. 1. §. 2. num. 7.* Sotus *d. 1 q. 5. a. 6.* Suar. *3. p. tom. 3. d. 11. sect. vlt.*

AD secundum sic proceditur, & arguitur, quòd recipiens Baptismum à malo scienter, peccat mortaliter: quia secundùm Ambr. de initiandis rudibus, *Qui faciunt, & quibus faciunt, nihil prodest: sed ad iudicium est.* Loquitur de malis baptizantibus, & recipientibus ab eis Baptismum. 1 *Argum. 1.*

Præterea, cooperans alicui ad peccandum mortaliter, peccat mortaliter, quia est contra charitatem fraternam: sed ille recipiens Baptismum à ministro malo, cooperatur sibi in actu baptizandi, in quo peccat mortaliter: ergo, &c. *Argum. 2.*

Præterea, esto quòd minister vellet committere malitiam Simoniæ in conferendo Baptismum, puta nollet baptizare, nisi pro pecunia, non posset aliquis ab eo recipere, nisi committeret Simoniam: quia si vendens est simoniacus, & emens: ergo saltem in illo casu recipiens sic à malo, peccat mortaliter. *Argum. 3.*

Oppositum de *consec. dist. 4. cap.* Romanus, dicitur in fin. capituli: *Romanus Pontifex non attendit hominem, qui baptizat, sed Deum, etsi paganus sit, qui baptizat.* *Ratio ad opp.*

Præterea Augustinus super Ioan. *homil. 5. & 1. q. 1. cap.* Si fuerit: *non exhorreat columba ministerium malorum.*

## SCHOLIVM.

*Positâ duplici sententiâ resoluit probabilius esse, teneri adultum in necessitate extrema accipere Baptismum à ministro præciso (qui modò tantùm censetur excommunicatus nominatim, vel ob notoriam iniectionem manuum in Clericum) & hoc post Concil. Constantiense, & Basil. certissimum est. Probat primò, quia præceptum de Baptismo est diuinum, de non communicando cum excommunicato, Ecclesiasticum. Secundò, excommunicatus tenetur agonizantem puerum baptizare. Tertiò, ex Augustino hîc citato, & lib. 6. cap. 5. & refertur de cens. d. 4. c. quomodo.*

Hîc[a] distinguitur de malo: aut est præcisus ab Ecclesia totaliter, vel ad tempus: vel non præcisus, sed permissus. De istius diuisionis membris per ordinem videamus. 2 *Rich. hîc a. 3. q. 4.*

De primo[b] sunt duo modi dicendi oppositi. Vnus, quòd tenetur aliquis à tali recipere Baptismum, si non possit habere alium ministrum, quia Baptismus est Sacramentum necessitatis. Alius modus dicendi est, quòd tenetur non recipere ab eo, & recipiendo peccat mortaliter. *D. Thom. a. 2. q. 2. in solut. 2. arg.*

Hoc autem sic declaratur, quia baptizandus aut est adultus, aut paruulus. Si adultus, sufficit sibi Baptismus flaminis, quando non potest habere Baptismum fluminis: in proposito non habet ministrum, quia prohibitum est sibi communicare cum illo præciso, & maximè in actibus sacramentalibus: ergo ille saluabitur non recipiendo ab eo Baptismum fluminis, per Baptismum flaminis: quia est in casu in quo non potest habere ministrum: si autem reciperet ab eo Baptismum, communicaret sibi contra prohibitionem Ecclesiæ, in actibus maximè prohibitis.

Si autem baptizandus sit paruulus, habens paruulum debet baptizare eum, si non potest alium magis idoneum habere, quàm præcisum, quia cum præciso (vt priùs dictum est) non licet sibi communicare pro paruulo suo. Et si ponatur, habentem paruulum esse mancum, nec habere in illa regione aliquem nisi præcisum: oportet dicere consequenter, si nullo modo communicandum est cum præciso in tali actu, quòd nec tunc etiam debet paruulum suum offerre præciso baptizandum.

Contra illud, quia præceptum superioris plus obligat, quàm præceptum inferioris, ex auctoritate Augustini prælegatâ: Deus autem præcipit Baptismum susci pi, nec determinauit à quibus, tempore necessitatis: Ecclesia prohibet communicare cum illo, quem præscindit: ergo magis obediendum est præcepto diuino, quàm Ecclesiæ in casu illo. 3 *d. 4. q. 9. a. 1.*

Præterea, plus tenetur excommunicatus vitare alium, quàm alius vitare eum, quia istud præceptum de vitando excommunicato, non imponitur alicui, nisi propter ipsum: nec imponitur sibi nisi propter se: sed præcisus, vel excommunicatus, in casu illo, non tenetur vitare alium; immò tenetur non vitare. Si enim talis præcisus sciret paruulum aliquem non baptizatum statim moriturum, teneretur necessariò eum baptizare, & ita eum non vitare in actu baptizandi. Hoc probo, quia si inueniret eum expositum periculo vitæ corporalis propter famem, teneretur eum necessariò iuuare ad saluandum vitam corporalem: magis autem tenetur diligere vitam eius spiritualem, quàm corporalem; ergo quando paruulus expositus est periculo vitæ spiritualis, tenetur ille sibi conferre remedium necessarium ad vitam spiritualem: ergo multò magis alius non tenetur vitare eundem, communicando cum eo in tali actu.

Et per hoc apparet ad rationem pro secundo modo dicendi, quæ procedit ex præcepto Ecclesiæ.

Eccleſiæ. Illa enim prohibitio vniuerſaliter intelligitur, quando præceptum maioris non obligat ad contrarium præceptum, aut legis naturæ: & præceptum Euangelicum maius eſt præcepto Eccleſiæ tantùm.

4 Vbi ergo præceptum legis naturæ obligat ſic ad ſaluandum vitam proximi corporalem, & multò magis ſpiritualem: & præceptum diuinum de conferendo, & ſuſcipiendo Baptiſmum magis obediendum eſt præcepto ſuperioris, quàm vitandus eſt aliquis in actibus iſtis propter præceptum Eccleſiæ ipſum vitantis. Nullus enim iudex in Eccleſia, vel legislator interpretaretur præceptum ſuum eſſe ſeruandum in eo caſu, in quo vrgeret contra præceptum legis naturæ, vel diuinum.

*Reſolutio Doctoris.* Poteſt ergo, quantùm [c] ad articulum iſtum, teneri ſententia media, quantùm ad adultum, quòd adulto licet recipere Baptiſmum à præciſo, ſi alius miniſter haberi non poteſt. & hoc videtur haberi ab Auguſtino 10. de Baptiſmo contra Donatiſtas lib. 6. cap. 5. *Poteſt tradere ſeparatus, ſicut poteſt habere ſeparatus: ſed perniciosè tradere. Ille autem cui tradit, poteſt ſalubriter accipere, ſi ipſe non ſeparatus accipiat: ſicut pleriſque accidit, vt Catholico animo, & corde ab vnitate pacis non alienato aliquâ neceſsitate mortis vrgentis, in aliquem hæreticum irruerent, & ab eo Chriſti Baptiſmum ſine illius peruerſitate perciperent, & ſiue defuncti, ſiue liberati, nequaquam apud eos remanerent, ad quos nunquam corde tranſierant.*

Poteſt [d] etiam fortè non recipere, quia Baptiſmus flaminis ſibi ſufficeret, ſi propter reuerentiam Eccleſiæ talem vitet: penſatis tamen omnibus, melius videtur, quòd à tali recipiat, quàm quod de vita hac ſine Baptiſmo decedat.

Quantùm [e] autem ad paruulum, ſi nullus poſſit haberi non præciſus, qui eum baptizaret, & immineat periculum, quòd non poſſit expectari habere miniſtrum idoneum, tenetur neceſſariò ille offerre paruulum ſuum præciſo. Nimis enim durum eſſet dicere, quòd tenetur paruulum ſuum perpetuò damnari permittere, cùm poſſit habere aliquem, qui eum baptizet: cùm ſaluetur à quocunque baptizetur, etiamſi paganus baptizaret, ſecundùm illud, *de conſec. diſt. 4. cap.* Romanus.

## COMMENTARIVS.

1 a *Hic diſtinguitur de mala*, &c. Hæc diſtinctio de malo notoriè intelligitur, vel qui eſt toleratus, vel qui eſt præciſus, hoc eſt, per excommunicationem, degradationem, aut etiam ſuſpenſionem à miniſterio Sacramentorum. Vt benè autem aduertit Scholiaſtes, præciſus poſt Decretùm Conſtantienſis Concilij intelligitur notorius Clerici percuſſor, aut qui denuntiatus eſt, quæ eſt doctrina communis: quia cum illis tantum prohibetur communicari per illud Decretum, quo mitigantur Canones antiqui. Dubium ſolùm eſt de concubinario notorio, cuius Miſſam audire prohibentur fideles, & Sacramenta ab eo accipere, vt patet titulo *de cohabitatione Cleric. & mulierum, c. vltimo, cap. Nullus, cap. Præter, diſt. 2.* & aliis. Nauarrus autem *in manuali, cap. 25. num. 80.* aſſerit Canones antiquos reuixiſſe quoad concubinarios ex Tridentino *ſeſſ. 25. de reformat. c. 14.* vbi mandat cõcubinarios pœnis à ſactis Canonibus, vel ſtatutis Eccleſiaſticis puniri. Sed oppoſitum huius verius eſt ex ipſo Concilio, quod ſtatuit ordinem procedendi, & modum, qui ſeruandi ſunt de iure contra concubinarios: primum, vt tertia parte fructuum, & prouentuum ſint puniti ipſo facto, ſi primæ monitioni non paruerint: ſi ſecundæ verò monitioni non paruerint, non ſolùm omnibus fructibus, & prouentibus beneficiorum, & prouentuum priuentur, ſed ſuſpendantur ad arbitrium à beneficiorum adminiſtratione: ſi deinceps non corrigantur, priuentur omnibus & ſingulis, tam beneficiis, quàm officiis, &c. perpetuò ſint inhabiles ad quæcunque beneficia, & officia eccleſiaſtica, donec poſt manifeſtam emendationem à ſuis ſuperioribus ex cauſa viſum fuerit cum iis diſpenſate. Si demũ fuerint relapſi præter prædictas pœnas, excommunicentur, &c. Quando autem lex modum, & formam procedendi inſtituit, ſeruandus eſt.

*Miniſter præciſus.*

*Dubium de cõcubinario.*

*Sententia Nauarri.*

Trident.

*Oppoſita verior. Cõcubinarios non eſſe præciſos.*

*Modus & forma contra eos procedẽdi.*

b *De primo ſunt duo modi dicendi*, &c. Duas ſentẽtias proponit: prima eſt, teneri aliquem ad Baptiſmum recipiendum à præciſo in caſu, quo deficiat alius, quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis. Hæc ſententia cum ratione ſubiuncta videtur Alenſis 4. *p. q. 8. m. 6. a. 2. §. 2.* & D. Bonauenturæ *hac diſt. art. 2. q. 1. ad 5.* Richardus *diſt. 5. art. 3. q. 4.* concedit in articulo neceſſitatis poſſe Baptiſmum ſine peccato à præciſo ſuſcipi.

2 *Sententia affirmatiua.*

Alenſis. D. Bonauẽt. Richardus.

Secunda ſententia. *Duæ regulæ.*

Secunda ſententia eſt D. Thomæ *3. p. q. 64. art. 6. ad 2. & q. 82. a. 9.* vbi ſtatuit duas regulas generales. Prima, à miniſtro tolerato, quantumlibet malo, poſſe peti, & recipi Sacramentum. Secunda eſt, à præciſo non licere, quia non licet petere ab alio, quod ipſe non poteſt licitè miniſtrare, aut dare: ita Suarez *3. part. diſp. 18. ſect. 1.* ſed in priori loco de hoc nihil D. Thomas: in 2. loco agit de recipientibus Euchariſtiam à præciſis, in quibus diuerſa poteſt eſſe ratio; aliquos tamen eam doctrinam, quam citat Doctor, tradidiſſe conſtat; quamuis iis inueſtigandis non lubet nunc immorari; ſed ipſa doctrina, vt ſuis principiis hæret, tractanda eſt ad propoſitum quæſtionis.

3 *Licere à præciſo recipere Baptiſmum in neceſſitate.*

Eam rectè impugnat Doctor: primò, quia præceptum Eccleſiæ non extenditur ad caſum neceſſitatis contra præceptum diuinum, & præceptum iuris naturalis. Secundò, quia vitare excommunicatũ eſt in pœnam illius, & ſuæ contumaciæ, magiſque ipſum obligat vitare cæteros, quàm alios vitare ipſum: ſed ipſe etiam excommunicatus in ea neceſſitate teneretur præcepto charitatis per ſe ſubuenire, niſi aliter poſſit miniſtrari Sacramentum: ergo à fortiori alter, cui confertur Sacramentum, magis excuſatur

ac

ac proinde minùs comprehenditur præcepto Ecclesiæ contra præceptum propriæ salutis, aut infantis: antecedens patet ex textu. Tertiò, quia Ecclesia non intendit sua prohibitione comprehendere casum necessitatis, in quo concurrit obligatio diuini, & naturalis iuris: vnde ille vulgaris versus exponit plures casus, qui non comprehenduntur præcepto Ecclesiæ.

*Vtile, lex, humilis, res ignorata, necesse.*

Quem exponunt Summistæ verbo *Excommunicatio*, & communiter Doctores de Censuris: per *vtile* intelligitur damnum notabile emergens, & vtilitas animæ excommunicati; *lex*, scilicet matrimonij coniugem; *humilis* comprehendit subiectos, vt sunt filij, serui, familia, subditi; *res ignorata*, supple ignorantia, *necesse*, scilicet alterutrius.

4 *Conclusio Doctoris.*

c *Potest ergo quantum ad articulum illum*, &c. Resolutio Doctoris mediat inter duas illas sententias. Prima conclusio eius est in casu necessitatis posse adultum recipere Baptismum à præciso, quando alius minister haberi non posset: hanc probat authoritate Augustini in litera, qui expressè docet *lib. 6. de Baptismo, cap. 5. & lib. 1. cap. 2.* cuius verba sunt: *Si quem fortè coëgerit extrema necessitas, vbi Catholicum per quem accipiat non inuenerit, & in anima, pace Catholica custodita, per aliquem extra vnitatem Catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa Catholica vnitate accepturus; si statim etiam de hac vita migrauerit, non eum nisi Catholicum deputamus*, &c. *non solùm non improbamus quod fecit, sed etiam securissimè, verissimèque laudamus; quia præsentem Deum credidit cordi suo, vbi vnitatem seruabat, & sine sancti Baptismi Sacramento, quod vbicumque inuenit, non hominum, sed Dei esse cognouit, noluit ex hac vita migrare*, &c. habetur 24. quæst. 1. can. *Si quem fortè*, &c. Mox reprobat eum, qui sine tali necessitate recipit Baptismum, extra vnionem Catholicam, quamuis animo paratus sit redire, asserens esse peruersum, & iniquum, *de consecrat. dist. 4. cap. Quomodo.* Hanc sequuntur communiter Doctores, vt Caietanus *quæst. 64. art. 6.* Suarez suprà, Soto *dist. 1. quæst. 5. art. 6.* negare tamen videtur Adrianus *quæst. 3. de Baptismo*, si minister non est paratus dare Sacramentum, neque ex officio tenetur dare, nec si dederit, iustè est daturus, conuertendo nempe se, & ministrando absque peccato. Sed resolutio Augustini, & Doctoris est præferenda, quia nulla ei necessitas imponitur peccandi à petente: & quamuis ex officio non teneatur dare; ex præcepto tamen diuino, & naturali in eo casu tenetur dare; quod perinde obligat ad actum, sicut si ex officio teneretur.

Augustin.

Caietan. Suarez. Sotus. Adrianus. *Limitatio.*

*Reiicitur.*

5 *Teneri præcisum dare Sacramẽtum in casu necessitatis.*

Et confirmatur, quia nihil vetat præter præceptum Ecclesiasticum; sed in eo casu præceptum non ligat ex dictis, neque Ecclesia potest, aut intendit eum ligare: ergo in casu necessitatis expresso, licitè ministrat Sacramentum, quantùm est ex hoc capite, & licitè ab eo petitur: & quamuis talis adultus possit sibi prouidere quantùm ad sanctificationem, vel certè aliàs fuerit iustificatus per contritionem, & fidem, neque conscius sit sibi ipsi de mortali; tamen vrget præceptum diuinum Baptismi, vt signatus, & tanquam membrum Ecclesiæ decedat; quod præceptum præualet præcepto Ecclesiastico, quod nullo modo comprehendit casum. Quod patet ex simili, quia Ecclesia nunquam in articulo mortis reseruat Censuras in fauorem salutis animæ; vt per se constat, in omnibus casibus, in quibus hæc exceptio exprimitur, à quibus absolui non possit nisi à Romano Pontifice, *præterquam in mortis articulo*: & Tridentinum sess. 14. cap. 7. *Verumtamen*, inquit, *piè admodum ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis; atque adeò omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuscuis peccatis, & Censuris absoluere possint*, &c. Hanc authoritatem esse iuris diuini docet Durandus *in 4. dist. 19. quæst. 2.* Capreolus *quæst. 1.* Paludanus *dist. 20.* Ruardus *in articulis, artic. 3. contra Caluinum.*

*Argumẽtum à simili.*

Trident. Durandus. Capreolus. Paludanus. Ruardus.

6

Et quidquid sit de hac sententia, communis illam authoritatem extendit ad præcisos, etiam hæreticos, quamuis aliqui id negent. Et certè verba Concilij absolutè, & sine limitatione quamuis sacerdotem comprehendunt, & finis etiam concessæ authoritatis, in fauorem existentis in articulo, perinde id importare videtur: ergo etiam in articulo præsenti. Sic etiam intelligenda est mens Ecclesiæ, sua nempe prohibitione non comprehendere talem articulum; & licèt minister sit aliàs præcisus, in casu præsenti non esse præcisum, sed toleratum, in fauorem perentis, eo casu extremæ necessitatis, Sacramentum. Neque vllibi inuenitur talis extensio prohibitionis, neque ex generali clausula pœnæ inflictæ aufertur, aut comprehenditur contra pietatem, & vsum Ecclesiæ, quo vult salutem omnium, & contra præscriptum diuinæ legis.

Maior porro ratio in proposito currit, quàm in absolutione pœnitentiali, quæ dependet ab authoritate competente, ab Ecclesia receptâ: non ita Baptismus, aut eius valor, qui etiam renitente & prohibente Ecclesia validè confertur; vt si præsente Paroco alius baptizet, tenebit; licèt iniustè factum & contrà prohibitionem Ecclesiæ. Ratio autem Adriani non cogit, vt patet ex impugnatione; quia obligatus ex officio tenetur etiam citra necessitatem prouidere suis subditis, & gregi: præcisus in casu necessitatis perinde tenetur charitatis præcepto; licèt non iustitiæ sicut alter; si tamen alter ita ex officio teneatur vt infrà patebit.

7

d *Potest etiam fortè*, &c. Dubitatiuè asserit fortè adultum in eo casu non teneri petere Sacramentum à præciso ob reuerentiam Ecclesiæ, & ita excusari à præcepto adimplendo; sicut *in articulo 3.* dicit de simili in casu expressæ simoniæ, quia perinde se habet, ac si non haberet copiam ministri: concludit tamen pensatis omnibus magis expedire, vt petat & recipiat Sacramentum: & hæc est simpliciter vera, quia eam probant verba Augustini, & reliqua adiecta contra Adrianum.

*Resolutio Doctoris.*

8 *Secunda conclusio de paruulo.*

e *Quantùm autem ad paruulum*, &c. Subiicit secundam conclusionem de paruulo, qui etiam in casu necessitatis offerri potest præciso, vt eum baptizet, & tenetur etiam sic ei prouidere, si subest periculum, & alius idoneus expectari non possit. Patet ex ratione præmissa; quia maior est necessitas paruuli, cui aliter subueniri non possit, nisi per Sacramentum, quàm adulti, qui per fidem, & pœnitentiam, cum voto Sacramenti, saluari potest. Adiungit confirmationem huius ex capitulo *Romanus, de consecr. dist. 4.* quæ abundè etiam peti potest, quantùm ad congruentiam ex pluribus locis Patrum, qui dicunt Sacramenta à malo ministro data valere.

*Obiectio. Soluitur.*

Sed obiici potest ipsi in eo casu non deesse opportunum remedium, quia ipse pater potest suum infantem baptizare. Respondetur negando assumptum; quia licèt possit licitè etiam baptizare

*Pater baptizans ex defectu alterius, in necessitate, non contrahit cognationem spiritualem.*

zare infantem, vbi nullus alius adeſt, qui baptizet, *cap. Ad limina Beati Petri*, 30. *quæſt.* 1. nec contrahit ſic cognationem ſpiritualem; imò & ſi alius deſit ſuſcipere ad Baptiſmum, *cap. Peruenit, eodem*; tamen ſi alius adeſt, qui baptizare poſſit, peccat grauiter baptizando, & amittit ius petendi debitum coniugale, *cap. Noſſe deſideras, cap. dictum eſt: & cap. de eo quod, eodem*: cùm ergo miniſter idoneus in caſu neceſſitatis ſit præſens, tenetur ab eo petere, vt paruulum baptizet; ſi autem noluerit, ipſe eum baptizet, vt reſoluit Doctor infrà, iuxta caſum Canonis præmiſſi: quia nolens habetur pro non præſente. Imò neque in eo caſu etiam Laïcus ſi adeſſet poſſet baptizare: quia Sacerdos, etiam præciſus, retinet in ordine ad caſum neceſſitatis iuriſdictionẽ Eccleſiæ ex præmiſſis: quia in caſu neceſſitatis eſt toleratus; & præterea ex officio ratione characteris, id ipſi competit, *c. Conſtat, de conſecr. diſt.* 4. ac proinde etiã tenetur.

9 *Limitatio Caietani reiicitur.*

Reiicitur per hæc limitatio, quam adhibet Caietanus, nempe requiri non ſolùm neceſſitatem de qua loquimur, ſed etiam miniſtrum eſſe paratum ad Sacramentum dandum, ad hoc vt licitè ab eo petatur: hæc namque conditio non requiritur: quia vt dictum eſt tenetur iure charitatis, & debito ordinis dare Sacramentum, neque eſſe paratum requiritur, vt diſpoſitio præſuppoſita, ad licitè petendum, niſi vt ſupponatur peccatum iam completum ex parte voluntatis miniſtri, & ſic excuſaretur petens à cooperatione ad malum; ſed etiam peccatum maius committitur à miniſtro dando ipſum Sacramentum: ſi ergo à cooperatione huius, neceſſitas excuſat petentem; ſic etiam à cooperatione ad primam eius determinationem, quâ fit paratus.

*Non requiritur, vt miniſter ſit paratus dare.*

Deinde non eſt hîc alia obligatio, quæ redundat in petentem, præter ſcandalum miniſtri; ſed petens in ea neceſſitate ſibi ipſi, & paruulo ſuo magis obligatur ex charitate, quàm miniſtro, cui non dat occaſionem ſcandali; ſed permiſſiuam, & acceptam ex propria improbitate. Accedit etiam obligatio quâ tenetur ſibi prouidere petens, quæ eum excuſat. *Occaſio accepta non dicta.*

Quod addit Adrianus, ſi ex officio teneatur miniſter dare Sacramentum licere id ab eo petere, citra vllam neceſſitatem, non eſt vniuerſaliter verum, quia ex charitate tenetur petens non vti iure ſuo, & ſi intelligatur hoc de miniſtro omnino præciſo, eſt de non ſupponente, quia talis ſuſpenſus eſt ab officio, quantùm ad exercitium, neque in eo ſtatu tenetur miniſtrare citra neceſſitatem. Verum eſt fortè hos Doctores loqui de miniſtro tolerato; ſed quia magis vrgent rationes de miniſtro non tolerato, per maiorem explicationem, & probationem concluſionis, ea hîc accommodare licet, quia fortiùs vrgent contra concluſionem poſitam: minùs enim peti poteſt, ex ſpeciali ratione Sacramentum à non tolerato, & ratione præciſionis, ille minùs aptus eſt ad illud miniſtrandum. 10

## SCHOLIVM.

*Licere publicè petere Baptiſmum à miniſtro occultè malo, licet etiam petere à publicè malo, qui ex officio miniſtrare tenetur: ſi tamen æquè commodè ab alio non malo, peti poteſt, charitas ad id obligare videtur; & ſic intelligendum puto Scotum ex eius ratione.*

5 *A malo miniſtro non præciſo, quãdo liceat Baptiſmum petere?*

Quantùm [a] autem ad ſecundum membrum diſtinctionis, ſcilicet de malo non præciſo ab Eccleſia, ſi eſt occultè malus, ita quòd vita eius non ſit ſcandaloſa populo, ſatis conceditur, quòd poſſit aliquis à tali, imò debeat recipere Baptiſmum, ſi aliàs debeat: quia propter peccatum, quod non eſt notorium, non debet aliquis in actibus notoriis vitare proximum.

Si autem eſt publicè [b], vel notoriè malus, vtpote publicè fornicarius, aut huiuſmodi: aut incumbit ſibi ex officio diſpenſare Sacramentum Baptiſmi; vtpote quia eſt Sacerdos, vel Curatus Parochialis; aut non incumbit, tamen congrueret ratione officij: vtpote quia eſt Sacerdos aliquis datus, vel vocatus in adiutorium Curati: ſi primo modo, non peccat, qui recipit Baptiſmum pro ſe, vel pro paruulo ſuo: quia non peccat, qui à malo debitum petit, vel accipit: ille autem Curatus debitor eſt Parochiæ ſuæ in Sacramentis iſtis miniſtrandis.

Si ſecundo modo, ſi poſſit habere alium, cui incumbit ex officio baptizare: aut æquè malum, aut meliorem. Si meliorem, peccat qui ab illo recipit: quia non incumbit ſibi Sacramenta miniſtrare: & ſi æquè malum, debet recipere à ſuo. Sed ſi nullus alius poſſit haberi Curatus, vel Sacerdos, niſi æquè malus iſti, poſſit tamen haberi aliquis bonus Laïcus: dubium eſt, quis cui ſit præferendus in iſto actu, an bonus Laïcus Sacerdoti publicè malo, an Sacerdos malus bono Laïco. Et breuiter, quia officium miniſtrandi Sacramenta in Eccleſia competit Sacerdotibus: videtur dicendum, quòd quoad iſtum actum, magis eligendus eſt malus Sacerdos. *Pro Baptiſmo, vter eligendus bonus Laïcus, vel malus Sacerdos?*

6 *Ad 1. arg. Ad 2. Petens Baptiſmum à malo miniſtro, quomodo excuſetur à cooperatione mali.*

Ad primum argumentum exponenda eſt auctoritas Ambroſij, ſicut expoſita eſt in alia quæſt. præced. Intendit enim de eo, qui ſuſcepit extra Eccleſiã, vt fiat diſcipulus baptizãtis.

Ad ſecundum, dico quòd ille, qui petit Baptiſmum à malo Sacerdote, non cooperatur illi directè ad peccatum mortale: petit enim ab eo actum debitum, & in hoc non delinquit: quia nullius malitia excuſat eum à ſoluendo debitum, quo tenetur alteri. Ille etiam actus petitus poſſet ſolui ſine peccato, ſi baptizaturus contereretur. Vnde quantùm eſt ex actu petentis, petens magis neceſſitat Sacerdotem ad pœnitendum, quàm ad actum peccandi. Si autem ille non pœniteat, nihil imputandum eſt ei, qui petit illum actum: quia non inquantùm eſt peccatum petit, ſed inquantùm debitum eſt.

COMMEN

10 a *Quantùm autem ad secundum membrum*, &c. Hoc secundo articulo explicat Doctor, quomodo quis debeat se gerere circa ministrum improbum, sed toleratum, nec præcisum ab Ecclesia. Prima conclusio est: si talis non sit notoriè malus, sed occultus, non solùm potest, sed etiam tenetur ab eo petere Sacramentum, quia propter peccatum occultum non debet quis vitare in actibus notoriis proximum. Et confirmatur, quia alter est in possessione suæ famæ, quâ non potest priuari iustè, ante sententiam iudicis, vel donec conuincatur notorietate facti, vel iuris per processum.

*Prima conclusio.*

*Possessio famæ quid efficiat?*

*Peccatori occulto debet ministrari Sacramentū publicè.*

Et hac ratione debet Sacerdos ministrare Sacramẽta publicè petenti peccatori occulto, vt infrà dicetur, in materia de Eucharistia: quia non amisit ius petendi communionem, cùm sit adultus baptizatus, & in possessione suæ famæ, quantùm ad publicam æstimationem: sed perinde currit eadem ratio in proposito: quia minister malè ministrans Sacramentum nõ magis peccat, quàm recipiens malè dispositus; imò ex frequenti opinione hic magis peccat, quia priuat Sacramentum suo effectu; & sicut in publica æstimatione petens habet ius ad Sacramentum, ita etiam Sacerdos ad ministerium eius, quandiu non est diffamatus de crimine, & impotentia.

*Obiectio.*

*Soluitur.*

Dices, saltem tenetur in occulto non petere ab eo Sacramentum. Respondetur, quidquid sit de aliis Sacramentis, quæ de iure non exigunt solemnitatem publicam in ministerio priuato, negando consequentiam quoad Baptismum, qui debet ministrari cum solemnitate, & seclusâ necessitate. Accedit, & ex officio id incumbere Parocho, sine cuius licentia nequit alius illum ministrare, ac proinde non licet ad alium recurrere, ad euitandum peccatum Parochi, sine licentia eius, quia alter nec habet debitum ministrandi, neque sine peccato graui ministrat, vsurpando ius alienum; in Parocho autem, etsi sit peccatum occultum, est tamen officium, & debitum ministrandi, cui tenetur Parochianus de iure, ita vt aliter faciendo peccet: si autem sine præiudicio Parochi prouideri possit absque scandalo alterius; vt si Parochus det licentiam prætendendo legitimam aliquam excusationem, tunc obligat charitas, ac reuerentia ipsius Sacramenti.

*Officium Parochi.*

11 Ex quo excluditur dictum Adriani quoad hoc, qui dicit à Sacerdote ex officio obligato ministrare Sacramentum, posse sine peccato peti Sacramentum, siue sit paratus dare, aut notoriè malus, siue non: quia quisque potest petere suum ius in re licita, & sancta. Sed hoc falsum est in expresso iam casu, quia petens tenetur ex charitate, & reuerentia Sacramenti citra vllum dispendium suum, cum idem Sacramẽtum ab alio æquè commodè sine damno alterius, & cum eodem fructu, ac maiori reuerentia Sacramenti recipere possit, cedere iuri suo, vt patet ex materia de scandalo, quia etiam Pharisaicum excludere tenetur quis, ex charitate, quâ obligatur salutem proximi procurare, sine detrimento proprio, aut incommodo.

*Obligatio charitatis ad proximum.*

b *Si autẽ est publicè, vel notoriè malus*, &c. Distinguit casum in eo, qui tenetur ex officio, & cura ministrare Sacramẽtum, vt est Parochus, & in eo cui ex officio congruit, vt est Sacerdos datus in adiutoriũ Parochi, vel ab eo vocatus. Quoad primum dicit non peccare eum, qui petit à Parocho Sacramentum sibi, aut paruulo suo, quia est debitor respectu suæ Parochiæ. Intelligitur autem casus, quando alius non sit, cui ex officio incumbit ministrare, nec ministrare potest sine licentia, aut Parochi, aut sui Superioris: & ratio est clara, quia alter toleratur ab Ecclesia, & æquè retinet suum ius, ac quicumque alius non malus: sicut ergo non est in potestate alterius, aut ipsius Parochiani peruertere iurisdictionem Ecclesiasticam; ita etiam neque Parochianus ab alio petere potest, nisi de licentia Parochi, aut Superioris ordinarij, neque ille vsurpare ius alienum, quo non priuatur.

Ex altera parte vrget consuetudo Ecclesiastica, habens vim præcepti de baptizandis paruulis, ad quam tenetur habens curã infantis; & si est adultus spectat ratione residentiæ, & habitationis ad ordinarium eo ipso, quo vult Sacramẽtis se subiicere; habet etiã necessitatem præcepti, quoad Sacramentum suscipiendum. Et quamuis pro tunc non ligaret; ex emolumento tamen Sacramenti, & vt fieret capax aliorum Sacramentorum, non tenetur non petere Sacramentum ab ordinario.

12 Secunda conclusio est, quòd ab eo, qui ex congruitate debet ministrare Sacramentũ, potest petere Sacramentum, si alius melior non occurrat Sacerdos; sed si alius æquè malus, potest recipere à suo: nec bonus Laïcus malo Sacerdoti præferri debet, quia ius administrandi Sacramenta cõpetit Sacerdotibus. Respondeo ad primũ patet. Responsio etiam ad secundum optimè soluit difficultatem, quia non solùm petens Sacramentum à tolerato, vel non tolerato modo dicto, non cooperatur malo eius; sed potiùs imponit necessitatem, vt fiat bonus, petens ab eo actum debitum, quem potest, & tenetur debitè in gratia sanctè ministrare: neque petit ab eo actum, quà peccatum est, sed quà sanctum.

*Secunda conclusio.*

*Regula moralis.*

Ex qua regula plures in moralibus resolutiones haberi possunt; vt quomodo petens ab vsurario mutuũ, excusetur ab vsura; quomodo vendens agnum Iudæis, quo ipsi vtentur in finem superstitiosum, non concurrat ad superstitionem; faciens, aut vendens gladium, non sit homicida; locans domum impudicis, nõ sit impedicus; & vniuersaliter exercens aliquod opus bonum, aut indifferens per se non ordinatũ ad peccatum; sed ex praua alterius intentione, & vsu, excusatur: quia peccatum neque ex natura operis, neque ex intentione sic exercẽtis sequitur; sed ex prauo eius vsu per alterum, quem ipse non tenetur non permittere cum damno proprio. Sic etiam plures excusant Christianos remigantes inter Turcas oppugnantes alios Christianos, modò aliter non concurrant, quàm remigando. Non rectè ergo præsens difficultas in casu quo licet recursus ad alium, ob improbitatem Parochi, reducitur ad concursum peccati; sed ad præceptum charitatis, quo tenemur præuenire damnum spirituale proximi, præueniendo occasiones non solùm datas, vt vocant, sollicitando peccatum eius, sed etiam auertendo occasiones acceptas ab ipso, ex propria peruersitate, quando sine incommodo nostro possumus, quod spectat ad præceptum affirmatiuum charitatis, nempe submouere scandalum Pharisæorum, quando sine incommodo, vt dixi, possumus: scandalum verò pusillorum excludere tenemur ex præcepto negatiuo.

*Excusantur cooperãtes ad malum per accidens.*

13 *Regula moralis.*

Ex reſolutione itaque vtriuſque articuli vniuerſim, hæ regulæ generales ſuppetunt, reducendo quæſtionem ad ſua principia, quæ deſumuntur ex debito iuſtitiæ, ex debito religionis, ex debito charitatis. Prima eſt, *In caſu extremæ neceſſitatis, ſiue proprio, ſiue infantis, miniſtrum etiam preciſum, poſſe miniſtrare Baptiſmum, & hoc poſſe ab eo peti, & accipi:* quia ille ex debito charitatis, ex debito etiam religionis ratione ordinis, ad hoc obligatur extremè indigenti: & ſic ex præcepto tam charitatis propriæ, quàm pueri, & ex debito religionis tenetur petens amplecti Sacramentum à quocumque datum: & hæc regula ſupponit præciſam neceſſitatem extremam, vel realem, vel moralem.

*Prima regula. Obligatio reſpectiuè ad miniſtrũ præciſum.*

Secunda regula eſt, *Sacerdotem toleratum, qui ſit Parochus, vltra debitum charitatis, & religionis habere etiam debitum iuſtitiæ miniſtrandi Sacramentum ſuis ſubditis extra neceſſitatem, quando alius non ſuppetit, & Parochianum licitè etiam ab eo petere Sacramentum, quando ſine graui damno non differretur.* Graue damnum intelligo omiſſionem, quâ lex, & conſuetudo Eccleſiaſtica non impleretur, vel quando pateretur ex omiſſione eius detrimentum notabile fructus ſpiritualis, aut periculum peccati. Huius ratio habetur ex præmiſſis: & regula hæc perinde currit in petitione Sacramenti ab alio, qui poteſt illud ex conceſſione Parochi, aut alterius dare: non perinde tamen currit obligatio in miniſtro, niſi ſit ordinatius, aut certè vt Vicarius, & coadiutor à ſuperiore conſtitutus, in quo caſu habet debitum miniſtrandi non ſolùm ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia, modò aſſumat prouinciam illam, & curam ſupplendi defectum Parochi.

*Secunda regula. Obligatio reſpectiuè ad Parochum.*

Tertia regula eſt, *Quando quis poteſt ſine damno ſuo prouidere ſibi aliter, ſine damno ſpirituali ſui Parochi, tenetur ex charitatis præcepto affirmatiuo non petere Sacramentum à Parocho improbo, quem nouit non miniſtraturum, niſi ſacrilegè, qui ex frequentatione miniſterij confirmatur in malo, & datus in reprobum ſenſum, contemnit conuerſionem; quam fortè ſubtrahentibus ſe alijs ab eius communione non differret:* quia plerumque feſtinantes in malum ex ipſa confuſione ſubſiſtunt, & conuertuntur ad bonum. Et fortè Parochianus etiam ad idem tenetur præcepto religionis, & honoris diuini, ac reuerentiæ Sacramenti. Quid autem horum concurrat in particulari hîc, & nunc, perpendendum eſt ex circumſtantiis caſus, applicando has generales regulas, ex quibus ſinguli caſus in particulari reſolui poſſunt, in quibus cõmunicare poteſt miniſtro notoriè malo, ſiue præciſo, ſiue non præciſo.

*Tertia regula. Obligatio reeurrendi ad alium nõ improbum.*

Quarta regula, *Quoad miniſtrum, qui occultè eſt malus, & publicè & priuatim debet ab eo petere Sacramentum, ſi alius non occurrat, aut expectari non poteſt commodè;* ſi ſic ſeruetur regula charitatis, quæ præmiſſa eſt de ſcandalo Phariſæorum, procurando eius ſalutem, & reuerentiam debitam Sacramento, prout fieri commodè poteſt.

*Quarta regula. Obligatio reſpectiuè ad eum, qui priuatim eſt malus.*

## SCHOLIVM.

*Negat pretium dandum pro Sacramento etiam in extrema neceſſitate, idem abſolutè ait Alenſ. 2. part. q. 187. m. 3. art. 1.* D. Thom. *hîc q. 2. art. 2. & d. 25. q. 3. art. 2. & 2. 2. q. 100. art. 2. ad 1.* Aragon. *ibi.* Rich. *4. d. 25. art. 3. q. 1.* Palud. *q. 8. licèt tamen aliquid dare pro redimenda vexatione, ſicut & pro labore, & materia, non aliter, & ſic intelligendus eſt Doctor, ſi enim miniſter negaret dare Sacramentum, niſi alius paciſcatur de emendo ſpirituali eius, nullo modo eſt ſic accipiendum, & multo minùs ſic petendum, quia hoc eſt intrinſecè malum.*

7 *Argum. 3.*

Ad tertium, dico quòd ſi ille nullo modo vellet baptizare, niſi pro actu baptizandi recipiat pretium, & ſic ſit perfectè ſimoniacus, quia vendens Sacramentum, nullo modo recipiendus eſt Baptiſmus ab eo: neque pro adulto, quia peccaret mortaliter, & non obligatur ad recipiendum Sacramentum, quando non poteſt recipere ſine peccato mortali: neque pro paruulo ſuo, eſto etiam, quòd nullus eſſet qui vellet baptizare in prouincia.

*An emi poſſit Baptiſmus.*

Et ſi arguas, tunc exponit paruulum ſuum periculo damnationis? Reſpondeo, baptizet ipſe ſi poſſit, vtpote ſi non eſt mancus, vel mutus, vel ſi non poſſit inuenire aliquem in baptizando paruulum ſuum, niſi emendo Baptiſmum; debet dimittere paruulum mori ſine Baptiſmo: quia non ſunt facienda mala, vt inde veniant bona, *ad Rom. c. 3.* & quilibet magis debet diligere ſeipſum, quàm proximum: & per conſequens magis in ſeipſo vitare peccatum mortale, quàm in alio damnationem: tamen ille caſus de difficili, vel nunquam contingeret, quin ſine ſimonia committenda ex parte baptizandi, vel offerentis paruulum baptizandum, poſſit Baptiſmus haberi. Si enim ille Sacerdos vellet vendere aquam ſuam, & nullo modo aliter concederet eam, poteſt ipſa emi, eſto etiam quòd ſit conſecrata. Sed nullo modo habendo oculum ad conſecrationem: quia tantum valeret, quantum non conſecrata. Sic enim licet vendere calicem conſecratum, nullo modo oculum habendo ad emendum, vel vendendum conſecrationem.

*Quomodo detur pecunia pro Sacramentis.*

Si autem Sacerdos nitatur vendere actum baptizationis, poteſt ille qui offert paruulum emere, non intendens actum illum emere inquantum eſt ſacramentale, ſed laborem Sacerdotis in illo actu: ſicut conducuntur hodie Sacerdotes ad celebrandum Miſſas, non vt ipſi vendant, & alij emant actum celebrationis, inquantum eſt ſacramentale: quod abſit: ſed ipſi vendunt laborem, & alij emunt eum: quia oportet vnumquemque de ſuo labore taliter qualiter victitare, & vitam acquirere.

COMMEN

COMMENTARIVS.

14 b *AD tertium dico*, &c. Hic casus tractatur ab authoribus citatis à Scholiaste; resolutio principalis est communis: nullo modo posse peti Sacramentum ab eo, qui non vult conferre, nisi alter paciscatur cum ipso simoniacè, emendo Sacramentum, quà tale, & quà spirituale est: quia *non sunt facienda mala*, &c. *ad Roman. 3.* Rationem eius subiungit Doctor in litera.

Difficultas solutionis est in modo, quo petens Sacramentum se habere potest, vt licitè sibi, aut paruulo subueniat, sine Dei offensa. Aliqui dicunt posse dari pecuniam in eo casu ad redimendam vexationem; ita D. Bonauentura *in hac dist.* quam responsionem insinuat etiam Richardus *hic art. 3. quæst. 4. ad 3. & dist. 25. art. 3. quæst. 1. ad 8.* Panormitanus *in cap. Cùm Ecclesia, de simonia:* idem tenet quoad paruulum, non quoad adultum, quia in eo non est tanta vexatio, quin possit per contritionem sibi subuenire: & vt dicit Doctor in litera, non tenetur eo casu ad præceptum Baptismi. Hanc sententiam sequitur Adrianus *Quodlibeto 9. ad 3.* Confirmat Caieranus *2. 2. quæst. 100. art. 2.* Sotus *de Iust. & iure, lib. 9. quæst. 6. art. 1. ad 1.* Negat Aragon *de Iust. & iure, quæst. 100. art. 2. ad 1.* quia vexationem quæ redimi potest existimat consistere in eo, quod quis iustè possidet, eóque priuatur iniustè; vt si beneficiatus patiatur iniustè vexationem per ablationem beneficij, quod possidet, nisi redimat pecunia eam vexationem, in proposito casu est coniuncta cum emptione simoniaca, quæ est per se mala.

D. Bonau. Richard. Panormit. Adrianus. Caietan. Sotus. Aragon. *Sententia negans.*

15 Respondet Doctor posse dari pretium pro aqua, vel pro labore; non autem pro ipso Sacramento, & ex proposito videtur abstinere ab illo modo loquendi antiquorum de redimenda vexatione; quæ in hoc casu habet fortè speciem difficultatem, quia si alter non laborem, aut materiam, sed ipsum Sacramentum vendit, atque de eo paciscitur, ita vt expressâ voluntate sit simoniacus, cùm nulla alia vexatio offeratur, nisi subtractio Sacramenti, eiúsque effectus; vix potest petens redimere vexationem, nisi implicando Sacramẽtum cùm nullum aliud subsistat motiuum præter laborem, & aquam, ad quæ se extendet redemptio vexationis, aut ipsa vexatio: ad hæc autem non extenditur vexatio, aut redemptio: quia sunt res pretio æstimabiles, & quæ vendi possunt sine simonia, ex parte ministri: ergo in eo casu non subsistit aliud motiuum specificans voluntatem redimendi vexationem, & efficacem, nisi ipsum Sacramentum, cuius subtractione fit vexatio iniusta, non verò subtractione laboris, & materiæ: quia hæc non esset iniusta, neque vexatio dici deberet in eo saltem, qui ex iustitia non tenetur ministrare Sacramentum. Voluntas autem efficax debet subsistere ad aliquod finale motiuum, & reale, quo cessante, cessaret actio, & à quo tam actio, quàm ipsa voluntas specificatur: ipsum ergo Sacramentum subtractum est illud motiuum.

*Resolutio Doctoris.* *Emi posse aquam, & laborem.* *Cur Doctor abstinet à modo loquendi antiquorũ de redimenda vexatione?* *Redemptio vexationis implicat Sacramentum.*

Dices, dationem pecuniæ esse posse motiuum excitans ministrum ad collationem Sacramenti, & voluntatem dandi ad ipsam dationem hoc modo, vt excitans est, referri tanquam ad finem intrinsecum, & obiectum specificans, nempe ipsam, non verò ad emptionem Sacramenti. Contrà hæc solutio in re morali non caret scrupulo, quia motiuum excitans in moralibus sumit speciem ab opere, ad quod allicit, & quæ primariò intenditur ab excitante, per ipsum motiuum excitans, tanquam per medium; non enim excitat, nisi ex fine operis; neque ipsa excitatio, vt procedit ab excitante potest præscindere ab opere; sicut neque remedium, quantùm ad speciem moralem à fine, aut electio eius esse, nisi ex motiuo finis; quia cessante voluntate finis, cessaret etiam excitatio ad finem: ergo datio pecuniæ, vt etiam est excitans, nequit præscindere à Sacramento, vt est medium, & causa, per quam ponatur in esse, neque consequenter voluntas dandi pecuniam præscindit à Sacramento.

16 *Resp. ad.* *Impugnatur.* *Voluntas excitans non præscindit ab opere.*

Exemplum potest esse in eo, qui offerat munera, non simpliciter ex motiuo gratitudinis, aut liberalitatis; sed qua sic tetet viam ad beneficium; is, licèt non interueniat pactum aliquod explicitum, est simoniacus implicitè, & palliatè: quia illa datio pecuniæ non subsistit ad aliquod motiuum in reipsa, ad quod maneret ex intentione dantis, nisi ad beneficium: ergo etiam similiter datio pecuniæ in proposito casu nequit subsistere ad aliud, quàm ad Sacramentum tanquam causam, & medium eius ponendi, ac proinde erit simonica vt præcisè sistit in redemptione vexationis. *Simonia palliata.*

Confirmatur, licèt illa pecunia dari possit liberaliter, tamen non sic datur ad redimendam vexationem, & vt subest pacto implicito, vel explicito, nisi cum titulo oneroso, quo alius commutet cum ipsa Sacramentum: ergo videtur saltem periculosa. Melius proinde Doctor abstinet ab illo modo, quia licèt vexatio redemptionis licita sit, in iis tamen fieri debet, in quibus aliquid pretio æstimabile inuenitur, ad quod possit subsistere, quod in præsenti fortè difficulter datur, aut fecerni potest à re spirituali, quæ non æstimatur pretio temporali: de quo nihil affirmo in præiudicium tot authorum, quos etiam sequitur Scholiastes; nec Doctor contrarium horum non tenet, quia dicit nullâ ratione petendum, aut recipiendum esse Sacramentum à ministro, qui nolit illud ministrare, nisi paciscendo. Quòd si donatio sit merè liberalis secluso omni pacto implicito, & explicito, licita erit, & tunc non erit propriè loquendo redemptio vexationis ex parte dantis; licèt collatio intuitu Sacramenti in ministro possit esse simoniaca. 17 *Confirmatio.*

---

## QVÆSTIO III.

### *An aliquis debeat ministrare Sacramentum Baptismi, quando præsumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis eius, qui suscipit?*

Richard. *d. 4. art. 4. q. 2.* Palud. *d. 6. q. 1. art. 3.* Marsil. *4. q. 4. art. 4. dub. 8.* Soto *d. 3. q. un. art. 8. fin.* Sylu. *v. Baptismus 4. §. 10.* Angelus & Armil. *ibi aiunt proiectum in puteum non esse baptizatum. Communis tenet oppositum.* Gabr. *d. 4. q. 2. art. 3.* Maior *q. 2.* Suar. *tom. 3. d. 20. sect. 3.* Valent. *tom. 4. d. 4. q. 1. p. 2.*

1 VXTA[a] hoc quæritur ſine argumentis, An aliquis debeat miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, quando præſumitur baptizationem vergere in periculum vitæ corporalis eius qui ſuſcipit? Reſpondeo, aut talis præſumptio eſt certa ex ſignis certis, vtpote ſi quis non habens aquam quam poſſit attingere, niſi de ponte propellat puerum in fluuium, vel in puteum; hoc certum eſt, quòd quantùm eſt ex ratione talis actus, nata eſt mors ſubſequi, quia ſubmerſio. Dico quòd quando ſic premitur mors, nullo modo debet aliquis eum propellere, aut proiicere: quia peccabit mortaliter occidendo, & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in ſeipſo, quàm quærere ſalutem proximi: quia ordinata charitas magis eſt ad ſeipſum. Dicitur etiam, quòd talis ſic proiectus non eſſet baptizatus, quia Baptiſmus eſt ablutio ordinata ad vitam illius abluti; non ſic ordinatur talis dimerſio. Eſſet ergo in tali caſu aliquis pannus dimittendus in puteum, vel fluuium (ſi non habetur vas in quo poſſet aqua hauriri) & de iſto panno aqua exprimenda, quâ baptizetur talis.

*Rich. diſt. 4. art. 4. q. 2. & 3.*

## COMMENTARIVS.

1 a *Vxta hoc quæritur ſine argumentis*, &c. Caſus hic proponitur, vt rectiùs explicetur, quibus circumſtantiis obliget præceptum Baptiſmi, ſiue miniſtrum, ſiue ipſum ſuſcipientem; & poteſt diſtingui periculum in certum, probabile, aut non fundatum, ſed apparens ex errore, qui ſine ſufficienti præſumptione, aut fundata concipitur. Inquantum hæc obligatio cadit in ſuſcipientem adultum, quia de paruulo non eſt quæſtio, tenendum eſt eum non obligari ad Baptiſmum ſuſcipiendum, quando per ſe ſequitur mors certa, vel probabilis: quia aliter ſibi poteſt prouidere de remedio ſufficienti pro eo ſtatu; neque obligat præceptum Baptiſmi ſuſcipiendi pro eo ſtatu, & his circumſtantiis. Sed an petere poſſit Baptiſmum, aut permittere in eo caſu quando periculum eſt certum, vel probabile, ex vita decedendi ſine Sacramento; quamuis conetur conteri, & exiſtimet ſe contritum.

*Periculum multiplex.*

*Obligatio adulti ad Sacramentum.*

Reſpondetur permittere quidem poſſe, quia non tenetur ſaluare vitam corporalem in præiudicium vitæ ſpiritualis, quam per remedia certa, & tuta procurare debet, ſi licitè poteſt: ſi non poteſt procurare, ex ratione quam mox ſubiungam; ſaltem permittere poteſt vt ei applicentur per alium ad hoc paratum: ſicut in multis caſibus poteſt permittere ſe priuari vita; nam licèt ea non poſſit ſeipſum priuare in vllo caſu, quia non eſt dominus vitæ; non tenetur tamen conſeruare eam cum notabili damno ſuo, aut alterius, vel interficiendo aggreſſorem, vel prodigendo patrimonium integrum in remedia exquiſita in præiudicium vxoris, aut filiorũ, vel etiam ſui ſtatus, & conditionis, ſi ſuperuicturus eſſet. Petere autem Sacramentum in eo caſu non poteſt, in quo alter ſine peccato, aut periculo probabili mortis eius, per ſe ex natura illius actionis nequit dare, quia concurreret ad ſui mortem, & ad peccatum alterius ſollicitando tranſgreſſionem præcepti, & applicando cauſam ſuo modo, ex quo mors certa eſt, aut probabilis.

*Quomodo ſe geret in periculo.*

2 Quoad aliud genus periculi nõ fundati perinde dicendum eſt de ipſo, ac de miniſtro: caſus vix eſt practibus, niſi formetur in circumſtantiis remotis à praxi, & vſu operandi, vt ſi aqua eſſet intoxicata, vt ipſa de ſe eſſet mortalis; quod vix fortè fieri poteſt, quia ſi venenum ſit adeò prædominans, videtur potiùs in ſe aquam conuertere, ita vt ſit magis venenum, quàm aqua naturalis: ſed formatur caſus ad intelligendam vim præcepti; quòd ſi autem venenũ non ſit adeò prædominans, nõ videtur ex ſtilla aquæ inferri poſſe mortem ſi ſtatim abluatur, aut tergatur, antequam vires ſuas per alterationem corporis exerat.

*Caſus vix eſt practicus.*

De miniſtro autem concluſio Doctoris eſt non poſſe eum licitè miniſtrare Baptiſmum in tali caſu, quando ex eo infertur mors, aut præſumitur inferri ex certis ſignis in ea diſpoſitione infirmi, aut ex natura ipſius actionis ſequitur; vnde qui proiicit infantem in puteum, & eſt homicida, qui ſecat mulierem grauidam, & in periculo exiſtentem mortis, ex qua ſectione etiam ſequeretur mors infantis, quo ipſum infantem viuum extrahat & baptizet, eſt etiam homicida, quia etiam adiudicata morti donec pariat non eſt plectenda, *l. negat de ſtatu hominum, l. prægnantis, ff. de pœnis*, quando ipſa interim infirmitate laboret ad mortem, tunc fortè ratione periculi infantis poteſt executio fieri per miniſtros iuſtitiæ, & aperienda erit, vt ſaluetur infans, & mors detur in pœnam; ſed authoritate priuatâ, id nequit fieri. Dices ipſa prægnans in periculo mortis ſumere poteſt medicinam, ex qua certò, vel probabiliter ſequetur mors infantis: ergo ſicut vitam corporalem infantis ob ſalutem propriam contemnere poteſt: ita etiam & vitam corporalem infantis poteſt quis contemnere ad ſaluandam vitam eius ſpiritualem. Patet conſequentia, quia vitæ propriæ, & corporali poteſt præferre vitam ſpiritualem infantis: ergo à fortiori vitam eius ſpiritualem præferre vitæ corporali. Confirmatur, ipſe infans ſi eſſet ſui compos deberet vitam corporalem contemnere ob neceſſitatem vitæ ſpiritualis: ergo & parentes ſaltem, in quorum eſt diſpoſitione, ſimiliter debent contemnere vitam eius corporalem, in periculo vitæ ſpiritualis.

3 *Nequit miniſter dare Sacramẽtum ex quo ſequatur mors.*

Reſpõdetur aliud eſſe auferre vitam alteri, aut ſibi, aliud verò non conſeruare: primum eſt contra præceptum negatiuum, quod obligat ſemper, & pro ſemper; ſecundum verò contra præceptum affirmatiuum de conſeruanda vita, quod obligat in determinatis circumſtantiis, ſicut & reliqua affirmatiua; non tamen ſemper, & pro omnibus circumſtantiis, vt quando occurrat damnum proprium, aut alterius graue. Et hac poſita diſtinctione, reſpondetur ad rationem adductam de prægnante ſumente medicinam iudicio medicorum neceſſariam ad vitæ conſeruationem, iuxta aliquos ſumere poſſe ex intentione ſalutis propriæ, quamuis videatur ſequi mors infantis certò aut probabiliter præter intentionem, quia non tenetur vitam propriam exponere pro vita infantis, licèt poſſit eam

contem

*Quid dicendum de grauida periclitante.*

contemnere: sed meliùs limitandus est casus, si ex morte matris certò, aut probabiliter creditur mors infantis, tunc verum est posse eam medicinam sumere, & mors infantis præter intentionem eius tunc succedit: si tamen speratur partura infantem viuum, tunc nequit sumere medicinam, quia cum damno vitę spiritualis, & corporalis infantis non potest saluare vitam propriam, & ad hoc nullum habet ius; imò ex pietate tenetur infanti, & ex iustitia. Idem dicerem, si ex partu redundat periculum non posse etiam procurare abortum cum periculo vitæ infantis, quia sic ex intentione mors infanti procuraretur. Consequentia autem negatur, si intelligatur de contemptu per illationem mortis, non de contemptu per solam permissionem: vnde mater in casu, quo prouideret alius infanti moribundo per remedium, quod inferret mortem corporalem, & saluaret vitam spiritualem, non tenetur resistere, acceleratio enim mortis tolerari ab ipsa potest cum lucro salutis eius: ex quo patet ad secundam consequentiam, & ad confirmationem distinguendo inter permissionem, & illationem mortis, vt priùs dictum est.

4 Peres, quid dicendum in casu, quo mors infantis per accidens sequeretur ab extrinseco, aut ipsius baptizantis: verbi gratiâ, si Tyrannus in odium religionis, & Sacramenti vtrique, & alterutri mortem esset illaturus. Respondetur, si infans est in periculo mortis esse baptizãdum, & ministrum etiam debere eum baptizare, quia periculum extrinsecum in odium religionis, est per accidens ex peruersitate inferentis, non ex natura actionis. Nec debet actio illa religionis necessaria omitti, ne cum scandalo, & timore humano magis obediatur hominibus, quàm Deo: ita Suarez *disp.* 31. contra Sotum. Hæc quæstio magis fusè disputatur in tractatu de fide.

Quod deinde Doctor hîc asserit de dubietate Baptismi ex proiectione infantis in puteum suprà tractatum est *dist.* 4. *quæst.* 3. Ex hoc autem loco colligit Scholiastes Doctorem posse etiam pro affirmatiua parte defendi, quia illam sententiam refert tanquam alterius, nec probat, nec improbat; quod verum est, nec eam tenere videtur tanquam certam: sed appositè hîc eam citat, quia dubitari potest cum fundamento de valore Baptismi: cùm ergo certum sit peccatum ex parte ministri, neque certus est fructus, aut valor Baptismi respectu infantis, sed omnino dubius, tollitur ex hoc motiuum de salute certa infantis, ac proinde illius actionis in praxi, à qua vel ipsum præceptum diuinum, *non occides*, abstterrere debet, & periculum de nullitate Baptismi.

## SCHOLIVM.

*Postquam docuit non licere proticere puerum in puteum, vt baptizetur (vbi innuit, quòd valeret talis Baptismus, vel saltem dubitat de hoc, licèt id negare videatur sup. d. 4. q. 3. quia affert oppositam sententiam Richardi negantis valere, nec eam approbat, nec reprobat) resoluit modò quid faciendum, quando minister falsò sibi suadet, baptizatione interimendum puerum.*

Quòd[b] si præsumptio illa de morte imminenti, vel acceleranda propter Baptismum, non sit certa, sed leuis, & fortè irrationabilis, vtpote si paruulus, vel adultus est in articulo mortis constitutus. Dico, quòd habens conscientiam de acceleratione mortis talis infirmi per baptizationem eius, habet conscientiam erroneam, quæ, si nullus alius adsit qui baptizet, facit eum perplexum. Nullus enim perplexus est ex lege diuina, sed potest esse in aliquo actu, vel casu perplexus ex erronea scientia: nam si ille decedat sine Baptismo, damnatur: ergo ille tenetur de necessitate salutis, (si nullus adsit) baptizare istum, ne damnetur: magis enim tenetur diligere vitam eius æternam, quàm vitam eius temporalem. Si ergo peccaret, non saluando in casu necessitatis vitam eius corporalem, puta permittendo eum submergi, nolendo ei porrigere manum ad extrahendum, multò magis peccaret mortaliter permittendo istum damnari propter defectum Baptismi. Si etiam ille stante illâ conscientiâ erroneâ, quòd baptizando acceleret mortem, baptizet: peccat etiam mortaliter, quia secundùm conscientiam facit homicidium. Quid ergo? Necesse est (si nullus alius adsit, qui possit baptizare) dimittere istam conscientiam, quia in casu illo nullum est aliud remedium vitandi peccatum mortale. Apparet etiam satis rationabiliter, quòd illa præsumptio est fatua, & irrationabilis; quia non multùm noceret etiam grauiter infirmo parum aspergi de aqua in capite: & si fortè aqua frigida noceret, saltem tepida non noceret: quia paruuli tenerrimi pro remedio balneantur aquâ tepidâ. 2

*Nullus perplexus ex lege diuina.*

Sed nunquid baptizans cum istâ conscientia erronea est irregularis, si pòst mors sequatur? Respondeo, non est irregularis, quia nulla lex Ecclesiastica quantùm ad illud, reddit irregularem, nisi verè homicidam: iste autem secundùm veritatem non est homicida. Tamen post mortem illius baptizati, stante illâ conscientiâ, tenetur se habere tanquam irregularem: quia se habet tanquam homicidam: sed cessante, vel amotâ illâ conscientiâ, non oportet dispensationem quærere: quia nunquam fuit verè irregularis. Et si quæras cui magis sit cauendum, Clerico, vel laïco baptizare infirmum constitutum in articulo mortis? Dico, quòd neutri est cauendum: quia neuter transgreditur præceptum diuinum de non occidendo, nec Clericus pœnam aliquam repellentem ipsum à cleri-

*Non est irregularis ex homicidio, nisi verè homicida.*

catu incurrit. Si tamen vterque poneretur æqualiter habere conſcientiam erroneam: ſimpliciter neuter poſſet baptizare: quia præceptum diuinum vtrumque æquè ligat: & contra illud vterque ſecundùm ſuam conſcientiam facit: Clericus tamen ſecundùm opinionem ſuam falſam, crederet ſe incurrere aliam pœnam vltra peccatum mortale: & ideò ipſe habet plura retractiua in caſu illo, quàm laicus.

## COMMENTARIVS.

5 *Secunda concluſio. Duplex præſumptio.*

b QVod ſi præſumptio illa de morte, &c. Hæc eſt ſecunda concluſio huius quæſtionis. Supponit ſi præſumptio ſit leuis, dandum eſſe Baptiſmum. Pro cuius intelligentia aduertendum, præſumptionem ex vſu iuriſperitorum, & moralium eſſe duplicem; alia enim eſt iuris, alia hominis. Illa etiam diuiditur in præſumptionem iuris tantùm, & in præſumptionem iuris, & de iure. Illa eſt, quando ius aliquid determinatè præſupponit ſuper re dubia, & veriſimili: hæc eſt quando ius non ſolùm præſumit aliquid, ſed diſponit ita eſſe, nec contrariam habere probationem: vide cap. *Is qui, de ſponſalibus*: & ibidem *gloſſam*, & Panormitanum.

*Præſumptio iuris duplex.*

*Præſumptio hominis triplex. Violenta.*

Præſumptio hominis eſt triplex; alia violenta, ex qua etiam poteſt procedi ad pœnam, ſine alia probatione. *leg. Sciant cuncti, Cod. de probat.* Panormitanus *in cap. Excommunicamus, de hæreticis*, quia illa facit plenam probationem. Secunda eſt probabilis, quæ facit ſemiplenam, & aliquando plenam probationem, cum vno teſte tantùm, & ſi quis eſt infamatus, inducit purgationem canonicam, *cap. ſi quis de gradu, de præſumptione, can. Preſbyter* 12. *quæſt.* 4. Tertia eſt præſumptio leuis, & temeraria, ſine fundamento ſufficienti: de ea vide S. Thomam 2. 2. *quæſt.* 50. cuius plures gradus aſſignat.

*Probabilis.*

*Leuis.*

*Diuerſi eius gradus.*

Hanc intelligit Doctor in præſenti *leuem*, & irrationabilem, qui ſunt diuerſi gradus eius, nam *leuis* eſt quæ generat ſuſpicionem, & metum ex leuibus indiciis: eſt enim denominatio ſumpta ex natura motiui, quod leue eſt, & inefficax, neque ſufficiens ad formandum conceptum etiam dubium de obiecto in re, ſed ſolùm in tenui, & non fundata apparentia. *Irrationabilis* amplius dicit, nempe quando ex eiuſmodi motiuis non ſolùm generatur dubietas, & vacillatio mentis; ſed etiam quando generatur iudicium determinatum, quaſi ita eſſet res; quam rectè Doctor irrationabilem vocat, quia nulla ratione ſubſiſtit, & præter regulas iudicij, & diſcretionis formatur temeratè.

*Irrationabilis præſumptio.*

6 *Ex leui non datur regula operandi.*

His poſitis facilis eſt probatio concluſionis in re morali, & à priori, quia in primis, ſi eſt præſumptio leuis de morte infantis, aut eius acceleratione per Baptiſmum collatum, non eſt ſufficiens regula operandi, aut ſuſpendendi opus, quod eſt in præcepto: verbi gratia, ſi ſcrupuloſus non recitet officium, ad quod ex præcepto tenetur, ex ea ſuſpicatione quâ timet diſtractim, & ſine attentione, aut reuerentia debita ſe dicturum officium, vt debet ex præcepto religionis, peccat: ſic etiam obligatus ad ieiunium non excuſatur ex leui ſuſpicione, quam habet ieiunium nociturum ſanitati corporali. In propoſito autem ſic contingit, quia ſuſpicio leuis de morte puero inferenda, ſicut non eſt regula operandi proxima; ſic non excuſat omittentem præceptum diuinum, & naturale, qua tenetur prouidere ſaluti infantis moribundi in illa neceſſitate: ſuſpicio enim illa concipitur, vel ex cauſis mortis non ſubſiſtentibus, vel valde remotis, vel quæ præueniri facilè poſſunt, vel inefficaces ſunt ad illum effectum, ideóquo non excuſant à præcepto baptizandi, quia neque applicant præceptum de contrario; verbi gratiâ, *non occides*, eo modo, & ſufficientia; qua eſt regula inducens obligationem in hac materia, quia ad hoc requiritur iudicium determinatum.

*Præſumptio leuis non excuſat ab opere debito.*

Quantùm ad *irrationabilem præſumptionem*, quæ facit iudicium determinatum, & conſcientiam erroneam, reſpondet eum eſſe perplexum, non ex lege diuina, quia reipſa non concurrunt, neque hîc, neque in alia materia, duo præcepta legis diuinæ contraria, quantùm ad obligationem vnquam, vel in vllis circumſtantiis, quia ſic eſſet impoſſibilis eorum obſeruantia contra Tridentinum *ſeſſ. 6. cap.* 11. *can.* 18. quia minus cedit maiori, ſi ſint diuerſatum virtutum, vel ſi eiuſdem, ſecundùm diuerſum ordinem, quo ipſa virtus ſequenda eſt: vel denique ex ſubordinatione ad inuicem, ſicut poſitiuum ſubordinatur naturali; eſt tamen perplexus ex ſcientia, vel conſcientia erronea, ac proinde peccat, ſi omittat, quia non habet ignorantiam inuincibilem, aut impotentiam obſeruandi præceptum baptizandi. Peccat etiam ſi baptizat, quia tenetur non operari contra conſcientiam, etiam erroneam, quia ſic operando, & iudicans determinatè ſe facere contra præceptum Dei, eſt contemptor præcepti, ſecundùm omnes. quid ergo agendum? Reſpondet Doctor eſſe deponendam, quæ doctrina eſt communis, quia non ligat, niſi quamdiu eſt ex ſuppoſitione credentiæ, quâ determinatè putat ſe obligari præcepto diuino, & oſtendit modum, quo deponi poteſt ex conſideratione rei; quia fatuum eſt putare ex modica aqua, quâ infans tangitur baptizando ipſum, inferri mortem, vel etiam accelerari, quia nec ex principiis naturæ, aut vlla praxi, aut ſtatu infantis id colligitur, cùm & infantes tenerrimi etiam cauſa ſalutis aquâ tepidâ abluantur.

7 *Irrationabilis quid efficit.*

*Præcepta cõtraria nequeunt ſimul obligare.*

*Scrupuloſus quomodo perplexus.*

*Debet deponi conſcientia erronea.*

Sed quid ſi talis non deponens conſcientiam baptizet, eritne irregularis? Reſpondet non eſſe irregularem, ſed ſe debere gerere vt irregularem, donec deponat errorem. Hæc principia plurimùm aduertant ſcrupuloſi in quibuſuis materiis; quia ipſi ſibi nodos, & laqueos alligant, quærentes pacem conſcientiæ, deſtruunt, in ipſa meridiana luce quaſi ad vmbras caligant; vnde ſi pacem quærant, obediant aliis ſpiritualibus, & doctis, ſuis chimæris, quas humor melancholicus ingenerat, non ſubſint, & ſibi diffidentes quaſi ad manus aliorum directorum incedant, donec videre incipiant.

8

# DISTINCTIO SEXTA.

A NVNC quibus liceat baptizare addamus. De hoc Isidorus ait, [Constat Baptismum solis Sacerdotibus esse traditum, eiúsque ministerium, nec ipsis Diaconibus implere est licitum, absque Episcopo, vel Presbytero, nisi his procul absentibus, vltima languoris cogat necessitas: quod etiam laïcis fidelibus permittitur.] *Isid. lib. 2. de officiis Eccles. cap. 24.*

Item ex Concilio Carthaginensi IV. Mulier, quamuis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente. De illis verò, qui ab hæreticis baptizantur, vtrùm rebaptizandi sint, quæri solet. Ad quod breuiter dicimus, quia quicunque sit qui baptizet, si seruatur forma à Christo tradita, verum Baptismum dat: & ideò qui illum sumit, non debet rebaptizari. Vnde Beda, [Siue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille, qui baptizatus est, à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio, & Trinitatis inuocatio videatur annullari.] Item Augustinus [Quamuis vnum sit Baptisma, & hæreticorum, scilicet eorum qui in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti baptizant, & Ecclesiæ Catholicæ: qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem Baptismum, sed ad perniciem, habentes formam Sacramenti, virtutem autem eius abnegantes, & ideò Ecclesia eos non rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt: & ipsa est forma Sacramenti.] Item [Rebaptizare hæreticum, qui hæc sanctificationis signa perceperit, omnino peccatum est: Catholicum verò, immanissimum scelus est.] Ex his apertè colligitur, quòd qui etiam ab hæreticis baptizati sunt, seruato charactere Christi, rebaptizandi non sunt: sed tantùm impositione manus reconciliandi, vt Spiritum sanctum accipiant, & in signum detestationis hæreticorum. Sunt tamen nonnulli Doctorum, vt Cyprianus, & alij quidam, qui dicere videntur ab hæreticis non posse tradi Baptismũ, & eos esse rebaptizandos, cùm veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizari. Sed hoc de illis verum est, qui extra formam Ecclesiæ baptizare præsumunt. Cyprianus tamen ibi à veritate deuiasse videtur, qui ait de hæretico: [Quomodo sanctificare aquam potest, cùm ipse immundus est, & apud quem Spiritus sanctus non est? cùm Dominus dicat in lege, Quæcunque tetigerit immundus, immunda erunt: quis potest dare quod ipse non habet?] Hoc ergo ex ignorantia eum dixisse Augustinus innuit, dicens. [Martyrem Cyprianum glorioſum, qui apud hæreticos, vel schismaticos datum Baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta eius merita vsque ad triumphum Martyrij secuta sunt, vt & charitatis quà excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, & si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur. Nec nos qui Baptismi veritatem, & hæreticorum iniquitatem agnoscimus, ideò Cypriano meliores sumus, sicut nec Petro, quia Gentes iudaïzare non cogimus.

*Cap. 100. de cons. dist. 4. c. Mulier.*

*Beda. hom. 16. supr. Matth.*

*August. ad Max. epist. 203. tom. 2.*

*Epist. 12. lib. 1. sup. illud Ezech. 36. & aspergã vos aqua munda.*

*Num. 19. d. & Leu. 5. 7. & 11. de vnico Baptismo, c. 13. tom. 7. Ad Gal. 1. Comment. ad 4. cap.*

## *Quòd nullus in vtero materno baptizatur.*

B HOc etiam sciendum est, quòd [licèt ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen vnum Baptisma reputatur.] Illud etiam ignorandum non est, quòd in materno vtero nullus baptizari potest, etiamsi mater baptizetur.

*Isid. lib. 1. de sum. bon. cap. 24.*

*De conſ. diſt. 4. eodē modo, & eadem diſt. quæ in Matrimonio.*

zetur. Vnde Iſidorus. [Qui in maternis vteris ſunt, baptizari non poſſunt, quia qui natus adhuc ſecundùm Adam non eſt, ſecundùm Chriſtum non poteſt renaſci: neque regeneratio in eum dici poteſt, quem generatio non præceſſit.] Item Auguſtinus. [Non poteſt quiſquam renaſci antequam natus ſit.] Si verò opponitur de Ieremia, & de Ioanne Baptiſta, qui ab vtero ſanctificati leguntur: quod etiam de Iacob quidam putant. Dicimus, ſi *ſanctificatio*, ibi accipitur interior emundatio, hoc in miraculis diuinæ potentiæ eſſe habendum, vt Auguſtinus ait, ambiguè ſuper hoc loquens, [Si vſque adeò, inquit, in illo puero acceleratus eſt vſus rationis & voluntatis, vt intra materna viſcera iam poſſet agnoſcere & credere, quod in aliis paruulis expectat ætas vt poſſint, in miraculis habendum eſt diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplum naturæ. Nam quando voluit Deus, etiam iumentum locutum eſt.] Idem, [De Ieremia legitur, Priuſquam exires de ventre, ſanctificaui te. Illa tamen ſanctificatio, quâ efficimur templum Dei, non niſi renatorum eſt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Nemo autem renaſcitur, niſi priùs naſcatur. Vnde illa ſanctificatio poteſt ſecundùm prædeſtinationem accipi.] Ecce videtur dubitanter loqui: qui etiam in eodem dicit. [Non dictum eſt, quia credidit infans in vtero, ſed exultauit: nec Elizabeth dicit, Exultauit in fide, ſed exultauit in vtero meo. Et potuit eſſe iſta ſanctificatio, tantæ rei à maiori cognoſcendæ indicium, non à paruulo cognitæ] abſque aſſertione de hac ſanctificatione loquitur, non definiens qualiter intelligenda ſit illa ſanctificatio: an ſit ſignum futuræ rei, an veritas iuſtificationis per Spiritum factæ. Sed melius eſt, vt dicamus illos præter communem legem in vteris iuſtificatos, & gratiâ præuentos dimiſſis omnibus peccatis, quod etiam multis Sanctorum teſtimoniis edocetur.

*Auguſt. ad Darda. de præſentia Dei. ep. 57. poſt med.*

*Ierem. 1. b. & Luc. 1. b. Mala 1. a. Ead. ep. 54. in med. Num. 22. Ier. 1. b. 1. Cor. 3. d. Ioan. 3. a. Luca 1. e. Ambr. & Beda ſup. 1. cap. Luc.*

## *Si Baptiſmus ſit verbis corruptè prolatis.*

C *In epiſt. quæ incipit,* Reuerendiſſimo & ſanctiſſimo. *De conſ. diſt. 4. cap.* Retulerūt.

QVæri etiam ſolet, Si corruptè proferantur verba illa, an Baptiſmus ſit? De hoc Zacharias Bonifacio ſcribit. [Retulerunt mihi nuncij tui, quòd fuerit Sacerdos in eadem prouincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat: & dum baptizaret, neſcius Latini eloquij, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine Patria, & Filia, & Spiritu ſancta: & propter hoc conſideraſti rebaptizare. Sed ſi ille qui baptizauit, non errorem inducens, vel hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam baptizans dixiſſet: non poſſumus conſentire, vt denuo baptizetur.]

## *Leo Papa.*

D *De conſ. diſt. 4. cap.* Si nullo, *ex ep. Leo. 1. ad Ruſt. ep. quæ eſt n. 92.*

PRæterea ſciendum eſt, quòd [illi de quibus nulla extant indicia inter propinquos, vel domeſticos, vel vicinos à quibus baptizati fuiſſe doceantur, agendum eſt, vt renaſcantur ne pereant: in quibus quod non oſtenditur geſtum, ratio non ſinit vt videatur iteratum. Conferendum eis videtur, quod collatum eſſe neſcitur: quia non temeritas interuenit præſumptionis, vbi eſt diligentia pietatis.]

## *De illo qui pro ludo immergitur.*

E SOlet etiam quæri de illo qui iocans, ſicut Mimus, commemoratione Trinitatis immergitur, vtrùm baptizatus ſit? Hoc autem Auguſtinus non definit,

definit, ita inquiens. [Si totum ludicrè & mimicè, & iocularitèr ageretur, vtrùm approbandus esset Baptismus, qui sic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis oraculum oratione implorandum esse censerem.] Videtur tamen sapientibus non fuisse Baptisma: vt cùm aliqui in balneum, vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non est tamen Baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc, & in aliis Sacramentis sicut forma est seruanda, ita & intentio illud celebrandi est habenda. [Illud etiam non te moueat, quòd quidam non eâ fide paruulos ad Baptismum ferunt, vt per Spiritum ad vitam regenerentur æternam: sed eos putant hoc remedio temporalem accipere sanitatem: non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur.]

*Lib. 7. de Bapt. & cõtra Donat. c. 53. & hab. de conſ. d. 4.* Solet etiã quæri. *Auguſt. ad Bon. ep. 23. in med. & habetur de conſ. diſt. 4.* non te moueat. *Leo Pap. in ep. ad vniuerſ. per Siciliam conſtit. quæ eſt 4. in ordin. & habe. de cõſec. diſt. 4. c.* duo tempora, *& c.* ſi quâ neceſſitate, 2. *lib. de officiis c. 24. de cõſ. diſt. 4. cap.* Paruuli.

## *Quòd duo tempora erant in quibus baptizabantur homines.*

F AGnoſcendum eſt etiam, in baptizandis electis, duo tempora eſſe ſeruanda, ſcilicet Paſcha, & Pentecoſten, vt in Sabbatho Paſchæ, vel Pentecoſtes Baptiſmi Sacramentum celebretur. Qui verò neceſſitate mortis, vel periculi vrgentur, omni tempore debent baptizari.]

## *De reſponſione patrinorum.*

G POrrò cuncti ad Baptiſmum venientes, fidem ſuam profiteri debent, & exponere ad quid petendum venerint ad Eccleſiam: vnde etiam à baptizando quæritur, Quid veniſti ad Eccleſiam petere? Qui ſi adultus eſt, pro ſe reſpondet, Fidem, id eſt, Sacramentum fidei, & doctrinam. Ita etiam per ſingula interrogatus, reſpondet ſe credere in Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Si autem paruulus eſt, non valens credere, vel loqui, alius pro eo reſpondet. Vnde Iſidorus. [Paruuli alio profitente, baptizantur, qui adhuc loqui, vel credere neſciunt: ſicut etiam pro ægris, mutis, vel ſurdis, alius profitetur dum baptizantur.] ſic & de pœnitentibus agendum eſt. [Si verò pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet ſicut dictum eſt, ætatem habet, pro ſe loquatur.] Si verò quæritur ex quo ſenſu pro paruulo dicatur, Credo, vel fidem peto? Dicimus de Sacramento fidei id eſſe intelligendum, quod reſpondetur petere, cùm defertur ad Eccleſiam, & habere fidem cùm baptizatur, vt ſit ſenſus, cùm dicitur fidem peto, id eſt, Sacramentum fidei præſto ſum recipere: Credo, id eſt, Sacramentum fidei ſuſcipio: quod eſt, hîc paruulus præſto eſt Sacramentum fidei accipere. Vnde Auguſtinus: [Nihil eſt aliud credere, quàm fidem habere: & ideò cùm reſpondetur credere paruulus, qui fidei nondum effectum habet, reſpondetur fidem habere propter fidei Sacramentum, & conuertere ſe ad Deum propter *conuerſionis Sacramentum.] Sed adhuc quæritur ex quo ſenſu pro paruulo reſpondeatur, Credo in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum, & in Spiritum ſanctum? Nunquid de Sacramento fidei, an de fide mentis ibi agitur? Si de Sacramento, cur nominatim diſtinguuntur perſonæ? Si verò de fidei affectu, quomodo verum eſt, cùm eâ paruulus careat? An illud facturus paruulus ſpondetur, cùm creuerit, ſicut & omnibus pompis diaboli ſpondetur abrenunciare: quod ſi non ſeruauerit factus adultus, tenebitur ipſe, vel ſponſor? Sanè etiam dici poteſt, ibi ſponderi pro paruulo, quod ad maiorem ætatem ſi venerit & pompis diaboli renunciabit, & ſanam fidem tenebit, cuius tunc

*De cõſ. diſt. 4.* cum pro paruulis. *Ex Aug. lib. 4. de Bapt. cõtra Donat. cap. 24. Ioan. 9. c.*

*Aug. de cõſ. diſt. 4.* nihil eſt aliud, *ex epiſt. ad Bonif. 23. in fine*

* *aliàs fidei.*

Sacramen

Sacramenrum recipit. Hac autem ſponſione paruulus pro quo fit, tenebitur, non ſponſor: ſi tamen vt cautio impleatur, quantum in ſe eſt, & operam de-
*De cõſ. d. 4. Prima igitur ex Aug. lib. 2. de Symb. ad catech. 1. & 2. & lib. 4. tom. 1.* derit, quia exigitur à patrino, vt ſit diligens circa eum pro quo ſpopondit, ſollicitudo. De hoc Auguſtinus. [Certiſſimam emiſiſtis cautionem, quâ renunciare pompis diaboli ſpopondiſtis.]

## *De catechiſmo & exorciſmo.*

H ILla autem interrogatio & reſponſio fidei fit in catechiſmo, cui additur exorciſmus. Ante Baptiſmum enim fit catechiſmus & exorciſmus, poſt catechiſmum ſequitur exorciſmus: ab eo qui iam fide inſtructus eſt, aduerſaria virtus pellatur. *Exorciſmus* de Græco dicitur in Latinum adiuratio: *Catechiſmus*, inſtructio. *Catechizare* eſt inſtruere: vt de ſymbolo ac rudimentis fidei. *Exorcizare* eſt adiurare: vt, Exi ab eo ſpiritus immunde. *Symbolum* eſt ſignum, vel collatio. Signum, quia eo fideles ab infidelibus diſcernuntur. Collatio, quia ibi totius fidei ſufficientia, & integritas eſt collata. Catechiſmus & exorciſmus Neophytorum ſunt: magiſque ſacramentalia, quàm Sacramenta dici debent. *Neophytus* nouitius interpretatur, vel rudis; & dicitur Neophytus nuper ad fidem conuerſus, vel in diſciplina religioſæ conuerſationis rudis. Hæc ergo præcedunt Baptiſmum, non quòd ſine iſtis non poſſit eſſe Baptiſmus verus, ſed vt baptizandus de fide inſtruatur, & ſciat cui debitor fiat deinceps, & vt diaboli poteſtas in eo minuatur. Vnde Rabanus, [Ante Baptiſmum, catechizandi debet in homine præuenire officium, vt fidei catechumenus accipiat rudimentum, & ſciat cui debitor fiat deinceps.] Item Auguſtinus, [Paruuli exufflantur & exorcizantur, vt ab eis pellatur poteſtas diaboli, ne iam contendat eos ſubuertere, ne Baptiſmum conſequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei exufflatur, vel exorcizatur, ſed diabolus vt recedat ab homine.]

*Raban. de inſtit. Cleric. cap. 25. & hab. de conſ. diſt. 4. ante Bapt.* *In lib. 1. de Symb. ad cat. c. 1. & ha. de conſ. diſt. 4.* ſicut noſ. *& hab. de conſ. diſt. 5. cap.* Manus. *Nota gloſſ. ibid.*

---

POSTQVAM Magiſter determinauit diſtinctione quintâ de poteſtate miniſtri: hîc determinat de eius ſtatu, & gradu. de gradu in primo capite; de ſtatu in ſequenti capitulo. de illis verò qui ab hæreticis. [*Hoc etiam ſciendum eſt.*] Hæc eſt tertia pars iſtius ſextæ diſtinctionis, quæ ſimiliter poteſt continuari dupliciter cum præcedentibus, ſicut pars principalis contra incidentalem. Et poteſt diuidi, vno modo, vt diuidatur contra totum præcedens de Baptiſmo, à principio diſtinctionis tertiæ, ſicut pars principalis contra incidentalem, & ſic diuiſa eſt diſtinctio tertia. Alio modo, vt diſtinguatur contra ea, quæ præcedunt diſtinctione quintâ & ſextâ, vt dicatur priùs fuiſſe determinatum de ordine miniſtri. Secundò, de conditione miniſtrandi, ſiue ſic, ſiue ſic, eadem eſt ſententia. Iſta pars diuiditur in duas partes. Primò namque determinat de quibuſdam concurrentibus in Baptiſmo; ſecundò, de quibuſdam præambulis ad miniſtrationem Baptiſmi, ſcilicet, catechiſmo, ibi [*Porro cuncti.*] Prima pars habet ſex. In prima namque tractat ipſe de vnitate Baptiſmi. Secundò, de ſuſcipiente, ibi [*Illud etiam ignorandum.*] Tertiò de forma, ibi [*Quæri etiam ſolet.*] Quartò, de certitudine habenda circa ſuſcipientem, ibi, [*Præterea.*] Quintò, de intentione miniſtri, ibi, [*Solet etiam quæri.*] Sextò, de tempore baptizandi, ibi, [*Cognoſcendum etiam.*]

Circa iſtam diſtinctionem quærendum eſt de quatuor. Primò, de gradu miniſtri. Secundò, de vnitate Baptiſmi. Tertiò, de intentione miniſtri. Quartò, de iterabilitate Baptiſmi.

COMMENTARIVS.

*Ordo, & diuisio distinctionis.*

IN superiori egit Doctor de statu ministri, eiúsque obligatione ad ministerium : in hac agit de alia eius conditione. Primò, de gradu eius : secundò, de vnitate Baptismi, vt à ministro procedit : tertiò, de actione eius, seu de applicatione Sacramenti quoad partes suas, & simultate partium : quartò, agit de eodem in ordine ad subiectum, cui applicat Sacramentum, & de distinctione requisita inter vtrumque: quintò, de necessitate intentionis, quâ cõstituitur vt principium operandi in actu primo: sextò, qualis debeat esse ipsa eius intentio. Et hæc est pars prima huius distinctionis cõtinens sex quæstiones. Secunda autẽ pars quinque quæstiones, quæ explicant effectum Sacramenti, qui dicitur character; & prima eius quæstio est septima in ordine, & quasi præambula ad tractatum de charactere, in qua agitur de Baptismo, quà non est iterabilis : octauò, de pœna iterantium Baptismum: nonò, an detur character baptismalis : decimò, quid sit: vndecimò, quod eius subiectum; & sic vndecim quæstionibus terminat totam distinctionem.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm solus Sacerdos possit baptizare?*

Alensis 4.*p.q.*16.*m.*1. D. Bonau. *d.*5.*art.*1.*q.*1. Richard. *hic art.*4.*q.*1. D. Thom. *d.*5.*q.*1.*art.*2.*& 3.part.q.*67. *art.*3. Suarez 3.*part.d.*23.*sect.*1.

1 DE primo, quæro vnam quæstionem, vtrùm solus Sacerdos possit baptizare? Et arguitur quòd sic. Isidorus de offic. lib. 2. cap. 25. *Constat Baptismum solis Sacerdotibus tradi.* *Argum.* 1.

Præterea, soli Sacerdoti concessum est dimittere peccata. *Ioan.* 20. *&* *Matth.* 18. in Baptismo autem peccata dimittuntur : ergo, &c. *Argum.* 2.

Oppositum *de consecr. dist.* 4. *Romanus*, vbi dicitur, quòd *Romanus Pontifex hominem non iudicat, qui baptizat, sed Spiritus sanctus subministrat gratiam Baptismi, licèt Paganus sit qui baptizat, multò magis, vel æquè, quilibet Christianus.* *Ratio opp.*

## SCHOLIVM.

*Continet hæc litera aliquot dicta. Primum*, in baptizante requiruntur, virtus motiua, vox, & vsus rationis. *Secundum*, si Angelus bonus baptizaret, validè faceret. *Tertium*, si Angelus malus id faceret, sine reuelatione, pro nihilo haberetur. *Quartum*, maximè congruum est Baptismum à solo homine viatore fieri. *Quintum*, inter homines solùm Sacerdotem baptizare ex officio, congruum est. *Adde Diaconis ex officio baptizare competere, in absentia, seu iussu Sacerdotis.* Tertull. *lib. de Bapt.* Hieron. *dialog. contra Lucifer.*

2 Respondeo [a], cùm oporteat baptizantem abluere baptizatum, quod est actiuè facere corpus eius contingi ab aqua : & hoc vel per motionem corporis ad aquam, vtpote immergendo; vel per motionem aquæ ad corpus eius, puta perfundendo, vel aspergendo : necessaria requiritur in baptizante virtus motiua, quâ potest aliquo istorum modorum actiuè abluere alium. Cùm etiam oporteat ministrum proferre verba, in quibus est forma, necesse est ipsum posse loqui. Cùm etiam requiratur intentio in ministro (vt dicetur in tertio articulo) necesse est ipsum habere vsum rationis. Simpliciter ergo nullum suppositum naturæ intellectualis excluditur à posse baptizare, nisi propter aliquem illorum trium defectuum, vel propter plures, vel omnes simul. *In baptizãte requiritur virtus motiua, loquutio, intentio.*

Cùm [b] ergo non Sacerdotes multi possint habere, & habeant hæc tria : sequitur quòd simpliciter possint baptizare. Dixi autem generaliter, *suppositum naturæ intellectualis*, quia si bonus Angelus baptizaret in corpore assumpto cum omnibus prædictis conditionibus, tunc supponendum esset verum esse eius Baptismum : quia non fieret, nisi de præcepto Dei : nec esset ille baptizatus ab Angelo iterum rebaptizandus : sicut Michaël prohibuit Episcopo dedicare Ecclesiam suam in monte Gargano, asserens eam à se dedicatam fuisse. *Non ait de facto Angelum habere potestatem ministrandi Sacramenta; quod nõ aduertunt eius impugnatores, qui sibi potius phãtasias impugnant.*

Si [c] etiam malus Angelus in corpore assumpto baptizet, & constet, quòd esset de præcepto Dei, talis habendus esse pro baptizato : quia oportet malum Angelum etiam inuitum obedire Deo. Sed non esset sine certa reuelatione super hoc habitâ credendum, quòd malus Angelus verè baptizaret; tum, quia Deus non ministrat Sacramenta per excluſos finaliter à salute : tum, quia si non esset arctatus de præcepto diuino ad op- *Malus Angelus inualidè ministret Bap-*

positum, supponendum est semper ipsum fraudulenter agere, nec completè facere ea, quæ essent necessaria ad salutem baptizati, propter inimicitiam, quam habet ad salutem hominum ex inuidia procedentem.

3 Generaliter[d] etiam congruum est ab homine viatore conferri Baptismum, & non ab Angelo aliquo; tum, quia Christus, qui instituit, homo fuit: tum, quia in Sacramento est aliquid sensibile, & aliquid spirituale, & per consequens magis congruit ministrò, & venti sensu, & intellectu, quàm purè intellectuali & tertiò, quia per susceptionem Baptismi ascribitur aliquis vt sit membrum Ecclesiæ militantis: ergo congruum est hoc fieri per aliquem in illa Ecclesia.

*Soli Sacerdoti ex officio congruit baptizare.* Tandem dico, quòd licèt secundùm prædicta quodlibet suppositum habens tres prædictas conditiones possit baptizare, etiam cum hoc congruit solum hominem viatorem baptizare; congruum tamen est inter viatores solum Sacerdotem baptizare, & soli Sacerdoti congruit ex officio.

Cuius est ratio, quia per Baptismum recipitur baptizatus in collegium Ecclesiæ militantis: receptio autem alicuius in collegium pertinet ad præsidentem, & habentem auctoritatem in collegio: & ideò quantò aliquis haberet maiorem auctoritatem in Ecclesia, tantò magis pertineret ad eum recipere, & introducere in Ecclesiam, & per consequens baptizare. Vnde magis competeret Episcopo, quàm simplici Sacerdoti, si sufficere possent Episcopi: sed propter paucitatem Episcoporum, & pluralitatem baptizandorum, regulariter conceditur omnibus Sacerdotibus.

4 Per hoc apparet ad auctoritatem Isidori. Loquitur enim de officio baptizandi, quia illud est commissum Sacerdoti.

*Ad arg. 1.*

*Ad 2.* Ad rationem, dico quòd solus Sacerdos potest dimittere peccata, per modum iudicis, vel arbitri, quomodo remittuntur in Pœnitentia: sed in Baptismo virtute Sacramenti, absque arbitrio, vel iudicio remittuntur.

CIRCA Secundum principale quæro tria. Primò, an vnitas Baptismi necessariò requirat, quòd ab vno ministro conferatur. Secundò, an requirat simul esse ablutionem, & prolationem verborum.

Tertiò, quia *vnum* est in se indiuisum, & ab alio diuisum, an requirat baptizantem esse discretum personaliter à baptizato.

## *COMMENTARIVS.*

1 a *Respondeo, cùm oporteat,* &c. Ad baptizandum concurrunt ex parte ministri actus baptismalis, ab illo exercitus per potentiam motiuam; prolatio sensibilis formæ per verba formata, & intentio; qui aliquo horum caret, non potest ministrare Sacramentum: excluduntur ergo qui vsum membrorum non habent, & muti, & amentes, seu rationis impotes, qui nequeunt exercere actum humanum. Concludit nullum suppositum naturæ intellectualis simpliciter excludi à potestate baptizandi, nisi ex aliquo particulari horum, aut omnium. Et loquitur de potestate quantùm ad capacitatem exercendi actus baptismales, non autem de potestate ordinaria ex institutione diuina secundùm legem: vel si hanc comprehendas, intelligi debet, vt includit authoritatem & institutionem communem, quæ competit homini viatori tantùm, & extraordinariam, seu specialem, quæ committi potest Angelo bono, aut malo. Ratio præmissorum ex aliàs dictis fusiùs habetur, quantùm ad ea, quæ necessaria sunt ex parte ministri respectiuè ad formam & materiam Sacramenti: quoad intentionem, dicetur *quæst.* 5. quantùm ad reliqua patebit ex sequentibus.

*Impotentes ad ministerium.*

*Conclusio.*

2 b *Cùm ergo non Sacerdotes multi,* &c. Docet eos qui non sunt Sacerdotes posse ministrare Sacramentum Baptismi validè: subiungit postea interpretationem eius quod dixit; *Dixi autem generaliter,* inquit, *suppositum naturæ intellectualis,* &c. supple, posse ministrare Sacramentum Baptismi: nempe de concessione & præcepto speciali Dei; quod ostendit primum de Angelo bono, de quo non esset dubitandum, si constaret ipsum ministrare Sacramentum, quia nihil ageret contra reuerentiam Dei & Sacramenti, aut contra profectum hominum. Certa ergo esset concessio Dei specialis; patet quoad alia ministeria, vt consecratione Ecclesiæ montis Gargani: & Nicephorus Calixtus *lib.* 11. *historia cap.* 20. refert Amphilochium consecratum Episcopum ab Angelis in deserto, receptum fuisse in gradu ab aliis Episcopis: sicut etiam Dei virtus non est alligata Sacramentis, ita neque ministris determinatis, quin per alios ex speciali concessione saluâ substantiâ Sacramenti ministrari possint; qui secundùm legem ordinariam ad id muneris non sunt assumpti.

*An Angelus bonus aut malus possit esse Minister Sacramenti. Tenendum esse Baptismum datum à bono. Amphilochium consecratum ab Angelis.*

Vltimò tandem pro hac conclusione, est manifestum testimonium sancti Augustini *lib.* 2. *contra Parmenianum cap.* 15. obiiciebat Parmenianus qui illius erat sententiæ, vt suprà expositum, quòd iniustus non ministraret validè Sacramentum; vt patet capite præcedenti, nempe 14. *Vt quid ergo Parmeniane inani iactantiâ exultas, & dicis; Nunquam diuinæ legis censura patietur, vt viuificare quemquam martuus possit, curare vulneratus, illuminare cæcus, vestire nudus, & mundare pollutus,* &c. Quibus asserebat iniustum non posse tribuere Baptismum ad iustitiam: & ad huius confirmationem obiiciebat c. 15. illud Ioan. 3. *Non potest accipere homo quidquam nisi fuerit illi datum de cælo.* Cuius veram interpretationem variis rationibus redarguendo

aduer

aduersarium, eiúsque prauam intelligẽtiam Scripturæ, tandem concludit: *Nemo ergo, inquit, accipit sine dante, sed quod pertinet ad Baptismi sanctitatem, adest Deus, qui det, & homo, qui accipiat; siue per seipsum donante Deo, siue per Angelum, siue per hominem sanctum, siue per Petrum, siue per Ioannem, siue per hominem iniquum*, &c. illa *per Angelum, per hominem*, &c. intelligitur ministerialiter; quia aliter ad gratiam baptismalem nequit concurrere purus homo, aut Angelus; de illa autem fuit quæstio: nec refert quòd dicat Deum aliquando per se dare gratiam baptismalem; quamuis intelligatur de sanctificatione non mediante Sacramẽto; sed per alia media subordinata Sacramento; aut sine illis, vt si sanctificat in vtero; vel per Martyrium, quòd non subordinatur Sacramento, hoc, inquam, non refert, quia cætera intelligenda sunt, quatenus per Angelum, aut hominem iustum, vel iniustum, vt ministros, dat gratiam mediante Sacramento: & loquitur eo modo, quo Doctor in præsenti quæstione, vt comprehendat tam ordinarium de communi lege ministrum, quàm etiam extraordinarium & de speciali voluntate, aut indulto constitutum.

Frustrà ergo Caietanus 3. *par. quæst. 64. art. 7.* sustinet in hac conclusione controuersiam inter D. Thomam & Doctorem, quæ reipsâ non est. Obiicit tamen illud ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus*, &c. ergo si hoc ministerium præcipuum denegatur Angelis, multò magis minima ministeria eisdem subtrahentur. Respondetur de lege ordinaria id verum esse, non verò de extraordinaria; nam consecratio Ecclesiæ etiam est ministerium Ecclesiæ; quod Angelis commissum fuisse ex certa historia constat: ministrare Eucharistiam est ministerium Ecclesiæ per Presbyteros & Diaconos; sed & hoc etiam aliquando Angeli præstiterunt ex speciali commissione, vt ex vitis Sanctorum probatis sæpiùs constat. Promulgatio legis diuinæ est ministerium hominis, sed in monte Sinai id præstiterunt Angeli, & Dei legati, *Actorum* 7. quidni ergo & Baptismum possint etiam ex speciali Dei commissione dare in corpore assumpto, seruatâ substantiâ Sacramenti.

3 *Obiectio.* *Soluitur.* *Ministeria quæ de lege homini competunt, etiam per Angelos data.*

Obiicit secundò, quòd ministerium Sacramenti sit actus vitalis; quod ministerium Sacramenti debet fieri per instrumentum coniunctum primo, & mediante illo per ministerium separatum; neutrum horum potest conuenire Angelis in corpore assumpto: ergo neque ministrare Sacramentum. Respondetur eum argumentari ex iis, quæ conueniunt ministro ordinario, nempe homini: de ratione autem formæ est, vt proferatur sensibiliter nihil aliud; nam quòd illâ prolatione fiat per principium viuificans corpus, id non requiritur simpliciter ex parte formæ, quâ sacramentalis est, & signum practicum effectus tam in baptizato, quàm etiam respectu Ecclesiæ, cui debet constare de forma applicata, neque attendit modum formandi verba, sed significationem, quam habent ex communi instituto, aut institutione Dei, non verò à proferente: vnde lex data per Angelos, & reuelatio facta per ipsos viris sanctis sensibiliter loquentes, non attenditur aliter, quàm si ea vitaliter, modo quem Caietanus prætendit formando verba, proponeretur; quia non ad modum formandi, aut causandi verba attenditur; sed ad sensum, quem habent independenter à proferente.

4 *Verba ipsa forma attenduntur, non modus formandi.*

Vnde interrogare licet, si illi, quibus excisæ sunt linguæ à Tyrannis ob confessionem fidei, possint loqui vitaliter, aut ministrare Sacramentum, Deo supplente in ipsis per miraculum defectum instrumentorum, & dando vocem & loquelam absque lingua, vt fertur de S. nostro Leuino? vel etiam si edentuli, qui dentibus appositis artificialiter loquuntur formatè, sine quibus tamen formare verba intelligibiliter non possint; an hi possint baptizare? quamuis non loquuntur per instrumentum coniunctum; perinde etiam dissererе licet de ipsa lotione baptismali, ad quam requiritur vt solùm fiat per ministrum, siue per instrumentum coniunctum, siue separatum, quantùm ad functionem vitæ; hoc enim non requiritur, vt actio tribuatur ministro in rigore, alioquin in artificialibus & moralibus multa fiunt, quæ non per instrumentum coniunctum fiunt; quamuis artifici, aut alteri causæ morali tribuantur: quia alias etiam liceret eodem modo interpretari non validè baptizare eum, qui non vtitur instrumento coniuncto & connaturali, quod ad eiusmodi actionem communiter deseruit; verbi gratiâ, manibus ad lotionem baptismalem: quid ergo ille qui pedibus tingere potest baptizandum, vel carens manibus, & iaculando sorbillum aquæ in subiectum infantem, quando aliter non potest, vt qui membris exterioribus caret, vel in re, vel ad functionem, vt pote aridis; vel etiam si toto corpore vtatur propellendo baptizandum in aquam & proferendo formam, procul dubio illud Sacramentum erit validum. *Varij modi abluendi.*

Caietanus ergo committit fallaciam *non causa vt causa*, putans ideò Baptismum collatum ab homine validum esse; quia aliter nequit proferre formam, aut tingere, quàm vitaliter, & per instrumentum coniunctum, ideóque ritè confici Sacramentum; ac proinde id non competere Angelo in corpore assumpto, siue de lege ordinaria, siue extraordinaria: secundum est falsum; primum etiam non reddit veram causam, quæ est sola lex diuina communis, & ordinaria; quia hoc mysterium solis hominibus viatoribus reseruauit, qui aliter nequeunt ministrare Sacramentum; quòd si possint, procul dubio Sacramentum foret validum saluatâ intelligibili, & sensibili prolatione formæ, & lotione, quæ ab ipsis procederet; quia hoc satis esset, vt forma denotaret lotionem, vt à ministro factam, quod solùm requiritur. Dato etiam quòd actio vitalis ministri requireretur ad ministerium Sacramenti, id intelligendum est de lege; non verò ex Dei commissione speciali necessarium, quando Angelis id committeret in corpore assumpto. 5 *Fallacia non causa vt causa.*

Quòd si quis curiosiùs quærat, an Angelus etiam extra corpus posset ministrare Sacramentum? non video quid repugnet, modò formare possit verba sensibilia mediante aëre: quia quantùm ad lotionem non esset difficultas quin Angelus eam præstare posset mediante suâ potentiâ motiuâ; sicut anima in corpore glorioso potest mouere ipsum corpus primò totum, & non progressiuè tantùm, siue partem post partem: hoc ergo dato, nihil derogaret subsistantiæ Sacramenti; quia vt reciperetur in subiectum, esset sensibile; quamuis minister non esset sensibilis in eo casu: cessant rationes Caietani, quia Sacramentum per actum vitalem ministraretur. Adde similiter Angelum mediante corpore assumpto, ex concessione Dei, posse ita ministrare Sacramenta, ita vt 6

corpus ad hoc ſolùm deſeruiret, vt miniſter eſſet viſibilis, non verò vt inſtrumentum eſſet actionis: vnde tollitur fundamentum controuerſiæ.

D. Thom. Quod etiam manifeſtè patet ex D. Thom. *3. part. q. 64. art. 7.* verba eius ſunt in corpore: *Sciendum tamen quòd ſicut Deus virtutem ſuam non alligauit Sacramentis, quin poſſit ſine Sacramentis effectum Sacramentorum conferre, ita etiam virtutem ſuam non alligauit Eccleſiæ miniſtris, quin etiam Angelis poſſit virtutem tribuere miniſtrandi in Sacramentis. Et quia boni Angeli ſunt nuntij veritatis, ſi aliquod ſacramentale miniſterium à bonis Angelis perficeretur, eſſet ratum habendum, quia deberet conſtare hoc fieri voluntate diuina, ſicut quædam templa dicuntur Angelico miniſterio conſecrata,* &c. Hæc omnia aſſerit Doctor, nihil aliud; idem tenent etiam alij.

7 *Quid dicendum de Baptiſmo à malo Angelo collato.*

c *Si etiam malus Angelus in corpore aſſumpto,* &c. Dicit etiam quòd ſi malus Angelus baptizaret de præcepto, & imperio Dei, teneret Baptiſmus, quia neceſſum eſt malum Angelum obedire Deo, etiam inuitum: addit tamen, niſi conſtaret certâ reuelatione tale imperium, & Baptiſmum ex eo fuiſſe miniſtratum, credendum eſſe Baptiſmum fore inualidum, tum, quia Deus non miniſtrat Sacramentum per excluſos finaliter à ſalute; tum, quia niſi Dei imperio fuiſſet arctatus, præſumitur ex odio, & peruerſitate fraudulenter, & non validè miniſtrare.

*Differentia inter Baptiſmũ collatum à bono, & malo quoad Eccleſiam.*

Hoc ergo intereſt inter Angelum bonum & malum, quòd ſufficiat Baptiſmum per Angelum bonum fuiſſe miniſtratum, vt teneat, quia hîc in nullo recedit à voluntate Dei, nec ſine eius ſpeciali commiſſione Baptiſmum miniſtraret: Angelus verò malus ſicut inuidet ſaluti hominum, & Dei cultui, ac reuerentiæ Sacramenti, valor Baptiſmi non colligitur ſufficienter ex eius facto; ſed neceſſarium eſſet conſtare per certam reuelationem id factum eſſe ex ſpeciali Dei imperio, neque ipſi credendum eſſe; tum, quia mendax; tum, quia Deus non ſolet vti eius miniſterio in iis, quæ ad ſalutem faciunt hominum. Id verò commune eſt vtrique quòd ſine Dei ſpeciali commiſſione non poſſint baptizare, quia hoc miniſterium requirit inſtitutionem diuinam, quæ de lege eſt alligata homini viatori. Gregorius à Valentia (vt ſolet) *tom. 4. diſp. 3. q. 5. puncto 3.* imponit noſtro Doctori, eum aſſeruiſſe diabolum validè miniſtrare Sacramentum, quaſi hoc de lege ordinaria, & ſine limitatione poſita docuerit; ac proinde eum parem facit Luthero. Contrarium patet ex textu; quem tamen præſumo ſincerè egiſſe, ſed ex ſcriptis aliorum hunc errorem hauſiſſe. Neque plura meditanti vacat ſingulos minutim perquirere, dum quis ſententiam, non authorem inſectatur.

*Calumnia Valentiæ.*

8 *Baptiſmus cur à malo Angelo miniſtratus eſſet validus?*

Quantùm ad veritatem autem nemo dubitare debet, quin Deus per malum Angelum poſſit miniſtrare validè Sacramentum, & vti miniſterio eius ad hoc, de potentia abſoluta; quam intelligit Doctor, vt ex ſequentibus etiam apparebit, per præceptum diuinum, quo malus Angelus arctaretur; nam præcipiens vel ſupra, vel contra legem à ſe ſtatutam, cenſetur diſpenſare in ipſa quoad illum actum, ex communi ſententia omnium, & agere conſequenter non ſecundùm potentiam ordinariam, ſed ſecundùm potentiam abſolutam; alioquin non ordinatè præciperet, ſuppoſitâ cognitione cauſæ; neque etiam validè quantùm ad obligationem eius, cui præciperetur, quæ longè abſunt à Deo. Hinc Princeps aliquid de plenitudine poteſtatis præcipiens, & ex certa ſcientia, aut concedens, cenſetur tollere impedimentum legis contrariæ, quoad materiam ſubiectam, in eáque diſpenſare, vel omnino eam tollere iuxta modum quo vtitur ſuæ plenitudine poteſtatis, vel reſpectiuè ad materiam particularem, & pro determinatis loco & tempore, & perſonis, vel certè vniuerſaliter omnes perſonas, & quaſcumque circumſtantias comprehendens: ergo & Deus præcipiens Angelo malo, vt miniſtret Sacramentum, agit ſupra legem ordinariam, & de potentia abſoluta: ſicut ſi concederet facultatem conſecrandi Euchariſtiam non Sacerdoti, diſpenſaret in lege ordinaria: ſic præcipiens Abrahamo, vt immolaret filium Iſaac, diſpenſauit in præcepto *non occides*; vt noſter Doctor *in 3. diſt. 37.* cum multis aliis docet. Nulla etiam repugnantia eſt in facto, quia ideò dæmon non poteſt miniſtrare Sacramentum validè: quia non habet poteſtatem, quam tum in caſu reciperet. Nulla etiam imperfectio redundat in Deum vtentem miniſterio eius, ſi vteretur, quia eſſet oſtenſio poteſtatis, & extorſio ſubiectionis à rebelli, in eo ad quod eſſet maximè inuitus; neque redundaret in detrimentum Sacramenti, aut eius qui recipit; ſicut nec quando à malo miniſtro datur; neque Deus concurreret ad peccatum ſacrilegij, quia hoc ex malitia dæmonis eſſet, non autem ex Deo, & per accidens ſe haberet.

*Tollitur repugnantia à caſu.*

9 *Obiectio.*

Dices, dæmon non eſt derelictus à Deo, & in ſtatu damnationis & obdurationis, non habens gratiam ſufficientem, aut efficaciam ad ſurgendum; & ex alia parte miniſtrans in peccato Sacramentum neceſſariò, peccat peccato ſacrilegij: ergo Deus erit author illius peccati, arctans dæmonem ad miniſterium, quod nequit præſtare ſine peccato, ratione ſui ſtatus, quod incurrit ex ſolo miniſterio Sacramenti, ſeclusâ aliâ peruerſitate, per actum diuerſum, aut prauam intentionem. Reſpondetur iuxta varias opiniones, quas in ſequentibus tractabimus, negando antecedẽs, quoad illud quod dicitur de peccato dæmonis; nam miniſtrans Sacramentũ in caſu neceſſitatis, & ſine ſolemnitate, quamuis ſit in peccato, excuſatur à pluribus; neque aliâ ratione, niſi quia in eo caſu vrget præceptum charitatis, cui cedit præceptũ de religione, quando alter eſt in ea diſpoſitione, vt commodè nequeat ſaltem conteri ex repentino caſu neceſſitatis, & vrgente præcepto ſublimiori.

*Solutio prima.*

10

Reſpondetur ergo ex hoc, negando antecedens; quoad illud, quod adiicitur de peccato dæmonis ex præciſo miniſterio, & ſeclusâ aliâ peruerſitate. Reſpondetur ſecundò, negando conſequentiam, dato antecedente, ad cuius probationem patet; quia quando malitia eſt coniuncta actui ab intrinſeco, ſic Deus nequit præcipere actum; quando verò ab extrinſeco, & peruerſitate operantis, non ex natura actus, negatur conſequentia. Secundum in propoſito contingit, quia miniſterium Sacramenti abſolutè bonum eſt; peruerſitas autem dæmonis ipſi voluntaria eſt, voluntate quam habuit in via, & voluntate præſenti, quam habet in termino: quia *Iniquitas eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper*; & peccaſſe nunquam diſplicet, ſed placet dæmoni; & ita eſt diſpoſitus, vt, ſi offerretur ei gratia conuerſionis, eam reſpueret: finalis ergo impœnitentia dæmonis etiam ex parte & peruerſitate voluntatis durat, & non

*Solutio ſecunda.*

*Deus nequit præcipere actũ ex obiecto malum.*

*Dæmon ſemper malus.*

*Præcipiens aliquid fieri contra propriam legem in ea diſpenſat: ſi ex certa ſcientia id id fecerit.*

non ſolùm ex ſubtractione gratiæ; ideóque inuitus eſſet ad miniſterium Sacramenti, non ex fuga peccati, ſed ex odio Dei, & hominis cui prodeſſet Sacramentum.

Hac autem eius peruerſitate Deus vti poteſt in bonum oſtenſionis, tam potentiæ ſuæ, quàm extorquendæ ſubiectionis debitæ, quàm etiam in vtilitatem alterius. Vnde Auguſtinus de corrept. & gratia, cap. 10. *Saluberrimè*, inquit, *confitemur quòd rectiſſimè credimus Deum, Dominúmque rerum omnium, qui creauit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura eſſe præſciuit, & ſciuit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere etiam de malis benè facere, quàm mala eſſe non ſinere*, &c. Quamuis in ſtatu viatoris malitia voluntate addita poſsit deponi, conuertendo ſe ad Deum, quam, ſi induratus non deponat, non ideò eximitur à lege Dei, etiam in iis, quæ ſine peccato adimplere nequit in eo ſtatu: ſic ſimiliter dæmon ex voluntate antiqua; & etiamnum continuatâ peruerſus, non eximitur à Dei potentia, & ſubiectione, quin eo ad bonum miniſterium vti poſſet, quod ipſe exequendo peccat. Doctor autem hoc ſolum intendit; & addit ſi in caſu miniſtraret Sacramentum, neceſſariam eſſe reuelationem diuini imperij, vt factum teneat: non ſolùm autem reuelatio exigitur in ordine ad Eccleſiam, ſed etiam reſpectiuè ad baptizatum, qui alioquin communicare nequit dæmoni in receptione Sacramenti, aut fidere.

*Malus non eximetur à lege Dei.*

*Vt teneat Baptiſmus à Dæmone collatus requiritur reuelatio diuina.*

11 *An anima ſeparata, vel Beati poſſint conficere Sacramenta.*

Ex his patet quid dicendũ de animabus Beatis, de quibus eadem ratio eſt ac de Angelis; ſi tamen redirent ad corpus, ſtatus termini, aut gloriæ non impediret iuxta aliquos, quin de poteſtate ordinaria, quæ ipſis, vt viatoribus conueniebat, ſine noua, aut ſpeciali conceſsione miniſtrarent validè Sacramenta: ſic dicit Soto *diſt. 1. q. 5. art. 7.* ita vt ſi Beatus Petrus rediret viuus in corpore, validè conſecraret, ratione characteris, quem retinet in ſtatu gloriæ. Sed hoc incertũ eſt, quia Sacramenta ſunt data Eccleſiæ militanti, & poteſtas conficiendi, & miniſtrandi illa, quæ dicitur ordinaria, data eſt miniſtris ex corpore eius aſſumptis. An autem ſufficiat fuiſſe, vel vlteriùs nunc requiratur, vt ſint ad poteſtatem ordinariam retinendam, incertum eſt, neque deeſt hinc inde congruitas affirmandi, aut negandi. Primò, quia miniſter habet intentionẽ Eccleſiæ, tanquam membrum corporis eius myſtici, communicans in ſtatu viatoris cum aliis; & Eccleſia habet poteſtatem, & ius cognoſcendi de miniſterio facto, niſi fiat à capite viuo eius, quod de præſenti in corpus influit; ſi autem ſit miniſterium capitis, habet poteſtatem cognoſcendi, non iudicialem, ſed acceptationis, & ſubiectionis, quæ non conueniunt ei reſpectiuè ad Beatum. Econtrà, cùm poteſtas, quæ eſt dignitatis & ordinis, non decreſcat Beato, videtur etiam poſſe habere ſuum actum, quãtùm ad valorem, etiã reſpectiuè ad Eccleſiam, in qua fieret miniſteriũ, & ratione miniſterij communicaret cum Beato, non autem ratione ſtatus.

12 d *Generaliter etiam congruum eſt ab homine viatore*, &c. Suppoſitis dictis de Angelo bono & malo, quantùm ad poteſtatem abſolutam, & extraordinariã, quâ Deus iis vti poteſt ad miniſterium Sacramentorum; hîc tandem reſoluit poteſtatem ordinariam, non ſolùm quantùm ad actum, ſed etiam quantùm ad poſſe validè conficere Sacramentum, non eſſe penes Angelos; ſed penes homines viatores. Probat variis cõgruentiis, primò, quia Chriſtus, qui inſtituit Sacramenta per poteſtatem excellentiæ, & inquantùm homo inſtituit Sacramenta hac poteſtate, & etiam in virtute meritorum eius, inquantùm homo erat, & redemptor, ſunt efficacia; ſic autem communicat ſolis hominibus: ergo, &c.

*Homo viator Miniſter Sacramenti de lege.*

Eandem congruentiam adducit etiam S. Thomas *ſuprà*. Secundò, ex eſſentia Sacramenti illud probat, quia Sacramentum eſt ſenſibile quantùm ad materiam, & formam, & conſiſtit in iis actibus, quæ connaturales ſunt homini, & non Angelo, conſiſtit etiam in aliquo ſpirituali ex vtroque, vſus eius habet proportionem cum natura hominis, quæ partim eſt ſenſibilis, partim intellectualis, non autem ad Angelum, qui eſt ſolùm intellectualis.

13 *Secunda congruentia ex materia, & forma Sacramenti.*

Tertiò, eſt ex effectu Sacramenti, quo inſcribitur quis, vt membrum Eccleſiæ militantis, quæ ex ſolis hominibus conſtat: ergo hic actus debuit conuenire alicui in ipſa Eccleſia, quia corpus myſticum rectè ordinatum fulcitur neceſſariò authoritate competente, ad ſui debitam adminiſtrationem per membra propria, aliàs non ſubſiſteret vnio debita, aut vita membrorum, ſub eadem lege.

14 *Tertia congruentia ex effectu Sacramenti.*

Quartò poteſt ſumi congruitas ex fine: quia Sacramenta ſunt remedia data contra morbum: ergo vſus eorum ſupponit poteſtatem in Eccleſia, cui conceſſa ſunt vt applicare poſſint.

*Quarta congruentia ex fine.*

Quintò, quia ipſum corpus Eccleſiæ, quod ſanctificatur per Sacramenta, regitur per miniſtros, quæ ſunt membra corporis viſibilia, & communicantia toti: ergo etiam & ſanctificatio eius debuit per eoſdem ordinari. Ac tandem hæc concluſio non ſolùm eſt communis, ſed etiam de fide, quia inſtitutio Sacramentorum facta à Chriſto, & miniſterium, & præceptum miniſtrandi diriguntur ad homines ſolos, quibus etiam ſolis data eſt lex, cuius hæc ſunt media ad ſalutem ordinantia: Matthæi vltimo, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. Ioannis 20. *Accipite Spiritum*, &c. Omnia denique Concilia, & Patres hanc poteſtatem declarant reſpectiuè ad homines viatores, quibus ſolis ipſa lex loquitur, quæ non comprehendit, niſi eos, ad quos loquitur, & quibus data eſt cum poteſtate requiſita iudicandi ſecundùm legem; ac proinde etiam miniſtrandi ea quæ ſunt legis.

15 *Quinta congruentia ex cauſa efficiẽte.* *Concluſio eſt de fide.*

e *Tandem dico, quòd licèt ſecundùm prædicta*, &c. Suppoſitâ interpretatione eorum, quæ dixit de Angelo, & quocumque ſuppoſito naturæ intellectualis, quantùm ad poſſe ſimpliciter, reſtringit ordinariam poteſtatem baptizandi ad hominem viatorem ſolùm, & ex officio ad ſolum Sacerdotem; quæ eſt reſolutio finalis quæſtionis, comprehendens duas concluſiones: quarum prima eſt: *Quemlibet hominem viatorem baptizare poſſe validè, licitè autem in ſola neceſſitate.*

*Miniſter ex officio.* *Miniſter ſufficiens.*

Prima concluſio eſt de fide definita in Florentino, in decreto vnionis Armenorum: *In caſu autem neceſſitatis*, inquit, *non ſolùm Sacerdos, vel Diaconus, ſed etiam laicus, vel mulier, imò etiam Paganus, & hæreticus baptizare poteſt, dummodò formam ſeruet Eccleſiæ, & facere intendat, quod facit Eccleſia*, &c. de hæreticis habetur ſæpiùs ex definitione Eccleſiæ, quã ſuprà premiſimus de Baptiſmo hæreticorum: de Iudæo, & Pagano, cap. *A quodam Iudæo, de conſecr. diſt. 4.* quod eſt Nicolai I. ad interrogata Bulgarorum, *cap. 104.* ita enim proponitur, *A quodam Iudæo, neſcitis an Chriſtiano, an Pagano*, &c. Et reſponder Baptiſmum validũ eſſe ſeruatâ intentio-

16 *Prima cõcluſio.* Nicolaus I.

ne requiſita:de fœmina habetur in epiſtola Vrbani II. ad Vitalem Presbyterũ, & refertur 30.q.3. *can. Super quibus*:definitur vniuerſaliter in Concilio Lateranenſi quòd Baptiſma à quocumque ritè collatum in forma Eccleſiæ,proficiat ad ſalutem. Idem docet Auguſtinus *lib.2. contra Parmenianum cap.13. & in epiſtola ad Fortunatum* docet laïcos in neceſſitate ritè baptizare.Iſidorus *de officiis Eccleſiaſticis lib.2.cap.24.*& ante eos Tertullianus *lib.de Baptiſmo cap.17.* & Hieronymus in dialogis contra Luciferianos *cap.4.*

Hinc excluditur error Caluini *in epiſtola 51.& in appendice ad libellum de veræ Eccleſiæ reformatione, & lib.4. Inſtitutionum cap.15. & aliis:* qui contrarium docuit. Vide Bellarminum *lib.1.de Baptiſmo cap.7.*Patet etiam ex prædictis,& ex dicendis,non licere laïcis baptizare niſi in extrema neceſſitate, & ex defectu alterius, qui baptizaret ex officio, quia eſſet peccatum vſurpare ius alienum.

17 *Secunda Concluſio. Sacerdos ex officio baptizat.*

Secunda ergo concluſio eſt *Soli Sacerdoti ex officio baptizare conuenire*; quæ excluſiua intelligitur quoad inferiores,non verò quoad Epiſcopos, qui ſunt Sacerdotes primarij,ac hierarchæ in Eccleſia.Ratio autem Doctoris eſt, quia per Baptiſmum recipitur quis in Eccleſiæ collegium; receptio autẽ alicuius in collegium pertinet ad præſidentem in collegio,& habentem authoritatem; & quantò maior eſt authoritas cuiuſque in Eccleſia, tantò magis hoc ad ipſum ſpectat; ideò magis competit Epiſcopo, quàm ſimplici Sacerdoti: quia tamen Epiſcopi non poſſunt ſufficere, ideò regulariter conceditur Sacerdotibus:& hæc eſt ratio proxima huius concluſionis,quæ fundatur in authoritate miniſtrorum, & iuriſdictione, quæ conuenit quidem primò Epiſcopo,& deinde presbyteris,& in eorum defectu diaconis ex commiſſione:Tertullianus loco citato: *Dandi quidem habet ius ſummus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, de hinc presbyteri,& diaconi,non tamen ſine Epiſcopi authoritate, propter Eccleſiæ honorem,* &c. Auguſtinus loco citato, aſſerit laïcos extra neceſſitatem validè baptizare,ſed non licitè,quia vſurpant ius alienum. Gelaſius Papa ad Epiſcopos per Lucaniam conſtitutos cap.9.*Diaconi*,inquit,*abſque Epiſcopo, vel presbytero baptizare non audeant niſi longius conſtitutos extrema neceſſitas vrgeat.* Quod ſequitur Iſidorus ſupra;Hugo Victorinus *de Baptiſmo cap.8.* Sed & idem docet Hieronymus ſuprà: *Sine Epiſcopi iuſſione neque presbyter, neque diaconus ius habet baptizandi,* &c. Eccleſia nempe, quæ eſt vt caſtrorum acies ordinata, alios habet Apoſtolos, alios Prophetas,alios Paſtores,alios Doctores; *1.ad Corinthios 12.ad Epheſios* 4.ſecundùm Paulum,vbi egregiè hunc ordinem deſcribit,per allegoriam membrorum heterogeneorum in corpore humano: meritóque Tridentinum *ſeſſio.23.* declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt(*cap.In nouo,diſt. 21.c.Quorum vices,diſt.68.*)ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere; & poſitos ſicut idẽ Apoſtolus ait Actorum 20.à Spiritu ſancto regere Eccleſiam Dei, eóſque presbyteris ſuperiores eſſe,&c.vide *can.7.* Hanc eandem poteſtatem primariam in corpus myſticũ Chriſti ſupponit eadẽ Synodus *ſeſſ.6.c.1.de reformat.* agens de reſidentia.

*Probatur & explicatur.*

Iſidorus, Hugo.

*Hierarchia & corpus Eccleſiæ ordinatum.*

*Dignitas Epiſcopalis in Eccleſia.*

18 *Subordinatio Parochorum ad Epiſcopos.*

Sicut ergo presbyteri ſunt inferiores Epiſcopis, & Eccleſiæ principibus; ita etiam omnem iuriſdictionem in corpus myſticum ab iiſdem participant, per miniſteria ſubordinata: ac proinde ex hac Doctoris ratione, quamuis ex officio ipſis baptizare conueniat, id intelligendum eſt per ſubordinationem & conceſſionem Eccleſiæ,& Prælatorum, per quos ad curam aſſumuntur,vt Parochi; vel ex commiſſione præſtare ſolùm poſſe; alioquin ius alienum vſurpando peccarent: id tamen ſupra Diaconos ex ordinatione ſua & gradu habent Sacerdotes; vt ſicut habent poteſtatem in corpus Chriſti verum, ita etiam ſint capaces poteſtatis in corpus myſticum, vt præſente Epiſcopo,& Parocho poſſint baptizare ſeclusâ neceſſitate ex voluntate eorum: Parochi verò ex munere,ad quod ſunt aſſumpti,baptizare poſſunt ſine alia conceſſione ſpeciali, niſi adſit Epiſcopus, quem in eo caſu debent etiam recognoſcere,ſi eſt ordinarius, vt de voluntate implicita, aut explicita eius id faciant propter honorem dignitatis,vt præfati Patres docẽt.Et quamuis eos quiſpiam explicet loqui de Sacerdote ſimplici, meliùs tamen intelliguntur modo dicto: quia licèt aliàs de iure ordinario ea facultas ſit apud Parochos, non debet interpretari in præiudicium dignitatis Epiſcopalis,cui debent reuerentiam, & honorem, quando ipſe Epiſcopus præſens eſt, niſi aliter præſumant de eius voluntate.

*Parochus etiam baptizans primum recognoſcat Epiſcopum præſentem.*

*Diaconi in præſentia Presbyteri,& Epiſcopi non poſſunt baptizare.*

Diaconi autem in præſentia Epiſcopi & presbyteri non debent, nec poſſunt licitè baptizare, etiam cum eorum licentia, niſi fortè in caſu neceſſitatis,quo ipſi nequeant miniſterium exhibere,& proinde præſentia ipſorum pro abſentia reputatur ex impedimento:quo caſu conceditur licentia Diaconis baptizare in neceſſitate abſentibus Presbyteris,& Epiſcopo.

19

Quando ergo Doctor aſſerit Sacerdotibus ex officio conuenire baptizare,& regulariter id omnibus concedi, intelligendum eſt iuxta rationem ab eo poſitam,ſeruatâ ordinatione iuris, *Canone Interdicimus,16.quæſt.1.* quo interdicitur miniſterium Sacramẽtorum non ſubditis; ne confundatur Eccleſiaſtica iuriſdictio. Cùm ergo actus exigat iuriſdictionem,quo licitè fiat, & hæc limitata ſit de iure ad Sacerdotem curam habentem,non eſt vſurpanda ab alieno,& non habente ſubditos; vel ſi habeat reſpectiuè ad ſuos exercenda eſt, ad quos limitatur eius authoritas. Intelligit ergo Doctor id conuenire ex officio omnibus ſimpliciter, quantùm ad capacitatem; & in caſu neceſſitatis quantùm ad effectum,ſeu officium:vel illa diſtributio intelligenda eſt pro generibus ſingulorum,quoad eos,quibus ex cura,vel conceſſione Parochorum in proprio diſtrictu, aut Epiſcopi authoritatem habent; quia nempe ex vſu iam ſolis presbyteris miniſterium hoc tribuitur: nam rarus eſt Epiſcopus,qui illud exhiber,niſi in prærogatiuam perſonæ alicuius, vt Principum, aut Magnatum. In illa etiam forma verborum, quâ Sacerdotibus ex officio baptizandi munus dicit datum Alenſis,D.Thomas, D.Bonauentura citati à Scholiaſte loquuntur.

*Miniſterium exigit iuriſdictionem.*

Obiicies, laïci in neceſsitare licitè baptizant: ergo & Diaconi aliquid ampliùs habent.Confirmatur ex Pontificali Romano, vbi habentur hæc verba,quibus Diaconi munus proponitur:*Diaconum enim oportet miniſtrare ad altare, baptizare, & prædicare*,&c. quod non dicitur ſubdiaconis, aut aliis inferioribus, Philippus etiam baptizauit *Actor.8.*& Ananias *Actorum 9.*Reſpondent quidam hoc intelligi debere in neceſsitate, & quoad ſolemne miniſterium; quia ſicut Diaconus proximè aſsiſtit Epiſcopo, & presbytero, in iis quæ ſunt altaris, ita etiam poteſt committi ipſi hoc munus baptizandi, quod commu-

*Obiectio.*

*Pontifical. Romanum Officium Diaconi.*

*Reſponſio.*

nc

ne est omnibus quantùm ad valorem, in defectu Presbyteri; ita vt in præsentia Diaconi non liceat laico baptizare, neque aliis inferioribus Clericis, etiam sine solemnitate.

Sed obiiciunt istam solemnitatem esse iuris positiui, & non facere ad actum ordinis, ex quo videtur Diacono conuenire ius baptizandi. Respondetur tamen Ecclesiam attendere etiam ad ipsam solemnitatem actus, quam non licet laico exercere, & eam reseruat Diacono de congruitate suæ ordinationis, & gradus: neque Episcopum, aut Presbyterum posse Diacono munus baptizandi committere præsente Sacerdote, qui id præsentare posset; succedit tamen in hoc Sacerdoti, quando abest, & ratione gradus, & necessitatis. Ex quo patet ad confirmationem. Quod additur de Philippo, respondetur ex concessione Apostolorum eum baptizasse, & in absentia aliorum ministrorum. Quantùm ad Ananiam habuisse specialem concessionem Christi: de eo non constat fuisse Diaconum: quod negare videtur Clemens Romanus *lib. 8. constitut. cap. 46.*

20 *Peccatum vsurpantis ministerium.*

Peccatum, quod committitur in vsurpatione iuris ad Baptismum, seclusâ ignorantiâ, est mortale, quia in re graui est vsurpatio iuris alieni. Aliqui negant laïcum peccare mortaliter, quando priuatim confert Baptismum in præsentia Diaconi, quia non vsurpat ius alienum, cùm hoc non conueniat Diacono. Sed contrarium est verius, & supponitur falsum: quia ex dictis patet in absentia Sacerdotis, & Episcopi, hoc ius deuolui ad Diaconum. Seruandus est ergo ordo, vt mulier in præsentia viri non baptizet, nec laïcus in præsentia Clerici, ad quem ex ordinatione sua magis spectat rem sacram tractare: neque simplex Clericus in præsentia Subdiaconi, neque Diaconus in præsentia Presbyteri, neque Presbyter sine licentia Episcopi modo iam dicto. Quale autem peccatum sit inuersio huius ordinis, quo inferiori debet cedere superior, si referatur ad ius positiuum Ecclesiasticum, tale est, qualis est prohibitio, & quale est ius præsentis quod violatur. Si referatur ad ius diuinum, & præceptum religionis, id primùm constat ex dictis quemlibet posse ministrare Baptismum in casu extremæ necessitatis, quæ necessitas ita interpretanda est, vt non solùm sumatur respectiuè ad eum, cui debet ministrari, sed etiam respectiuè ad alios præsentes, quibus competit ministrare, nec præiudicat necessitas ministrandi Baptismi aliis præceptis, quibus ordo inter ipsas personas statuitur.

*Laïcum peccare si baptizat in præsentia Diaconi.*

*Ordo seruandus personarum in hoc ministerio.*

*Quomodo necessitatis casus debet interpretari.*

Primò in iis quæ sunt ad Deum, primatus competit viris supra sexum fœmineum cæteris paribus, & inter patrem, & matrem, quando alij non adsunt, spectat ad patrem baptizare suum infantem magis, quàm ad mattem: si autem adest alia persona etiam mulier, illa debet baptizare, si potest, & nouerit, quia id prohibitum est parentibus facere in præiudicium matrimonij, quod non occurrit quando soli adsunt. Inter laïcos autem, & Clericos, ordinem statuit ordo, vt his magis competant ea, quæ religionis sunt tractare, in absentia aliorum, & quo maior est ordo, & gradus, eo magis fundatur ius, & debitum. Inter alios superiores ordines iam dictum est seruandum esse ordinem à Canonibus præfixum, qui ex ipsius ordinis, & gradus eminentia redundat.

Quale autem sit hoc peccatum? an mortale, an veniale? quantùm est ex parte iuris diuini dicerem aliquando esse veniale, aliquando mortale, aliquando nullum. Si ex contemptu fiat debiti ordinis seruandi, iudicarem mortale: quando alter cedit iuri suo, nolens ministrare, tunc nullum est peccatum, nisi ex parte cedentis: quando ex quadam negligentia contingit, fortè esset veniale, aut ex præsumptione, quòd alter cedat. Hæc dicta sint de inferioribus gradibus, quia Canones in superioribus ordinem posuerunt. Dixi, quando quis cedit tantùm iuri suo, & non intelligatur succedere alter de licentia eius, aut posse ministrari de eadem licentia Sacramentum, quia licentiam dare competit Episcopis, & Sacerdotibus, non aliis: qui tamen sine motiuo congruo, in articulo necessitatis non ministrant, peccant grauiter, quia præceptum in eo casu ipsos solos obligat, quibus cedentibus, aut nolentibus extenditur ad alios inferiores, qui licitè baptizant, & tenentur. 21

Si autem casus ignorantiæ suboriatur, vt periculum sit personam gradu superiorem, aut sexu, committere sacrilegium in ipso ministerio, vt qui nesciat pronuntiare formam Sacramenti, tunc præiudicat ordini, necessitas baptizati, & reuerentia Sacramenti: vt non dubitarem etiam fœminam in eo casu in præsentia Clerici, aut Sacerdotis idiotæ, & omnino rudis, de eius saltem licentia, vel quando de eius intentione debita ad Sacramentum ob ipsius peruersitatem cum fundamento præsumitur, vel aliud periculum simile subesset, vel æquiualens, debere præferri, & teneri etiam ministrare Sacramentum: nam reuerentia Sacramenti, & præceptum de eo administrando validè, ac necessitas baptizati præferenda sunt præcepto de ordine seruando, quod supponit capacitatem personarum, & voluntatem integram, quæ necessitate Sacramenti requiritur. 22

Casus fortè est speculatiuus quoad primam partem, sed proponitur ad maiorem declarationem materiæ, sicut alij similes proponuntur à Doctoribus, qualis est ille de manco & muto, de quo suprà. Nec dicendum est fortè in eo casu mulierem de licètia baptizare, quia incapax est talis: sed deuolui ad ipsam ius, quod ei competit in extrema necessitate, quando alius non adest. Canones autem ecclesiastici, & Patres, quando negant quibusdam ius baptizandi, intelliguntur extra casum necessitatis, & in concursu aliorum, quibus ex officio, aut gradu competit aliis præferri, & secundùm hoc

Ad argumenta benè respondet Doctor; ad primum explicando Isidorum ad secùdam rationem dicit Sacerdotem per modum iudicis remittere peccata in pœnitentia, sed in Baptismo virtute Sacramenti, absque arbitrio, vel iudicio remittuntur, quæ vltima verba non ita intelligenda sunt, ac si minister non concurrat ministerialiter ad effectum Sacramenti, sed solùm vt causa applicans, sicut dicit Paludanus *in 4. dist. 1. q. 5. & 6.* & Capreolus *ibidem*, nam contrarium affert Doctor. Vide Augustinum *tract. 5. in Ioannem.* Sacerdotes dicuntur vicem Christi gerere, esse organa, & instrumentum Christi: & hoc aliàs patebit infrà *quæst. 5.* vbi agitur de intentione requisita ad Sacramentum.

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm vnitas Baptiſmi neceſſariò requirat, quòd ab vno miniſtro conferatur?*

Alenſis 4.p.q.16.m.6. D.Thom. 3.p.q.67.a.6.Richard.d.3.a.4.q.1.Gabr.*ibi* q.1.*art.*1. Palud.q.2.Durand. q.3. Sotus d.4. q.1. a.4.

1 *Argum.* 1. AD primum [a] arguitur, quòd non: quia idem poteſt ſimul plures baptizare: ergo plures eundem. Conſequentia patet à ſimili. Antecedens probatur, tum, quia ſimul poteſt perfundere duos, dicendo, *Ego baptizo vos*, &c. Nec videtur ibi aliquid deeſſe, quin vterque ſit baptizatus. Tum, quia ſi eſſet monſtrum habens duo capita, poſſet ſimul baptizare, & tamen probabile eſt ibi eſſe duas perſonas, quia duas habet partes principales. Tum tertiò per ſimile, quia idem Sacerdos poteſt ſimul plures hoſtias conſecrare.

*Argum.* 2. Item, quando ad aliquem effectum concurrunt plura, æquè poſſunt illa fieri à pluribus, ſicut ab vno: apparet de domo, quia æquè poteſt vnus lapis apponi ab vno, & alius ab alio, & tandem complebitur domus, ſicut ſi omnes lapides vſque ad inductionem formæ apponerentur ab eodem. Apparet etiam in alio exemplo, vbi eſt maior vnitas effectus: æquè enim poteſt nauis trahi vno tractu à pluribus, ſicut ab vno habente æqualem virtutem illis; ſed in Baptiſmo concurrunt plura, vt ablutio, & prolatio verborum: ergo æquè poteſt conferri à duobus, quorum alter abluat, & alter dicat verba, ſicut ab eodem abluente, & loquente.

*Ratio oppoſ.* Oppoſitum, Miniſter ibi repræſentat Chriſtum, qui eſt mediator Dei, & hominum.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Ordo, & diuiſio quæſtionis.*

a *AD primum arguitur*, &c. Scopus huius quæſtionis eſt declarare an vnitas Sacramenti dependeat ab vnitate miniſtri? Continet quatuor articulos: primus eſt, *Si miniſtri ſimul concurrant in ablutione & prolatione forma*: ſecundus eſt, *Si vnus abluat, alter proferat formam*: tertius eſt, *An vnus ſimul poſſet plures baptizare?* Eandem quæſtionem communiter antiqui, ac etiam moderni tractant hîc, & ſimilem in materia de Euchariſtia: quartus eſt de monſtro, qualiter baptizari debeat.

## SCHOLIVM.

*Vnum baptizari poſſe à pluribus, ſingulis ponentibus materiam & formam ſimul, quo caſu nullius eſſet cauſa totalis Baptiſmi: & duæ obiectiones contra hoc ſoluuntur.*

2 Reſpondeo [b]. Plures baptizare, poteſt intelligi vel eundem ſuſcipientem, vel plures ſuſcipientes: & vtrumque adhuc ſubdiſtinguitur, quia ſi eundem, vel vterque totum facit, vel vnus abluit, & verba alius profert, puta vnus mutus eſt, & tantùm abluit: alter mancus eſt, & verba profert. Secundum etiam membrum ſubdiſtinguitur, quia ſi baptizat plures, vel manifeſtè diſtinctos, vel immanifeſtè, vt in monſtro, de quo dubitatur ſi eſt vna perſona, vel duæ. De his quatuor membris dicendum eſt per ordinem.

*Vnum baptizari à duobus, vel pluribus.* De primo, dico, quòd ille eſt baptizatus: quia non eſt veriſimile, quòd vnus faciens annullet factum alterius: ſed ſi tantùm vnus eorum faceret, quod facit, factum eſſet: ergo nihil minus quod facit, factum eſt, alio ſimiliter faciente.

Circa hoc duo ſunt dubia. Primùm, quia non poteſt idem eſſe à duabus cauſis totalibus: vnus autem abluens, & proferens verba, eſt cauſa totalis in baptizando, & hoc illa cauſalitate, quæ competit miniſtro: ergo non poteſt idem Baptiſmus eſſe ab alio, qui ſit idem cauſator in eodem ordine. Maior probata eſt aliàs per hanc propoſitionem, quia nihil cauſat, quo non * exiſtente, nihil minus eſt effectus. Præterea ſi agens, & forma quâ agit, ſunt aliud, & aliud, & forma inducta erit alia. Hoc accipitur à Commentatore. 5. *Phyſic.*2.*commento*: ſed hîc eſt aliud, & aliud agens, ſicut miniſtro competit agere: & alia, & alia forma, quâ agit: quia alia, & alia intentio in iſto, & in illo: ergo ſimpliciter alia baptizandi actio. Sed cuilibet actioni correſpondet ſua paſſio: ergo ſunt ibi plures baptizationes paſſiuæ, & per conſequens plures Baptiſmi.

* *al. cauſante.*

Ad

Ad primum, concedo illam maiorem de cauſa inducente formam effectiuè: hîc autem inducit formam Deus, non miniſter. 3

*An plures baptizantes faciant vnã cauſam totalem Baptiſmi?*

Et ſi obiicias, ſaltem formam Baptiſmi, vt eſt Sacramentum, inducit miniſter, & ſic ſunt duæ cauſæ, & vtraque totalis. Reſpondeo, ſi vterque abluat, neuter in abluendo eſt cauſa totalis: & hoc ſiue ablutio fiat immergendo (tunc enim ambo mouent corpus immerſi vno motu cauſato à virtute motiua amborum: & licèt alter poſſet illum motum cauſare, tamen quando ſimul mouent, neuter vtitur totâ ſuâ virtute motiuâ, quâ poſſet eâ vti, ſicut apparet, quando duo portant vnum pondus, quod alter ſolus poſſet portare) ſiue fiat perfundendo, vel aſpergendo, licèt vterque madefaciat aquâ à ſe perfusâ, vel aſpersâ; neuter tamen madefacit totâ illâ madefactione, quæ eſt per aſperſionem amborum.

Sed adhuc videtur ſtare difficultas, quia vterque eſt cauſa totalis reſpectu prolationis verborum, & ſic quanrùm ad vnam partem effectus exterioris, qui eſt Sacramentum, erunt duæ cauſæ totales, & hoc eſt impoſſibile, ita de parte effectus, ſicut de toto.

*Si alter alterum præueniat abſoluẽdo formam, aliter nihil facit.*

Reſpondeo, difficile eſt quin alterius verba ſuperfluant, ita quòd non ſint per ſe pars vnius Sacramenti: quia ponere duo eiuſdem rationis eſſe partes vnius, quod ſimpliciter eſſet perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur ſuperfluum. Quæ autem ſuperfluant, & cuius proferentis, difficile eſt aſſignare: quia quâ ratione illa, & iſta, & ita vtraque, vel neutra, quia vterque æquè completè, & conſimili intentione profert. Reſponſionem quære.

ADDITIO.

*Dici poteſt, quòd baptizatio huius, vel illius valet, ſcilicet, cuius baptizationem Deus acceptauit. Cuius verò determinatè, nobis penitus incertum eſt, ſolus nouit Deus, & cui voluerit reuelare.*

Ad ſecundum argumentum de actione, ſi ponatur in paſſo, vel in agente, dubium eſt. Si in paſſo, non eſt *plures* realiter, niſi paſſiones ſint plures: nec paſſiones ſunt plures, quando forma recepta in paſſo, vna eſt. Et hoc tenendo, neganda eſſet illa propoſitio maior, quæ accipitur à Commentatore. Si autem actio ponatur in agente, ſiue abſolutum, ſiue reſpectus ad paſſum: tunc poteſt concedi maior: ſed tunc illa eſt falſa, diuerſis actionibus correſpondent diuerſæ paſſiones. Quocunque ergo modo dicatur de actione, non ponitur plures eſſe paſſiuas baptizationes, ſed vnicam. 4

Et ex iſto videtur ſequi corollarium, quòd Sacramentum Baptiſmi magis eſt baptizatio paſſiua, quàm actiua: quia plurificatâ baptizatione actiuâ, non plurificatur paſſiua, nec Baptiſmus, quia paſſiua eſt vna. Iſtud autem illatum videtur probabile, quia baptizatus propriè ſuſcipit Sacramentum: ſuſcipit autem propriè ablutionem paſſiuam, & non actiuam, niſi dicatur idem realiter.

## COMMENTARIVS.

*Non ſequi diuerſitatem effectus in caſu ex diuerſitate miniſtrorum. Obiectio an erunt duo baptiſmata?*

*Gabriel. affirmat.*

*Reſpondeo plures baptizare*, &c. Præmiſsâ explicatione caſus per varias diſtinctiones ſubiicit reſolutionem communem Theologorum, & rationem eius, circa quæ nihil occurrit. Primò tamen obiicit non poſſe eſſe duas cauſas totales vnius, & eiuſdem effectus, quales ſunt duo miniſtri, & duo Sacramenta. Hoc ipſum ſecundò probat, quia vbi agens, & forma ſunt aliud, & aliud, etiam effectus inductus ſimiliter erit alius, & alius. Reſpondet quantùm ad cauſam principalem, à qua eſt effectus in anima non multiplicari; vnus verò, aut diuerſi miniſtri ſe habent tantùm miniſterialiter, & non influxum phyſicum.

Sed ad hoc obiicit de effectu proximo miniſtri, nempe ipſo Sacramento quod videtur multiplicari: quod perinde eſt ac quærere an ſint ibi duo baptiſmata, & non vſum ſolum. Ad quod reſpondet Gabriel *hac diſt.* 1. *art.* 3. *dub.* 4. duo fieri Sacramenta, à quibus etiam effectus eſt, vt à cauſis totalibus, quòd hic author non putat eſſe inconueniens. Fauet Caietanus 3. *part. quæſt.* 67. *art.* 6. & quamuis non putet eundem effectum totalem eſſe à cauſis pluribus, & totalibus principaliter agentibus, non cenſet eſſe inconueniens, vt procedat à duabus inſtrumentalibus, quando vnum eſt principale agens. Suarez ſequitur vtrumque *diſp.* 33. *ſect.* 3. qui etiam ſtatuunt Sacramenta phyſicè agere per virtutem, aut actionem receptam in ſe: perinde philoſophari debent de principalibus, & de inſtrumentis phyſicis, ſi ſint talia in actu ſecundo totalitate virtutis & actionis. Caietanus autem, vt ſuprà viſum eſt, docet Sacramenta eſſe inſtrumenta phyſica per Dei aſſiſtentiam, aut diuini imperij intimationem, qua eleuantur ad hoc non per virtutem aliquam, aut motionem receptam: ergo ſi aliqua actio eſt Sacramentorum reſpectu effectus, nequit eſſe totalis, niſi etiam multiplicetur effectus prout eſt à Sacramentis, quia eadem repugnantia accommodari hîc poteſt, ſicut & in actionibus principalium reſpectu eiuſdem effectus. Suarez etiam loco præmiſſo approbat modum, quo illa duo concurrerent per modum vnius in actu ſecundo.

*Conſentio opinandi.*

D. Thomas hîc ſupponit eſſe vnum tantùm Sacramentum, quod docet etiam Sotus *diſt.* 4. *quæſt. vnica, art.* 4. Paludanus *diſt.* 3. *quæſt.* 2. *ibidem.* Durandus, Vaſquez *diſp.* 148. *cap.* 2. & alij. Sed ratio huius variè aſſignatur. Sotus, Durandus, Paludanus ſumunt vnitatem Sacramenti ab vnitate ſubiecti; 2

*D. Thomæ ſententia eſſe vnum Sacramentum.*

*Ratio vnitatis Sacramẽti ab vnitate ſubiecti, vel ſignificationis.*

iecti: Vaſquez putat eſſe vnum formaliter Sacramentum, licet materialiter diuerſum: quia conſtituitur in genere ſigni formaliter, cuius vnitas in rebus numero diuerſis reperiri poteſt, non ex vnitate phyſica eorum conſtans, ſed ex vnitate ſignificationis. Sic in propoſito ablutio, & prolatio formæ facta à diuerſis ſimul, in ordine ad eundem finem, & ſignificatum, conſtituunt vnum numero Sacramentum, non quòd ſint partes eiuſdem.

Reiicit præterea rationem Soti: quia nempe ibi ſunt prolationes plures, & ablutiones: ergo non videntur ex vnitate ſubiecti eſſe vnum Sacramentum. Reſpondet Soto, Baptiſmum ſupponere pro ablutione, quæ fit in ſubiecto, & non pro prolatione, aut forma, quia dicit, vt ſuprà viſum eſt *diſtinctione* 1. & 2. Sacramenta ſe habere ſicut artificialia, quæ ſupponunt in recto pro materia, & non pro forma. Ablutiones ergo illæ, etiamſi in diuerſis partibus ſeorſim fierent, ſicut tribuunt eandem denominationem toti ſubiecto, quâ dicitur ablutum abſolutè ablutione baptiſmali, in quacunque parte fiat; ſic etiam ſumerent vnitatem a ſubiecto in ſententia Soti. De hoc fundamento ſatis dictum eſt locis præfatis.

3 *Impugnatur ratio Vaſquez.*

Sed nec reſponſio ipſa Vaſquez omnino ſatisfacit, quia licèt plures res phyſicæ cõuenire poſſint, vt locis præfatis Doctor benè explicat, ad fundandam relationem vnam ſigni ex inſtituto; ſicut in Sacramentis res eſt verba, ad vnam completam ſignificationem Sacramenti; tamen iſta hæc omnia ſunt fundamentum ſignificationis, vt vnum ſine altero nequeat ſignificare ſeorſim, quia neutrum ſine altero eſt inſtitutum ad ſignificandum: & quamuis quodlibet eorum in *eſſe* rei non ordinetur, vt compars alterius, ad aliquod vnum in *eſſe* rei; tamen in *eſſe* ſigni ita ordinatur, vt ex iis ſimul coaleſcat integrum fundamentum ſignificationis: ergo non rectè applicatur hæc doctrina ad inſtitutum præſentis quæſtionis, quia tam ablutio, quàm forma, vt eſt ab vno, per ſe ſignificat effectum ex inſtitutione diuina, & perinde ſignificaret ſeorſim, eo modo, quo ſignificat in concurſu alterius, quantùm eſt ex vi inſtitutionis, quæ in nihilo mutatur, ſiue alius concurrat, ſiue non concurrat: deinde etiam per concurſum alterius, vt ipſe vult, vna ablutio, & prolatio, non concurrunt vt partes ad conſtituendum vnum Sacramentum, cùm iis quæ procedunt ab altero: ergo etiam neque vnum ſignum Sacramenti ſimul conſtituunt: ergo cùm quodlibet ſit diuiſum ab alio in ratione Sacramenti, ſic etiam in ratione ſacri ſignaculi proinde alia, & alia eſt ſignificatio totalis eorum, niſi velit dicere Sacramentum ſubſiſtere ſine ſignificatione quâ conſtituitur.

*Non eſſe vnũ Sacramentũ ex vnitate ſignificationis.*

4

In propoſito autem certum eſt ablutionem, & formam prolatam ab vno, non amittere ſuam ſignificationem ſacramentalem per concomitantiam alterius: quia hoc eſt fundamentum commune omnium in hac concluſione, quod nullum eſſet, niſi ex ſuppoſitione ſignificationis propriæ, tam vnius, quàm alterius actionis, & prolationis: ex quo deſtruitur illud ex quo vnitatem huius ſignificationis deſumit; nempe ex eo quòd ſimul concurrant ad ſignificandum, & cauſandum eundem numero effectum, non poſſunt diuerſum effectum ſignificare, ac proinde nec diuerſam numero ſignificationem, aut rationem Sacramenti in ſe habere. Hæc ille. Sed oppoſitum conſequentis ſequitur ex antecedente, quia antiquam

*Ratio Vaſquez.*

*Deſtruitur.*

inſtitutionem retinent in concurrentia, neque ex concurrentia variatur inſtitutio, in qua omnis ſignificatio, & efficacia eorum fundatur: ergo ſi nequeant concurrere vt partes; ſic etiam neque habere in ſe eandem ſignificationem numero, aut rationem Sacramenti.

5 *Confirmatio. Baptiſmus, & Confirmatio ſunt diuerſa Sacramenta.*

Confirmari poteſt de Circumciſione, & Baptiſmo, ſuppoſitâ ſententiâ Auguſtini, de efficacia Circumciſionis: hæc quantùm ad delectionem originalis idem numero ſignificabatur; erant tamen ſigna diuerſa, & Sacramenta, etiam quoad hunc effectum: ſed quia reſponderi poteſt de aliis effectibus Baptiſmi, aliter probatur, quia Baptiſmus iteratus eſt ſignum diuerſum à Baptiſmo validè collato, & diuerſum numero Sacramentum, alias non committeretur ſacrilegium iteratione eius: ſed vterque habet idem numero ſignificatum, vt per ſe conſtat in virtute: quin etiam aliqui Patres, vt ſuprà oſtenſum eſt, ideò baptizantem denuò peccare aſſerunt, quia quantùm eſt de ſe, reddit ſignum falſum: ſed hæc perinde ſe habent, ſuppoſito fundamento Vaſquez, ac ſi ſimul concurrerent, quantùm ad ſignificationem, quæ ſingulis competit, eundem numero effectum ſignificant, quantùm eſt de ſe, vt eidem applicantur, nempe conſignare & reliqua: ergo vnitas Sacramenti non poteſt ex vnitate eiuſdem numero effectus deſumi.

*Baptiſmus iteratus eſt diuerſus à priori.*

Videtur hîc author confundere ſignificationem Sacramenti cum ipſa eius cauſatione, ſeu influxu, quamuis ſignificatio Sacramenti non conſiſtat in actu ſecundo, ſed in virtute, quam habet in actu primo, vt Tridentinum docet, & veritas eius practica, ſuppoſito impedimento ex parte ſubiecti, non dependeat ab effectu poſito: ſed econtrà, veritas enim ſicut & ſignificatio denotat ſolum poſſe, & efficaciam, quantùm eſt ex parte Dei, & Sacramenti, quæ perinde in propoſito ſubſiſtit, ſiue concurrant plures, ſiue non; maximè ex præſcripta ratione huius authoris negantis concurrere vt partes eiuſdem Sacramenti, niſi in eo tantùm, in quo efficiunt vnum ſignatum: quod neque cohæret doctrinæ de Sacramentis, nec rectæ Philoſophiæ; deſumere ſcilicet vnitatem cauſæ in actu primo, qualem habent Sacramenta diuerſa, ab vnitate effectus: quia neque in *eſſe*, neque conſequenter in vnitate, prius conſtituitur per poſterius: neque duo calores cauſantes vnum numero calidum, ideò ſunt vnus numero calor. Quod ergo tam hæc prolatio, quàm ablutio concurrat in actu ſecundo ad vnum numero effectum, non facit, vt in *eſſe* vnius ſigni efficacis communicent, niſi aliquo modo ſe habeant, vt partes vnius. Fundamentum Gabrielis infrà ſuo loco in materia de Euchariſtia, & termino formali conuerſionis examinabitur, vbi difficultas hæc per ſe tractatur.

6 *Vnitas Sacramenti vnde ſumitur.*

Cæterùm quid cenſeat Doctor, quamuis communiter citetur pro ſententia D. Thomæ, eſt ſatis ambiguum: difficultatem enim mouet, & quid reſoluat expendamus. Primò, reſponſione ad illam obiectionem de duabus cauſis totalibus, reſpondet veram eſſe maiorem in cauſis principalibus, quæ ex virtute propria operantur, & phyſicè; non autem in cauſis inſtrumentalibus, aut miniſterialibus, quæ non habent influxum in effectum: & hæc reſponſio quadrat fundamento, quo ipſe variis in locis negat duas cauſas principales, & totales eiuſdem ordinis, producere eundem numero effectum, totalitate actionis: quia inuoluit

7 *Sententia exquiritur, & explicatur.*

*Prima reſpõſio Doctoris.*

hanc

hanc contradictionem, nempe *esse*, & *non esse* effectus: hoc autem intelligi solùm potest de causis, quæ attingunt effectum per seipsas physicè, & immediatè, non verò de moralibus, vt sunt Sacramenta, aut ministri. Hæc responsio supponit, sicut hìc sunt diuersi ministri, diuersæ intentiones, ita etiam diuersa esse Sacramenta.

*Supponit diuersa esse Sacramenta.*

*Replicat.* Contrà vlteriùs replicat, saltem ipsa Sacramenta, quæ sunt effectus proximus ministri, & physicus, erunt diuersa hoc modo, quia ablutio, & prolatio ita fit ab alterutro, vt totalis. Respondet in ablutione communicare per modum agentium partialium, vel saltem posse communicare; & sic duas ablutiones fieri, vnam, vt suprà explicui iuxta sententiam Soti.

*Respondet.*

*Replicat.* Sed obiicit vlteriùs, saltem in prolatione formę non communicant, & ita redit eadem difficultas, quia æquè impossibile est totum effectum esse à duabus causis totalibus, sicut & partem effectus.

8

*Responsio.* *Respondeo*, inquit, *difficile est quin alterutrius verba superfluant, ita quòd non sint per se pars vnius Sacramenti, quia ponere duo eiusdem rationis esse partes vnius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum: quæ autem superfluat, & cuius differentis, difficile est assignare*, &c. quia nempe vtriusque prolatio æquè est completa, & cum debita intentione: remittit responsionem lectori: *responsionem*, inquit, *quæro.*

*Non resoluit.*

*Responsio Additionis.* Subdit nescio quis per additionem, quæ non spectat ad literam, vt benè notauit Scholiastes, responsionem hanc, nempè valere Baptismum eius, quem Deus acceptat, & hoc esse ignotum, cuius acceptat. Hæc responsio ad hoc solùm conducit, vt certum sit suscipientem esse baptizatum: cæterùm inepta est, & puerilis, nihil faciens ad scopum Doctoris: non eâ tamen ratione est reiicienda, quâ eam impugnat Vasquez, vt videbimus: sed quia sic baptizantes, præter peccatum quod contra consuetudinem Ecclesiæ committerent, sine vlla necessitate simul baptizantes eundem, committerent etiam sacrilegium manifestum, si ita res se haberet, quia quisque eorum induceret periculum nullitatis Sacramenti à se collati (si simul nequirent concurrere ad effectum) signum, aut certitudinem non habens de acceptatione sui Baptismi apud Deum. Secundò; doctrina est falsa, quia quodlibet Sacramentum ex institutione est efficax, & habet certam promissionem diuinam secluso impedimento ex parte suscipientis, si cum debita intentione administrentur, & consequenter haberet assistentiam Dei in ordine ad effectum, neque alter præuenit alterum, vt supponit casus, neque est aliud impedimentum, neque est responsio secundùm mentem Doctoris, vt postea dicam.

*Valere Baptismũ eius, quem Deus acceptat. Reiicitur.*

9

*Vasquez impugnat Doctorem.* Vasquez tamen *loco citato* adducit Doctorem in eandem opinionem cum D. Thoma, nempe fieri vnum tantùm Sacramentum in eo casu. Postquam autem adducit fundamentum antiquorum Durandi, & Paludani, & post eos Soti, refert etiam Doctorem idipsum probare ex præmisso passu literæ, quem ideò transcripsimus, quia cùm duo, (inquit Vasquez de mente Doctoris,) hoc modo baptizant, alterius ablutio, & verba formæ superuacanea sunt, ac proinde neque vnum Sacramentum per se constituunt, neque simul cum ablutione, & forma ab alio prolata. Si autem quæratur cuiusnam ablutio, & verba superuacanea sunt, ac proinde ad constitutionem Sacramenti minimè concurrunt: respondet, supple Scotus, *id nobis incertum esse*, & ex diuina voluntate acceptante potiùs vnam quàm aliam, pendere. Hæc Vasquez: errat tamen primò, quia confundit additionem alterius extraneam cum textu: secundò, quia hac ratione vtitur Doctor ad probandum diuersa esse Sacramenta in eo casu, & non vnum Sacramentum, quod & ipsa ratio manifestè concludit, ad quam non respondet Doctor, sed eam mouet: concludit, inquam, quantùm ad vim consequentiæ, & ex forma, quidquid dicatur de ipsa, quantùm ad probationem, aut materiam. Non solet Doctor ita extra propositum currere, & litera ipsa est plana: quia per modum obiectionis contra vnitatem Sacramenti in casu communiter asserto ab aliis, illam difficultatem proponit. Errat denique in eo, quòd putat Doctorem loqui de Sacramento, quasi in actu secundo, & respectiuè ad effectum causarum in suscipiente: & huius erroris causam dedit additio illa, quam non discreuit à textu, & eundè errorem habet. Sic etiam aliqui nostræ scholæ interpretantur Doctorem loqui, vt Bassolus, Tartaretus, & Aretinus. Vnde putarem Bassolum esse primum solutionis inuentorem.

*Reiicitur interpretatio præcensa.*

10

*Explicatur sententia Doctoris ex discursu eius.* Doctor ergo non intendit sic loqui de Sacramento, sed solùm vt est effectus ministri, vt patet ex ipsa obiectione, quam primò mouet de duabus causis totalibus, ad quam primò respondet non esse inconueniens dari duas causas ministeriales respectu eiusdem effectus gratiæ, quia principalis vna à qua sola fit effectus per attingentiam physicam, ab aliis tantùm ministerialiter: ita habet versus *Ad primum concedo*, &c. mox subiungit: *Et si obiicias saltem formam Baptismi, vt est Sacramentum inducit minister, & sic sunt duæ causæ*, &c. Respondet primò, quantùm ad ablutionem vnam esse totalem ex pluribus partialibus: quantùm ad formam difficile esse saluare vnitatem Sacramenti: *quia ponere*, inquit, *duo eiusdem rationis esse partes vnius, quod simpliciter esset perfectum, habendo alterum eorum pro parte, videtur superfluum: quæ autem superfluat, & cuius proferentis, difficile est assignare*, &c.

*Agitur de Sacramento diuerso in actu primo.* Ex quibus constat eum loqui de Sacramento, vt est effectus ministri proximus, non verò vt est causa respectu gratiæ, aut characteris: & sic agit de eo in actu primo, & prout virtute continet effectum dumtaxat; non verò in actu secundo prout illum confert: quæ acceptatio Sacramenti est ex scopo quæstionis, & de mente Doctorum, qui in hoc sensu quærunt, an sit vnum Sacramentum, an diuersum in ratione signi sacramentalis.

11

Ponamus ergo casum suscipientem, nempe Sacramentum, esse inuitum absolutè in sua voluntate, & nolle consentiri in receptionem Sacramenti; sed tantùm fictè, & simulatè se habere, in quo casu nihil reciperet, quamuis perficeretur Sacramentum à duobus iuxta casum quæstionis: adhuc manet hæc quæstio, an sit vnum, aut duplex, secluso ordine ad effectum, qui non inest in re causatum. Quando ergo dicit Doctor superfluere formam ab altero horum prolatam, loquitur de superfluitate in ordine ad vnum Sacramentum constituendum; quia neque duæ formæ, neque prolatio earum, faciunt vnum in *esse* rei, aut signi, respectiuè ad inuicem, respectiuè verò ad lotionem altera superfluit in ordine ad constituendum Sacramentum vnum, quia altera sufficit: ergo superfluit

perfluit alia, quæ eſt eiuſdem omnino rationis; non ſecus ac in aliis compoſitis; hoc album numero, verbi gratiâ, ita conſtituitur per vnam numero albedinem, vt altera omnino ſuperfluat, vt nequit idem numero conſtituat, neque conſtituere poſſet.

Eodem modo forma ſacramentalis cum debita prolatione ab vno prolata, ita conſtituit vnum numero Sacramentum, vt eadem forma, ab alio prolata, cum ſimili intentione, ſit ſuperflua, neque in re, neque in ſignificatione poſſit ad idem numero Sacramentum, vt pars eius ordinari; quia quod natum eſt dare vltimum actum completum, excludit in ordine ad illum effectum, omnem aliam formam, & actum diuerſum numero, quæ aduenire nequit per modum conſtituentis, niſi ſupponat potentiam incompletam ex parte materiæ, aut conſtituti, quæ in propoſito nulla eſt: ergo eædem formæ ſimul aduenientes nequeunt conſtituere idem numero Sacramentum; ex eo quòd quælibet nata ſit dare vltimum actum, vel omnino nullum.

*Dua forma vltima nequeunt conſtituere idem numero, quãdo non ſubordinantur.*

12 *Sententia Doctoris.*

Hanc ergo partem teneo eſſe de mente Doctoris: ad quam facit ſua ratio, quæ æquialet aſſertioni, & hoc potiſſimùm tenendo ſententiam, quam ipſe ſuprà, vt probabiliorem ſequitur *diſt. 3. quæſt. 1.* nempe formam Baptiſmi pertinere ad eſſentiam eius, per modum fundamenti ſignificationis ſacramentalis; & non ſolùm ſe habere, vt circumſtantiam reſpectu ablutionis, vt ſe habet intentio miniſtri reſpectu vtriuſque, & alia concurrentia. Imò etiam idem aſſero, tenendo etiam ſententiam Magiſtri, quam vt probabilem defendit, quæ totam ſignificationem ſacramentalem ſtatuit in ipſa ablutione, ad quam ſe haberet ſic forma, vt conditio, & circumſtantia.

*Confirmatio.*

Confirmatur, ablutio ſacramentalis ab vtroque facta non facit vnum in eſſe ſigni ſacramentalis; quamuis remotè poſſet aliquo modo dici vna phyſicè: ergo tollitur vnitas numerica Sacramenti in propoſito caſu, quantùm ad materiam, & quantùm ad formam. Antecedens probatur, quia forma prolata ab altero, ſiue ſe habeat vt compars ablutionis in ſignificando, ſiue vt circumſtantia, ita determinatè verificatur reſpectiuè ad ablutionem, ab ipſo ſolo factam; vt nullo modo referri poſſit ad ablutionem factam ab altero; quia denotat actum ablutionis, vt ſit valida, & ſacramentalis, quatenus à proferente fit; ideóque ex communi ſententia ſi vnus abluat, alter proferat ſolùm formam, non conficitur Sacramentum; quod eſſet falſum, ſi forma nata eſſet determinare ablutionem factam à non proferente, vel etiam partialiter: nam quæcunque ablutio nata determinari per formam ſi ſeorſim fieret, eſſet ſufficiens, & perinde determinaretur per eandem.

*Sacramenta fieri diuerſa quoad formã, & quoad materiam.*

13 *Forma connotat ablutionem, vt eſt à proferente.*

Et ſi dicas, ex coniunctione ad ablutionem factam à proferente connotari ablutionem alterius, hoc nihil eſt; quia neque ex inſtitutione diuina, hoc habet formæ, quæ nullo modo variatur in eo caſu: neque ex inſtitutione humana, verbi gratiâ, illa quâ vtitur Eccleſia Latina, *Ego te baptizo*, &c. ita enim denotat actum vt egredientem à proferente & abſolutè ſub hac ratione, vt nullo modo ex ſignificatione, aut modo ſignificandi referatur ad ablutionem factam ab alio, magis quàm ſi diceret, Ego video Petrum, non connotaret eundem videri à Paulo, quod nullo modo ſignificat: ergo cùm forma tantùm ſignificet ablutionem baptizati non abſolutè, ſed vt determinatè fit in exercitio ab ipſo proferente, ſic non connotat ablutionem eiuſdem factam ab alio, ſiue in eadem parte fiat, ſiue in altera: quinimò ſi ad ablutionem alterius referretur, eſſet omnino falſa in modo ſignificandi: & quamuis forma Græcorum, quoad modum ſignificandi expreſſum, nõ denotet actum ablutionis in exercitio, vt eſt à proferente, ſed reſpectiuè ad paſſum; tamen in reipſa id ſupponit implicitè, quia ad vnitatem Sacramenti requiritur; & forma Latinorum, quæ eſt magis expreſſa in modo ſignificandi, non ſolùm quoad ipſam ſubſtantialem ſignificationem, eſt vera.

Hinc ergo patet rationem illam, quam Doctor oſtendit, nempe ſuperfluere alteram formam; perinde concludere etiam de lotione, quà ſacramentalis eſt; & illa quæ præmiſit de vnitate lotionis intelligi debere reſpectiuè ad ſubiectum de lotione in *eſſe* phyſico, vt eſt à duobus miniſtris partialiter; non autem de lotione, vt eſt ſignificationis ſacramentalis fundamentum, & vt refertur tam ad intentionem, quàm debet habere miniſter vt applicans, quam ad formam ab ipſo prolatam, quæ limitantur neceſſariò ad ablutionem factam à ſeipſo, vt tota eſt, & non vt pars alterius; ergo etiam ſuperfluit lotio facta ab altero reſpectiuè ad conſtitutionem Sacramenti, vt eſt per hanc formam conſtitutum. Neque contra hanc ſuperfluitatem plurimùm vrget impugnatio Vaſquez, quæ eſt talis: 14

*Fundamentũ Vaſquez.*

Ex eo quòd aliquid comparatione Sacramenti, ita ſe habeat, vt ſine illo rectè conſtare poſſet, non ſequitur rectè ad conſtitutionem ipſius Sacramenti non concurrere. Exemplum, ſi quis non ſolùm confiteatur peccata aliàs non confeſſa, ſed aliàs confeſſa, à quibus abſolutus eſt, non ſequitur confeſſionem horum peccatorum non ſpectare ad conſtitutionem Sacramenti; quamuis etiam ſine illa cum confeſſione aliorum conſiſteret Sacramentum: ergo ſimiliter in propoſito, quamuis, vnâ formâ omiſsâ, maneret Sacramentum, non ſequitur quin illa ſimul prolata, ſpectet ad conſtitutionem vnius Sacramenti.

Reſpondetur in primis vnitatem Sacramenti Pœnitentiæ, aut diuerſitatem eius numericam non ſũmi à materia remota, qualia ſunt peccata, ſed à proxima, neque illa eſſe materiam, in qua fundatur ſignificatio Sacramenti, ſed eſſe materiam circa quam exercetur: ideò nihil facere ad propoſitum, illam inſtantiam, quia non ita ſe habet forma Sacramenti Baptiſmi, ſed tantùm fundamentum proximum, & vltimatum conſtitutum in genere formæ, nullum dicens ordinem, aut compoſſibilitatẽ per modum compartis, ad aliam formam; & conſequenter ita conſtituens hoc vnum numero Sacramentum, cum hac numero ablutione facta à proferentẽ, vt neque ex parte formæ, aut materiæ ſit compoſſibilitas ad aliam formam numero diuerſam: & hæc eſt ſuperfluitas, quam intendit Doctor, non ſolùm quoad actum conſtitutionis Sacramenti, vt manere poſſet ſine altera forma diuerſa, ſed etiam quantùm ad poſſe: ita vt cum illa nequeat cohærere, aut ab ea recipere conſtitutionem vllam eſſentialem, aut integralem, in *eſſe* Sacramenti, aut etiam ſimul cum illa conſtituere Sacramentum eſſentiali, aut integrali conſtitutione, & ſeruatâ inſtitutione Sacramenti, vt de facto eſt. 15

*Soluitur.*

*Vnitas Sacramenti pœnitentiæ vnde ſumitur? Retorquetur inſtantia.*

Accedit vlteriùs, inſtantiam magis probare oppoſitum, quia in genere confeſsionis, & actus, eſt diuerſa numero confeſsio peccatorum, quæ 16

aliàs

*Retorquetur instantia.*

aliàs non ſunt confeſſa, quando illa ſola fit, & confeſſio tam illorum aliorum venialium peccatorum, aut aliàs confeſſorum; & ita hæc diuerſitas materiæ infert diuerſitatem numericam in confeſſione, vt quandoque fiat nulla confeſſio, ſi omittatur aliquod peccatum culpabiliter, quod debuit confiteri. Quin etiam ſi loquamur de confeſſione, vt eſt informatio iudicis, tot ſunt confeſſiones, quot peccata confeſſa, tam numero, quàm ſpecie, etiam reſpectiuè ad ſententiam, & cognitionem iudicis, & ſatisfactionem, licèt vnica ſententia, quantùm ad remiſſionem, terminetur actus iudicialis, vel confeſſiones vna informatione exponantur, quâ ratione dici poſſunt habere vnitatem, de qua ſuo loco.

*Alia ratio eiuſdem ſolvitur.*

Alia ratio, quâ prædictus author putat ſe impugnare Doctorem, tendit contra illam additionem aliorum; ſed nec eam rectè impugnat, vt in ſimili aliàs viſum eſt contra eandem ſuprà de Baptiſmo paruulorum, *diſt.4.q.1.* hîc dicit impoſſibile eſſe vnam prædictarum ablutionum, & prolationum à Deo acceptari, non factâ aliquâ in rebus ipſis mutatione. Quæ ratio procedit ex modo, quo aliàs explicat potentiam Dei ordinariam eſſe alligatam Sacramentis, vt aliter non poſſet ſupra modum ordinarium agere, quod eſt contra communẽ Doctorum aſſerentium potentiam Dei non eſſe ligatam Sacramentis, quin poſſet aliter dare effectum ipſius Sacramẽti, ſine Sacramento.

Cæterùm vt eadem ratio applicatur ad præſens, habet facilem ſolutionem ex principiis, ad quæ dicta additio debeat reduci; nempe non dari

*Duæ cauſæ totales, quomodo ſe impediãt in effectu?*

duas cauſas totales eiuſdem effectus indiuiſibilis in *eſſe* effectus, ita vt ab vna tantùm natus ſit produci totus, & totaliter, ſi attingat eius productionem, ſiue inſtrumentaliter, ſiue phyſicè; non ex defectu virtutis in cauſa, ſed ex defectu capacitatis in effectu. Huius generis putant multi eſſe formas ſubſtantiales in eodem paſſo producibiles: ita vt ſi duo ignes applicentur eidem paſſo, quod natum eſt recipere formam ab alterutro ſeruatâ proportione actiuitatis, diſtantia, & cætero æquali in ipſis, neutrum poſſe agere; ſed requiri determiationem primi agentis, quâ vnus præ alio determinetur in agendo, altero nihil agente, qui licèt includat in ſua virtute formam productam, tamen ob incapacitatem paſſi concurrente alio igne, fit in potentia remota, & indeterminata, non verò proximâ, donec determinetur per primam cauſam, cuius eſt ſupplere defectum naturæ in iis, in quibus ipſa natura deficit.

17 Eodem modo in propoſito, ſaluãdo idem principium, etiam quoad efficaciam Sacramentorum, reſpectiuè ad effectum, qui natus eſſet, iuxta hæc, procedere ab vno tantùm ſeorſim, & non à duobus ſimul, tunc determinatio effectus debere prouenire à prima cauſa, inquantùm aſſiſtit Sacramentis, neque requiritur aliud motiuum, vt vnum præ alio in ordine ad effectum ordinaret, extra ſuam voluntatem: ordinaret tamen aliquod ipſorum ex voluntate antiqua, quâ decreuit aſſiſtere Sacramentis in ordine ad ſuum effectum. Etſi dicas, ergo Deus eſſet cauſa, vt Sacramentum alterum careret effectu.

Reſpondetur negando conſequentiam, quia hæc culpa eſſet vtriuſque miniſtri concurrentis in eo caſu, vel certè diceretur neutrum carere ſuo effectu, quia vnum ſignificat effectum in *facto eſſe*, alterum verò in *fieri*, quod ſufficit ad veritatem formæ vtriuſque, vt ſuprà aliàs diximus cum Doctore de Baptiſmo Virginis *diſt. 4. quæſt.6.* Et ſic etiam reſponderetur ad replicam à nobis factam, contra eandem additionem: ſed non rectè quadrat, quia Sacramẽtum debet habere aliquem effectum, ex ordinatione diuina, & fine ſuæ inſtitutionis, ad hoc vt licitè à miniſtro applicari poſſit: in propoſito nullum habet; & quando ſignat effectum aliquem in *facto eſſe*, illud debet ſupponere vel à Deo conceſſum immediatè, vel per alias cauſas.

Quantùm ergo ad effectum remotum miniſtri, 18
qui eſt gratia & character, dicendum eſt, illa duo *Produceretur gratia ab vtroque Sacramento, etiam totaliter.*
Sacramenta ſimul concurrere ad illum effectum, vt dicit Doctor ſuprà in reſponſione ad primã obiectionem, & hoc non eſt inconueniens, quia efficacia tam miniſtrantis, quàm Sacramenti conſiſtit in eo præcisè, quòd habeant adiunctam diuinæ volũtatis determinationem, & promiſſionem; non eſt autem inconueniens hæc multiplicari, ita vt intuitu tam huius, quàm illius Sacramenti, & miniſtri, tanquam motiuis numero diuerſis, & totalibus determinetur per ſingula ad cauſandam gratiam ſacramentalem, ad quam Sacramenta, tanquam ad eundem numero effectum, vt applicata ſunt huic ſubiecto, ordinantur. Sic etiam electus mediante Baptiſmo, aut Pœnitentia in fine recipit gratiam, & eandem etiam recipit ex motiuo electionis ſuæ, quæ ſunt diuerſa motiua, ad eundem effectum determinantia.

Alij docent, vt Baſſolis, illa Sacramenta per 19
modum vnius ſe habere in actu ſecundo, & ſic Baſſolis. *Probabilis ſententia.*
etiam commodè ſuſtineri poſſet, & declarari vnitas numerica ipſorum, ex vnitate numerica finis, vt hîc, & nunc applicantur, & fiunt, & ordinantur à miniſtris, vt eundem numero finem, quem attingunt, vel partialiter, vel totaliter in *eſſe* cauſæ moralis: ſic etiam ſumitur vnitas numerica in Sacramento Altaris, vt ordinatur per modum completi paſtus, & conuiuij ad eundem finem, quamuis ille finis per vnam ſolam ſpeciem attingatur. Poteſt denique in re morali ſumi etiam vnitas numerica à materia remota vtriuſque, nempe à lotione, inquantum phyſicè integrat vnam lotionem ſuſcipientis: & ſic explicari poteſt Doctor, vt ſuprà viſum eſt, & in reſponſione ad ſecundum, dicens baptizationem paſſiuam eſſe vnam, intelligendo tam de lotione interna, quàm etiam externa modo dicto, vtrumque enim complectitur; quia de lotione interna magis vrget ipſum argumentum, ad quod reſpondet: de externa autem expreſſiùs loquitur reſponſio, vt ſubmoueat replicam, quæ ex pluralitate actionum ſumitur: quantùm autem ad internam lotionem, & eius vnitatem reſpondit expreſsè ſuprà in reſponſione ad primam obiectionem dicens, eam eſſe phyſicè à cauſa principali, quæ non multiplicatur; à miniſtris autem tantùm miniſterialiter.

## SCHOLIVM.

*Non valere Baptiſmum, vno ponente formam, & altero materiam; & quæ huius ratio, ita Alenſ. 4.p.q.16.m.6.D.Thom.3.p.q.67.art.6.Bonau.d.5.art.1.q.1. Richard.d.3.art.4.q.1.Palud.Sotus, Gabr. Durand. citati.*

De [a] ſecundo membro diſtinctionis, dico quòd vtroque ſeorſum aliquid faciente, & neutro totum ſimul ſic abluente, & proferente verba, nihil fit. Nec eſt alia ratio, niſi inſtitutio Dei, qui ſicut voluit eſſe vnum principale agens, ita voluit habere vnum miniſtrum in collatione integra Sacramenti.

5 Hoc etiam apparet accipiendo iſtam formam, quâ nos vtimur: nam per verba illa, proferens ea, ſignificat ſe abluere: non autem debet oratio eſſe falſa, quæ eſt forma Sacramentorum verorum. Conſimiliter etiam debet intelligi verbum Græcorum dicentium, *baptizetur*, &c. quia non eſt tantùm deprecatio, ſed etiam quædam efficax optatio; vt ſit ſenſus, per iſtum actum meum circa iſtum, baptizetur ille.

## *COMMENTARIVS.*

20 *Concluſio communis.*

[a] *De ſecundo membro*, &c. Hæc concluſio eſt communis Doctorum, & ratio, quam pro ea adducit, magis efficax eſt, quàm illa, quâ alij vtuntur, putantes verbum *Baptizo*, pro miniſterio totius Sacramenti ſumi: quia ille verbi vſus eſt improprius; forma enim non denotat ſeipſam per modum ſignificati, cuius prolatio integrat miniſterium Sacramenti; ſed ipſam ablutionem, vt fit à miniſtro. Hanc rationem Doctoris ſequuntur moderni, Suarez loco citato, & Vaſquez *cap.* 4. tanquam magis efficacem. Ratio ergo à priori eſt inſtitutio Chriſti, quæ ſufficienter colligitur ex Matthæi vltimo, vbi traditur præceptum, & forma Baptiſmi: *Euntes docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*: vbi denotatur ablutionem debere fieri ab eo, qui baptizat cum inuocatione Trinitatis; quod ſupponunt etiam omnes Patres. Voluit ergo Chriſtus habere vnum miniſtrum in miniſterio integro Sacramenti, ſicut cauſa principalis eſt vna: & patet, inquit Doctor, in forma Latinorum: *Ego baptizo te*, &c. quæ forma non eſt falſa, & ſignificat ablutionem præcisè, vt fit ab eo, qui profert illam formam; quod debet etiam ſic intelligi in forma Græcorum, quæ in nullo caſu, eſt valida, quin in eodem eſſet valida forma Latinorum; quæ tamen non eſſet valida in caſu, quo ablutio fieret ab altero diuerſo à proferente, quia eſſet falſa.

Suarez. Vaſquez.

21 Marſilius. *Eius ſententia.*

Marſilius *in 4. queſt. 4. art. 4. dubio* 11. docet in caſu neceſſitatis, vbi duo eſſent præſentes, quorum vnus eſſet mancus, alius verò mutus, poſſe miniſtrari validè baptiſmum, muto lauante, & manco proferente formam; hoc modo, *Nos te baptizamus*, &c. quem ſequi videtur Caietanus *3. part. queſt. 67. art. 6. reſpon. ad 3.* Sed, vt aliàs diximus ſuprà, caſus iſte eſt fictus, quia in nullo caſu, aliquis eſt ita mancus, quin proiicere poſſet aquam ex ore in ſubiectum, & ſtatim ſubiungere verba, quia quæcumque virtus motiua ſufficit ad perfectam prolationem, ſufficit etiam ad proiiciendum ſorbillum aquæ in ſubiectum, vel certè dimittendum, & continuando prolationem formæ, eſſet Baptiſmus validus. Secundò, in nullo caſu neceſſitatis Sacramentum confici poteſt, quin etiam conficiatur ordinariè, loquendo de Baptiſmo. Tertiò, perinde illa forma erit falſa in eo caſu, etiam pluraliter expreſſa; quia, *Nos te baptizamus*, &c. denotat ablutionem fieri ab vtroque quod caſus non permittit. Quartò, Sacramenta habent ſuam inſtitutionem conformem legi ordinariæ, & non comprehendunt caſus, ſicut neque ipſa lex, cuius ſunt remedia ordinaria: non debet ergo de facili eorum inſtitutio referri ad caſus exorbitantes, & non ſubſiſtentes, ſicut neque efficacia. Quidquid enim ſit de quibuſdam præceptis, quæ ad integritatem ipſorum ſpectant; verbi gratiâ, de præcepto confeſſionis verbalis in eo, qui eſt mutus, vel integræ confeſſionis omnium peccatorum in eo, qui iamiam eſt moriturus, vel in eo, qui petiit abſolutionem, & amittit vſum lõquelæ, qui validè abſoluuntur in tali caſu, vt colligitur ex natura actus, in quo inſtitutum eſt Sacramentum, accedente Eccleſiæ declaratione. Et quia ad veritatem formæ, & ſententiæ, in qua primariò huius Sacramenti vis conſiſtit, ſufficit informatio, quæ paſſibilis eſt ex caſu, quando alia haberi nequit.

*Impugnatur.*

*Lex ordinaria non debet referri ad caſus.*

*Abſolutio in caſu valida.*

*Ratio huius.*

In propõſito tamen nihil tale habetur, quia neque ex natura actus ablutionis, vt denotatur fieri à proferente formam, quæ eſſet falſa & practicè, & ſpeculatiuè, ſi non exerceretur actus ablutionis à proferente; neque ex declaratione, vſu aliquo, aut praxi Eccleſiæ; neque ex paritate rationis poteſt extendi miniſterium Baptiſmi ad caſum præſcriptum, qui non ſubeſt legi, & omnes Theologi repugnant. Neſcio ergo quo fundamento aliud afferitur, & magis videtur ſuperſtitio cõtra veritatem, & reuerentiam Sacramenti, quàm pietas in eum, qui ſic laborat neceſſitate. Concluſio probatur ab aliis ex quibuſdam Canonibus, qui ſpectant ad Sacramentum ordinis, & varias patiuntur interpretationes: ſufficiat ratio Doctoris, & communis ſenſus, ex quo inſtitutio Sacramenti ſumit legitimam interpretationem. Videantur moderni.

*Nequit applicari in propoſito.*

Caietan.

*Caſus nõ admittitur.*

## SCHOLIVM.

*Vnum poſſe baptizare ſimul plures, proferendo formam pluraliter, quo caſu verius eſt fieri plura baptiſmata: Doctores citati communiter. Eſſet tamen peccatum, ſine maxima neceſſitate id facere.*

6 *Vnus ſimul poteſt baptizare plures.*

De tertio [a] membro diuiſionis, conceditur quòd iſte plures ſimul aſpergens, vel fundens, & ſimul proferens formam in plurali, dicendo, *Ego baptizo vos*: baptizat ſimul omnes; tamen peccat mortaliter: quia non ſeruat formam impoſitam ſibi ab Eccleſia, niſi fortè eſſet tanta neceſſitas, quòd immineret mors omnium: & ſi quando ſingulos baptizaret ſigillatim, aliquis eorum foret mortuus, antequam alios baptizaſſet.

Sed

Sed hîc est dubium, vtrùm tunc sit vnus Baptismus? Videtur quòd non: quia plures sunt baptizati, & per consequens plures baptizationes passiuæ, & ita plures actiones, & plures Baptismi. Sed oppositum videtur, quia non est nisi vnica forma: nam verba tantùm sunt semel prolata. Posset tamen magis concedi, quòd sunt plures Baptismi, tenendo illud, quod dictum est, quòd Sacramentum Baptismi est baptizatio passiua. Et tunc ad argumentum dicendum, quòd non oportet ad plurificationem alicuius, omnia quæ sunt in illo, plurificari: sed sufficit aliquod eorum plurificari, ad hoc quòd totum plurificetur. Et illa etiam forma non est simpliciter vna, quia *ly vos*, includit in se singulare pluries geminatum.

*Vnus simul baptizans plures, an plura facit Baptismata?*

An autem casus necessitatis, qui positus est de pluribus statim morituris, excusaret ministrum vtentem illâ formâ, *Baptizo vos*, à peccato mortali; dubium est. Videtur tamen hoc rationabile: quia ex quo in potestate Ecclesiæ fuit determinare istam formam ad illa verba, *Baptizo te*, (sicut dictum est suprà *dist.* 3. *quæst.* 2.) non videtur, quòd ipsa voluerit aliquem ita præcisè ad illam formam arctare, vt per hoc alicui præcluderetur via salutis. Nunc autem in casu prædicto, alicui illorum præcluditur salus, si non posset aliquis sine peccato mortali vti istâ formâ, *Baptizo vos*. Nam si in quocumque casu esset peccatum mortale, nullus deberet eos sic baptizare: nullus enim debet salutem alterius procurare, peccando in se mortaliter.

De quarto membro [b] distinctionis, dico quòd si tempus haberi potest ad discernendum, an monstrum sit simpliciter vna persona, vel duæ; de hoc debet haberi diligens inquisitio antequam baptizetur. Potest autem inquisitio haberi, vel ex partibus corporis, puta, si sint duo capita, vel duæ spinæ dorsi: vel principale indicium de cordibus; sed illud non potest esse faciliter euidens, dum viuit. Sed nec signum de duobus capitibus esset omnino certum: quia possibile esset aliquam cellulam in matrice esse perforatam per totum, præterquam in parte superiori, & tunc concurrerent partes seminis candentes in diuersis incastraturis matricis, pro tota parte inferiori, & tunc distinguerentur in parte suprema, & ibi formarentur duo capita, cùm tamen reliqua materia non sufficeret, nisi pro formatione vnius personæ. 7

*Duo capita non significant necessariò duas animas.*

Breuiter, euidentissimum signum distinguendi, est per actum intellectus, & voluntatis. Si enim sunt duæ animæ, non est necessarium vnam scire quicquid scit alia, & velle quicquid vult alia: tamen rarò vel nunquam accidit, quòd sint duæ animæ, quin sint duo capita, vel duæ partes principales capitis, licèt non è conuerso. Et si quo modo possit deprehendi diuersitas intellectuum in intelligendo, puta quòd per aliquod signum deprehenderetur idem sciri, & nesciri: vel posset deprehendi diuersitas voluntatum, puta, quòd esset ibi velle, & nolle de eodem, absque dubitatione tenendum esset, quòd essent ibi duæ animæ. Sed istud non potest iudicari, nisi de monstro adulto, quale ponitur fuisse in Francia, habens duo capita, quorum vnum expressit nolle de eo, de quo aliud expressit velle. Vnum enim noluit continere, & sobriè viuere, & aliud lasciuire, & epulari: & cùm vnum per os suum excederet, reliquum clamabat se grauari.

*Regula dignoscendi an monstrũ sit vna persona, vel duæ.*

*Monstrum in Gallia.*

De tali monstro dico, quòd si certitudo potest haberi, & sint partes, de quibus patet quòd pertinent ad distinctas personas, separatim perfundi deberet ista pars, & illa, cum iteratione formæ in singulari super vtrumque. Si autem certitudo haberi non possit, baptizandus est saltem in illis partibus, quæ principaliter pertinent ad vnum, cum forma in singulari: & secundò abluendæ sunt aliæ partes, quæ non videntur principaliter pertinere ad illum primum, & hoc cum forma, quæ seruanda est in illis, de quibus est dubium, quæ ponitur *Extrauag. de Baptismo, & eius effectu, capite de quibus.*

*Monstrum duarũ animarũ, quomodo baptizandum.*

## SCHOLIVM.

*Si constat monstrum habere duas animas, pars spectans ad hanc animam, seorsim baptizanda, à parte quæ spectat ad aliam. Si dubium est, an hæc, vel illa pars sit alterius animæ, sub conditione baptizetur.*

Ad primum argumentum [c], antecedens non est verum, loquendo de vno Baptismo. Nam si idem baptizat plures, hoc est pluribus baptizationibus passiuis; & ita sunt plures baptizationes. Et si intendat probare maiorem, loquendo de vnico Baptismo. Respondeo, quòd hoc non probat prima probatio de multis simul aspersis, vt patet in tertio membro distinctionis. 8

*Ad arg. 1.*

Neque secunda probatio de monstris: quia si essent duæ personæ in monstro, essent

ſigillatim baptizandæ: vel ſi ſimul baptizarentur ſub hac forma; *Ego baptizo vos*, quamuis miniſter peccaret ſine neceſſitate, quæ non poſſet de facili inueniri, talis ſcilicet, quòd non poſſet expectari ſigillata baptizatio eorum: eſſent tamen duo Baptiſmi, ſicut dictum eſt in tertio membro diſtinctionis.

Ad tertiam probationem de Euchariſtia, quamuis Sacerdos proferendo ſemel verba, plures hoſtias conſecret ſimul: tamen ſunt ibi plures conſecrationes paſſiuæ. Et etiam poſſet concedi, quòd eſſent plures Euchariſtiæ, ſicut plures hoſtiæ: ſimiliter plura vina conſecrata, ſicut plura vina.

*Argum. 2. Vnitas baptizantis, quomodo requiritur ad Bapt.*

Ad ſecundum dico, quòd in aliquo concurrunt plura, quorum quodlibet ſine alio, eſt aliquid in ſe, & ſicut eſt aliquid in ſe, ita poteſt permanere vt ſit aliquid totius, ſicut eſt in illo exemplo de partibus domus. Hoc modo non eſt in propoſito: quia nec verba ſine ablutione ſunt aliquid Baptiſmi, nec ablutio ſine verbis. Et ſi dicas, ſaltem illa vt ſimul exiſtentia, ſunt ad Baptiſmum, & ſic poſſunt adhuc eſſe à diuerſis. Hoc verum eſſet, ſi non eſſet vnitas efficientis requiſita, inquantùm illa conſtituunt vnum ſignum: eſt autem requiſita propter ordinationem principalis agentis, & inſtituentis: & iſtud non eſſet ſignum efficax, niſi totaliter miniſtraretur ab eodem.

## COMMENTARIVS.

22 *Cõcluſio communis.*

a *De tertio membro diuiſionis*, &c. Concluſio hæc eſt cõmunis quoad vtrumque membrum, eámque ſupponit Doctor ex ſententia Alenſis, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Richardi. Eam etiam docet Sotus: videantur locis citatis in ſcholijs præmiſſis huius quæſtionis. Ratio eſt, quia nihil deficit ad valorem Sacramenti requiſitum, quantùm ad materiam, & formam, quia illa variatio formæ de ſingulari in plurale, quoad particulam *vos*, requiritur ex parte ſubiectorum: & idem contigiſſe in facto ſupponunt Doctores, aſſerentes Apoſtolos tot millia vno die tinxiſſe per aſperſionem, & in conuerſione Indorum concurrentium ad fidem in tanta multitudine, factum eſſe conſtat, quorum Baptiſmum ratum habet Eccleſia, & neceſſitas ex paucitate miniſtrorum ſufficienter qualificat actum reſpectiuè ad legem, quando aliter nequeat ipſis prouideri ex caſu, aut defectu miniſtrorũ: hoc tamen intelligitur, ſi cætera quæ ad doctrinam faciunt, præmittantur, & inquantùm fieri poteſt reliqua præparatoria ad Baptiſmum. Si autem nequit hoc fieri, ſaltem inſtructio, & diſpoſitio petentium Baptiſmum præmitti debet. De cætero non licet plures extra caſum neceſſitatis baptizare ſimul, contra conſuetudinem Eccleſiæ, & cum mutatione etiam formæ, quam tenetur ſeruare miniſter ex caſu. Vide Doctorem verſu *An autem*, &c.

Alenſis. D. Thom. D. Bonau. Richard. Sotus.

*Probatio concluſionis.*

*Poſſe plures ab vno ſimul baptizari.*

23 *Eſſens plura Sacramenta.*

His ſuppoſitis, quærit an eſſent plura Sacramenta? & reſpondet fore plura Sacramenta ex multiplicatione materiæ, nempe ablutionis, vt recipitur in ſubiecto prout dixi *in art. 2. huius*; intelligit tamen de ablutione paſſiua, vt eſt à proferente, vt patet *art. 3.* & ſuprà *diſt. 3. quæſt. 3.* prout ibi eſt explicatum. Forma etiam illa, *Baptizo vos*, æquiualeret pluribus formis, quia extenditur ad omnia ſingularia geminata per pronomen plurale, pro quibus diuiſiuè ſupponit, vt faciant numerum.

b *De quarto membro*, &c. Vide textum, in quo regulas diſcernendi diuerſitatem perſonarum, & animarum in monſtro, fundatas exhibet; & modum ipſum baptizandi licitè, & validè iuxta doctrinam in præcedenti membro præmiſſam.

*De monſtro.*

c Reſponſio ad argumenta patet ex textu, & ex doctrina præmiſſa in variis membris, ſeu articulis quæſtionis.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm requiratur ſimul eſſe ablutionem, & prolationem verborum?*

Richard. *d. 3. art. 4. q. 2.* Caiet. *tom. 1. opuſc. tract. 26.* Soto *d. 3. q. vn. art. 8.* Rubion *hic q. 1.* Baſſol. *q. 1.* Gabr. *hic q. 1. art. 2.* Suarez *3. p. tom. 3. d. 2. ſect. 2. gloſſ. cap.* Detrahe, *1. q. 1.* Vaſquez *3. p. d. 148. c. 7.*

1 *Argum.*

AD ſecundum ſic proceditur, & arguitur quòd non oporteat ſimul eſſe ablutionem, & prolationem verborum, quia Euchariſtia eſt vnum Sacramentum: & tamen inter verba conſecrationis ſuper panem, & verba conſecrationis ſuper vinum, eſt magna interpoſitio: quia ab illo loco, *Simili modo*, vſque, *Hic eſt calix.*

*Ratio opp.*

Oppoſitum, Auguſt. ſuper Ioan. homil. 80. & 1. q. 1. Detrahe. *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.*

SCHO

## SCHOLIVM.

*Requiri & sufficere simultatem humanam, seu moralem, inter materiam & formam Baptismi, ita vt antequam altera pars finiatur, altera inchoëtur, & idem est de simultate partium in alijs Sacramentis.*

Ad [a] istam quæstionem patet, quòd requiritur simultas, & principalis ratio est institutio Christi instituentis hæc duo tanquam vnum signum completum, ad signandum effectum, ita quòd neutrum esset signum sine alio. 2 *Quæ simultas requiratur.*

Sed [b] qualis simultas? Vna opinio super illud cap. *Detrahe*, dicit, quòd aqua per se non est Sacramentum: sed quando coniuncta est cum verbo, scilicet in vltima prolatione ipsius formæ; & hoc verum est, dicit glossator, secundùm eos, intantum, quòd si in illo instanti in quo forma terminatur, & à qua fit Sacramentum, puer non esset in aqua, non esset baptizatus. Non tamen sequitur, quòd asinus possit bibere Sacramentum, quod argumentum tangit ibi contra Gandulphum dicentem, quòd aqua est Sacramentum: sed ideò non sequitur contra illos, quia dicunt aquam esse Sacramentum tantùm in vltimo instanti: nec mirum est secundùm illum, si incipiat, & desinat esse in eodem instanti: cùm hoc sit reperire in aliis casibus, secundùm legem: & ponit vnum casum, *ff. de acceptilat. l. antepenult.* & reprehendit illud exemplum. Sed ponit aliud de seruo dato vxori à viro, vt eum manumittat. Nam in eodem instanti incipit, & desinit habere dominium, *ff. de donat. inter virum, & vxorem.* Quod autem, §. *vltim.* aliud exemplum potest poni vbi quis similiter incipit, & desinit esse debitor, vt *ff. ad Velle. l. debitrix.* Illæ benè possunt esse obiectiones, & subtilitates Bernardicæ, & quidem satis asininæ, timendo ne asinus bibat Sacramentum: quia aqua neque ante prolationem verborum, nec in prolatione, nec in vltimo instanti, neque breuiter vnquam, neque sine verbis, vel cum verbis, est Sacramentum: sed ipsa ablutio in aqua: & ad bibendum illam non potest venire aliquis asinus. Nec ista simultas vltimi instantis prolationis verborum, & ablutionis, est necessaria: nam Apostoli baptizantes tria millia vno die, *Act.* 2. non semper cum vltima syllaba formæ asperserunt, ita quòd tunc aqua tetigerit baptizatum. *Reprehendit glossas Iuristarum,*

Quod etiam ipse adducit, virtutem aliquam esse in aqua in vltimo instanti, & statim desinere, nihil est, propriè intelligendo verba: quia permanens quando desinit esse, non est, quando incipit esse, est: habet enim primum sui *esse*, & non vltimum: ergo si simul incipiat, & desinat, simul est, & non est. Nec illud oportet propter hoc, vt non remaneat virtus in aqua post actum baptizandi: quia nec aliqua virtus est in aqua, quando actu baptizans vtitur eâ, sicut tactum est, *dist.* 1. nec illæ concordantiæ legis probant idem incipere simul, & desinere: sed habent suum intellectum, quo modo dominus alio modo incipit habere dominium serui dati vxori, quam priùs habuit, & desinit habere eo modo, quo priùs habuit. Habuit enim priùs immediatè, & nunc habet mediatè: quia nunc est seruus vxoris. 3 *Permanens, quando desinit esse, nõ est, quando incipit esse, est.*

Dico ergo, quòd talis simultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis. Noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel seruare. Iudicatur autem simultas inter factum hominis, & verbum, quando incipit vnum antequam totaliter finiat aliud: & hoc indifferenter, siue istud priùs finierit, quàm aliud, vel è conuerso: verbi gratiâ, si quis dicat illam orationem, *facias hoc*, & fricet barbam, siue incipiat actum suum ante prolationem, siue è conuerso: dum tamen vnum non finiatur completè ante inceptionem alterius, dicetur, Ille simul dixit hoc, & fecit hoc. Ita dico, quòd siue Sacerdos priùs immergat vnâ immersione, vbi moris terræ est ter immergere, & postea incipiat verba cum secunda immersione: siue priùs incipiat verba dicere, & dicto, *Ego te baptizo*, immergat cum illis verbis sequentibus, est sufficiens simultas: dum tamen prolatio non finiatur ante inceptionem ablutionis, nec ablutio finiatur ante inceptionem prolationis, talis simultas est sufficiens ad Baptismum. 4 *Simultas humana seu moralis, qualis.*

Ad argumentum de Eucharistia, dicendum, quòd non est talis vnitas inter species panis & vini, qualis est in Sacramento Baptismi. Illæ enim non sunt partes tales, quarum neutra significat sine altera. Verè enim species panis continet corpus Christi, etiam sine consecratione sanguinis; sed hæc verba nihil sunt Baptismi, sine ablutione, nec è conuerso. *Ad argum.*

## COMMENTARIVS.

1 *Cõclusio communis.*

a AD *istam quæstionem patet*, &c. Est conclusio communis, quia id exigit institutio, vt forma determinet materiam, & coalescant in vnum, quocunque modo ad inuicem ordinentur, siue vt compartes eiusdem fundamenti, in quo perficitur significatio sacramentalis; siue vt fundamentum, & circumstantia iuxta varios modos explicandi specialem essentiam huius, aut illius Sacramenti in specie, intelligitur difficultas in Sacramentis, quæ in vsu consistunt, non autem de Eucharistia, in qua est ratio specialis: quia est permanens, vt indicat Doctor.

*Simultas materiæ & formæ.*

b *Sed qualis simultas*, &c. Primò reiicit opinionem glossatoris 1. *quæst.* 1. cap. *Detrahe*, &c. atque fundamenta eius; & meritò, vt omnes concedunt, quia Christus non voluit ministros Sacramentorum, quæ pro conditione hominum in materia facili, & peruia instituit, quo facilè per ipsa peruenire posset ad salutem; & quorum ministerium voluit esse visibile, & perceptibile: non voluit, inquam, obligare ad rigorem Mathematicum, qui nequit sub sensum, aut prudentiam cadere: sufficit ergo moralis propinquitas, quæ interuenit inter actiones humanas.

2 Aliqui, vt Vasquez, & Suarez locis citatis à Scholiaste, imponunt nostro Doctori eum voluisse requiri saltè, vt ablutio incipiat antequam forma terminetur; aut econtrà: quod tenuit Caietanus opusculorum *tom.* 1. *tit.* 26. §. *Ad cuius euidentiam*, &c. Melius intellexit Soto Doctorem, quem & ipse sequitur *dist.* 3. *quæst. vnica art.* 8. neque hoc requiri in rigore, sed sufficere continuationem moralem, iuxta naturam cuiusque actionis, & modum enunciandi formæ. Ex quibus constat ad Sacramentum exigi nunc maiorem, nunc minorem, quatenus ad signum sacramentale spectant *hîc*, & *nunc*: quia licèt in hac materia omnis diligentia adhibenda est, vt debitè exerceatur; tamen submouendi sunt scrupuli, & pericula, quæ de valore Sacramenti possint exoriri.

*Sententia Doctoris.*

Et hæc est sententia Doctoris; nam licèt posuerit modum secundùm rigorem Philosophicum, etiam saluādum de simultate successiuorum, quæ existunt per partes, & non simul, & quæ magis est in praxi, & quàm ex congruitate, & reuerentia minister debet obseruare, vt actionem abluendi faciat inuocādo Trinitatem; tamen neque id asseruit de necessitate Sacramenti requiri (quāuis requiratur de necessitate ministri, quando seruari potest) quin etiam minor per moralem continuationem ablutionis, & prolationis formæ sufficiat: dicit enim sufficere (vt excludat rationes glossatoris) ad simultatem, vt vna actio incipiat antequam terminetur alia; non dicit tamen omnino hoc esse per se requisitum: nam ratio posita ab ipso primum docet sufficere propinquitatem moralem, & humanam, per quam materia, & forma ad idem referātur per modum vnius signi, & §. *Qualis est*, &c. in fine, ait impugnando glossatorem: *Apostoli baptizantes tria millia eodem die, Act.* 2. *non semper cum vltima syllaba forma asperserunt, ita quòd tunc aqua tetigerit baptizatum*, &c. quo casu asperso potuit præuenire formam, aut subsequi.

*Sufficit moralis.*

Hoc etiam clariùs colligitur suprà *ex dist.* 3. *quæst.* 2. §. *De secunda variatione*, versu *de interpositione*, &c. vbi dicit sufficere ad connexionem verborum formæ in ratione veri signi, continuitatem requisitam ad actus humanos. Vnde si aliquis dicens, Baptizo te, interponat hoc verbum, *tacete*, vel *recedite*, & prosequatur formam in reliquis, donec absoluat, non impeditur continuitas eius, ad sensum sacramentalem requisita: sed non maior requiritur propinquitas formæ ad materiam, vt fiat totum signum sacramentale, quàm vnius partis formæ ad aliam, vt similiter seruetur sensus sacramentalis; sed hæc non est physica, sed moralis, & humano modo cõsiderata: aliàs etiam syncopans, aut singultiens, aut respirans, aut suspirans, non posset validè proferre formam, intercluså voce, & halitu per eiusmodi, seu potiùs interruptà ad modicum, quod est falsum, quia sic non esset signum aptum infirmitati humanæ: ergo etiam similis vnio, & continuitas inter formam, & materiam sufficiunt ex mente Doctoris. Scholiastes, quando dicit *requiritur*, intelligit quantùm est de necessitate & congruitate ministri, dum potest, quia seruanda est regula Ritualium & vsus, & in ministerio Sacramentorum, si possibilitas adest, & via tutissima est sequenda & eligenda; vt optimè præscribit Doctor eodem loco in fine præcedentis paragraphi.

*Non maior debet esse propinquitas formæ ad materiam, quàm partium formæ ad se mutuò.*

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm oporteat baptizantem esse personaliter distinctum à baptizato?*

Alensis 4. *p. q.* 16. *m.* 8. Rich. *hîc art.* 4. *q.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 66. *art.* 5. *ad* 4. Rubion *hîc, q.* 2. *a.* 1. Bassol. *d.* 5. *q.* 1. D. Bonau. *d.* 5. *art.* 1. *q.* 1. Vasquez 3. *p. d.* 148. *cap.* 7.

1 *Argum. Ratio opp.*

AD tertium arguitur, quòd non oportet baptizantem personaliter distingui à baptizato: quia Sacerdos potest sibi ipsi dare Eucharistiam, vt patet in Missa: ergo sicut potest recipere Sacramentum illud à seipso, ita & istud.

Contrà, *Extrau.* de Baptismo, & eius effectu, *debitum.*

## SCHOLIVM.

*Oportere baptizantem distingui à baptizato, probat figurâ, auctoritate, & ratione.*

Ista * quæstio soluitur expressè in illo cap. *Debitum*, pro parte affirmatiua, ad quod adducitur figura, authoritas, & ratio congrua. Figura est, quia Christus ad hoc signandum,

dum,non à se, sed à Ioanne baptizari voluit. Auctoritas colligitur ex verbis Domini dicentis Apostolis Matth.vlt. *Ite,baptizate omnes gentes in nomine Patris*, &c. vbi discipulos exprimit in secunda persona,& baptizatos in tertia.

Ratio quæ innuitur ibi,est ista, quia in Baptismo celebratur illa spiritualis generatio, de qua veritas ait Ioan.3. *Oportet vos nasci denuo.* Sicut ergo in carnali generatione alius est,qui gignit,& alius,qui gignitur: ita & in sacramentali generatione, alius debet esse, qui spiritualiter generat, & alius qui spiritualiter generatur.

Ad argumentum,dico quòd susceptio Eucharistiæ non est Sacramentum,sicut tangetur in materia de Eucharistia: sed est comestio, seu perceptio sacramentalis: Baptismus autem est Sacramentum. Et si arguas, Sacerdos saltem ministrat sibi Sacramentum Eucharistiæ: ergo pari ratione potest istud. Respondeo, ministrare illud Sacramentum,non est Sacramentum,quia Sacramentum illud non consistit in vsu:sed ministrare Sacramentum Baptismi est ipsum Sacramentum. Et ratio diuersitatis est,quia Sacramentum Baptismi consistit in vsu essentialiter, & non in aqua, vt dictum est in quæstione præcedenti: Eucharistia autem est quoddam permanens distinctum ab vsu Sacramenti:quamuis ergo aliquis posset esse in vsu Sacramenti permanentis,minister,& suscipiens illum vsum:non tamen potest hoc in Sacramento,quod essentialiter consistit in vsu. 3 *Ad argum.*

## *COMMENTARIVS.*

1 *Nemo se baptizare potest.*

a *Ista quæstio*, &c. Hæc conclusio est extra dubium,definita ab Innocentio III. cap. *Debitum, de Baptismo*, quod citat Doctor. Rationem autem subiectam illius capitis,quæ est Pontificis, aliqui vocant in dubium, tanquam non probantem, ideóque recurrendum esse dicunt ad institutionem solam Christi.Videantur Rubion & Bassolis locis citatis à Scholiaste. Si spectetur potentia Dei instituentis Sacramenta, non est dubium, quin Deus posset vti ministerio proprio hominis ad seipsum regenerandum specialiter per modum ministri, & sic ratio illa non probat aliter fieri non posse,sed illa ratio datur tanquam congruentia facti, & institutionis positæ: nam omne *secundùm quid* dicitur respectiuè ad suum *simpliciter*, cuius proprietates secundùm aliquem modum participare debet, aut imitari, quia est ens participatum. Scriptura, & Patres dicunt Baptismum esse lauacrum regenerationis in Christo,à peccato, quod quis ex Adamo generatione traxit,& secundùm imitationem generationis carnalis, qua peccator nascitur ex Adamo,describitur eius regeneratio in Christo per aquam: vnde Paulus seruans eandem proprietatem, *Non prius*, inquit, *quod spirituale est, sed quod animale est.*

*Explicatur ratio Pontificis.*

*Docet congruentiam facti.*

2 *Regeneratio retinet similitudinẽ generationis.*

Congruè ergo sicut in cæteris Baptismus institutus est, vt seruet suo modo proprietatem generationis in aliis,ita & in hoc, vt sit à ministro differente à persona baptizata, tanquam à causa proxima: in rebus autem merè supernaturalibus, quæ dependent à voluntate Dei,non est alia ratio, nisi *sic volo,sic iubeo*; sed ex natura rei factæ potest colligi congrua eius ratio, qualem appellat Doctor *præmissam*, in capite citato à Pontifice adductam, cuius efficacia reducitur ad factum, & institutionem, quia baptizans debet in persona Christi, & Ecclesiæ, quorum minister est, & intentionem seruat, ministrare Baptismum, seu lauacrum regenerationis: hoc autem non potest filius Adami, & remotus inquantùm ipse suscipit Sacramentum regenerationis, vt eo coniungatur Christo, & Ecclesiæ per regenerationem, quia repræsentat Adamum, & mortuum vitâ spirituali, quia sic consideratur, vt adhuc membrum Adami per peccatum, & quà subiectus est morti, ac damnationi: ergo initiatio eius, & reductio ad vitam, debet fieri per alium, qui sustinet intentionem, & authoritatem Christi, & Ecclesiæ: nam in politiis humanis, nullus ciuis ciuitatis aduersæ, ex sua authoritate inscribitur in ciuitatem aliam, sed hoc debet fieri per membra ipsius ciuitatis, cuius ambit incorporationem: talis est ciuitas Dei, quæ est Ecclesia, & ciuitas diaboli,cui inscribitur homo per peccatum: ergo ritè debuit seruari hæc proportio. *Baptizatus non est minister Christi.* *Similitudo apposita.*

Hinc ergo rectè sequitur, baptizatum non posse sustinere personam Christi in fauorem proprium, quoad propositum, quia accedit ad Sacramentum, vt inscribendus membrum Christi, & Ecclesiæ, à quibus est separatus. Neque refert si inscribens minister sit membrum separatum personaliter, vel Paganus, vel Iudæus, quia licèt non sit membrum viuum Christi, quoad fidem,& characterem, est tamen membrum eius,quoad authoritatem, & intentionem, vt est minister. 3 *Minister Paganus sustinet personam Christi.*

Huc etiam tendit ratio D. Bonauenturæ, quia idem non potest esse mundans & mundatus. Alensis recurrit ad veritatem formæ, quæ designat distinctionem personarum. Veritas conclusionis de facili deducitur ex aliis decretis Ecclesiæ: sed illud solum adducit Doctor, quia casus in specie practicatus est à Iudæo, qui seipsum baptizauit inter Iudæos existens in defectu alterius ministri: cui fidem Sacramenti profuisse, docet Pontifex, *id est*, per charitatem operantem, non ipsum Sacramentum quod nullum fuit.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrùm in baptizante requiratur intentio baptizandi?*

Alenſis 4.*p.q.*13.*m.*1.*per tres art.* D.Bonau.*hîc* 2.*p.a.*2.*q.*1.*&* 2. Rich. *a.*1. *q.*2. D.Thom. *q.*1.*a.*2.*&* 3.*p. q.*64.*a.*8. Suar.*ibi d.*13.*ſ.*2.*&* 3.

1 CIRCA tertium principale, quæro duo. Primò, Vtrùm in baptizante requiratur intentio baptizandi? Secundò, an requiratur in eo actualis intentio baptizandi? *Argum.* 1. Ad primum arguitur quòd non, quia non habens fidem poteſt baptizare, patet hoc de Pagano, de *conſecrat. diſt.*4. *Romanus*: ſed non habens fidem, non habet intentionem: quia nullus vult fieri, quod non credit poſſe fieri.

*Argum.* 2. Præterea, Auguſtinus ſuper Io. Homilia 5. *Non timeo ebrioſum in actu baptizandi.* Sed perfectè ebrioſus non poteſt habere vſum rationis: ergò nec intentionem.

*Ratio opp.* Contrà, Magiſter in litera. c.1. *Solet etiam quæri in hoc*, inquit, *ſicut in aliis Sacramentis, ſicut forma eſt ſeruanda, ita intentio celebrandi eſt habenda.*

## SCHOLIVM.

*Reiecta ratione Richardi dicit duo. Primum, baptizans neceſſariò debet intendere actum baptizationis, id eſt, liberè illum elicere, vt valeat. Secundum, non tenetur intendere finem vltimum, benè tamen finem proximum in particulari, vel generali, id eſt, facere baptizatum Chriſtianum, vel quod inſtituit Chriſtus, ſeu quod ſolent Chriſtiani facere, Trid. ſſ.*7.*can.*11.*&* ſſ.14. *can.*9. *Vide Coccium tom.*2.*lib.*5.*art.*2.

2 Ad iſtam[a] quæſtionem communiter conceditur, quòd ſic. Ad quod ponitur talis *Rich. præſenti diſt. art.*1.*q.*2. congruitas: quando ex aliquibus duobus fit vnum, oportet quòd hoc fiat per aliquod coniungens illa: verbum & elementum concurrunt ad vnum Baptiſmum: ergo requiritur aliquid coniungens illa: hoc autem coniungens non poteſt eſſe ſuſcipiens: quia habet rationem materiæ, & ſuſceptiui: ergo oportet, quòd ſit in miniſtro: ſed tale nihil videtur, niſi intentio, quia ipſe miniſtrans per potentias exteriores puta motiuam, quâ abluit, & expreſſiuam, quâ profert verba, cauſat illa, vt diſtincta.

*Contra Ric.* Hæc ratio non videtur multùm efficax: quia in ſigno inſtituto ad placitum poſſunt multa concurrere ad rationem vnius ſigni, propter actionem inſtituentis, licèt nihil aliud ſit, à quo habeat vnitatem. Patet de circulis ornatis foliis viridibus, & aliis multis, ad ſignandum muſtum.

*Intentio dupliciter ſumitur.* Dico[b] ergo diſtinguendo de intentione quantum ad obiectum, reſpectu cuius dicitur intentio, quòd miniſter poteſt dici intendere, vel actum illum, quem exercet: vel finem propter quem talis actus eſt exercendus. Secundò, magis propriè accipitur intentio, quia magis reſpicit finem propter quem intenditur, vt patet *lib.*2. tamen primo modo *Cap. vlt.* aliter accipitur, vt patet per Auguſtinum 9. *de Trin.* & alibi frequenter, vbi vult, quòd intentio copulat intelligentiam cum parente. Hoc etiam modo accipitur intentio 2.*Phyſic. text.c.*9.*& inde.* vbi agens ex intentione, quòd dicitur agens à propoſito, diſtinguitur contra agens naturale.

3 Dico[c] ergo, quòd oportet miniſtrum habere intentionem primo modo, ſcilicet reſpectu actus, quem exercet. Cuius ratio eſt, quia intentio requiritur in quocunque homine agente aliquid, non fortuitè, vel exercente aliquem actum humanum, propriè loquendo de actibus humanis, qui ſcilicet cauſantur per intellectum, & voluntatem ab homine.

Ille autem actus, quem miniſter debet exercere, debet eſſe humanus in eo, & non caſualis, vel fortuitus: eſt enim actus, ad quem Deus obligauit miniſtrum ex parte ſui, & ſuſcipientem ex parte ſua. Actus autem ad quem homo obligatur, debet eſſe humanus, non caſualis, vel fortuitus, quia ſuper fortuita non cadit obligatio: ipſa etiam obligatio eſt, vt homo intendat illud ad quod obligatur.

Si autem loquamur de intentione ſecundo modo, ſcilicet reſpectu finis propter quem talis actus eſt exercendus. Dicendum, quòd talis finis eſt duplex, ſcilicet principalis, & remotus, vtpote, quòd baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non poteſt ſi non habeat gratiam, per quam eſt dignus vitâ. Alius eſt proximus & minùs principalis, vt ſcilicet

baptiza

baptizatus fiat Chriſtianus,ſiue membrum Eccleſiæ militantis,& vtrumque finem poteſt aliquis intendere in vniuerſali, vel particulari.

Dico [d] ergo, quòd intentio finis vltimi nullo modo requiritur in baptizante:quia Paganus nullo modo intendit ordinare iſtum, quem baptizat ad vitam æternam: requiritur tamen intentio reſpectu finis proximi: & hoc vel in particulari, vel in generali: in particulari,vt ſi intendat iſtum intrare legem Chriſtianorum ſeruandam in generali,ſi intendit facere circa iſtum,quod Chriſtiani ſolent facere circa ſuos. 4 *Intentio finis proximi quomodo neceſſaria ad Baptiſmum?*

Ratio autem quare requiritur iſta intentio reſpectu finis proximi,& non reſpectu finis vltimi, eſt congrua: quia ſcilicet Deus voluit iſtum actum exercitum à miniſtro eſſe humanum in eo,& non tantùm, vt eſt talis actus in natura (qui in hoc non diſtingueretur à quacunque alia balneatione, cum aliis verbis) ſed inquantùm eſt actus alicuius, vt miniſtri exercentis ſignum Dei: habens autem aliquem actum humanum intendit finem illius actus, vt eſt ſibi actus humanus: ergo miniſter intendit finem proximum iſtius actus, vt eſt ſibi impoſitus: ſed finis ille vltimus, ſcilicet ordinare iſtum ad vitam æternam,non eſt finis huius, vt eſt actus humanus, ad quem finem oporteat actum iſtum ordinare, vt ſit ſibi humanus. *Quare in baptizante requiritur intentio.*

Hoc autem rationabile eſt vniuerſaliter in vſu ſigni practici. Si quis enim legiſlator inſtitueret in ſua politia,tactum manus eſſe ſignum practicum amicitiæ, non intenderet, quòd vtentes illo ſigno præcisè haberent actum humanum circa iſtud, inquantùm eſt tale quid materialiter: ſed inquantùm eſt tale ſignum inſtitutum. Et ſi diſpoſuiſſet omne tale ſignum facere ſeruari, non faceret hoc ſeruari,niſi homo exerceret actum iſtum, vbi eſt inſtitutus ad talem finem. 5

## SCHOLIVM.

*Explicat rationem inſtrumenti ſecundùm quinque eius acceptiones,de quo d.1.q.1.& 4. reſoluens miniſtrum eſſe cauſam ſecundam reſpectu Sacramenti, ſed inſtrumentum reſpectu gratiæ, eo modo quo agens diſpoſitiuum eſt inſtrumentum reſpectu effectus principalis.*

Sed contra iſtam obiicitur ſic: Inſtrumentum non oportet, quòd habeat actionem propriam: quia in actione propria non eſſet inſtrumentum, ſed principale agens: nec multo magis oportet, quòd inſtrumentum habeat intentionem reſpectu finis, ſed ſufficit, quòd dirigatur à principali agente intendente finem: miniſter eſt inſtrumentum Dei: ergo, &c.

Præterea, ad Sacramentum nihil per ſe requiritur,niſi vel pars,vel res Sacramenti:ſed intentio non eſt pars,nec aliquid Sacramenti, quia non eſt aliquid ſenſibile: nec eſt res Sacramenti,quia res Sacramenti eſt in ſuſcipiente Sacramentum.

Ad primum,dico,quòd aliud eſt loqui de cauſa ſecunda,& aliud de inſtrumento propriè dicto,de quo tractatum eſt ſuprà *diſtinct.*1. Cauſa enim ſecunda habet formam propriam in eſſe quieto, quæ eſt ſibi ratio agendi in ordine ſuo, & hoc reſpectu eiuſdem effectus, reſpectu cuius agit cauſa principalis in ſuo ordine, ita quòd vniuerſaliter ſecunda cauſa propriè accepta, effectum principalis cauſæ per formam ſuam propriam attingit, in virtute tamen cauſæ principalis agentis,quia ſubordinatur illi: ſed inſtrumentum propriè, ſi ponitur actiuum,vel non attingit effectum principalis agentis,ſed tantùm aliquam diſpoſitionem præuiam: quomodo qualitas alterans dicitur inſtrumentum ſubſtantiæ ad generandum ſubſtantiam: hoc tamen non eſt,quòd ſit inſtrumentum in actione alterandi,immò reſpectu alterationis eſt perfectum principium,in tantum,quòd ſi per ſe eſſet, per ſe poſſet alterare: ſed ſolùm propter hoc dicitur inſtrumentum reſpectu ſubſtantiæ,quia agit ad aliquam formam,quæ eſt diſpoſitio ad ſubſtantiam:vnde ad ſubſtantiam diceretur magis agens diſponens,vt diuiditur contra perficiens,quàm agens inſtrumentale,diuiſum contra principale. 6 *Cauſa ſecunda quomodo differt ab inſtrumẽto. Inſtrumentum quinque modis ſumi. Quare cauſa alterans dicitur inſtrumẽtum.*

Vel ſi ponatur inſtrumentum actiuum, & tamen attingens terminum principalis agentis, in hoc diſtinguitur à cauſa ſecunda, quia non habet in eſſe quieto formam, quæ ſit principium agendi in ſuo ordine: ſed tantùm in actuali motione, & recipit eam dum actualiter mouetur. Et de quocunque illorum trium, ſcilicet cauſa ſecunda propriè dicta, & cauſa inſtrumentali diſpoſitiua, & inſtrumentali actiua per formam receptam in actuali motione,falſum eſt,quòd non habeat intentionem propriam,eo modo quo agens naturale habet intentionem naturalem, quia quodlibet iſtorum trium habet formam propriam, quæ eſt ſibi proprium principium agendi in ordine ſuo: & per conſequens propriam *Cauſa inſtrumentalis ſi eſt actiua habet intentionem propriam.*

propriam intentionem: quia formam actiuam naturalem consequitur intentio isto modo.

7 *2. de Anim. & alibi.* *Quomodo pars dicitur instrumentū respectu operationis totius?*

Quarto modo posset poni instrumentum, & propriè actiuum respectu totius, aliqua pars, cui scilicet, primò conuenit esse principium operationis, & toti non nisi per partem. Et hoc modo Philosophus vocat organa partes illas, secundum quas conuenit toti operatio. Et istud quodam modo habet intentionem propriam, & quodam modo non. Nam forma eius actiua, & est eius, & est totius: sed eius est primò: totius autem est per se, sed non primò. Et eodem modo de intentione. Non enim est hîc ordo virtutis ad virtutem, in *esse quieto*, sicut in primo membro: nec ordo effectus ad effectum, sicut in secundo: nec virtutis in *fieri*, ad virtutem in *esse quieto*, sicut in tertio: sed est eadem virtus, diuersimodè tamen participata in toto, & in parte, & de isto membro posset concedi, quòd tale instrumentum non habet aliam intentionem à principali agente, sicut nec aliam actionem propriè habet pars, quàm totum agens per partem, sed alio modo habet eandem. Exemplum primi, Sol & pater respectu generationis filij. Exemplum secundi, ignis & calor, qui est disponens ad generationem alterius ignis. Exemplum tertij, color illuminatus, & species coloris in aëre, respectu mutationis oculi ad speciem, vel visionem coloris. Exemplum quarti, organum potentiæ nutritiuæ, & totum animal respectu nutritionis.

8 *Dist. 1. q. 1. & 4.* *Instrumēta artis non sunt actiua.*

Præter hæc quatuor, communis dici consueuit nomen instrumenti de quibusdam aliis, id est, de instrumentis artificum, à quibus primò tractum est nomen instrumenti, vt de securi & ferra, & huiusmodi: de quibus frequenter ponuntur exempla ista, quæ, vt dictum est suprà, non sunt propriè actiua, neque respectu principalis effectus, si agens per talia attingit effectum principalem, sicut monetarius per aliquod instrumentum attingit figuram imprimendam monetæ, quæ est terminus eius principalis: neque formæ disponentis, si agens per talia agit ad dispositionem præuiam, sicut per securim agit ad diuisionem ligni, quæ est præuia formæ arcæ. Sed tamen instrumentum isto modo dictum, aliud à quatuor modis prædictis, est motum susceptiuum effectus prioris ordinati ad effectum posteriorem, ita quòd receptum in eo, habet ordinem ad terminum principalem, sicut effectus propinquior causæ, ad effectum remotiorem: non autem habet ordinem causalitatis propriè dictæ. & de tali posset concedi, quòd instrumentum non habet actionem propriam, respectu effectus, quia nec habet aliquam virtutem, nec in *esse quieto*, nec in *fieri*: & ideo simpliciter non est actiuum, & per consequens, nec habet intentionem, vt conuenit agenti.

9 *Minister est causa secunda respectu Sacramēti, sed respectu gratiæ instrumentum dispositiuū.* *Intētio causandi gratiam, non est necessaria in ministro.* *Intentio est principium determinās agens intellectuale.*

Patet ergo quomodo illa maior debet intelligi de instrumento: quia vel de isto, quod scilicet non est actiuum, sed receptiuum effectus prioris: vel quarto modo de parte respectu totius operantis per partem: & minor est falsa, & quantum ad quartum modum, & etiam quintum. Immò minister est causa secunda respectu ablutionis: non tantùm vt ablutio est, sed vt sacramentalis: & ideò habet propriam intentionem, cùm sit agens voluntarium, & non naturale, illam scilicet quæ pertinet ad cognoscentem. Sed respectu principalis effectus Baptismi, scilicet gratiæ, potest dici instrumentum respectu Dei, eo modo, quo agens dispositiuum dicitur instrumentum respectu perficientis in secundo modo: & tale agens non habet intentionem respectu termini principalis agentis, sed respectu sui proprij termini. Et ita concedo, quòd non est necesse baptizantem habere intentionem respectu vltimi finis Baptismi: sed respectu Baptismi.

Ad secundum dico, quòd ad Baptismum pertinent aliqua tanquam intrinseca, & aliqua vt extrinseca, & concedo, quòd nihil intrinsecè pertinet ad ipsum, vel ad fundamentum eius, nisi sensibile. Tamen sicut causa efficiens requiritur necessariò ad ipsum, tanquam causa extrinseca: ita illud quod est quasi principium agendi tali causæ effectiuæ. Principium autem vltimatum determinans agens intellectuale ad agendum, est intentio: quia tale agens per imperium voluntatis, est causa actiua motiua aliarum potentiarum, quæ subiacent imperio voluntatis. Quando ergo dicitur, quòd nihil pertinet ad Sacramentum, nisi sit aliquid Sacramenti, vel res eius; verum est de eo, quod est intrinsecum ipsius fundamenti, vel signati ipsius Sacramenti. Sed intentio neutro modo est intrinsecum, requiritur tamen ex parte agentis.

10 *Ad arg. 1.*

Ad primum principale dico, quòd non habens fidem de fine vltimo, non intendit ordinare istum per Baptismum ad illum finem vltimum: credens tamen eum posse per Baptismum ascribi sectæ Christianorum, siue credat sectam illam valere, siue non, potest intendere ascribere istum illi sectæ: vel generaliùs potest intendere facere per actum istum circa hunc, quod Christiani intendunt facere circa tales. Exemplum, posset enim

ego

ego credens Iudæos per circumcisionem distingui ab aliis, intendere hunc paruulum sectæ Iudæorum ascribere, & facere circa eum, quod Iudæi faciunt circa suos circumcisos, etiamsi non crederem circumcisionem illam valere ad salutem. Hoc etiam modo aliqua verba quibus vtuntur magi, vel magiæ incantantes, posset aliquis bonæ fidei proferre circa materiam illam, circa quam alij vtuntur, intendens in generali facere illa ad illum finem, ad quem illi proferunt.

Ad secundum dico, quòd ebriosus est, qui est assuetus ad ebrietatem: & iste non semper est ebrius, quia non semper impeditus ab actu rationis. Verum ergo dicit Augustinus. *Non timeo ebriosum*, id est, assuetum generaliter ad ebrietatem: quia illa consuetudo mala non prohibet, quin Baptismus ab eo collatus sit bonus: non tamen quando est ebrius. Et hoc dico perfectè, quando totaliter impeditur ratio: sed aliàs quando est non impeditus, potens ratione vti. *Ad 2.*

## COMMENTARIVS.

1 *De intentione.*

a *Ad istam quæstionem*, &c. Hîc agitur de intentione, inquantùm requiritur, vt principium ex parte agentis à proposito, qualis est minister: superiùs autem excluſi sunt amentes, & incapaces rationis à ministerio Sacramenti, quia ab iis non potest procedere actio humana, vel hoc ministerium modo humano, qui est vt procedat mediante intentione, & scientiâ per modum iudicij, & discretionis, & non fortuitæ, aut meræ apprehensionis, & sine omni vsu rationis. Non agitur autem hîc de qualitate intentionis, sed de eius substantia: in sequenti de qualitate disseritur, seu de modo eius.

Distinguit Doctor infrà, §. *Hoc autem rationabile est*, &c. intentionem humanam respectu ministerij Sacramenti duplicem. Aliam, quâ esset actio quidem libera, sed non formaliter vsus Sacramenti, quà Sacramentum est, id est, cæremonia sacra, & ille vsus esset materialis, rerum & verborum, nempe applicatio rei & formæ Sacramenti, non tamen per modum Sacramenti, sed ad alium finem, vt irrisoriè, & simulatè, vt quondam illudebant Ecclesiæ idololatræ, vel malefici, vt quando ex instinctu dæmonis baptizant bruta ad contemptum Sacramenti: vel si quis intenderet dicere formam recitatiuè tantùm; & non vt est signum practicum. Alius modus est, quando fit vsus Sacramenti formaliter, vt est cæremonia sacra, intendendo facere quod fecit Christus, & Ecclesia, seu Christiani faciunt, siue ex intentione speciali, siue ex generali intentione: & de intentione hoc modo sumpta Doctores hîc disserunt.

*Duplex intentio.*

*Intentio materialis.*

*Intentio formalis.*

2 *Error hæreticorum.*

Hæretici negant illam intentionem requiri ex falso dogmate, quia putant Sacramenta non esse causas gratiæ, sed solùm excitantia signa fidei, quod perinde ipsis competit, siue hoc à ministrante intendatur, siue non: quia hæc excitatio competit ipsis ex institutione sua respectiuè ad eum, qui fidem concipere potest; sicut, si proferatur hæc dictio *homo*, aut *homo currit*, quæcunque sit intentio proferentis, perinde excitat ad memoriam signati audientem, & secundùm hoc etiam consequenter dicere debent, nec vsum rationis exigi in ministro, ad hunc enim effectum nihil conducit, cùm solùm dependeat ab institutione signi, & capacitate audientis: quod tamen negat Kemnitius *in secunda parte examinis* negans actionem sacramentalem esse debere subsannationem mimicam, aut lusum. Errorem prædictum docuit Lutherus *in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Baptismo*: & in articulo 12. damnato à Leone X. Caluinus in *Antidoto ad canon. 11. Tridentini*, Tilmannus in lib. de erroribus Pontificiorum.

3 *Sententia Catherini.*

Alij Doctores Catholici, licèt admittant sanam doctrinam de intentionis necessitate; tamen aliqui eam durè explicant. Catherinus in opusculo de intentione ministri Sacramentorum dicit sufficere intentionem exteriùs faciendi, ea quæ facit Ecclesia, nempe ponendi ablutionem, & verba debita, quam intentionem nequit non habere, si sit sanæ mentis, quamuis neque Ecclesiam esse credat, aut vllum effectum Sacramenti, neque vllam aliam intentionem, quæ cum hac constare potest, officere Sacramento, quin perficiatur.

Citatur pro eadem sententia Angelus, verbo *Baptismus* 5. n. 7. sed immeritò, quia dicit non sufficere intentionem solùm lauandi corpus; & requiri saltem intentionem, quâ fiat per modum cæremoniæ consuetæ, & in reipsa hanc esse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: licèt non sub illo expresso motiuo. Idem sensit Innocentius IV. in cap. *Si quis puerum*, de Baptismo, &c. quem malè in suum errorem allegat Kemnitius. Paludanus in solo matrimonio requirit intentionem ratione contractus, in quo perficitur: in aliis solùm intentionem proferendi verba legitimè, & hoc potissimum asserit in Baptismo, quia minister non est causa principalis, sed applicans actiua passiuis. Vide *dist. 6. quæst. 2. art. 3.* Sententiam illam Catherini sequitur Syluester verbo *Baptismus* 3. & pro eadem citatur D. Thomas *in hac dist. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 1. ad 2. & 3. parte quæst. 49. art. 8. responsione ad 2.* *Syluester.* *D. Thom.*

4 *Reiicitur ratio Richardi.*

His suppositis, Doctor optimè hanc quæstionem resoluit. Primò reiicit rationem Richardi, tanquam non probantem, quia etsi coniunctio exigatur inter materiam, & verba Sacramenti, potest illa necessitas ab instituente esse, & non à ministro: verbi gratiâ, quantumlibet minister habeat intentionem Christi, & Ecclesiæ, nisi in reipsa coniungatur ablutio, & forma, eâ simultate, quæ expressa est quæstione 3. *suprà*, nihil fit; non ex alia ratione, nisi quia ex institutione diuina exigitur hæc coniunctio inter partes eiusdem signi, & Sacramenti: si ergo saluetur illa coniunctio requisita ex institutione, saluatur omnis per se requisita vnio inter ablutionem, & prolationem formæ, ad quam non exigitur intentio ministri. Quòd ergo requiratur hæc intentio, non est ex coniunctione illarum: quia, vt benè Doctor *quæst. 2. responsione ad vltimum*: ablutio sine verbis non est baptismalis, neque verba sine ablutione

*Coniunctio inter materiam & formam est ex institutione diuina.*

sunt

sunt aliquid Baptismi : ergo intentio ministri ex alio fine exigitur.

5 *Intentio duplex.*

b *Dico ergo distinguendo de intentione*, &c. Hîc sumit intentionem, vt est actus efficax, & principium operandi in agente à proposito, & respectiuè ad obiectum, vel materiale, vel formale ; materiale est ipse actus exercitus, sub quacunque ratione, aut motiuo fiat, & hæc necessaria est in quocunque exercente illum actum, quia eâ sublatâ, tolleretur ipse actus, qui ex ea imperatur, & fit; sicut cessante motu efficaci in finem, cessat etiam motus in media humano modo, & sub ratione mediorum. Secundo modo sumitur intentio actus ex fine, ad quem ipse actus ordinatur, nempe ad finem significationis, & hoc modo facit ad institutum quæstionis præsentis ; patet distinctio ex littera.

*Prima conclusio.*

c *Dico ergo, quòd oportet ministrum habere intentionem primo modo*, &c. Hæc est prima conclusio, & iuxta primum membrum distinctionis, quia ille actus debet esse humanus, & liber, ad quem Deus lege statutâ obligat, quia in necessariis, & fortuitis non cadit obligatio legis, quæ est regula voluntatis liberæ, quam tenetur sequi ex electione.

6 *Duplex finis intentionis.*

*Si autem loquamur de intentione secundò modo*, &c. Hîc distinguit intentionem, tam quoad finem, quàm quoad modum tendendi in finem: finis autem duplex, alius proximus, alius remotus. Proximus est ipse actus non in *esse* naturæ, aut liberi, & humani tantùm, sed etiam, vt est cæremonia, & spectans, saltem inter Christianos ad cultum, & quo fit membrum Ecclesiæ militantis, & hic est finis minùs principalis. Alius est finis extrinsecus, nempe effectus gratiæ in suscipiente : vterque finis potest intendi, aut generali intentione, seu vniuersali, & in particulari, confusè, distinctè, implicitè, explicitè, formaliter, virtualiter, iuxta diuersos modos explicandi modum tendendi voluntatis, qui sequitur modum concipiendi ex parte intellectus, qui hoc, vel illo modo proponit actum, sub his motiuis. Explicat autem Doctor intentionem generalem proximi finis per hoc, quod est intendere facere circa illum, quod Christiani solent facere : in particulari verò intentio est, quâ baptizatum velit explicitè fieri Christianum.

*Finis minùs principalis.*

*Finis principalis.*

*Diuersus modus intentionis.*

*Motiuum vniuersalis intentionis, & particularis.*

7 *Prima conclusio huius §. & 2. in ordine quæstionis.*

d *Dico ergo, quòd intentio finis vltimi*, &c. Hîc subiicit duas conclusiones. Prima est, non requiri ad valorem Baptismi, vt baptizans intendat finem vltimum, & principalem ipsius actus. Intelligitur conclusio de intentione explicita, & particulari, non autem de sola implicita, & virtuali, quæ etiam saluatur in prima intentione. Hanc probat, quia Paganus, & Iudæus nequeunt habere illam intentionem, suppositâ ignorantiâ finis, & saltem efficaciæ medij ad talem finem.

*Secunda conclusio quæ est 3. in ordine.*

Secunda conclusio, requiritur intentio finis proximi, vel in generali, vel in particulari, & hæc intentio ad minimum, necessaria est ad valorem Sacramenti. Hæc est de fide, vt patet ex Tridentino *sess. 7. can. 11. de Sacramentis in genere ; Si quis dixerit in ministris, dum Sacramentum conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* Florentinum in Decreto vnionis, vbi dicit : *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tanquam materiâ, verbis tanquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*, &c. Dixi hanc conclusionem esse de fide, quia

*Requiri intentionem finis proximi. Trident.*

*Florent.*

verè puto neminem ex schola Theologorum in reipsa aliud dicere : quia Doctor diligens indagator sententiæ antiquorum Theologorum, & potissimùm S. Thomæ, qui pro sententia contraria à Catherino, & Sylueſtro citatur, & quem tacito nomine impugnat Durandus : eum tamen in eam sententiam neque adducit, neque impugnat : & quamuis Caietanus, & Sotus plurimùm laborent, aliique posteriores, vt eum eximant à tali sententia, nescio quid difficultatis habeat, si rectè mentem eius, & rem, ipsam perpendamus : oportet enim considerare, quòd hoc ipso, quòd velit minister proferre verba formæ, non ridiculè, neque iocosè, neque ex alia intentione extranea Sacramento, aut repugnanti, sed seriò, vt habent rationem formæ, & materiæ, & conueniunt in vnam cæremoniam, hoc ipso habere intentionem generalem Ecclesiæ, & Christi, neque aliam ab hac distinctam requiri ad valorem Sacramenti.

*Sententia D. Thomæ plana est, & sine difficultate.*

8 *Varij modi concipiendi intentionem vniuersalem.*

Vnde aduertendum est, hanc intentionem generalem variis modis posse concipi, & formari, nempe si velit facere, quod videt facere hîc, & nunc vnum Christianum, vel si velit facere, quod ab eo petitur ; verbi gratiâ, si sit Paganus, qui nihil audiuit de Christo, aut Ecclesia, aut de corpore, & professione Christianorum, sed quod petitur ab hoc Christiano adulto, in necessitate constituto, & instruatur de ablutione, & prolatione verborum, per modum cuiusdam cæremoniæ, & ipsi eam adhibeat iuxta mentem petentis, quamuis nihil in speciali sit edoctus de eius efficacia, præcepto, necessitate, aut de Christo, aut Ecclesia, aut professione Christianorum, quo casu non habet aliam intentionem expressam, quàm abluendi, & proferendi verba per modum cæremoniæ, & iuxta mentem, & requisitionem petentis, erit Baptismus validus, & saluatur in eo intentio generalis, hoc ipso, quòd ministerium illud præster per modum cæremoniæ, ad effectum, quem intendit petens. In quo etiam casu ligatur intentio ipsi ministerio, scilicet ablutioni, & prolationi verborum, per modum cæremoniæ, neque aliam habet diuersam, aut motiuum intrinsecum alterius, quod cognoscat. Et hoc modo intendit D. Thomas quando dicit non requiri aliam intentionem in eo faciendi, quod facit Ecclesia, diuersam ab ea, quæ est proferendi verba, & abluendi, nempe sub ratione ritus, & cæremoniæ, & excludit tantùm illam intentionem expressam, & necessariam, quâ vellet imitari Ecclesiam, tanquam ex hoc motiuo, conceptam, sine qua potest manere Sacramentum validum, quia motiuum sufficiens intentionis generalis subsistit, vel eo ipso, quòd intendat ablutionem facere, & verba proferre per modum ritus, & cæremoniæ, vel quâ vtuntur alij, vel quam ad requisitionem alterius facit, prout ipse postulans intendit.

*Verus sensus D. Thomæ.*

Probari potest exemplo, verbi gratiâ, in incantatoribus (quo in simili vtitur noster Doctor suprà) quando ergo indigent ad superstitionem suam, & ad effectum intentum, de quo cum dæmone pepigerunt, operâ alterius, quamuis hic nesciat intentum, confert tamen operam petitam cum obseruationibus, ab eis præscriptis, præstat illud opus ex sufficienti intentione ad effectum incantationis, eo ipso, quòd exhibeat opus iuxta mentem alterius, & obseruatis ritibus præscriptis : & per hoc explicatur quod habet S. Doctor *in art. & quæstionis 64.* qui negotium facessit patri Vasquez *responsione ad secundum argumen*

*Exemplum.*

*Explicatur alius locus eius.*

*argumentum*; nam ſententia S. Thomæ eſt plana ex corpore, vbi requirit intentionem miniſtri, vt determinet ablutionem, quæ indifferens eſt ad multa, vt ſanitatem, mundationem corporalem, ludum, & huiuſmodi. Et hæc intentio, inquit, exprimitur per verba quæ ſunt in Sacramentis; puta cùm dicitur, *Ego te baptizo in nomine Patris*, &c. Quod ita intelligendum eſt, non quòd verba quomodocumque ſignificent intentionem miniſtri Internam, cùm denotent tantùm actum, & inuocationem Trinitatis; ſed indirectè, quatenus effectus denotat ſuam cauſam: nam ſicut verba exteriùs prolata, magis expreſsè, & determinatè ſignificant effectum Sacramenti, & ad eandem ſignificationem limitant, & determinant ablutionem, quæ ex natura ſua eſt indifferens: ita etiam verba magis exprimunt intentionem interiorem, quâ ſimiliter determinatur ablutio, quàm eam exprimat ablutio ipſa, quæ habet rationem determinabilis: & in hoc paſſu videtur tacitè occurrere ſecundo argumento, & tertio: nam ſecundum tangit perplexitatem ſuſcipientis Baptiſmum, qui ſi dependet ab intentione miniſtri, nequit ipſi eſſe nota, cùm ſit interna, neque conſequenter ſe recepiſſe Sacramentum.

10 Ad quod reſpondet primò ex aliis, qui dicunt requiri intentionem mentalem in miniſtro, quæ ſi deſit nihil fit: hunc tamen defectum in pueris ſupplet Chriſtus, in adultis ſua deuotio, & fides. Hoc impugnat: quia licèt hoc ſufficiat in ordine ad effectum iuſtificationis, non tamen ad effectum characteris, qui non datur niſi per Sacramentum: adhuc ergo manet illa perplexitas. Reſpondet cum aliis, quòd miniſter Sacramenti agat in perſona totius Eccleſiæ, cuius eſt miniſter; *In verbis autem, quæ profert, exprimitur intentio Eccleſiæ, quæ ſufficit ad perfectionem Sacramenti, niſi contrarium exterius exprimatur ex parte miniſtri, vel recipientis Sacramentum*, &c.

Quæ verba non ita abſolutè intelligenda ſunt, quaſi per ſolam prolationem verborum quomodocumque fiat, & ex quocumque fine, habeatur intentio Eccleſiæ, aut ipſius miniſtri, eo modo quo requiritur ad perficiendum Sacramentum: ſed quòd habeatur ſufficiens certitudo, ex qua ſuſcipiens deponat perplexitatem, & cognoſcat Sacramentum verum ſe recepiſſe, quia aliam certitudinem nequit habere de intentione miniſtri; & Sacramentum habeatur ratum coram Eccleſia: vnde addit, *niſi ipſe miniſter exteriùs contrarium exprimat, vel recipiens Sacramentum:* nempe, ſi ille dicat ſe non habuiſſe voluntatem dandi Sacramentum, & hîc non voluiſſe illud recipere: quia hoc dato non ſolùm in reipſa Sacramentum non ſubſiſteret, ſed neque pro rato ab Eccleſia haberetur, aut haberi deberet.

11 Quòd ſi ergo Sanctus Thomas vellet non dependere Sacramentum ab intentione, vel poſſe exiſtimaret ſubſiſtere intentionem Eccleſiæ, ſine vlla intentione, aut cum contraria intentione miniſtri, & repugnantia ſuſcipientis, non addederet illa verba; quæ tantùm in eum finem adducta ſunt, vt oſtendatur præſumptionem, & certitudinem de valore Sacramenti fundari eo ipſo, quòd ablutio externa fiat cum debita forma, niſi contingat eam elidi per aliquid aliud expreſſum à miniſtro, aut à ſuſcipiente: neque argumentum oppoſitum aliud petit. Vnde, quamdiu ſubſiſtit intentio Eccleſiæ, & Chriſti, manet Sacramentum, quantumlibet aliud exprimeretur, quod intentionem non tolleret; nam ſi ſaluatur intentio cauſæ principalis requiſita, ſaluatur etiam in exercitio, quidquid per ſe requiſitum eſt ad Sacramentum. Ideò in reſponſione ad primum dicit expreſsè requiri in miniſtro intentionem, quà ſe ſubiiciat principali agenti, ſcilicet intendat facere quod facit Chriſtus, & Eccleſia: & *reſponſione ad tertium*, idem ſupponit, dicens intentionem habitualem (quam alij virtualem intelligunt) ſufficere in Sacerdote diſtracto, qui tamen voluit priùs actualiter facere, quod facit Eccleſia. Ex his patet etiam quâ viâ intelligendi ſunt alij Theologi, qui videntur negare intentionem miniſtri eſſe neceſſariam ad valorem Sacramenti; nam dicunt neceſſarium eſſe intendere actiones externas vt ſacramentales ſunt, per modum ritus inſtituti, in qua intentione virtualiter includitur intentio faciendi quod Eccleſia facit: qui enim applicat materiam, & formam, quà tales ſunt, applicat ex intentione totius, ac proinde conficiendi Sacramenti; & implicitè reliqua quæ per ſe ſequuntur, qui applicat, inquam, non fortuitè, ſed ex electione.

*Explicantur alij Theologi.*

Probo ergo concluſionem hoc modo intellectam eſſe de fide, quia præter materiam, & formam in exercitio, id eſt, præter ablutionem in *fieri*, & prolationem formæ, requirunt Concilia tertium, nempe intentionem miniſtri, ſaltem faciendi quod facit Eccleſia: ſed hæc intentio non ſaluatur in voluntate faciendi ablutionem, & proferendi formam, tantùm materialiter, quia ſic poſſunt fieri etiam liberè ex alio fine præter intentionem Eccleſiæ, aut contra eam, & Sacramentum eſſe inualidum, vt per ſe conſtat; vt ſi ad luſum fiant: ergo non ſufficit ablutio, & probatio facta abſque intentione, quâ ordinantur ad inuicem per modum ſigni ſacramentalis, vel vniuerſali, vel particulari. 12

*Probatio concluſionis.*

*Concilia præter materiæ, & formæ requirunt intentionem.*

Secundò, quando Concilia exigunt res & verba, exigunt ea vt poſita in exercitio, & modo humano: ergo cum intentione ad hoc requiſita, vt actio ſit humana, & libera. Sed præterea exigunt Concilia intentionem faciendi quod facit Eccleſia: ergo hæc diuerſa eſt ab intentione faciendi illos actus, quà ſunt humani actus in genere. Patet conſequentia, quia ſuperflueret definitio, cùm nihil diuerſum importet, præter id quod ipſa materia proxima, & forma prolata includunt.

*Secunda probatio.*

*Requiritur intentio faciendi quod facit Eccleſia.*

Tertiò, Concilium Tridentinum aliquid definit contra hæreticos Lutheranos, qui intentionem miniſtri, aut faciendi quod facit Eccleſia, requiri negabant; ſed hi non negabant ad ablutionem, & prolationem formæ requiri, vt fiant humano modo, à miniſtris: ergo aliud præter hoc negabant, quod definit Concilium, requiri.

*Tertia ratio.* Trident. *Damnat hæreticos negantes intentionem.*

Quartò, intentio Eccleſiæ, & Chriſti, quoad præfatas actiones reſpicit vſum religioſum in ipſis, & cultum; ergo intentio faciendi, quod facit Eccleſia, neceſſariò ordinatur ad vſum religioſum eorum: ergo ſub hoc motiuo ipſas actiones, modo aliquo ex dictis confusè, vel diſtinctè reſpicit. Patet conſequentia, quia intentio Eccleſiæ, & Chriſti neceſſariò ſaluanda in miniſtro, nequit in eo ſaluari, niſi per modum regulæ obiectiuæ, vel per modum cauſæ inferioris, & miniſterialis ſubordinatæ. Si primo modo: neceſſariò intendit facere, quod facit Eccleſia, & ſic

*Quarta ratio. Actio baptiſmalis debet fieri per modum cæremoniæ.*

saluatur intentio eius in ministro, per modum regulæ obiectiuæ, quam sequitur: si secundo modo, non subordinatur Christo, aut Ecclesiæ, nisi vt causa inferior subordinata; & hoc modo operans per subiectionem ad Christum, & Ecclesiam: sed in nullo vsu, qui non est sacer, subsistit talis subordinatio in ministro: ergo neque actio sacramentalis quà talis est. Subsumptum patet, quia illæ actiones cadunt præcisè sub intentione, & influxu Christi, vt sunt sacramentales, & spectant ad religionem, aliter non subsunt ipsi. Huc spectat ratio Doctoris, & D. Thomæ, *responsione ad primum in dicto articulo*; eam sic format Doctor:

*Minister subordinatur Christo.*

14 *Quinta ratio.*

Quintò, Deus voluit illum actum fieri à ministro per modum actus humani, & non tantùm in *esse* naturæ, id est, vt est indifferens ad quoscumque alios effectus, vt dicit S. Thomas, vel ad alias balneationes, vt Doctor in litera; sed inquantùm est actus alicuius, vt ministri exercentis signum Dei; sed habens actum humanum intendit finem illius, vt est sibi humanus: quia alioquin non subsisteret intentio, & volitio efficax ipsius actus externi, de quo est sermo, & liberi: ergo minister intendit finem proximum illius actus, vt est sibi impositus, id est, vt exercet actum, inquantùm minister est, & subordinatur causæ principali: aliàs certè non exercet actum vt minister; sed vt causa principalis non subordinata, & ad diuersum finem ab eo, qui necessariò necessitate Sacramenti intenditur à ministro, vt minister subordinatur causæ principali.

*Debet intendi finis actus particularis, & proximus.*

15 *Confirmatur.*

Confirmatur, ministerium Sacramenti non competit ministro, nisi per potestatem concessam à causa principali instituente Sacramentum, per quam potestatem in actu primo constituitur minister, & causa instrumentalis, quam potestatem non habet amens respectu Baptismi, non Sacerdos respectu Eucharistiæ, non approbatus ab Ecclesia respectu absolutionis; & sic de reliquis ministris Sacramentorum: ergo quacumque ratione procedit actus à ministro, absque eo, quòd procedat secundùm potestatem datam, vel ab ipsa potestate tanquam à principio, non procedit à ministro, quà minister est Sacramenti, per potestatem à Deo datam: sed non potest procedere secundùm potestatem datam, nisi respectiuè ad Sacramentum, quà Sacramentum est, seu signum sacrum à Deo institutum, ad quod ordinatur per se potestas data, & ministerium, quod est actus secundus illius potestatis, & *fieri* Sacramenti: ergo de necessitate supponit intentionem ad ministerium Sacramenti, quà Sacramentum est, vel generalem, vel particularem quà reducitur potestas à Deo data in exercitium.

*Debet actus esse à Ministro secùdum potestatẽ datam.*

*Probatio per exempla.*

Vnde sicut artifex nunquam agit secundùm artem, nisi habeat intentionem sic faciendi, quà ars reducitur ad exercitium; ita vt si casu contingat eum facere effectum, qui natus esset fieri secundùm artem; non tamen esse per artem; & sicut studiosus faciens iustum, sed non iustè propter ipsam iustitiam, non agit secundùm virtutem, & sicut iudex, aut legislator faciens aliquid, & non secundùm potestatem quam habet, non agit vt iudex, aut legislator, quia ad hæc requiritur intentio vtendi potestate ipsâ, vt verè operetur secundùm potestatem, & ex ipsa: ita similiter minister Sacramenti, si non agat secundùm potestatem à Deo concessam, nunquam agit vt minister, neque vt subordinatus causæ principali, vt instrumentum animatum: ad hoc autem vt agat secundùm potestatem ministri, & per ipsam, requiritur intentio specifica actus illius potestatis, inquantum est diuersa ab aliis, & vt ipsa copulatur cum suo actu, seu actus cum ipsa,

Hæc autem intentio nequit subsistere, nisi motiuum eius aliquo modo subsistat, quod est ministerium Sacrum, aut confusè, aut explicata volitione aliquo modo, & hoc ex institutione Christi, non solùm quæ respicit res & verba, quia horum institutio est independens à ministro, aut eius voluntate: sed ex institutione speciali, quâ dedit potestatem conficiendi Sacramenti ipsi ministro præ aliis. Et quamuis hæc sit communis, quoad Baptismum in omnibus viatoribus capacibus libertatis, & discretionis; tamen non ideò prærequiritur in ipsis libertas ad hoc vt actus dicatur liber physicè præcisè, quia hac libertate potest elici, absque eo, quòd sit sacramentalis: sed vt minister institutus concipiat intentionem per se requisitam ad ministerium, in quo agit, vt minister subiectus causæ principali. 16

Quod patet ex communi consensu Ecclesiæ, quæ præsumit de hac intentione ministri requisita eo ipso, quòd nihil ei derogans exteriùs apparet; quod si appareat, aut de defectu intentionis constet; quamuis etiam constet actus illos liberè fuisse elicitos, nempe ablutionis, & prolationis, Ecclesia iudicaret Sacramentum esse nullum, non ex defectu formæ, aut materiæ requisitæ, sed ex defectu intentionis necessariæ: & hoc modo interpretantur plures Doctores responsionem Zachariæ Papæ circa Baptismum collatum cum illa forma: *In nomine Patria, & Filia*, &c. fuisse validum; si defuit intentio inducendi erroris. Et quidquid sit de hoc, Baptisma collatum ab Athanasio adhuc puero, & ratum in Ecclesia Alexandrina, antequam datum fuit pro rato, examinatum est de intentione non simpliciter libera, quia de hac vix dubitari posset; sed de intentione seria, & ex fine conferendi Sacramenti, conceptâ. Non video ergo in hoc differentiam aliquam notabilem inter Doctores, nisi tantùm fortè in verbis, & modis explicandi intentionem requisitam in ministro: id concesserim Catherinum fortè inconsultè ad probationem suæ sententiæ processisse, quatenus putauit aliquid particulare in ea contineri, diuersum à communi sententia scholæ.

*Præsumit Ecclesia de valere Baptismi, nisi aliud appareat.*

Zachatias Papa.

Obiicies primò illâ vulgarem historiam Athanasij adhuc pueri, baptizantis per iocum, quam tradidit Ruffinus *lib.* 1. *historiæ, cap.* 14. Nicephorus *lib.* 8. *cap.* 44. & similiter aliam similem de puero Iudæo baptizato ab aliis pueris per lusum refert, *lib.* 3. *c. vltimo*: qui Baptismus receptus est in Ecclesia Constantinopolitana, & suppletæ tantùm cæremoniæ, & ritus solemnis. Respondetur, si iocus sit talis, vt sit mera simulatio excludens animum exercendi actus seriò, & prout exigitur ad substantiam eius, sic excludere requisitam intentionem: si verò iocus sit talis, vt non excludat voluntatem per se requisitam ad actum, quamuis vlteriùs etiam intendatur oblectatio, nihil derogare Sacramento, quantùm ad valorem eius. Huius generis fuit iocus ille puerorum baptizantium; ideò Baptismus ab eis datus pro rato, & valido fuit receptus. 17

*Prima obiectio.* Ruffinus. Nicephor.

*Baptismus datus à pueris. Responsio. Iocus non excludit intentionẽ seriam.*

Obiicies

18 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, Chrysostomum homilia 85. in Ioannem : *Sacerdos*, inquit, *linguam, & manus præbet, neque enim iustum est propter alterius malitiam ad salutis nostræ Symbola fide accedentes offendi*, &c. ergo præter intentionem abluendi, & proferendi verba, non requiritur alia, quæ sit in ministro; aliàs non solùm manus, & verba offerret Sacerdos. Item Augustinus *lib. 7. de Baptismo, cap. 53.* & habetur in capitulo ; *Solet etiam quæri, de consecratione, dist. 4.* vbi asserit si absit simulatio ex parte recipientis, quamuis adsit in dante Baptismum, recipere vere Sacramentum.

Augustin.

*Responsio. Explicatur Chrysostomus.* Respondetur, Chrysostomum non excludere intentionem legitimam offerendi manus, & verba ad effectum præstandi Baptismi, quia intendit actum debere esse humanum in ordine ad Sacramentum conficiendum, & oblatum : neque per malitiam intendit defectum intentionis debitæ; sed solùm probitatis, & morum, quæ non nocet baptizato, de qua ex proposito illic disserit. Similiter patet ad Augustinum, qui non loquitur de simulatione excludente seriam intentionẽ dandi Sacramenti; quamuis ibi non integrè explicat de qua simulatione agat ; sed præsumi debet de hac agere : & fortè alludit ad Baptismum datum ab Athanasio, aut etiam datum Mimo coram Diocletiano, qui de repentè conuersus est & professus fidem Christianam, & factus est Martyr ; in quibus ex parte tam suscipientium, quàm offerentium seruata est intentio seriò agendi, quod faciebant Christiani. Respondetur etiam secundò, Augustinum nihil in eo casu determinasse, sed suspendisse sentẽtiam, donec ab Ecclesia, aut aliis aliquid determinaretur, quod postea factum est.

*Similiter Augustinus.*

19 *Tertia obiectio.* Obiicies tertiò Christum instituisse Sacramenta, modo quo conuenientius erat ; sed magis conueniens erat ea non dependere ab intentione ministri : ergo, &c. Minor probatur, quia neque alia signa ex authoritate publica instituta dependent ab intentione vtentium : deinde contractus, transactiones, & huiusmodi, non dependent ab intentione ministri, verbi gratiâ, procuratoris ; sed à lege : ergo similiter non fuit congruum talem dependentiam in proposito admiscere. Consequentia patet : quia sic redderentur multi perplexi de valore Sacramenti percepti, verbi gratiâ, inter hæreticos ; qui errorem docent contra veritatem Sacramenti. Deinde hac ratione, vt passim Patres, & Concilia tradunt, non voluit Christus sua Sacramenta dependere à probitate, aut fide ministri : ergo magis id congruit ne dependerent etiam ab eius intentione.

*Responsio. Diuersitas inter alia signa publica, & Sacramenta, quoad vsum.* Respondetur negando Minorem. Ad cuius probationem respondetur vsum aliorum signorum dependere ab authoritate publica tantùm, idque congruenter ad finem pacis, & communionis publicæ seruandæ, ad quam se habent particulares personæ, tanquam subiectæ legibus, non tanquam ministri eorum, à quibus dependet finis politici administratio : non ita in proposito, quia Sacramenta ex definitione Ecclesiæ dependent ab intentione ministri, idque congruenter, quia instituta sunt in cultum religionis, qui debetur Deo, & consignata sunt Ecclesiæ, vt per ministros publicos exercerentur, nempe Sacerdotes; vel alios, vt in Baptismo, ex eorum defectu, & congruo fine huius Sacramenti : debet ergo in ministris tanquam in causis subordinatis, seruari intentio publica legis, & principis, cuius sunt ministri : sicut in ministris, iustitiæ debet seruari intentio legis quantum ad actum in se : debet etiam seruari intentio Ecclesiæ tanquam in administratoribus, & quamdiu hæc seruatur, validè conficitur Sacramentum, non obstante quacumque intentione particulari huius aut illius, in quantum est persona particularis ; modò illa non destruat intentionem vniuersalem.

20 *Differẽtia inter Procuratorem, & Ministrum Sacramenti.* Ex quo patet ad secundam probationem, quia neque lex cuius virtute stabilitur contractus, neque etiam mandatarius volunt dependere contractum à ministro, nisi in certo modo, in quo Procurator agit vicem mandatarij, & secundùm instructionem datam, & sic etiam contractus dependet ab eius intẽtione, quâ Procurator operans est iuxta institutionem mandantis, & inquantùm mandatur : quòd si modum, & mãdatum non seruat, non agit vt Procurator, neque contractus valet. Deinde neque lex, neque mandatarius voluerunt dependere contractum ab interna, & occulta intentione Procuratoris, de qua nequit lex, aut principalis iudicare. In Sacramentis patet aliter factum, ex rationibus præmissis, quia sine intentione ministri nequit manere cæremonia, vt est oblata in cultum religionis, quæ principaliter fundatur in internis actibus, quos Deus instituit Sacramenti primariò respicit, & exigit, & quorum est iudex ( quod non competit puro homini ) & per ministrum voluit illa offerri, tanquam causam subordinatam, cum qua ipsa principalis concurrit ad effectum : debet ergo Minister consequenter intendere sub aliquo motiuo, in quo subsistat intentio principalis, cui debet conformari.

Ex his negatur consequentia ; nec refert vt vnus, & alter fit perplexus ex statu, & malitia ministri, si motiuum subest ; & ipso effectu etiam priuatur Sacramento, & eius fructu ; quia casus particulares non comprehendit lex. Dixi, si motiuum subest, quia alioquin, vt benè D. Thomas suprà, si ablutio & forma rectè applicentur externè, vt nihil appareat contrarium intentioni legitimæ, non subest fundamentum aliquod perplexitatis, quia sicut Ecclesia ratum habet Sacramentum, ita & suscipiens debet quiescere eodem fundamento certitudinis, quæ moralis est; immò peccaret præsumendo, aut iudicando aliud de ministro, secluso motiuo sufficienti ; quòd si oriatur scrupulus ex propria dispositione, quam deponere debet, oritur non ex natura actionis, aut ministerio.

D. Thom.

*Tollitur scrupulus de intentione legitima.*

Demus ergo casum ; aliquem nempe esse, cui ita inuisa sit salus proximi, vt omittat legitimam intentionem, quid fiet ? Respondent Alensis responsione ad secundum loco citato à Scholiaste, vel iuxta aliam partitionem *quæst. 8. m. 3. artic. 1.* responsione *ad 4.* D. Bonauentura *ad 5.* Durandus & Gabriel, &, vt apparet ex prima responsione. D. Thomas *art. 8. ad 2.* quòd Deus suppleret in eo casu, quod deesset quantum ad iustificationem, si defectus intentionis esset occultus. Alij hoc negant, qui putant rigorosè Deum ita alligasse virtutem suam Sacramento, vt aliter in eo casu non prouideat ad salutem, neque gratiam iustificationis infunderet : sed hoc omnino incertum est, neque fundamentum aliquod hoc, aut illud vrget : nam quòd moderni vrgeant illud ; *Nisi quis renatus fuerit*, &c. vbi denotatur necessitas Baptismi, intelligi potest in reipsa, aut in apparentia, & in foro Ecclesiæ suscepti, quando vitium intentionis exteriùs non proditur, & quod

Alensis.

D. Bonau. Durandus. Gabriel. D. Thom.

*Deum supplere defectũ intentionis occultæ.*

*Alij negant.*

graues Doctores præſumunt de ſalute ſic baptizati, multùm congruit diuinæ miſericordiæ: & in eam ſententiam multùm propendet Auguſtinus, ſi eam ipſam nõ teneat, loco citato; nec deeſt congruentia, vt Deus cauſa principalis inſtituens, & cauſans ſalutem hominum medio Sacramento, in eo caſu, quo Sacramentum ſine culpa ſuſcipientis, ſed ex ſola malignitate interna conferentis, ſit nullum, ſuppleat ſuâ diuinâ miſericordiâ defectum, in iis, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: ſed neque etiam ex alia parte eſt fundamentum, quod conuincat ita fieri; totum eſt Dei prouidentiæ, & diſpoſitioni ſecretæ reſeruatũ.

22 *Si conſtaret poſt mortem infantis de fictione intentionis quid faciendum?*

Caſus moralis eſſe poſſet de ſolis infantibus ſic baptizatis à miniſtro ſine vlla intentione, & mortuis cum ſolo illo Baptiſmo, an exhumandi eſſent ex loco ſacro? quia de adultis, qui per fidem Sacramenti, & propriâ diſpoſitione iuſtificari poſſunt, non eſt difficultas. Reſponderem ſequendam eſſe in praxi ſententiam tot Doctorum, quæ eſt magis in fauorem infantum, & diuinæ miſericordiæ, in re obſcura, oſtenſionem vel non eſſe credendum miniſtro.

Ad aliud reſpondetur, ſtatum miniſtri quoad probitatem, & fidem, minùs certum eſſe; neque de eo poteſt eſſe tanta certitudo moralis, ſicut de intentione, de qua ipſe miniſter poteſt certitudinem Phyſicam habere; neque præterea ſtatus eius ille ſpectat ad cultum Dei inquantum per Sacramenta habetur; nempe quatenus ordinantur ad propagationem ſalutis in eo qui illa ſuſcipit, in quo ſolo habent effectum non in miniſtrante, neque idem etiam ſtatus ſpectat ad actum humanum, ſicut intentio miniſtri.

23 *Obiectio quinta.*

Obiicit denique Doctõr, quòd miniſter ſe habeat vt cauſa inſtrumentalis; ſed in hoc non requiritur intentio, ſicut non attingit effectum cauſæ principalis: reſpectu autem effectus proprij eſt cauſa principalis, non inſtrumentalis; ſic autem non requiritur vt habeat intentionem, quâ ſubordinatur cauſæ principali; quia ſic tantùm agit, vt inſtrumentum: ergo inquantùm agit vt inſtrumentum reſpectu cauſæ principalis, non requiritur in eo alia intentio diuerſa ab ea, quæ eſt cauſæ principalis, per quam dirigitur, & aſſumitur ad ſuum finem. Vide Scholium, & ea quæ ſubiicit Doctor de varia acceptione inſtrumenti, de qua ſuperiùs agit *diſt.1. quæſt.1.2. &* 4.

*Reſpõſio.*

Reſolutio eſt miniſtrum non eſſe cauſam inſtrumentalem, ſed principalem reſpectu miniſterij, & confectionis Sacramenti, & ablutionis, quà eſt ablutio etiam ſacramentalis, & ſe habet vt cauſa ſecunda; reſpectu verò effectus Sacramenti poteſt dici inſtrumentum: vide §. *Patet ergo*, &c. Reſponſio ad principalia argumenta eſt clara, & ſatis patet ex dictis.

---

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm in baptizante requiratur intentio actualis?*

D. Thom. *3.p.q.64.art.8.* Bonau. Rich. Suarez *&* Alenſ. *citati pro quæſt. præced.* Nauar. *ſum.c.1.n.15.& c.25. num.105.& ſeq.* Gerſon *lib.1. de regulis moral.* Sotus *d.1.q.5.art.8.* Maior. *4.d.12.q.7.*

1 *Argum.*

AD ſecundum [a] ſic proceditur & arguitur, quòd requiritur in baptizante intentio actualis: quia ab actu primo non procedit effectus, niſi mediante actu ſecundo. Intentio habitualis eſt, ſicut actus primus: ergo ab ea non procedit effectus ſine intentione actuali, quæ teneat locum actus ſecundi.

*Ratio opp.*

Oppoſitum, non minùs ſufficit in miniſtro intentio ad merendum, quàm ad Sacramentum conferendum: ſed ad meritum non requiritur intentio actualis: ergo nec hîc. Maior probatur, quia meritum non habet effectum, niſi ex proprio voluntatis conatu eius, qui meretur: Sacramentum autem habet effectum non per motum voluntatis in aliquo, ſed tantummodo ſi non ponitur obex. Minor probatur, quia ſi requireretur ſemper actualis intentio ad merendum, diſtractus in opere incepto quantumcumque perfecto, & quantâcumque perfectione, non mereretur, quia non haberet intentionem actualem.

### *COMMENTARIVS.*

1 a *AD ſecundum ſic proceditur*, &c. Hîc agitur de qualitate intentionis in argumento ad oppoſitum, ſupponit fundamentum totius reſolutionis; nam quælibet intentio ſufficiens ad meritum, ſufficit etiam ad miniſtrandum Sacramentum: & agit de intentione, vt eſt actus efficax, & abſolutus, ex quo mouetur voluntas ad alios actus ſubſequentes.

### SCHOLIVM.

*Explicat triplicem intentionem, actualem, habitualem, & virtualem, reſoluens hanc ſufficere, & requiri in baptizante, & idem eſt de miniſtro aliorum Sacramentorum; ita communis.*

2 Diſtinguitur communiter de intentione actuali, & habituali, quaſi iſta ſufficienter intentionem diuidant. Sed videtur quòd rationabiliter poſſet apponi tertium membrum:

&

& potest dici intentio virtualis. Ille enim dicitur actualiter intendere, qui habet actum elicitum respectu eius, quod intendit: ille autem dicitur habitualiter intendere, qui habet habitum inclinantem ipsum ad talem actum: sed aliquis est minùs perfectè intendens quàm primo modo, & perfectiùs quàm secundo modo: ergo est medium inter ista duo membra. Assumptum probatur, quia si aliquis intendit in principio Missæ, celebrare Missam, si postea est distractus, non habet actualem intentionem, quando est distractus, patet, quia non intelligit tunc illud in actu: ergo nec vult illud in actu, nec habet tantùm intentionem habitualem, quia talem habet dormiens: habet ergo se medio modo: & hanc eius dispositionem dico intentionem virtualem, quia scilicet, virtute alicuius intentionis priùs habitæ actualiter, facit omnia quæ facit, ex illa tanquam ex radice: ita quòd illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuilibet istorum actuum, sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscumque ordinati ad finem: & pro tanto manente intentione cuiuscumque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima, virtualiter in omnibus istis.

*Triplex intētio explicatur.*

Hoc modo intendens ire ad sanctum Iacobum, ex intentione huius finis, ordinat multa alia necessaria ad illum finem. Exequens autem illa ordinata, non semper cogitat de sancto Iacobo, nec de reuerentia eius. Dico tamen quòd semper meretur, quia vel habet intentionem eorum quæ sunt ad finem illum, cuius est illa prima intentio: vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, licèt cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes, & ab intentione illa prima, & ab intentionibus propriis eorum, quæ sunt ad illum finem, sicut declaratum est in 2. lib. dist. 41. & in 3. dist. 15. vbi dictum est, quòd fortè Martyres in actu sustinendi martyrium, non habuerunt intentionem, nisi istam virtualem: quia immensitas pœnarum absorbebat fortè vsum rationis; ista tamen perpessio pœnarum erat quidam effectus deriuatus ex intentione seruandi fidem Dei: & ideò dum durabat passio, durabat semper ista intentio virtualiter, sicut in effectu.

*Peregrinās ad S. Iacob. meretur in omnibus actibus ad illud iter necessarijs, licèt distractus eliciat eos.*

Ad propositum, dico quòd sola intentio habitualis non sufficit in baptismate: quia propter istam non dicitur actus eius, licèt sit conformis illi habitui actus humanus. Nam si aliquis habeat habitum inclinantem ad desiderium sanitatis, si curatur nullo modo intendens sanitatem, sed ad ludum: non dicitur consequi sanitatem per aliquem actum humanum, sed casualiter vel fortuitè, non magis quàm si non habuisset intentionem ad sanitatem: ergo sola intentio habitualis non sufficit respectu finis actus humani, vt humanus est. Nec requiritur in baptizante semper intentio actualis: quia non obligauit Deus hominem ad impossibile, vel nimis difficile, cuiusmodi est non distrahi: quia secundùm Augustinum, tertio de lib. arbit. *Non est in potestate nostra quin visis tangamur:* nec etiam plus obligauit ministrum in illo actu, quàm in exequendo actus aliorum Sacramentorum. In conficiendo autem Eucharistiam, quæ est excellentissimum Sacramentum, non obligauit hominem ad non distrahi, quin priùs intendens celebrare, licèt in proferendo verba sacramentalia distractus sit; verè tamen conficit.

3

*Intentio habitualis non sufficit ad Sacramēta, nec requiritur actualis.*

*Augustin.*

*Sacerdos distractus cōsecrat.*

Ex his concludo, quòd sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quòd aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi; siue in isto actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea descendentem; siue non. Intelligo autem, quòd descendit iste actus absque omni motu voluntatis contrario interueniente. Sicut si induens se ad Missam, intendens celebrare secundùm vsum Romanæ Ecclesiæ, & ex isto procedat continuè fortè secundùm aliquem habitum derelictum in phantasia cum magna distractione, verè facit ea, quæ necessaria sunt ad istum actum sacramentalem, qui est conficere.

*Ad Sacramenta sufficit intentio virtualis.*

Si quæratur, quomodo potest aliquis effectus, qui modò est, reduci in illam intentionem primam, sicut in causam, si nunc non est ista intentio, neque aliqua alia imperans istum actum? Dicitur, quòd est per quandam virtutem impressam virtuti motiuæ, per voluntatem actualiter intendentem, & quamdiu manet illa virtus impressa, illa virtus motiua mouet. Vt si aliquis intenderet ire ad aliquē locum, & pòst in via cogitet de aliis, in illa actuali volitione fiebat actualis impressio in potentiam motiuam: & quamdiu illa impressio manet, mouet ad terminum volitum, & procedit homo. Paulatim autem minuitur illa impressio, & tandem deficit, & cessat homo à motu: & tunc dicitur ab istis, quòd homo non habet intentionem virtualem, nisi dum habet effectum impressum à voluntate actu intendente in potentiam aliquam inferiorem. Sed mirum videtur quomodo voluntas possit esse virtus factiua causans talem formam in ista potentia organica. Mirum est etiam, quòd si causaretur ibi, vnde paulatim deficeret.

4

*Rūb. hic q. 3. artic. 1. fol. 2. arg. Quomodo effectus dicitur virtualiter volitus per actum qui modò nō est?*

Potest ergo dici, quòd in appetitu sensitiuo, siue phantasia, est aliqua dispositio, secun-

dum quam mouet, ceſſante actu voluntatis imperantis eis. Vel aliter ad propoſitum, quòd ſiue voluntas actu intendens aliquid, relinquat in potentiis inferioribus, ſiue non, ordinatè tamen habet ſuas volitiones reſpectu finis, & eorum, quæ ſunt ad finem: & cùm ad aliquam iſtarum peruenerit, & actum potentiæ inferioris correſpondentis imperauerit; poteſt ille actus inferior imperatus manere, licèt intentio, nec prima, nec ſecunda maneat: & dum manet ille actus, voluntate quantumcumque diſtractâ, dicitur manere intentio virtualis.

*Ad argum.* Ad argumentum, concedo, quòd aliquis actus requiritur ad hoc quòd effectus ſit; & ille actus poteſt dici quo producitur effectus extrà. Sed ſi quæras aliquem actum, ſecundùm quem fit operatio immanens agenti, talem non oportet dare tunc manentem, quando effectus exterior elicitur: ſicut manifeſtum eſt, quòd multi effectus actu cauſantur, quando actualis motio cauſæ agentis per intellectum, à qua producuntur, non manet. Et poſſet poni exemplum in naturalibus, quia proiecto lapide in aqua, primus circulus eſt cauſa ſecundi circuli, & ſic deinceps; non tamen ſemper manet primus quamdiu cæteri. Ita etiam vniuerſaliter in motu proiectorum, priùs ceſſat pars motori propinquior, quàm remota.

## COMMENTARIVS.

1 *Triplex eſt intentio.*

a *Diſtinguitur communiter*, &c. Habitualem intentionem plures extendũt ad eam, quam mediam vocat Doctor, ſeu virtualem, vt eam diſtinguat ab hoc quod eſt in habitu, & conſuetudine, ſeu inclinatione tantùm actus primi aliquid tantum velle, & non actu. In quæſtione nulla eſt controuerſia, & textus eſt planus, atque doctrina recepta ab omnibus; licèt quidam varient modum loquendi. Habitualis, vt eam explicat Doctor, non ſufficit, quia non eſt principium operandi: actualis eſt perfectiſſima: ſufficit autem virtualis, quæ eſt illa, quâ dicitur actualis antecedens manere in ſuo effectu, vt, quando quis diſtractus, neque actu cogitat finem, neque actu vult finem, tamen actu exercet opus ordinatum ad finem; vt benè Doctor explicat in litera. Hîc plura dici poſſent de natura intentionis; ſed magis ſpectat hic tractatus ad primam ſecundæ, & ad ſecundum Sententiarum; ideò ſuperſedeo, quia hîc tantùm agitur de ipſa, vt requiritur ad Sacramentum, & incidenter.

*Habitualis per conſuetudinem, & inclinationem non ſufficit.*

*Sufficit virtualis.*

2 *Sententia Richardi reijcitur.*

Richardus docet modum, quo intentio actualis durat in ſuo effectu, nempe quatenus voluntas imprimit appetitui, ſeu potentiæ motiuæ aliquam qualitatem, per quam mouetur ad miniſterium Sacramenti; quâ qualitate ceſſante, ceſſat etiam motus in potentia motiua: ſed hanc meritò reiicit Doctor; videtur enim petita reſponſio ex motu proiectorum. Reſpondet ergo ipſe duobus modis, primò quòd in appetitu ſenſitiuo, & phantaſia ſit aliqua diſpoſitio, ſecundùm quam mouet ceſſante actu voluntatis imperantis eis. Hæc diſpoſitio non eſt alia, quàm actus ipſarum potentiarum, ad quem applicantur ex imperio voluntatis, per ſubordinationem ad ipſam; manente appetitu applicato, manet etiam potentia motiua applicata, & ſic ſequitur motus in actionem externam: & hæc ſufficiũt ad eius continuationem, ſine vlla qualitate impreſſa à voluntate.

*Ex intentione actuali ſequitur actus potentiæ motiuæ, & quomodo?*

*Primus modus ex ſubordinatione potentiarum.*

Reſpondet ſecundò voluntatem habere ordinatè ſuas volitiones in ordine ad finem, verbi gratiâ, primò intentionem, poſtea electionem, tandem vſum, & executionem per media ſubordinata, quando plura ſunt; quibus correſpondent actus potentiarum inferiorum cum eodem ordine: poteſt ergo diſtrahi voluntas ab actuali volitione finis; ſed perſeuerare in ipſa volitio reſpectu aliorum; hîc, & nunc, cum præſcripto ordine; & ſic continuatur intentio eius virtute in volitionibus ſubordinatis, ad quas ſequuntur actus imperati aliarum potentiarum.

*Secũdus modus ex ſubordinatione actuum voluntatis.*

Hanc reſponſionem ſequitur Suarez *diſp.* 13. *ſect.* 3. Vterque ergo modus eſt ſatis fundatus, & contingere poteſt in exercitio, quia licèt voluntas imperet, & applicet potentiam inferiorem, & externam ad actum, poteſt continuari actus ille per appetitum; quod dico neceſſarium eſſe reſpectu potentiæ motiuæ; quæ ſicut nequit ſeipſam determinare ad actum, ſicut neque repugnare potentiæ ſuperiori; ita etiam nequit continuare actum, niſi vt perſeuerat actus potentiæ ſuperioris, reſpectu eiuſdem, per modum determinantis ad ipſam continuationem eius: non ſic aliæ potentiæ, quæ poſſunt determinari ab obiecto, vt viſiua, & huiuſmodi; poſſunt in actu perſeuerare ex ſola obiecti determinatione, deſinente actu voluntatis: quo etiam deſinente, manente determinatione appetitus ſenſitiui, & cognitionis imaginatiuæ, ſufficienter applicatur motiua ad continuationem actus imperati à voluntate, licèt ipſa voluntas non ſit tum ſub actu.

3 *Suarez.*

*Indifferentia potentiæ motiuæ.*

*Petit determinari.*

Alius etiam modus eſt æquè poſſibilis, ita vt maneat actus voluntatis circa materialia obiecta ſubordinata, licèt non attendat hîc, & nunc ad motiuum formale extrinſecum finis, & deſinat etiam actus intentionis in ipſa: quod optimè declarat Doctor in exemplis ſubiectis reſponſione ad argumentum.

---

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrùm Baptiſmus poſſit iterari?*

Alenſ. 4. *p. q.* 28. *m.* 7. *art.* 1. Bonau. 1. *p. q.* 6. & 2. Rich. *art.* 4. *q.* 1. D. Thom. *q.* 2. *art.* 1. & 3. *p. q.* 66. *a.* 9. Suarez *ibi d.* 22. *ſect.* 2. Vaſquez 3. *p. d.* 146.

CIRCA

CIRCA[a] quartum principale, quæro duo. Primò, de iteratione Baptismi. Secundò, de charactere propter quem ponitur initerabilis. Quantùm ad primum arguo, quòd Baptismus possit iterari: quia Eucharistia potest iterari, & tamen est Sacramentum excellentissimum: ergo, &c. 1 *Argum. 1.*

Oppositum Augustinus ad Maximinum, & ponitur in litera de consec. d. 4. *Rebaptizare hæreticum, qui hoc sanctitatis signum percepit omnino peccatum est, catholicum verò, immanissimum scelus est.* Præterea idem q. 15. ad Orosium, *Ideò Ecclesia eos non rebaptizat* (loquitur de baptizatis ab hæreticis) *quia in nomine Trinitatis sunt baptizati.* *Ratio opp.*

Ad quæstionem tenetur ab omnibus pro certo, quòd non licet iterare Baptismum: & etiamsi iteretur de facto, quòd non habet effectum, & hoc dicunt auctoritates Sanctorum. Ponuntur autem aliquæ rationes ad hoc. Vna quidem est, quia Christus semel est mortuus: & Baptismus virtutem habet ex passione Christi, iuxta illud Apostoli; *In morte ipsius baptizati sumus.* Sed hæc ratio non concludit, quia & pœnitentia virtutem habet à passione Christi, absolutio autem, vel prima gratia, non datur inimico, nisi per meritum mediatoris: & tamen pœnitentia iteratur. 2 *Alens. 4. p. q. vlt. de Bapt. D. Thom. in 4. dist. 6. a. 2. q. 1. Da. lib. 4. cap. 1. Rom. 6. Reiicit Alens. & D. Thom.*

Alia ratio ponitur, quia in Baptismo imprimitur character, qui est indelebilis. Sed ille probat propositum manifestius per immanifestius, à principio enim, ex quo Baptismus fuit institutus, fuit manifestum de eo, quòd non licuit eum iterari. Quòd autem character imprimatur, non est notum ex prima eius institutione, nec ex tota Scriptura, neque etiam ex multis auctoritatibus Sanctorum, sicut tangetur statim in quæstionibus de charactere.

Et hoc videtur, quia si fuisset multum de hoc tractatum à Sanctis, Magister sententiarum mentionem fecisset de ipso. Non inuenitur autem aliquod verbum dixisse de charactere secundùm istam significationem, secundùm quam vtimur eo: in toto enim tractatu de Baptismo, non nominat characterem, nisi semel *in primo cap.* istius *dist. in fin.* dicens, *Qui ab hæreticis baptizati sunt, seruato charactere Christi, rebaptizandi non sunt.* Ibi vocatur character Christi forma Baptismi Christi, sicut satis apparet ex auctoritate August. præmissâ, ex qua Magister infert istud dictum.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Errores circa Anabaptismum.*

a *Circa quartum principale quæro duo,* &c. Marcionistæ iterabant Baptismum, vt refert Epiphanius *hæresi* 42. qui tria, aut plura Baptismata dabant iteratis vicibus etiam in remedium relapsus. Damascenus de hæresibus, idem iis tribuit. Aliqui pro eodem citant Donatistas eò quòd baptizarent denuò eos, quos sciebant in Ecclesia Catholica baptizatos, sed non admittebant iterationem Baptismi: sed potiùs existimarunt Baptismum non haberi verum & ratum extra Ecclesiam, quam in se solis collectam constare vanè iactabant: de quo errore suprà actum est. Cæterùm, quia errorem in facto sequebantur, ideò meritò etiam annumerandi sunt, sicut & Anabaptistæ, qui negant Baptismum infantum esse validum, ac proinde infantes baptizatos in adulta ætate baptizant consentientes, vnde nomen sortiuntur Anabaptistarum, seu rebaptizantium.

*Conclusio fidei.* Contrarium huius erroris est de fide, definitum variis in Conciliis, & à Patribus, ac Pontificibus, & Doctoribus, quam veritatem probat Doctor argumento ad oppositum ex duabus authoritatibus S. Augustini: & mox, §. *Ad quæstionem,* &c. statuit eandem veritatem pro certo teneri ab omnibus, nempe certitudine fidei propter authoritates Sanctorũ. Et ne eadem denuò repetamus, huius definitionis capita suprà recitauimus conclusione prima de veritate formæ baptismalis, agentes de Baptismo Virginis in probatione secunda eiusdem conclusionis, quæ est ex eo capite, quòd Baptismus nequeat iterari. Vide ergo ibidem citatos Patres, & Concilia.

Suppositâ ergo veritate fidei, quæritur de ratione, seu congruentia facti. Duas affert Doctor ex aliis antiquioribus, quas impugnat: prima est, quia Christus semel est mortuus, & Baptismus habet virtutem ex passione Christi ad Roman. 6. *In morte ipsius baptizati sumus,* &c. Hanc rationem meritò Doctor impugnat, ex eo quòd non rectè inferatur Baptismum non posse iterari, quia efficaciam sortitur ex passione Christi, quia etiam Pœnitentia ex passione Christi, & reliqua Sacramenta (vt aliàs suprà dixit *dist.* 1. *quæst.* 1.) sunt efficacia: quamuis Pœnitentia sit iterabilis. 2 *De congruẽtia, & causa facti.* *Primus modus dicendi impugnatur.*

Hanc ergo congruentiam non impugnat Doctor, nisi quoad illud de efficacia Baptismi ex passione. Si autem congruentia ducatur ex similitudine Baptismi, & mortis Christi, quam intendit Apostolus, & multi Patres, ex eo quòd Christus semel mortuus est, colligunt Baptismum ex similitudine, quâ typum mortis Christi imitatur, non posse dari nisi semel, sicut Christus semel mortuus est. Meliùs ergo ratio deducitur ex hac similitudine, quàm ex efficacia, quam trahit Baptismus ex morte Christi, & passione, & sic eã tradit Ambrosius *lib. 2. de Pœnitentia. cap. 2.* Isidorus *lib. 2. de diuinis Officiis, cap. de Baptismo.* Damascenus *lib. 4. de fide, cap. 10.* estque Clementis Romani *lib. 6. constitutionum cap. 15.* Hoc ergo modo applicata ratio non impugnatur à Doctore; quin potiùs ad eam reducitur commodè ratio, quam ipse infrà subiungit, vt videbimus. *Congruentia predicta aliter applicatur.*

Dominicus Soto carpit Doctorem, quòd non fideliter rationem hanc ex D. Thoma retulerit, sed immeritò: ratio enim D. Thomæ *in 3. part. quæst. 66.* 3

*quæſt.66.art.9.*in verbis non aliud ſonat:eſt ſecunda in corpore : *Secundò*, inquit,*in morte Chriſti baptizamur,per quam morimur peccato, & reſurgimus in nouitate vitæ:Chriſtus autem tantùm ſemel mortuus eſt: & ideò Baptiſmus iterari non debet*, &c. Hæc ratio nihil aliud ſonat, quàm Baptiſmum ſumere efficaciam à morte Chriſti, per quam morimur peccato,& reſurgimus in nouitate vitæ:ita etiam reſponſione ad primum quod eſt: *Baptiſmus inſtitutus eſt in ablutionem peccatorum, ſed peccata iterantur*,&c. Reſpondetur,*ad primum ergo dicendum, quòd Baptiſmus operatur in virtute paſſionis Chriſti, ſicut ſuprà dictum eſt, & ideò ſicut peccata ſequentia virtutem paſſionis Chriſti non auferunt, ita etiam non auferunt Baptiſmum,vt neceſſe ſit ipſum iterari* : rectè ergo eam rationem Doctor refert, & impugnat, vt patet intuenti, neque gloſſa Soti quadrat textui, vt videre licet.

Secunda ratio, quæ adducitur ab aliis, eſt ex eo, quòd Sacramentum imprimat characterem indelebilem in anima. Hæc quidem ratio vera eſt, & ſic videtur eam Tridentinum amplecti Trident. *ſeſſ.7.*de Sacramentis in genere, can.9. *Si quis*, inquit,*dixerit in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine,non imprimi characterem in anima,hoc eſt,ſignum quoddam ſpirituale,& indelebile, vnde ea iterari non poſſint,anathema ſit*, &c. Et hanc ipſam doctrinam amplectitur Doctor in titulo, ſeu ipſa partitione quæſtionis principalis : *Secundò*,inquit, *de charactere propter quem ponitur initerabilis* (ſupple Baptiſmus)*quæro*,&c. & *quæſt.9.*quam illis verbis inſinuat argumento ad oppoſitum à ratione ex eo, quòd Baptiſmus ſit initerabilis, probat imprimere characterem indelebilem, *quia alioquin nullum habens effectum indelebilem ipſum poſſet iterari* : ſed de hac in ea quæſtione agemus. Quid ergo improbat hîc?

Reſpondetur non improbare illam veritatem, nempe ex charactere reddi Sacramentum non iterabile,ſed quia hæc probatio non procedit ex notioribus, quia magis notum eſt Sacramentum non poſſe iterari, quàm quod imprimat characterem indelebilem,cuius probationem hîc inſinuat, quæ in dicta quæſtione fuſiùs erit tractanda : veritas nempe de Baptiſmo non iterando fuit à principio ſuæ inſtitutionis nota,quam colligunt Patres ex illis ad Epheſios 4. *Vnus Deus, vna Fides,vnum Baptiſma*; vt Anſelmus, D.Thomas ibidem, Leo Papa 37. ad Leonem Rauen. & *epiſt.79.*ad Nicetam. Ambroſius loco citato adiiciens illud Pauli ad Hebræos,*Impoſſibile eſt eos,qui ſemel illuminati ſunt*, &c. Et quidquid ſit de ſenſu litterali horum locorum, ſaltem traditio illa Eccleſiæ per omnem ætatem continuata viguit circa non iterandum Baptiſmum ; vt patet ex canone Apoſtolico 16. aliàs 17. & controuerſia frequens contra antiquos Anabaptiſtas id probat, quæ perinde non fuit de charactere:ergo hæc veritas de Sacramento non iterando magis nota eſt, quàm characteris effectus:quod humiliter probat Doctor authoritate Magiſtri in Patribus verſatiſſimi, qui tamen parcè de charactere loquitur, non reiicit:ergo rationem abſolutè:ſed dicit concluſionem eſſe manifeſtiorem principio.

*Scopus Doctoris.*

*Veritas de nõ iterando Sacramento notior, quàm dari characterem.*

*Canon. Apoſt.*

## SCHOLIVM.

*Reiectâ ratione Alenſis,& D.Thom. docet Baptiſmum eſſe initerabilem, quia ita Chriſtus inſtituit, cuius rei adducit congruentias optimas. Probari poteſt ex cap.4. ad Epheſ.*Vnum Baptiſma,*ſecundùm expoſitionem Leon. ep.35. ad Epiſcopum Rauen.c.1.ex Ambr.lib.2.de pœn.c.2. ex Concil.Nicen. ex Trid.ſſ.7.can.9.de Sacr.in gen.Flor.dec.Eug.*

3 *Congruētia, quare Baptiſmus non iteratur.*

Dico ergo,quòd ratio initerabilitatis Baptiſmi eſt inſtitutio diuina, cuius non eſt aliqua cauſa prior, niſi voluntas eius : tamen iſta inſtitutio eſt rationabilis, tum ex morbo contra quem principaliter inſtituitur(iſtud remedium enim principaliter inſtituitur contra originale peccatum, quod non eſt niſi vnicum:nec iterari poteſt) tum ex fine principali,ad quem eſt: habet enim plenam remiſſionem pœnæ, & culpæ. Si autem poſſet homo habere frequenter talem remiſſionem plenam ab vtroque, eſſet magnum incentiuum delinquendi. Illud enim quod eſt inſtitutum in remedium relabentium,vtpote Pœnitentia, non eſt ſine magna pœna ſoluenda pro peccato. Tum tertiò,quia per iſtud Sacramentum, cùm ſit principium, & ianua, per quam intratur in legem Chriſtianam, aſcribitur aliquis familiæ Chriſti, & fit membrum eius,& Eccleſiæ militantis. Licèt autem aliquis ingreſſus in collegium, ſi offendat poſtquam ingreſſus fuerit, poſſit reconciliari & collegio,& capiti collegij:non tamen frequenter in collegium intrat.

*Ad arg.* Ad argumentum dico,quòd illa prolatio verborum, quibus Euchariſtia conſecratur, non eſt Sacramentum,ſed eſt conſecratio ſacramentalis : & illud non licet bis iterare ſuper eandem materiam,& ſi ſecundò iteraretur,nihil fieret, quia iam priùs factum eſt;illa etiam perceptio non eſt Sacramentum, vt patebit inferiùs : licèt ergo eadem perſona poſſet frequenter communicare, ſiue recipere Euchariſtiam, non tamen ſuper eandem materiam frequenter poſſunt proferri verba conſecrationis Euchariſtiæ : nec ſic Euchariſtia debet iterari ; quod propriè aliqua materia huius Sacramenti bis ſuſcipiat formam eius.

5 *Ratio conclusionis.*

a *Dico ergo quòd ratio initerabilitatis Baptismi,* &c. Subiicit hîc probationem conclusionis à priori esse quidem institutionem diuinâ, cuius congruitatem probat: sed hanc rationem carpit Soto; quia, inquit, institutionem hanc non legimus in Euangelio expressè; in eam tandem ipse consentit; & meritò, quia de ea dubitari nequit; Alensis, D. Thomas *in 4. hac distinctione*, D. Bonauentura, Richardus, & alij id concedunt, & supponunt Patres ex verbis Apostoli citatis: & testis est traditionis Stephanus Papa apud Cyprianum, & Augustinus suprà citatus, qui dicit eam esse traditionem Apostolicam, sicut ex canone Apostolorum citato patet.

Stephanus Papa.

Et ratio patet, quia Ecclesia nihil quoad substantiam Sacramenti potest mutare, ex Tridentino *sess. 21. cap. 2.* neque quoad efficaciam. Certum autem est, apud omnes, Sacramentum Baptismi denuò iteratum circa baptizatum non solùm illicitè, sed etiam inualidè fieri; ita vt nihil ei conferat per modum Sacramenti. Demus etiam id bonâ fide fieri, & citra peccatum, vt quando datur sub conditione ei, qui alias fuit baptizatus, quamuis non constet, sed dubitetur de eius Baptismo: vel certè si detur etiam absolutè ex inaduertentia, aut ignorantia inuincibili: ergo competit ex institutione Baptismum iteratum esse nullum in reipsa, seu iterari non posse validè, aut licitè: proinde Hugo de sancto Victore referens id in Patrum institutionem, intelligendus est quantum ad explicitam veritatem, quæ ex traditione Ecclesiæ, eiusque declaratione habetur: non verò quoad originariam institutionē non rebaptizādi.

*Explicatur Hugo.*

6 *Alia duæ cōgruentiæ receptæ.*

Prima ratio congruæ institutionis desumpta ex peccato originali, quod iterari nequit, & contra quod primariò institutionem suam habet Baptismus: & secunda congruitas ex plenitudine indulgentiæ habitæ in Baptismo, est communis: eam tradit D. Thomas, D. Bonauentura, Richardus, & Alensis. Vtraque rectè reduci potest ad congruentiam, seu rationem, quam Patres allegati adducunt ex Apostolo, per similitudinem Baptismi ad mortem, & passionem Christi tanquam ad typum, quia incarnatio Christi, & mors fuit principaliter in remedium peccati Adami, seu originalis, accessoriè verò in remedium actualium, & personalium: & sicut mors Christi non fuit nisi semel, per quam consummauit redemptionem omnium; ita etiam Baptismus in quo configuramur Christo, ordinatur in remedium originalis, & semel ritè datus consummat liberationem plenariam animæ, ab omnibus peccatis, & pœnis debitis per integram regenerationem hominis in Christo, ideóque rectè mors peccati appellatur à Patribus. Congruum etiam fuit, vt ex iteratione Baptismi non sumeret homo libertatem peccandi, sed aliter ipsi prouideretur per Pœnitentiam ad quam per laborem, & confusionem sui perueniret ad salutem. Non iteratur ergo Baptismus, neque congruit sic institui iterabilem: sicut neque mors Christi in remedium peccati iterari non potest, aut debuit, quia vt Christus vnicâ redemptione Sanctos consummauit, ita & Baptismus vnicâ indulgentiâ perfectissimè nobis applicat illam redemptionem, quod non contingit in aliis Sacramentis, sicut in ipso.

*Applicantur ad rationem à Patribus assignatam.*

7 *Differentia inter Baptismum, & Eucharistiā, vt significant passionem Christi.*

In his ergo duobus attenditur specialis similitudo Baptismi ad mortem Christi: vnde licèt in Eucharistia sit similitudo, & imitatio mortis, & passionis, non colligitur inde, non posse iterari, quia non refertur ad hæc, quâ iterari non debuerunt, neque iterari ea congruit ex congruentia finis, quem semel posita perfectè attigerunt, sicut & Baptismus refertur, & attingit finem completum suæ institutionis semel datus: Eucharistia verò, licèt repræsentet memoriam passionis, tamen cùm detur per modum pastus, & in ordine ad perseuerantiam, quam semel communicatus non attingit completè, sicut Baptismus renouationem quoad culpam & pœnam, ideò iterari potest: *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. Non est ergo similitudo passionis, vt hæc fuit initerabilis, sed tantùm memoria eius, vt fuit exhibita, absolutè loquendo. Baptismus vltra hoc, in fine, & effectu, & materia circa quam, dicit imitationem eius.

8 *Alia congruentia.*

Alia congruentia, quia Sacramento Baptismi, quis ascribitur familiæ Christi, & fit membrum corporis eius: vnde sicut admissus in collegium, si offendat, potest reconciliari capiti, & membris, quamuis per hoc non dicatur admitti in collegium primum, aut inscribi, quia ciuis peccando non amittit iura ciuitatis, sed reus est legibus; ita baptizatus offendens, per Pœnitentiam reconciliari potest: non tamen per pœnitentiam fit Christianus, sed supponitur. Huc accommodari potest ratio Augustini *tract. 5. in Ioan.* vbi dicit, quòd rebaptizatio infert facto, & sic non verbis, negationem prioris Baptismi, & consignationis habitæ per ipsum, & consequenter Christum: *Dare*, inquit, *non potes quod iam habet, sed facis negare quod habet*, &c. supple Baptismum: supponit enim pro subiecto eum, qui foris est, & nunquam ascriptus Ecclesiæ reipsâ; ideóque repetitum Sacramentum, quod est initium, & ianua per quam intratur in legem Christianam, atque ipsa receptio, & consignatio eius, supponit eum nunquam fuisse signatum: ergo, &c. Responsio ad oppositum magis patebit infrà *d.* 8.

*Baptismus inscribit Ecclesiæ.*

---

## QVÆSTIO VIII.

### *Vtrùm sit pœna constituta reiterantium Baptismum?*

Richard. *hîc a.* 4. *q.* 2. Palud. *q.* 4. Sotus *d.* 3. *q. vn. a.* 9. Anton. 3. *p. tit.* 14. *cap.* 13. §. 12. Couar. *clem. si furiosus p.* 1. *princ.* Nau. *c.* 29. *n.* 246. Suar. 3. *p.* 3. *tom. d.* 31. *s.* 6. Sanchius 2. *in decal. c.* 8. Cor. *lib.* 2. *q.* 27.

QVXTA hoc quæro, quæ sit pœna iterantium Baptisma? Respondeo, iterari potest Baptisma, vel iterum conferendo, vel iterum suscipiendo: & siue sic, siue sic, aut scienter, aut ignoranter. Et quidem si ignoranter, de ignorantia potest distingui:

gui: ignorantia iuris, vel ignorantia facti. Sed ad propoſitum non oportet, quòd ignorantia iuris in facto illo, ſiue in ſuſcipiente, ſiue in conferente excuſet. Aut enim poteſt intelligi ignorantia iuris diuini prohibentis Baptiſmum iterari: & patet, quòd ignorantia talis præcepti, non excuſat à peccato, nec à pœna infligenda à Deo pro peccato: aut intelligitur ignorantia iuris canonici infligentis pœnam. Et nec iſta ignorantia excuſat, quin pœna illa incurratur. Quando enim ſuper aliquo, quod eſt ex iure diuino illicitum, additur pœna canonica, vt illud ampliùs euitetur, non eſt neceſſarium ad hoc, vt incurratur illa pœna, aliqua ſcientia iuris canonici: ſed ſufficit, quòd teneatur ſcire præceptum diuinum. Sed ſi illud tranſgrediatur, incurrit pœnam canonicam, etiamſi neſciat à iure canonico pœnam eſſe inflictam. Hoc enim modo percutiens clericum, cùm faciat contra præceptum diuinum de charitate fraterna, etſi neſciret excommunicationem latam à canone ſuper tali facto: tamen incurreret eam. Et occidens hominem, licèt neſciret canonem punientem homicidam pœna irregularitatis: tamen irregularis eſſet, & eadem eſt ratio in omnibus iſtis, quia talis dat operam rei illicitæ, de qua re debet ſcire, quòd ſit illicita: & ſi neſciat, nullo modo debet illam exequi, quouſque conſulat peritos, per quos poſſit ſcire illam eſſe illicitam. Sic ergo non oportet diſtinguere in propoſito, niſi de iteratione ſcienter factâ, vel ignoranter.

*Ignorantia iuris diuini an excuſet à pœna infligenda pro peccato.*

*Ignorantia canonum an excuſet ab eorũ pœna.*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit ignorantiam iuris non excuſare rebaptizantem ab irregularitate, benè tamen excuſat ignorantia facti: & in vniuerſum tenet ignorantiam canonum non excuſare à cenſuris, quod docent Gabr. hîc q. 2. art. 3. dub. 8. Cord. lib. 2. q. 27. Couarr. cap. alma mater 1. p. §. 10. num. 11. citans multos. Adrian. 4. de clauib. q. 3. ſed fortè hæc ſententia intelligi debet tantùm de canone Pontificio, propter cap.* vt animarum, *da conſtit. 6. probabile tamen eſt, & ſatis commune, ignorantiam probabilem cuiuſcunque canonis excuſare ab eius pœna, & cenſura. Vide Sayr. de cenſur. lib. 1. cap. 18. Suar. tom. 5. d. 4. ſ. 9. Sanchium lib. 9. d. 32. Scotus etiam infr. d. 13. q. 2. num. 10. ait ignorantiam culpabilem, non excuſare à cenſura, vult ergo inculpabilem excuſare. Adde etiam ignorantiam ſolius cenſuræ, ab ea excuſare ſecundum probabilem opin. ita Couar. Suar. & Sancius citati, Nau. cap. 27. num. 16. Soto d. 22. q. 12. fin. Henriq. lib. 13. cap. 21. quod notare volui, propter confeſſarios non habentes auctoritatem abſoluendi à cenſuris, nam ſi viderint affuiſſe ignorantiam facti, canonis, vel cenſuræ, tutè abſoluunt, quia cenſura non eſt incurſa. Vide Sanchium 2. in Decal. cap. 8. num. 5. Suar. tom. 4. d. 29. ſ. 2.*

2

*Modo conſtat Epiſcopum poſſe diſpenſare in occulta irregularitate, ex Trid. ſſ. 24. cap. 6.*

Loquendo de ſcientia, vel ignorantia facti, hoc eſt, vt ſi ignoretur iſtum fuiſſe baptizatum, & nunc iterum baptizari. Dico tunc, quòd ſi illo modo ſcienter eſt iteratio, tam ſuſcipiens, quàm conferens eſt irregularis, ſicut habetur *Extrau.* de apoſtatis, *ex literarum.* Sed differentia eſt ſi publicè fiat, vel in occulto, quantum ad hoc, quòd facilius diſpenſatur in vna irregularitate, quàm in alia: quia in vna, vt priuatâ, fortè per Epiſcopum: in alia non, niſi per Papam. Patet ibi: & intelligitur ſi ſit iteratio abſolutè. Si enim propter aliquod dubium veriſimile, non trufaticè vtatur quis circa alium formâ huius capituli, *de quibus eſt dubium,* non eſt irregularis.

Si autem fiat iſta iteratio ignoranter, dicitur quòd ſuſcipiens, licèt ignoranter, eſt irregularis. Probatur per illud de conſec. diſt. 4. *qui bis,* vbi dicitur, *Qui bis ignoranter baptizati ſunt, non indigent pro eo pœnitere, niſi quòd ſecundùm canones ordinari non poſſunt, niſi magna neceſſitas cogat.* Patet quòd illud capitulum loquitur de ignorantia facti. Si enim eſſet de ignorantia iuris, oporteret pœnitere: nec illud quod ſubditur, *niſi magna neceſſitas,* tollit quin talis ſit irregularis. Illud enim additur propter hoc, quòd in tali neceſſitate diſpenſandum eſſet cum eo. Iſto modo dicerent Canoniſtæ.

Sed non videtur eſſe maioris ponderis ſecundùm rationem de baptizato, quàm baptizante: quia ſecundò baptizans, ignorans illum eſſe baptizatum priùs, non eſt irregularis. Non enim tenetur quicunque Sacerdos facere ſtrictam inquiſitionem, an vetula baptizauit paruulum in domo. Nunc autem non magis videtur ille puniendus, qui ſecundò baptizatur, & ignoranter, quàm qui ſecundò baptizat, immò minùs, quia ille videtur quærere ſalutem ſuam, ne ſit in dubio: neque etiam auctoritas huius capitis *qui bis,* videtur ſatis certa. Nullus enim poteſt infligere irregularitatem toti Eccleſiæ, niſi caput totius Eccleſiæ, illud autem caput, ſicut intitulatur, accipitur ex pœnitentiali Theodori, qui fuit Epiſcopus Cantuariæ: ergo inquantum eſt huius auctoris, nullum robur habet infligendi pœnam irregularitatis. Ergo oportet dicere, quòd quodcunque capitulum incorporatum in corpore Decretorum à Gratiano confirmatum ſit à Papa, vel multa capitula ibi poſita

*Contenta in decreto Gratiani, non ligant, ſicut contenta in decretalibus & ſexto.*

posita non ligant totam Ecclesiam. Vnde autem possit doceri, quòd omnia illa capitula, ibi compilata Papa confirmat, non est manifestum. Nec etiam eo modo, quo est manifestum de omnibus capitulis positis in Decretalibus. Ibi enim in procœmio Gregor. IX. scribens Doctoribus in iure Canonico mandat, quòd contenti sint in scholis, & in iudiciis hac compilatione. Et Bonifacius VIII. in procœmio sexti libri mandat, quòd de constitutionibus editis à tempore Gregorij IX. vsque ad tempus suum, illæ solæ habeant robur, quæ ibi insertæ sunt.

Et si dicas, licèt Theodorus non potuerit condere ius: tamen innuit Papam condidisse, cùm dicit secundùm canones. Respondeo, hoc deberet glossator apponere, quia hæc glossa est necessaria: sed nulla ponitur, ostendendo vbi sit canon super hoc editus: & hîc sicut in multis locis apparet inutilis occupatio glossatorum in iure Canonico, qui multiplicant concordantias, & auctoritates ad vnum vocabulum, & postea in fine nihil ad propositum; & alibi vbi est verbum maximi ponderis, à quo dependet sententia totius capituli, transeunt sicco pede. Sic apparet de Bernardo in multis decretalibus, vbi ponitur illud verbum sub interminatione anathematis, verbi gratiâ, de sagittariis disputans, an ista verba exprimant sententiam latam, vel per eam fiat comminatio: & mittit, & remittit. Posset ergo dici quantum occurrit, quòd ignorantia facti dummodo non trufatica, vel crassa, sed probabilis sit, totaliter excusat conferentem à pœna illa, & suscipientem. Vniuersaliter enim pœna canonica non incurritur, nisi à latore canonis inferatur: vbi ergo non inuenitur ex vi verborum inflicta, tunc simpliciter est dicendum, quod nulla est. Non enim verba constitutionum pœnalium sunt amplianda, sed restringenda, iuxta illam maximam iuris.

*Contra Canonistas glossatores.*

*Ignorantia facti excusat rebaptizantem, ab irregularitate.*

*Odia restring. &c. de reg. iur. in 6.*

Quantum ad vltimum principale de charactere quæro tria. Primò, Vtrùm in Baptismo imprimatur character? Secundò quid sit, vtrùm sit aliqua forma absoluta? Tertiò, in quo sit, an sit in *esse* animæ, vel in potentia, & in qua potentia?

## COMMENTARIVS.

a *IVxta hoc quæro, quæ sit pœna iterantium*, &c. Hæc quæstio ex occasione pœnæ rebaptizantium, quâ fiunt hinc, inde irregulares, tam baptizans, quàm baptizatus, si scienter id faciant, mouet aliam quæstionem satis prolixam, nempe quid fiat quando ignorantia in culpa sit? & quæ ignorantia excuset à peccato & pœna? Applicat autem Doctor illam regulam communem, quam communiter sequuntur Canonistæ, & Iurisperiti, nempe, *ignorantiam facti, non Iuris, excusare.* Vnde si dubitetur cum fundamento, an persona sit baptizata, vel simpliciter supponitur non baptizata, vt si infans, qui defertur ad Ecclesiam, fuerit aliàs domi baptizatus, & hoc vel ex malitia, vel ex negligentia, non indicetur Parocho, hic habet ignorantiam facti, quia non tenetur scire, quid domi factum sit circa infantem; sed potiùs supponere scientiam legis, & consuetudinis in parentibus, earúmque obseruantiam, ac proinde infantem ad se delatum non esse baptizatum. Si dubius etiam est Baptismus, ita vt dubium sit omnino fundatum, tunc baptizans cum forma capituli *De quibus*: baptizare potest, nempe adiectâ conditione, *si non es baptizatus*, &c. vt præscribit Alexander III. *dicto capitulo de Baptismo, & eius effectu*, quod suprà ex variis Canonibus probauimus. Perinde ergo dicendum est hîc, & in qualibet Censura, quæ propter peccatum incurritur, quando quis excusatur à peccato, etiam excusari à pœna ex peccato incursa. Hæc autè irregularitas statuta est propter peccatũ iterandi Sacramentũ.

*Ignorantia facti excusat.*

Circa ignorantiam Iuris, docet Doctor non excusari à culpa, aut pœna, quia non censet dari ignorantiam in hoc casu, quæ sit probabilis, & fundata, quia nempe inter rudimenta doctrinæ Christianæ peruium est, non posse iterari Baptismum: & quidquid sit de ignorantia canonis Ecclesiastici, saltem cognoscitur ius diuinum, vel est debitum cognoscendi in quolibet Christiano adulto, qui tenetur ad doctrinam de Baptismo: & quoniam suppositâ scientiâ huius iuris, dat operam rei illicitæ, etiam ligatur pœnâ canonicâ, quæ transgredientibus ius diuinum imponitur, quod est principium vulgare Canonistarum. In hac re variæ sunt sententiæ, quibus non immoror, remittendo lectorem ad scholium, quod prædictas sententias breuiter, & clarè comprehendit. Id certum quidquid sit in foro interno, in externo non admitti ignorantiam Iuris, nisi probetur, quia præsumptio huius fori, stat pro lege publica magis, quàm pro priuata dispositione huius, aut illius. Hæc quæstio forsitan, si tractatus, & tempus permittat, infrà differetur in suis principiis, quæ hîc incidenter veniunt, totum negotium consistit in eo, vt probetur dari ignorantia probabilis Iuris, quæ excuset à peccato, & consequenter à pœna, quæ vix in proposito quoad principalem casum fingi potest. Interim videantur authores citati, & Summistæ verb. *Ignorantia, lex, pœna*, &c. Quæstio etiam fusiùs tractatur in materia de actibus humanis, & peccatis. Quòd autem asserit Doctor irregularitatem occultam dispensari fortè posse ab Episcopo, iam ex Iure Trident. *sess. 24. cap. 6.* id conceditur.

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrùm in Baptiſmo imprimatur character?*

Alenſis 4.*p.q.*19.*m.*6.D.Bonauent.*hic* 1.*p.art.*1.*q.*4.Rich.*d.*5.*a.*2.*per totum.*D.Thom.3.*p.q.*63.*a.*6. *& per totum.* Palud.*d.*4.*q.*1. Suar. 3.*p. tom.*3.*d.*11. Coccius *in Theſauro* 2.*tom. lib.*5.*art.*3. *latè* Bellarm.*lib.*1. *de Bapt.cap.*12.

1 *Argum.* 1. AD primum [a] arguitur quòd non, quia Circumciſio non impreſſit characterem: ergo nec Baptiſmus. Conſequentia patet, quia Circumciſioni ſucceſſit Baptiſmus in remedium contra eundem morbum: ergo vtique competebat ſimilis, vel idem effectus. Antecedens probatur, quia iſte character Circumciſionis fuiſſet eiuſdem rationis cum charactere Baptiſmali: & tunc ſequeretur, quòd circumciſus non fuiſſet baptizandus, quia duo accidentia eiuſdem ſpeciei, vel rationis, non poſſunt eſſe in eodem. Conſequens eſt falſum, ſicut patet ſuprà 3.*diſt.q.*4.

*Argum.* 2. Præterea, fides diſtinguit fidelem ab infideli, & charitas filium perditionis à filio regni, ſecundùm Auguſt. 15.*de Trinit.cap.*19. & iſta ſunt nobiliſſima in anima: & tamen non imprimunt aliquam characterem diſtinctiuum: ergo multo fortiùs nec Baptiſmus.

*Argum.* 3. Præterea, character, ſi imprimatur non eſt ſubſtantia, qui aduenit poſt *eſſe* perfectum: nec eſt accidens per ſe, vel neceſſariò inhærens: quia non cauſatur ex principiis ſubiecti; ergo eſſet accidens per accidens; ſed omne tale eſt ſeparabile, & contingenter ineſt: ergo character eſt ſeparabilis, & delebilis ab anima: cuius oppoſitum tenent omnes ponentes characterem in anima.

*Ratio ad epp.* Contrà, Dionyſius de *Eccleſiaſtica Hierarch. cap.*2. Præterea, Damaſcenus *lib.*4. *cap.*1. Præterea, Baptiſmus eſt Sacramentum initerabile ex præcedenti quæſtione: ergo imprimit aliquem effectum indelebilem: quia ſi omnes eius effectus poſſent deleri, ipſum poſſet iterari: ſed nullum effectum indelebilem habet, niſi characterem: ergo, &c.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Errores hæreticorum.* VValdenſis. a HÆretici negant imprimi characterem in Baptiſmo, aut Ordine, aut Confirmatione: ita VVitclefus apud VValdenſem *tom.*2.*de Sacramentis, cap.* 109. quem ſequuntur alij huius temporis, vt Caluinus *in Antidoto ſeſſ.*7. *can.*9. Kemnitius *in* 2.*part. examinis*, & alij. Contrarium definitum eſt *capitulo Maiores, de Baptiſmo,* in Florentino *in Decreto fidei, de Sacramentis*, & in Tridentino *ſeſſ.*7. *de Sacramentis in genere, can.*9. quam ſententiam ſequuntur omnes Scholaſtici poſt Florentinum & Tridentinum; eſt definita de fide.

*Dari charactérem baptiſmalem, eſt de fide.*

*Controuerſia Scholaſtica.* Sed inter Scholaſticos in dubio verſatur, an fuerit hæc veritas explicita in Scriptura, aut Patribus? Aliqui non ita ſyncerè Doctorem noſtrum exponunt, quin etiam taxant eius ſententiam, ſicut & Gabrielis, Durandi, Caietani locis citatis à Scholiaſte ad initium quæſtionis. Sotus dicit eum tenuiter de charactere ſenſiſſe, & quaſi ſub perſona aliorum illum impugnare, ſed non aduertit textum: nam illa fuit ſententia aliquorum, vt per Baptiſmum non reciperetur aliquid intrinſecum, aliter quàm Eccleſia, verbi gratiâ, recipit in ſua conſecratione: quorum ſententiam allegat Alenſis 4.*part. quæſt.*8.*m.*8.*art.*1. §.1. & eiuſdem ſententiæ fuiſſe videtur Guillelmus Pariſienſis in tractatu de Baptiſmo, qui prolixè in hoc verſatur, cuius verba hîc ſubiiciam, vt primum offeramus Soto, aliquos anteriores fuiſſe in ea ſententia, de qua Doctorem traducit, quoad intelligentiam Patrum: *Sed iam* (inquit Guillelmus) *conſenſerunt ſacri Doctores in hoc, quòd præter gratiam, præter totum decorem virtutum, & bonorem, ſine quibus Deo non placetur, imprimatur character, licèt non declarauerint, nec fecerint ſcire quid ipſe character ſit, ſpecie, etſi tamen dicant ipſum eſſe in genere qualitatum, non tamen nobis, qualem efficiat animam baptizati, vel ipſum baptizatum.* Et infrà: *Sed & hoc dixerunt proprium effectum eſſe characteris iſtius, ſcilicet diſtinguere baptizatos à non baptizatis*: & infrà, *Ipſi autem characterem huiuſmodi Baptiſmi vocant Sacramentum Baptiſmi*, &c. Poſtquam autem probauit non eſſe qualitatem variis rationibus, tandem concludit eſſe quandam ſanctitatem, quam recipit baptizatus, talem, qualem Eccleſia, & vaſa conſecrata recipiunt, ſeruatâ proportione. Cuius rationes adducit etiam Richardus *diſt.*5.*art.*2.*q.*1.

*Sotus reiicitur.*

2 *Doctor primus inter Scholaſticos videtur dixiſſe hunc articulum eſſe fidei.* Cæterùm nullus antiquiorum Doctore cenſuit hanc ſententiam eſſe de fide, non obſtantibus iis authoritatibus, quas citant, aut Scripturæ, aut Patrum, in eius fauorem, vt probent characterem eſſe effectum immediatum, & realem, impreſſum in anima per modum qualitatis, vt benè etiam aduertunt moderni Scriptores: quia quantùm ad ipſas Scripturas variè à Patribus accommodantur, & intelliguntur. Inter omnes autem, primus mihi fuiſſe videtur noſter Doctor, inter Scholaſticos, qui hanc veritatem characteris, tanquam effectus diſtincti à gratia, & impreſſi in anima per Sacramentum, reduxit ad certitudinem fidei, ex definitione Eccleſiæ, eiúſque declaratione, coniungendo definitionem capituli *Ad abolendam*: quo definitur in Eccleſia Romana eſſe veram doctrinam de Sacramentis, cum eo quod definitur in capitulo *Maiores, de Baptiſmo*, circa veritatem explicitam characteris.

Vt

Vt hinc ergo respondeamus etiam aliis, qui eum incautè locutum fuisse asserunt, aduertendum est ipsos non attigisse scopum Doctoris, aut discursus intentum: Doctor ergo supponit communem sententiam, vt patet argumento ad oppositum, & ex resolutione propria, quam insinuamus, §. *Autem hîc intelligendum est*, &c. explicat *quid* nominis & rei, ac proprietates eius. Tandem adducit opinionem illam Guillelmi Parisiensis, pro qua citantur à Marginatore quidam Iuristæ in cap. *Quod quidam dicunt, 1. quæst. 1.* & cuius mentionem faciũt Alensis, & Richardus; quam etiam secutus est Durandus. Subiicit eius conclusionem: & mox, §. *Ad istam conclusionem arguitur*, &c. Adducit argumenta plura in fauorem eius, inquirendo necessitatem characteris, non rei, sed probationis necessariæ, & conuincentis, siue ab authoritate, siue à ratione; & quærit de authoritate explicita, siue in specie, quæ sine tergiuersatione doceret characterem esse explicitè, ita vt ad alios effectus Sacramenti, siue ad ipsum Sacramentum, siue ad præparatoria ad Sacramentum, siue ad signum Crucis, aut alia, quæcumque diuersa à charactere, commodè referri, aut exponi non posset à negante characterem. Eiusmodi autem deficiente authoritate, quærit an ex alia veritate ex creditis, quæ ad materiam fidei, siue de Baptismo, & aliis Sacramentis, quæ imprimunt characterem, siue ad alias veritates fidei, spectaret; ex qua certa consecutione concluderetur necessitas characteris in specie.

*Explicatur processus Doctoris in hac quæstione.*

3 Hic scopus eius manifestè patet ex §. *Ad quæstionem potest dici aliter*, &c. vbi recapitulando summatiè præmissa in fauorem prædictæ sententiæ, concludit quòd neque à ratione *propter quid*, neque à posteriori possit eius necessitas ostendi. Loquitur autem de ratione necessaria, & euidenti (quæ desumitur à causa efficiente finali, aut alia intrinseca) vniuersali, aut particulari, vel experientia: tandem subiungit: *Licèt etiam ex creditis manifestè, siue quæ sunt explicitè de substantia fidei*, &c. *non possit probari*, &c. Quæ clausulæ sunt æquiualentes, nempe credita manifestè, & ea quæ sunt explicita de substantia fidei, & non sunt intelligenda vniuersaliter; sed secundùm limitationem subsequentem in contextu, & ex scopo discursus, quia loquitur iuxta formam rationum in præmissis adductarum, quæ desumuntur ex Scriptura, & Patribus: subsequitur ipsa limitatio: *Sine quæ continentur in Scriptura, siue quæ manifestè per Sanctos elicita ex creditis non possint probari*, &c. Ad hæc duo membra, de quibus ipse tantùm loquitur, & ex quibus hactenus disseruit, quantùm ad præsens institutum, reducit manifestè credita, & ea quæ sunt de substantia fidei; nempe ad Scripturam explicitam, & ad ea, quæ deducunt Patres ex Scriptura explicita; & hoc manifestè quoad vtrumque, ita vt veritas sententiæ alioquin non possit subsistere.

*Credita manifesta.*

*Limitatio Doctoris, iuxta scopũ præmissi discursus.*

4 Ex his apparet primò Doctorem nullâ ratione intendere veritatem characteris non contineri in Scriptura, & Patribus, aut traditione, vt perperam ei imponunt aduersarij: sed intendere, quòd hæc veritas non ita continetur in Scriptura & Patribus manifestè, & explicitè, quin authoritates possint commodè à negante characterem, in sensu etiam cõgruo, explicari, vt conuinci non possent. Secundò sequitur, quòd illæ clausulæ malè sumantur à modernis, vt disiunctæ, quoad sententiam, & disparatæ, quasi vellet dicere, quòd neque ex creditis, neque ex iis quæ sunt de substantia fidei, neque ex Scriptura, neque ex iis, quæ eliciuntur manifestè ex Scripturis, probetur character; cùm tamen infrà probet characterem ex definitione, & declaratione Ecclesiæ, tanquam ex creditis. Sequitur tertiò falsitas interpretationis adhibitæ ab eisdem modernis: quia non intendit Doctor non contineri hanc veritatem in Scriptura, aut Patribus, vt dictum est; sed negat contineri cũ illa limitatione, quâ ex Patribus, aut Scriptura, tantùm quoad manifestam sententiam, & conuincentem, vt res omnino sit certa, seclusâ Ecclesiæ definitione, & declaratione probetur.

*Excluditur falsa interpretatio, quã adhibent moderni.*

Hæ autem propositiones in materia doctrinali diuersissimæ sunt; *nempe non contineri in Scriptura, & Patribus absolutè loquendo: & non contineri in Scriptura, aut Patribus explicitè*: nam prima facit sensum falsum, & erroneum, qui admitti nequit; nempe non contineri in Scriptura, & Patribus, absolutè loquendo veritatem characteris; quia sic negatur veritatis reuelatio, aut eam posse reduci ad obiectũ fidei, siue quoad reuelationem Scripturæ in se, aut in alio, ex quo sequatur; siue quoad reuelationem traditionis non scriptæ, quam ex Patribus, & Ecclesia tantùm licet mutuare; ac proinde nullo fundamento Concilia posteriora, vt Florentinum, & Tridentinum definiuisse contrarium: nam quoad primum, nisi contineatur in Scriptura, non subsistit fundamentum ex hoc capite eam definiendi; si non contineatur in Patribus, & continuo Ecclesiæ vsu; & per manus tradito sensu, nequit etiam subsistere, vt traditio non scripta, per regulas obuias cognoscendæ traditionis, quas colligere licet ex Augustino, quia, deficiente memoriâ traditionis, non subsistit argumentum ex ipsa traditione, aut reuelatio in ea fundata. 5

*Requisita ad definitionem.*

Hanc autem propositionem nullâ ratione dicit Doctor, vt ex toto discursu, & limitatione appositâ euidenter apparet. Secunda autem propositio est Doctoris, & verissima, quam admittunt etiam antiqui Theologi, qui conueniunt in hoc omnes; licèt enim afferant characterem modo, quo intendit Ecclesia, non dicunt tamen id esse euidens, tanquam materiã fidei, quæ explicitè ex Scriptura, aut traditione colligatur, ita vt oppositum asserens conuincatur, & authoritas aliter explicari non possit (seclusâ omnia aliâ interpretatione Ecclesiæ) tanquam spectans ad materiam fidei: neque moderni, qui præsumunt Doctorem nutare, ab hoc discordant; tollatur namque definitio, & declaratio Ecclesiæ, quid reliqui ipsis manere potest, quantùm ad certitudinem conclusionis, quam hoc solo fundamento, tanquam certam tenent, præter argumentum probabile, & dialecticum, de quo in proposita quæstione non agit Doctor; sed de argumento certo, ex authoritate, aut ratione. Prosequamur vlteriùs scopum Doctoris ex sequentibus. 6

*Assertio Doctoris.*

Asserit Doctor primò, non repugnare characterem inesse animæ, prout Theologi eum describunt, aut Deum producere talem in anima; & subdit: *Sed ne omnino frustrà, & sine necessitate ponatur, oportet aliquam authoritatem habere, cui innitatur, qui ponit eam; & tunc facilè erit soluere, quæ obiciuntur*, &c. Ex his patet Doctorem primò quærere de authoritate, in qua quiescere debet inuestigatio, vt certò constet dari in ipsa characterem, quem non repugnare dicit. Secundò, argumenta in contrarium adducta non solùm non esse necessaria, sed esse facilis solutionis: non solet autem Doctor noster adhærere rationibus 7

*Inquirit fundamẽtum vltimum certitudinis.*

*Argumenta, opposita ait esse facilis solutionis.*

quæ de facili ſoluuntur, quales exiſtimat eas eſſe, quas ipſe, vel alij adducunt pro contrario: vnde colligitur eum diſſertiuè procedere inquirendo fundamentum, ad quod ſubſiſtat determinatè communis ſententia, & certum.

Subiungit inter authoritates Sanctorum ad propoſitum adductas ab aliis multas, non eſſe expreſſas: nempe in hoc ſenſu, quem prætendit, cetò probantes concluſionem; tamen aliquæ allegantur non concludentes ex Auguſtino; nempe quoad certitudinem, quam inueſtigat, licèt probent obſcurè & dialecticè, ſeu probabiliter, quibus ipſe reſpondet, tanquam non conuincentibus ex contextu Auguſtini. Tandem reducit certitudinem ad authoritatem Eccleſiæ eiúſque declarationem.

8 *Fundamentum veritatis eſt Eccleſia definitio.*

*Breuiter*, inquit, *ſicut habetur extrà, de hæreticis, Ad abolendam, ſentiendum eſt de Sacramentis Eccleſiæ, ſicut ſentit Romana Eccleſia: Romana autem Eccleſia videtur ſentire charakterem imprimi in anima in Baptiſmo, ſicut dicit Innocentius III. extrà, de Baptiſmo, & eius effectu, cap. Maiores*, &c. vt habetur in litera: & ſubdit: *Etſi prima authoritas poſſet exponi, vocando charakterem Chriſtianitatis ipſum Baptiſmum; tamen ſecunda*, &c. Reuocat ergo Doctor hanc concluſionem ad minimum, ad certitudinem Theologicã, & Catholicam: quidquid enim ſit: an Innocentius definiat charakterem eſſe, ſaltem exponit ſententiam Eccleſiæ Romanæ: de fide autem eſt ex dicto cap. *Ab abolendam*, de hæreticis, ſpecialiter in materia Sacramẽtorum, nullum errorem admittere, & veritatem docere Sacroſanctam Eccleſiam Romanam, quæ eſt columna veritatis, contra quam portæ inferi non poſſunt præualere; quod ſupponit dictum capitulum: ac proinde vt hæretici excommunicantur, quicumque aliter docent de Baptiſmo, aut aliis Sacramentis, aut ſentiunt, quàm illa prædicat, & obſeruat. Hæc eſt autem certitudo, quam Doctor negat haberi ex Scriptura, aut Patribus, & quâ poſitâ, liberum non eſt aliter ſentire de charactere, quàm Eccleſia docet. Non negat autem ſimpliciter Scripturam, & Patres non docere charakterem, ſed tantùm negat authoritates ipſorum determinatè exprimere hanc veritatem eâ certitudine, vt aliter ſentire non liceret, vel ipſas authoritates explicare in alium ſenſum diuerſum.

Qui ſenſus eius patet, tam ex ſcopo eius, & diſcurſu præmiſſo in hoc §. tam ex reſponſione ad primam rationem, quam ipſe adducit in faſuorem ſententiæ Pariſienſis: & eſt talis: *Quòd nihil debeat poni fruſtrà, & ſine neceſſitate in creditis, quæ non apparent ſecundùm fidem: Scriptura autem non exprimit charakterem eſſe neceſſarium in Baptiſmo, nec Sancti explicitè*, &c. vbi *explicitè* ſumit, prout exprimit ſententiam determinatam, quæ in alium ſenſum torqueri, aut interpretari non poſſet, & infert neceſſitatem aſſenſus, ſaluâ fide.

*Primum argumẽtum pro Pariſienſi.*

9 *Soluitur.*

Ad hoc argumentum reſpondet. *Reſpondeo*, inquit, *quòd etſi non poſſit illud euidenter neceſſariò probari ex creditis*, &c. nempe prout determinantur in Scriptura, & Patribus; quia in hac limitatione, & præciſione loquitur argumentum de creditis: quam limitationem in hac reſponſione ſeruans, opponit ſic credita, ad creditum ex definitione, & authoritate Eccleſiæ.

Ex quibus patet eum abſolutè nó negare hanc veritatem contineri in Scriptura, & Patribus; ſed negat eam contineri in creditis ex Scriptura cum ſola Patrum interpretatione, tanquam neceſſariò, & euidenter probatam, aut per ſententiam explicitam, & cogentem propoſitum; agit enim de creditis propoſitionibus explicitis, quæ ſunt de ſubſtantia fidei, & inferunt neceſſitatem ſaluâ fide, aſſenſus: & ſubiungit contineri inter credita, quæ Eccleſia proponit & declarat; cuius authoritas in hoc potior eſt, quàm Patrum, aut Doctorum: quia ipſa habet aſſiſtentiam Spiritus ſancti ex promiſſione Dei, vt errare non poſſit in fide, aut moribus, aut intelligentia Scripturæ.

*Tamen*, inquit, *ponendi neceſſitas eſt hæc: quia Eccleſia ponit, & congruentiæ ſunt, quales priùs adductæ ſunt: nec valet argumentum negatiuum, ſi nec Dionyſius, nec Damaſcenus: ergo nullus: ſufficit enim authoritas Eccleſiæ, quia Auguſtinus de moribus Manichæorum: Euangelio non crederem, niſi crederem Eccleſiæ.* Conſtat ergo eum referre hanc veritatem ſimpliciter inter credita, & primus inter Scholaſticos hanc certitudinem eius expoſuit, & dogmatizauit, quam poſtea definiuit Tridentinum, & Florentinum contra Nouatores.

Ex quibus excluditur popularis, & non fundata interpretatio ſententiæ eius, quam adhibent moderni, & quæ ex nulla clauſula totius diſcurſus, & quæſtionis præſentis haberi poteſt: quia & argumenta, in fauorem ſententiæ Pariſienſis facta aſſertionem Doctoris non continent; neque ita formata ſunt in ea generalitate, & modo dicendi, vt inferrent charakterem in Scriptura, & Patribus non contineri: ſed cum ea limitatione, quam adiunxit, nempe vt veritatem explicitam de ſubſtantia fidei, vel neceſſariò, & euidenter ex tali deducta, aut in expreſſa ſententia Patrum contenta, quæ aliter intelligi nullo modo poſſet: ac proinde vt ſuprà notauimus, ex ipſo dicit argumenta ad oppoſitum, oſtenſo fundamento neceſſario, & certo concluſionis, eſſe facilis ſolutionis; prout ipſe doctiſſimè ſoluit ſuppoſitâ definitione, ſeu declaratione Eccleſiæ, quæ hãc veritatem charakteris determinatè proponit. 10

Non ergo incautè locutus eſt, neque veritatem charakteris, vt dixit Soto, tenuiter aſſeruit; neque in dubium reuocauit: ſed firmiſſimo fundamento aſſeruit contra negantes; licèt modum diſcurrendi, & probandi aliorum non probauit, tanquam neceſſarium, & cogentem, quia neque in aliquibus rectè fundatum, neque in reliquis cogentem negantes; ac proinde recurrit ad Eccleſiæ authoritatem, non per modum opinionis toleratæ, aut humanæ, aliquid aſſerentis, ſed declarantis veritatem fidei: quæ declaratio *ex diſt. 25. tertij quæſt. vnica, reſponſione ad 2. in fine*, ſupponit reuelationem per doctrinam traditam; ac proinde quæ continetur in Scriptura, & Patribus ſecundùm traditionem; quod perinde de veritate charakteris aſſerendum eſt ex principiis eius prædicto loco, & *in quæſtione prima* prologi, *& in 1. diſt. 11. quæſt. 1.* reſponſione *ad 2. argumentum Græcorum*, quod eſt tale: nempe *Spiritum ſanctum procedere à Filio non eſſe ſcriptum in Euangelio: ergo*, &c. Cuius reſponſionem, quia perinde confutat hæreticos huius temporis, qui negant hanc veritatem charakteris; viſum eſt ad propoſitum integram tranſcribere, & quia Doctoris ſenſum in quæſtione præſenti, optimè declarat.

*Ad rationem illam de Euangelio dico*, inquit, *quòd Chriſtum deſcendiſſe ad inferna, non docetur in Euangelio, & tamen tenendum eſt, ſicut articulus fidei, quia ponitur in Symbolo Apoſtolorum; ita multa alia de Sacramentis Eccleſiæ non ſunt expreſſa in Euangelio, & tamen Eccleſia tenet illa eſſe tradita certitudinaliter* 11 *Efficacia traditionis, & certitudo.*

ab

*ab Apoſtolis, & periculoſum eſſet errare circa illa, quæ non tantùm ab Apoſtolis deſcendunt per ſcripta; ſed etiam per conſuetudinem vniuerſalis Eccleſia tenenda ſunt. Nec Chriſtus in Euangelio docuit omnia pertinentia ad diſpenſationem Sacramentorum; dixit enim diſcipulis ſuis in Ioanne: Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò: cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Multa igitur docuit eos Spiritus ſanctus, quæ non ſunt ſcripta in Euangelio, & illa multa quædam per Scripturam, quædam per conſuetudinem tradiderunt: ſimiliter diuerſa Symbola diuerſis temporibus ſunt edita, contra diuerſas hæreſes de nouo Orientes: quia quando inſurgebat noua hæreſis, neceſſarium erat declarare veritatem, contra quam erat illa hæreſis; quæ veritas etſi priùs erat de fide, non tamen erat priùs tantùm declarata, ſicut tunc contra errorem illorum, qui eam negabant*, &c. Hæc Doctor, quæ rectè propoſito accommodantur, & eſt doctrina vniuerſalis, & Catholica. Ipſe ergo reducens veritatem characteris ad Eccleſiæ definitionem, & authoritatem, ſupponit eſſe reuelatam; ac proinde cõtineri in Scriptura, aut traditione, quam Eccleſia ſemper conſeruauit per omnes ætates, & potiſſimùm per Doctores, & Patres. Ex quibus habetur ſcopus Doctoris, & reſolutio huius quæſtionis, quæ in duobus conſiſtit. Primum eſt *certum & neceſſarium fundamentum huius veritatis haberi ex determinatione Eccleſiæ*, quæ eſt manifeſta. Secundum eſt *veritatem ipſam fuiſſe reuelatam; ac proinde contineri in Scriptura & Patribus*, licèt non manifeſtè, vt ex his ſolis, ſeclusâ Eccleſiæ definitione, & declaratione, ſit manifeſta, & omnino certa; quamuis reuelata, donec propoſita, vt talis, fuit manifeſtè ab Eccleſia: & huc ſpectant argumenta Doctoris pro opinione oppoſita.

*Summa reſolutionis.*

12 Vnde, vt ſuprà diximus ex ipſo, dicit aliquam authoritatem eſſe neceſſariam, vt ex ea probetur neceſſitas characteris, ne fruſtra aſſeratur: & ſubdit authoritates Sanctorum multas non eſſe expreſſas, quæ aliter non poſſunt interpretari, quo ſenſu authoritates Auguſtini, quæ magis ad propoſitum faciunt, dicit non eſſe concludentes; ſcilicet neceſſariò, quoad ſenſum determinatum, ex quo ſequeretur concluſio tenenda pro certo, & de fide: quam certitudinem omnino intendit Doctor; nam inueſtigat eam ex creditis, cùm ſit veritas ſupernaturalis, vel ex iis quæ neceſſariò ex creditis ſequantur, & diſcurrit ex Scriptura, & Patribus ad hunc finem: elicita enim ex fide, ſeu ex creditis, ad eundem habitũ ſpectant per ipſum in 3. *diſt.* 35. *q. vnica*; vnde in præſenti vtrumque refert ad ſubſtantiam fidei, quæ ex Scriptura, aut Patribus, aut definitione expreſſa Eccleſiæ habetur: requirit tamen authoritatem modo dicto expreſſam. Vnde *in* 1. *diſt.* 16. *quæſt.* 1. §. Ad tertium *forſan diceret aliquis*: reſponſione ad tertium, quod eſt tale: *Conſequentiæ Sanctorum, & Doctorum ſupponendæ ſunt eſſe neceſſariæ*, &c. *Ad tertium*, inquit, *forſitan diceret aliquis, quòd præcisè propter rationem ſolubilem, à quocumque fiat, non eſt tenendum aliquid eſſe de ſubſtantia fidei, nec forſan propter concluſionem talis rationis, quatenus præcisè eſt per illam concluſa, ſic arguens ſe exponeret morti; nec aliquis ſecundùm rectam rationem ſe deberet exponere: oportet igitur habere maiorem authoritatem, ad hoc, vt aliquid teneatur eſſe de fide, quàm quòd Sanctus aliquis ſic arguat: ſæpè enim quis arguit, quod omnino non aſſerit; licèt illud quod Sanctus authenticatus ab Eccleſia, quantùm ad doctrinam aſſerit eſſe tenendum, ſit certum: tamen authoritates dubiæ poſſunt exponi*, &c.

*Authoritates ambiguæ non inducunt certitudinem fidei, niſi declarentur.*

Si ergo Doctor veritatem fidei ex fundamento certo inueſtigat, non eſt quòd à Soto, aut VValdenſi, vel aliis reprehendatur, quaſi vim abſtulerit traditioni, aut Scripturæ, aut teſtimoniis Patrum ad probandam hanc veritatem, quod omnino falſum eſt. Hæc enim ab aliis allata non negat habere ſuam efficaciam; ſed vlteriùs progreditur, vt vltimum fundamentum, & neceſſarium inueſtigaret, quo veritas hæc neceſſariò ſit credenda, tanquam de ſubſtantia fidei, quod non attigerunt antiquiores Theologi, qui ex ſententiis non neceſſariò concludentibus procedunt, aut etiam malè applicatis. 13

Quidquid ſit de intento Patrum, aut veritate contenta, aut certè dubiis ſententiis; peto in aliis veritatibus circa hoc ipſum myſterium, an omnia à principio fuerint ita manifeſta, vt hæreticum eſſet ea negare? Quid de Cypriano dicemus exiſtimante non fuiſſe Baptiſmum validum ab hæreticis collatum, aut extra Eccleſiam: certum tamen eſt hanc veritatem fuiſſe ex traditione Apoſtolica magis notam, quàm imprimi characterem per Baptiſmum, vt ſuperiùs cum Doctore dictum eſt, *quæſt.* 7. non omnino tamen Scriptura, aut traditio habet vim obligandi, donec accedat interpretatio Eccleſiæ, vt patet ex multis definitionibus ab Eccleſia, prout neceſſitas, & caſus occurrit interpretandi, propoſitis. Inter ipſas traditiones Apoſtolicas, aliquæ pertinent ad exercitium authoritatis; aliæ verò ex diuina ordinatione, & reuelatione ſtatutæ ſunt, inter quas Eccleſia Spiritu ſancto illuminata diſcernit.

Futilis etiam eſt illa eorum impugnatio obiecta, quod in cap. *Maiores*, de Baptiſmo, res tum non ſit recens inuenta; ſed memoria hominum antiquior. Vrgeant hæc contra hæreticos, nihil enim ad nos ſpectant; vt patet ex dictis. Verba etiam Gabrielis, tanquam à Doctore dicta profert Sotus, quaſi aſſeruerit non eſſe tutum, propter authoritatem Eccleſiæ negare characterem, hoc nullibi Doctor; determinat enim rem hanc tanquam de fide certam: nec ergo rectè aſſequuntur mentem Doctoris, nec rectè allegant. Hæc interim ſufficiant pro declaratione quæſtionis, & ſententia vera Doctoris; in quibus primarium ſcopum, & tractatum ipſius quæſtionis comprehendimus: ſupereſt vt reliqua ſuo ordine perſtringamus.

## SCHOLIVM.

*Variæ acceptiones characteris, ac eius definitio ſecundùm Theologos, & proprietates conſequentes.*

Hîc [a] intelligendum eſt, quòd quæſtio *an eſt*, nihil manifeſtum præſupponit, niſi quod dicitur per nomen, ſicut patet ex quæſtione de definitione Sacramenti in communi

2 *Quæſtio an eſt, quid, ſupponit?*

*dist.* 1. Primò ergo supponetur significatum huius nominis *character*, secundùm quòd hîc est quæstio de eo. Secundò, inquiretur de principali, an aliquid tale sit in anima per susceptionem Baptismi.

*Character varia significat.*

De primo transferendo verbum ex verbo, character significat idem, quod figura; & sic accipitur ad *Hebr.* 1. vbi nos habemus, *figura substantiæ*, ponitur character in Græco. Et hoc modo dicimus characteres, figuras quibus literæ scribuntur: & hoc modo dicimus characteres in incantationibus, & huiusmodi quasdam figuras protractas. Et hoc modo accipitur in *Apocalyps.* character bestiæ, figura in fronte, vel in manu, quæ significat ipsam pertinere ad familiam bestiæ. Generaliùs autem accipitur character pro signo: & hoc modo Baptismus potest dici character, quia signum quoddam est. Forma etiam verborum in Sacramento aliquo, potest dici character, sicut Magister loquitur de charactere *dist. ista*: vt dictum est quæstione præcedenti.

*Cap.* 13. 14. 16. & 19.

3 *Definitio characteris.*

Sed his omnibus prætermissis de charactere, vt loquimur in proposito, Theologi concipiunt communiter per characterem quoddam spirituale impressum à Deo susceipienti Sacramentum non iterabile. Ex ista ratione nominis sequuntur aliquæ proprietates characteris, quarum duæ sunt communes sibi, & cuilibet formæ, scilicet, quòd est forma assimilatiua alij habenti: & quòd est forma distinctiua à non habente. Et aliæ speciales, quarum vna est, quòd est signum rememoratiuum Sacramenti susceipti; alia, quòd est signum conformatiuum Christo, cuius Sacramentum susceipitur; & etiam obligatorium ei, eo modo, quo susceipiens Sacramentum obligatur per eius susceptionem.

*Character est signum rememoratiuum, conformatiuũ, & obligatorium.*

Ex ista etiam ratione nominis patet, quòd character non est gratia, nec virtus aliqua infusa, puta fides, spes, charitas: quia tales virtutes non semper imprimuntur susceipienti Sacramentum non iterabile, vtpote ficto susceipienti ordinem, vel confirmationem: character autem semper imprimitur. Hoc etiam apparet ex quadam alia conditione, quam communiter loquentes attribuunt characteri, scilicet, quòd est indelebilis: virtutes autem istæ sunt delebiles, vt patet de peccante mortaliter, in quo non remanent istæ virtutes.

*Character non est virtus.*

## *COMMENTARIVS.*

14 a *Hic intelligendum est*, &c. Diuiditur quæstio in quid nominis; & an sit character. Hîc explicat quid nominis, iuxta communem sententiam χαραχτὴρ enim Græcè, Latinè *figura* dicitur ἡ χαραχτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, ad Hebræos 1. *& figura substantiæ eius*, &c. Omissis eius acceptionibus, quas in litera adducit, sumitur ad propositum quæstionis præsentis, pro aliquo spirituali impresso à Deo in anima, mediante Sacramento Baptismi, cuius duplex est effectus, alius Physicus, alius moralis: Physicus est, vt sit assimilatio subiecti ad aliud quod habet similem formam, & distinctiuus à non signato: moralis est, vt signum memoratiuum Sacramenti susceipti conformatiuum Christo, & obligatorium susceipientis Sacramentum ad legem, & fidem, cuius est initiatio. Hinc excluditur ab aliis effectibus Sacramenti, vt sunt gratia, & virtutes, quæ amitti possunt, per peccatum; non ita character.

*Character figura.*

*Duplex eius effectus.*

## SCHOLIVM.

*Ponit sententiam negantium characterem, & auctoritates, quibus eos impugnat D. Thom. quas ostendit non vrgere, nec ad intentum auctorum adduci.*

4 *Iuristæ ex decr.* 1. q. 1. c. quidã dicunt.

Secundùm [b] principale est, an aliquid habens istam rationem nominis, & alias proprietates, imprimatur in animam baptizati. Et dicitur quòd non, & modus ponendi est iste: sicut enim in aliquibus consecratis, quæ in consecratione sua non recipiunt sanctitatem formalem, nihil reale imprimitur, ita est in proposito, cùm susceipiens Sacramentum non necessariò recipiat sanctitatem formalem, nulla sibi forma realis necessariò imprimitur. Similitudo probatur, quia alia sanctificata, quæ non recipiunt sanctitatem formaliter, non distinguuntur ab homine, quantùm ad istum actum, quando ex isto actu non recipit sanctitatem. Assumptum autem de illis aliis patet, tum in calice sanctificato, quia nullam formam realem recipit: tum in Ecclesia dedicata, vel aqua benedicta, & vestibus Sacerdotalibus, & huiusmodi.

Ad istam conclusionem arguitur, primò sic: Sicut sequendo rationem naturalem, non sunt plura ponenda, quorum necessitas non apparet ex notis secundùm naturalem rationem, ita de creditis, non sunt ponenda plura, quorum necessitas non apparet secundùm fidem: sed necessitas talis formæ impressæ non apparet, etiam secundùm ea, quæ sunt credita de Baptismo: ergo, &c. Minor probatur, quia nec Scriptura sacra istud

istud exprimit esse necessarium in Baptismo: nec Sancti, explicitè: nec sequitur euidenter ex veritate Baptismi creditâ: quia tota veritas Baptismi consistit in Sacramento visibili, & effectu inuisibili: istum effectum inuisibilem communiter vbi Augustinus specificat, vocat gratiam.

Hîc respondetur, quòd Sancti satis tradunt de charactere, secundùm illum modum quo loquimur, vt adductum est de Dionysio, & Damasceno. 5 *D.Thom.4. dist.1. q.4. adducendo auctoritat. Dionys.*

Sed illæ auctoritates videtur tantùm esse vocales, & non ad intentionem eorum. Sicut enim patet respiciendo translationem, & expositionem Vercellens. *cap.2.* Ecclesiasticæ Hierarchiæ *in 6.particula, cap.2.* sunt ista verba quæ allegantur, vbi dicit secundùm istam translationem: *Ita sursum actum diuina beatitudo à suiipsius participatione recipit, & de proprio lumine, sicut quodam signo ipsi tradit diuinum faciens, & communicatorem in Deo manentium.* Et sequitur ibi: *Sanctum signum à Hierarcha accedenti data significatio.* Vbi adducunt aliqui de alia translatione verba talia: *Aduenienti ad Baptismum, donatur à summo Sacerdote sacrum signaculum.* Similiter illud de Damasc. *lib.4.c.1.* adducit sic, *quòd per Baptismum datur nobis regeneratio, & sigillum:* per sigillum intelligitur secundùm eos character, ibidem *dist.3.c.2.* dicit Damasc. *Quemadmodum Israëli circumcisio:* & sequitur post illud, *est sigillum.* Damasc.

Istæ auctoritates non adducuntur ad intentionem auctorum. De prima patet, quia sicut continet planum literæ, & Vercellensis exponit in illa parte sexta, *cap.2.* determinat de quodam præambulo ad Baptismum, qualiter valet secundùm ritum Græcorum in primitiua Ecclesia. In primitiua enim Ecclesia baptizandus primò inducebatur, cui Hierarcha manum capiti imponens signabat eum; præcipiens Sacerdotibus, quòd tam ipsum, quàm eius susceptorem describant. Illud fiebat longè ante baptizationem, sicut apparet ex processu literæ ibi, quia de actu baptizandi determinatur pòst *parte* 17. sub litera. Vnde & textus ille Dionysij secundùm translationem Vercellensis, truncatè adducitur. Præmisso enim de proprio lumine, scilicet fidei: *Sicut quodam signo ipsi tradito, & communicatorem in Deo manentium,* &c. de istis subdit: *Quorum est sanctum signum à Hierarcha accedenti data signatio, & Sacerdotum salutaris descriptio;* quorum, inquam, redde singula singulis, scilicet illuminationis traditæ, sanctum signum, à Hierarcha data signatio, scilicet impositio manuum in capite, & quòd sit communicator diuinorum, signum est Sacerdotum salutaris descriptio, qui scilicet describunt eum, & eius susceptorem tanquam in communionem Christianorum receptum. Ista autem impositio manuum, & descriptio fiebat longè ante baptizationem: ergo nullo modo ista hîc dicta possunt intelligi de aliquo signo impresso in Baptismo. 6 *Dionys. non fuisse loquutum de charactere, loco citato.*

Auctoritas Damasceni valde ineptè adducitur, quia pars vnius orationis coniungitur cum parte alterius, prætermissâ sententiâ concipiendâ cum parte præcedente. Iacet enim in litera Damasc. sic: *Per Baptismum primitias spiritus assumimus;* & est ibi versus, & sequitur alius versus, *Et principium alterius vitæ fit nobis regeneratio.* Et tunc sequitur statim, *sigillum & custodia, & illuminatio:* ergo nullo modo vult ipse dicere, quòd per Baptismum sit nobis sigillum, sed quòd per Baptismum sumimus primitias spiritus in primo versu: & in alia clausula, quòd regeneratio est principium vitæ, & sigillum, &c. ergo ex ista auctoritate non potest haberi, nisi quòd Baptismus, siue regeneratio sit sigillum: non autem, quòd per Baptismum fiat in nobis sigillum. 7 *Non fuisse loquutum de charactere, vt putauit D. Thom.*

Alia autem auctoritas Damasceni nihil valet. Nam expresè ibi loquitur de cruce, dicens, *Ista nobis signum est data in fronte, quemadmodum Israëli circumcisio: per ipsam enim fideles ab infidelibus distinguuntur;* & sequitur de eadem cruce, *Ista scutum est arma, & trophæum aduersùs diabolum,* scilicet sigillum, *vt non approximet nobis vastator:* non plus dicere vult, nisi quòd impressum est nobis sigillum contra inimicũ, quod non est ad propositum.

## SCHOLIVM.

*Arguit ab auctoritate Sanctorum negatiuè, & varijs rationibus, non dari characterem.*

Hoc etiam confirmatur, quia Augustinus, qui tantùm tractauit ex intentione de Baptismo, vtpote *in 6.lib.* de Baptismo cõtra Donatistas, & in vno volumine de vnico Baptismo, & præter hæc multa super Ioannem, & aliqua in aliquibus *capitibus de fide ad Petrum,* non tacuisset de charactere, si ipse fuisset immediatus, & necessarius effectus Baptismi. 8 *Augustin. non videtur expresè docuisse characterem.*

Et si dicas, non negat: Respondeo, ad propositum sufficit, quòd non affirmet: quia tantæ inuestigationis supponitur, quòd si character fuisset proxima res Baptismi, alicubi expressisset: nunc autem in Baptismo non distinguit, nisi Sacramentum: hoc est ali-

quid viſibile extra,& rem Sacramenti,ſcilicet gratiam : nec vnquam fictum dicit recipere aliquam rem Sacramenti,ſed tantùm Sacramentum:nec vnquam initerabilitatem Baptiſmi oſtendit ipſe propter talem characterem impreſſum.

Conſimiliter etiam *de conſecrat. diſtinct.* 4. colliguntur auctoritates Sanctorum de Baptiſmo, nec videtur veriſimile, quòd nullus eorum locutus fuiſſet de charactere, ſi fuiſſet effectus ita neceſſarius Baptiſmi; & quòd videtur multum ponderis habere. Magiſter Sententiarum nuſquam de charactere illo ſecundùm iſtum intellectum locutus eſt, cùm tamen ipſe diligenter auctoritatẽ Sanctorum de materiis,quas tractat,compilauerit.

9 Secundò principaliter arguitur ſic, & redit in eandem virtutem, ſcilicet quòd pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate,& arguitur ſic: Nihil fruſtrà ponendum eſt in operibus Dei, & naturæ, quia Deus & natura nihil faciunt frùſtrà: ſed character ſecundùm iſtum intellectum, ſi ponatur, fruſtrà ponitur: ergo,&c. Probatio minoris, primò comparando ad effectum principalem Baptiſmi, qui eſt gratia: ſecundò ad effectus illos qui attribuuntur characteri, ſcilicet aſſimilare, diſtinguere,&c.

1. *Phyſ. t. c.50. primo cœli t. c.32. Natura abhorret ſuperfluum.*

*Charakterem non eſſe neceſſariam diſpoſitionẽ ad gratiam.*

Quantùm ad primum, arguitur ſic; ſi requiritur vt diſpoſitio ad gratiam, aut ergo ex parte ſuſcipientis: aut ex parte agentis. Non ex parte ſuſcipientis: quia anima non habens actuale peccatum eſt ſummè diſpoſita ad ſuſcipiendum gratiam. Nec ex parte agentis, quia agens eſt infinitæ virtutis.

Et ſi dicas, quòd requiritur vt diſpoſitio permanens ad effectum inducendum, quandoque poſterius tempore, qui non ſtatim inducitur, vtpote ad hoc, quòd fictus baptizatus poſtea recipiat effectum Baptiſmi. Contra hoc arguitur vt priùs. Aut enim pro illo poſteriori,quando recipit effectum vltimum Baptiſmi,character requiritur vt diſpoſitio ex parte ſuſceptiui: aut ex parte agentis, & ſtat ratio vt priùs.

Arguitur ad hoc etiam ſpecialiter, quia ſine tali ſigno poſſet Deus aſſiſtere Baptiſmo, vel baptizato ad cauſandum effectum Baptiſmi,recedente fictione: ſicut aſtitiſſet in ipſo Baptiſmo, ſi priùs non fuiſſet fictus. Et confirmatur, quia effectus Baptiſmi non datur illi, qui ponitur habere characterem, niſi verè pœniteat: ſed per veram pœnitentiam ſine tali forma characteris gratia daretur.

10 Quantùm autem ad alios effectus, qui attribuuntur characteri, probatur propoſitum, quia ſine forma inhærente poſſet baptizatus aſſimilari baptizato, & diſtingui à non baptizato, per hoc, quòd recipit Baptiſmum, ſicut patet in multis aliis: quia profeſſus in religione, aſſimilatur alteri profeſſo, & diſtinguitur ab alio non profeſſo, non per aliquam formam ſibi inhærentem poſt profeſſionem, ſed quia talem actum habuit in præterito.

*Ad diſtinguendũ, vel conformandum Chriſto, non eſſe neceſſariò ponendum characterem.*

Eodem modo de tertio effectu, ſcilicet quòd ponitur ſignum configuratiuum Chriſto, ſiue obligatiuum: poteſt enim aliquis eſſe obligatus alicui, & ita configuratus ſibi, quantùm ad obligationem configurandi, ſine omni forma inhærente; ſicut ille, qui fecit homagium alicui domino, poſt homagium obligatur ſibi ad fidelitatem ſeruandam, & ita ad quandam configurationem, & profeſſus ex profeſſione tenetur conformari,ſeu configurari Prælato ſuo: & tamen nec faciens homagium,nec profitens recipit aliquam formam abſolutam, quæ ſit ſignum configurandi.

*Non requiri neceſſariò characterẽ, vt ſit ſignũ rememoratiuum.*

De quarto effectu, ſcilicet quòd ponitur ſignum rememoratiuum ipſius Sacramenti, arguitur ſic. Quia, aut reſpectu Sacramenti ponitur tale **ſignum** rememoratiuum, propter excellentiam Sacramenti in ſe: aut propter aliquam habitudinem ad alios, qui ex ſigno cognoſcant ſignatum: non primo modo, quia excellentiora ſunt fides, & charitas, quàm ſuſcepiſſe Baptiſmum: & tamen iſta non habent aliquod ſignum rememoratiuum poſtquam infuerunt.Nec ſecundo modo,quia,aut in comparatione ad Deum,vel ad proximum. Non ad Deum,quia Deus ſine omni ſigno inexiſtente cognoſceret iſtum ſuſcepiſſe Sacramentum, & fuiſſe baptizatum. Non ad proximum, quia vel ad beatum in gloria, ad maiorem gloriam habentis tale ſignum: vel damnatum in inferno, ad maiorem confuſionem non habentis tale ſignum: neutrum eſt dare, quia maior gloria eſt beato habuiſſe actum charitatis, quàm ſuſcepiſſe Baptiſmum, & maior confuſio eſt damnato cecidiſſe à charitate, quàm à ſuſceptione Baptiſmi: & tamen charitatis, ſeu actus meritorij, nullum ponitur ſignum rememoratiuum in beato, nec in damnato.

11 Specialiter autem arguitur de beatitudine, quia ſi ſignum iſtud eſſet in habente ad ſpecialem excellentiam in gloria: ſequeretur, quòd ſolus Sacerdos inter omnes Chriſtianos poſſet habere talem excellentiam in gloria: quia Sacerdos habet omnes characteres. Sequeretur etiam quòd Chriſtus careret iſta excellentia gloriæ, quia ipſe non fuit baptizatus Baptiſmo Chriſti: Baptiſmus autem Ioannis non impreſſit characterem,

nec

nec fuit Sacerdos sacerdotio, vt confertur in ordine sacerdotali: quia non fuit ab aliquo ordinatus. Pari ratione, nec confirmatus confirmatione sacramentali. Sequitur etiam quòd sancti Patres, & beata Virgo, quia non habuerunt istud signum, non habent illam excellentiam in gloria.

Præterea tertiò arguitur ex parte huius doni in se, quia non videtur probabile, quòd alicui, qui non tantùm est in peccato mortali, sed in illo actu peccat mortaliter, Deus conferat donum suum: & huius probatio est: quia *Dei perfecta sunt opera.* Deuter. 22. & ideò nullum curat quem non perfectè curat: impium enim est à Deo imperfectam sperare veniam: nullum ergo donum suum dat alicui actualiter tunc peccanti mortaliter: sed fictus in suscipiendo Baptismum, peccat mortaliter, quia facit irreuerentiam Sacramento: ergo Deus ex virtute huius actus, in quo peccat mortaliter, non dat sibi aliquod donum speciale.

Item, omne donum Dei datum homini, aut est gratum faciens: vel gratis datum, sic intelligendo hoc, quod est gratum faciens, vel actualiter, vel dispositiuè. Quod breuius dici potest, quòd Deus nullum donum dat alicui, nisi vel propter bonum eius, vel propter bonum Ecclesiæ. Illud quod ponitur character, non est donum gratis datum, siue propter bonum Ecclesiæ, cuiusmodi donum est linguarum, & illa de quibus loquitur Apostolus 2. *ad Corinth.* 9. quia istud nulli valeret, nisi tantùm habenti. Patet etiam, quòd nullus effectus vtilis Ecclesiæ sequitur: sed nec donum gratum faciens: quia per istud donum persona non constituitur in aliquo gradu acceptationis respectu Dei: nec etiam tale donum confertur sine gratia, & charitate: quia Deus perfectè sanat. *Gratia gratis data, & gratum faciens, in quo distinguantur.*

12 Vltimò arguitur ex isto modo essendi, qui ponitur characteris, quia ponitur indelebilis, & hoc sic: Nulla forma inest animæ, quam non potest Deus delere: quia minus est delere, quàm creare, vel saltem non includit contradictionem formam creatam in anima deleri ab anima: ergo si character sit indelebilis, nulla talis est forma in anima baptizari.

Secundùm istam opinionem, patet responsio ad duas auctoritates adductas ad aliam partem quæstionis: quia malè adducuntur, & omnino non secundùm intentionem auctorum, sicut patet in prima ratione istius opinionis.

Ad rationem pro illa parte de indelebilitate, respondeo, quòd non est Sacramentum iterabile, propter hoc, quòd imprimat effectum indelebilem: sed ex ordinatione diuina, sicut dictum est in præcedenti quæstione.

Ista etiam ratio potest duci ad oppositum. Magis enim est Sacramentum iterabile, si nullam formam imprimat: quia quantumcunque imprimeret illam, deleri posset. Si autem solùm ponitur iterabile, quia transit in præteritum: tunc saluatur simpliciter ratio indelebilis: quia Deus de potentia absoluta non posset facere præteritum non præteriisse. Nam si fugias ad formam impressam, cùm quælibet sit delebilis, non habetur simpliciter iterabilitas. Sed si dicatur actum præteritum esse signum, cùm ille actus præteritus non possit deleri, id est, non fuisse, sequitur, quòd ista sit ratio simpliciter iterabilitatis.

## SCHOLIVM.

*Non posse probari ratione, experientiâ, Scripturâ sacrâ, vel claris, & expressis Sanctorum locis, ponendum esse characterem, sed dari constat ex auctoritate Ecclesiæ,* c. maiores, *de Bapt quod post Scot. diffinitum est in Florent. Decreto Eug. & Trid. ss. 7. can. 6. sed ex auctoritatibus non expressis. Omnes enim possent exponi de ipso Baptismo, qui dici potest character & signaculum. Vide loca Sanctorum apud Coccium.*

13 Ad quæstionem potest dici aliter, quòd licèt characterem ineste animæ, non possit probari per rationem naturalem, neque in vniuersali, quòd scilicet necesse sit dare talem formam ineste animæ propter *quid*, nec etiam propter finem: neque in particulari, vt per experientiam alicuius actus, seu per conditiones actus manifestantes talem formam inesse ipsi agenti percipienti actum suum, sicut nec probari potest de gratia, vel charitate, de quo dictum est in 3. *lib.* licèt etiam ex creditis manifestè, siue quæ sunt explicitè de substantia fidei, siue quæ continentur in Scriptura, siue quæ manifestè per Sanctos sunt elicita ex creditis, non possit probari, quia non apparet necessaria habitudo eius ad talia credita: tamen poni potest, quia non repugnat ipsi animæ talem formam habere, qualis describitur character, nec per consequens repugnat Deo posse animæ talem formam imprimere. *dist. 26.*

Sed ne omnino fruſtrà, & ſine neceſſitate ponatur, oportet aliquam auctoritatem habere, cui innitatur, qui ponit eam, & tunc facile erit ſoluere, quæ obiiciuntur. Inter auctoritates autem Sanctorum ſecundùm iſtam ſignificationem characteris, de qua loquimur, non videntur multæ auctoritates expreſſæ: tamen aliquæ allegantur non concludentes ex Auguſt. de Baptiſmo contra Donatiſtas, lib. 6. *Satis eluxit ouem, quæ foris characterem dominicum acceperat, venientem ad ſalutem ab errore corrigi: characterem tamen in ea dominicum agnoſcet, quem quidem characterem multi lupi lupis infigunt, qui intus videntur.* Ibidem etiam lib. 1. de conſec. diſt. 4. oſtenditur, *Sicut baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum Baptiſmi non amittit: ſic ordinatus, etſi receſſerit, Sacramentum dandi Baptiſmum non amittit, nulli enim iniuria facienda eſt.*

*Auguſt.*

14 In iſta auctoritate pluries nominat characterem, ſed apparet, quòd nihil ad propoſitum ſecundùm ſignificationem characteris, de qua loquimur: quia dicit, quòd lupi lupis infigunt characterem: quod magis ſaluatur de Sacramento Baptiſmi, quàm de aliquo effectu in anima. Vnde vbique in illa auctoritate poteſt character benè ad intentionem eius accipi pro Baptiſmo, non effectu Baptiſmi, ſicut dictum eſt priùs Magiſtrum accipere characterem in iſta definitione, pro forma Baptiſmi.

*Characterē ponendum ſecundùm auctoritatē Eccleſiæ.*

Breuiter, ſicut habetur *Extrau. de hæreticis, ad abolendam*, ſentiendum eſt de Sacramentis Eccleſiæ, ſicut ſentit Romana Eccleſia: Romana autem Eccleſia videtur ſentire characterem imprimi in anima in Baptiſmo, ſicut dicit Innocentius III. Extrau. de Baptiſmo, & eius effectu, Maiores: *Qui fictè accedit ad Baptiſmum, characterem ſuſcipit Chriſtianitatis impreſſum.* Et ibidem in fine, *Tunc characterem ſacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentem.* Et ſi prima auctoritas poſſet exponi vocando characterem Chriſtianitatis ipſum Baptiſmum: tamen ſecunda, quæ dicit, quòd Sacramentalis operatio imprimit characterem videtur expreſsè loqui de characterе, tanquam de aliquo impreſſo ipſi animæ, ſicut loquimur in propoſito. Propter ergo ſolam auctoritatem Eccleſiæ, quantùm occurrit ad præſens, eſt ponendum, characterem imprimi.

*Tres congruentiæ pro charactere ponendo.*

15 Ad hoc autem poni poſſunt tres congruentiæ. Prima talis, congruum eſt ad formam perfectam, poni aliquam diſpoſitionem: gratia autem forma eſt ſupernaturalis, & perfecta: ergo congruit ad eam eſſe aliquam diſpoſitionem præuiam ſupernaturalem: talis eſt character. Secunda congruentia, quia congruit Deum non inſtituiſſe Sacramenta vana, ſaltem pro noua lege, quæ perfecta eſt: ergo congruit, quòd Sacramenta ſua à nullo recipiantur verè, quin aliquem effectum habeant: ſed non ſemper habent gratiam ſicut in ficto: ergo aliquem alium. Tertia congruentia eſt, quia congruit receptum in familiam Chriſti, diſtingui à non recepto per aliquid intrinſecum ſibi: quia licèt Chriſtus poſſet diſtinguere ſine tali intrinſeco, tamen perfectior eſt diſtinctio eius, & in ſe, & in comparatione ad omnem Eccleſiam, militantem ſcilicet, & triumphantem, ſi fiat per aliquam formam intrinſecam manentem, quàm ſi non ſic fiat. Tale autem diſtinctiuum eius, qui ſuſcepit Sacramentum, quo intratur in familiam Chriſti, ab eo, qui non ſuſcepit, & immanens in ſuſcepto, ponitur character.

Iſtarum congruentiarum tertia eſt magis rationabilis: quia eſt etiam ſpecialis de Baptiſmo, duæ aliæ talem habent probabilitatem, quòd ſi ponetur character, tali modo ponetur, qualem illæ congruentiæ tangunt. Puta ſecundùm primam ponitur diſpoſitio ad gratiam: rationabile eſt enim quòd quando ab eodem agente cauſantur in eodem ſubiecto duæ formæ ordinatæ, hoc eſt, non ex æquo, quantum ad cauſationem, nec æquè perfectæ, quòd ſit vna diſpoſitio ad aliam: & hoc non perfectior ad imperfectiorem, ſed è conuerſo. A Deo autem in Baptiſmo cauſantur character, & gratia, & vtroque modo non ex æquo: ergo cùm character ſit imperfectior, congruum eſt ipſum eſſe diſpoſitiuum ad gratiam, quæ eſt perfectior.

16 Sed tamen iſta congruentia non probat, quòd oportet talem formam ponere, quæ ſit diſpoſitio, alioquin, cùm in quolibet Sacramento conferatur gratia, in quolibet requireretur diſpoſitio præuia: applicando tamen rationem illam ſpecialiter ad Baptiſmum, habet maiorem euidentiam: quia primum Sacramentum conferens gratiam, eſt Baptiſmus: & per conſequens in ipſo magis debet conferri diſpoſitio ad gratiam, quàm in aliquo alio: quia diſpoſitio naturaliter præcedit formam ad quam eſt: & ideò non ſimiliter oportet, quòd imprimatur in aliis poſterioribus Sacramentis.

Sed ſecunda eſt nimis vniuerſalis, quia æquè concludit de quolibet Sacramento, quia quodlibet inſtitutum eſt ſic, quòd non ſit vanum: ponere autem in aliis Sacramentis quendam ornatum correſpondentem characteri, omnino ſuperfluum eſt, ſicut tactum eſt

*q. 5.* ſuprà *diſt.* 1. Et poteſt formari ratio ad oppoſitum de aliis Sacramētis, quòd iſta ratio non concludit.

concludit. Si enim aliquis æquè fictus potest recipere aliquod Sacramentum, sicut fictus recipit Baptismum, quod apparet probabile: quia non videtur maior necessitas determinare dispositionem ad hoc, quòd absolutè recipiat Sacramentum Pœnitentiæ, quàm ad hoc, quòd absolutè recipiat Sacramentum Baptismi: & recipiens Sacramentum Pœnitentiæ, nullum omnino effectum inuisibilem recipit: ergo non necesse est propter veritatem Sacramenti, quòd baptizatus recipiat aliquem effectum inuisibilem. Sic ergo breuiter teneatur conclusio propter auctoritatem Ecclesiæ priùs adductam, & duæ congruentiæ, vna de susceptione in familiam Christi, & alia de dispositione conferenda, sunt probabiles.

Ad argumenta alterius opinionis. Ad illud, quod tangitur primò in modo ponendi, dico, quòd alia consecrata non recipiunt formam inhærentem eis, quia non sunt capacia: homo autem capax est gratiæ, & dispositionis cuiusdam ad gratiam, & ideò quando propter impedimentum suum non recipit gratiam, recipit tamen istam dispositionem, & ista est character. *Ad argum. posita n. 4. & seqq.*

17 *Quare in consecratis aliis ab homine nihil imprimitur.*

Et si obiicitur, in eo quòd homo non recipit sanctitatem formaliter, non distinguitur ab aliis sanctificatis, quæ non possunt recipere sanctitatem formaliter, cuiusmodi sunt ista consecrata, calix, & huiusmodi. Respondeo, quòd homo in ista negatione, scilicet *non recipere sanctitatem formaliter*, non distinguitur ab illis: sed distinguitur in hoc; quod est capax non solùm sanctitatis formaliter, sed dispositionis ad eam: ista autem non. Et si non recipiat illud vltimum propter impedimentum ex parte eius: tamen recipit dispositionem præuiam.

Ad illam rationem primam de necessitate ponendi plura. Respondeo, quòd etsi non possit istud euidenter necessariò probari ex creditis: tamen ponendi necessitas est hæc: quia Ecclesia ponit, & congruentiæ sunt quales priùs adductæ sunt. Nec valet argumentum negatiuum, si nec Dionysius, nec Damascenus, ergo nullus: sufficit enim auctoritas Ecclesiæ: quia August. de moribus Manichæorum: *Euangelio non crederem, nisi crederem Ecclesiæ.* *Cõtra Epist. Fund.*

Ad aliam rationem, quæ procedit ex medio eodem, scilicet, quòd nihil ponendum est frustrà. Respondeo, quòd licèt de potentia absoluta posset Deus causare gratiam, quæ est principalis effectus Baptismi, & etiam illos alios effectus proprios assignatos characteri scilicet assimilare, &c. sine tali forma absoluta, quæ ponitur character: tamen de potentia ordinata tenetur, quòd causat illos effectus mediante istâ formâ, & congruè propter rationes prædictas.

18 *Character nil efficit, sed est dispositio ex parte susceptiui.*

Et tunc ad rationem, cùm dicitur, aut est dispositio ex parte passi, vel agentis. Respondeo, non agentis, quasi sit quoddam agens medium inter primum agens, & passum: non enim pono characterem habere ad aliquam virtutem actiuam respectu gratiæ causandæ, sed Deum assistere illi tanquam signo inuisibili ad causandum gratiam, quam signat, recedente impedimento siue obice inhærente. Est ergo dispositio ex parte susceptiui, quia est forma prior, sine qua non recipitur forma posterior, non quidem quasi sit ratio susceptiui respectu posterioris, sed quòd priùs insit, quàm posterior: non simpliciter necessariò, sed necessariò, comparando ad potentiam ordinariam agentis causantis vtramque formam.

Et cum dicitur vltrò, quòd posset effectus Baptismi haberi per veram pœnitentiam, dico, quòd de potentia ordinata non potest secundùm istam opinionem haberi perfecta innocentia sine tali forma intrinseca, cui Deus assistit ad talem innocentiam causandam.

Ad illa, quæ obiiciuntur de aliis effectibus, puta de distinctione, & assimilatione, patet, quòd etsi absolutè distinctio, & assimilatio possent esse per actum transeuntem in præteritum: tamen perfectiùs, & magis congruè sunt per aliquam formam derelictam post actum transeuntem.

Consimiliter ad illud de obligatione, seu configuratione, quia si homo recipiens homagium alterius, vel prælatus recipiens alium ad professionem, posset aliquam formam imprimere obligato, magis hoc faceret, quàm quòd absolutè per actum præteritum sibi esset obligatus: Deus autem potest talem formam configurantem, hoc est, offendentem obligationem imprimere in anima.

19 *Character respectu cuius signum rememorationis.*

Quod etiam additur de signo rememoratiuo. Dico, quòd rememoratiuum est, non tantùm propter illos, respectu quorum habet rationem signi ducens in rationem signati, sicut arguitur diuidendo: sed habet rationem signi rememoratiui propter ipsum, qui suscipit. Et tamen si ponatur propter alios, non tantùm esset quoddam in se rememoratiuum

tiuum Sacramenti, ſed etiam eſſet ſignum ductiuum in illud, ſicut *ſignum dicitur, quod facit aliud in cognitionem venire.* Poteſt etiam concedi, quòd in comparatione ad Deum, & ad proximos, ſiue in beatitudine ad gloriam, ſiue in damnatione ad confuſionem.

*Characterē in cœlo, & inferno mā-ſurum.*

Et quod obiicitur, quòd Deus poſſet cognoſcere ouem ſuam ſine ſigno, non obſtat, quia etiam poteſt eam noſſe cum ſigno. Beati etiam, & damnati poſſunt iſtam noſſe ſignatam, quam non cognoſcerent non ſignatam: quia in beatitudine ad maiorem gloriam, & in damnatione ad maiorem confuſionem. Et cùm obiicitur de fide, & charitate, ſiue de meritis, dicetur in reſponſione ad ſecundum argumentum principale. Sed illa, quæ obiiciuntur ibi de Chriſto, & matre eius, quòd character non eſt Beato ad gloriam, ſolui poſſunt, quia ſicut in natura creata ſunt aliquæ perfectiones non ſimpliciter, ſed in tali natura, quia ſunt perfectiones ſupplentes imperfectionem: ita poteſt dici de iſto, quòd eſt perfectio ſupplens imperfectionem, & ideò non competit omnino perfecto: neque etiam competit illi perſonæ, in qua eſt aliqua perfectio maior ſupplens imperfectionem, quàm ſit iſta.

20

*Peccanti mortaliter in ipſo actu, dat Deus ſua dona quandoque.*

Ad tertiam rationem pro opinione poteſt dici, quòd Deus peccanti mortaliter in ipſo actu, quo peccat mortaliter, confert aliquod donum ſuum: quia non vult Sacramentum ſuum, quod verè ab eo ſuſcipitur, eſſe vanum, & ita vult ibi aliquem effectum cauſare: non autem vltimum, quia indiſpoſitus eſt. Et cùm probas, quòd perfectè curat, concedo, quando curat: ſed tunc non curat, immò tantùm diſponit iſtum, ſiue præparat ad curationem: & concedo, quòd perfectè præparat. Et iſtud eſt rationabile, quia licèt in actionibus beneplaciti circa perſonas priuatas fortè non conferat dona ſua pertinentia ad ſalutem illius perſonæ, niſi perfectè ſanando illam perſonam: in actibus tamen vniuerſalibus concomitantibus remedia ſua vniuerſalia, cuiuſmodi ſunt Sacramenta, rationabile eſt, vt aliquos effectus vniuerſales ordinaret cauſare cum talibus remediis: non autem vltimatos, quia non omnes recipientes illa remedia ſunt ad hoc idonei.

*Character, an ſit gratia gratis data? D. Bonau. hic.*

Per hoc apparet ad quartum. Concedo enim, quòd eſt donum pertinens ad bonum ſuſcipientis, non autem Eccleſiæ. Et cùm dicis, tale non poteſt conferri ſine aliis donis perficientibus talem perſonam, poteſt concedi in actionibus ſpecialibus circa perſonas ſpeciales, & modo ſpeciali: ſed non de actionibus generalibus concomitantibus remedia generalia conſtituta pro toto genere humano. Illas enim regulariter cauſat cum ipſis remediis ne ſint vana.

*Character quomodo indelebilis.*

Ad quintum, licèt multipliciter dicatur de indelebilitate characteris, nec ſit multum vtile recitare: breuiter dico, quòd nulla forma poteſt eſſe in anima alia ab anima, quam non poſſit Deus de potentia abſoluta delere, ſicut poſterius à priori: quia in hoc nulla poteſt inueniri contradictio. Sed character, ſi ponatur, hoc modo eſt indelebilis, nec poteſt deleri hoc modo, quia nec virtute alicuius creaturæ. Patet, quia eſt forma ſupernaturalis: nec poteſt virtute diuina deleri de potentia eius ordinata, quia ordinauit nullam formam ſupernaturalem delere, niſi propter aliquod demeritum inhærens animæ: reſpectu autē characteris delendi nulla poteſt eſſe cauſa demeritoria: cùm enim imprimitur in actu peccandi mortaliter, nihil poteſt demereri ipſum tolli. Hîc nota contra D. Thomam, quòd non ſit ponere virtutem aliquam ſupernaturalem in Sacramento: quia illa nunquam poſſet corrumpi eodem modo, quo characterem indelebilem ponit.

*Nota.*

21

*Circumciſionem cauſaſſe characterem. Gabr. hic q. 2. & Scotiſtæ. Character Circūciſionis qualiter differt à charactere Baptiſmi?*

Ad rationes principales. Ad primam concedit idem Thom. quòd Circumciſio non impreſſit characterem: & tunc contra eum eſt argumentum in *q.* 1. de efficacia Sacramenti reſpectu gratiæ: ponit enim, quòd non habet efficaciam reſpectu gratiæ, niſi quia eſt inſtrumentum reſpectu cuiuſdam diſpoſitionis ad gratiam. Dico ergo, quòd concedi poteſt de Circumciſione, quòd ibi imprimebatur character aliquis, ſicut in Baptiſmo: ita enim erat prima ianua ſalutis in lege Moſaica, ſicut Baptiſmus in noua. Et cùm arguitur, quòd tunc circumciſus non eſſet baptizandus, nego conſequentiam. Ad probationem poteſt concedi, quòd character ille eſſet eiuſdem rationis cum charactere Baptiſmatis, vel alterius. Quòd ſi eiuſdem, vel non imprimebatur character per Baptiſmum ſuſceptum à circumciſo, ſicut in ſubiectum habens aliquam formam, non imprimitur iterum talis forma etiam à cauſa, quæ aliàs nata eſſet imprimere talem formam: & hoc ideò, quia ſubiectum non eſt in potentia, ſed iam in actu ſecundùm illam: vel ſi imprimeretur in baptizato alius eiuſdem rationis, nihil inconueniens, ſaltem ſi character ponatur relatio, vt dictum eſt de relationibus *diſt.* 8. *lib.* 3. vel poſſet dici illum characterem circumciſionis differre ab illo Baptiſmi, ſicut imperfectum à perfecto, quemadmodum gratia huius differret à gratia illius: & tunc in ſuſceptione Baptiſmi, priùs circumciſo non imprimeretur nouus character, ſed primus perficeretur.

Ad

Ad secundum dico, quòd non omnis perfectio in anima habet tale signum rememoratiuum perpetuum: sed illa per quam constituitur habens eam in aliquo determinato gradu in Ecclesia: huiusmodi non sunt virtutes, quia sunt communes omnibus membris, in quocumque gradu: sed Sacramenta tam illud, per quod intratur in Ecclesiam, quàm alia, vt Confirmationis, & Ordinis, prout dicetur in sequenti quæstione. *Ad 2. arg.*

Ad tertium, patet ex solutione quintæ rationis pro opinione præcedente: non enim est character indelebilis, nisi comparando ad potentiam creaturæ, & ad diuinam potentiam ordinatam. *Ad 3.*

## COMMENTARIVS.

15 *Sententia Parisiensis.*

b SEcundum principale est, &c. In hac sententia fuit Parisiensis, vt suprà vidimus, eámque resumpsisse videtur Durandus; aliena autem ab hac, est sententia Doctoris, vt præmissum est: itaque hîc supereſt tantùm respondere argumentis. Prima ratio est, quia in aliis sanctificatis manet ipsa sanctificatio præterita, quamdiu res manet, vt in ecclesia, & calice: ergo sanctificatio hominis per Baptismum potest manere seclusâ omni formâ intrinsecâ: est argumentum Parisiensis. *Fundamentũ Parisiensis.*

*Soluitur.* Respondetur negando consequentiam: quia illa quæ est Ecclesiæ, & aliarum rerum est sanctificatio secundùm *quid*: hîc autem est sanctificatio simpliciter disponens ad gratiam, & effectum Sacramenti: nec per priorem sufficienter distingueretur Sacramentum non iterabile, ab alio iterabili, quia quodlibet hoc modo sanctificat hominem: oportet ergo aliud genus sanctificationis esse in Baptismo, ab illa diuersum; illud autem est character.

*Secunda ratio soluitur.* Secunda ratio est, ex superfluitate characteris, quia eius necessitas non probatur ex Scriptura authoritate Patrum, aut ratione: ergo. Respondetur, negando antecedens: ad cuius probationem negatur, quantùm ad vtrumque membrum. In primis quoad Scripturam habetur 2. ad Corinthios 1. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, &c. *vnctio* denotat gratiam, *pignus Spiritus* intelligitur ab aliquibus testimonium bonæ conscientiæ; illud verò *signauit* denotat characterem. Hîc Apostolus loquitur de effectu interiori, qui causatur in anima; vnde Ambrosius *lib. de Spiritu sancto, c. 6.* dicit *nos signari exteriùs specie per Sacramentum; interiùs, seu in corde signari nos veritate.* Aliqui hunc locum exponunt de Baptismo, aliqui de Confirmatione, ego de vtroque Sacramento intelligerem; nam hi effectus vtrique competunt: & ita Ambrosius *lib. de Spiritu sancto, cap. 6.* intelligit de Baptismo: in lib. etiam de his qui initiati sunt, intelligit de Confirmatione: & sensus & verba vtrique accommodari possunt, & intento Pauli, quia homo per Spiritum sanctum viuificatus est in Baptismo, & confortatus in Confirmatione, in quibus vngitur & signatur, & fit superior tribulationibus, & persecutionibus; de quibus in eodem cap. Paulus in præmissis. *Hæc veritas continetur in Scriptura.*

16 *Alia partitio illius textus.* Cæterùm, perpendendo hunc textum, vt iacet in sua partitione hoc modo: *Qui autem confirmauit nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui signauit nos; & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, &c. Commodè intelligi potest bimembre, ita vt in priori denotetur vnctio per gratiam, in qua fundatur ius hæreditatis, & adoptio cum reliquis donis virtutum, & testimonium conscientiæ bonæ quod prohibet fides charitate formata, & ex corde puro procedens; hoc totum importatur per illa, *qui vnxit nos Deus*, &c. Sequentia autem vt illa, *qui & signauit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, vnum characterem sacramentalem designant, quo configuramur Christo, & disponimur ad gratiam vnctionis, atque hac ratione appellatur *pignus Spiritus*, id est, gratiæ.

*Alia interpretatio.* Locum hunc ambiguum reddit in primis interpretatio Chrysostomi, OEcumenij, & Theophylacti, qui hunc effectum gratiæ sanctificanti tribuunt, vngere, signare, & esse pignus Spiritus, quo implentur Dei promissiones: cui interpretationi plurimùm fauent verba Apostoli ad Ephesios 1. *In quo & credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis in laudem gloriæ ipsius*, &c. vbi signatio, & esse pignus hæreditatis tribuitur gratiæ sanctificanti: quod intelligit etiam Hieronymus, & plures alij interpretes. *Hieron.*

17 *Respondetur, & explicatur Patres.* Respondetur tamen hoc non obstare præmissæ interpretationi, quia etiam hoc vltimo loco agitur de obsignatione recepta in Baptismo: neque illæ interpretationes Patrum præiudicant, quia sicut per hanc obsignationem Spiritus importantur reliqua dona recepta per Baptismum, ita & character. Intelligunt prædicti Patres reformationem imaginis in anima, qua deleto peccato transformamur in Christum, tanquam acquisita possessio, substantia, & peculium eius, vt denotant illa *in redemptionem acquisitionis*, &c.

*Denominatio sumpta à potiori effectu non excludit alios.* Denominatio hæc sumitur à potiori effectu Sacramenti, quæ est gratia adoptionis, & quâ deletur peccatum (quod est imago primi hominis, & diaboli) non excludendo cætera dona, neque characterem, à quo est specialis obsignatio, de qua loquimur, & videtur denotari in priori loco per hoc, quod est *pignus Spiritus*; quamuis referri possent hæc verba per accommodationem ad aliud.

*Confirmatio. Denominatio signandi tribuitur effectui Sacramẽti tantùm.* Confirmari potest, quia Paulus, & Patres hunc effectum interiorem obsignationis, non tribuunt Spiritui sanctificationis, quem habuit Cornelius, aut bonus Latro, aut alij per Baptismum flaminis, sed Spiritui, vt tribuitur mediante regeneratione, aut Sacramento; ergo ratione alicuius connotati id competit gratiæ sacramentali: hoc autem connotatum est ipse character, quem proinde non excludunt prædicti Patres, alludentes ad verba Pauli, sed comprehendunt magis; nam, quamuis effectum obsignationis tribuant gratiæ, non excludunt reliqua necessaria dona, quibus reformatur imago Trinitatis in anima, vt sunt spes, & fides, & reliqua quæ ad iustitiam, & status Christiani integritatem spectant in Sacramento, neque consequenter characterem.

18 Huc etiam spectat illud ad Ephesios 4. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis*, &c. id est, in die, quo baptizati

zati eſtis, facti participes redemptionis Chriſti per Sacramentum, vt intelligit OEcumenius: & patet ex initio capitis, in quo agitur de vnitate fidei, & Baptiſmi. Suppoſitâ ergo hac Scripturæ authoritate Patres dicunt nos ſignari à Spiritu ſancto per Baptiſmum, alludentes ad hæc loca Pauli, quæ citant Cyrillus Ieroſolymitan. *Catechеſi 16. & 17.* Chryſoſtomus *orat. 2. in epiſtolam ad Epheſios.* Theodoretus *in 2. ad Corinthios, cap. 1.* Theophylactus ibidem. OEcumenius, ſicut & *in cap. 1. ad Epheſios.* Ambroſius *in lib. de Spiritu ſancto, cap. 6.* Primaſius *in cap. 1. ad Epheſios, & cap. 4.* Haymo *in 2. ad Corinth. cap. 1.* Anſelmus *in 1. epiſt. ad Epheſios.* Quia autem neque Paulus, neque Patres loquuntur de hac obſignatione quatenus præcisè in characterem refertur, ſed magis his locis exprimunt donum ſanctificationis, ideò argumentum hoc non eſt extra ambiguitatem, vt ſit explicitum, & conuincens: quâ ratione Doctor negat hanc veritatem ex Patribus haberi expreſsè, vt conuincentem, aut Scripturâ,

Cæterùm ratio ſuperiùs præmiſſa, & traditio Eccleſiæ ac definitio, & communis Scholaſticorum conſenſus, qui hanc traditionem ſequitur aſſerens in Baptiſmo nos conſignari per aliquid diuerſum ab ipſa gratia ſanctificationis, quod non habetur extra Sacramentum per ſanctificationem fidei, & flaminis, probat hunc effectum characteris comprehendi in ſenſu literali dictorum verborum, & interpretationem Chryſoſtomi dictam aliorúmque Patrum comprehendere totum collectiuè effectum Baptiſmi cauſatum in anima, quamuis denominationem ſumant à potiori forma, ad quam diſponit ipſe character: falsò ergo hæretici negant hunc effectum non colligi ex Scriptura, accedente traditione, & declaratione Patrum, & Eccleſiæ, vel etiam non contineri in Scriptura.

19 *Alterum membrum obiectionis. Reſponſio aliorum. Authoritas Dionyſij non probat intentum Obiicit Sotus ex VValdenſi.*

Alterum membrum illius probationis eſt, quòd neque ex Patribus probari poſſit character. Reſpondent aliqui ex Patribus colligi, potiſſimùm ex Dionyſio Areopagita *de Eccleſiaſtica hierarchia, cap. 2.* Sed hanc authoritatem meritò, & efficaciter excludit Doctor in litera, quem ſequitur in hac Durandus, & Gabriel, quin etiam Vaſquez.

Sed contrà inſimulat Sotus ex VValdenſi corruptelam intelligentiæ, & recurrit Sotus ad textum Græcum, quem ſic licet transferre: *Eum verò* (nempe ad Baptiſmum accedentem) *diuina beatitudo, ſeu diuina maieſtas in ſuam participationem recipit, & proprio lumine tanquam quodam ipſi ſigno tradit: diuinum perficiens, & communicantem diuinorum partis, & ſacra ordinationis,* &c. Hactenus ergo non loquitur de hierarcha, id eſt, de Pontifice, ſed planè de Deo, qui baptizatum *facit ſui participem,* &c. Non eſt mihi ad manum textus Græcus Dionyſij; ſi non placeat Soto verſio Vercellenſis, legat alios: ego hanc ipſam verſionem permitto: & nihil conuincit aliam tamen offero ex correctione moderna Petri Lanſelij Grauelingani Societatis Ieſu, & habetur in Bibliotheca Patrum Colonien. editionis tom. 1.

Ita enim in contemplatione, cap. 2. habet Dionyſius, exponens quomodo ſenſim ab imperfectioribus, ad perfectiora procedat, antequam ad diuinam vnctionem peruenerit, & ſubdit: *Huius eſt præclari ſancti Ordinis imago eius, qui accedit* (ſupple ad Baptiſmum) *pudor, & eorum, quæ ad ſe attinent explorata, certáque cognitio, quæ via ad Pontificem ferentis ſponſorem habet ducem* (id eſt, eum qui ſpondet pro eius conuerſione) *eum, qui ita deducitur* (ſupple per ſponſorem ad hierarcham) *beata diuinitas in communionem ſui recipit, eique lumen ſuum quaſi ſignum tradit dum diuino eum numine afflat, ſortiſque ac ordinis eorum, qui diuino numine permoti ſunt, participem facit: quæ omnia ſignificat ſignum Crucis, quod Pontifex dat venienti, ſacerdotúmque ſalutaris illa deſcriptio,* &c. nempe quâ nomen accedentis, & ſponſoris ſcribitur.

Ex his neſcio vnde poſſit colligi ex mente Dionyſij, aut ex verbis textus, eum agere de Baptiſmo, in contemplatione namque exponit myſticam ſignificationem cæremoniarum, quæ præparant, & præmittuntur ad Baptiſmum: de quibus egit in titulo præcedenti de Sacramento illuſtrationis, vbi ipſæ cæremoniæ, ſicut ordine ſuo proponuntur, ita etiam in contemplatione myſtica earundem, ordine ſuo exponuntur. 20

*Progreſſus ad Baptiſmum deſcriptus à Dionyſio.*

Primum ergo eſt, vt accedens ad Baptiſmum quærat ſponſorem aliquem ex initiatis, perens ab eo, vt ad Pontificem ſe adducat, & vitæ omnis ſuæ deinceps curam agat: alter ſpondet, & perducit ad Pontificem. Pontifex proponit ei fidem, & quid agere debeat, & conuocatâ Eccleſiâ eum in cœtum adducens, quærit quid petat? altero reſpondente, prout edoctus erat à ſuſceptore. Reſpondet ei ignorantiam, & vitam incuſans ſuam, ſe velle Pontifice ſequeſtro, ad ea, quæ ſunt ſalutis, admitti. Pontifex exponit normam, quærens denuò, an velit eam obſeruare, & illo reſpondente ſe velle, *Cùm promiſit,* inquit, *manum ſuam capiti admouet, eóque ſigno Crucis conſignato, ſacerdotibus imperat, vt viri, & ſponſoris nomina in libro perſcribant.* Hoc ipſum patet ex cap. 5. in contemplatione: *Signum,* inquit, *figura Crucis impreſſum, omnium ſimul corporis cupiditatum, ceſſationem, diuinæque vitæ imitationem.* Hæc eſt prima cæremonia, quâ inter Catechumenos recipitur; ſequuntur deinceps reliquæ, vt ſpoliatio, inſufflatio, exorciſmi, abrenunciationes Sataneæ, profeſſiones fidei, vnctio, ac tandem eum ſacerdotibus tingendum tradit. Illa ergo, quæ præmiſit hîc, infrà in contemplatione declaret, & hac cæremonia deſignari, nempe per manus impoſitionem, & ſignum Crucis, & inſcriptionem, de qua cæremonia Tertullianus *de coron. militis.* Cyprianus in *epiſtola 56. & 63.* Auguſtinus in *ſymbolo lib. 2. & lib. 4. cap. 1.* Gregorius Magnus in Sacramentario, & alij.

21 *Quid intendit Dionyſius?*

Quæ ergo ibi Dionyſius aſſerit de lumine, quod Deus concedit accedenti, nihil aliud deſignat præter vocationem, & inſpirationem diuinam, quam ſuo ordine declarat Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 5. & 6.* ab hac enim ſumitur conuerſionis initium, primò per fidem, mox per recognitionem ſuiipſius: atque hæc ipſa intelligit Dionyſius per *pudorem* eius, qui accedit, & eorum, quæ ad ſe attinent *exploratam certámque cognitionem*: vnde poſt verba præmiſſa ſubdit, *Qua & eum* (ſupple accedentem) *annumerat iis, qui ſalutem conſequuntur* (ſcilicet Catechumenis) *& ſacroſanctis monumentis, cum illo etiam ſponſorem conſecrat, quaſi vitalis ad veritatem via illum quidem amatorem verum* (ſupple accedentē, quod ideò dicit, quia nondum peruenit) *diuini ducis* (ſupple ſponſoris) *comitem, hunc autem certum inerrantémque ductu diuinitus tradito, eius, qui ſequitur ducem,* &c. Mox explicat cæteras cæremonias ſuo ordine, antequam in fine ipſius capitis, ad ipſum Baptiſmum deueniatur, de quo

tum

tum per se agit primò, non priùs: euidens ergo est responsio Doctoris ad Sanctum Dionysium, eum nullâ ratione intendere aliud, quàm significationem mysticam illius cæremoniæ, per quam supposità diuinâ vocatione accedentis ad fidem, & pœnitentiam per manus impositionem, datur ei signum Crucis, vt tessera fidei, & incipit annumerari Christo, per descriptionem illam, quâ annumeratur saluandis; licèt adhuc non peruenerit ad alia præparatoria, & sacramentalia, aut ad ipsum Baptismum, qui consequitur. Vnde expositio Soti, tam violenta est, quàm ipsa sententia Dionysij malè applicata ad propositum.

*Patet expositio Doctoris in Dionysiũ.*

22 Adducitur etiam Damascenus, sed malè: quia interrumpitur textus, & sententia Authoris; ita enim habet Damascenus: *Per Baptismum primitias spiritus assumimus, & principium alterius vitæ fit nobis regeneratio, sigillum, custodia, & illuminatio*, &c. Quibus verbis nihil aliud denotatur, quàm ipsam regenerationem, quæ in sacris literis, & Patribus intelligitur ipsum Sacramentum: quod perinde signaculum fidei appellat Tertullianus *in lib. de spectaculis, cap.* 4. & 24. Theodoretus *lib.* 4. *historiæ Ecclesiasticæ, cap.* 8. Cyrillus Ierosolymitanus in præfatione catechistica tribuit ei plura epitheta, & inter alia quòd sit *signaculum sanctum, & indelebile.* Basilius exhortatione ad Baptismum, dicit *characterem indeprehensibilem.* Nazianzenus *oratione* 40. ex quo mutuauit hunc modum dicendi Damascenus; *Donum*, inquit, *vocamus, gratiam, Baptismum, Vnctionem, illuminationem*, &c. *regenerationis lauacrum, sigillum*, &c. *Sigillum*, inquit, *quia conseruatio est, ac dominationis significatio.* Similiter Augustinus, qui variis in locis agit de charactere baptismali, sæpiùs agit contra Donatistas, hunc ipsum quandoque appellat Sacramentum Baptismi, vt lib. 2. contra epistolam Parmeniani eum comparans characteri militiæ, qui in desertore correcto non deletur, sed approbatur; & subdit: *An fortè minùs hærent Sacramenta Christiana, quàm corporalis hæc nota, cum videamus nec apostatas carere Baptismo, quibus vtique per pœnitentiam redeuntibus, non restituitur; & ideò amitti non posse iudicatur*, &c.

*Authoritas Damasceni.*

*Ipsum Sacramentum vocari sigillum.*

Tertullian.

Theodoret.

Cyrillus Ierosolymit.

Basilius.

Nazianz.

Augustin.

Hæ authoritates Patrum obscuram, & non certam faciunt probationem: quia appellationem sigilli, & characteris tribuunt ipsi Sacramento in recto, non autem effectui eius; & si quando effectui, vt ex Patribus suprà citatis patet, magis exprimunt gratiam sanctificantem, quàm effectum alium, de quo iam disputamus, illud certum est baptizatum obsignari in Baptismo; & hæc est veritas explicita ex Scriptura, & Patribus. An autem hæc obsignatio facta sit ipsum Sacramentum susceptum? an effectus gratiæ sanctificantis, atque ipsius iustitiæ: an verò alia forma, de qua nunc loquimur: non ita explicitè declarant Patres; & hoc sensu dicit Doctor locis suprà citatis hanc probationem non esse quoad hæc omnino certam, id est, expressam, & conuincentem.

23 Cæterùm, Patres intendisse veritatem Catholicam, quæ traditione conseruabatur, non est dubium; & ita Scholastici eos intellexerunt, sicut & noster Doctor, qui asserit authoritates plures eorum non esse expressas, aut concludentes ex forma verborum explicita, non autem implicitâ intentione, & sententia. Ad cuius intellectionem, & resolutionem aduertendum est, quòd causa sumat denominationem ab effectu; & maximè in signo, & signato id verificatur, quia signum pro signato supponit: quando ergo Patres per appellationem Baptismi designant eius effectum, vt quòd sit *illuminatio, gratia, signaculum*, &c. locutio est causalis, & vsus signi practici pro suo signato; quod non obscurè designat Nazianzenus loco præfato: *Quemadmodum*, inquit, *Christus huius dator, multis, ac diuersis nominibus appellatur; ita ipsum quoque donum varia nomina sortitur, siue id nobis ob miram quandam rei lætitiam accidat*, &c. *siue quòd multiplex huius beneficij vtilitas, multas quoque appellationes nobis peperit*, &c. *vtilitas* designat effectus Baptismi in anima, quà est medium ad salutem, à quibus multiplex appellatio sumi potest.

*Patres etiam comprehẽdisse veritatem Catholicam characteris.*

*Baptismus cur dicitur signaculum?*

Nazianzen.

*Est denominatio causalis ab effectu.*

Accedit præterea cum Donatistis non fuisse controuersiam primariam de effectu Baptismi (illi enim non affirmabant Baptismum ritè collatum posse iterari) sed de valore Baptismi; an scilicet extra sectam illorum, quam putabant solam esse Ecclesiam, celebrari validè possit, vt ab hæreticis, vel etiam peccatoribus? Hinc Patres contra ipsos definierunt malitiam ministri non derogare Sacramento, & validum esse in ficto; siue autem vtantur appellatione Sacramẽti, quod est signatio visibilis, per quam quis fit membrum Ecclesiæ visibilis, & annumeratur gregi, & per quam datur intelligi signatio inuisibilis interna, & causatur; siue etiam appellatione ipsius effectus interni vtebantur, perinde ad intentum confutandæ hæresis erat: quia neque Sacramentum ab effectu separabant, neque econtrà, effectum à Sacramento, quia tum nulla fuit necessitas loquendi in sensu præciso, & exclusiuo vnius ab altero: siue ergo vno, siue altero modo loquantur, intendunt veritatem, de qua agimus in proposito: vnde Augustinus *de Baptismo, lib.* 6. *c.* 1. contra Cresconium *lib.* 1. *cap.* 30. *tract.* 6. in Ioannem *epist.* 50. & 23. contra Parmenianum loco citato, vbi contendit non solùm Baptismum validum esse apud hæreticos, qui ritum Euangelicum non destruunt, neque posse iterari: sed asserit baptizatum recipere characterem dominicum.

*Controuersia Patrum cum Donatistis.*

Ex his patet ad ea, quæ Doctor obiicit, §. *Hoc etiam confirmatur*, &c. ex authoritate Augustini, & Patrum: rationes etiam ibidem adductæ ab ipso infrà soluuntur: reliqua huius quæstionis suprà tractata sunt. Et quidem Gabriel Vasquez *disput.* 134. *cap.* 1. *responsione ad* 2. ingeniùs fatetur authoritates, quibus antiquiores Scoto vtebantur ad probationem characteris, esse nullius momenti, *vt ipse Scotus, & alij posteriores apertè ostendunt*, inquit; sed meliùs dicto modo, quo ipse Scotus vtitur, cum limitatione interpretandæ sunt præter illam Dionysij, nempe non esse ita expressas vt conuincerent; sicut neque illæ etiam authoritates, quas adducit ipse Vasquez, in hoc sunt expressæ, quantùm ad propositum: vt patet supplendo authoritatem Basilij ex verbis sequentibus, quibus vocat Baptismum *characterem indeprehensibilem*; & Gregorius, quem citat, vocat *sigillum*; & Augustinus *characterem*, vt suprà notauimus.

24

Vasquez.

Suarez etiam *disput.* 11. *sect.* 1. postquam citauit Patres: *Quoniam verò*, inquit, *hæc omnia testimonia non videntur cogere; ideò* Scotus *dist.* 6. *quæst.* 9. *dicit facilè exponi posse ipsum Sacramentum Baptismi, verbi gratiâ, esse characterem; & ideò concludit solâ authoritate Ecclesiæ nos cogi ad ponendum characterem. Sed quamuis verum sit Ecclesiæ authoritatem haberæ*

Suarez.

*præcipuas partes in hoc negotio; tamen ea ſuppoſitâ intelligimus mentem Sanctorum fuiſſe in eadem ſignificatione de charactere loqui; & ſine dubio multa ex dictis Sanctorum melius prædicto modo intelligun-tur*, &c. Quibus verbis optimè attigit ſcopum Doctoris, & mentem à nobis expoſitam.

25 Reſponſione ad argumẽtum principale obiter dicit, quòd poteſt dici, quòd Circumciſio impreſſerit characterem, quia fuit ianua legis Moſaicæ: hæc apud noſtros frequens eſt, nec eſt improbabilis. Cæterùm, puto oppoſitum veriùs dici; tum quia Patres Græci non tribuunt Circumciſioni aliam obſignationem quàm externam, quam recipiebant, inquit Chryſoſtomus, more pecudum Iudæi; & per hoc opponunt eam Baptiſmo, qui dat internam. Deinde non fuit congruum hunc characterem dari aſſimilatiuum Chriſto, donec ipſe Chriſtus ſubſiſteret. Tertiò denique, quia Circumciſio, vt ipſe ſuſtinet *diſt. 1. huius quæſt. 6.* non dabat probabiliter gratiam adulto: nulla ergo fuit neceſſitas characteris in ipſa, qui diſponeret ad gratiam, quia non poterat ſuſcipi fictè: quòd verò fuerit indelebilis, ſufficiebat ſignatio externa cum Dei ordinatione. Quartò remedium legis naturæ etiam non videtur impreſſiſſe talem characterem.

*Probabilius eſt Circumciſionẽ non habuiſſe characte-rem internum.*

De hac re nihil conſtat; tenendo priorem, reſponderi poteſt ad illud ex Patribus, quoad differentiam obſignationis inductam inter Circumciſionem, & Baptiſmum, magis ipſos intendere illam ſignationem, quæ eſt per gratiam, quam probabant contra Iudæos, non datam fuiſſe in Circumciſione eo modo, quo ſuprà in dicta quæſtione diximus. Ad ſecundum: illa congruentia non vrget affirmando characterem eſſe quid abſolutum: quia ad alios effectus diſtinctionis, & diſpoſitionis permanentis ad gratiam dari poſſet. Ad tertium tranſeat antecedens, & negatur conſequentia. Ad quartum ſimilitudine rationis, poſſet dici in remedio legis naturæ datum fuiſſe characterem, quia aliàs fœminæ non æquipararentur maſculis in donis ſupernaturalibus, ſi per Circumciſionem daretur character; & non per ipſum. Res eſt obſcura hinc, inde, quamuis argumenta Soti contra priorem ſententiam, ex inefficacia legis ad ſalutem, non multùm vrgent, ad quæ ſuprà reſponſum eſt: vide ipſum *diſt. 1. quæſt. 4. art. 1. in fine.* Argumentum quod in initio ad oppoſitum adducit eſt fundamentum à ratione; vnde probetur veritas, ex eo quòd Baptiſmus ſit iterabilis, debere relinquere aliquem effectum permanentem, qui dicitur character, eóque potiſſimùm vrgent moderni hæreticos à ratione.

*Altera pars ſuſtinetur.*

---

## QVÆSTIO X.

### *An character ſit forma abſoluta?*

Alenſis *4. p. q. 19. m. 1 art. 1. &* 2. D. Bonau. *hic art. 1. q. 1.* Rich. *d. 5. art. 2. q. 1.* D. Thom. *3. p. q. 63. art. 2.* Suarez *ibid. 11. ſect. 2.* Durand. *d. 4. q. 1.* Sotus *d. 1. q. 4. art. 2.* Alber. *hic art. 3.* Vide Scot. *7. Phyſic. q. 4.*

1 *Argum. 1. Cap. 5.* AD ſecundum ſic proceditur, & arguitur quòd character non ſit forma abſoluta; quia ſecundùm Philoſoph. 2. *Ethicor.* tria ſunt in anima, potentia, paſſio, & habitus: character non eſt in potentia: patet, quia non eſt naturaliter in ipſa anima: nec eſt paſſio, quia eſt forma permanens: nec habitus, quia habitus eſt ſecundùm quem habens benè, vel malè poteſt operari: character non eſt principium alicuius operationis bonæ, vel malæ. Non bonæ, quia poteſt ſtare cum peccato mortali: non malæ; patet, quia eſt donum Dei, & effectus Sacramenti: ergo ſi illa diuiſio Philoſophi ſufficienter euacuet formam abſolutam in anima, ſequitur propoſitum.

*Argum. 2.* Item, ſi eſſet forma abſoluta, non poteſt poni, niſi de genere qualitatis: patet diſcurrendo per alia genera: non enim eſt ſubſtantia, quia aduenit poſt *eſſe* completum ſubſtantiæ: non eſt quantitas, patet, quia forma ſpiritualis, & incorporea: & ſic diſcurrendo de aliis, qualitas autem poni non poteſt. Probatur diſcurrendo per ſpecies qualitatis.

*Argum. 3.* Præterea, forma abſoluta habet aliquam operationem propriam: character autem non habet aliquam operationem propriam: ergo, &c.

*Argum. 4.* Præterea, forma abſoluta accidentalis quæcumque eſt delebilis ab illo, in quo eſt: quia ab eodem poteſt deleri de ſubiecto, à quo imprimitur in ſubiectum ſaltem à Deo: quia ex quo eſt poſterius ſuo ſubiecto, non eſt contradictio, quòd non inſit: character ſimpliciter eſt indelebilis: ergo, &c.

*Ratio opp.* Oppoſitum, character eſt diſpoſitio ad gratiam; gratia autem eſt forma abſoluta: ergo & iſta forma, quæ eſt diſpoſitio ad eam, erit abſoluta. Nam diſpoſitio propria videtur eſſe eiuſdem generis cum forma, ad quam diſponit. Præterea, character eſt principium aſſimilandi baptizatum Chriſto, vel alteri baptizato: ſimilitudo autem eſt vnitas fundata in qualitate: ergo character eſt qualitas.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Ponit sententiam D. Thom. scilicet characterem esse formam absolutam; quam probat quatuor rationibus.*

Hìc dicitur [a], quòd character est forma absoluta. Ad quod adducuntur quatuor rationes. Prima talis est: Mutatio non est, nisi ad formam absolutam, ex 5. *Physic.* ad characterem est mutatio: patet in ficto baptizato, qui nihil nouum accipit in Baptismo, nisi characterem. Secundò sic: Relatio non est fundamentum relationis, quia tunc esset processus in infinitum: sed character est fundamentum multarum relationum: est enim fundamentum similitudinis, vt est argutum: & etiam fundamentum illius relationis, quam importat signum, quia character est signum rememoratiuum respectu Sacramenti susceptì: est etiam fundamentum configurationis, siue obligationis ad Christum. Tertiò sic: Relatio non est potestas aliqua, neque actiua, neque passiua, quia neque principium agendi, neque patiendi; character autem est potestas aliqua, vtpote character Baptismi est potentia passiua, per quam homo fit capax aliorum Sacramentorum: character autem ordinis est potentia quædam actiua ad multos actus sacros in Ecclesia: ergo, &c. Quartò sic: In quolibet Sacramento causatur aliqua relatio ad actionem, vel passionem in anima susceptientis Sacramentum: & tamen non in quolibet imprimitur character: ergo character non est talis relatio: ergo aliqua forma absoluta.

2 *D. Thom. in 4. dist. 4. q. 1. Text. 10. & inde.*

## *COMMENTARIVS.*

1 *Prima sententia.* Alensis. D. Thom. Richard. *Secunda sententia.* Parisiensis. Durandus. Vasquez. Soto. *Vasquez interpretatur Doctorem.* *Relationes extrinsecùs aduenientes esse reales.*

a *Hìc dicitur quòd character est forma absoluta*, &c. Hæc sententia est Alensis, & D. Thomæ, quem sequuntur eius discipuli; Richardi, & magis communis, quam vt probabilem tenet etiam Doctor. Secunda sententia est Guillelmi Parisiensis loco citato in commento præcedentis quæstionis in principio, qui ex instituto probat non esse formam realem absolutam, aut respectiuam, sed rationis. Hanc sequitur Durandus & Vasquez *disp.* 134. *cap.* 2. eam probabilem existimat, sicut & Soto loco citato *art.* 2. inquantùm asserit non esse aliquid ab anima diuersum; hoc non obstante posse terminare actionem sacramentalem: Vasquez autem in eandem sententiam, vel non multùm diuersam, nostrum Doctorem citat, ex ea sententia, quâ putat ipsum benignè interpretandum, quando asserit dari relationes extrinsecùs aduenientes, & non rectè ab aliis intelligi, qui, vel non legerunt Scotum, vel non intellexerunt. Putat ergo & ibi, & 1. *part. quæst.* 115. *cap.* 2. eum intendisse fundamentum talis relationis, quam format intellectus: sed hæc futilia sunt; quia *ex* 1. *dist.* 45. *ex* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *& hìc*, & infrà, *dist.* 12. *quæst.* 1. *ad* 4. *dubium*, *dist.* 10. *quæst.* 2. *dist.* 13. *quæst.* 1. 43. *quæst.* 5. & aliis in locis, & communi vtriusque scholæ sensu manifestum est, quid Doctor intelligat per relationes extrinsecùs aduenientes, quales constituit reales, & non rationis: hìc autem eum loqui de reali relatione, est extra controuersiam.

2 *Sententia Doctoris.* *Fundamenta quibus asseritur esse qualitas, & non relatio.*

Tertia ergo sententia Doctoris problematica asserit eum posse saluare characterem, dicendo esse absolutam formam, vel respectiuam extrinsecùs aduenientem, à quo discordant Nominales, in eo solùm, quòd totum genus relationis excludunt in creatis, vt distinctum à fundamento. *In hoc* §. ipse proponit fundamentum asserentium esse qualitatem absolutam; primò, quia ad characterem datur mutatio, verbi gratia, in ficto, qui nihil recipit præter characterem; sed mutatio non est ad relationem 5. *Physicorum.* Secundò relatio non est fundamentum alterius relationis; sed in charactere plures relationes fundantur; verbi gratiâ, similitudinis, signi, &c. Tertiò, relatio nó est potestas actiua, vel passiua; non sic character, quia est potestas aliqua passiua in Baptismo, quâ homo fit capax aliorum Sacramentorum; in ordine est actiua ad actum ordinis. Quartò, quia in quolibet Sacramento causatur aliqua relatio actionis, & passionis, quamuis in quolibet non detur character.

## SCHOLIVM.

*Refutat D. Thomam. Primò, ex ipsius definitione data de charactere. Secundò, ostendendo contra eius primam rationem, dari mutationem ad respectum extrinsecum, de quo infrà d. 13. q. 1. & 3. d. 1. quæst. 1.*

Contra istud [b], & primò contra opinantem ex dictis eius, quia contradicit sibi: ipse enim dicit hanc esse definitionem characteris. Character est signum communionis fidei, & sanctæ ordinationis datum à Hierarcha, vel quòd est signum communionis diuinorum, & sacræ ordinationis fidelium. Quomodocumque sic, vel sic definiatur, dicit quòd signum ponitur in definitione characteris, vt genus. Ex hoc arguitur, quòd character non potest esse forma absoluta, quia ad quiditatem formæ absolutæ non pertinet essentialiter aliquis respectus: quia tunc illa quiditas esset ad se, & non esset ad se: nec

3 *Arguit cõtra D. Thomam.*

etiam potest dici, quòd relatio ponatur ibi tanquam genus, & non sit verè genus, quia hoc modo in definitione accidentis ponitur subiectum; patet autem quòd relatio non est subiectum absoluti, nec etiam ratio receptiua.

Præterea, sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ita quando aliquid ponitur præcisè propter aliquid, non est illud ponendum perfectiùs quàm requiratur ad illud aliud, vel quàm possit ex illo alio concludi: nam illa perfectio vlterior, quæ poneretur, frustrà poneretur. Sed propter illa omnia, propter quæ ponitur character, non est necesse, quòd sit perfectio absoluta: possunt enim ista omnia etiam saluari sufficienter, si sit forma aliqua relatiua: ergo superfluè, & sine causa ponitur esse forma absoluta.

*Dari mutationem ad respectum extrinsecùs aduenientẽ. Vide Scot. 3.d.1.q.1. & infrà d.13.q.1.*

Minor patebit soluendo rationes. Prima enim accipit maiorem falsam. Quod probo dupliciter, primò, per rationem: secundò, per auctoritatem. Primò sic: Respectus non potest magis intrinsecè aduenire fundamento, quàm quòd necessariò sequatur ipsum, posito termino: quia omnino non potest inesse fundamento, circumscripto termino: quia tunc non esset respectus, sed forma absoluta: ergo si aliquis respectus potest extrinsecus aduenire fundamento, sequitur quòd non necessariò sequitur fundamentum etiam termino posito: ergo ille respectus potest esse nouus omnino sine nouitate fundamenti, vel termini: ergo ad eius *esse* nouum potest esse aliqua mutatio, quia non est ad aliquod absolutum. Quia si dicas respectum aliquem aduenire extrinsecus subiecto, non tamen fundamento, hoc nihil est, quia relationes intrinsecæ, vtpote similitudo, quæ consequitur albedinem, & huiusmodi, possunt extrinsecùs aduenire subiecto, quia fundamentum de nouo aduenit: ergo si illæ sunt intrinsecæ, & aliæ extrinsecæ, erit differentia earum in comparatione ad fundamentum.

4 Præterea, agens naturale non potest agere de nouo, nisi aliquid ponatur nouum, vel in ipso, vel in passo, vel habitudo noua eorum (hoc appareat, quia omnibus istis vniformiter se habentibus, vniformis erit actio; cùm tale agens agat ex necessitate naturæ:) ergo si aliquod agens naturale habet aliquam actionem nouam, vel erit aliqua forma absoluta ante istam actionem nouam in agente: vel alia noua in passo: vel habitudo noua agentis ad passum. Sed nec primum, nec secundum est necessarium. Potest enim ignis de nouo agere in lignum, absque hoc quòd ante istam actionem ignis recipiat nouam formam, vel lignum, quia prima forma absoluta, quam recipit lignum, est per istam actionem: ergo est noua habitudo ignis ad lignum absque omni nouitate formæ absolutæ. Hoc patet experimentaliter, quia actiuo eodem modo se habente, secundùm potentiam actiuam, & passiuo secundùm potentiam passiuam proximam, si fuerit aliquod impedimentum interpositum inter ista, non aget istud agens in passum: amoto autem isto impedimento, vel obstaculo aget: ergo est ibi noua habitudo agentis ad passum sine noua forma absoluta. Istud probatur ex intentione Philosophi 5. *Physic.* quia licèt neget motum esse in *Ad aliquid*, prout ad genus *Ad aliquid* pertinent relationes intrinsecùs aduenientes; non negat tamen motum, vel mutationem esse in *Ad aliquid* extrinsecus aduenientes: immò concedit. Concedit enim in genere *vbi* esse motum propriè, & tamen *vbi* non est nisi respectus quidam corporis circumscribentis ad locatum, vel locati ad corpus circumscribens.

*Text. 19. & inde. Quomodo nõ detur motus in* Ad aliquid, Vbi, *respectus, & definitur.*

## COMMENTARIVS.

3 b *Contra istud, &c.* Hìc posset fusiùs tractari illa quæstio de essentia, & differentia relationis extrinsecùs aduenientis; sed quia hæc ex professo tractatur *infrà dist.* 13. non est visum iam plurimùm inhærere; est enim Philosophica difficultas, quam non libenter rei Theologicæ admisceo, nisi per se necessaria sit ad eius declarationem. In hac autem difficultate, quæ obscura est, sufficit tantùm attingere quid dici possit, vt natura characteris saluetur, quoad illas proprietates, quæ ei conueniunt, iuxta sensum Theologorum; ideóque Doctor tenet problematicè esse absolutum, vel respectiuum. Respectiuum esse docuerunt aliqui antiqui, vt videre est apud Alensem; aliqui enim dicunt esse relationem rationis, vt suprà tenuerunt citati; aliqui relationem de prædicamento *Ad aliquid*, vt Albertus; aliqui partem absolutum, partim respectiuum importare; & ab hac non multùm abhorret sententia D. Thomæ, prout characterem definit. Aliqui ponebant eam figuram in quarta specie Qualitatis, & sic de necessitate importat relationem. Hi varij modi dicendi proueniunt magis ex quæstione Philosophica, quàm Theologica; quia nempe hanc, vel illam proprietatem characteris ita declarant, vt ex ea coniiciant realitatem eius, & speciem Physicam.

*Varia sentẽtia circa naturam characteris.*

Sequendo ergo textum Doctoris vt iacet, impugnat rationem D. Thomæ, primò ad hominem; quia definit characterem per genus signi, quod relatiuum est; idem autem nequit esse absolutum, & relatiuum simul; quod patet ex prima diuisione entis in absolutum, & respectiuum; inter diuidentia autem per se aliquod tertium, talis est oppositio, vt nihil contentum sub vno, posset esse species, aut differentia per se alterius. Si dicas hoc verum esse in ente prædicamentali tantùm, & non transcendentali. Contrà, non

4 *Impugnatio sententiæ D. Thom. ex diuisione entis.*

quà

quà ens prædicamentale hoc ipsi contingit; sed qua diuidentia opponuntur; sicut & diuisa, aliàs non essent diuidentia per distinctionem sui, & constituti ab aliis.

*Diuidentia non coincidunt.*

Si dicas verum esse in relatiuis prædicamentalibus, non autem transcendentalibus. Contrà, hæc diuisio est entis transcendentalis per modos essendi oppositos, qui reducuntur ad extrema contradictionis, non magis in prædicamentalibus, quàm transcendentalibus: si ergo diuisiones aliæ entis: verbi gratiâ, in substantiam, & accidens, ex diuerso modo essendi, qui implicat extrema contradictionis, est talis, vt nihil possit esse simul substantia, & accidens; ita nec relatiuum, neque absolutum possunt facere vnum per se, per modum alicuius ex determinabili, & determinato, seu quasi actus, & potentiæ.

*Diuisio per extrema cõtradictionis.*

Accedit, quòd character ponatur in prædicamento: ergo secundùm differentiam, & genus debet spectare ad prædicamentum idem, eo modo quo differentia reducitur ad prædicamentum: ergo vel ad prædicamentum absolutum, vel respectiuum; & consequenter constitui, vel ex solis absolutis, vel ex solis respectiuis.

*Character ponitur in prædicamento.*

Secundò, sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita etiam non debet poni aliqua ratio particularis entis, nisi prout necessitas exigit, quia eadem ratio vitandæ superfluitatis, quæ excludit ens quoad substantiam, excludit etiam quoad modum, qui excedit perfectionem, & necessitatem effectus: omnes autem proprietates characteris poni, & saluari possunt absque forma absoluta, vt est assimilare; distinguere; significare gratiam sui Sacramenti, tanquam dispositio permanens, & forma quædam

*Superfluitas tollenda.*

prior significat sequentem, conformare Christo, &c. ergo saluari potest hæc ratio in sola relatione. Quòd si dicas supponi dari posse relationem nouam realem, quæ terminare possit mutationem, quod negat ratio prædicta, ac proinde argumentum esse nullum, & ex non concesso. Hanc responsionem elidit respondendo ad rationem D. Thomæ dicendo maiorem eius esse falsam.

Probat autem falsitatem eius, respiciendo ad intentum arguentis, quod est ad relationem non esse mutationem, quod importat Maior, quæ est negatiua, & intendit de mutatione, quæ propriè mutatio est *ex 5. Physicorum textu* 10. Fundamentum autem huius est, quia seclusâ actione extrinseci agentis, resultat relatio in fundamento, ex natura eius, posito termino: neque est maior connexio relationis ad fundamentum, quâ ad illud seclusâ aliâ mutatione, sequatur, quàm hæc: ergo, inquit Doctor, si esset aliqua relatio extrinsecùs aduenies, & non ex natura fundamenti, & termini necessariò sequens, sed ex actione agentis extrinseci, quæ etiam potest non esse, quamuis fundamentum, & terminus existant, quia illa actio ad illam potest non poni (hîc distinctionem insinuat inter relationem intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientem) posset illa esse noua, sine vlla nouitate fundamenti & termini, quoad absoluta: talis ergo posset poni character. Huiusmodi relationes dari probat: quia tales sunt actio, passio, *vbi*, vt probat in litera, exponendo Philosophum, qui admittit loco citato mutationem propriè dictam ad *vbi*, quod non est aliud, præter locatum, & locum, quàm relatio. Omitto hîc responsiones aliorum: quia aliàs recurrent.

5

*Dari relationes extrinsecùs aduenientes.*

## SCHOLIVM.

*Refutat secundam rationem D. Thomæ, ostendens vnam relationem fundare aliam, nec inde dari processum, & saluans omnia quæ attribuuntur characteri, sine vlla forma absoluta. Refutat etiam tertiam rationem eius, ostendens, potestatem ministerialem consistere posse in respectu.*

Secunda * ratio etiam habet maiorem falsam, scilicet quòd relatio non potest fundare relationem: quia secundùm Euclydem 5. *Geometriæ* in principio, proportionalitas est similitudo duarum proportionum: ergo super proportionem, quæ dicit formaliter relationem, vel super vnitatem eius, fundatur similitudo. Et si arguas, similitudo est vnitas in qualitate secundùm Philosoph. 5. *Metaph.* Respondeo, etsi vno modo *quid*, apprietur generi substantiæ, & eodem modo *idem*, & *diuersum*, quæ consequitur *quid*, inquantùm *quid* fundatur in substantia: & *æquale* in vnitate quantitatis strictè acceptæ. *Simile* in vnitate qualitatis: tamen alio modo accipiendo, in omni genere inuenitur *quid*, accipiendo rem illius generis præcisissimè: & inuenitur *quale*, accipiendo formam in isto genere in ratione formæ: & inuenitur quantitas virtualiter, & sic in omni genere inuenitur *idem*, *simile*, & *æquale*. Hoc modo, & possunt habentes relationes vnius speciei dici similes secundùm vnitatem vnius relationis: sicut habentes vnam formam substantialem secundùm speciem, possunt dici similes secundùm substantiam.

5

*Relatio fundat relationem.*

*Text.* 20.

*Idem*, simile, & æquale, *in omni genere inueniuntur.*

Et quod adducitur de secunda relatione, quæ fundatur in charactere, scilicet signi. Respondeo, si signum est secundùm Augustin. de doct. Christiana, *quod præter notitiam, quam ingerit sensibus, aliud facit in cognitionem venire* (quod verum est non solùm de signo sensibili, accipiendo sensum strictè pro sensu corporali: sed verum est etiam de sensu incorporali, accipiendo sensum generaliter pro potentia cognitiua) tunc dico, quòd nihil est ex cuius cognitione non possit deueniri in cognitionem alterius, saltem vt ex cognitione posterioris in prius, quin illud posterius possit dici signum: & sic concedo, quòd super relationem aliquam realem potest fundari relatio signi ad aliquid prius: sed talis relatio non tantùm ducit in cognitionem sui, sed etiam alterius; & hoc modo si quis vi-

*Definitio signi ex Augustino.*

deret paternitatem in ſuo fundamento, poſſet eſſe ſignum rememoratiuum actus generationis præteriti: & iſto modo in propoſito; & maximè non eſt hoc inconueniens, quia iſta relatio ſigni non eſt, niſi relatio rationis, loquendo de ſigno inſtituto ad placitum, cuiuſmodi eſt character reſpectu ſuſcepti Sacramenti.

6 Quod additur ibi de relatione configurationis, ſiue obligationis, non cogit. Poteſt enim religioſus per votum religionis obligari ad ſeruandum religionem, & qui fecit homagium per actum faciendi homagium obligari domino ſuo, & vniuerſaliter in talibus, per promiſſionem præcedentem: & tamen non eſt ibi aliqua forma abſoluta, ſuper quam fundatur iſta obligatio; nec fortè aliqua relatio niſi rationis. & ita abundanter poſſet ſaluari ratio obligationis, ſi poneretur relatio realis, ſicut filiatio in filio poſſet eſſe fundamentum alicuius habitudinis filij ad patrem, puta obligationis ad dilectionem naturalem, etſi poſſibile eſſet filiationem ſolam eſſe.

*De hoc dictum eſt 2. d. 1. quæſt. 4. & 5. In relationibus rationis dari proceſſum.*

Et ad illam probationem, quòd tunc eſſet proceſſus in infinitum in relationibus. Dico, quòd non valet de realibus relationibus: quia aliqua eſt relatio vltima, in qua non poteſt fundari alia realis, ſicut aliquod eſt accidens ita vltimum in entibus, quòd non poteſt vlteriùs eſſe ſubiectum alicuius accidentis: & ideò non ſequitur, ſi accidens poteſt eſſe in accidente, quòd in accidentibus eſt proceſſus in infinitum. De relationibus tamen rationis benè concedo quòd ibi poteſt eſſe proceſſus in infinitum, quia quælibet relatio ſiue realis, ſiue rationis, poteſt vlteriùs fundare aliam relationem rationis.

7 Tertia etiam [b] ratio non valet, quia vel æquiuocat de poteſtate, vel habet vnam propoſitionem falſam. Si enim accipiatur poteſtas ſimpliciter ad aliquem actum, qui ſine illa poteſtate ſimpliciter non poſſet haberi, ſic nego characterem eſſe poteſtatem. Nam baptizatus in nullum actum ſimpliciter poteſt, in quem non poſſet non baptizatus, & hoc ſiue loquendo de actu in quem poteſt actiuè, ſiue de actu, quem quodammodò poteſt ab alio recipere: ita enim poſſet non baptizatus inungi chriſmate, ſicut baptizatus, & ita poſſet abluere ſicut baptizatus.

*D. Thom. in 4. d. 24. art. 3. quæſt. 2. Poteſtas miniſterialis cõſiſtere poteſt in relatione rationis.*

Si autem loquamur de poteſtate non ſimpliciter, ſed miniſteriali, hoc eſt, per quam aliquis ſit conueniens miniſter alicuius principalis agentis, & ſine illa poteſtate non eſſet conueniens miniſter principalis agentis; talis poteſtas non oportet quòd ſit forma abſoluta: immò ſufficit in multis, quòd ſit tantummodò relatio rationis. Quod probatur ſecundùm eos, quia Epiſcopatum non dicunt eſſe ordinem vltra Sacerdotium: & tamen Epiſcopus habet poteſtatem talem miniſterialem, quam non habet non Epiſcopus, eſt enim conueniens miniſter in aliquo actu, cui Deus aſſiſtit, vt in actu ordinandi: & non ſimiliter aſſiſteret, ſi alter non Epiſcopus exequeretur ſimilem actum. Conſimiliter conſtitutus iudex ſi ferat ſententiam, ſententia tenet: priùs autem non tenuiſſet, quia ſententia à non ſuo iudice lata, nulla eſt ipſo iure: nec tamen ille iudex, nec ille Epiſcopus habet aliquam formam abſolutam realem, nec fortè relatiuam, niſi tantùm rationis, quam priùs non habebat. Per illam enim relationem rationis, quâ ipſe à principe inſtituitur iudex, voluntas principis ratificat ſententiam ab eo latam, & vult eam obſeruari: non autem ratificat ſententiam alterius non conſtituti iudicis, nec vult illam obſeruari. Et ita iſte per illam habitudinem ad voluntatem principis, habet poteſtatem miniſterialem reſpectu principis, vt principalis agentis ad aliquem actum conuenienter exequendum miniſterialiter, quem ſine tali relatione non poſſet conuenienter exequi, & multò magis poſſet relatio realis, ſi ineſſet, poni talis poteſtas conuenienter exequendi miniſterialiter aliquem actum. Patet enim quòd filius, quà filius poteſt habere aliquam auctoritatem exequendi aliquem actum in domo patris, quem non poteſt non filius. Et iterum, nepos habet aliquam auctoritatem exequendi aliquem actum, licèt inferiorem, quem non poteſt non nepos: & poteſtas iſta ſic, vel ſic præcipiendi, vel imperandi non eſt niſi cognatio, vel filiatio.

8 Sic etiam apparet ad illas poteſtates, de quibus arguitur in ſpeciali. Nam poteſtas ordinandi, & confirmandi, ſi eſt actiua, non eſt niſi ad miniſtrandum conuenienter in tali actu tali domino, vt ipſe ad actum miniſterialem huiuſmodi aſſiſtat, operando principaliter, eo modo quo non aſſiſteret ſimili miniſterio exhibito ab alio. Character autem Baptiſmalis, ſi ponitur poteſtas paſſiua, non ponitur paſſiua, nec vt receptiua, neque vt ratio recipiendi: nihil enim abſolutè poteſt recipere anima baptizati, quod non poſſit recipere anima non baptizati: ſed eſt poteſtas quædam relatiua de congruo ordinata à principali agente diſponente agere in paſſum habens talem formam, & non in aliud paſſum. Talis autem forma relatiua de congruo reſpectu alicuius agentis principalis voluntariè poteſt eſſe ſola relatio: ſicut aliquis diſponit agere aliquid in aliquem, quia filius, vel quia conſanguineus, nolens aliquid ſimile cauſare in non habente talem relationem.

*Character baptiſmalis eſt poteſtas relatiua, &c.*

COMMEN

6 *Impugnatio ſecundæ rationis. Relationem fundari poſſe in altera relationis.*

a SEcunda ratio habet etiam Maiorem falſam, &c. Oppoſitum Maioris probat, quia fundatur proportionalitas, quæ eſt ſimilitudo duarum proportionum in ipſis, quæ relationes ſunt ſecundùm Euclydem quinto Geometriæ, & ſicut *quid* dicitur de omnibus generibus, & *ens*, ita & *vnum*: ergo relationes primi generis, quæ fundantur in vnitate, & numero, etiam inueniuntur in genere relationum, & ſic de identitate, & æqualitate, ſuo modo: ſic relatio quæ diſtinguitur realiter à ſuo fundamento, eſt ens finitum creatum: ergo productum à Deo: ergo dependens: ſic etiam eſt dependens à cauſis proximis, in ſuo *eſſe*, per modum effectus: ergo dicit relationem effectus.

*Varia denominationes ſuperaddita relationibus, vt ſubiecta denominata.*

Item inhærent relationes ſubiecto per modum accidentis, & conſtituunt ſubiectum & fundamentum ſuo modo, ſicut formæ aliæ: ergo dicunt rationem cauſæ, & cauſati, quæ ſunt denominationes relatiuæ, & poſteriores ſua entitate. Item diſtinguunt conſtitutum realiter ab alio, vt patrem à filio, dicunt etiam oppoſitionem ad inuicem. Si ergo character eſſet relatio, nihil obſtaret, quin fundaret relationem ſimilitudinis, quatenus hæc vagatur per omnia prædicamenta, diſtinguatur realiter, vel non diſtinguatur, parùm refert, quia quocunque modo ſumatur, eſſet poſterior; ſicut proprietas poſterior eſt naturâ ſuo ſubiecto, & inhærentia ipsâ relatione, ſine diſtinctione reali vtriuſque, manente ſolo formali, vel rationis, vt volueris.

Fundaret etiam relationem ſigni, eo modo, quo Auguſtinus definiuit ſignum reſpectiuè ad intellectum, ex cuius cognitione poſſet quis deuenire in cognitionem fundamenti, vt prioris: eſſet etiam ſignum rememoratiuum actus præteriti, vt ſi quis videret paternitatem in ſuo fundamento, recordaretur generationis præteritæ.

7 *Obiectio.*

Sed obiicies contra hæc, quòd relatio cognoſcitur per ſua extrema: ergo non extrema per ipſam: & conſequenter nequit fundare relationem ſigni per modum etiam poſterioris ad prius, cùm non ſit ratio cognoſcendi prius, neque per ſe, neque per ſuam ſpeciem cognoſcibilis ſit: ergo hæc doctrina non eſt realis, aut fundata. *Reſponſio prima.* Reſpondetur illud principium eſſe Philoſophi, & verum eſſe reſpectiuè ad nos, quoad primam cognitionem, quæ fit virtute alicuius obiecti motiui: non ſequitur tamen quoad cognitionem ex obiecto terminatiuo, tanquam ex ratione cognita, quia relatio, vt cognita poteſt eſſe ratio cognoſcendi ſuum fundamentum, & terminum, cognitione magis diſtinctâ, quàm fuerit prior: ſic ex cognitione cauſalitatis, & dependentiæ, quæ ſunt relationes, cognoſcimus Deum ex creatura, & per inquiſitionem, tam Phyſicam, quàm Metaphyſicam cognoſcimus eius omnipotentiam, & eum eſſe primum motorem, quod aliàs non cognoſceremus viâ naturali, per ſolam cognitionem entis creati ſub ratione abſoluta. Sic etiam relatio vt cognita eſt ratio cognoſcendi ordinem, & diſpoſitionem vniuerſi, & totius naturæ inter ſe. Et ſi loquamur de cognitione cauſæ per effectum, illa etiam à poſteriori non eſt ex abſoluta cognitione effectus ſub ratione entis, niſi cognoſcatur ordo, & reſpectus eius ad cauſam, à qua fit, quia effectus, ſaltem æquiuocus, non includit virtualiter, formaliter, aut eminenter ſuam cauſam in *eſſe*, aut *cognoſci* hoc modo: hinc etiam vbi nullus eſt reſpectus, neceſſarium eſt, vt intellectus negotietur, & formet reſpectum rationis, quales ſunt intentiones logicales tanquam rationes intelligendi ſubſtrata, quò ſpectant impoſitiones vocum, & ſignorum ad placitum.

*Relatio eſt ratio cognoſcendi aliud.*

*Cognoſcimus Deũ ex creaturis per viã dependentiæ.*

*Modi cognoſcendi intentionales, & Logicales.*

8 *Reſponſio ſecunda. Extrinſecùs adueniens cognoſcitur per ſe, & propriam ſpeciẽ.*

Reſpondetur ſecundò, illud principium verificari propriiſſimè, ſpectando naturam rei de relatione extrinſecùs adueniente: quæ ſicut in *eſſe* cauſatur ab extremis, ita etiam in *cognoſci*, quoad primam ſui apprehenſionem: quæ ratio non currit in relatione extrinſecùs adueniẽte, quæ ab extremis nõ cauſatur: ideóque motus, & figura, quæ ſunt relationes, cadunt ſub ſenſum tanquam ſenſibilia communia, & probabilius eſt eas habere ſpecies proprias, quamuis ſupponant motionem ſenſibilis proprij. Quamuis ergo relatio extrinſecùs adueniens non intelligatur, non cointellectis extremis, non tamen neceſſariò per extrema intelligitur, & ſic nihil obſtat, quin primò etiam mouere poſſit intellectum ad cognitionem extremorum.

*Tertia reſponſio.*

Reſpondetur præterea tertiò, illud principium Philoſophi intelligi reſpectiuè ad cognitionem noſtram, pro hoc ſtatu, quam ipſe exiſtimauit eſſe ex natura intellectus noſtri, & potentiæ, cum dependentia à ſenſibus, ac proinde nullum ſtatuit obiectum motiuum intellectus noſtri, niſi quiditatem rei ſenſibilis: nec intellectus Angelici fortè, niſi propriam eſſentiam. Econtrà Doctor noſter in 1. *diſt.* 3. *quæſt.* 3. ſtatuit obiectum motiuum intellectus creati eſſe ex natura potentiæ, omne ens finitum, vel abſolutum, vel reſpectiuum, quod non eſt ad Deum, vt ad terminum, quod nunc ſuppono: hoc ergo dato, principium illud Philoſophi non currit, niſi pro cognitione huius ſtatus. Character autem eſt obiectum motiuum, & ſignum rememoratiuum, tenendo hoc ipſi conuenire ex natura rei reſpectu intellectus abſtracti, quia eſt aliquid ſupernaturale, & ſpirituale, ac proinde ratio illa, aut obiectio non concludit reſpectu eius, niſi in ordine ad ſtatum præſentem, qui non extenditur ad cognitionem rei ſpiritualis in ſe, & ſupernaturalis, niſi per fidem, quæ tantùm docet eſſe aliquid impreſſum in anima per modum effectus indelebilis: quid autem ſit, non exponit: ex quo patet ad obiectionem.

*Error Philoſophi.*

*Obiectũ motiuum intellectus pro hoc ſtatu.*

*Character poteſt cognoſci ab intellectu ſeparato.*

9 *Relatio ſigni in charactere non eſt realis.*

Subiicit præterea Doctor hanc relationem ſigni in charactere non eſſe realem, ſed ad placitum, maximè reſpectu Sacramenti præteriti, à quo tantùm moraliter, & non phyſicè cauſatur: hæc autem poteſt eſſe non ſolùm in relatione reali, ſed etiam in aliquo non reali. Perinde ſubiungit de relatione configurationis, ſeu obligationis, quia hæc obligatio poteſt ſequi etiam ad votum, homagium, promiſſionem, præceptum, contractum, & huiuſmodi, quibus præmiſſis manet perſona obligata, quamuis poſt actum non ſit aliqua forma abſoluta permanens.

*Idem de relationis configurationis.*

Eſt ergo hæc relatio rationis, vel vt alij vocant moralis, & inſtare ad hæc omnia licet in ipſo Sacramento, quod dicit relationẽ ſigni, & configurationis externæ, & obligationis ad Chriſtum, & legem, cuius eſt profeſſio, & diſtinctiuum membri viſibilis in Eccleſia militante, quia non iudi-

cat, aut cognoſcit membrum à non membro per ſigna interna; hæc autem omnia perinde dicuntur de Sacramento in Scriptura, & Patribus, ac de charactere, quamuis ſolùm dicant relationem rationis in Sacramento: ergo in charactere idem dicunt: ac proinde rectè fundari poſſunt in relatione reali.

Poſtea ſubdit reſponſionem ad illud, quod infertur, nempe, ſi vna relatio fundaret aliam, daretur proceſſus in infinitum. Reſpondet negando ſequelam; de hoc vide ipſum *in 2. diſt. 2. quæſt. 4. & 5.* vbi ſtatuit hanc regulam: quoties fundamentum nequit eſſe ſine termino, ad quem dicit reſpectum, tunc reſpectum non diſtingui realiter à fundamento: quia hæc dependentia arguit reſpectum, ſine quo nequit eſſe ex dependentia fundamentali ad terminum, eſſe eundem ſibi realiter, vt eſt creaturæ ad Deum, totius per ſe ad partes, relationis ad ſubiectum, correlationis ad aliam correlationem propter ſimultatem. Procedendo ergo ſecundùm eundem ordinem eiuſdem relationis in ſpecie, verbi gratiâ, ſimilitudinis ad correlatiuam ſibi, non diſtinguitur realiter ab ipſa: ſi verò eſt ad aliam ſimilitudinem, à qua non dependet ſecundùm hanc ſimultatem, eſt diuerſa realiter, & ſtatus eſt in tertia ſimilitudine ex ratione præmiſſa.

*Vnde habet relatio vt ſit eadem fundamento?*

*Status in relationibus.*

Et ſi dicatur gratis hoc dici, reſpondeatur ex quo capite colligi poſſit identitas reſpectus realis ad ſuum fundamentum, niſi ex illo principio iam præmiſſo, nempe ratione dependentiæ: nam ſi hæc dependentia ex ſententia aliorum probat identitatem eſſentialem, à fortiori probat identitatem realem. Ratio autem quam aſſignat hîc Doctor, eſt ad hominem, retorquendo argumentum ex communi ſententia, & ſecundùm paritatem, vt oſtendit conſequentiam illam non excludere: principium autem ex quo ſequitur, eſt per ſe notum, nempe in dependentia per ſe non dari proceſſum.

b *Tertiaetiam ratio non valet*, &c. Hæc ratio eſt, quòd relatio non poteſt eſſe poteſtas actiua, vel paſſiua, cuius contrarium competit charactèri: ergo non eſt relatio, &c. Reſponder Doctor hanc rationem æquiuocare, vel continere propoſitionem falſam: æquiuocat, ſi ſumat poteſtatem nunc in ſenſu morali, nunc in ſenſu phyſico: verbi gratiâ, in maiore ſumendo poteſtatem pro principio agendi phyſico, vt appellat relationem; in minori vt determinat characterem in ſenſu morali. Si autem phyſicè ſumat poteſtatem, quæ dicitur ſimpliciter poteſtas reſpectiuè ad moralem, quæ ſecundùm *quid* eſt talis. Minor eſt falſa, vt manifeſtè patet in litera: nullum enim actum poteſt phyſicè exercere actiuè, aut paſſiuè quin eundem poſſit non baptizatus exercere phyſicè: vt patet exemplis, quæ adducit. Si autem loquatur de poteſtate miniſteriali, & morali, maior eſt falſa, vt clarè probatur ex textu, inſtando ad hominem in ordine Epiſcopatus, qui non eſt diuerſus à Presbyteratu, ex opinione D. Thomę *in 4. d. 24. a. 3. q. 22.* Item inſtat de poteſtate iudicis, filij, neporis, in ordine ad actus competentes, ac tandē declarat propoſitum in charactere ſacramentali.

10 *Impugnatio tertiæ rationis.*

*Character nō eſt poteſtas phyſica.*

## SCHOLIVM.

*Reiicit quartam rationem D. Thom. quia deſtruit primam, & reſoluit non obſtantibus rationibus allatis, poſſe defendi characterem eſſe relationem extrinſecùs aduenientem. Fauet Trid. ſſ. 7. can. 9. dicens eſſe ſignum. De huiuſmodi relationibus agit 3. diſt. 1. quæſt. 1. & infr. d. 13. quæſt. 1.*

9 Quartà [c] verò ratio deſtruit primam. Si enim vniuerſaliter in aliis Sacramentis cauſaretur relatio noua ad actionem, vel paſſionem Sacramenti, & non character: ergo eſt ibi relatio noua ſiue abſolutio aliquo nouo, niſi fingas in quolibet alio poni aliquod abſolutum correſpondens characteri, vtpote ornatum quendam. Sed ſi ille ornatus eſt forma ſupernaturalis, erit indelebilis, eo modo quo character eſt indelebilis: quia non poterit habere cauſam demeritoriam. Et tunc videtur fictio, quare non poſſit dici character, cùm ſit forma prior ipſo effectu principali Sacramenti, & forma indelebilis: quare etiam ille ornatus non poterit habere effectum ſuum, ceſſante fictione in aliis Sacramentis, ſicut ponitur character in Sacramentis imprimentibus characterem.

*Ornatus ſi admittatur, erit character.*

c Reſpondeo ergo, quòd ratio nihil probat, niſi quòd character non eſt quæcunque relatio ad actionem, vel paſſionem Sacramenti: ſicut ſi eſſet forma abſoluta, non eſſet quæcumque abſoluta, quia in aliis Sacramentis, ſecundùm iſtos, imprimitur aliqua forma abſoluta, ſed non character. Et propter hoc poteſt dici, quòd non in quolibet alio Sacramento imprimitur aliqua relatio manens poſt actum: character autem ſi eſt relatio, manet poſt actum ſuſcepti Baptiſmi, immò ſemper. Non obſtantibus ergo iſtis rationibus, quæ non concludunt, vt viſum eſt, poteſt dici characterem eſſe tantummodò quendam reſpectum extrinſecus aduenientem ipſi animæ, cauſatum à Deo immediatè in ſuſceptione Sacramenti initerabilis: quia ſic ponendo ſaltem omnes conditiones ſaluantur, quæ communiter attribuuntur characteri.

*Nihil cogere, quin character ſit relatio extrinſecùs aduenies.*

## COMMENTARIVS.

11 c QVarta verò destruit primam, &c. Patet redargutio ex litera, éstque vrgens : ac tandem respondet nihil aliud concludere, nisi characterem non esse quamcunque relationem causatam à Sacramento, ac tandem statuit conclusionem primam non absolutè, sed respectiuè ad rationes illas, earúmque solutiones : posse teneri characterem esse relationem extrinsecùs aduenientem ipsi animæ, causatum à Deo immediatè ad susceptionem Sacramenti non iterabilis, quia sic tenendo saltem omnes conditiones saluantur, quæ communiter tribuuntur characteri. Probatio huius petitur ex præmissis fuit sententia Alberti, nisi quòd aliter senserit de relatione, nempe esse prædicamenti *Ad aliquid* : hoc autem satis impugnatur ex ratione D. Thomæ. Prima, duo dubia quæ superfunt ad veram declarationem huius conclusionis explicat Doctor duobus paragraphis sequentibus.

*Prima conclusio.*

## SCHOLIVM.

*Tenendo characterem esse respectum, vt tenet Albert. suprà, refutat sententiam, quæ videtur D. Thom. dicentem, fundari in actu præterito. Primò, quia fundamentum, & respectus sunt in eodem subiecto. Secundò, non ens nequit fundare ens reale. Tertiò, sequeretur characterem non esse annihilabilem. Resoluit fundari in anima, eiúsve potentiâ.*

Sed restant duo dubia. Primum, de fundamento proximo illius relationis. Aliud, quo modo possunt characteres diuersorum Sacramentorum distingui ab inuicem. De primo, videretur alicui, quòd actus susceptionis Sacramenti transiens in præteritum, esset proximum fundamentum, vel proxima ratio fundandi istam relationem. Sed istud est falsum specialiter in proposito : quia ratio fundandi, & relatio sunt in eodem subiecto proximo : susceptio autem Sacramenti, & character, licèt sint in eodem suppposito, non tamen in eodem subiecto proximo : quia susceptio Baptismi infuit secundùm corpus, character, secundùm animam.

10 *Hæc videtur esse intentio D. Thom. 5. Metaph. c. de Ad aliquid assignando fundamenta secundi modi. Characterē non fundari super actum præteritum.*

Istud etiam est generaliter falsum hîc, & in aliis, propter duo. Primò, quia non ens non potest esse fundamentum, vel ratio fundandi aliquam relationem realem, quia nec terminus : propter hoc enim ponitur contradictio relatio rationis, quia habet fundamentum, vel terminum, *negationem* : actus autem transiens in præteritum, postquam transiit, simpliciter non est : ergo postquam transit, nulla relatio talis fundatur super eum. Hoc secundò patet, quia ad terminum immutabilem super fundamentum omnino immutabile, non potest fundari relatio, nisi simpliciter immutabilis, & etiam necessariò inhærens fundamento. Vnde si aliqua essentia creaturæ esset simpliciter immutabilis, relatio illius ad Deum esset simpliciter immutabilis : ergo si character dicat aliquam relationem ad Deum, (de quo patet, quòd est terminus immutabilis, & fundatur in actu vt præteritus est, cùm actus præteritus, vt præteritus, sit simpliciter necessarius, in tantum, quòd de potentia absoluta diuina non potest esse non præteritus, )sequitur, quòd ista relatio realis esset omnino immutabilis, etiam loquendo de potentia Dei absoluta. Hoc autem videtur inconueniens, quòd aliqua sit relatio realis alia à suo fundamento, quam non possit Deus de potentia absoluta delere à fundamento suo, sicut posterius à priori : & illæ duæ probationes vltimæ probant paternitatem non fundari super *genuisse*.

Et si adducas Philosophum contra hoc, 5. *Metaph. cap. de ad aliquid*: Pater dicitur eo quòd generat. Respondeo, actus potuit esse causa in *fieri* ipsius relationis, & quidem quando fuit causa, tunc relatio infiebat : sed non est causa in *esse*, sicut non manet, manente relatione : fundamentum autem non tantùm est causa in *fieri* relationis, sed in *esse*. Quid est ergo fundamentum paternitatis? Respondeo, fundamentum proximum est ipsa potentia generatiua, non loquendo de respectu quem de se dicit potentia, sed de isto absoluto, quod denominatur à respectu.

11 *Text. 20. Fundamentum paternitatis proximè ipsa potentia generatiua.*

Dico ergo à simili in proposito, si character ponatur relatio realis, eius fundamentum proximum est ipsa nuda anima, siue essentia, siue potentia (de hoc in sequenti quæstione) quia respectus extrinsecùs aduenies, potest fundari super fundamentum, ex cuius principiis nullo modo egrediatur : nec fundamentum eius proximum oportet determinari ad illum aliquo modo ex ratione sua propria, quia tunc non esset respectus extrinsecùs aduenies : sed tantummodò determinatur ad illum ab ipso agente, sic in proposito.

*Subiectum characteris proximum est anima, vel eius potentia.*

COMMEN

12 *Dubium.*

d *Sed restant duo dubia*, &c. Hoc dubium de fundamento characteris, mouet quasdam rationes, quæ difficultate non carent: negat Baptismum præteritum, qui in sensibili actione perficitur, esse fundamentum; primò; quia ratio fundandi, & relatio sunt in eodem subiecto proximo. Susceptio Baptismi fuit in corpore, character autem est in anima. Hæc ratio patet in relationibus primi modi, quia vnitas, & pluralitas sunt in eodem subiecto, in quo est relatio diuersitatis, & identitatis, aut similitudinis. Difficultas esse potest de relatione paternitatis, an potentia generatiua sit in toto, in quo & ipsa relatio, vel in illis organis, in quibus habet operationem. Respondetur esse in toto, quia phantasia, & appetitus concurrunt etiam ad generationem, & nutritiua, quæ ministrat, & disponit materiam. Secundum probat idem ex fundamento vniuersali, quia non ens non potest esse fundamentum, aut ratio fundandi relationem realem, quia hoc discernitur relatio realis à relatione rationis, quòd hæc fundari possit in non ente, vel est ad non ens. Hoc fundamentum discriminis non est fortè vniuersale, tanquam hæc sit prima differentia, quia etiam relatio rationis inter ipsa entia fundari posset, sed sufficit in ordine ad præsens, quia loco citato ex secundo, hæc etiam conditio per se requiritur ad realem relationem, quòd sit inter diuersa, & realia extrema, quæ in esse entis se respiciunt.

*Ratio fundãdi, & relatio sunt in eodem subiecto. Paternitas fundatur in toto.*

*Distinctio relationis realis, & rationis.*

Tenet ergo, & actum præteritum esse simpliciter non ens, & nullam relationem realem fundari in non ente: secundò, idem probat ex eo, quòd extrema immutabilia non possunt dicere relationem ad inuicem, nisi omnino immutabilem: terminus in proposito huius relationis characteris est Deus, & actus transiens in præteritum, quà præteritus est, & similiter immutabilis: ergo relatio erit etiam immutabilis. Patet maior, quia si creatura aliqua esset immutabilis, etiam relatio ipsius ad Deum esset talis. Inconueniens ergo est, quòd aliqua relatio distincta à fundamento sit talis, vt non possit Deus eam, vt posteriorem delere à fundamento: vnde colligit paternitatem non esse fundatam super *genuisse*.

*Non fundari paternitatem super actu præterito.*

13 *Obiectiones cõtra dictam rationem.*

Ad intelligentiam huius rationis. Obiicies primò, relationem creaturæ ad Deum manente creatura esse immutabilem hoc modo, quo intelligitur hîc immutabilitas manentibus extremis. Hoc ipsum etiam patet de relatione prædicamentali ex suppositione extremorum in *esse*, quia repugnat, quin insit, & maneat inseparabiliter, quamdiu extrema manent. Tertiò, non sequitur illa consequentia in proposito: quia licèt fundamentum relationis extrinsecus aduenientis esset immutabile, sicut & terminus immutabilis non sequitur ex natura extremorum, sed ex voluntate & actione libera Dei, à qua vt supponit suprà, producitur: hæc autem suspendi potest manentibus extremis: ergo & relatio deleri. Quartò denique, videtur in conclusione supponere relationem quamcunque, quæ realiter posterior est suo fundamento, & ab eo realiter diuersa, posse de potentia absoluta separari, etiam manente termino. Quintò, contrà assertum non repugnat actum præteritum esse fundamentum, vt *quo*, seu conditio fundandi ipsam relationem, idem autem inconueniens videtur sequi, nempe relationem realem dependere à non ente, vt conditione, sicut & dependere ab eo vt causa, quia omnis dependentia entis siue referatur ad causam, siue ad conditionem, terminatur ad ens.

Respondetur intelligi immutabilitatem, quâ posità aliter fieri nequit à Deo, siue mediatè, siue immediatè ex rei ipsius repugnantia, actum præteritum, quà præteritum repugnat non fuisse, quia hoc solo priuatur Deus, vt non possit facere, quin præteritum fuerit præteritum, quà præteritum reduplicatiuè: hinc ergo sequitur relationem, quæ fundatur in præterito, & terminatur ad Deum, immutabilem esse quantùm est ex parte extremorum, quod solùm intendit Doctor. Ad illud ergo quod obiicitur, relatio creaturæ suppositâ creatura in *esse* esse immutabilis, negatur consequentia quantùm ad immutabilitatem simpliciter, quia sicut fundamentum est contingens simpliciter, ita etiam & dependentia fundamenti ad terminum est contingens: quod à fortiori verum est in opinione quæ docet actionem Dei semper esse nouam, & influxum nouum respectu creaturæ ad extrà. Ex quo patet ad aliam instantiam, quia relatio est mediantibus extremis saltem in potestate Dei.

14 *Præteritum nequit non esse præteritũ.*

*Soluitur prima obiectio.*

*Relatio creaturæ ad Deũ est contingẽs.*

Ad tertium respondetur, Doctorem loqui, supponendo principia communia de natura relationis, & prout habet necessitatem essendi ex conditione extremorum: non differit ergo ex principiis propriis, sed arguit ad hominem contra eos, qui dicunt relationes secundi modi fundari super actione præterita, quà præterita est: qui etiam negant relationes extrinsecùs aduenientes modo, quo eas asserit Doctor, ac proinde ex suppositis eorum principiis sumit argumentum: si enim relatio non est in potestate Dei immediatè, sed mediante fundamento, & termino, quando extrema non sunt in potestate Dei, sic etiam neque relatio est in eius potestate: si ergo actus præteritus, quà præteritus, est fundamentum relationis characteris, dato quòd character sit tantùm relatio, & terminata ad Deum, rectè sequitur consequentia Doctoris, qui mihi hîc videtur differere contra Albertum, qui statuit characterem esse relationem prædicamentalem fundatam super susceptione præterita Sacramenti.

*Tertia obiectio soluitur.*

*Differit contra Albertũ.*

Ad quartum responderet Mayronius, admittendo consequens; tamen Doctor *in 1. dist. 17. q. 2.* & aliàs sæpè, docet communem sententiam, nempe relationem intrinsecùs aduenientem non habere aliam causam proximam, præter extrema, & necessariò ad ea consequi, prout in ratione secunda contra D. Thomam superfùs docet. Hîc intelligendus est simpliciter intrendere relationem esse in potestate Dei quoad separationem eius à fundamento, quatenus vel ipsa potest immediatè à Deo produci, si est extrinsecùs aduenies, vel quatenus aliqua conditio, vel certè terminus, & fundamentum est in potestate Dei: intendit enim probare eius mutabilitatem, ac proinde non debere fundari super fundamento immutabili, qualis est actus præteritus, vt præteritus est; & sicut dixi, impugnat Albertum, supponendo characterem imprimi à Deo mediante Sacramento, & esse in potestate eius consequenter sicut in *produci*, ita & in *conseruari*.

15 *Responsio ad 4. obiect.*

Ad quintum respondetur ex Doctore, actum præteritum

præteritum esse ipsam relationẽ in *fieri*: quâ fuit præsens in *esse*, quia ex generatione præterita ponitur terminus, ad quem sequitur hinc inde relatio. Resoluit tandem in proposito characterem, si dicatur esse relatio, produci à Deo, supple physicè, & esse extrinsecùs aduenientem, & fundari in ipsa anima, non ex natura fundamenti, quasi exigeret eam, sed ex determinatione, & actione Dei quâ ponitur in *esse*. Vide *infrà dist.* 13. *quæst.* 1. *ad* 5. *dist.* 14. *quæst.* 1. *quodlibeto* 12.

## SCHOLIVM.

*Characteres se ipsis formaliter distingui. & explicat optimè per congruentias, quare tantùm sint tres, & initerabiles, per comparationem ad politiam mundanam.*

Ad secundum dubium dico, quòd sicut character, si poneretur forma absoluta, diceretur distingui characteres seipsis formaliter, ita si ponantur respectus illi, licèt ab extrinseco possint distingui extrinsecè: tamen formaliter distinguuntur seipsis. 12 *Characteres diuersorum Sacramentorum, quomodo distinguuntur ad se inuicem.*

Sed si quæras, quare ergo sunt tantùm tres characteres? Respondeo, quia de hoc non faciam mentionem specialem in materia de Confirmatione, vel Ordine, ideò dico, quòd hoc potest patere per simile in politiis istis mundanis: nullus enim habet determinatum gradum in familia regis, quia comedit, vel bibit, nec quia post offensam dominus reconciliatur sibi, nec quia multiplicat personas in ista politia: nam isti actus communes possunt esse omnibus in quocunque gradu: sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familiam domini, alium quando vlteriùs proficit, & constituitur, vt miles ad defendendum rempublicam; alium quando constituitur vt supremus sub domino ad constituendos alios in gradibus determinatis in sua familia, vtpote aliquis Senescallus generalis, vt immediatus sub domino, cui commissa est auctoritas vniuersalis ad recipiendum aliquos in familiam domini. Et ideò si esset nomen impositum, quod significaret gradum in familia, vel baliuiam, non diceretur habere gradum, vel dignitatem aliquis, quia accedens ad mensam, vel quia coniugatus, vel quia rediens ad gratiam post offensam: sed diceretur tantùm habere gradum, qui de populo esset assumptus in familiam domini: & vlteriorem gradum, qui in familia constitueretur ad defendendum domum, vel dominum: & vlteriorem, qui constitueretur tanquam præpositus ad recipiendum aliquos ad familiam, & instruendum inferiores. *Optima cõgruẽtia pro tribus characteribus, per comparationem ad politiã humanam.*

Sic in proposito, tria Sacramenta, scilicet Eucharistia ad nutritionem spiritualem. Matrimonium ad procreationem corporalem. Pœnitentia ad reconciliationem annualem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, immò possunt esse communes omni membro Ecclesiæ, in quocumque gradu. Sed primus gradus in Ecclesia, & quidem vniuersalissimus est recipi in familiam Christi, quod fit in Baptismo. Secundus specialis in militiam ad defensionem fidei Christianæ, quòd fit in confirmatione. Tertius constitui in patrem, & pastorem ad introducendum alios in Ecclesiam, & ad dirigendum, & ad instruendum eos, quod fit in Ordine. Et sicut in politia illa non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet receptionem in familiam, promotionem ad militiam, & prælationem ad doctrinam, benè tamen iterari possunt nutritio, & procreatio, & reconciliatio: ita in proposito, tria Sacramenta non decet iterari, alia autem iterantur: & in non iterandis gradus initerabilis acquiritur, & character dicitur, in iterandis autem non. *Per Bapt. fit quis de familia Christi, per confirmationem miles, per ordinem præpositus.*

## COMMENTARIVS.

16 AD *secundum dubium dico*, &c. Resolutio est characteres seipsis distingui, siue ponantur formæ absolutæ, siue respectiuæ, quia in genere relationum perinde diuersitas specifica, & numerica saluatur, sicut in aliis generibus.

*Sed si quæras, quare ergo tantùm sunt tres characteres*, &c. Numerum characterum egregiè colligit, & optimè declarat ex proportione, quam habet status legis Euangelicæ, ad politiam humanam, in qua gradus speciales seruantur quoad dignitatem in familia Principis, qui non conueniunt omnibus. Primus gradus est vniuersalis omnibus, qui recipiũtur in familiam; secundus, militiæ; tertius, ministrorum, & dispensatorum; seruatâ hac proportione. Baptismus est, per quem quis recipitur in familiam; Confirmatio, in militiam, Ordo, disponit ministerium, reliqua Sacramenta communia sunt omnibus de familia, vel esse possunt. In tribus Sacramentis gradus initerabilis recipitur, qui dicitur character. De primo, gradus receptionis in familiam per Baptismum ex dictis satis liquet. *Numerus characterum colligitur.*

De secundo gradu militiæ, hanc eandem metaphoram seruant Patres, Eucherius Lugdunen. homil. in die Pentecostes: *Sic*, inquit, *exigit militaris ordo, vt cùm Imperator quemcunque in militum receperit numerum, non solùm signet receptum, sed etiam armis competentibus instruat pugnaturum: ita in baptizato benedictio illa munitio est. Dedisti militiam, da ei adiumenta militiæ:* & infrà, *In Baptismo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pugnã, in Baptismo alimur, post Baptismum roboramur*, &c.

Prosper

Prosper. Beda.

Prosper in lib.Sententiarum,sentent.342. *Ideò chrismari docet Christianos, vt fiant lustratores contra diabolum.* Beda *in Psalmum 26. Dominus illuminatio mea,*&c. Alcuinus *de officiis,cap.*19. Rabanus *de instit.Cleric.lib.1.c.*30. Iuo Carnotensis *serm. de excellentia sacrorum Ordinum,& serm. de conuenientia noui & veteris Testamenti,* Magister *dist.sequenti.* Trident.*ss.*7. Florentin. Tertius gradus fusim suo loco ex Scriptura, & Patribus declarabitur iuxta proprietatem dictæ metaphoræ.

## SCHOLIVM.

*Resolutiuè tenet vt problema,characterem esse formam absolutam, vel relationem realem extrinsecam. Ex quo constat Vasq.*3.*p.d.*34. *cap.*2. *falsò imposuisse Scoto, quòd dixerit characterem esse relationem rationis. Constat etiam alios esse temerarios, qui ob hoc Scotum temeritatis notant: immò non tenet esse respectum realem, vt falsò ei imponit Sotus suprà. Sed tantùm hoc posse defendi: probabilius tamen poni formam absolutam, ita eius discipuli, Bassol.hic.q.*3. *Mayron.d.*7.*q.*5.*a.*10. *Rubion.q.*2.*a.*2. *Vorillon.d.*3.*q.*3.*con.*1.

13 Ad quæstionem potest dici, quòd sicut non potest probari aliquam formam realem imprimi in susceptione Baptismi,aliam à gratia,& virtutibus, & hoc neque per rationem naturalem, neque etiam per rationem euidentem ex creditis manifestis: ita non potest probari characterem, si ponatur forma realis, esse formam absolutam realem, vel respectiuam:quia vtrumque saluari potest,quòd sit,scilicet forma respectiua, sicut iam ostensum est,vel quòd sit forma realis absoluta. Si ponatur, non potest euidenter improbari: quædam enim sunt satis rationabiliter concedenda de charactere,si ponatur esse, vtpote quòd *est forma spiritualis impressa à Deo cuicunque suscipienti Sacramentum non iterabile.* Et quòd ex institutione diuina efficaciter significat gratiam illius Sacramenti, & quòd disponat ad eam, sicut declaratum est in quæstione præcedente,quia est in eodem susceptiuo,& ab eodem agente,& forma prior,& imperfectior:& quòd sit indelebilis, cùm non habeat causam demeritoriam corruptiuam. Et quòd sit signum memoratiuum respectu susceptionis Sacramenti, quæ præteriit,& signum configuratiuum,id est,signans obligationem animæ ad Christum. Quòd etiam sit forma assimilatiua alteri suscipienti Sacramentum, & ab alio distinctiua, qui non suscipit.

*Descriptio, & declaratio characteris.*

Hæc omnia,quæ videntur rationabiliter concedenda de charactere, si ponatur forma realis absoluta, possunt saluari; si ponatur respectus realis per modum prædictum: sicut si est forma absoluta realis. Si autem ponatur respectus realis, dictum est priùs, qualiter ista saluabuntur, qualis respectus sit, quia extrinsecùs aduenies. Sed si ponatur forma absoluta, necesse est dicere, quòd pertineat ad genus qualitatis: nec oportet declarare quomodo omnes istæ conditiones sibi conueniant, quia satis patet.

*Opinio Ric. in* 4.*d.*5.*a.*2.*q.*1 *sol.*3. *art.* *Idem Bon. & alij multi.* *Text.*16.

Sed tunc est dubium,in qua specie qualitatis debeat poni? Dicitur,quòd quia est qualitas supernaturalis, non oportet quòd ponatur in genere Qualitatis secundùm Philos. 10.Metaphys. *Corruptibile,& incorruptibile differunt plusquam secundùm genus*: naturale verò & supernaturale differunt plus quàm corruptibile,& incorruptibile,quia corruptibile, & incorruptibile continentur sub vno membro, scilicet sub naturali: ergo multò magis naturale,& supernaturale plùs differunt,quàm secundùm genus.

14 *Refutatur.*

Contrà,fides,spes,& charitas sunt supernaturalia quædam:& tamen conceduntur esse propriè in genere Qualitatis. Hoc idem patet aliter, quia naturalitas, & supernaturalitas,non sunt conditiones, nisi per comparationem ad agens:talis autem comparatio non variat aliquid quantum ad *esse* in genere: quia aliquid ponitur in genere secundùm suam propriam quiditatem formalem, circumscriptâ relatione ad agens. Nec valet dictum Philos.1.*Metaph.*quia loquitur de genere Physico:sic enim nulla duo sunt eiusdem generis,nisi sint transmutabilia ad inuicem. Sed idem genus Logicum benè potest continere multa,quæ non pertinent ad idem genus Physicum,vt patet de substantia corporea,& incorporea,& de qualitate corporali,& spirituali.

*Ric. vbi sup.*

Aliter dicitur,quòd secundùm quòd est principium configurandi,potest poni in quarta specie Qualitatis: secundùm autem quòd est principium assimilandi, poni potest in tertia:&, vt est potestas quædam,in secunda:& vt est dispositio ad gratiam,in prima,quæ est dispositio, inquantùm verò immobiliter permanens, in prima,quæ est habitus. Sed hoc non valet, quia etsi posset habere multas proprietates, secundùm quas assimiletur formis diuersarum specierum Qualitatis, tamen non potest esse in se tot quiditatiuè. Non enim est in se,nisi vna quiditas simpliciter: ergo tantùm erit in vna specie.

*Diuisio Qualitatis in quatuor species, non est generis in species.*

Verumtamen istud posset habere aliquam probabilitatem de vna alia forma: quia secundùm veritatem, illa diuisio Qualitatis in quatuor species, non est propriè generis in species,

ſpecies, ſed eſt tantùm ſecundùm quoſdam modos diuerſos conuenientes diuerſis qualitatibus. Et fortè eidem qualitati in ſe ſecundùm eſſentiam, poſſent competere plures modi, qui ponuntur in diuerſis qualitatibus. Aliter dicitur, quòd eſt in quarta ſpecie Qualitatis, quia eſt figura quædam ſpiritualis. Sed hoc nihil eſt, quia nil collocatur in genere per proprietates metaphoricas, alioquin Chriſtus eſſet verè in genere ſubſtantiæ inanimatæ, quia dicitur *Petra:* & eſſet in genere animalis irrationalis, quia *Leo* dicitur metaphoricè: & in genere Qualitatis, quia dicitur *lux. Ego ſum lux mundi*, &c. Sed ex metaphoricis colligenda eſt propria conditio rei in ſe, & ſecundùm illam collocanda eſt in genere, & ſpecie: ſicut poſſet ſpecies intelligibilis poni in quarta ſpecie Qualitatis, quia configurat animam ipſi obiecto cognito.

*Rich. vbi ſuprà.*

1. *Cor.* 10. *Apocal.* 5. *Ioan.* 8.

## *COMMENTARIVS.*

17 *Attributa characteris.*

*Ad quæſtionem poteſt dici*, &c. Verba liminaria huius paragraphi intelligenda ſunt, prout declarata ſunt in commento præcedentis quæſtionis, §. *Ad quæſtionem:* & in declaratione veræ ſententiæ Doctoris, ſuique diſcurſus. Subiungit attributa characteris, tam communia, quàm ſpecilia; vt eſſe formam ſpiritualem, eſſe cauſatam à Deo in ſuſcipiente Sacramentum non iterabile; quod efficaciter ſignificat gratiam illius Sacramenti, per modum diſpoſitionis, vt forma prior, & imperfectior; quòd ſit indelebilis: quia non habet cauſam demeritoriam, ſicut habet gratia; quòd ſit ſignum rememoratiuum ſuſcepti Sacramenti; ſignum configuratiuum Chriſto, ſignans obligationem ſuſcipientis in ordine ad Chriſtum, quòd ſit aſſimilatiua forma, & diſtinctiua, &c. illa ſignificatio efficax characteris eſt ex diuina inſtitutione, & non ex Phyſica virtute, & intelligitur ſecluſo obice, ſcilicet quantùm eſt ex natura characteris, tanquam formæ prioris ex ordinatione diuina: vide eum ſuprà *quæſt. præcedenti, reſponſione ad primum.*

*Hæc omnia*, &c. Statuit concluſionem problematicam, aſſerens hæc omnia poſſe ſaluari, vel per formam reſpectiuam, eo modo quo ſuprà eam declarauit; vel per abſolutam à fortiori, quæ poteſt omnes illos reſpectus, & denominationes dare. Argumenta modernorum contra primum membrum, Philoſophica ſunt, & ſolùm tangunt illâ difficultatem: an ſcilicet relatio extrinſecùs adueniens poſſit dari? De qua *infrà diſt.* 13.

*Sed eſt dubium in quâ ſpecie*, &c. Quærit deinceps in qua ſpecie qualitatis ſit, vel an ſit omnino in prædicamento? Richardus negat eam poni in prædicamento, quia eſt qualitas ſupernaturalis. Contrà Doctor, quia habitus ſupernaturales collocantur ſub genere qualitatis: ergo ſupernaturalitas non obſtat. Dices ex Philoſopho 10. Metaphyſicæ textu 16. *Corruptibile, & incorruptibile differunt plus quàm ſecundùm genus*, &c. ergo & naturale, & ſupernaturale. Reſpondet Philoſophum loqui (vt verum eſt) de genere Phyſico; ſic autem dicitur genus in ordine ad tranſmutationem vnius in aliud: non autem de genere Logico. Secundò, arguit contra eundem, quia ſupernaturalitas, & naturalitas non ſunt conditiones, ſeu prædicata abſoluta qualitatis, ſed reſpectiuè ad agens. Vide ipſum *quæſt.* 1. *prologi.* Hîc diſputari poſſet hæc controuerſia quæ eſt inter Doctorem, & D. Thomam de ratione formali ſupernaturalitatis; ſed eam pro nunc remitto in commodiorem occaſionem, quæ magis per ſe exigat tractatum: hîc enim incidenter tantùm ſupponitur. Varios modos dicendi, quos etiam Richardus ſequitur, ſubiungit Doctor, quos etiam impugnat. Aduertendum eſt ad illam doctrinam Peripateticam, quâ docet ſpecies enumeratas à Philoſopho non eſſe proprias; nec diuiſionem illam, quam aſſignat Qualitatis, eſſe per differentias ſpecificas, quoniam eidem Qualitati conuenire poſſunt. Hæc diſputatur in Logica, & Metaphyſica.

18 Richard. 10. Metaph. *Genus Phyſicum, & Logicum.* *Diuiſio Qualitatis per Philoſophum facta, non eſt eſſentialis.*

## SCHOLIVM.

*Refutatis opinionibus Richardi & Bonau. ponit characterem, ſi ſit forma abſoluta, in prima, vel ſecunda ſpecie Qualitatis, & ſoluit quatuor rationes in contrarium. D. Thom. ponit in ſecunda ſpecie, Alenſ. & D. Bonau. in prima.*

15 *Character eſt in prima, vel ſecunda ſpecie Qualitatis.*

Reſpondeo ergo, quòd ſi ponatur accidens abſolutum, poteſt poni in ſecunda ſpecie Qualitatis, vel etiam in prima: nec alterum iſtorum poteſt euidenter improbari. Si enim arguitur ſic, non eſt in ſecunda ſpecie, quæ eſt potentia, quia eſt ſupernaturalis, & ad illam ſpeciem ſecundam non pertinet, niſi potentia naturalis; hoc nihil eſt, quia etſi Philoſophus non loquebatur, niſi de potentia naturali, exemplificando: tamen potentia ſupernaturalis, ſi eſt abſoluta, & accidentalis, & ſpiritualis, benè poteſt pertinere ad idem genus intermedium, ſub qualitate cum potentia naturali: ſicut & habitus ſupernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali. Si etiam ponatur in prima ſpecie vt habitus, quia de difficili mobilis: non poteſt improbari.

Si autem contra hoc arguitur, quia eſt potentia ſupernaturalis: ergo non habitus; & conſequentia probatur per ſimile, quia potentia naturalis non eſt habitus naturalis: & ſecundò, quia eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo non eſt habitus: & tertiò, quia omnis ha-

*Cap. 5. & inde.*

bitus disponit ad benè, vel ad malè agendum, 2. *Ethicor.* sed character non: & quartò, quia omnis habitus disponit ad faciliter operandum, ex eodem, 2. *Ethicor.* character autem non.

16 *Habitus supernaturalis, est potentia, naturalis non.*

Hæc non concludunt. Primum non, quia potest habitus supernaturalis, vt est forma supernaturalis, de difficili mobilis esse principium agendi, vel resistendi corruptiuo, & sic habere rationem potentiæ supernaturalis. Nec simile illud valet, quia habitus naturalis dicit quandam facilitationem inductam super potentiam naturalem, quia potentia naturalis est, quâ naturaliter possumus actus, quos possumus: sed potentia potest esse aliqua supernaturalis forma spiritualis immobilis, & pro tanto potest dici habitus, & tamen est principium, quo possumus in talem actum spiritualem, vel supernaturalem.

*Vnus habitus est dispositio ad alium.*

Secundum verò non cogit, quia benè potest esse vnus habitus dispositio ad alium: sicut secundùm distinguentes habitum principij ab habitu conclusionis, habitus principij disponit ad habitum conclusionis: nec per hoc est dispositio, vt distinguitur contra habitum in prima specie; nam illa est qualitas de facili mobilis per oppositum ad habitum.

*Dari habitum indifferentem, de quo 2. d. 41. & quodlib. 18. art. 1.*

Tertium de benè [b], & malè, non est necessarium: quia aliquis potest esse actus indifferens: sicut enim ex frequenter benè agere acquiritur habitus inclinans ad benè agendum, & ex frequenter malè agere, inclinans ad malè agendum: sic ex frequenter agere absolutè, acquiritur habilitas ad agendum tali actione, neque cum bonitate, neque cum malitia: sicut nec actus generatiuus fuit talis, scilicet bonus, vel malus; hoc patet: potest enim aliquis frequenter considerans Geometriam habere facilitatem magnam ad considerandum conclusionem in illa scientia: nec est ibi habitus bonus, vel malus, sicut nec actus, ex quo generabatur: sic & in habitu supernaturali potest esse.

*Non negat habitus efficere, quia oppositiũ habet infrà d. 17. quæst. 2. & 3. d. 37. ad argum. princ. & 1. d. 3. quæst. 7. num. 20. sed quod habitus non est principium proximum, & sufficiẽs.*

Et si dicas [c], quòd habitus supernaturalis non est talis, quia datur ad perfectionem recipientis. Respondeo, habitus supernaturalis potest esse disponens ad actum bonum, licèt non sit eius principium elicitiuum proximum, vel sufficiens: & hoc modo fides infusa non est principium sufficiens eliciendi actum credendi: nec charitas infusa eliciendi actum diligendi: sed inclinant, vt concurrentibus aliis necessariis actus bonus eliciatur. Et ita dico, quòd aliquis habitus supernaturalis potest remotiùs, & imperfectiùs inclinare ad actum bonum: & talis ponitur character tanquam primò, & remotissimè disponens ad bonos actus. Illud autem quartum de facilitate, nihil valet. Quia non est verum, nisi de habitu acquisito: habitus enim infusus non dat facilitatem ad actum, vt patet de nouiter conuerso, cui non est facilè post conuersionem actus bonos elicere, sed difficilè quousque ex frequentia actuum bonorum acquirat aliquam virtutem acquisitam.

17 *Ad argum. in princip. quæst.*

Ad argumenta, ad vtramque partem. Ad primum, si ponatur forma absoluta, potest poni vel potentia, vel habitus, secundùm duas vias iam dictas. Ad secundum patet, in qua specie Qualitatis poneretur, & qualiter. Ad aliud, quantitas est forma absoluta: & tamen non ponitur actiua. Oportet ergo exponere, quòd habeat operationem respectu eius, cuius sit sufficiens principium, vel quòd aliquo modo se habeat ad operationem. Et sic concedo in proposito, quòd illa forma est dispositio remota ad operationem. Ad quartum patet ex fine quæstionis præcedentis.

*Ad argum. in opp.*

Ad primum in oppositum, non est inconueniens aliquam relationem disponere ad formam absolutam, loquendo de dispositione non respectu agentis naturalis: nec quæ sit ratio receptiui: sed de dispositione conueniente respectu agentis supernaturalis, hoc est, per quam habens illam, est conuenienter natum pati à tali agente: quia & isto modo potest relatio esse dispositio respectu cuiuscumque agentis voluntarij: sicut aliquis voluntariè habet filium pro conuenienti obiecto, siue passo alicuius actionis. Alium autem non sine tali relatione habet pro conuenienti passo, licèt æqualis sit in omnibus absolutis filio.

Ad aliud, de similitudine, patet quomodo similitudo non tantùm fundatur super Qualitatem, vt est genus distinctum, sed vt generaliter inuenitur in omnibus formis ratio eius; hoc enim modo mentaliter crucifixus potest dici similis Christo crucifixo corporaliter.

19 *Character ad primam, vel ſecundam reduci poteſt.*

a *Reſpondeo ergo*, &c. Docet poni in prima, vel in ſecunda ſpecie Qualitatis. Hæc reſolutio ſequitur ex præmiſſa doctrina, quâ eadem ſpecie qualitas ſecundùm diuerſas proprietates poteſt ad vtrumque hanc ſpeciem reduci: qui autem conducunt diuiſionem illam Ariſtotelicam eſſe per veras differentias, contendunt characterem ad vnam tantùm ſpeciem reduci: verbi gratiâ D. Thomas ad ſecundam eam reducit, quia eſt potentia. Sed cõtra hoc videtur, quòd character inquantùm eſt ens, debeat collocari in prædicamento: ſed poteſtas actiua, aut paſſiua characteris, non videtur aliud quàm reſpectus moralis ex inſtituto: ergo ſecundùm illum non recipit ſpeciem, aut ſedem in prædicamento: character enim baptiſmalis, licèt ſit habilitas, ſeu potentia, quâ redditur ſubiectum capax gratiæ ſacramentalis, vel aliorum Sacramẽtorum. Primum ipſi competit, vt eſt forma diſponens prior, non ex natura rei, quia gratia poteſt ſimpliciter communicari extra Sacramentum, non ſuppoſito charactere, cum quo non habet connexionem Phyſicam, quia ſiue per Sacramentum, ſiue aliter extra ipſum cauſetur à Deo, non variat eſſentiam, & naturam eius; ſed modum tantùm cauſandi moralem: ergo in Sacramento eatenus ſupponit characterem, quatenus Deus ita voluit, non verò ex neceſſitate formæ; neque aliter, quàm etiam vt mediante fide, & operibus cauſatur, prærequirit ipſa opera, vt pœnitentiam.

*D. Thom. ſententia.*

*Potẽtia actiua, & paſſiua character is eſt moralis.*

Secundum etiam patet: quia capacitas reſpectiuè ad alia Sacramenta eſt ex Dei inſtitutione; vt patet, ſuppoſitâ opinione probabili, quæ tenet Baptiſmum non habuiſſe efficaciam ante reſurrectionem, & mortem Chriſti, quando eius forma data eſt; quæ eſt ſententia Leonis Papæ, & aliorum, quos ſuprà citauimus: tamen fuiſſe ordinatos Apoſtolos Sacerdotes, & communicaſſe menſæ Domini ſumendo Euchariſtiam in vltima Cœna conſtat. Hoc idem patet etiam de charactere, inquantùm eſt poteſtas actiua in ordine, quia eſt poteſtas moralis, & non principium Phyſicum ſui actus: magis ergo videtur character ſtatuendus in prima ſpecie: quia conſtat eſſe per modum habitus difficulter mobilis, & indelebilis. Sed quidquid dicatur res eſt obſcura; ſaluantur enim Concilia & Patres, quoad ea quæ de charactere docent vtroque modo; ſaluantur & proprietates eius, tam communes, quàm particulares; quæ vt plurimùm ſunt morales præter hoc, quod eſt eſſe formam ſpiritualem impreſſam animæ, & indelebilem, quod magis propriè ſpectat ad habitum. Dices, Doctor dicit reduci poſſe ad ſecundam ſpeciem: ergo erit potentia, & non moralis. Reſpondetur quà eſt forma prior de facto, dici poſſe potentiam Phyſicam aliquo modo.

*Potentia paſſiua.*

20 *Controuerſia de habitu, & actu indifferenti in individuo.*

b *Tertium de bene, & male*, &c. Hîc docet dari habitum indifferentem in individuo; ſicut & actum, qui non ſit principium boni, vel mali operis: vide Doctorem in 2. diſt. 7. quæſt. vnica, §. *De primo dico*, &c. *diſt. 41. & quodlibeto* 18. Circa hæc mouetur controuerſia 1. 2. *quæſt.* 18. *art.* 9. & varij ſunt modi dicendi. Neque videtur D. Thomas ibidem, & *in* 2. *diſt.* 41. *de malo, quæſt.* 2. *art.* 4. & 5. Cum Doctore tenent partem affirmatiuam Alenſis 3. *p. quæſt.* 35. *m.* 3. D. Bonauentura *in* 2. *diſt.* 41. *art.* 1. *quæſt.* 3. eſſet prolixum eam ex ex inſtitutio hîc probare: manifeſta tamen eſt ex Hieronymo *epiſt.* 11. apud Auguſtinum, Nazianzeno *orat.* 3. *in Iulianum*, vbi aſſerit eam eſſe ſecundùm Philoſophiam. Vide annotationes Eliæ Cretenſis. Sequitur ex Patribus contra Pelagianos, vbi agunt de poteſtate liberi arbitrij ad malum, & ad opera vitæ præſentis, quæ ad virtutem non faciunt, ſine gratia; negant autem poteſtatem eandem ad bonum, ſine gratia Chriſti. Author Hypognoſtici inter opera Auguſtini *tom.* 7. *lib.* 3. in principio: *Eſſe*, inquit, *fatemur liberum arbitrium omnibus hominibus, habens quidem iudicium rationis, non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent ſine Deo, aut inchoare, aut certè peragere; ſed tantùm in operibus vitæ præſentis tam bonis, quàm etiam malis: bonis dico, quæ de bono naturæ oriuntur, id eſt, velle laborare in agro, velle manducare, & bibere, velle habere amicum*, &c. *velle quidquid bonum ad præſentem vitam pertinet*, &c. Proſper contra Collatorem eandem ſententiam tuetur. Fulgentius *de Incarnatione, & gratia, cap.* 26. Ioannes Maxentius, S. Bernardus *de gratia, & libero arbitrio.* Auguſtinus *de Ciuitate Dei, lib.* 2. *cap.* 24. connumerat inter hæc opera artes Mechanicas, eas diſcernens à bono virtutis, & à peccato, quoſque refert viribus liberi arbitrij acquiſitas eſſe. Gregorius *homil.* 27. Stoici Academici, & Peripatetici apud Auguſtinum *lib.* 9. *de Ciuitate, cap.* 4. bona corporis, diuitias, dignitates diſcernunt à bono virtutis, quæ appellabant indifferentia, quod & approbat Auguſtinus; ſicut & Hieronymus in illud Iſaiæ cap. 55. *Audite audientes me*, &c. Patres ergo loquuntur de his, vt diſcernuntur à bono virtutis, ad quod requiritur gratia, & loquuntur in exercitio; ſic eodem modo etiam Philoſophi loquuntur: ergo ſupponunt actus indifferentes circa hæc, qui neque boni, neque mali ſunt in exercitio. Ad hæc facit articulus 15. damnatus in Concilio Conſtantienſi contra Ioannem Hus: *Nullæ ſunt opera indifferentia*, &c.

*Affirmat Doctor.* D. Thom. Alenſis. D. Bonau.

Hieron. Nazianzen. Elias Cretenſis. Author Hypognoſtici. Proſper. Fulgent. Ioan. Maxent. S. Bernard. Auguſtin. *Philoſophi apud Auguſtinum.*

21 *Probatio à ratione. Nullum eſſe præceptũ obligans ſemper ad finem honeſtatis in ſingulis operibus.*

Probatur concluſio à ratione, primò, quia nullum eſt præceptum, ad quod hoc reduci poſſit in vniuerſa lege, operantem deliberatè operari debere honeſtè, quia illud præceptum non eſt negatiuum, vt per ſe conſtat, quia illud non extenditur vltra motiuum virtutis in ſpecie, ſeu extrema contraria; hîc autem ſi aliquod eſſet malum, eſſet tantùm omiſſionis: non præceptum affirmatiuum; quia hoc tantùm pro determinato tempore, & circumſtantiis obligat. Denique nullum eſt præceptum, aut regula operandi moralis, hîc, & nunc, ſiue per fugam, ſiue per proſecutionem, quæ non determinat aliquam materiam, & motiuum virtutis in ſpecie, aliàs eſſet inordinatum, & inobſeruabile, cuius obſeruantia etiam eſſet infructuoſa, cùm ad nullam in ſpecie honeſtatem reduceretur.

*Reſponſio.*

Dices ex eo oriri obligationem, quia ratio data eſt homini, ac proinde debet ſemper ex ratione agere. Contrà, manet eadem difficultas: per. ſecundùm quam honeſtatem tenetur agere? Secundò, hoc tantùm eſt conſilij, non obligationis; ſicut enim iuſtus non tenetur ſemper agere ex iuſtitia, & meritoriè, quamuis iuſtitia in eum finem data eſt; ſic etiam neque ſecundùm inclinationem rationis agere ad honeſti finem; & ſola ratio non inducit obligationem,

*Impugnatur.*

*Sola ratio nõ obligat sine regula.*

nisi ex regula obiectiua, ad quam quis tenetur secundùm legem; sufficit non agere contra rationem, aut iustitiam, ad obseruantiam præceptorum negatiuorum, seu legis prohibentis actum: prosequi verò secundùm rationem, esset opus præcepti affirmatiui, quod nunquam obligat semper, & pro semper.

22

*Ratio inclinat ad bonũ vitæ, & naturale.*

Præterea ratio non solùm data est, aut inclinat ad bonum honestum, sed etiam ad commodum, & necessarium vitæ, quibus neque ex lege, neque ex dictamine rectæ rationis in factibilibus, aut agibilibus necessariò coniuncta est honestas, aut bonum virtutis: nam recta ratio in factibilibus procedit ex principiis artis, in agibilibus, ex principiis obiecti, & exigentia naturali hominis: si ergo obiectum vtrobique est indifferens, vt concedunt contrariæ opinionis assertores, sequitur quòd recta ratio, quæ ex principiis obiecti procedit, eisque tanquam regulæ priori commensuratur, vt in his præcisè versetur, abstrahat ab honestate etiam in exercitio, & subsistat ad

*Inclinatio ad bonum naturale.*

motiuum naturalis boni, & conuenientiam obiecti hoc modo, & secundùm inclinationem naturalem, tam potentiæ, quàm actus: vnde sicut ex inclinatione rectæ rationis, in materia virtutis,

*Inclinatio ad optima.*

nemo tenetur in via, operari semper optima, vel quæ meliora sunt; quamuis ad hæc etiam sit potior inclinatio potentiæ, & iustitiæ; sic etiam neque agendo in materia indifferenti, ad quam est inclinatio potentiæ, tenetur agere ex fine extrinseco, aut honesto; quamuis hoc consilij sit, & secundùm inclinationem potiorem ipsius rationis: ergo neque ex instinctu naturali, neque

*Ex nullo colligi obligationem præmissam.*

ex ratione, etiam regulata, neque ex lege vlla promulgata, neque ex necessitate motiui, aut ipsius operis, colligitur talis obligatio; onera autem non sunt aggrauanda magis, quam lex, & recta ratio dictant, quæ sunt regula formalis, & obiectiua in agendo.

23

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Aliqui respondent hoc præceptum non esse positiuum, sed reduci ad præceptum de dilectione Dei. Contrà, inde sequeretur omnem actum nostrum debere esse ex fine charitatis diuinæ secundùm obligationem huius præcepti; sed hoc

*Præceptum charitatis nõ obligare in materia aliarũ virtutum semper.*

est falsum; quia dantur plura præcepta, in quibus quis operatur honestè, non referendo actum in finem charitatis: licèt charitas sit finis præcepti, & legis, non tamen intrinsecus, sed extrinsecus finis est, quando non in propria materia versamur; talis non cadit sub præcepto quod tantùm respicit medium: ergo, &c. Sequela illa probatur: quia præceptum de fine, quale est dilectionis, magis determinat media per se ordinata ad finem, & ex obiecto suo, & fine legislatoris, quàm ad illa, quæ ex obiecto nullam habent ad finem proportionem, aut efficaciam; sed opera aliarum virtutum sunt media primi generis, quia ista sunt quibus meremur laudem, aut vituperium; & in quibus tam lex, vt ordinat ad finem charitatis, quàm etiam recta ratio, seu prudentia versatur.

*Præceptum finis magis obligat ad media, quàm extrinseca.*

Opera autem indifferentia ex obiecto nihil conducunt ad finem, neque aliam possunt habere honestatem præter illam, quæ est solius finis: ergo à fortiori minùs comprehenduntur sub præcepto charitatis naturalis, aut supernaturalis diuinæ, quàm opera virtutum, quæ tamen per se non cadunt hîc, & nunc, & determinatè sub præcepto dilectionis. Per hoc excluditur responsio aliorum, qui dicunt hoc præceptum esse naturale, tamen non determinant speciem eius.

Et confirmatur, non magis tenetur homo ex inclinatione rationis, naturæ, & legis, dum agit deliberatè, agere secundùm honestatem in genere, quàm dum agit secundùm honestatem, agere secundùm charitatem, & dilectionem Dei: sed ad hoc nullo modo tenetur seclusis saltem circumstantiis aliquibus, in quibus præceptum dilectionis per accidens obligat: ergo, &c. Probatur maior: quia homo secundùm inclinationem naturæ, rationis, & legis, magis ordinatur ad finem vltimum in reipsa, quàm ad rationem honesti, vt participatur ab aliis, quæ sunt media ad finem vltimum: quia recta ratio magis dictat ordinatè operari seruando ordinem medij ad finem, quàm operari ad finem, vbi nullus est ordo operis ex obiecto suo ad finem, quale est opus indifferens ex obiecto: sed in prioribus ordo ille seruandus est tantùm ex congruitate, & non necessitate: ergo à fortiori idem erit in proposito.

24

*Confirmatio.*

*Non est maior obligatio agendi ex fine virtutis, quàm agendo honestè agere ex fine charitatis.*

Præterea, homo eleuatus per media supernaturalia, & gratiam, ita se habet in ordine supernaturalium ad finem vltimum, sicut constitutus in ordine naturæ ad finem honesti; sed ibi nulla est obligatio similis: ergo neque hîc. Maior patet, quia ideò tenetur in ordine naturali constitutus secundùm finem honesti agere vt deliberatè agit, quia habet media, & facultatem sic agendi, scilicet rationem, & libertatem, in quibus fundatur posse, & secundùm instinctum naturalem, & inclinationem rectæ rationis ad hoc ordinatur. Ex quibus colligitur eum habere præceptum naturale, si quod est, sic agendi semper: sed constitutus in ordine supernaturali habet media proportionata in sua facultate, ordinatur ad finem supernaturalem secundùm legem, & eleuationem, secundùm inclinationem rectæ rationis, quæ est per fidem, atque etiam ex natura status, ad quem subleuatur, & secundùm inclinationem iustitiæ, quam habet, & gratiæ: ergo currit paritas in his, & in illis.

*Eadem est ratio colligendi vtrumque.*

Respondent aliqui disparitatem esse, quia finis supernaturalis non tollit obligationem operandi circa finem naturalem, cùm ipsi non opponatur; ideò non est obligatio referendi omnia in finem supernaturalem; non ita in finem naturalem. Contra, hæc responsio seipsam destruit, quia si nulla est repugnantia finis naturalis ad supernaturalem, possunt semper stare; quod etiam de fide est, quia nullus est actus virtutis in genere, seclusâ omni maculâ, & deordinatione; quin referri possit vt medium, ad finem supernaturalem, ad quem tam consilia, quàm præcepta prima, quàm opera ex his facta, referri possunt magis quàm opera indifferentia: ergo semper potest stare rectitudo finis supernaturalis cum rectitudine finis naturalis: ergo obligatio ponendæ rectitudinis naturalis, non tollit obligationem ponendi rectitudinem supernaturalis finis. Sed hæc ex iisdẽ principiis colligitur, seu per omnia similiter concludentibus, ex quibus aduersarij colligunt obligationem rectitudinis naturalis, vt deducunt, in singulis operibus deliberatis: nam & homo eleuatus habet obligationem ponendæ rectitudinis supernaturalis; licèt non in singulis operibus, quia nec lex, nec ratio id præscribit, & peccata contra finem naturalem

25

*Responsio.*

*Impugnatur. Omnia opera virtutũ posse ordinari ad charitatem.*

turalem sunt etiam ex connexione vtriusque finis de facto, suppositâ ordinatione hominis ad finem supernaturalem, contra finem supernaturalem : vnde ergo colligitur potior obligatio in vno, magis quàm in altero?

26 Si fortè quis intelligat illam obligationem rectitudinis naturalis, ponendo ita esse determinatam, & necessariam in actu indifferenti, & deliberato, vt semper sit vitiosus, quando non habet illam; hoc, inquam, est falsum, quia actus indifferens, si fiat ex solo fine supernaturali, non solùm non erit vitiosus, sed etiam meritorius, dicente Apostolo; *Sive edatis, sive bibatis, sive aliquid aliud faciatis, omnia in nomine Domini facite*, &c. & secundùm illud Matthæi; *Qui dederit calicem aquæ frigidæ, mercedem recipiet.* Ex quo confirmari potest ratio posita : quia si præceptum illud de rectitudine naturali sit determinatæ obligationis ad honestatem in genere, hoc est, naturalem virtutis, non potest excedere propriam materiam, & siue prohibitiuè, siue præceptiuè, & affirmatiuè concipiatur, perinde obligabit ad honestatem naturalem.

Primum est falsum, quia agens secundùm virtutem Theologicam non tenetur ponere aliquam rectitudinem virtutis moralis & naturalis, quando non habet connexionem per se necessariam, quam semper habere est omnino falsum, & paradoxum : ergo si in his non obligat : sic etiam nullum est præceptum sic obligans hominem, vt agat determinatè modo dicto secundùm honestatem naturalem, in singulis operibus suis; vt patet in operibus Theologicis; neque etiam in aliis operibus indifferentibus similiter obligat ad honestatem naturalem determinatè, quia, vt dictum est, cùm sit præceptum naturale, semper obligaret, & pro semper, si est negatiuum, vel per modum negatiui se habens; sed opus indifferens factum ex motiuo finis supernaturalis, aut virtutis Theologicæ præcisè, non habet vllam honestatem in genere, aut specie, quæ sit virtutis moralis naturalis : ergo etiam nullum est tale præceptum sic obligans determinatè ad talem honestatem. Si autem sit præceptum merè affirmatiuum, vt esse debet; patet ex natura huius præcepti non inferri obligationem in singulis operibus deliberatis, sed pro determinato tempore, & circumstantiis, quæ non occurrunt pro semper.

*Non esse præceptum naturale obligans determinatè ad honestatè in g nere in singulis actibus.*

27 Tertiò reducendo hanc sententiam ad praxim conscientiæ, videtur implicare plura, quæ non subsistunt, quia sequeretur homines sic plerumque peccare, si est talis obligatio : quia neque ipsi perfecti omnia sua referunt in finem naturalem. Vnde praxis pœnitentiæ non videtur admittere talem obligationem, quia neque fideles in his faciunt scrupulum in omissione, scilicet faciendi omnia indifferentia ex fine honesto virtutis; neque confessores, aut Summistæ his plurimùm implicantur; an scilicet quis proiecerit lapidem in agro, aut summouerit ex itinere impedimentum, vel sutor fuit ex honestate virtutis, quæ ab ipso, & obiecto eius separabilis est, tanquam finis extrinsecus operi : neque etiam absolueretur in foro pœnitentiæ, qui solis his actibus accederet ex defectu materiæ sufficientis. Aduersarij non probant hanc praxim; sed communis, sine vrgenti fundamento non est improbanda : & alioquin cùm numerus peccatorum ex Tridentino *sess.* 14. *cap.* 5. ex præ-

*Tertia ratio. Ab inconuenièti, & praxi.*

Trident.

cepto Sacramenti debeat confiteri : hoc præ reliquis incommodum suboriretur, quòd vix pœnitens examinare possit integrè conscientiam, aut confiteri singula eiusmodi, & vix expediri possit à confessore : immò & vix discerni inter ipsos actus, qui ex obiecto sunt indifferentes, neque constat ex fine vitiatos esse, nisi in eo solo, quòd deliberatè factæ sint; nec constat si ex motiuo honesti, aut necessitatis alicuius naturalis commodi, immò circa ipsam deliberationem requisitam hærebit pœnitens.

Præterea, quænam regula in his iudicandis seruari potest à confessario ? an vt mortalia iudicabit, & puniet grauiter ? an solùm vt venialia, leuiter ? Primum est rigorosum, quòd non debet induci sine fundamento sufficienti : sed neque secundum dici potest semper : quia nullum præceptum naturale obligat ad solum veniale, nisi excuset leuitas materiæ, aut indeliberatio : lex enim naturalis est in his, quæ habent necessariam connexionem cum natura, vt ordinatur ad suum finem, in qua sola indeliberatio, vt dixi, & paucitas materiæ excusant deordinationem, ne omnino grauis sit; cùm nihil ita repugnet rectæ rationi, & regulæ agendorum, quàm deordinatio circa finem : nam ex modo & ordine respiciendi finem distinguimus perfectionem virtutum, & malitiam peccatorum : & hac eadem ratione lex humana cedit legi diuinæ, quando circa eandem materiam, vt contrariæ concurrunt, & lex diuina positiua naturali. 28

Præterea, sequeretur quòd homo semper haberet obligationem operandi deliberatè, quod eius fragilitati non congruit, & esset obligatio ad impossibile pro statu præsenti. Sequela patet, quia si homo obligatur ad operandum circa finem deliberatè, tenetur etiam apponere diligentiam necessariam, vt apponat medium ad hoc requisitum; hoc autem est ipsa deliberatio : ergo tenetur semper operari deliberatè; hoc falsum est; ergo præceptum illud etiam non subsistit; cùm neque ex natura hominis pro hoc statu sequatur, aut obseruari possit; neque etiam ex lege extrinseca promulgata, neque ex opere aliquo præscripto, cuius impedimentum esset opus indifferens magis, quàm omissio boni operis supererogationis, quam non esse peccaminosam admittunt authores præfati; docendo enim non dari puram omissionem, neque iam datam esse malam. Eodem modo statuendus est actus in indiuiduo indifferens, qui ad neutrum extremum alicuius virtutis ex obiecto inclinat, aut medio eius consequenter repugnat; quin etiam ille ipse actus, cui annexa est omissio operis boni supererogationis, potest esse indifferens etiam in indiuiduo. Vnde sicut actus indifferens ex natura sui motiui intrinseci non repugnat actui honesto alicuius virtutis, qui hîc, & nunc est in præcepto; sic etiam non est fundamentum ex lege naturali, aut ipsa natura, vnde comprehendatur sub tali præcepto naturali; lex enim naturalis recipit interpretationè à lege positiua; vnde sicut hæc nulla est, quando non habet materiâ boni, aut politici, aut virtutis, nec procedit secundùm regulas prudentiæ aliter. Eodem modo materia indifferens ex natura sua, & obiecto, ex naturali inclinatione naturæ nostræ ad bonum rationis honestæ, sicut non mutat speciem, ita non comprehenditur sub præcepto aliquo per se fundato in natura, ad prædictum bo-

29 *Suppositâ obligatione operandi ex motiuo honesti in genere, sequitur obligatio operandi deliberatè.*

*Legem naturalem interpretatur positiua.*

num, explicando hoc modo legem naturalem, iuxta modum interpretandi eorum, qui hanc obligationem ſtatuunt.

*Obligatio per ſe, & per accidens.*

Neque etiam per accidens continetur ſub tali præcepto, hîc, & nunc, quando ipſum præceptum non obligat in propria materia, quia obligatio per accidens oritur ex hoc præcisè, vt ſummoueatur impedimentum actus præcepti, vel ponatur medium per ſe hîc, & nunc requiſitum ad implendum præceptum: verbi gratiâ, communicans tenetur confiteri ex præcepto Euchariſtiæ, ſi eſt quis in peccato mortali, & habeat copiam confeſſoris; hoc modo per accidens, quia tenetur dignè accedere; obligatus ad ſacrum die feſto, tenetur ſimiliter omittere occupationem, alioquin non prohibitam, ſi incompatibilis eſt cum auditione ſacri: nihil horum competit hîc, & nunc, reſpectu actus indifferentis: ergo, hoc dato, ſequitur nullo præcepto comprehendi.

30

*Dari in materia virtutis actum indifferentem.*

Vltimò tandem, ratio Doctoris probat locis citatis, etiam in materia ipſa virtutis, dari poſſe actum indifferentem: verbi gratiâ, ſi quis det eleemoſynam, non intendens honeſtatem intrinſecam actus, aut extrinſecam finis, cum hoc tamen non intendens aliquam deordinationem, aut motiuum prohibitum: ergo talis actus erit indifferens.

*Reſponſio.*

Reſpondent aduerſarij ad honeſtatem actus ſufficere, vt aliquo modo conducat ad commodum, verbi gratiâ, corporis, modò non adiungatur circumſtantia vitians actum.

*Impugnatur.*

Contrà, ſic erit quæſtio de nomine quoad principale intentum: falſum tamen eſt, hoc ſufficere ad actum virtutis, & deſtruunt ſua principia, quia dicunt dari actum indifferentem ex obiecto; ſed ſi ad honeſtatem ſufficiat quodcumque motiuum boni naturalis, ſeu conuenientiæ obiecti ſecundùm commodum, nequit dari bonum indifferens ex obiecto: ergo, &c. Patet ſubſumptum, quia nullum opus exerceri poteſt, tanquam propter ſe volitum, quin neceſſariò ſaltem includat rationem commodi, aliàs non poſſet eſſe obiectum bonum reſpectiuè ad appetitum naturalem, aut rationalem, neque conſequenter volibile. Præterea, Philoſophus 2. *Ethicorum*, *cap.* 4. dicit ad bonitatem virtutis requiri, vt fiat actio *propter ipſum*, id eſt, propter ipſam bonitatem virtutis; requirit enim vt fiat ex electione, & liberè, & propter ipſum honeſtatem; & ſic per eundem aliquis poteſt iuſta operari, ſed non iuſtè.

31

*Confirmatur. Gregor.*

Confirmatur ergo ratio Doctoris ex Gregorio homil. 27 in Euangelia: *Sunt*, inquit, *nonnulli qui diligunt proximos, ſed per affectum cognationis, & carnis, quibus tamen in hac dilectione ſacra eloquia non conſentiunt. Sed aliud eſt quod ſponte impenditur naturæ, aliud quod præceptis dominicis ex charitate datur obedientiæ: hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa ſublimia dilectionis præmia non aſſequuntur, quia amorem ſuum non ſpiritualiter,*

*Charitas carnalis infructuoſa, ſed nõ prohibita.*

*ſed carnaliter impendunt*, &c. Quibus verbis oſtendit dari dilectionem infructuoſam, & non prohibitam, quæ ex præceptis dominicis non fit. Aduertendum autem eum loqui de infructuoſa charitate, non ſolùm in genere meriti, ſed etiam in genere virtutis, ſeu honeſti, quia in præcedentibus aſſerit omnes virtutes fluere à radice charitatis: in verbis autem citatis negat hanc charitatem, quam vocat carnalem cognationis, eſſe ex charitate obedientiæ legis, & præceptis dominicis, quamuis ei eloquia Dei non contradicunt, ſcilicet lex: ergo cenſet dari in exercitio actum indifferentem, qui neque prohibitus eſt, neque eſt ſecundùm legem virtutis, aut obedientiæ mandatorum: quæ eſt ſententia Doctoris, eiúſque argumentum, ſeruata proportione exempli, in quo format argumentum, cum illo, quod adducit Gregorius.

32

*Obiectio. Auguſtin.*

Obiiciunt aduerſarij Auguſtinum *de peccator. meritis, & remiſſ. lib. 2. cap.* 18. vbi diſſerit contra Pelagium ex illo 1. ad Corinth. 4. *Quid habes, quod non acceperiſti*, &c. ſupple à Deo. *Nam ſi in nobis*, inquit, *libera quædam voluntas ex Deo eſt, qua adhuc poteſt eſſe, vel bona, vel mala; bona verò voluntas ex nobis eſt, melius eſt id quod à nobis, quàm quod ab illo eſt: quod ſi abſurdiſſimè dicitur, oportet fateantur etiam bonam voluntatem nos diuinitùs adipiſci: quamquam voluntas mirum ſi poteſt in medio quodam ita conſiſtere, vt nec bona, nec mala ſit: aut enim iuſtitiam diligimus, & bona eſt; ſi minùs, minùs bona eſt: aut omnino non diligimus, non bona eſt. Quis verò dubitat dicere nullo modo iuſtitiam diligentem non modo eſſe malam, ſed peſſimam voluntatem*, &c.

Ex hoc loco multi concedunt Auguſtinum omnino eſſe in oppoſita ſententia: idem etiam exiſtimat P. Vaſquez, licèt nobiſcum in concluſione ſentiat. Reſpondetur Pelagium aſſeruiſſe ſolam voluntatem, ſeu liberum arbitrium ex Deo; bonum autem virtutis, aut vitij ex nobis eſſe, vt patet ex aliis præcedentibus verbis Auguſtini in loco præfato, & *ex lib.* 4. contra Iulianum *cap.* 3. *& lib.* 1. *de gratia Chriſti in principio* & vbique: in hoc enim dogmate de gratia Chriſti errauit, eam in naturam, aut legem refundens. At contrà, fides docet cum Auguſtino bonum virtutis eſſe ex Deo excitante, & præparante voluntatem, & adiuuante per gratiam. Nulla autem alia in hac quæſtione de bono virtutis fuit ipſi controuerſia cum Pelagio: vnde quæ hîc dicit, negando medium inter bonam & malam voluntatem, intelligenda ſunt iuxta materiam ſubiectam virtutis, & vitij, non autem in materia indifferenti, quæ ex ratione ſua ad neutrum ſpectat, nec vt bona, vel mala in genere vitij, aut virtutis proponitur, neque ad eam ſpectat aſſertio gratiæ Chriſti, quam ſuſtinet Auguſtinus contra Pelagium neceſſariam ad opus virtutis.

*Explicatur Auguſtinus ex ſubiecta materia.*

33

De ſimili materia indifferente loquitur Auguſtinus *epiſtol.* 19. reſpondens ad argumentum Hieronymi in *epiſt.* 11. quo contendebat obſeruantiam Legalium fuiſſe malam, non verò opus indifferens, eo modo, quo opus indifferens ſtatuebant Philoſophi inter continentiam, & luxuriam, verbi gratiâ, ambulare, &c. de quo idem Hieronymus: *Hoc nec bonum, nec malum eſt*, inquit, *ſiue enim feceris, ſiue non feceris, nec iuſtitiam habebis, nec iniuſtitiam*, &c. Hanc doctrinam admittit Auguſtinus in *epiſt.* 19. & ſic dicit Sacramenta vetera poſt paſſionem Chriſti, neque bona fuiſſe, neque mala, ſed pro aliquo tempore tolerata: & *lib.* 22. *de Ciuitate, cap.* 24. diſcernit clarè ab arte benè viuendi (quæ ſunt virtutes, & ſolâ Dei gratiâ donantur filiis promiſſionis in Chriſto) alias artes inuentas ingenio humano, ibidem diſtinguens inter ea, quæ Dei gratiâ donantur, & alia, quæ viribus naturæ exercentur, atque ingenij humani: vnde quando hîc diſſerit contra Pelagium non dari mediam voluntatem inter bonam, & malam, intelligit in materia iuſtitiæ, ſcilicet meriti, & demeriti, virtutis & vitij; non autem de iis quæ indifferentia ad hæc ſunt, & nullo modo ſpectancia. Loquitur

ergo

ergo de bono virtutis ex genere, circa quod nequit voluntas esse indifferens, quin de facto, vel bona, vel mala sit: aut enim præparatur à Domino, & sic diligit iustitiam, aut cupiditate seducitur, & sic sequitur iniustitiam. Vnde omnino non diligere iustitiam, vel nullo modo diligere, est contemnere simpliciter; & ideò hanc voluntatem nullo modo diligentem iustitiam, rectè Augustinus dicit pessimam, quia hic est vltimus gradus iniquitatis, quia *peccator cùm in altitudinem peccatorum deuenit contemnit*, &c. éstque peior hæc voluntas, quàm illa, quâ amatur iniquitas, vincente cupiditate: quia hæc est ex infirmitate, illa verò quæ nullo modo afficitur ad iustitiam, contemnit ex malitia, & non ex cupiditate, vel infirmitate.

*Quomodo voluntas nullo modo diligit iustitiam sit mala.*

34 Et hinc sequitur conclusio intenta Augustini contra Pelagium, nempe si voluntas bona ex nobis est, & non ex Deo, melius esse quod ex nobis est, quàm quod ex Deo. Ad hoc probandum inducit tres gradus illos voluntatis; primus, quo diligitur iustitia: secundus quo diligitur iniustitia, & hæc est cupiditatis: tertius gradus est voluntatis nullo modo diligentis iustitiam, & hic excedit in malitia, quia est contemnens iustitiam ex malitia, & non ex causa infirmitatis, aut ignorantiæ.

Oportet ergo sic intelligi Augustinum ab omnibus; quia Doctores alterius sententiæ, qui hanc nobis authoritatem opponunt, admittunt aliquod opus indifferens ex obiecto: & ipse sanctus Augustinus, vt præmissum est, illud etiam admittit in exercitio in individuo: non loquitur ergo de voluntate, vt versatur in omni latitudine sui obiecti tam commodi, seu boni naturalis, quàm etiam iustitiæ, sed præcisè in materia iustitiæ, vt discursus eius sit ad propositum contra Pelagium.

Deinde admittunt iidem Doctores dari omissionem boni operis supererogationis citra contemptum, aut peccatum, in qua omissione non admitterent voluntatem nullo modo affectam esse ad iustitiam, quia potest, & debet affici secundùm affectum simplicis complacentiæ, quamuis non affectu efficaci, & prosecutionis. Illa ergo voluntas, quam pessimam dicit Augustinus in materia iustitiæ, & quæ nullo modo diligit, est illa, quæ neque affectu simplici, aut efficaci fertur in iustitiam, & hæc est contemnens: non intelligitur ergo ab Augustino esse mediam voluntatem indifferentem, quam hîc excludit, sed extremam in iniquitate, & quæstio, quam differit, longè diuersa est à præsenti.

35 Obiiciunt secundò, nullum opus esse magis indifferens, quàm verbum otiosum, sed de hoc exigetur ratio *Matth.* 12. Ergo idem dicendum de opere otioso, & indifferente, quia verbum otiosum est illud, quod est vanum, & caret debito fine, vt illud quod sine ædificatione profertur, vt docet Basilius *in reg. minori*, *cap.* 23. Bernardus *serm. de triplici custodia*. Gregorius *hom.* 18. *in Euang.* & 7. *moral. cap.* 18. Respondetur negando Maiorem: ad cuius probationem respondetur Chrysostomum, Theophylactum, Euthymium, verbum otiosum, seu illum locum intelligere de verbo mendaci, & inferente calumniam; cui expositioni fauet ipse textus, qui contra Pharisæos calumniantes opera eius differit Christus: *Progenies*, inquit, *viperarum quomodo potestis bona loqui, cùm sitis ipsi mali*, &c. *ex abundantia enim cordis lin-*

*Secunda obiectio.*

*gua loquitur*, &c. Subdit de arbore bona, & fructu bono, de mala arbore, & malo fructu eius: *Bonus homo*, inquit, *de bono thesauro* (supple cordis) *profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala. Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum*, &c. quæ est sententia accommodata dictis, glossa interlinealis exponit de friuolis, & mendaciis: verbum etiam otiosum est, quod nullo fine saltem naturalis vtilitatis, profertur. Ex quibus intelligitur Origenes, qui dicit verbum otiosum esse, quod nihil boni, aut mali in se continet, id est, sine rationabili causa profertur, aut vtilitate. Alij Patres intelligendi sunt eodem modo, vel respectiuè ad eos, qui silentio, & mortificationi student, quorum verba debent esse ad ædificationem, & doctrinam: vide Vasquem ad prædictam D. Thomæ.

*Glossa interlinearis.*

Obiiciunt tertiò dispendium temporis incurri in opere indifferente, quod malum est. Respondetur negando antecedens, si subsistit finis naturalis operis. 36

*Tertia obiectio soluitur.*

Obiiciunt quartò, agens rationale tenetur opus suum dirigere in finem honestum: ergo, &c. Hæc obiectio continet præcipuum fundamentum prioris sententiæ, quod suprà impugnatum est. Negatur ergo antecedens: quia talis obligatio non sufficienter ratione, aut authoritate proponitur, & vt aliàs obiecta supponamus, videtur etiam tollere indulta infirmitatis, & permissiones, seu libertates quas Scriptura sacra in operibus admittit: nam & Paulus 1. ad Corinth. cap. 8. vbi differit de idolothyto: *Esca autem*, inquit, *nos non commendat, neque enim, si manducauerimus deficiemus, videte autem ne hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis*, &c. id est, ciborum esus per se nihil facit ad pietatem, quâ Deo placeatur, *neque enim si manducauerimus abundabimus* (supple virtute, aut merito, aut gratiâ, vt interpretatur Chrysostomus.)

*Quarta obiectio soluitur.*

*Scriptura admittit quadã indifferentia.*

Deinde admonet tantùm, ne libertas comedendi idolothyti ponat scandalum, aut offensionem proximo: cap. sequenti. De aliis etiam indultis, & libertatibus agit, vt viuendi de altari, circumducendi mulieres pias, quæ expensas faciant prædicanti Euangelium. Idem etiam patet de indulto deferendi loculos, & huiusmodi, quę neque bona sunt ex se moraliter, neque mala.

Præter etiam prædicta, patet nullum esse fundamentum talis obligationis naturalis: quia vel talis esset, vt semper obligaretur agens deliberatè agere propter finem honestum extrinsecum: sed hoc non, quia nulla virtus moralis ordinatur ad aliam tanquam ad finem, necessitate præcepti ad aliam dico virtutem naturalis ordinis, ad prudentiam solùm quælibet ordinatur, tanquam ad regulam directiuam, non tanquam finem propter quem. Secundò, quia sistens in proprio motiuo virtutis, studiosè operatur ex genere, licèt non extendatur actus eius ad finem extrinsecum: ergo nulla est obligatio naturalis hoc modo. Tertiò, licèt omnes virtutes ordinarentur ad finem charitatis, id proueniret ex ordinatione extrinseca Dei, quæ non inducit obligationem præcepti, etiam positiui, per se semper, vt concedunt aduersarij: & quidquid sit de hoc, saltem non est præceptum naturale, quod obligat ad seruandum hunc ordinem supernaturalem. Quartò, in ipsis operibus supernaturalibus non est talis obligatio, quin sistere possit licitè operans in motiuo, & fine intrinseco.

*Non esse præceptum operandi semper propter finem extrinsecum.*

37 *Neque obligans ſub diſiunctione ad bonum ex obiecto, vel fine.*

Si autem intelligatur illud præceptum eſſe in eo, vt quis teneatur operari cum deliberatione aliquod ſemper opus, ſaltem ex obiecto honeſtum, vel certè ex fine; id non colligitur, quia ſic teneretur ſemper habere opus ex genere, aut fine moralis virtutis, quia præceptum naturale vltra hoc non ſe extendit. Sed hoc etiam non poteſt cum fundamento dici, quia operans ex motiuo ſupernaturali non tenetur adhibere honeſtatem naturalem ex obiecto, aut fine: operatur tamen licitè, & meritoriè.

*Prouidentia conceſſa naturæ ex indigentia.*

Deinde, quidquid ſit de ſtatu beatitudinis, aut innocentiæ, in quibus nulla erat naturæ indigentia, aut infirmitas: tale præceptum repugnat ſtatui eius poſt lapſum: ergo nullum habet fundamentum in natura. Antecedens patet: quia natura per ſe ordinatur ad commoda naturalia, non prohibita, vt liberè, & cum prouidentia in eis verſetur pro indigentia ſtatus præſentis, operando etiam, & applicando media ad hunc finem. Neque hæc prouidentia ex obiecto, aut principiis, aut concluſionibus inde deductis ordinatur ab intrinſeco ad bonum honeſtum: ergo licitè ſiſtit homo in quibuſdam operibus, & conformiter ad inclinationem ſuam naturalem, ex qua tantùm coniici poſſet hoc præceptum. Accedit illam obligationem, & præceptum in quo fundaretur, vt dictum eſt, repugnare naturæ, & eius infirmitati naturali: omne autem præceptum fundamentum in natura, ſupponit poteſtatem in ipſa, cui commenſurari poſſit: ſicut vniuerſim nullum præceptum obligat ad impoſſibile, Tridentinum *ſeſſ. 6. can.* 18. *& cap.* 11. Ex quibus patet rationem præmiſſam non ſubſiſtere. Sequamur deinceps textũ.

*Obligatio nõ inducit ad impoſſibile.*

38 c *Et ſi dicas quòd habitus ſupernaturalis non eſt talis*, &c. In præcedentibus, vt patet ex litera, remouet quandam æquiuocationem circa acceptionem huius vocis *diſpoſitio*, eâ occaſione, quâ dixit eum communi characterem, vt formam priorem, eſſe diſpoſitionem ad gratiam. Nam diſpoſitio ſumitur dupliciter, primò vt eſt inclinatio ſubiecti per formam priorem ad formam poſteriorem, ſicut in phyſicis calor diſponit ſubiectum ad formam ignis. Alio modo ſumitur diſpoſitio, vt eſt quædam formâ inhærens in ſubiecto, ſecundùm gradus remiſſos, ac proinde de facili mobilis à ſubiecto, & ſic diſtinguitur contra habitum, qui eſt forma eadem difficulter mobilis, vt eſt in gradu intenſo, & perfecto.

*Varia acceptio diſpoſitionis.*

Negat autem characterem eſſe diſpoſitionem hoc ſecundo modo, aut poni in ſpecie Qualitatis, vt diſpoſitio eſt diſtincta contra habitum, ſed poni in ſpecie habitus: & declarat deinceps quomodo habitus poſſit eſſe diſpoſitio ad aliam formam primo modo ſumptâ diſpoſitione. Reſpondendo ergo ad tres obiectiones adductos contra concluſionem ſuo ordine, adhuc proſequitur reſponſionem ad tertiam, quæ eſt talis: Omnis habitus diſponit ad benè, vel malè agendum, ſed character non: ergo non eſt habitus. Ad antecedens reſpondet dari medium inter benè, & malè operari, tam quoad actum, quàm quoad habitum, de quo hactenus dictum eſt. Sed vlteriùs inſtat hîc quòd habitus naturalis non ſit talis, ſcilicet indifferens, quia datur ad perfectionem ſubiecti.

*Summarium reliquorum textus.*

39 Reſpondet ergo, quòd habitus ſupernaturalis poſſet eſſe diſponens ad actum bonum, licèt non ſit principium elicitiuum proximum, vel ſufficiens, & hoc modo fides infuſa, inquit, non eſt ſufficiens principium eliciendi actum credendi, nec charitas infuſa eliciendi actum diligendi, ſed inclinant, vt concurrentibus aliis neceſſariis actus bonus eliciatur, &c. Hæc doctrina de facili explicari poteſt quantùm ad inclinationem, & vt ita dicam, pondus potentiæ per habitum iuxta ſententiam, quam vt probabilem defendit *in* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 2. ſupponendo habitum acquiſitum (quod de infuſo nequit dici, vt ipſe aſſerit quodlibeto 17. & aliàs paſſim) non eſſe actuum per influxum in actum, ad quem tamen inclinat, vt forma prior determinans indifferentiam potentiæ ad actum, ſed quia hîc ſupponit habitum eſſe actiuum, quod & ibi defendit vt magis probabile, & deinceps ſequitur: non eſt ad hoc recurrendum.

*Duplex conſideratio habitus.*

Tenendum tamen eſt dupliciter habitum conſiderari. Primò, vt habet rationem formæ informantis, & determinantis potentiam, quantùm eſt ex inclinatione ipſius ad obiectum ſuum determinatum, ſicut & ad actum ipſi proportionatum, & hoc competit habitui, ſiue potentia eo vtatur, ſequendo eius inclinationem, ſiue non; & ſiue ſuſpenſio operis proueniat ex libertate, ſiue ex alio impedimento agendi: vt quia diſtrahitur potentia per alia motiua, vel quia deficiunt aliqua per ſe requiſita ad actum, ſecundùm inclinationem habitus.

*Vt habet rationẽ formæ.*

*Habitus per modum principij.*

Alio modo conſideratur habitus, vt eſt principium agendi, & ſic magis dicitur comprincipium in agendo, quàm inclinatio, quia potiùs determinatur à potentia ad agendum, tanquam à cauſa ſuperiore, quàm econtrà, *quia habitibus vtimur*, inquit Philoſophus, *cùm volumus*, &c. Applicatio itaque habitus, vt agit eſt per potentiam; non econtrà: quod etiam verum eſt in ſupernaturalibus, quia licèt potentia, vt voluntas non poſſit agere, niſi vt eleuata; tamen ipſa eſt ex qua primò eſt determinatio actionis, vt comparatur ad habitum concurrentem, licèt hæc ipſa in bonum determinatio ſit à gratia actuali priùs excitante, quâ præuenitur voluntas.

40 Hoc ergo ſuppoſito, facilè eſt intelligere quomodo character ſit diſponens ad bonos actus tanquam remotum principium, non per influxum in ipſos actus ſupernaturales, ſed inquantùm diſponit ad habitus, qui proximè attingunt actus, vt ſunt gratia, & habitus infuſi.

Inſtantiæ autem adductæ ſunt de habitu fidei, & charitatis ad hoc ipſum declarandum: aſſerit ergo fidem & charitatem habitualem inclinare ad actus ſuos: licèt neutra ſit principium proximum ſufficiens credendi, aut diligendi, *Inclinant tamen*, inquit, *vt concurrentibus aliis neceſſariis actus bonus eliciatur*, &c. Ad hæc enim neceſſaria ſunt inſtructio, & reuelatio, concurſus Dei per gratiam adiuuantem, & excitantem, quæ in iuſtis etiam neceſſaria eſt, & attentio potentiæ. Sine his poteſt eſſe vterque habitus, vt in puero perueniente ad vſum rationis, ſine actu fidei, aut charitatis: quamuis in eo ſit inclinatio habitualis, quæ non ſufficit ad actũ, niſi præmiſſa ponantur: ſic lapis etiam vt ſurſum eſt, inclinatur in ſuum centrum, quamuis actum proportionatum inclinationi non habeat, donec tollatur impedimentum motus ad centrum.

41 *Obiectio Soti ſoluitur.*

Aduertendum breuiter hîc Dominicum Soto notare inconſtantiæ noſtrum Doctorem, quaſi in diſtinctione prima negauerit characterem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, quod hîc tandem concedit: ſed facilis eſt reconciliatio, quia ibi negauit, & benè eſſe diſpoſitionem neceſſitantem phyſicè.

physicè ad gratiam, prout alij per hoc saluant causalitatem physicam, & certam Sacramentorum: hîc autem concedit esse dispositionem ex voluntate, & institutione diuina tantùm, quod & probatum est sufficienter: sublato tamen impedimento.

Responsio ad argumenta, tam principalia, quàm alia pro opinione, patet ex dictis, & ex ipsa litera: patet etiam responsio ad illa, quæ adducunt moderni contra primam partem, quâ sustinetur character esse relatio.

*Sententia Durandi impugnatur.*

Contra sententiam Durandi differunt moderni, eam maximè vrgent loca Conciliorum, quæ dicunt Sacramenta imprimere characterem in anima, vt signum spirituale, & indelebile, ac proinde quidam eam condemnant, vt erroneam: asserit Vasquez non esse condemnatam, eamque conatur saluare. Cæterùm non est dubium Concilia loqui secundùm communem acceptionem, & sensum Doctorum, & Patrum: & definitio propriè interpretanda est iuxta rigorem, & communem acceptionem dictionis: nam sicut, tanquam proximum fidei, asseritur post Tridentinum *sess. 6.* iustitiam nostram consistere, non in actu præterito, aut aliquo tantùm morali inhærente, sed in qualitate aliqua physica permanente; ex eo quòd dicatur nobis *infundi, augeri, crescere, renouare nos*, &c. quæ denotant in rigore sermonis aliquid physicum permanens: ita etiam perinde verbum *imprimere* denotat terminum realem, sicut *& signum spirituale*, quod per oppositionem dicitur ad signum sensibile, & materiale, quæ sunt denominationes desumptæ à reipsa, quæ significat: *materiale* autem, & *spirituale* sunt differentiæ entis realis, & non rationis. Hæretici etiam, qui impugnant Ecclesiam, ita intelligunt eius sententiam, neque in hoc condemnantur, sed in eo quòd veritatem definitam negent. Vnde colligitur definitionem ad aliud genus formæ referri.

*Concilia intendunt communem, & rigorosum sensum.*

Difficulter etiam saluatur posse Sacramentum imprimere relationem rationis in anima, vt per se patet; quia nihil aliud est quàm Sacramentum, quod ex institutione diuina non est iterabile, fuisse susceptum: cùm autem hæc susceptio magis ad corpus, quàm ad animam referatur, non videtur ratio, cur in sola anima sit hæc denominatio, sed etiam in corpore, vel in toto: Concilia autem loquuntur de aliquo spirituali impresso soli animæ, ex quo infert Tridentinum suprà, *ipsum Sacramentum non esse iterabile*, tanquam ex causa, à qua competit Sacramento non iterari, vt apparet in eo, cui collatum est Sacramentum, quod fuit nullum ex defectu consensus requisiti; quamuis ipsum Sacramentum in materia, & forma, & intentione ministri fuit omnino perfectum, in quibus essentia Sacramenti consistit; tamen iteratur, quia nullum impressit characterem: ergo non iterabilitas eius in hoc consistit, vt fundamento.

---

## QVÆSTIO XI.

### *Vtrùm character sit in essentia animæ, vt in proximo subiecto?*

Alensis 4. *p. q.* 19. *m.* 3. D. Bonau. *hîc* 1. *p. a.* 1. *q.* 3. Rich. *d.* 5, *a.* 2 *q.* 2. D. Thom 3. *p. q.* 61. *a.* 4. Dur. *d.* 4. *q.* 1. Aureol. *ibid. q.* 1. *a.* 4. Gabr. *hîc q.* 2. *a.* 3. *dub.* 2. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 11. *s.* 2.

AD vltimum [a] sic proceditur, & arguitur quòd character non sit in essentia animæ, vt in proximo subiecto: quia dispositio, & forma ad quam disponit, habent idem subiectum proximum: character est proxima dispositio ad fidem, fides autem est in intellectu. 1

Contrà, ex eadem maiore cum hac minore, character est proxima dispositio ad gratiam: gratia est in essentia animæ, sicut vita, quia eiusdem est vita prima, & secunda: ergo character est in essentia animæ sicut gratia, ad quam disponit, quæ est vita spiritualis.

### *COMMENTARIVS.*

1 *Ordo & diuisio quæstionis.*

a *AD vltimum sic proceditur*, &c. Hæc quæstio duas habet partes: prima agit de subiecto characteris: secunda est, anacephalæosis, seu recapitulatio summaria totius tractatus de Baptismo his quatuor distinctionibus explicatæ, quoad omnia intrinseca, & extrinseca per se requisita; & secundùm hæc subiungit duas descriptiones eius, quibus hæc omnia comprehendit iuxta varios modos, quibus ipsa relatio sacramentalis explicatur respectiuè ad solam ablutionem, tanquam fundamentum, vel ad ablutionem simul & formam: particulas explicat, & piè tandem concludit tractatum in laudem & gloriam sanctissimæ Trinitatis, in cuius inuocatione præcellens gratia tanti Sacramenti confertur.

### SCHOLIVM.

*Sententia D. Thom. tenens characterem esse in intellectu, refellitur, quia dispositio ad formam, non potest esse in aliquo susceptiuo posterior susceptiuo formæ, & secundùm eum gratia ad quam disponit character est, in essentia animæ.*

Hîc est [b] opinio, quòd sicut gratia est in essentia animæ, sic potentia ad gratiam est in potentia animæ: character autem est potentialis dispositio proxima ad gratiam: ergo in potentia animæ est, vt in subiecto proximo. Sed non est in qualibet potentia animæ, quia tunc 2

*Opinio D. Th. d. 4. a. 1. q. 3. & 3. p. q. 63. a. 4.*

tunc non eſſet vna forma: ergo eſt vnica potentia: ſed magis rationabile eſt ponere, quòd in intellectu: cuius ratio eſt, quia character eſt ad configurandum Trinitatem creatam Trinitati increatæ: Trinitas autem creata, ſiue imago conſiſtit principaliter in intellectu: quia ex eo, ſicut ex radice oritur voluntas.

*Hoc idem Alex. & Bon. & Ric. vbi ſupr. Vide Var. q. 3. quodl. D. Thom. d. 26, primi lib. & 1. p. q. 77. art. 6.*

Contrà, quia diſpoſitio ad formam nunquam eſt in poſteriori ſuſceptiuo formæ (patet diſcurrendo per ſingulas formas, & diſpoſitiones earum) ſed character eſt diſpoſitio ad gratiam, vt concedis, & gratia eſt in eſſentia animæ per te: ergo character non poteſt eſſe in aliquo ſuſceptiuo poſteriori ipſa eſſentia animæ: ſed per te potentia eſt poſterior eſſentiâ animæ, quia eſt accidens eius. Nec valet ratio, vel conſequentia, quâ dicitur, gratia eſt in eſſentia animæ: ergo potentia, vel diſpoſitio ad gratiam eſt in potentia animæ. Immò ſequitur oppoſitum, ſcilicet, vel quòd ipſummet ſuſceptiuum gratiæ ſit ſuſceptiuum diſpoſitionis: vel ſaltem diſpoſitio illa non poteſt eſſe in aliquo poſteriori illo, in quo eſt forma. Hoc etiam patet in aliis, quia habitus ſupernaturalis non eſt in habitu naturali, ſed in potentia naturali, in qua eſt habitus naturalis: & hoc ideò, quia potentia naturalis eſt prior vtroque habitu.

3

*Potẽtia naturalis eſt ſubiectũ ſupernaturalium.*

Item, probatio quâ probatur gratiam eſſe in eſſentia animæ immediatè, non concludit, quia perfectio naturalis prior ineſt alicui, quàm perfectio, vel potentia ſupernaturalis. Nam perfectio naturalis, & intrinſeca ſequitur ſtatim naturam ſui perfectibilis: potentia autem, etſi ſit accidens ſecundùm eum, tamen eſt perfectio intrinſeca ipſius animæ: ergo priùs naturaliter ineſt animæ ipſa potentia, quàm gratia, & per conſequens, poſſet habere rationem ſubiecti receptiui reſpectu gratiæ.

Nec concludit illud de vita, quia vita ſpiritualis priùs ineſt ipſi animæ, vt eſt coniungibilis Deo: vnde ſecundùm Auguſtinum *de ciu.* Deus propter hoc dicitur vita animæ, quia vita animæ non eſt niſi in coniunctione eius ad Deum, vt ad obiectum: anima autem non eſt coniungibilis Deo in ratione obiecti, niſi per potentiam.

*Text. 15. Voluntatem eſſe perfectiorem intellectu. d. 49. q. 3.*

Quod poſtea de voluntate addit, quòd ipſa oritur ex intellectu: quæro, aut intellectus habet ad voluntatem tantùm prioritatem generationis, ſiue originis, & ex hoc non ponitur perfectio in intellectu reſpectu voluntatis, ſed imperfectio: quia vniuerſaliter imperfectiora præcedunt perfectiora ordine generationis, 9. *Metaph.* Si autem intelligas, quòd intellectus ſit prior, vel radix reſpectu voluntatis, tanquam eminenter, vel virtualiter continens voluntatem; hoc improbatur ex dictis, quia ordinatum ad alterum vt prius origine, non continet ipſum eminenter, vel virtualiter: actus autem intellectus ordinatur eſſentialiter ad actum voluntatis. Et ſi hoc neges: de hoc diſputandum eſt in materia de beatitudine inferiùs.

## COMMENTARIVS.

2

*Subiectum characteris.*

b *Hic eſt opinio*, &c. Variæ ſunt opiniones Doctorum in hac quæſtione, quæ magis prolixè, quam proficuè tractantur. Sotus imponit Durando, quòd ſubiectum eius ſit corpus: ſed hoc non videtur aſſeruiſſe, neque dici poteſt: quia à Conciliis definitur eſſe in anima: conſequenter tamen ad opinionem Durandi poſſet dici ſubiectum eſſe totum hominem, licet Vaſquez aliter interpretetur eum. Aureolus *in 4. diſt. 4. quæſt. 1. art. 4.* dicit ſubiectari in eſſentia animæ, quam ſententiam ſecutus eſt Marſilius *quæſt. 4. art. 1. ad 2. dubium.* Suarez *diſp. 11. ſect. 4.* Vaſquez *diſp. 134. cap. 4.* Gabriel probabilem exiſtimat *quæſt. 2. art. 3. dub. 2.* Alenſis, Albertus, D. Bonauentura ſtatuunt eſſe in imagine, id eſt, voluntate, & intellectu, ſed principaliùs in intellectu. D. Thomas ab aliquibus citatur pro eadem opinione *quæſt. 63. art. 4. argumento ad oppoſitum*: *reſponſione* autem *ad tertium* ſuſtinet eſſe in intellectu: quem ſequuntur Caietanus, & reliqui eius diſcipuli cum Richardo *diſt. 5. art. 2. quæſt. 2.*

*Eſſe hominẽ.*

*Eſſe intellectum.*

*Diſpoſitio permanens eſt in eodem ſubiecto, in quo eſt forma.*

Hanc impugnat Doctor in præſenti §. 1. quia gratia eſt in eſſentia animæ ex D. Thoma in 1. *diſt. 2. & 1. part. quæſt. 77. art. 6.* character autem eſt diſpoſitio ad gratiam: ergo non eſt in aliquo ſuſceptiuo poſteriori ipſâ eſſentiâ animæ in qua eſt gratia. Argumentum hoc intelligi debet de diſpoſitione permanente, & non tantùm de diſpoſitione tollente impedimentum formæ. Sed quia variis modis ſumitur diſpoſitio, ideò variè quidem reſpondent, vel negando characterem eſſe diſpoſitionem ſaltem propriè, vel ſimpliciter in genere phyſico, aut morali: ſed non lubet iã his ſinhærere. Alia impugnatio ſpectat ad fundamentum alterius quæſtionis de ſubiecto gratiæ, ſicut & tertiæ; de quibus ſuo loco magis eſt diſſerendum.

## SCHOLIVM.

*Characterem ſubiectari in voluntate. Primò, quia gratia, quæ eſt eadem charitati, ex 2. d. 26. ſubiectatur in ea. Secundò, quia eſt ſignum obligationis animæ ad Deum, & anima formaliter, & principaliter per voluntatem obligatur.*

Dico

Dico ergo ad quæstionem, supponendo hoc, quod declaratum est 2. *lib. dist.* 26. scilicet de gratia, quod est idem cum charitate, & per consequens, est primò in potentia, scilicet in voluntate, & vlteriùs, quòd ista dispositio ad formam est in eodem susceptiuo cum forma: character autem si ponatur in *esse*, conuenienter ponitur dispositio ad gratiam sacramentalem, vt ostensum est in solutione præcedentis quæstionis de charactere in prima congruentia: ergo congruum est ponere characterem formaliter in voluntate. 4

*Character est signum obligationis animæ ad Deum.*

Et hoc confirmatur, quia si character est signum, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum, rationabile est, quòd ponatur in illa potentia, cuius est primò obligari, vel esse rationem obligandi: talis autem est voluntas, quia præcisè per eius actum aliquis se obligat principaliter: illa enim, quæ concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentiæ in homine, non sunt nisi quædam præambula ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere, vel vouere, vel quædam signa manifestantia illud esse firmum.

*Character non est dispositio ad fidem, sed ad gratiam.*

Ad argumentum in oppositum, patet quòd character non est dispositio proxima ad fidem, vt fides est: sed est dispositio ad illam perfectionem, quæ principaliter conformat totam animam Deo: & hæc est gratia, quæ est eadem cum charitate, & in voluntate, vt dictum est. Ad rationem alterius positionis, dico quòd quamuis malè probetur, quòd character sit in potentia animæ: tamen concedo hoc propter aliud antecedens, quod accipit, scilicet, quòd forma ad quam disponit est potentia: & concedo, quòd in vna, & in illa, quæ est principalior in imagine, in cuius figuratione consistit principaliter tota figuratio animæ, vel imaginis ad Trinitatem.

## SCHOLIVM.

*Epilogando, ex dictis his tribus distinctionibus colligit claram, & completam definitionem Baptismi, & explicat singulas particulas eius exactissimè.*

Ex dictis à principio *distinct.* 3. vsque huc, potest colligi vna ratio Baptismi exprimens omnia, quæ sunt simpliciter necessaria ad rationem Baptismi: quia si ponamus relationem illam signi, quam importat Baptismus, fundari in illa ablutione, vt in fundamento totali, habente tamen habitudinem ad verba, & alia concomitantia, potest talis ratio assignari ipsius Baptismi: 5

*Diffinitio Baptismi.*

*Baptismus est ablutio hominis viatoris aliqualiter consentientis, vel libero arbitrio nunquam vsi, facta in aqua elementari fluida, ab alio simul abluente, & verba certa, actum & suscipientem, cum inuocatione Trinitatis designantia proferente, tam in abluendo, quàm in proferendo intendente facere, quod Christus instituit faciendum: vel quod intendit facere Ecclesia Christiana, efficaciter signans ex institutione diuina ablutionem animæ à peccato.*

*Explicatur particula dispositionis Baptismi.*

Particulæ huius rationis patent sic: *Ablutio, distinct.* 3. *quæstio* 3. non dico perfusio, nec aspersio, nec immersio: & hoc vel trina, vel vnica, quia quodlibet sufficit ad veritatem Sacramenti. Sed minister tenetur seruare modum Ecclesiæ, in qua baptizat. *Hominis*, secundùm totum corpus, vel partem principalem, vel quamcumque in casu necessitatis, vt patet distinctione 4. quæst. 2. *Aliqualiter consentientis*, patet *ex eadem distinct. quæst.* 4. Et fortè non sufficit secundùm communem opinionem habitualiter consentire, sine virtuali consensu: tamen illud est dubium, quia minor consensus sufficit ad susceptionem Sacramenti, quàm ad meritum: sed ad meritum sufficit virtualis consensus. Similiter quòd non vtens ratione sit simpliciter capax Sacramenti: non habens aliquam dispositionem: & tamen vtens ratione non habens illam, nullo modo sit capax, non videtur probabile: quia nulla dispositio videtur simpliciter necessariò requisita, vel non requisita, propter vsum rationis, vel non vsum. *Facta in aqua*, &c. patet *distinct.* 3. *quæst.* 3. Per hoc autem quod dicitur *elementari*, excluditur quicunque humor mixtus, qui dicitur æquiuocè aqua, vt aqua rosacea. Per hoc, quod dicitur *fluida*, excluditur aqua congelata, si manet aqua, vel qualitercumque mixta per iuxta positionem corporum grossorum, vt non possit abluere. *Facta ab alio*, patet *distinctio.* 6. *quæstio* 4. Et similiter illa quæ sequuntur, *Simul abluente, & proferente*, &c. patet *distinct.* 6. *quæst.* 3. Quod vltimò additur, *Habente intentionem*, &c. patet *distinctio.* 6. *quæst.* 5. & 6.

Et sic habemus tam susciptentem, quàm conditiones necessarias in susciptente: quia hominem viatorem aliqualiter consentientem. Habemus conferentem, & conditiones necessarias ex parte eius, scilicet quòd sit abluens, & verba proferens, & hoc simul, & debitè intendens. Habemus materiam, quia est ablutio in aqua elementari. Habemus formam, quia verba certa exprimentia actum, & susciptientem cum inuocatione Trinitatis. Habemus id quod pertinet ad rationem formalem Baptismi, scilicet, quia ex institutione 6

diuina,

diuina efficaciter ſignans. Habemus correlatiuum, quia ablutionem animæ à peccato.

Si autem ponatur relationem, quam importat Baptiſmus, non fundari in ablutione, vt in fundamento totali, ſed in ablutione, & verbis tanquam in vno fundamento inſtituto ad ſignandum effectum vnum: tunc poteſt poni ratio Baptiſmi talis completa, *Baptiſmus eſt Sacramentum ablutionis animæ à peccato conſiſtens in ablutione hominis viatoris aliqualiter conſentientis, vel libero arbitrio nunquam vſi, facta in aqua elementari fluida, cum prolatione verborum, actum & ſuſcipientem, & miniſtrum cum inuocatione Trinitatis deſignantium ab alio ſimul abluente, & verba iſta proferente, & intendente facere, quod facit Eccleſia Chriſtiana.*

*Diffinitio ſecunda Baptiſmi.*

Et tunc eadem eſt ibi expoſitio particularum iſtius rationis, quæ fuit, & prioris, niſi quòd in iſta ponitur primò illud, quòd pertinet ad formalem rationem Baptiſmi, cùm dicitur *Sacramentum*, & correlatiuum eius, cùm dicitur *ablutionis*, & poſtea illa, quæ pertinent ad fundamentum, cùm dicitur *conſiſtens*, &c. nec eſt differentia, niſi quia non ponitur totale fundamentum iſtius relationis vtroque modo idem.

Vtroque tamen modo idem principaliter importatur, quia ſiue per ſolam ablutionem, ſiue per ambo, ſcilicet ablutionem, & verba, ſunt tamen ambo vnum ſignum integrum inſtitutum quidem principaliter ad ſignandum principale ſignatum iſtius ſigni, ſcilicet vt abluatur anima à peccato, & hoc à Deo trino, & vno, in cuius nomine baptizamur, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum. Amen.

## COMMENTARIVS.

3 *Concluſio Doctoris eſſe characterem in voluntate.*

c *Dico ergo ad quæſtionem*, &c. Concluſio, & ſententia Doctoris eſt characterem eſſe in voluntate, in qua eſt gratia, vt ipſe docet *in 2. diſt. 26.* Fundamentum eſt, quia eſt diſpoſitio ad gratiam, quæ eſt in voluntate: ergo, &c. Negant aliqui antecedens, ſed communiter conceditur: & patet, quia character ordinatur ad gratiam, tam propriè Sacramenti, quàm aliorum, loquendo de baptiſmali, quo fit quis capax aliorum Sacramentorum: & non eſt ratio, cur character eſſet indelebilis, & redderet Sacramentum non iterabile, niſi ſubordinaretur gratiæ tanquam forma prior: neque propriè poteſt ſubſiſtere configuratio animæ, aut imaginis, quæ principaliter eſt per gratiam, in ſolo charactere, niſi diceret ordinem ad gratiam, neque obligatio, quæ denotatur per talem configurationem, ad Chriſtum, poteſt abſtrahere à mediis, per quæ adimpletur in *facto eſſe*, qualis eſt gratia habitualis, in *facto*, vel in *fieri*, qualis eſt gratia actualis Sacramenti. Alij, dato antecedente, reſpondent negando conſequentiam, quia fides in intellectu eſt, quamuis diſponat ad gratiam. Contrà, fides exigit in voluntate habitum piæ credulitatis, & actum proportionatum, ſecundùm ipſos, ratione cuius eam ſtatuit D. Auguſtinus in voluntate.

*Character eſt diſpoſitio ad gratiam.*

*Reſponſio impugnatur.*

4 *Habitus fidei conſequitur infuſionem gratiæ.*

Deinde fides, vt habitus non diſponit ad gratiam habitualem in Sacramento; ſed potiùs conſequitur, quia ad infuſionem iuſtitiæ infunditur: & maximè ex ſententia eorum, qui ſtatuunt gratiam diuerſam eſſe à charitate, & ad eam ſequi infuſionem habituum Theologalium per modum quarundam proprietatum: & quidquid de hoc ſit, efficacia Sacramenti baptiſmalis primò, & per ſe reſpicit gratiam ſanctificantem, quæcunque illa ſit; reliqua verò, vt ſpectant ad integritatem, non ad eſſentiam iuſtitiæ, vt patet per Tridentinum *ſeſſ. 6. cap. 7.* ergo habitus fidei non eſt diſpoſitio anterior ad iuſtitiam, quæ primò reſpicitur per Baptiſmum: non ita verò character.

Quòd ſi autem intelligatur fides diſponere ad gratiam in relapſis, qua reſtitui debet gratia, quamuis hæc ſit in diuerſo ſubiecto; hoc nihil ad propoſitum facit, quia ideò diſponit ad gratiam ſic receptam, ſeu recuperatam mediante pœnitentiâ, quia requiritur conuerſio peccatoris per proprios actus voluntatis retractantis peccatum: voluntas autem in operando ſiue naturaliter, ſiue ſupernaturaliter ſupponit intellectum, & applicationem obiecti ſui. Hic modus diſponendi non facit ad propoſitum de charactere, qui eſt diſpoſitio permanens, & prior, & cuius capax eſt ipſa voluntas, quæ eſt ſubiectum formæ, ad quam diſponit: vel ergo omnino non eſt quærendum de ſubiecto primo characteris, vel illud eſt ſtatuendum, quòd ſecundùm proportionem ſimilium diſpoſitionum ſtatui congruit.

*Quomodo diſponat fides ad conuerſionem.*

*Character diſpoſitio permanens, & prior gratiâ.*

Præterea, character eſt diſpoſitio non ſolùm reſpectu gratiæ, ſed etiam reſpectu actuum, quia character baptiſmalis inducit obligationem animæ ad Chriſtum, vt ſeruet legem: hæc autem obligatio eſt neceſſitas moralis operandi; ergo inclinatio quædam ad ipſam operationem, non ſecus, ac lex, ſeu præceptum, aut votum, & huiuſmodi, quæ opponuntur libertati operandi ad vtrumlibet: character etiam Confirmationis inducit obligationem militiæ, & confeſſionis fidei: character verò Ordinis eſt principium operandi actum, quia eſt poteſtas actiua; omnis autem obligatio cadit directè in voluntatem: ergo in ea debet ſtatui fundamentum obligationis. Poteſtas actiua characteris ſacerdotalis applicari debet per ipſam voluntatem, & requirit intentionem operandi: ergo ſimiliter debet in voluntate ſtatui. Accedit ad hæc quòd omnis in vniuerſum poteſtas moralis operandi ſit in voluntate, vt proximo ſubiecto: ergo, &c. Deinde Sacramenta ſpectant ad religionem: ergo & effectus ille, qui deputat hominem ad cultum, perinde ſpectabit ad religionem; religio autem eſt in voluntate primò, & per ſe: ergo etiam in ea magis congruum eſt ſtatuere characterem.

5 *Alia congruentia, ex quibus ſtatui debet in voluntate.*

Ex his patet ad fundamenta aliorum, quæ leui congruentiâ fundantur: prima ſententia procedit ex falſa ſuppoſitione, nempe quòd gratia ſit in animæ eſſentia, vel quòd character non ordinetur

*Reſponſio ad fundamenta aliorum.*

ordinetur ad aliud tanquam dispositio, sed quòd sit habitus benè disponens animam propter se: secunda patet etiam non fundari, quia character est simplex qualitas, & vna; ac proinde requirit subiectum vnum proximum cui primò insit. Vide Doctorem respondendo ad argumentum oppositum.

Hîc finitur materia de Baptismi Sacramento; de Baptismo flaminis, & sanguinis obiter dictum est, prout litera suggessit, & permisit: in reliquis videantur moderni, quia est difficultas obuia. Laus Deo.

# DISTINCTIO SEPTIMA.

A NVNC de Sacramento Confirmationis addendum est, de cuius virtute quæri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit Episcopus, cùm baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. [ Hoc Sacramentum (inquit Eusebius Papa in epistola ad fratres per Campaniam, & Tusciam, cuius initium, *Dilectissimis*, &c.) ab aliis perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis, quàm ipsis Apostolis legitur peractum, nec ab aliis, quàm ab illis, qui locum eorum tenent, perfici potest, aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica reputabitur Sacramenta. ] [ Licet autem Presbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chrismate signare in fronte. ] Virtus autem huius Sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur: qui in Baptismo datus est ad remissionem. Vnde Rabanus. [ A Summo Sacerdote per impositionem manus Paracletus traditur baptizato: vt roboretur per Spiritum sanctum, ad prædicandum aliis illud, quod ipse in Baptismo consecutus est. ] Item, [ Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post Baptismum accipere debent Spiritum sanctum, vt pleni Christiani inueniantur. ]

*De conf. distinct. 4. cap. Presbyt. De inst. cle. lib. 1. c. 30. de conf. dist. 5. nouissimè. Vrban. Pap. in epist. ad omnes Christian. cuius initiũ*, Vrb. & *cap.* decet omnes Christ. & *de consecr. dist. 5. cap.* omnes fideles, *circa med. & hab. de consecr. dist. 5. c. de his vero.*

*Melchiades in epistola ad Hispaniarum Episcopos, cuius initium*, Dilectissimi, *&c.*

B [ SCitote vtrumque esse magnum Sacramentum, sed vnum maiori veneratione tenendum, sicut à maioribus datur. ] Ecce maius dicit Sacramentum Confirmationis, sed fortè non ob maiorem virtutem & vtilitatem, quam conferat, sed quia à dignioribus datur, & in digniore parte corporis fit, scilicet in fronte, vel fortè quia maius augmentum virtutum præstat: licèt Baptismus plus ad remissionem valeat. Quod videtur innuere Rabanus dicens. [ In vnctione Baptismi Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam. In hac verò, eiusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis, & virtutis venire in hominem. ] Hoc Sacramentum tantùm à ieiunis accipi, & ieiunis tradi debet, sicut & Baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec Baptismus, vel Ordo. Nulli enim Sacramento facienda est iniuria: quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed vtrùm aliqua, vel nulla iterari possint, quæstio est. Nam de Baptismo & Ordine, quòd non debeant iterari, apertè Augustinus dicit. [ Vtrumque Sacramentum est, & quâdam consecratione datur: illud quidem cùm baptizatur, illud verò cùm ordinatur. Ideóque in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterari, quia neutri facienda est iniuria. ] Quod indubitanter etiam de Confirmatione tenendum est. De aliis verò vtrùm iterari valeant, vel debeant, postea disseremus.

*Libr. 1. de institut. cler. c. 30. & de conf. dist. 5. c.* nouissimè, *c. 5. & Terraconẽs. c. 6. de conf. dist. 5. cap. vt Episc. & c.* vt ieiuni, *& cap.* dictum est. *Lib. contra epistol. Parme. 2. c. 13. tom. 7. & hab. 1. q. 1. cap.* quod quidam dicunt.

POSTQVAM Magiſter egit de primo Sacramento, ſcilicet de Baptiſmo, hîc agit de ſecundo, ſcilicet de Sacramento Confirmationis. Et diuiditur in duas partes, ſcilicet in Proœmium, & tractatum, qui incipit ibi: [ *Forma enim.* ] Et ille tractatus diuiditur in quinque partes, Primò namque determinat de forma Sacramenti. Secundò, de miniſtro, ibi: [ *Hoc Sacramentum ab aliis.* ] Tertiò, de effectu, ibi: [ *Virtus autem.* ] Quartò, de conditione quadam in ſuſcipiente, & conferente pertinente ad reuerentiam Sacramenti, ibi: [ *Hoc Sacramentum tantùm à ieiunis.* ] Quintò, & vltimò, de initerabilitate huius Sacramenti, ibi: [ *Nec debet iterari.* ]

## COMMENTARIVS.

*Ratio ordinis.*

DE hoc Sacramento proximè poſt Baptiſmum agũt communi ſtylo, & ordine Theologi; nam, quamuis non ſit ordo eſſentialis inter Confirmationem, & Euchariſtiam, qualis eſt inter Baptiſmum & reliqua; tamen Confirmatio eſt quædam regenerationis conſummatio: vt ſicut in Baptiſmo fit profeſſio fidei, ita in Confirmatione datur robur ad eandem fidem profitendam per vnctionem internam: Euchariſtia verò ordinatur ad nutriendam charitatem & iuſtitiam, ad vincendum fomitem, & tentationes, & in ordine ad perſeuerandum in gratia accepta; ideóque generaliùs ſe habet velut cauſa vniuerſalis; non ſicut Confirmatio, quæ particulariter ſe habet ad profeſſionem fidei in Baptiſmo ſuſceptæ, & hominis Chriſtiani initiatione.

*Confirmatio eſt cõſummatio gratiæ baptiſmalis.*

Hunc etiam ordinem ſequuntur Patres, & ſeruatus fuit in Eccleſia, quantùm ad miniſterium, ita vt priùs daretur neophyto Cõfirmatio, quàm Euchariſtia; quamuis vtrumque Sacramentum poſt Baptiſmum miniſtrabatur; Dionyſius *de Ecclesiaſtica hierarchia, cap.* 2. & 4. Cyrillus Ieroſolymitanus *Catecheſi* 3. Melchiades Papa *Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpanie, cap.* 3. Eugenius IV. *in decreto fidei*, qui etiam congruentiam præmiſſam ſeruandi ordinis tradunt, ſicut & Clemens Romanus *epiſt.* 4. *& conſtitutionum Apoſtolicarum, lib.* 3. *cap.* 17. Tertullianus *de præſcript, aduersùs hæreſ. cap.* 36. Ambroſius *lib.* 3. *de Sacramentis, cap.* 2. Gregorius Magnus in Sacramentario de Baptiſmo infantum. Tractatum autem Sacramenti expedit Doctor cum Magiſtro in diſtinctione præſenti quinque quæſtionibus, quæ ſpecialiter ad ipſum ſpectant ſupponendo rationes communes ipſi & aliis ex materia de Sacramentis in genere in 1. diſt. & 2. & de Sacramento Baptiſmi in aliis quatuor iam præmiſſis. In prima quæſtione agit de eius eſſentialibus, & per ſe requiſitis: in ſecunda de eius neceſſitate: in tertia de eius dignitate: in quarta an poſſit iterari: in quinta, an ſit pœna canonica ſtatuta iterantibus Confirmationem.

Cyrillus. Melchiades. Eugen. IV. Clem. Rom. Tertullian. Ambroſ. Gregor.

*Diuiſio huius diſtinct. ona.*

Dionyſ.

## QVÆSTIO I.

### *Quid ſit Sacramentum Confirmationis? De materia & forma. De ſuſcipiente, & miniſtro, & de conditionibus requiſitis in conferente, & ſuſcipiente hoc Sacramentum.*

Alenſ. 4. *p. q.* 24. *m.* 2. D. Bonau. *hic art.* 1. *q.* 1. Rich. *art.* 1. *q.* 1. 2. D. Thom. *q.* 1. *art.* 1. *&* 3. *p. q.* 65. *art.* 1. *&* 4. *& q.* 72. *art.* 1. *&* 4. Suarez 3. *p. tom.* 3. *d.* 32. *latè* Coccius *in theſauro tom.* 2. *lib.* 5. *art.* 20. Bellarm. *lib.* 2. *de Sacram. Confirm. & an Epiſcopus tantùm ſit miniſter. Vide* Alenſ. *q.* 28. *m.* 1. *art.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 72. *art.* 11. D. Bonau. *hic art.* 1. *q.* 3. Rich. *art.* 2. *q.* 1. Suarez 3. *p. tom.* 3. *d.* 36.

1 CIRCA iſtam[a] diſtinctionem poſſent multa quæri proportionaliter illis, quæ quæſita ſunt de Baptiſmo. Sed præmitto quandam rationem Sacramenti huius, ex quo patet ſolutio multarum quæſtionum. Et ſupponendo, quòd relationis, quæ eſt formale in hoc Sacramento, fundamentum totale ſit vnctio determinata cum conditionibus multis aliis requiſitis: poteſt aſſignari ratio talis: *Confirmatio*, ſeu *Sacramentum Confirmationis eſt vnctio*[b], *hominis viatoris aliqualiter conſentientis, vel libero arbitrio nunquam vſi, facta in fronte in figura*[c] *Crucis cum chriſmate*[d] *ſanctificato*[e], *& hoc à miniſtro idoneo*[f], *ſimul cum intentione debita inungente, & verba certa proferente, ſignificans efficaciter ex inſtitutione diuina vnctionem animæ per gratiam roborantem, ad confitendum cum conſtantia, fidem Chriſti.*

*Definitio Cõfirmationis.*

## COMMENTARIVS.

1 *Quid dicat in recto Confirmatio?*

a CIRCA iſtam diſtinctionẽ poſſunt multa quari, &c. Fundamentum relationis ſacramẽtalis poteſt dici, vel vnctio ſimul cum verbis, (quod probabilius iudico,) vel vnctio ſola, cæteris ſe habentibus, tanquam circumſtantiis fundamenti; & hunc modũ tenendo, Doctor aſſignat vnam rationem, ſeu deſcriptionem Sacramẽti Confirmationis, in qua ſummariè, & explicitè comprehendit eſſentiam, & per ſe requiſita ad hoc Sacramẽtum.

*Confirmatio*, inquit, *ſeu Sacramentum Confirmationis eſt vnctio hominis viatoris*, &c. In primis, vt hæc definitio ſuo ordine explicetur, & incipiamus à nomine, dicitur hoc Sacramentum, *Confirmatio, Vnctio, & Sacramentum Chriſmatis, impoſitio manuum.*

*Eius definitio.*

*Appellationes variæ Sacramenti à proprietate rei deſumptæ.*

*Est consummatio Baptismi.*

*num.* Dicitur Confirmatio ab effectu: quia est perfecta consummatio Baptismi, & regenerationis: vnde Clemens Romanus epist.4. *Cùm autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi Spiritus gratiâ ab Episcopo confirmatus: quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam poterit*, &c. & lib.3.constitut.Apostolic.cap.17. *Vnguentum*, inquit, *est confirmatio professionis*,&c. supple fidei,vbi loquitur de chrismate:Cyprianus *epist.*72.vtrumque Sacramentum, tam Baptismi quàm Confirmationis ad integram sanctificationem, & natiuitatem hominis Christiani coniungit. Vnde Melchiades Papa ad Episcopos Hispaniæ:*Sed ita*, inquit, *coniuncta sunt hæc duo Sacramenta, vt ab inuicem nisi morte præueniente, nullatenus possint segregari, & vnum sine altero ritè perfici non potest*, &c. Eucherius *homil.in diem Pentecostes*,vtitur ipsa appellatione *Confirmationis*, sicut & Synodus Aurelianensis apud Gratianum *dist.*5. Quam etiã vulgarem appellationem esse huius Sacramenti docet Beda in *Psal.*26. & ita Author Ordinarij Romani vocat. VVallefridus *de rebus Ecclesiasticis*, Concilium Cabilonen.*cap.*27.Nicolaus I.*in epist. ad Rodulphum Ritarisensem.* Quod nomen magis est in vsu apud Doctores Scholasticos, quia magis proprium; vtpote desumptum ab effectu, qui soli huic Sacramento est proprius. Aliæ autem appellationes,v t manus impositionis, & vnctionis, in aliis Sacramentis sunt in vsu.

Cyprian.

Melchiades.

Beda.

2 *Varia fuit impositio manuum.*

Vnde Hincmarus Rhemensis *in lib. de variis capitulis Ecclesiasticis,cap.*16. varios modos impositionis manus rectè discernit: *Nam non vno modo*,inquit, *semper manus impositio intelligitur,sed pro diuersitate locorum, diuersâ significatione. Aliquando enim pro Confirmatione Neophytorum accipitur, vt in decretis Apostolicorum virorum Clementis, Vrbani, Melchiadis expressum sæpenumerò reperitur; nunc pro ordinatione Sacerdotum, siue Diaconorum; iuxta illud Apostoli ad Timotheum:Nemini citò manus imposueris; quod & Canones apertissimè præscribunt?* Vnde Innocentius III. in cap. vnico de sacra Vnctione: *Per frontis*, inquit, *chrismationem manus impositio designatur: quæ alio nomine dicitur Confirmatio, quia per eam Spiritus sanctus ad augmentum datur, & robur*,&c. *Est & reconciliatoria manus impositio, per quam hæretici pœnitentes, siue excommunicati Sanctæ Romanæ Ecclesiæ reconciliantur: de qua & canones similiter multa dicunt*,&c. *Fit etiam manus impositio super infirmos, iuxta illud Euangelij: Super ægros manus imponent*, &c. & infrà: *Siue autem manus impositio pro reconciliatione pœnitentium, siue pro depulsione infirmitatis, vel diaboli, siue simplici benedictione hominibus impendatur*,&c. *iterari quoties opus fuerit, non prohibetur. Cùm verò pro Confirmatione sine ordinatione imponitur, non iam pro sola oratione, sed etiam pro Sacramento habendâ est; quia Sancti Patres iterari prohibuerunt*, &c. Manus autem impositio appellatur, *Act.*8.& 19. quæ appellatio frequentissima est apud Patres, sicut, & vnctionis, & chrismatis; vt videre est apud citatos, & alios Patres: quæ appellatio sumitur à materia proxima, quæ est vnctio, & remota, quæ est chrisma, vt infrà videbitur. vide Origenem *in cap. 6. ad Roman.*Synod.Laodicen.*can.*48.Fabianum Papam *epist.*2. Damasum *epist.*4. Augustinum *lib.*2.*contra literas Petiliani, cap.*104 Innocentium I. *epist. ad Decentium Eugubinum, cap.*3. Leonem I. *epist.*88. & plures alios.

*Non est iterabilis, sicut neque ordo.*

*Vnctio, & chrisma dicitur à materia.*

Origenes. Clemens. Conc. Laodicen. Fabian. Damas. Augustin.

3 *Confirmatio est Sacramẽtum.*

*Sen Sacramentum Confirmationis*,&c. Hæc adiecta sunt pro expressa veritatis fidei declaratione, nempe Confirmationem esse Sacramentum legis nouæ. Hanc veritatem huius temporis Sectarij negant post VVitclefum, vt videre licet apud omnes modernos controuertistas. Vide Lyndanum *in lib.*4. *Panoplia,cap.*26. *& sequentibus*, Bellarminum in libro de Confirmatione. Contrarium huius est de fide; patet primò, *Act.*8. *Tunc imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum sanctum*, &c. Act.19. *Et cùm imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus sanctus super eos*,&c. Quibus verbis expresse habetur, quòd Spiritus sanctus dabatur ab Apostolis, per manus impositionem, tanquam per signum sensibile, & cæremoniam, atque infallibiliter talem effectum significantem, quod sufficit ad rationem Sacramenti. Præterea promissus fuit Spiritus sanctus Ecclesiæ, & fidelibus Ioëlis 2. *Act.*2. Ioannis 7.*&* 14.

*Errores hæreticorum.*

*Veritas fidei probatur.*

4 *Euasio hæreticorum refellitur.*

Respondent hæretici eam promissionem intelligendam esse de Spiritu sancto recepto in baptismate. Sed licèt verum sit, quòd recipitur Spiritus sanctus in Baptismo ad remissionem peccatorum; de ea tamen sola nequit intelligi promissio Christi specialis;vt patet *Act.*8.& 19. In primo loco dicuntur baptizati Samaritani à Philippo: quo audito Ierosolymis *miserunt ad eos Petrum & Ioannem, vt imponerent manus super illos,& acciperent Spiritum sanctum*;dicit enim textus: *Nondum enim in quemquam illorum, sed baptizati tantùm erant in nomine Domini Iesu: tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. Cùm vidisset autem Simon quòd per impositionem manus Apostolorum Spiritus sanctus*, &c. sic etiam *Act.* 19. dicuntur primùm baptizari illi discipuli Ioannis Baptistæ,& mox per manus impositionem factam à Paulo, recepisse Spiritum sanctum, tanquam diuersum donum, ab eo quod receperunt in baptismate.

*Diuersum donum in baptismate, & confirmatione collatum.*

Præterea, non est dubium plurimos fuisse baptizatos,suppositâ communi sententia de Baptismo instituto ante passionem Christi, quòd fuerint etiam baptizati Baptismo Ioannis, quod perinde est apud hæreticos:tamen Ioannis 7.non loquitur Christus,vt exponit Euangelista,de Spiritu recepto in Baptismo, *sed quem accepturi essent credentes in eum*;& Apostolis facta est promissio Spiritus sancti,Lucæ 24.& Ioannis 14.*Act.*1. quæ promissio facta est non ad tempus, sed semper; & reipsâ completa est, *Act.* 2. quando adueniente Spiritu sancto induti sunt *virtute ex alto*, iuxta promissionem factam. De hac missione interpretatur Petrus prophetiã Ioëlis: ergo promissio illa non intelligitur de Spiritu sancto, vt datur mediante Baptismo:quod ergo dicit Petrus eodem loco;*Baptizetur vnusquisque vestrùm*,&c. *& accipietis donum Spiritus sancti*,&c. non solùm intelligitur de dono remissionis, & sanctificationis per Baptismum,sed etiam de dono sanctificationis per impositionem manuum, quæ statim ex praxi primitiuæ Ecclesiæ fiebat super baptizatis ad communicationẽ Spiritus,quando erat opportunitas ministri; vt patet *Act.*19. neque Apostoli, quamuis id non exprimatur in Scriptura, loco dicto, distulerunt Confirmationem credentium baptizatorum Ierosolymis, qui tantam curam, *Actor.* 8. gesserunt Samaritanorum, vt miserint ad eos Petrum, & Ioannem, vt impositione manuum darent eis Spiritum sanctum.

*Promissio stabilis facta Apostolis.*

*Baptizati Ierosolymis etiam confirmati sunt.*

Neque refert quòd Petrus *Act.*10.non legatur manus imposuisse Cornelio, & aliis cum eo credentibus, quia ex eadem congruentia id factum subintelligitur, & consueto vsu, nisi dicamus ipsos non indiguisse, quia per anticipationem

*Quid dicendum de Cornelio.*

ex ſpeciali priuilegio iam receperant Spiritum ſanctum, etiam ante Baptiſmum, ad prædicationem Petri; ſicut & ipſi Apoſtoli ex frequenti ſententia Theologorum fuerunt confirmati in die Pentecoſtes, in quos deſcenſus viſibilis Spiritus ſancti Confirmationis loco fuit. vide Auguſtinum *lib. 50. homil. 23. c. 12.* vbi cauſam huius priuilegij rectè exponit, & communicationem Spiritus ſancti per manuum impoſitionem diuerſam facit à Baptiſmo, ſupponens per illam Spiritum conſuetum tum fuiſſe datum: *Adhuc loquente Petro*, inquit, *non dico nondum imponente manum, ſed nondum etiam baptizante*, &c. *venit Spiritus ſanctus, implenit Cornelium*, &c.

Auguſtin.

6 Dixi ſuprà in primitiua Eccleſia hæc duo Sacramenta coniuncta data eſſe, quando opportunitas miniſtri Confirmationis adeſſet, quia hoc miniſterium ad Apoſtolos ſolos tunc ſpectabat, (vt infrà dicemus) qui non poterant omnibus adeſſe in principio. Coniunctum autem miniſterium) vtriuſque Sacramenti, patet ex Patribus ſuprà citatis ad initiũ commenti, explicando rationem ordinis: vnde & frequenter ipſi Patres, quandoque connectunt hæc Sacramenta etiam in effectu, eâ ratione, quâ dicunt vnum eſſe conſummationem alterius, & perfectionem. Origenes in cap. 6. epiſt. ad Roman. *Omnes*, inquit, *baptizati ſumus ſecundum typum Eccleſiæ traditum in aquis iſtis viſibilibus, & chriſmate viſibili*, &c. & Clemens Roman. ſuprà citatus lib. 3. conſtitut. cap. 17. *Datur Baptiſmus in mortem Filij Dei, aqua adhibetur pro ſepultura, oleum pro Spiritu ſancto; vnguentum eſt confirmatio profeſſionis*, &c. id eſt, ſuſceptæ in Baptiſmo. Origenes etiam *homil. 8. in Leuiticum.* Cyprianus epiſt. 72. *Tunc enim demum plenè ſanctificati, & Filij Dei eſſe poſſunt, ſi Sacramento vtroque naſcantur*, &c. id eſt, Baptiſmo, & Confirmatione. Vrbanus I. in epiſt. ad vniuerſos, ad idem alludit: *Omnes fideles per manus impoſitionem Spiritum ſanctum per Baptiſmum accipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur*, &c.

Origenes. Clemens. Cyprian. Vrbanus I.

Ex his colligitur vtrumque Sacramentum ſimul dari; primò Baptiſmum, mox Confirmationem tum conſueuiſſe; vt patet *ex Act. 19.* Quoties opportunitas miniſtri accedebat: & quamuis hoc non exprimatur *Act. 2.* ita tamen factum fuiſſe; vt praxis ipſa Apoſtolorum, & vſus inde à ſequentibus in Eccleſia continuatus docet ab Apoſtolis mutuatus, & apud Patres tam Græcos, quàm Latinos frequentiſſimus.

Vnde verba illa Petri, ad quæ confugiunt hæretici, non ſolùm ad Baptiſmum, ſed etiam ad Confirmationem ſimul datam extendenda ſunt: neque id Scripturæ vſui alienum eſt, vt Confirmatio data per viſibilem Spiritus ſancti communicationem appellatione Baptiſmi veniat Act. 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, non poſt multos hos dies*, &c. Ergo ſic intelligenda ſunt verba Petri, quæ etiam in ſenſu literali commodiſſimè explicari poſſunt, etiam vt expreſſam vtriuſque Sacramenti mentionem faciant; cùm enim Iudæi ſtuperent ad donum linguarum, tum Apoſtolis conceſſum per aduentum viſibilem Spiritus ſancti, Petrus inde aſſumēs occaſionem, prophetiam Ioëlis interpretatus eſt, & Chriſtum prædicauit Iudæis ad hæc cõpunctis, & interrogantibus quid agere deberent? Reſpondet: *pœnitentiam agite*, &c. vbi denotatur diſpoſitio neceſſaria ad Baptiſmum; *& baptizetur vnuſquiſque veſtrùm in nomine Domini Ieſu, in remiſſionem peccatorum veſtrorum:* quibus denotatur effectus Baptiſmi: *& accipietis donum Spiritus ſancti*, &c. nempe ſicut nos videtis accepiſſe, vbi denotatur Sacramentum Confirmationis per manus impoſitionem, quia aliter non conſueuit conferri Spiritus ſanctus; vt patet *Actor. 8.* Si dicas non haberi hoc ex illis verbis.

Petrus Act. 2. comprehendit etiã Confirmationem.

Reſpondetur primò, non haberi etiam ex illis verbis promiſſionem illam Petri fuiſſe impletam virtute ſolius Baptiſmi: neque promiſſio Petri fundari potuit in virtute Baptiſmi ſolius, quia, vt dictum eſt, nõ habuit illam efficaciam Baptiſmus: vnde Chryſoſtom. *hom. 18. in Acta*, inter illa duo diſcernit: *Non eſt idem*, inquit, *accipere remiſſionem peccatorum, & accipere virtutem illam*, &c. Promiſſio etiam Petri non fundabatur in miſſione extraordinaria, & quaſi ex priuilegio daretur Spiritus ſanctus illis, ſicut datus eſt Cornelio, aut ipſis Apoſtolis, ſecluſo aliquo ſigno ſenſibili inſtituto per modum Sacramenti: quia neque illi ſic acceperunt Spiritum ſanctum, neque ſine reuelatione ſpeciali illud promittere potuit ſic dandum Petrus, qui etiam communicationem eius faciẽdam Cornelio non cognouit ante effectum. Oportet ergo promiſſionem Petri referri ad medium ordinarium, quod in poteſtate fuit promittentis applicare, quo communicare poterant Apoſtoli Spiritum ſanctum per impoſitionem manuum; quod explicatur abundè, *Act. 8. & 19.* & hoc idem ipſo effectu, *Act. 2.* inſinuatur. Vnde, quamuis non legamus promiſſionem Petri fuiſſe adimpletã prædicto loco; de ea tamen atque eius veritate in effectu non dubitamus: quãuis id non exprimatur.

7 *Promiſſio Petri fundata in Sacramento.*

*Apoſtoli per ſolam Confirmationẽ dare poterant Spiritũ ſanctum viſibiliter.*

*Qui ergo*, inquit, *receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt, & appoſitæ ſunt in die animæ circiter tria millia*, &c. Quibus nõ exprimitur datio viſibilis Spiritus ſancti. Si ergo illud ex promiſſione Petri ſufficienter intelligitur, ita etiam ex eadem promiſſione, quæ effectum Confirmationis exponit, tanquam materiam ſubiectam promiſſioni, & ex connexione facti, ſeu vſus vtriuſque Sacramenti, (ſeruato debito ordine) qui ex aliis locis iam citatis Scripturæ intelligitur: ita etiã, inquam, ſufficienter intelligitur cauſa ipſa illius effectus, quæ fuit impoſitio manus, quia aliter hunc dare non poterant Apoſtoli, & tunc maximè congruit per ipſos datum eſſe Spiritum ſanctum, atque per medium ordinarium, quo eorum authoritas magis eluceret, & vtriuſque Sacramenti virtus per ſignum manifeſtatã faciliùs adduceret reliquos ad veritatem, & ſacramenta ſalutis amplectenda.

Reſpondent ſecundò hæretici, illam impoſitionem manuum nullum contuliſſe donum, ſed fuiſſe tantùm cæremoniam per modum approbationis inductam. Sed hoc expreſſiſſimè repugnat Scripturæ, vbi dicitur illos recepiſſe Spiritũ per manus impoſitionem: *Et orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum ſanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat, ſed baptizati tantùm erant in nomine Domini Ieſu: tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebãt Spiritum ſanctum. Cùm vidiſſet autem Simon quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus ſanctus*, &c. & Act. 19. *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant*, &c. Quæ verba clariſſima ſunt; non fuit ergo vacua, & nuda ſine effectu viſibili cæremonia, impoſitio illa manus Apoſtolorum ſuper baptizatis, & credentibus.

8 *Alia euaſio hæreticorum refellitur.*

Reſpondent tertiò per manuum impoſitionem non denotari aliquod Sacramentum ſanctificans animam, ſed gratias gratis datas, & virtutem miraculorum, quo Apoſtoli fundarent, & confirmarent fidem. Sed hæc reſponſio inepta eſt, & non

*Tertia euaſio refellitur.*

cohærens

cohærens errori hæreticorum, qui negant aliam virtutem ineſſe Sacramentis, præter ſolam excitationem fidei, quæ perinde per manus impoſitionem, tanquam cæremoniam ex inſtitutione, quâ vtebantur Apoſtoli, fieri potuit: ſi enim habuit efficaciam ad fundandam, & confirmandam fidem, à fortiori eam excitabat.

Deinde non congruit Scripturæ, neque promiſſioni Chriſti, Lucæ 24. *Act.* 1. Ioannis 14. 11. & 16. & Ioannis 7. quibus in locis promittitur Spiritus ſanctus & Apoſtolis, & fidelibus in æternum permanſurus in Eccleſia, daturus virtutem, baptizaturus, &c. Quibus denotatur abundantia gratiæ ſanctificantis per Spiritum, quæ præſentiæ corporali Chriſti præfertur, ipſo docente, & vt cætera omittamus, quæ ex his locis crebrò replicari poſſunt, & optimè ponderant Theologi, non aliter Spiritus ſanctus dabatur per manus impoſitionem ab Apoſtolis, quam recepit Cornelius *Actor.* 10. qui denotatur per donum linguarum, & quam receperunt Apoſtoli, *Act.* 2. nam *Act.* 19. eodem modo illi quibus Apoſtolus impoſuit manus, loquebantur linguis, & prophetabant.

9 Sed Cornelius accepit Spiritum ſanctum non ſolùm quantùm ad gratias gratis datas, ſed etiam quoad effectum ſanctificationis, vt patet ex verbis Petri, Act. 10. *Nunquid aquam quis prohibere poteſt, vt non baptizentur hi, qui Spiritum ſanctum acceperunt, ſicut & nos*, &c. & *Act.* 11. cùm reprehenderetur à Iudæis, quòd Gentibus communicauerit, exponens ſeriem facti: *Cùm autem*, inquit, *cœpiſſem loqui, cecidit Spiritus ſanctus ſuper eos, ſicut & in nos in initio; recordatus ſum autem verbi Domini, ſicut dicebat; Ioannes quidem baptizauit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, ſicut & nobis, qui credidimus in Dominum Ieſum Chriſtum, ego quis eram qui poſſem prohibere Deum*, &c. Oppoſitio eſt inter Baptiſmum in aqua per Ioannem, & Baptiſmum in Spiritu ſancto, qui datus eſt Apoſtolis ex virtute ſanctificationis, vt ſuo loco tractauimus. Item Apoſtoli receperunt Spiritum ſanctũ initio per modum virtutis, & ſanctificationis; *donec induamini virtute ex alto*: eodem modo, vt dicit textus, recepit Cornelius: ergo per modum ſanctificantis: ſic etiam intellexerunt reliqui audientes, dicentes: *Ergo & in Gentibus dedit Deus pœnitentiam ad vitam*, &c. quæ referuntur ad illa dona, quæ recepit Cornelius, per aduentum Spiritus ſancti in ipſum: *pœnitentia ad vitam*, denotat ſanctificantem Spiritum. Idem deſignant tam viſio Petri, quâ videbat vas ſubmiſſum de cœlo, & receptum in cœlum, quàm etiam reſponſio ad ipſum de cœlo facta: *Quæ Deus mundauit, tu ne commune dixeris.*

10 Auguſtin. Hanc eandem ſententiam tenet Auguſtinus variis in locis, vt *lib.* 4. *de Baptiſmo contra Donatiſtas, cap.* 24. & *lib.* 15. *de Trinitate, cap.* 19. *quæſt.* 84. *ſuper Leuiticum lib.* 50. *homil.* 23. *de prædeſtinat. Sanctorum, cap.* 7. *lib. de Baptiſmo, cap.* 21. & *lib.* 1. *cap.* 8. Chryſoſtomus & alij interpretes *in Act. cap.* 10. Tertullianus *lib. de ieiuniis contra Pſychicos, c.* 8. Nazianzenus *orat.* 24. *paulò ante finem.* Cyprian. *epiſt.* 72. Arator Poëta, & Gloſſæ, & communis Doctorum. Si ergo Cornelius recepit Spiritum ſanctificationis ex ſententia Petri, ſicut & Apoſtoli, eodem modo & illi, qui receperunt eundem Spiritum per impoſitionem manus Apoſtolorum, recipiebant, ſicut & Cornelius, & ipſi Apoſtoli in initio, qui ex loco prædicto, & promiſſione Chriſti, & communi Patrum interpretatione, *Act.* 2. receperũt Spiritum per modum ſanctificantis, & dantis vbertatem gratiæ; vt fusè Chryſoſt. *homil.* 24. *in Acta*; & *hom.* 1. & 4. Cyrill. Ieroſolymitanus *in Catechesi* 17. Nazianz. *orat.* 44. Gregor. Magnus *hom.* 30. *in Euangelia.* Hieronymus *epiſt. ad Hedibiam.* Bernard. *ſerm. in die Pentecoſtes.* Cyrill. Alexandrinus *lib.* 9. *in Ioannem*, & cõmunis interpretum.

Chryſoſt. Cyrillus. Nazianz. Gregor. Hieron. Bernard. Cyrill. Alexandrinus.

Deinde 1. *ad Corinth.* 12. ad Epheſios 4. gratiæ gratis datæ non ſunt communes omnibus: ſed per impoſitionem manus Apoſtolorum dabatur Spiritus ſanctus omnibus fidelibus baptizatis: ergo aliter quàm per dona. Ad Hebræos etiam 6. *impoſitio manus*, numeratur à Paulo inter rudimenta fidei ſimul cum Baptiſmo. *Quapropter*, inquit, *intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum, Baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum ac iudicij æterni*, &c. Supponit Apoſtolus ipſos iam in his rudimentis fidei fuiſſe inſtructos, vt patet ex verbis ſequentibus: *non enim iniuſtus eſt Deus*, &c. & ex fine præcedentis capitis, vbi eos notat de ſegnitie: *Quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum*, &c. (ſupple perfectiora, & grandem ſermonem myſteriorum de ordinatione Melchiſedech) *etenim cùm deberetis Magiſtri eſſe propter tempus* (nempe quia ipſis primò prædicatũ eſt Euangelium) *rurſum indigetis, vt vos doceamini quæ ſunt elementa exordij ſermonũ Dei*, &c.

1. Ad Corinth. 12. Epheſ. 4. Hebr. 6.

Hoc autem intermittẽs Paulus exprimit quinque, in quibus continebatur. Primum fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, id eſt, peccatis: ſecundum fidei in Deum: tertium Baptiſmatum doctrinæ, id eſt, doctrinæ de Baptiſmo, qui triplex eſt, fluminis, flaminis, & ſanguinis; ideóque dicit *Baptiſmatum*, in plurali; vel certè alludit ad erroré Hebræorum, qui putabant Baptiſmum poſſe iterari, ſicut iterabantur baptiſmata legis, quoties quis peccaret, vt exponunt Theophylactus & OEcumenius. Quem errorem hoc ipſo capite corrigit, docens Baptiſmum non poſſe iterari, *impoſſibile eſt enim*, &c. Quartum fundamẽtum manus impoſitionis, eſt articulus reſurrectionis: quintum verò articulus extremi iudicij, &c.

Theophyl. OEcumen.

Hæ ſunt inſtructiones, & exordia, ſeu inchoatio ſermonis Chriſti, & prædicationis Apoſtolorum, vt videre etiam licet *Act.* 2. Per manus ergo impoſitionem intelligit Apoſtolus Confirmationem, & verum Sacramẽtum, vt Chryſoſtomus, & Theophylactus, & Ambroſius, ibidem Auguſtinus *de fide & operibus, cap.* 11. & patet ex ipſa litera; nam manus impoſitio ſpectabat ad rudimenta fidei, ex Act. locis citatis: ergo hîc eadem intelligitur illa, quæ ſingulis fidelium poſt Baptiſmum dabatur, & retenta eſt ſemper in Eccleſia à ſucceſſoribus Apoſtolorum, vt infrà videbitur, tanquam verum Sacramentum.

Chryſoſt. Theophyl. Ambroſ. Auguſtin.

12 *Secunda probatio ex Cãz.* Trident. Florent. Senonenſ. Colonienſ. Moguntin. Laodicenſ. Nicen. I. Conſtantinopolit. Ieremias Patriarcha. Beſſarion. Canon. in Trullo. Elibertin. Arelatenſ. Arauſican. Hiſpalen. Cabilonen. Pariſienſe. Toletan. Meldenſe.

Secundò, eandem veritatem ſupponunt Concilia, & partim definiũt, vt Tridentinum, Florentinum, Senonẽſe, Colonienſe, Moguntinum; contra Nouatores ſupponunt antiqua Concilia plurima, vt Laodicen. *can.* 48. Nicenum I. *can.* 55. *in editione ex Arabica.* Conſtantinopolitanum I. *can.* 7. & cenſura Ieremiæ Patriarchæ, & Beſſarion Cardinalis *in tractatu de Sacramento Euchariſtiæ, Canon* 48. *in Trullo.* Concilium Elibertinum *can.* 38. Arelaten. I. *cap.* 8. Arelaten. II. *cap.* 17. Arauſican. I. *c.* 1. & 2. Hiſpalen. II. *cap.* 7. Cabilonen. II. *cap.* 27. Pariſien. ſub Ludouico, & Lothario *lib.* 1. *cap.* 33. Toletan. IV. *cap.* 15. Meldenſe *cap.* 6.

Clemens. Accedunt Pontifices Romani, Clemens Romanus *epiſt.4. lib.3. conſtitut. cap.17. lib.7.cap.23.* Vrbanus. Vrbanus I. *epiſtol. ad vniuerſos.* Cornelius. Cornelius Papa *epiſt.ad Fabium Antiochenum.* Fabianus. Fabianus *epiſt.2.* Euſebius *epiſt.3.* Melchiades. Melchiades *epiſt.ad Epiſcopos Hiſpaniæ.* Damaſus. Damaſus *epiſt.4.* Innocentius I. *epiſt.ad Decentium Eugubinum cap. 3.* Leo I. *epiſtol.88.* Gelaſius. Gelaſius *epiſt. ad Epiſcopos per Lucaniam, & Brutios.* Ioannes III. Ioannes III. *epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ.* Greg.Magn. Gregorius Magnus *lib. 3. epiſt. 9. lib.11. epiſt. 22.ad cap.1.Canticorum, in lib.Sacramentorum de Baptiſmo homil.17. in Euangelia.* Gregor. III. Gregorius III. *epiſt. ad Bonifacium 2. & 4.* Nicolaus I. Nicolaus I. *epiſt. ad Rodolphum Bituricen.* Innoc. III. Innocentius III. *in epiſt ad L.Vicarium apud Conſtantinopolim, & alia ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, & cap. vnico, de ſacra Vnctione,* Eugen. IV. idem habetur: ac tandem Eugenius IV. in definitione fidei. Hæc ſedecim Pontificum teſtimonia ſufficiunt ad probandam traditionem veram, & ab initio Eccleſiæ fundatam huius veritatis. Quartò tandem Patres, & Doctores omnis ætatis eandem docent, quos partim citauimus, partim etiam infrà in decurſu commenti afferemus, & legi poſſunt apud alios, & prolixè apud Coccium *lib.5. de hoc Sacramento.*

13 b *Eſt Vnctio hominis viatoris aliqualiter conſentientis, vel libero arbitrio nunquam vſi,* &c. De conſenſu requiſito in adulto, ad receptionem Sacramentorum, iam dictum eſt ſuprà *diſt. 4. quæſt. 4.* *Vnctio, materia.* hîc definit Doctor Confirmationem per materiam proximam, ſicut ſuprà definiuit Baptiſmum ex ſenſu Magiſtri *d.3. quæſt.3.* & multùm concordat cum doctrina Patrum in hoc, qui de Sacramento Vnctionem, chriſmationem, impoſitionem manuum, prædicant in recto; impoſitio enim manus fit vngendo in forma Crucis in fronte baptizatum. Innoc. III. Vnde Innocentius III. epiſt. ad Patriarcham Conſtantinopolitanum, *per frontis,* inquit, *chriſmationem manus impoſitio deſignatur,* &c. In Vnctione ergo ſupponit hoc Sacramentum eſſe ſignificationem ſacramentalem; ideò ſumitur in recto.

14 *Facta in fronte,* &c. Hæc eſt prima limitatio *Requiritur facta in fronte.* Vnctionis, vt debeat fieri in fronte; eſtque eſſentialis vt ſupponit Doctor, nihil enim in definitione datur, niſi quod putat eſſe eſſentiale: quem ſequuntur Durandus, Gabriel, Paludanus, & alij poſteriores. Durandus. Paludanus. Gabriel. Eugenius autem IV. in decreto fidei, Eugen. IV. hanc rationem eius aſſignat: *Cur ſit in fronte?* *Ideo in fronte vbi verecundiæ ſedes eſt, confirmandus inungitur, ne Chriſti nomen confiteri erubeſcat, & præcipuè Crucem eius, quæ Iudæis eſt ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, ſecundùm Apoſtolum, propter quod Crucis ſigno ſignatur,* &c. Cyrillus. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 3. myſtagogica, poſtquam exemplo Euchariſtiæ poſt inuocationem ſancti Spiritus panis non eſt communis, qui conſecratur, ſed Chriſti corpus: *Sic ſanctum hoc vnguentum,* inquit, *non amplius eſt vnguentum nudum, neque,* &c. *commune poſtquam iam conſecratum eſt, ſed chriſma Chriſti, quod aduentu Spiritus ſancti per ipſius diuinitatem energiam habet, quo frons, & alij ſenſus corporis tui ſymbolicè inunguntur,* &c. *Ac primum quidem fronti illinitur, vt eum, abſtergat à vobis pudorem, quem primus homo tranſgreſſor perpetuò circumferebat, ſimúlque efficiat, vt poſſitis vultu non velato gloriam Dómini intueri,* &c. Idem habet Conſtant. I. canon 7. Concilij I. Conſtantinopolitani, dicens; *Recipiendos eſſe hæreticos obſignandos, ſiue vngendos primùm ſancto chriſmate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos ſignãtes dicimus: ſignaculum donationis Spiritus ſancti,* &c. ſic etiam canon in Trullo citatus habet. Pontius Diaconus in vita S. Cypriani: *Quis denique tot Confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrij ſuperſtites reſeruatos incentiuo tubæ cæleſtis animaret,* &c. Damaſus ſuprà citatus, inhibet Chorepiſcopis huius Sacramenti miniſterium, *nec chriſmate,* inquit, *baptizatorum frontes ſignare,* &c. Prudentius. Prudentius in Pſychomachia de luxuria, & ſobrietate.

*Poſt inſcripta oleo frontis ſignacula, per quæ*
*Vnguentum regale datũ eſt, & chriſma perenne,* &c.

Idem inſinuat Tertullianus loco ſuprà citato; ſed Tertullian. & Auguſtinus in *Pſalmum* 141. aſſignant eandem rationem, quam adhibet Cyrillus, & Eugenius IV. huius ſignationis. Auguſtin. Gregorius Magnus *lib.3. epiſtolarum, epiſt.9.* inhibet Presbyteris inungere frontem, ſed pectus, vt Epiſcopi poſtmodum vngere debeãt in fronte. Gregor. Eandem prohibitionem exprimit Beda in *Act. cap.8.* & oratio poſt Confirmationem in ordinario Romano, *quorum frontes ſacro chriſmate delinimus,* &c. Beda. Ordinarium Romanum. VVallefridus Strabo de rebus Eccleſiaſticis, eiuſdẽ prohibitionis canonum meminit, quo ſolis Epiſcopis & chriſmatis confectio, & conſignatio in fronte reſeruatur. VVallefrid. Rabanus *de inſtitutione Cleri, lib.1.cap.30.* Rabanus. idem docet, inſinuans rationem, cur in fronte chriſmatur baptizatus ab Epiſcopo tantùm; ſicut & Petrus Damianus *ſerm. 1. de Dedicatione Eccleſiæ.* Petrus Damianus. Rupertus de diuinis officiis *cap.17.* Hugo Victorinus de Sacramentis *lib.2.part.7.cap.2.* Innocentius III. *cap.vnico, de ſacra Vnctione.* Rupertus. Hugo Victorinus.

Rectè ergo Doctor vnctionem in fronte aſſerit eſſe de eſſentia huius Sacramenti; tum quia omnes faciendam docent tam Græci, quàm Latini; tum quia Græci, qui alias partes chriſmant præter frontem, dicunt primò frontẽ eſſe ſignandam: tum quia inhibitio facta Sacerdotibus, ne vngant in fronte (quia hoc ſolis Epiſcopis competit, qui ſunt miniſtri ordinarij huius Sacramenti.) Supponit vnctionem in fronte ſpecialem eſſe materiam, quia permittunt Sacerdotibus vngere, vel in pectore, vel in vertice, iuxta varias conſuetudines Eccleſiarum: tum quartò, quia vnctio in fronte habet ſpecialem proportionem ad exprimendum effectum huius Sacramenti, qui eſt robur ad confitendũ ſine pudore, aut verecundia, nomẽ Chriſti: vnde Auguſtinus loco citato: *Quædam Sacramenta aliter, atque aliter accipimus, quædam ore, quædam per totum corpus, quia verò in fronte erubeſcitur ille, qui dixit, qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum coram patre meo, ipſam ignominiam quodam modo* (id eſt, Crucem, quæ ſignatione frontis per chriſma fit) *in loco pudoris conſtituit,* &c. id eſt, *in* fronte.

15 Sed obiicies illam conſuetudinem Græcorum, *Obiectio ex ritu Eccleſiæ Orientalis.* & Orientalium ex Cyrillo, & ex Conciliis citatis, quâ fit vnctio chriſmatis in aliis partibus, cuius congruentiam Cyrillus loco citato exprimit: vel ergo repetebatur forma ad ſingulas vnctiones, & ſic Sacramentum iterabatur, quia primâ vnctione in fronte facta cum debita forma dat *Vnctio fiebat etiam in aliis partibus.* effectum huius Sacramenti, ſicut conſtat in Eccleſia Latina, quæ ſolam frontem illinit: vel forma ſolùm in prima chriſmatione frontis dicebatur, vel in vnctione vltimæ partis; ſi primũ, ſuperfluæ erant cæteræ vnctiones, quas forma non determinabat, quia prima vnctio, prolatâ formâ explebit effectum; ſi ſecundum dicatur forma in fine prolata non determinat ſufficienti continuatione actionis, & vnctionis, quæ diuerſa eſt, primam vnctionem, quæ eſſentialiter exigitur.

Reſponde

*Responsio.* Respondetur proculdubio quòd à Sanctis Patribus, & Conciliis statutum est, firmum esse, & vnctiones in illis partibus accessoriè fieri ad maiorem expressionem effectus sacramentalis: sed primam debere fieri in fronte, quæ est essentialis, & quam retinet Ecclesia occidentalis.

Ad rationem autem dubitandi respondetur formam verisimiliter semel prolatam continuari, vsque ad vltimam vnctionem, vel certè vltimam continuari, antequam ipsa finiatur: quod insinuare videtur canon primi Constantinopolitani: *Recipimus,* &c. *& signatos, siue vnctos, primum sancto chrismate, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus signaculum doni Spiritus sancti*, &c. Hæc vltima verba continent formam, quâ in hoc Sacramento vtuntur Græci, vt pòst videbimus: itaque videtur semel subiungi ipsis vnctionibus partialibus, quæ vnam moralem integrant: quia in illis verbis exprimi videtur ordo collationis Sacramenti: vnde patet quomodo forma determinet omnes vnctiones per modum vnius. Item, eundem ordinem denotant illa verba, *Et signatos, siue vnctos primùm sancto chrismate, & frontem, & oculos*, &c. Quæ sententia est copulatiua, non solùm verborum, sed etiam actionis, & vnctionis continuatæ simul in partibus diuersis, quæ primùm fit ante prolationem formæ, *Signatos*, inquit, *siue vnctos primùm sancto chrismate*: quæ denotant suppositionem totius vnctionis, & signationis per ipsam ante prolationem formæ: forma ergo primò, & per se determinat vnctionem in fronte, secundariò reliquas in ordine ad primam quæ essentialis est: sic lotio Baptismalis potest esse in parte principali, & aliis minùs principalibus, quarum lotio secundùm aliquos per se sola non sufficeret, vel certè redderet Sacramentum dubium; cæterùm, vt simul fiunt cum lotione partis principalis, spectant ad materiam, quam determinat per modum vnius, formæ baptismalis, vt suprà visum est. Eodem modo vnctio in renibus, & pedibus non est necessaria, aut essentialis materia Sacramenti Extremæ vnctionis; tamen vt adiungitur aliis, fit materia, quam forma etiam determinat: & ad eundem modum posset dici formam chrismatis repeti posse ad singulas vnctiones, & quantùm ad effectum dogmatizare, sicut & in forma, & materia Extremæ vnctionis, eiúsque effectu.

16 c *In figura Crucis*, &c. Hæc vltima solutio mihi non placet, quia Sacramentum imprimens characterem nequit iterari, sic quoad formã, quæ, suppositâ materiâ facit iam Sacramentum completum, ideò primus modus tenendus est, vel dicendum, quòd aliæ vnctiones erant cæremoniales, & non sacramentales, sed addebantur completo Sacramentum ad expositionem luctæ spirituales. Hæc est secunda circumstantia per se requisita ad Vnctionem sacramentalem: hanc autem esse essentialem probatur, ex vtraque forma, tam Græcorum, quàm Latinorum, & magis expressè ex forma Latinorum: quia sicut materia Baptismi significat ablutionem, quæ est materia huius Sacramenti; ita etiam forma Confirmationis significat materiam Sacramenti, sed tam signum Crucis, quàm etiam vnctionem significat, vt actionis ministri: *Signo te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis*, &c. Quæ forma sicut non potest esse falsa (esset autem, si vnctio sine cruce fieret) ita etiam non est superflua, sed in omnibus essentialis, & substantialis quoad partes suas, & secundùm diuinam institutionem: nam signaculum, vt dicit forma Græcorum, non solùm effectum designat: sed & ipsum Sacramentum, & materiam eius, vt fit vnctio in figura Crucis.

*Signatio in figura Crucis est necessaria.*

Patet expressè idem ex Canonibus, & Patribus citatis, qui Sacramentum appellant signationem in fronte, quæ à solis Episcopis fieri debet; illud autem non solùm importat simplicem vnctionem, non seruato determinato modo actionis, sed ipsam vnctionem in forma determinata, nempe in figura Crucis: secundò idipsum praxis semper seruata docet: tertiò, ratio cæremoniæ, seu vnctionis institutæ in fronte ad portandam Crucem Domini, cámque non erubescendam, quam suprà ex Patribus præmisimus, idem confirmat, sicut & congruitas cum effectu Sacramenti, & professionis fidei.

17 d *Cum chrismate*, &c. Hîc comprehendit materiam remotam Sacramenti, & intelligit per chrisma confectionem olei oliuarum, & balsami, vt infrà declarat: *Materia*, inquit, *remota est chrisma compositum ex oleo oliuarum, & balsamo*, &c. Hoc autem esse de necessitate Sacramenti est conclusio Doctoris. Alij dicunt tantùm esse de necessitate præcepti, vt Caietanus 3. *part. q.* 72. *art.* 4. Sotus *in hac dist. art.* 2. Couarruuias *lib.* 1. *variarum lectionum, cap.* 10. Nauarrus *in manuali, cap.* 22. quos sequuntur quidam moderni. Quidam autem asserunt præceptum diuinum, quidam Ecclesiasticum, & explicant eo modo, quo commixtio aquæ in calicem, est præcepti.

*Materia remota chrisma.*

*Esse de necessitate Sacramenti.*

*Docent esse præcepti.*

Contrarium huius docent communiter Doctores, neque aliud posse sustineri videtur post Florentinum, quod docet materiam huius Sacramenti esse chrisma ex oleo & balsamo confectum. Respondent intelligendum esse Concilium quantùm ad necessitatem præcepti quoad mixtionem balsami, non verò quantùm ad necessitatem Sacramenti. Contrà, hoc modo posset reuocari in dubium quælibet materia Sacramenti ex pluribus constans; quin etiam an oleum sit necessarium, saltem oliuarum, quin sufficeret aliud, vel nullum, sed ipsum balsamum.

*Mixtionem balsami esse necessariã necessitate Sacramenti.*

*Responsio.*

*Impugnatur.*

*Reuocari in dubium materiam Sacramenti.*

Præterea, hoc non est secundùm stylum Concilij, quia materiam non necessariam, sicut & formam ibidem declarat, tanquam talia, vt quòd mixtio aquæ in calice sit tantùm de præcepto Ecclesiastico, consecratio in pane azymo, aut fermentato perinde facere ad substantiam Sacramenti Corporis Christi, & materiam eius, quòd siue vtatur quis forma Latinorum, aut Græcorum in Baptismo, validè baptizat. De materia autem Sacramenti Confirmationis loquitur absolutè, & sine limitatione asserens esse chrisma modo dicto confectum: ergo intelligitur materia necessaria necessitate Sacramenti: vel alioquin loquendo de materia proxima huius Sacramenti, de qua dictum est, nempe de vnctione in fronte, vnde colligam vnctionem in illa parte determinata esse magis de necessitate Sacramenti, quàm solius præceptiuam si licet verba Canonis in definitione fidei distrahere, aut limitare ad non adiecta, vix poterit certitudo necessaria reperiri, & notari posset ille processus de obscuritate, & insufficientia: quia certa ab incertis non distingueret, nec declararet quod per se necessarium est, & essentiale, ab eo, quod adiicitur per modum accidentis, quòd in omni definitione, in quacunque materia, & potissimùm fidei, quæ debet non esse ambigua, est vitiosum. Vnde hic modus interpre-

18 *Concilium discernit materiam liberã à necessaria.*

*Loquitur absolutè, & sine limitatione de chrismate.*

*Processus obscurus in definitione fidei non admittendus.*

tandi locutiones absolutas, & doctrinales plurima ministeria fidei redderet ambigua.

19 *Confirmatio dictorum ex stylo Concilij.*

Confirmatur, quia Concilium ibidem agens de forma Baptismi docet quid in ea requiratur exprimi, declarat actum baptizandi, & personam baptizati, cum inuocatione Trinitatis de per se esse necessariò exprimenda: ac proinde validam esse formam Græcorum, quamuis non exprimatur in ea persona ministri: quia de his fuit controuersia, aut dubium inter aliquos, declarans etiam aquam miscendam vino esse ex præcepto; exponit etiam præceptum esse ecclesiasticum tantùm, quod perinde declarat Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 7. Præterea, agens de ministro huius Sacramenti dicit ordinarium esse Episcopum; extraordinarium verò Sacerdotem cum eadem limitatione Tridentinum *sess.* 7. *de Confirmatione canone* 3. loquitur. Idem etiam Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 5. declarat & distinguit materiam necessariam confessionis à libera: vnde colligitur absolutam locutionem Conciliorum in materia fidei definienda, aut declaranda vniuersaliter intelligendam esse, & sine vlla limitatione, & comprehendere præcisè necessaria. Præterea cùm præmittat Sacramenta perfici ex tribus, nempe materiâ, & formâ, & personâ ministri intendentis facere, quod facit Ecclesia, intendit præcisè, quæ essentialiter requisita sunt in his definire: ergo loquens de materia remota, & proxima Sacramenti Confirmationis absolutè intendit ibidem præscripta, esse necessaria necessitate Sacramenti, & non præcepti.

*Materia necessaria, & libera confessionis.*

*Sacramenta perfici tribus.*

20 *Quomodo chrisma appellatur oleū.*

Secundò, quòd communi appellatione chrisma pro oleo sumatur, & aliquando Patres hac appellatione vtuntur, intelligunt tamen oleum, quod per excellentiam magnum, & diuinum ipsi appellant, & antonomasticè pro chrismate, quo ab initio Ecclesiæ vtebantur, tam Græci, quàm Latini in hoc mysterio; non autem sumunt pro oleo simplici, quod non habet fragrantiam, sed pro oleo composito, & mixto ex variis liquoribus: vnde Dionysius de Ecclesiastica hierarchia, cap. 4. *Dicimus igitur vnguenti confectionem*, inquit, *esse collectionem quandam suauiter spirantium materiarum, quæ in se magnam vim, & copiam fragrantium qualitatum contineat.* Basilius eodem modo *in Psalm.* 132. exponit compositionem olei, quo vnctus est Aaron, & filij in Sacerdotes: *Oleum*, inquit, *illud Sacerdotale ex variis condimentis constabat; verum nullum illorum separatim tantam emittebat fragrantiam, sed mixtura illorum, & inunctio maximam reddebat redolentiam*, & patet hoc Exodi 30. *Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi*, &c. *& iuxta compositionem eius non facietis aliud*, &c.

21 *Vsus chrismatis in veteri, & nouâ lege.*

Hæc autem vnctio fuit figura eius, quæ in nouo Testamento fit, & in materia, & in significatione mystica: vnde Isidorus de Ecclesiasticis officiis lib. 2. cap. 25. *Chrismatis vnguentum Moyses primùm in Exodo, iubente Domino, composuit, quo primi Aaron, & filij eius in testimonium Sacerdotij, & sanctitatis perunctì sunt: deinde quoque & Reges eodem chrismate sacrabantur*, &c. *Sed postquam Dominus noster, verus Rex, & Sacerdos æternus, à Deo Patre cœlesti mystico vnguento est delibutus, iam non soli Pontifices, & Reges, sed omnis Ecclesia vnctione chrismatis consecratur, pro eo quòd membrum est æterni Sacerdotis, & regis*, &c. vbi agit de chrismate Confirmationis, quod idem censet esse cum illo, quod confecit Moyses.

Eodem modo Petrus Damianus *serm. de Cœna Domini.* Rupertus *lib. 5. de officiis, cap. 16.* Ex quibus patet aliud vocari à Patribus oleum, aliud verò chrisma. Quod etiam docet Optatus Mileuitanus *lib. 7.* contra Donatistas: *Oleum*, inquit, *simplex est, & nomen suum vnum, & proprium habet; confectum iam chrisma vocatur in quo est suauitas, quæ cutem conscientiæ mollit*, &c. Ex quibus constat chrisma ex vsu Ecclesiæ non vocari oleum simplex, sed confectum, & mixtum, & fragrans, vt insinuat etiam Eusebius Cæsariensis *lib. demonstrat. Euangelicarum, cap.* 10. quin etiam Clemens Romanus *lib. 7. constitut., cap.* 23. distinguit inter oleum, & vnguentum chrismatis.

*Chrisma ex vsu Ecclesiæ non vocatur oleum simplex, sed confectum.*

Sed vt ad expressa testimonia progrediamur Irenæus *lib.* 1. aduersùs hæreses *cap.* 18. agens de modis regenerationis, quibus vtebantur Gnostici, asserit eos etiam vnctionis mysterium assumpsisse: *Post deinde*, inquit, *vngunt sacratum opobalsamo*, &c. & infrà: *Quidam autem eorum adducere quidem ad aquam superuacaneum esse dicunt, admiscentes oleum, & aquam in vinum*, &c. *mittunt super eorum caput, qui sacrantur, & hoc esse redemptionem volunt: vngunt autem, & ipsi opobalsamo*, &c. Hoc autem, vt benè ibidem adnotauit Feuardentius noster, actitabant ad imitationem Sacramenti chrismatis: quod ab Ecclesia didicerunt, quod argumento est chrisma ex traditione Apostolica, & institutione diuina fuisse compositum ex balsamo. 22

Item, Cyprianus id manifestè docet in serm. de vnctione Chrismatis: *Hodie in Ecclesia cum cæteris vnctionibus ad populum acquisitionis sanctificandum in participationem dignitatis, & nominis sacrum Chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum Regiæ, & Sacerdotalis gloriæ, exprimit vnitatem quibus dignitatibus initiandis diuinitùs est vnctio instituta*, &c. Quæ verba denotant diuinâ institutione ad materiam vnctionis requiri balsamum. Et infrà: *Hodie, vt diximus, vnguentum ad sanctificationem paratur, cuius fragrantia adolescentulæ, & nouellæ animæ accedentes ad fidem illecta delectantur*, &c. *& sequuntur aromatum largitorem.* Et infrà: *Hoc oleo antiquitùs Sacerdotes sacrabantur, & reges*, &c. Et infrà dicit, *Antiquatis Mosayca legis cæteris ritibus huius vnctionis mysterium fuisse retentum. Cæteris*, inquit, *generali Sanctorum consensu damnatis non solùm in Regibus, & Sacerdotibus vnctionis honor permansit, sed in omnem populum Catholicum effusa est huius gratiæ plenitudo*, &c. 23

*Vnctionem chrismatis retinuit Ecclesia à Synagoga.*

Idem expressissimè docet Fabianus *in epist.* 2. *decretali, cap.* 1. causabant enim Episcopi non posse singulis annis Chrisma renouari ob defectum balsami in suis regionibus, ex quo conficeretur Chrisma, vbi respondens errorem reprobat, asserens in vltima Cœna Christum docuisse Apostolos chrisma conficere (sicut à sanctis Apostolis, inquit, prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt) docétque per singulos annos renouandum, & vetus comburendum ex traditione Apostolica, quam Romana, Antiochena, Ieroſolymitana, & Ephesina, in quibus sederunt Apostoli semper, & ab initio conseruarunt, &c. Pontifex confectionem chrismatis, & balsami esse docet diuinæ institutionis, quæ semper obseruata est.

*Chrisma efficiendum docuit Christus in vltima Cœnâ.*

*Singulis annis renouandum.*

Item Gregorius Magnus *in Cantic.* 1. Batrus Cypri, &c. *in Engaddi*, inquit, *balsamum gignitur, quod cum oleo Pontificali benedictione Chrismà efficitur*, &c. Concilium Bracharense secundum cap. 4. *Balsamum benedictum, quod pro salute animarum per Spi-* 24

*ritus*

*ritus sancti inuocationem consecratum*, &c. Consulta Bulgarorum ad Nicolaum I. supponunt eandem traditionem. Quærunt enim, an verum sit quod dicebant Græci apud se chrisma oriri? *Græcos dicere perhibetis*, inquit Pontifex, *quòd illorum in patria chrisma, & oriatur, & ab illis per totum mundum tribuatur, & ideò nosse desideratis si verum sit? sed iam credimus quòd vestra solertia, quòd non verum sit animaduertat*, &c. ita Pontifex. Intelligebant Græci de balsamo, & chrismate, quod ex balsamo fit compositione, non verò de oleo simplici oliuarum, quod in pluribus habetur. Causa autem controuersiæ fuit, quòd Græci sibi vendicabant primatum in Bulgaros, quos etiam chrismarunt per Sacerdotes in schismate sub Photio, separatos ab Ecclesia, nec proinde ad hoc authoritatem habentes. Vnde Nicolaus curauit eos denuò chrismari per Episcopos Latinos, Legatos suos. Hinc opponebant Græci illud figmentum de materia chrismatis, quasi apud se esset: quod intelligi debet alludendo ad traditionem Apostolicam, & primam institutionem huius Sacramenti.

Amalarius etiam Fortunatus, qui floruit sub Ludouico, cui nuncupauit opus de Officiis Ecclesiasticis *lib. 1. cap. 18.* agens de consecratione chrismatis: *Hic*, inquit, *non oleum, sed & balsamum consecratur*, &c. *Odor balsami in oleo opinionem bonarum virtutum latè dispersam, operante gratiâ Spiritus sancti, demonstrat: Oleo additur balsamum, quia nitet in vultu Christi cœlestis splendor*, &c. Hugo de S. Victore de Sacramentis, lib. 2. part. 15. cap. 1. *Chrisma*, inquit, *est oleum cum balsamo mixtum, quo vnguntur capita Pontificum & regum, quo etiam baptizatos Sacerdos vngit in vertice, sicut eodem Pontifex per impositionem manus confirmandos vngit in fronte*, &c.

Item Magister in 4. dist. 23. totidem habet Innocentius III. *de vnctione*, cap. vnico, *Chrisma*, inquit, *quod ex oleo sit, & balsamo mystica ratione*, &c. & vt cæteros posteriores omittam, accedit vltimò Eugenius IV. loco citato. Ex his omnis ætatis testibus, habemus chrisma esse mixturam, & olei, & balsami.

Ex omnibus penè Patribus, & Conciliis, habemus quòd chrisma sit materia huius Sacramenti: nullus hactenus, ante præfatos Doctores, discreuit in chrismate materiam necessariam necessitate Sacramenti, ad materiã necessariam necessitate præcepti. Patres accommodant perinde proprietates vtriusque liquoris ad similitudinem rei, & proportionem requisitam ad significandum visibiliter effectum inuisibilem Sacramenti. Fabianus & Cyprianus dicunt hanc mixturam esse diuinæ institutionis: ergo nullum est fundamentum asserendi confectionem balsami esse tantùm præcepti, & non ex necessitate Sacramenti.

26 *Confirmatio ex propria significatione chrismatis. Suppositio ex dictis.*

Confirmatur, chrisma non denotat aliud, quàm dictam mixturam ex vsu Patrum, & Pontificum: neque enim prædicti, quos citauimus, aliter loquuntur de chrismate, quàm dicunt necessariò esse ex oleo, & balsamo, nisi prout traditio habet semper consecuta: neque alij Patres, qui in specie non exprimunt mixtionem hanc balsami, aliter intendunt materiam Sacramenti, quàm fuerit in vsu Ecclesiæ, secundùm primæuam traditionem, & institutionem Sacramenti; quando dicunt chrisma esse materiam Sacramenti, & à solo Episcopo confici debere, & illo confirmare.

Sic ergo argumentor ex forma ipsius Sacramenti, quæ non potest denotare nisi materiam per se, & essentialem Sacramenti ex institutione Christi, sed forma expressè denotat chrisma, *Confirmo te chrismate salutis*, &c. ergo chrisma, vt est compositio olei, & balsami, est per se materia necessaria huius Sacramenti. Vnde meritò Concilium Colonienſe in doctrina de hoc Sacramento, negat oleum sufficere sine balsamo. Si dicas esse partem integralem. Contrà, pars integralis non requiritur ad materiam sufficientem, & essentialem, quâ positâ Sacramentum esset validum, sed materia huius Sacramenti nequit esse sufficiens nisi chrisma; chrisma autem nequit esse sine balsamo, vtrumque patet ex dictis: ergo neque veritas formæ Latinorum subsistere, nisi respectu dictæ materiæ mixtæ: sed quidquid requiritur ex parte materiæ tanquam pars eius, vt subsistat veritas formæ, est essentiale, quia forma, vt falsa, nequit determinare materiam Sacramenti, neque esse vera practicè: ergo, &c. Deinde, qui dicunt balsamũ admisceri ex necessitate præcepti diuini, eo ipso ostendunt esse materiam necessariam, sine qua nihil fieret, nam præceptum diuinum de forma, aut materia Sacramentorum respicit essentialia, verbi gratiâ, de integritate confessionis mortalium, datur præceptum diuinum, & hoc ipsum facit confessionem esse nullam, nisi fuerit integra.

*Argumentum ex veritate formæ, & significationis.*

*Responsio. Impugnatur.*

27 *Obiectio. Soluitur.*

Obiiciunt aduersarij quosdam Patres appellare materiam huius Sacramenti oleum. Respondetur etiam appellari opobalsamum ab Irenæo, & Bracharense II. *cap. 4.* dicit balsamum: intelligunt ergo Patres oleum pro confectione, & vnguento chrismatis.

*Secunda obiectio.*

Obiiciunt secundò, *cap. 1. de Sacramentis non iterandis*, vbi Pontifex rogatus, an denuò iterari deberet Confirmatio in eo, cui ex errore data fuit in oleo tantùm. Respondet non esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè est omissum. Respondetur, vel ex confessione ipsorum aduersariorum materiam illam esse dubiam, & incertam: in tali autem casu Sacramentum ex communi Doctorum iterandum esse, saltem sub conditione: nam si daretur in eo casu vnctio per balsamum solùm, aut per oleum etiam, non faceret ad propositum: quia præceptum de vnctione per Chrisma est de ipsa, vt supponitur, forma Sacramenti, vt per ipsam determinanda, quod & verba ipsius formę important; ergo si repeteretur vnctio, non repetitâ formâ, non esset sacramentalis. Intelligit ergo Pontifex non iterandam Sacramenti solemnitatem ad euitandum scandalum, sed esse supplendum priuatè, dando Sacramentum de nouo, quoad substantialia, quod alias fuit dubium, aut certè nullum. Nam idem ipse Pontifex docet materiam Sacramenti esse chrisma, vt vidimus, nempe Innocentius III. qui etiam cap. præcedente de sacra vnctione similiter loquitur de Archiepiscopo Bracharensi, quòd non fuit vnctus ex defectu chrismatis, quem fecit ordinari per Cardinalem Albanensem, assistentibus duobus aliis Episcopis: quæ vnctio fuit sacramentalis, ac proinde repetita forma; hìc tamen dicit se suppleuisse, quòd prætermissum est: ergo etiam in secundo hoc casu non intelligitur Pontifex intendere tantùm supplementum accidentale, sed substantiale: neque ex modo illo loquendi id infertur.

*Sacramẽtum diuinum est iterandum sub cõditione.*

*Responsio.*

*Explicatur Pontifex.*

*Tertia obiectio.*

Obiiciunt tertiò congruentiam, quia balsamum nequit haberi commodè ad sufficientiam, cuius vsus

vſus eſt in multis aliis: vnde Plinius docet ſolum in Iudæa naſci, & vix inueniri parum: Deus autem non voluit Sacramentum, quod commune eſt omnibus ab eiuſmodi materia dependere.

*Soluitur.* Reſpondetur hactenus ex Dei prouidentia non defuiſſe balſami copiam, vnde ex India affertur, quod licèt à Syriaco colore differt, in reliquis conuenit, & ſufficit ad materiam huius Sacramenti: vt patet ex declaratione Pauli III. & Pij IV. ſicut ad materiam conſecrationis calicis vinum in ſpecie ſufficit, licèt colore, vel aliis accidentibus, cum aliis hoc, aut illud non conueniat.

28 *Cum chriſmate ſanctificato, & hoc à miniſtro idoneo,* &c. Hanc particulam definitionis, quæ continet quartam circumſtantiam materiæ, ita explicat infrà: *Sanctificatum* (ſupple chriſma) *ſpecialiter ab Epiſcopo, vel ab alio, cui talis ſanctificatio poterit committi,* &c. Patet prima pars huius concluſionis, nempe requiri, vt chriſma ſit benedictum ab

Florent. *Requiri benedictionem.* Epiſcopo, ex Florentino: *Chriſma*, inquit, *ex oleo & balſamo per Epiſcopum benedictum*, &c. Hoc autem dicitur neceſſitate Sacramenti. Vnde Patres, & Concilia vocant *ſanctum chriſma*, vt videre eſt locis citatis. Clemens Romanus *lib. 7. conſtit. c. 13.* Laodicenum *can.* 48. Conſtantinopolitanum I. *can.* 7. Nicen. I. *ex verſione Arabica, can.* 68. Baſilius *lib. de Spiritu ſancto, cap.* 27. Tertullianus de Baptiſmo, cap. 7. *Egreſſi*, inquit, *de lauacro inungimur benedicta vnctione*, &c. Fabianus ſupra eandem benedictionem docet. Cyprianus in ſerm. de vnctione chriſmatis: *Sanctificatis*, inquit, *elementis, iam non propria natura prabet effectum, ſed virtus diuina potentius operatur*, &c. ad eandem ſanctificationem alludit, ſeu potiùs eandem aſſerit, vt neceſſariam *epiſt.* 70. in qua ex errore tum tolerato in Africa, ſeu quæſtioni, & interrogationi ſubiecto, negat quidem apud hæreticos eſſe verum Baptiſma, aut vnctionem. Cæterùm traditionem circa olei benedictionem neceſſariam ſupponit: *Vngi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum qui baptizatus ſit, vt accepto chriſmate, id eſt, vnctione eſſe vnctos Dei, & habere in ſe gratiam Chriſti poſſit. Porrò autem Euchariſtia, & vnde baptizati vnguntur, oleum in altari ſanctificatur: ſanctificare autem non potuit olei creaturam, qui nec altare habuit, nec Eccleſiam. Vnde nec vnctio ſpiritalis apud hæreticos poteſt eſſe, quando conſtet oleum ſanctificari, & Euchariſtiam fieri apud illos omnino non poſſe*, &c.

29 Qui locus eſt clariſſimus, colligit enim Cyprianus, ex eo, quòd neceſſum ſit oleum chriſmatis in altari ſanctificari, ſicut & Euchariſtiam: apud hæreticos non eſſe veram vnctionem, quia non poſſunt ſanctificare chriſma. Hanc eandem comparationem ſanctificationis olei ad conſecrationem Euchariſtiæ in altari facit Cyrillus Ieroſolymitanus in Catecheſi 3. myſtagogica: ibidem etiam appellat *oleum exorcizatum*, ſeu exorciſmis ſanctificatum.

Hoc ipſum ſpectat ad confectionem, & renouationem chriſmatis in Paſchate, quam fieri debere, docet ex traditione Apoſtolica Fabianus Carthag. IV. *cap.* 36. idem ſupponit, ſicut & Cyprianus *ſerm. de vnctione.* Concil. Vaſenſe *cap.* 3. Toletanum I. *cap.* 12. *cap. Omni tempore, de conſecrat. diſt.* 4. *cap. Quoniam, de ſententia excommunicationis, in* 6.

*Benedictionē eſſe ſibere Epiſcopalem.* Benedictionem verò eſſe oportere Epiſcopalem docet Synodus Romana ſub Syluestro cap. Toletanum I. *cap.* 20. Carthaginen. II. *cap.* 2. Carthaginen. III. *cap.* 36. Hiſpalen. II. *cap.* 7. Damaſus Papa *epiſt.* 4. *de* C. Epiſcopis. Innocentius I. *in epiſt. ad Decentium Eugubinum cap.* 3. Leo I. *epiſt.* 88. Ioannes III. *epiſt. ad Epiſcopos Germaniæ & Galliæ.* Hinc reiicienda eſt ſententia Paludani *in hac diſt. quæſt.* 1. & 4. qui negat benedictionem chriſmatis neceſſitare Sacramenti præmitti. Contrarium enim patet ex communi Theologorum, & hoc eſſe diuinæ inſtitutionis colligitur ex dictis. Congruitatem autem talis inſtitutionis ſubiicit infrà Doctor *reſponſione ad* 2. *obiectionem.* Reiicitur etiam Caietanus 3. *part. quæſt.* 72. *art.* 4. aſſerens benedictionem præmiſſam à ſimplici Sacerdote ſufficere: quæ ſententia eſt ſingularis. Vnde vt dictis adiiciam authoritatem Dionyſij de Eccleſiaſt. hierarchia, cap. 5. *Diuina*, inquit, *inſtitutio ſacram hierarchicorum ordinum cæremoniam, diuinique vnguenti confectionem, atque ſanctam altaris conſecrationem diuinorum Pontificum efficacibus facultatibus ſingulari munere attribuit*, &c.

Miniſtrum ergo huius ſanctificationis rectè conſtituit Doctor Epiſcopum tanquam ordinarium: an verò committi poſſit Sacerdoti ex delegatione, non videtur mihi aſſerere, neque etiam negare, ſed ex ſuppoſitione, quòd id committi poſſit ad complementum definitionis comprehendere: vnde in Reportatis hac eadem diſtinctione: *Sanctificatum*, inquit, *ſanctificatione Epiſcopali communiter.* Cæterùm aliqui eum pro parte affirmatiua citant, neque litera omnino repugnat: quamuis de illa commiſſione non diſſerat, ſicut de commiſſione ipſius miniſterij vnctionis, quæ fieri poſſet per delegationem Summi Pontificis, vt videbimus. 30

Ledeſma *1. part. 4. quæſt. 13. art. 3.* putat ſolum Epiſcopum hanc delegationem facere. Sed hoc nullâ ratione fundatur; nam hic actus diuinâ inſtitutione competit ſolis Epiſcopis ſaltem ordinariè, & prohibitio excludit Sacerdotes; eſt enim actus Ordinis: diſpenſare autem in hoc iure non ſpectat ad Epiſcopum, ſed ad Romanum Pontificem, ſeu Concilium ab eo approbatum; & neceſſitas quæ ſupponitur, vt cauſa diſpenſationis, non poteſt cadere in diſtrictum vnius Epiſcopatus; nam facilis eſt recurſus ad ipſum Epiſcopum ſemel in anno: requiritur ergo neceſſitas alicuius Prouinciæ, aut regni ad minimum, ex defectu Epiſcoporum.

*Sententia Le. deſma impugnatur.*

*Non poſſe Epiſcopum delegare benedictionē chriſmatis Sacerdoti.*

Et quamuis aliqui putant benedictionem chriſmatis, quo vnguntur in vertice baptizati, poſſe committi ab Epiſcopo Sacerdoti, quia hoc tantùm cæremoniale eſt. Hoc ipſum etiam nunc, neque olim fortè committi non potuit Sacerdoti ex authoritate priuata, quia hoc ipſum chriſma ex communi conſenſu Patrum, & Conciliorum, ac Pontificum, ſpectat ad munus Epiſcopale benedicere, ex communi conſuetudine Eccleſiæ, & ex traditione Apoſtolica emanauit talis vnctio, & benedictio chriſmatis, vt patet ex Dionyſio, Cyrillo *Catecheſi* 2. Concilio Vaſenſi, & Brachareſi II. cap. 37. *Item placuit, ſi quis Preſbyter poſt hoc interdictum auſus fuerit chriſma benedicere, deponatur: nam antiqui hoc canones vetuerunt*, &c. Sed nequit Epiſcopus diſpenſare in lege vniuerſali totius Eccleſiæ, aut Summorum Pontificum, aut etiam cæremonias ab Eccleſia ſtatutas, & approbatas mutare ex Trident. *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere can.* 13. Sed quid ſi fiat? Reſpondetur chriſma non benedici, neque eſſe idoneum ad ritus baptiſma-

*Chriſmatis benedictio Epiſcopo reſeruatur.*

*Cæremonia. vniuerſales non ſubſunt Epiſcopo.*

Trident.

ies,

les, quia hæc benedictio supponit authoritatem, quam non potest delegare Episcopus.

31 *Pontificis delegatio valida est.*

Summum tamen Pontificem per se, aut alium suo nomine delegare posse hanc facultatem consecrandi chrismatis, docent Caietanus, vt Victoria in Summa de hoc Sacramento: probabilem etiam docet Suarez *sect.2.in fine*, neque repugnat Soto:& id insinuat ad minimum Doctor, vt quæ sustineri possit: quoniam in calce quæstionis citat modum dicendi aliquorum, qui ita interpretantur dispensationem Gregorij Papæ,de qua infrà:vt putent eum constituisse singulos, quibus cum dispensauit quoad illum actum, Episcopos, hoc dando potuerunt consecrare chrisma, dicendo,non esse differentiam inter Episcopum, & Sacerdotem,nisi ratione potestatis, & non ratione characteris.

Sed quidquid de hoc sit, probari potest illa sententia:non magis declarant Patres, & canones ex institutione diuina, hanc potestatem consecrandi chrisma esse penes Episcopos solos,quàm ipsum ministerium Sacramenti, sed ministerium ipsum delegari potest,vt infrà videbitur: ergo & consecratio chrismatis. Antecedens patet, quia consecratio chrismatis est propter vsum eius in Sacramento; ideóque hic est altior, quia immediatiùs accedit ad sanctificationem, & effectum Sacramenti, cùm benedictio olei sit tantùm dispositio, & dedicatio materiæ.

*Sicut Sacramenti ministerium, ita & consecratio chrismatis potest delegari.*

32 *Secúda ratio.*

*Potestas dispensandi in fine includit medium.*

Secundò potestas dispensandi, seu delegandi facultatem ministrandi Sacramentum, includit potestatem etiam dispensandi, & delegandi facultatem benedicendi chrisma, sicut potestas finem includit potestatem in medium: casus enim esse potest,vt non possit haberi recursus quotannis ad Episcopum, vel certè fortè multis annis: ergo motiuum etiam dispensandi, quod est profectus populi:& necessitas Sacramenti,eo modo, quo necessarium est,perinde respicit potestatem delegandi,vtrumque ministerium.

*Tertia ratio.*

Tertiò, ministerium Sacramenti magis est determinatum diuinâ institutione,quantùm ad materiam,& formam, & ministrum, quàm benedictio chrismatis, quia hæc non habet determinatam formam,aut ritum, nisi ab ipsa Ecclesia, & diuersa est secundùm diuersum ritum Ecclesiarum: ergo magis congruit potestatem esse in Ecclesia delegandi hanc facultatem, quàm alteram, quæ est superioris Ordinis,& magis determinata, vt patet:quia materia,& forma determinata sunt à Christo, sicut & minister ordinarius, nempe Apostoli,& eorum successores,vt prædicti Patres & Concilia dicunt, & colligitur ex *Actis cap.* 8. & 19. sed quantò magis est quidpiam determinatum iure diuino, tantò minùs cadit sub potestate Ecclesiæ: ergo cùm determinatio benedictionis quantùm ad formam, & ritum subsit Ecclesiæ, magis potest eam delegare, quàm ipsum ministerium Sacramenti,quod delegare potest.

*Quod magis recedit à diuino iure, & institutione, magis subest Ecclesiæ.*

33 *Confirmatio.*

Confirmatur, quia si Ecclesiæ esset delegata potestas instituendi Sacramenta, Sacramentum esset simpliciter quantùm ad institutionem,& destitutionem rei sensibilis,in eius potestate: nunc autem idcò non est sub potestate Ecclesiæ, quia illa institutio non fuit ei concessa, sed ritus Sacramentorum, qualis est illa benedictio dicta, sunt simpliciter in potestate Ecclesiæ,ex Trident. sess.21. cap.2. vbi declarat, *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salua eorum substantia statuere, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration*i, &c. magis expedire iudicaret. Hoc autem vnum ex illis esse potest pro rerum, temporum, & locorum varietate; vt patet: quia necessitas, quæ sufficit ad delegationem ministerij, sufficit etiam ad delegationem facultatis benedicendi, quam benedictionem ipsa Ecclesia mutare potest, quantùm ad formam, & ritum: ergo,&c.

Dices requiri ex diuina institutione, vt benedictio fiat ab Episcopo,licèt forma,& ritus benedicendi subsit Ecclesiæ. Contrà, ideò benedictio spectat de congruitate diuinæ institutionis ad Episcopum, quia ministerium spectat ad ipsum, tanquam ad hierarcham,& ministrum: sed etiam tenendo hanc facultatem, etiam ex diuina institutione, dispensante in ea Ecclesia transire ad Sacerdotem; ita etiam interpretari debet diuina institutio, quantùm ad ministerium benedictionis similiter, vt committi possit tanquam accessoria, cùm eiusdem potentiæ sit disponere materiam, cuius est inducere formam proximè.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Quartò,non est fundamentum, vnde negetur hæc facultas non posse committi, nisi quia canones aliquot,vt citati,id prohibent;quia nempe spectat ad Episcopum, sed non solùm id afferunt de confectione chrismatis,sed etiam de eius ministerio in Sacramento,vt dictum est: sed hoc recipit interpretationem ex Florentino, & ex facto Pontificum,vt canones prædicti prohibentes, vel asserentes non licere ministrari chrisma à Sacerdotibus, intelligantur secundùm facultatem, quam habet minister ordinarius, & non in casu dispensationis, & delegationis per Ecclesiam factam:ergo etiam possunt sic commodè intelligi, quantùm ad propositum.

34 *Quarta ratio.*

*Canones non obstant.*

Accedit etiam,quòd consecrationem altarium, & Ecclesiarum eodem modo prohibent canones fieri à non Episcopo, quæ prohibitio etiam fundatur in iure diuino, & non solùm Ecclesiastico, vt seruetur debitus ordo hierarchicus,dependentia, & debita subiectio Presbyteri ad Episcopum, vt D.Dionysius in prædicto cap.5.insinuat: *Præcipuè verò*,inquit,*huic ordini hierarchico, præ cæteris ordinibus, diuina lex diuiniores cæremonias assignauit. Quocirca diuina lex sacram hierarchicorum ordinum cæremoniam*(id est,ordinationem)*diuinique vnguenti confectionem, atque sanctam altaris consecrationem diuinorum Pontificum efficacibus facultatibus singulari munere attribuit*, &c. tamen consecratio altarium potest delegari: ergo etiam confectio chrismatis delegari potest: nisi ostendatur ratio specialis, sicut potest esse in ministerio ordinum,seu eorum collatione.

Vltimò tandem non leue fundamentum dispensationis aliquando factæ, desumi potest ex Toletano I. cap.20.*In aliquibus locis, vel prouinciis Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma conficere*, &c. & Bracharen. I. citatum, & Hispalense I I. Respondent aliqui hæc Concilia factum non approbare, sed potiùs reprehendere: quia prohibent. Contrà, eo ipso quòd factum irritum fuisse non declarent,neque repetendam esse Confirmationem factam ex tali chrismate,videntur supponere cum legitima primùm authoritate fuisse inductam consuetudinem, quam deinceps abrogant. Nec obstat quod dicit Florentinum aliquando ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem

35 *Quinta ratio.*

*Concessio facta aliquando.*

*Responsio impugnatur.*

cem Sacerdotem illud miniſtraſſe (ſupple Sacramentum Cõfirmationis) ſed ex chriſmate ab Epiſcopo conſecrato. Reſpondetur hoc non probare, quin committi poſſet facultas conficiendi chriſmatis, licèt non fuerit à Sede Apoſtolica tum conceſſa, quia non expedit extendere conceſſionem contra iura, niſi inquantùm cauſa eam exigit extendi: non requiritur autem extendi in eo caſu, ad quem alludit Pontifex, qui eſt Gregorij Papæ ad Presbyteros in Sardinia, quia hi de facili ex vrbe, aut ab aliis locis vicinis potuerunt chriſma conſecratum quotannis habere.

36 e *Et hoc à miniſtro idoneo*, &c. Hanc particulam ipſe Doctor explicat: *Miniſter*, inquit, *eſt Epiſcopus, vel alius, cui committi poterit, ideò dicitur in generali à miniſtro idoneo*, &c. Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium huius Sacramenti docet infrà *diſt.* 24. *queſt. vnica*, éſtque cum hac limitatione definitum in Florentino, & in Tridentino *ſeſſ.* 7. *can.* 3. *& ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *can.* 7. vbi dicitur poteſtatem conferendi Confirmationem, & Ordines ſacros pertinere ad Epiſcopos, ex proprio gradu, & ordinatione, qui præcipuè ad ordinem hierarchicum Eccleſiæ ſpectant. Patet ex iam citatis Clemente, Dionyſio, Euſebio Papa epiſt. 3. Melchiade, Innocentio, Leone, Gelaſio, Cypriano *epiſt.* 73. Chryſoſtomo *homil.* 18. *in Acta*. Et ne repetamus denuò, quæ dicta ſunt, videantur Patres, quos citauimus, vel probando requiri benedictionem chriſmatis Epiſcopalem, vel Confirmationem eſſe Sacramentum, & ſpecialiter illa decreta, quibus negatur hæc facultas eſſe penes Sacerdotes, & reſeruari Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus ex *Act.* 8. *&* 19. vbi interpretes.

*Error VVitcleſi, & Armachani.*

Hinc excluditur error VVitcleſi, aſſerentis omnem Sacerdotem eſſe miniſtrum Confirmationis ſufficientem, in eundem incidit Armachanus *lib.* 11. *de quæſtionibus Armenorum, cap.* 4, & rem dubiam cenſet Durandus *hac diſt. queſt.* 3. Noſtrum Doctorem etiam in eandem ſententiam adducit Suarez *diſt.* 36. *ſect.* 2. Sed ferè idem, inquit, ſentit Scotus. Econtrà Sotus in contrariam ita diuellit, vt ne ex diſpenſatione etiam dicat poſſe Sacerdoti ſimplici hoc miniſterium conuenire: vterque magis inuenit quod adiiceret Doctori, quàm quod ex illo referret.

37 Reſolutio enim Doctoris in hac quæſtione continetur in ſola definitione aſſignata, & eius explicatione ſubiecta: opponit autem tres rationes, ad quas ſuo ordine reſpondet, iuxta diuerſum modum dicendi aliorum. In reſponſione autem ad tertiam obiectionem iuxta fundamenta eius diſſerit, & non reſoluit illam difficultatem. An Epiſcopatus ſit Ordo diuerſus à presbyteratu: reſeruando diſcuſſionem eius ad ſuum locum proprium infrà *diſt.* 24. vnde non aſſertiuè, ſed ex ſuppoſitione illius modi dicendi diſcurrit ad ſolutionem obiectioni conformem: *Et ſi iſtud*, inquit, *eſt verum*, &c. nempe diſtinctionem non eſſe inter Presbyterum, & Epiſcopum: iterum infrà: *quod ſi verum eſt*, &c. non eſſe autem veram dictam opinionem ipſe infrà *diſt.* 24. docet. Sed de hoc agendum erit in corpore quæſtionis.

*Doctrem nõ eſſe in illa ſententia.*

38 Interim obiiciunt Armeni illa loca ex Actis nihil concludere, potiſſimum primum locum; quia Philippus fuit non ſolùm Diaconus, ſed & Apoſtolus, qui potuit confirmare, ſicut & cæteri: tamen miſſus eſt ad Eunuchum Candacis Reginæ, vt ei prædicaret Chriſtum, & eum baptizaret. Reſpondetur eum ſolùm fuiſſe Diaconum, vt tenent Chryſoſtomus, Rabanus, Beda in illum locum, & Hieronymus *in dial. contra Luciferianos.* Anacletus *in epiſt. decretali.* Innocentius *in epiſt.* ad Alexandrum: vnde ab Epiphanio connumeratur inter 72. diſcipulos. Et dicta ratio infirmatur, quia ex textu ſatis ſupponitur Philippus, adhuc fuiſſe in Samaria, quando fuerunt confirmati credentes baptizati per Apoſtolos, & mox admonitum à Spiritu ſancto, vt veniret in occurſum dicti Eunuchi.

*Philippum fuiſſe Diaconum tantùm.*

Obiicit ſecundò Armachanus 1. ad Timoth. 4. 39
*Noli contemnere gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum Presbyteri.* Reſpondetur Timotheum fuiſſe Epiſcopum, ex cap. 3. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe*, &c. ideóque plerique interpretes illud Apocalypſis 2. *& Angelo Epheſi*, &c. Intelligi de Timotheo dicunt, & per ſeptem Angelos dictarum Eccleſiarum intelligi Epiſcopos ordinatos in ipſis. Obiicit præterea *Actor.* 9. Paulum fuiſſe ab Anania confirmatum, qui ei manus impoſuit, eúmque baptizauit. Reſpondetur illam manus impoſitionem intelligi de gratia curationis, ſeu gratis data, facta enim fuit ante Baptiſmum, neque alioquin ſigna Confirmationis viſibilia ibidem refertur accepiſſe Paulum, nempe loqui variis linguis, ſed tantùm recepiſſe viſum.

*Timoth. fuit Epiſcopus.*

*Manus impoſitio facta ab Anania fuit curatiua.*

Obiicit tertiò, plures canones Toletan. I. *c.* 20. 40
vbi ſtatuitur Diaconum nullo modo chriſmare poſſe, ſed Epiſcopi in abſentia Presbyterum, vel in eius præſentia de iuſſu Epiſcopi. Huc ſpectat *canon.* 2. primi Arauſ. vbi in abſentia Epiſcopi tribuitur Sacerdotibus ius reconciliandi hæreticos, in mortis diſcrimine poſitos, cum chriſmate, & benedictione conſignari. Sic Innocentius I. *epiſt.* 1. *cap.* 6. vbi dicit Epiſcopum poſſe dare licentiam Presbytero imponendi manus, & ſignandi Catechumenos: & *cap. Omni tempore, diſt.* 4. *Presbyter præſente Epiſcopo non ſignet infantes, niſi fortè ab Epiſcopo fuerit illi præceptum*: & *cap. Presbyter, diſt.* 95. Ambroſius *lib.* 3. *de Sacramentis*, *cap.* 2. dicit, *Spiritum ſanctum, & ſignaculum dari ad inuocationem Sacerdotis.* Ignatius *epiſt.* 13. manus impoſitionem inter munera Sacerdotis ſtatuit.

Reſpondet Suarez, Bellarminus, & alij dictos canones referri ad quædam ſacramentalia, ſeu ritus, non autem ad miniſterium Sacramenti. Toletanum ergo intelligitur de vnctione in vertice, quæ fieri ſolet in Eccleſia Latina. Cæterùm hæc ſolutio non placet, quia & Diaconus ſolemni ritu baptizare poteſt ex commiſſione Epiſcopi in abſentia Presbyteri, & conſequenter adhibere chriſma cæremoniale, ſeu vnctionem in capite. Vnde Hieronymus in dialogis contra Luciferianos, *Eccleſia*, inquit, *ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes: inde venit vt ſine chriſmate, & Epiſcopi iuſſione neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi*, &c. ergo ſupponit Diaconum ius poſſe habere baptizandi ab Epiſcopo, non tamen ſine chriſmate, nempe in Baptiſmo ſolemni, quem intendit Hieronymus: & infrà idem docet: Et extra dubium eſt Diaconum baptizantem ſolemniter debere obſeruare ritus; nunquam tamen licuit ſic baptizare ſecundùm Hieronymum ſine chriſmate. Aduertendum inſuper eſt, baptizandum non vngi chriſmate ante, ſed poſt Baptiſmum, in vertice, ante autem Baptiſmum vngitur oleo benedicto. Ex quo ſequitur illam fuiſſe in vſu Diaconis ex Hieronymo, idque congruè, cùm munus

*Reſponſio Bellarmini, & Suarez.*

*Solutio illa impugnatur.*

*Chriſma rituale à Diacono miniſtrabatur.*

munus baptizandi illis solemniter delegari consueuit in absentia aliorum ministrorum ; ita etiam & potestas vtendi ritibus ab Ecclesia ordinatis, committi potuit, & debuit: non videtur ergo illa responsio facere ad intentum Canonis.

41 *Responsio ad Canonem Arausicani.* Ad Canonem Arausicani idem respondet dicendo non posse intelligi de hoc Sacramento; alioquin, inquit, non fuisset limitandum ad solos hæreticos ; sed maiori ratione extendendum ad omnes fideles, in mortis discrimine positos, quando non adest Episcopus, qui eos confirmaret. Concilium ergo loquitur specialiter de hæreticis, quia non agit de Sacramento Confirmationis, sed de reconciliatione solenni, quâ olim ad gremium Ecclesiæ recipiebantur in quibusdam Prouinciis, cum quadam vnctione, seu consignatione chrismatis.

*Reijcitur dicta responsio.* Hæc responsio longè deuiat à scopo Canonis; nam talem vnctionem adhiberi pro reconciliatione hæreticorum non inuenitur in actis Ecclesiasticis, neque videtur magnam habere virtutem, aut proportionem ad aliquam significationem mysticam: siue enim hæretici vsum chrismandi merè cæremonialem adhibuerint in Baptismo, siue non, Canones statuunt ipsos non esse rebaptizandos, vel Baptismum non esse in eis innouandum; quod comprehendit etiam ea, quæ in Baptismo, secundùm ritum baptizandi adhiberi solebant. Si autem alludat ad Canones, quibus præscribitur recipiendos esse hæreticos cum vnctione chrismatis, non est dubium idipsum significare hunc Canonem Arausicani: sed ritus ille non intelligitur de chrismatione cæremoniali ; sed sacramentali, qua conferebatur Confirmatio hæreticis, qui antea vsum eius non habuerunt, vt constat *ex can. 31.* Concilij I. Niceni ex editione Pisani, & Turriani ; *ex can. 7.* Concilij I. Constantinopolitani ; idem habet Laodicenum *cap. 7.* Arelatense I. sub Syluestro *can. 8.* & Arelatense II. *cap. 17.* quæ nullo modo intelligi possunt de alia chrismatione, quàm de illa, in qua datur Spiritus in Confirmatione.

*Canones intelligūt chrismationem sacramẽtalem, & non cæremonialem.*

42 Leo Papa. Vnde Leo Pontifex *epist. 35.* baptizatum ab hæreticis dicit non esse rebaptizandum, sed ei hoc esse conferendum, quod ibidem defuit, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem sancti Spiritus consequatur : & Gregorius lib. 9. epist. epistola 61. *Arianos*, inquit, *per manus impositionem Occidens, per vnctionem verò sancti chrismatis ad ingressum sanctæ Ecclesiæ Oriens reformat*, &c. Per *impositionem manus*, intelligit non Confirmationem, sed manus reconciliatrices per absolutionem, vt intelligit Glossa *de consecrat. dist. 4. cap. Arianos*, &c. quia distinguit Gregorius à chrismatione manus impositionem, tanquam diuersum ritum. Manifestum autem est per vnctionem chrismatis intelligi Sacramentum Confirmationis ; vt patet ex Canone præcitato Concilij Constantinopolitani : *Recipimus*, inquit, *obsignandos* (supple hæreticos quos memorat) *siue vngendos primum sancto chrismate & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, & eos signantes dicimus signaculum donationis Spiritus sancti*, &c. qui est ritus confirmandi ex Cyrillo suprà citato, & Arelatense I. *Si peruiderint*, inquit, *in Patre, & Filio, & Spiritu sancto eos fuisse baptizatos* (supple Arianos) *manus tantùm eis imponatur, vt accipiant Spiritum sanctum.* Et Arelaten. II. loquens de eisdem, & Bonasianis ritè, & ad inuocationem Trinitatis baptizatis, *Cum chrismate, inquit, & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit*, &c.

*Gregor. Modus reconciliādi Arianos.*

*Glossa.*

*Cyrillus.*

*Arelatense Concilium.*

Respondetur ergo præmissos Canones intelligendos esse de signatione, & chrismate sacramentali, quod conferre potuerunt Sacerdotes, & conferebant dispensatiuè, non solùm in Ecclesia Orientali, in qua ille mos etiamnum durat, sed etiam in aliquibus partibus Ecclesiæ Occidentalis : vt in sequentibus dicemus : hoc autem non tollit, quin Episcopus sit minister ordinarius necessitate Sacramenti. Huc etiã spectat Canon ille citatus *Presbyter:* qui, vt rectè adnotauit Suarez contra Sotum, est Martini Bracharensis, non Martini I. in Concilio Romano. Cæterùm malè ipse Suarez confundit illum cum Canone : *omni tempore*, quia in editione Martini Bracharensis diuersi sunt: nam primus est *canon 52.* alter verò *canon 51.* sed, vt credo, ideò confundit vtrumque, quo intelligatur, vt ipse vult cum Soto. Intelligi tantùm, vnctionem cæremonialem in vertice præscribi, in vtroque loco, siue vnus, siue sit canon diuersus : sed neque in vno, neque in altero assequitur intellectum canonum : quia reuera, vt dixi, diuersi sunt illi Canones in editione Bracharensis, seu collectis eius, & diuersa præscribunt. Vtrumque autem desumpsit ex Toletano I. *can. 20.* in quo, prout suprà notauimus dubio super commissione potestatis benedicendi chrisma, primum dicitur penè vbique obseruatum esse, vt absque Episcopo chrisma nemo conficiat: deinde vsus contrarium aliquorum locorum, & Prouinciarum, in quibus Presbyteri chrisma conficiebant : tertiò inhibitio illius vsus : *Placuit*, inquit, *ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma conficere, & per diœcesim destinare, ita vt de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante diem Paschæ Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, qui confectum chrisma ab Episcopo destinatum ad diem Paschæ possint ad tempus deferre :* deinde subdit quartò, quòd liceat Episcopo omni tempore chrisma conficere : quintò *sine conscientia Episcopi nihil penitus Presbyteri agere præsumant.* Sextò statutum verò est Diaconum non chrismare, sed Presbyterum absente Episcopo ; præsente verò, non nisi ab Episcopo fuerit præceptum.

43 *Verus sensus Canonum.*

*Canon Toletani trãscriptus à Martino Bracharensi.*

*Discernitur in sua membra.*

Ex tribus ergo primis clausulis Canonis constat sermonem esse de confectione chrismatis, & eiusdem benedictione: quarta clausula potest referri ad idem, & etiam ad ipsum ministerium, siue vnctionem in fronte, sicut & sequentia : quia, vt ex Hieronymo ostendimus, licebat etiam Diaconis, sicut ex licentia solemniter baptizare, ita vngere chrismate in vertice; nunquam autem licuit ipsis cõfirmare. Oportet ergo hîc intelligi chrismare in eo sensu, quo nunquam licuit Diacono chrismare, aut licuit iure diuino vetante. Ad reliquos benè respondet præfatus Author, & Soto.

44

Ex his intelligitur ex parte, quid dicendum sit ad illud, quod Doctor asserit, nempe posse ex dispensatione Sacerdotem dare confirmationem ; quod docet etiam Alensis *4. part. quæst. 18. m. 1. art. 3. §. 2.* D. Thomas *3. part. quæst. 72. art. 11. & in 4. dist. 7.* vbi reliqui Scholastici & Summistæ verbo *Confirmatio*. Nauarrus in manuali *c. 22.* Couarruuias *lib. 1. variarum, cap. 10.* & Canonistæ communiter. Aliqui tamen ad extrema procedunt dicentes, si ex diuina institutione Episcopus est minister huius Sacramenti, nullâ ratione potestatem esse in Ecclesia delegandi ministerium alteri; & in hoc videtur Durandus, & Caietanus suprà citati inclinare. Alij verò econtra dicunt,

*Sacerdotem posse ex dispẽsatione confirmare.*

Alensis.

D. Thom.

Nauarrus.

Couar.

*Sententia negantium.*

Durand.

Caietan.

cunt, quòd hanc poteſtatem poſſit Eccleſia committere inferioribus clericis, & Diaconis, & Subdiaconis, quin etiam laicis, modò ſint confirmati: ita Panormitanus *in cap. Extra. de conſuetudine*, citatur; & Summa Angelica referens Innocentium, & Gloſſam *in cap. Manus, de conſecrat. diſt. 5.* rectè hanc opinionem reiiciunt communiter Authores: & patet eius falſitas ex iis, quæ hactenus in hac quæſtione citata ſunt.

*Sententia Panormitani.*

45 Probatur ergo ſententia communis, in qua non eſt dubius noſter Doctor, vt patet ex verbis allegatis, neque etiam obſcurus, vt dicit Suarez, neque etiam contrarius, vt dicit Soto: *Miniſter*, inquit, *eſt Epiſcopus, vel alius cui committi poſſet*, &c. vbi denotat miniſtrum ordinarium eſſe Epiſcopum, extraordinarium verò eum, cui committi poſſet, nempe Sacerdotem.

In primis id patet, ex Canonibus citatis, fuiſſe olim in vſu, & etiamnum retineri à Græcis latè probat Petrus Arcudius *lib. 2. de Confirmatione, cap. 14. 15. & 16.* & inter quæſtiunculas propoſitas Græcis, in Concilio Florentino numero vndecim, hæc fuit in ordine ſexta; *quare Pontifices non inungant ſacro chriſmate, ſed Sacerdotes? cùm hoc Pontificibus ſit datum*: addit autem in fine Concilium: *Hæc à Latinis obiecta Mitilenenſis Præſul legitimè, ac ſecundùm canones omnia diſſoluit, præterquam duo, videlicet ſeparationem matrimonij, & creationem Patriarchæ extra Conſtantinopolim*, &c. Hinc conſtat reſponſionem eius fuiſſe à Latinis acceptatam.

*Arcudius.*

Et Gregorius Protoſyncellus, qui interfuit, & ſubſcripſit Concilio, ſcribens mox contra epiſtolam Marci Epheſij de eodem argumento agit: *Latini*, inquit, *noſtros vngebant, & chriſmatos appellabant: quòd verò non ſecundum rectam rationem iſta fierent, manifeſtum eſt: etenim cùm iniremus concordiam, nullam rationem contra nos afferre poterant; ſed cùm orthodoxi eſſemus, & rectè ſentiremus, ab orthodoxis orthodoxi iudicati ſumus*, &c.

*Gregor. Protoſyncellus.*

46 Ad hunc ritum, ſeu conſuetudinem videtur alludere Hieronymus in dialogis contra Luciferianos, vbi dicit, *Non ad legis neceſſitatem, ſed ad Sacerdotij honorem pertinere, quòd baptizati deferantur ad Epiſcopos, vt illis manus imponant*, &c. Fortè intendit conſuetudinẽ inſinuare Eccleſiæ Orientalis, in qua vidit ab Epiſcopis rarò, aut nunquam Confirmationis Sacramentum miniſtrari, quod confertur ſimul cum Baptiſmo, qui à ſolis Sacerdotibus miniſtratur: vnde Author quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti *q. 101. in Alexandria*, inquit, *& per totã Ægyptum, ſi deſit Epiſcopus, conſignat Preſbyter*, &c. Hęc autem conſuetudo, retento illo priori ritu, quo Confirmatio ſimul cum Baptiſmo dabatur infantibus, aut aliis baptizatis, qui fuit antiquiſſimus, neceſſaria fuit: nam ſoli Epiſcopi non poterant ſufficere baptizãdis, neque proinde etiam Cõfirmationi dandæ, ſi ſimul cum Baptiſmo ex vſu dari debuit: vnde mihi perſuadeo hanc fuiſſe originem illius diſpenſationis factæ ab initio, cum Sacerdotibus in Eccleſia Orientali, quæ vt plurimùm conueniebat in ritu.

*Hieron.*

*Author quæſtionum veteris, & noui Teſtamenti.*

*Ritus baptizandi, & cõfirmãdi ſimul.*

Prædictum autem ritum docet Dionyſius de Eccleſiaſtica hierarchia cap. 5. *Etſi enim à Sacerdotibus quadam ex Symbolis venerabione dignis perficiantur, verùm nunquam Deificam generationem*, (id eſt, Baptiſmum) *Sacerdos ſine diuino vnguento peraget, nec diuinæ communionis Sacramenta perficiet antequam Symbola communicatiua in diuinum altare impoſuerit*, &c. Eũndem ritum tradit Clemens Romanus *lib. 7. conſtitut. cap. 23. & epiſt. 4.* Synodus Laodicena *can. 48.* Cyrill. Ieroſolymitanus Catecheſi 3. *Et nobis*, inquit, *poſtquam ex aquis ſacri lauacri aſcendimus datum eſt chriſma*, &c. Nazianzen. *orat. 40.* Chryſoſtom. *hom. 2. in ad Coloſſenſes* 2. Cyrillus Alexandrinus *ad cap. 55. Iſaiæ.* Theodoretus *in Cantic. c. 1.* Damaſcenus *lib. 4. fidei orthodoxæ, c. 10.* & communiter Patres Græci: ex Latinis Tertullianus *de Baptiſmo, c. 7.* Cyprianus *epiſt. 70.* atque neceſſitas huius ritus magis vrgebat in primitiua Eccleſia ob perſecutionem, & pericula fidei, quæ erat ſufficiens ratio huius diſpenſationis: quem ritum deinceps Eccleſia Orientalis retinuit.

*Dionyſ.*

*Clem. Rom. Synodus Laod Cyrillus.*

*Nazianzen. Chryſoſt. Cyrill. Alex. Theodoret. Damaſc. Tertullian. Cyprian.*

Data autem hac obſeruãtia ritus, vel multi decederent ſine Confirmatione, & Baptiſmo, ſi ſimul ea dari oporteret, & ab Epiſcopo ſolo Confirmatio: videtur ergo in hoc ritu fundata prædicta conſuetudo, vel ad eum reduci ſaltem commodè poſſe, cùm alia nõ occurrat certa eius origo. In Eccleſia autem Latina, quia non ſimul dantur duo hæc Sacramenta; ſed Sacramentũ Confirmationis à ſolo Epiſcopo, atque vt plurimùm iis, qui per ſe reſpondere poſſunt, & ſunt capaces rationis, ideò non eſt vlla neceſſitas delegandi poteſtatem Sacerdotibus confirmandi chriſmatis.

*Cur à Sacerdotibus in Orientali Eccleſia datus chriſma.*

47 Cæterùm in Eccleſia Latina hic ritus etiam fuit obſeruatus, vt patet ex Tertulliano, & Cypriano citatis ex epiſt. etiã Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum, quæ eſt apud Euſebium *lib. 6. c. 35.* ex Vrbano I. *epiſt. ad orthodoxos*; qui mos abrogatus eſt à poſterioribus, maximè à Syluestro, datâ pace Eccleſiæ, vt in vita eius habetur, & pro chriſmate Confirmationis, quæ ſimul cũ Baptiſmo dabatur, ſubſtituit vt Presbyter liniret verticem baptizati; & vt docet Rabanus *lib. 1. de inſtitut. clericorum, c. 28.* Hugo de S. Victore *lib. 2. de Sacramentis part. 7. c. 3.* Verum eſt anteriores Pontifices explicuiſſe id, quod erat iuris diuini deminiſtro ordinario huius Sacramenti, & magis in vſu Eccleſiæ Occidentalis: non eſt ergo, quòd tam anxiè recurramus ad ſolam diſpenſationem factam à Gregorio; cùm & conſuetudo Eccleſiæ Orientalis approbata in Florentino, & canones ſuprà citati, potiſſimum Niceni ſub diſtinctione loquantur de Epiſcopo, vel Presbytero, modum præſcribens, quo Ariani in gremium Eccleſiæ admitti debeant cum Confirmatione, & Euchariſtia: quem modum alia Concilia poſteriora in canonibus citatis amplectuntur.

*Idem ritus quandoque viguit in Latina Eccleſia.*

*Tertullian. Cyprian. Cornelius. Vrbanus. Abrogatus à Syluestro. Rabanus. Hugo.*

Secundò, idem patet ex Gregorio, qui *lib. 5. epiſtolar. epiſt. 9.* ad Ianuarium Calaritanum prohibuit ne Sacerdotes chriſmarent in fronte. *Preſbyteri*, inquit, *baptizatos infantes ſignare in frontibus chriſmate non præſumant: ſed Preſbyteri baptizatos vngant in pectore, vt Epiſcopi poſtmodum vngere debeant in fronte*, &c. *Epiſtola* verò 26. ad eundem in fine ſic habet: *Peruenit quoque ad nos quoſdam ſcandalizatos fuiſſe, quòd Preſbyteros tangere in fronte eos, qui baptizati ſunt, prohibuimus: & nos quidem ſecundum vſum veterem Eccleſiæ noſtræ fecimus; ſed ſi omnino hac de re aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt Preſbyteri etiam in frontibus baptizatos chriſmate tangere debeant concedimus*, &c.

48 *Secunda probatio.*

*Gregor.*

Inhibitio facta, & ſcandalum ex ea ortum ſupponit conſuetudinem contrariam viguiſſe in Sardinia, neque factum vt irritum annullat Gregorius, ſeu declarat nullum; aliàs ordinaret vt iterum ab Epiſcopis ſignarentur in fonte baptizati. Præſumptio fortè de nullitate Confirmationis ſic factæ à Presbyteris, occaſionem ſcandali dedit, aut certè conſuetudo renouata, quæ fuit ab initio legitimè introducta, & continuata, & in aliis partibus in vſu fortè vt in Hiſpania; vt patet

*Diſpenſatio facta à Gregorio.*

patet ex Canonibus suprà citatis in commento de chrismatis benedictione.

49 Accessit & necessitas illius insulæ, in qua rurales penè omnes incolæ erant idololatræ; vt patet *ex epistol.* 23. 25. & hac ipsa 26. quibus paucitas Episcoporum non sufficiebat consignandis in baptismate per chrismationem, quæ tum simul cum Baptismo fiebat ex consuetudine primitiuæ Ecclesiæ, quæ ex *Actor.* 8. & 19. significatur. In ea autem insula non videntur plures fuisse Episcopi, quàm tres, Cyriacus, Fœlix, & Ianuarius: vel ergo intermittenda erat hæc consuetudo baptizandi, & simul chrismandi infantes, vel certè differenda chrismatio contra consuetudinem; vtrumque sine scandalo fieri nequiuit in eo rerum statu, & necessitate conuersionis: scandalo ergo causam dedit intermissa consuetudo, & fortè dubium in populo ortum de Confirmatione aliàs factâ à Presbyteris. Et fortè hanc causam præoccupant illa Gregorij verba, *Nos quidem secundum vsum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus*, &c. scilicet particularis Romanæ: neque obiicit decreta antiqua, tanquam factum esse nullum declarantia: ergo interpretari debent ita, vt licèt Episcopo, tanquam ex iure diuino ministro ordinario, conueniat chrismare; non tamen ita indispensabiliter, quin ex commissione idoneus ad hoc minister sit Sacerdos: quam interpretationem, & facilitas dispensandi ad euitandum scandalum, & ipsa dispensatio facta confirmant; quin etiam probant priorem vsum fuisse ratum à Gregorio, quantùm ad valorem Sacramenti.

*Causa dispensationis.*

*Confirmatio à Presbyteris data fuit rata.*

50 Confirmatur hæc potestas dispensandi ex Florentino, & Tridentino suprà citatis; Florentinum enim admittit ipsam dispensationem factam, & alludit, postquam enim definiit ministrum ordinarium huius Sacramenti esse Episcopum, subnectit de ministro per dispensationem: *Legitur tamen aliquando*, inquit, *per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente admodum causa simplicem Sacerdotem chrismate per Episcopum confecto, hoc administrasse Confirmationis Sacramentum*, &c. inde addit limitationem illam ministri ordinarij, quam adiecit etiam Tridentinum. Eandem dispensationem fecit Leo X. & Adrianus VI. fratribus nostri Ordinis ad conuersionem Indorum. de quo priuilegio videatur Rodriquez *tom. 1. quæstionum regularium q. 19. art. 3.* quin etiam concessum fuit idem Patribus Societatis Iesu à posterioribus Pontificibus, & vtrisque facta est potestas vtendi chrismate antiquo primò per triennium; secundò per quadriennium: vide eundem *quæst. 31. art.* .. vnde meritò Concilium Senonense in doctrina de hoc Sacramento dicit concedi posse hanc facultatem per priuilegium.

*Confirmatur.*

51 His suppositis concessionem Gregorij variè interpretantur Doctores; & iuxta varios modos dicendi Doctor resoluit obiectionem tertiam factam contra definitionem Confirmationis suprà præmissam, speciatim illam particulam de ministro ordinario, qui dicitur esse Episcopus. Aliqui ergo dicunt indulsisse Gregorium vt oleo, & non chrismate linirent frontem: sed vt benè Doctor, hæc Glossa repugnat literæ. Alij dicunt nihil concessisse, vt Glossa ibidem, sed permisisse tantùm vt facerent: sed etiam repugnat literæ; neque Gregorij sanctitati congruebat, vt scandalum in præiudicium veritatis, & doctrinæ in materiam fidei, & Sacramentorum timeret, aut permitteret; quod longè abfuit ab eius constantia, & vigilantia: meritò hæc exploduntur non solùm à Doctore, sed etiam ab Alensi, & Richardo, qui illos modos dicendi adducunt. Tertiò respondent quidam eum errasse vt hominem; sed hoc etiam falsum, & iniurioſum est: nam si prætensa decreta Vrbani, Leonis, & aliorum in eo sensu, quo ea intelligi volunt isti, sumantur, proculdubio non ea ignorauit Gregorius; qui suprà *epist. 9.* secundùm illa decreuit, & in hoc ipso loco supponit ea in vsu veteri Romanæ Ecclesiæ. Error ergo iste esset pernicioſus Gregorio, & magis præiudicaret quàm permissio, quia processit ex plena notitia decretorum, contra quæ (ex mente aduersariorum loquor) sanciuit, non veluti in re adhuc dubia, & probabili, quia verba rem certam, & indubitatam sonant, & exercitium potestatis supremæ. Falsitas autem huius responsionis patet ex dictis, & infirmatur expressè ex Florentino, & Senonsi, & tacitè ex Tridentino, vt cætera omittam.

*Tertia interpretatio refellitur.*

*Gregorius ex authoritate decreuit.*

Alij respondent, posse Pontificem dispensare cum quolibet confirmato, vt posset dare Confirmationem: sed responsio hæc reiecta est suprà. Respondet Adrianus non loqui Gregorium de vnctione sacramentali, sed cæremoniali, quam prohibuit Gregorius, vel ob periculum, vel certè, quia non fuit solita. Sed hæc responsio non attingit sensum canonis, neque in re, neque vt communiter intelligitur; vt patet ex Conciliis citatis, quę ad hanc Gregorij dispensationē potissimùm alludunt, quia per modum dispensationis cuius initium, & origo sciatur, non habetur facta à Sede Apostolica inter canones, qui fuerunt ante Florentinum, alia, quàm Gregoriana. Præterea ibi Gregorius loquitur de vnctione tantùm in absentia Episcopi factâ, quam non concedit fieri in præsentia eius, neque absolutè, neque etiam de mandato ipsius Episcopi: ergo textus eius, & concessio non potest referri ad solam cæremonialem, quæ fieri potuit ex decreto Sylvestri.

52 *Quarta interpretatio.*

*Quinta interpretatio.*

*Refellitur.*

Alium præterea modum respondendi adducit Doctor, suppositâ Glossâ capituli, *Olim idem erat Presbyter, & Episcopus*, &c. quod est Hieronymi ad Titum *cap.* 1. & ex Glossa in cap. *Legimus in Isaia*, &c. *dist.* 93. vbi Glossa prima in verbo *postea*, & Glossa altera in cap. *Olim*: ita explicant Hieronymum in locis præfatis, quasi dixerit differentiam inter Episcopum, & Sacerdotem non fuisse iuris diuini, aut Ordinis, sed tantùm ex Ecclesiastica electione, quâ vnus ex Presbyteris constitutus est super reliquos ad excludendum schisma. *Quòd si hoc*, inquit Doctor, *est verum, Gregorius benè potuit illos Sacerdotes subiectos Ianuario licentiare ad Confirmationem*, &c. quia sic tantùm dispensaret in iure positiuo Ecclesiastico, nec conferret illis aliquid, quod aliàs iure, & institutione diuina non conueniret.

*Sexta interpretatio.*

*Responsio Doctoris ex principijs Glossarum, quæ non sequitur.*

Hanc responsionem non rectè intelligunt aut Suarez, aut Sotus; quasi ex sententia Doctoris sit, cùm tamen ex suppositione dictarum Glossarum, quæ ita intelligunt Hieronymum, sententiam illam applicat ad quæstionem & responsionem obiectionis; & datâ veritate antecedentis, conclusio optimè sequitur, & tollit difficultatem, quæ magis in hac quæstione torquet, quomodo scilicet potuerit Pontifex, ea, quæ sunt propria iure diuino Episcopo, conferre Sacerdoti simplici, cùm minister spectet ad essentialia Sacramenti.

*Malè attribuitur ipsi, tanquam assertæ.*

*Varia expositiones decreti Gregoriani. Duo modi dicendi refelluntur.*

53 *Obiectio Suarez & Soto.*

Sed obiiciunt præfati Authores tempore Gregorij ſimplices Sacerdotes fuiſſe diſtinctos ab Epiſcopis, vt patet ex decretis anteriorum; & ex hac ipſa conceſſione, quæ limitatur ad abſentiam Epiſcopi. Sed hæc replica neſcio quid faciat ad propoſitum; vis enim reſponſionis Doctoris eſt, ex hypotheſi, quod in ordine, aut inſtitutione diuina, nulla fuit differentia ab initio inter Sacerdotem, & Epiſcopum; ita etiam nec nunc eſſe, ac proinde iure diuino, & inſtitutione Sacramenti perinde ſpectare ejus collationem ad Epiſcopum, & Sacerdotem ſimplicem; inter quos datâ hypotheſi, ſi admittatur, eſt differentia ſolùm iure Eccleſiaſtico, in quo diſpenſare potuit Gregorius. Illi ergo Authores vt aliquid agerent, deberent hanc differentiam ſtatuere iure diuino, & impugnare Gloſſam, quod difficulter poſſet Soto, qui infrà *diſt. 24. quæſt. 2. art. 3. & lib. 10. de Iuſtitia & iure, q. 1. art. 2.* docet Epiſcopatum non eſſe diuerſum Sacramentum à Presbyteratu, aut imprimere diuerſum characterem. Item ex alia parte, vt teneri debet, Confirmationem fundari in poteſtate Ordinis: ſequitur ergo fundari in poteſtate characteris Presbyteralis, qui & idem eſt, ac Epiſcopalis, per ipſum: ſi dicatur Epiſcopum habere dignitatē diuerſam, de hac dignitate quæritur an ſit iuriſdictionis, cùm non ſit Ordinis, cùm alia ad miniſterium non deſeruit, neque imaginari poteſt, quia omnis poteſtas actiua in hierarchia, & hierarchis Eccleſiaſticis ad alteram harum reduci poteſt, & debet; nempe ordinis, aut iuriſdictionis. Si eſt iuriſdictionis, actus eius ſuſpendi poteſt maximè in ſententia D. Thomæ, vt annotauit Scholiaſtes *ſcholio 2.* cùm poteſtas inferiorum prælatorum, quæ eſt iuriſdictionis, dependeat à Vicario Chriſti; & hoc argumento Doctor infrà *diſt. 24. quæſt. vnica*, probat Epiſcopatum eſſe diuerſum Sacramentum à Presbyteratu. Malè etiam videtur Suarez diſcurſum Doctoris aſſumpſiſſe, quaſi diceret omnes, qui ordinabantur in primitiua Eccleſia Sacerdotes, ordinatos etiam fuiſſe Epiſcopos, quaſi diuerſi eſſent, quia ſic ratio Doctoris nihil concluderet, quæ reducitur ad Gloſſam, quæ tollit differentiam inter ſimplicem Sacerdotem, & Epiſcopum, quantùm ad diuinam inſtitutionem: poſtea verò prælationem vnius præ aliis, inductam eſſe, ad tollenda ſchiſmata iure Eccleſiaſtico.

*Reſpondetur.*

*Poſſe ſuſpendi actum iuriſdictionis.*

54 *Explicatur vera ſententia Hieronymi.*

Cæterùm, hæc non eſt vera ſententia Hieronymi: quia, vt ipſe in dicto capite *Legimus*; *Quid facit*, inquit, *excepta ordinatione Epiſcopus, quod Preſbyter non faciat?* Supponit ergo aliquid conuenire Epiſcopo, nempe ordinare, quod non competit ſimplici Sacerdoti, & hoc ex prima inſtitutione, & differentia vtriuſque ab initio. Idem docet in dialogis contra Luciferianos *cap. 4.* idem ſignificat de Confirmatione: *Quòd ſi hoc loco quæris*, inquit, *quare in Eccleſia baptizatos, niſi per manus Epiſcopi non recipiat, quem non aſſerimus in vero baptiſmate tribui? Diſce hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit; & multis in locis idem factitatum reperimus ad honorem potiùs Sacerdotij, quàm ad legis neceſſitatem*, &c. Loquitur de lege ſaluris, quantùm ad baptizatum, qui aliòquin ſine impoſitione manus Epiſcopalis, ſaluari poteſt, vt patet ex ſequentibus, vbi ſubiungit rationem: *Nam ſi ad Epiſcopi tantùm imprecationem Spiritus ſanctus defluit, lugendi ſunt qui in viculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Preſbyteros, & Diaconos baptizati ante dormierunt, quàm ab Epiſcopo inuiſerentur*, &c. Et hanc manus impoſitionem ab Epiſcopo reducit infrà ad *Actor. 8.* vbi miſſi ſunt Petrus, & Ioannes, vt imponerent manus Samaritanis. Videatur in ſequentibus. Interim hoc indicaſſe ſufficit, quia quæſtio alias infrà ſuo loco erit diſputanda *diſt. 24. quæſt. vnica.* Nomen autem Epiſcopi, & Presbyteri in primitiua Eccleſia ſatis fuit commune, & ſynonymum, vt probat Hieronymus in dicto cap. *Legimus*, &c. quod deſumptum eſt ex epiſtola ad Euagrium.

*Agnoſcit differentiam inter ordines.*

55 Obiicit Doctor contra illam ſolutionem fundatam in Gloſſa, in primitiua Eccleſia non leguntur fuiſſe alij Sacerdotes, quàm Apoſtoli, & illi qui ſoli leguntur in Scriptura confirmaſſe, tunc ſi omnes Sacerdotes fuerint Epiſcopi, vel æquales, quantum ad iſtum actum: ergo ſolis Epiſcopis debetur ex officio. Reſpondet quòd nulli alij erant Sacerdotes præter Apoſtolos; quia illi ſoli tum potuerunt ſufficere; vel ſi erant, detulerunt Apoſtolis, &c. Hæc reſponſio non eſt ex ſententia Doctoris aſſerta, ſed iuxta opinionem Gloſſæ, ad quam ſequitur, & contra quam fit obiectio; ex qua reſponderur obiectioni.

*Apoſtoli quà Epiſcopi confirmabant.*

Probabile autem eſt in initio quamdiu Eccleſia fuit in Iudæa, ſolos Apoſtolos fuiſſe Sacerdotes, & etiam Epiſcopos; non tamen, quà Sacerdotes erant, confirmabant, ſed quà Epiſcopi; vt patet ex Euſebio Papa, Damaſo, Innocentio I. Ioanne III. Chryſoſtomo citatis. Cæterùm propagata Eccleſia ad Gentes, fuerunt alij Epiſcopi, & Sacerdotes præpoſiti per Apoſtolos, vt conſtat ex epiſtolis ad Titum, & Timotheum, vbi interpretes de ordinatione Pauli, & Barnabæ habetur Act. 13. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt*, &c. Quod ita intelligit Chryſoſtomus in hunc locum. Leo I. *epiſt.* 81. alias 79. ad Dioſcorum; OEcumenius, Lyranus, & alij. Neque apparet ſufficiens fundamentum id negandi, aut conuincens: & *Actor. 14.* vbi ſermo eſt de Paulo, & Barnaba; *Et cùm conſtituiſſent eis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros*, &c. vbi Gloſſa ordinaria, & Carthuſianus intelligunt Epiſcopos: quamuis tam Presbyteri, quàm Epiſcopi tum nomen ſynonymum fuit: & cap. 15. *Vt aſcenderunt Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apoſtolos, & Preſbyteros in Ieruſalem ſuper hac quæſtione*, &c. Ergo tum fuerunt præter Apoſtolos alij Presbyteri in Ieruſalem, qui fuerunt Epiſcopi, qui etiam ſeniores dicuntur, & Concilio Apoſtolorum ſuper legalibus interfuiſſe dicuntur, *& ſcripſerunt Apoſtoli, & ſeniores*, &c. quos Hieronymus *epiſt.* 19. quæ eſt 11. inter Auguſtini epiſtolas, vocat Presbyteros.

*Ordinarunt aliàs Epiſcopos.*

Chryſoſt. Leo Papa. OEcumen. Lyranus.

Gloſſa ord. Carthuſian.

56 *Vltima interpretatio.*

Vltimus modus interpretandi conceſſionem Gregorij eſt apud Doctorem, §. *Quartus modus dicendi*, &c. per eam Pontificem facere potuiſſe quemlibet Sacerdotem ſimplicem illius regionis Epiſcopum, quantùm ad illum actum. Hæc reſponſio conformis eſt Richardo hac diſt. art. 2. quæſt. 1. ad 3. *Poteſtas confirmandi*, inquit, *vt quidam dicunt, fundatur ſuper diſpoſitione Vicarij Chriſti, qui ſicut diſpoſuit, quod omnes Epiſcopi confirmare poſſunt, ita diſponere poſſet, vbi, & quando exigeret ratio, quòd Sacerdotes non Epiſcopi confirmare poſſint, quia ſuper corpus Chriſti myſticum, quod eſt Eccleſia, habet Papa plenitudinem poteſtatis*, &c. Fundat ergo poteſtatem confirmandi in iuriſdictione, non in ordine, vt patet ibidem, hanc differentiam eius ſtatuens à poteſtate conſecrandi Euchariſtiam.

chariſtiam. Vnde quæſtione ſequenti, ex eadem ſententia, quam aliorum nomine citat, negat Epiſcopum degradatum poſſe confirmare validè, quia ablata eſt ei omnis iuriſdictio, in qua fundatur valor talis actus.

Ex hac ſententia, ſeu modo dicendi aliorum, ſequela opinandi Doctor rectè adducit illum modum explicandi: nam dato, quòd character ſit idem in Presbytero, & Epiſcopo, & ſola differentia ſit ratione iuriſdictionis collatæ à Vicario Chriſti in ordine ad actum confirmandi, benè ſequitur quòd concedendo eandem authoritatem ſimplici Sacerdoti, fieret, quoad illum actum Epiſcopus, id eſt, iuriſdictionem Epiſcopalem habens, licèt non ordinariam, ſed delegatam.

57 Sotus. Suarez. *Malè interpretatur Doctorem. Eorum obiectiones.*

Hunc modum explicandi conceſſionem Gregorij, Sotus, vt proprium Doctoris citat, & poſt eum Suarez: & impugnant, quia Pontifex non poteſt ordinare Epiſcopos abſentes. Secundò, quia non poteſt ordinare eos ad vnum effectum, & non ad omnes, quia ſic eſſent ordinati ſemi-Epiſcopi: ſed non mirum ſi errauit Sotus in mente Doctoris cùm erraverit in inſcriptione illius decreti, quod citat tanquam ſcriptum ad Ianuarium Conſtantinopolitanum, & Epiſcopum Græcanicæ Eccleſiæ: nec eſt quòd vagentur hallucinantes ad mentem Doctoris; clarum enim eſt ex textu eum loqui de iuriſdictione Epiſcopali, & ex mente aliorum, quoad illum tantùm actum. Vnde ſubiicit: *Non tamen conferendo ſibi ſimpliciter gradum Epiſcopalem, nec quantùm ad alios actus*, &c. Dando hunc actum conſiſtere in iuriſdictione, & non in ordine proximè, facile eſt inuenire differentiam inter gradum Epiſcopalem ſimpliciter, & poteſtatem delegatam ad aliquem actum determinatum.

58 *Doctrina reſpõſionis præmiſſa refellitur.* Trident.

Doctrina tamen in qua fundatur hic modus explicandi cõceſſionem Gregorij, licèt quorumdam ſit Canoniſtarum, non eſt vera, neque tenenda poſt Tridentinum ſeſſ. 23. cap. 4. *Sacroſancta Synodus declarat præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt ad hunc hierarchicum ordinem*, &c. *eoſque Preſbyteris ſuperiores eſſe, ac Sacramentum Confirmationis conferre, miniſtros Eccleſiæ ordinare*, &c. *quarum functionum poteſtatem reliqui inferioris ordinis nullam habent*, &c. Idem habet *can.* 7. de authoritate, quam habent Epiſcopi ratione ſui ordinis, vt ſuperiores ſunt Presbyteris, loquitur Concilium, iuxta declarationem antiquorum Canonum ex inſtitutione Chriſti: & comparatio eſt inter ipſos, & Presbyteros ſimplices, quantùm ad id, quod vtrique ex propria ordinatione eſt proprium.

Ex his quatuor modis explicandi conceſſionem Gregorij, quorum quilibet ſuſtinet ipſam conceſſionem, vt validam, & ex ipſa obiectione facta à Doctore, quæ non eſt contra conceſſionem; ſed ex ipſa conceſſione, probando ſimplicem Sacerdotem poſſe confirmare, ſecundùm illam particulam definitionis de miniſtro idoneo, quem infrà declarat eſſe Epiſcopum, nempe ordinarium miniſtrum, vel eum, cui committi poterit, nempe Sacerdotem, ex commiſſione, ſeu diſpenſatione. Ex his, inquam, ſatis colligitur nec Doctorem eſſe dubium in hac ſententia, neque ſentire cum aliis, qui negant poſſe dari hanc diſpenſationem, dato quòd Epiſcopus ſit miniſter ordinarius ex inſtitutione diuina.

Vltimò tandem probatur concluſio præmiſſa ex ſimili, quia non magis negant Patres, & Canones poteſtatem confirmandi eſſe apud Presbyteros ſimplices, quàm ordinandi: ſed hæc, vt ſuo loco dicetur, poteſt, quoad aliquos ordines committi Sacerdoti ſimplici: ergo & illa. *Vltima probatio.*

Petes quomodo hæc facultas conueniat Sacerdoti, cui committitur, an ex ſola iuriſdictione delegata? an partim etiam ex ordine? Si primum, non eſt fundamentum, quin poſſit committi non Sacerdoti, ſicut ei committitur facultas baptizandi; quamuis hæc ad Sacerdotem, & Epiſcopum ſpectet: ſi ſecundum; ſequitur, quòd poſſet reduci in actum, ſicut & poteſtas conſecrandi Eucharistiam. *Sacerdotem poſſe ordinare ex commiſſione in aliquibus gradibus.*

59 *Quomodo cõuenire poſſit Sacerdoti cõfirmare?*

Reſpondetur, quòd ratione vtriuſque competàt capacitas confirmandi Sacerdoti, cui confertur poteſtas præfata: ordinis quidem remotè, & inchoatè; proximè autem ratione conceſſionis, & quaſi reducẽtis poteſtatem remotam in actum; inde nequit committi non Sacerdoti; neque Sacerdos ſine tali conceſſione quidpiam validè faceret. Cauſa à priori eſt inſtitutio Chriſti, quam ex definitione Eccleſiæ, & conſuetudine interpretamur. *Reſpõſio ex ordine remotè, ex iuriſdictione cõuenire.* *Inſtitutio eſt cauſa à priori.*

Congruentia inſtitutionis eſt, quia Sacerdos ex officio, & ſua ordinatione habet poteſtatem in corpus Chriſti myſticum, quantùm ad ius baptizandi proximum, ex eo quòd habeat poteſtatem proximam ſuper corpus Chriſti verum, & priorem habet cum ſubordinatione ad Epiſcopum: cùm ergo, ſicut ſuprà ad initium commenti dictum eſt, Confirmatio ordinetur ad Baptiſmum, tanquam complementum eius, & perfectio, ex Patribus, ita congruum fuit, vt Sacerdos ratione ſui gradus, habeat hanc capacitatem; quæ quidem non eſt proxima, quia actus eſt proprius Epiſcopi ſecundùm diuinam inſtitutionem, ex gradu ſuo, tanquam in potentia proxima conſtituti (& ſic intelligo Epiſcopum eſſe miniſtrum ordinarium, cui hæc poteſtas ordinandi competit per ordinem, & non per voluntatem extrinſecam, diſtinctam ab ea quæ eſt ordinationis, & inſtitutionis Sacramenti,) ac proinde cùm differat à Sacerdote gradu, & ordine, nequit actus proprius eius conuenire inferiori hoc modo; benè tamen remotâ capacitate, ratione gradus Presbyterij, vt comparatur ad corpus Chriſti verum, quæ eſt eminentiſſima poteſtas comparata ad reliqua omnia, quantùm ad perfectionem intentionis. *Congruentia inſtitutionis.* *Quid ex ordinatione competit?* *Habet ex ordine remota capacitate.*

Congruum ergo eſt vt contineat in ſe eminenter, inquantùm compatibile eſt cum debito ordine hierarchiæ miniſtrorum, reliquas poteſtates ordinis in corpus Chriſti etiam myſticum. *Eminenter*, dixi, quia ſicut par in par non habet eminentiam, ita Presbyter neque proximè, neque remotè manens in ſuo gradu, poteſt ordinare alium Sacerdotem. Et ſi dicas Epiſcopum poſſe ordinare alium Epiſcopum, quamuis ſint pares. Reſpondetur de hoc conſtare ex Eccleſiæ definitione, & ex Scriptura contrarium eſt quantùm ad primum, vt ſuo loco videbitur. 60 *Eminẽtia ordinis ſacerdotalis.* *Nequit ordinare Epiſcopum.*

Interim ſequendo rationem à congruitate cùm non detur proceſſus in infinitum, & gradus ſupremus in Eccleſia, quantùm ad poteſtatem ordinis in corpus myſticum, ſit Epiſcopatus, congruum erat vt poſſit ordinare alios pares; idque neceſſitas Eccleſiæ exigebat: non fuit autem con-

gruum, vt hoc posset Sacerdos simplex: quia inferior est, & subordinatur Episcopo, quoad gradum, quem habet in Ecclesia, & potestatem in ipsa, quæ est corpus mysticum. Neque congruit vt parem possit ordinare, quia prouidere de ministris, spectat ad hierarchiam, cuius potestas primaria est.

*Nequit ordinare Diaconum.*

Non potest etiam ordinare proximè, aut remotè Diaconum, quia licèt sit inferioris gradus: tamen est minister Episcopi ex diuina institutione, ideóque congruum fuit, vt eius ordinatio ad Episcopum spectaret, ne turbaretur ordo hierarchiæ, si ordinari posset minister proximus Episcopi, licèt sit etiam Sacerdotis, independenter ab ipso Episcopo: nam in politia princeps ipse eligit eos, qui proximè ad suam personam accedunt in familia, & famulatu, licèt per inferiores possit ordinare reliquos.

61

*Potestas remota ordinãdi aliquos, est in Sacerdote.*

Cæterùm, vt dixi, potestas in corpus Christi mysticum, quantùm ad ordinationem inferiorum potest committi Sacerdoti, propter eminentiam sui gradus, neque in hoc turbatur ordo hierarchicus; ac proinde ad ordinandum habet potestatem remotam, quoad prædictos gradus: habet etiam potestatem ex sua ordinatione in corpus mysticum, quantùm ad ministerium Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & Extremæ Vnctionis, in his duobus proximam, in Pœnitentia verò remotam, vt mox explicabo. Congruum ergo erat, vt ex eminentia sui gradus, habeat etiam remotam ad Confirmationem, quia & necessitas Ecclesiæ in certis circumstantiis id exigit, vt quando grauis, & vniuersalis est persecutio, & paucitas Episcoporum, & pericula labendi.

*Potestas in reliqua Sacramenta.*

*Ex quibus interpretanda est institutio.*

Id autem circa potestatem ministrorum, & efficaciam Sacramentorum in speciali instituisse Christum debemus interpretari, quod magis faciebat ad vtilitatem, & necessitatem Ecclesiæ, & sine præiudicio primariæ institutionis, quà hierarchiam in ipsa instituit ministrorum, & dispensatorum fieri potuit, & congruit, cui nihil præiudicat hæc potestas remota confirmandi, quod est Sacramentum omnibus institutum, & conducit non solùm Ecclesiæ talem esse in Sacerdotibus, sed etiam ipsis Episcopis, vt huius sollicitudinis adiutores habere possint, quando id necessitas postularet: congruit etiam eminentiæ gradus Sacerdotis, & speciali potestati ex ea redundanti ad baptizandum: cui accedit ipsa Confirmatio tanquam consummatio, & perfectio, quod aliis Sacramentis non competit licèt omnia supponant Baptismum vt ianuam.

62

*De eo quod competit ex commissione.*

Suppositâ ergo hac potestate remotâ modo explicato, congruum etiam, & necessarium fuit esse potestatem in Ecclesia, per quam reducetur ad actum; hæc autem residet in capite, nempe Summo Pontifice, vel Concilio OEcumenico ab eo approbato: de quo non est dubium ex his redundasse potestatem confirmandi, quâ vtitur Ecclesia Orientalis. Patet ex prædictis decretis Conciliorum, quæ suprà citauimus; malè autem negat talem consuetudinem Suarez *disput. 36. sect. 1. & 2.* sicut & interpretatur Toletanum primum de cæremoniali quadam vnctione: quia hic modus interpretandi, si non seruetur proprietas locutionis, destruit fundamenta astruendi Confirmationem esse Sacramentum ex traditione Patrum, & Conciliorum; quæ perinde eludi possunt; & tenendo, vt ipse sustinet, posse committi Sacerdoti simplici hanc facultatem, nullum est inconueniens, quod ad eiusmodi interpretationem vrgeat.

63

*Sententia Ledesma.*

*Non posse Episcopum delegare hanc potestatem.*

Ledesma vt suprà præmissum est posse etiam dicit per Episcopum in sua diœcesi reduci in actum, quia tantum potest iure diuino, quantum Pontifex in vniuersa Ecclesia: sed hoc est falsum, quia potestas Pontificis non tantùm est vniuersalis secundùm extensionem, sed etiam secundùm eminentiam, & perfectionem, ita vt plura facere possit, quàm permissa sunt Episcopis iure diuino. Deinde quod dicit non posse de facto, quia iure Ecclesiastico prohibetur; non rectè dicitur, quia etiamsi daret facultatem peccando contra ius positiuum, adhuc Confirmatio esset inualida, & nulla: nequit enim directè extendere potestatem Sacerdotis fundatam in ordine, nisi ad ea, quæ proximè potest, quantùm est ex potestate ordinis.

*Sententia Soti de ministro Cõfirmationis refellitur.*

Sotus dicit ministrum ex diuina institutione esse Sacerdotes, siue ex officio, siue etiam ex commissione; quòd autem Episcopi essent, relinqui arbitrio Ecclesiæ sic, vel sic ordinare. Sed hæc solutio patitur eandem difficultatem, & videtur manifestè repugnare Florentino, & Tridentino, quæ dicunt ministrum ordinarium esse Episcopum, & intelligunt de iure diuino, & institutione Christi: aliter enim loquuntur de ministro Pœnitentiæ, aliter de ministro Confirmationis; ille non habet potestatem proximam simpliciter absoluendi, nisi accedat approbatio Ecclesiæ, vt declarant Concilia præfata; nihil autem tale adiiciunt ministro Confirmationis: ergo non ex ordinatione Ecclesiæ habet Episcopus, vt sit minister Confirmationis. Accedit Tridentinum *sess. 23.* loco præfato ex potestate confirmandi, & ordinandi Episcopum obtinere supremum gradum supra Presbyterum ex diuina institutione in hierarchia: ergo id non competit ex ordinatione, & arbitrio Ecclesiæ.

*Episcopus ex ordine est Minister ordinarius diuina institutione.*

Tertiò denique authoritates antiquorum Canonum, & Patrum, quibus negatur hæc potestas Sacerdotibus simplicibus, & solis Episcopis conuenire dicitur, referunt se ad primam institutionem Sacramenti, & ad exempla Apostolorum *Act. 8.* Ex quo etiam institutio præfata colligitur, &c. tanquam ex prima praxi eius, quantùm ad potestatem ordinariam, quæ Episcopis iure diuino competat; ita vt sicut dictum est, validè confirment excommunicati, & degradati vt communiùs tenetur, quia hæc est potestas ordinis in Episcopis, quæ non dependet, (cùm indelebilis sit,) à iurisdictione, quantùm ad valorem Sacramenti; sicut neque potestas conficiendi Eucharistiam in Sacerdote, quantùm ad valorem deficit, deficiente authoritate ex concessione Ecclesiæ: non ita tamen potestas omnis, quæ fundatur in iurisdictione Episcoporum, aut ab ipsa dependet: oportet ergo hanc potestatem non esse iurisdictionis ab arbitrio Ecclesiæ prouenientis, sed solius ordinis, & dignitatis.

*Potestas ordinis est indelebilis.*

64

*Aliter potestas confirmãdi, & absoluendi conuenit ex ordine.*

Dico ergo hanc potestatem, vt remota est in Sacerdote simplice, reduci ad actum per authoritatem Summi Pontificis proximè, aut remotè; & in hoc differt à potestate, quam recipit in sua ordinatione ad remittenda peccata; quòd hæc quidem, quantùm est ex parte ordinis, sit propinqua, quantùm tamen ad materiam, seu subiectum, in quod exerceatur, sit remota: quia non recipit ex vi ordinationis suæ aliquod subiectum,

iectum, seu subditum in quod exerceat iurisdictionem, sed ab Episcopo, seu ordinario dependet quoad hoc, qui vt dat ei hos, vel illos subditos, reducit potestatem illam ad actum, secundùm modum, & limitationem, quam præscribit; hoc autem congruit, vt Episcopi sit dare hanc vltimam determinationem ob necessitatem Sacramenti Pœnitentiæ, & quia dependet à potestate iurisdictionis, quæ delegari potest.

*Episcopus nequit delegare ea, quæ sunt ordinis: sed tantùm iurisdictionalia.*

Cæterùm in Confirmatione neque est tanta necessitas, neque potestas ordinaria, quâ gaudent Episcopi, cùm sit ordinis, & dignitatis, potest delegare, neque aliter communicare eam possit Episcopus, potestas verò, seu iurisdictio eius, à qua dependet complementum Sacerdotij simplicis, quantùm ad pœnitentiam delegari potest, & hac etiam ratione non potest Episcopus delegare, aut vllo modo communicare potestatem ordinandi in gradibus, in quibus potest delegare Pontifex Romanus, non inquantùm Episcopus est, sed inquantùm est caput, & Vicarius Christi habens plenitudinem potestatis, quam ante ordinationem etiam potest communicare: & ad hanc potestatis plenitudinem spectat reducere ad actum, illam potentiam remotam ordinandi, & confirmandi, quam habet Sacerdos simplex, & quâ carent clerici inferioris ordinis, ac laici. Vnde patet, quare dicatur hæc potestas ordinandi Subdiaconatu, & minoribus, ac etiam confirmandi in Presbyteris remota.

Dixi superiùs per authoritatem Summi Pontificis proximè, aut remotè posse reduci ad actum hanc potestatem, quia sic concessa contigit, vt patet in Ecclesia Orientali, mediantibus OEcumenicis Conciliis approbatis, & praxi ab Apostolis deducta in primitiua Ecclesia, emanante: & patet ex Rodriquez in India ex concessione Pontificum Prouinciales nostri Ordinis potuisse hanc communicare suis subditis, vt delegatos ad hoc specialiter ipsius Pontificis.

f *Simul cum intentione inungente, & certa verba proferente*, &c. De intentione vniuersaliter requisita in ministro Sacramenti iam sufficienter tractatum est *dist. 6. quæst. 5.* hîc autem per *certa verba proferente* denotatur forma huius Sacramenti requisita, de qua in textu sequenti dicemus, simul & de institutione Sacramenti, & vsu eius, quantùm ad materiam, & formam in primitiua Ecclesia: reliqua definitionis eodem modo explicantur seruatâ proportione, sicut & suprà *dist. 1. quæst. 1.* de Sacramento in genere, & *dist. 3. quæst. 1.* de sacramento Baptismi. 65

## SCHOLIVM.

*Positâ diffinitione Confirmationis, explicat exactissimè omnes eius particulas, ex parte materiæ, formæ, suscipientis, & ministri. Soluit tres obiectiones contra doctrinam datam. Nihil determinat de tempore institutionis, quia de eo nihil est certum, probabile tamen est fuisse factam nocte cœnæ, ex Fabian. ep. 2. c. 1.*

Hîc [a] patet, quæ sit huius Sacramenti materia: quia cùm posset distingui de materia, sicut distinctum est de materia in Baptismo *dist. 3. q. 3.* Materia proxima, id est, illud visibile, quod concurrit in fundamento, est vnctio, facta in fronte in figura crucis, cum chrismate sanctificato. Materia autem remota, est chrisma compositum ex oleo oliuæ, & balsamo, & sanctificatum specialiter ab Episcopo, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi. 2 *Vtraque materia Cõfirmationis.*

Forma est talis: *Signo, vel consigno te signo crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Suscipiens est homo viator aliqualiter consentiens; quod intelligendum est sicut de Baptismo, vt patet *dist. 4.* sed hîc tantùm suscipiens est secundùm determinatam partem, propter quod additur *in fronte.* Minister est Episcopus, vel alius, cui committi poterit, ideò dicitur in generali *à ministro idoneo.* Ex parte ministri requiritur simultas in faciendo vtrumque actum, scilicet vnctionis, & prolationis formæ, & etiam debita intentio, quæ omnia debent intelligi, sicut expositum est de ministro in Baptismo, *dist. 6.* Quæ adduntur, *Significans efficaciter* &c. dicunt illud, quod formale est in isto Sacramento. Et quod vltimò additur, *vnctionem interiorem*, signat correlatiuum illius relationis, quæ est formale in isto Sacramento. *Forma Cõfirmationis.* *q. 4.* *q. 5. & 6.*

Et si [b] obiiciatur primò contra materiam, & formam simul, quia Christus non sic instituit, vt patet Ioan. 20. quando insufflauit, & dedit discipulis Spiritum sanctum, & similiter *Act. 2.* quando misso Spiritu sancto in linguis igneis confirmabantur: nec etiam Apostoli tali formâ vtebantur, vel materiâ, vt patet in *Actibus*, sed impositione manuum. Si secundò obiiciatur specialiter contra materiam, quia non oportet eam esse chrisma consecratum: quia nec in Baptismo necessaria est aqua consecrata, sufficit enim quæcunque aqua. Si tertiò obiiciatur, quòd Sacerdos communis potest istud Sacramentum conferre, iuxta illud *dist. 95.* Peruenit, vbi Gregorius Ianuario Episcopo scribit. *Peruenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, eò quòd Presbyteros tangere chrismate eos, qui baptizati sunt, prohibuimus.* Et sequitur, *Si omnino de hac re aliqui contristentur, vbi Episcopi desunt, vt Presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus.* 3

Ad primum istorum dicendum, quòd Christus non alligauit potentiam suam Sacramentis, & ideò ipse siue in terris, siue post ascensionem in cœlo existens, potuit cõfirmare Apostolos *Christus potuit dare effectiũ Confirmationis sine ipso.*

Apoſtolos ſine tali materia,& tali forma. Cum Apoſtolis etiam in primitiua Eccleſia potuit diſpenſare,& maximè,quia in Confirmatione ab eis collata erant aliqua ſigna ſenſibilia,puta communiter deſcenſus Spiritus ſanctus ſuper confirmatos, & donum linguarum. Sed tamen ceſſantibus talibus miraculis, miniſtri debuerunt hanc materiam, & hanc formam ſeruare.

*Cõfirmatio habetur ex traditione. Dion. Eccl. Hier. c. 4. p. 3. Clem. Alex. apud Euſeb. 3. c. 17. Iuſtin. q. 137. Cypr. 1. epiſt. vlt. Ambr. 3. de Sacr. c. 2. Auguſt. 15. Trin. 26. Hieron. cõtra Lucif. hi communiter ponũt materiã, & miniſtrum.*

Supponitur[c] enim inſtitutum eſſe à Deo, licèt tempus, & modus huius inſtitutionis in Scriptura non legatur: fortè, quia Hiſtoriographi Scripturam vſque ad tempus illud non produxerunt: non enim produxerunt vltra tempus Apoſtolorum, nec etiam vſque ad plures annos ante mortem eorum; toto autem tempore Apoſtolorum, fortè manſit donum linguarum in Sacramento Confirmationis. Nec eſt improbabile multa eſſe tradita auctoritatiuè à Chriſto Eccleſiæ per Apoſtolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, vt dicit Damaſcenus 4. *lib. cap.* 4. vbi loquens de adoratione imaginum, ait: *Eſt autem nobis tradita iſta traditio, quemadmodum oportet ad Orientem adorare crucem, & altera plurima his ſimilia.*

Ad ſecundum dicendum, quòd Chriſtus contactu ſuæ carnis mundiſſimæ omnem aquam conſecrauit in vſum Baptiſmi, non ſic autem materiam illam confirmationis: & ideò requiritur hîc ſpecialis ſanctificatio. Quòd etiam eſt rationabile magis hîc, quàm ibi: quia Baptiſmus eſt Sacramentum neceſſitatis, & ideò poteſt à quocunque miniſtro conferri, & rationabile eſt, quòd in aqua non conſecrata: alioquin materia conueniens non poſſet eſſe communis, & impediretur ſalus multorum.

## SCHOLIVM.

*Quare non requiritur conſecratio materiæ Baptiſmi, ſicut Confirmationis?*

*Occaſione facti D. Gregorij concedentis Presbyteris facultatem confirmandi, ponit quatuor modos dicendi, & duos primos reiicit. Tertius videtur Hier. ſcilicet olim Epiſcopos non differre iure diuino à Presbyteris, ſed iure tantùm Eccleſiæ eis fuiſſe præpoſitos. Affert Scot. reſponſionem gloſſæ, cap. legimus d. 95. quæ eſt etiam Chryſ. in ad Philipp. 1. & D. Thom. 2. 2. q. 184. a. 6. ad 1. olim nomina eſſe communia Presbytero, & Epiſcopo, non tamen rem. Non ſoluit Scot. loca Hier. ſed potiùs videtur dicere ſolutionem datam non eſſe iuxta eius mentem: ſed iuxta eum dicendum, vel omnes Presbyteros Epiſcopos tunc fuiſſe, vel ſi alij Presbyteri fuerunt, quòd ceſſerunt iuri confirmandi. De quo nihil aſſerit Scotus. Sed piè interpretari poteſt Hier. quòd non neget poteſtatem ordinis Epiſcopo iure diuino ſuprà Sacerdotem, immò eam aſſerit d. c. legimus. Ait tamen iure tantùm Eccleſiæ, eum ſuperponi Presbytero, quod ſatis probabile eſt, tenendo Epiſcopos non habere iuriſdictionem immediatè à Deo, ſed ab Eccleſia, quod ait D. Thom. 2. 2. q. 39. a. 3. Turrecr. lib. 2. c. 54. Bellarm. 4. de Sum. Pont. 24. Suar. tom. 4. d. 25. ſ. 1. relinquit Doct. n. 7. vt dubium, an olim Presbyteri poterant confirmare, & ſic Caſtro v. Epiſcopus, intelligit Hier. quòd poterant, idque tenet auctor ep. ad Ruſticum Narbon. de 7. grad. Eccleſ. c. de 7. grad. apud Hier. tom. 9. ſauet Ambr. in 4. ad Epheſ.*

4

Ad tertium ſunt quatuor modi dicendi. Primus, quòd Papa conſenſit, quòd poſſent vngere in fronte oleo, ſed non chriſmate, ſed hoc eſt contra textum literæ, ſicut patet ibidem. Item, hoc conceſſit, eo quòd pro eius ſubtractione erant quidam ſcandalizati: & ſi conceſſiſſet illud fieri oleo ſolo, oſtendens quaſi fieret chriſmate, eſſet ſimulatio contra veritatem doctrinæ, ſicut ſi concederetur panem benedictum pro Euchariſtia dari. Secundus modus dicendi eſt, quòd propter ſcandalum vitandum conceſſit illud ad tempus, vel magis permiſit: ſed iſtud nihil eſt: quia vtiliùs ſcandalum naſci permittitur, quàm veritas relinquatur, *Extra. de regulis iuris.* Item in hac conceſſione, peccaſſet Gregorius mortaliter, ſi conceſſiſſet de facto, quòd non potuiſſet de iure: & præbuiſſet Sacerdotibus occaſionem peccandi mortaliter, ſcilicet faciendi, quòd non licebat eis facere.

*Bar. Brizen. de cõſec. diſt. 4. c. Preſbyteris*

*In Grat. d. 95. c. 5. * al. ſchiſmata. 1. Cor. 1. Hieron. non videtur facere diſcrimen iure diuino inter Presbyterũ, & Epiſcopum.*

Alij poſſunt eſſe duo modi dicendi probabiles. Vnus, quòd in primitiua Eccleſia non erat differentia inter Sacerdotes & Epiſcopos. Quòd probatur per duas auctoritates Hieronymi, quæ ponuntur in Canone *diſt.* 95. Prima illarum eſt, c. *olim*, & cap. *ſeq.* & intitulatur Hieronymi *ſuper epiſtola ad Titum* 1. dicentis: *Olim*, inquit, *idem erat Presbyter, qui & Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu * ſtudia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò vnuſquiſque eos quos baptizauerat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* Et paulò pòſt: *Sicut ergo Presbyteri ſciunt ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubiectos, ita Epiſcopi nouerint ſe magis conſuetudine, quàm diſpenſationis*

*dominicæ veritatis, Presbyteris esse maiores, & in communi debere Ecclesiam regere.*

Item ad Euagrium Presbyterum, & ponitur *dist.93. cap.24.* legimus: *Cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse Presbyteros, quos Episcopos.* Hoc probat ibi per multas auctoritates, & infrà: *Alexandriæ, à Marco Euangelista vsque ad Heraclam, & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper vnum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit, exceptâ ordinatione, Episcopus, quod Presbyter non faciat?* 5 *Tom. 2. epist.85.*

Respondet Glossa ibi, Intelliguntur ibi, quæ non fiunt nisi ab Episcopis. Sed hoc exponitur, quòd non fiunt licitè: quòd enim absolutè fiant, probatur per Glossam præcedentem, vbi disputatur in quo facta fuit prælatio, aut in officio, vel in nomine, & in fine dicit, quòd facta est prælatio quoad nomen, & quoad aliquam administrationem, & quoad quædam Sacramenta, quæ modò Episcopis appropriantur.

Ex hoc dupliciter arguitur. Primò, si tunc post Apostolos facta est talis prælatio Episcoporum super Presbyteros: ergo à principio Ecclesiæ non fuit ita. Item, si modò appropriantur: ergo priùs à principio non fuerunt propria.

Respondeo, si à principio fuit aliquis actus proprius Episcopo, sicut dicit Hieronymus, præter consecrationem, quid potest Episcopus quod non potest Presbyter. Glossa per consecrationem, intelligit alia: sequitur, quòd à principio erat differentia Episcopi & Presbyteri: & tamen illæ auctoritates non concludunt oppositum, sed sunt exponendæ, sicut Glossa exponit, scilicet quòd fortè nomina erant synonyma, & administratio, id est, gubernatio Ecclesiæ communis fuit, sed tamen non dispensatio quæcunque Sacramentorum; quod probatur dist.21. *In nouo*; in loco Apostolorum surrexerunt Episcopi, sed septuagintaduorum discipulorum vicem gerunt Presbyteri: ergo à Christo fuit distinctio Episcopi, & simplicis Presbyteri. Contrà, nónne Philippus fuit de septuagintaduobus, & Stephanus, & cæteri Diaconi non Presbyteri? Item ad Tit. c.1. *Propter hoc te reliqui Cretæ, vt constitueres Presbyteros*: ergo non Episcopus hoc non potuit. Hoc etiam probatur per *cap.seq.95.dist.* quod super illud Pauli fundatur: *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ tibi data est per prophetiam, per impositionem manuum Presbyterij. Quoniam* (ait) *Presbyteri Episcopi nuncupantur, secundùm quòd scriptum est ad Episcopum: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi*, &c. *& alibi ad maiores natu: Qui vos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Hæc Hieronymus. Non distinguit ergo Episcopum à Presbytero, quia non dicit, quòd Confirmatio fuerit data per Episcopum tantùm, sed loquitur de Presbytero. Nec etiam legitur in actibus distinctio Sacerdotum ab Apostolis, qui erant Episcopi. Et si istud est verum, tunc Sacerdoti ex officio potuit competere confirmare, sicut & Episcopo, quia ex prima institutione non erat alius gradus in Ecclesia: tamen propter necessitatem postea multiplicati sunt Sacerdotes, & restricta est potestas ab eis, quantùm ad aliqua, quæ reseruata sunt solis Sacerdotibus maioribus, qui dicti sunt Episcopi: & talis actus esset *confirmare*. Quod si verum est, Gregorius benè potuit Sacerdotes illos subiectos Ianuario Episcopo licentiare ad confirmandum: quia in hoc non concessit potestatem eis non conuenientem eis, sed reuocauit prohibitionem priùs eis factam.

6 *Apostolis succedere Episcopos, & Sacerdotes discipulis, docent Conc. Neocæsar. can. 13. Damas. ex 3. Hier. epist. ad Marcell. Dion.c.3. Eccl. Hierarch.Trid. ss.23.c.4. 2.Tim.4. c.26. Ecce. Actor.20. Solutionem glossæ non quadrare. Hieron.*

Sed si contra hoc obiicias, quia secundùm ista, cùm in primitiua Ecclesia non legantur alij confirmasse, quàm Apostoli, si tunc quicunque Sacerdotes erant Episcopi, vel æquales, quantùm ad istum actum: ergo solis Episcopis debetur ex officio. Respondeo, quòd vel nulli alij ab Apostolis erant Sacerdotes, quia illi soli tunc potuerunt sufficere: vel si alij erant, detulerunt Apostolis in isto actu propter manifestationem Spiritus sancti euidentem, quæ fiebat in collatione istius Sacramenti, vt cum maiori reuerentia, & deuotione susciperetur propter excellentiam ministrorum.

7 *Videtur relinquere, vt dubium, an in primitiua Ecclesia, Presbyteri confirmare poterant.*

Quartus modus dicendi est, quòd si à principio non licuit Sacerdoti simplici, Papa tamen potuit quemlibet Sacerdotem illius regionis facere Episcopum, quantùm ad istum actum, non tamen conferendo sibi simpliciter gradum Episcopalem, nec quantùm ad alios actus: & tunc quilibet eorum verè confirmauit tanquam Episcopus quantùm ad istum actum: & ratio conferendi istum gradum cuilibet Sacerdoti quantùm ad istum actum, poterat esse scandalum vitandum.

8 *Rich. & Alex. Posse Papā delegare potestatem cōfirmandi.*

Materia autem remota, scilicet chrisma, habet similitudinem cum effectu huius Sacramenti; oleum enim nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis: & est materia proxima incendij. Per primum significat castitatem, vel munditiam: per alia duo significat charitatem. Et balsamum, quod habet bonum odorem, significat bonam famam,

*Comparatio olei & balsami ad effectū huius Sacramēti.*

famam, iuxta illud 2. Corinth. 2. *Christi bonus odor sumus Deo.* Balsamo etiam corpora mortuorum condiuntur ne putrefiant, ideò significat incorruptionem: per illam ergo materiam, scilicet chrisma confectum ex oleo, & balsamo, significatur, quòd qui confirmatur debet habere munditiam, & charitatem, & bonam famam: quia sine istis non est multùm authentica confirmatio fidei Christianæ.

## COMMENTARIVS.

66 a *Hic patet*, &c. Hîc subiicit explicationem præmissæ definitionis, vt patet ex litera, quam definitionem hactenus declarauimus. Supereſt tantùm explicare formam: *Forma*, inquit, *est talis: Signo te, vel consigno te signo Crucis, confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c. Hanc esse sufficientem formam est de fide ex Florentino, & communi Theologorum, & ex ritualibus Rom. Ecclesiæ, seu Pontificali; vnde sicut Doctor asseruit suprà dist. 6. quæst. 8. de charactere, ex c. *Ad abolendam, de hæreticis*: nequit Ecclesia errare in doctrina Sacramentorum.

*Forma Confirmationis.*

Hæc autem forma ex ritualibus antiquissimis habetur, quos citant Alcuinus, & Almarinus, qui floruerunt 800. ab hinc annis, nequit non esse sufficiens, & ex antiqua consuetudine. Et patet eius sufficientia, quia exprimit materiam proximam, & remotam, de quibus superiùs egimus, causam instrumentalem, & principalem, subiectum, & effectum huius Sacramenti.

*Cur non exprimatur ex Patribus.*

Quòd autem forma hæc non inueniatur à Patribus expressa, rationem habes ex Innocentio *epist. 1. cap. 3.* de confirmatione loquens: *Verba*, inquit, *dicere non possum ne magis prodere videar, quàm ad consultationem respondere*, &c. & Dionysius *de Eccles. hierarchia. cap. vltimo*, dicit non esse licitum mandare literis, verba quibus vtitur Ecclesia in administratione Sacramentorum: sic etiam de forma Baptismi subobscurè loquuntur Patres, dicentes dari Baptismum in nomine Trinitatis, aut verbis Euangelicis.

Hæc forma reduci potest ad verba Apostoli 2. ad Corinthios 1. *Qui confirmauit nos, & qui vnxit nos Deus, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris*, &c. Quæ verba etsi de Baptismo etiam intelligi possint, possunt similiter ex intento Apostoli de vtroque Sacramento intelligi, quia tum simul conferebantur; & alludit hîc ad Sacramenta, & effectum ipsorum: ad eadem alludit Ambrosius lib. de iis qui initiantur, cap. 7. *Signauit te Deus Pater, confirmauit te Christus Dominus*: & de Confirmatione verba Apostoli interpretatur Anselmus.

67 An omnia verba huius formæ sint substantialia, seu essentialia? Pater Suarez *disp. 33. sect. 5.* conatur potiora reducere ad substantiam; primò negat esse validam hanc, *consigno, & confirma te chrismate salutis*, quia oportet exprimere signum Crucis. Item, si omittatur verbum *Confirmo*, non esset sufficiens forma. Item, si verbum *confirmandi*, mutetur in verbum *vngendi*, non valere, quia non significat effectum Sacramenti: requiritur etiam *chrismate salutis*, ad expressionem materiæ remotæ.

*De essentialibus formæ.*

*Solutio dubij.* Dicendum tamen in hoc Sacramento non exigi, nisi vt exprimatur in forma eius causa principalis, actus Confirmationis, seu ministri, vt applicatur ad personam cui confertur. In antiquo ordinario Romano, quod habetur Tomo 8. Biblioth. Patrum, in fine, legitur hæc forma: *Confirmo te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c. vnde in forma Græcorum, quæ valida est, non reperitur tanta expressio, sicut in forma præmissa Ecclesiæ Romanæ. Hæc autem Græcorum habetur in Concilio Constantinopolitano can. 7. hæc: *Signaculū doni Spiritus sancti*, supple donatur tibi: nam ibidem agi de chrismatione Confirmationis suprà probauimus; & constat etiam ex canone 1. Basilij ad Amphilochium; canon autem dicit, *Et eos signantes*, inquit, *dicimus signaculum donationis Spiritus sancti*, &c. Nec est præsumendum alia verba proferri à ministro, dum actu chrismat, quàm ipsa verba formę essentialia. Et hanc esse formam, quâ nunc, & antiquitùs vsi sunt Græci in Confirmationis Sacramento, latè probat Petrus Arcudius, in suo opere de concordia vtriusque Ecclesiæ in Sacramentorum administratione *lib. 2. c. 6. & 7.* Hoc ergo supposito, dubium esse non debet Græcos vsos fuisse legitimâ formâ, quam aliter, quàm præfatus explicet, putarem explicandam: quia per *signaculum* intelligit characterem: sed quamuis character intelligi posset appellatione *signaculi* ex stylo Ecclesiastico, & scripturali: ego intelligendam magis censeo, & primariò, ipsam materiam Sacramenti proximam, nempe vnctionem in figura Crucis, quia tam Crux, quàm vnctio athletarum in militiam rectè designatur per *signaculum*, & per modum vnius actionis, nempe vnctio facta in figura Crucis: vnde canon coniungens actionem signandi cum verbis: *& signantes eos dicimus signaculum*, &c. ergo signaculum tanquam verbum exprimens signationem externam, ad ipsam signationem referri oportet, alioquin forma verborum non denotaret materiam, quod tamen requiritur in Sacramentis. *Doni*, denotat effectum interiorem, & *Spiritus sancti*, denotat causam principalem, cui hæc signatio appropriatur.

*Forma Græcorum.*

*Explicatur forma Græcorum.*

68 Hanc eandem formam in Bibliotheca Photiana insinuat Beatus Asterius *in serm. de filio prodigo*. Eam expresè tradit Cardinalis Bessarion in tractatu de Eucharistiæ Sacramento: *O Ecumenica Synodus verba, quæ sacrum chrisma perficiunt, tradens* in 7. can. inquit, *obsignantes, hoc est, sanctissimo chrismate eos chrismantes, dicimus signum doni Spiritus sancti, & hæc verba secundum eos hoc chrismatis Sacramentum perficiunt*, &c. Hæc Bessarion. Eandem formam habet censura Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani, *cap. 3.* quam interpres in annotationibus suis citat *ex can. 7.* Constantinopolitani primi, & confert vt synonymam, cum forma Latinorum.

Quamuis ergo denotatio signi Crucis, & vnctionis in figura Crucis sit de essentia formæ huius Sacramenti, modus tamen exprimendi explicitè vtrumque, & seorsim, quæ fiunt per modum vnius actionis, non est de essentia eius: vnde videtur hæc æquialere isti formæ Græcorum, *Consigno te chrismate salutis, seu sanctificationis in nomine*

Patris,

*Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, &c. vel alia quæcunque æquiualens, in qua exprimitur materia proxima, effectus, & causa principalis.

69 *An inuocatio Trinitatis sit de essentia formæ.*

Dubitatur etiam an inuocatio Trinitatis expressa requiratur? Respondet Suarez id requiri, quia Theologi omnes, & Florentinum videntur id supponere in forma præmissa, & eadem congruentia est sicut in Baptismo, in cuius forma illa inuocatio explicita requiritur. Confirmatio enim est perfectio Baptismi secundùm Patres. Respondetur tamen Patres aliter loqui de forma Baptismi, quantùm ad inuocationem explicitam Trinitatis, aliter de hoc Sacramento, quia illam necessariam esse docent ibi; non ita in proposito: vnde in forma illa, quâ vtuntur Græci, non inuenitur explicita, sed implicita tantùm inuocatio.

*Sufficere implicitam.*

*Est essentialis in forma Latinorum.*

Verum quidem est in hac, quâ vtitur Ecclesia Latina, illam inuocationem esse essentialem, quia nulla est alia particula formæ, quæ denotat causam principalem, & hoc sensu intelligendi sunt Theologi. Concilium autem Florentinum tradidit formam, quæ est in vsu efficax, & sufficiens, non discernit tamen inter particulas eius essentiales, sicut in forma Baptismi: non dubitauit ergo de forma Græcorum, neque vllus alius de ea dubitauit, sicut quidam dubitabant de forma Baptismi: neque dubitatio vlla de hac forma proposita est inter quæstiones Græcis propositas in dicto Concilio, quamuis dubitatum fuerit de ministro, vt dictum est suprà: ergo supponitur valida, neque vnquam aliàs dubitatum est, vt patet ex vtroque Lugdunensi, in quibus agebatur causa Græcorum: modo ergo sufficienter explicetur causa principalis, sine inuocatione explicita trium personarum, sed tantùm explicita Spiritus sancti, cui effectus huius Sacramenti appropriatur in Scriptura sufficiat.

*De forma Græcorũ nulla fuit dubitatio.*

*Disparitas inter Baptismi, & Confirmationis formas.*

Congruentia autem desumpta ex Baptismo non conuincit oppositum: quia Baptismus est initiatio hominis in Christum, atque adeò in ratione operis professio fidei, sine qua impossibile est placere Deo, vt suo loco ostendimus: & ideò exigitur in eo expressa inuocatio trium personarum sub proprijs nominibus. Confirmatio licèt ordinetur ad professionem fidei pro tempore congruo, inquantùm dat robur ad eam conseruandam, supponit ipsam professionem factam, atque adeò in ratione operis non includit ipsam professionem in effectu; ideóque non currit paritas.

70 *Deprecatiua foret valida.*

Sed quid dicendum, si detur forma deprecatoriè? Respondetur fore validam, sicut suprà dictum est de forma Baptismi. Contrà docet præfatus author, & communiter, qui negant formam Baptismi deprecatoriam esse sufficientem. Ad rationes ibi allatas me remitto, quia perinde etiam hîc concludunt: nisi fortè obiicias hanc formam esse actum ordinis, seu procedere à potestate ordinis, ac proinde debere exprimi modo indicatiuo. Respondeo, sicut in forma non requiritur exprimi causa instrumentalis: seu ministerialis, sic non requiri, vt eius potestas exprimatur; vtrumque patet ex forma Græcorum præmissa: sic in forma corporis, & sanguinis, quæ dicitur in persona Christi, non exprimitur neque persona ministri, neque etiam potestas characteris, seu ordinis. In Baptismo etiam Sacerdos ministrat, vt habens potestatem ordinis, & tanquam minister ordinarius, cui competit baptizare: in forma tamen Græcorum non indicat authoritatem suam, aut potestatem ordinis.

*Obiicitur.*

*Soluitur.*

Item, in edicto Constantini forma est deprecatiua: sed respondet Suarez Constantinum non retulisse omnia, quæ fecit, aut dixit Syluester, sed concisis verbis insinuasse. Contrà, verba Constantini sunt clara: *Syluester*, inquit, *leuato me de venerabili fonte indutum vestibus candidis septiformis gratiæ Spiritus sancti, consignationem adhibuit beati chrismatis inunctione, & vexillum sanctæ Crucis in mea fronte liniuit, dicens: Signet te Deus vexillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti in consignatione fidei: cunctúsque clerus respondit. Amen*, &c. Nullum rituale perfectius explicat cæremoniam Confirmationis; primò asserit se mox à sacro fonte vestitum fuisse veste candidâ, quâ vtebantur recèns baptizati vsque ad Dominicam in Albis, & cuius meminit Dionysius *de Ecclesiastica hierarchia, cap. 2.* Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi 5.* Ambrosius de his qui initiantur, *cap. 7.* Augustinus *serm. 157. de tempore*, qui est primus in octaua Paschatis: Gregorius Magnus in Sacramentario. Alcuinus *de officiis Ecclesiast. cap. 19.* Amalarius *cap. 29.* Rabanus *de instit. cleric. c. 29.* Hugo Victor *de Sacramentis, lib. 2. part. 6. c. 11.* & alij.

*Respondet Suarez.*

*Refellitur.*

*Verba Constantini.*

*Forma deprecatoria.*

*Neophyti in dubitatur Albis.*

71 Mox docet Constantinus quomodo fuerit vnctus chrismate in figura Crucis in fronte: *& vexillum*, &c. Item, quæ verba tunc dixit Pontifex, *in mea fronte*, inquit, *liniuit me dicens: signet te Deus*, &c. non potuit, nec debuit Pontifex coniungere vnctioni alia verba, quàm sacramentalis formæ: ergo hæc vera forma est, quod manifestè etiam apparet ex eius sensu, & particulis, quæ materiam, effectum, & causam principalem perfectissimè exprimunt. Vnde & Actor. 8. dicitur: *Orauerunt pro ipsis, vt reciperent Spiritum sanctum*; loquendo de Apostolis, vbi designatur modus, quo ipsi ministrabant hoc sacramentum, vel in re, vel æquiualenter, & dispensatiuè; vt postea videbitur: non vtebantur autem Apostoli modo contrario institutioni Christi: vtebantur tamen modo deprecatiuo, saltem æquiualenter *orantes, vt acciperent Spiritum sanctum Samaritani.*

*Modus deprecatorius exprimitur.*

Vnde Augustinus lib. 15. de Trinitate, cap. 20. *Neque enim aliquis discipulorum eius dedit Spiritum sanctum; orabant quippe vt veniret in eos, quibus manus imponebant, non ipsi eum dabant: quem morem in suis præpositis etiam nunc seruat Ecclesia*, &c. Non incongruè ergo hinc interpretari licet modum deprecatiuum esse sufficientem: eum autem fuisse in vsu colligitur ex forma, quâ vsus est Syluester: & videtur Augustinus similem modum in suo tempore, tanquam consuetum indicare. Neque incongruè intelligitur ille locus S. Ambrosij *lib. 2. de Sacramentis, cap. 7.* ad hunc modum confirmandi alludere: *Veniſti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? Deus Pater Omnipotens, qui te regeneranit ex aqua, & Spiritu sancto, conceſſitque tibi peccatatua, ipſe te vngat in vitam æternam*, &c. Et quamuis hæc esse verba Sacerdotis vngentis in vertice dicat Amalarius *lib. 1. de officiis, cap. 27.* tamen verba Episcopi, quæ subiungit, etiam deprecatoria sunt, & non indicatiua potestatis: vnde ipse dicit: *Emitte in eum* (verba sunt Episcopi) *septiformem Spiritum sanctum tuum paracletum de cœlis, Spiritum sapientiæ, & intellectus, Spiritum consilij, & fortitudinis, Spiritum scientiæ, & pietatis, adimple eum Spiritu timoris Domini, & consigna eum signo Crucis in vitam propitiatus æternam.*

*æternam*,&c. Ad hæc autem verba Ambroſij rectè poſſunt alludere,qui in clauſula ſequenti declarat effectum Confirmationis. *Vide*, inquit,*vbi vnctus es. In vitam*,inquit,*æternam. Noli hanc vitam illi vitæ anteferre.* verbi gratiâ, Si exurgat inimicus aliquis,ſi velit tibi vitam tuam auferre, ſi minatur mortem,vt prætuaricetur quiſquam,vide quid eligas. Noli eligere illud, in quo non es vnctus,ſed elige in quo vnctus es, vt vitam æternam vitæ præferas temporali, &c. & lib.3. ſequenti poſtquam cap.1. explicuit effectum Baptiſmi, cap.2. *Sequitur*,inquit,*ſpirituale ſignaculum,quòd auditis hodie legi: quia poſt fontem ſupereſt, vt perfectio fiat, quando inuocatione Sacerdotis Spiritus ſanctus infunditur, Spiritus ſapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij,& virtutis*,&c. vbi agit de Confirmatione, quæ Baptiſmo accedit, tanquam perfectio. Huc ergo verba etiam vltimi capitis *lib.*2. quaſi eiuſdem materiæ continuatio non intermiſſa, referenda ſunt.

72 *Duplex obiectio.* b *Et ſi obiiciatur primò contra materiam, & formam ſimul*,&c.Hîc obiicit, quòd Chriſtus quando inſufflauit in diſcipulos, dicens: *Accipite Spiritum ſanctum*,Ioannis 20. & præterea *Actor.*2. quando venit ſuper eos Spiritus ſanctus, non vſus ſit materia, aut formâ hîc præſcriptâ: ergo non eſt neceſſaria. Secundò eis non ſunt vſi ipſi Apoſtoli: ergo,&c.

*Reſponſio ad primam.* Paragrapho *Ad primum* reſpondet ad vtramque difficultatem, & primò Chriſtum potuiſſe dare Spiritum ſanctum,ſiue in terra exiſtens, ſiue in cœlo,Apoſtolis, ipſos confirmando ſine materia præſcripta, aut forma,quia non alligauit potentiam ſuam Sacramentis. Tribus vicibus communicatum fuiſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis, docet Nazianzen. *orat.*44. primò, quando miſſi *Ter datus eſt Spiritus ſanctus Apoſtolis.* fuerunt ad prædicandum: ſecundò Ioannis 20. quando in ipſos inſufflauit: tertiò *Actor.*2.in die Pentecoſtes: *Verùm*, inquit, *obſcuriùs in eis efficax erat,ſecundò expreſſius,nunc verò plenius*,&c. & hanc vltimam fuiſſe per modum Confirmationis, & conſummationis donorum,quæ inchoauit,& dedit Chriſtus, aſſerit Auguſtinus *Auguſtinus.* *ſerm.*185. *de tempore*,& tum recepiſſe plenum Confirmationis robur, ne deinceps cadere poſſint, docet Cyrillus Alexandrinus *lib.* 9. *in Ioannem*, D. Thomas q.24. *de veritate*,*art.*9.Carthuſianus *in Acta*: tum verò accepiſſe effectum Sacramenti Confirmationis, ita vt aliàs Sacramentum ipſum aliter non reciperent hîc,vt probabile ſupponit Doctor, aſſerit Alenſis 3. *part. quæſt.*9. *m.* 1. D.Thomas *in diſt.*2. *quæſt.*2.*art.*4.*ad* 3.& 3.*part.quæſt.*72.*art.*1.in corpore;& *art.*2.*reſponſ. ad* 1. Sotus *in hac diſt.*.. Et modus quo Spiritus ſanctus in primitiua Eccleſia dabatur in dono ſenſibili linguarum huic communicationi, de qua habetur *Actor.* 2. magis accommodatur, vbi Apoſtoli receperunt hoc donum linguarum, & abundantiam Spiritus ſancti.

*Confirmationis Sacramẽtum aquisitenter Apoſtolis datum in die Pentecoſtes.*

73 Vnde Auguſtinus *ſerm.*135. *de tempore*, hoc ipſum indicare videtur; tum primùm accepiſſe Eccleſiam Spiritum ſanctum: *Eccleſia*,inquit,*tum in vna domo erat,in hominibus paucis erat, in linguis totius orbis erat*,&c.Et ex Ioann. 7. *Hoc autem dixit de Spiritu,quem accepturi erant credentes in eum,nondum enim erat Spiritus datus, quia Ieſus nondum erat glorificatus*, &c. Hunc Spiritum accipiebant credentes per Sacramentum Confirmationis, vt patet ex Actis. Sicut ergo non expediebat Spiritum dare hoc modo, donec Ieſus fuiſſet glorificatus, neque etiam conueniebat perfectiori modo communicare illum aliis credentibus, quàm fuiſſet communicatus Apoſtolis; ita congruum erat, vt aliam Confirmationem non reciperent, ante illam plenitudinem Spiritus,de qua fuit promiſſio Chriſti facta Apoſtolis Lucæ 24. vbi oſtenditur etiam dandus per modum virtutis,& roboris,qui eſt modus propriatus Confirmationi: *Vos autem*, inquit,*ſedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*, &c.

*Ante illud tempus non fuit vſus Confirmationis.*

Hoc ipſum indicant verba illa Petri Actor 2. *Accipietis donum Spiritus ſancti*, &c. quæ commodè interpretari poſſunt, vt ſuprà diximus in initio huius commenti contra hæreticos, de Sacramento Confirmationis, quod baptizatis ſtatim conferebatur, vt patet *Actor.*19. quia per ſolum Baptiſmum non recipiebant fideles Spiritum ſanctum per modum roboris, & virtutis, vt dabatur per manus impoſitionem,vt patet *Actor.* 8. Ex quibus patet hanc miſſionem Spiritus ſancti in Apoſtolos,fuiſſe per modum Confirmationis etiam viſibilis, ſed particulari modo: neque vſum huius Sacramenti fuiſſe ante Aſcenſionem Domini,& aduentum Spiritus ſancti.

74 *Reſponſio ad ſecundam obiectionem.* Ad ſecundam difficultatem variè reſpondent Doctores,primò non fuiſſe vſos Apoſtolos materiâ,aut formâ huius Sacramenti, ſed ſolùm manus impoſitione. Hanc tenet Alenſis, & D.Bonauentura,& eâ videtur ſupponere Eugenius IV. *in Decreto vnionis Armenorum*, dicens: *Loco illius manus impoſitionis Apoſtolicæ dari nunc in Eccleſia Confirmationis Sacramentum*,&c. Eam, vt probabilem ſupponit Doctor,ſed cum limitatione, nempe diſpenſatiuè id factum, & ſaltem Apoſtolos, quandoque ſine Sacramento viſibili dediſſe Spiritum ſanctum per ſolam orationem, & manus impoſitionem. Docet etiam communis Scholaſticorum, D.Thomas 3.*part.quæſt.*72.*art.*2.*ad* 1.*& art.*4.*ad* 1.Richardus *diſt.*7.*art.*1 *quæſt.*1. *ad* 2.Paludanus *quæſt.*2.*art.*2. Durandus *quæſt.*2. *ad* 1. Gabriel. *quæſt.*1. *art.*5. Sotus *art.*2. *ad* 1. Concilium Moguntinum nouiſſimum *cap.*18.*de doctrina fidei*, & Colonienſe in doctrina de hoc articulo.

*Apoſtolos nõ fuiſſe vſos materia, & forma.*

Secunda ſententia eſt etiam Apoſtolos vſos fuiſſe hoc Sacramento interdum, prout occaſio ferebat; & ita tenetur in Schola D.Thomæ tanquam probabile.

*Secunda ſent. interdũ vſos fuiſſe.*

75 *Tertia ſent. ſemper fuiſſe vſos materiâ,& formâ.* VValdenſis. Bellarm. Tertia ſententia eſt, nunquam Apoſtolos confirmaſſe ſine Sacramento viſibili in materia, & forma præſcriptis. Hanc tenet VValdenſis *tom.*2. *de Sacramentis*, *cap.*113. & probabiliorem docet Bellarminus *lib.*2.*de Sacramento Confirmationis*,*c.*9. *in reſponſione ad duo loca Actor.*8. *&* 19. nunquam Apoſtolos miniſtraſſe hoc Sacramentum, niſi in materia, & forma præſcriptis. Et hæc ſententia dat maiorem efficaciam argumentis,quibus probatur contra hæreticos veritas huius Sacramenti ex Scriptura,& Patribus, ideóque videtur magis ſequenda, quia neque ratio, neque authoritas Scripturæ,aut Patrum aliud cogit: quòd enim in Actis non legatur aliud, quàm manus impoſitio facta ab Apoſtolis, nequit hoc interpretari excluſiuè ad materiam, & formam inſtitutam à Chriſto, alioquin infirmatur fundamentum probandi ex Scriptura hoc Sacramentum, quod eſt inconueniens: licèt enim ad veritatem fidei, traditio,& definitio Eccleſiæ,ac Patrum abundè ſufficiat; tamen non eſt reſpuendum adminiculum Scripturæ, aut infirmanda authoritas literæ per interpretationem non neceſſariam, ad quam nihil

*Hæc ſententia præfertur.*

*Neque ratio, neque traditio, vel authoritas excludit vſum Sacramenti manus impoſitione per Apoſtolos.*

nihil cogit: si enim per solam manus impositionem dabant Apostoli Spiritum sanctum, certum est illam manus impositionem, quamuis habeat æquiualentiam Confirmationis, quantùm ad effectum, & signum sensibile, non fuisse tamen Sacramentum: quia nulla stabili lege mansurum, vt medium ordinarium in lege Euangelica: ergo ex ea non rectè probatur institutio Confirmationis.

Deinde, cùm Patres, & Concilia passim sumant synonymè hæc duo, nempe, manus impositionem, & chrisma, quod est Sacramentum; neque vllus vnquam inter Patres diuersitatem inter hæc duo statuit; sed nunc vno, nunc altero vtuntur, non debent sumi vt diuersa.

*Episcopi successores Apostolorum in chrisinando.*

Accedit authoritas antiquorum decretorum fidei, quibus declaratur, vt in præmissis patet, ministrum Sacramenti esse solos Episcopos, eâ ratione quòd soli Apostoli dabant Spiritum sanctum per manus impositionem, eorúmque successoribus id reseruatum sit: cui ratione, seu fundamento non modicum derogat, si alius fuerit ritus, quo conferebatur ab Apostolis, alius, quo vtebantur successores; quoniam hoc Sacramentum est, illud verò non, ex ratione dicta, licèt æquiualeant.

76 *Patet ex Scriptura.*

Præterea, nó leuiter in Scriptura dicitur *Act.* 8. insinuatur Apostolos fuisse vsos Sacramento; nam in priori loco: *Qui cum venissent, orauerunt pro illis, vt acciperent Spiritum sanctum; nondum enim in quemquam illorum venerat; sed baptizati tantùm erant*, &c. Hæc oratio non est discernenda à ministerio, quo Apostoli dabant Spiritum; quamuis postea ipsum ministerium dicatur ibidem *impositio manus*. Augustinus *lib.* 13. *de Trinitate, cap.* 26. verbis iam citatis coniungit hæc duo, & orationem, & manus impositionem: sic etiam Augustin. Cyprianus epist. 73. *Quod dicerat* (supple Samaritanis baptizatis per Philippum) *id*, inquit, *à Petro, & Ioanne factum est, vt oratione pro eis facta, & manu imposita, inuocaretur, & infunderetur super eos Spiritus*, &c. & statim subdit: *Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, & manus impositionem Spiritum sanctum consequantur, & signaculo dominico consummentur*, &c. ergo perinde intelligit Cyprianus eandem esse orationem, & manus impositionem Apostolicam, sicut & Episcopalem orationem, & manus impositionem, quæ est Sacramentum: *Quod nunc quoque apud nos geritur*, inquit, &c. nempe oratio, & manus impositio, quæ fiebat ab Apostolis, quoad baptizatos Samaritanos: oratio ergo illa Apostolorum denotat verba sacramentalia, & ritum, qui in verbis sequentibus manus impositio dicitur.

Cyprian.

77 Tertullian.

Eundem modum loquendi habet Tertullianus lib. de Baptismo cap. 8. *Dehinc*, inquit, *manus imponitur per benedictionem aduocans, & inuitans Spiritum sanctum*, &c. Quibus verbis seruat modum loquendi Scripturæ præmissum *Actor.* 8. insinuans eundem ritum fuisse obseruatum: sed & idipsum apud alios Patres facile est obseruare; & videtur mihi, & est expressa sententia Eusebij Papæ: *Manus*, inquit, *impositionis Sacramentum, magnâ veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi à Summis Sacerdotibus, nec tępore Apostolorum ab alijs, quàm ipsis Apostolis legitur, aut scitur esse peractum: neque ab alijs, quàm ab illis, qui Apostolorum tenent locum, vnquam perfici potest, aut fieri debet*, &c. vbi extra dubiũ est eum hîc loqui de Sacramento Confirmationis, quod dicit in tempore Apostolorum non legi actum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis: supponit legi actum ab Apostolis; sed nullibi, nisi in loco allegato; & *Act.* 8. & 19. vbi vocatur *manus impositio*, neque fit mentio de oratione, quia nempe synonyma sunt in hac materia, ex vsu Scripturæ; & patet *Actor.* 8. vt dictum est. Quamuis ergo *Actor.* 19. non exprimatur oratio, sufficienter ex stylo Scripturæ intelligitur per manus impositionem, neque enim aliter Paulus, quàm Petrus, & Ioannes Confirmationem dabant.

Eusebius Papa.

78 2. ad Cor. 1.

Idem etiam patet 2. ad Corinth. 1. *Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo, & qui vnxit nos Deus, qui & signauit nos*, &c. quem locum suprà de forma Græcorum, quæ ex eodem desumi videtur intelligere congruè possumus cum Anselmo, & Ambrosio. In his ergo alludit ad Sacramentum Confirmationis Apostolus, & ad vnctionẽ signatam, & sensibilem, per quam vnctionem interiorem significat, eiúsque effectum quem antea præmisit, *qui autem confirmat nos vobiscum*, &c. stylus enim Apostoli frequens est, mysteria gratiæ per suas causas significare; vt sæpe etiam salutem per fidem significat, & per opera; iustificationem, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, regenerationem interiorem per lauacrum; & sic similiter hîc Cõfirmationis effectum, per vnctionem, & signationem, quæ sunt causæ eius, exponit.

*Congruentia ex quibus colligitur Apostolos vsos fuisse Sacramento.*

Accedit & congruentia conformitatis cum institutione Christi, & commendatio maior Sacramenti, cuius virtus tum visibiliter apparens in communicatione visibili Spiritus sancti, veritatem eius indubiam relinquebat. Præterea reuerentia maior Prælatorum Ecclesiæ, per quos solos, aut eorum authoritate, tam efficax beneficium salutis perficiebatur. Tertiò, denique Patres explicantes, quomodo idem Spiritus datur nunc inuisibiliter, qui antea dabatur visibiliter per Apostolos, & etiam idem ipse sit; supponunt idem Sacramentum fuisse, & nunc, & tunc in vsu. Vide Augustinum *tract.* 6. *in Ioannem.*

*Est sententia Fabiani Papæ.*

Hæc denique traditio habetur ex epistola Fabiani Papæ, vbi dicit Apostolos & docuisse, & obseruasse consuetudinem hanc renouandi singulis annis chrisma. Neque ab hac sententia abhorret Doctor: asserit enim potuisse Christum dispensasse cum Apostolis in primitiua Ecclesia, vt darent Spiritum, absque hoc Sacramento: neque asserit ita factum, sed eo dato, quia præsentia Spiritus sancti pro eo tempore sufficienter significabatur per donum linguarum, cessante hoc miraculo, debuisse Ecclesiam redire ad legem ordinariam, & vti Sacramento à Christo instituto, per applicationem materiæ, & formæ. Quantùm ad factum autem licèt præmittit dispensari potuisse cum Apostolis: & subdit congruentiam, quam Richardus, & alij afferunt, dispensationis, propter donum linguarum: tamen videtur negare fuisse dispensatum, quia infrà subiungit: *toto autem tempore Apostolorum fortè mansit donum linguarum in Sacramento Confirmationis*: supponit ergo Apostolos ministrasse ipsum Sacramentum.

*Insinuat Doctor.*

79 *Explicatur Florentinum.*

Ad illud autem Florentini benè respondet Bellarminus dicens, per modum loquendi distingui non ritum à ritu, sed personas à personis. Dici etiam potest, quòd denotatur ordo successionis inter Apostolos, & alios Episcopos successores: denotatur etiam diuersitas in effectu, quatenus

tenus manus impoſitio per Apoſtolos dabat non ſolùm effectum inuiſibilem, ſed etiam viſibiliter in dono linguarum deſignatum; & hic modus ei tempori ad plantandam fidem, ſicut & alia miracula, congruebat: ſucceſſores autem dant Spiritum inuiſibilem ſine dono linguarum, qui per ſe non ſpectabat de lege ad effectũ Sacramenti, aut manus impoſitionis; ſed per accidens, & ex ſpeciali Dei ordinatione, vt dixi, tempori, & locis, & perſonis accommodato. Manſit quod de lege communi erat, deſiuit priuilegium, & in hac deſitione ipſa ſucceſſio, non autem in vſu Sacramenti. Per idem patet ad id, quod dicit Innocentius III. cap. *Cùm veniſſet, extra de ſacra vnctione.* Ex quo videntur Theologi deſumpſiſſe illum modum loquendi; ſicut & Florentinum: dicit enim ſignationem in fronte ſucceſſiſſe impoſitioni manus Apoſtolorum, quod modo dicto interpretari debet.

80 *Inſtituta Cõfirmatio à Chriſto.*

c *Supponitur enim inſtitutum eſſe à Deo*, &c. Sacramentum fuiſſe à Deo inſtitutum ſupponit hîc, quod ſuprà probauit in genere de omnibus Sacramentis *diſt. 1. quæſt. 2.* & aliàs quod definit Tridentinum *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, cap. 1.* & ſupponit de hoc Sacramento Canon primus. Trident. Senonen. Mogunt. Senonen. *cap. 15.* Moguntinum *cap. 17.* de tempore tamen eſt dubium, quia vſum Sacramenti ante Chriſti glorificationem non fuiſſe, iam oſtenſum eſt. Aliqui dicunt fuiſſe inſtitutum Matth. 18. quando Chriſtus imponebat manus pueris; ſed quamuis ibi dici poſſit inſinuatum, eo modo quo Tridentin. *ſeſſ. 14. de Extrema Vnctione, c. 1.* dicit fuiſſe inſinuatam Marci 6. nequit cum fundamento aſſeri fuiſſe inſtitutam, quia nihil de ipſa textus; & quamuis manus impoſitio facta à Chriſto dicatur hæc: tamen multiplex eſt; neque verum eſt Chriſtum miniſtraſſe hoc Sacramentum manibus propriis: aut, vt dictum eſt, vſum eius fuiſſe ante glorificationem eius, & aduentum Spiritus ſancti. *Non fuiſſe inſtitutam, Matth. 18.*

81 *Suarez.*

Aliam ſententiam adducit Suarez ordine ſecundam, quam dicit eſſe noſtri Doctoris in hac reſponſione ad primam obiectionem, nempe inſtitutum eſſe hoc Sacramentum Ioannis 20. vbi dicitur: *Accipite Spiritum ſanctum*, &c. & indicare fortè non fuiſſe inſtitutum ante Chriſti Aſcenſionem, nec toto illo tempore, quo Apoſtoli non fuerunt vſi materiâ, & formâ huius Sacramenti: *ſed hoc poſterius neque ipſi Scoto*, inquit, *placuit, neque eſt probabile.* Occaſionem huius dedit fortè Sotus *art. 1. huius diſt.* ſed vterque nihil dicit, quod facit ad ſententiam, aut literam Doctoris; quia non agit Doctor ibi de inſtitutione Sacramenti; ſed de vſu eius: ideóque illa obiectio proponitur ab eo contra materiam, & formam præſcriptam Sacramenti. *Et ſi obiicitur*, inquit, *primò contra materiam, & formam ſimul*, &c. obiectio in hoc verſatur, vt primùm Ioannis 20. dicatur Chriſtus inſufflando, dediſſe Spiritum ſanctum Apoſtolis ſine materia, & forma præſcripta; & ſimiliter *Actor. 2.* quòd receperint ipſi Apoſtoli Spiritum ſanctum ſine materia & forma. Tertiò denique per manus impoſitionem abſque materia, & forma dabant Apoſtoli Spiritum ſanctum. Et reſponſio ſimiliter loquitur de receptione Spiritus ſancti, abſque vſu materiæ, & formæ, vel certè applicando illas, nihil autem dicit in ſpecie de inſtitutione primaria Sacramenti, quaſi illis in locis facta: immò in verbis præfatis, quibus tantùm agit de hac, dicit tempus neſciri ex Scriptura, & reduci certitudinem rei ad traditionem.

*Non aſſequitur ſententiam Doctoris.*

*Non agit Doctor loco citato de inſtitutione; ſed de vſu, & miniſterio Sacramenti.*

Hoc tempus inſtitutionis inſinuat Fabianus in ſua epiſtola fuiſſe in vltima Cœna: *Sicut à Sanctis Apoſtolis*, inquit, *prædeceſſores noſtri acceperunt chriſma conficere docuit*: hoc tamen ita intellexerim, vt non pro tunc applicandum, neque efficax completè foret, donec ordinati ſunt Apoſtoli eius miniſtri in Epiſcopos, quod mox poſt reſurrectionem prius factum eſt, quando inſtituit Petrum ſuum Vicarium, & omnibus dedit poteſtatem in corpus ſuum myſticum: in Cœna autem videntur tantùm ordinati Sacerdotes, qui non erant miniſtri idonei ex ſua ordinatione, neque etiam ex delegatione, donec ſubſiſteret plenitudo poteſtatis in Eccleſia, quæ nondum fuit ordinata. De ſecunda, & tertia obiectione, & ſuis reſponſionibus eſt dictum ſuprà explicando particulas definitionis, quæ ſpectant ad materiam, & miniſtrum. Infrà ad calcem explicat quomodo chriſma habeat proportionem ad ſignificandum effectum Sacramenti.

82 *In Cœna quoad materiam, & formam inſtitutum. Quoad applicationem, & efficaciã dependebat ab inſtitutione miniſtrorum.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm Sacramentum Confirmationis ſit neceſſarium ad ſalutem?*

Alenſ. 4. *part. q. 25. m. 2.* D. Bonau. *hîc art. 3. q. 2.* Richard. *art. 5. q. 1.* D. Thom. *q. 3. art. 2. & 3. part. q. 65. art. 4. & quæſt. 72. art. 8.* Suarez *3. p. tom. 3. d. 38.* Coccius, & Bellarm. *citati quæſt. 1.*

*Argum.*

CIRCA iſtam diſtinctionem quæri poſſunt aliqua breuia. Primò, Vtrùm iſtud Sacramentum ſit neceſſarium ad ſalutem? Quòd ſic: De conſecrat. diſt. 5. *Omnes fideles per manus impoſitionem Epiſcoporum poſt Baptiſmum Spiritum ſanctum ſuſcipere debent, vt pleni Chriſtiani inueniantur.* Ex hoc habetur propoſitum, quia quilibet tenetur eſſe plenus Chriſtianus.

*Ratio opp.*

Contrà. In Baptiſmo datur gratia: ergo per illam eſt filius regni, & ita ſufficit ad ſalutem.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Confirmationem non esse necessariam ad salutem, sed necessariam esse, ne contemnatur. Censetur autem contemnere non suscipiens, qui commodissimè potest suscipere. Videtur ergo secundùm Doctorem non esse in præcepto, & ita tenere videtur D.Thom.d.art.8.ad 4.D.Bonauent.putat esse in præcepto Ecclesiæ. Richard. in præcepto diuino, quem sequitur Bellarm. lib.1.de Sacram. cap.22.sed non esse in præcepto tenet expressè Doctor infrà d.17.q.1.n.11.& D.Thom.3.part. quæst.65.art.4.ad 3.& quæst.72.art.1.ad 3.*

Respondeo, non est simpliciter necessarium ad salutem, iuxta illud Marc. vltim. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, & *de consecr.dist.5. Spiritus sanctus*, vbi habetur, quòd baptizatus per solum Baptismum saluatur: est tamen necessarium adulto sic, quòd non contemnat, sicut dicitur *Extrà* de sacra vnctione. Vbi dicitur in Glossa, quòd non est plenus Christianus qui contemnit.

Ad argumentum dico, quòd loquitur de adulto, qui debet suscipere, id est, non contemnere, & pro tempore congruo suscipere in effectu: iudicaretur enim contemptus, si omnimodâ opportunitate oblatâ, non susciperetur.

## COMMENTARIVS.

1 *Respondeo non est simpliciter necessarium*, &c. Occasione huius quæstionis nonnullæ turbæ hoc tempore subortæ sunt; ne fomentum itaque magis ingerere, aut captare videar, quàm differendi opportunitatem, supersedeo: videantur Authores citati, & Patres, & potissimùm Melchiades Papa loco citato: praxis primitiuæ Ecclesiæ, & retenta in Ecclesia Orientali, quæ Confirmationem simul cum Baptismo confert; sed & praxis diuturna Ecclesiæ Occidentalis, quæ differt Confirmationem. Illud certum est, non esse medium necessarium ad salutem: an sit in præcepto ex parte suscipientis, vt illud suscipiat? rectè Doctor asserit saltem esse præceptum ne illud contemnat: contemnere verò est, non suscipere Sacramentum, quando potest commodè ex quo tantus fructus redundat, & consummatio Baptismi. Censet ergo esse præceptum suscipiendi Sacramenti, si debitæ circumstantiæ concurrant; adderem vbi sunt pericula subuersionis, & fidei esse præceptum suscipiendi Sacramenti, quod vt medium ordinarium confert robur, & virtutem; quoniam & hac ratione videtur potestas data Sacerdotibus ex commissione fundari, vt ministrent hoc Sacramentum.

*Non esse medium ad salutem necessarium.*

*In persecutione fidei est præceptū suscipienda confirmationis.*

2 An verò in Prouinciis singulis, & regnis, vbi nequit esse recursus ad alios sine incommodo, Ecclesia teneatur prouidere de ministris idoneis huius Sacramenti? & an teneantur Episcopi in suis Diœcesibus illud ex præcepto diuino ministrare, & procurare, vt ab omnibus, iuxta consuetudinem Prouinciarum suscipiatur, saluo meliori iudicio putarem esse præceptum vtrimque; nisi maiora incommoda obstent, seu excusent, de quibus Prælatorum est iudicare quid hîc, & nunc expediat ad profectum suscipientium, ad reuerentiam Sacramenti. Nec video quomodo, aut Christianus contemnere Sacramentū, in quo communicatur Spiritus sanctus ad consummationem Baptismi suscepti, vt dicunt Patres aliàs citati, aut quomodo Prælati, sine graui culpa contra sollicitudinem, ad quam diuinâ lege tenentur, ministerium tanti Sacramenti omittere possint in necessitate populi, vbi aliud non excusat, ex eo solùm prætextu, quòd Sacramentum non sit medium necessarium ad salutem: omissio enim ministerij libera, & sine vrgentiori causa nequit separari à contemptu fundato Sacramenti in populo, cuius causa essent Prælati oscitantes. Sed hæc relinquo examinanda aliis, de quibus frequens est Doctorum tractatus: & vtinam veritas sine zelo amaro, & contentione nunc dierum exquireretur; nec quæstiones extraneæ admiscerentur, quæ pietati magis nocent, quàm proposito accedunt: qui voluerit inquirere veritatem ex Canonibus, & Patribus, & consuetudine Ecclesiæ, facilè obuiam inueniet.

*Ad ministerium eius tenentur Prælati.*

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm Sacramentum Confirmationis sit dignius Baptismo?*

Alens.4.*p.q.*27.*m.*2.D.Bonau.*hic dub.*3.Richard.*a.*5.*q.*2.D.Thom.*q.*1.*a.*1.Suar.3.*p.tom.*3.*d.*34.*sect.*1.2.

SECVNDÒ quæritur, Vtrùm sit dignius Baptismo? Quòd sic videtur in litera. Item *de consecr.dist.5. Nouissimè*, patet quòd præfertur istud Sacramentum Baptismo.

Contrà; Baptismus delet culpam & pœnam, sine pœnitentia: hoc autem non: ergo, &c.

*COMMENTARIVS.*

1 *Secundò quæritur*, &c. Hanc quæstionem mouerunt Episcopi Hispaniæ; ad quam respondet Melchiades: *Quæsistis*, inquit, *vtrùm maius esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, aut Baptismus? Scitote vtrumque magnum esse*, &c. vbi præfert Confirmationem inquantùm à maioribus, scilicet Episcopis tantùm fieri potest, non à minoribus; præfert ex altera parte Baptismum, quoad effectum salutis, quem præueniente morte solus sine Confirmatione potest dare; nó ècontra.

Melchiades.

*Comparatio Baptismi, & Confirmationis secundùm dignitatē & efficaciam.*

*Comparatio ex fine.*

In his duobus stat resolutio Doctoris Baptismum excedere ex perfectione finis, & vniuersalitate effectus (quia dat vitam, delet peccatum, & pœnam, minuit fomitem, &c.) Confirmationem, quæ tantùm dat augmentum gratiæ, & cuius finis particularis est, nempè dare robur ad professionem fidei susceptæ in Baptismo: Baptismus autem gratiam, & auxilia vniuersalia ad obseruantiam legis. Secundò dicit excedere Confirmationem, quia ex digniori ministro perficitur. Videatur etiam Eucherius Lugdunensis *homilia in die Pentecostes*; in qua pulchrè vtriusque comparationem, & fructum explicat.

Eucherius Lugdunen.

## SCHOLIVM.

*Sacramentum Confirmationis secundùm quid perfectius Baptismo, sed hoc simpliciter esse perfectius.*

Respondeo, quando aliquid includit, vel præsupponit aliud, illa possunt comparari, vel secundùm illud, quod præcisè pertinet ad vtrumque, vel secundùm illud, quod secundum ponit præsuppositio primo. Et quidem secunda comparatio non est per se, quia sic vniuersaliter secundum excedit primum, sicut duo bona excedunt alterum eorum. Sed prima est per se, quia est secundùm præcisas rationes comparatorum. Et hoc modo dico, quòd Baptismus est simpliciter nobilius Sacramentum, loquendo de nobilitate Sacramenti penes finem principalem Sacramenti, qui est collatio gratiæ. Nam ad maiorem gratiam, & ad plures effectus simpliciter nobiles confertur Baptismus, quàm Confirmatio. Loquendo tamen secundùm aliam comparationem, Confirmatio multùm addit Baptismo.

*Baptismus est simpliciter perfectior confirmatione.*

Potest etiam dici secundùm *quid* Confirmatio nobilior, ratione ministri, quia à nobiliori ministro confertur: sed non est hoc simpliciter propter eius nobilitatem, sed propter Baptismi maiorem necessitatem. Iste pluribus ministris conceditur, ista non, nisi specialibus. Ex hoc vltimo de nobilitate secundùm *quid*, patet ad argumentum oppositum.

---

## QVÆSTIO IV.

### *An Sacramentum Confirmationis possit iterari?*

Alens. 4. *p. quæst.* 28. *m.* 7. D. Bonau. *hic dub.* 6. Richard. *art.* 6. *quæst.* 1. Suarez 3. *p. tom.* 3. *d.* 34. *sect.* 1.

Ertiò quæritur, Vtrùm istud Sacramentum possit iterari? Videtur quòd sic, quia morbus contra quem est, iteratur: potest enim aliquis post confirmationem iterum fieri pusillanimus: ergo remedium contra illum morbum iteratur.

Contrà, Magister in litera, & *de consecr. dist.* 5. *dictum.*

## SCHOLIVM.

*Confirmationem nec licitè, nec valide iterari posse. Ita communis, ex Trident. sess.* 7. *can.* 9. *Florent. decret. Eugen.*

Respondeo [a], iterari non debet, ita quòd scienter, quia iterans peccat mortaliter: sed nec potest iterari sic, quòd iteratum habeat propriam efficaciam. Ratio principalis est institutio diuina, & congruentia: quia per istud Sacramentum instituitur aliquis in determinato gradu Ecclesiæ, scilicet in gradu bellatoris: & Sacramentum instituens in gradu determinato non iteratur, & iuxta hoc adducitur congruentia, quia imprimit effectum indelebilem, scilicet characterem.

Ad argumentum, morbus vt contra ipsum est hæc medicina, non iteratur, licèt aliter.

COMMEN

## COMMENTARIVS.

1 *Confirmatio nequit iterari.*

2 RESpondeo, *iterari non debet*, &c. Conclusio Doctoris est, iterari non posse Confirmationem susceptè, quia iterans peccaret mortaliter; nec validè, quia nihil fieret: primò, ex institutione Christi: secundò, ex congruentia *dist. superiori* expositâ *quæst.* 9. quia Confirmatio constituit determinatum gradum in Ecclesia, ac proinde imprimit characterem. Hæc conclusio est de fide: patet ex Apostolo *ad Hebræos 6.* vbi Baptismum, & manus impositionem non posse iterari, vt exponit (prout dictum est suprà) Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij: quia inter fundamenta, quæ non iaciuntur nisi semel, dicit esse Baptismum, & manuum impositionem Trident. *sess. 7. de Sacramentis in genere, can. 9.* Florentin. *in decreto vnionis*: sed & antiquiora Concilia idem definiunt, vt Toletanum VIII. *can. 7.* vbi dicit neque Ordinem, neque Confirmationem iterari posse: Cabilonense II. *cap. 27.* Tarraconense apud Gratianum cap. *Dictum est, de consecrat. dist. 5.* & Burchardum *lib. 4. cap. 50.* Iuonem *part. 1. cap. 144.* Item Gregorius III. *epist. 4.* ad Bonifacium *eadem dist. cap. de homine.* idem docet Author sermonis de lotione pedum inter opera Cypriani: Augustinus *lib. 2.* contra literas Petiliani *cap. 104.* Rabanus *lib. 1. de institut. clericor. cap. 30.* Alamarinus *lib. 1. de officijs Ecclesiasticis, c. 7.* & communis Theologorum. Idem supponunt antiqui Patres, qui nihil de iteratione Sacramenti vnquam dixerunt; & congruitas est: quia spectat hoc Sacramentum ad perfectionem Baptismi, vt ipsi docent, sine quo perfectus Christianus quis esse non potest, id est, miles Christi armatus, & signatus.

Chrysost. Theodoret. Theophylactus. Trident. Florent. Toiet. VIII. Cabilonens. Tarraconen. Burchard. Iuo. Gregor. III. Author sermonis de lotione pedū. Augustin. Rabanus. Alamarinus. *Congruentia.*

2 *Obiectio. Ex ritu Ecclesiæ Orientalis. Ex præcepto Nicolai I. Resp̃sio aliorum refellitur.*

Obiicies, apud hæreticos fuit vsus chrismatis; sed Orientalis Ecclesia recipiebat conuersos cum vnctione confirmando: ergo Sacramentum est iterabile. Item vt constat ex consultis Bulgarorum, Episcopi Latini denuò confirmarunt Bulgaros, quos antea confirmarant Constantinopolitani. Respondent quidam in Canonibus antiquis, vbi est mentio recipiendi hæreticos cum impositione manus, & chrismate, idē intelligi de quadam cæremoniali chrismatione: sed hæc responsio, vt suprà visum est, non subsistit, quia & testimonium Gregorij est clarum in oppositum, & Vigilij Papæ *epist. 1. cap. 3. & can. 7.* Constantinopolitani, vbi hæc vnctio, & manus impositio exprimitur fieri, simul proferendo formam Sacramenti, quâ vtitur Ecclesia Græca.

Gregorius. Vigilius. Conc. Constantinop. *Canones non intelligi de cæremoniali, sed sacramẽtali chrismate.*

Accedit quòd prædicti recipiebantur quoad Baptismum, qui non iterabatur in eis, nec fuit vsus chrismandi baptizatos in vertice aut nunc, aut tunc in Ecclesia Orientali, sed solùm in Ecclesia Latina post Syluestrum: ergo Canones illi Orientales non intelligendi sunt de chrismate merè cæremoniali.

3 *Prima resp̃sio.*

Respondetur ergo, vel negando antecedens ex Theodoreto *in lib. 3. de fabulis hæreticorum*, vbi insinuat Canones antiquos, quibus vtebantur hæretici recipiendi cum chrismate, & manus impositione. *Homines suæ classis* (*Nouatus*) inquit, *non solùm Nouatianos, sed etiam puros appellauit, ijs qui ab ipsis baptizabantur sacratissimum chrisma non præbent: quocirca etiam eos, qui ex hac hæresi cum corpore Ecclesiæ se coniungunt vngendos esse laudatissimi Patres mandarunt*, &c.

*Nouatiani vtemebant Sacramẽtum.*

Ipsum etiam Nouatum contempsisse Confirmationem satis manifestat Cornelius Papa in epist. ad Fabium Antiochenum *lib. 6.* apud Eusebium. Hoc perinde de aliis hæreticis, quos Canon Constantinopolitani speciatim complectitur, præsumendum est: & ratio quam Theodoretus affert, communem causam insinuat. Et confirmari potest: quia ordinatos, & baptizatos ab hæreticis in suo gradu recipiendos mandat, exceptis paucis, Canon Niceni; & *can.* 48. Sardicensis, *can. 68.* Carthaginen. *can. 2.* Basilij: quare non idem dicerent de confirmatis, si illi hæretici, de quibus loquitur Canon, haberent vsum Confirmationis. Confirmatur secundò ex aliis Canonibus, in quibus nunquam legimus ordinatum, vt transfugæ ab Ecclesia iterum redeuntes, reciperentur per manus impositionem: sed ad pœnitentiam redigebantur, adhibitâ manu reconciliatrice: vt patet ex Canonibus Ancyrani, & aliis; vnde constat hoc Sacramentum nullâ ratione esse iterandum, vt Patres Græci in locum citatum Pauli docent: in illis ergo transfugis, sicut non iterabatur manus impositio, sequitur eos hæreticos, qui recipiebantur per chrisma, & manus impositionem, non fuisse aliàs confirmatos; sicut & Nouitiani non confirmabant.

Cornelius Papa. *Hæretici in suo gradu recipiendi.* Nicen. Sardicense. Carthagin. Basilij. *Apostata ab Ecclesia per pœnitentiam recipiebãtur.* Concilium Ancyranum.

4 *Secunda responsio. Vera intelligentia Canonum, & causa decreti.*

Respondeo secundò ex consuetudine Ecclesiæ Orientalis, vt suprà probauimus, ministerium chrismatis, sicut & Baptismi, quæ simul conferuntur, & olim conferebantur, vt plurimùm spectasse, & spectare ad Presbyteros; quem vsum secutæ sunt etiam hæreses Orientales illæ, apud quas viguit vsus chrismatis, vt adhibebatur à Gnosticis ex Irenæo suprà citato. Ostensum est autem Sacerdotem simplicem sine iurisdictione communicata ab Ecclesia non posse esse ministrum idoneum huius Sacramenti, neque validè confirmare: cùm ergo separati ab Ecclesia nullam habuerint iurisdictionem, sic etiam non validè confirmabant. Non est mirum ergo si sacri Canones ex speciali vsu Ecclesiæ Orientalis absolutè doceant hæreticos chrismandos; quamuis Baptisma, & ordinationes inter ipsos facta quæ non dependent quantùm ad valorem, à potestate iurisdictionis reciperent.

*Chrisma factum à Sacerdote sine iurisdictione nullum fuit.*

5 *Responsio ad secundam obiectionem.*

Et per hoc patet ad secundam etiam obiectionem, quæ colligitur ex epist. Adriani I. ad Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum, quia Presbyteri illi Constantinopolitani erant Photiani, & sacris interdicti, at in aliena Diœcesi inter Bulgaros, qui ad districtum Rom. Ecclesiæ spectabant, confirmarunt: repetit Pontifex verba Ignatij: *Scripsisti*, inquit, *vt nostri Presbyteri ex dictione Bulgarorum cum ignominia, & dedecore pellerentur*, &c. & respondet Pontifex: *Quòd si dicas* (respondet Adrianus) *prius à nobis Presbyteros Constantinopolitanæ Diœcesis ab ea regione expulsos, haud inficias inimus; erant Photiani illiúsque symmistæ, quibus non solùm in Bulgarorum terris; sed vbique gentium sacris omnibus interdiximus interdicimúsque*: habetur in Synodo octaua.

Adrianus I. *Confirmatio facta à Presbyteris Photianis nulla fuit.*

6 Photius. *Calũnia eius in Latinos.*

Photius etiam intrusus in sedem, quam profanus occupauit, in sua epist. Encyclica ad Patriarchas, dissimulans suorum Presbyterorum suspensionem à sacris, hoc ipsum vitio vertit Latinis, quòd Confirmationem iterarent; cuius calumniæ vsurpatio, & schisma licèt innotuerint;

tamen consuetudinem Ecclesiæ vniuersalis de non iterando chrismate attexit contra Latinos: *Quinetiam illos*, inquit, *qui à Presbyteris chrismate vncti fuerunt, iterum chrismate non horruerunt, Episcopos seipsos iactantes, & Presbyterorum chrisma inutile esse, & frustrà ab illis administrari portentosè docentes*, &c. *Non reperitur aliquis, qui talem vnquam auribus acceperit insipientiam, quam isti mente capti audere non dubitarunt: illos videlicet qui semel tincti sunt chrismate, iterum chrismantes, & Christianorum excelsa, & diuina mysteria in magnas nugas, & derisum ingentem conuertentes.* Et infrà: *Iterata chrismatio illorum, qui baptizati sunt, & chrismate tincti, neque Canonum authoritate indiget, credo, vt damnetur; cùm vel ipsa sola rei narratio superet omnem impietatis excelsum*, &c.

Hæc notat Arcudius contra modernum errorem Græcorum, qui chrismationem renouant; quod vel ipse Author totius schismatis Photius damnat, à Latinis contra Canones, & veritatem factam. Cæterùm malignè, quia nullum fuit huius rei exemplum præter illud, quod factum est inter Bulgaros, & legitimè, quia & ab iis, qui nullam authoritatem habuerunt in aliena Diœcesi, & qui sacris erant interdicti, erántque Sacerdotes simplices, ex more Græcorum, ministri, non verò Episcopi, qui apud Græcos solam ordinationem faciunt.

Cæterùm, praxis Ecclesiæ Orientalis hinc sumitur quantùm ad id, quod suprà præmisimus de ministro huius Sacramenti. Colligitur secundò, hunc fuisse vsum in Ecclesia Orientali ante Photium iterum non confirmare; immò pro communi dogmate hoc Sacramentum fuisse non iterabile: ergo Canones prætati supponebant hæreticos, de quibus faciunt mentionem, non fuisse ritè confirmatos. 7

In Ecclesia autem Occidentali recipiebantur hæretici per solam manus impositionem, saltem iuxta vsum, & praxim Ecclesiæ Romanæ: quia nempe Ariani, qui erant frequentiores, conferebant chrisma per suos Episcopos validè consecratos; & sequentes ritum Ecclesiæ Romanæ, vel certè quia Sacramentum Confirmationis differebatur pro tempore: ita Bellarminus qui modo suprà explicato in commento primæ quæstionis, prædictos Canones intelligit.

8 *Confirmatio imprimit characterem.*

Confirmationem imprimere characterem docet Doctor, & patet ex dictis; idque colligere licet ex Patribus, qui perinde hoc Sacramentum ad consignationem referunt, sicut & Baptismum: de quibus Nazianzenus & Basilius simul loquuntur in locis suprà expressis, quia simul dabantur: ideóque vocatur signaculum, non secus ac Baptismus. Definitur in Tridentino, & Florentino citatis. Nazianz. Basilius.

## QVÆSTIO V.

### *Vtrùm sit aliqua pœna iterantium Sacramentum Confirmationis?*

Richard. *hîc art. 6. quæst. 1.* Paludan. *quæst. 2.* Gabr. *quæst. vnic. art. 3.* Maior *in fin. dist.* Anton. *3. p. tit. 28. c. 6. §. 3.* Natar. *cap. 27. num. 247. gloss. c. dictum est, de consecr. d. 5.* Suarez *3. part. tom. 3. d. 38. sect. 1.* Couar. *clem. si furiosus 1. part. princ.* Sotus *hîc quæst. vnic. art. 5.* Bassol. *quæst. 1.*

*Quæst. 8.*

VLTERIVS quæritur, quæ sit pœna iterantium illud Sacramentum? Respondeo, dicunt Canonistæ sicut dictum est de iteratione Baptismi, *distinct. 6.* quod probant per locum à simili, per illud *cap. de consecrat. distinct. 4.* Qui bis.

## SCHOLIVM.

*Nullam esse pœnam latam ipso iure, contra reconfirmantem, vel reconfirmatum, nec sufficere ad pœnas infligendas, argumentum à simili, vel à contrario exponentium ius: ita Paludan. Gabr. Sotus, Bassol. Couar. citati.*

Sed aliter dico, quòd vniuersaliter nulla pœna Canonica, quæ non est inflicta à Papa condente ius, incurritur ipso iure. Nec propter argumenta exponentium Canones, siue à simili, siue à contrario sensu, est aliquis tali pœnâ adstrictus: quia possunt exponere ius conditum, non autem condere nouum per suas expositiones. Vnde Innocentius, qui tamen fuit Papa, cùm fecisset magnum opus, exponendo ius Canonicum, cùm fuisset requisitus ab aliis, quale robur vellet illum tractatum habere: dixit quòd nollet ipsum esse authenticum, sed tantummodo magistrale.

*Iuristæ non faciunt ius.*

*Nulla pœna cõtra reconfirmantem videtur lata.*

Cùm ergo non inueniatur in iure Canonico expressè pœna irregularitatis inflicta, pro iteratione confirmationis: sequitur, quòd non incurratur. Et hoc maximè patet, quia constitutiones pœnales sunt restringendæ, non ampliandæ: & si voluisset legislator pœnam talem inflixisse pro iteratione Confirmationis sicut Baptismi, potuisset expressisse hîc sicut ibi. Et confirmatur etiam per caput illud, de consecr. dist. 5. *dictum*, vbi nulla pœna infligitur Episcopo iterum confirmanti: sed nec suscipienti, nisi quòd soli Deo sub habitu regulari, vel clericali ipsum religiosissimè famulari decretum est. Hîc autem

innuit

innuit non pœnam irregularitatis, sed magis oppositum, puta exercitium officij clericalis. Nam in executione ordinum,& præcipuè in consecratione Eucharistiæ clericus Deo suo religiosissimè famulatur,cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

## COMMENTARIVS.

1 *Iterans nõ fit irregularis.*

SEd aliter dico, &c. Conclusio Doctoris contra Canonistas est, iterantem Confirmationem non incurrere pœnam irregularitatis, sicut incurrunt rebaptizantes, quia talis pœna in iure canonico non reperitur: pœnæ autem restringendæ sunt: vnde argumentum à simili in materia odiosa, & pœnali non valet. Doctorem sequuntur Paludanus *dist.*7. *quæst.*2. Gabriel *art.*3. *dubio* 5.Couarruuias in Clement. *Si furiosus*: citans Turrecrematam, & alios: solùm enim reperitur in Concilio Tarraconensi. Apud Gratianum tamen *cap. Qui bis,de consecrat.dist.*5. quòd debeat in Monasterio sub habitu clericali, aut regulari, famulatum præstare Deo: sed hæc neque omnes obligat,cùm sit Concilij prouincialis,nec fuit receptum: neque in ipso Concilio habetur. Et eo admisso tanquam iure incurso, vt notat Doctor, magis supponit contrarium, nempe in famulatu Dei ipsum non constitui irregularem, sed posse vti ordine. Accedit quòd irregularitas non incurratur nisi in casibus iure expressis, *cap. Is qui de sententia excommunicationis, in* 6. Hanc sententiam etiam sequuntur moderni, vt Soto, & Suarez. Et hæc ad Dei gloriam sufficiant de hoc Sacramento: nam de subiecto, quod attingit Doctor in definitione, non multum occurrit specialiter dicendum, nisi quòd sit bazatus, & dispositus ad effectum huius Sacramenti: de patrino, & ritibus, videantur Summistæ.

*Decretum Tarraconen. Concilij.*

# DISTINCTIO OCTAVA.

A

POST Sacramentum Baptismi,& Confirmationis,sequitur Eucharistiæ Sacramentum. Per Baptismum mundamur, per Eucharistiam in bono consummamur. Baptismus æstus vitiorum extinguit, Eucharistia spiritualiter reficit. Vnde excellenter Eucharistia dicitur,id est,bona gratia: quia in hoc Sacramento non modò est augmentum virtutis & gratiæ,sed ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiæ. [Cuius figura præcessit, quando manna pluit Deus patribus in deserto, qui quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde, Panem Angelorum manducauit homo. Sed tamen qui panem illum manducauerunt, mortui sunt. Iste verò panis viuus, qui de cœlo descendit, vitam mundo tribuit.] [Manna illud de cœlo: hoc super cœlum. Illud scaturiebat in diem alterum reseruatum: hoc ab omni corruptione alienum. Quicunque religiosè gustauerit, corruptionem non videbit.] Illud datum fuit antiquis post transitum maris rubri, vbi submersis Ægyptiis liberati sunt Hebræi. Ita hoc cœleste manna, non nisi renatis præstari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit. Hæc esca cœlestis fideles huius sæculi per desertum transeuntes in cœlum subuehit. Vnde rectè viaticum appellatur: quia in via nos reficiens, vsque in patriam deducit. Sicut ergo in mari rubro figura Baptismi præcessit, ita in manna significatio dominici corporis. Hæc duo Sacramenta demonstrata sunt,vbi de latere Christi sanguis, & aqua profluxerunt:quia Christus per sanguinem redemptionis, & aquam ablutionis nos redimere venit à diabolo, & à peccato: sicut Israëlitas per sanguinem agni Paschalis ab exterminatore, & per aquam maris rubri ab Ægyptiis liberauit. Huius etiam Sacramenti ritum Melchisedech ostendit, vbi panem & vinum Abrahæ obtulit. Vnde, vt ait Ambrosius, [intelligi datur anteriora esse Sacramenta Christianorum, quàm Iudæorum.]

*Ambr. lib. de initiãdis myst. cap.*8. *tom.*4. *Exod.*16.*a.* *Psalm.*77. *Ibid. cap.*9. *Ioan.*6.*d.* *Exod.*16.*g.* *Ioan.*19.*f.* *Exod.*12.*b.* *Exod.*14.*g.*

*Gen.*14.*d.* *De Sacr. lib.*1.*c.*4.*&* *lib.*4.*cap.*3. *tom.*4.

## *De institutione Sacramenti.*

B *Matt. 26. e De con. d. 2. cap.* Quia corpus *ex ser. de* corpor. & sãg. Domini.

HIc etiam alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet Sacramentum, institutio, forma, & res. Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum agnum corpus, & sanguinem discipulis in cœna porrexit. Vnde Eusebius Emissenus, [Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus syderibus, necesse erat vt die cœnæ Sacramentum nobis corporis, & sanguinis consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.]

## *De forma.*

C *Matt. 26. c Lib. 4. de Sacram. c. 4. tom. 4. & de consec. dist. 2. Panis est. Ambr. ibid. cap. 5. Ibid. c. 4. De cons. dist. 2. cap.* Vtrum. *sub fin. & Aug. epist. 55. tom. 2.*

FOrma verò est, quam ipse ibidem edidit, dicens, Hoc est corpus meum: & pòst; Hic est sanguis meus. Cùm enim hæc verba proferuntur, conuersio fit panis & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi: reliqua ad laudem Dei dicuntur. Vnde Ambrosius. [Sermone Christi hoc conficitur Sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum, cùm aqua in calicem missum, fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Consecratio quibus fit verbis? attende quæ sunt verba. Accipite & comedite ex eo omnes: Hoc est corpus meum. Et iterum: Accipite, & bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus. Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro regibus.] Item Augustinus. [Credendum est, quòd in illis verbis Christi Sacramenta conficiantur: reliqua omnia nihil aliud sunt, quàm laudes, vel obsecrationes fidelium, & petitiones.] Ecce quæ sit institutio, & forma huius Sacramenti. Vbi consideratione dignum est, quare illud Sacramentum post cœnam dedit discipulis. Dominus igitur Iesus ad inuisibilia paternæ maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico Pascha, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis & vini corpus, & sanguinem suum ita eis tradidit, vt ostenderet legis veteris Sacramenta, inter quæ præcipuum erat Agni Paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis nouæ Sacramenta substitui: in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideò etiam post alia dedit, vt hoc vnum arctiùs memoriæ discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur, sed potiùs à ieiunis sumi oportet, sicut Apostolus docet, vt singulari reuerentia diiudicetur, id est, discernatur ab aliis cibis, quod Dominus Apostolis disponendum reliquit. Vnde Augustinus. [Apparet, cùm primò acceperunt discipuli Eucharistiam, non eos accepisse ieiunos: non ideò tamen calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis sumitur semper. Placuit enim Spiritui sancto, vt in honore tanti Sacramenti, priùs in os Christiani dominicum corpus intraret, quàm alij cibi: ideò vbique mos iste seruatur. Non enim, quia post cibos dedit Dominus, ideò pransi, vel cœnati illud accipere debent, vt illi faciebant, quos Apostolus redarguit. Nam Saluator, quo vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reseruauit docendum.]

1. *Cor. 11. d*

*Ad Ian. ep. 118. circa fin. tom. 2. de cons. dist. 2. c.* liquidò appar. 1. *Cor. 11. d.*

*De Sacramento & re.*

NVnc quid ibi Sacramentum ſit,& quid res,videamus. [Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma.] Forma ergo panis,& vini, quæ ibi videtur,eſt Sacramentũ, id eſt,ſignum ſacræ rei: quia præter ſpeciem,quam ingerit ſenſibus,aliquid aliud facit in cognitionem venire.Tenent ergo ſpecies vocabula rerum,quæ antè fuerunt,ſcilicet panis,& vini. Huius autem Sacramenti gemina eſt res: vna ſcilicet contenta, & ſignificata, altera ſignificata, & non contenta.Res contenta,& ſignificata eſt caro Chriſti, quam de Virgine traxit,& ſanguis,quem pro nobis fudit. Res autem ſignificata,& non contenta, eſt vnitas Eccleſiæ in prædeſtinatis vocatis, iuſtificatis, & glorificatis. Hæc eſt duplex caro Chriſti,& ſanguis. Vnde Hieronymus. [ Dupliciter, inquit,intelligitur caro Chriſti,& ſanguis,vel illa,quæ crucifixa eſt,& ſepulta:& ſanguis,qui militis lancea effuſus eſt:vel illa ſpiritualis, ac diuina, de qua ipſe ait, Caro mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus,&,Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. ] Sunt ergo hîc tria diſtinguenda. Vnum, quod tantùm eſt Sacramentum. Alterum, quod eſt Sacrametum, & res. &, Tertium, quod eſt res, & non Sacramentum. Sacramentum, & non res, eſt ſpecies viſibilis panis, & vini. Sacramentum, & res caro Chriſti propria, & ſanguis. Res,& non Sacramentum,myſtica eius caro. Porrò illa ſpecies viſibilis,Sacramentum eſt geminæ rei:quia vtranque rem ſignificat,& vtriuſque rei ſimilitudinem gerit expreſſam. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit,& ſuſtentat,& vinum hominem lætificat,atque inebriat:ſic caro Chriſti interiorem hominem plus cæteris gratiis ſpiritualiter reficit, & ſaginat. Vnde,Calix meus inebrians, quàm præclarus eſt. Habet etiam ſimilitudinem cum re myſtica,quæ eſt vnitas fidelium:quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis,& ex pluribus acinis vinum in vnum confluit:ſic ex multis fideliũ perſonis vnitas Eccleſiaſtica conſtat. Vnde Apoſtolus, Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus,&c.Vnde Auguſtinus, [Vnus panis, & vnũ corpus Eccleſia dicitur, pro eo quòd ſicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris componitur: ſic Eccleſia ex multis fidelibus charitate copulante, connectitur. Hoc myſterium pacis, & vnitatis noſtræ Chriſtus in ſua menſa conſecrauit: qui accipit hoc myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit hoc myſterium pro ſe, ſed contra ſe.] [Cuius etiam Sacramentum eſt corpus Chriſti proprium de Virgine ſumptum: quia vt corpus Chriſti ex multis membris puriſſimis, & immaculatis conſtat, ita ſocietas Eccleſiaſtica ex multis perſonis à criminali macula liberis conſiſtit. In cuius rei typo facta eſt arca Domini de lignis Sethim: quæ ſunt imputribilia, & albæ ſpinæ ſimilia.]

D

*Aug. de ciu. Dei, lib. 10. c. 5. tom. 5. & de conſec. diſt. 2. c.* Sacrificium. *Greg. in ho. Paſch. & habe. de cõſec. diſt. 2. c.* Species. *Rom. 8. f. Comm. ad 1. c. ep. ad Eph. in med. tom. 9. & habe. de conſ. diſt. 2. Ioan. 6. f.* De tribus, quæ hîc poſſunt diſtingui. *Pſal. 103. Pſal. 22. 1. Cor. 10. d. in ſerm. ad infan. ad altare de Sacr. & in ſerm. 28. ad fratres in eremo. De cõſ. diſt. 2. c.* quia paſſus para. Dominus noſter. *Epheſ. 4. a. Auguſt. de blaſphem. Spir. ſanct. verba ſunt in gloſſa. 1. Cor. 11.*

*Exod. 25. a.*

---

POST QVAM Magiſter egit de Baptiſmo,quo regeneramur,& de Confirmatione,quâ roboramur,hîc agit de Sacramento Euchariſtiæ,quo nutrimur, & in bono conſummamur. Et diuiditur in duas partes. Primò, continuat ſe ad præcedentia: ſecundò,determinat de Euchariſtia in ſe, [ *Hîc quando.*] Prima in duas. Primò, ponit continuationem dicendorum addicta: ſecundò,ſubiungit continuationis rationem, comparando per Euchariſtiam ſpecialiter ad Baptiſmum, ibi [ *Per Baptiſmum.*] Et illa pars habet duas. In prima comparat Euchariſtiam ad Baptiſmum, ſecundùm excellentiam: in ſecunda,ſecundùm conuenientiam,& differentiam, ibi, [ *Cuius.*

*Ratio methodi, & continuatio cum præcedentibus.*

*ius figura.*] Conuenientia eſt, quia vtrumque Sacramentum præfiguratum fuit in lege Moſaïca: ſed differentia eſt, quòd vtriuſque fuit propria figura, & hanc conuenientiam, & differentiam ponit, primò, ponendo vtriuſque Sacramenti propriam figuram in lege Moſaïca: ſecundò, ponendo vtriuſque figuram propriam in ſua cauſa, ibi, [*Hæc duo Sacramenta.*] Et ſequitur illa pars, [*Hæc etiam ante alia.*] in qua agit de Euchariſtia in ſe, & illa pars habet quatuor partes. Primò agit de Sacramento Euchariſtiæ, & perceptione Sacramenti: ſecundò, de conſecratione, ſeu conuerſione, qua iſtud Sacramentum incipit eſſe: tertiò, de accidentibus remanentibus poſt conſecrationem: quartò, de miniſterio conſecrationis. Secunda in principio diſt. 11. [*Si autem quæritur:*] tertia, in principio diſt. 12. [*Si autem quæritur de accidentibus:*] quarta, in principio diſt. 13. [*Solet autem quæri.*] Prima diuiditur in duas. Primò, determinat de Sacramento, & ſuſceptione eius quoad veritatem. Secundò, excludit errores contra illa, ibi, [*Hæc verba.*] Prima in duas, primò, determinat de veritate Sacramenti, ſecundò, de eius ſuſceptione in principio diſt. 9. [*Et ſicut duæ res.*] Prima in proœmium, & tractatum, & ideò proœmium non diuido contra totum tractatum de Euchariſtia, ſed tantùm contra tractatum, qui habetur in iſta diſtinctione, quia hîc non proponuntur, niſi quatuor, de quibus in iſta diſtinctione determinat, ibi, [*Nunquam Sacramentum.*] Tractatus incipit ibi, [*Sacramentum Dominus inſtituit.*] Et habet duas partes: in prima agit de duobus, quæ propoſuit, ſcilicet de inſtitutione, & forma: in ſecunda de aliis duobus, ſcilicet de Sacramento, & re. [*Nunquid ibi Sacramentum.*] prima in duas. Primò agit de inſtitutione, veritatem: ſecundò, excludit circa hoc errorem, vel dubitationem, ibi, [*Conſideratione dignum.*] Prima in duas, primò de inſtitutione, ſecundò de forma, ibi, [*Forma verò eſt.*]

*Ordo tractandorum de Euchariſtia ſecundum Magiſtrum.*

Circa iſtam diſtinctionem octauam quærendum eſt principaliter de tribus. Primò, an Euchariſtia ſit Sacramentum legis nouæ. Secundò, de forma, an ſit, quæ ponitur in Canone Miſſæ. Tertiò, de inſtitutione, an hoc Sacramentum conuenienter fuit inſtitutum poſt cœnam.

## COMMENTARIVS.

1 IN præſenti diſtinctione Magiſter aggreditur tractatum de venerabili Sacramento Euchariſtiæ, quem deinceps producit vſque ad diſtinctionem decimamquartam excluſiuè: quem ordinem ſequitur Doctor, & reliqui Sententiarij. Suprà oſtendimus ex Dionyſio, & aliis Patribus, hunc ordinem ſeruatum eſſe in miniſterio Sacramentorum, vt primùm Baptiſmus daretur in regenerationem; ſecundò, daretur Confirmatio, in robur, & conſummationem Baptiſmi; tertiò loco daretur Euchariſtia, quâ nutrimur, & in bono conſummamur: & hæc tria Sacramenta in primitiua Eccleſia ſimul dabantur, ſeruato ordine præmiſſo. Ratio ergo poſtulat, vt ſequendo ordinem quaſi generationis (ſecundùm quam procedit natura, & ſcientia, tanquam de potentia ad actum) priori tractatui de Baptiſmo, & Confirmatione ſuccederet tractatus de Euchariſtia: quem ſtylum reliqui etiam Theologi obſeruant: vt Alexander 3. *part. quæſt.* 10. Diuus Thomas 3. *part. quæſt.* 73. vſque ad 82. & reliqui eius diſcipuli.

*Ordo antiquus dandi Sacramenta.*

*Ordo generationis.*

2 De hoc Sacramento agunt Patres in Ioan. 6. & 13. Matth. 26. Marci 14. Luc. 22. 1. *ad Corinth.* 11. vbi communiter interpretes. Trident *ſeſſ.* 13. & *ſeſſ.* 21. & 22. & plura antiquiora Concilia contra Berengarium, contra quem etiam propriis tractatibus diſſeruerunt Paſchaſius, Algerus, Lantfrancus: de eodem agunt Canoniſtæ *de conſec. diſt.* 2. & cap. *firmiter*, de ſumma Trinitate, & fide Catholica, cap. *Cum Martha*, & reliquis, *de celebratione Miſſarum.* Sed frequentiſſimè moderni ſcriptores, & luculenter contra huius temporis Nouatores, vt Caſtro contra hæreſes verbo *Euchariſtia.* Lyndanus *lib.* 4. *panoplia.* Driedo *lib.* 4. *de dogmatibus, cap.* 5. *part.* 2. & 5. V Valenſ. *tom.* 2. *de Sacramentis*, qui ſecutus ordinem dignitatis ab hoc Sacramento orditur tractatum. Bellarm. *in* 2. *tom. de Sacramentis.* Hoſius in confeſſione. Arboreus *lib.* 5. *Theoſophiæ.* Alanus, & Turrianus, & alij ſine numero, qui veritatem Catholicam latiſſimè propugnant; videatur præ reliquis Coccius *in Theſauro tom.* 2. *lib.* 6. vbi authoritates Patrum, Conciliorum, & Scholaſticorum antiquiorum congerit per omnia ſæcula, in probationem huius veritatis.

*Tractantes de hoc Sacramento.*

Præſentem diſtinctionem tranſigit Doctor tribus quæſtionibus. Prima, vtrùm Euchariſtia ſit Sacramentum nouæ legis? Secunda, de forma conſecrationis corporis? Tertia, verò de quadam diſpoſitione requiſita ex parte ſumentis corpus Domini, quale eſt ieiunium.

## QVÆSTIO I.

### *An Euchariſtia ſit Sacramentum nouæ legis?*

Alenſ. 4. *p. q.* 30. *m.* 1. *a.* 1. 2. 3. D. Bonan. *hîc* 2. *p. a.* 2. *q.* 2. Richard. *a.* 1. *q.* 1. D. Thom. *q.* 1. *a.* 1. & 3. *p. q.* 73. *art.* 1. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 39. *ſ.* 1. Bellarm. *de Sacr. Euchar. lib.* 1. & 2. Coccius *in Theſaur. tom.* 2. *lib.* 6. *art.* 1.

AD

AD primum sic proceditur, & arguitur, quòd Eucharistia non sit Sacramentum nouæ legis. Primò, quia Sacramentum nouæ legis est signum gratiæ collatæ in eo, qui recipit Sacramentum: sed Eucharistia non est huiusmodi: quia manet in altari post consecrationem, & nulli per ipsam gratia datur. 1 *Mag. A. B. Argum. 1.*

Item, Sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant, non sic Eucharistia, quia significat, vel figurat verum corpus Christi, & sanguinem contineri sub illis speciebus: sed illæ species hoc non efficiunt, nam respectu eius non potest aliqua virtus finita habere causalitatem. *Argum. 2.*

Item, Sacramenta nouæ legis habent aliqua verba, quæ sunt forma: non sic Eucharistia, quia verba, quæ sunt forma Sacramenti, oportet esse simul cum Sacramento: verba autem Eucharistiæ non sunt simul; tum quia Eucharistia manet verbis non manentibus: tum quia dum verba sunt in prolatione, non est Eucharistia, sed in fine prolationis. *Argum. 3.*

Item, dicitur 4. *Metaph.* quòd non vnum significat, nihil significat. Eucharistia non est signum vnum, seu Sacramentum, nec significat vnum Sacramentum: ergo, &c. Probatio minoris, quia aliud signum est species panis, aliud signum species vini: & habent aliud, & aliud significatum, quia vnius significatum proprium est corpus Christi, alterius autem est sanguis. *Argum. 4.*

Contrà, *de consec. dist. 2.* in Sacramentorum oblationibus loquitur de Eucharistia, & ibidem non oportet in Sacramento aliud offerre, præter, &c. *Ratio ad opp.*

## SCHOLIVM.

*Ponit hîc primò rationem nominis Eucharistiæ. Secundò, ostendit eam esse possibilem. Tertiò, Christum verè contineri sub speciebus. Quartò, quòd subest rationi nominis, esse Sacramentum. Quintò, quomodo id sit vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis. Sextò, ponit quatuor differentias inter Eucharistiam, & alia Sacramenta, quarum tres sunt excellentiæ eius.*

Hîc tria videnda [a] sunt. Primò, sicut processum est in aliis Sacramentis, ponenda est quædam ratio nominis Eucharistiæ, & supponenda est ex vsu loquentium: secundò, inquirendum est, si illi rationi subsit aliquid reale: & tertiò, si id quod subest sit Sacramentum nouæ legis, quod principaliter quæritur. 2

Ratio nominis [b] Eucharistiæ secundùm communiter vtentes, vel loquentes de Eucharistia, potest esse talis. *Eucharistia est Sacramentum corporis Christi, & sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione diuina veraciter signans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter contineri.* *Definitio Eucharistiæ.*

De secundo dico [c], quòd ista ratio non est in se falsa, quia nulla pars repugnat alteri. Possibile enim est, sine contradictione corpus Christi contineri sub specie panis, & sanguinem sub specie vini (quod supponatur hîc, quia *dist.* 10. declarabitur) possibile est etiam ista signa instituta esse à Deo ad signandum veraciter illa signata sub eis contineri: quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile signum impositum signare: ergo isti rationi subest aliquod ens, hoc est, cui non repugnat esse. *Ratio Eucharistiæ nõ est falsa. de quo infr. d. 10. & sup. d. 1. q. 2.*

Vlteriùs dico, quòd sibi subest aliquod ens in effectu, vt probari potest per auctoritatem, & congruam rationem. Auctoritas est Matth. 26. vbi Christus post cœnam istud Sacramentum instituit, vt sub istis speciebus verum corpus eius, & verus sanguis veraciter contineretur: & non tantùm tunc, quando ipsemet confecit, sed quòd postea hoc Sacramentum à Sacerdotibus in Ecclesia conficeretur, ad quod dedit auctoritatem, subdens ibi, & dicens Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem.* *Christũ verè subesse speciebus, ostenditur ex Scriptura. 1. Cor. 10.*

Item habetur Luc. 22. & 1. *Corinth.* 11. vbi Apostolus diffusè determinat de modo perceptionis, & consecrationis huius Sacramenti: *Panis*, inquit, *quem frangimus* (nos Sacerdotes) *nónne participatio corporis Domini est?* Et quòd istud Sacramentum sit perpetuò in Ecclesia, ibi ait: *Quotiescunque*, inquit, *panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, supple *ad iudicandum.* Vnde vsque ad tunc durabit Ecclesia militans, & Eucharistia in ea, sicut tenent omnes Sancti. *Cap. 11.*

Quòd [d] hoc sit congruum probatur, quia congruum est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, vt magis excitetur quilibet ad reuerentiam, & deuotionem ad Christum: & hoc patet de facto, quòd quasi omnis deuotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum. Propter hoc enim clericus cum maiori diligentia persoluit officium diuinum *Eadem cõtinẽtia suadetur ex cõgruitatibus variis.*

num in ordine ad Miſſam. Propter hoc etiam populus deuotiùs audit Miſſam, quàm aliquod aliud officium Eccleſiaſticum. Propter hoc etiam ſinguli cum maiori diligentia confitentur, quando intendunt ſecundùm ordinationem Eccleſiæ, ſaltem ſemel in anno communicare.

Congruum etiam fuit, poſt generationem ſpiritualem conferri etiam nobis nutrimentum ſpirituale, & illud magis congruè nobis datur ſub ſimilitudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale præcipuum conſiſtit in pane, & vino: ergo, &c.

Congruum etiam fuit, quòd ſignum ſenſibile, ſub quo nobis Deus voluit ſe dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo miniſtro proferenda: quia aliter neſciremus, quando in tali ſigno eſſet Chriſtus, & quando non, & ſic periret reuerentia debita, & deuotio.

Congruum etiam fuit, quòd in prolatione illorum verborum miniſter eſſet in Eccleſia excellens, ſcilicet Sacerdos, per cuius actum miniſterialem Chriſtus ſic incipiat eſſe nobiſcum.

4 De tertio dico, quòd illud, quod ſubeſt rationi nominis priùs poſitæ, eſt Sacramentum, quia ſcilicet eſt ſignum veraciter repræſentans ex inſtitutione diuina: & licèt non gratiam accidentalem, tamen effectum aliquem Dei gratuitum, ſcilicet *eſſe* corporis Chriſti ſub tali ſpecie: gratia autem in definitione Sacramenti non accipitur tantùm pro gratia accidentali, ſed pro effectu Dei gratuito.

*Gratia in definitione Sacramenti data, d. 1. q. 2. non eſt accidētalis.*

De vnitate huius Sacramenti, dico, quòd benè poſſibile eſſet plura ſenſibilia concurrere in fundamento vnius Sacramenti ſimpliciter, vt ſuprà dictum eſt de ablutione, & verbis in fundamento relationis Baptiſmi: ſed ibi neutrum illorum eſt aliquid illius Sacramenti, ſine altero: hîc autem, & ſpecies panis continet ſuum ſignatum ſine ſpeciebus vini, & è conuerſo. Ideò dico, quòd corpus Chriſti poteſt accipi ſtrictè, prout includit partes animatas animâ Chriſti, cuiuſmodi non eſt ſanguis, licèt ſit in potentia propinqua, vt conuertatur in carnem animatam: & ſic corpus eſt aliud eſſentialiter à ſanguine, & in ſe etiam poteſt eſſe aliud ſignatum, & per conſequens, poteſt eſſe huius proprium ſignũ, ſicut eſt, & propria definitio. Alio modo corpus poteſt accipi, vt omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, ſiue ſint partes animatæ, ſiue ſint alia non formaliter animata, vt humores, & ſpiritus. Et hoc modo ſanguis eſt aliquid corporis.

*Sanguinem non eſſe animatum. Corpus dupliciter ſumitur.*

Primo modo accipiendo corpus, licèt ipſum, & ſanguis ſint primò diuerſa ſignata; tamen conſtituunt vnum ſignatum totale, quod eſt corpus ſecundo modo: & ita ſignum proprium corporis primo modo, & ſignum proprium ſanguinis poſſunt eſſe vnum ſignum vnitatę integritatis, non autem indiuiſibilitatis.

*Corpus, & ſanguis faciunt vnum ſignatum, & quomodo Euchariſtia habet vnitatem integritatis.*

Congruit autem hoc Sacramentum habere talem vnitatem integritatis, & non indiuiſibilitatis, quia eſt ad completam nutritionem animæ, quæ ſignificatur per completam nutritionem corporis: completa autem nutritio corporis fit ex aliquo vno vnitate integritatis, non vnitatę indiuiſibilitatis, ſcilicet ex alimento: non enim nutrit ſufficienter cibus ſine potu, nec è conuerſo.

5 Ex dictis patet quadruplex differentia, & excellentia huius Sacramenti ad alia, quarum triplex eſt in ſignificando. Vna eſt, quia eſt ſimpliciter veraciſſimum in ſignando: alia enim Sacramenta veracia ſunt quantùm eſt ex ſe, tamen quandoque non habent effectum ſuum ſignatum propter indiſpoſitionem ſuſcipientis: iſtud autem nunquam caret ſuo ſignato.

*Differentia quadruplex inter Euchariſtiã, & alia Sacramenta.*

Secunda excellentia eſt, quia quod ſignificat iſtud Sacramentum, hoc realiter continet, alia non.

*Triplex excellẽtia Euchariſtiæ ſuper alia Sacramenta.*

Tertia excellentia eſt, ſignati per iſtud: alia enim Sacramenta ſignificant gratiam accidentalem inhærentem ſuſcipienti, iſtud autem ſignificat gratiam ſubſiſtentem, ſcilicet verum corpus Chriſti, ibi exiſtens.

Vltima differentia eſt in modo eſſendi iſtius Sacramenti: quia omnia alia Sacramenta conſiſtunt in vſu, & in *fieri*, ita quòd idem eſt ibi Sacramẽtum, & perceptio Sacramenti, ſicut Baptiſmus eſt perceptio Baptiſmi, nec permanet aliquid quod ſit Sacramentum ceſſante vſu tali, vel perceptione: ſed hoc Sacramentum eſt quoddam permanens etiam ante vſum. Et hoc congruum erat, quia Chriſtus permanenter voluit eſſe nobiſcum; ergo in aliquo ſigno, vel Sacramento permanentiæ. Vnde vſus huius Sacramenti non eſt Sacramentum: vſus enim verborum Sacramentalium, eſt quædam via ad Sacramentum, quia in termino prolationis verborum incipit eſſe Sacramentum: ſed vſus, & perceptio iſtius Sacramenti eſt quædam diſpoſitio ſacramentalis, ſeu via: quâ hoc Sacramentum applicetur membro Eccleſiæ. Et benè poſſibile eſt in vtroque vſu, ſi dignè fiat,

*Sola Euchariſtia eſt Sacramentum permanens, & eius vſus non eſt Sacramentum.*

gratiam

gratiam conferri vtenti: sed hoc non est formale, & primum significatum Eucharistiæ; sed quidam actus sacramentales, in quibus benè potest gratia recipi, si dignè fiant: magis tamen in perceptione, quàm in consecratione, quia actus perceptionis significat nutritionem spiritualem, quæ est per gratiæ collationem. *Magis datur gratia in perceptione, quã in consecratione.*

Ex his patet ad argumenta. Ad primum, quia Eucharistia non est primò signum gratiæ accidentalis, sed subsistentis. 6

Ad secundum videtur esse bona difficultas contra illum, qui ponit Sacramenta habere actionem respectu significati: sed contra me non concludit. Dico enim, quòd hoc modo intelligitur illa propositio, Sacramentum efficit quod figurat, id est, si significat aliquid fieri, illud per Sacramentum tanquam per signum efficax fit: si autem significat aliquid esse illud per Sacramentum tanquam per signum verax est. Qualiter autem accipiatur ibi, *per*, dictum est in *prima dist.* Et cùm dicitur, quòd nulla virtus finita potest agere ad *esse* corporis Christi ibi; Concedo, propriè loquendo de actione: potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitæ esse dispositio immediata ad *esse* corporis Christi ibi: non à se, sed à Deo assistente ibi. Et hoc modo instituit istas species, vt post consecrationem assistat eis ad hanc præsentiam corporis Christi. *Ad arg. 1. Ad 2. Quomodo Sacramentum efficit quod significat. Quæst. 4. & 5.*

Ad tertium patet, quare istud Sacramentum non habet aliqua verba pro forma, quia tunc non esset Sacramentum permanens, cùm verba non possint esse nisi in successione: tamen ipsa consecratio Sacramenti consistit in *fieri*, & ideò requirit aliquam formam verborum. Sed illa non est forma Sacramenti, sed consecrationis Sacramenti: & pro tanto illa possunt dici verba sacramentalia, quia ad Sacramentum pertinentia, tanquam forma consecrationis eius, quæ consecratio est inceptio sacramentalis: sed non dicuntur sic sacramentalia, sicut verba Baptismi; illa enim sunt sacramentalia, quia forma Sacramenti. *Ad 3. Verba sunt forma consecrationis, non Eucharistiæ.*

Si autem omnino quæras, quæ sit forma huius Sacramenti? dico quòd ipsæ species visibiles sunt materia, id est, proximum fundamentum relationis significationis: & ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis. 7 *Quæ est materia, & forma Eucharistiæ.*

Et si quæras, quid est in hoc fundamento tanquam materia, aliud tanquam forma? Respondeo, quòd non est hîc aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma, sicut est in aliis. Cuius ratio est, quia istud est permanens, & ideò non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere: in quocumque autem Sacramento distinguitur materia, & forma, signum visibile dicitur esse materia, verba verò forma.

Ad quartum dicitur, quòd hæc ambo sunt vnum signum vnius rei, vt corporis Christi. Contrà, Nomina synonyma sunt alia, & alia nomina, sunt etiam plura signa, non obstante quòd idem significent, quia plures sunt ibi voces impositæ ad significandum: ergo à simili cùm hæc sunt aliæ, & aliæ species significantes, erit aliud, & aliud Sacramentum. Dico ergo aliter, quòd sicut dictum est in corpore quæstionis, quòd sunt Sacramentum vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis: ideò non concludit. *Ad 4. Richardus præsenti distinct. art. 1. q.*

## COMMENTARIVS.

a *Hic tria videnda sunt*, &c. Diuidit quæstionem in tria membra principalia. Primum est definitio, seu ratio nominis Sacramenti. Secundum, de subsstrato seu definito, comprehendens institutionem Sacramenti, & eius congruitatem. Tertium membrum respondet ad quæstionem principalem; & simul tractat de vnitate, & perfectione Sacramenti.

1 *Varia appellationes Eucharistiæ.*

b *Ratio nominis Eucharistiæ*, &c. De appellationibus huius Sacramenti plura moderni. Eucharistiæ nomen, quo vtitur Doctor, frequentissimum est in Conciliis, & Patribus, & magis commune apud omnes, quando Sacramentum vnico verbo exprimunt: antiquissimum est, cuius mentionem facit Irenæus *lib. 4. aduersùs hæreses, cap. 36.* Dionys. *Eccleslast. hierarch. c. 2.* Iustinus *in Apolog. 2.* ad Antoninum Pium. Ignat. *epist. ad Smyrnenses*, apud Theodoretum *Dialogo 3.* Latinè sonat, *bona gratia*, vel quia Christum authorem gratiæ realiter continet; vel quia significat futuram gloriam; & ideò appellatur pignus hæreditatis; vel quia in memoriam passionis Christi, & mortis in gratiarum actionem consecratur, vt dicit Remigius in 1. *ad Cor.* 11. & hæc acceptio alludit ad verba Euangelistarum, in quibus institutio Sacramenti habetur, seruato verbo gratiæ. Luc. 22. *Et accepto pane gratias egit:* Græcè legitur εὐχαριστήσας, pro quo Matth. *Benedixit, ac fregit*; Marc. *Benedicēs fregit:* Græcè autem εὐλογήσας; id est, *benedixit:* in consecratione autem calicis vtitur priori participio εὐχαριστήσας, quod est, *gratias agens.* Hinc Iren. lib. 4. c. 34. *Quomodo autem constabit eis, eum panem, in quo gratiæ actæ sunt, corpus esse Domini*, &c.

Inter cæteras autem appellationes, vna est Cœnæ Dominicæ; quæ, etsi in Augustino de sermone Domini in monte legatur, tamen non est trahenda in vsum, quia eam hæretici in falsam significationem torserunt; alioquin habet congruam significationem, modò veritas subsstrata non corrumpatur: vel quia hoc Sacramentum in Cœna fuit institutum: vel quia Cœna legalis, id est, Agnus Paschalis, eius fuit figura: vel certè quia est Cœna mystica. Hæretici prætendunt se proprietatem locutionis retinere ex Apostolo 1. *ad Corinth.* 11. vbi ait; *Non est Dominicam Cœnam manducare*, &c. sed aduertant proprietatem in 2 *Dicitur Cœna.*

ſenſu, non in verbis magis attendi: nam deſtructâ ſignificatione verâ, nequit proprietas verbi manere, quæ eſt qualitas ſignificationis: non vocabulum ergo reprehenditur; ſed ſuppoſitus error, qui non admittitur.

3 *Definitio Euchariſtiæ.* Rationem huius nominis, vt eſt in vſu Eccleſiæ, & Sanctorum, intendit Doctor definitionem eſſe, quam aſſignat: *Euchariſtia*, inquit, *eſt Sacramentum corporis Chriſti, & ſanguinis veraciter contenti ſub ſpeciebus panis, & vini, poſt conſecrationem factam*, &c. Hanc definitionem non explicat hîc verbatim: quia per plures quæſtiones ſuo loco eam tractat. Supponit igitur hanc rationem, nos ſimiliter ſupponimus remittendo quæque in ſua propria loca: hîc tantùm aduertendum eſt, definitionem intelligi eo modo, quo ſuprà exponit ipſe, reliquas definitiones ſimiles. *Sacramẽtum*, &c. denotat genus definiti, ſcilicet, relationem in recto: *corporis & ſanguinis*, &c. terminum, ſeu ſignificatum: *ſub ſpeciebus panis & vini*, &c. denotant fundamentum proximum, & materiam conuerſionis: *poſt conſecrationem*, &c. denotat actionem ſacramentalem: *à Sacerdote*, miniſtrum: *certis verbis*, formam: *ex inſtitutione diuina veraciter ſignificans*, &c. modum ſignificandi.

4 *Ratio falſa quid ſit?* c *De ſecundo dico*, &c. Docet non eſſe rationem falſam: intelligit autem rationem falſam, eo modo quo Philoſophus eam ſumit, 5. *Metaphyſ. cap. de falſo*, pro ratione includente repugnantia: & prout ipſe *ſuprà diſt. 1. q. 2. art. 2. §. ex iſtis ſequitur*, explicat rationem falſam, quæ excludit definitionem. Vide quæ ibidem dicta ſunt: de poſſibilitate autem rei ſubſtratæ, *infrà* agetur *diſt. 10.*

5 *Promiſſio Sacramẽti Io. 6.* *Vlteriùs dico, quòd ſibi ſubeſt aliquod ens in eſſe-cie*, &c. Docet inſtitutionem Sacramenti ex Scriptura, quæ plana eſt, quia promiſſio facta Ioan. 6. eſt adimpleta in vltima Cœna, ex locis quæ citat in textu. Tandem ſubiungit duraturum hoc Sacramentum cum Eccleſia militanti vſque ad conſummationem, ex illis verbis Pauli 1. Cor. 11. *Mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, &c.

*Durabit cum Eccleſia.* Chryſoſt. Theophylactus. Hieron. Theodoret. Irenæus. Primaſius. Hippolytus. *Perſecutio Antichriſti.* quod patet ex Chryſoſtomo, Theophylacto hîc, Hieron. Theodoreto in *Danielis* 12. Irenæo *lib. 5.* Primaſio *in c. 11. Apocalypſis*. Hippolyto *tract. de conſummatione ſæculi*. Hic cultus, & vſus Euchariſtiæ publicus in Eccleſia erit vſque ad tempus Antichriſti; ille autem auferet iuge ſacrificium, quantùm ad cultum publicum, ſicut perſequetur Eccleſiam, & fidem Chriſti; ſed in priuato frequentabitur à Sanctis, & fidelibus; ita vt non deſinat vſus eius, donec Chriſtus venerit ad iudicium.

6 *Conuenientia inſtitutionis.* d *Quòd hoc ſit congruum probatur*, &c. Fuiſſe congruam, & conuenientem huius Sacramenti inſtitutionem, oſtendit, primò ex fine cultus, & religionis circa Chriſtum, quia altaria, Eccleſiæ miniſtri, & reliqua diuini cultus ad hoc Sacramentum ordinantur, & iam poteſtas in corpus myſticum fundatur in poteſtate circa corpus eius verum, vel ad eam reducitur: & ſicut Paulus ex tranſlatione Sacerdotij ad Hebræos, & ſacrificij, probat tranſlationem legis: ita rectè colligitur legem nouam primariò ordinari ad hoc Sacramentum, & ſacrificium in ratione cultus. Si loquamur etiam de fine legis, quæ eſt charitas. Plenitudo legis; cùm finis huius Sacramenti ſit nutritio, & conſeruatio eius, rectè cæteta media legis ad idem ordinari congruit, ſuo modo.

*Secunda congruentia.* Secunda congruentia eſt, ex neceſſitate ipſius Sacramenti, quia generationi ſpirituali congruum fuit augere nutrimentum ſpirituale hominis viatoris, ſubiecti variis tentationibus: de hac neceſſitate infrà dicemus.

7 *Tertia congruentia.* Tertia congruentia eſt; quòd conueniebat inſtituere, idem etiam ſub ſigno ſenſibili, quia congruit, vt per modum nutrimenti ſpiritualis daretur, ſub ſpecie, & proportione nutrimenti ſenſibilis, vt dicit ordinem ad verba, quibus fit, & vt conſtaret de veritate Sacramenti, eius vſu, & applicatione.

*Quinta congruentia.* Congruit vlteriùs vt eius miniſter eſſet in gradu excellenti conſtitutus in Eccleſia, tum propter excellentiam Sacramenti; tum quia eſt etiam ſacrificium vnicum legis nouæ.

Trident. Tandem inſtitutionem hanc ex facto conuenientem fuiſſe, eſt de fide: ex Trident. ſeſſ. 7. de Sacram. in genere can. 5. *Omnia Sacramenta fuerunt à Chriſto Domino inſtituta conuenientiſſimâ ratione, & ſeſſ. 13. c. 2.* Conuenientiam hanc docet ex amore Chriſti infideles: nam vt Ioan. 13. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos*: ſecundò, vt memoria ſuæ paſſionis, ac mortis iugis colatur, vſque ad aduentum: tertiò, vt eſſet nutrimentum: quartò, vt eſſet pignus hæreditatis, etiã futuræ, quam ſumentibus hoc Sacramentum Ioan. 6. promiſit: quintò, vt eſſet Symbolum corporis myſtici, cuius ipſe eſt caput. Quod item ſumitur ex Paulo 1. ad Cor. 11. *Omnes vnum corpus ſumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus*: & ex cap. *Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica*: cap. *Cùm Marthæ, de celebratione Miſſarum*. Ad quã vnitatem alludunt ſæpè Patres agẽtes de hoc Sacramento.

Ioan. 13.

*Euchariſtia Symbolũ Eccleſiæ.*

8 *Eſſe verum Sacramẽtum.* Trident. Florent. Lateranen. Nicenum. Conſtantinopolit. Trullen. Nicenum II. Arelaten. II. Hiſpalen. II. Tolet. XII. e *De tertio dico, quòd illud*, &c. *eſt Sacramentum*, &c. Eſt de fide ex Trident. *ſeſſ. 7. de Sacram. in genere, can. 1 ſeſſ. 13.* per totam, & *ſeſſ. 21. in canone fidei*. Florentini *in literis vnionis*. Lateranenſ. *cap. Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica*. Sed & idem docent antiquiora Concilia, Nicenum *can. 18. & lib. 3. de diuina menſa*. Conſtant. VI. *Act. 8.* Trullen. *can. 26. & 102.* Nicenum ſecundum *Act. 6.* Arelatenſ. ſecundum *can. 15.* Turonen. ſecundum *cap. 3.* Hiſpalenſe ſecundum *cap. 7.* Toletan. XII. *cap. 5.* Et patet idem ex omnibus Patribus, & multis Pontificibus. Ratio autem obuia eſt, applicando definitionem Sacramenti quocumque modo aſſignatur ad hoc myſterium. Neque in hac quæſtione magna eſt controuerſia: licèt aliqui antiqui hæretici malè ſenſerint de Sacramento, contra efficaciam, modum, & ritum Eccleſiæ, aut vſum ipſius Sacramenti: vel certè ita abſurdè dogmatizarint, vt quæſtioni locum non reliquerint, aut diſputationi; inſanientes magis, quàm aliquid, quod ratione, aut apparentiâ niteretur, adducentes; vt Bogomoli apud Eutychium *2. part. Panoplia, tit. 23. cap. 17.* aſſerentes Euchariſtiam eſſe orationem Dominicam, & Euangelium, nihil aliud. Alij negabant fructum, & realem potentiam Chriſti Domini: de quibus agemus ſuo loco, *diſt. 10.* Admittunt antiqui, & moderni eſſe Sacramentum.

9 *Opiniones de vnitate Sacramenti.* Aureolus. Maior. Gabriel. f *De vnitate huius Sacramenti dico*, &c. In hoc puncto variant Doctores, tam de vnitate ſpecifica, quàm numerica huius Sacramenti. Aliqui docent eſſe diuerſa Sacramenta; vt Aureolus in hac diſtinctione. Maior admittit vnitatem ſignificati tantùm. Gabriel etiam docet tam in *eſſe* entis, & Sacramenti, eſſe diuerſa; quàm etiam ſignificati; loquendo de ſignificato, quod ex vi verborum ineſt ſpeciebus. Verùm niſi prædicti reſpiciant ad aliam opinionem, nempe Sacramentum in recto conſiſtere in verbis, fortè contendunt de modo loquendi tantùm.

*Concluſio*

10 *Conclusio affirmatiua cõmunis.* Alensis. D. Bonau. D. Thom. Richard. Durandus. Suarez.

*Conclusio* Doctoris est communis Scholasticorum, nempe Sacramentum esse vnum in specie vnitate integritatis: Alens. 4. *part. quæst. 31. m. 1.* D. Bonauentura *in 4. dist. 8. quæst. vltima.* D. Thomas ibidem, & *3. p. quæst. 73. art. 2.* Richardus *art. 1. quæst. 2.* Durandus *quæst. 1. art. 2.* Suarez *3. p. disp. 39. sect. 3. & 4.* & reliqui locis citatis in Magistrum, vbi Doctores nostræ scholæ.

*Quæstio de nomine versatur.*

Probatur conclusio ex Catechismo Pij V. *Non plura*, inquit, *sed vnum tantùm Sacramentum Ecclesiæ auctoritate ducti confitemur*, &c. Sic etiam Trident. *sess. 7. can. 1.* & *sess. 13.* agit de hoc Sacramento vt vno: & frequentiùs Patres & Concilia. Cæterùm, vt dixi, controuersia magis est de nomine, quàm de re ipsa: itaque ex modo explicandi dependet eius decisio. Extrema rectè nobis Doctor concordat in litera ex duplici acceptione corporis; nam vno modo sumitur pro eo, quod includit solùm partes animatas: *Et sic*, inquit, *sanguis, cùm non sit animatus, non est de ratione corporis hoc modo sumpti*; & sic potest habere proprium signum. Alio modo sumitur corpus, vt includit omnia requisita ad veritatem corporis organici, & sic includit sanguinem. Primo modo sumendo corpus, & sanguinem, sunt primò diuersa signata; quo sensu loquuntur Authores primò citati; & sic etiam frequens est vsus Ecclesiæ, appellando illa vt plura, vt in collecta Missæ de Sanctiss. Sacramento; *Sacramenta*, inquit, *quæ sumpsimus*: & in collecta de B. Virgine in Missa communi; *Sumptis, Domine, salutis nostræ subsidijs*, &c. & in variis aliis collectis locutio pluralis est frequens: quâ vtitur etiam Concilium Africanum *cap. 4.* Carthagin. V. *c. 24. & 25.* Author sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum. Ambrosius *lib. 5. de Sacram. c. 1.* & *in cap. Sacramenta, cap. In Sacramentis*: cap. *Comperimus, de consecr. dist. 2.* Ignatius *epist. ad Smyrnenses.* Alexander I. *epist. cap. 4.* Tertullianus contra Marcionem *lib. 1. cap. 14.*

*Duplex acceptio corporis.*

*Sumi vt plura Sacramẽta quandoque.*

African. Carthagin. Author sermonis de Cœna Domini. Ambrosius. De consecr. d. 2. Ignatius. Alexander I. Tertullian.

11 *Diuersitas probatur.*

Patet vlteriùs hæc sententia: quia diuersa materia, diuersa forma, diuersus modus significandi, & diuersitas significati, & confectio vnius seorsim ab alio, arguunt hanc diuersitatem: vnde si in triduo conficeretur, neque corpus esset sub specie sanguinis; neque econtrà. Neque corpus secundo modo sumptũ, est significatum, quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, vt patet ex

Trident. *Significatum speciei panis.*

ratione iam præmissa; & ex Trident. *sess. 13. cap. 3.* Sed corpus primo modo sumptum quà aptum animari, seu vt est subiectum animæ; cõcomitanter autem animæ, sanguis, & cætera vi naturalis connexionis, quando hæc inest, quæ in triduo fuit destructa. Sumendo ergo hæc ratione signi practici (siue loquamur de formis verborum, & confectione Sacramenti; siue etiam de speciebus ipsis, quarum significatio sacramentalis mensuratur, & efficaciâ formæ, per quam fit Sacramentum) sunt diuersa signa in rigore significationis practicæ; quod intendit Doctor, & D. Thomas, qui negant ea esse vnum vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis.

12 Et huic sententiæ fauet modus loquendi, & vsus Ecclesiæ contra Bohemos, vt Trident. *sess. 21. cap. 3.* vbi asserit fatendum esse etiam sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum verúmque Sacramentum sumi; *Ac propterea, quod ad fructum attinet nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari qui vnam speciem solam accipiunt*, &c. Quod maximè admittere debent, qui negant per plures species maiorem, aut diuersam gratiam conferri, quàm per vnam tantùm. Sicut ergo in pluribus particulis, & separatis eiusdem speciei saluatur diuersitas numerica huius Sacramenti; ita etiam in diuersis speciebus, seruatâ proportione, debet saluari diuersitas specifica: quæ etiam probari potest ex eodem fundamento, quo ex fine institutionis eius sumitur vnitas integritatis, quia se habet vt alimentum cibi, & potus, quæ diuersitatem Physicam specificam in se continent, vt ad inuicem comparantur; licèt integritate faciant vnum completum alimentum. In hac ergo parte non video magnam differentiam inter Doctores esse, nisi in modo loquendi.

13 Sumendo corpus secundo modo, sicut non solùm comprehendit corpus organicum potentiâ vitam habens, seu subiectum animæ; sed etiam reliqua, quæ ad integritatem eius modo dicto faciunt, & consistentiam; potest esse vnum signatum totale: *Et ita*, inquit Doctor, *signum proprium corporis primo modo sumpti, ac signum proprium sanguinis possunt integrare vnum signum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis.* Et hoc modo intelligitur secunda sententia.

*Vnitas Sacramenti vnde sumitur?*

*Modus dicendi aliorum.*

Rectè ergo Doctor explicat hanc vnitatem integritatis inter duas species Sacramenti, quà Sacramentum sunt, & signa practica secundùm ipsam sacramentalem significationem; & meliùs, quàm alij, qui recurrunt ad significationem mysticam, quâ denotatur corpus mysticum; vel ad rememoratiuam, quâ denotatur sacrificiũ cruentum, quia etsi hæc conueniant huic mysterio; non tamen spectant ad significationem practicam, & causatiuam sui significati, quà præcisè est Sacramentum: vt patet ex dictis *dist. 1. q. 2.* agendo de vera ratione, & formali Sacramenti. Neque rectè etiã declaratur hæc vnitas in ordine ad effectum gratiæ, siue nutrimenti spiritualis, tenendo eundem causari per alterutram speciem, quia sic magis essent signa vniuoca in causando, quàm æquiuoca, seu heterogenea, vt ita dicam, & integrantia vnum totale: quia in vocibus, signa synonyma, non sunt idem signum numero: ergo etiam in diuersis speciebus, & diuersæ significationis nequit esse vnitas integralis significationis practicæ ex eodem effectu gratiæ vniformiter causatæ ab alterutra specie: sed potiùs se habẽt vt causæ æquialentes non subordinatæ, neque ad se inuicem ordinatæ in causando: siue enim ipsa species sit ratio causandi, vt continet significatũ proximum, nempè totum Christum; siue etiam ratione contenti causet; neque vna in ordine ad aliam causat, aut cõtinet Christum, neque vt alteri subordinatur, neque vt est compars tertij; sed ex propria ratione, & institutione. Sic etiam in signis speculatiuis saluatur diuersitas totalis, quamuis idem significent, diuerso tamen modo, vt nomen, & definitio: perinde ergo erit in practicis, & quantùm ad præsens, in diuersis speciebus.

*Vnitas Sacramenti non à significatione mystica, aut effectu desumenda.*

14 *Alia Sacramenta indiuisibiliter significant.*

Neque rectè etiam hæc vnitas integralis explicatur ex modo significandi aliorum Sacramentorum, in quibus plures res sensibiles cum verbis concurrunt ad significationem sacramentalem, quia in his significatio est indiuisibilis, quorum neutrum seorsim ab altero, & sine ordine ad ipsum significat; siue significatio fundetur in aliquo vno, cui accedunt reliqua, vt circumstantiæ determinantes, siue in omnibus simul fundetur. In proposito autem quælibet species seorsim, & diuisibiliter significat: oportet ergo vnitatem integralem in præsenti, sumi in ordine aliquo modo ad aliquod significatum vnum,

& proximum, quod aliud non est nisi corpus modo dicto sumptum.

15 Sed adhuc etiam restat difficultas, quomodo illud possit specificare significationem vnam integralem vtriusque speciei, si ex vi verborũ neutra species continet sic corpus, vt patet ex dictis non continere, quia in triduo non fieret corpus sub specie sanguinis; neque econtrà sanguis sub specie corporis, neque de facto aliter, quàm concomitanter contineat. Respondetur, ex natura rei, & connexione naturali sanguinem ordinari ad corpus, vt est pars eius, sumendo corpus hoc secundo modo: sicut ergo forma verborum est signum practicum, seu effectiuum, quo ponitur sanguis sub speciebus in *esse*, & secũdùm modum aliàs essendi, quem sanguis habet in re ipsa (perinde dicendum est de forma consecrandi panis in corpus) ita etiam significat sanguinem practicè, secundùm ordinem rei causatæ, & causat vt in corpore est, quia existentia sanguinis in Sacramento supponit existentiam eius in re, cùm in Sacramento non producatur de nouo; vt *infrà* fusiùs probabitur: sed adducitur supponendo existentiam naturalem eius, à qua dependet significatio sacramentalis de facto, quidquid sit de potentia absoluta spectando voluntatem efficaciam Dei quæ ineſſe posset, aut fortè inest, de qua suo loco *infrà* dicetur.

*Partes vt cõnexæ ponuntur sub speciebus de facto.*

*Forma verbalis integritate causæ, & rei signatæ vna est.*

Inde sequitur formam sanguinis integrare causam totalem cum forma panis, & signum practicum ad positionem corporis Christi, seruatâ vnione partium animatarum, & sanguinis ad inuicem, prout in re ipsa supponũtur: & hoc etiam comprehendit finis institutionis, quo Christus voluit seipsum totum dare sumendum, sub altera specie, & sub ea contineri: corpus ergo primo modo sumptum, & sanguis sunt significata explicita, quæ tamen in re ipsa viuente nequeunt separari à toto, quod integrãt; vnde rectè signum practicum vnius, & signum practicum alterius ponendi sub speciebus integrant causam, & signum totale respectu eiusdem, quod integrant.

16 Quod dico de vtraque forma verborum in *esse* signi practici, hoc ipsum dico de speciebus consecratis, quia sicut verba se habent in *fieri* ad præsentiam sacramentalem, ita & species quantùm ad *conseruari* eiusdem in facto, quia destructâ specie, destruitur: quia ergo significatio practica Sacramẽti limitatur ad modum essendi signatorum in reipsa, illúmque supponit, tam ex vi institutionis, vt modò facta est, quàm ex fine; ideò non abstrahit à modo naturali essendi signatorum, vt partes sunt actu, vel aptitudine eiusdem totius. Quod denotat etiam significatio rememoratiua sacrificij cruenti, quæ ineſt huic mysterio, quatenus in separatione harum partium ab inuicem redemptio adimpleta fuit; nam nequit sanguis Christi, vt est sanguis Christi, significari ex vi verborum, quin connotet hunc ordinem ad corpus, quod integrat modo dicto, vel integrauit, & cui ineſt, vel infuit (quod dico propter separationem eius in triduo) neque actu, neque aptitudine potest esse Christi, nisi vt integrat corpus modo dicto; quem ordinem forma verborũ significat explicitè: *Hic est calix sanguinis mei*, &c. *Hoc est corpus meum*, &c. vbi pronomen possessiuum denotat ordinem vtriusque ad Christum, vt partium inclusarum. Significatio etiam mystica corporis mystici, quæ in hoc Sacramento includitur, eundem ordinem integritatis denotat, vt benè Augustinus *tract. 26. in Ioan.* optimè ergo Doctor per hunc ordinem explicat vnitatem Sacramenti.

*Species integrant vnum Sacramẽtum.*

Subiicit mox congruentiam huius vnitatis per integritatem ex proportione ad nutrimentum corporis, & similitudinem, quia sicut nutrimentum completum corporis consistit, non in cibo tantùm, sed in potu simul; ita congruit nutrimentum animæ instituere in iis, quæ integrant nutrimentum corporis. Hîc fortè insinuat illam sententiam, quæ docet per vtramque speciem maiorem gratiam conferri; sed quidquid de hoc sit, resolutionem differendo in suum locum, saltem denotat similitudinem, quæ in rebus ipsis causâ instructionis habetur; quod vnum est ex motiuis, propter quæ in rebus sensibilibus institutio Sacramentorum facta est, secundùm Patres, vt suprà *dist. 1. quæst. 2.* tractatur, & vt plenitudo spiritualis conuiuij ex integritate conuiuij corporalis significetur. 17

*Proportio naturalis ad significandum.*

18 Hîc dubitatur, an præter significationem partium, seu diuersarum specierum in hoc Sacramento sit alia significatio totalis simplex, aut composita, id est, complexa, aut incomplexa. Capreolus docet esse incomplexam in toto *dist. 8. ad 5.* contra secundam conclusionem; & ad 5. contra quintam conclusionem: & Suarez *sect. 3. dub. in calce*, idipsum docet. Sed hæc non cohæret cum communi sententia præmissa, quâ negatur vnitas indiuisibilitatis, seu incomplexa in Sacramento: neque fundamentum aliquod huius significationis totalis incomplexæ ostendi potest: quia neque verba, neque species faciunt vnum vnitate compositionis in significatione, efficacia, materia, aut modo significandi. Neque illa significatio dici potest practica, quia nec effectum habet diuersum ab effectu significationis partium; nihil enim ponitur sub speciebus, aut conseruatur præter corpus, & sanguinem primò; reliqua ad hæc per concomitantiam. Vnitas ergo huius significationis est illa, quam iam explicauimus ex Doctore, neque alia datur significatio ab illa, quæ est partium diuersa, aut incomplexa: neque ex significatione partium coalescit vna, nisi ratione proximi signati, quâ refertur ad tertium colascens ex vtroque signato.

*Dubium.*

Capreolus.

Suarez.

*Significatio incõplexa negatur.*

Supereſt alia difficultas in eo, quod supponit Doctor *suprà*, nempè, sanguinem non esse animatum: plures enim Theologi sub Pio II. ortâ quæstione illâ, an sanguis extra corpus in triduo fieret vnitus hypostaticè, contendebant sanguinem esse animatum: Syluester etiam *in Rosa aurea tract. 3.* vt vim argumenti sustineret, distinxit inter sanguinem nutrimentalem non coctum, & coctum, & dicit hũc fuisse vnitum, & animatum, sicut etiam in animali est animatus; quem sequitur Caietanus *3. p. q. 54. art. 2.* Primam quæstionem tractauimus in materia de Incarnatione contra eundem Syluestrum, & Directorium Inquisitorum (quorum vterque causa fuit opinandi grauibus Theologis modernis, quantùm ad decisionem prætensam quæstionis) & alios, quæ hîc locum non habent. 19

Syluester.

*Sanguis duplex.*

Caietan.

Alterum, quod hîc Doctor asserit, est cõmunis sententia Philosophorum, & Medicorum, quam etiam docent moderni: & eadem est sententia Doctoris *in 3. dist. 3. q. 2.* Alenſ. *in 2. p. q. 92. m. 7.* D. Thomas *1. p. quæst. vltima, art. 1. ad 3. & 3. p. q. 31. art. 5.* D. Bonauentura *in 4. dist. 44. art. 1. q. 1. ad 2.* Richardus *art. 1. q. 2.* Gabriel *in Supplemento eadem dist. q. 1.* Durand. *dist. 10. q. 1.* Soto *ibid. art. 2.* & plures alij, vt Vasquez *in 3. p. disp. 36.* Suar. *disp. 15. ibidem* docet. Probatur

*Sanguis nõ est animatus.*

Alenſis. D. Thom. D. Bonau. Richardus. Durand. Soto. Vasquez. Suarez.

20 *Sanguis est nutrimẽtum.*

Probatur ex Philosopho *lib. 3. de partibus animalium, c. 5.* qui docet sanguinem esse materiam corporis: quod non esset verum, si sanguis esset vnus aliter, quàm in potentia, quâ in corpus mutetur per nutritionem, quia alimentum est alterius naturæ à substantia aliti. Hinc lib. 2. cap. 3. Philosoph. *Cùm omnis*, inquit, *alimenti, omnisque excrementi conceptaculum aliquod habere necesse sit, venæque quasi vasa sint sanguinis; patet sanguinem esse animalibus sanguineis vltimum alimentum*, &c. Alimentum autem per mutationem substantialem conuertitur in substantiam aliti; sed hæc conuersio nunquam fit ad eandem formam, quam habet conuersum: quia *nihil agit in sibi simile, aut æquale*; & omnis mutatio propriè dicta supponit subiectum in potentia respectu formæ, quæ est terminus formalis mutationis, quod perinde se habet in mutatione substantiali, quæ fit per corruptionem prioris formæ, & ex priuatione formæ productæ. Si ergo sanguis esset animatus, non posset conuerti in substantiam aliti; maximè in opinione illa, quæ tenet corpus constitui in viuente per animam, nec dari plures formas substantiales in eodem supposito, aut subiecto. Deinde Philosophus *lib. 3. de partibus animalium, cap. 15.* & *lib. 2. de Anima*, *Sanguis est in venis.* dicit sanguinẽ manere irriguum per venas, sicut aqua per sulcos deriuata, fit alimentum oleribus, & herbis. Deinde nullum est argumentum, aut fundamentum, vnde colligatur sanguinem esse animatum, quia non nutritur, neque augetur more animantium per intus susceptionem partium, sed per appositionem more aliorum liquorum.

*Excluditur distinctio sanguinis præcisa.*

Distinctio autem Caietani, & Syluestri non habet fundamentum, neque facit ad quæstionem Theologicam vllo modo, quia perinde sustineri potest vnio hypostatica sanguinis, siue animatus sit, siue non sit animatus: neque alius locus sanguinis animati dari potest nisi venæ, in quibus nulla ratio cogit, aut apparenter ostendit esse partim animatum, partim non animatum; cùm idem sit agens, & eadem applicatio eius vni, & alteri parti: perindéque concurrant contra hanc sententiam rationes, & authoritates adductæ.

21 *Vnitas numerica Eucharistiæ.*

Quantùm ad vnitatem numericam Sacramenti facilis est ex dictis resolutio: sumitur ab integritate numerica specierum, hîc, & nunc propositarum per modum vnius conuiuij, vt quidam volunt: sed hæc vnitas non est propriè desumpta à Sacramento in ordine ad primarium significatum, quæ est gratia subsistens; & magis spectat ad vsum Sacramenti, quàm ad ipsum Sacramentum, quia hæc vnitas est per ordinem ad sumptionem, quæ vna est, vel plures: meliùs ergo sumitur vnitas integralis numerica Sacramenti in ordine ad species consecratas diuersas, & vnâ consecratione ab eodem ministro consecratas: quia sicut vna est actio integralis; ita & vnus terminus, modo supradicto.

22 *Sententia Soti, & Ledesmæ.*

Quoad species eiusdem generis Sotus, & Ledesma, eodem modo dicunt esse vnum numero Sacramentum, quotquot simul proponuntur, vel sumuntur per modum vnius, quia non requiritur ad vnitatem numericam continuatio Physica, sed sufficit moralis: sicut varij cibi, & fercula per modum vnius conuiuij proposita, faciunt vnum conuiuium: & iuxta hunc modum dicendi plures hostiæ in eadem pyxide faciunt vnum numero, donec disiungantur moraliter, distribuendo eas seorsim.

*Continuatio moralis.*

Contrà, sequeretur quòd hostiæ à diuersis consecratæ, facerent vnum numero Sacramentum; quod videtur inconueniens: quia sicut spectant ad diuersa numero sacrificia, ita etiam ad diuersa numero Sacramenta, & per diuersas consecrationes, ministros, in diuersis loco, & tempore consecratæ. Deinde secundò proponi in eodem loco, altari, aut eidem, aut diuersis sumendas, non est per se spectans ad Sacramentum; sed merè accidentarium, & extrinsecum dependens à solo arbitrio humano: sed vnitas numerica debet esse ab aliquo per se intrinseco Sacramenti, & non ab arbitrio humano, à quo non dependet Sacramentum in *fieri*, aut *conseruari*; verbi gratiâ, à Diacono, qui in vnam pyxidem omnes hostias simul conseruandas congerere potest, aut plures eidem sumendas proponere; debétque eadem vnitas permanenter conuenire Sacramento, sicut & significatio: ergo non fundatur in differentia assignata. *Non facit ad vnitatẽ eiusdem.*

Tertiò, à priori nulla particula eiusdem generis ab alia diuersa, integrat cum alia disiuncta aliquid in ratione signi sacramentalis, ex eo quòd simul sint loco, aut sumptione magis, quàm si essent disiuncta hoc modo, neque ambę sunt partes alicuius tertij, sub quo contineatur primo Christus, sicut se habẽt partes continuatæ ad inuicem: ergo non faciunt vnum numero in ratione signi sacramentalis, quod requiritur ad vnitatem numericam Sacramenti; quæ debet desumi ab *esse* ipsius, & significatione, quâ constituitur. *Nec vnitas loci, aut sumptionis nõ facit.*

Quartò, hic modus videtur alludere ad vnitatem numericam diuersarum specierum, vt corporis, & sanguinis: sed malè, vt patet ex dictis, quia illæ species diuersæ ordinantur ad aliquid vnum integrale quocumque modo explicetur, quantùm ad ipsam significationem, & vim etiam verborum, & consecrationis, & institutionis, & finis; & hoc per se: non ita autem plures species eiusdem generis discontinuæ, quæ merè per accidens se habent ad inuicem; & quælibet est totalis in eodem genere, quantùm ad significationem, & modum significandi, & neutra significat aliquid, quod est de alterius complemento, aut tertij, quod ad vtramque comparari possit, vt totum ad partes. *Diuersitas inter species diuersas, & eandem.*

23 *Secunda sententia.*

Hinc reiicitur modus dicendi tertius in ordine apud Suarem, siue proprius sit, siue aliorum, nempe species cõsecratas siue simul, siue seorsim positas esse vnum numero Sacramentum, propter vnitatẽ Christi, qui idem est in omnibus, & cum ipsis speciebus componit vnum Sacramentum. Sed hoc nequit dici, quia aliàs etiam species diuersæ facerent hoc modo vnum numero Sacramentum hac vnitate, quia quælibet continet Christum totum: sed hoc est falsum, quia Ecclesia, & Patres loquuntur de his tanquam diuersis, & ad minimum diuersitas est numerica *sub diuersis speciebus, signis tantùm, & non rebus latent res eximia*, &c. in prosa Sequentiæ Missæ. Deinde dato etiam quòd Christus componeret Sacramentum, nihil iuuat, quia & species saltem integrant Sacramentum, quæ diuersæ sunt: quæcumque autem diuersitas sufficit ad differentiam saltem numericam, si est intrinseca: ergo, &c. *Vnitas signati.* *Non ab ea sumitur vnitas numerica.*

Neque ratio opposita valet, quia si Verbum diuinum, inquit, assumeret plures naturas humanas, non essent plures homines; sed vnus homo. Respondetur negando assumptum, vt suo loco disseruimus, sed dato antecedente, negatur consequentia intenta, quæ longè recedit: quia qui *Fundamentum secundæ sententiæ reijcitur. Concreta substantialia numerantur.*

dicunt non multiplicari concreta ſubſtantialia, aut numerari in caſu propoſito, in eo fundantur, quòd ſuppoſitum, quod vnum eſt, ſolùm numeratur, & numerari poteſt in concreto: ſed hîc Chriſtus, vt contentus ſub ſpeciebus, non eſt Sacramentum, ſeu ſignum ſacramentale, ſed ſignatum; ſignum autem eſt, quod numeratur. Deinde demus Chriſtum integrare Sacramentum, (quod falſum eſt, vt mox videbitur) ipſi non competit tota ratio numerata Sacramenti.

1. ad Cor. 10. Secundò, quod adiicit ex 1. Corinth. 10. *Omnes vnum corpus ſumus, qui de nouo pane participamus.* Item ex Ambroſio in cap. 10. ad Hebræos; Ambroſ. & habetur *capitulo In Chriſto, de conſecrat. diſt. 2.* vbi dicitur vnam eſſe hoſtiam, & non multas, quam Chriſtus obtulit, & omnes Sacerdotes offerunt. Reſpondetur in primo deſignari vnitatem ſpeciei & repræſentati; non autem illam, de qua eſt ſermo. In ſecundo loco loquitur Ambroſius ſimiliter reſpectiuè ad plures hoſtias, quæ offerebantur in lege veteri: vnde *de conſecrat. diſt. 2. cap. In tribus gradibus*; dicit Clemens, tot holocauſta offerenda eſſe in altari, quot populo poſſint ſufficere, *&c.* Clemens.

*Vnitas numerica à ſeparatione partium ſumenda.* Dicendum ergo hanc vnitatem ſumi à ſeparatis partibus in actu, quia & ſignificatio ſacramentalis diuerſa eſt in ipſis: diuerſa, inquam, numero, & reliqua, quæ ad diſtinctionem numericam, tam *in eſſe* rei, quàm Sacramenti, quàm cauſæ, & inſtitutionis, per quam habet quælibet particula ſeparata, vt totum Chriſtum ſignificet, & cauſet gratiam indépendenter ab alia. Neque hoc tantùm verum eſt ſecundùm rigorem Philoſophicum; ſed etiam Theologicum: quà veritas Sacramenti, & inſtitutionis Chriſti ſpectatur: vt magis patebit explicando *infrà* eſſentiam huius Sacramenti in recto.

24 e *Ex dictis patet quadruplex differentia, & excellentia huius Sacramenti ad alia*, &c. Quatuor excellentias huius Sacramenti exponit Doctor; poſtquam enim præmiſit eius definitionem, inſtitutionem, eiúſque congruitatem, ac tandem vnitatem, ſubiungit eius dignitatem ſuper reliquis Sacramentis; quæ patet *ex can. Nihil, de conſecrat. diſt. 2.* vbi dicitur; in ſacrificiis, & Sacramentis nihil eſſe dignius corpore & ſanguine Domini. Trident. *ſeſſ. 7.* de Sacramentis in genere, *can. 3. Si quis*, inquit, *dixerit hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nullâ ratione aliud ſit alio dignius, anathema ſit.* Qui potiſſimùm Canon intelligitur propter Euchariſtiam; ideóque Marginator rectè citat prædictum Canonem, *Nihil.* Hæc eadem præſtantia ex dictis in initio colligitur, eámque pluribus epithetis Concilium ſeſſ. 13. ſignificat: nam cap. 1. *diuinum, mirabile, ſacroſanctum* appellat: *cap.* 2. Chriſtum in hoc Sacramento *memoriam feciſſe ſuorum mirabilium*; & velut ſui amoris diuitias effudiſſe: *cap.* 3. ſupereffert ipſum reliquis, quòd ipſam in ſe ſanctitatem contineat, reliqua autem vim tantùm ſanctificandi.

*Comparatio Euchariſtiæ ſecundùm dignitatem ad alia.* Trident.

Hanc autem dignitatem Doctor ad quatuor capita reuocat.

25 Primum eſt: quòd in ſignificando ſit veraciſſimum, locutio eſt comparatiua, & reſpectiuè ad alia Sacramenta. Suarez *diſp. 39. ſect. 2.* hoc ait ſano modo intelligendum eſſe, quia reliquorum Sacramentorum formæ ſunt infallibiles in ſignificando, eo modo, quo ſignificant: ſed nõ eſt quod ſcrupulum moueat; hunc enim gradum certitudinis probat Doctor, & differentiam ipſam, quam

*Dignitas eius in ſignificando.* Suarez.

*Declaratur.*

adiungit præfatus Author expreſſit: *Alia*, inquit, *Sacramenta veracia ſunt, quantùm eſt ex ſe, tamen quandoque non habent effectum ſuum ſignatum propter indiſpoſitionem ſuſcipientis: iſtud autem nunquam caret ſuo ſignato*, &c. *Qualiter certius ſignificat?*

Primum membrum, quod attingit veritatem formæ ſacramentalis in aliis Sacramentis, quantùm ad actum primum, & ſecundum ſignificat Trident. *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere, can. 6. & 7.* nempe quantùm eſt ex parte Sacramenti, & formæ, dari effectum Sacramenti non ponentibus obicem; & quantùm ad continentiam virtualem ſemper eſſe infallibilem: de quo modo ſignificandi plura dicta ſunt *diſt. 1. quæſt. 2. & diſt. 4. de Baptiſmo Virginis, quæſt. 6.* & in hac acceptione non eſt comparatio præſens, ſed quantùm ad veritatem practicam in actu ſecundo, quâ Sacramentum coniungitur cum ſuo effectu in re ipſa, quam etiam attingit Concilium in dictis Canonibus. Sumendo veritatem hoc modo, quantùm ad certitudinem actus ſecundi, excedit Euchariſtia, ex ratione præmiſſa vniuerſaliter loquendo; & non in caſu, & circumſtantiis determinatis, in quibus ſubiectum, cui applicatur Sacramentum, non habet impedimentum, aut diſpoſitionem, quæ ſubtrahi poſſet, & à qua dependet ex parte ſuſcipientis, qualiter ſe habet Baptiſmus, & Confirmatio infantum, in quibus ſemper forma eſt verax in actu ſecundo, quia nulla eſt diſpoſitio requiſita in illis ad veritatem effectus; in reliquis tamen ſuſcipientibus adultis, ſicut reliqua Sacramenta verificantur circa ſubiectum, à cuius conſenſu, diſpoſitione, aut ſtatu dependent; & conſequenter à libero eius arbitrio, per quod conſentiat, vel diſponat ſe ad gratiam, & effectum ſacramentalem, aut ſuſceptionem Sacramenti, quódque obſtare poteſt, inde aliquando ſubtrahitur effectus Sacramenti ex obice diſſenſus, vel totus, vel in parte ex obice peccati. *Veritas in actu primo, & ſecundo.* *Veritas formæ quandoque dependet à conditione fallibili.*

Sacramentum autem Euchariſtiæ, & forma eius, tam verbalis tranſiens, quàm realis permanens, non verificantur circa hominem, aut ſuſcipientem: ideóque non dependet ab eius diſpoſitione fallibili. Inter cauſas autem, & ſigna practica illud eſt certius, quod minùs ſuſpendi poteſt à ſuo effectu; vnde Baptiſmus infantis eſt certior in actu ſecundo, quàm adulti peccatoris quoad effectum gratiæ, ex hac ratione: ergo, &c. Hic autem gradus certitudinis in Euchariſtia præ reliquis ſumitur per ordinem ad gratiam ſubſiſtentem, & non ad gratiam ſanctificantem, quia quoad hanc ſicut dignius eſt Sacramentum, ita conuenit vt maiori diſpoſitione ſumatur, & ab exiſtentibus in gratia, ideóque in hac parte non habet maiorem certitudinem.

Secundus gradus excellentiæ eſt, quòd hoc Sacramentum realiter contineat ſuum ſignificatum, alia verò non realiter, ſed in virtute tantùm & efficacia: Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. *Commune quidem Euchariſtiæ cum cæteris Sacramentis ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem; verum illud in ea excellens, & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tum primum ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis Author ante vſum eſt*, &c. *ſeſſ. etiam 7. de Sacramentis in genere can. 6. 7. 8.* tribuit illum modum continendi ſanctitatem Sacramentis: & patet ex definitione Sacramenti in genere, quam tradit Magiſter; & ad quam, verbis allatis, alludit Concilium. 26 *Secũdus gradus excellentiæ in Euchariſtia.* Trident.

Tertius gradus, & quartus patet ex præmiſſis, & verbis allegatis Concilij, in quibus quartus

gradus

*Est permanens.*

gradus exponitur. Subiungit autem Doctor congruitatem: vnde Sacramentum sit permanens: quia nempe iuxta promissionem Christi: *Vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: congruum ergo fuit, vt permanentia eius denotaretur signo sacramentali, & visibili, cùm ipse secundùm modum naturalem essendi sedeat ad dexteram Patris; venturus suo tempore in forma visibili ad iudicium.

27 *Consecratio. & vsus Sacramenti, ad essentiã eius non spectat.*

Negat præterea Doctor hîc consecrationem Sacramenti, aut sumptionem eius pertinere ad essentiam Sacramenti, quamuis in vtrisque cum debita dispositione factis conferatur gratia, sed magis in sumptione, quia significat nutritionem spiritualem. An autem conficienti Sacramentum detur gratia præcisè, quà conficiens est, ex opere operato; an ex opere operantis, non determinat hîc: ad veritatem autem dicti sufficit, vt ex opere operantis conferatur gratia Sacerdoti, inquantùm conficit Sacramentum præcisè, quia Sacramenta non habent effectum ex opere operato, nisi inquantùm applicantur subiecto, in quo est vsus ipsorum Sacramentorum. An autem conferatur gratia eidem, inquantùm est sacrificans, id est, conficiens, & offerens sacrificium ex opere operato, dependet ab effectu Eucharistiæ, quà est sacrificium. Pro nunc referatur in suum locum, supponendo non dari nisi impetratorie, & non immediatè gratiam sanctificantem per sacrificium: quia dare gratiam sanctificantem immediatè, & ex opere operato spectat tantùm ad Sacramenta, quæ ad sanctificationem hominis primariò sunt instituta: sacrificium verò ad cultum Dei.

*Quomodo cõsecrans recipit gratiam.*

Hæc litera, sicut & responsio ad argumenta, ad ad primum, secundum, & tertium, cum interrogatione duplici incidenter subiuncta, & responsione ad vtramque. Item definitio præmissa Eucharistiæ docet, in quo consistat Sacramentum in recto: quod solùm superest explicandum in hac quæstione, nam reliqua patent ex dictis hîc: & *in dist.* 1. *quæst.* 4. *&* 5. de efficacia Sacramenti in genere. Antequam autem probemus sententiam Doctoris, expedit proponere aliorum sententias, eásque discutere.

28 *Controuersia de essentia Sacramenti in recto.*

Prima refertur dicere Sacramentum consistere in ipsa gratia inuisibili. id est, Christum vt præsentem esse Sacramentum: hanc imponit Sotus VValdensi *tom.* 2. *de Sacram. cap.* 21. quam tamen non defendit, si rectè inspiciatur, vt benè notauit Vasquez, neque subsistit, quia ex communi Patrum, & Theologorum, Sacramentum debet esse sensibile, per se loquendo de Sacramento strictè sumpto: quod de Eucharistia tanquam commune sibi, & reliquis docet Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. in principio, applicans ei definitionem Sacramenti vulgarem, & à Magistro traditam.

*Prima opinio reiicitur.*

29 *Secunda opinio.*

Secunda sententia est, essentiam Sacramenti consistere in sola forma verbali consecrationis: tribuitur Marsilio *in* 4. *quæst.* 1. *art.* 1. *& quæst.* 6. *art.* 2. & D. Thomæ in hac distinctione *quæst.* 1. *art.* 1. Hæc etiam non subsistit loquendo de forma constitutiua Sacramenti, quia ex communi Theologorum, & Trident. loco citato, Sacramentum hoc est permanens; & *tota sessio* 13. de ipso vt aliquid permanens est, agit, sicut & *sess.* 21. ergo nequit constitui per verba, quæ transeunt, factâ prolatione, & remanente Sacramento. Dices formam manere moraliter tanquam in effectu, in ipsis speciebus consecratis; sicut consensus præteritus manet in dormiente, verbi gratiâ, consensus matrimonialis, qui semper manere dicitur. Contrà, moralis tantùm existentia non est existentia physica, & sacramentalis, seu sensibilis signi, quà signum est: ergo non sufficit talis existentia formæ ad constituendum Sacramentum sensibile permanens.

*Impugnatio secunda opinionis.*

*Responsio.*

*Replica.*

*Confirmatio.*

Confirmatur, quia absolutio præterita sacramentalis, & forma Baptismi collati sic etiam possent dici existere, quia perseuerat eorum effectus, nempe gratia, vel character: sed hoc est falsum (loquendo de existentia earum sacramentali) & à nemine adhuc receptum; aliàs verum esset dicere, quòd Baptismus non sit transiens, aut transactus, sed nunc esse, sicut dicitur quòd Eucharistia manet facta consecratione: ergo talis existentia formæ consecrationis non sufficit, vt dicatur Eucharistia nunc esse, quantùm ad rationem Sacramenti sensibilem, & permanentem. Neque instantia allata facit ad propositum, quia consensus præteritus non retractatus manet in habitu, & in vinculo, quod inducit ex lege, neque aliter dicitur manere in seipso, sed in effectu: sic etiam reliqua omnia Sacramenta, quæ in vsu consistunt, manent etiam in suo effectu, quamdiu effectus manet: sed illa non est existentia Sacramenti, quæ requiritur ad vsum, & applicationem, & efficaciam eius, sed existentia realis eius, & successiua, si est transiens, vel tota simul, si est permanens, vt est Eucharistia.

*Existentia moralis non constituit signum sensibile.*

*Existentiæ causa non est existentia effectus.*

*Responsio.*

Dices, forma Baptismi dicitur esse, quando etiam proferuntur vltima verba eius, & continuari materiæ, quamuis materia non sit hîc, & nunc physicè, sed anteceßit, vel subsequitur, & quamdiu manet aliqua pars Sacramenti, dicitur ipsum Sacramentum esse: ergo similiter in proposito sufficit, quòd species maneant; quamuis forma præcesserit, ad hoc vt dicatur ipsa forma manere, vel certè Sacramentum manere consistens ex forma. Contrà, ad existentiam successiui sufficit, vt aliqua eius pars existat, quia aliter existere nequit, vt est Sacramentum, quod est in vsu tantùm, & quod componitur ex successiuis tanquam partibus, materia scilicet & forma, inter quas sufficit continuatio moralis, sicut integrant vnum tantùm morale, & ex instituto: sed Eucharistia est permanens: ergo exigit vt secundùm omnes partes simul existat: ergo nequit consistere in aliquo successiuo, tanquam formali totali constituente, neque tanquam partialiter constituente: quia successiuum, & permanens nequeunt vnum componere in *esse* signi permanentis, aut successiui, realis, & sensibilis, quia nequeunt simul esse, aut simul causare, quod requiritur ad signum practicum: quod ampliùs declarabitur respondendo ad fundamenta huius opinionis.

*Impugnatio.*

*Existentia successiui.*

*Existentia permanentis.*

Obiicies primò, Florentinum in Decreto vnionis, vbi dicit Sacramentum in genere perfici ex tribus, rebus, vt materia; verbis, vt forma, & persona ministri intendentis facere, quod facit Ecclesia. Respondetur, vt dictum est *dist.* 3. *quæst.* 2. & fusiùs ibidem explicatum est, materiam & formam sumi secundùm proportionem, & non secundùm rigorem. Ad propositum sumitur forma, vt comprehendit tam effectiuam, quàm constitutiuam, quàm etiam determinatiuam per modum circumstantiæ tantùm, & fundamenti significationis sacramentalis, prout explicat Doctor definitionem Baptismi traditam à Magistro, & definitionem Confirmationis *dist.* 7. *quæst.* 1. Forma verbalis Eucharistiæ se habet, vt effectiua,

30 *Responsio ad argumenta. 2. sent.*

*Ad primum.*

*Quomodo se habet forma Eucharistiæ.*

& conuerſiua eſt panis, & vini in corpus, & ſanguinem, non verò vt conſtitutiua: vnde idem Cõcilium de hoc Sacramẽto: *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, qui hoc conficit Sacramentum; nam ipſorum virtute ſubſtantia panis in corpus, & ſubſtantia vini in ſanguinem conuertuntur*, &c. Forma ergo ſumitur ſecundùm cauſalitatem, vt effectiua eſt Sacramenti: ita etiam Ambroſius *lib. 4. de Sacram.* & Trident. *ſeſſ. 13. cap. 4.* Sed *cap. 3.* docet noſtram ſententiam ſtatuens differentiam inter hoc, & reliqua Sacramenta in eo, quòd reliqua habeant vim ſanctificandi tantùm in vſu, hoc autem contineat ipſam ſanctitatem, ſeu authorem eius in *eſſe*, & ante vſum: ergo oportet id quod continet hanc ſanctitatem per modum Sacramenti, permanere in *eſſe*, quod nequit dici de forma conſecrationis, quæ perinde eſt in vſu tranſeunte, ſicut & reliqua Sacramenta. Patet etiam ex aliis locutionibus, quibus dicit adorari, ſeruari, deferri, in proceſſionibus, &c. quæ nequeunt intelligi de conſtituto per formam tranſeuntem, neque vt tota ratione Sacramenti, neque vt parte eius: quia cauſa, & effectus, ſeu ſignum, & ſignatum nequeunt complere eandem rationem ſigni ſenſibilis, & ſacramentalis, vt contra alios dicetur.

*Forma eſt effectiua huius Sacram.*

*Hoc Sacramentum continet ſanctitatem permanenter.*

31 *Secunda obiectio.* Obiicies ſecundò, illud eſt Sacramentum, quod eſt ſignum, ſeu effectiuum ſui ſignati, ſed hoc tantùm competit formæ verbali, & non ſpeciebus, quæ non efficiunt Sacramentum, aut rem Sacramenti, quæ eſt præſentia ſacramentalis: ergo, &c. *Reſponſio.* Reſpondetur negando Minorem, quia ſpecies conſecratæ per aſſiſtentiam Dei habent virtutem conſeruatiuam ſui ſignati præſentis: tamdiu enim manet, quamdiu ſpecies conſeruantur ſine corruptione; virtus autem conſeruatiua reducitur ad idem genus, ad quod reducitur conſecratiua, & conuerſiua; ex efficacia ergo conſecrationis per aſſiſtentiam Dei fit præſens Chriſtus ſub ſpeciebus, ex efficacia ſpecierum cum eadem aſſiſtentia conſeruatur præſens; & ſic ſpecies ſunt ſignum efficax continuatæ præſentiæ.

*Species effectiuè conſeruat Chriſtum in Sacramẽto.*

*Replica.* Contrà, eadem eſt efficacia hinc inde, & idem modus cauſandi per ſignum ſenſibile, & idem modus ſignificandi præſentiæ Chriſti, quia verba ſignificant practicè præſentiam Chriſti, & abſentiam panis, & vini per conuerſionem eorum in corpus Chriſti, & ſeparationem ſpecierum: neque ſpecies ſunt ſignum præſentiæ Chriſti, niſi quà connotant verba, per quæ fit præſens: ergo non eſt maior ratio, cur dicatur ſpecies Sacramentum, quàm ipſa verba.

*Reſponſio. Chriſtus vt præſens, eſt ſignatum permanens.* Reſpondetur negando conſequentiam: ad antecedens reſpondetur Chriſtum, vt permanenter præſens eſt, ex inſtitutione peculiari huius Sacramenti eſſe ſignatum ſacramentale, quia ille eſt finis intrinſecus inſtitutionis, & vſus ipſius Sacramenti. Hanc autem præſentiam habet per ſpecies tantùm, quæ ſunt ſignum practicum modo dicto, & vlteriùs demonſtratiuum præſentis, quod requiritur ad omnem vſum huius Sacramenti. Supponunt autem ipſam præſentiam in *fieri* per conſecrationem, & verba, quia confectio Sacramentorum debet fieri ex communi inſtitutione, & lege, per miniſtros viſibiles Eccleſiæ, eorúmque verba; tum quà Sacramentum eſt, tum quà ſacrificium eſt.

Hæc autem conſecratio, quia eſt in vſu, & tranſiens, nequit eſſe proportionata inſtitutioni particulari, & vſui huius Sacramenti: tum quia permanens eſt Sacramentum; tum etiam, quia in conſecratione, quæ perficitur in materia extrinſeca, circa quam, per ſolam conuerſionem eius in terminum *ad quem*, & non applicatur ad aliquod ſubiectum humanum ſanctificandum per vſum Sacramenti, nequit conſiſtere ratio formalis Sacramenti, de cuius eſſentia eſt, vt poſſit ſanctificare, & dare ſalutem, dum eſt: & ſecundùm eandem rationem formalem ſuam conſtitutiuam; ſui, inquam, & ſenſibilem, applicari poſſe ad effectum ſanctificationis per gratiam; & vt contingit in aliis Sacramentis, quæ ſunt in vſu, & ſecundùm rationem formalem applicantur perſonæ, in qua cauſant ſanctitatem: hoc nequit conuenire formæ verbali Euchariſtiæ; ideóque nequit eſſe, aut ſpectare ad conſtitutionem ipſius Euchariſtiæ, quà Sacramentum eſt, & in *eſſe* Sacramenti applicabile ad vſum ſanctificationis. Signum itaque practicum, quod conſtituit ſacramentum ex ratione ſua, debet eſſe applicabile ad effectum ſanctificationis, eámque poſſe cauſare, vt proximè applicatur; hoc, inquam, nequit conuenire formæ verborum, neque ex vi ſermonis, qui completur circa materiam extrinſecam homini ſanctificando, neque ad modum, quo hoc Sacramentum ſanctificat per modum nutrimenti continentis cibum, & potum: ex quo ſequitur principale intentum contra præmiſſam ſententiam. Et reſpondetur obiectioni, quia licèt cætera conueniant, deeſt hoc quod ad ſignificationem ſacramentalem exigitur, & conſtitutionem Sacramenti.

*Quare excluditur forma verborum ab eſſentia.*

Meritò ergo Doctor aſſerit in litera, §. *Vltima differentia*, &c. vſum formæ verbalis eſſe viam ad Sacramentum, non ſacramentum ipſum, aut aliquid conſtitutiuum eius: quem ſequitur Gabriel, Sotus, Vaſquez *infrà* citandus.

Hunc tamen modum non approbat Suarez, quia eſſe viam ad Sacramentum magis competit ipſi conſecrationi, quàm formæ: ſed reſpondetur quando Doctor dicit formam eſſe viam ad Sacramentum, comprehendit ipſam conſecrationem, & prolationem formæ; loquitur enim de forma, vt eſt in vſu, prout loquitur Tridentinum, & cæteri Doctores de aliis Sacramentis per differentiam ad hoc Sacramentum, quòd illa vt ſunt in vſu habeant vim ſanctificandi; vſus autem ille, quia eſt ſucceſſiuus per fluxum, & motum, appellatur commodè via in terminum, quia eſt diſpoſitio neceſſitans ex pacto Dei ad terminum, vt ponatur à cauſa principali phyſicè: ad differentiam autem actionis rectè poteſt dici via in terminum, & diſpoſitio ad ipſum, confectio Sacramenti, ſicut conſecratio Euchariſtiæ, quod non tollit à Sacramento, aut à forma conſecrationis cauſalitatem ipſi competentem in genere inſtrumenti: non loquitur ergo Doctor de forma abſolutè, & quaſi in actu primo, ſed de vſu formæ.

32 *Forma eſt via ad Sacramentum.*

Reſpondet ergo ipſe Suarez potiùs dici debere eſſe formam extrinſecam, & efficientem Sacramenti: ſed hæc reſponſio, vt iam annotauimus, non facit ad propoſitum difficultatis, quia Doctores loquuntur de forma, vt eſt in vſu conſecrandi, ſeu vt annexa eſt ipſa conſecratio, quæ eſt efficientia Sacramenti, vel Sacramentum in *fieri*, & terminatur ad Sacramentum in *eſſe*, de qua efficientia quærunt, an ſit ſignificatio practica ſacramentalis, ſeu per modum Sacramenti. Reſpondet ſecundò, quòd ſit actio ſacrificandi, ſeu confectio ſacrificij in cultum Dei: verùm licèt ſit hoc verum: non eſt tamen adæquata conſideratio rei,

*Prima reſpõſio Suarez imputatur.*

*Secunda ſimiliter reiicitur.*

quia

quia non solùm institutum est hoc per modum sacrificij,sed etiam Sacramenti,quæ sunt diuersæ rationes,vt cadunt sub intentione, & institutione Dei: ergo sicut verba consecrationis ordinata sunt,vt cadunt sub intentione Dei institutentis sacrificium ad offerendum sacrificium proximè; ita etiam vt cadunt sub intentione Dei instituentis Sacramentum, eadem verba ordinantur ad conficiendum Sacramentum. Consequentia patet, quia licèt illæ intentiones respiciant eandem materiam,non confunduntur,neque subordinantur sibi inuicem,& respiciunt diuersos fines:ergo forma, vt est medium respectu vtriusque, æquè primò etiam ordinatur ad vtrumque finem; & non per aliquam subordinationem, quâ primò ad vnum, secundò ad alterum ordinaretur, quasi secundariò intentum,quia inter media, quæ sunt ad finem ex sola voluntate instituentis, nulla est subordinatio,quando inter ipsos fines, atque intentiones non est talis subordinatio.

*Medium ad diuersos fines assumptum supponit diuersas intentiones.*

In proposito autem non ideò est Sacramentum Eucharistia,quia est sacrificium,aut econtrà, sed æquè primò vtraque ratio intenditur: sicut si quis emat equum, & ad arandum, & ad vecturam, vtrumque finem per se primò intendens, emptio, & commutatio pecuniæ non magis primò ordinatur ad arationem, quàm ad vecturam;ad vtrumque autem æquè primò,& per diuersas intentiones non subordinatas ordinatur, quarum quælibet independenter ab altera, sufficeret ad commutationem, & determinaret faciendam simpliciter: quia sufficit diuersa,& non subordinata proportio medij ad vtrumque finem, vt eligatur diuersâ ordinatione ad vtrumque: ita in proposito contingit, considerando voluntatem Dei ex modo nostro concipiendi,vt transit in diuersa obiecta, vel in idem secundùm diuersas rationes non subordinatas, neque formaliter sibi inuicem communicantes, quasi vna formaliter aliam includeret,qualis est ratio sacrificij, & Sacramenti,& vtriusque confectio.

*Exemplum.*

33 *Eucharistia, sacrificiū, & Sacramentū.*

Præfatus autem author videtur in eo vim facere,quòd sacrificium in vsu consistat,Sacramentum verò sit permanens: sed hæc consideratio non est plena huius mysterij, quia & potestas ordinis in ministro ad vtrumque conficiendum ordinatur,& materia,& forma,& institutio vtrumque etiam respicit: si enim consecratio haberet tantùm vim oblationis, non rectè diceretur panis,& vinum esse materia Sacramenti,prout Concilia,Patres,& Doctores asserunt,quod indubitabile est.Dicendum ergo,quòd sicut ad sacrificium exigitur consecratio,tam corporis, quàm sanguinis seorsim,ex vi verborum, ad significandum sacrificium cruentum, in quo immolatus est Christus per separationem sanguinis à suo sacrato corpore;ita etiam non minùs id requiri ad Sacramentum, quod institutum est per modum completi nutrimenti,& conuiuij ex cibo,& potu, vt corpus sub specie panis per modum cibi, sanguis sub specie vini potabilis seorsim sumerentur, & conficerentur: quod & Tridentinum, & communiter Patres, ac Doctores statuunt, explicantes materiam,formam,institutionem, finem, & congruentiam institutionis; benè ergo Doctor cum reliquis docet consecrationem esse viam ad Sacramentum.

*Consecratio ad vtrumque ordinatur.*

Possunt extrema hæc conciliari commodè, dicendo: Eucharistiam habere duplicem rationem, aliam in *fieri*, & sic constitui intrinsecè per formam verborum;aliam in *facto esse*;& vt est Sacramentum permanens: & sic forma eius sunt species:& in reipsa non erit differentia, & ad rationem superiùs datam,quâ negatur consecratio esse signum sacramentale, quia nempe non potest applicari ad causandam gratiam proximè: respondetur, quòd proximè causat gratiam subsistentem, remotè verò gratiam sanctificantem;eo modò, quo aliqui docent characterem causare gratiam Sacramenti, cuius est, recedente fictione. Quod sufficit ad efficaciam ipsius Sacramenti saluandam, etiam in ordine ad effectum gratiæ in eo casu.

34 *Tertia opinio principalis proponitur.*

Tertia sententia principalis est,essentiam huius Sacramenti esse compositam ex speciebus, & sanguine ac corpore Christi, ac proinde corpus Christi pertinere ad constitutionem Sacramenti in recto. Citatur pro hac D.Thomas *in hac dist. quæst.1.art.1.quæstiuncula ad 2.* Bonauentura in expositione literæ Magistri,Capreolus, sed non rectè, quia hæc sententia inuenta est à modernis scriptoribus, vt quasdam Patrum locutiones saluent,quæ compositionem denotant inter species, & res subsstratas, ex quibus etiam hæc sententia ab ipsis probatur: eam tenet Alanus *lib.1.de Eucharistia,cap.3.4.& 5.* citatur Claudius Sanctes, sed neque expressè videtur eius opinionis: quam tamen docent ex professo Suarez *disp.42.sect.3.*& Vasquez *disp.167.cap.5.*

D.Thom. D.Bonauēt. Capreolus. Alanus. Claudius. Suarez. Vasquez.

35 *Impugnatur præcitata sent.*

Contrà hanc sententiam primò, definitio Sacramenti *suprà* assignata repugnat Christo, vt est sub speciebus:ergo nequit integrare,aut componere rationem huius Sacramenti in recto. Antecedens patet,quia Sacramentum est res sensibilis per se,vt *dist.1.quæst.2.* iuxta communem doctrinam, & definitionem traditam constat, quæ est etiam Tridentini sess.13. cap.8. *commune*, inquit, *hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem,verùm illud in ea excellens, & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent,cùm quis illis vtitur,at in Eucharistia ipse sanctitatis author ante vsum est.* Et infrà: *Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit statim post consecrationem verum Domini corpus, verúmque eius sanguinem,sub panis,& vini specie, vna cum ipsius anima,& diuinitate existere*,&c.

*Christus non spectat ad cōstitutionem Sacramenti, quà Sacramentum est.*

Ex quibus probatur antecedens, esse *symbolum rei sacræ*, & esse *formam visibilem gratiæ inuisibilis*,in quibus consistit definitio Sacramenti, est commune Eucharistiæ,cùm aliis Sacramentis:at aliis hoc competit ratione materiæ, & formæ verbalis, & quà sunt signa sensibilia distincta à suo significato: ergo & Eucharistiæ eodem modo, & gradu conueniunt. Probatur consequentia, quia gratiæ inuisibilis, cuius forma visibilis est Eucharistia, res sacra,cuius est symbolum, est ipse Christus, vt præsens est: loquitur enim Concilium de Eucharistia, vt est Sacramentum subsistens, & permanenter includens suum signatum sacrum,& gratiam inuisibilem ante vsum, in quo distinguitur ab aliis Sacramentis,quæ in vsu tantùm continent virtutem sanctificandi,vt patet ex verbis sequentibus, in quibus hæc differentia tantùm ponitur, tanquam particularis huius Sacramenti ab aliis: sed hæc,id est, symbolum, & forma visibilis distinguuntur expressè à Concilio,& necessariò distinguenda sunt à gratia, & re inuisibili, quia Christus in Eucharistia non est symbolum, aut forma visibilis sui ipsius, neque integra;

*Differentia Eucharistiæ ab aliis Sacramentis.*

*Signum, seu forma distinguitur à re signata.*

integrat tale ſymbolum; ſicut nec vnum correlatiuorum eſt de conſtitutione, aut integritate intrinſeca ſui correlatiui, ergo Concilium loquitur de ipſis ſpeciebus præcisè, diſtinguens ſignatum, & ſignum permanens, formam viſibilem, & gratiam inuiſibilem à ſe inuicem, ſicut in aliis Sacramentis diſtinguuntur.

Differentia enim, quæ eſt ſpecialis huius Sacramenti, non eſt diſtrahens rationem communem Sacramenti, ſed perficiens, quod manifeſtum eſt ex Concilij verbis: *At in Euchariſtia*, inquit, *ipſe ſanctitatis author ante vſum eſt*, &c. nempe res ſacra in ſymbolo, gratia inuiſibilis in forma viſibili realiter, formaliter, permanenter ſcilicet, non verò in virtute tantùm, & in vſu, ſicut in aliis Sacramentis. Sed reſpondent aduerſarij eſſe Chriſtum in Euchariſtia, ſicut pars eſt in toto, & anima in homine.

*Senſus Tridentini verus.*

Contrà, hæc interpretatio arguit Concilium de proceſſu æquiuoco, & vitioſo, & tollit comparationem Euchariſtiæ ad alia Sacramenta inſtitutam, ſecundùm quòd conueniunt: comparantur enim ad inuicem, & quà ſignum ſunt, & in modo, quo continent ſua ſignificata ſacra ſecundùm conuenientiam, & differentiam aſſignatam, & dicit in Euchariſtia contineri Chriſtum ante vſum. Intelligit ergo per modum ſignati præſentis, & demonſtrati, quod non competit aliis Sacramentis, quam præſentiam in verbis ſequentibus explicat per exiſtentiam ſub ſpeciebus, tanquam ſub ſigno ſacramentali ſcilicet, vt patet c. 1. quo explicat realem præſentiam: *Docet ſancta Synodus*, &c. *poſt panis & vini conſecrationem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, &c. *verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri*, &c. & infrà dicens non repugnare myſterium, nempe Chriſtum ſecundùm modum naturalem eſſendi, eſſe in cœlo, & ſecundùm præſentiam ſacramentalem eſſe in variis locis; declarat modum hunc exiſtendi reſpectiuè ad ſpecies, ſeu Sacramentum: *Sacramentaliter*, inquit, *præſens ſua ſubſtantia nobis adſit*, &c.

*Præſentia realis Chriſti.*

Et hoc ſenſu intelligendi ſunt canon. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 8. Concilij, qui dicunt Chriſtum in Euchariſtia contineri, & ſeſſ. 21. cap. 1. primò dicit non obligari fideles laicos, & clericos non conficientes, ad Euchariſtiæ Sacramentum, ſub vtraque ſpecie ſumendum: & ſubiungit, alterius ſpeciei communionem ad ſalutem ſufficere, quo in loco ſumit ſynonymè Sacramentum Euchariſtiæ, & ipſas ſpecies, vt denotant illa verba: *Sacramentum Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie*, &c. & illa: *Quin illis alterius ſpeciei communio*, &c. deinde ſubdit rationem: *Nam etſi Chriſtus Dominus in vltima Cœna, venerabile hoc Sacramentum, in panis, & vini ſpeciebus inſtituit*; &c. Et ſic eodem, & ſequenti capite vtramque ſpeciem pro Sacramento exprimit. Et *ſeſſ. 22. cap. 1.* docet ſub ſymbolis panis, & vini Chriſtum dediſſe corpus, & ſanguinem Apoſtolis; diſtinguit ergo illud, quod eſt ſignum, & Sacramentum, ab ipſo corpore, & ſanguine.

*Communio ſub vna ſpecie.*

Secundò, ita canit Eccleſia in ſequentia Miſſæ: *Fracto demum Sacramento, ne vacilles, ſed memento tantum eſſe ſub fragmento, quantum toto tegitur*, &c.

36 *Impugnatio ſecunda.*

Fractio autem eſt ſpecierum, non contenti, vt patet ex ſequenti; *Signi tantùm ſit fractura, quà nec ſtatus, nec ſtatura ſignati minuitur.* Huc ſpectant locutiones Patrum, quæ pluraliter agunt de hoc Sacramento, vt *ſuprà* ſignificatum eſt. *Sacramenta quæ ſumpſimus*, in Collecta Miſſæ. Africanum *cap. 3.* Carthaginenſe III. *cap. 24. & 25.* Author ſermonis de Cœna Domini apud Cyprianum. Ambroſius *lib. 5. de Sacram. cap. 1. in capitulo Sacramenta, cap. In Sacramentis, cap. Comperimus, de conſecrat. diſt. 2.* Hæc autem pluralitas locutionis nequit fieri ad ſignatum, quia idem Chriſtus totus eſt ſub alterutra ſpecie: idem habet Tertullianus contra Marcionem *lib. 1. cap. 14.* Alexander I. *epiſt. 1. cap. 4.* Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes.

Carth. III. de Cœna Dom. Ambroſius de conſ. d. 2. Tertullian. Alexand. I. Ignatius.

Item, in capitulo *Ego Berengarius*, dicitur poſt conſecrationem non ſolùm manere in altari Sacramentum, ſed etiam ipſum Chriſtum. Capitulo, *Cum Marthæ*, de celebrat. Miſſarum, dicit Pontifex tria diſcerni in hoc myſterio, nempe Sacramentum tantùm, quæ ſunt ſpecies; rem, & Sacramentum ſimul, vt corpus Chriſti, &c. rem tantùm, quæ eſt gratia, quam in ſumptione cauſat: quam doctrinam tradit Magiſter in hac diſtinctione, & reliqui Sententiarij antiqui in eadem diſtinctione. Hugo de ſancto Victore *tom. 3. lib. 2. de Sacram. part. 8. cap. 7.* vnde in Canone: *Hoc eſt, de conſecrat. diſt. 2.* vocatur corpus Chriſti res Sacramenti: & ſubdit: *Conficitur*, inquit, *ſacrificium Eccleſiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti, & cap. Nos autem*, &c. *in ſpecie panis & vini, quam videmus, res inuiſibiles, id eſt, carnem, & ſanguinem honoramus*, &c. Plura alia adferri poſſunt, quæ rationem Sacramenti attribuunt ſolis ſpeciebus: & hoc variis in locis docent authores, qui ſcripſerunt contra Berengarium, vt Lantfrancus, Algerius, & alij, & vniuerſim antiqui Scholaſtici hoc genus compoſitionis ignorarunt, qua corpus Chriſti cum ſpeciebus componeret aliquid, quod in recto ſupponeret pro Sacramento propriè dicto. Si autem ſermo eſſet de Sacramento, vt eſt res, & Sacramentum ſimul, non eſt differentia, neque etiam, ſi dicatur res huius Sacramenti ſignificare Chriſtum, ſecundùm modum naturalem eſſendi, quem habuit in ſacrificio incruento.

*Sacramẽtum tantùm res, & Sacramentum.*

Magiſter.

Tertiò, ratione impugnatur prædicta ſententia, ſpecies cum contento nequeunt ſimul facere vnum conſtitutum, & compoſitum, niſi interueniat vnio requiſita, vt admittunt præfati authores interuenire: ſed hæc nequit eſſe per modum vnionis materiæ, & formæ, quia nequeunt ſpecies, & contentum habere proportionem requiſitam. Dices eſſe partes integrantes vnum: contrà, vel integrant vnum ſenſibile, vel non; primum dici nequit, quia corpus Chriſti, vt eſt in Euchariſtia, non eſt ſenſibile, niſi per ſpecies, ac proinde nihil in *eſſe* ſenſibilis poteſt addere ſpeciebus: ſi non integrant aliquod vnum in *eſſe* ſenſibili iam non componunt Sacramentum, quod nequit componi proximè, quà Sacramentum, niſi ex ſenſibilibus per ſe.

37 *Species non componunt cum contẽto.*

*Reſponſio. Impugnatio.*

Præterea, ſignum quod eſt Sacramentum, eſt practicum ſignum, quà eſt Sacramentum nouæ legis, & diſtinguitur à Sacramentis veteris legis, vt ſuo loco dictum eſt ex Florentino, & Tridentino: ergo quidquid componit Sacramentum, quà Sacramentum nouæ legis, debet neceſſariò componere ipſum in *eſſe* ſigni practici, & cauſæ ſui effectus: ſed nequit hæc cauſalitas, aut integratio ſaluari in propoſito, quia licèt reſpectu ſanctificantis gratiæ poſſit ſaluari; tamen primaria conſideratio huius Sacramenti eſt eſſe permanens: ac proinde Tridentinum hanc differentiam eius ſtatuit ab aliis, *c. 3.* ſed hac ratione nequit intelligi, quomodo

*Sacramẽtum debet eſſe ſignum practicum.*

*Ex quibus conſtituitur.*

quomodo contentum integrare possit signum practicum, aut seipsum causare, quia neque species, neque seipsum causat ex instituto, vt competit Sacramento: sed econtrà species causant ipsum conseruando: ergo non integrat cum speciebus Sacramentum propriè dictum, nisi vt signatum requisitum, & relatum ad species, vt ad Sacramentum, & signum: hoc autem non est constituere propriè dictum Sacramentum, neque integrare sub ratione præcisa Sacramenti, nisi quis velit inuertere proprietatem, & vsum loquendi, atque adeò rem ipsam, quæ est ratio, & definitio Sacramenti, vt accipitur in scholis.

*Responsio aliorum.* Aliqui dicunt facere vnum per modum subiecti, & accidentis, habitus & habituati, loci & locati: sed neque hæc responsio in re quidpiam ponit, quod naturæ huius mysterij quadrat. Primò enim species nequeunt se habere, vt forma accidentalis nisi respectu subiecti, quod nequit esse Christus indiuisibiliter existens, & aliàs incapax talium accidentium: demus etiam oppositum, subiectum, & accidens, licèt in esse entis faciant vnum; tamen in esse sensibilis non componunt vnum loquendo de subiecto substantiali: vnde in hoc mysterio oculus, & intellectus lumine naturali non discernit absentiam substantiæ panis, & vini; cognosceret autem, si substantia in *esse* sensibili aliquid superadderet accidentibus: sed quidquid componit Sacramentum, quà Sacramentum est, deberet in *esse* sensibili aliquid superaddere, aliàs nihil faceret ad significationem, vt ratio partialis eius.

*Impugnatio.*

*Ratio & sensus non comperit absentiã panis, &c.*

Perinde reiiciuntur reliqua exempla, quia neque habituatum, componit habitum in *esse* habitus, neque locatum locum in *esse* loci: ergo neque signatum signum in *esse* signi; aliàs eodem modo diceretur effectus omnium Sacramentorum componere ipsa Sacramenta in *esse* Sacramenti, quod nemo hactenus dixit: neque video cur res Sacramenti diceretur magis componere cum speciebus aliquod vnum in *esse* Sacramenti, quam econtrà Sacramentum aliquid cum re in *esse* signati: quia eadem est oppositio hinc inde, & magis ordinatur Sacramentum ad rem Sacramenti, vt ad finem, quàm econtrà res ad Sacramentum.

38 *Responsio Suarez.* Respondet ergo Suarez Christum, vt est in Sacramento, esse formam huius Sacramenti, id est, specierum, quia est nobilior, & quia est virtus ipsarum specierum, sanctificans ipsas sicut verbum sanctificat naturam assumptam: & sicut contritio comparatur ad confessionem, vt virtus sanctificans ipsam, licèt confessio dolorosa sit materia Sacramenti. Contrà, primùm ostendi deberet ratio compositionis; deinde laborat responsio in æquiuoco, licèt enim Christus sanctificet species, sanctificat tantùm per modum signati præsentis, & contenti realiter sub speciebus, quæ est sanctificatio formalis in ordine ad cultum, & adorationem: non sanctificat autem per modum efficientis (& sic non est virtus) sed hæc sanctificatio specierum fit per consecrationem, vt per se notum est, quâ fit ipse Christus præsens, & species separatæ, & continentes Christum. Si autem loquamur de sanctitate conueniente speciebus per modum rationis causandi practicè, siue ipsam gratiam sanctificantem, siue Christum, vt contentum sub speciebus permanenter conseruando præsentiam sacramentalem, vtraque sanctificatio competit speciebus per assistentiam, & institutionem Dei, & Christi, quà author est Sacramentorum, & causa meritoria, in cuius virtute causant suum effectum, quia agunt vt causa instrumentalis, cum subordinatione ad causam principalem, à qua solùm participant actionem, & virtutem suo modo.

*Impugnatio.*

*Quomodo cõtentum sanctificet species.*

*Vnde est virtus specierũ.*

Christus autem, vt sub speciebus est, neque est causa principalis, neque etiam ipsa assistentia, aut institutio recepta in Sacramento, quæ est ratio, seu virtus, à qua est actio Sacramenti, &c. Si ergo loquamur de sumptione Sacramenti per modum cibi & potus, illa est eius vsus, & non Sacramentum, & vt infrà dicemus, competit etiam ex parte ratione specierum non præscindendo eos à signato; à quo non possunt separari, licèt diuersa sit ratio vnius, & alterius.

*Species causant gratiã.*

Si verò loquamur de ratione conseruandi Christum, vt est res sacramentalis, sic Christus non conseruat, neque est virtus conseruandi se, sed conseruatur per assistentiam Dei, & institutionem, vt dictum est: imò neque talis conseruatio est à Christo etiam moraliter, vt est sub speciebus, vt patet ex dictis, minùs autem eidem competit, vt sit ab eo realiter & physicè: ergo nequit comparari ad species vt forma, & virtus sanctificans hoc modo, & quà sunt Sacramentum, id est, signum practicum sub qua ratione compositio admittitur, vel adstruitur ab authore præfato.

*Christus vt signatum non conseruat species.*

39 *Responsio ad exempla.* Exempla autem adducta nihil conuincunt, quia sanctificatio naturæ assumptæ per verbum est formalis, quocunque modo explicetur, & æquiparatur sanctitati specierum in ordine ad cultum, & adorationem, non autem sanctificationi earum secundùm alios gradus quos declarauimus, quorum vltimus spectat ad essentiam Sacramenti, eiúsque compositionem, eámque non habet à signato.

*Cultus Sacramenti ex contento est.*

*Aliter contritio, & confessio spectãt ad pœnitentiã.*

Quòd additur de contritione falsum est, quia magis per se exigitur confessio ad Sacramentum Pœnitentiæ ex propria institutione Sacramenti, quàm contritio; licèt hæc etiam connumeretur vt necessaria, & tanquam pars diuersa Sacramenti: contritio enim fuit semper necessaria, & de communi lege in omni statu naturæ lapsæ, in adulto peccante mortaliter ad remissionem peccati: vt patet *sess.* 14. Trident. *cap.* 1. & 4. *sess.* 6. *cap.* 6. & 16. requirebatur enim retractatio peccati ad remissionem, & condonationem eius obtinendam: & hunc modum habet contritio etiam in Sacramento (vt patebit suo loco) sed confessio requiritur ex speciali institutione huius Sacramenti in forma iudiciali, & ad informationem iudicis, quod ipsi confessioni, vt condistinguitur ab aliis partibus, competit: vt patet *cap.* 5. *sess.* 14. Trident. non ergo in virtute contritionis habet effectum, sed ex institutione dicta, & quà eleuatur virtute clauium, licèt requiratur etiam contritio, vt compars, & merè per modum dispositionis

*Confessio ex speciali institutione requisita.*

40 *Sententia cõmunis, quæ est Doctoris.* Vltima sententia est communis antiquorum, quam docet Doctor locis allegatis, nempe, Sacramentum in recto esse ipsas species: eam docet Magister, Hugo, & alij citati *suprà*, & vetus author Altercationis Ecclesiæ cum Synagoga *cap.* 8. & manet probata ex dictis: supereſt tantùm, vt respondeamus ad fundamenta prioris sententiæ.

Obiicies primò, loca plurima Patrum, in quibus prædicatur de hoc Sacramento in recto, corpus, & sanguis Christi: ergo spectant ad Sacramentum in recto. Antecedens patet ex Theodo-

41 Theodoret.

reto

reto *in Dialogis dialogo* 3. vbi citat hæc verba Ignatij in epistola ad Smyrnenses: *Eucharistias, & oblationes non admittunt, quòd non confiteantur Eucharistiam esse carnem Saluatoris Iesu Christi pro peccatis, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater sua benignitate suscitauit*, &c. Iustinus in Apologia ad Antoninum Imperatorem: *Alimentum hoc appellatur Eucharistia, neque vt communem panem ista sumimus: sed quemadmodum per verbum Dei caro factus Christus Iesus seruator noster, & carnē & sanguinem salutis nostræ causa habuit: ad eundem modum etiam eam alimoniam*, &c. *Incarnati illius Iesu carnem, & sanguinem esse huius edocti*, &c. Patet etiam ex forma consecrationis, & ex Ioannis 6. *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*: ergo corpus, & sanguis constituunt Sacramentum.

Iustinus.

Ioan. 6.

*Vnde prædicatur contentum de speciebus.*

Respondetur negando consequentiam, neque antecedens quidpiam probat, quia si loquamur in rigore logico, pars in abstracto non prædicatur de toto: ad saluandum ergo vigorem, & veritatem locutionis tam Patrum, quàm Scripturæ non conducit compositio dicta, sed magis eam eneruat: verùm secundùm vsum sermonis magis saluatur proprietas locutionis, sumendo signum pro signato, pro quo natum est supponere, & sumi, & maximè quando est signum demonstratiuum, quod nequit à suo signato diuidi, aut separari. Rectè enim dicimus, video Petrum, video panem, quamuis visio non extendatur ad substantiam subiectam, aut contentam, sed ad sola accidentia, quæ pro ipsa supponunt: sic Lucæ 22. *Hic Calix nouum Testamentum*, &c. 1. ad Corinth. 11. *Hic est Calix nouum Testamentum*, &c. Calix supponit pro contento, & sanguine Christi: ergo viceuersa, vel potest sumi appellatio mysterij à solo contento, vel etiam à solis speciebus, vel ab vtrisque: & fundamentum appellationis est, quia signum, & signatum, continens & contentum connotant se mutuò in *esse*, & appellatione, & vnum non subsistit sine altero. Sic Irenæus *lib.* 4. *contra hæreses, cap.* 34. idem declarat: *Panem*, inquit, *percipientem Dei vocationem iam non communem panem esse*, &c. vbi denominationem sumi posse à contento, docet. Item cap. *Hoc est*, de consecrat. dist. 2. *Vocatur*, inquit, *ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio non rei veritate, sed significatione mysterij*, &c. Si itaque ex mystica repræsentatione mutuatur nomen prototypi, quantò magis ex vera, & reali significatione, species sument nomen sui significati, sicut & ipsum signatum nomen panis, & vini? *Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, &c. Et postea dicitur corpus Domini: *Non diiudicans Corpus Domini*, &c.

*Signum pro signato, vel contra sumitur.*

Ioan. 6.

1. ad Cor. 11.

Frequentiùs autem sumitur nomen à repræsentato, quàm à repræsentante, quia hoc ab illo specificatur, & ab aliis discernitur: vt patet in imaginibus, & statuis, & eiusmodi; vnde in hoc mysterio sumitur stylo frequenti Patrum, à contento, vt ostendatur realis præsentia Christi in Sacramento, magnitudo rei, & fides, ac deuotio commendetur.

42 *Aliorum responsio impugnatur.*

Alij respondent corpus Christi dici Sacramentum, quia est res, & Sacramentum simul: sed hæc responsio non quadrat, quia etsi vera sit, non tamen satisfacit, cùm prædictis, & multis aliis in locis ipsum sensibile Sacramentum appellatur corpus Christi: ideò meliùs intelligitur modo dicto, & seclusâ compositione illâ, quam præfati obiicientes prætendunt, ad saluandam veritatem locutionis, cùm iam ostensum sit per compositionem illam, locutiones in abstracto non posse saluari in rigore sermonis: tamen in rigore, & vsu sermonis saluantur locutiones modo à nobis explicato, neque debet ingeri mysteriis fidei maior obscuritas, quàm rei natura patitur, & mysterij ratio, quæ illam compositionem non petunt: imò ipsis repugnat alia, quàm illa, quæ est coniunctionis inseparabilis per præsentiam sacramentalem, quæ non rectè explicatur per compositionem, quâ contentum spectaret ad constitutionem Sacramenti in recto.

*Non esse obseruanda mysteria.*

Licèt ergo corpus Christi, vt in Sacramento, significet corpus mysticum, quod est Ecclesia, vel etiam seipsum quoad modum naturalem existendi, vt patet ex capitulo præmisso: tamen vt sic sumptum magis supponeret pro significato mystico, quàm pro se ipso; ideóque locutiones Scripturæ, & Patrum, quæ de vero corpore in Sacramento contento exprimuntur, nequeunt commodè in prædicto sensu sumi, quo intelligeretur pro significato mystico tantùm, vel etiam in ordine ad mysticum significatum.

*Sensus Patrum, & locutiones quæ sint.*

43

Obiicies secundò, aliqui Patres dicunt Eucharistiam esse compositam ex duobus, nempe speciebus, & corpore Christi: vt in capitulo, *Hoc est*, citato. *Hoc*, inquit, *modis omnibus probare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine, Sacramento, & re Sacramenti, id est, corpore Christi*, &c. Irenæus suprà citatus dicit Eucharistiam duabus rebus constare, terrena, & cœlesti, &c. Item, Ambros. *lib.* 4. de Sacr. *c.* 4. & habetur, *c. In hoc Sacramento: & lib. de iis qui initiantur, cap.* 9. In priori loco ait in hoc Sacramento esse corpus Christi: & in secundo loco dicit constare speciebus, & corpore, & sanguine Christi.

Irenæus.

Ambrosius.

44

Respondetur non rectè illa loca probare intentum, aut applicari ad propositum, quo dicatur rem Sacramenti spectare ad Sacramentum in recto, aut componere cum speciebus essentiam Sacramenti, vt hîc loquimur de Sacramento in significatione propria: & *suprà dist.* 1. *quæst.* 2. definito. Aduertendum ergo ex Tridentino, & vt suprà in commento probauimus, conclusionem tertiam Doctoris exponendo: Sacramentum Eucharistiæ esse permanens, & in hoc distingui ab aliis, quæ sunt in vsu, inquantùm hæc non continent realiter, & formaliter suum significatum, sed tantùm virtute, neque simul in rigore physico existunt: quia effectus, verbi gratiâ, Baptismi causatur in instanti extrinseco completæ prolationis formæ; in quo verum est dicere formam non esse, quæ antea fuit, & gratiam, seu effectum Baptismi iam esse, qui antea non fuit: & sic separantur in *esse*, hoc modo, Sacramentum, & effectus eius, inquantùm non sunt simul, sed hic sequatur in *esse* ad illud.

*Explicatum compositio.*

Contrario modo se habet Eucharistia, quia nequit Sacramentum esse, nisi simul sit etiam res Sacramenti; ita vt inseparabiliter simul sint, & ponantur, & desinant: est enim signum practicum, & demonstratiuum speciei respectu corporis, & sanguinis, non tanquam effectus in alio, aut extra species subsistentis, aut existentis, sicut se habet effectus aliorum Sacramentorum, qui est in anima: sed existentis sub ipsis speciebus

per

*Inseparabilis est species à contento.*

per præsentiam sacramentalem, qua est tanquam contentum in tota specie, & in qualibet eius parte realiter, & substantialiter. Et hanc præsentiam eius intelligunt Patres; vnde neque species in *esse*, aut significatione sacramentali separari potest à Christo, neque Christus vt res contenta à specie; quamuis diuersæ rationes sunt significatio practica, & demonstratiua speciei, & significatum esse Christum:

*Inseparabilitas in esse inter speciem, & contentum est compositio.*

neque debeant confundi; quamuis enim separabiles non sint ab inuicem, tamen distinctæ sunt: non ergo est alia compositio, aut vnio, quàm continentis hoc modo, & contenti; qui est modus loquendi Conciliorum, & Patrum, quo declarant mysterium, & rationem signi, & signati hoc peculiari modo; saluando distinctionem, & ordinem vtriusque ad inuicem cum inseparabilitate, in quo discernitur specialis ratio huius Sacramenti ab aliis Sacramentis, quæ separari possunt ab effectu, vel reipsa semper hoc modo separantur; qui effectus Sacramenti, quod est in vsu, desinente ipso, est, & fit, & permanet sine ipso Sacramento: ex quibus patet ad obiectionem.

45 Ad primum locum capituli: *Hoc est*, &c. Respondetur esse ad oppositum: quia extremis verbis, vt suprà præmissum est, tenet conclusionem Doctoris: dicit enim Sacramentum esse species, rem Sacramenti esse corpus Christi: & sic intellexit Hugo, Magister, & reliqui Sententiarij. Loquuntur etiam de compositione sacrificij, in quo offertur Christus sub speciebus, & non de compositione Sacramenti. Ad locum Irenæi, per duas res intelligit duas naturas, diuinam, & humanam, vt patet ex contextu: & benè aduertit Vasquez ex Claudio Sancte. Si contendas etiam oppositum, non refert; quia aliud est loqui de hoc mysterio sub appellatione Eucharistiæ, & Sacramenti; quia prior appellatio importat Christum etiam in recto: secunda verò tantùm in obliquo: adhiberi potest solutio superiùs data his verbis denotare modum peculiarem huius Sacramenti, & inseparabilitatem signi à signato: idem intendit Ambrosius.

46 *Obiectio.* Obiicies tertiò, hoc Sacramentum est pastus spiritualis, inquantùm includit Christum; ergo Christus spectat ad integritatem eius: deinde adoratur latria propter Christum; ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 5. *& can.* 6.

*Responsio.* Respondetur ad primum, Christum non esse pastum spiritualem in actu secundo, nisi in vsu Sacramenti, vt aliàs dictum est: Eucharistia verò est Sacramentum, quà subsistens est ante vsum, & sumptionem.

*An species causet gratiam per seipsam? Opinio negàt. Caietan. Ledesma.* Quòd si petas, an species habeat efficaciam ad pastum spiritualem & gratiam. Respondet Caietanus 3. *part. quæst.* 80. *art.* 12. *dub.* 2. Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 14. *art.* 1. *dubio* 3. negántque speciem habere vllam efficaciam respectu gratiæ sanctificantis, quia tota vis agendi est in corpore Christi, & sanguine. Contrà, author de Cœna Domini inter opera Cypriani: *Cibus hic*, inquit, *verus, & syncerus per speciem, & Sacramentum nos tactu suo sanctificat*, &c. in antecedentibus dixit: visibilibus Sacramentis inesse vitæ æternæ effectum. Secundò, Sacramenta significant quod efficiunt; sed hoc Sacramentum causat vnionem spiritualem mediante charitate cum Christo: ergo efficit eandem vnionem. Augustinus tract. 26. in Ioannem: *Propterea quippe*, inquit, *sicut ante nos intellexerunt homines Dei, Dominus noster Iesus Christus corpus & sanguinem suum in ijs rebus commendauit, quæ ad vnum aliquid rediguntur*, &c. Confirmatur; Sacramenta nouæ legis efficiunt gratiam, quam significant. Trident. *sess.* 7. *can.* 6. 7. *& 8. de Sacramentis in genere*: hîc autem à ratione Sacramenti non excluditur species, neque excludi potest: vnde *sess.* 13. *cap.* 8. triplex sumptio Sacramenti assignata ex Patribus idipsum importat; nam sumptio sacramentalis tantùm, & sumptio sacramentalis, & spiritualis simul, denotat etiam species, in quibus fit vsus sumptionis: ergo etiam effectus est ab iisdem speciebus; sicut ergo sunt signum sacrum gratiæ subsistentis, sic etiam sunt signum gratiæ sanctificantis.

*Sacramentum efficit quod significat.*

Ad argumentum ergo in forma respondetur, distinguendo antecedens; si particula *inquantùm* sumatur reduplicatiuè, & vt denotat causam præcisam, negatur antecedens: si autem sumatur specificatiuè, conceditur antecedens, & negatur consequentia; mediantibus enim speciebus habet corpus Christi, vt sit pastus; quamuis in ratione pastus nequeat corpus separari à speciebus; vt patet ex Tridentin. *sess.* 13. *can.* 8. *& cap.* 8. neque species à corpore: sic neque species haberent efficaciam, nisi vt includunt corpus, neque econtrà corpus sine speciebus: causare autem gratiam conuenit ipsis ex dicta institutione, quæ respicit signum vt includit signatum, scilicet Christum, atque etiam ex motiuo signati principaliter hæc efficacia competit speciebus per institutionem. Sumptio autem est vtriusque per modum vnius pastus; quia tam species, quàm Christus realiter sumitur, & vtrique attribuitur gratia vt effectus, quem tam Christus, quàm species causant. Aliud ergo est loqui de hoc Sacramento, vt est pastus, quia sic vtrumque inuoluit: aliud est loqui de ipso, vt est Sacramentum in recto gratiæ subsistentis, quia hoc solis speciebus competit; licèt ex modo peculiari significandi includant suum significatum realiter, & formaliter.

47 *Solutio argumenti.*

*Quomodo species causent gratiam?*

Ad secundum respondetur, cultum latriæ deberi huic Sacramento, quà includit per concomitantiam Deitatem, & ob eius præsentiam hanc eandem rationem motiuam cultus subiicit Concilium: *Nam illum*, inquit, *eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius*, &c. non rectè inde sequitur Deitatem in recto spectare ad essentiam Sacramenti. Deinde ad adorationem latriæ sufficit repræsentatio, & tactus; vt patet in cruce & imaginibus, in Venerabili Sacramento includitur realiter Christus, & demonstratur præsens: hoc ergo argumentum non vrget præsentem difficultatem, sed magis realem præsentiam Christi probat.

*Affirmatiua vera probatur.*

*Cultus est ex motiuo contenti.*

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm illa ſit forma præciſa conſecrationis Euchariſtiæ, quæ ponitur in Canone Miſſæ?*

Alenſ.4.*p.q.*33.*m.*2.*&* 4. D.Bonau.*hic* 2.*p.art.*1.*q.*1.2. Richard.*art.*3.*q.*1. D.Thom.*q.*2.*art.*2.*&* 3.*p.q.*78. *art.*2. Suarez 3.*p.tom.*3.*d.*59.60.

1 *Magiſt. C. Argum.*1. AD ſecundum ſic proceditur, & arguitur quòd illa non eſt forma præciſa conſecrationis Euchariſtiæ, quæ ponitur in Canone Miſſæ. Primò, quia hoc pronomen *Hoc* aut demonſtrat ſubſtantiam panis, aut accidentia, & vtroque modo eſt propoſitio falſa: aut demonſtrat corpus Chriſti, & tunc propoſitio non eſt effectiua, ſicut nec iſta, *corpus meum eſt corpus meum*; nulla enim propoſitio eſt effectiua, vel operatiua, quæ vera eſſet, nullâ poſitâ actione, vel operatione æquè ſicut ſi operatio ponatur: talis eſt iſta, *corpus meum eſt corpus meum.*

*Argum.*2. Item, iſtud pronomen *hoc* vel demonſtrat pro inſtanti, pro quo profertur: vel pro alio. Si pro illo, non eſt tunc corpus Chriſti: ergo tunc demonſtrat panem, vel accidentia: ſed tunc propoſitio illa eſt falſa, quia nec panis, nec accidentia ſunt corpus Chriſti. Sed oratio falſa non poteſt eſſe forma in Sacramento veritatis: ergo, &c.

2 *Argum.*3. Item, in forma Sacramenti traditâ à Chriſto non licet regulariter aliquid interponere (regulariter dico pro interruptione aliqua modica caſuali, de qua dictum eſt in definitione Baptiſmi) ſed hîc regulariter interponitur hæc coniunctio, *enim*, quæ non eſt in forma tradita à Chriſto, ſicut patet in Euangeliſtis.

*Argum.*4. Item, ſicut hoc pronomen *ego* ſignat primam perſonam, ita *meum*, poſſeſſionem: ergo ſicut dicens *ego*, de ſe loquitur, ita dicens *meum*, deſignat illud à ſe poſſideri: ergo Sacerdos proferens *meum*, deſignat illud eſſe ſuum, id eſt, Sacerdotis.

*Argum.*5. *Contra formam conſecrationis ſanguinis.* Item, de forma conſecrationis ſanguinis arguitur, quòd non ſit illa, quâ vtimur: quia illa non inuenitur tradita à Chriſto: quia nullus Euangeliſta ponit illa verba. Item, æquè pauca verba videntur ſufficere ad conſecrationem ſanguinis, ſicut corporis: ergo cùm conſecratio corporis conſiſtat in quatuor verbis: ergo & ſanguinis: ergo alia ſuperfluunt.

*Ratio ad opp.* Contrà, *extra, de celebr. Miſſar. Cùm Marthæ* §. *Ex eo credimus*, ait Innoc. III. quòd forma verborum, ſicut in Canone ſcribitur, & à Chriſto Apoſtoli, & ab ipſis eorum acceperunt ſucceſſores: ergo, &c.

## SCHOLIVM.

*Verba eſſe vnam formam integritatis conſecrationis, ſed plures partiales formas, ſicut ſunt plures partiales conſecrationes.*

3 Reſpondeo [a], hîc tria videnda ſunt. Primò, ſi Euchariſtiæ eſt aliqua vna forma: ſecundò, quæ: tertiò, quid ſignat. De primo patet ex ſolutione quæſtionis præcedentis, quia nulla verba ſunt forma Euchariſtiæ, nec de eſſentia eius: ſed verba aliqua ſunt forma conſecrationis Euchariſtiæ. Et ſic intelligendo, quia ſic proponitur in quæſtione quid ſit forma conſecrationis; dico quòd, ſicut iſtud Sacramentum eſt vnum vnitate integritatis, non indiuiſibilitatis, quia in ſe includit duo ſigna partialia, quæ primò ſignant duo propria ſignata, & proxima, ſcilicet corpus, & ſanguinem, & remota, ſcilicet cibationem, & potum ſpiritualem: ita etiam eſt vna conſecratio vnitate integritatis, & tamen duæ conſecrationes partiales. Sicut enim aliqua res eſt vna, ſic eſt vna eius inceptio, & ſicut plures, ſic plures eius inceptiones: & ſicut conſecratio eſt plures, ſic eius inceptio eſt plures. Eſt ergo conſecratio plures partiales conſecrationes: tamen vna vnitate integritatis, & ſic eſt vna forma conſecrationis vnitate integritatis: ſed tamen continens in ſe plures formas partiales: diſtinctio autem formarum illarum partialium, patet, quia vna eſt efficax ſine alia, quod manifeſtum eſt: alioquin enim fideles corpus adorantes ante conſecrationem ſanguinis, eſſent idololatræ, quod falſum eſt.

*Verba ſunt forma vna integritate, ſed plures partiales.*

## COMMENTARIVS.

1 *Diuisio quæstionis.*

a *Respondeo, hîc tria videnda sunt,* &c. Diuidit quæstionem in tres articulos: quorum primus est de integritate formæ Sacramenti, quà ipsum Sacramentum est totum integrale. De hoc articulo iam suprà egimus, circa vnitatem Sacramenti, quæ dicta sunt ibidem; quæstione præcedenti perinde accommandantur formæ verbali, sicut & diuersis speciebus, quà faciunt vnum: secundus articulus agit de ipsa forma quæ sit: tertius docet quid significet forma.

## SCHOLIVM.

*Quatuor illa verba*, Hoc est corpus meum, *esse formam corporis, & ly* enim, *non esse de essentia eius; disputat tamen an præcedentia verba sint de essentia, nihil hîc resoluens, nisi quòd sint necessariò præmittenda. Sicut reliqua omnia in Canone, necessitate præcepti videtur intendere præcedentia, vel æquiualentia requiri, vt hæc verba*, Hoc est, &c. *sint verba Christi, & forma apta. Vide Fabr. hîc, & Pitigian. art. 2. non tamen ait esse essentialia Sacramento: & sic Bassol. Rubion. Voril. intelligunt Doctores.*

De secundo b dico, quòd verba consecrationis corporis sunt quatuor, scilicet illud pronomen *hoc*, & verbum *est*, & in appositio, *corpus meum.* Coniunctio *enim* non est de essentia formæ: sed secundùm vnum Doctorem ponitur ad designandum ordinem consecrationis Sacramenti ad vsum Sacramenti, quod patet ex verbis, *Accipite, hoc est enim*, &c. quasi dicat, quia talis est consecratio, ideò vtimini consecrato. Sed alia ratio potest assignari, scilicet quòd *enim* ponitur ad continuandum, ne illa verba, quæ sunt de forma, proferantur sine præcedentibus.

4 *D. Thom. præsenti artic. 2. q. 1. in sol. 2. art. Idem tenet Richard. distinct. præsenti art. 3. q. 1. Gotf. Pictauensis 4. p. sum. in materia huius Sacramenti, & Ioan. Roditon. & Rich. vbi suprà.*

Sed hîc est dubium, vtrùm prætermissis verbis præcedentibus, per ista sola quatuor verba conficeret Sacerdos. Dicitur quòd sic, quia ista sunt præcisa forma: alia sunt propter reuerentiam, vel propter orationem præmittenda. Sed contrà istud arguitur, quia verba sacramentalia ex vi verborum debent significare illud, quod efficitur ex vi Sacramenti: sed ex vi consecrationis huius efficitur ibi esse verum corpus Christi; ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri. Sed hæc verba, *Hoc est corpus meum*, prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolutè, quia ly *meum* significat referri ad personam ipsius loquentis: quia licèt minister possit intendere, vt loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc, significatum illorum verborum esset, quòd ly *meum* demonstraret corpus Christi, sed corpus loquentis. Sicut si ego inciperem loqui in persona Christi, dicendo sic: mea doctrina est ista, sed intenderem loqui in persona Christi: tamen ex vi verborum non habetur quòd ista doctrina sit Christi, sed illius, qui loquitur, sicut Angelus, quando loquebatur in persona Dei, *Ego sum Deus Abraham*; & per consequens, non esset propositio falsa secundùm sensum, pro quo fieret: tamen non erat significatum propriè huius orationis, quòd ly *ego* supponeret pro persona Dei.

*Verba*, Hoc est corpus meum, *sine præcedentibus an significent ibi esse corpus, quod sit bonum argumentum. Exod. 3.*

Hoc etiam confirmatur per Ambros. *de consecrat. dist. 2.* Panis est in altari, *Sermo*, inquit, *Christi creaturam mutat.* & sequitur: *Consecratio quibus verbis fit? attendite, quæ sunt verba. Accipite, & edite ex hoc omnes, hoc est corpus meum.* Vbi ipse videtur coniungere illa verba præcedentia, scilicet *accipite*, tanquam verba consecrationis. Sed hoc non est intelligendum tanquam sint essentialiter pertinentia ad necessitatem consecrationis, tanquam necessariò præmittenda: & non solùm illa, sed alia plura præcedentia in Canone, ex quibus ex vi sermonis haberi potest, quòd ista, *Hoc est corpus meum*, dicuntur in persona Christi. Vnde non sine causa Ecclesia ita connexit totum Canonem Missæ, quòd ab illo loco, *communicantes*, vsque ad illum locum post consecrationem; *Supplices te rogamus omnipotens Deus*, non est aliqua oratio, quæ non necessariò connectatur cum præcedente, vel per coniunctionem copulatiuam, sicut, *Hanc ergo oblationem*, & huiusmodi, vel per pronomen infinitum, vt, *Quam oblationem tu Deus*, &, *Qui pridie, quàm pateretur*: & post consecrationem, *supra quæ propitio*; vel per relationem, vt ibi; *Simili modo.* De isto articulo dicetur in generali simul cum dubiis, quid fuerit obseruandum.

5 *His ait non requiri præcedentia ad esse Sacramenti.*

## COMMENTARIVS.

2 *Conclusio est fidei.* Trident. Florent. Irenæus.

b *De secundo dico*, &c. Hæc conclusio Doctoris est communis, estque de fide, ex Florentino *in decreto vnionis.* Trident. *sess. 13. cap. 1.* ex communi etiam Ecclesiæ traditione. Iren. lib. 5. cap. 2. *Quando mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia corporis & sanguinis Christi*, &c. Hieronym. epist. 1. ad Heliodorum: *Sacerdotes proprio ore corpus Domini conficiunt.* Nyssenus orat. Hieron. Nissenus.

orat. Catechef. *Panem in corpus nutari per verbum Dei*,&c. Aug.lib.2.contra Faustum: Origenes in Matth.15, *Non naturæ panis, sed super ipsum dictus sermo prodeſt*,&c. Ambroſ.lib.4.de Sacram.cap...

Augustin. Origenes. Ambrosius.

3 *Reijcitur error.*

Ex his reiicitur primò error hæreticorum,qui dicunt non requiri verba determinata ad consecrationem: hæretici enim huius temporis, vel non requirunt verba,vel si requirunt,nõ ad consecrationem, sed ad instructionem requirunt; vt videre est apud Controuertistas. Hosium lib. 1. contra Brentium:& in Confess.cap.39. Ruardum art.14.Louaniẽsium,Clictoueum lib.2.c.19. Alij prætermissa forma præscripta vtebantur aliis verbis, vt pauperes de Lugduno septies Pater noster vtebantur, vt videre est apud Prateolum,& alios. Claudius refert Anabaptistas vsos hac forma: *Accipe,ede,memento Domini.* Alij; *Accipite,comedite, hoc facite in meam commemorationem*; prætermissis verbis essentialibus consecrationis. Alij relinquunt ministrorum arbitrio.

*Varij errores hæreticorum.*

4 *Forma Canonis vera. Ad eam non spectat Canon ipse.*

Sequitur secundò formam præscriptam in Canone esse sufficientem: est de fide ex citatis. & cap.*Cùm Marthæ,de celebrat.Missarum*,&c.Ex quo etiam patet non esse necessarium ad hunc effectum totum Canonem Missæ, quia nec Christus eo vsus est, neque semper in Ecclesia fuit in vsu totus,neque eadem verba vbique;temporis etiam successu fuit auctus; vt patet ex Lithurgiis antiquis: quin etiam Gregorius *lib. 7. reg. epistol.63.* docet tempore Apostolorum solam orationem Dominicam adiungi solitam verbis consecrationis: vnde Patres dicunt orationes illas,quæ præmittuntur,consecrationi esse rituales.

*Modus consecrandi olim.*

5 *Error quorũdam Græcorum.*

Ex quibus à fortiori sequitur, verba quæcumque consequentia, non spectare ad consecrationem,quam supponunt: quod est contra Marcum Phesium, & quosdam Græcos modernos, qui asserunt corpus Christi non fieri sub speciebus donec accedat quædam Ecclesiæ precatio; ita Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus in doctrina censuræ Lutheranæ cap. 10. fundantur in Lithurgia Apostoli Iacobi: *Precatur*,inquit,*Deum Sacerdos,vt mittat Spiritum sanctum super dona sancta proposita; vt superueniens sancta, & gloriosa suâ præsentiâ sanctificet, & efficiat hunc panem Corpus sanctum Christi, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi: & postea gratias agit Deo,quòd hæc dona perficere, & sanctificare, & in odorem suauitatis accipere dignatus est*, &c. Ergo supponit ante hanc inuocationem Spiritus sancti consecrationem non esse factam: sic etiam Sancti Patres docent per inuocationem Spiritus sancti perfici consecrationem. Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi 5.* Ambrosius *lib.4. de fide ad Gratianum, cap.5.*

*Ieremias Patriarcha. Lithurgia Iacobi.*

Cyrillus. Ambros.

*Resp: ipso Bessarionis eludiur.*

Respondent Authores variè ad hæc;Bessarion dicit olim illas orationes solitas esse anteponi consecrationi:sed hæc coniectura euacuatur,quia Germanus Patriarcha Constantinopolitanus coæuus Damasceno in Theoria rerum Ecclesiasticarum, illas post consecrationem collocat; apud Clementem etiam Romanum eodem ordine inueniuntur: & Græci in Concilio Florentino docent illum ritum se accepisse à Sanctis Patribus.

*Secunda responsio eiusdem.*

Respondet ergo illas aliter non dici deprecatoriè, sed adgratulatoriè, propter consecrationem factam; & vt ostendatur etiam Spiritum sanctum esse authorem huius doni: & ideo Patres per modum deprecationis illam orationem formasse. Addunt alij peti consecrationem corporis Christi sub speciebus, non quòd necessaria sit talis petitio;sed solum ad exaggerandum affectum, & declarandum Spiritum esse etiam Authorem doni:sicut Ecclesia ante consecrationem in Canone ordinario postulat, vt fiat corpus Christi sub speciebus, & vt oblatio fiat *benedicta, ascripta, rata, rationabilis*: sic Christus Marci 15. mulieri qui contulit salutem, ait; *vade in pace, & esto sana à plaga tua*; quamuis eam antè sanauerit; vt ostendat beneplacitum suum, & vt ipsa fruatur sanitate concessa.

*Aliorum responsio.*

*Quarta responsio.*

Respondent alij intelligendo etiam orationem deprecatoriè, deferri ad instans consecrationis antecedens, quia licèt hæc successiuè fiant, cùm nequit homo omnia simul proferre; tamen ad idem referri debent, pro quo ex reipsa, & materia subiecta referri debent. Hæc responsio non placet Suarez, quia captu difficilis est: cæterùm ex ratione eius data commodum sensum facit, si ita possint intelligi verba. Alij respondent deprecationem illam non ad consecrationem corporis veri Christi, sed mystici referri; & ita petitur, non vt fiat sub speciebus, sed vt fiat salutaris populo, qui illud suscipiunt,& adorant: & sic exponunt Patres Græci in Florentino referri ad effectum Sacramenti in iis, qui suscipiunt ipsum, vt in pietate firmentur. Vnde præmittit Iacobus, *Ne propter me, & peccata mea repudies populum tuum benigne Domine: miserere nostri Domine, & mitte super nos, & super hæc sancta dona*,&c. Et in eundem sensum primum dicebatur in Canone; *Fiat commixtio, & consecratio corporis & sanguinis tui accipientibus nobis in vitam æternam*: quæ propter ambiguitatem insurgentibus hæresibus mutata est in hunc modum: *Hæc commixtio,& consecratio corporis,& sanguinis Domini*, &c. *fiat accipientibus nobis in vitam æternam*, &c. Sic apud Clementem habetur, *vt ostendat panem hunc corpus Christi*, scilicet in effectu, *vt qui eum participauerint in pietate firmentur.* Sic etiam Basilius; *Orat*, inquit, *venire Spiritum sanctum super nos, & super proposita munera, & benedicere ea, & sanctificare, & ostendere corpus Christi*, &c. (nempe in effectu quoad nos, & ad quem institutum est) *nos autem de vno pane, & calice participantes, coadunet ad inuicem.* Sic etiam Chrysostomus in sua Lithurgia : *Fac panem istum, pretiosum corpus Filij tui, & quod est in calice isto pretiosum sanguinem, vt fiat communicantibus in mundationem animæ*,&c. Ad hunc sensum faciunt, quæ dicenda sunt de effectu huius Sacramenti, qui est nutritio spiritualis, & conseruatio hominis in vita; quamuis hic non est infallibilis, neque semper omnibus tribuitur;ac proinde postulari debet per inuocationem Spiritus sancti; sicut etiam gratia, qua dignè accedant fideles. Accedit quòd hoc Sacramentum sit etiam sacrificium, quod pro viuis, & defunctis offertur, & pro particulari,aut communi intentione offerentium; ac proinde petitur, vt acceptum fiat, & ratum. Cæterùm preces illas meliùs Ecclesia Latina anteponit consecrationi: Patres autem secundùm eandem doctrinam interpretandi sunt. Accedit quòd ipsa forma consecrationis sit inuocatio tacita Spiritus sancti, in cuius virtute fit consecratio; dicitur etiam gratiarum actio. Præterea loquuntur quandoque Patres de toto mysterio Missæ,vt includit preces Ecclesiæ, & non solam consecrationem.

*Quinta responsio.*

*Mutatio Canonis facta.*

Clemens Romanus.

Chrysost.

*Sensus Patrũ declaratur.*

6 *Dubium conuersum.*

*Sed hic est dubium*, &c. Hîc Doctor mouet dubium an prætermissis verbis præmissis in Canone,

ne, quibus limitatur forma, vt in persona Christi dicatur, esset valida consecratio? Tribus rationibus probat non esse validam; prima est, ex sensu formæ: secunda, ex authoritate Ambrosij: tertia, ex dispositione, & connexione Canonis, vt forma in sensu sacramentali, & persona Christi proferatur.

*Censura Soti, & Vasquez contra præditta.*

Contra hanc doctrinam in primis Sotus *dist. 11. quæst. 1. art. 2.* differit redarguens Doctorem, qui nunc dicit verba præscripta esse veram formam, nunc requiri vt illa antecedentia dicantur: & quamuis asserat præmissa ad formam non esse de essentia eius; tamen si requirantur ad consecrationem, sequitur esse de essentia formæ; maximè in sententia Doctoris, qui negat formam aliter conficere, nisi vt causa sine qua non. Vasquez *disp. 198. cap. 1.* dicit sententiam eius esse improbabilem, & singularem.

7

*Reijcitur cautumnia.*

Cæterùm redargutio Sori ex ipso reijcitur; nam expressè docet Doctor formam corporis in quatuor verbis contineri: aliud autem est, an ad valorem formæ requiratur, vt in persona Christi proferatur; ad quam probationem exiguntur verba antecedentia, vel iis æquiualentia, quibus determinetur forma ad sensum materialem, quo in persona Christi proferatur: aliud verò an requirātur vt essentialia formæ; hoc negat Doctor: quoad illud relinquit rem sub dubio, & nihil determinat: immeritò ergo Vasquez hanc sententiam eidem adscribit tanquam assertam; vt patet ex sequentibus; *de isto secundo articulo: Dico*, inquit, *hic, sicut in quodam casu superiùs præmisso, si quis Sacerdos inciperet sic loqui: Hoc est corpus meum; non prædicens verba præmissa totaliter, quòd in omnibus talibus non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est*, &c. Hic autem se remittit ad dicenda in articulo 2. *De isto articulo*, inquit, *dicetur in generali, simul cum dubijs quid fuerit obseruandum*, &c. resoluit autem in præmissis verbis quid sit faciendum: dubius ergo est si fiat consecratio, vel non fiat: eodem modo manet dubius, quoad idem *infrà dist. 13. quæst. 2. §. Tertium principale.*

*Doctor dubius est.*

8

*Cōclusio Doctoris.*

*Angelus.*

Incertum autem est, an consecratio in eo casu esset valida, quæ est cōclusio, & sententia Doctoris; quem sequitur Angelus in Summa, verbo *Eucharistia*: & ne singularis dicatur hæc sententia, ad eam reuocari possunt quotquot dicūt formam materialiter, & recitatiuè tantùm dici à Sacerdote: *Hoc est*, &c. dicendo quæ Christus gessit, & dixit, non autem significatiuè, quia nequit facere sensum materialem, seu recitare tantùm formam, vt dictum à Christo, nisi verba antecedentia subiungat, quæ faciunt sensum historialem; vt benè aduertit Caietanus, asserens in hoc sententiā Doctoris veram esse. Dici autem recitatiuè tantùm formam tenet Innocentius *lib. 4.* de hoc mysterio *cap. 17.* Durand. *in 4. dist. q. 2. ad 1.* Maior ibi ad 2. Glossa *in cap. Timor, de consecr. dist. 2.* Ocham *quodlibeto 2. q. 1.* Catherinus opusculo, *Quibus verbis.* Picus Mirandulanus in Apologia *quæst. 10.* probabilem existimat Gabriel *lect. 48. in Canon.* Ledesma *quæst. 19. art.*

*Requirit vt dicatur in persona Christi forma.*

*Caietan.*

*Innocent. Durand. Maior. Glossa. Ocham. Catherin. Gabriel. Ledesma.*

Quorum fundamentum est, quia Sacerdos nequit dicere cum veritate: *Hoc est corpus meum*: quia illud nullo modo est corpus Sacerdotis; quæ est ratio Doctoris, quam sic formatur: verba Sacramentorum ex vi verborū debent significare illud quod efficitur ex vi Sacramenti; sed ex vi huius consecrationis efficitur ibi esse verum corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri: sed hæc verba; *Hoc est corpus meum*, prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolutè, quia pronomen significat referri ad personam ipsius loquentis; nam licèt minister possit intendere loqui in persona Christi, id non facit, quòd oratio significet corpus Christi, sicut qui intenderet in persona Christi dicere: Doctrina mea, non est mea; vel hæc est doctrina mea; ex vi verborum non haberetur, quòd illa doctrina esset Christi: sicut quando Angelus loquebatur in persona Dei: *Ego Deus Abraham*, &c. ex vi sermonis non significabatur persona Dei.

*Formam non esse validam, sine verbis præmissis.*

Confirmatur hæc ratio Doctoris, tam Patres, quàm Ecclesia, ex vi verborū, & proprietate, probant præsentiam realem: ergo forma in ea determinatione facit sensum sacramentalem ex vi verborum, quo ex expressa significatione non possit torqueri in aliud cum proprietate: ideò Patres Tridentini improperant hæreticis, quod abusiuè torqueant formam in tropos, & sensum alienum à proprietate verborum: sed hæc oratio prolata absolutè ex vi verborū significat corpus loquentis, non alterius: ergo nisi aliud addatur significat, corpus Sacerdotis loquentis. Probatur subsumptum ex particula, *meum*, quod est possessiuum, & denotat loquētem, nisi aliud addatur: vnde ex eo, quòd Christus protulerit illam formam, ex vi pronominis illius, intelligunt omnes eum locutum fuisse de corpore proprio; aliàs nullum esset fundamentum colligendi ex vi verborum realem præsentiā: ergo eum sensum facit ex vi verborum forma illa absolutè, & sine limitatione vlla prolata, quem facit sic prolata à Christo, qui protulit eam absolutè; ac proinde denotauit ex vi pronominis corpus suū: ergo etiam prolata à Sacerdote non denotat aliud ex vi sermonis, quàm proprium eius corpus, & non corpus Christi; & cōsequenter sic prolata non facit sensum sacramentalem ex vi verborum, & erit inualida. Quæ ratio fundatur in iisdem principiis, quibus Patres, & Doctores ex vi verborum colligunt præsentiam realem.

*Confirmatur.*

*Forma absolutè prolata denotat corpus loquentis.*

*Sensus verus, & rigorosus forma.*

9

*Secunda probatio.*

Secundò probatur idem: quia Ecclesia in Canone ideò adiecit verba antecedentia, vt forma faceret sensum sacramentalē, quod probatur: quia non ad orationem, quia in illis nihil petitur; non vt essentialia formæ, quod supponitur: ergo ad narrationē quæ proponi debet, vt forma in sensu sacramentali, & in persona Christi proferatur. Dices Sacerdotem intendere in persona Christi proferre formam: contrà, intentio non facit, vt oratio significet ex vi verborum, quod nō est nata significare; sed ex vi verborum non est nata significare, nisi corpus proferentis eam absolutè, & sine limitatione: ergo. Maior patet, quia oratio ex significatiua, non ex beneplacito proferentis; sed ex instituto, quia est signum cōmune: sed ex communi instituto non significat, nisi corpus proferentis; neque alius conceptus in audiente eam, ex vi verborum præcisa, causari cōtingit, aut potest: ergo non sufficit intentio proferentis, vt aliud significet: deinde intentio est occulta, neque cognoscitur, nisi ex vi sermonis: ergo nequit limitare orationem, vt faciat alium conceptum ex vi sermonis, in audiente, nisi aliàs ex communi instituto competat; & maximè quando ipsa oratio non est ambigua, sed limitata ad sensum determinatum per particulam specificantem, qualis est in proposito pronomen possessiuum *meum*.

*Intentio proferentis non variat formam.*

Confirmatur, quia Ecclesia videtur sic interpretari in titulo de Defectibus Missæ in principio Missalis, præscribens, vt quando contingit Sacerdotem, semiprolatâ formâ sanguinis, mori,

aut pati ſyncopen, ita vt ampliùs progredi nequeat, Miſſa perficiatur ab alio, qui incipere debeat ab illis verbis antecedentibus : *Simili modo poſtquam cœnatum*, &c. Non eſt alia ratio, niſi quia illa requiſita ſunt, vt forma proferatur ſacramentaliter, & in perſona Chriſti, quia in eo caſu ſufficeret incipere aliàs ab ipſa forma, cùm feſtinandum eſſet ad communicandum Sacerdotem infirmum, niſi aliàs illa verba neceſſaria eſſent ad veritatem formæ : vnde in eo caſu omittitur oblatio vini, cùm iuxta præſcriptum rubricæ poſſet alium calicem ſumere, & conſecrare, quæ oblatio in aliis caſibus præſcribitur fieri, vt conſtat ibidem : vnde interpretari licet mentem Eccleſiæ in eo, præcipientis repetitionem illorum verborum eſſe ad effectum valoris formæ, & hûc etiam fuiſſe effectû connexionis eorû cum forma.

*Senſus Eccleſiæ colligitur.*

*Argumẽtum ex Liturgijs. Ambroſ.*

In Lithurgiis connectuntur eadem verba, vt, *Accipite, & comedite*, quæ præmittuntur formæ conſecrationis. Item, Ambroſius *lib. 4. de Sacram.* & habetur *de conſecrat. diſt. 2. cap. Panis eſt in altari*: vbi dicit ſermonem Chriſti creaturam mutare: conſecratio quibus verbis fit, attendite quæ ſint verba : *Accipite, & edite ex hoc omnes; hoc eſt corpus meum*, &c.

*Reſpõſio Vaſquez refellitur.*

Reſpondet Vaſquez, Ambroſium dicere verbis Chriſti fieri conſecrationem; ac proinde cætera omnia nihil referre; quando verò addit, *Accipite, & comedite*, non intendit illa ſpectare ad formam. Sed hæc ſolutio inutilis eſt : nam vt certum ſupponimus verbis Chriſti, atque adeò ipſa quæ inſtituta eſt, forma, conſecrationem fieri: difficultas enim non eò tendit, ſed an forma habeat perfectum ſenſum, quem exigit, niſi dicatur in perſona Chriſti; ad hoc autem exigi illa verba, quæ præmittuntur in Canone, & deſignant perſonã Chriſti, vel aliqua æquialentia: dicit ergo Ambroſius verbis Chriſti confici hoc Sacramentum, quod denotat in perſona Chriſti verba dici; vnde cap. 4. habet: *Conſecratio igitur quibus verbis eſt? & cuius ſermonibus? Domini Ieſu; nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: vbi venitur, vt conficiatur venerabile Sacramentum, iam non ſuis ſermonibus vtitur Sacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti*, &c.

10 *Vera ſententia Ambroſij.*

Diſtinguit ergo Ambroſius quæ dicit Sacerdos in perſona propria, deferendo laudẽ, & orando, ab iis quæ dicit in perſona Chriſti, quando conſecrat, & ad hoc addit Ambroſius, ſeu præmittit verba Canonis, *Accipite, & comedite*, &c. quibus, velut ex præcedentibus, deſignatur perſona Chriſti. Et quamuis poſſit reſponderi intendere Ambroſium verba tantùm, quæ protulit, & inſtituit Chriſtus; tamen non repugnat etiã interpretatio iam data, quæ vtrumque comprehendit, & verba Chriſti, & dicta in perſona Chriſti. Vnde

*Florent.*

Florentinum in decreto vnionis ad hoc reſpicere videtur aſſignans formam huius Sacramenti: *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus conficit hoc Sacramentum: Sacerdos namque in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum*, &c. Dices *in perſona Chriſti*, denotare poteſtatem receptam à Chriſto : ſed contrà, ſic etiam abſoluens à peccatis, in perſona Chriſti abſoluit, quia mediante poteſtate à Chriſto receptâ; ſed nullibi Concilium dicit, quòd in perſona Chriſti illum abſoluat: ergo aliud intẽdit; hîc nempe debere loqui eum in perſona Chriſti; ad hoc vt conſecratio in perſona Chriſti debeat fieri, quod non cõtingit ex vi ſermonis, niſi aliquid aliud præcedat, quod determinet illa verba in perſona Chriſti dici. Hæc argumenta ſaltẽ reddunt conſecrationem ambiguam, niſi præmittantur illa, vel æquiualentia verba; quod tantùm intendit Doctor : neque vlla inuenitur Eccleſiæ declaratio ad oppoſitum; imò ex praxi, & traditis videtur nullitas conſecrationis magis probari in caſu præmiſſo, quàm veritas.

*Obiectio.*

Obiicit Vaſquez inde ſequi ad eſſentiam formæ illa verba ſpectare, ſi ſine ipſis nequeat fieri conſecratio. Reſpondetur, negãdo ſequelam; nam quod ad ſubſtantiam formæ ſpectat intrinſecè, & vt ſenſus expleatur; ſpectat per modum partis determinantis totam clauſulam : non ita ſe habent verba antecedentia; ſed tantùm exprimunt perſonam, à qua actio, conſecratoria, & verba procedunt: verba autem faciunt ſenſum perfectum, ſed vt in perſona Chriſti proferuntur.

*Soluitur.*

Obiicit Durandus, quòd ſi requiratur vt forma dicatur in perſona Chriſti (ita vt pronomẽ *meum* eandem denotet, & verba præcedentia ad eundem effectum exigantur) ſequi, non poſſe Sacerdotem cõſecrare panem, quem habet præ manibus, quia illum in manibus Chriſtus non habuit, quando protulit illa verba, quod eſt abſurdum. Reſpondetur negando antecedens, quia ſufficit, quòd panis ille in ſpecie fuerit in manibus Chriſti : ſicut & eadem in ſpecie verba dixit non eadem in numero, quæ Sacerdos, ſi diſtinguamus verba per prolationem. Deindè iam certum eſt Sacerdotem in perſona Chriſti conſecrare, vt definit, ſeu declarat Florentinum; & pronomen illud *meum* in perſona Chriſti dici, ſeu ad ipſam referri, ſaltem ex intentione Sacerdotis loquentis in perſona Chriſti; ſicut Angelus loquebatur in perſona Dei: Ego ſum Dominus Deus tuus, &c. & legatus in perſona Regis. Idem omnes fatentur, nemo autem dubitat de panis conſecratione ex hoc; neque conſequentia in vllo fundatur.

*Obiectio Durandi ſoluitur.*

11 *Cõtraria ſententia probabilior eſt.*

Probabile eſt etiam conſecrationem fore validam in eo caſu, propter ſententiam Doctorum communem, quam docet Alenſis *4. part. q. 10. m. 5. art. 9.* Richard. *in 4. diſt. 8. art. 3. quæſt. 1*, Durandus *part. 2. m. 6.* Gabriel *in canon. lect. 38.* Sotus *in 4. diſt. 11. q. 1. art. 2.* D. Thom. *3. p. q. 78. art. 1. ad 4.* & plerique moderni. Hæc etiam ſequitur ad principia Doctoris, cuius intentio conſtat ex verbis in initio allegatis; illo enim §. *de ſecundo dico*, poſtquam mouit dubium de ſenſu formæ expreſſum, remittit ſe, in fine, quoad reſolutionem ad poſteriùs dicenda; *De iſto*, inquit, *articulo dicetur in generali ſimul cum dubijs quid fuerit obſeruandũ*, &c. infrà autem in reſolutione totius articuli docet tendum eſſe materiã ſic conſecrata, cum conditione, ſi conſecrata ſit, & vt ſuprà ex verbis citatis apparet : ſupponit ergo incertum eſſe quid fiat.

*Explicatur Doctor.*

Articulo autem tertio eiuſdẽ quæſtionis, poſtquam fusè diſſeruit de ſenſu illius orationis in rigore Logico, ſubiungit reſolutoriè non eſſe neceſſarium, vt miniſter talem ſenſum exquirat, aut reſoluat, quis eſſe poſſit.; ſed ſufficere proferre orationem ſub ea intentione, quâ Chriſtus eam inſtituit proferendam; & ſic erit inſtrumentum ponendi corpus Chriſti ſub ſpeciebus; cui vt à tali agenti prolato aſſiſtit Deus, vt ponat effectum in vltimo inſtanti prolationis eiuſdem. Ex quibus videtur ſignificare ad conſecrationem validam ſufficere, vt prolatio fiat, ſeruatâ intentione proferendi formam, prout Chriſtus inſtituit eam proferendam; & habere effectum, tanquam inſtrumentum ſenſibile à Chriſto inſtitutum, cui Deus aſſiſtit ad effectum cauſandum in vltimo inſtanti prolationis verborum.

*Sola intentio refert formã ad perſonam Chriſti.*

SCHO

## SCHOLIVM.

*Formam calicis quâ vtimur, esse certàm, quam Euangelistæ habent æquiualenter, etsi non sub eisdem verbis, illa verba,* Hoc facite, *&c. non pertinere ad substantiam formæ. Refutat rationem D. Thom. dicentis, omnia verba vsque ibi,* Hoc facite, *&c. esse substantialia.*

De verbis autem consecrationis sanguinis est dubium magis, quia quantùm ad duo. Primum est, quia formam, quâ vtimur, nullus Euangelistarum recitat, ideò non videtur ex Euangelio certa. Græci etiam aliâ formâ vtuntur, dicentes: *Hic est sanguis*, &c. Et per consequens, forma nostra non est præcisa. 6

Respondeo, non dubito, quin forma nostra sit certa secundùm auctoritatem illam Innocentij: quia multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Euangeliis. Nec obstat de Euangelistis, quia intendebant narrare rem gestam, non autem tradere formam consecrandi. Sed & de forma Græcorum Ecclesia non dicit eos non conficere. Vnde dicunt aliqui, quòd forma eorum, & forma nostra, & quæcunque scripta in Euangeliis, sufficiens est ad consecrationem: tamen in Ecclesia Romana, est de necessitate ministri, vti formâ, quâ vtimur.

*De celebr. Miss. c.* Cũ Marthæ. *Forma calicis est certa. Petr. de Taran. hîc a. 3. q. 2. Vide Rich. vbi suprà. art. 3. q. 2.*

Secundum dubium est, an ad formam, quâ vtimur, pertineant omnia verba à loco isto: *Simili modo*, vsque ibi, *Vnde & memores.* Et communiter tenetur, quòd ista: *Hoc facite in meam commemorationem*, non pertinent ad illam formam hoc modo. Quod probatur, quia non magis facit illud, *Hoc accipite*, &c. ad sanguinem, quàm ad corpus; præcepit enim Christus ita fieri consecrationem corporis, sicut sanguinis: ergo si illud pertinet ad consecrationem sanguinis, pari ratione, & corporis, & per consequens quando hostia leuatur, adhuc non est ibi corpus Christi, & sic est idololatria, quod non est dicendum.

Hoc etiam patet, quia præceptum de vsu consecrationis, non est de forma consecrationis: hoc est, præceptum vsus, vt verba ostendunt; ergo, &c. 7

Item, per ista verba contulit Apostolis Christus potestatem consecrandi: hoc enim ordinauit eos Sacerdotes: collatio autem potestatis consecrandi non fit per verba pertinentia ad consecrationem: quia verba consecrationis materiam respiciunt, quæ consecratur, vel terminum, in quem consecratur: verba autem potestatem conferentia respiciunt potestatem, quam conferunt, & illum cui confertur. Hoc ergo tanquam certo supposito, nunquid omnia verba vsque illic, *Hoc facite*, sunt de forma consecrationis sanguinis.

Dicitur, quòd sic, primò de illis, *Qui pro vobis*, &c. quia relatiuum implicat antecedens, & est pars vnius totius orationis. Similiter dicunt multò magis de illis, *noui & æterni Testamenti*: quia illud est quædam specificatio eius, quod præcedit, cùm dicitur, *Sanguis*: ad vnam autem formam videntur pertinere omnia, quæ pertinent ad vnam orationem: ergo tam illa, *Noui*, &c. de quibus certum est, quòd pertinent ad vnam orationem, quàm illa, *Qui pro vobis*, &c. quæ propter implicationem pertinere ad eandem orationem videntur, omnia pertinebunt ad formam consecrationis sanguinis. *D. Thom. præsẽti dist. art. 2. q. 2.*

Sed istæ rationes non concludunt, quia possibile est aliqua multa addi in oratione consecratiua, quibus non expressis tota consecratio haberetur, sicut Christus potuisset dixisse, Hoc est corpus meum, assumptum de Virgine, & suspendendum in cruce, sicut dixit de sanguine, *Qui pro vobis fundetur*, & tunc licèt verba illa fuissent dicenda propter deuotionem, non tamen fuissent simpliciter necessaria ad formam, licèt ad eandem orationem pertinerent. Multò minùs etiam valet illa probatio de illo, *Qui pro vobis*, quàm de illo, *Noui & æterni.* Posset enim intelligi illa oratio in sensu compositionis, vel diuisionis, sicut distinguitur illud sophisma: *Omnis homo qui est alius à Socrate currit*, licèt in sensu compositionis, implicatio sit pars eiusdem orationis: & ita posset intelligi in proposito, ita quòd ante illud, *qui*, non esset oratio perfecta, vel per ly, *qui*, inciperet oratio copulata præcedenti in sensu, scilicet diuisionis, & exponeretur secundùm Priscianum ly, *qui*, pro, & *ille*. Consimiliter per illud, *noui Testamenti*, intelligitur communiter secundùm Sanctos confirmator, in quo intelligitur implicatio, sanguinis, inquam, qui est confirmator noui, & æterni Testamenti, &c. 8

*Reiicit D. Thom. rationem. Verba pertinentia ad eandem orationem non pertinere necessariò ad eandem formam. Sensus diuisionis est, omnis homo est alius à Socrate, & ille currit.*

12 *Forma sanguinis.*

e *De verbis autem consecrationis sanguinis*, &c. Docet tam formam Latinorum, quàm Græcorum esse validam: subiicit autem dubium, an omnia verba, quæ ponûtur in forma Canonis, sine essentialia, & excludit illa, *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. quia illis tribuitur potestas ordinis Apostolis. Refert opinionem D. Thomæ asserentis; rationes autem soluit tanquam non concludentes necessariò. Quoniam autem hæc difficultas à modernis fusiùs explicatur, quoad particulas essentiales formæ, tam corporis, quàm sanguinis, operæpretium erit, varios modos dicendi exprimere, & suo ordine doctrinam huius articuli comprehendere, quæ est ex scopo principali eius; circa essentialia formæ: reliqua verò, quæ incidenter, seu explicationis gratia mouet, quoad potero subiungam.

13 *Varij modi dicendi circa formam Sacramenti.*

Circa formam corporis aliqui Græci putant illa, *Quod pro vobis tradetur*, esse de essentia formæ. Secunda sententia est D. Thomæ *quæst.* 78. *art.* 3. omnia verba posita in forma calicis in Canone esse essentialia. Sed dupliciter explicari solet hæc sententia, quæ alioquin dura videtur. Capreolus, Paludanus, Homeus, Sylvester, intelligunt singula verba esse de essentia formæ in rigore: alij, vt Sotus, & Ledesma, spectare ad substantiam tanquam partes integrales, sine quibus tamen potest validè consecrari, alij apud Suarem, & Vasquez dicunt esse quidem essentialia, sed sine ipsis conficì posse Sacramentum, modò ita intendat minister, si tamen intèndat minister non conficere sine ipsis, ipsa concurrere, neque fieri consecrationem, nisi illis terminatis: ita interpretantur D. Thomam. Tertia sententia est Armacani *lib.* 9. *Armenorum*, *cap.* 3. & 4. qui dicit illa: *mysterium fidei*, esse de essentia formæ. Alij dicunt *noui Testamenti* esse essentiale. Alij idem dixerunt quoad verba illa postrema, *Qui pro vobis*, & *pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

14 *Sententia Doctoris.*

Doctor *art.* 2. impugnat opinionem D. Thomæ asserentis omnia verba esse essentialia; & deinde §. *de isto* 2. *art.* ait: *Dico breuiter, quòd non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis, pertineant aliqua verba post illud: sanguinis mei*, &c. Subdit periculosum esse id asserere, de quo nulla supereſt authoritas: verba ergo formæ essentialia dicenda sunt vt essentialia, accidentalia vt accidentalia. Aliqui cum culpant, ex hoc ineonuenienti, quòd non sciretur sufficiens forma, & essentialis Sacramenti: sed certè hoc friuolè obiicitur: supponit enim Doctor illa verba esse essentialia: *Hic est calix sanguinis mei*, vel, *Hic est sanguis meus*: de reliquis autem docet sequendam esse authoritatem Ecclesiæ, cuius est discernere, si essentialia sunt, si non essentialia: totam autem formam præscripsit Ecclesia, neque declarauit reliqua verba non esse essentialia alibi, aliàs non esset tanta Doctorum varietas, & sententiarum. Rectè ergo monet Doctor expectandam esse declarationem Ecclesiæ. Tota hæc quæstio est in facto, nempè indagando quid Christus fecerit: nam certum est potuisse omnia illa verba, vel aliqua ordinare essentialia.

*Obiectio soluitur.*

*Verba essentialia inducbitata.*

15 *Forma corporis.*

*Prima conclusio*: *Hoc est corpus meum*, est forma essentialis corporis, alia autem verba, *quod pro vobis tradetur* non spectant ad formam: conclusio est Doctoris, §. *De secundo dico*: est contra Græcos, & de fide: aliàs in Ecclesia Latina nunquam conficeretur validè, in qua illa additio non fit ad Canonem, aut formam corporis. Patet eadem conclusio ex capitulo *Ad abolendam*: vbi damnantur, qui in Ecclesia Latina negant esse veram doctrinam de Sacramentis. Idem patet ex Trident. & Florentin. de forma huius Sacramenti.

16 *Forma calicis essentialis.*

*Secunda conclusio*: verba quæ consequuntur *sanguinis mei* in forma calicis non sunt essentialia. Hæc est communis aliorum præter citatos opinio, eámque insinuat Doctor, §. *De isto secundo articulo*, &c. Asserens temerarium esse asserere illa esse de essentia formæ calicis sine sufficienti authoritate, supponens priora esse omnino essentialia. Eandem reliqui Sententiarij docent *in* 4. *dist.* 8. D. Bonauentura 2. *part. art.* 1. *quæst.* 2. Maior *quæst. vnica*. Marsilius *quæst.* 6. Henricus *quodlibeto* 9. *quæst.* 10. quamuis putet opinionem D. Thomæ probabilem. Alens. 4. *part. quæst.* 10. *m.* 4. *art.* 2. communiter omnes moderni, speciatim Controuersistæ contra hæreticos, qui asserunt non omnia verba, quæ adduntur in Ecclesia Latina spectare ad essentiam formæ.

D. Bonauent. Maior. Marsilius. Henricus. Alensis.

*In Ecclesia orientali esse formam, validam.*

Et hoc plus quàm probabile videtur, quia alioquin vniuersa Ecclesia Orientalis non verè consecrasset calicem, neque Iacobus frater Domini, neque Marcus, neque Æthiopes, qui vtuntur Lithurgia tradita, vt præsumitur à Matthæo. In his Lithurgiis desunt aliqua verba, quibus vtitur Ecclesia Latina; nam in ea Iacobi deest, *mysterium fidei*, in ea Marci, Basilij, & Æthiopum etiam, *Noui Testamenti mysterium fidei.*

*Responsio. Impugnatur.* Capreolus. Paludanus.

Respondet Capreolus Græcos, & alios, quibus illa verba desunt, non consecrare calicem, vt asserit etiam Paludanus, vel cum illis dispensatum fuisse: sed hoc vltimum est imaginarium, cùm neque Ecclesia dispensare possit in iis, quæ sunt de substantia, & essentia Sacramentorum, cùm non subsint eius potestati, neque vllum subesse possit motiuum congruum dispensandi in omissione trium, aut quatuor verborum, quæ eâdem facilitate proferri possint in forma, quâ omittuntur. Si est data dispensatio, non constat de ea ex traditione, aut scripto, neque vnquam aliàs auditum est de ea, neque Græci se dispensatos admitterent, neque Latini id improperarunt: accedit quod nulla fuit necessitas.

*Nulla dispensatio facta, cùm Græci in forma.*

Primum autem, quod asseritur est valde temerarium negare vsum calicis consecrati toti Ecclesiæ Orientali, & tot sanctis Patribus, quasi dimidiatum sacrificium semper obtulerint, non integrum, contra præceptum diuinum, & contra Canones suæ Ecclesiæ: vnde nunquam id improperatum est ab Ecclesia Latina: imò in Florentino supponitur Græcos verum Sacramentum habere: vnde hæc responsio inurit toti Ecclesiæ intolerabilem errorem.

17 *Confirmatio ex Patribus.*

Confirmatur, author de Cœna Domini apud Cyprianum pro forma calicis solùm ponit illa verba: *Hic est sanguis meus*, & subdit: *Quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste, & calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutémque proficit*, &c. Consentit Ambrosius *lib.* 4. *de Sacramentis cap.* 5. sic etiam Iustinus *in* 2. *Apologia*. Eusebius Emissen. *in cap. Qui corpus, de consecrat. dist.* 2. qui desumptus est ex sermo. De corpore & sanguine Domini, qui habetur in 9. tom. operũ Hieronymi.

Hieronymi, Chrysostomus homilia de proditione Iudæ, addit solùm: *Qui pro vobis effundetur.* Damasc. *lib. de fide cap.* 14. reducit efficaciam formæ, ad illa: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Accedit quòd non omnes Euangelistæ verba illa exprimant, nullus eorum posuit illa duo: *mysterium fidei*, non omitterent autem essentialia. Deinde Paulus 1. ad Corinth. 11. habet: *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*: nec est dicendum, aut non confecisse, aut non dedisse formam essentialem Corinthiis: ergo cùm non addat ea, quæ habet Ecclesia Latina in Canone, non sunt essentialia.

18 *Secunda ratio.* Secundò probatur ratione: *Quod pro vobis tradetur*, &c. non spectat ad formam corporis, quamuis Christus illa dixerit, & Euangelistæ: sed non est maior ratio de verbis, quæ adduntur in forma calicis: ergo neque illa spectant ad essentiam formæ. Minor patet; quia siue ad expressiorem significationem, siue ad determinationem prædicati, nempe significati sacramentalis, vt corporis, & sanguinis, non magis faciunt vna, quàm altera ex vigore sermonis, neque verba illa: *Hoc est corpus meum*, &c. sunt magis expressa ad significandum præsentiam, seu corpus præsens, quàm illa: *Hic est sanguis meus*: sed quandò verba ex se sunt expressa ad significandam rem, superflua est omnis determinatio adueniens: ergo verba illa adiecta non faciunt ad essentiam formæ.

*Æquiualentia vtriusque formæ in significando.*

*Sufficientia formæ ex fine colligitur.*

Confirmatur ex rigore sermonis, & ex fine institutionis Sacramentorum, non exigitur, nisi vt forma sit expressiua significati, seu effectus sacramentalis: significatum autem sacramentale in proposito est corpus, & sanguis Christi præsens: ergo hoc tantùm importatur per formam verbalem: sed reliqua, quæ adduntur, non faciunt ad significationem præsentiæ, sed ad alia exprimenda: ergo non determinant formam in sensu essentiali, & sacramentali, qui completus est absque illis.

19 *Impugnatur Sotus.* Ex hac ratione, quæ est à priori, videtur impugnata illa opinio iuxta interpretationem Soti, quia nulla verba faciunt ad substantiam formæ, nisi quæ ex instituto Christi habent efficaciam, sed omnia talia sunt essentialia: ergo vel sine illis nequit consecrari, vel illa non pertinent ad substantiam formæ. Vnde ad confirmationem prioris rationis facit, quòd Patres, & Tridentinum ad probandam præsentiam realem ex vi formæ, & rigore verborum, non colligant eam ex illis verbis sequentibus, quæ spectant ad designandum effectum, sed ex demonstratione corporis, & sanguinis, & assertione, quâ dicitur esse corpus, & sanguis: ergo insinuant in illis tantùm compleri sensum sacramentalem formæ. Deinde non magis spectant illa verba posita in forma sanguinis ad completum sensum eius, quàm alia, quibus vtuntur Græci in forma corporis: *Quod pro vobis tradetur*: & quæ adiiciuntur ab Euangelistis, sed hæc non spectant ad essentiam, aut substantiam formæ: ergo neque illa.

*Sensus sacramentalis, quibus verbis cõtinetur.*

*Impugnatur sententia aliorum.* Impugnatur etiam opinio illorum, qui dicunt quòd illa, si accedat intentio proferentis, sint de essentia formæ, quia præterquam, quòd hoc inauditum sit in formis, aut materiis Sacramentorum, significatio non dependet ab intentione ministri, sed ab institutione Christi: *Hic est calix meus*: est sufficiens forma; ergo prolata super materia debita cum intentione conficiendi, conficiet; & consequenter falsum erit verba subsequentia aliquid facere. Si dicas eum non habere intentionem conficiendi, nisi concurrant verba sequentia; contrà, habet intentionem faciendi Sacramentum, vt minister, conformem voluntati principalis agentis: ergo profert omnia prout instituta sunt: sed illa, verba priora habent completam virtutem conficiendi Sacramentum; ergo ea prolata debitè conficiunt Sacramentum. Minor probatur ex dictis, quia illa verba significant præcisè præsentiam sanguinis, & non alia superaddita, ergo continent completam virtutem.

*Intentio accidens sufficiẽs formã cõficit.*

Fundamenta oppositæ sententiæ non cogunt. Primò obiiciunt, quòd omnia illa verba eodem tenore proferantur à Sacerdote super calice, & maiusculis scribuntur in Canone. Respondetur idem dici posse in Ecclesia Græca, quoad illa verba, quæ addit formæ corporis: deinde in forma corporis notatur particula, *enim*, & sic profertur: iuxta communem autem sententiam non spectat ad substantiam, aut essentiam formæ: signantur ergo illa verba, quæ dicuntur in persona Christi Domini, ex præcepto Ecclesiæ ob reuerentiam, & deuotionem, & non quòd omnia sint de essentia formæ. Obiicies, illam formam determinant præcedentia, & faciunt vnam orationem integram cum sequentibus: ergo sunt de essentia formæ. Respondetur negando consequentiam: ad antecedens respondetur, quòd non faciunt vnam orationem in sensu sacramentali, quem habet forma ex institutione Christi, quamuis autem faciant vnam grammaticaliter, inquantùm specificant prædicatum, nempe, *Calix sanguinis mei*: sic etiam alia, quibus vtuntur Græci in forma corporis, specificant prædicatum, non omnis tamen specificatio pertinet ad substantiam formæ, nisi determinet eam in sensu sacramentali, qui prætenditur, nam illa dicuntur specificare formam in sensu determinato, & necessariò, sine quibus haberi nequit talis sensus; verbi gratiâ, in proposito *meum*, & *meus*, sic determinant, quia sine hoc possessiuo non fieret sensus requisitus. Alia verò specificatio licèt non distrahat formam à suo sensu, & quoad hoc dicatur specificare, non tamen faciunt ad sensum eius practicum.

20 *Respondetur obiectis.*

*Specificatio grammaticalis tantùm, nõ est sacramentalis.*

Ex his patet ad alia, quæ adduntur, nempe, in forma, vt exprimitur in Concilio Colonienſi, in Catechismo Pij V. in cap. *Cum Marthæ, de celebrat. Missarum*, poni illa verba integrè. Addit & Bartholomæus Miranda in sua summa Conciliorum haberi etiam in Florentino, quamuis in noua editione Concilij non habeatur, neque citat in qua editione ipse talia legerit: sed responsum est tradi formam, vt est in praxi Ecclesiæ Latinæ, tam quoad substantialia, quàm quoad reliqua, quæ sunt de præcepto, licèt non de substantia.

21 *Ad alia respondetur.*

Obiicit Soto, ac Ledesma assignari partes substantiales alias, alias verò essentiales, vt in homine digitus, & anima: ergo etiam idem contingere potest Sacramentis: patet specialiter, quia in pœnitentia dicitur satisfactio esse pars integralis, trina immersio in Baptismo, quorum quælibet esset pars substantialis, non tamen essentialis: particula *enim*, in forma corporis, est substantialis. Item pronomen *meum*, si proferatur tractius, quàm est necessarium, illa prolatio longior esset substantialis, non essentialis. Item *nouum Testamentum*, secundùm aliquos est substantialis: vnde si diceretur forma, vt est apud Lucam, verbi gratiâ: *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*,

22 *Obiectio Soti. Ledesma. Pars substantialis, pars essentialis.*

guine, &c. non est dubium quin particula, *nouum Testamentum*, esset substantialis.

*Responsio.* Respondetur in forma sacramentali non assignari partes substantiales, id est, integrales, quæ non sunt de essentia eius: nam omnis particula, sine qua nequit haberi sēsus formæ, est essentialis: aliæ particulæ, quæ non faciunt ad sensum sacramentalem, & practicum, non sunt de substantia, neque habent vllam efficaciam.

22 *Satisfactio pars integralis,* Ex hoc patet ad exemplum de Pœnitentia, quia hæc perficitur in iudiciali materia, ac proinde ad eam requiritur satisfactio, vt pertinet ad ordinem iudicialem in materia iustitiæ vindicatiuæ; & sic vt posterior sententia lata requiritur in opere exhibita, & consequenter vt pars integralis, & non in eo gradu necessitatis, quo contritio, & confessio, quæ antecedunt sententiam, sine quibus sententia esset nulla: remissio itaque peccati antecedit satisfactionem exhibitam, qui est effectus primarius, & essentialis Sacramenti, ad quam illæ partes exiguntur, satisfactio autem tantùm ad remissionem pœnæ temporalis.

*Contritio, & confessio essentialis.*

*Trina immersio quandoque man, quandoque non.* Ad aliud de trina immersione respondetur, quòd ad Sacramentum nihil aliud requiritur, nisi ablutio sufficiens, & capax formæ, siue fiat per vnam, siue per trinam immersionem, & illa tantùm ablutio facit ad Sacramentum: si verò protrahatur forma, donec compleatur trina immersio, tunc Sacramentum erit validum, & trina immersio habebit rationem completæ ablutionis, quam determinat forma: sed in proposito supponitur materia sufficiens, & sensus formæ completur integrè quando profertur *sanguis meus*, aut, *sanguinis mei*, &c. ergo reliqua non faciunt ad Sacramentum. Ad aliud de particula, *enim*, respondetur apponi secundùm aliquos ad denotandum effectum Sacramenti, sed meliùs vt illa verba ad contextum præcedentem referantur, vt forma dicatur in persona Christi; ita Doctor: non ergo ad sensum practicum eius facit, vt pars.

*Quid denotat* enim, *in forma.*

23 *Forma, quam tradit Lucas, est essentialis.* Ad aliud ex forma apud Lucam, quæ etiam legitur apud Paulum, respondetur: quòd *nouum Testamentum* aliter se habet in forma Latinorum, aliter in illa, quia in priori non facit ad sensum formæ, quem supponit completum: in hoc verò spectat ad essentiam formæ, quia illa verba, *in sanguine meo*, nullum facerent sensum, nisi respectiuè ad illud *nouum Testamentum*, ideò in hac forma, *Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine*, illæ particulæ sunt essentiales; quia sine ipsis non subsisteret sensus: ex eo autem modo, quo vna particula constituitur cum alia, quam determinat, colligitur, quomodo se habeat ad sensum orationis: vnde sicut diuersimodè posita debet ad aliud, & aliud referri; ideò facit ad aliam, & aliam significationem.

*Particula ad diuersa relata mutat sensum.*

*Obiectio soluitur.* Obiiciunt, in forma absolutionis, quando dicitur, *Ego absoluo te*, &c. pronomen *ego* esse substantiale: ergo in forma Sacramenti potest esse aliqua pars substantialis. Respondetur in illa forma, vt profertur indicatiuè, requiri pronomen illud, sed includi in ipso verbo ex rigore: vnde, quòd exprimatur, non facit ad sensum formæ.

24 *Vltima obiectio.* Obiicies vltimò in forma Baptismi, & Confirmationis, additur ad sensum formæ *in nomine Patris*, &c. licèt aliàs videatur completus in verbis prioribus: *Ego te baptizo*, &c. *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis*, &c. ergo licèt denotetur præsentia corporis, & sanguinis per illa verba priora, quæ complent sensum demonstratæ præsentiæ, non obstat, quin aliqua sequentia spectent ad essentiam formæ, vel certò substantiam. Respondetur negando consequentiam, & paritatem, quia illa verba spectant ad essentiam illarum formarum, inuocationem Trinitatis continentia, ex sanctis Patribus, Conciliis, & Scholasticis: & ratio particularis est, quia Baptismus est ianua fidei, & legis nouæ; Confirmatio ad eius professionem ordinatur, ac inuocatio Trinitatis ad vtriusque formam spectat essentialiter, non sic autem ad formam pœnitentiæ, verbi gratiâ, quamuis addatur ipsi in vsu: & in proposito non inuenitur similis congruentia, aut ratio, cur illa verba spectarent ad formam corporis, aut sanguinis, quæ adduntur siue in Ecclesia Græca, siue Latina, & quæ dicta sunt obstant, ne pertineant ad formam essentialem, aut substantialem.

25 *Responsio Doctoris declaratur.* Ex his sequitur primò veritas responsionis, quâ Doctor soluit fundamentum D. Thomæ, quod petitur ex specificatione verborum sequentium in forma calicis, & implicatione antecedentis inclusa in relatiuo *qui*, tamen quia specificatio illa non est essentialis, neque maior determinatio formæ in sensu sacramentali, neque ad sensum illum facit, sicut neque ad formam corporis facit illud quod additur: *Quod pro vobis tradetur*, &c. neque relatiuum *qui* implicat sanguinem, magis quàm relatiuum, *quod* implicat corpus: implicatio autem illa intelligitur in sensu diuiso, & copulato, non verò in sensu composito: vt benè Doctor.

26 *Explicatur eius sententia.* Sequitur secundò, non rectè Sotum asserere Doctorem esse dubium in secunda conclusione, quoad essentialia formæ sanguinis: quia & formam Græcorum cum Petro à Tarantasia, & Richardo approbat, & potissimùm quia Ecclesia Latina eam approbare videtur, supposito, quòd non reprobet eam, teneretur tamen reprobare inter cætera, quæ Græcis obiicit, si essent reprobanda, & prærogatiua magisterij, & §. *De isto secundo articulo* tantùm asserit esse periculosum asserere verba sequentia post illud, *Sanguinis mei*, esse de essentia formæ: quia sufficiens authoritas ad hoc non habetur: neque obstat doctrina moralis, quam infrà assignat, in casu quo moreretur Sacerdos ante prolatam integram formam sanguinis, positam in Canone, tunc esse adorandum, & sumendum calicem sub conditione, non obstat, inquam, hoc, quia illa doctrina ab eo traditur, quoad eum qui probabiliter putat, aut dubitat, si sanguis est consecratus, vt patet ex illis verbis: *Sed hic si probabiliter dubitatur in altero istorum casuum, an consecratio sit completa*, &c. Dubitari autem potest probabiliter an Sacerdos proferens verba formæ secretò, an vel ipsa essentialia dixerit, quia de hoc vix potest certitudo haberi in tali casu: dubitari etiam probabiliter potest, ab eo qui sententiam D. Thomæ tenet an calix sit consecratus, ex principiis præmissis eiusdem Sancti: ideò Doctor declarat casum, & modum quo sic dubitans se gerere debeat, non quòd putet illa verba sequentia esse de essentia formæ.

27 *Explicantur particulæ forma* enim, Petes, quid designent verba reliqua, quæ adduntur in forma sanguinis? Respondetur plura à modernis in his dici, quæ consulere quis potest apud Vasquez *disp.* 199. *cap.* 4. Breuiter dico in vtraque forma addi particulam *enim* ad continuationem sermonis, non vt sit de substantia formæ, qui tamen omitteret, peccaret grauiter, si sciens, & prudens omitteret; & peccatum esse mortale, docet

*Omittens verba peccat.*

docet Vasquez *ibid.* Angelus verbo *Eucharistia.* Gabriel. *in 4.dist.8. quæst. 3. art. 2. can. 2.* quia in re graui particula, quæ spectat ad connexionem sermonis, grauis materia est. Marsilius docet esse mortale, si ex contemptu omittatur; Soto in eadem est opinione: à fortiori idem sequeretur, si omitteretur aliqua particula substantialis, præterquam quòd nihil fieret deficiente sensu formæ substantialis. Erasmus *in cap. 11. prioris ad Corinth.*

*Error Erasm.*

docet in Græcis codicibus in forma corporis non inueniri particulam, *est*, sed id falsum esse constat ex omnibus codicibus, in quibus illa exprimitur: & Patres etiam eandem exprimunt, & Concilia. Illæ particulæ in forma sanguinis

*Mysterium fidei.*

*mysterium fidei* non inueniuntur in Scriptura apud Paulum, aut Euangelistas: sed respondet Innocentius III. in cap. *Cum Martha.* per traditionem ab ipso Christo Ecclesiam eam recepisse, quibus explicatur re-

*Noui Testamenti.*

ctè dignitas sanguinis Christi: particula *noui Testamenti* designat in sanguine Christi effuso in passione vltimam voluntatem Christi. Vnde Paludanus ad Hebræos 9. *Testamentum*, inquit, *in mortuis confirmatum, alioquin non valet, dum viuit, qui testatur*, &c. quia morte, nempe testatoris, confirmatur, & reuocari amplius nequit: & subdit: *Vnde neque primum sine sanguine dedicatum est*; supple vetus Testamentum, confirmatum sanguine hircorum, & taurorum, & aliarum victimarum: vnde sanguis Christi in passione effusus est interueniente morte testatoris, vt Paulus suprà: *Vbi Testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris*, asserens Christum non per sanguinem hircorum, sed per proprium introiisse semel in Sancta æterna redemptione inuenta: signauit vltimum testamentum & voluntatem Christi, tanquam instrumentum authenticum eius. Aliqui hæc referunt ad effusionem sanguinis in ipso sacrificio, sed hoc tantùm per accommodationem dicitur: *Qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum:* denotatur efficacia sanguinis Christi, cui proprium est remittere peccata per ipsum solum, vnde causa vniuersalis est huius remissionis. Explicat omnia illa veritatem, & efficaciam corporis, & sanguinis Christi: videatur Chrysost. *hom. 83. in Matth.*

*Qui pro vobis effunditur in remissionem, &c.*

Chrysost.

## SCHOLIVM.

*Resoluit non esse certò traditum, an ad formam calicis spectent aliqua verba, post illa*, Sanguinis mei, *& periculosum esse hoc asserere, & minùs discretè dictum oportere scire, quæ præcisa verba sint de forma in quolibet Sacramento. Nam esto, certa sint formæ, quælibet verba earum non sunt ita certa, & determinata, quin alia sufficiant. D. Thom. supr. art. 3. Capr. hîc q. 1. a. 3. Sylu. v. Eucharistia 1. q. 6. & alij docent, sequentia esse de substantia formæ. Bonau. sup. Albert. hîc art. 7. Dur. q. 2. Aureol. q. 2. a. 4. Bassol. q. 1. a. 3. Rubion. q. 2. a. 3. negant, & benè, licèt hoc non sit omnino certum.*

9

*Nõ est certò asserendũ aliqua verba post sanguinis mei, esse de substantia formæ calicis.*

De isto secundo articulo dico breuiter, quòd non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam consecrationis sanguinis pertineant aliqua verba post illud, *Sanguinis mei*, vel an aliquod illorum sequentium vsque illic, *Hoc facite*, &c. Ideò periculosum est hoc asserere, de quo sufficiens auctoritas non habetur: non est autem periculosum ignorare, quia videtur ignorantia inuincibilis.

Ex hoc patet improbatio cuiusdam dicti minùs discreti, quòd necesse est in quolibet Sacramento scire præcisè, quæ verba sunt de forma, ad hoc, vt aliquis conferat Sacramentum. Istud enim manifestè falsum est, non solùm in proposito, sed etiam in Baptismo, & Pœnitentia, & Sacramento Ordinis. Fortè enim nullus est, qui sciat pro certo, nec Episcopus, nec ordinatus, quæ sint præcisa verba ordinationis in Sacerdotem: & tamen non est dicendum, quòd nullus est ordinatus in Sacerdotem in Ecclesia. Consimiliter diuersi vtuntur diuersis verbis, in conferendo Sacramentum Pœnitentiæ, nec est certum de aliquibus verbis præcisis, quæ sint illa, non tamen dicendum est, quòd nullus absoluatur in Ecclesia.

Quod ergo erit consilium? Dico, quòd Sacerdos intendens facere, quod facit Ecclesia, legens distinctè verba Canonis à principio vsque ad finem, verè conficit: nec est tutum alicui se reputare valde peritum de scientia sua, & dicere, Volo vti præcisè istis verbis pro consecratione sanguinis: sed securior est simplicitas, Volo ista verba proferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit ea esse proferenda, vt quæ ex Christi institutione sunt de forma, dico vt de forma, & quæ ad reuerentiam, ad reuerentiam.

10

*Nota casus, & dubitationes.*

*Quid faciẽdũ si moreretur Sacerdos immediatè post illa verba* sanguinis mei, *in consecr. calicis.*

Sed quid si ante omnia verba prolata contingeret mori Sacerdotem, nunquid habendus esset sanguis tanquam verè consecratus? Dico hîc, sicut in quodam casu superiùs præmisso, si quis Sacerdos inciperet sic loqui, *Hoc est corpus meum*, non prædicens verba præmissa totaliter; quòd in omnibus talibus non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est. Et nunquid iteranda sunt verba? Dico, quòd non absolutè. Sed nunquid sub conditione? Dico, quòd hîc non est talis necessitas sicut in Baptismo, quia ibi quando dubitatur de baptizatione, dubitatur de salute: ideò licitum est ibi quandoque sub conditione baptizare. Sed hîc si probabiliter dubitatur in altero istorum casuum, an consecratio sit completa, nullum periculum salutis imminet, si non iteretur, nec absolutè, nec sub conditione.

Quid

Quid ergo? Eſtne illa materia ſemper ſeruanda? Dico quòd non, quia putreſceret, ſed ſacerdos poſt communionem, in ſua miſſa poteſt illam materiam recipere, ſub intentione conditionata tali, ſi iſtud eſt conſecratum, recipio vt conſecratum: ſed ſi non, non, ſed vt tale, de quo eſt incertum: nec in hoc poteſt eſſe periculum, quia ieiunus eſt ante perceptionem vini ablutionis, & ſi non eſt ſanguis, quod percipit: non tamen facit irreuerentiam corpori, & ſanguini iam perceptis, quia mox poſt ſanguinem iam perceptum ſtatim in altari, percipimus purum vinum.

## COMMENTARIVS.

28 d *Cenſura Soti in Doctorem.* EX *hoc patet improbatio cuiuſdam dicti*, &c. Hîc carpitur Doctor à Soto, quòd laxa hæc ſit licentia ignorandi, quæ ſit forma Sacramenti, neque ſit valde tuta, cùm Eccleſia præſcriptis formis Sacramentorum vtatur: quamuis licitum ſit verbum aliud pro alio æquiualens vſurpare, tamen non licet liberiùs rem extendere, quia non eſt pium credere, quòd Chriſtus, ac ſubinde Apoſtoli, in re tam neceſſaria, quàm ſit materia & forma Sacramentorum, Eccleſiam tam ancipitem, & perplexam reliquerint. Hęc increpatio non tangit ſenſum Doctoris verum, & Catholicum: aliud enim eſt neſcire formam ſufficientem Sacramenti, & neſcire quæ verba formæ, aut quæ materia in quauis diſpoſitione ſit eſſentialis præcisè, eáque diſcernere à non eſſentialibus, & adiectis. *Repellitur.* Illud ſciri, & neceſſariò, ſupponit Doctor ſuprà: *Non dubito*, inquit, *quin noſtra forma ſit certa ſecundùm authoritatem illam Innocentij*, &c. & de vtraque forma tanquam certa diſſerit Doctor in hoc articulo: & infrà dicit Sacerdotem debere proferre formam in ſenſu Eccleſiæ, & Chriſti, quæ eſſentialia ſunt, vt eſſentialia, quæ ob reuerentiam ad reuerentiam.

Alioquin certè, vt dubitatione caret, hábens, & debens habere intentionem Chriſti, & Eccleſiæ, nequit illam habere, neque applicare materiam & formam Sacramenti, niſi ſciat hæc eſſe materiam, & formam, quæ inſtituit Chriſtus, & quibus vtitur Eccleſia. Vnde Doctor infrà *diſt. 13. queſt. 2. §. Ad quæſtionem*, &c. loquens de requiſitis ad poſſe conſecrare, dicit: *Loquendo de poſſe ſimpliciter, nihil requiritur vltra materiam debitam, de qua dictum eſt in fine diſtinctionis* 11. *niſi miniſter debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, ſcilicet, quòd ſit Sacerdos, quòd poſſit proferre verba conſecrationis, & quòd poſſit habere intentionem debitam ſciendi, ſcilicet, quod intendit Eccleſia facere*, &c. alius textus habet *melius faciendi*, ſed perinde eſt, quia niſi ſciat, neque intendit ſeruata proportione. Caſus ergo, ad quem reducit præfatus author diſſertationem, non eſt præſens, quem exprimit Doctor, cuius reſolutio certa eſt ac de fide, nempe, non requiri ad valorem Sacramenti, vt miniſter ſciat præcisè hæc, aut illa verba formæ eſſe practica, & eſſentialia, vt diſcernuntur ab aliis: quia idiotæ validè conficiunt Sacramentum, quamuis hoc diſcrimen neſciant, & inter ipſos Doctores circa verba eſſentialia formæ decertatur, perinde ac de materia, vt peruium eſt, cum qua diſcrepantia opinionum nemini dubium eſt, quin forma, & materia, quæ eſt in vſu Eccleſiæ, ſint certa; rectè ergo ſtat Sacramentum validè fieri, & debitam formam, & materiam applicari, ſtante illâ ignorantiâ diſcernendi inter eſſentialia aliqua, & alia adiecta. Rectè proinde Doctor admonet talem ſcientiam non requiri ad valorem Sacramenti in miniſtro, *Intentio requirit ſcientiã miniſtri.* licèt requiratur in eo ſcientia, qua cognoſcat hanc formam eſſe, quam adhibet, ſicut & materiam: quia ſine hac ſcientia nequit ſtare intentio efficax; & requiſita: ſine priori ſtare poteſt; imò nihil facit ad Sacramenti completionem.

Rectè etiam monet Doctor de propria ſcientia non eſſe præſumendum, ſed ad ſecuritatem magis facere ſimpliciter tenere vſum, & regulam vniuerſalem Eccleſiæ; nam alioquin, ſi quis limitaret intentionem ſuam ad certa verba, tanquam eſſentialia, non præeunte Eccleſiæ declaratione, fortè committeret ſe periculo nullitatis ex defectu debitæ intentionis: quia intentio determinatis verbis ligata, quæ fortè in re non perficiunt ſenſum eſſentialem formæ, non eſſet ſufficiens, niſi vniuerſalis intentio ſaluaretur faciendi Sacramenti, & vtendi forma in ſenſu Eccleſiæ. *Pia admonitio.*

29 Rectè præterea Doctor inſtruit, quomodo quis ſe habere debeat in illo caſu, quo Sacerdos moreretur antequam finiret verba integra formæ, dicens non eſſe neceſſarium iterare formam abſolutè, aut conditionatè: quia licèt in Baptiſmo fiat talis iteratio Sacramenti ſub conditione, hoc ideò contingit, quia neceſſitas Baptiſmi id exigit: in propoſito autem non eſt talis neceſſitas, neque periculum imminet, niſi iteretur. Dices, ſaltem id exigit præceptum conſecrandi integrè vtramque ſpeciem, quia ſi prior calix eſt conſecratus, ſuperfluit ſecunda conſecratio alterius calicis, quòd ſi non eſt conſecratus, magis congruit conſecrare illum calicem, qui iam eſt oblatus, & diſpoſitus per priores benedictiones, & orationes, quàm iis omiſſis alium de nouo conſecrare: ergo ſufficit hoc motiuum, vt ſub conditione conſecretur, repetendo formam, & alia propria verba: *Similiter & calicem*, &c. *Docuit autem morale.* *Quid faciendum mortuo inter conſecrandum Sacerdote?*

Reſpondetur hunc modum non improbari à Doctore ſimpliciter; aſſerit tamen poſſe omitti. Et ad rationem dubitandi reſpondetur non ſuperfluere conſecrationem alterius calicis; quia ad complementum ſacrificij fit, quod ab alio eſt inchoatum; & debet conſtare partibus certis, de quibus non ſubſit dubium? quòd verò alius calix conſecretur, facit ad hoc præceptum non proferendi formam nulliter, aut ſuper materia dubia ſeclusâ neceſſitate: hîc autem non eſt neceſſitas: vnde ſicut baptiſmum, aut formam eius iterans ſub conditione, ſine neceſſitate, eſt ſacrilegus, & grauiſſimè peccat: eodem modo hîc peccatum videtur eſſe, ſi quis proferat verba conſecrationis ſuper calice, de quo dubitatur, an ſit conſecratus, cum alia materia ſuppetat: quod ſi autem non ſuppeteret, tunc ex præcepto integrandi ſacrificium idem ipſe calix eſſet conſecrandus denuò, adhibitâ conditione, ſequenda in praxi regula ordinarij in hoc caſu.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Goffredi sententia, Sacerdotem proferre formam materialiter, non significatiuè, & Christum per verba formæ, quibus vtimur, non consecrasse. Vtrumque refutat Doctor. Primam partem cum Doctore tenent D. Thom. suprà, art. 5. D. Bonau. hîc, art. 1. q. 1. Rich. art. 3. q. 1. ad 3. Bassol. q. 2. art. 1. secundam partem, quòd Christus vsus est nostrâ formâ, tenent D. Thom. art. 1. ad 1. Bonau. hîc, p. 1. q. 3. art. 2. Richard. art. 3. q. 1. habetur cap. quia corpus, de consecr. d. 2.*

De tertio articulo dicitur, quòd Sacerdos profert illa verba, quasi materialiter: quia recitat ea, sicut à Christo dicta, vt patet per literam præcedentem in Canone: Christus autem, quando illa dixit, non transubstantiauit panem in corpus suum. Quod probatur ex verbis illius Canonis, quia ibi præmittitur, *benedixit*; vnde dicitur, quòd per illam benedictionem præcedentem consecrauit, non per ista verba; *Hoc est corpus meum*, cui concordat Innoc. *de Officio Missæ, part. 3. cap. 6. & 14.* 11 *Vide Ochã quodl. 2. q. fin. Gotfr. 4. parte sum. præsen. dist.*

Sed contrà, aut Christus confecit sine verbis, quod non est probabile: aut cum verbis; tunc, aut cum istis, aut cum aliis. Non cum aliis à prædictis, quia non est probabile, quòd aliâ formâ vtatur auctor, & ministri, quibus committit formam; si eisdem, remanet difficultas de significatione illius orationis vltimò prolatæ à Christo. Item, Christus modò si esset viator, posset proferre ista verba, & conficere, & remaneret eadem difficultas, sicut priùs. *Vide Alex. in 4. vbi adducit 4. opin. de ista cõsecr. Christi.*

## COMMENTARIVS.

30 *An benedictio fuerit diuersa à consecratione?*

DE *tertio articulo dicitur*, &c. Tria apud Euangelistas leguntur, nempe gratiarum actio, benedictio, & fractio panis, seu datio calicis. Circa hæc differunt Doctores, an diuersa fuerint inter se, & à consecratione? Quidam docent benedictionem non esse distinctam à consecratione. ita D. Thomas *quæst.* 78. *art.* 1. *ad* 1. Alensis *4. part. quæst.* 10. *m.* 4. *art.* 2. Durandus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *m.* 23. Marsil. *quæst.* 6. *art.* 1. Gabriel *lect.* 46. *in Canon.* Catechismus Pij V. titulo de Eucharistia. Hugo de S. Caro in Marc. 14. *Hoc est corpus meum*, &c. Lyranus in illud 1. ad Corinth. 11. *Et gratias agens*, &c. Brunus ibidem. Bessarion in libello, De verbis consecrationis. Fundamentum huius est, quòd verba consecrationis, aut ipsa consecratio dici possit benedictio 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est.* Eodem modo Græci, vt Iustinus in Apologia, vocat *cibum gratiarum actione benedictum.* Irenæus lib. 4. cap. 34. & 35. *Panem super quem gratiæ actæ sunt.* Author sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum: *Panis iste substantialis, & calix benedictione solemni sacratus ad totius hominis vitam salutémque proficit.*

D. Thom. Alensis. Durandus. Marsilius. Catechism. Pij V. Hugo. Lyranus. Brunus. Bessarion.

1. Cor. 10.

Iustin. Irenæus.

31 Trident. *Diuersa fuit benedictio, & consecratio.*

Alij docent benedictionem diuersam fuisse, & colligitur ex Patribus Tridentini sess. 13. cap. 1. *Cùm post panis, vinique benedictionem se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disseris, ac perspicuis verbis testatus est.* Deinde ex verbis Euangelistarum distinguentium benedictionem à consecrationis verbis Matth. 26. *Accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, dedítque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum.* Dices per anticipationem hæc dicta. Respondetur non esse necessarium mutare proprietatem Scripturæ, aut ordinem designatum, nisi ratio cogat.

32 *Quid de gratiarum actione, & benedictione dicendum?*

Alij gratiarum actionem, & benedictionem non distinguunt: ita Richardus Armacanus *lib. 9. contra Armenos, c. 5.* consentit Caietanus *in Matth. 26.* & alia loca, quibus institutio, & forma, ac ordo eius habetur. Titelmannus *in Matth. 26.* Aliis videntur hæc distinguenda; ita Iansenius *in concordia, cap. 131.* Sotus *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 4.* Vasquez *disp. 186. c. 2.* quia vsus fert, vt quoties gratiarum actio pro re aliqua fiebat in Scriptura, sequeretur benedictio ipsius, antequam sumeretur, potissimùm cibi, & potus; vt colligitur 1. ad Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil reiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Hîc tamen videtur confundi gratiarum actio cum oratione, & sanctificatione, quod denotat particula rationalis *enim*: & nihil refert eâdem actione perfici, eadémque oratione: quid autem factum fuerit incertum est.

In hoc autem articulo duplex difficultas initio tangitur: prima, vtrùm verba recitatiuè, seu, vt dicunt, materialiter dicantur, & non formaliter. Secunda difficultas, an Christus verbis consecrauit, & iisdem quibus nos? De primo hîc non differit Doctor, sed in sequẽtibus. Quantùm ad secundum refert opinionem Gotfredi, & Innocentij, ille negat Christum consecrasse verbis, sed benedictione: hic verò diuinâ virtute probabile esse docet consecrasse, quamuis etiam probabile censet: sequitur Archidiacon. *de consecr. dist. 2. cap. Timorem.* Gabriel *lect. 36. in canon.* asserit responderi posse ad argumenta in oppositum. Armacanus *lib. 9. Armenorum, c. 5.* probabilem censet. Petrus de Aliaco *in 4. q. 5. art. 1.* citans immeritò nostrum Doctorem, defendit Catherin. *opusculo de hoc mysterio.* Aliqui apud D. Thom. *3. p. q. 68. art. 1.* asserunt non hac forma Christum consecrasse; sed aliâ nobis ignotâ. Alij contra, eâdem forma consecrasse, sed secretò primùm prolatâ, postea peractâ consecratione eam denuò repetiisse: & hîc contra illos videtur partim intendere improbatio Doctoris. 33 *Duplex difficultas proponitur.* Gotfredus. Innocent. *Opinio. Christum non consecrasse verbis.* Archid. Gabriel. Armacan. Petr. Aliac. Catherin. *Alia duplex opinio de eodem.*

*Conclusio* autem Doctoris est Christum consecrasse iisdem verbis, quibus nos consecramus, & non aliter; quæ est communis Scholasticorum; probat Suarez ex decreto vnionis illis verbis: *Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc confecit Sacramentum*, &c. sed ibi legitur, *confecit, non confecit.* Addit capitulum, *Cum Marthæ.* Sed respondent alij Pontificem intendere formam datam à Christo, quâ alij vterentur: expressiora 34 *Conclusio affirmatiua cõmunis.* Florens.

Trident. siora ſunt verba Tridentini ſeſſ.13.cap.1. *Hoc tam admirabile Sacramentum in vltima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis vinique benedictionem, ſe ſuum ipſius corpus illis præbere, ac ſuum ſanguinem diſertis verbis teſtatus eſt: quæ verba à ſanctiſſimis Euangeliſtis commemorata, & à D. Paulo poſt repetita, cùm propriam illam, & apertiſſimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt*, &c. Inſtitutio ergo facta eſt poſt benedictionem per ipſa verba, quibus teſtatus eſt ſuum corpus, & ſanguinem præbuiſſe: hæc autem ſunt verba conſecrationis, vt patet ex illa clauſula; *quæ verba*, &c.

Hunc autem fuiſſe ſemper ſenſum Maiorum in præcedentibus verbis, aſſerit Concilium: inſtitutio Sacramenti, & conuerſio, ſeu conſecratio erant eadem Chriſti actio: vnde idem Concilium cap.4. *Ideò perſuaſum fuit ſemper in Eccleſia Dei, id nunc denuò ſancta Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis*, &c. vide *canone* 4. Verba autem formæ eandem efficaciam habuerunt, vt ſunt prolata à Chriſto; vnde ſi nunc eſſet viator conficere poſſet per eadem verba: ergo etiam tum confecit per eadem: Conciliũ enim non ex vi benedictionis, aut alterius actionis, quæ refertur ab Euangeliſtis; ſed ex vi verborum, eorúmque efficacia colligit præſentiã realem ſignificati: ſuperflua ergo eſſet alia virtus applicata à Chriſto ad conſecrationem: imò non expediebat formam inſtitutã nulliter proferre ſuper materiã iam conſecratã, aut Chriſtum proferre ſpeculatiuè, quam aliis tradidit proferendam practicè.

*Chriſtus iiſdem verbis, quibus nos conſecrauit.*

35 *Confirmatur ex Patribus.* Confirmatur ex Patribus Tertulliano lib. 4. contra Marcionem cap.40. *Acceptum*, inquit, *panem, & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit; hoc eſt corpus meum, dicendo.* Cyprianus, vel Author ſerm. de Cœna Domini: *Ante verba illa*, inquit, (ſupple conſecrationis) *cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat*, &c. ſupponit ergo per verba mutatum fuiſſe à Chriſto in ſuum corpus. Euſebius Emiſſenus apud Gratianum *de conſecrat. diſt.2.can. Quam corpus: Inuiſibilis*, inquit, *Sacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite, & comedite, hoc eſt corpus meum*, &c. Chryſoſtomus *homil.60. ad populum, poſt medium*; ait Chriſtum, cùm dixit: *Hoc eſt corpus meum*, verbo factum confirmaſſe, &c. ſic alij Patres vel idem dicunt, vel ſupponunt; nullus autem contrarium: neque congruum erat, vt Chriſtus inſtituens Sacramentum alio modo conſecraſſet.

36 *Obiectio.* Obiicit Catherinus Chriſtũ benedicendo conſecraſſe; ſed benedictio anteceſſit prolationem verborum: ad hoc reſponſum eſt aliàs; & patet antecedens eſſe falſum ex Concilio. Obiicit ſecundò, quia aliàs, niſi priùs conſecraſſet, forma illa ab eodem prolata eſſet falſa: hæc ratio includit abſurdum, quia idem replicari poteſt de conſecratione, & forma, vt ab aliis profertur, de fide tamen eſt conſecrationem fieri in virtute formæ, non aliter.

*Soluitur.*

*Falſa conſequentia rei.*

*Altera difficultas reſoluitur. Formam tantùm materialiter dici.* Innocent. Alterum, quod aſſeritur, & non impugnatur hîc à Doctore, petit illam difficultatem; an forma materialiter tantùm, & recitatiuè proferatur à Sacerdote? an verò formaliter ſignificatiuè? an etiam formaliter, & materialiter ſimul? Primum tenet Innocentius, & alij ſuprà citati *in commento, art.2. §. Sed hic eſt dubium*, &c. Secundum verò affirmat Marſ. *quæſt.6. art.1.2. part. dub.6.* Marſilius. Vaſquez *diſp.200. cap.2.* putans materialiter, & formaliter dici formam repugnare. Tertium verò quod eſt formam vtroque modo dici eſt magis conſentaneum principiis Doctoris, qui docet in perſona Chriſti proferendo formam conſecrare, vt ſuprà eodem commento probatum eſt: & ſic recitatiuè, & materialiter dicit formam; ſi referatur ad perſonam ipſius particularem, & non, vt induit perſonam Chriſti: in perſona tamen Chriſti dicit formam ſignificatiuè, ſicut ipſe Chriſtus dixit, & non recitatiuè: & hoc probat Doctor latè hîc, & deinceps in hoc articulo tractans ſenſum, & ſuppoſitionem verborum formæ. Hæc eadem ſententia frequentior eſt apud antiquos, & modernos: quam ſequitur Sotus, & Suarez *diſp.58. ſect.4.* Vaſquez. *Sententia Doctorũ.*

Recitatiuè dici formam probant verba antecedentia Canonis, intentio ipſius Sacerdotis proferentis verba in perſona Chriſti: vnde Florentinum in decreto vnionis: *Forma*, inquit, *huius Sacramenti ſunt verba Saluatoris, quibus conficit hoc Sacramentum; Sacerdos namque in perſona Chriſti hoc conficit Sacramentum*, &c. Sicut ergo Sacerdos non in perſona propria loquitur, ſed in perſona Chriſti; ita etiam prolatio formæ, vt ad propriam, & particularem perſonam refertur, eſt materialis, & recitatiua. 37 *Dici recitatiuè.*

Significatiuè autem dici à Sacerdote formam in perſona Chriſti, probatur: quia in formis Sacramentorum Chriſtus inſtituit verba ſignificantia effectum Sacramenti, vt patet in omnibus aliis: ergo & hîc. Secundò Patres, & Concilia ex ſignificatione formæ ſacramentalis colligunt præſentiam corporis Chriſti. Tertiò, quia etiam hac de cauſa patet loqui Sacerdotem in perſona Domini: vnde cùm neceſſum ſit Sacerdotem habere intentionem conficiendi, neceſſe eſt, vt dicat formam, qua ſignificatiua eſt præſentiæ corporis; ſic autem verba vt formaliter ſignificantia requiruntur: ergo oportet eum habere intentionem ea ſic proferendi. *Dici ſignificatiuè.*

Obiicies; Sacerdos non poteſt ſignificatiuè dicere: *hoc eſt corpus meum.* Reſpondetur id dicere in perſona Chriſti, vt dictum eſt. Dices illud verbum de futuro, *quod pro vobis tradetur; qui pro vobis effundetur*; non poſſunt referre perſonam Sacerdotis: ergo non ſignificatiuè dicit hæc verba. Reſpondent aliqui, illa verba intelligi de efficacia, aut conſecratione ſanguinis, quia conſecratur ſeorſim; & ſic quaſi repræſentatiuè funditur; vel quia eius ſanguine, quando illum ſumimus, abluimur, meritò dicitur pro nobis fundi. Hæc interpretatio reducitur ad ſenſum capituli *Quotieſcumque, de conſecrat. diſt.2.* & ad Ambroſ. *lib.4. de Sacramentis, cap.vltimo.* Probat eam Canus *lib.12. de locis, cap.12.* Sed hic ſenſus eſt improprius, quia effundi in Sacramento, iuxta ſenſum prioris capitis citati, eſt offerri Deo in ſacrificium: ita Ianſ. *cap.121. Concordiæ* fauent codices Græci, in quibus præſens pro futuro legitur. Cæterùm verius eſt Chriſtum locutum fuiſſe de cruenta effuſione, de qua Patres communiter intelligunt illum locum. Ad rationem ergo reſpondetur recitatiuè dici illa verba de futuro; *Quod pro vobis*, &c. quia non ſpectant ad eſſentiam formæ; quamuis Eccleſia ea, vt connexa apud Euangeliſtas, & Paulum ad excitandam memoriam ſacrificij cruenti, & ad meliorem diſpoſitionem præſentis ſuſcipiendi *Obiectio. Soluitur.* Ambroſius. Canus. Ianſenius. *Qui pro vobis fundetur, &c. dici recitatiuè.*

Sacra

Sacramenti coniunxerit, seu assumpserit cum verbis formæ. Ex his ergo sequitur quòmodo Sacerdos & refert, quæ Christus dixerit, & simul affirmat corpus Christi esse præsens ibi. Primo modo recitat; secundo significat.

39 *Minister intendit significationē practicam, per se primò.*

Dico præterea, quòd significatio, quam intendit minister, proferens hanc propositionem, primariò, non est logica, sed practica. Hæc sequitur ex iis, quæ dicit Doctor hoc articulo 3. infrà, §. *Propter hoc dico*, &c. vbi dicit, quòd sufficit Theologo, considerare hanc orationem sensibilem institutam esse à Deo, vt instrumentum consecrationis; neque esse orationem sacramentalem, vt vera est, neque vt falsa est propositio conuersiua; sed vt est neutra, & prior naturaliter sua veritate. Probatur hæc conclusio: quia eatenus hæc oratio dicitur significatiuè à ministro, quatenus cadit sub intētionem conficiendi Sacramentum, & vt est causa eius; sed inquantùm practica, & conuersiua panis, & vini, sic est causa: ergo vt practica est, cadit sub vsu ministri; & sic vt conuersiua est, eam significatiuè profert. Confirmatur, quia veritas speculatiua, seu Logica huius propositionis, fundatur in veritate practica; quia priùs est conuersiua, quàm verum est dicere corpus Christi esse præsens; ideóque est præsens, quia ex efficacia verborum fit præsens: ergo hæc oratio non est sacramentalis, nisi inquantùm vera practicè, seu conuersiua est: sed vsus eius à ministro debet esse potissimus in significatione sacramentali, ad quam tantùm sequitur alia: vnde si proferretur à non intelligente eam, modò cætera adessent, vt materia, character, & intentio, validè conficeret; tunc enim proferret eam significatiuè practicè, non autem logicè: vt si esset Sacerdos Græcus, vel infirmitate superueniente, aut educatione adeò rudis, & ignarus linguæ Latinæ, vt nihil eius intelligeret, qualis videtur fuisse ille apud Zachariam Papam, qui protulit formam illam Baptismi: *In nomine Patria, & Filia, & Spiritua sancta.* Sic obstetrices, quando proferunt formam Latinam Baptismi, non intelligunt ipsam omnes. Præterea id speciale est in Sacramento absolutionis, quod dependeat à claui scientiæ eius valor, quia est actus iudicialis; ac proinde exigit cognitionem causæ in iudice, quæ sine scientia congrua haberi nequit.

*Probatio.*

Dices: quomodo aliqua propositio sit prior sua veritate? Respondetur veritatem esse passionem, seu accidens propositionis, quia est conformitas ad obiectum, quæ potest adesse, & abesse; vt sedente Socrate, vera est hæc, Socrates sedet; eo stante, falsa: conceptus ergo orationis est fundamētum veritatis, aut falsitatis, orationis, inquam, inquantùm significatiua est; quia sic respicit rem extrà, vt signum eius; alioquin non esset nata esse conformis, aut diffórmis ipsi: vnde in addiscente prior est conceptus orationis, quàm iudicium de eius veritate; vt quando proponitur discipulo aliqua conclusio, est ipsi neutra, donec applicentur principia, quibus demonstretur.

## SCHOLIVM.

*Sententia Richardi, quod pronomen* hoc, *supponit disiunctiuè, pro eo quòd est, vel erit, sub speciebus; & sic forma verificatur pro vltima parte disiuncti. Hanc reiecit, quia ex ea, hæc esset vera*, hic ignis est aqua. *Secundò, subiectum debet accipi secundùm tempus importatum per copulam, & tota significatio orationis est ad idem tempus, vel instans. Tertiò, forma non esset conuersiua, quia secundùm Richardum priùs est vera, quàm conuersiua.*

12 *Richardus præsenti distinct. art. 3. q. 1.*

Alia est opinio, quòd sicut nomen significat sine tempore, & ideò potest supponere pro supposito cuiuscumque temporis, nec potest restringi à tempore consignificato per verbum significans compositionem, quia illud est distans secundùm intellectum, vel sensum, & nihil contrahitur per sic distans: sicut nec contrahitur hîc *homo*, cùm dicitur *homo est albus*, licèt contrahatur hîc; *Homo albus currit*, ita pronomen, cùm ponatur loco nominis proprij, & significet sine tempore, potest significare, seu demonstrare sine tempore: quia hoc significat, & demonstrat pro omni tempore, & sic hoc pronomen *hoc* potest demonstrare sub disiunctione illud, quod nunc continetur sub illis speciebus, vel proximò continebitur, vt sit demonstratio ad intellectum eius, quod demonstratur in recto, & ad sensum alicuius, quod demonstratur in obliquo: & illud in recto sit aliquid nunc præsens, vel quod in proximo erit præsens ad sensum sub istis speciebus: & illa disiunctiua vera est, quia altera pars est vera. Et hoc ad intellectum, quando scilicet assistit virtus diuina, vt vltimo instanti prolationis operans ad illud, quod significatur.

13 *Pronomen* hoc, *non demonstrat quod nō est, quando profertur: aliàs hæc esset vera*, hic ignis est aqua.

Contra istud, licèt non oporteat, quòd hoc pronomen *hoc*, demonstret aliquid pro determinato tempore: tamen sicut ipse arguit, significatio orationis constituitur ex significato partium, & partes significant quando proferuntur. Ideò secundùm eum, etiam necesse est dicere, quòd hoc pronomen *hoc*, quando profertur, illud significat, quod tunc demonstrat: tunc autem non videtur posse demonstrare aliquid, quod non est tunc contentum sub illis speciebus: quia sic posset dici, quòd *hic ignis est aqua*, vel *hoc corpus est aqua*, loquendo de igne statim conuertendo in aquam, & faciendo talem demonstrationem ad sensum in obliquo, & ad intellectum in recto, & hoc demonstrando corpus, quod nunc est, vel in proximo erit. Sed non videtur rationabile dicere de aëre statim corrumpendo, quòd *hoc corpus est ignis*. Hæc enim simpliciter est vera, *hoc corpus est aër*: & de eodem non dicuntur simul ignis, & aër.

*Significatio totius orationis debet referri ad idem tempus, vel instans.*

Item, si tunc significant partes orationis, quando proferuntur, & ex significatis earum hoc modo acceptis est significatum totius orationis, secundùm quòd accepit; oportet dicere, quòd ly *est*, quando profertur, ponat significatum suum pro præsenti, quod significat: subiectum autem pro illa parte disiunctionis non accipitur pro aliquo eodem tempore, cum illo quod importatur per copulam: ergo tota significatio illius orationis non refertur ad aliquid idem, vel ad instans.

Item, disiunctiua non ponit alteram partem determinatè, sed est ibi fallacia consequentis: ergo si hoc stat disiunctiuè, non determinatè ponit respectu prædicati vnam partem, scilicet hoc, quod in proximo erit sub istis speciebus: sicut neque alteram, scilicet quod nunc est sub istis speciebus, & non efficitur per istam orationem etiam secundùm eos, nisi vt ipsa est vera: ergo per istam, non magis efficitur, quòd illud, quod statim erit sub istis speciebus, sit corpus Christi, quàm illud quod nunc est sub istis.

## COMMENTARIVS.

40 *Resolutio principalis de sensu formæ. Sententia Richardi.*

*Alia est opinio, quòd sicut nomen significat*, &c. Hîc progreditur Doctor ad resolutionem principalem huius articuli de sensu formæ. Primùm reiicit sententiam Richardi, qui dicit pronomen *hoc*, sumi vt implicat demonstrationem, abstrahendo ab omni tempore, & demonstrare id quod est, vel erit; neque posse per verbum determinari, vt supponat pro eo tempore, quod per verbum consignificatur, quia illud est distans secundùm intellectũ, vel sensum: quia denotat instans, in quo corpus Christi est sub speciebus, quod est distans ab instanti prolationis pronominis *hoc*: supponit ergo disiunctiuè, pronomen demõstrando respectiuè ad intellectum, supple, id, quod nunc est sub accidentibus; vel mox erit. Tribus rationibus impugnat hanc sententiam, ex quibus constat orationem illam esse falsam, si hoc modo eius veritas sumatur, vel non esse veram determinatè, quod requiritur: prima & secunda est ad hominem redargutio, supponendo per ipsum, quòd significatio orationis non sit alia, quàm significatio partium: tertia est ex natura propositionis disiunctiuæ, quæ nihil determinatè ponit in re: hoc autem nequit dici de forma Sacramenti: ergo, &c.

*Formam hoc modo esse falsam, aut non veram determinatè.*

## SCHOLIVM.

*Ponit iuxta doctrinam Varronis & D. Thom. 3. p. quæst. 78. art. 5. tredecim conclus. circa veritatem huius propositionis*, hoc est corpus meum, *& similium, quas approbat, præter 5. concl. & sequentia ex ea. concl. 10. resoluit ly* hoc, *demonstrare singulare entis, non aliquid minùs vniuersale.*

14 *Conceptus orationis habetur in vltimo instanti prolationis eius, sicut & dictionis.*

Aliter ergo potest dici, & sit conclusio prima, quòd conceptus, qui causatur per orationem prolatam, non habetur per eam, nisi in vltimo instanti prolationis orationis. Quod probatur, quia non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud instans: conceptus enim totius orationis non habetur sine conceptibus omnium partium. Hoc confirmatur per simile, quia conceptus formatus per dictionem, non habetur ante instans vltimum prolationis illius dictionis: ergo à simili de oratione, & ratio similitudinis est, quia sicut partes dictionis non significant conceptum simplicem, quem dictio significat: ita dictio non significat conceptum aliquem complexum, quem significat tota oratio. Sed differentia est, quia pars orationis aliquem conceptum simplicem significat, sed ad propositum non est ista differentia, quia vtrobique totus conceptus non habetur, nisi in fine omnium dictionum prolatarum.

*Per quid intellectus causat conceptum orationis, cùm ipsa iã desinit.*

Si obiicitur; ergo oratio causat conceptum, quando non est: quia quando completè prolata est oratio, nihil orationis est. Respondeo, patet quòd argumentum non cogit, quia idem posset argui de conceptu importato per dictionem, ideò dico, quòd cùm conceptus fiat in instanti in intellectu post prolationem orationis, vel dictionis, non fit per illam: quia illa non est sicut arguitur: sed in fine prolationis cuiuscunque dictionis per aliquid causatum in phantasia à dictione, dum fuit in prolatione, intellectus causat in se conceptum aliquem dictionis: vel ad propositum magis per aliqua derelicta à singulis dictionibus, dum proferebantur, intellectus in vltimo instanti per collationem suam causat intellectum, vel conceptum totius. Ideò autem dixi de conceptu, qui causatur per orationem: quia secus potest esse de conceptu illo signato, qui non causatur per eam, vt pote conceptus, qui est apud loquentem, quem scilicet intendit per orationem exprimere.

*Significatio non causat conceptum.*

Et si arguitur contra istam conclusionem, quia significatum totius orationis consistit ex significatis partium, & partes significant, quando proferuntur. Respondeo, significatio illa non est ratio formalis causandi illum conceptum in audiente, sed est quædam

dispositio

dispositio præambula, ad quam per collationem intellectus sequitur causatio totius conceptus ex conceptibus per partes causatis.

Secunda conclusio est ista, quòd non oportet in eodem instanti, vel in eodem tempore, causari conceptum in audiente per orationem prolatam, & veritatem illius conceptus intelligi, siue vnionem extremorum. Nam si dicam, *Deus creauit mundum*, conceptus istius orationis, causatur in vltimo instanti, tamen veritas istius, seu vnio illorum extremorum intelligitur pro primo instanti temporis: non est ergo idem dicere, in quo instanti concipiatur oratio, & pro quo, quia concipitur in vltimo completæ orationis, & concipitur pro illo, pro quo extrema denotantur vniri in intellectu, siue extrà in re. 15 *Conclus.2. Non est idē instans prolatæ orationis, & instās pro quo intelligitur veritas eius.*

Tertia conclusio est ista, quòd pro illo instanti denotantur extrema vniri; & per consequens, quod est veritas in oratione, quod significatur per verbum copulans extrema: quia nihil aliud est in propositione quod significet tempus, ad quod oporteat ex intellectu propositionis, vnionem extremorum referri. *Conclus.3. Pro illo tēpore, quod significatur per copulā, est veritas orationis.*

Quarta conclusio est; verbum cuiuscumque temporis potest consignificare tempus, vel instans; patet: alioquin non posset exprimi conceptus de vnione extremorum præsenti, præteritâ, & futurâ. Si verò non posset consignificare instans præteritum, si verbum est præteritum: præsens, si est verbum præsens: futurum, si est verbum futurum, nulla propositio esset vera, in qua exprimeretur vnio extremorum; quæ non potest esse, nisi in instanti: vtpote nec ista, *anima fuit creata*; nec ista, *anima creatur*; nec ista, *anima creabitur*, essent veræ. Si etiam non posset consignificare tempus præsens, si est verbum præsens: & tempus præteritum, si est verbum præteritum: & tempus futurum, si est verbum futurum, nulla propositio esset vera, cuius extrema non possunt vniri, nisi pro tempore: & tunc nec ista esset vera, *cælum mouebatur*, nec esset ista vera, *cælum mouetur*, nec ista, *cælum mouebitur*. *Conclus.4. Verbū consignificat tēpus, vel instans, iuxta modū vnionis extremorum.*

Iuxta istam conclusionem dico, quòd verbum consignificare instans, vel tempus propriè dictum, (siue loquendo de verbo præsenti, siue præterito, siue futuro,) pertinet ad multiplicitatem tertij modi æquiuocationis, qui est secundùm diuersa consignificata dictionis, idem significantis: non autem copulatio extremorum pro instanti, vel pro tempore sunt causæ veritatis talis propositionis: quia nullus modus vnus est, qui includatur indifferenter in istis duobus: & ita oportet habere vnum commune, quando sunt causæ veritatis in consignificatis, sicut in significatis. *Tertiū modum, id est, æquè primò plura significare.*

Quinta conclusio, secundùm vnum modum dicendi, est, quòd est verbum, si est præsens, & consignificat instans, significat instans completæ prolationis totius orationis: quia pro eodem tempore intelligitur ipsa vnio, & conceptus extremorum, seu totius orationis, & totus conceptus intelligitur pro vltimo instanti. Si autem est verbum præsens, & consignificat tempus, consignificat tempus suæ prolationis, vel totum, vel partem, & secundùm hoc, si in vltimo instanti prolationis verbi, fieret generatio ignis, hæc esset vera, *ignis generatur*: hæc autem similiter, *cælum mouetur*, vel, *ego curro*, si in toto tempore prolationis istius, vel in aliqua parte saltem maiori, vniuntur extrema, & secundùm hoc, ista nunquam erit vera, *ego bibo*, vel *ego dormio*, nec huiusmodi: quia non possunt esse veræ vt verba ista consignificant instantia: quia actus ille non potest esse in instanti: nec pro toto tempore prolationis orationis, nec pro parte illius vniuntur extrema; & ideò propositio illa semper falsa est. 16 *Conclus.5.* *Hanc Doctor reiecit.*

Secundùm ista poneretur sexta conclusio, quòd in propositione de præsenti, vbi verbum significat instans præsens, significata omnium partium orationis debent intelligi pro vltimo instanti. Hoc probatur ex præcedenti, quia secundùm Philosoph. 1. Perihermenias, *esse significat compositionem, quam sine compositis non est intelligere*: ergo si copula copulasset pro vltimo instanti, pro illo necesse est intelligi significata omnium partium. *Conclus.6. Hæc est falsa.* *Cap. 3.*

Et ex hoc ad propositum est septima conclusio, quòd cùm hoc verbum, *est*, non consignificet tempus, sed instans: quia vnio istorum extremorum prima est per virtutem infinitam; & per consequens, in instanti, sequitur quòd omnes partes istius orationis, & significata earum debent intelligi pro vltimo instanti orationis. *Conclus.7.*

Ex hoc sequitur octaua conclusio, quòd hoc pronomen, *hoc*, demonstrabit pro vltimo instanti completæ prolationis: & tunc dicetur quòd demonstraret illud quod pro illo instanti est sub illis speciebus, vt sit demonstratio partim ad sensum, partim ad intellectum, & quo ad hoc omnino simpliciter, sicut dixit prior opinio, sed illud, quod demonstratur ad intellectum, & in recto, non demonstratur disiunctiuè, sed determinatè hoc, quod nunc continetur. 17 *Conclus.8. Ly hoc demōstrat pro vltimo instanti prolationis.*

Nona conclusio est, quòd in singularibus est ordo secundùm ordinem vniuersalium. *Conclus.9.*

*Dari indiuiduum generiçum.*

Priùs enim quodcumque vniuerſale poteſt intelligi deſcendere in proprium ſingulare, quàm contrahatur per differentiam aliquam ad aliquid inferius, tanquam ad ſpeciem, vt ſic habeamus ordinem iſtorum ſingularium, *hoc ens*, *hæc ſubſtantia*, *hoc corpus*, & ſic deinceps vſque ad Socratem, hoc patet per Auicennam 1. *Phyſic. ſuæ:* quòd priùs videmus à remotis corpus, quàm animal, & animal, quàm hominem, &c. Quod non eſt intelligendum de vniuerſali: quia viſus non videt vniuerſale; ſed de ſingulari vniuerſalioris.

*A remotis priùs videtur corpus, quàm animal.*

Et tunc eſt decima concluſio, quòd *hoc*, in propoſito demonſtrat ſingulare entis, & non per ſe ſingulare alicuius minùs vniuerſalis, quàm ens. Quod probatur primò, quia rationabiliter quæritur de multis, quid eſt hoc? non teneri autem idem ſupponitur, & quæritur: igitur non ſupponitur per ly *hoc*, hoc lignum, vel hic lapis, quia illud quæritur. Nam reſponſo iſto dato, ſcilicet *lignum*, vel *lapis*, quietatur animus quærentis de illo ſingulari. De illo ergo ſingulari ſupponitur *hoc* tantùm, vt eſt ſingulare entis, & quæritur aliquid ſpeciale, ſub ente, & quodcumque ſpeciale conueniens eſt ad reſponſionem, & hæc probatio ſtat in vnico verbo, quod ponitur *Exod.* 16. de *Manhu*, id eſt, *quid eſt hoc?* Alia probatio eſt, quaſi Grammaticalis, quia adiectiuum in neutro genere, ſubſtantiuatum includit in ſe ſuum ſubſtantiuum, ſecundùm Grammaticos: non includit autem niſi *hoc*, quod eſt aliquid, vel ens: ergo, &c.

*Concl.* 10. *Ly* hoc *in forma corporis demõſtrat ſingulare entis.*

18 *Concl.* 11.

Vndecima concluſio, quòd licèt ly, *hoc*, ibi non ſupponat per ſe, niſi ſingulare entis: tamen illud intelligitur pro ſingulari alicuius inferioris, & regulariter pro ſingulari, quod eſt corpus Chriſti: quia non eſt ibi in inſtanti vltimo, pro quo facit demonſtrationem ens in aliquo ſingulari, niſi in hoc, quod eſt corpus Chriſti.

*Concl.* 12.

Concluſio duodecima eſt, quòd non propter hoc erit ſenſus iſtius propoſitionis, *corpus meum eſt corpus meum:* quia alius eſt per ſe intellectus antecedentis, & conſequentis: licèt ſubiectum antecedentis ſupponat pro ſubiecto conſequentis. Quod patet, quia conceptus conſequentis poteſt eſſe certus, & antecedentis dubius: non eſt autem idem conceptus certus, & dubius. Hoc etiam patet, conuertendo propoſitionem: quia alius intellectus eſt, *corpus meum eſt hoc*, id eſt, iſtud ens, & *corpus meum eſt corpus meum.*

*Concl.* 13.

Decimatertia concluſio eſt, quòd ſecundùm iſtum intellectum, poteſt iſta oratio eſſe effectiua, ſiue conuerſiua: quia qui principaliter faceret in inſtanti, pro quo enunciat illud, quod iſta oratio tunc ſignat, ipſe principaliter conuerteret. Nam facere principaliter hoc ens eſſe corpus Chriſti, eſt realiter facere conuerſionem, per quam corpus Chriſti accipit eſſe *hoc:* quia eadem eſt factio, quâ hoc ens fit corpus Chriſti, & quâ corpus Chriſti fit hoc ens, hoc eſt, fit ens quod eſt ſub iſtis ſpeciebus. Sed illa oratio dicitur eſſe conuerſiua, quæ ſignificatiuè agit pro illo inſtanti, pro quo conuertens agit realiter: ergo iſta oratio eſt ſimpliciter effectiua.

*Oratio quomodo cõuerſiua.*

## SCHOLIVM.

*Ex concluſionibus dictis, quas admittit, præter quintam, & conſequentia ex ipſa, oſtendit quomodo iſta*, hoc eſt corpus meum, *ſit vera, & effectiua, nec æquiualeat huic*, corpus meum eſt corpus meum. *Oſtendit etiam clarè rem conceptam, ſeu ſignificatam intelligi habere* eſſe, *pro tempore, quod in verbo conſignificatur, licèt conceptus orationis ſemper habeatur pro vltimo inſtanti prolationis, & hinc contra quintam concluſionem infert, quòd ly* hoc *demonſtrat aliquid, quod eſt, quando profertur.*

19

Ex iſtis tredecim concluſionibus patet, qualiter iſta oratio eſt vera, quia ſecundùm iſtas totus eius intellectus, & complexionis terminorum intelligitur pro vltimo inſtanti prolationis, & pro illo demonſtrat hoc illud, quod tunc eſt ſub iſtis accidentibus. Verum eſt autem, quòd iſtud eſt corpus Chriſti: & quòd non propter hoc conuertitur iſta propoſitio, *corpus meum eſt corpus meum:* ſed iſta poteſt eſſe conuerſiua, licèt illa non, quia illa denotat dici de ſingulari communioris, ſcilicet de hoc ente, quod eſt prædicatum: illa autem denotat dici de ſeipſo in ſpeciali. Propoſitio autem denotans de hoc ente aliquid primò dici, poteſt eſſe effectiua: ſicut & iſta, quæ denotaret de lapide, quòd ipſum primò eſt hoc ens.

*Improbat quintã concluſ. & ſequentia ex ea.*

Has omnes concluſiones poſſum concedere præter quintam, & alias inquantùm ſequuntur ex ea. Nam verbum quando profertur, ſicut tunc ſignificat, ſic tunc conſignificat: & quando conſignificat præſens, & non additur aliqua determinatio, per quam tempus conſignificatum referatur ad aliud præſens, non videtur ex vi ſermonis, quòd copulet pro aliquo inſtanti, niſi pro aliquo inſtanti prolationis ipſius verbi præſentis:

*Verbũ præſens no cõ-*

nec

nec illa probatio, quæ ibi ponitur, cogit, quia etsi intellectus totius orationis non fiat per eam, nisi in vltimo instanti, sicut expositum est in prima conclusione: tamen non fit conceptus vnionis extremorum tantùm pro illo instanti, sicut patet in secunda conclusione. Hoc etiam patet, quia in propositionibus de præterito, & de futuro potest verbum copulare pro quocunque instanti præterito, vel futuro, quantumcunque distante ab oratione: & tamen ibi intellectus totius orationis non habetur, nisi in instanti completæ orationis, sicut nec intellectus orationis, vel propositionis de præsenti, nec vniuersaliter intellectus alicuius complexi.

*significat nisi pro aliquo instãti prolationis. At verbum de præterito & futuro, non consignificat pro tẽpore prolationis, aliàs omnes propositiones de præterito & futuro essent falsæ.*

Per hoc etiam potest destrui illud, quod sequitur ad istam demonstrationem huius pronominis *hoc*. Nam si illud deberet intelligi pro tempore, vel instanti, pro quo est compositio, & compositio non intelligitur pro vltimo instanti prolationis totius orationis, sed pro instanti prolationis huius verbi *est*, sequitur, quòd demonstratio pro eodem intelligitur.

Est autem & alia difficultas circa prædicta, & specialiter de illa demonstratione. Nam pronomen demonstrativum, quando profertur, significat quod demonstrat: ergo significat illud quod tunc est demonstrabile. Sed tunc nihil est ibi demonstrabile ad se nsum, nisi accidentia, nec ad intellectum, vt videtur, nisi quod subest accidentibus.

20 *Demonstrativum, quãdo profertur significat quod demonstrat. Ex vi sermonis non habetur, quòd vnio extremorũ intelligatur pro vltimo instãti prolationis.*

Potest ergo dici aliquantulum aliter, quòd de virtute sermonis non habetur, quòd conceptus propositionis de præterito, siue vnio extremorum intelligatur præcisè pro vltimo instanti totius orationis: sed si intelligitur pro instanti, magis debet intelligi pro instanti completæ prolationis ipsius verbi. Partes etiam quando proferuntur significant; & si natura significationis earum est talis, quòd non extendit se, nisi ad aliquid, quod est præsens quando significat, oportet illud significatum esse præsens, quando partes proferuntur. Verumtamen benè possibile est, aliquem determinare se ad exprimendum aliquem conceptum complexum, pro instanti, & conceptus omnium partium illius conceptus, accipi pro illo eodem instanti vltimo prolationis. Hoc enim modo, disputantes determinant se ad proferendum intellectus suos in suis responsionibus ad idem instans; alioquin nunquam respondens posset redargui, quantumcunque concederet contradictoria.

## SCHOLIVM.

*Ostendit exemplis, quomodo oratio ex vi sermonis non significet rem esse pro vltimo instanti prolationis, benè tamen ex intentione proferentis.*

Et si quis alteri velit exprimere conceptum suum per orationem de præsenti, non cauabit in eo conceptum de virtute sermonis pro vltimo instanti prolationis: sed potest sibi exprimere, aut exponere, quod pro illo instanti proferat. Et tunc ex tali expositione, non ex virtute sermonis, conciperet illam vnionem extremorum pro illo instanti. Sed si ipsemet proferens intenderet per suam propositionem aliquid causare, sicut etiam posset intendere exprimere conceptum suum pro vltimo instanti, ita posset intendere causare illum effectum pro illo instanti. Si etiam ad prolationem orationis istius intendentis aliquem conceptum, & omnes eius partes accipi pro aliquo instanti, aliquis alius videns intentionem eius, vellet aliquid causare, posset causare pro vltimo instanti, pro quo intendit ille omnia significare. Et hoc modo, licèt non sit manifestum de virtute sermonis illud quod dictum est priùs in quinta conclusione, & cæteris sequentibus de vltimo instanti prolationis: tamen manifestum est, illa posse intelligi, quantùm ad intentionem exprimentis, & in se, & inquantùm est minister Dei, qui videns intentionem suam, potest illi orationi assistere ad agendum, eo modo, quo ipsa secundùm intentionem proferentis significat.

21 *Exemplis ostẽdit quomodo ex intẽtione proferentis significetur significatum orationis esse pro vltimo instanti prolationis.*

Sed siue illa via teneatur, quòd de vi sermonis tota oratio debet referri ad vltimum instans sermonis, vel prolationis: siue ista quòd hoc non sit ex virtute sermonis, sed ex determinatione proferentis: & hoc non tantùm in se, sed in ordine ad principale, agens assistens ad agendum: & si saluetur vno modo, vel alio, quòd ista propositio est vera, id est, secundùm octauam conclusionem, & cæteras, quæ sequuntur, à quibus non discordo; remanet difficultas communis vtrique modo, quomodo ista propositio est vera pro vltimo instanti. Nam secundùm vtramque viam, etsi sit vera pro vltimo instanti, non tamen priùs naturaliter, quàm conuersio sit completa: quia priùs naturaliter oportet rem esse, quàm oratio sit vera. *In eo enim quòd res est, vel non est, est oratio vera, vel falsa*, ex Prædicamentis: non ergo ista veritas præcedit naturaliter conuersionem, sed sequitur, & per consequens, ista oratio vt vera, non est conuersiua.

22 *Concordat cũ D. Tho. & Varr. sed monet difficultatem, quòd priùs res est, quàm oratio sit vera. cap. de substantia.*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit, licèt diſputatio præmiſſa ſit ſubtilis, & Logica, ſufficere Theologo dicere, quòd Deus vtitur illâ propoſitione,* Hoc eſt corpus meum, *vt ſigno ſenſibili ad cauſandam conſecrationem, quæ ſequitur in vltimo inſtanti, & ſic priùs fit conſecratio, quàm oratio eſt vera, atque adeò non cauſat vt vera, ſed vt neutra. Quòd ſi Logicè contendas quòd cauſat vt vera, hoc ſaltem vt certum tenendum, quòd ipſa vt ſignum vocale facit conſecrationem per Dei aſſiſtentiam. Eodem modo dicendum eſt de forma calicis ſicut dictum eſt de forma corporis.*

23 *Notatur vt additio vſque ibi, breuiter, ſed falsò.*

Propter hoc dico, quòd tota illa diſputatio in tredecim concluſionibus, & earum probationibus, vel improbationibus, ſubtilis eſt, & Logica de veritate huius propoſitionis, ſaluanda: ſed Theologo ſufficit, quòd iſta oratio, vt eſt tale ſignum ſenſibile, inſtitutum à Deo, eſt inſtrumentum Dei ad conſecrationem illam, quæ ſequitur in vltimo inſtanti, ita quòd Deus aſſiſtit ſibi, tanquam cuidam diſpoſitioni præuiæ efficaci, vt eâ completâ cauſet talem effectum inuiſibilem. Non autem ipſa veritas præcedit, vt talis diſpoſitio actionem Dei: quia eſt vt ſignum ſenſibile in *fieri*, & per conſequens, in tempore non intelligitur habere ſuam propriam veritatem. Quando etiam habet eam, illa veritas ſequitur ordine naturæ actionem Dei.

*Oratio ſacramentalis non cauſat, vt vera.*

Breuiter ergo diceret Theologus, quòd qualitercunque Logicus ſaluet iſtam propoſitionem eſſe veram; ſaltem non eſt oratio ſacramentalis vt vera: ſed vt tale ſignum ſenſibile præcedens fortè tempore, & ad minùs naturaliter ſuam veritatem: ſicut diſpoſitio continua in tempore præcedit vltimum inſtans, & conditionem cuiuſcunque in vltimo inſtanti: cauſa etiam præcedit conditionem cauſati.

Et ſi quæras tunc, qualis, aut vt vera, aut vt falſa eſt propoſitio conuerſiua? Dico, quòd neque ſic, neque ſic: ſed tantùm vt eſt propoſitio neutra, & prior naturaliter, & fortè tempore, ſuâ veritate.

*Propoſitio prior ſua veritate. Oratio an prior tempore ſuo cõceptu.*

Iſta autem prioritas probatur ſic, quia omne fundamentum priùs eſt naturaliter relatione ſuâ accidentali: propoſitio autem, ſeu conceptus eſt fundamentum reſpectu veritatis, quæ eſt relatio accidentalis: quia poteſt ineſſe, & non ineſſe, ſicut poteſt eſſe conformis, & difformis rei. Socrate enim ſedente, vera eſt oratio, quæ dicit Socratem ſedere, vt dicitur in Prædicamentis: ergo prior eſt naturaliter conceptus orationis, vt in ſe talis, quàm vt verus. Adhuc etiam prior duratione eſt ipſa oratio vt variabilis, & in *fieri*, quàm conceptus eius cauſatus per eam, eo modo, quo tempus dicitur eſſe prius ſuo vltimo inſtanti terminante.

Iſtud etiam de prioritate naturali conceptus ad veritatem, patet manifeſtè in addiſcente. Priùs enim aliqua concluſio non demonſtrata concipitur à diſcipulo, & tunc quidem vt neutra: & tamen totus per ſe eius conceptus percipitur, vel concipitur. Secundò, demonſtratione ad ipſam applicatâ concipitur, vt vera.

24 Et iſtud patet euidenter, quia poſſet Deus inſtituiſſe aliquam orationem non ſignificatiuam, ad cuius prolationem à miniſtro, ipſe aſſiſteret ad cauſandum effectum in fine prolationis: ergo qualitercunque ſit de illa diſpoſitione Logica, qualiter iſta propoſitio eſt vera, hoc eſt, tenendum pro certo, quòd ipſa vt ſignum vocale, & in *fieri* extrà eſt ſignum efficax reſpectu conſecrationis: quia diſpoſitio præuia cui Deus ex pacto aſſiſtit ad cauſandum effectum efficaciter in termino, ſiue ipſa propoſitio ſignificet talem effectum (quod verum eſt in propoſito, & congruum, & hoc nûdè, ſcilicet nec vt vera, nec vt falſa, ſcilicet inquantùm eſt diſpoſitio) ſiue ſignificet illud, vt propoſitio vera, & hoc, vel pro tunc, quando eſt diſpoſitio, vel pro inſtanti illo, pro quo cauſabitur illud, ad quod eſt diſpoſitio: & hoc vel priùs naturaliter, quàm in illo inſtanti cauſetur ille effectus, vel poſteriùs naturaliter.

25 *Primò eſt conceptus orationis neuter, ſecundò Deus cõuertit, tertiò eſt veritas.*

Poſſet quidem hîc aliter diſtingui, ſcilicet, quòd in vltimo inſtanti prolationis primò ſecundùm ordinem naturæ, eſt conceptus propoſitionis, vt neuter: ſecundùm, ad illum ſequitur operatio diuina cauſans illud, quod omnino deſignat: tertiò, ſequitur veritas huius conceptus: & ſic non tantùm oratio vt vocaliter, & continuè prolata, prior eſt veritate: ſed etiam vt habens ſuum conceptum proprium, licèt non vt verum: ſed iſtud implicat quædam pertinentia ad illam diſputationem Logicam de veritate propoſitionis, vel de conceptu propoſitionis pro vltimo inſtanti, & nihil neceſſarium facit ad iſtam orationem, vt ſacramentalis: quia ille conceptus, qui ponitur haberi per iſtam in vltimo inſtanti nullo modo eſt inſtrumentum Dei ad illam actionem Dei, quæ ponitur ſequi in ſecundo inſtanti naturæ: quia Deus ad operationem ſuam non vtitur aliquo ſacramentali, niſi ſenſibili.

Sic

Sic ergo breuiter sufficiat ministro non disputanti tunc, pro quo intelligitur oratio, intendere proferre istam orationem eo modo, quo Christus instituit eam proferendam: & sic habetur intentio debita, & instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento à tali agente adhibito, Deus assistit ad causandum in vltimo instanti talem effectum.

Ex istis patet de intellectu formæ consecrationis super vinum: quia omnino similis posset esse disputatio Logica, & certitudo Theologica. Quòd autem hîc ponitur calix, hoc ideò fit, quia consecratur sanguis in ratione potus: liquor autem non habet rationem potus, nisi vt in vase, nihil autem tale ponitur in ratione, vel consecratione corporis, quia corpus conficitur vt cibus; solidum autem habet rationem cibi, licèt non sit in vase. *Calix cur dicitur in consec.*

Ad primum argumentum patet, quòd ly *hoc*, demonstrat singulare entis, non panem, nec accidentia: quia demonstrat pro instanti completæ prolationis orationis, & hoc, vel ex virtute sermonis, secundùm quintam conclusionem, vel ex intentione proferentis, secundùm aliam viam. 26 *Ad arg.* 1.

Nec ista est eadem illi, *Corpus meum est corpus meum*, sicut patet ex conclusione 13. Et hoc patet, quia ista propositio posset esse conuersiua, *hoc est ignis*, non tamen ista, *ignis est ignis*: quia quod facit hoc ens esse ignem, facit quandam conuersionem, non tamen sic de igne esse ignem.

Ad secundum, patet quòd ly *enim*, ponitur ad faciendum continuationem in illis verbis, ne singula verba ibi possent quasi disiuncta statim proferri. *Ad* 2.

Ad tertium, concedo, quòd ly *meum* oportet, quòd ex virtute sermonis denotetur referri ad personam Christi: hoc autem non est, nisi fiat priùs mentio de Christo, in cuius persona proferuntur hæc verba: sicut si dicerem, Christus dixit, *Mea doctrina non est mea*, de * veritate istius propositionis significaretur, quòd ly *mea*, refertur ad Christum: non autem sic, si quis non præmissâ locutione de Christo, statim diceret, mea doctrina, &c. Ad duo argumenta contra formam consecrationis sanguinis, patet in corpore quæstionis. *Ad* 3. **al. virtute.*

## COMMENTARIVS.

41 *Litera continet* 13. *conclusiones.*

A*Liter ergo potest dici*, &c. Hîc deinceps, iuxta varios modos opinandi Doctorum, subiicit tredecim conclusiones, quas probat suis fundamentis: deinceps explicat, & applicat ad propositum, vsque ad §. *Propter hoc dico*, &c. vbi explicat conclusionem Theologicè, quâ formâ est instrumentum conficiendi Sacramentum. Textus est clarus: quia autem sine prolixitate non potest discurri ad singulas conclusiones, & sine confusione per intertexta segmina nequiret continuari discursus, ideò pro commoditate lectoris reducenda erit quæstio ad suum scopum principalem, qui est de veritate tam speculatiua, siue Logica, quàm de veritate practica formæ, & ordine vtriusque inter se inuicem. Multa in illis conclusionibus differit Doctor ex opinione aliorum magis, quàm propria.

42 *Duo puncta difficultatis.*

Duo autem potissimùm occurrunt circa veritatem speculatiuam: primum est pro quo supponunt, *hoc* & *hic*, pronomina demonstratiua: secundum est, pro quo instanti copulat verbum, & verificatur de rigore sermonis: tertium addam, vnde rigor sermonis sit petendus.

*Prima sententia pronomen supponere pro materia.*

Prima sententia, quoad primum, est pronomen *hoc* supponere pro pane, quem habet præ manibus Sacerdos, vt sensus sit: significatum per ly *hoc* esse corpus Christi: hæc tribuitur Alens. 4. *part. q.* 10. *m.* 4. sed intendit Alensis sensum conuersiuum, id est, designando panem conuertendum in corpus Christi, quem sensum refert in intentionem Sacerdotis, à quo opus Sacramentorum dependet. Eandem sententiam refert S. Bonauentura *in* 4. *dist.* 8. *part.* 1. *art.* 1. *quæst.* 1. quam putat cæteris, quas allegat, magis probabilem; sed dicit ly *est*, non sumi in sensu identico, sed conuersiuo, nempe transire panem in corpus Christi.

Alensis.

S. Bonauen.

Secunda sententia docet aliquid commune corpori, & pani designari per ly *hoc*, per modum indiuidui vagi, de quo enuntiatur corpus Christi. Altissiodorensis probabilem putat *lib.* 4. *sum. tract.* 5. *cap.* 2. non longè à fine: sequitur Ægidius *theorem.* 42. Paludanus *in* 4. *dist.* 8. *quæst.* 3. *art.* 1. Capreolus *eadem dist. quæstione vnica, art.* 3. *ad* 1. *Scoti, contra quintam conclusionem.* Sotus *dist.* 11. *quæst.* 1. *art.* 5. Viguerius *de institut. Theologicis, c.* 19. Victoria *in summa*, *num.* 75. Ledesma *q.* 19. *art.* 5. Bellarminus *lib.* 1. *de Eucharistia, cap.* 11. & alij. *Secunda sententia supponere pro individuo vago.* Altissiodor. Ægidius. Paludanus. Capreolus. Sotus. Viguerius. Victoria. Ledesma. Bellarm.

Tertia sententia est designare species sensibiles; tribuitur D. Thomæ, & eam tenet Richardus *art.* 13. Quarta sententia est designare corpus Christi, vt in se est: hanc indicat Ocham *quodlibeto* 2. *quæst. vltima*, sequitur Maior *dist.* 8. *quæst. vnica.* Denique ex iis, qui designari corpus, seu id quod in fine prolationis est sub speciebus asserunt, alij dicunt pronomen sumi adiectiuè, alij substantiuè: primum docet Vasquez *disp.* 201. *cap.* 4. Noster Doctor asserit ly (*hoc*) denotare individuum entis, quod contrahitur ad corpus Christi, & sumi substantiuè: ita *concluf.* 8. & 9. *Tertia sent. designare species.* D. Thom. Richard. Ocham. Maior. *Pronomen adiectiuè sumi.* *Quarta sententia Doctoris.*

*Prima conclusio* ly (*hoc*, & *hic*) denotant aliquid, quod est sub speciebus in fine prolationis; ita, vt demonstratio referatur ad terminum, qui subest in fine prolationis. Hæc communis est, licèt varient Doctores in modis interpretandi ipsam. Probatur: quia demonstratio refertur ad sensum, non solùm ad intellectum; quia designat 43 *Prima cõclusio designari contentum.*

id

id quod ſenſui obiicitur: ergo aliquid non commune, & indifferens; ſed determinatum ſenſibile. Deinde ſubiectum refertur ad prædicatum; ergo determinatè ad ipſum ſupponit: vt quando dico, homo eſt albus, non ſupponit ſubiectum niſi determinatè pro habente albedinem: in propoſito *corpus meum* eſt prædicatum, ergo ſubiectum determinatè reſpectu eius debet ſumi; non autem indifferenter reſpectu ipſius, & aliorum. Duplex ergo determinatio in propoſito habetur; alia ex ſignificatione demonſtrationis, qua ſemper aliquid determinatum reſpicit; alia ex limitatione, quam habet reſpectiuè ad prædicatum.

*Duplex determinatio forma.*

Trident. Confirmatur ex Trid. ſeſſ. 13. cap. 2. *Quoniam autem Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum, quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit*, &c. & ſic etiam Patres, qui ex vi demonſtrationis, & ſermonis colligunt præſentiam corporis Chriſti, intendunt. Oportet ergo ly *hoc*, ſupponere reſpectiuè ad corpus Chriſti determinatè, non pro aliquo communi, vt dicit ſecunda ſententia: ex quo ſequitur etiam non deſignare ſpecies, in recto ſaltem, quia ſpecies nequeunt recipere prædicationem corporis Chriſti de ipſis in recto, prout hîc prædicatur: in obliquo autem connotat ſpecies, quia non denotat corpus Chriſti abſolutè, ſed vt contentum ſub ſpeciebus, qui eſt ſenſus Patrum, & Tridentini, probantium ex vi verborum realem præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus. Ex hoc etiam reiicitur ſententia Ocham & Maioris, quia corpus Chriſti, vt in ſe eſt abſolutè, non cadit ſub ſenſum Sacerdotis mediantibus ſpeciebus.

*Non deſignat ſpecies in recto.*

44 *Secunda concluſio.* *Deſignare indiuiduum entis, & ſubſtantiuè ſumi pro nomen.* *Secunda concluſio.* ly *hoc* denotat indiuiduum determinatum entis, & ſubſtantiuè ſumitur; ita Doctor *conc.* 10. Et ad primum argumentum. Probatur prima pars, ſupponendo gradus ſuperiores deſcendere in propria ſingularia, vt experientiâ conſtat, videnti aliquid de longè ſub ratione determinari entis, ſine eo, quòd diſcernat ſpeciem eius; deinde ſub ratione corporis animalis, & ſic de reliquis: ly *hoc* autem non denotat aliquam ſpeciem particularem entis, aliàs nequiret demonſtrare totum genus entis: eius ergo ſignificatum eſt denotare indiuiduum aliquod indeterminatum entis, vel quamcunque rem ſub determinato conceptu entis.

Caietan. Vaſquez. Contra hoc obiicit Caietanus, quòd tunc pronomen non magis deſignaret Chriſtum, quàm ſpecies: vrget Vaſquez quaſi ad hominem; quia Scotus aſſerit ens eſſe prædicatum vniuocum reſpectu ſubſtantiæ, & accidentis, id ſequi. Sed hæc friuola ſunt, quia licet ly *hoc*, non determinet corpus Chriſti ſub formali conceptu corporis, determinat tamen ſub formali conceptu entis determinati, non communis; neque ſub diſiunctione huius, aut illius, ſed ſimpliciter determinatè; vt rectè Doctor *concluſ.* 8. Vnde quando dico: hic currit, non ſupponit pro quocunque indiuiduo entis, ſed pro illo determinato, cui competit prædicatum: per ly ergo *hoc* in dicta propoſitione denotatur corpus Chriſti ſub determinato conceptu entis; & ſic propoſitio non eſt identica, qualis hæc, *Corpus meum eſt corpus meum*; ſed formalis, quia ſubiectum aliter importat prædicatum, aliter ly *corpus*. Quòd autem ſubſtantiuè ſumatur ly *hoc*, & non adiectiuè, patet: quia propoſitio eſt de tertio adiacente: ergo ſubiectum eius in ſenſu logico debet ſumi ſubſtantiuè; quia prædicatum habet rationem adiacentis, & formæ; ſicut quando dicitur, *Petrus eſt corpus*; ly *corpus* adiectiuè ſumitur in rigore logico, licèt apud Grammaticos ſit ſubſtantiuum: ergo neceſſariò ſubiectum, ad quod refertur, debet ſumi ſubſtantiuè, alioquin non terminaret dependentiam eius, vt eſt forma logica. Deinde adiectiuum ſumptum abſolutè, ſeu per ſe poſitũ, neutraliter ſumitur ſubſtantiuè: ſed ly *hoc* ſic ſumitur in illa propoſitione, quia ponitur ex parte ſubiecti ſine vlla determinatione adiecta, & per modum ſubiecti: ergo, &c. Dices in forma calicis ponitur pronomen maſculinum: vt, *Hic eſt calix ſanguinis mei.* ergo adiectiuè ſumitur; & conſequenter ſimiliter ly *hoc* in forma corporis ſumi poteſt adiectiuè.

*Sumi pronomen ſubſtantiuè.*

*Obiectio difficilis.*

Reſpondet Ianſenius cap. 131. Concordiæ in illa: *Hic eſt ſanguis meus*, rectè poſſe verti formam conſecrationis ſanguinis, per pronomen neutrum: *Hoc eſt ſanguis meus*: tum quia in Græco eſt neutrius generis τοῦτο, tum quia Cyprianus in epiſtola ad Cæcilium, ita legit: *Bibite ex hoc omnes, hoc eſt enim ſanguis meus*, &c. Cæterùm meliùs dicitur in ſenſu grammaticali ſumi adiectiuè, quia τοῦτο refertur ad ποτήριον, quod ſonat Latinè calicem, ac proinde cum illa particula ex hoc referatur ad calicem, quòd in Græco neutrum eſt, ſic rectè effertur in genere neutro: ſimiliter αἷμα, quod Latinè ſanguis dicitur, eſt generis neutri apud Græcos, nec mirum eſt, quòd demonſtratiua particula ſimiliter ponatur in neutro propter concordiam: rectè ergo Latinus interpres ſeruauit eandem in ſua verſione, iuxta proprietatem linguæ Latinæ. 45 *Reſponſio Ianſenij.*

Ad argumentum reſpondetur, ly *hic* in rigore logico ſumi ſubſtantiuè, quia maſculinus etiam articulus, ſeu quodcunque nomen maſculinum abſolutè prolatum importat ſuum ſubſtantiuum, vt patet in diuinis, & docet Doctor in 1. diſt. 12. quæſt. 1. §. *Iuxta quæſtionem iſtam.* Id autem maximè verum eſt in hac propoſitione, in qua articulus maſculinus ponitur vt ſubiectum, quod ſemper ſubſtantiuè ſumi debet, reſpectiuè ad prædicatum, quod habet rationem formæ apud Logicos, & adiacentis. Vide Symbolum Athanaſij, vbi maſculinum numeratur ſubſtantiuè ſumptum, *non tres immenſi*, &c. 46 *Soluitur obiectio.* *Pronomen hic ſumi ſubſtantiuè.*

*Secundum*, quod circa ſignificationem formæ differendum occurrit, eſt, pro quo inſtanti copula vniat extrema ad inuicem: nam ſecundùm Philoſophum 1. *Perihermenias, cap. 3. in fine, eſſe* ſignificat compoſitionem, quæ nequit eſſe ſine compoſitis. Aduertendum itaque, aliud eſſe inſtans prolationis, aliud verò inſtans, pro quo vnit extrema verbum, vt in hac propoſitione: anima fuit creata, anima erit creata, vbi prolatio eſt ſecundùm tempus præſens, vnio autem extremorum pro præterito, aut futuro, non pro præſenti: veritas autem propoſitionis dependet ab vnione extremorum pro inſtanti, pro quo vniuntur, non pro quo proferuntur: tota ergo difficultas eſt, vtrùm propoſitio de præſenti pro inſtanti prolationis copulæ intelligatur vnire extrema? ſi vnit pro inſtanti quo profertur, an verò pro inſtanti completæ prolationis. 47 *Secunda pars de ſuppoſitione copulæ.* *Duplex inſtans verbi.*

Circa reſolutionem huius, Doctor poſuit tredecim concluſiones, quas apud ipſum in textu videre licet, in quibus principalis reſolutio eſt, quòd verbum, quando extrema vnit pro præſenti inſtanti, debet intelligi, pro inſtanti completæ prolationis, vel certè, quòd ex rigore ſermonis ſic intelligi poſſit, vel ex intentione proferentis, quando *Reſolutio Doctoris in corpore.*

quando significat tempus intelligi debere pro aliqua parte illius temporis, vel completæ prolationis, vel antea fieri vnionem. Vasquez, Soto, & Caietanus carpunt Doctorem, quod dubitauerit, an de rigore sermonis verbum significans instans debeat referri ad instans completæ prolationis (quia id certum esse volunt ipsi) an verò ad instans prolationis ipsius verbi.

Vasquez. Soto. Caietan.

*Eorum sententia.*

48 Cæterùm nihil adducunt, quo id impugnent solidè, neque rationibus dubitandi respondent quas exprimit Doctor: imò & Caietanus de significatione speculatiua docet id verum esse, non autem in practicis. In primis Doctor non reprobat illam sententiam, sed sequitur, nam infrà postquam asseruit alteram secundùm aliquos, nempe ex intentione proferentis, non autem ex vi sermonis vnionem referri posse ad vltimum instans prolationis completæ: subdit infrà, *Si saluatur*, inquit, *vno, vel altero modo quòd ista propositio sit vera, id est, secundum octauam conclusionem, & cæteras, à quibus non discordo*, &c.

*Sententia vera Doctoris explicatur.*

*Octaua conclusio eius declaratur.*

Octaua autem conclusio est, *Quòd pronomen* hoc *demonstrabit pro vltimo instanti completæ orationis*, &c. non demonstraret, nisi verbum pro illo instanti copularet extrema, quorum alterum est pronomen demonstratiuum *hoc*, vel *hic*. Vasquez dicit Scotum peculiarem sententiam excogitasse: sed hoc patet falsum: nam iuxta duas sententias, quarum vna dicit verba formæ significare quidquid significant independenter ab intentione proferentis: & hæc est D. Thomæ: nam hac ratione impugnat sententiam Alensis in priori parte quæstionis expressam, quia nempe sermoni intentio proferentis accommodatur, non econtrà, quasi dicat verba formæ habere ab institutione significare, non autem ab intentione proferentis. Ex altera parte, vt præmissum est, Alensis docet verba formæ recipere determinationem à proferentis intentione, cui subiiciuntur: supposito ergo vtroque hoc modo dicendi aliorum, docet Doctor, quomodo propositio illa pro vltimo instanti completæ prolationis copulet extrema, pro quo in re primum copulata sunt, quia tunc primum fit præsens corpus Christi.

*Duæ sententia de instanti verbi & modo supponendi.*

49 Addit Vasquez propositionem illam iuxta primariam vocum significationem falsam esse secundùm Doctorem: sed certè neque Doctor id dicit, neque sequitur ex illa sententia, quæ asseret ex intentione proferentis posse propositionem, eiúsque copulam referri ad instans completæ prolationis: nam hæc sententia diceret orationem in significando recipere determinationem à proferente, & consequenter in consignificando, quod frequentissimum est apud modernos proloquium, etiam quoad formas ambiguas Sacramentorum, quæ in diuerso sensu verificari possint: vnde in eo casu nata essent eum sensum facere de rigore sermonis, quatenus subest sermo intentioni proferentis eiúsque determinationi, quam daret ipsa intentionis determinatio: propositio ergo illa, quæ indifferens esset, vt significaret pro aliquo præsenti, extrema vnita esse, determinatur per proferentem, vt significet determinatum præsens completæ prolationis: ergo non esset falsa pro aliis instantibus, quia pro aliis non haberet completam, aut determinatam significationem, quod requiritur vt insit ipsi veritas, aut falsitas determinatè. Diceret præterea voces significare primò conceptus, & modum sequi concipiendi res, & secundariò significare res ipsas ad extrà: ac proinde determinari significationem vocum ad conceptum, & modum concipiendi: ideóque verbum ex modo significandi, quo subordinatur conceptui, per quem regulatur intentio proferentis, supponeret pro instanti determinato vnionis, quod concipitur, & pro quo intenditur vnio extremorum fieri, & non pro alio. Vnde si per consequentiam rei loquitur Vasquez, malè discurrit, neque rationes, quibus ipse, aut alij vtuntur, necessariò concludunt; quia, inquiunt, sermo est accommodatus audienti: communiter autem intelligitur propositio affirmari pro vltimo instanti completæ prolationis: hæc, inquam, ratio nihil concludit, quia non probant, an illa communis acceptio sermonis fundetur in sola eius institutione, an etiam, vt subiacet intentioni proferentis, vel an institutio sit talis, vt primò respiciat rem sine ordine ad intentionem.

*Obiectio Vasquez refellitur.*

50 Quoniam ergo magis placet rigorem sermonis ab institutione desumi, non ab intentione proferentis, alia via quærendum est, quomodo illa propositio de rigore sermonis sit vera, vt vim habeant argumenta contra hæreticos facta ex Conciliis, quæ id asserunt: nam moderni magis supponunt ex illo vulgari, quia nempe communi acceptione sic accipitur propositio pro vltimo instanti completæ prolationis verificari, quam probant. Suppono itaque primò sermonem accommodatum esse rei significatæ, non econtrà: habet enim rationem signi, quòd debet, vt sit verum referri ad suum signatum prout est, aut concipitur esse, iuxta varios modos opinandi de significatione vocum: hinc verbum significat cum tempore, quia significat formam in *fieri* per ordinem ad mensuram extrinsecam in reipsa, nomen significat sine tempore eandem formam, quia significat eam per modum habitus, sine ordine ad mensuram extrinsecam. Idem patet vlteriùs, quia propositio de verbo præsenti significat aliquando cum tempore, id est, copulat extrema pro tempore, aliquando verò pro instanti, aliquando verò sine ordine ad tempus, aut instans. Exemplum primi, *Petrus est currens*: exemplum secundi, *Petrus est albus*: exemplum tertij, *Petrus est animal*.

*Rigor sermonis ex institutione est.*

*Institutio sequitur naturam rei.*

*Modus significandi verbi.*

*Verbum copulat iuxta naturam extremorum.*

Hæc diuersitas non oritur ex vario modo significandi, aut copulandi verbi, sed quia copulat iuxta naturam, & exigentiam extremorum, quorum alia sunt in tempore, alia verò in instanti, alia ab æterno vnita independenter à tempore, & instanti.

Addo præterea quòd dictiones in propositione aliter significent, quàm extra orationem, nam extra orationem significant absolutè sine limitatione, quæ prouenit ex adiecto: in oratione autem, vt determinant se inuicem, & componunt integram orationem: vnde in propositione debent referi ad illud, ad quod copula, quæ forma est, refertur, & prout exigit natura rei subtratæ.

*Diuersa intra orationem significatio, & extra.*

Ex his ergo resolutiuè dico illam differentiam determinatam temporis significari per copulam, quam exigit natura rei: exemplum est de præterito & futuro, verbi gratiâ, *Petrus fuit mortuus*: *Antichristus erit*. hæ propositiones sunt veræ, non quatenus referuntur ad quodcunque instans temporis præteriti, verbi gratiâ ad illa, quæ præcesserunt Petri mortem, quia esset propositio falsa; aut illa instantia, quæ in futuro consequeretur esse Antichristi, ex eadem ratione, sed quatenus dicit ordinem determinatum ad illud instans, in quo

51 *Resolutio.*

habuit

habuit illa de præterito, habebit illa de futuro ſuum *ineſſe*; quia propoſitiones de præterito, & futuro ſunt veræ, quatenus referuntur ad aliquod præſens de *ineſſe*, in quo extrema vniuntur: ex qua ratione ſequitur, quòd illæ propoſitiones de rigore ſermonis ad illud inſtans, ſeu tempus referantur, & pro illo verificentur tantùm.

*Menſura rei ſignificatur per copulam.*

Eodem modo dico, quòd, cùm oratio, ſeu propoſitio de præſenti ſucceſſiuè proferatur in tempore, in quo plurima ſunt inſtantia, quando vnit pro inſtanti, poteſt vnire pro quolibet inſtanti, & ſic intelligi de rigore ſermonis, ſi id natura rei exigat: vnde ex eodem rigore, ad illud determinatum inſtans vnit, & refertur copula, quod extrema exigunt, inquantùm vnita ſunt: quòd autem omnia illa inſtãtia, quæ currũt durante prolatione, ſpectant ad tẽpus præſens orationis, patet, alioquin nunquam propoſitio potuiſſet vnire pro inſtanti, quia eius prolatio ſemper eſt in tempore, tanquam in duratione: ſufficit ergo vt extrema ſint vnita, vel pro toto tempore prolationis, vel pro aliqua eius parte, vel inſtanti, ſiue ſit prolationis completæ, ſiue non, vt poſſit ſignificari per verba de præſenti vnio.

52 *Propoſitio practica ad vltimum inſtãs prolationis refertur.*

Ad propoſitum ergo, propoſitio practica, & factiua ſui termini exigit, vt compleatur tota prolatio, antequam terminus ponatur, qui ponitur in inſtanti completæ prolationis, tanquam effectus orationis, & ſequitur ex natura rei veritatem propoſitionis affirmantis, & demonſtrantis eius præſentiam debere referri ad vltimum inſtans completæ prolationis, pro quo tantùm nata ſunt vniri extrema: & hinc patet veritas illius propoſitionis ex rigore verborum, non quia ita homines communiter tantùm intelligunt, ſed quia ita vigor ſermonis accõmodatus naturæ rei exigit intelligi: ſæpè enim impropria locutio habet apud homines ſignificare ex communi vſu, & interpretatione, figuratè tamen, & non propriè, vt prata rident: ego bibo, ego taceo; non quia de rigore ſermonis id ſignificant, quod communiter intelligitur, ſed quia id intendere proferentem communiter intelligitur, quod per verba tamen non ſignificatur de rigore ſermonis: ſit ergo

53 *Tertia concluſio.*

*Tertia concluſio*, verbum *eſt* copulat extrema propoſitionis vltimo inſtanti completæ prolationis, ad quod inſtans refertur etiam demonſtratio; prima pars patet ex dictis, quia hæc propoſitio eſt practica, & factiua ſui ſignificati: ergo non priùs ſignificatum eſt, quàm compleatur ipſa propoſitio in *eſſe* per prolationem. Si autem loquamur de ſignificatione ſpeculatiua, probatur ſimiliter, quia hæc refertur ad extrema pro inſtanti vnionis ipſorum, ſed hæc contingit tantùm pro inſtanti completæ orationis: ergo pro tunc tantùm verificatur. Patet etiam concluſio quoad ſecundam partem, quia pronomen demonſtratiuum non demonſtrat corpus Chriſti præſens niſi mediante copulâ, & prædicato limitante, quia *talia ſunt ſubiecta, qualia permittũtur à prædicatis*: hæc omnia referuntur advltimum inſtans completæ prolationis: ergo pro tunc demonſtrat, quia id exigit natura rei ſubiectæ, & veritas propoſitionis.

*Quarta concluſio*, hæc propoſitio, non inquantùm vera, vel falſa, cauſat effectum, ſed inquantùm ſignificatiua, & neutra in veritate, & falſitate. 54

Hæc eſt contra Caietanum 3. *part. quæſt.* 78. *art.* 5. & Sotum *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. *art.* 5. vbi oppoſitum putant eſſe D. Thomæ. Eam tenet Doctor loco citato, poſt decimamtertiam concluſionem, verſu, *Propter hoc dico*, &c. quem ſequitur Vaſquez *diſp.* 202. *cap.* 2. *Veritas practica formæ.*

Præfati authores diuerſo modo explicant ſuam ſententiam; nam Caietanus diſtinguit veritatem practicam, & ſpeculatiuam, aſſerens illam priorem eſſe conuerſione, & aliud non eſſe, quàm ipſam efficaciam formæ, ſpeculatiuam verò poſterius ſe habere. Soto contra vtramque priorem eſſe contendit, & formam omnino cauſare, inquantùm vera eſt. Probatur concluſio, priùs eſt facta conuerſio, & corpus Chriſti præſens, quàm ſit verum eſſe præſens: ergo omnis propoſitio affirmans eſſe præſens ante conuerſionem, eſt falſa: ab eo enim, quo res eſt, vel non eſt, oratio dicitur vera, vel falſa: neque diſtinctio Caietani conducit, quia veritas practica in tantum à ſpeculatiua diſtinguitur, quòd ſignum practicum ſit factiuum ſui ſignificati; veritas tamen eius conſiſtit in connexione cum ſuo ſignificato præſenti: vnde ſignum, quod dicitur dubium, aut æquiuocum, tale dicitur, quia non ſemper habet præſens ſuum ſignificatum: ſignum verò certum, & infallibile ex coniunctione infallibile, & certa ad ſuum ſignificatum. *Eſt prior ſpeculatiua.* *Diſtinctio vtriuſque.* *Signum æquiuocum.*

Minùs vera eſt opinio Soti, quia, vt ſuprà aſſeruimus, veritas ſpeculatiua illius propoſitionis fundatur in efficacia formæ; vnde prolata forma à non Sacerdote ſuper materia, eſſet falſa ſpeculatiuè & practicè: ergo forma non ſupponitur vera ſpeculatiuè, niſi inquantùm ſignificat practicè, cauſando ſuum effectum. Ex his patet ſecunda pars concluſionis, nempe formam, quà ſignificatiua eſt practicè, cauſare effectum, & conuerſionem panis in corpus Chriſti: de quo infrà latiùs *diſt.* 11. 55

Obiicies formæ Sacramentorum efficiunt inquantùm veræ: ergo & hæc. Reſpondetur, formas Sacramentorum efficere, inquantùm ſignificant, id eſt, continent virtute ſuum effectum: vt colligitur ex Tridentino *ſeſſ.* 7. variis canonibus: veritas eorum fundatur in hac ſignificatione practica, ſeu efficacia ipſa formæ: negatur ergo antecedens; vnde Patres quando colligunt præſentiam Chriſti ex veritate formæ, & vi verborum, colligunt à poſteriori, non à priori, vt ibidem explicabitur.

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm Sacramentum Euchariſtiæ poſſit recipi à non ieiunis?*

Alenſ. 4. *p. q.* 52. *m.* 1. Richard. *hic art.* 2. *q.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 80. *a.* 8. Suar. *ibi d.* 68. *ſ.* 3. 4. 5. 6. Palud. *hic q.* 2. Sylu. *v.* Euchariſtia. 1. §. 8.

TERTIO

TERTIÒ quæritur [a], vtrùm hoc Sacramentũ possit recipi à non iciunis? Videtur quòd sic, quia Christus post cœnam discipulis suis pransis dedit Eucharistiam. Item, primæ Corinth. 11. *Si quis esurit, domi manducet*, vbi videtur Apostolus innuere, quòd antequam conuenirent ad Ecclesiam, deberent famem extinguere in domibus suis, ne ibi immoderatè de speciebus illis sumerent. Vnde redarguit eos ibidem, dicens: *Vnus quidem esurit, alter autem ebrius est.* 1 *Argum. Magist. D. 1. Cor. 11.*

Contrà, *de consecrat. dist. 2. liquidò*, & sumitur ab Augustino ad inquisitiones Ianuarij: *Placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti priùs in os Christiani dominicum corpus intraret, quàm alij cibi: ideò mos ille vbique seruatur.* *Ratio opp.*

Respondeo [b], aliquis potest percipere hoc Sacramentum, & non sacramentaliter, nec spiritualiter: aliquis Sacramentum sacramentaliter, sed non spiritualiter: aliquis & Sacramentum, & sacramentaliter, & spiritualiter: aliquis tantùm spiritualiter, & non sacramentaliter. Primo modo recipit quicumque recipit hostiam consecratam, quia ibi est verè Sacramentum: & tamen non recipit eam, vt consecratam, sed omnino non discernens eam à communi cibo. Talis secundùm Apostolum, 1. Cor. 11. *Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*, id est, non discernens à communibus cibis, & hoc potest esse, vel ex infidelitate, sicut paganus, si daretur sibi communio: vel ex contemptu, stante etiam fide, sicut in malo Christiano. 2 *Eucharistia quadrupliciter sumitur.* *Diiudicare quid importet.*

Secundo modo recipit ille, qui non tantùm recipit Sacramentum: sed recipit illud vt Sacramentum, credens ibi esse corpus Christi, & se recipere communionẽ corporis Christi, sicut in Ecclesia consueuit fieri talis communio, sed si est in peccato mortali non contritus, non recipit spiritualiter: quia non recipit effectum spiritualem, ad quem ordinatur huius susceptio, qui est animæ nutritio spiritualis per gratiam datam à Christo.

Sed tertio [c] modo recipit bonus fidelis sine peccato mortali, secundùm possibilitatem suam, & quia diligenter conscientiam examinauit: & talis verè nutritur, & Christo cibo spirituali vnitur, & incorporatur, secundùm August. *Crede, & manducabis me: non me conuertens in te, sed tu conuerteris in me.* Hoc enim interest inter cibum corporalem, & spiritualem, quia cibus corporalis conuertitur in nutriendum: sed in nutritione spirituali cibatus conuertitur in cibum.

Quarto modo recipitur spiritualiter, non sacramentaliter, scilicet quando bonus homo est secundùm posse suum benè, & deuotè paratus: tamen propter reuerentiam abstinet, vel propter aliquam infirmitatem, vel fortè, quia non potest habere ministrum, cui conuenit illud Augustini de consecr. dist. 3. *vt quid paras dentem, & ventrem? Crede, & manducasti*: & talis spiritualiter nutritur.

## COMMENTARIVS.

a *TERTIÒ quæritur*, &c. In hac quæstione & sequenti distinctione agitur de sumptione, & vsu Sacramenti iuxta ordinem Magistri, qui pauca in hac materia tradidit: alij autem Summistæ fusiùs agunt, qui plura *ex dist. 2. de consecr.* huc transtulerunt; atque ex Patribus, vt moderni & controuertistæ; idque commodo lectorum, & necessitate temporum, tum defensioni fidei, tum institutioni seruientes; quæ supplere conabimur, quoniam in specie ea non tradit Doctor, sed supponit ex anterioribus, & Canonibus Ecclesiæ.

1 *Quatuor modi sumendi Sacramẽtum.*

b *Respondeo, aliquis potest percipere hoc Sacramentum*, &c. Hi quatuor modi sumendi Sacramentum, traduntur communiter à Doctoribus, in hac, & sequenti distinctione cum Magistro. Primus differt à secundo, quòd in illo modo sumptionis non sit vsus huius Sacramenti ex fide, aut religione vera, aut simulata: secundus supponit fidem Sacramenti, licèt vsus sit sacrilegus ex praua dispositione sumentis: possunt ad vnum, & eundem modum sumendi reduci, quia secundo modo sumens non diiudicat verè corpus Domini, neque seipsum probat.

Omnes autem quatuor modi ad duos principales reducuntur, nempe, ad sumptionem Sacramẽti realem, & spiritualem. Veritas autem huius doctrinæ, & varietas modi sumptionis colligitur ex Paulo 1. ad Corinth. 11. Patet etiam ex Hilario Hilar. 8. *de Trinitate.* Augustino variis in locis, quæ referuntur de consecrat. dist. 4. cap. *Quid est*: cap. *Qui manducat*: cap. *Qui discordat*. Trident. *sess.* 13. *c.* 8. & *sess.* 22. Circa autem manducationem spiritualem, aliqui dixerunt Sacramentũ hoc modo sumptum habere effectum aliquem maiorem, quàm sit ille, qui correspondet merito operantis. Sed hoc non habet fundamentum: quia quidquid ibi conceditur, est ex merito operantis; quo modo intelligenda sunt verba Tridentini suprà dicentis: *Illos, qui voto cœlestem panem edunt, fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius, & vtilitatem sentire*, &c. Sic etiam intelligendum illud Augustini: *Crede, & manducasti*: quia tales incorporantur Christo, qui est effectus huius Sacramenti: non tamen recipiunt illum effectum per ipsum Sacramentum ex opere operato; sed ex opere operantis, per fidem viuam & charitatem, quæ sunt incorporationis causæ & meritoriæ. Augustin. Trident. *Manducare spiritualiter Sacramẽtum.*

Ex præmissa doctrina sequitur, quinam sint capaces huius Sacramenti, loquendo de sumptione eius, quà Sacramentum est, id est, res sacra, spectans ad vsum Religionis, respectiuè enim ad statum personæ discernitur sumptio Sacramenti. 2 *Capaces Sacramenti.*

Primò, Catechumeni etiam iusti, non sunt capaces huius Sacramenti: est contra Marsil. *in 4. q. 6. art. 2.* qui dicit capaces esse in casu necessitatis recipere sacramentaliter, & spiritualiter; & videtur 3 *Prima cõclusio. Catechumeni nõ sunt capaces.*

Innoc. *cap. Veniens, de Baptiſmo:* vbi Euchariſtiam ſumi poſſe ait à non baptizatis. Patet concluſio ex communi Theologorum aſſerẽtium baptiſma eſſe ianuam Sacramentorum: oportet ergo primùm hominem fieri per baptiſmum membrum Chriſti, & Eccleſiæ per regenerationem, antequam ſit capax Sacramentorum Eccleſiæ. Innocentius poteſt intelligi illo capite, de manducatione merè materiali; ſicut dicit homines non baptizatos eſſe capaces matrimonij, quod intelligi debet materialiter, in ratione contractus, non autem vt Sacramentum eſt: vel vt alij intelligunt: non procedit definiendo, ſed diſſerendo.

4 *Secunda concluſio. Baptizati capaces.*

Secundò, peccatores baptizati ſunt capaces huius Sacramenti, quoad ſumptionem ſacramentalem; iuſti autem baptizati quoad ſacramentalem, & ſpiritualem ſumptionem. Hæc concluſio patet ex dictis: vtraque pars eius ex Patribus colligitur, & Doctoribus in illud Pauli 1. *ad Cor.* 11. vbi reprobantur accedentes ſine ſui probatione, & diſpoſitione neceſſaria. Quoad primam patet, quia adultus baptizatus habet characterem, per quem fit capax Sacramentorum; ſubeſt etiam præcepto Eccleſiaſtico huius Sacramenti: quamuis non recipiat fructum eius ex obice, quem tollere tenetur.

5 *Tertia concluſio.* Aleníſ. Paludan. Maior. Gabriel. Caietan.

Tertiò, infantes baptizati ſunt capaces Euchariſtiæ quoad fructum; eſt contra Alenſem 4. *p. q.* 11. *m.* 2. *art.* 3. *ad* 2. Palud. *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 4. *art.* 2. Maior. *in* 4. *ibidem q.* 1. Soto *diſt.* 12. *q.* 1. *art.* 9. probabilem cenſet Gabriel *diſt.* 9. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Caietan. 3. *part. q.* 80. *art.* 12. Concluſio tamen poſita magis fundatur in praxi primitiuæ Eccleſiæ, quæ Euchariſtiam paruulis miniſtrabat; cuius miniſterij non videtur alius fuiſſe finis, aut ratio, quàm propter fructũ ſpiritualem, ab ipſis perceptum. Eam tenent Ledeſma 4. *p. q.* 21. *art.* 9. *dub.* 3. Ruardus *ſuper art.* 15. Corduba *lib.* 1. *q.* 8. Alanus *lib.* 2. *de Euchariſtia, cap.* 37. Vaſquez *diſp.* 212. Suarez *diſp.* 76. *ſect.* 4. Conſuetudo autẽ primitiuæ Eccleſiæ communicandi paruulos, colligitur ex Patribus; ita Dionyſ. *c. vltimo, de Eccleſiaſtica hierarchia*; quamuis aliqui ambiguum putent illud teſtimonium. Cyprianus apud Auguſtinum *epiſt.* 23. Gregorius Magnus in Miſſali, quod Romæ oſtenditur, vbi dicit, poſt baptiſmũ lactandos à matre paruulos, ſi opus fuerit, antequam Euchariſtia ipſis miniſtretur. Concilium Toletan. XI. *can.* 11. & vt cætera omittam loca Auguſtini, & aliorum. Eandem conſuetudinem inſinuat Trident. *ſeſſ.* 21. *c.* 4. Quòd aliqui dicant hunc ritum non ad fructum Sacramenti in paruulis obſeruatum fuiſſe, non ſubſiſtit, quia alius finis aſſignari nequit. Aliqui dicunt ob præceptum; *Niſi quis manducauerit ex hoc pane*, &c. factum eſſe: ſed obſtat Trident. aſſerens nulla neceſſitate ſalutis factum fuiſſe in paruulis. Ratione patet cõcluſio, quia non requiritur aliud ad fructum Sacramenti, quàm ſtatus gratiæ, qui inuenitur in paruulis; in adultis autem præterea fides, quia ſui compotes ſunt: ergo in paruulis Sacramentum habebit effectũ poſt baptiſmum. Cæterùm iam non licet paruulis miniſtrare Euchariſtiam in Eccleſia Latina, quamuis adhuc in Eccleſia Orientali vigeat talis cõſuetudo, quia id in Latina ob reuerentiam Sacramenti ordinatum eſt, ob quam etiam vſus calicis prohibetur Laicis; paruulis autem dabatur ſub vtraque ſpecie; quia alioquin non poſſint ſumere, aut deglutire, ſub ſpecie panis tantùm; vel, vt alij dicũt, dabatur in ſpecie ſanguinis tantùm, vt etiam nunc moris eſt apud Græcos in recenter natis, & baptizatis.

Ledeſma. Ruardus. Corduba. Alanus. Vaſquez. Dionyſ. Cyprian. Gregor. Toletan. Trident. *Paruulis quomodo dabatur Sacramẽtum.*

Quartò, phreneticis, & amentibus, qui ab infantia ſunt tales, nõ eſt danda Euchariſtia, etiamſi vomitus non timeretur, aut aliqua irreuerentia: hoc docet D. Thom. 3. *p. q.* 8. *art.* 9. Paludanus *in* 4. *diſt.* 9. *quæſt.* 4. *art.* 2. & alij. Quam probat Ledeſma, quia nequeunt habere deuotionem, aut probare ſeipſos. Hæc ratio nihil probat, quia neque in ipſis exigitur probatio, cùm reputentur vt infantes, in quibus nequit eſſe probatio per propriam voluntatem, neque neceſſitas eius, quia nullum habent peccatum. Ratio ergo concluſionis eſt: quia vſus Eccleſiæ ſic fert, non ſecus de his iudicantis, quàm de infantibus.

6 *Quarta concluſio. Negatur phreneticis ab infantia.*

Quintò, iis, qui poſt vſum rationis inciderunt in amentiam, ſi antè petierũt Sacramentum, conferri debet: ita D. Thomas, & alij ſuprà; licèt repugnet Alenſis 4. *p. q.* 11. *m.* 2. *art.* 3. Gabriel *in* 4. *diſt.* 9. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 4. Patet concluſio *ex Canone* 74. Concilij Carthaginenſ. IV. & refertur 26. quæſt. 6. can. *Iis qui infirmitate:* vbi loquitur de eo, qui in infirmitate pœnitentiam poſtulauit, & antequam Sacerdos veniret, in amentiam incidit: dicit autem huic dandam eſſe pœnitentiã, & Euchariſtiam ori eius infundendam. Alius eſt Concilij Arauſicani I. *can.* 13. qui docet amentibus dandam in eo caſu, cùm pœnitentiam, aut baptiſmum ſubire vellent, & ſubitò obmuteſcũt: habentur eadem *cauſa* 26. *quæſt.* 6. Idem ſupponit Concilium Toletan. XI. *can.* 11. aſſerens non puniendos eos, qui Euchariſtiam in mentis alienatione eiecerunt. Contra hos Canones non eſt aliquis alius nouus, qui Euchariſtiam prohibeat dari eiuſmodi: vnde Sotus *art.* 9. Sylueſter verbo *Euchariſtia* 3. *q.* 5. Paludanus, & Vaſquez *diſp.* 212. Aſſerunt in articulo his miniſtrari poſſe, modò non ſubſit ſuſpicio aliqua peccati mortalis, aut periculum irreuerentiæ; non tamen quotannis, quia videtur aliqua irreuerentia, ſi tam frequenter ipſis miniſtraretur.

7 *Quinta concluſio. Aliter dicendum de alijs, qui perierunt in vſu rationis.* Carthagin. Concil. IV. Arauſican. I. Toletan. XI. Sylueſt. Paludanus. Vaſquez.

De energumenis fuit controuerſia, ex diuerſa praxi Eccleſiarum; quia Dionyſ. *de Eccleſiaſtica hierarchia*, docet præceptum fuiſſe, dicta oratione, ante conſecrationem, eiiciendos eſſe Catechumenos, & publicam pœnitentiam agentes, ac ſimul cum ipſis energumenos: ex quibus colligitur non ſolitum fuiſſe eos communicare. Cyprianus *lib.* 3. *epiſt.* 14. quæ nunc eſt ordine 10. Innocentius I. *epiſt.* 29. *ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, cap.* 2. & refertur *de conſecr. diſt.* 1. Iſidorus *epiſt. ad Ludifridum Epiſcopum Cordubenſem*, habetur can. *Perlectis*, 25. *diſt.* Hieronymus in cap. 18. Ezechielis in illud: *Panem ſuum eſurienti dederit.* Econtrà, Caſſianus *collat.* 7. *c.* 30. abſolutè docet energumenis dandam eſſe Euchariſtiam; quinimò aſſerit ſe nuſquam à Patribus audiuiſſe Euchariſtiam his negandam. Germanus tamen Conſtantinopolitanus *cap.* 29. aſſerit in ſuis prouinciis nuſpiam dari, ſiue purgationis cauſa ſint arreptitij, id eſt, ob delicta purganda; vel vtilitatis gratiã, id eſt, ad maius meritum ipſorum: de quibus agit etiam Caſſianus *cap.* 28. Proſper etiam *lib.* 4. *de promiſſionibus, & prædictionibus*, cui titulus eſt: *Dimidium temporis, c.* 6. mẽtionem facit cuiuſdam iuuenculæ Arabæ, quæ ob delictum poſſeſſa fuit; tamen recepta communione fuit liberata: ingreſſa enim balneum, cùm ancillæ Dei habitum geſtaret, ſimulacrum Veneris impudicæ, & ſeipſam reſpexit: &, vt ait Proſper, *ei ſe conſimilans, domicilium ſe diabolo præbuit.* Extat etiam can. 1. Arauſicani, in quo dicitur: *Energumeni iam baptizati ſi de purgatione ſua curent, & ſe ſollicitudini clericorum tradant, monitiſque*

8 *Negant energumenis dandam.* Dionyſ. Cyprian. Innocent. I. Iſidorus. Hieron. Caſſianus affirmat. Germanus Conſtantinopolitan. Proſper. *Supponit vſum.* Arauſican.

*Dandam hù communionē.*

*nitiſque obtemperent, omnimodò communicent Sacramenti ipſius virtute, vel muniendi ab incurſu dæmonum, quo infeſtantur, vel purgandi, quorum iam oſtenditur vita purgatior*, &c. Et hic videtur vſus Eccleſiæ; vt patet ex rituali Romano, & aliis, in quibus exorciſmi traduntur, & commendantur frequens confeſſio, & communio. Scholaſtici diſtinguunt inter eos, qui ob delicta poſſidentur à dæmone, & eos, qui ad maiorē purgationem, ſeu ob meritum ab iiſdem Dei permiſſione torquentur. Alenſis 4.*p.q.*11.*m.*2.*art.*3. D.Thom.*in* 4.*diſt.* 9.*quæſt.vnica art.*3.*quæſtiunc.*5.*ad* 2. Armilla verbo *Communio.* Sylueſter verbo *Euchariſtia* docent, iis, qui frequenter in blaſphemias, & eiuſmodi peccata incidunt, non eſſe dandam communionem. Cæterùm D. Thomas 3.*p.quæſt.*80.*art.*2. mutauit ſententiam, quam ſequitur Sotus *in* 4.*diſt.*12.*q.*1. *art.*9. Vaſquez *diſp.*212.*cap.*4. Concilium Elibertinum in articulo mortis dandam eſſe communionem iiſdem docet. In hoc autem non eſt lex alicuius Concilij generalis, neque decretum Pontificis; ideò ſequenda eſt praxis Eccleſiarum in particulari, & iudicium prudentis paſtoris: quia communio multùm detrahit viribus hoſtis, & facit ad purgationē peccatorum; ideò ſequendi ſunt rituales libri, & eorum præſcriptum.

Rituale Romanum.

*Varia ſententia Scholaſticorum.*

Alenſis. D. Thom. Armilla. Sylueſter.

*Sequēda praxis Eccleſiarum.*

D. Thom. Sotus. Vaſquez. Elibertin.

9 c *Sed tertio modo recipit bonus fidelis ſine peccato*, &c. Omiſſo primo modo ſumptionis, qui non facit ad propoſitū, cùm in tali neque eſt vita per fidem, Religionem, aut charitatem, neque eſt ſumptio Sacramenti, quà tale eſt, niſi valde materialiter, & per modum cibi profani in re, & æſtimatione; differendum eſt in ſpecie de tribus reliquis; de ſecunda autem in ordine agitur diſtinctione ſequenti: hìc autem de reliquis. In litera citata agit Doctor breuiter de Sacramēti effectu, qui eſt gratiæ; dicit eſſe nutritionem ſpiritualem, vnionem, & incorporationē in Chriſtum, & conuerſionem noſtri in ipſum, non econtrà, quia ex Auguſtino in ſpirituali nutritione cibatus conuertitur in Chriſtum; in quo diſtinguitur à nutrimento corporali quod conuertitur in nutritum. Hos autem effectus diffusè tractant moderni Scholaſtici, quibus adiungunt in ſpecie alios, qui tamen ad præmiſſos reducuntur in genere. Pro ſatisfactione lectoris ſubiungam breuiter aliquot concluſiones, in quibus hi effectus magis declarabūtur.

*Sumptionis digne Sacramēti effectus.*

10 *Prima concluſio:* in hoc Sacramento cauſatur augmentum gratiæ habitualis, eſt contra antiquos hæreticos Maſſilianos, qui negant Sacramenta dare effectum gratiæ; etiam eſt contra modernos, qui effectum gratiæ referunt ad ſolam fidei excitationem. Hanc concluſionem ſupponunt omnes Scholaſtici tanquam de fide, quamuis Vaſquez contēdat multos non agere in ſpecie de augmento gratiæ habitualis, ſed de gratia actuali, quæ confertur vt robur contra lapſum, de quo in ſpecie Alenſis 4.*p.q.*41.*m.*1. in antiqua impreſſione; in noua verò *q.*10.*memb.*8.*art.*2. D.Bonauent.*in* 4. *diſt.*12.2.*p.art.*1.*q.*2. Sed hi Doctores non excludunt gratiam habitualem communem huic, & aliis; ſed explicant in ſpecie id, quod confertur in ordine ad nutriēdam charitatem, quamuis etiam augmentum gratiæ habitualis, vt cōfertur in hoc Sacramento, nomine auxilij venire poteſt, quia ex eodem fine confertur. Concluſionem tenet Magiſter *in* 4.*diſt.*8. & 9. noſter Doctor in litera, & reliqui Sententiarij ſuper Magiſtro. Richardus *diſt.*12.*art.*5. Sotus *d.*11.*q.*2.*art.*1. D.Thom.3.*part. q.*79.*art.*8. Vaſquez *diſp.*203.*cap.*1. Suarez *diſp.*66.

*Effectus gratia habituali.*

Alenſis. D. Bonau.

*Concluſio cōmunis.* Doctor. Magiſter. Richardus. Sotus. D.Thom. Vaſquez. Suarez.

*ſect.*1. Bellarm.*lib.*4.*de Euchariſtia,c.*27. Ruar.*art.* 15. Hoſius *in Confeſſione, cap.*39. & 40. Claudius Sanctez *in rep.*6.*cap.*12.& alij. Colligitur ex Lateranenſi *de Summa Trinitate, & fide Catholica: cap. Cùm Martha.* Epiſtola Concilij Alexandrini approbata in Epheſino I. *Ad myſticam benedictionem accedimus, & ſanctificamur participes facti pretioſi corporis, & ſanguinis Domini*, &c. Sed clariùs Florentinū in decreto vnionis de hoc Sacramento: *Huius*, inquit, *Sacramenti effectus, quem in anima operatur digne ſumentis, eſt adunatio hominis ad Chriſtum; & quia per gratiam homo Chriſto incorporatur, & membris eius vnitur, conſequens eſt, quòd per hoc Sacramentum in ſumentibus dignè, gratia augeatur*, &c. quod nequit intelligi tantùm de auxilio, ſed de forma inhærente, & vniente Chriſto.

Bellarm. Lateranen. *Eſt de fide.* Conc. Alex. Corinth. Epheſ. 1. Florent.

Tridentinum *ſeſſ.*13.*cap.*2. tres effectus enumerat; nutrire animam, præſeruare à mortalibus, eſſe remedium contra venialia: *Sumi*, inquam, *voluit Sacramentum hoc, tanquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vitâ illius, qui dixit, Qui manducat me, & ipſe viuet propter me; & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur*, &c. Hæc duo vltima conueniunt ipſi, inquantùm dat auxilium: primum verò inquantùm cauſat gratiam ſanctificantem, quæ eſt vita in Chriſto. 11 Trident.

Confirmatur ratione communi omnibus Sacramentis, quia Sacramenta nouæ legis in hoc diſtinguuntur à Sacramentis veteris legis, quòd cauſant gratiam, quam continent, & dignè accēdentibus eam conferunt, vt Florentinum & Tridentin. ſeſſ.7. de Sacramentis in genere definit, & etiam omnia Sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato: ergo quem ſignificant conferunt animæ de præſenti: ergo & hoc Sacramentum, ſed præſeruationem à mortalibus non confert de præſenti, quia conſiſtit in adiutorio gratiæ actualis, quæ pro tempore, & loco congruè datur, non autem per modum habitus: ergo confert gratiam habitualem, non primam, vt infrà dicetur: ergo augmentum eius.

*Sacramenta cauſant gratiam ex opere operato.*

Deinde idem ex Ioan. 6. patet; *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam*, &c. *in me manet, & ego in eo: ad eū veniemus, & manſionē apud eum faciemus*: habere vitam æternam, manere in Chriſto, & Chriſtum in ſe manentem habere: denotat gratiam ſanctificantem: ergo efficacia Sacramenti per quod hæc conquiruntur, eſt reſpectu gratiæ ſanctificantis. Dices inde ſequi, quòd qui quotidie ſumunt hoc Sacramentum, acquirerent maximum augmentum gratiæ. Reſpondetur id non eſſe abſurdum, quoniam exiſtens etiam in gratia, & exercens ſe in bonis operibus cōtinuò, etiam continuò creſcit in gratia, iuxta illud: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*: ſiue ergo per Sacramentum conferatur hoc augmentum, ſiue per alia media in viatoribus, certum eſt acquiri poſſe, ſi ſunt iuſti; qui tranſeunt de virtute in virtutem, de bono opere in bonum opus. Ioan. 6. *Obiectio.* *Soluitur.*

*Secunda concluſio:* in hoc Sacramento datur ſpiritualis quædam dulcedo, excitando feruorē charitatis: eſt communis: patet, quia hic cibus habet eundem effectum ſpiritualiter in anima, quem cibus corporalis in corpore, ſeruata proportione, vt Florētinum docet; & patet ex inſtitutione eius ad hunc effectum nutriendi: ergo ſapit dulcedine ſpirituali, ſicut corporalis cibus ſenſualem ſaporem infert. Vnde Concilium Viennenſe ſub Clemente V. de reliquiis, & veneratione Sanctorum: 12 *Secunda concluſio. Spiritualis dulcedo eſt effectus.* Conc. Viennenſ.

*In hoc*, inquit, *Sacramento habetur omne delectamentum, & omnis saporis suauitas, ipsáque dulcedo Domini degustatur.* Ambrosius *serm.15.in Psal.118.* dicit hoc Sacramentum *inebriare affectus fidelium, vt curam seculi huius, metum mortis, sollicitudinémque deponant.* Sic etiam passim Patres applicantes huic Sacramento, quæ de manna in Scriptura dicuntur sub figura: vt illud Geneſis 49. *Pinguis est panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Psalm. 79. *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ*, &c.

Ambros.

*Impedimenta huius effectus.*

Hic effectus, vt suprà diximus, impediri potest ex negligentia circa custodiam cordis, & diuagationes veniales, & complacentiam sensualem. Ratio est, quia peccata hæc venialia, motus inordinati, & affectio ad sensum, & terrena, obstant feruori charitatis; dignum enim est, vt dulcedinem spiritualem non sapiant, qui negligentes, aut imparati, & minùs solliciti eam quærunt, & magis afficiuntur ad sensum: *Terrenus enim homo non sapit ea, quæ Dei sunt*: ideò, vt quis acquirat dulcedinem Spiritus, necesse est vt se subtrahat à sensu, & terrenis affectibus etiam venialibus.

13 *Tertia conclusio.* *Præseruat à mortali.*

*Tertia conclusio:* hoc Sacramentum præseruat à mortalibus in eo sensu, quatenus confert auxilia ad peccata vitanda, & tentationes superandas: patet ex Trident. *sess.13.cap.2.* vbi vocat ipsum antidotum contra mortifera peccata: patet Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quem locum, etsi intelligatur communiter de obligatione comminatoria præcepti, tamen Cyprianus in expositione orationis Dominicæ ad hunc effectum accommodat, vt quis diu abstinens à communione, periculum incurrat, ne separetur à corpore Domini: & *epistola 54.* ait, non esse idoneum ad martyrium, qui ab Ecclesia non armatur ad prælium, *quia mens deficit, quam recepta Eucharistia non corrigit, & accendit.* Videatur Chrysostomus *homil. 51. in Matthæum 45. in Ioannem 24. in 1. ad Corinth. 11.* Cyrillus *lib.3.in Ioan.c.37.* Hæc auxilia gratiæ excitantis dantur tempore opportuno, quamuis non semper, & infallibiliter tribuatur perseuerantia: plurimùm tamen conducit, & confert media, cum quibus haberi potest, si homo iis vtatur.

Cyprian. Chrysost. Cyrillus.

14 *Quarta conclusio.* *Remittit venialia.* Trident. Colonien. Ambros.

*Quarta conclusio:* hoc Sacramentum delet venialia peccata: ita communiter Theologi cum Magistro *in 4. dist.12.* Concilium Trident. *suprà*: Colonienſe de hoc Sacramento. Innocentius *lib. 4. de hoc mysterio, cap.44.* Patres, Ambrosius *lib. de Sacram. c.6.* & alij, quos videre licet *de consecr. dist. 2. cap. Vtrum sua figura*: cap. *Quid sit sanguis.* Bernardus *sermone de Cœna Domini*: & alij, quos *infrà d.9.* citabimus circa efficaciam huius Sacramenti, ad remissionem mortalium: nam iisdem in locis agunt de hoc effectu. Ratio est, quia hoc Sacramentum institutum est ad nutriendam charitatem, & vitam spiritualem: habet ergo hunc effectum ex opere etiam operato: ad quem alia dispositio non exigitur, quàm digna eius sumptio, sine actuali affectu peccati venialis. Quoad pœnæ temporalis remissionem, non conuenit specialiter huic Sacramento, quà Sacramentum est; quamuis eidem conueniat, quà sacrificium, quod offertur pro viuis, & defunctis in remissionem peccatorum, quia neque Concilia hunc effectum tribuunt, neque ex fine Sacramenti colligitur, quia talis pœna, seu debitum eius non opponitur charitati, aut eius feruori.

*Remissio pœnæ temporalis.*

15 *Quinta conclusio:* per hoc Sacramentum dantur auxilia specialia ad extinguendum fomitem, & moderandum appetitum, vt facilius homo disponatur ad opus bonum: ita ferè omnes Theologi, & Patres; sic D. Thomas *q.79.art.1.* Gabriel *lect. 83.in can.* Soto *dist.11.q.2.art.5.* Cyrillus lib.3. in Ioan.c.37. lib.4.c.17. *Sedat, cùm in nobis manet Christus, sauientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationem animæ extinguit.* Gregorius Nyssenus oratione Catechistica, c.37. *Salutare*, inquit, *medicamentum prauas nostri corporis affectiones corrigens.* Bernardus sermone de Cœna Domini: *Hoc Sacramentũ minuit sensum in minimis*, &c. Sic etiam alij Patres. De modo, quo id fiat, dissernunt variè Doctores; sed incertum est, quia potest Deus, conferendo voluntati auxilium aliquod speciale, vt resistat appetitui, id efficere, vel certè per manutenentiam temperando ardorem concupiscentiæ, remouendo etiam, quæ fortiùs alliciunt, & excitant fomitem; quid autem fiat, incertum est: quamuis gratia, & auxilium in eum finem conferatur: & congruum est, quia sicut hoc Sacramentum datum est ad finem perseuerantiæ; ita etiam talia auxilia sunt ei connaturalia, eiúsque institutioni.

*Remissio fomitis.* D. Thom. Gabriel. Sotus. Cyrill. Alex. Greg. Nyss. Bernard.

*Modus remissionis multiplex.*

16 *Promissa resurrectio.* Ioan. 6.

*Sexta conclusio.* Resurrectio ad gloriam carnis titulo speciali debetur etiam huic Sacramento, & illud dignè sumenti: patet Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die*, &c. Concilium Nicenum appellat *Symbolum immortalitatis.* Ignatius epist. 14. ad Ephesios, *Pharmacum immortalitatis.* Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 16. *Cibum nutrientem ad immortalitatem, & vitam æternam.* Chrysostomus lib. 6. de Sacerdotio: Gregorius Nyssenus *suprà* corpus nostrum dicit non consequi immortalitatem, nisi huic corpori immortali Christi fuerit coniunctum, & alij Patres.

Conc. Nic. Ignatius. Cyrill. Alex. Chrysost. Greg. Nyss.

Neque refert quòd vita æterna, & resurrectio carnis aliis titulis debeantur, quia idem variis titulis acquiri potest, vt resurrectionem suam Christus & meruit, & debebatur ipsi ex gloria animæ. Non improbabiliter etiam aliqui dicunt dignè communicantibus in cœlo correspondere aliquam gloriam, & gaudium accidentale, quod aliis non conuenit. Reiiciendi illi vt hæretici, qui olim senserunt semel communicantem infallibiliter consecuturum vitam æternam; quod rectè damnat Augustinus *de Ciuitate Dei, lib. 21. cap. 25.* quia hoc Sacramentum non confirmat in gratia, non aufert possibilitatem peccandi; neque confert infallibiliter pœnitentiam finalem peccatori. Promissio ergo vitæ æternæ facta huic Sacramento intelligenda est, sicut & quæ facta est cæteris mediis, scilicet cum conditione manendi in Christo per gratiam, aut si peccetur, pœnitentiæ finalis.

*Error reiicitur.* Augustin.

17 *Controuersia de vnione corporali.*

*Vltimus effectus*, qui tribuitur huic Sacramento est, vnio quædam nostræ carnis cum Christo, de qua satis diffusè agunt moderni: controuersia autem circa hunc orta est inter Cardinalem Mendosam, & Complutenses, potissimùm Petrum Martinez Cathedraticum primarium Complutensem: ille affirmabat; hic autem negabat, illi fauêt plerique Patres. Chrysost. *hom. 88. in Matth. 45. in Ioan. 55. ad populum*: & 60. & 61. Cyrill. Alexandrinus *lib.4.in Ioan.c.17. & lib.10.c.13. lib.11. cap.26.* Irenæus *lib.5. aduersus hæreses, cap.2.* & *lib.4. cap.34.* vbi eius Scholiastes noster Feuardentius, Nyssenus *oratione Catechistica, c.37.* Damasc. *lib.4. cap.14.* Leo Papa *epist.23.* habetur *de consecrat. dist.2.*

Chrysost. Cyrillus. Irenæus. Nyssenus. Damasc.

Augustin. Leo Papa. Hilar.

*dist. 2. cap. In quibus :* & Augustinus ibidem cap. *Humana.* Hilarius *lib. 8. de Trinitate* ; & habetur cap. *In Christo, eadem dist. 2.* Qui omnes docent carnem nostram vniri in hoc Sacramento cum Christo, ipsi incorporari, & contemperari, quæ sonant vnionem specialem. Hos secuti sunt plures alij, vt Algerus *lib. de Sacram. cap. 3.* Guitmundus *lib. 3. de veritate Eucharistiæ.* Valdensis *tom. 2. de Sacram. cap. 24. 59. & 95.* Turrecremata cap. *In Christo*, citans Albertum : Roffensis *lib. 4. contra Oecolampadium.* Toletus *Ioan. 6. ann. 29.* Bellarminus *lib. 1. de Eucharistia, cap. 11. & lib. 2. cap. 12.* Alanus de hoc Sacramento *cap. 8. & 28.* Ianfenius *in Concordia Euangelica, cap. 59.* latè Vasquez *disp. 204. cap. 5. & sequentibus.* Suarez *disput. 64. sect. 3.* asserens esse disputationem de nomine. Tota difficultas est explicare, in quo consistit talis vnio, & quid sit. Aliqui dicunt communicari sumentibus dignè, quasdam qualitates physicas, quibus disponitur caro ad immortalitatem : sed hoc imaginarium est, neque cum fundamento aliquo sustinetur. Neque ergo hæc vnio talis est, neque sicut materiæ ad formam, neque sicut accidentis ad subiectum, neque sicut duorum continuatorum ad inuicem, neque sicut aquæ ad aquam commixtæ; quamuis Cyrillus *supra* simili exemplo vtitur ad eam declarandam, nempe ceræ liquefactæ, & alteri commixtæ : neque vnius rei conuersæ in aliam, sicut nutrimenti in nutriti substantiam : Vasquez dicit esse vnionem, quæ efficitur per consummationem amoris ; & explicat exemplo matrimonij, quod ex mutuo amore fit per copulam consummatum : & eam manere postquam species transeunt in stomacho per corruptionem sui. Cæterùm hoc obscurum est, neque videtur quomodo hæc vnio dici possit physica, & naturalis. De hac vnione etiã neque Scholastici antiqui, qui exactè disseruerunt de effectibus huius Sacramenti, quidpiam de hoc, inquam, genere vnionis physicæ locuti sunt : neque necessarium est ita verba Patrum in rigore interpretari, vt distinctum aliquid à participatione reali Sacramẽti per sumptionem eius per modum nutrimenti, & speciali effectu nutritionis effingatur. Nam illi loquuntur sub metaphora nutritionis ad nutritum, quatenus conuertimur in Christum, vt simus membra eius, & caro de carne eius : vnde 1. ad Corinth. 10. *Quoniam vnus panis vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus :* ad Ephes. 5. *Membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius.* Vt ergo breuiter expediam, tria considerantur ; primum est Communio realis, & digna Sacramẽti ; secundum est effectus huius Sacramenti spiritualis, quo nutrimur, & dicimur incorporari Christo ; tertium est nutritio ipsa nostra ex speciebus consecratis, modo *suprà* expresso, non per conuersionẽ Sacramenti in nos realiter ; sed quatenus intuitu Sacramenti, & vt fides eius saluetur, verè efficitur in nobis id, quod per Sacramentum effici natum esset in casu, quo conuertibile esset in substantiã nostram. Primum requiritur, quia communicantes in fide tantùm, & non reipsà, non acquirunt hanc vnionem. Secundum requiritur, quia peccatores sumẽtes realiter Sacramentum, non acquirunt illam vnionem : tertium requiritur vt saluentur quædam Patrum locutiones, qui dicunt Christum se immiscuisse nobis, vt essemus os ex ossibus eius, caro de carne eius ; quod ratione communionis realis dignè, & ratione nutrimenti corporalis secundùm quandam æquialentiam dici potest. Præter hæc non video aliud, quod hîc admitti possit : primum consistit in vsu Sacramenti ad secundum, & tertium, quæ sunt permanentia post desitionem specierum.

Algerus. Guitmund. Valdens. Turrecrem. Roffensis. Tolet. Bellarmin. Ianfenius. Vasquez. Suarez.

*Vnio in quo consistit ?*

*Declaratur vnio præmissa.*

## *Quæres primò : Quando Sacramentum confert augmentum gratiæ ?*

18

IN hoc quæsito multi finguntur modi dicendi, & omnes penè versantur circa naturam sumptionis, quando completur, aut fit. Prima sententia est Caietani asserentis dari effectum, seu augmentum gratiæ, de quo hîc agitur, quamdiu species sunt in stomacho : sed hoc dependet ab alia eiusdem opinione ; nempe, hoc Sacramẽtum conferre effectum suum dependenter ab actuali deuotione, quæ quamdiu durat, confertur gratia, & intenditur. Maior *in 4. dist. 9. q. 1.* asserit, vel Sacramentum conferre gratiam successiuè, quamdiu est eius sumptio, vel in eo instanti, quo homo sit magis dispositus ad recipiendum effectum eius.

*Dari augmẽtum gratiæ. Prima sentẽtia.* Caietan. *Quãdiu manent species sumptæ.*

Tertia sententia est dari aliquod indiuisibile ex parte subiecti inter os, & guttur, quod inferiorem partem oris, & superiorẽ gutturis terminat ; tunc autem cibum sumi, quando per hunc terminum traiicitur ; & cõsequenter in proposito, quando hostia attigit illum terminum, vel transit in toto, vel in parte, datur effectus. Alij dicunt in instanti discreto temporis dari gratiam, quod instans durat aliquo tempore, eo modo quo substantia Angeli, etsi duret per tempus, quia tamen est tota simul sine sui mutatione ; ideò indiuisibiliter, & per instans discretum temporis durat, sed his omissis, & aliis, sit

*Secunda sententia. In ipsa sumptione, vel instanti. Tertia sentẽtia. In termino sumptionis. Quarta sententia. In instanti discreto.*

19

*Prima conclusio :* tunc confertur, quando est instans completæ mãducationis, non priùs : hæc autem manducatio completa censetur, quando traiectus est cibus in stomachum, locum idoneum digestioni. Probatur, quia Sacramentum institutum est per modum nutrimenti : ergo tunc habet effectum, quando tractum est in stomacho, & completur sumptio, & distinguitur non manducans à manducante ; éstque quies ab ipso motu manducationis, seu traiectionis hostiæ, id est, pertingit vltimum terminum, qui est indiuisibilis : manducatio enim consistit in successiuo, éstque motus localis ; quando autem producitur vltimum indiuisibile terminatiuum motus, tum vniuersaliter cessat motus.

*Dari in instãti completa sumptionis. Terminus sumptionis.*

Dices, Christus est sub singulis partibus hostiæ : ergo quando prima pars eius attingit stomachum, causatur gratia, quia applicatur causa efficax gratiæ subiecto capaci : ergo habet effectum. Multi faciunt vim in hac ratione, ex qua fingunt tot modos dicendi ; mihi tamen videtur futilis. Respondetur ergo, quòd sicut in prima parte huius motus, non causatur gratia ; sic etiam neque in vlla parte, donec cõpleatur, quia quamdiu est motus in ordine ad nutritionis locum non causat intrinsecè aliquid spectans ad ipsam nutritionem, ne quidem inchoatiuè : vnde cum hostia, vt est sub hoc motu, mouetur tota, & secundùm omnes partes, quia est continua ; & quando quiescit, etiam tota simul quiescit : quando prima pars hostiæ attingit stomachum, non quiescit hostia, sed adhuc est sub motu ; ac proinde non est cõpleta manducatio : quando ergo primùm quiescit intrinsecè tunc habet effectum ; negatur itaque

*Obiectio. Responsio. In motu nihil causat.*

antecedens cum ſua probatione,quia nõ applicatur cauſa,donec compleatur motus,& mãducatio.

20 *Secunda concluſio.*

*Secunda concluſio:* cauſatur effectus huius Sacramenti in inſtanti; patet ex priori, quia tunc completur manducatio, promiſſio autem gratiæ fit manducanti; ille autem cenſetur manducaſſe, qui eſt ſub termino motus,qui in inſtanti extrinſeco terminatur per vltimum indiuiſibile;vt ſupponitur ex modo deſitionis ſucceſſiuorum: ergo pro eo inſtanti cauſatur effectus Sacramẽti:deinde reliqua Sacramenta cauſant in inſtanti ſuos effectus: ergo & hoc. Patet conſequentia, quia nulla eſt ratio ſucceſſionis, neque ex parte agentis, neque ex parte paſſi,quia agens principale eſt Deus, cui nulla eſt reſiſtentia proportionata,paſſum eſt vltimatè diſpoſitum, quia dignè acceſſit: ergo in inſtanti recipit effectum, quem natum eſt Sacramentum cauſare ex inſtitutione.

*Cauſat in inſtanti.*

21 *Effectus eius determinatus.*

*Tertia concluſio:* poſt illud inſtans completæ manducationis non datur aliqua gratia ampliùs ſumenti, niſi varietur eius diſpoſitio:eſt communis; patet,quia cauſa efficax applicata in inſtanti producit effectum totum, niſi ſit reſiſtentia, aut defectus virium, quia nulla eſt alia ratio ſucceſſionis: effectus autem huius Sacramenti eſt determinatus ex inſtitutione, quem confert omnibus, cæteris paribus, ſicut & cætera Sacramenta: nulla autem obiicitur reſiſtentia, vt probatum eſt: ergo in inſtanti fit.

22 *Augetur creſcente diſpoſitione.* Victoria. Ledeſma. Doctor.

*Quarta concluſio*, hoc Sacramentum meliùs diſpoſito confert maiorem gratiam,& hoc etiam ex inſtitutione diuina,& opere operato; non ſolùm ex opere operantis,vt docet Victoria *in ſumma,verbo Euchariſtia.* Ledeſma 4.*part.*4.*q.*22.*art.*2. Eſt communis Theologorum; Doctoris *in* 4.*diſt.* 4.*quæſt.*7. vbi de Baptiſmo ait,adultum ſecundùm meſuram ſuæ diſpoſitionis recipere gratiam maiorem, quæ non confertur paruulo. Eadem autem ratio in propoſito eſt D. Thomæ 3.*p. q.* 69. *art.*8. Alenſis 4.*part. quæſt.*21.*m.*3. Richardi *in* 4. *diſt.*4. *art.* 3.*quæſt.*3. D. Bonauenturæ *quæſtione vltima*, & aliorum. Fauer Trident. *ſeſſ.*6. *cap.*7. vbi dicit nos iuſtificari, *iuſtitiam in nobis recipientes vnuſquiſque ſuam, ſecundùm menſuram, quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis prout vult, & ſecundùm propriam vnuſcuiuſque diſpoſitionem, & cooperationem*, &c. Quamuis ergo loquatur de iuſtitia per Baptiſmum data;eadem eſt ratio in ſingulis aliis, potiſſimùm in propoſito, in quo author gratiæ ſumitur.

D. Thom. Alenſis. D. Bonau. Trident.

Damaſc. Eadem eſt doctrina Damaſceni lib. 4. cap. 20. *Quamuis peccatorum remiſſio*, inquit, *omnibus æquè per Baptiſmum detur, Spiritus tamen gratia pro fidei, ac præcedentis purgationis modulo, ac ratione comparatur*, &c. Ratio eſt, quia ita congruum eſt fini Sacramentorum, per quæ applicantur remedia noſtræ ſalutis,vt meliùs diſpoſito conferant maiorem gratiam, & perfectiùs applicarent paſſionem Domini.Congruentia etiam ſpecialis ex fine huius Sacramenti haberi poteſt; nempe quia, vt Florentinum docet,quos effectus in corpore operatur cibus materialis,eoſdem ſecundùm proportionem hoc Sacramentum operatur in anima: ſed nutrimentum corporale in meliùs diſpoſito habet perfectiorem effectum: ergo ita etiam in propoſito meliùs diſpoſitus recipit perfectiorem gratiam.

*Proportio materialis, & ſpiritualis nutrimenti.*

23 Caietan. Gabriel. Maior.

*Quinta concluſio:* non improbabilis,imò eſt ſatis pia ſententia Caietani *q.* 79. *art.*1. quam inſinuaſſe videtur Gabriel *lect.* 83. *in canon.* Maior *in* 4.*diſt.*9.*q.*1 .*argumento.* Paludanus *diſt.*17.*q.*8. & ſecutus eſt Ruardus *art.* 15. Intelligenda eſt concluſio,quando creſcit diſpoſitio,ſeu deuotio eius: ratio eſt,quia ita congruit fini Sacramenti, quod per modum cibi,& potus inſtitutum eſt:ergo habet eoſdẽ effectus, quos cibus materialis in corpore, vt dicit Florentinum. Deinde non videtur Chriſtum otiosè manere eo tempore in ſtomacho: deinde cauſa efficax applicata videtur ſemper agere, quamdiu ſubiectum eſt capax;ſed ſubiectum fit magis capax creſcente ſemper deuotione; ergo & recipit effectum. Deinde ſic agere conuenit Sacramento,quà applicatum eſt,ſeu terminus mandducationis,quia vt patet ex præcedenti,cauſat effectum perfectiorem in meliùs diſpoſito; ſed hunc non cauſat, quando eſt ſub motu, ſed quando quieſcit in ſtomacho: ergo ſi accedat deuotio, cauſabit eundem effectum, quem antè nõ habuit ex defectu eius. Dices excitare hominem ad deuotionem in eo caſu; contrà, hic effectus conuenit ex opere operato:ergo non eſt maior ratio cur conueniat ipſi, quàm alius quicumque. Haec opinionem grauiter reprehendit Sotus *diſt.*11.*quæſt.*2.*art.*1.Ledeſma *quæſt.*20.*art.*1.Victoria *in ſumma,num.*79.

Paludanus. *Creſcẽte diſpoſitione augeri effectum.*

*Contraria ſententia.* Sotus. Ledeſma. Victoria.

Obiiciunt ergo, quòd hoc Sacramentum confert gratiam per modum cibi,& potus, quamdiu ſunt in vſu ſumentis;ſed traiecto Sacramento nihil ſequitur, niſi digeſtio ſpecierum, ad quam ſe habet merè naturaliter,& nõ humano modo.Sed facilis eſt reſponſio, quòd Sacramentum, vt eſt terminus mandducationis, cauſat gratiam, non in ipſa manducatione actuali, quæ in ſola applicatione Sacramenti conſiſtit: quamdiu ergo homo ipſe vitaliter operando circa Sacramentum ſe ampliùs,& ampliùs diſponit,non eſt mirum;imò valde conforme fini Sacramenti, & benignitati Chriſti,vt conferatur ei gratiæ augmẽtum. Confirmari poteſt à ſimili, quia Sacramenta ſumpta in fictione,recedente fictione,dant effectum ſuum ſecundùm multos; ergo & hoc de quo agimus: quia id magis congruum eſt diuinæ bonitati: ergo à fortiori hoc Sacramentum, quamdiu manet applicatum, ſuperueniente diſpoſitione,dabit effectum illum, quem reſpectiuè ad meliùs diſpoſitum habet.

24 *Obiectio.*

*Solutio.*

Obiicit ſecundò ſequi, hominem,qui indignè mandducauit, ſi durante Chriſti præſentia dignè de peccato doluit,iuſtificari.Reſpondetur negando conſequentiam vi Sacramẽti, quia Sacramentum, ad hoc vt remittat peccatum, exigit bonam fidem,quam talis non habet,cùm ſciat ſe indignè ſumpſiſſe Sacramentum:ſi autem diſponatur per pœnitentiam, aut contritionem perfectam, tunc remittitur peccatum in voto pœnitentiæ, & per contritionem,non verò per hoc Sacramentum.

*Secunda obiectio.*

*Reſponſio. Sacramẽtum non tollit fictionem.*

Obiicit,peccare mortaliter hominem non ſolùm indignè accedendo, ſed etiam conferendo Chriſtum in ſe ipſo indignè. Reſpondetur eſſe idem genus peccati:vnde ſi quis ſtatim poſt communionem putans adhuc Sacramentum eſſe in ſtomacho peccaret mortaliter: cõmitteret etiam ſacrilegium in Sacramentum,ſi aduertens faciat, iuxta hanc ſententiam:ſed facilis eſt excuſatio ex inaduertentia, & quia neſcire poteſt quamdiu ſpecies in ſtomacho durant; & quia opinio probabilis tantùm eſt.Cæterùm vſus fidelium,qui in die communionis ſe abſtinent ab illicitis, laudabilis eſt,propter reuerentiam Sacramenti,& ipſa conſcientia in eo caſu peccantem damnat.

Obiiciunt

*Tertia obiectio soluitur.*

Obiiciunt præterea sequi, lucrum esse plures species sumere: quia sic magis durat Sacramentum in stomacho. Respondetur effectum hunc non tribui Sacramento, nisi, vt dispositio ex parte subiecti concurrit, quâ concurrente conceditur iuxta dicenda.

25 *Nihil confert recedente fictione.* Petrus de Soto. Caietan. D. Thom. Durandus. D. Bonauēt. Alensis. Suarez. *Probatio.*

*Sexta conclusio*: hoc Sacramentum non dat effectum, recedente fictione, si iam desiit sumptio, & præsentia Christi in sumente, est contra Petrum de Soto, qui communiter id tenet de omnibus Sacramentis. Caietanus *quæst.* 79. *art.* 5. conclusio est communis D. Thomæ *in* 4. *dist.* 4. *quæst.* 3. *art.* 3. *quæstiuncula* 3. Durandi *quæst.* 4. Maioris *quæst.* 2. D. Bonauenturæ *art.* 2. *quæst.* 3. *dist.* 12. 2. *part. dist. art. primi.* Alensis 4. *part.* 10. *m.* 7. *art.* 3. Suarez *disp.* 64. *sect.* 8. probatur, quia nullum est fundamentum, neque authoritas in oppositum, quia neque fini Sacramenti congruit: & conclusio colligitur ex Paulo 2. ad Corinth. 11. *Iudicium sibi manducat, & bibit non diiudicans corpus Domini*: ergo indignè accedens non acquirit aliquod lucrum peccando. Aliud autem est de Sacramento Baptismi, vt suprà præsupposuimus, quia iterari non potest, & effectus eius necessarius est. Augustinus asserit dari, recedente fictione eius, gratiam, & communiter Theologi: hîc autem non concurrunt ista: quia & Sacramentum est iterabile, & effectus eius est augmentum gratiæ, quæ dignè sumenti tantùm promissa est.

*Gratia dignè sumenti promissa.*

26 *Eandem vna particula, quàm plures confert.*

*Septima conclusio*, si sumantur plures species simul eiusdem rationis, non conferunt per se effectum maiorem, quàm si vnica particula sumatur seorsim: est communis. Ratio est, quia vnica est sumptio, & plures illæ particulæ integrant vnum Sacramentum, & idem habent significatum contentum, & eodem modo continetur. Idem dico, siue sumptio sit vna physicè, siue moraliter, vt quando sunt ita plures, vt seorsim sumi debeant, vel ex casu, vt quando fragmenta, quæ supersunt, sumantur propter reuerentiam, peractâ etiam communione vtriusque speciei à Sacerdote, quia non est alius modus reponendi particulas integras, verbi gratiâ, quæ supersunt communioni aliorum, qui sub Missa communicant, vel certè fragmenta minima, quæ in patena apparent, aut ex corporali colliguntur, seruari nequeant: quia etiam sic pertinent ad vnam sumptionem moralem, quæ ob reuerentiam adhiberi debet, etiam à Sacerdote non ieiuno, vt quando apparent post sumptam lotionem. Dixi *per se*, quia si disponatur magis sumens ad singulas particulas, aut sumptiones interruptas idem dicendum est, quod suprà *conclusione quarta*, quia tunc intenditur effectus Sacramenti, iuxta accrementum dispositionis. Petes in eo casu, quando causatur effectus Sacramenti? dico in prima sumptione causari, cui sumptio reliquiarum accedit per accidens ad integritatem eius, ob reuerentiam Sacramenti, quia non est alius modus illud decenter conseruandi, vel quia fragmenta sint minima, quæ decenter ad communionem aliorum nequeunt conferri.

*Sumptio vna moraliter.*

## *Quæres secundò: Vtrùm per diuersas species panis & vini, conferatur vberior effectus gratiæ, quàm per vnam tantùm?*

27 *Error Bohemorum.*

HÆretici Bohemi contendebant iniustè laicos priuari, in Ecclesia Latina, communione calicis, hoc fundamento, quòd aliqua parte, & effectu Sacramenti priuentur, quia per plures species plus gratiæ conferatur, & vtraque species ad integrum conuiuium spirituale spectat. Primùm ergo decidendum est, an plus gratiæ conferatur per vtramque simul, quàm per vnam solam: quâ in re duplex est inter Scholasticos opinio. Prima est asserens ex vtraque specie maiorem fructum percipi: ita Alensis *in* 4. *part. quæst.* 11. *m.* 2. *art.* 4. §. 3. *ad* 2. Dicuntur etiam plures Patres, qui Tridentino adfuerunt, in eadem opinione fuisse: ac proinde Concilium cùm hanc veritatem definiuerit *sess.* 21. *cap.* 1. vtitur ea moderatione, vt nihil contra hanc sententiam statuerit, asserens communionem sub vna specie ad salutem sufficere: & cap. 3. *Quoad fructum*, inquit, *attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui vnam speciem solam accipiunt*, &c. *necessaria*, inquit, *gratia ad salutem*; non autem simpliciter nulla gratia defraudari, quod esset contradictorium huius sententiæ: ac proinde eam simpliciter tenet Vasquez *disp.* 211. tanquam probabiliorem. Suarez verò *disp.* 63. probabilem, sicut plerique alij, qui in oppositum transeunt.

*Controuersia Scholastica.* *Alensis sententia.* Trident. Vasquez. Suarez.

Secunda sententia est plurium recentiorum, qui putant eandem gratiam, non maiorem haberi per vtramque speciem, vt Bohemis, & aliis occurrant ex opposito. Caietanus 3. *part. quæst.* 8. *art.* 12. Suarez *suprà*. Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 12. Petrus de Soto *in Institutione Sacerdotum, lectione* 10. *de Eucharistia*. Ledesma 1. *part.* 4. *quæst.* 21. *art.* 12. *dub.* 1. Roffensis *art.* 16. *contra Lutherum*. Hossius *in Confessione cap.* 4. & alij passim recentiores, quorum aliqui in eo falluntur, quòd putent definitam esse in præfato loco conclusionem propriam.

*Eandem gratiã per vtrãque speciem dari.* Caietan. Suarez. Petrus de Soto. Ledesma. Roffensis. Hossius.

*Prima conclusio*: probabilis est sententia Alensis, quam etiam sequitur ex professo Gaspar Casalius lib. 2. de Cœna & Calice Dominî. Vasquez citatus. Arboreus *in cap.* 6. *Ioannis*. Ruardus *art.* 15. quamuis eam ita intelligat, vt ex parte vtriusque speciei maior sit efficacia, non percipiatur tamen per secundam maior fructus, nisi quis se magis disponat ad ipsum. Sed hoc non consequenter dicitur, quia ad effectum per se Sacramenti vniformis est dispositio, si ad primam sumptionem non sit talis dispositio requirenda, sed sufficiat fides, intentio percipiendi Sacramenti, & sensus gratiæ: idem dicendum quoad effectum secundæ speciei: si autè astruat ad vtramque requiri aliam dispositionem, *infrà* impugnabitur. Et quidquid dicat, ad sumptionem Sacramenti sufficit vna, qualiscunque debetur, quæ valet ad effectum integrum causatum per vtramque speciem, quæ integrum conuiuium exhibent.

*Diuersam gratiã dari.* Alensis. Casalius. Arboreus. Vasquez. Ruardus.

*Vniformis dispositio sufficit ad vtramque.*

Probatur conclusio, argumento desumpto ex fine Sacramenti, quia hoc Sacramentum non solùm, vt sacrificium institutum est sub vtraque specie, sed etiam vt Sacramentum: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, Ioan. 6. nam ad completum conuiuium requiritur cibus, & potus: ergo quælibet pars huius Sacramenti habet causare gratiam, & suam habet significationem diuersam, & suum refectionis modum. Sacramenta enim efficiunt, quod significant. Respondet Caietanus id verum esse in reliquis omnibus: peculiare tamen in hoc Sacramento, quòd totus effectus causetur per vnam speciem, quia nempe gratia causatur non per species, sed per Christum contentum sub speciebus, qui totus continetur sub singulis: ac proinde vbi eadem est ratio, & virtus agendi, idem sequetur effectus.

28 *Probatio ex fine Sacramenti.*

*Respondet Caietanus.*

Quòd verò ſpecies nihil cauſent ex eo probat, quòd ipſam agens principale vbi eſt præſens, non indiget inſtrumento: tum quia Chriſtus non eſt in hoc Sacramento per vnionem agentis ad inſtrumentum, ſed tanquam contentum ſub continente, tum quia conſideratur hîc alimentum, & nutritio ſpiritualis, non corporalis.

*Impugnatur.* Contrà, hoc Sacramentum cauſat gratiam, (vt ſuprà probauimus) per modum Sacramenti: ergo ſigni ſenſibilis practici. Antecedēs fuſim ſuo loco probatum eſt, ſicut & conſequentia: ſed diuerſa ſunt hîc ſigna in ſpecie, quamuis integrent vnum conuiuium: ergo quodlibet efficaciam ſuam propriam habet, tam in *fieri*, quàm in *facto eſſe*, conſiderando Sacramentum. Deinde quamuis idem ſit ſignificatum vtriuſque ſpeciei, non tamen eodem modo, quia ſpecies panis continet corpus ex vi verborum, cætera per concomitantiam: ſpecies vini, ſanguinem ex vi verborum, continet, reliqua per concomitantiam: ſed hæc differentia in ſignificando infert diuerſitatem in cauſando, ſicut contingit in aliis Sacramentis: quia eadem in ſpecie eſt gratia habitualis quam cauſant, & ſignificant: ſed quia diuerſo modo, & per diuerſa ſigna, & ad diuerſos fines ſignificant, ideò diuerſa eſt in ipſis efficacia, & cauſalitas.

*Diuerſitas ſignandi, & cauſandi.*

*Diuerſitas Sacramentorum ex modo, & fine.*

Deinde quamuis eadem ſit cauſa principalis hîc præſens, nempe Chriſtus, non cauſat effectum niſi vt ſignificatum, per ſignum ſenſibile ex opere operato, vt cætera Sacramenta cauſant, ac proinde ſacramentaliter, & per ſignum ſenſibile vt inſtrumentum.

*Secunda reſponſio. Vna ſignificatio in ſpecibus.* Reſpondent alij non eſſe perfectiorem ſignificationem in duabus, quàm in vna ſpecie ex parte rei ſignificatæ, quamuis ſit perfectior ex parte modi ſignificandi, qui modus non facit ad diuerſitatem effectus, ac proinde non eſſe paritatem in nutrimento corporali & ſpirituali, quia cibus reficit appetitum famis, potus autem appetitum ſitis, quæ diuerſa ſunt in corpore: in anima autem appetitus tales non diſcernuntur ad iuſtitiam, ſed vnus tantùm, quia vna eſt iuſtitia, per quam reficitur: ergo per alterutram ſpeciem ſufficienter expletur talis appetitus.

*Diuerſus modus non variat effectum.* Quòd verò modus diuerſus ſignificandi non faciat ad diuerſitatem in effectu, aut efficaciam Sacramenti, probant, quia aliàs Baptiſmus collatus per trinam immerſionem, in qua eſt maior expreſſio Trinitatis, haberet diuerſum effectum, & maiorem, quàm ſit ille, qui confertur in vna tantùm immerſione: & hoſtia conſecrata, in qua eſſet expreſſa imago Crucifixi, haberet diuerſum effectum ab ea, in qua non eſt talis imago, quia illa magis exprimit Chriſtum: & moneta, in qua perfectiùs cuderetur imago principis, haberet maiorem valorem, quàm moneta, in qua talis imago eſſet obliterata, vel non tam expreſſa, quamuis idem eſſet pondus vtriuſque.

*Impugnatio.* Contrà, ex inſtitutione Sacramenti colligimus ſignificationem eius, & efficaciam: ergo ſi per calicem nihil fieret, ſuperfluus eſſet, & ſuperflua inſtitutio, neque conueniret ipſi definitio Sacramenti nouæ legis. Deinde, quamuis gratia eadem conferatur per vtramque ſpeciem, hoc non tollit, quin vna accedens alteri tribuat maiorem gradum, & intenſionem, quamuis non diuerſum ſpecie, ſicut argumentatum eſt in reliquis Sacramentis vniuerſim, quæ ad renouationem interioris hominis inſtituta ſunt, quamuis eadem ſit in ſpecie phyſica gratia collata: ergo in propoſito per nouam ſpeciem datur dulcedo noua, quæ per ipſam ſignificatur: nam ſicut corpore ſuſtentamur: ita ſanguine inebriamur, quod denotat abūdantiam refectionis, & gratiæ: vnde ſi totus effectus iam per priorem fuiſſet datus, & per calicem non daretur nouus, ſed ſignificaretur datus per ſpeciem corporis, nec ſignificatio calicis eſſet ſacramentalis practica, vt talis ſignificatio conſtituit nouam ſpeciem Sacramenti nouæ legis, vt diſtinguitur ab antiquis, quæ ſignificabant gratiam conferendam, non dabant; nam ſignificare collatam, aut conferendam; non verò eam conferre, perinde eſt ad hanc differentiam, quæ datur per hoc quod eſt efficere, aut non efficere; continere, aut non continere ſuum ſignificatum. Neque propriè diceretur Chriſtus propinare nobis ſuum ſanguinem, aut nos illum bibere ad abundantiam ſpiritualis refectionis, & dulcedinis, niſi ſanguis habeat illam efficaciam. Hinc patet falſum eſſe diuerſum modum ſignificandi non inferre diuerſam efficaciam in his, licèt eadem in ſpecie iuſtitia conferatur.

*Differentia inter noua, & veteris legis Sacramenta.*

Exempla non ſunt ad propoſitum. Primò, quia ſicut Eccleſia non tribuit efficaciam Sacramentis, quæ illam habent ab inſtitutione Chriſti: ſic etiam ritus quicunque ab Eccleſia inſtitutus, quamuis expreſſiorem contineat ſignificationem, ad inſtructionem tantùm facit, vel reuerentiam, & non ad efficaciam Sacramenti: talis eſt trina immerſio, quæ eſt cæremonia, ſine qua perfici poteſt Sacramentum, & quæ in omnibus locis, & caſibus non adhiberur: in propoſito autem diuerſa ſignificatio ſpecierum eſt ab inſtitutione Chriſti, ac proinde arguit diuerſam efficaciam. Ex quo patet minùs facere ad rem alia exempla, quia figura illa hoſtiæ, ne quidem ex Eccleſiæ inſtituto eſt, neque refert ad ritum etiam celebrandi Sacramenti: valor monetæ non in figura, ſed in pondere eſt; ſecundùm quòd fundatur acceptatio, & valor.

*Exempla adducta reiiciuntur.*

30

Ad confirmationem prædictorum facit, quod æquè corpori, & ſanguini adiuncta eſt promiſſio diuina Ioannis 6. & quòd Patres eodem modo de efficacia vtriuſque ad refectionem ſpiritualem loquantur, in iiſque ſeruari dicunt proportionem conuiuij integri, & completi; & ſeorſim inſtitutus eſt calix, & conſecratus panis, vt conſtat ex Euangeliſtis, & Paulo, & diuerſitate formarum, & materiæ. Vnde ſicut Circumciſio, & Baptiſmus, licèt non differebant effectu, quia vtrumque delebat peccatum originale, & conferebant primam gratiam, tamen quia materia, & inſtitutione differebant, diuerſa erant Sacramenta: neque infructuosè Baptiſmus percipiebatur à circumciſis, quia conferebat effectum gratiæ ſibi proportionatum: eo etiam idem currit in propoſito.

*Confirmatio ex promiſſione facta.*

*A ſimili de Baptiſmo, & Circūciſione.*

Scio reſponderi poſſe ad inſtantiam, diſtinguendo hæc Sacramenta, per diuerſum modum cauſandi eundem effectum, quia ex opere operato Baptiſmus, Circumciſio verò non ex opere operato cauſabat effectum. Sed hæc reſponſio non quadrat doctrinæ Auguſtini, vt ſuo loco vidimus, neque ſoluit difficultatem, quia in propoſito ideò aſſeritur, alteram ſpeciem non conferre effectum, quia idem datus eſt per priorem ſumptam: ſed ſic etiam Circumciſio dabat gratiam iuſtificantem, vt communis tenet (quidquid ſit de quorundam opinione reprobata, qui dicebant Circumciſionem tantùm remiſſionem originalis, non collationem gratiæ habuiſſe:) ergo ſicut Baptiſmus ex ſua efficacia dat ſemper effectum ſecluſo obice; non ex alia ratione, niſi quia eſt

*Opinio reprobata.*

ſignum

signum efficax, neque consequenter superfluè sumebatur à circumcisis; sic etiam calix, aliàs esset signum inefficax, & non sacramentale.

31 *Tertia responsio. Esse causas subordinatas eiusdem.*

Dices calicem quidem continere efficaciam, sed respectu eiusdem effectus, qui natus est conferri per alteram speciem, vnde causato illo per speciem panis, amplius nihil efficit calix sumptus; sicut contingit in causis physicis, quando applicatur causa, producto iam effectu, nihil facit, licèt de se habeat efficaciam.

*Impugnatur.*

Contrà, quia in nulla lege instituit Deus plura signa, seu Sacramenta seorsim respectu eiusdem effectus. Hinc Pœnitentia, seu contritio perfecta, quæ in omni statu naturæ valebat, erátque necessaria ad remissionem peccati actualis, in lege tamen noua subordinatur Sacramento Baptismi, & Pœnitentiæ, ita vt sine eorum voto, non habeat illam efficaciam, quam habuit ante institutionem horum Sacramentorum. Non alia ratione, nisi quia, vt superfluitas, quæ contemptum parit, euitetur, & medium alias commune, reuocetur ad particulare legis nouæ institutum Sacramentum, eique subordinetur, ne pluralitas mediorum sine subordinatione contemptum pariat Sacramenti specialis, & minuat solicitudinem propriæ salutis: ergo cùm in hoc Sacramento inueniantur duæ species institutæ seorsim per modum diuersarum causarum, quamuis respectu eiusdem effectus in specie, colligitur quamlibet ex illis habere propriam efficaciam, in sua specie, & ordine, ad augmentum gratiæ, nutriendo animam.

*Excluditur instantia de causis physicis.*

Deinde causæ physicæ totales respectu eiusdem effectus in specie non integrant vnam; duæ autem species faciunt ad integritatem conuiuij spiritualis, sed causæ quando integrant vnam, cuilibet conuenit esse partem in causando, ex ratione propria, & in vtramque resoluitur totum, siue sit totum in *esse* entis, siue in *esse* causæ: ergo in proposito idem contingit; sed hoc conuiuium vnum est in specie, & non simultate concursus respectu eiusdem effectus numero, alioquin nihil causaret vna species seorsim sine altera, quòd est falsum, quia contingit vsus vnius sine altera à laicis, in Ecclesia. Efficiunt ergo vnam causam integram in specie; & consequenter, quælibet habet efficaciam dictam. Explicatur exemplo aliorum Sacramentorum, in quibus plura concurrunt signa instituta respectu eiusdem effectus in numero, & simultate concursus, verbi gratiâ in Baptismo, forma, & materia, quarum neutra seorsim agit, sed vtraque simul coniunctæ: ergo aliter duæ species integrant vnum conuiuium, & causam gratiæ modo dicto, aliter autem materia, & forma Baptismi, quia hæ tanquam partiales sunt eiusdem effectus in numero, illæ partiales in specie, totales autem in numero, alioquin videretur superflua institutio alterius. Ad confirmationem accedit, quòd Clemens VI. ann. 1341. in Bulla ad Regem Angliæ concesserit vsum calicis ipsi pro vberiori lucro gratiæ: in qua Bulla hanc sententiam est secutus.

32 *Obiectio ex Trid.*

Obiicies primò, Tridentinum sess. 21. secundùm aliquos definiisse oppositam sententiam, secundùm alios verò ratio Concilij eandem concludit, cap. 3. *Insuper*, inquit, *declarat, quamuis Redemptor noster, vt antea dictum est, in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera specie totum, atque integrum Christum, verúmque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui speciem solam accipiunt*, &c.

*Responsio.*

Respondetur quoad primum, perperam asseri dictam definitionem esse contra conclusionem, vt patet ex particula illa adiecta *necessaria*, quæ exceptionem continet, & vim exclusionis habet quoad sensum vniuersalem, non enim dicit Concilium *nulla gratia* simpliciter: sed *nulla gratia necessaria* ad salutem: quæ verba sunt restrictiua sensus vniuersalis ad *gratiam necessariam* ad salutem.

*Responsio Vasquez approbatur.*

Quoad alterum motiuum, ex ratione illa Concilij desumptum, respondet benè Vasquez Concilium non colligere ex eo quòd Christus totus continetur sub qualibet specie nulla gratia necessaria ad salutem priuari laicos: quia si in triduo fieret consecratio, species panis non contineret totum Christum, quia neque animam, neque sanguinem, tamen causaret eandem gratiam quamcunque necessariam, quæ ex vi Sacramenti causatur de facto, & in casu verificarentur promissiones Christi apud Ioannem de Sacramento: *Qui manducat meam carnem, viuet in æternum*, &c.

*Explicatur Conc.*

Concilium ergo intendit excludere errorem, in quem incidere possint Bohemi, aut alij, dicendo, quòd sub vna specie non contineretur totus Christus. Et confirmatur hæc doctrina Vasquez *ex sess.* 13. *in fine*, vbi remisit aliquos articulos circa Eucharistiam discutiendos in sequentibus: quorum duo primi sunt: *An necessarium sit ad salutem ex diuino iure præceptum, vt singuli Christi fideles sub vtraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant.* Secundus, *num minus sumat qui sub altera, quàm qui sub vtraque communicat*: qui articulus ex occasione erroris, qui fuit, vel timeri posset; conceptus est: vnde *sess.* 21. *can.* 3. qui conceptus est ex doctrina *cap.* 3. (vt rectè marginator adnotauit.) Idem error insinuatur, & damnatur: *Si quis negauerit totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem & authorem sub vna panis specie sumi, quia vt quidam falsò asserunt, non secundum ipsius Christi institutionem sub vtraque specie sumatur, anathema sit.*

*Confirmatur responsio.*

*Articulus erroneus.*

*Damnatur sess. 21. can. 3.*

In fine autem Concilium reseruat duos articulos definiendos in aliud tempus, videlicet: *An iustis de causis Ecclesia prohibuit vsum calicis laicis, & clericis communicantibus, & non conficientibus? & an talis vsus certis rationibus, & conditionibus alicui regno concedendus sit?* sess. autem 22. eosdem articulos remisit suæ Sanctitati determinandos. Inter has autem conditiones illa procul dubio fuit; *vt* videlicet, *primùm crederent totum Christum sub altera specie contineri, & per alteram dari gratiam ad salutem necessariam.* Ratio ergo Concilij superiùs expressa eò tendit, vt condemnet errorem, non autem vt quidpiam decernat circa fructum Sacramenti, quia reipsa non concludit quidpiam de fructu, vt instantia superiùs expressa ostendit.

*Duo articuli non definiti.*

*Remittuntur ad Pontificē. Conditiones implicitæ.*

33 *Conditiones quibus Bohemis sub vtraque specie permissa communio.*

Obiicies secundò, refert Ioannes Hefellanus *in lege de Communione, tract. 3. fol. 171.* Ioannes Slechia Bohemus scripsit Erasmo se intellexisse à Concilio Basiliensi concessum fuisse Bohemis sub vtraque specie communicare; *Modò sub qualibet specie profiterentur, & crederent Christum totum contineri, & non plus fructus haberi per vtramque, quàm per vnam tantùm.*

Refert etiam idem Hefellanus ex Richardo Magistro suo tertiam conditionem sub qua Bohemis cōcessa est communio sub vtraque specie, fuisse, vt crederent *non plus sumi sub vtraque, quàm sub*

*ſub vna ſpecie tantùm*: quartum autem vt crederent *ſub vna ſpecie eſſe totum Chriſtum ſecundùm corpus, & ſanguinem.* Hæc quarta conditio eſſet ſuperuacanea, niſi intelligeretur alia, nempe, *tantum ſumi ſub vna, quantum ſub vtraque.*

Reſpondetur illud Concilium non eſſe tantæ authoritatis, quia rebellauit Pontifici, & in errores, & ſchiſma incidit, nec potuit ſua authoritate, quæ nulla fuit in ſchiſmate eam facultatem facere: cæterùm errorem illum, quem damnauit Tridentinum, Bohemos tenuiſſe, ſatis per hoc indicatur ſi narratio ſubſiſtit. Quidquid autem ſit de hoc, non inuenitur in actis Concilij quidpiam tale: ſed cap. 30. definitur *iuſtè Eccleſiam ſubtraxiſſe vſum calicis laicis: alteram autem ſpeciem ad ſalutem ipſis ſufficere*, addens contra præfatum errorem ſuprà, *Non eſſe ambigendum, quòd ſub ſpecie panis caro tantùm, neque ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integrè totus Chriſtus*, &c. De fructu autem nihil habetur, niſi per vnam dari gratiam omnem *neceſſariam* ad ſalutem. Secunda ergo conditio ita intelligenda eſt, vt ſub vna quantùm ad rem contentam tantum ſumatur, quantum ſub vtraque, non verò quantùm ad fructum.

34 *Obiectio tertia, ex fine, & effectu.* Obiicies tertiò, idem eſt effectus in ſpecie vtriuſque, & idem finis, nempe ſpiritualis nutritio animæ; deinde æquè per vtranque hic effectus habetur, & æquè vtraque extinguit appetitum animæ: ergo eundem effectum habent. *Reſponſio.* Reſpondetur ex dictis concedendo antecedens, & negando conſequentiam, quia diuerſa ſignificatio infert diuerſum effectum in numero, quamuis non in ſpecie, vt patet ex dictis. Dices, fuit idem effectus corporis, & ſanguinis in ſacrificio cruento: ergo etiam in hoc ſacrificio, quòd illud repræſentat. *Replica ſoluitur.* Reſpondetur, concedendo antecedens, quia ibi meritum in paſſionibus fuit toleratis à Chriſto per effuſionem ſanguinis, in quibus corpus, & ſanguis meritò coniungebantur: hîc autem, quidquid ſit de ratione ſacrificij, in ratione Sacramenti corpus, & ſanguis ſub diuerſis ſignis ſacramentalibus proponuntur, quorum quodlibet habet ſuam efficaciam diuerſam, & ſignificationem.

*Simile.* Dices inter cibos corruptibiles aliquos eſſe, qui ſimul depellunt famem & ſitim; cur etiam hic effectus non tribueretur huic alimento ſpirituali. Reſpondetur, quamuis idem ſit alimentum, tamen illud corporale non ſumi per modum cibi, *Diſparitas declaratur.* & potus, ſed ſub alterutra ratione: verbi gratiâ, aliquis fructus, qui continet in ſe vim extinguendi ſitim per humorem contentum, qui manducatur, non bibitur: item iuſculum habet in ſe vim extinguendi famem, quod bibitur, non manducatur: in propoſito autem altera ſpecies manducatur, altera verò bibitur, & ſic quælibet habet ſuam efficaciam ſeorſim.

35 Hæc ſententia, quam defendimus hactenus, videtur magis Theologica, & conformis communi doctrinæ de Sacramentis, eorum ſignificatione, & efficacia, neque in vllo fauet hæreticis: quamuis enim gratia amplior in gradu tribuitur per vtramque, quam per vnam, illud tamen augmentum gratiæ non præponderat reuerentiæ Sacramenti, ex qua, multa Eccleſia propter periculum effuſionis calicis, qui nec commodè ſeruari poteſt, nec ad infirmos deferri, neque miniſtrari ſine tali periculo, aboleuit vſum calicis in laicis, & aliis communicantibus, & illud augmentum per alia media recuperari poteſt, gratia autem neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti, ſeu alio quouis modo dicatur, talis habetur per ſumptionem vnius ſpeciei.

*Cur Eccleſia ſuſtulit communionē ſub vtraque ſpecie.*

Qui voluerit tamen defendere oppoſitum cum modernis controuertiſtis, poteſt, non tamen ex rationibus pro ipſis adductis, nempe quod totus Chriſtus contineatur ſub alterutra ſpecie: hæc enim ratio fundatur in ea ſententia, quòd tota ratio cauſandi gratiam ſit Chriſtus, & non ſpecies, ſi aliquid concludat, quam *ſuprà* refutauimus. Neque etiam valet, quia in triduo eſſet idem effectus huius Sacramenti, & neutra ſpecies contineret totum Chriſtum, ſed ſua ſignificata ſeorſim: nihil ergo, quod concomitanter eſt ſub aliqua ſpecie, eſt ratio agendi, quia ſic non importatur ex vi ſignificationis, ſeu de rigore eius, ſed ex vnione, aut connexione naturali cum ſignificato per ſe ſpecierum, refundendo ergo efficaciam in rem ſignificatam vi verborum deberet refundi in ipſum corpus, & ſanguinem, quæ ſunt diuerſa ſignificata formalia, & ſic argumentum magis reducitur in oppoſitum eius, quod intendit.

*Sententia cõtraria probabilis.*

*Ratio cõmunis pro ea adducta refellitur.*

Recurrendum ergo eſt ad ipſam inſtitutionem, dicendo talem fuiſſe, vt eundem effectum ſingulæ ſpecies haberent, & tantum, quantum diſpoſitio præſens ſumentis exigit, ſi ex ea creſcat, vel quantum natum eſt conferre virtute Sacramenti. Dices, diuerſa ſunt ſigna ſacramentalia: ergo diuerſi effectus. Reſpondetur, concedo antecedens, & diſtinguendo conſequens, effectus primarius, concedo, effectus ſecundarius, nego: *ſuprà* autem diximus gratiam ſubſiſtentem, ſeu corpus, & ſanguinem Chriſti, vt præſens eſt, eſſe rem ſignificatam huius Sacramenti gratiam in anima cauſatam eſſe effectum ſecundum, ſeu, vt alij volunt, vſum Sacramenti, aut actum ſacramentalem: alterutra ergo ſpecies eſt cauſa inadæquata eiuſdem gratiæ in numero: & ſic breuiter reducendo quæſtionem ad ſuperiùs dicta, etiam hæc pars ſaluari poteſt. Ex quo patet etiam ad rationes adductas pro concluſione præmiſſa, quia earum vigor ſoluitur in diſtinctione præmiſſa de ſignificato primario, quod diuerſum eſt, & ſecundariò, quod eſt vnum: ſed diuerſo modo cauſatum per modũ cibi, vel potus, applicato Sacramento, & interpretari poſſunt Patres, inſtitutio, finis integritas conuiuij, & diſtinctio ſpecierum quoad modum ſumendi materialem, non quoad effectum gratiæ. Diuerſitas autem ſpecierum primaria eſt reſpectu contenti, reliquam partem huius controuerſiæ cum Bohemis *infrà* tractabimus de præcepto huius Sacramenti.

*Obiectio ſoluitur.*

*Diuerſitas ſignificationis reſpicit gratiam ſubſiſtentem.*

*Ratio vera aſſignatur.*

## *Quæres tertiò, Vtrùm Sacramentum ſit neceſſarium medium ad ſalutem?*

EX iis, quæ hactenus dicta ſunt de effectu, patet reſolutio huius quæſiti, quam ſupponit Doctor hîc; & in diſtinctione ſequenti magis, quam tractat per ſe: eam autem tradit in terminis loco citando *in 2. concluſione*, quem huc aduocare placet, ad complementum tractatus, & materiæ.

36 *Neceſſitas medij, & præcepti.* Duplex eſt neceſſitas, alia medij, alia præcepti; de neceſſitate præcepti hîc non agitur, de qua ſuo loco: ſed tantùm de neceſſitate medij. Hæc neceſſitas dicitur etiam neceſſitas finis, id eſt, quando ſine medio nequeat acquiri finis: in propoſito finis eſt æterna ſalus: dicitur ergo medium neceſſarium relatè in finem. Medium autem neceſſariũ

hoc

hoc nihdo dupliciter dicitur, siue in re applicatum, siue in voto, hoc est, in desiderio, & proposito applicandi, si subesset facultas eius. Necessitas autem Eucharistiæ, vel esset ad primam iustificationem obtinendam, vel certè ad perseuerandum in iustitia accepta, qua dat robur ad obseruandam legem, & superandas tentationes. Aliquid etiam dicitur necessarium in voto dupliciter; primò absolutè, quia ipsum in se realiter applicatum est medium necessarium, si facultas adest, verbi gratiâ, ad iustificationem Baptismus: vel generaliter, quatenus scilicet exigitur votum implicitum eius, & propositum adimplendi præcepti, quando obligat.

35 *Sententia quorundam affirmatiua.*

His positis, aliqui apud Vasquem (quos ipse non citat) recentiores existimant hoc Sacramentum in re, aut voto susceptum habere necessitatem medij ad consequendam vitam æternam, dicentes votum huius Sacramenti contineri in Baptismo, aut contritione, iuxta sententiam D. Thomæ variis in locis *3. part. quæst. 73. art. 3.* vbi dicit Eucharistiam esse necessariam in voto, sicut finis in intentione, & desiderio: & *quæst. 80. art. 11.* colligit inde obligationem recipiendi idem Sacramentum cùm opportunitas datur: & *in 4. dist. 8. quæst. 1. & in dist. 12. quæst. 3. art. 2. quæstiuncula prima.*

D. Thom.

*Necessitas Sacram. in re, aut voto.*

Claudius. Spinæus. Roffensis. Naclantius.

Pro hac sententia citantur à quibusdam Claudius *rep. 6. cap. 7.* Spinæus *lib. 2. de orat. Eucharistiæ, c. 12.* Roffensis *lib. 5. contra Oecolampadium in proœmio.* Naclantius *in tractatu de communione, Theor. 1.*

Cæterum Caietanus in primum locum D. Thomæ citatum: & Sotus *dist. 8. quæst. vnica art. 3.* explicant loca D. Thomæ, asserendo Baptismum, quia est principium per modum generationis spiritualis, necessarium esse in re, per accidens tamen, quia non datur opportunitas, sufficit in voto: Eucharistia, quia est finis, sufficit in intentione, est consummatio vitæ spiritualis, & operatur in intentione, non autem reipsa. Aliqui præterea Orientales, vt Græci moderni, putant esse necessariam simpliciter necessitate medij Eucharistiam, ideóque communicant infantes: quæ cæremonia fuit quidem antiqua, & adhuc apud ipsos continuata, sed ex illo errore in quo desiuerunt à fide.

Caietan. Sotus.

*Esse necessariam in intentione, nō in re.*

36 *Infantibus nō est necessaria ad salutem.* Trident.

*Prima conclusio*, realis sumptio Eucharistiæ non est medium necessarium paruulis ad vitam. Est de fide definita in Trident. sess. 21. can. 1. *Si quis dixerit paruulis, antequam ad annos discretionis peruenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.* Probatur 2. ex Matthæi vltimo: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*: deinde ex doctrina communi Patrum & Conciliorum de efficacia, & virtute Baptismi ad delendum peccatum originale, & conferenda alia quæcunque ad dandam iustitiam, quæ adoptat ad regnum; vnde definitur iustificatio, quæ est per Baptismum à Tridentino sess. 6. cap. 4. quòd sit *translatio ab eo statu, in quo quis nascitur filius primi Adam, in statum gratiæ adoptionis filiorum Dei per secundum Adam Iesum Christum.* In hoc conueniunt omnes Patres. Ex qua doctrina sequitur etiamsi infans baptizatus decedat in gratia baptismali, saluari eum sine sumptione Eucharistiæ.

*Sufficientia Baptismi, & efficacia.*

Trident. *Definitio iustificationis.*

37 *Nec adultis esse medium necessarium.*

*Secunda conclusio*, realis sumptio Eucharistiæ non est medium necessarium ad salutem, etiam adultis: est communis Doctorum, quam insinuat noster Doctor in 3. dist. 40. §. *Onera imposita sunt*, &c. vbi docet, *Nullum aliud Sacramentum legis nouæ habere necessitatem medij præter Baptismum, & Pœnitentiam.* Probatur, quia nullibi in Conciliis declaratur hæc necessitas, & quamuis sit argumentum ab authoritate negatiua, concludit in materia doctrinali, & maximè per quam sufficienter proponuntur, & declarantur media necessaria ad salutem, aliàs Ecclesia deficeret in necessaria institutione fidelium: nullibi autem in doctrina, & Canonibus de Sacramentis, exponit hanc necessitatem Eucharistiæ: ergo nulla est talis.

*Ecclesia eam non agnoscit necessitatem.*

Secundò, non est necessaria, nisi per modum remedij, Sacramenta enim institura sunt, vt remedia infirmitatis nostræ, vel ergo esset necessaria ad primam iustificationem obtinendam, quod falsum est, & contra fidem, quia ex Paulo 1. *ad Corinth.* 11. nequit sumi Eucharistia, nisi in statu gratiæ per se loquendo, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Hæc probatio ex Tridentino *sess. 13. cap. 7.* est Pœnitentia, & ex communi Patrum sententia in eum locum Pauli, ita vt nullus debeat accedere ad Eucharistiam nisi in statu gratiæ: ergo non est medium delendi peccati mortalis, aut dandi primam gratiam, quæ sola sufficit ad salutem, aliàs etiam paruulis esset necessaria. Si dicas esse medium necessarium ad perseuerandum in gratia.

*Secūda ratio.*

*Ex effectu & fine.*

*Responsio.*

Contra tertiò, neque hanc necessitatem eius explicant Concilia, sicut necessitatem Baptismi: explicauit Trident. *sess. 7. de Baptismo, can. 5. sess. 14. de pœnitentia can. 6. sess. verò 13.* agens de Eucharistia nullam ei tribuit necessitatem: vnde Melchiades Papa *epist. ad Episcopos Hispaniæ cap. 2.* & habetur de consecrat. dist. 5. in cap. *Spiritus sanctus*: ait, *statim morituris regenerationis beneficia sufficere ad salutem, quia regeneratio saluat mox in pace beati sæculi recipiendos*: ergo adultis baptizatis sufficit per se Baptismus ad vitam: deinde nullus effectus gratiæ habitus per Eucharistiam est necessarius, vt medium adulto; ergo. Antecedens patet, quia hic effectus esset auxilium, quod mediante Eucharistia recipit, vt præseruetur à peccato mortali: quem effectum tribuit Tridentinum huic Sacramento *sess. 13. cap. 2.* sed hic effectus non est necessarius simpliciter ad vitam æternam, quia sine dono perseuerantiæ multi relapsi suscitantur in vitam æternam per pœnitentiam, & saluantur: ergo neque ratione huius effectus Eucharistia in re erit necessaria. Probatur consequentia, quia sine illo contingit adultum saluari.

*Tertia ratio.*

Trident.

Melchiades.

*Ex nullo effectu subest necessaria Eucharistia.*

*Non ex gratia actuali.*

Præterea ratione huius effectus, tum maximè esset necessaria, quia infallibiliter tribueret perseuerantiam, vel quia tribuit abundantiora auxilia ad eum finem: non primum, quia hunc effectum nullum Sacramentum habet ex opere operato, quia regulariter non datur omnibus dignè accedentibus, cùm multi postea relabantur: sed si esset medium necessarium, maximè esset tale ratione infallibilis perseuerantiæ dando auxilia infallibilia, quibus homo præueniretur infallibiliter, ne peccaret.

*Perseuerātia incerta.*

*Non datur virtute Sacramenti.*

Si secundum dicatur, cùm illa auxilia abundantiora sint tantùm ad melius esse, non ad simpliciter esse, sequitur non esse necessaria necessitate salutis, quia potest contingere salus sine ipsis, vel ipsa per alia media, vt bona opera, orationes, & ieiunia, & eiusmodi obtineri possunt, quia sic etiam impetratur remissio venialium, qui est effectus ibidem à Concilio assignatus huic Sacramento: ergo neque Sacramentum ratione eorum

*Per alia media acquiritur.*

est

est necessarium necessitate medij. Dices perseuerantiam dari per Eucharistiam, nisi homo ponat impedimentum.

*Non dari infallibiliter perseuerantiam.*

Contrà, si daretur infallibiliter per Eucharistiam perseuerantia, præueniretur impedimentum ex parte, ita vt non foret: ergo signum est non dari perseuerantiam ex parte Sacramenti, cùm non præueniatur impedimentum. Probatur consequentia ex Tridentino *sess.7. can.7.* vbi definit effectum gratiæ semper dari per Sacramenta, quantùm est ex parte ipsorum, nisi ponatur obex, sed qui dispositus est ad recipiendum Sacramentum, dispositus est sufficienter, & quantùm est ex parte sua ad effectum Sacramenti, quia hoc est esse dispositum ad Sacramentum: ergo accedens ad Eucharistiam dignè, quantùm est ex se, est dispositus ad recipiendum effectum quemcunque infallibilem, & sacramentalem eius, & consequenter perseuerantiam, si talis esset effectus Sacramenti.

38

*Non esse necessariam in voto.*

*Tertia conclusio*, Eucharistia in voto non habet necessitatem particularem medij: sequitur ex dictis, nihil in voto operatur effectum, quem non operatur in re ipsa applicatum, quia perfectior est virtus Sacramenti in re ipsa, quàm in voto tantùm applicari. Sed Eucharistia non tribuit primam iustificationem, neque efficit infallibiliter perseuerantiam in re ipsa, neque alius quicunque effectus eius est necessarius necessitate absoluta finis, seu medij: ergo neque in voto dicit necessitatem medij. Minor patet ex præcedenti. Maior probatur, quia Baptismus, & Pœnitentia in re applicata causant remissionem peccati, & iustitiam, quæ in voto dicuntur causare, quando non adest copia Sacramenti suscipiendi in re: alia autem Sacramenta non dicuntur in voto causare suos effectus, sed illa tantùm, quæ habent necessitatem medij: quia ita suauiter dispositum est per diuinam prouidentiam, vt remedium vniuersale pœnitentiæ, id est, contritionis perfectæ, vel charitatis, suppleat defectum remedij particularis ad hoc instituti, cum proposito tamen, & voto suscipiendi illud, si facultas daretur, & quando datur.

*Sacramentū in re applicatum causat id, quod in voto.*

Sed hoc non conuenit Eucharistiæ, quia quando quis peccat post Eucharistiæ sumptionem, si postea confiteatur, non habet obligationem præcepti etiam ad sumendam Eucharistiam denuò. Ponamus casum, quòd post viaticum sumptum ipse peccauerit, & confessus est ante transitum, non tenetur denuò communicare: ergo non habet necessitatem eius sumendi etiam in voto, aliàs data opportunitate tunc teneretur ante transitum eam sumere, quod nemo dicit, nec praxis Ecclesiæ eam necessitatem insinuat.

*Necessarium in voto, debet sumi in re ipsa.*

*Responsio. Nec votum Eucharistiæ continetur in Bapt. & Pœn.*

Dices ipsam Pœnitentiam, aut Baptismum includere votum Eucharistiæ. Contrà, Baptismus, & Pœnitentia non subordinantur alij remedio, sed ex propria institutione significant, & conferunt remissionem peccati, & gratiam: ergo non includunt ad hoc votum speciale Eucharistiæ: speciale dico, quia generale possunt includere adimplendi præcepta, & cõsequenter præceptum Eucharistiæ pro tempore sua currens. Consequētia patet, quia quod causat in voto alterius, causat in virtute eius, & tanquā ipsi subordinatum: vnde Trid. *sess.6. c.7.* sine Baptismo in re, aut voto dicit neminī contigisse salutem post Euangelij promulgationem. Si autem in voto Eucharistiæ, aut eius votum includeret Baptismus, tunc diceretur in virtute Eucharistiæ dare primam gratiam, quod non quadrat

Trident.

Canonibus fidei de efficacia huius Sacramenti: alioquin non propriè ex opere operato conferret gratiam, sed magis ex opere operantis, sicut contritio iustificat dispositiuè eo modo: votum enim spectat ad voluntatem operantis, non ad genus Sacramenti, aut signi.

*Confirmatio ex effectu Eucharistiæ.*

Confirmatur, Eucharistia, vt patet ex Trident. *sess.13. cap.2.* dat gratiam per modum nutrimenti: ergo causalitas eius in voto non extenditur vltra illum modum dandi gratiam: sed nutrimentum, si propriè loquamur, non viuificat mortuum, neque vllam habet ad hoc efficaciam, sed tantùm ad restaurandum viuum: ergo Baptismus, & Pœnitentia, quæ sunt Sacramenta viuificantia mortuum, non dicunt in hoc ordinem, aut dependentiam ad votum Eucharistiæ, neque ipsum includunt, cùm per hoc nullam accipiant virtutem ad suos effectus. Dices saltem in ordine ad perseuerantiam, necessarium esse votum. Contrà, ergo non includitur in Baptismo, aut pœnitentiale votum speciale. Probatur consequentia, quia Baptismus, & pœnitentia instituta sunt ad dandam vitam, non autem ad eam conseruandam, ad quod requiruntur alia remedia: sed si includerent votum Eucharistiæ, deberent habere aliquam efficaciam ad conseruandam vitam, ergo non includunt. Probatur maior ex iis, quæ Concilia tradunt de efficacia illorum Sacramentorum: minor probatur, quia nihil includunt Sacramenta, nisi quod spectat ad virtutem actiuam ipsorum, & perficit ea, in eo genere, quà causa sunt: ergo cùm præfata non habeant efficaciam respectu perseuerantiæ, sic non includunt votum Eucharistiæ, quod ad hoc tantùm facit.

*Nihil includunt Sacramenta nisi spectat ad virtutem.*

Ex his sequitur difficulter saluari posse, quæ tradunt discipuli quidam S. Thomæ de illo voto speciali Eucharistiæ incluso in Baptismo, & Pœnitentia. Dices generationem baptismalem consummari per gratiam nutrimentalem Eucharistiæ, ac proinde illam in hac concludi, vt in fine, ac complemento. Contrà, quia licèt generatio supponatur ad nutritionem, non tamen in virtute eiusdem causæ, vterque effectus habetur, etiam in physicis: ergo eodem modo in proposito. Probatur consequentia ex dictis: quia diuersa ad hæc instituta sunt Sacramenta, quorum quodlibet ex propria efficacia habet effectum, & non in virtute alterius.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Dices vltimò cum Soto, & Caietano, Eucharistiam operari in voto sicut finis in intentione. Contrà, quia hic modus operandi non est sacramentalis, vel certè non sufficit quando in re sumi potest Sacramentum. Antecedens patet, quia quodlibet Sacramentum ex instituto habet rationem causæ efficientis ex definitione Sacramenti, & Concilium Tridentinum *suprà*, quod tribuit effectum nutritionis huic Sacramento, quando in reipsa sumitur.

*Impugnatur responsio aliorum.*

Alterum membrum patet ex iam dictis de Baptismo, & eius voto, quia non est obligatio suscipiendi Eucharistiam in re ipsa, secluso præcepto positiuo diuino, aut humano: sed quando votum Sacramenti requiritur, etiam exigitur, vt in re sumatur ipsum Sacramentum data opportunitate, vt dictum est. Deinde, quando finis operatur in intentione per modum finis, sequitur aliqua electio medij, & executio. Quæro iam si Sacramentum in voto operatur vt finis, an illud votum, seu desiderium sit efficax: si ita, ergo sequitur aliqua electio, & effectus diuersus ab ipsa intentione,

*Intentio finis inducit electionem.*

&

& quæro quisnam? alia nequit esse, quàm susceptio Sacramenti in reipsa, vt patet de omni alio desiderio efficaci huius, aut illius, non extendi vltra acquisitionem finis in re desiderati, aut ad ea, quæ necessaria sunt ad eum ponendum; sed ex vi illius voti non sequitur, neque exigitur sumptio realis Sacramenti: ergo non erit efficax; vel dato etiam Sacramento, in re ipsa non causat aliquid, si totus effectus conueniens ipsi causetur per votum, quod est contra naturam intentionis efficacis, vt causet quidquid per finem in re positum, aut medium haberi posset; aliàs inutilis esset applicatio mediorum, & executio intentionis.

*Intentio non supplet medium.*

*Voluntas simplex non est votum.*

Si dicatur votum illud non esse efficax, iam non erit intentio, sed simplex complacentia finis, & obiecti, non autem vt finis: ergo Eucharistia in voto non causabit per modum finis, sed tantùm obiecti: dare autem simplici complacentiæ appellationem, aut naturam propositi, aut voti perfecti, est insuetum: quia spectant ad voluntatem, quantùm est de se, efficacem.

*Abusus terminorum.*

Deinde dicere quòd simplex complacentia suppleat necessarium medium, est contra acceptionem terminorum: cùm medium dicatur necessarium, vt applicatur in re, aut proposito de se efficaci: Eucharistia autem in tali simplici complacentia, neque vt finis in intentione, applicatur, neque vt effectus in re ipsa, aut causa; sed tantùm vt obiectum, quod potest conuenire tam possibili, quàm impossibili, quorum potest esse voluntas simplex. Deinde votum Baptismi, & Pœnitentiæ sunt propositum efficax, siue sit virtuale, siue formale: ergo tale debet esse votum Eucharistiæ: videtur ergo fuga verborum asserere Eucharistiã in voto dicere necessitatẽ præfatam.

39

*Necessitas moralis Sacramenti.*

*Quarta conclusio*: hoc Sacramentum, licèt non habeat necessitatem rigorosam medij, quam hactenus tractauimus; nec instituturn sit, vt infallibiliter tribuat donum perseuerantiæ; est tamen medium vtile, & adeò efficax ad perseuerandum in gratia, vt sine eius vsu, longo tempore incurratur periculum lapsus; & ita supposita fragilitate nostra, dici potest medium, sine quo perseuerantia communiter non detur mortalibus.

*Perseuerantia non cadit sub merito.*

Communiter dico, quia hoc donum solùm Dei voluntate aliquibus præstari contingit, & per alia media conducentia impetrari potest; non tamen infallibiliter, quia neque sub merito nostro cadit, neque etiam sub efficacia alicuius Sacramenti, tanquam effectus communiter datus, & infallibilis.

Trident.

Vnde Trident. sess. 6. cap. 13. de perseuerantiæ munere, monet, vt *nemo sibi certi aliquid absoluta certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debeant*, &c. *Veruntamen qui se existimant stare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigilijs, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in ieiunijs, & castitate: formidare enim debent, quòd in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt; de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo*, &c.

Ex quibus verbis patet perseuerantiam quidem Dei solius gratiâ dari, impetrari etiam laboribus nostris non esse infallibilem cuique, neque ad eam dari media infallibilia: vnde non expediebat eum dari effectũ huic Sacramento, quia id derogaret aliism ediis, & sollicitudini piorum, & multis operibus, quibus superfederet homo, si in Sacramẽti virtute eam infallibiliter obtineret.

Deinde sequitur, dato etiam perseuerantiam dari per Sacramentum, non inde sequi esse medium necessarium ad salutem, ad quam cõsequendam sufficit finalis perseuerantia, & resuscitatio à peccato, quæ per Pœnitentiam, aut Baptismum haberi potest, aut perfectam contritionem, sine vsu huius Sacramenti. Cum his tamen stat, quòd hoc Sacramentum ad perseuerantiæ finem institutum sit, & quòd det auxilia opportuna: esse medium ad eum finem commune: & suppositâ fragilitate nostrâ; quæ difficulter, neque aliter quàm per Dei specialem gratiam præuenta, inclinatur ad opera illa, quæ exprimit Concilium ad impetrandam perseuerantiam opportuna: neque communiter Dei dono singulis datur sine huiusmodi laboribus; sequitur, inquam, Eucharistiam, ex cuius virtute emanant auxilia ad perseuerandum in Christo, esse medium morale, sine quo non contingit communiter perseuerantia in Christo; quamuis eam infallibiliter non concedat. Ex quibus manet conclusio explicata.

*Impetrari potest per alia opera.*

Probatur conclusio ex Tridẽtino, quod tribuit hunc effectum Sacramento, sess. 13. cap. 2. *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viuentes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse viuet propter me: & tanquam antidotum, quo liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruentur*, &c. Idem docent Patres in Ioan. 6. atque expositores: proinde, vt dicit ibidem Tridentinum, est *pignus hæreditatis*.

*Effectus Eucharistiæ.*

Deinde patet ex institutione eius per modum alimenti, cuius est conseruare vitam, & restaurare vires; mors autem spiritualis est peccatum mortale: ergo ad præseruandum ab ipso confert hoc Sacramentum auxilium, & gratiam.

Patet etiam ex diligentia Ecclesiæ præcipientis huius Sacramenti vsum. In primitiua Ecclesia quando charitas feruebat, quotquot adstabant sacris mysteriis, communicabant, vt constat ex Clemente *lib. 2. constitut. cap. 37. & lib. 8. cap. 20.* ex Dionysio *de Cælesti hierarchia, cap. 3.* Anacleto *epistola prima: ex canone 10. Apostolorum: ex can. 2. Concilij Antiocheni*, & aliis multis.

*Vsus primitiuæ Ecclesiæ præscriptus.*

Clem. Rom
Dionys.
Anacletus.
Canon. Apostolorum.
Concil. Antiochen.

Hæc consuetudo insinuatur in Missa per versum qui *communio* dicitur, & collectam sequentem, quæ *post communionis* nomen habet: quæ consuetudo mox dilatatã fide, & refrigescente charitate reducta est ad communionem ter in anno saltem: vt patet ex Concilio Elibertino; *Omnis homo, de consecrat. dist. 2.* ex Fabiano in cap. *Etsi non frequentius, eadem dist.* ex Toletan. XI. *cap. 13.* tandem ad eam, quæ nunc tenet, saltem communicandi semel in anno omnes, quotquot ad discretionis annos veniunt, cap. *Vtriusque sexus*: quod est Concilij Lateranensis, quæ sollicitudo Ecclesiæ præcipientis vsum huius Sacramenti demonstrat necessitatem, & fructum eius. Ex quibus patet conclusio, quæ intelligitur in adultis, & non in infantibus.

Elibertin.
Fabian. Papa.
Toletan.
Lateranen.

40

*Obiectio. Necessitas cõmunionis.*

Ioan. 6.

Contra priores conclusiones sunt quædam obiectiones, quæ probant huic Sacramento inesse necessitatem medij; primò ex Ioannis 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis*: deinde exemplo, quod adduxit Christus: *Sicut misit me viuens Pater, & ego viuo propter Patrem; & qui manducat me, ipse viuet propter me*, &c. ergo non habere vitam sine hoc Sacramento, & viuere per hoc Sacramentum in Christo, sicut Christus viuet propter Patrem, denotant necessitatem medij: sicut illa, *Nisi quis renatus fuerit*,

*fuerit, ex aquâ & Spiritu ſanctò, non intrabit in regnum cœlorum:* quæ denotant neceſſitatem medij conuenire Baptiſmo.

Deinde hæc loca aliqui Patres referunt, etiam ad infantes æquè, & adultos; ſed neceſſitas præcepti non cadit in infantes, pro eo ſtatu, cuius non ſunt capaces: ergo declaratur hîc neceſſitas medij, & non præcepti.

*Reſponſio. Verba explicanda ſecundùm materiam.*

Reſpondetur hîc tantùm declarari neceſſitatem præcepti, quia verba ſimilis tenoris recipiunt interpretationem ex materia ſubiecta; ſermo enim accommodatur rei; non econtrà res ſermoni, vnde cùm de fide ſit hoc Sacramentum non poſſe ſumi niſi in ſtatu gratiæ, quam concedit Baptiſmus, & pœnitentia, nihilque aliud requiri, quàm ſtatum gratiæ, ad ſalutem; ſequitur quòd illa tantùm, quæ delent peccatum in ſe, habeant neceſſitatem ſalutis.

*Hic ſonat neceſſitatē præcepti.*

Hinc verba illa Ioannis 3. declarant neceſſitatem medij conuenire Baptiſmo; quæ nequit conuenire Euchariſtiæ, cùm ſit Sacramentum viuorum, ſupponens gratiam ſanctificantem: ergo illis quæ concernit Euchariſtiam, declaratur neceſſitas præcepti; & ſermo eſt ad adultos (non ad infantes, vt infrà videbimus) ad quos Chriſtus tunc loquebatur; & ad quos ſpectare poteſt manducatio dicta, non ad infantes, qui rationis, & libertatis vſu carent: quòd autem aliqui Patres, hæc etiam ad infantes referebant, alio ſenſu locuti ſunt, quem modo explicabimus.

*Comprehendunt ſolos adultos.*

41 *Obiectio ſecunda.* Innocent. *Neceſſitas Euchariſtiæ paruulis.*

Obiicies ſecundò Innocentium I. *epiſtola ad Patres Mileuitani Concilij, quæ eſt 93. apud Auguſtinum*, in hæc verba: *Illud verò, quod eos veſtra fraternitas aſſerit prædicare paruulos æternæ vitæ præmijs etiam ſine baptiſmatis gratia poſſe donari perfatuum eſt: niſi enim manducauerint carnem filij hominis, & biberint eius ſanguinem, non habebunt vitam in ſemetipſis*, &c. Hanc ſententiam Innocentij, tanquam fidei amplectitur Auguſtinus libro primo contra Iulianum: *Sanctò*, inquit, *Innocentio vide quid reſpondeas, qui paruulos definiuit, niſi manducauerint carnem filij hominis, vitam prorſus habere non poſſe; huic reſponde; imò & Domino, cuius ille Antiſtes vſus eſt teſtimonio.* Idem docet *lib. 2. cap. 1. lib. 4. contra duas epiſtolas Pelagianorum, cap. 4. & cap. 22. lib. 3. de doctrina Chriſtiana, cap. 18.* ergo Euchariſtia dicit neceſſitatem medij, & ſine ea nequit infans intrare vitam.

Auguſtin.

*Confirmatur ex vſu primitiuæ Eccleſiæ.* Clemens. Dionyſ. Auguſtin. Toletan.

Confirmatur ex conſuetudine antiqua Eccleſiæ, quæ infantes baptizatos communicabit; vt patet *ex Lithurgia Clementis Rom. lib. 8.* vbi ſtatuit poſt viduas communicandos infantes ante populum. Item patet ex Dionyſio Areopagita *cap. 3. Eccleſiaſt. hierarchiæ.* Auguſtin. *epiſt. 23. & 107.* Toletanum XI. *cap. 11.* docet, qui ob infantiam euomuit Euchariſtiam, non eſſe puniendum. Concilium Matiſconenſ. II. *cap. 6.* inſtituit, vt reliquiæ Euchariſtiæ Feria 4. & 6. indicto pueris ieiunio, ipſis ſumendæ traderentur: eſt conſuetudo in Eccleſia Orientali etiamnum communicandi pueros: de qua Nicephorus Calixtus *lib. 17. cap. 25.* Euagrius *lib. 4. cap. 31.* ergo etiam neceſſaria eſt infantibus.

Matiſcon.

Nicephor. Euagrius.

Reſpondetur mihi videri ob has authoritates, & alias ſimiles, quibus neceſſitas, & efficacia Euchariſtiæ declaratur priotis ſententiæ Authores dixiſſe habere neceſſitatem illam in re, aut voto: imò etiam quoſdam eorum dixiſſe ex efficacia illa prouenire aliquos infantes mori ante vſum rationis, vt præſeruentur à peccato actuali, quod maiores committerent, & ob quod damnarentur: ſed certè non videtur quomodo hoc votum ſaluari poſſit in infantibus, vt *ſuprà* viſum eſt.

*Declarantur Patres citati.*

Reſpondetur ergo aliter Auguſtinum, & Innocentium intelligendos eſſe, vel de manducatione myſtica, vel ſecundùm æquiualentiam, quæ eſt per fidem, & iuſtitiam, per quam tam infantes, & adulti incorporantur Chriſto, tanquam viua eius membra, & ſic Chriſtum in ſe continent: ideò Auguſtinus *tract. 26. in Ioannem:* ſumi itaque hunc cibum, & potum bibere ſocietatem vult intelligi corporis, & membrorum, quod eſt Eccleſia; & infrà: *Hoc eſt ergo manducare illam eſcam, & illum bibere potum, in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere*, &c.

*Efficacia Baptiſmi ad ſalutem infantum.*

Vnde Auguſtinus ſæpè aliàs contra Pelagianos, docet infantes efficacia Baptiſmi ſaluari, & liberari à peccato originali; vt patet *epiſtola 23. ad Bonifacium 28. ad Hieronymum*; & *lib. 1. de peccatorum meritis, & remiſſionibus, cap. 20.* præfatis autem in locis diſputabant contra Pelagianos, qui admittebant infantes non baptizatos non ingredi regnum cœlorum; habere tamen vitam, & ſalutem extra regnum cœlorum, quia non habent peccatum, quod eſt in ipſis delendum, cùm nec actuale ob ætatem, neque originale ipſi admittebant; negabant ergo ipſos incorporari Chriſto, vel membra eius fieri, niſi per Baptiſmum; ſaluari tamen, ſine incorporatione in Chriſto.

*Error Pelagianorum.*

Vnde Patres vrgebant in primis locum illum Ioannis 3. *Niſi quis renatus fuerit*, &c. *non intrabit in regnum cœlorum.* Deinde illud aliud Ioannis 6. vbi negatur vita æterna non manducantibus: ex primo loco, inquam, Pelagiani fugiebant aſſerentes non intrare eos regnum cœlorum, niſi baptizarentur, & incorporarentur Chriſto; vita tamen æterna potiri aſſerebant extra regnum: hinc vrgebant Patres alium iſtum locum, quo negatur etiam vita non manducantibus Chriſtum, quamuis intelligant manducationem, & incorporationem myſticam, quâ Chriſtum in ſeipſis recipiunt per iuſtitiam, & fidem in Baptiſmo: vt patet ex præfato loco Auguſtini, vnde fiant capaces manducationis realis, & ſacramentalis.

*Impugnatio eius.*

*Incorporatio per iuſtitiam.*

Ideò *lib. 3. de peccatorum meritis, & remiſſionibus, cap. 4.* æquiualenter ſumit illa, nempe manducare corpus, & ſanguinem Domini, & incorporari corpori Chriſti per Baptiſmum: *Quid*, inquit, *apertius tot tantiſque teſtimonijs diuinorum eloquiorum, quibus dilucidiſſimè apparet, nec præter Chriſti ſocietatem, ad vitam, ſalutémque æternam, poſſe quemquam hominū peruenire*, &c. *vnde ſit conſequens; & quoniam nihil aliud agitur cùm paruuli baptizantur, niſi vt incorporentur Eccleſiæ*, id eſt, *corpori Chriſti, membriſque ſocientur; manifeſtum ſit eos ad damnationem, niſi hoc eis collatum fuerit, pertinere*, &c. & *infrà*; *nunquid & illud ambiguum eſt, niſi quis renatus fuerit ex aquâ, & Spiritu, non poteſt introire in regnum Dei*, &c. *nunquid & illud etiam: quia niſi manducauerint homines carnem eius, hoc eſt, participes facti fuerint corporis eius, non habebunt vitam.*

*His, atque huiuſmodi alijs, quæ nunc prætereo, teſtimonijs, diuina luce clariſſimis, diuina authoritate certiſſimis, nonne veritas ſine vlla ambiguitate proclamat, non ſolùm in regnum Dei non baptizatos paruulos intrare non poſſe; ſed nec vitam æternam poſſe habere præter Chriſti corpus, cui vt incoporarentur, ſacro baptiſmate imbuuntur*, &c.

Quibus

Quibus verbis efficacia, & neceſſitas Baptiſmi declarantur: itidem perinde eſſe, participes fieri infantes corporis, ac ſanguinis Chriſti, ac incorporari ipſius corpori, mediante Baptiſmo; aliàs ſi ad hoc requireretur etiam Euchariſtia, adderet eandem Baptiſmo, ad eundem effectum, & non ſumeret ſolùm Baptiſmum tanquam cauſam totalem incorporandi Chriſto ad vitam. Manducare ergo, ex intentione Auguſtini, idem eſt, ac participem fieri corporis Chriſti, & viuũ membrum per iuſtitiam, quod infantibus conuenit per Baptiſmum. Duo ergo præcipuè Patres ex loco Ioannis intendebant contra aſſerentes dari vitam æternam infantibus non baptizatis, neque incorporatis in Chriſto, extra regnum cœlorum. Primum eſt vitam æternam dari tantùm incorporatis in Chriſto infantibus: quia vita æterna, ſolis incorporatis ex hoc loco dari conſtat. Secundum verò eſt infantes baptizatos manducare myſticè, & æquiualenter corpus Domini, quantùm ad effectum incorporationis, quâ per iuſtitiam fiant viua membra Chriſti in Baptiſmo.

Hæc quantùm ad interpretationem Auguſtini; quæ interpretatio eius fundari poteſt in variis locis Scripturæ; ex quibus comparatio fieri poteſt inter hæc duo Sacramenta ſecundùm æquiualentiam; nam Ioannis 6. promittitur vita ſumentibus Euchariſtiam: *Hic eſt panis vitæ*, &c. *qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum*: & *infrà* promittitur etiam reſurrectio ipſi; *& ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die*: hæc eadem conueniunt Baptiſmo ad Romanos 6. *An ignoratis quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in mortem ipſius baptizati ſumus; conſepulti enim in illo ſumus per Baptiſmum in mortem; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: ſi enim complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus.* Item ad Coloſſenſ. 3. *mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo: cùm autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum Chriſto in gloria*, &c. vbi vita, & gloria, & reſurrectio promittitur baptizatis.

*Æquiualentia Baptiſmi, & Euchariſtiæ. Vtriuſque ad inuicem comparatio.*

Deinde ſicut Euchariſtia repræſentat mortem Chriſti; *hoc facite in meam commemorationem*: ita & Baptiſmus eandem repræſentat. Vnde Leo Papa epiſtola 4. & 5. ad Epiſcopos per Siciliam; *Propriè in morte crucifixi, & in reſurrectione ex mortuis potentia Baptiſmi nouam creaturam condidit ex veteri*, &c. patet ex prædicto loco Pauli; *in mortem eius baptizati eſtis*; & ideò in Paſchate antiquitus celebrabatur Baptiſma, ad veram repræſentationem monſtrandam, & Pentecoſte. Aliis autem temporibus non licebat; vt patet capitulo *Duo tempora*: & capitulo *Propriè, de Conſecratione diſt.* 4. & aliis ibi: in Pentecoſte autem fiebat propter aduentum Spiritus ſancti, qui in Baptiſmo vngit baptizatum, & illuminat.

Leo.

*Baptiſma in Paſchate dabatur, & Pẽtecoſte ſolùm.*

Item Euchariſtia ſignificat corpus Chriſti myſticum, vt Eccleſiam, vt patet ex Tridentino ſeſſ. 13. cap. 2. *Pignus propterea voluit eſſe hæreditatis noſtræ*, &c. *adeóque Symbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput eſt, cuique nos tanquam membra arctiſſima, fidei, ſpei, & charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit*, &c. per Baptiſmum autem ſignificatur idem, quo quis fit Chriſtianus, incorporatur Chriſto, & Eccleſiæ, tanquam membrum eius; ideò regeneratio, ſignaculum, ianua ſacramentorum appellatur, quam incorporationem ſignificat, vt dixi, Euchariſtia; iuxta illud Apoſtoli: *Omnes*, inquit, *vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus*, &c.

Ex his ergo, in quibus conueniunt hæc duo Sacramenta, tanquam in effectu, licèt ſecundùm modum, & diſpoſitionem cauſatam differant, rectè comparantur ad inuicem tanquam æquialentia; vt proinde dici poſſit baptizatus fieri particeps corporis, & ſanguinis Chriſti, quod tribuit eoſdem effectus, vitam, reſurrectionem, incorporationem Chriſto, & Eccleſiæ, repræſentationem mortis, & paſſionis Chriſti, qui adſcribuntur Euchariſtiæ: licèt hæc, vt dixi, conueniant Euchariſtiæ per modum nutrimenti, Baptiſmo per modum generationis, quæ ad idem abſolutè tendunt, nempe vitam, licèt ſecundùm diuerſum modum operandi: & hoc ſignificat per Baptimum fieri participem corporis, & ſanguinis Domini, quoad ſimilitudinem, & æquialentiam rei ſignificatæ, & non quoad modum ſignificandi: vnde patet locutio Auguſtini, quàm ſit fundata, licèt aliquibus dura videatur, & perplexa, qui ad myſticam ſignificationem eam non referunt. Ex phyſicis etiam poſſet hæc doctrina illuſtrari, ex comparatione generationis, & nutritionis; ſed ſufficiant exempla, & teſtimonia Scripturarum. Ad confirmationem huius argumenti, reſpondetur, eam conſuetudinem communicandi infantes ſpectaſſe ad ritum, non ad neceſſitatem; vt patet ex Tridentino allegato, concluſione prima.

43 *Obiectio. Reſurrectio ſine reali ſũptione Sacramenti datur. Reſponſio.*

Obiicies tertiò, ſine reſurrectione non contingit ſalus; ſed ſumentibus Euchariſtiam promiſſa eſt reſurrectio: ergo eſt medium neceſſarium ſalutis. Reſpondeo; patet ex dictis idem conuenire Baptiſmo, imò etiam iuſtis omnibus decedentibus; *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt*, &c. *beati mortui qui in Domino moriuntur*, &c. *Opera enim eorum ſequuntur illos*: & aliàs paſſim: vnde ſicut dictum eſt de vita, & ſalute, quæ contingit ſine vſu reali huius Sacramenti; ita etiam de reſurrectione dicendum.

44 *Obiectio. Reſponſio. Ex perfectione Sacramenti non ſequitur neceſſitas.*

Obiicies quartò, hoc eſſe perfectiſſimum Sacramentum: ergo debet habere neceſſitatem medij. Reſpondeo negando conſequentiam, quia cùm neceſſitas medij conſiſtat in remiſſione peccati, quod vnicum eſt impedimentum vitæ, & mors animæ; ita non decuit, vt hoc Sacramentum, quod perfectiſſimum eſt, ſumatur à peccatore indigno; maximè cùm per modum nutrimenti inſtitutum eſt, quod ſupponit vitam, non concedit; ſed auget, & conſeruat. Dices, nutrimentum corporale eſt medium neceſſarium ad ſuſtentationem vitæ: ergo & ſpirituale hoc. Reſpondetur negando paritatem, niſi reducatur ad ſenſum vltimæ concluſionis, quia ſecundùm aduerſarios hoc nutrit in voto tantùm, non illud: ergo non eſt ſimilitudo in omnibus: quia licèt hoc inſtitutum ſit per modum nutrimenti, non tollit efficaciam aliorum mediorum, quibus impetratur perſeuerantia in bono, & fuga mali.

## SCHOLIVM.

*Posito quadruplici modo percipiendi Eucharistiam, resoluit eam sacramentaliter à ieiuno susci-piendam esse regulariter, & hoc quia Christus ita instituit fieri, per se immediatè, vel per Apo-stolos, & Ecclesiam; & ratio institutionis datur, & ponit casus, quibus liceat non ieiuno com-municare. Sumebatur olim à pransis, ex Conc. Africano, c. 8. habetur de consec. d. 1. c. Sacramenta.*

3

*Ieiunium est duplex naturæ, & Ecclesiæ.*

Ad propositum dico, quòd primis duobus modis sine tertio, potest recipi à non ieiu-nis. Sed de tertio modo, scilicet de posse non absolutè, sed licitè, & vtiliter, habet quæ-stio difficultatem. Distinguo ergo de ieiunio, naturæ, & Ecclesiæ. Ieiunium Ecclesiæ non soluitur, nisi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Ecclesiæ. Vnde per specierum sumptionem, vel medicinalium, vel per potum saltem post pran-dium, non soluitur ieiunium Ecclesiæ. Sed ieiunium naturæ est carentia cibi susceptí in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quòd nihil intret stomachum in illa die à principio, scilicet huius diei, à quo dicitur aliquis ieiunus. Similiter distinguo de *debere*, vel *licere*, aut intelligitur regulariter, vel in casu aliquo particulari.

*Hinc non habetur esse iuris diuini immediatè, sed mediatè.*

Dico [a] ergo quòd regulariter oportet ad perceptionem spiritualem, & sacramenta-lem, susciptentem esse ieiunum simpliciter, id est, ieiunio naturæ. Nec istius est aliqua causa principalis, nisi institutio diuina, quam vel Christus discipulis dedit, vel per ipsos promulgauit, vel eis instituendum reliquit: & quidem rationalis est institutio propter reuerentiam Sacramenti, quæ minor est regulariter in pransо, quàm ieiuno: & etiam vt primò quæratur cibus spiritualis, quàm corporalis.

*Eucharistia, quando non ieiuno datur.*

Si autem [b] intelligitur in casu, dico quò aliquis potest esse casus, in quo quasi gene-raliter licet accedere non ieiunum, vt in infirmitate graui, quando timetur periculum mortis imminentis. Tunc enim esset periculum negare infirmo, licèt pransо, poscenti Sacramentum, cùm sit viaticum: & ideò dandum est ei, qui proficiscitur ex hoc mundo, vt per ipsum ducatur ad terminum.

4

*Casus decidi-tur.*

Alius casus specialis est, quia in aliqua regione celebratur communiter in vino albo, minister parat calicem Sacerdoti, & ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, Sa-cerdos non aduertens, sed supponens ministrum benè fecisse, procedit dicendo verba, & alia faciendo vsque ad perceptionem: percipiens verò liquorem de calice, aduertit esse aquam; videtur quòd ipse non posset illo die percipere sanguinem, si oportet ieiu-num esse susciptentem.

*Si plura præcepta occurant superius li-gat.*

*Peccaret cõ-secrãs, si non sumeret.*

*Qui conse-crauit, & sumpsit a-quã, putans esse vinum, tenetur ite-rum conse-crare vi-num, & su-mere: an etiã denuò consecran-dus panis. Vide Sot. d. 13. quæst. 2. Nau. c. 25. num. 9. Suarez 3. tom. d. 85. sect. 1.*

Dico [c], quòd in isto casu tenetur consecrare sanguinem de nouo, & consecratum per-cipere. Quod probatur, quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum superio-ris magis ligat: nunc autem præceptum Christi, & Ecclesiæ, & ex ipsa ratione Sacra-menti, est, quòd Sacramentum quando conficitur, conficiatur integrum, quoniam Sacra-mentum est in se quoddam integrum ex duobus: de ista etiam integritate seruanda est districta obligatio Ecclesiæ *de consecr. dist. 2.* Comperimus, *vt Sacramenta integra perci-piant: aut ab integris arceantur*, loquitur de Sacerdotibus conficientibus, & postea non communicantibus: & subditur ratio: *quia diuisio eiusdem Sacramenti sine grandi sacrilegio, non potest prouenire*: ergo quocumque præcepto alio Ecclesiæ posito, & maximè, quod non respicit ipsam propriam, & essentialem rationem Sacramenti, necessariò tenetur semper omnis celebrans ad istam integritatem seruandam: ergo qui iam percepit aquam, simpliciter tenetur ad illud complendum, quod prætermisit, scilicet ad consecrandum integrè Sacramentum: & tunc vltrà, si tenetur consecrare sanguinem, tenetur eundem consecratum sumere. Vnde habetur *de consecr. dist. 2.* Relatum: *Certum est, quòd hi qui sacri-ficantes non edunt, rei sunt dominici Sacramenti*: & sequitur, quòd *talis à communione vno anno repulsum se nouerit*: ergo omnibus modis tenendum est, vt quotiescumque Sacer-dos corpus, & sanguinem immolat, toties perceptionis corporis, & sanguinis partici-pem se præbeat: iste ergo necessariò tenetur ex institutione Christi, & proter integrita-tem Sacramenti, conficere sanguinem, & ex strictissimo præcepto Ecclesiæ sub pœna repulsæ, vno anno tenetur consecratum percipere.

Et si obiicitur, iste non est ieiunus: ergo peccat mortaliter. Vel ergo non debet confi-cere ne percipiat: vel si oportet eum conficere, & percipere, oportet quòd peccet contra præceptum Ecclesiæ, & tunc est perplexus, quod non est dicendum de aliquo ex præce-ptis Dei, & Ecclesiæ.

5

*Communi-care ieiunè, præceptum Ecclesiæ.*

Respondeo, Ecclesia non ita strictè præcepit susciptentem esse ieiunum prohibendo non ieiunum susciperе, sicut prohibet diuisionem Sacramenti (immò ipsa diuisio prohi-

betur

betur à Christo ex prima institutione Sacramenti) nec etiam ita strictè prohibet non ieiunum percipere, sicut præcipit consecrantem percipere: ergo ex vna parte habet iste præceptum Christi ad sic consecrandum, & post consecrationem strictissimum præceptum Ecclesiæ de percipiendo: ex alia parte non habet, nisi præceptum Ecclesiæ leue comparatiuè, de ieiunio: non enim ibi ponitur, quòd suscipiens non ieiunus sit reus dominici Sacramenti: neque quòd ibi sit sacrilegium; neque repellitur à communione per annum sicut hîc.

Simpliciter enim Ecclesia non intendebat ligare in isto casu ad ieiunium: imò, cùm alia duo præcepta tum virtute Christi, tum virtute Ecclesiæ fortiùs, & magis obligent; potiùs intendit in tali casu obligari ad illa. Non est ergo iste perplexus: quia seruando præceptum superioris, & præceptum strictius Ecclesiæ, benè facit, & si non seruaret, peccaret mortaliter. Omittendo autem aliud præceptum minùs strictum, non peccat nouo peccato: quia in isto casu non tenetur seruare: nec Ecclesia voluit ligare ad hoc præceptum in hoc casu, sed magis ad oppositum.

Patet etiam manifestè, quòd ieiunium non est conditio ita necessaria in Sacerdote 6
percipiente, quia in die Parasceues particula posita in calice, percipitur cum vino non consecrato, quia illo die calix non consecratur: & verisimile est, quòd vinum citiùs descendat in ventrem, quàm illa particula, quæ masticatur: ergo ex consuetudine Ecclesiæ Sacerdos ibi percipit Eucharistiam non ieiunus.

Et si obiicitur, quòd scandalum erit si populus percipiat illum secundò conficere sanguinem. Est vna responsio, quòd si scandalizetur, est scandalum Pharisæorum acceptum, scilicet, non datum. Nam factum in se bonum est, & necessarium. Et quilibet debet iudicare, quod est bonum, si causam nesciat, supponendo, quòd Sacerdos habet bonam causam: quilibet etiam, si sciret causam, deberet approbare: vnde de tali scandalo ait Christus contemnendo Matth. 16. de Pharisæis. *Sinite* (ait) *eos, cæci sunt & duces cæcorum. Omnis enim plantatio quam non plantauit*, &c.

Alio modo potest responderi, quòd satis benè cauere potest à scandalo, si cautè fiat. 7
Nam vadens ad cornu altaris, quasi pro vino recipiendo post communionem, infuso vino & aqua: vel iam remanente aquâ, quia non totam sumpsit, vel aliqua de nouo posita, poterit redire ad medium altaris, & satis in breui tempore ab illo loco, *Simili modo postquam cœnatum est, accipiens hunc calicem*, continuare poterit vsque ibi, *Hæc quotiescumque:* vel vsque ibi, *Vnde & memores:* & illis verbis prolatis cum reuerentia debita suscipere illud tanquam sanguinem verum. Nec totum istud percipietur, nec tantum tempus occupabit, quòd populus habeat etiam occasionem accepti scandali.

*Quomodo recōsecrandus calix, quando erratum est in liquore.*

Et si arguitur contra illud, quòd dictum est de integritate Sacramenti: quia Sacerdos die Parasceues non recipit sanguinem. Respondeo, illa integritas requiritur in consecratione, ita quòd nullus consecret corpus, nisi consecret etiam sanguinem: non autem requiritur in quacumque perceptione, quia laicus percipit benè corpus, & non sanguinem: sed requiritur in illa perceptione, quæ sequitur ad consecrationem quæ habetur in illo capite *Relatum.*

*Integritas Eucharistiæ non requiritur in perceptione, sed in consecratione.*

Ad argumentum in oppositum, benè respondet Augustinus in illo *cap.* Liquidò. *Non quia post cibos dedit Dominus* (scilicet Eucharistiam) *discipulis, ideò pransi illud debent accipere, vt faciebant, quos Apostolus redarguit*, supple 1. *Corinth.* 11. & subdit causam, quare Christus hoc fecit. *Nam saluator*, inquit, *quo vehementiùs commendaret mysterij huius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere in cordibus discipulorum, quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reseruauit docendum.* 8

*Ad arg. 1. Christū reliquisse Ecclesiæ modū, quo Eucharistia sumēda esset.*

Per hoc patet ad argumentum secundum, quia secundùm Augustinum Apostolus reprehendit illos, qui pransi Eucharistiam susceperunt. Et ideò istud verbum, *Si quis esurit, domi manducet*, non debet intelligi, *domi* antequam veniat ad Ecclesiam: sed post recessum ab Ecclesia, ita quòd non satisfaciat fami suæ de Eucharistia, sicut ait: alius ebrius est: sed expectans, quòd sibi necessarium fuerit in domo sua percipiat. Et ideò laudabilis est consuetudo Ecclesiæ Latinæ, quæ nulli dispensat Eucharistiam, nisi in modica quantitate, quæ non posset suscipi ad crapulam, & sufficit valde benè ad reuerentiam debitam Sacramenti.

*Ad 2. Non fuisse consuetum olim post cibum cōmunicare, tanquā ex præcepto.*

De quarto, de quo tangit Magister in ista distinctione, scilicet de re Sacramenti, magis propriè pertinet pertractare *in* 10. *dist.* ideò ad præsens superfedeo, custodiens in futurum in dicto loco.

45 *Requiri ieiunium ad communionem.*

a *Dico ergo quòd regulariter*, &c. Hæc est communis Doctorum, & praxis Ecclesiæ: est certa conclusio apud omnes Theologos, & Catholicos; quæ consuetudo est vniuersalis Ecclesiæ ab Apostolorum temporibus introducta ob reuerentiam Sacramenti. Carthaginense III. *cap.* 29. docet fuisse consuetudinem alibi feria quinta in Cœna Domini post cibum ad exemplum Christi communicare; sed hæc non fuit communis, & abrogata est. Obiiciũt hæretici exemplum Christi, sed non vrget, quia non fuit datum in legem, vt docuit Cyprianus *epist.* 63. neque Ecclesia prætendit hoc præceptum esse iuris naturalis, aut diuini, sed Ecclesiastici, ob reuerentiam Sacramenti indictum: ieiunium autem quod exigitur, est naturale, non Ecclesiasticum: ita etiam Doctor in litera §. *Ad propositum dico*, &c. vbi optimè insinuat differentiam inter vtrumque ieiunium: naturale autem consistit in eo, vt nihil extrinsecus ori ingestum per se sumatur, etiam per modum medicinæ post mediam noctem, antecedentem diem communionis: quidquid autem per modum saliuæ deglutitur, non soluit hoc ieiunium.

*Consuetudo Ecclesia.* *Cyprian.* *Ieiunium naturale.*

*Regula vniuersalis.* *Varij casus decidũntur.*

Ex hac regula resoluuntur communiter plures casus, vt deglutire saliuam, aut alios humores interiùs decidentes, vt sanguinem ex capite decidentem, non violat ieiunium naturale, neque impedit communionem: quia non sumuntur vt cibus, aut potus; sed quatenus impediunt respirationem, aut vocem; non autem ad effectum nutritionis, aut per modum pastus.

Idem dicendum de reliquiis præcedentis diei hærentibus dentibus; non quia, vt dicunt quidam, non pertinent ad manducationem præsentis, sed diei præcedentis, quia hodie non ingeruntur ori; sed potiùs quia per modum saliuæ decidunt, vel traiiciuntur, non ex fine comestionis; decet tamen eiusmodi expuere, quantùm commodè fieri potest. Idem dicendum, quando quis abluit os, aut degustat aliquem liquorem, quem expuit, si aliquid imprudenter, tanquam hærens cum saliua, deglutiatur, quia habet rationem saliuæ. Licet etiam aliqua aromata ori ingerere, & dentibus terere, ad præseruationem à corrupto aëre, modo expuantur: magis etiam periculum est de saccharo, & similibus quæ in ore liquescunt; tamen si quis moraliter sciat se nihil horum deglutisse, idem erit ferendum iudicium.

Aliud est de iis, qui ingerunt hæc ori ad leniendam vocis raucedinem, sensim ea deglutiendo, dum vadunt cubitum, quia ex intentione ea sumendi id faciunt, nisi sint certi ante mediam noctem materiam omnino consummatam fuisse; illa enim non habent rationem saliuæ, sed cibi & medicinæ quæ violant naturale ieiunium.

46 *Casus eximẽtes à ieiunio.*

b *Si autem intelligitur in casu*, &c. Hæc secunda conclusio eximit casum, in quo quis à ieiunio absoluitur à communione: duos autem casus eximit Doctor; vnum ex parte recipientis, alium ex parte celebrantis: ex fundamento autem, quo vterque innititur, reliqui casus in hoc genere resoluuntur: illud est necessitas recipientis, & præceptum fortius obligans, quàm sit præceptum ieiunij: & hoc vel ob integritatem mysterij seruandam, vel certè ob reuerentiam ipsius Sacramenti maiorem hîc, & nunc vrgentem: vt ergo cæteros etiam casus comprehendamus:

*Duæ regulæ generales.*

47 *Casus in specie explicantur ex prædictis regulis.*

Dantur varij casus in quibus non obligat præceptum ad abstinendum à communione. Primus casus est periculum mortis præsentis, siue oriatur ex morbo, siue quòd quis supplicio eo die sit afficiendus: hic, si præuideritse obiturum, tenetur ieiunare, quia commodè potest: idem etiam dici potest de infirmo, si sine damno salutis ieiunare potest: quòd si tamen periculum subest, ne moriatur ante sequentem diem, aut certè alienetur à sensibus, communicet etiam non ieiunus, quia magis facit ad reuerentiam Sacramenti, vt illud integris sensibus, neque tenetur aut sumptionem cibi, aut medicinæ diutiùs differre, vel etiam intempestiuâ nocte curare Sacramentum ad se deferri; aut committere se periculo non recipiendi viatici, præueniente morte.

*Periculum mortis excusat à ieiunio.*

Licet etiam non ieiunum sæpiùs communicare pro viatico, quando semel communicatus, quasi mox integrè conualuit, & iterum reincidit in periculum, quia computantur pro diuersis ægritudinibus. Aliqui etiam docent idem, quando quis, perseuerante eodem morbo, sæpiùs incidit in periculum mortis, quando illa pericula post interuallum aliquot dierum occurrunt; ita Suarez *disput.* 68. *sect.* 5. Saa verbo *Eucharistia.* Tabiena, Armilla verbo *Communio*: ratio est, quia pia mater Ecclesia non solùm permittit non ieiuno communionem ad implendum præceptum; sed etiam quia in iis circumstantiis præsidium huius Sacramenti est valde opportunum in periculo mortis.

Suarez. Saa. Tabiena. Armilla.

*Secundus casus.* *Integritas Sacramenti excusat.*

Secundus casus est ad perficiendum integrè sacrificium, quod est præcepti diuini, vt quando Sacerdos post sumptum calicem deprehendit se consecrasse aquam, & non vinum; tunc debet non ieiunus consecrare vinum & sumere.

*Tertius casus.*

Tertius, quando Sacerdos bona fide consecrauit, & post consecrationem recordatur se non esse ieiunum, quia tunc ex præcepto diuino tenetur consummare sacrificium. Idem dicendum, si celebrans post consecrationem corporis incidat in ægritudinem, vt nequeat progredi, alius etiam non ieiunus perficiat sacrificium. Quòd si ante consecrationem recordetur se non esse ieiunum, S. Thomas *quæst.* 83. *art.* 6. *ad* 2. consultius esse, vt desistat si sine scandalo potest; quando quis celebrat priuatim, hoc benè contingere potest: quando tamen publicè nequit euitari scandalum, ad quod euitandum, consultiùs progreditur: & idem dicendum de communicante iam, nisi commodè se possit subducere.

D. Thom.

*Quartus casus.*

Quartus est, quando celebrans reperit in patena, corporali, aut calice aliquas particulas hostiæ à se consecratæ, tunc debet eas sumere: ita communiter Doctores, & praxis: Caietanus in Summa; & latiùs *in opusculis*, *tractatu* 33. *de celebratione Missarum.* Sotus *in* 4. *dist.* 12. *quæst.* 1. *art.* 8. Sylvester. *in Summa verbo Eucharistia* 3. Victoria *in Summa num.* 83. Nauarrus *c.* 25. *num.* 89. Suarez *disp.* 68. ratio est: quia si reliquiæ sunt minimæ saltem, neque seruari commodè, neque aliis dari possunt, magis spectat ad reuerentiam Sacramenti, vt sumantur; & hæc sumptio spectat ad integri

Caietan. Sotus. Sylvester. Victoria. Nauarrus. Suarez.

integritatem illius ſacrificij, modò reliquiæ ſint conſecratæ tantùm ab ipſo Sacerdote: & cenſetur in eo caſu totam communionem facere ieiunus, vt quidam volunt.

*Vera ratio caſus.*

Sed magis propriè dicitur præceptum ieiunij in eo caſu non obligare, cuius finis eſt reuerentia Sacramenti, neque Eccleſiam intendiſſe ad conſummationem integri conuiuij illius obligare Sacerdotem in eo caſu ad ieiunium, quia ceſſat materia præcepti. Vnde vix fieri poteſt, quin ſemper aliquid ſanguinis conſecrati maneat adhærens calici, donec permiſceatur lotio, quæ ex præcepto Eccleſiæ admiſceri debet ob reuerentiam ſanguinis, ne quidpiam eius pereat: ergo ſimiliter, quando reliquiæ corporis ſuperſunt, poſtquam ſumpta eſt lotio, quæ nequeunt conſeruari, aut aliis tradi, ſumendæ ſunt: neque hîc interuenit præceptum Eccleſiæ in contrarium.

*Paludanus. Anton. Roſella. Matiſc. II.*

Oppoſitum huius docent aliqui, vt Paludanus *in 4. diſt. 9. quæſt. 1.* Antoninus *3. part. art. 13. cap. 6. §. 9.* Summa Roſellæ *verbo Euchariſtia 3. §. 13.* & fauet Concilium Matiſconenſe II. *cap. 6.* quod has reliquias ieiunis tradi præſcribit: ſed intelligendum eſt de communicante: nam oppoſitum patet ex praxi Eccleſia; nam in rubrica de defectibus Miſſæ præſcribitur, quando particula conſecratæ hoſtiæ poſt ſanguinem ſumptum, hæret calici, vt digito attrahatur ad labrum calicis, & ſic ſumatur, vel certè vino infuſo, quod deglutitur ante illam particulam communiter. Secundus modus ſumendi illam particulam magis probatur modernis: cuius oppoſitum imputat Suarez Doctori *diſt. 8. quæſt. 3.* vbi tamen nihil habet de hoc, ſed ex alio caſu probat non ieiunum ſumere particulam iniectam calici, vt in Feria VI. paraſceues, quando particula iniecta vino, quod non conſecratur illo die, ſumitur ſimul cum vino.

*Quid agendū de reliquiis?*

Sed quid, ſi particulæ ſint maioris quantitatis, verbi gratiâ, aliquot, quæ communicantibus ſuperſunt, faciendum? Reſpondetur, eodem modo ſumendas eſſe, niſi ſit commoditas eas ſeruandi, etiam poſt ablutionem, quando antea non ſunt viſæ, per rationes iam adductas, quia quòd quantitas ſit maior, aut minor, non refert, cùm nequeat decenter ſeruari Sacramentum, aut aliis tradi ſumendum: ita communiùs authores intelligentes hoc de iis, quæ tamen conſecratæ ſunt ab ipſo Sacerdote ſumente, non autem ſi conſecratæ ſunt ab alio, quia non ſpectant ad integritatem eiuſdem conuiuij, & ſacrificij, niſi reſpectu conſecrantis tantùm. Hæc ratio non eſt reiicienda, quam Doctores moderni ſequuntur, ſed neque videtur omnino conuincere, niſi quoad minuſcula, quæ nequeunt in ſacrarium reponi: nam ſi maior ſuperſit particula, & commodè poſſit in ſacrario reponi, meliùs ſeruatur præceptum Eccleſiæ, reponendo illam in ſacrario: ſed vbi celebratur, quando non eſt ſacrarium, vt in capella ſepoſita, neque reuerenter ſeponi poſſit, & conſeruari, tunc ſumenda eſt.

Quando autem cenſetur Sacerdos poſſe eam ſumere? Reſpondent quidam, quamdiu calix eſt in altari; alij, quamdiu ipſe Sacerdos eſt in altari, quia quamdiu eſt in loco ſacrificij, cenſetur debere ſemper habere poteſtatem perficiendi ea, quæ ad ſacrificium illud pertinent, eiúſque reuerentiam: vnde ſi recedat ab altari in Sacriſtiam, & tunc offendat in corporali particulam, aut in calice, ſeruanda eſt, niſi ſubſit periculum, quod in caſu ſequenti explicatur.

*Quintus caſus.*

Quintus caſus eſt, quando imminet graue periculum irreuerentiæ, vt conculcationis in manibus infidelium, aut incendij, tunc debet à non ieiunis ſumi Sacramentum cum deuotione, & reuerentia, quando non ſuppetit aliud remedium.

48

*Caſus communicandi infirmum.*

*Hic quæritur*, vtrùm liceat Sacerdoti non ieiuno conficere Sacramentum, ad communicandum infirmum pro viatico, qui nunc moriturus eſt, ne cogatur abſque viatico decedere vita, neque eſt alius modus ipſum communicandi? Maior *in 4. diſt. 9. quæſt. 3. §. 3.* putat licere ſecretò adire Eccleſiam, & ſecretò hoſtiam conſecrare, & deferre infirmo, ita tamen, vt propter ſcandalum euitandum ipſe Miſſam non dicat: dicit etiam poſſe ſecretò fruſtum panis fermentati conſecrare, ſi non adſit azymus, ad communicandum infirmum.

*Maioris ſententia.*

*Prior ſententia reprobatur.*

Reſpondetur tamen hanc ſententiam eſſe ſingularem, & nullo modo ſequendam in praxi, cuius oppoſitum tenent communiter moderni: quia licèt ægrotus habeat obligationem communicandi iuris diuini, cui cedit præceptum de ieiunio, tamen parochus nequit ipſi miniſtrare hoc Sacramentum, niſi ſecundùm ritum præſcriptum ab Eccleſia: ideò nequit non ieiunus conficere Sacramentum, aut ſeipſum non ieiunū communicare.

*Reſponſio ad fundamentū opinionis. Replica.*

Ex quo ſoluitur ratio aduerſarij, quæ eſt præmiſſa, nempe, Iuris Eccleſiaſtici eſſe præceptum ieiunij, viatici autem, eſſe diuini iuris. Dices poteſt ex oppoſito ſaltem oriri ſcandalum, tam ęgroti, quàm amicorum, & parentum, maximè ſi Sacerdos ipſi teneatur, vt parochus parochianis miniſtrare Sacramentum. Reſpondetur non referre, quia ſcandalum illud debet alio modo euitari, aliàs poſſet etiam in menſa communi, & eadem vrgente neceſſitate celebrare ad communicandum infirmum ſine veſtibus ſacerdotalibus & reliquis, quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici, hoc nemo dicit: ſcandalum autem illud amicorum, & parentum non eſt fundatum, ſi ex eo præcisè concipiatur, quòd non ieiunus non celebret, quia ſic eſſet ſcandalum Phariſæorum, quod curari non debet, cum legis tranſgreſſione.

*Reſponſio.*

*Scandalum prætenſum.*

*Contemni debet.*

Dices, contritus debet celebrare, quando non adeſt copia confeſſoris, vt euitet ſcandalum, quamuis alioquin ſecluſo ſcandalo ex præcepto teneatur abſtinere. Reſpondetur in hoc extare Tridentini declarationem ſuprà præmiſſam, non ita in propoſito. Deinde per contritionem iuſtificatur, nec obligat præceptum præmittendæ confeſſionis, niſi quando adeſt copia confeſſoris. Tertiò, propter infamiā quam incurreret abſtinēdo. Dices, præcepta poſitiua maximè Eccleſiæ nō obligare cum graui incommodo, vt patet de præcepto audiendi Sacrum diebus feſtis: ergo etiam neque hîc. Reſpondetur, hîc non eſſe incommodum tale, quia infirmus non obligatur ad viaticum in caſu impoſſibili, qui reputatur præſens, cum Eccleſiaſticæ conſuetudinis, & præcepti vniuerſalis tranſgreſſione.

*Nequit Epiſcopus diſpenſare cum non ieiuno, vt conficiat.*

*Obligatio habendi Sacramētum in parochiis.*

Ex his reiicitur opinio eorum, qui putant Epiſcopum poſſe diſpenſare cum parocho, vt in eo caſu celebret, quia ius poſitiuum commune non ſubeſt diſpenſationi Epiſcopi, niſi in caſu conceſſo per ipſum ius, & repugnat etiam *canon 13.* Tridentin. *ſeſſ. 7. de Sacramentis in genere.* Sequitur ex hoc grauis obligatio parochorum ad habendum Sacramentum ſemper paratum ad vſum parochianorum.

49 *Quæ indiſpoſitio impediat communionẽ.*

*Quærendum vlterius*, an aliqua alia indiſpoſitio præter pœnam Canonicam, aut peccatum, de quo in ſequenti diſputatione agemus, impediat communionem, etiam in ieiuno, licèt cætera adſint? hæc indiſpoſitio reducitur ad habitum corporis, vel maculam aliquam indecentem: verbi gratiâ, ex pollutione nocturna, aut alia, ſiue ſit voluntaria, aut inuoluntaria.

*De habitu corporis.*

Quoad habitum corporis, nihil eſt determinatum in Canonibus, niſi tantùm de Sacerdotibus in capitulo *Eccleſiaſtica, diſt.* 23. quod eſt Concilij Bracharenſis III. quo præſcribitur, vt quando Sacerdotes communicantes accedant, ſtolam ſuper vtrumque humerum pendentem gerant ſub pœna ferendæ excommunicationis, quod videtur vſu receptum, ſaltem in Miſſa ſolemni, vt fit Feria V. in Cœna Domini, *Cùm Sacerdos*, inquit, *ad Miſſarum ſolemnia accedit, aut per ſe Deo Sacramentum oblaturus, aut Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti ſumpturus*, &c. vbi videtur loqui de communione in Miſſa ſolemni.

*Sacerdotes cõmunicantes ferant ſtolã.*

Religio autem, & reuerentia debita myſterio, exigit, vt deuotè, & reuerenter accedatur, vt Patres etiam monent. Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 5. *Pronus*, inquit, *accedat adorationis in modum, ac venerationis*: vnde Cyprianus in oratione Dominicam, ait, *placendum eſſe diuinis oculis etiam in habitu corporis*: ſed in hoc ſequendus eſt ritus Eccleſiæ. Quoad alia, de indiſpoſitione quoad maculam externam, deciduntur tres caſus de pollutione nocturna, de vſu matrimonij licito, de menſtruatis, ac etiam leproſis.

Cyrillus. *Modus accedendi ad Sacramentum.* Cyprian.

*Indiſpoſitiones corporis.*

50 *Caſus pollutionis inuoluntaria.* Suarez.

Reſponderur breuiter, qui paſſus eſt pollutionem nocturnam inuoluntariam, & ſine culpa, ſiue ex cauſa naturali, ſiue ex illuſione dæmonis, non debet abſtinere à communione, ita Suarez *diſp.* 68. *ſect.* 2. quia & dæmon, vt impediat propoſitum communionis, aliquando ex illuſione cauſat hunc effectum, qui contemni debet; magis autem ſi ex cauſa naturali eueniat.

Iuſtinus martyr.

Vnde Iuſtinus martyr quæſt. 21. ad gentes dicit, non eſt æquum propter hanc inuoluntariam paſſionem abſtinere à myſteriis. Idem docet Theophilus Alexandrinus *in ſuis reſponſionibus, reſponſione* 8. quod maximè verum eſt, ſi non relinquat affectus inordinatos in homine, qui impediunt deuotionem, & reuerentiam Sacramenti, vt diuagationes mentis, & remiſſiones in rebus ſpiritualibus tractandis. Conſultius erit, tum abſtinere ſecundùm aliquos, ob decentiam, donec tranſeant.

*Licitè communicat.*

Quòd ſi autem occurrerit aliqua neceſſitas, & vtilitas communicandi, poteſt non obſtantibus illis communicare, quia nullum eſt præceptum in contrarium: quamuis aliqui, cum D. Thoma, docent eſſe peccatum veniale accedere ob indecentiam: alij quidem neque per ſe eſſe veniale, ſed conſultius eſſe abſtinere ob decentiam. Omnes conueniunt non eſſe peccatum mortale communicare. Sed neque dari poteſt certa in hoc regula, ſequendum iudicium confeſſarij, conſiderandæ circumſtantiæ, quæ ad communionem impellunt, quia vbi non eſt lex, iudicium boni viri, & patris ſpiritualis interuenit.

D. Thom.

*Regula ſequenda.*

*Caſus de pollutione ex peccato.*

Quòd ſi contigerit talis pollutio ex peccato, certum eſt præmitti debere pœnitentiam; de reliquo autem conſultiùs abſtinet ob humilitatem, & decentiam eo die: tamen per ſe, peracta pœnitentia, idem dicendum eſt, ac de alia: vnde conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, quæ ad communionem impellunt, quia per ſe, cùm peccatum per pœnitentiam deletur, nihil manet, quod communionem per ſe impediat, cùm quamuis ob decentiam differenda quandoque ſit; neque eſt certa regula.

51 *Caſus de actu cõiugali.*

Circa ſecundum de actu coniugali, qui licitus eſt, ac proinde per ſe non impedit communionem, niſi quà tollit deuotionem, ſoler differri communio ob decentiam, & vt coniugati perducantur ad maiorem reuerentiam Sacramenti, non tamen ob neceſſitatem alicuius præcepti. Concilium Elibertinum, & refertur *de conſecratione diſt.* 2. *cap. Omnis homo*: ſtatuit vt quis ante ſacram communionem à propria vxore abſtinere debeat tribus, aut quatuor, aut octo diebus: ſed hoc eſt conſilij, non præcepti, vt cum maiori munditia mentis, & corporis accedatur: ſancti etiam Patres, vt Theophil. *ſuprà reſponſione* 5. & 12. Auguſtinus *ſuprà ſerm.* 206. & 244. *de tempore*. Hieronymus *in Apologia ad Pammachium*, idem docent: quòd maximè ſeruandum eſt, quando talis actus eſt ex nimia voluptate, non ad ſuperandam tentationem, & periculum peccati: qui autem reddit, & non petit debitum coniugale, minùs abſtinere debet à communione.

52 *Caſus de leproſis, & vl. ceroſis.* Innoc III. *Menſtruoſa.* Dion. Alex. Theoph.

Quantùm ad leproſum, ratione horroris, ac ſcandali, aliquando arcetur à communione: vnde Innocentius III. cap. *Nos tua, de cleric. egrot.* remouendum ab altari præcepit clericum leproſum ob præfata motiua. De menſtruoſis Dionyſius Alexandrinus *epiſtola ad Baſilidem*, *can.* 2. docet menſtruatas fœminas non debere accedere ad communionem: idem habet Theoph. Alexandrinus *in ſuis reſponſionibus, cap.* 7.

Theodorus Balſamon.

Idem dicendum de fœminis parturientibus, vnde Theodorus Balſam. in dictam epiſtolam, docet à Leone Imperatore per edictum cautum eſſe, ne quadraginta diebus accedant, ſed hoc nihil obligat.

Alenſis.

Alenſis ... *part. quæſt.* 37. docet conſuetudinem Eccleſiæ eſſe, vt aliquot diebus abſtineant: ſed hoc videtur potiùs eſſe ex ægritudine ipſarum, quæ nequeunt ad Eccleſiam accedere, neque ægritudo eſt talis, vt pro viatico communicari poſſint domi. Alia nõ recenſentur impedimenta, quamuis de leproſis, & vlceroſis idem dicendum ſit, ſi vlcus eſt graue, & horridum, præſertim in ore, aut facie. Cura tamen horum non eſt deponenda, ſed priuatim fiat, quod ſine offenſione aliorum nequit fieri in publico. Solos enim peccatores excluſit Paulus, & valde ſcandaloſum eſſet, ſi hi, quos Deus exercet ad patientiam, fierent contemptui, aut deſererentur.

53 *Controuerſia de integritate ſacrificij.*

c *Dico quòd in iſta caſu conſecrare ſanguinem*, &c. Ex fundamento huius concluſionis, quo aſſeritur integritas conſecrationis in vtraque ſpecie eſſe iuris diuini, & eccleſiaſtici à Doctore, & ſecundùm veritatem, vt probat benè, oritur difficultas inter modernos Theologos: vtrùm poſſit confici in vna tantùm ſpecie ſaltem ex diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ.

*Prima ſent. Aliquando conſecrari licitè poſſe in vna ſpecie.* Caſalius. Ruardus. Armacanus. Alanus. Claudius. Angelus.

Prima ſententia eſt, poſſe perfici ſacrificium hoc in vna tantùm ſpecie, pro qua citatur Gaſpar Caſalius, inclinare videtur Ruardus *in articulis, art.* 16. quia definit ſacrificium eſſe facere rem ſacram: ſed conficiendo in altera ſpecie id contingit: ergo, &c. & eandem ſententiam docuit Illuſtriſſ. Armacanus, magiſter meus Pater Cauellus, olim in hac materia: eandem tenet Alanus *de Euchariſtia, cap.* 20. & Claudius Sanctez *repetitione* 10. *cap.* 3. *de Euchariſtia*. Angelus *in ſumma*, verbo *Euchariſtia*:

*Eucharistia*:& saltem ita fieri ex dispensatione,sequitur ad sententiam eorum,qui docēt, sub vtraque specie consecrationem fieri esse tantùm iuris humani. Adrianus *in 4. quæst.6.* Maior *dist.9.q.3.* Alensis *lib.6.Compendy Theologiæ.* Richardus *a.13.* docet non esse contrarium certum fidei dogma. Nauarrus *in summa c.25.*dicit esse præceptum Ecclesiasticum.

Adrian. Alensis. Richardus.

*Sententia negatiua.* D.Thom. Marsilius. Caietan. Vasquez. Suarez.

Oppositam sententiam docent communiùs Theologi moderni,eam indicat D.Thomas *quæst. 74.art.1.& quæst.80. art.12.* Marsilius *in 4.quæst.6. art.1.*Caietanus *in 3.parte quæst.80.art.12.*Vasquez *disp.223.cap.3.* Suarez *disp.75.sect.6.*& alij, quos citant.

54

*Probabilia prima sent.*

*Prima conclusio*, prior est satis probabilis opinio,& probabilem indicat Vasquez, & patet ex authoritate Theologorū grauiū,qui eam docent: &quia eius oppositū nequit conuinci ratione,aut authoritate, totum enim dependet ab instituto Christi.Probatur conclusio,quia consecratio corporis non dependet à consecratione sanguinis, quæ fit per aliam formam, & aliam materiam: ergo habet suam per se significationem propriam:

*Probatio.*

*Esset sacrificium & Sacramentum.*

ergo in casu, quo fieret illa sola, fieret oblatio, sicut & Sacramentum; consistit enim oblatio in consecratione. Probatur consequentia, quia per consecrationem vini, non fit Christus præsens speciebus panis: ergo extra consecrationem non complet intrinsecè aliter in *esse* sacrificij,quàm in *esse* Sacramenti.Dices deesse significationem completam sacrificij, nisi accedat altera species. Contrà: sic etiam deest significatio completa Sacramenti, quod per modum conuiuij institutum est in cibo, & potu:sed hoc non obstante, contingit vsus vnius speciei in laicis: ergo maneret etiam significatio sacrificij, non totalis, & integra, sed partialis.

Confirmatur,illa consecratio,quantùm ad expressam significationem,esset solius corporis sine sanguine,& sine hoc etiam concomitante, si fieret in triduo: ergo repræsentaret sacrificium crucis, explicitè quidem corpus seorsim, implicitè verò separationem sanguinis. Dices requiri ex præcepto diuino consecrationem sanguinis:contrà,hoc non colligitur ex facto Christi, sicut non colligitur ex eodem facto communio sub vtraque specie à laicis, quamuis sub vtraque communicauit Apostolos in Cœna.

*Non esse præcepti diuini consecrationē in vtraque.*

Accedit, quod multi expositores in Lucæ 23. quando duo discipuli euntes in Emaus castellum cognouerint Iesum in fractione panis, docent, inquam, tum consecrasse Christum in vnica tantùm specie: ergo ex facto non suppetit argumentum efficax,quo probetur illud præceptum.Dices colligi præceptum ex illis:*Hoc facite in meam commemorationem*:contrà, ex eodem colligitur, vt explicat Trident.*sess.13.c.2.* per sumptionem etiam Sacramenti celebrari memoriam passionis, sed communio fit à laicis sub vna tantùm specie: ergo. Deinde vt habetur apud Lucam cap.22. subiecit Christus illa verba alterutrius speciei consecrationi:ita etiam refert Paulus *1.ad Corinth.11.* apud quos tantùm illa verba habentur.: ergo in alterutrius speciei consecratione celebratur illa memoria.

Trident.

*Consecratio facta à diuersis.*

Confirmatur secundò, quia si vnus Sacerdos consecrans corpus,expiraret,antequam consecraret calicem,& alius mox,vt compleret sacrificium consecraret calicem, sequeretur quòd neuter sacrificaret, quod est absurdum. Probatur sequela, quia neuter completè consecrat; Ecclesia tamen ordinat complementum sacrificij fieri per alium in eo casu: ergo vterque sacrificat, quamuis alteram speciem seorsim consecret.

Ex his patet conclusio, suppositio nempe iure Ecclesiastico hanc connexionem indici tantùm, non esse dubium,in ea posse Pontificem dispensare, & quandoque dispensasse docet Onufrius Panuinus in Chronico, Innocentium VIII. anno 1490. præterea Innocentium IV. refert Volaterranus dispensasse cum Noruegiis,apud quos non poterat reperiri,aut conseruari vinum ob vehementiam frigoris sub polo. Quidquid sit de veritate illius historiæ, quæ non reperitur inter acta Ecclesiastica, & solus Innocentius dicitur id fecisse à Volaterrano, qui anterior est:non dicit tamen commodè ad propositum:dum asserit enim Noruegiis permisisse vsum calicis sine vino, quod erroris est. Sed responderi potest lapsum fuisse,quia nempe Pontifex consecrationem corporis sine calice eis permiserit; calix enim alterius liquoris nequit consecrari: quidquid autem sit de veritate historiæ,

Onufrius.

Volaterr.

*Dispositio facta.*

Probatur, etiamsi præceptum hoc esset iuris diuini, posse Pontificem in eo dispensare, accedente necessitate communi alicuius regni, quando defectu vini nequiret haberi vsus sacrificij,aut Sacramenti:quia alia etiam iuris diuini præcepta quædam (quia necessitati publicæ aliter non esset prouisum) dispensandi potestas est apud Pontificem,vt in voto,iuramento,matrimonio rato, quæ sunt iuris diuini:ergo, quando vtilitas publica id exigeret, posset etiam Pontifex in hoc præcepto dispensare à paritate. Deinde est præceptum diuinum, vt consecrans communicet sub vtraque specie, sed noui Sacerdotes, qui consecrant simul cum Episcopo,communicant tantùm sub vna specie: ergo.

55

*Secunda probatio. Dispensari posse etiamsi integritas esset præcepti diuini.*

*Respōsio Vasquez impugnatur.*

Respondent quidam, vt Vasquez ad primas tres instantias,non dispensare Pontificem in voto,iuramento,& matrimonio, sed tollere promissionem,ac materiam iuramenti factam Deo, ac si ipsi Pontifici fieret. Sed hæc solutio non valet, quia non ipsi fit promissio;vnde nequit tolli, nisi ab ipso, qui habet potestatem relaxandi obligationem præcepti, quod directè respiciat ipsam. Quoad matrimonium dicit tolli contractum, & sublato contractu desinere obligationem: neque hæc etiam satisfacit: quia ideò tenet contractus, quia habet annexam obligationem: ergo qui nequit tollere obligationem,nequit rescindere contractum: ex hoc autem rescinditur, quia tollitur obligatio in cuius virtute tenet: alioquin sicut contractus alij ex consensu partium rescindi possent, quia non tenent, nisi manente consensu vtriusque, neque inducunt obligationem aliter: ita etiam posset rescindi matrimonium ratum ex vtriusque partis consensu præsente,nisi obligatio præcepti faceret illud perpetuum, quæ, inquantùm tollitur per Pontificem, relaxatur, alioquin non est in potestate Pontificis consensus præteritus, quin fuerit, & etiam legitimus: ergo solùm obligatio præcepti cadit in dispensationem.

*Pontifex directè relaxat ipsam obligationem.*

Præceptum communionis sub vtraque specie dicit idem author non obligare,nisi principaliter offerentem,qui est Episcopus. Contrà, quia hoc præceptum oritur ex consecratione,sed consecratio non magis fit ab Episcopo,quàm ab aliis,quia idem character sacerdotalis inuenitur in singulis,& eiusdem potestatis est,& singuli concipiunt intentio

*Eadem potestas consecrandi in Episcopo, & Sacerdote.*

intentionem in his: ergo ſicut ſunt pares, ita non inuenitur aliquis principalis offerens, quoad conſecrationem.

56 *Diſpenſatio facta ab Eccleſia.*

Cæterùm, quia ad reuerentiam Sacramenti facit, vt communio ſub vtraque ſpecie non fiat, niſi à ſolo Epiſcopo, videtur authoritate Eccleſiæ diſpenſantis hic mos inductus: vel ergo non eſt præceptum diuinum, aut ſi eſt, ſubeſt authoritati Eccleſiæ, cui commiſſa eſt diſpenſatio myſteriorum, quando reuerentia Sacramenti, & vtilitas populi exigit, non eſſe obſeruandum.

*Trident. Authoritas Eccleſiæ circa Sacramenta.*

Confirmatur ex Trident. ſeſſ. 21. cap. 2. *Præterea declarat ſancta Synodus hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſaluâ illorum ſubſtantiâ, ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum, varietate magis expedire iudicaret*, &c. Sed expedit vtilitati communi totius regni, aut prouinciæ, in qua vinum haberi nequit, aut conſeruari, vt vſus huius Sacramenti, ad quod omnes obligantur, non intermittatur: ergo.

*Præceptum de integritate ex diuinâ præcepto diuino.*

Confirmatur ſecundò, ſacrificium offerre, vel poſſe offerre, eſt neceſſarium, & in omni lege obſeruatum, ac proinde ſaltem præcepti diuini, ſuperioris obligationis, quàm ſit præceptum de conſecratione ſub vtraque ſpecie: ergo in iis partibus, in quibus nequit haberi altera ſpecies, aut conſeruari, eſſet valde durum aſſerere non licere offerre ſacrificium, quod vnicum eſt in lege noua, aut hanc connexionem vtriuſque ſpeciei, ita inſtitutam eſſe, vt relaxari non poſſit, cùm Chriſtus vniuerſalem eſſe voluit vſum Sacramenti, & ſacrificij in tota Eccleſia.

*Præceptū ſacrificij, & Sacramenti ex fine ſtrictius eſt.*

Antecedens quoad ſecundam partem probatur, quia finis præcepti de ſacrificio offerendo eſt altior, quàm ſit præcepti de connexione vtriuſque ſpeciei, nempe finis illius eſt cultus Dei; huius autem eſt ſignificatio, ſeu repræſentatio explicita ſacrificij Crucis: hæc autem ſuppletur per repræſentationem tam explicitam, quàm implicitam, & ſicut memoria paſſionis per communionem vnius ſpeciei celebratur ex Tridentino, ita per conſecrationem. Accedit, quòd in vna ſpecie ſola inuenitur veritas rei oblatæ, nempe totus Chriſtus. Ex his patet ad ea, quæ obiiciuntur ex Patribus, aut Conciliis, quia loquuntur ordinariè, vt ſit ſacrificium, non in caſu.

57

*Secunda concluſio*, etiam probabilis eſt altera ſententia, nempe eſſe præceptum diuinum huius connexionis, quia ſollicitudo Eccleſiæ in ea connexione videtur interpretari hanc connexionem, quia non permittit vllo caſu ſacrificium mancum, & vt obſtaret, diſpenſat in præcepto ieiunij, vt patet ex caſibus ſuprà allatis, & memoria paſſionis completa, & expreſſa videtur exigi ad ſacrificium, quam explicant Patres, & Doctores per imitationem eſſe in vtriuſque ſpeciei conſecratione.

*Reconciliatio vtriuſque ſententiæ.*

Cæterùm inter vtramque ſententiam mediari poteſt hoc temperamento, vt conſecratio vtriuſque ſpeciei de præcepto diuino, & ordinaria lege, quando poteſt vtraque materia haberi: quando autem nequit haberi, præualeat neceſſitas ſacrificij in aliquo populo, aut nationę huic præcepto conſecrationis vtriuſque, vt haberi poſſit vſus tam ſacrificij, quàm Sacramenti, qui præponderat præcepto de conſecratione integra.

Exemplum poteſt eſſe in aliis Sacramentis, verbi gratiâ, confeſſio verbalis eſt de eſſentia Sacramenti Pœnitentiæ, vt definit Tridentinum, & confeſſionis etiam integritas, vt patet *ſeſſ. 14. cap. 5.* hoc tamen de lege ordinaria: in caſu autem, quo quis eſſet mutus, aut ex infirmitate amitteret vſum linguæ, non currit obligatio confeſſionis verbalis, ſufficit confeſſio per ſigna, & nutus: ſufficit etiam confeſſio aliquorum peccatorum, quando timetur mors præſens, & non ſuperfore tempus integræ confeſſionis: ſic etiam in propoſito explicandum.

*Præceptum diuinum confeſſionis verbalis ceſſat in caſu.*

*Ita etiã præceptum integræ confeſſionis.*

In Sacramento Confirmationis, Miniſter ordinarius, non ſolùm quoad poteſtatem, ſed etiam quoad præceptum, eſt Epiſcopus: in caſu tamen quo aliquis populus, aut natio non haberet Epiſcopos, ex diſpenſatione Pontificis, poteſt confirmatio fieri à Presbytero, vt communior fert ſententia modernorum cum Doctore *ſuprà diſt. 7. quæſt. 1.* & habetur *diſt. 59. cap. Peruenit*: vbi Gregorius in Sardinia confirmauit hunc vſum confirmandi Presbyteris, vbi non erant Epiſcopi: & inſinuat Trident. ſeſſ. 7. de Confirmatione, can. 3. *Si quis dixerit ſancta Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem, anathema ſit.* Hic ergo modus reconciliandi illas opiniones videtur congruus, quamuis à Doctoribus non tradatur, reduci tamen poteſt ad principia eorum, qui tenent primam ſententiam: nec magis videtur in præceptis aliorum Sacramentorum congruum fuiſſe hoc temperamentum præcepti diuini, quàm in ſacrificio, & Sacramento altaris: & videtur magis conforme ſuaui diſpoſitioni, & prouidentiæ Saluatoris, quia hoc modo prouiſum eſt vniuerſaliter toti Eccleſiæ: vnde ſicut materia huius Sacramenti eſt panis triticeus in genere non reſtricta ad ſpeciem hanc, aut illam, quæ in omnibus partibus non inuenitur, & vinum vitis ſine diſcretione ſpeciei, ad eum finem, vt materia ſuppetat Sacramenti toti Eccleſiæ, & ſacrificij: ſic etiam congruum erat præceptum non ligare ad conſecrationem vtriuſque ſpeciei in communi neceſſitate, vbi altera haberi non poſſet, aut conſeruari: quod eſſet priuare magnam partem Eccleſiæ myſterio, propter impoſſibilitatem habendi alteram ſpeciem. Hæc quoad veritatem ſpeculatiuam huius caſus: praxis autem attentari non debet ſine declaratione, & licentia Sedis Apoſtolicæ, cui communicata eſt poteſtas interpretandi legem, & diſponendi circa miniſterium Sacramentorum, & ſacrificij.

*Aliud exemplum de confirmatione.*

Gregor.

Trident.

*Hæc differentia concordat inſtitutioni myſterij.*

*Deciſio ſpectat ad Pontificem.*

58 *Explicatur Doctor.*

Hæc reſolutio non eſt contra Doctorem in præſenti litera: quamuis enim præceptum de integritate Sacramenti, aut ſacrificij ſit iuris diuini, vt ipſe docet, tamen cedit fortiori præcepto, & ſtrictiùs obligant in caſu poſito. Cætera quæ ſpectant ad doctrinam moralem ſumptionis Sacramenti de præcepto, & diſpoſitione requiſita, commodiùs tractabuntur in diſtinctione ſequenti, quia litera maiorem occaſionem hæc tractandi inſinuat.

# DISTINCTIO NONA.

ET sicut duæ sunt res illius Sacramenti, ita etiam duo modi manducandi. Vnus sacramentalis, scilicet, quo boni, & mali edunt: alter spiritualis, quo soli boni manducant. Vnde Augustinus, [Quid est Christum manducare? Non est hoc solum in Sacramento corpus eius accipere: multi enim indignè accipiunt: sed in ipso manere, & habere ipsum in se manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in vnitate Christi, & Ecclesiæ, quam Sacramentum significat, manet. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium sui quotidie accipiat.] Spiritualem manducationem Augustinus distinguens à sacramentali, ait, [Vt quid paras ventrem, & dentem? crede, & manducasti.] [Credere enim in eum, hoc est, comedere panem viuum. Qui credit in eum, manducat eum.] Item, [Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit? Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Si in me manet, & ego in eo, tunc bibit: qui verò in me non manet, nec ego in illo: & si accipit Sacramentum, acquirit magnum tormentum.] Item, [Nulli ambigendum est tunc quemquam corporis, & sanguinis Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam illum panem edat, & calicem bibat, de hoc sæculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat: quia illius Sacramenti beneficio non priuatur, quando ille habere hoc, quod illud Sacramentum signat, inuenitur. In illo enim Sacramento corpus & sanguinem suum nobis commendauit, quod & fecit nosipsos. Nam & nos corpus ipsius facti sumus.] Item, [Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec sanguinem bibit: & si tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi quotidie accipit.]

A

*Homil. 26. sup. Ioan. & lib. sentent. Aug. cap. 339. & habe. de conf. dist. 2. cap.* Quid est Christum? *Aug. tract. 25. & 26. sup. Ioan. Ibid. de verb. Dom. serm. 11. & habe. de cõs. dist. 2. cap.* Quid est Christum? *Augus. ad* infantes ad altare, de Sac. *& habe. de cõs. dist. 2. cap.* Quia passus, *par.* ita Dominus noster. *Aug. lib. sẽtent. c. 339. & habe.* qui discordat. *De consec. dist. 2.*

## *De errore quorundam, qui dicunt à bonis tantùm corpus Christi sumi.*

B

HÆc verba, & alia huiusmodi, vbi de spirituali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine inuoluti sunt adeò, vt præsumpserint dicere corpus, & sanguinem Christi à bonis tantùm sumi, & non à malis. Sed indubitanter tenendum est à bonis sumi, non modò sacramentaliter, sed & spiritualiter. A malis verò tantùm sacramentaliter, id est, sub Sacramento, scilicet sub specie visibili carnem Christi de Virgine sumptam, & sanguinem pro nobis fusum sumi: sed non mysticam, quæ tantùm bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis. Gregorius, [est quidem in peccatoribus, & indignè sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis: sed essentiâ, non salubri efficientiâ.] Item, Augustinus, [Multi indignè accipiunt corpus Domini, de quibus Apostolus ait, Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Per quod docemur, quàm sit cauendum, malè accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum malè accipitur bonum, sicut econtrà, Apostolo factum est bonum, cùm benè accipitur malum, scilicet, dum stimulus Satanæ patienter portatur. Ergo & mala prosunt bonis, sicut Angelus Satanæ Paulo,] [& sancta obsunt malis, bonis sunt

*Cap. 1. lib. 2. exposit. 1. Reg. circa med. Sup. Ioan. tract. 26. post. med. Tom. 8. 1. Cor. 11. f*

*2. Cor. 12.*

*Aug. tract. sup. Ioan. 6. post med. Tom. 9. Aug. lib. de Bapt. cõtra Don. 5. c. 8. Tom. 7. 1. Cor. 11. f*

sunt ad salutem, malis ad iudicium. Vnde qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non quia res illa mala est, sed quia malus malè accipit quod bonum est.] Idem, [Indignè qui sumens corpus Christi non efficit, vt quia malus est, malum sit quod accipit: vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim, & sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus ait Apostolus: Qui manducat indignè, &c.] His aliisque pluribus apertè ostenditur, quòd etiam à malis verum corpus Christi & sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

## *De intelligentia quorundam verborum ambiguorum.*

*C Aug. hom. 16. sup. can.* quoad sententiam, *& in glo. 1. Cor. 2.* Quotiescunque.

SEcundùm hos duos modos sumendi, intelligentia quorundam verborum ambiguè dictorum distinguenda est. Ait enim Augustinus, [Bonus accipit Sacramentum, & rem Sacramenti, malus verò Sacramentum, & non rem.] Sacramentum hîc dicit corpus Christi proprium, de Virgine natum. Rem verò spiritualem Christi carnem. Bonus ergo vtramque Christi carnem accipit: malus verò tantùm Sacramentum, id est, corpus Christi sub Sacramento, & non rem spiritualem. Item, Non manducans manducat: & manducans non manducat: quia non manducans sacramentaliter, aliquando manducat spiritualiter, & è conuerso. Et qui manducant spiritualiter, veritatem carnis, & sanguinis dicuntur sumere [quia ipsam efficientiam habent, id est, remissionem peccatorum:] pro qua videtur orari, cùm dicitur, Perficiant in nobis Domine quæsumus tua Sacramenta quod continent, vt quod nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus. Rerum veritatem, dicit ipsam efficientiam: quasi dicat, Per hæc Sacramenta præsta, vt sicut sacramentaliter carnem Christi sumimus, ita spiritualiter sumamus. Vel petit Sacerdos, vt Christus, qui nunc sub specie panis, & vini sumitur, manifestâ visione, sicut in essentia diuinitatis est, quandoque accipiatur. Constat ergo à bonis, & à malis sumi corpus Christi: sed à bonis ad salutem, à malis ad perniciem.

*In complenda Missa. Greg. in ho. Pasch. quæ est 22. in Euang. & hab. de cõse. dist. 2.* Species.

---

IN ista distinctione nona tractat Magister de perceptione Sacramenti istius. Et prima pars manet indiuisa, in qua determinat veritatem. Secunda pars, quæ incipit ibi, [*Hæc verba, & alia.*] In qua scilicet excludit errorem circa veritates determinatas, diuiditur in duas. Primò namque excludit errorem circa istam perceptionem Sacramenti. Secundò, alium circa rem Sacramenti, & sic errores excluſi correspondent veritatibus prædeterminatis. Secunda pars incipit in principio *distinct.* 10. ibi, [*Sunt quidam alij.*]

---

## QVÆSTIO VNICA.

### *Vtrùm existens in peccato mortali, peccet mortaliter percipiendo Sacramentum Eucharistiæ?*

Alens. 4. *p. q.* 46. *m.* 5. D. Bonau. *hîc art.* 2. *q.* 2. D. Thom. *q.* 2. *& 3. p. q.* 80. *a.* 4. *s.* Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 66. *s.* 1. 2.

1

*Argum.* 1.

IRca istam distinctionem quæro tantùm vnam quæstionem de perceptione Sacramenti istius. Vtrùm, scilicet, existens in peccato mortali peccet mortaliter percipiendo hoc Sacramentum? Videtur quòd non, quia nullus peccat faciendo illud, ad quod tenetur: sed aliquis quandoque non obstante, quòd sit in peccato mortali, tenetur communicare: ergo, &c. Probatio minoris in duobus casibus.

casibus, Extrà *Omnis vtriusque sexus, de pœnit.& remiss.* dicitur, quòd omnis Christianus tenetur semel in anno communicare.

Item, *de consecrat. distinct.2. Relatum*, dicitur, quòd Sacerdos, qui consecrauit, tenetur percipere Sacramentum: & tamen possibile est, quòd tunc sit in peccato mortali, vel tempore intermedio incidat in peccatum mortale: & tunc non tenetur confiteri, quia tantùm semel in anno sufficit.

Item nullus tenetur confiteri, nisi semel in anno, vt patet Extrà *Omnis vtriusque sexus*, &c. ergo potest exercere sibi actus conuenientes, etsi non pluries confiteatur: ergo Sacerdos potest pluries celebrare quantumcumque peccauerit sine iterata confessione. Non enim videtur quare dictum præceptum non sibi sufficiat ad salutem in semel confitendo, sicut & alteri Christiano, cùm non videatur speciali lege adstrictus. *Argum.2.*

Contrà, primæ Corinth. 11. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit*; talis est huiusmodi, qui non spiritualiter est membrum Christi, & percipit Eucharistiam, quæ perceptio significat ipsum spiritualiter incorporari Christo. Præterea, Augustinus *super Ioan.homil.26.*loquens de malo Sacerdote, *Tantæ*, inquit, *rei Sacramentum, ad iudicium percipit.* *Ratio ad opp.*

## COMMENTARIVS.

1 Circa istam distinctionem, &c. In primo argumento ad oppositum, eiúsque solutione insinuat Doctor præceptum Ecclesiasticum annuæ communionis, adiungemus etiam & diuinum: & naturam vtriusque per sequentes conclusiones explicabimus.

2 *Præceptũ diuinum Eucharistiæ.* Alensis. D.Thom. Caietan. *Prima conclusio*: datur præceptum diuinum sumptionis huius Sacramenti: est communis iam Catholicorum; quamuis pauci docuerint contrarium. Alensis 4.*part.quæst.*5 1.*m.*4. D.Thomas *in* 4. *dist.*9. *quæst.*1. *art.*1. *quæstiuncula* 2. quos sequitur Caietanus 3.*part. quæst.*80. *art.* 8. Conclusio probatur Ioannis 6. ex comminatione Christi, & promissione: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis*, &c. *non habebitis vitam in vobis:* at si non esset obligatio manducandi carnem, haberemus sine ea in nobis vitam: ergo. Deinde illa verba secundùm proprietatem sic explicari debent; neque est vlla inconuenientia. Dices, intendi tantùm per illam difficultatem conseruandi vitam sine communione; non autem *Responsio.* *Impugnatur.* quòd sit præceptum; contrà, quia sic etiam omnia alia similia explicari possint: vt illud; *Nisi quis renatus fuerit*, Ioannis 3. quod explicat præceptum & obligationem: deinde Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. præceptum sonat, neque illud tantùm ad consecrationem refertur, sed etiam ad sumptionem Sacramenti, neque ad solos Sacerdotes, sed etiam ad cæteros; vt docet Trident. sess. 13. cap. 2. *In illius,* Trident. inquit, *sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suámque annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat*, &c. Alludit autem ad verba illa, quæ continere præceptum docet: & Apostolus etiam 1. *ad Corinth.* 11. vbi agens de communione, idem insinuat.

*Responsio Caietani impugnatur.* Caietanus asserit hîc tantùm præcipi modum sumptionis, vt cum probatione fiat, si fiat, & in memoriam Passionis Christi. Contrà, inde sequeretur, quòd qui communicaret sine memoria Passionis, transgrederetur; quod nemo asserit: memoria ergo, quam præcipit celebrari hîc, est con- *Confirmatur.* fectio, & sumptio Sacramenti. Confirmari potest, quia Ecclesiæ præceptum de hoc Sacramento, & communione eius, videtur determinatio iuris diuini, quia non solet præcipere tam rigorosè vsum Sacramenti, cuius non est præceptum diuinum; vt patet in Sacramento Matrimonij, & Ordinis, in quibus non est præceptum diuinum, neque Ecclesiasticum; quamuis disponat Ecclesia circa vsum ipsorum: deinde patet in sacramento Confirmationis, secluso contemptu eius, in quo etiam non inuenitur præceptum diuinum, neque Ecclesiasticum de eius sumptione in aliquo tempore determinato: ergo hinc interpretari licet præceptum diuinum. *Interpretari debet præceptum diuinum ex Ecclesiastico.*

*Secunda conclusio*: hoc præceptum non comprehendit infantes, & qui reputantur tales, vt qui nunquam habuerunt vsum rationis, neque illis etiam tenentur Pastores ministrare hoc Sacramentum; patet ex Tridentino *suprà* citato, & dictis ibi, de iis, qui sunt capaces Sacramenti. 3 *Non comprehendit infantes.*

*Tertia conclusio*: omnes adulti vsum rationis habentes, siue baptizati, siue non baptizati, hoc præcepto tenentur ad communionem. quoad baptizatos patet ex dictis, quia præceptum est generale; quoad non baptizatos patet ex eadem ratione, quia præcepta generalia Dei omnes adultos comprehendunt capaces, non baptizati sunt tales, quia possunt baptizari, & participes fieri Sacramenti. Confirmatur, quia Iudæi, *Confirmatur.* quibus datum est hoc præceptum, maxima ex parte non fuerunt baptizati, neque discipuli Christi, quia, vt patet ex Ioan. 6. repugnabant, & præferebant manna, & Moysen Christo. Item, qui sunt in peccato mortali non possunt hoc Sacramentum sumere in eo statu; obligantur tamen præcepto: ergo similiter non baptizati. Ex hoc patet ad obiectionem, quæ fieri potest, quia non baptizati non sunt capaces. Respondetur ex dictis, in potestate ipsorum esse vt fiant capaces. Dices, præceptum confessionis non obligat omnes: ergo neque hoc: respondetur negando consequentiam, disparitas est, quia materia confessionis est peccatum post Baptismum commissum, ideò non obligat infideles (secundùm aliquos, cuius contrarium infrà probabimus cum Doctore d. 17. vbi id fusiùs tractabitur) neque eos qui non habent peccatum mortale commissum post Baptismum comprehendit præceptum diuinum saltem Sacramenti. 4 *Comprehendit adultos in vsu rationis omnes.*

*Quarta conclusio*: tempus præcepti Eucharistiæ diuini adimplendi est saltem periculum mortis, non solùm si aliàs non communicauerit in vita; 5 *Quãndo obligat præceptũ diuinum.*

ſed etiamſi aliàs communicauerit, quidquid dicat Victoria *in Summa*. Primum per ſe patet: ſecundum probatur, quia quæuis præcepta maximè eo tempore videntur obligare, quo fini eorum aſſequendo eſt magis neceſſarium, in periculo autem vitæ, maximè opportunus eſt finis huius Sacramenti: ergo, &c. Idem patet ex ſollicitudine, quam Eccleſia habet erga ægros, vt ſine hoc Sacramento non decedant; vt patet ex Concilio Niceno I. *can.* 12, vbi id præcipit ſeruari, iuxta antiquam conſuetudinem, ne quis decedat ſine viatico: tertiò, quia expedit morientem ſigno externo profiteri communionem Catholicam, ad quem effectum inſtituta eſt communio.

Concil. Niceno.

*Obligatio præcepti ex circumſtantijs, & fine.*

*Reſponſio. Communio danda moribundis.*

Dices, Eccleſiam ſolitam fuiſſe priuare communione morientes aliquos totâ vitâ, etiam in morte, ob delicta; quod non fieret, ſi morientes in fine vitæ obligarentur præcepto communionis. Reſpondetur, licèt in aliquibus Conciliis Prouincialibus ita ſtatutum inueniatur, & inter Canones pœnitentiales aliquot etiam eiuſmodi habeantur pro terrore peccatorum: tamen Eccleſia reuocauit hanc conſuetudinem, vt conſtat capitulo *Super eo. de hæreticis, in 6.* vbi præcipitur, vt hæreticis etiam relapſis, ideóque damnatis ad mortem, ſi pœniteant detur communio.

*Impugnatur.*

*Motus proprius Pij V.*

Patet etiam ex proprio motu Pij V. dato anno 1569. per quem in Hiſpania abrogata eſt conſuetudo non dandi communionem damnatis ad mortem, vt Suarez teſtatur *diſput. 69. ſect. 3.* Deinde reſpondetur, licèt obligatio ſit ex parte periclitantis, vt ſumat Euchariſtiam, tamen Eccleſiam iuſtis de cauſis poſſe ipſi ſubtrahere miniſterium. Dices, ſi aliquis periclitaretur eo anno, vel aliquot menſibus, quo quis ſumpſit communionem, non tenetur communicare de nouo. Reſpondetur, quòd communio, ſi præceſſerit aliquot diebus, & paucis antequam accedat ad mortem, reputari poſſit pro viatico; falſum tamen eſt, ſi aliquot menſibus: vt patet ex conſuetudine, quæ vel in hoc habet vim legis, vel certè eam interpretatur; & hoc in praxi ſequendum eſt: quidquid ſit de veritate ſpeculatiua ſecundùm aliquos, quin etiam ſpeculatiuè: nam duplex præceptum eſt communicandi, alterum abſolutè in vita ſaltem, alterum ratione periculi, & mortis; quod tenendum eſt, ſiue poſt priorem communionem quis peccauerit mortaliter, vt aliqui tenent, ſiue non; quia hæc obligatio non incurritur ratione peccati præteriti; neque ad ſatisfactionem eius ordinatur, ad quam pœnitentia exigitur, non communio: neque fructum prioris communionis tollit peccatum, quia eo recedente, reuiuiſcit, ſed inducitur præceptum ad maiorem incorporationem in Chriſto, & acquirendi eius auxilium in finali lucta, ad proteſtationem publicam communionis cum corpore myſtico, quod eſt Eccleſia, & alia eiuſmodi.

Suarez.

*Eccleſia poteſt iuſtis de cauſis ſubtrahere viaticum.*

*Duplex tempus communionis, & præceptum.*

6 *Obligare aliquoties hoc præceptum.* Sotus. Sua ez. Vaſquez.

Probabile etiam eſt, quòd aliquoties in vita debeat quis communicare ex præcepto diuino; vt tradunt Sotus, Suarez, Vaſquez, aliíque; ex illa congruentia, quòd hic ſit cibus, & alimentum, ad quod neceſſarius eſt frequentior acceſſus: intra annum autem nemo tenetur communicare, quia Eccleſia alioquin frequentiorem communionem præciperet, ſi ad tres annos differret; aliqui docent eum peccare contra præceptum diuinum; ſed incertum eſt tempus, intra quod teneatur quis communicare: ego ſanè dixerim, in vehementi periculo lapſus ſpiritualis, ſi ex fine Sacramenti, eiuſque inſtitutione diſcurrere licet, opportunam eſſe communionem, quando cum debita reuerentia fieri poteſt; imò fortè eſſe ſub obligatione, quia non video cur alioquin eſſet de iure diuino neceſſaria communio in tranſitu mortis, niſi ob pericula illius articuli potiſſimùm: ergo quotieſcumque vrget eadem cauſa; etiam eadem obligatio recurret: ad quod facit, quod ſuperiùs dictum eſt, ægrè admodum ſecundùm Doctores haberi poſſe perſeuerantiam in vita ſpirituali ſine communione: ergo ad ſuperandas maximas tentationes, & pericula maximè adhibenda eſt, cùm ſit medium regulariter ad hoc datum; & ex circumſtantiis interpretari liceat præceptum.

7 *Præcepti Eccleſiaſticum communionis.* Conc. Lateranenſi.

*Quinta concluſio:* datur præceptum Eccleſiaſticum communionis in Paſchate. Patet ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. & habetur capitulo *Omnis vtriuſque ſexus, de pœnitentia: Omnis vtriuſque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, ſemel ſaltem in anno confiteatur, ſuſcipiens reuerenter, ad minùs in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprij Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus, ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum; alioquin & viuens ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſtica careat ſepultura*, &c. Tridentinum ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis negauerit omnes, & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, non teneri ſingulis annis ſaltem in Paſchate ad communicandum, iuxta præceptum ſanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit.* In his Eccleſiæ ſtatutum habetur.

Trident.

8 *Explicatur ſtatutum.*

Aduertendum ad declarationem huius legis, non teneri ſtultos, neque pueros hoc præcepto; quando autem pueri hac lege teneantur, pendet non tam ex annis, quàm ex diſcretione & inſtructione circa hoc myſterium, & alia doctrinæ Chriſtianæ, quod permittitur iudicio diſcreti confeſſarij. Tempus præſcriptum communioni, iuxta declarationem Eugenij IV. & praxim, eſt à Dominica Palmarum, vſque ad Dominicam in Albis: in aliquibus tamen locis, vt Mediolani, & Conimbricæ, communio quocumque die Quadrageſimæ habetur pro Paſchali.

*Tempus præſcriptũ communionis.*

9 *Communicãs mala fide an ſatisfaciat?*

*Sexta concluſio:* qui communicat cum conſcientia peccati mortalis, & ſacrilegè, ſatisfacit præcepto communionis Eccleſiaſtico, non autem diuino. Secunda pars patet ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 11. *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, &c. Prima ferè eſt communis Doctorum: probatur, quia Eccleſia ſolùm actum communionis externum præcipit, quem præfatus integrè ponit; & quamuis intendat actum illum fieri cum debita reuerentia: vel intelligitur reuerentia externa, quæ etiam exhibetur; vel interna debitæ diſpoſitionis; & hanc non præcipit; ſed de ea inſtruit, eámque præcepto diuino præceptam ſupponit: deinde, vt communiter habetur, finis præcepti non cadit ſub præcepto, ſed extrinſecus eſt; præceptum autem determinat medium ſub obligatione non ipſum finem, niſi extrinſecè: deinde Eccleſia vſum Sacramentorum, ac ritum præcepit, non autem ea quæ ſunt de ſubſtantia, quia hæc cadunt ſub diuino præcepto; & fruſtrà accederet præceptum Eccleſiæ, quod maiorem obligationem non inducit; quamuis

*Satisfacit præcepto Eccleſiæ, & non diuino.*

*Communis ſententia probatur.*

uis aliquando pœnam adiiciat transgressoribus: deinde non iudicat de occultis, sic etiam neque præcipit de iisdem, quia præceptum, & lex supponunt scientiam, per quam cognosci possit de causa. Dices, requiritur vt in sumente sit voluntas accipiendi Sacramenti, vt præceptum adimpleat. Respondetur talem esse: alioquin qui sumeret Sacramentum non discernens inter ipsum, & communem cibum; sicut verè non sumeret Sacramentum, vt Sacramentum, sic non adimpleret præceptum, quod est de sumendo Sacramento: sufficit ergo quòd sumat cum ea voluntate sumendi Sacramenti, quæ est alterius rationis à voluntate sumendi Sacramentum dignè.

*Opposita sententia.*

Oppositum huius docuit Durandus *in* 2. *dist.* 28. *quæst.* 4. Capreolus *dist.* 41. *quæst.* 1. *art.* 3. qui generaliter loquuntur de præceptis Sacramentorum supernaturalibus, quatenus gratiam sanctificantem exigunt ad eorum impletionem. Adrianus *in* 4. *in materia de Confessione*, *quæst vltima*, docet in specie gratiam sanctificantem requiri etiam ex vi præcepti Ecclesiastici huius Sacramenti.

*Pœna apposita statuto.*

Pœnæ, quæ transgressoribus huius Sacramenti imponuntur, sunt, arceri ab ingressu Ecclesiæ, & carere sepultura Ecclesiastica, quæ ipso facto non incurruntur, antequam infligantur: solent etiam excommunicari, & in quibusuis Diœcesibus, & Conciliis Synodalibus, extant decreta specialia in hoc genere.

10 *Impeditus nõ tenetur anticipare communionem.*

*Septima conclusio:* qui præuidit impedimentum communionis Paschalis, non tenetur communicare per anticipationem ex vi præsentis decreti: probatur, quia aliàs cessante impedimento, non teneretur communicare tempore præscripto, quod falsum est: si ergo tenetur per talem communionem anticipatam, non adimpleuit præceptum; & consequenter ad eam non tenebatur ex vi præcepti. Ratio etiam à priori est, quia quando præceptum determinat non solùm substantiam actus, sed etiam circumstantiam temporis, in quo adimpleri debet; tunc extra illud tempus non extenditur præceptum, nisi aliud exprimatur: vnde qui præuidet aliquod impedimentum superuenturum, die festo non audiendi sacrum, aut in aliqua vigilia non ieiunandi, & similia; non tenetur per anticipationem præuenire tempus præscriptum, audiendo sacrum, aut ieiunando diebus, quibus non tenetur.

*Præceptum cõprehendens determinatum tempus non obligat extra illud.*

*Patet exemplis.*

*Aliter obligat præceptũ de sola substãtia actus.*

Aliud est, quando non præscribitur tempus, sed solùm substantia actus; vt quando imponitur ieiunium absolutè; tunc enim exhibere tenetur actum aliquo tempore indeterminato; & si viderit superuenire posse impedimentum exercendi actus, tenetur præuenire, nisi ablato impedimento superfuerit facultas adimplendi eius.

11 *Teneri ad actum elapso Paschate.* Suarez. Nauarrus.

Alia difficultas est; si quis omisit communionem in Paschate, an teneatur ex vi huius præcepti communicare postea ante sequens Pascha? aliqui tenent affirmatiuè, vt Suarez *disput.* 70. *sect.* 2. Nauarrus *cap.* 21. *in Manuali*, *num.* 45. Fundamentum est, quia hoc præceptum duo includit, alterum vt semel in anno fiat communio; alterum est limitatio temporis magis congruentis, quod est Paschæ: primum absolutè obligat intra annum semel saltem communicare; secundum autem determinato illo tempore, ac proinde ex vi prioris tenetur communicare intra annum.

*Natura præcepti affirmatiui.*

Hæc ratio non concludit, quia annus communionis computatur à Paschate in Paschæ: ergo transacto illo tempore non obligat præceptum, quia præceptum affirmatiuum non obligat semper, & pro semper; sed determinato aliquo tempore, & maximè pro illo, quod importatur per præceptum. Vnde sicut præceptum communionis Paschalis non extenditur ex sui natura vltra tempus illud determinatum, vt præmissi authores fatentur; ita etiam neque communionis annuæ vltra annum extenditur: & hoc patet in reliquis præceptis affirmatiuis. Deinde si præceptum communionis intra annum esset aliud, ab illo, quod est communicandi in Paschate, sequeretur præuidentem impedimentum in Paschate superuenturum, teneri anticipare communionem contra sæpiùs dicta. Et idem dicendum, si asseratur non esse duo, sed vnum præceptum sub disiunctione vtrumque tempus importans, ad sui impletionem.

12 *Secunda sententia negatiua.* Syluester. Soto. Valentia. Henriquez.

Hanc, quæ negatiua est, tenet Syluester, verbo *Eucharistia* 3. *quæst.* 11. Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 1. *artic.* 4. Valentia *disp.* 3. *part. disp.* 6. *de hoc mysterio*, *quæst.* 8. *puncto* 4. Henriquez *lib.* 8. *de Sacramentis*, *cap.* 5.

Tertia sententia est, eum, qui ex legitimo impedimento omiserit, de licentia sui Pastoris, communionem in Paschate, teneri, cessante illo, statim communicare: ratio est, quia ipse textus id videtur comprehendere. Quidam hanc sententiam improbabilem censent, quia non videtur ratio obligationis specialis in hoc, magis quàm aliis, qui sine impedimento omiserunt actum, sed impugnatur malè: hæc enim ratio fulcitur ipsa lege, quæ permittit iustam ob causam deferri posse communionem de licentia Pastoris: differre autem actum, non est tollere de integro obligationem eius adimplendi: ideò hæc sententia videtur verissima quoad primum casum: quoad alium reducitur ad secundam sententiam. Secunda sententia, licèt speculatiuè sit vera, non habet fundamentum in praxi, quia omittentes communionem in Paschate compelluntur pœnis, vt postea adimpleant.

*Differre actũ, & tollere diuersa sunt.*

*Non ex natura præcepti post Paschã obligatur rem: sed ex natura satisfactionis.*

Dico ergo non ex natura præcepti affirmatiui contingit hæc obligatio, vt suprà probatum est, sed ex natura pœnæ adiunctæ, quæ non tollitur, nisi per congruam satisfactionem, quæ in proposito communiter est operis adimpletio: donec ergo impleatur opus, manet ex consuetudine pœna, & aggrauatur etiam contra contumaces: non ergo peccat non communicans de nouo, licèt teneatur pœna.

13 *Posse dici esse præceptũ negatiuum.*

Alio modo defendi potest prima opinio, asserendo ex vi præcepti negatiui obligantis semper, & pro semper teneri ad communionem, non autem affirmatiui, quod præceptum negatiuum insinuatur in illa particula *saltem*; quasi sensus sit vt communio vltra annum non differatur: & titulus continet duo præcepta, negatiuum, & affirmatiuum; ex vi prioris etiam transacto anno tenetur communicare; ex posteriori intra annum in Paschate: hoc dato toties peccabit, quoties non adimplet præceptum datâ opportunitate communionis: sed quia hoc videtur rigorosum, neque aggrauanda sint onera, aut multiplicanda, & inducenda obligatio sine necessitate: in priori modo explicandi

*Præfertur prima solutio.*

randi videtur sistendum, ex quo facilè soluantur posterioris sententiæ fundamenta, quæ vrgentur circa naturam præcepti affirmatiui.

## *Quæritur, An præceptum diuinum communicandi extendat se ad vtramque speciem?*

14 *Quæstio fidei cum Bohemis.*

QVæstio intelligitur de communione laica. Cœpit hæc controuersia à Bohemis authore Petro Dresdensi, & Iacobello Misnensi circa annum 1412. qui partem affirmatiuam tenuerunt; quod deinde secuti sunt huius temporis hæretici.

*Vsus primitiuæ Ecclesiæ.* Iustin. Hieron.

Supponendum autem est, in primitiua Ecclesia frequentem fuisse vsum vtriusque speciei, etiam in populo; vt constat ex Iustino *Apologia 2. pro Christianis.* Hieronymo Sophoniæ 1. & refertur in cap. *Sacerdotes, quæst. 1. dialog. 2. contra Pelagianos.* Chrysostomo *homilia 18. m. 2. ad Corinth.* Ambrosio *lib. De iis qui initiantur, cap. 9.* Leone Papa *sermon. 4. Quadragesim.* vbi Manichæos reprehendit, quòd panem sumerent, à calice autem abstinebant. Gelasio Papa, & habetur in cap. *Comperimus, de consecratione, dist. 2.* & hanc ob causam præcipiebatur dari ægrotis Sacramentum corporis intinctum sanguine, vt constat ex Prospero in dimidio temporis cap. 6. quæstio ergo est an iure diuino id fuerit præscriptum.

Chrysost. Ambros. Leo Papa. Gelasio. Prospero.

15 *Conclusio fidei.* Constätiens. Trident.

*Prima conclusio:* excepto celebrante, nemo iure diuino tenetur communicare sub vtraque specie: est de fide ex Concilio Constantiensi *sess. 13.* Tridentin. *sess. 21. cap. 1.* & *can. 10.* vbi hoc præcipitur sub pœna excommunicationis, ne vllus Sacerdos communicet populum sub vtraque specie. Probatur, quia vis sanctificandi inest vtrique speciei: *Si quis manducauerit ex hoc pane viuet in æternum,* &c. *Hic est panis de cælo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur*: ergo necessitate effectus habendi per vtramque speciem non colligitur præceptum communicandi sub vtraque specie: probant aliqui consequentiam, quia communicanti promissa est gratia, non ratione specierum, sed contenti; Christus autem totus continetur sub altera specie: ergo tota vis sanctificandi est in qualibet specie.

Ioan. 6.

*Ratio aliquorũ ineffcax.*

Hoc argumentum suprà refutatum est de effectu huius Sacramenti distinctione præcedenti: quia & falsum assumit, & probabile est plus gratiæ conferri per vtramque, quàm per vnam solam. Cæterùm, quia de fide est gratiam necessariam ad salutem conferri per vnam speciem: argumentum ex Scriptura ita applicari debet, vt quamuis aliquando Ioannis 6. coniungantur duæ species in promissione, vt ibi: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis:* intelligi debeat distinctiuè, iuxta modum loquendi vsitatum Iudæis, & Scripturæ; vt Leuitici 20. *Patri, matrique qui maledixerit, sanguis eius super eum,* &c. vbi sumitur particula, *&*, non copulatiuè, sed disiunctiuè: vnde Exodi 21. ponitur sub disiunctione idem: *Qui percusserit patrem suum, aut matrem suam, morte moriatur.* Et similia passim in Scriptura occurrunt: sic ergo in proposito. Ad cuius confirmationem facit, quòd promissio eadem corpori Christi seorsim facta est, vt patet ex præmissis; sic discurrit Tridentinum: non conuincitur ergo ex præmissis necessitas aliqua communicandi sub vtraque specie.

*Promissa gratia sumenti alteram speciem.*

Leuit. 20.

*Tridentini argumentum efficax.*

Confirmatur ergo meliùs conclusio, ex praxi Ecclesiæ etiam primitiuæ, vbi fuit consuetudo sæpiùs communicandi sub vna specie panis: primò habetur Actuum 2. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis,* &c. vbi agi de communione Sacramenti admittunt etiam hæretici, sed ibi non fit mentio sanguinis. Dices argumentum ab authoritate negatiua non concludere: contrà, probatur ex circumstantiis, saltem aliquos fuisse, quibus non dabatur calix; quia inter fideles tunc erant multi Nazarei; vt patet *Act. 21.* quibus Apostoli tum permittebant obseruantiam legis; imò & ipsi Apostoli tum eam obseruabant: & *Act. 21.* dicitur Iudæos conuersos ad fidem tum strictissimè obseruasse legem: quod facilè ex Pauli controuersia cum Petro super Legalibus constat, & ex variis locis Act. sed Nazareis interdictum est vinum, *Num. 6.* vbi præcipitur eis abstinere ab omni, quod inebriare solet: ergo non sumebant tum species vini.

16 *Confirmatio ex praxi primitiuæ Ecclesiæ.* Act. 2.

*Vsus calicis non fuit in Nazarœo.* Act 21.

Secundò, quia olim in primitiua Ecclesia dabatur fidelibus Eucharistia domum ferenda, vt commodo tempore possint eam sumere, idque sub vna specie panis, quia calix solùm in templo per Diaconum distribuebatur, neque licebat eum domum secum ferre; neque fuit vsus vasorum sacrorum apud laicos, neque calix in vas prophanum vnquam fundebatur seruandus. Antecedens patet ex Cyrillo Ierosolymitano *Cateches. 5.* Tertulliano *lib. 2. ad vxorem.* Cypriano *5. de Lapsis.* Clemente Alexandrino *lib. 1. Stromatum.* Basilio *epistola ad Cæsareum*, & aliis, qui solius speciei panis mentionem faciunt: neque ex rationibus allatis congruum erat transferre sanguinem ob periculum effusionis, & irreuerentiæ.

*Vsus Eucharistiæ sumendi à laicis priuatim.* Cyrill. Ierosolym. Tertullian. Cyprian. Clem. Alex. Basilius.

Tertiò, quia ad peregrinos, aut moribundos, communiter sub vna specie panis communio mittebatur, vt constat ex Eusebio *lib. 6. histor. cap. 36.* & aliis, quos citat Bellarminus *lib. 4. de Sacramentis, cap. 24.* quamuis enim textus Latinus Eusebij obscurus sit; ex Græco liquet fuisse tantùm speciem corporis missam: nam dicitur particulam madefactam in os senis puer iniecisse, quæ fuit Eucharistia.

17 Eusebius. Bellarm.

Quartò, quia plurimi etiam publicè in Ecclesia non sumebant communionem sub vtraque, sed liberum iis erat sumere sanguinem, vel corpus, atque adeò Ecclesiæ satisfiebat per communionem solius corporis: quod patet ex Sozomeno *lib. 8. histor. cap. 5.* vbi refert fœminam Macedonianam accessisse publicè, vt communicaret, occultando suam sectam, & acceptam Eucharistiam manu (sic enim in Ecclesia Orientali ritus est, vt acceptam de manu Sacerdotis propria manu in os ingerat) commutauit cum pane prophano, quem publicè manducaret sub specie Eucharistiæ; sed hæc illusio non potuit fieri in calice: ergo vsus fuit, vt per communionem solius corporis satisfieret Ecclesiæ. Colligitur idem ex Leone Papa *suprà* citato, vbi refert Manichæos, vt crederentur

*Probatur exã. plus.* Sozomen. Leo Papa.

publicè, abstinebant tamen à calice, quia dicebant iuxta suum errorem, vinum à malo Deo fuisse creatum, ac proinde detestabantur illud. Hæc fictio non haberet locum, si nulli liceret abstinere à calice: ergo, &c. vnde Pontifex iubet obseruari, quinam à calice non aliquando, sed semper abstinebant, vt sic deprehenderentur Manichæi; non quòd malum esset abstinere à calice, aut illicitum, aliàs nunquam liceret abstinere, quod falsum esse constat ex prætensa fictione.

19 *Ab vsu, & ritu particulari Ecclesia in certis diebus.*

Quintò, quia antiquissimus mos fuit in Ecclesia Latina, Feria sexta Parasceues præcipere, vt publicè abstineretur à confectione calicis; & hostia pridie cum vino non consecrato sumeretur. Idem etiam obseruabatur in Ecclesia Græca ante 1200. annos, qui tota Quadragesima solùm consecrabant diebus Sabbathis, & Dominicis, aliis autem communicabant, sicut nos in Feria sexta, & quamuis alibi moris erat tingere Eucharistiam quæ asseruabatur, tamen Canon. 25. Trullanus id vetat: idem patet ex Concilio Laodicensi *can.* 49.

Trullanus Canon. Laodicen.

20 *Idem vsus antiquissimus.* Constatien. Basilien. Beda. Ordo Romanus antiquissimus. Alcuinus.

Sextò, quia in multis Ecclesiis Latinis fuit mos communicandi sub vna tantùm specie, ante annos 800. vt patet ex Constant. *sess.* 13. & Basilien. *sess.* 30. & colligitur ex Beda *lib.* 1. *historiæ, cap.* 5. & ordo Romanus vetustissimus, quem citat Alcuinus, Magister Caroli Magni (ante 800. annos floruit) *cap. de Ordine celebrandi:* docet moris fuisse, vt in calice aquâ, & vino pleno soleret parum sanguinis infundi, qui calix populo exhibebatur: quamuis moraliter certum sit parum illud sanguinis infusi non potuisse à singulis in populo sumi, aut participari. Item Humbertus Episcopus Syluæ Candidæ, & Legatus Apostolicus ad Græcos sub Leone IX. anno 1500. *in dialogo contra Græcorum calumnias, tom.* 11. *Bibl. Patrum edit. Colonienſis, paulò ante medium:* dicit sola communione corporis populum communicandi fuisse moris in Ecclesia Ierosolymitana; & infrà: *Ad hæc si quid ex sancta, & venerabili Eucharistia in Ierosolymitanis Ecclesiis superfuerit, non incendunt, nec in foueam mittunt, sed in pyxidem mundam condunt, & sequenti die communicant ex ea populum, quia quotidie communicant ibi*, &c.

Humbertus Episcopus. *Vsus Ecclesiæ Ierosolymitanæ.*

Adduci possunt alia incommoda, vt quòd crescente populo fidelium in locis remotis, vbi vix esset copia vini, quod sufficeret ad communicandum totum populum, non potuisset esse vsus Eucharistiæ: deinde periculum effusionis, & alia.

21 Toletan.

Diximus in conclusione, excepto celebrante, quia licèt aliqui dubitent, an sit iuris diuini in vtraque specie consecrare (affirmatiua verior est cum Doctore) tamen est iuris diuini, suppositâ consecratione, vt Sacerdos communicet sub vtraque, quia sumptio vtriusque (vt infrà dicetur) spectat ad integritatem sacrificij: patet ex cap. *Relatum, de consecrat. dist.* 2. vbi Toletanum: *Quale*, inquit, *erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur.*

22 *Prohibitio calicis iustis de causis.*

*Secunda conclusio:* Ecclesia iustis de causis inhibuit vsum calicis laicis: primò, vt consuleret reuerentiæ Sacramenti: secundò, vt hoc facto doceat Christum integrum contineri sub vtraque specie: tertiò, ne vllibi redderetur difficilis vsus Sacramenti, vbi non est vsus vini nisi modici, quod à longinquis partibus inferatur: & deinde vt sit conformitas in populo Christiano.

23 *Obiectio ex Scriptura soluitur.*

Obiiciunt hæretici textum iam expositum: *Nisi manducaueritis*, &c. qui intelligendus est sub disiunctione: deinde Matth. 26. *Bibite ex eo omnes*, &c. Respondetur loqui ad Apostolos; vnde subditur Marci 14. *Et biberunt ex eo omnes:* hoc dixit de calice, non de pane; hunc enim diuisit singulis, vt constat ex illo: *Benedixit ac fregit*, &c. calicem non ita; sed totum simul dedit. Item obiiciunt 1. ad Corinth. 11. *Hoc facite quotiescumque bibetis in meam commemorationem:* vbi datur præceptum Corinthiis bibendi sanguinem. Respondetur, hîc non dari præceptum bibendi sanguinem, sed instructionem, quomodo debeat cum deuotione, & memoria Christi bibi: nam dicitur, *quotiescumque bibetis*: non præscribitur vt bibant, sed quoties bibunt, in memoriam Christi bibere: aliàs esset nugatio, & insuetus modus præcipiendi facere, quod faciunt: ac si diceretur, quando bibitis præcipio vt bibatis; quidquid enim cadit sub præcepto est indifferens, at bibere quamdiu bibitur, necessariò est. Aliud est de istis Christi, Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. vbi datur præceptum communionis: vnde Apostolus non intendit ibi præceptum, sed instructionem, dicens, ex natura rei sumptionem Sacramenti esse memoriam Passionis Christi, & ideò subdit: *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.*

24 *Obiectio ex Patribus soluitur.*

Obiiciunt denique Patres, & consuetudinem Ecclesiæ primitiuæ. Respondetur, Patres loqui iuxta illam consuetudinem; qualis autem fuerit, patet ex dictis: & tunc, quando nullus fuit error, liberiùs Patres loquebantur; vt in simili ait Augustinus *lib.* 1. *contra Iulianum*, cap. 6. Deinde Patres, quando loquuntur de alterutra specie, aut particula eius, non secus loquuntur, ac quando loquuntur de toto Sacramento, quantùm ad rem contentam, efficaciam, & fructum eius in specie.

Augustin.

Obiicitur locus Gelasij Papæ in illo capitulo *Comperimus. Comperimus*, inquit, *quod quidam sumpta tantummodò corporis sacri portione à calice sacrati cruoris abstineant, qui præuldubio (quoniam nescio, qua superstitione docentur adstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia diuisio vnius, eiusdémque mysterij, sine grandi sacrilegio non potest prouenire*, &c. Respondent aliqui eum loqui de Sacerdotibus; sed meliùs dicendum eum agere de Manichæis, qui abstinebant à sanguine ex superstitione: vnde illa parenthesis præmissam rationem assignat, vnde integra Sacramenta sumere deberent, aut arceri: hoc autem ordinat, quantùm ad forum externum, vt sic dignoscerentur hæretici, neque laterent sub specie Catholicorum.

Gelasius. *Explicatur.*

25 *Obiectio ab institutione sumpta soluitur. Additur ratio, & congruentia.*

Obiiciunt tertiò, quia hoc Sacramentum sub duplici specie institutum est: ergo sic debet sumi; quia aliàs non esset commemoratio Passionis Dominicæ: secundò, calix, cùm sit Sacramentum, verè confert gratiam: ergo iniustè laicis denegatur, cùm Dominus eis ius eius sumendi dederit: tertiò, quia 1. *ad Corinth.* 10. Iudæi non solùm manducauerunt manna, sed etiam de petra biberunt; quæ erat figura huius Sacramenti: ergo non solùm Christiani omnes debent sumere corpus, sed bibere de petra, id est, sangui-

ſanguine: quartò, Chriſtus inſtituit nobis perfectè conuiuium: ſed tale non eſt, vbi deeſt potus.

Reſpondetur: hoc Sacramentum inſtitutum quidem eſſe ſub diuerſa ſpecie, non ſolùm quà Sacramentum; ſed etiam quà ſacrificium: quia ſic perfectè repræſentat ſacrificium cruentum, quatenus ſeorſim ex vi verborum ponitur ſanguis ſub ſpeciebus, & quaſi effuſus: ſumptio autem eius eſt participatio ſacrificij, ad quod impertinens eſt, an ſumatur ſub vna, an ſub diuerſis ſpeciebus: ita reſpondent aliqui. Sed contrà, quia etiam ſumitur, quà Sacramentum eſt inſtitutum ad ſalutem noſtram; & vt Patres docent, in vtraque ſpecie habet perfectam rationem conuiuij. Deinde ſumptio, quæ fit à Sacerdote, ſpectat ad integritatem ſacrificij, non autem ea, quæ fit à laicis; vnde contingit participare Sacramentum, quà tale, quando etiam non ſacrificatur, vt patet Feria ſexta Paraſceues, & quando ſumitur, quod aliàs ſanctificatum eſt.

27 *Secunda reſponſio.* Reſponderur ergo aliter, ſuppoſitâ ſententiâ Alenſis, quam *ſuprà* defendimus probabilem, dari ſcilicet maiorem gratiam per vtramque, quàm detur per vnam ſpeciem, concedendo antecedens, & negando conſequentiam de communione laica. Ad eius probationem negatur, quia commemoratio Paſſionis Dominicæ variis fit modis, quia ſumitur corpus quaſi ſeparatum à ſanguine, quantùm eſt ex vi verborum, & repræſentatione ſpeciei; & ſic repræſentat corpus in cruce, vt ſeparatum à ſanguine, & anima; ſumitur etiam ſanguis, quia eſt concomitanter ſub ſpecie corporis; ſumitur idem quantùm ad fructum gratiæ neceſſariæ, & incorporationis in Chriſto quoad æquiualentiam, quia omnis gratia neceſſaria ad ſalutem, vt definit Tridentinum, quæ acquiritur mediante hoc Sacramento, conferatur per alterutram ſpeciem. Vnde alterutra ſpecies ſumpta habet rationem cibi, & potus, perfectique conuiuij, quantùm ad effectum nutritionis: quia, vt *ſuprà* diſſeruimus ſuo loco, non contingit in hoc nutrimento ſpirituali integra proportio nutrimenti corporalis, quod ſupponit duplicem appetitum in corpore, nempe cibi per famem, potus per ſitim, qui ſunt differentes, ille ſicci, & calidi, hic humidi, & frigidi: vnus autem appetitus eſt ſpiritualis nutrimenti in anima: vnde ad effectum nutritionis ſufficit alterutra ſpecies, quæ nutrit per gratiam; & quamuis non inueniatur in ſumptione vnius ſpeciei illa expreſſa, & adæquata conuiuij ratio, quoad ſignificationem; inueniuntur tamen perfecta quoad æquiualentiam, & fructum neceſſarium.

*Vnius ſpeciei ſumptio eſt ſufficiens.*

*Habet ſignificationem, & fructum.*

28 Ad ſecundum reſpondent aliqui eandem gratiam dari numero per vtramque ſpeciem, ita vt altera ſumpta non augeat gratiam; & quamuis hoc probabile eſſe *ſuprà* aſſeruimus, ex communi modernorum ſententia. Reſpondetur aliter: concedo antecedens, nego conſequentiam; quia iniuſtè non ſubtrahitur, quod ad reuerentiam, & cultum Sacramenti facit, quia laicis non eſt ius in præiudicium cultus debiti Sacramento; ideò peccatoribus in eo ſtatu non debetur, quamuis ipſi habeant ius remotum ad perceptionem eius, quia hæc in eo ſtatu cederet in irreuerentiam Sacramenti. Eadem eſt ratio in propoſito: vnde nihil gratiæ neceſſariæ ſubtrahitur, augmentum verò, quod daretur per alteram ſpeciem, ſuppleri poteſt aliis mediis, & debitâ diſpoſitione; eique præiudicat reuerentia debita Sacramento, cuius periculum incurritur in illa ſpecie liquida, quæ non eſt in altera.

*Nulla ſit iniuria per ſubtractionē calicis.*

Ad tertium Iſraëlitæ indiguerunt manna, & aqua ex petra, quia erant nutrimentum corporale, non ſpirituale; licèt fuerint figura huius Sacramenti: neutrum enim eorum erat cibus, & ſimul potus quantùm ad effectum nutritionis, ſicut altera ſpecies ſacramentalis. Addendum inſuper non viguiſſe tamdiu vſum petræ in ipſis, quamdiu viguit vſus mannæ, quod pro nobis facit, quia ſicut manna per quadraginta annos durauit, petra autem, & aqua eius paruo tempore: ſic vſus Sacramenti corporis perſeuerat in laicis ſine vſu calicis. Ad vltimum patet ex dictis. 29

*Petes obiter de vſu Sacramenti, vt ſubeſt conſilio, quàm frequens eſſe debeat?*

Reſpondeo: non licet extra caſus *ſuprà* explicatos eodem die bis communicare: hæc communis eſt Doctorum D. Thomæ *in 4. diſt. 12.* Paludani, Durandi, & aliorum. Alenſis *4. part. q. 52. m. 3.* Gabrielis *lectione 87. in canonem:* colligitur ex capitulo *Conſuluiſti, de celebratione Miſſarum:* & capitulo *Sufficit, de conſecrat. diſt. 1.* Aliqui dubitant an hoc præceptum ſit iuris diuini, an humani. Reſponderur eſſe iuris humani tantùm, ne ob frequentiam vileſcat Sacramentum: & primò latum eſt in Sacerdotes, quod per conſequentiam trahitur ad laicos. Non eſſe autem iuris diuini patet, quia ob neceſſitatem populi in paucitate miniſtrorum Pontifex diſpenſat in hoc præcepto, vt aliqui bis in eodem die ſacrificent, aut etiam ter, & in feſto Natiuitatis Domini omnes ter ſacrificare poſſunt: vnde colligitur, quòd non ſit iuris diuini. 30

*De frequentia Sacramenti.*

*Nō licere bis in die communicare regulariter.*

*Eſt præceptū Eccleſiaſticum.*

*Diſpenſatur.*

In caſu etiam quo timetur irreuerentia Sacramenti ob inſultum infidelium, aut incendium licet communicare, cùm non offertur aliud medium eius conſeruandi etiam à non ieiuno, vt *ſuprà* diximus; ſicut in alio caſu, quando apparent reliquiæ in Altari, quando iam Sacerdos communicauit, & aliis expreſſis *ſuprà*, quia præceptum Eccleſiæ tunc non obligat in præiudicium reuerentiæ Sacramenti, quæ maior eſſet communicando, quàm non communicando. Dies autem hic computandus eſt à media nocte.

*In caſu licet bis communicare.*

Reſpondeo ſecundò vniuerſaliter loquendo, conſultius eſt frequentiùs communicare, quàm omittere communionem. Hæc eſt communior ſententia eorumdem Theologorum, *eadem diſt.* vbi etiam D. Bonauentura, Richardus; & videtur probare Trident. *ſeſſ. 13. c. 8.* vbi ad frequentiam hortatur Sacramenti; & ſeſſ. 22. c. 6. *Optat*, inquit, *ſancta Synodus, vt in ſingulis Miſſis fideles adſtantes communicarent.* Ambroſius lib. 5. de Sacramentis, cap. 4. *Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumit? quotidie accipe, vt quotidie tibi proſit: ſic viue, vt quotidie merearis illum accipere.* Vide Chryſoſtomum *homilia 17. & 61. ad populum*; & alios quos *ſuprà* citauimus, oſtendendo hanc fuiſſe primitiuæ Eccleſiæ conſuetudinem. Vnde Cyrillus *lib. 3. in Ioannem, cap. 37. & lib. 4. cap. 17.* inter alia notat ſolam dilationem per ſe non conferre ad maiorem diſpoſitionem. Auguſtinus *epiſt. 118.* non præfert eum, qui ob humilitatem abſtinet, ei qui quotidie communicat. 31

D. Bonau. Richardus. Trident.

Ambroſ.

Chryſoſt.

Cyrillus.

Auguſtin.

Ratio etiam eſt in promptu, quia hoc Sacramentum confert robur ad ſuperandas tentationes, remittit venialia, nutrit charitatem, auget

ex

ex opere operato gratiam: ergo simpliciter melius est communicare quotidie, quàm omittere: deinde consideratio frequens mysterij, & præparatio ad ipsum, excitat mentem ad maiorem reuerentiam. Bernardus. Vnde etiam Bernardus *in serm. de Cœna Domini*, ait, non abstinendum esse à communione ob venialia, neque quia quis non sentit in seipso illum deuotionis feruorem: *Quia in magnis peccatis*, inquit, *impedit consensum, & sensum minuit*. D. Bonauentura. D. Bonauentura in lib. de profectu relig. cap. 21. *Licèt tepidè*, inquit, *accedas fiducialiter, confidens de misericordia Dei, quia quo magis æger, magis indiges medico.* Hoc in seipso expertus est sanctus vir, qui iuuenis abstinuit aliquamdiu à communione præ humilitate, donec Angelus acceptam de manu Sacerdotis particulam ori eius iniecit: & tunc intellexit timorem pusillanimem esse deponendum. Cæterùm non est hîc in particulari assignanda regula, quia alius sic, alius sic, prout dona distribuit Deus, & secundùm cuiusque dispositionem. Qui in negotiis sunt, & distractionibus, non est consulenda communio frequentior, quàm semel in hebdomada, qui tamen secluſi à distractionibus sunt, frequentiùs communicare possunt, & aliqui quotidie iuxta iudicium Confessarij prudentis.

*Exemplum S. Bonau.*

*Regula sequenda.*

## SCHOLIVM.

*Accedentem ad Eucharistiam cum mortali peccato, peccare mortaliter, excusatur qui facto examine talis peccati non recordatur. Confessio post mortale commissum præmittenda est, nisi necessitas communicandi, & inopia confessoris excusent, ita Trid. ss. 13. c. 7. & can. 11. Cypr. lib. 3. epist. 15. vnde meritò temeritatis notatur Caiet. quòd oppositum teneat 3. p. q. 80. art. 4. & in summa v. communio. quod etiam tenet Abbas, c. de homine, de cel. miss.*

Dicendum, quòd aliquis potest intelligi esse in peccato mortali tripliciter. Primò, in actu, quia scilicet tunc peccat mortaliter peccato interiori, vel exteriori: secundò, quia post peccatum mortale præteritum, de quo non recolit, non pœnituit, nec pœnitet: tertiò, quia etsi de illo præterito pœnituit, vel pœnitet, non tamen confessus est, nec ablutus in Ecclesia.

2 *Aliquem esse in peccato, tripliciter contingit.*

De primo [a] dico, quòd peccat mortaliter, quia simpliciter manducat indignè.

*Crassam sumit pro culpata quacũque, vt patet ex verbis seq.*

De secundo dico, quòd si est negligentia affectata, vel crassa, propter quam non recolit peccatum, non excusatur à peccato, licèt minùs peccet, quàm primus. Quòd patet 1. Cor. 11. *Probet*, inquit, *seipsum homo*, &c. tenetur enim se examinare, secundùm diligentiam nostræ fragilitati possibilem, antequam communicet. Si autem non sit negligentia crassa, puta quia præcessit examinatio sufficiens, & nullum occurrit peccatum, de quo non fuerit, vel sit contritus, & confessus priùs; non peccat communicando, licèt fortè aliquid lateat, vel traditum fuerit obliuioni. Quòd probatur, tum quia post talem inquisitionem, contritus & confessus, si moreretur, saluaretur: non autem requiritur maior examinatio ad communicandum, quàm ad securè moriendum: tum quia aliàs quilibet se exponeret periculo communicando, quia dicit Psal. 18. *Delicta quis intelligit?* & Eccles. 9. *Nescit homo, vtrùm amore, vel odio dignus sit*: ergo si oporteret communicantem scire se esse in charitate, quilibet communicando exponeret se periculo, nesciens an illo actu peccaret.

*Eucharistia dat quandoque primam gratiam, si ferre non valuit dispositio inculpabiliter.*

Tertiò probatur, quia tunc non esset Sacramentum viatoris: quia talis certitudo non conuenit viatori. Propter hoc dico, quòd diligenti inquisitione factâ secundùm possibilitatem nostræ fragilitatis, & præmissâ contritione, & confessione, quantùm videtur homini sufficere, si tunc communicet, non peccat: imò si qua alia peccata lateant, per istud Sacramentum etiam remittuntur.

3 *Trid. ss. 13. c. 7. Quomodo non confessus possit sumere Eucharistiam. Sine confessione communicandũ est post mortale, vt euitetur scandalum, non aliter.*

De tertio [b] dico, quòd si occurrat opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm communicare. Cuius ratio est, quia non tantùm debet reconciliari Deo, sed Ecclesiæ, ad hoc, quòd dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticæ vnitatis. Si autem non occurrat opportunitas confitendi, si potest sine scandalo vitare, ne tunc communicet; tenetur non communicare, sed expectare confessionem propter eandem rationem, quæ dicta est nunc. Si verò occurrit scandalum, nisi statim communicet, vtpote, si est indutus, & postquam indutus est, occurrit sibi conscientia de peccato mortali, de quo non fuit confessus, & non habet in promptu idoneum confessorem: tunc cum contritione, & voluntate confitendi tempore opportuno potest celebrare, vt scandalum euitetur. Et similiter de alio communicaturo, qui non celebrat; vtpote consuetudo est in aliqua religione, vel Ecclesia, vt omnes non Sacerdotes communicent in simili casu: scilicet si tunc cùm debet communicare non habet idoneum confessorem, potest tunc non confessus communicare. Nec est dicendum, quòd peccat mortaliter, vel transgreditur præceptum, vt euitet scandalum, quia nullum præceptum excludit istum ab isto actu in hoc casu, quia dilatio confessionis in actu, quæ nunc habetur in affectu, non excludit, quin sit membrum

brum etiam Eccleſiæ militantis, habile ad actus, in quibus membra communicant, & tenetur vitare ſcandalum proximi.

4 *An venialia ſint pœnitentia delenda ante cõmunionẽ.*

De peccato [c] autem veniali, non oportet dubitare, quia de illo non eſt neceſſitas pœnitentiæ. Veruntamen auctoritas quædam de Eccleſiaſticis dogmatibus 22. quæ ponitur in litera *diſt.*12. videtur facere mentionem de peccato veniali, ait enim, *Licèt quis peccato mordeatur, ſi peccandi de cætero non habet voluntatem, & ſatisfaciat lacrymis, & orationibus, accedat ſecurus. & hoc dico de illo, quem mortalia peccata non grauant.* Ergo videtur, quòd non poteſt aliquis ſecurus accedere, niſi qui ſit ſine voluntate peccandi venialiter, & de præteritis ſatisfecerit lacrymis, & orationibus.

Reſpondeo, poteſt intelligi de mortali peccato, non quòd iam ineſt, neque præterito, ſine omni pœnitentia, ſed confeſſo, ſi mordeatur, quia non completè ſatisfecit: & tunc intelligitur de peccato mortali: & tunc quod ſequitur, *quem peccata mortalia non grauant*, ſupple, in actu, vel præterita, ſine pœnitentia ſequente.

5 *Ad 1. arg.*

Ad primum argumentum dico, quòd faciens modo debito illud, quod tenetur, non peccat. Ad minorem dico, quòd nullus tenetur communicare in peccato mortali, Extra, *Omnis vtriuſque ſexus*, &c. Ad primam probationem dico, quòd ſicut tenetur ſemel communicare, ita tenetur laborare, vt ſit extra peccatum mortale per pœnitentiam: Extra *eodem cap.*

*Quid ſi Sacerdos poſt conſecrationem, & ante communionem, recordetur peccati mortalis.*

Ad ſecundam dico, quòd Sacerdos priuſquam conſecret, tenetur laborare vt ſit extra peccatum mortale. Si autem contingat, quòd poſt conſecrationem, ante tamen communicationem, occurrat ſibi memoria peccati mortalis, olim commiſſi, de quo non præceſſit pœnitentia interior, vel exterior; tenetur tunc habere pœnitentiam interiorem antequam percipiat, & differre pœnitentiam exteriorem donec occurrat opportunitas confitendi.

*Ad 2. arg.*

Ad argumentum ſecundum dico, quòd illud præceptum de ſemel confitendo, eſt minimum, in quo debent fideles recipere Sacramentum Pœnitentiæ, ſed in multis aliis caſibus ſpecialibus tenentur ad pœnitentiam exteriorem: vt grauiter infirmus, de quo deſperatur, vel acceptans actum, in quo veriſimile eſt, ſecundùm humanum iudicium, quòd exponit ſe periculo mortis, ſicut in bello mortali, ſic etiam ſpeciali lege tenetur Sacerdos antequam exerceat iſtum actum ad pœnitentiam exteriorem. Et ſi dicas, quâ lege? Dico, quòd illâ lege Apoſtoli, quæ ponitur 1. Corinth. 11. *Probet ſeipſum homo*, &c.

## COMMENTARIVS.

32 *Cum conſciẽtia mortalis peccati ſacrilegè accedit.*

a *DE primo dico*, &c. Hæc concluſio eſt de fide, patet ex Apoſtolo primæ ad Cor. 11. *Probet autem ſeipſum homo*, &c. *nam qui manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Ex quo loco omnes Patres colligunt hominem debere accedere mundum ad hoc Sacramentum. Chryſoſtomus hom. 83. in Matthæum: *Adeat*, inquit, *nullus crudelis, nullus immiſericors, nullus impurus.* & infrà, *Dæmoniaco peior eſt, qui peccati ſibi conſcius accedit*, & homil. 45. *in Ioan. homil.* 21. 1. *ad Corinth.* 11. & 60. *ad populum.* Damaſ. *lib.* 4. *de fide, cap.* 14. Baſil. ſerm. de Baptiſmo, dicit *purum eſſe debere ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus.* Cyrillus *lib.* 3. *in Ioan. cap.* 37: Iuſtin. *apolog.* 2. Dionyſius *cap.* 3. *de Eccleſiaſtica hierarchia.* Origenes *in Matthæi* 15. circa id: *Non quod intrat in os.* Auguſtinus *ſermone primo de tempore tract.* 26. *in Ioan.* Author de Eccleſiaſticis dogmatibus, *cap.* 53. Ambroſius in Lucæ nonum: *Nemo cibum accipit Chriſti, niſi qui fuerit antea ſanatus*, &c. Et lib. 7. in caput 15. Gregorius *in* 1. *Reg. cap.* 1. Cyprianus *lib.* 3. *epiſtolarum epiſt.* 14.

Chryſoſt. Damaſcen. Baſilius. Cyrillus. Iuſtinus. Dion. Origenes. Auguſtinus. Gregor.

Patet vltimò ex Tridentino, quod definit ex communi vſu, & interpretatione Eccleſiæ hanc probationem neceſſariam ad communionem huius Sacramenti exiſtenti in peccato mortali, eſſe ſacramentalem confeſſionem, ſi copia confeſſoris adeſt. Vnde Concilium Nicenum *cap.* 21. & Ancyranum *cap.* 4. & 5. prohibent dari Sacramentum publicè pœnitentibus, niſi poſt abſolutionem, ſeu manuum impoſitionem. Accedit quòd Sacramentum inſtitutum ſit per modum alimenti, ſed nutritio per alimentum ſupponit vitam, non concedit primò, ſed conſeruat.

Trident. Nicen. Ancyran.

33 *Obiectio.*

Obiicies, remiſſionem peccatorum tribui aliquando huic Sacramento à Patribus, & dici dare vitam, & eſſe pharmacum: ergo etiam remittit peccata. Reſpondetur remittere per ſe peccata venialia, remittere etiam pœnas peccatorum mortalium, quæ nomine peccati veniunt apud Patres, & Concilia; præſeruare à peccatis mortalibus, etiam peccata mortalia remittere aliquando per accidens, ratione bonæ fidei.

*Reſponſio.*

34

*De ſecundo dico*, &c. *Si autem non ſit negligentia craſſa*, &c. Et infrà: *Propter hoc dico, quòd diligenti inquiſitione facta*, &c. *Si tunc communicet, non peccat; imò ſi quæ alia peccata lateant per iſtud Sacramentum etiam remittuntur*, &c.

*Sacramẽtum per accidens quandoque dare primam gratiam.*

Richard. Durandus. Paludan. Vega. D. Thom. Suarez.

Sententia, & concluſio Doctoris eſt, accedentem bonâ fide, & præmiſsâ ſufficienti diſquiſitione ſui peccare, licèt in reipſa habeat aliquod peccatum graue, quod non occurrit memoriæ: & vlteriùs remitti ipſi peccatum virtute Sacramenti; vnde colligitur hoc Sacramentum in caſu dare primam gratiam per accidens. Idem tenet Richardus *in hac diſtinct. art.* 2. *quæſt.* 1. Durandus *ibidem quæſt.* 4. Paludanus *quæſt.* 1. *art.* 1. quamuis *in* 4. videtur in oppoſitum inclinare. Vega *lib.* 9. *in Trident. cap.* 34. D. Thomas *quæſt.* 79. *art.* 8. Suarez *diſp.* 63. *ſect.* 1. *concluſione* 3. eſtque magis pia.

Hæc

*Fundamentū.* Hæc conclusio magis probatur ex authoritate Doctorum, quàm certa aliqua ratione probari solet, quia Sacramentum est causa efficax non ponenti obicem, quod definit Trident. *sess. 7. de Sacramentis in genere, can. 7.* Sed hîc non ponitur obex à suscipiente, cum tali inquisitione, aut probatione sui ipsius: ergo, &c.

*Impugnat Suarez.* Sed hoc fundamentum censet Suarez infirmum, quia Sacramenta non habent vim conferendi gratiam, nisi ex institutione Christi. Christus autem non fecit aliquam institutionem Sacramenti in communi, sed in specie Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ, & aliorum: ergo conferre gratiam non conuenit singulis ratione sui generis, sed in specie, quo sensu loquuntur Concilia.

*Relicitur impugnatio.* Sed etiam impugnatio non est efficax, quia Concilia definiunt, quòd Sacramenta nouæ legis distinguantur à Sacramentis veteris legis, inquantùm hæc non conferebant, sed significabant gratiam conferendam: illa verò conferunt: deinde quòd Sacramenta hæc conferunt gratiam non ponentibus obicem: ergo siue ratione generis, siue ratione speciei, id conuenit omnibus Sacramentis nouæ legis indifferenter: nam Concilia loquuntur de iis inquantùm conueniunt: vnde quando comparantur ad inuicem aliquæ causæ, inquantùm in causando conueniunt, non intelligitur, quòd actio ipsis conueniat in exercitio secundùm aliquam rationem communem generis, sed secundùm rationem determinatam, licèt in hoc conueniant, quod est agere, quia actio est singularium.

Deinde institutio Christi refertur quidem in specie ad singula Sacramenta, non inde tamen sequitur, quin rectè conueniant in hoc, quod est causare gratiam, quæ est differentia communis ipsis à Sacramentis veteris legis, & quòd id conueniat ab institutione Christi: ergo idem dicendum de hoc, quod est causare gratiam, si non ponatur obex, & refertur in eandem institutionem; quamuis non detur aliqua in genere institutio, quæ sit diuersa ab institutione singulorum in specie, sed vtrumque æquè dicunt conuenire Concilia: ergo, &c.

36 Probatur ergo minor principalis fundamenti,
*Minor principalis probatur.* de qua est difficultas, quòd taliter accedens non ponat obicem in specie respectu effectus huius Sacramenti: quia præmittit probationem, quam exigit Apostolus, iuxta possibilitatem suam, hîc, & nunc: quia non exigitur maior, aliàs quilibet semper exponeret seipsum periculo peccandi communicando, ac proinde nemo deberet communicare: quia qui amat periculum, peribit in eo. Probatur sequela, quia si exigeretur maior certitudo, quàm sit existimatio ipsius hominis fundata in propria, & prudenti discussione sui ipsius, non esset in potestate hominis seipsum probare, cuius oppositum est certum, & supponit Apostolus, supponit & obligatio præcepti probationis, quæ non est de impossibili.

Talis autem nequit habere certiorem regulam de sufficienti probatione, quàm dictamen prudentiæ, quia nequit habere reuelationem de suo statu: nemo enim nouit, *An odio, vel amore dignus sit*, iuxta Apostolum: *Delicta quis intelligit.* Psalm. 18. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*, &c. Vnde Trident. *sess. 6. cap. 9.* explodit fiduciam inanem hæreticorum, docens quemque debere, quantùmlibet iustum, cum timore & tremore operari salutem suam. Vnde qui confessus & contritus de peccatis accedit, etiam non habet aliam certitudinem de sua probatione, quia nescit certò suam dispositionem esse legitimam, nisi certitudine prudentiæ.

*Trident.*

Cæterùm hæc probatio sufficit, vt quis accedat, quia nempe homo non est sibi conscius in eo casu: ergo quando etiam præsupponit sufficientem disquisitionem, quam potest, & tenetur, & non inuenit seipsum conscium de aliquo, de quo non sit aliàs confessus, & contritus (licèt ex ignorantia, aut obliuione inuincibili habeat aliquod peccatum occultum, quod non occurrit) præmittit probationem, quam exigit Sacramentum, vt cum fructu percipiatur, & quam declarat Apostolus necessariam; ergo dignè accedit; ergo Sacramentum in eo casu confert ei effectum, quia est signum efficax applicatum debitè, & sine obice: nihil autem aliud exigunt Concilia. *Sufficientia probationis, & certitudo.*

Dices Sacramentum exigere statum gratiæ: quia ordinatur ad nutriendum, non ad dandum vitam. Contrà, licèt hoc regulariter sit verum, tamen per accidens non repugnat, quin det vitam, quia debitè accedens cum fide supernaturali, & deuotione, ac etiam bonâ fide ponit quidquid exigitur ad effectum Sacramenti à viatore: ergo Sacramentum, quod ordinatum est ad salutem viatoris, erit in ipso signum efficax, & consequenter dabit suum effectum gratiæ: quòd autem sit prima gratia, inquantùm est compatibilis cum peccato, quod in reipsa habet accedens, est per accidens. Vnde ex eadem institutione, & efficacia, quâ Sacramentum natum est conferre gratiam dignè suscipientibus, habet etiam per accidens delere peccatum, quod repugnat hîc, & nunc suo effectui, quamuis non fuerit institutum primò ad dandam vitam, & ad delendum peccatum.

Hoc etiam magis congruit institutioni Christi Domini, & fini institutionis Sacramentorum, qui est, ordinatum esse ad salutem viatoris, vt ipsa semper fiant efficacia, quando non obstat in vsu eorum voluntas peruersa, aut negligentia suscipientis. Confirmatur exemplis, quia existens in peccato mortali, & eliciens actum perfectissimum charitatis, & discedens in illo cum bona fide, & obliuione illius peccati, saluatur sine formali pœnitentia, quamuis existenti in peccato, hæc sit necessaria secundùm legem datâ cognitione peccati: ergo in casu aliqua sunt media efficacia, & sufficientia ad delendum peccatum, quæ secundùm legem non sunt talia: sed nulla magis congrua ad hunc finem videntur, quàm Sacramenta, quæ ex fine primario ordinata sunt ad salutem hominis viatoris, & in quibus fructus passionis Christi nobis applicatur, tanquam per organa, vt Patres dicunt, seu vasa continentia gratiam. *Argumētum ex fine institutionis.* *Medium in casu efficax, & non regulariter.*

Dices in eo casu dari pœnitentiam virtualem de tali peccato, quia ille actus perfectæ charitatis includit virtute in seipso pœnitentiam formalem, si daretur notitia peccati. Contrà, sed sic etiam in proposito fides supernaturalis, propositum suscipiendi Sacramenti dignè, ex affectu salutis, examen, & discussio præsens sui ipsius, ad effectum disponendi seipsum ad dignam sumptionem, includunt in se tanquam in virtute pœnitentiam formalem de peccato occulto, si tamen occurreret: ergo Sacramentum sumptum in ea dispositione est fructuosū, sicut actus charitatis, quia *Rispōsio.* *Impugnatur, seu reducitur ad oppositum.* *Dari pœnitētiam virtualem in casu præsenti.*

quia illa dispositio antecedens perinde est pœnitentia virtualis, sicut actus charitatis: neque hic magis efficax ad salutem, quàm Sacramentum dignè sumptum, quia habet promissionem, & assistentiam æquè firmam, & infallibilem respectiuè ad effectum, sicut charitatis actus.

38 *Ab exemplo pœnitentiæ.*

Aliud exemplum est de pœnitentia, ad quam requiritur confessio integra peccatorum mortalium ex dicta institutione, vt definit Trident. *sess.*14. *can.*5. Sed in casu, quo non sit possibilis hîc, & nunc, illa confessio integra, vel quia integrum tempus non suppetit, vt in agone, & præsenti mortis periculo, vel in casu oblivionis alicuius inuoluntariæ, hoc non obstante absolutio est efficax, & Sacramentum validè conficitur, quia fecit peccator in casu, quod potuit: ergo etiam similiter in proposito, peccator faciens, quod in se est, non frustratur effectu Sacramenti.

Tertium exemplum potest esse in Extremavnctione, quæ quidem à iusto sumi debet ordinariè, supposità confessione, & viatico, & ita praxis Ecclesiæ habet. Cæterùm datur etiam agonizantibus non confessis, neque communicatis, & in eo puncto, quo illa Sacramenta conferri non possunt, & secundùm aliquos remittit peccata non confessa, quamuis ille non sit finis eius primarius: ergo non repugnat aliquid per accidens fieri virtute Sacramenti, quamuis per se primò, & institutione primariâ ad hoc non fuerit ordinatum.

39 *Secunda ratio principalis.*

Secundò principaliter probatur, si aliquid obstaret, esset institutio specialis huius Sacramenti per modum nutrimenti, quod supponit vitam iuxta præmissa: *Probet autem seipsum homo*: sed hoc non obstat: ergo nihil obstat. Probatur minor, quia non magis limitatur ex propria institutione hoc Sacramentum ad causandum augmentum gratiæ, quàm Baptismus, & Pœnitentia ad remissionem peccati originalis, & actualis, seu ad dandam vitam: sed hæc conferunt augmentum gratiæ iis, qui in gratia accedunt, & sine peccato: ergo & Eucharistia potest concedere gratiam primam in casu præmisso per accidens. Maior patet ex Conciliis, & Patribus vniuersim definientibus efficaciam horum Sacramentorum respectiuè ad delendum peccatum, ideò Baptismus vocatur *lauacrum regenerationis*; pœnitentia; *secunda post naufragium tabula*, *Sacramentum reconciliationis, absolutio à peccatis*, &c. ideóque ad eam requiritur confessio, quia est actus iudicialis, & sententia lata in reum. Minor etiam patet, quia Apostoli baptizati erant primùm in gratia, & rarissimè fortè adulti accedunt ad Baptismum cum peccato originali, quin antè fuerint contriti. Ad pœnitentiam patet accedere sæpè viros pios, qui non sunt conscij peccati mortalis, confitentes, vel peccata aliàs confessa, vel venialia. Sicut ergo illa Sacramenta nata sunt ex primaria institutione conferre primam, quo non obstante, conferunt sæpè augmentum gratiæ per accidens ex statu accedentis in gratia, & iustitia: sic etiam non obstat institutio huius Sacramenti ad effectum nutritionis per augmentum gratiæ, quin per accidens conferat primam gratiam in casu expresso, & ob statum bonæ fidei.

*A simili.*

40 *Contraria opinio.* D Bonau. Gabriel. Maior. Gerson.

Contra conclusionem sentiunt D. Bonauentura *in* 4. *dist.* 13. *part.*2. *art... quæst.*2. *&* *dist.*9. *art.*2. *quæst.*3. Gabriel *in* 4. *dist.*9. *quæst.*2. *art.*1. Maior *eadem dist. quæst.*1. Gerson. *super Magnificat tract.*9. *part.*3. *in alphabeto* 90. *litera G.* & potest citari Alensis *suprà*, quatenus dicit piè credendum esse talem recipere gratiam, non tamen virtute Sacramenti, sed à Deo qui non alligatur Sacramentis: sed præ reliquis Vasquez *disp.*205. *cap.*4. *&* 5. citans D. Thomam, quatenus asserit mediante hoc Sacramento recipere accedentem in eo casu perfectionem charitatis, per quam mouetur ad contritionem, per quam remittitur peccatum: ita etiam Antoninus, & Syluester, verbo *Eucharistia.* Alensis. Vasquez. Syluester. Antonin.

Obiiciunt, ergo Sacramentis non possumus ascribere aliquod opus ex opere operato, nisi vel ex definitione expressa Ecclesiæ, aut traditione Patrum, aut ex Scriptura, aut ex natura, & institutione Sacramenti efficaciter deducatur; aliter enim non possumus colligere voluntatem Dei, à quo dependet totus effectus, & efficacia Sacramenti: sed nihil horum in proposito suffragatur: ergo nullum est fundamentum asserendi gratiam concedi: non institutio, quia hoc institutum est per modum alimenti spiritualis, sed alimentum supponit vitam, & non concedit: ergo cibus ille non proficit mortuis in peccato. Argumentum autem ex natura Sacramenti sumptum rectè concludit, vt patet ex Trident. *sess.*14. *cap.*5. & aliis, vbi plura conuenientia Sacramento Pœnitentiæ, vt præceptum confessionis integræ mortalium ex natura Sacramenti, & institutione colligit.

41 *Prima obiectio.* *Deesse fundamentum.* *Institutio.* Trident.

Non extat definitio Ecclesiæ, aut Patrum traditio, quia vel dicuntur peccata remitti in genere, & hoc debet intelligi de venialibus tantùm, quia Patres dicunt debere quemlibet probare seipsum, antequam ad hoc Sacramentum accedat, vel si dicant morbos, & peccata grauia depellere, intelligunt de præseruatione à mortalibus, desedatione fomitis, qui in Scriptura vocatur quandoque peccatum lex membrorum, &c. Item de pœnis peccatorum, vt patet ex Cyrillo, Damasceno, Iustino, & Augustino, qui clariùs in fauorem loquuntur, & quorum verba ex contextu ipse Vasquez declarat: ergo non est fundamentum aliquod asserendi hoc Sacramentum causare primam gratiam in vllo casu.

*Definitio Ecclesiæ.* *Authoritas probans.*

Respondetur tamen negando Minorem, quamuis enim non suppetit definitio Ecclesiæ ad probandum hanc efficaciam Sacramenti, neque authoritates Patrum, quæ de effectu remissionis peccatorum in hoc Sacramento debeant intelligi de peccato mortali, quia tam Ecclesia, quàm Patres loquuntur de effectu, qui conuenit Sacramento ex primaria institutione, & in communi vsu, non autem in casu, & per accidens; tamen Scriptura fauet, quia talis facit, quod est in se ex gratia, & fide supernaturali, & probat seipsum, vt monet Apostolus, quantum potest: ergo præmittit requisita ad effectum Sacramenti: accedit ad Sacramentum debitè, & in bona fide probans seipsum: vnde Apostolus, *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat:* ergo monet, vt probatus in fide accedat ad Sacramentum, & nihil aliud exigit, vt edat, & bibat: vnde bona fides, & talis probatio faciunt, vt iste homo ad Sacramentum, ac si esset iustus: hoc autem sufficit ad effectum Sacramenti: per accidens autem est, quòd gratia, quæ nata est nutrire, conferat vitam, ex statu recipientis.

42 *Responsio.* *Sufficiès probatio ex Scriptura.*

Suppetit ergo argumentum ex institutione, & natura Sacramenti in specie; suppetit ex simili

*Reliqua fulciuntur.*

in

in aliis Sacramentis mortuorum, quæ aliquando, & sæpè conferunt augmentum gratiæ, & non primam gratiam, ad quam ordinata sunt, & hoc certum est. Suppetit argumentum in voluntate instituentis fundatum: quia Sacramenta instituta sunt ad salutem: congruum ergo est, vt quando omnia essentialiter requisita ponuntur in esse, & fidelis accedit inculpabiliter cum fide & debita, hîc & nunc, reuerentiâ, & deuotione, vt fructum percipiat Sacramentorum.

*Definitio Ecclesiæ.*

Suppetit etiam ratio communis: quia Sacramenta nouæ legis conferunt gratiam non ponentibus obicem Trident. sess.7. de Sacramentis in genere, can.6. *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre*, &c. *anathema sit.* Hæc definitio ad propositum accommodatur, quia in hoc casu non ponit obicem accedens bona fide.

43 Accedit & sententia communior Doctorum sic tenens, quæ non est parui momenti: nam in simili etiam casu, verbi gratiâ, quando accedit aliquis ad Sacramentum Baptismi mala fide cum obice peccati, in quo complacet, quamuis habeat voluntatem recipiendi Sacramentum, tum non recipit gratiam sacramentalem, sed postea factâ pœnitentiâ eandem recipit simul cum gratia pœnitentiali, vt communiter tenetur: sed neque Scriptura, neque definitio Ecclesiæ expressa, neque etiam ratio ex institutione Sacramenti aliter ad hoc conuincit, quàm in proposito vrget, sed congruentia tantùm: ergo etiam valebit hîc similis congruentia.

*Baptismus dat effectū recedente fictione.*

Minor patet quoad scripturam *Ioannis 3. & 4. & aliis locis*, vbi de efficacia, & virtute Baptismi agitur, id non indicant, neque definitio aliqua Augustinus. Ecclesiæ, solùm authoritas Augustini *lib.1. de Baptismo, cap.11. & sequentibus cap.13. lib.6. cap.5.* & refertur *de consecratione dist.4.* in cap. *Tunc valere*, &c. vbi asserit valere Baptismum recedente fictione. Fundatur autem Augustinus in illa congruentia: quia Baptismus nequit iterari, & per se ordinatum est ad delendum originale, & alia peccata ante Baptismum commissa: ergo recedente fictione valet ad hunc effectum, quod docuisse videtur Cyprianus *in lib. de Cardinalibus Christi operibus*: si ergo Baptismus, qui est Sacramentum in vsu tantùm, tantum valet recedente fictione ex congruentia, quod aliqui etiam docent de pœnitentia informi, & valida.

*Fundamētum Augustini.*

Cyprian.

*Eucharistia in eo casu dat nutrimētum, quod delet peccatum.*

Sic etiam in proposito valebit Eucharistia in eo, qui modo dicto accedit, non quòd Eucharistia ordinetur per se ad remissionem peccati, sed ad gratiam dandam per modum nutritionis, quæ gratia in tali subiecto per accidens erit non solùm nutritio, sed etiam vita, quæ remouet impedimentum peccati ad effectum nutritionis.

44 Vnde similitudo de nutrimento materiali sumpta non currit in proposito, quia nutrimentum materiale ex se mortuum est, neque confert ad vitam, nisi quatenus per actionem viuentis conuertitur in substantiam aliti: non ita est in alimento præsenti, quia hoc virtute suâ propriâ conuertit in se manducantem, non autem è contra: vnde Augustinus alibi, *Crede & manducabis me, non me conuertens in te, sed tu conuerteris in me*, &c. Congruum ergo est, vt hoc nutrimentum spirituale habens efficaciam conuertendi in seipsum sumentem in casu, conuertat in fide bona, & dispositione requisita accedentem, & sic conuertendo deleat peccatum eius per accidens: nam alia est efficacia eius, alia natura, & modus nutriendi diuersus à materiali: vnde argumentum inde sumptum non concludit oppositum.

## *Quæritur vlteriùs, An necessaria sit attritio in eo casu ad effectum nutritionis?*

SVarez *sect.2. loco citato*, docet ad remissionem peccati in eo casu requiri saltem attritionem, non quamcunque, sed supernaturalem, quod etiam docet 3. *parte de Sacramentis in genere disp.7. sect.4.* vniuersim de omnibus Sacramentis viuorum. Iuxta hanc sententiam potest dari accessus medius ad hoc Sacramentum, quia bona fides excusat à peccato actuali sacrilegij accedentem, si desit tamen attritio, peccatum occultum non remittitur, & neque gratia datur, neque quis peccat. 45 *Suarez requirit attritionē supernaturalem.* *Accessus medius ad Sacramentum.*

Maior *in 4. dist.9. quæst.1. concluſ.2. & 3.* docet, quòd nemo potest indignè etiam materialiter ratione peccati ignorati, accedere ad Sacramentum, quin peccet, quia si feciſſet, quod in se est, non mansisset in peccato. Sed hæc sententia singularis est, & rigorosa, ac proinde reiicitur, quia potest quis habere ignorantiam inculpabilem sui peccati, & nihilominus facere, quod in se est secundùm prudentiam, & sufficit ad bonam fidem fundandam, quia non maior exigitur inquisitio, & diligentia, vt quis accedat ad hoc Sacramentum, quàm vt confiteatur integrè sua peccata mortalia: sed in hoc sufficit diligentia præmissa: deinde sequeretur in quibuscumque operibus præcepti, quod bona fides non excusaret facientem contra præceptum. Maior. *Sententia rigorosa, & falsa.*

*Concluſio*: magis probabile est, in eo casu absque attritione de peccato hominem iustificari per Sacramentum. Hunc non docet Doctor expressè, videtur tamen supponere: quatenus non facit mentionem dispositionis per attritionem. Concluſionem defendunt Sotus *d.11. q.1. art.4.* & Ledesma *1.p.4. q.20. art.4.* Ianſenius *in concordia cap.131.* Vega, Claudius Sanctes *rep.6. in Eucharistiam.* & alij; videturque magis conformis principiis positis. 46 Sotus. Ledesma. Ianſon. Vega. Sanctes.

Probatur, quia ad probationem requisitam ad hoc Sacramentum non exigitur talis dispositio per attritionem, vt per se constat: sed efficacia ad iustificationem Sacramento conuenit ex propria natura, suppositâ sufficienti probatione, & bonâ fide: ergo ad effectum non exigit attritionem. Secundò, attritio de se est insufficiens ad remissionem peccati, nisi accedat Sacramentum, cui subordinatur, vt Pœnitentia, aut Baptismus: ergo in proposito nihil facit, sine qua haberi potest effectus Sacramenti. Antecedens per se patet ex Tridentino *sess.6. cap.6. sess.14. cap.4.* Probatur consequentia, quia peccatum illud remittitur ex opere operato, & efficacia Sacramenti, sed attritio non subordinatur Eucharistiæ, cùm sit Sacramentum viuorum: ergo non recipit efficaciam ab Eucharistia ad remissionem peccati, ex se autem illam non habet. 47 *Probatio conclusionis.* *Attritio insufficiens.* Trident. *Non subordinatur Eucharistiæ.*

Confirmatur, si daretur notitia peccati, non sufficeret attritio sine absolutione, sed attritio in ordine ad pœnitentiam est magis efficax, cui subordinatur, & cuius votum includit: ergo in proposito *Prima cōfirmatio. Inefficax attritio sine Sacramento, cui subordinatur.*

posito casu nihil facit, sine quo haberi non possit effectus, ac proinde sine illa remittitur peccatum, vel nullo modo.

*Ad effectū per accidens non requiritur, nisi idem quod effectus per se petit.*

Confirmatur, Sacramentum ad effectum per accidens nihil requirit, nisi quod requirit ad effectum per se, quia effectus per accidens est, qui coniungitur effectui per se causæ: sed ad effectum per se Eucharistiæ non exigitur attritio in iusto: ergo neque ad effectum per accidens. Eucharistia autem per accidens remittit peccatum illud, quia dando effectum per se incorporando sumentem Christo per gratiam nutritiuam, sequitur deletio peccati ex repugnantia ad gratiam in quocunque gradu: non sic autem se habet Pœnitentia, & Baptismus respectiuè ad peccatum originale, aut actuale, quia influunt per se ad deletionem peccati, sicut & Eucharistia ad deletionem venialis ad præseruandum à mortali.

48

*Prima obiect. Necessitas Pœnitentiæ.*

Obiicit Suarez, quia neque ipse Baptismus, aut Pœnitentia remittit peccatum mortale sine contritione: ergo minùs potest remittere Eucharistia, aut quodcunque Sacramentum viuorum. Respondetur attritionem, aut contritionem esse partes essentiales pœnitentiæ, ac proinde necessariæ sunt ad perficiendum Sacramentum: quoad Baptismum autem exiguntur per se vt dispositio, quoad peccata actualia mortalia ante Baptismum commissa.

Si tamen casus daretur, vt quis bonâ fide accederet ad Baptismum, dubium est, an iustificaretur sine pœnitentia actuali, & expressa, si in re habeat peccatum aliquod, quod non recordatur.

Respondetur casum non dari in praxi, nempe, adultum in quo formari potest, accedere ad Baptismum sine Pœnitentia, aut memoria peccatorum præteritorum, etiam mortalium. Sed dato casu, tunc dici posset, quòd bona fides cum reliquis, & proposito salutis, ac obseruandi legem, sufficiat cum Baptismo, vt ipsi dimittatur peccatum. Vnde quando Trident. *sess. 6. cap. 6.* docet pœnitentiam peccatori præmittendam esse ad Baptismum: *Hæc est*, inquit, *pœnitentia, quam ante Baptismum oportet fieri*, &c. Loquitur regulariter, & in iis, in quibus conscientia grauatur memoriâ præteritorum delictorum. Sic etiam sess. 14. cap. 1. *Fuit quidem*, inquit, *pœnitentia vniuersis hominibus qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quouis tempore ad gratiam & iustitiam assequendam necessaria: illis etiam qui Baptismi Sacramento ablui petiissent, vt peruersitate abiectâ, & eliminata tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur: conuertimini, & agite pœnitentiam*, &c. Ezechielis 18. Ex quibus colligitur, pœnitentiam habere necessitatem medij: ergo sine ea nequit remitti peccatum mortale. Confirmari potest ratione, quia hæc est dispositio, quam Deus exigit ex lege: ergo alia non sufficit, nec sine hac habetur effectus.

*Baptismus eũ bonâ fide susceptus iustificaret ignarũ peccati.*

Trident.

*Explicatur.*

*Pœnitentia virtualis.*

Respondetur, inquam, omnia hæc vera esse, quando adest cognitio peccati, in casu tamen sufficit illa pœnitentia virtualis, quam habet cum bona fide, vt quando accedit ad Sacramentum cum voluntate pœnitendi, si aliquod peccatum occurreret, ex affectu supernaturalis salutis, & charitate circa Deum: quia pœnitentia explicita exigitur in habente cognitionem peccati; implicita verò sufficit in eo, qui accedit bonâ fide, & cum præmissa dispositione, quæ est implicita pœnitentia.

Dices, in voto Pœnitentiæ, aut Baptismi remittitur peccatum mortale: ergo etiam in eo casu sic remitteretur. Respondetur hîc inueniri votum Pœnitentiæ, quia voluntas suscipiendi dignè Eucharistiam, cum inquisitione requisita; vnde sequeretur pœnitentia, si peccatum aliquod occurreret, est sufficiens votum Pœnitentiæ, seu propositum, quod idem est. 49

*Præfertur prima sententia.*

*Secunda conclusio*, probabile magis est requiri pœnitentiam aliquam peccatorum ad effectum Sacramenti, non quæ sit illius peccati, cuius nulla est memoria, quia id esset impossibile, sed aliorum præteritorum, & aliàs confessorum: ac proinde probabilis est opinio Suarez, neque abhorret Doctor *in 4. dist. 4. quæst. 5. & dist. 14. quæst. 4.* vbi supponit pœnitentiam necessariam esse ad remissionem peccati, & rectè fundatur in iis locis Tridentini.

Doctor.

*Requiri Pœnitentiam.*

Ad rationes factas respondetur, dolorem explicitum, vel æquiualentem actum charitatis supernaturalis requiri ad effectum remissionis peccati: alteruter actus est satisfactio lege præscripta; vnde qui accederet sine altero, non accederet sufficienter dispositus, quia non poneret satisfactionem lege præscriptam: quamuis haberet propositum faciendi pœnitentiam, si occurreret peccatum.

*Quale propositum est validum.*

Hoc enim propositum, si fundetur in actu charitatis, accedente bonâ fide sufficit, quia est pœnitentia virtualis: si autem non fundetur in tali actu, nequaquam: quia voluntas faciendi pœnitentiam haberi potest sine vlteriori dispositione, absque eo, quòd transeat in exercitium, ac proinde non est retractatio peccati implicita, & proxima, sicut quando fundatur in actu charitatis, quæ est conuersio actualis in Deum, ac proinde virtualis auersio à peccato.

Requiritur autem conuersio actualis ad retractandum peccatum mortale in exercitio posita, siue per actum charitatis, siue per pœnitentiam: nam cætera omnia possunt stare etiam cum peccato cognito; verbi gratiâ, fides & propositum faciendi pœnitentiam: vt si quis eliciat actum attritionis naturalis sine gratia, quam putaret esse naturalem, vt si detestetur peccatum ex motiuo humano solùm, & non ex motiuo aliquo supernaturali, in quo casu non iustificaretur, ne quidem per ipsum Baptismum, quidquid dicat Sotus, neque per pœnitentiam: ergo minùs per Eucharistiam, quæ per se non ordinatur ad remissionem peccati: & quamuis bona fides excuset ipsum à peccato, tamen non sufficit ad effectum Sacramenti sine conuersione supernaturali in Deum, & actuali.

Confirmari potest, quia bona fides potest fundari cum cognitione peccati, vt si putet se habere contritionem perfectam, quæ tantùm est æstimata, & celebret in necessitate: eo casu non iustificatur, quamuis bonâ fide celebret: ergo, &c.

50

*Probatio præmittenda ad communem. Caietani sententia.*

b *De tertio dico, quòd si occurrat opportunitas, tenetur prius confiteri*, &c. Est contra Caietanum, qui in Summa, verbo *Communio sacramentalis*, & 1. *ad Corinth.* 11. in illud: *Probet autem seipsum homo.* & *in peculiari opusculo etiam de eodem*, & 3. *part. quæst.* 80. *art.* 4. docet nullum esse peccatum, nisi fortè veniale, accedere ad communionem cum sola contritione peccati mortalis non præmissâ confessione; quia nullum, inquit, præceptum est in contrarium, neque diuinum, neque positiuum.

Conclusio

*Confessionem sacramentalem prærequiri in peccatore.*

Conclusionem Doctoris communiter docent Theologi, & probatur manifestè ex Tridentino *cap. 7.* declarante præparationem præmittendam esse necessariò sacramentalem confessionem.

*Declaratio Tridentini.*

*Vt nullus*, inquit, *sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab ijs Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hac sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuerit, modò non desit illis copia confessoris: quod si necessitate vrgente Sacerdos, absque præuia confessione celebrauerit, quamprimùm confiteatur*, &c.

*Nouum præceptum additum Sacerdotibus.*

Vbi præter declarationem veritatis additur præceptum nouum confessionis, respectu Sacerdotis, qui celebrat in casu vrgente, absque præmissa confessione; vt *quamprimùm*, id est, data opportunitate confiteatur post Missam, quod præceptum ad solos Sacerdotes extenditur ex tenore verborum, & Canone 11. *Si quis dixerit solam fidem sufficientem esse præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum, anathema sit. Et ne tantùm Sacramentum indignè, atque adeò in mortem, & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habità copiâ confessarij, præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere; seu publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*, &c.

51 Petrus de Soto.

Dubium est an opinio Caietani sit error in fide? Petrus de Soto *de Institut. Sacerdotum, cap. 12.* ait, non fuisse damnatam opinionem Caietani, sed oppositam, & probabiliorem determinatam esse. Melius noster Castro *de Eucharistia, hæresi* 10. Sixtus Senen. *in Bibliotheca, lib. 6. annotation.* 161. Canus *relectione de pœnitentia, part. 5.* Soto *in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 4.* referunt damnatam quidem fuisse sententiam Caietani à Concilio, & verba Concilij clara sunt; declarat enim probationem, quam exigit Paulus, necessariò esse debere sacramentalem confessionem, idque iure diuino.

*Damnatam fuisse sententiam Caietani.* Castro. Sixtus Senens. Canus. Soto. Trident.

52

Vnde ad fundamentum Caietani. Respondetur esse præceptum diuinum, & sic semper ab Ecclesia intellectum. Cyprianus lib. 3. epistolarum, epist. 14. morem reprehendit, quo ante exomologesim detur communio: & *epist. 15.* ait, esse contra veritatem Euangelij Eucharistiam ante confessionem recipere: idem etiam *epist. 18.* repetit; & *sermone 5. De lapsis*, ait, *eum qui absque confessione ad Eucharistiam accedit, indigne accedere:* supponit ergo esse iuris diuini.

Patet etiam ratione, quia ministerium Eucharistiæ commissum est Ecclesiæ in Sacerdotibus, quibus incumbit obligatio non ministrare Sacramentum indignis. Vnde Chrysostomus homilia 83. in Matthæum, alloquens Sacerdotes: *Nam ad vos sermonem conuertere necessarium est, vt multo cum studio hæc dona distribuatis: non parua vobis imminet vltio, si quemquam vllius culpæ conscium huius mensæ participem esse concedatis: sanguis eius de manibus vestris exquiretur: siue quis militiæ dux sit, siue præfectus, siue princeps diademate coronatus, indigne autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insigniuit honore, vt talia discernatis*, &c.

*Potestas Sacerdotij, circa ministerium.*

Sed hæc discernere nequeunt Sacerdotes, nisi in foro confessionis: ergo digna probatio adhibenda ex parte pœnitentis est confessio. Vnde rectè Doctor assignat hanc rationem, nempe peccantem mortaliter non solùm Deo satisfacere debere; sed etiam Ecclesiæ, cui commissæ sunt claues, & potestas ligandi, atque absoluendi: ergo non censetur quis rectè probare seipsum, donec Ecclesiæ se probandum submittat.

*Ratio Doctoris.*

Præterea, Eusebius Cæsariensis *lib. 6. histor. cap. 24.* refert de Philippo I. Imperatore Christiano, quòd cùm ad Eucharistiam in Paschate accedere vellet, non fuisse permissum ab Episcopo Romano, donec primùm confiteretur peccata sua: rectè ergo Tridentinum allegat consuetudinem Ecclesiasticam.

Euseb.

53

Obicit Caietanus non teneri peccatorem facere quantum potest, vt accedat: ergo non tenetur confiteri. Respondetur teneri facere, quod iure præscriptum est: vnde licèt probatio eius spectet ad Sacerdotem cõfessarium, nihilominus ipse etiam accedens ex præcepto seipsum probat.

*Obiectio Caietani.*

Dices, Chrysostomus homilia 28. in Apostolum: *Non iubet*, inquit, *vt alteri probetur, sed ipse sibi in publicum faciens iudicium, & sine teste argumentum*, &c. Theophylactus in eundem locum: *Non alium tibi iudicem attribuo; verùm teipsum tibi ipsi commendo: iudica igitur, & explora conscientiam tuam, & sic accede; non quando fuerint feriæ, sed quando purum te ipsum; ac dignum inueneris*, &c.

Chrysost. Theophylactus.

Respondetur hos Patres non excludere confessionem à tali probatione, quando necessaria est, nempe, in eo, qui habet peccatum mortale, vnde ipsum sibi iudicem constituunt, quantùm ad examen conscientiæ, in quo seipsum, vel reum inuenerit, vel innocentem, per dictamen legis discernentis opera sua: si tamen reum se inuenerit, tunc adhibenda sententia Sacerdotis, & Ecclesiæ, cuius est ligare, & soluere. Alij referunt hæc loca ad pœnitentiam publicam, quæ tamen fuit in vsu ob delicta publica tantùm: ob secreta verò non fiebat pœnitentia publica; quamuis necessaria semper fuerit confessio secretorum: illud ergo genus probandi per publicam pœnitentiam prohibent, non secundum, per secretam confessionem.

Ad confirmationem facit authoritas Leonis I. *epist. 91.* quæ est apud Theodoretum, *cap. 2. Multiplex misericordia Dei ita lapsis subuenit humanis, vt non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparatur æternæ, vt qui regenerationis donum violassent, proprio se iudicio condemnantes, ad remissionem criminum peruenirent, sic diuinæ bonitatis præsidijs ordinatis, vt indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat abstineri*, &c. Nota illa verba *proprio se iudicio condemnantes*, &c. subiungens remissionem criminum per supplicationes Sacerdotum obtineri: ergo non debet illud, *proprio*, apud priores Patres lectum, intelligi cum exclusione confessionis. Vnde subdit idem Leo: *Mediator enim Dei, & hominum homo Christus Iesus hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent.* Dubitatur autem, quale hoc præceptum sit, an naturale, an diuinum positiuum. Aliqui dicunt esse naturale, alij positiuum. Respondetur magis participare naturam positiui: aliqui dicunt esse tantùm Apostolicum: sed id falsum esse constat ex Paulo, quia dicit 1. *ad Corinth. 11.* ipsum tra-

Leo Papa.

*Hoc præceptum esse positiuum.*

dere, quod accepit à Domino, & declarat præceptum diuinum, non præcipit ipse.

54 *Diuersi casus excusantes à confessione.*

Petes, quinam sint casus, in quibus licet quandoque sine confessione communicare; nam omnes concedunt aliquos casus, in quibus id licitum est, & idipsum supponit Concilium loco præfato. *Primus casus.* Primus casus est, in quo posset quis communicare, aut celebrare contritus, quando breui adesse sperat post communionem confessarium, cui deuotiùs confiteri potest, licèt alius tamen sit præsens: ita Richardus, Adrianus, Angelus in Summa, verbo *Eucharistia*: sed hic non admittitur communiter, neque sufficit fundamentum, neque quadrat cum absoluta declaratione Concilij. Respondetur breuiter regula hac generali: tunc posse contritum celebrare, aut communicare, quando non adest copia confessoris, & sine graui detrimento nequit seipsum ab opere subtrahere. Deinde si adsit Sacerdos, multa excusant etiam à confessione præmittenda quandoque, nempe, omnia illa, quæ excusant ab integra confessione, vt quando sibi, vel aliis notabile damnum redundare ex illa confessione cognosceret, vt si reuelaretur sigillum, &c. Deinde si Sacerdos tum præsens non haberet potestatem super aliquos casus pœnitentis: Doctores plures tenent eum teneri omnia confiteri. Vasquez docet contrarium, non teneri confiteri; ac proinde tum, instante necessitate præcepti, aut scandali, contritum posse communicare, nec habere tum copiam confessoris.

Adrianus. Richardus. Angelus. *Non admittitur.* *Regula generalis.* *Dubium.*

Casus necessitatis communicandi, quando non adest copia confessoris, sunt periculum præsens mortis, vt tradit Sotus, & alij, qui dicunt tunc ægrotum posse communicare, si adest Diaconus, qui ei communionem ministrare possit. Alia necessitas est præcepti occurrentis, aut infamiæ, si alioquin actus deseratur: hunc exprimit Doctor, vt quando in aliqua Ecclesia consuetudo sit communicandi omnes clericos, vel quando Sacerdos ex officio obligatus celebrare, non posset sine scandalo omittere; aut quando quis est in Altari, & tunc primum recordatur sui peccati, vel quando est ad mensam communionis; in his casibus nequit sine scandalo, aut nota infamiæ omittere communionem.

*Casus infamiæ, aut scandali ex omissione actus.* Doctor in litera.

*Qui teneantur præcepto Tridentino nouo?*

Laici non comprehenduntur hoc præcepto nouo Concilij de confessione facienda post communionem, sed Sacerdotes qui frequentiùs celebrant; neque etiam Sacerdos communicans, & non celebrans, eadem comprehenditur: neque Sacerdos celebrans in peccato sine necessitate, aut malâ fide, quia respectu talis non erat necessarium hoc præceptum (cuius finis est sollicitos reddere celebrantes, vt statim confiteatur, ne præsumptione contritionis negligant confessionem, vt diutiùs in peccato sine illa hæreant, non subiiciendo clauibus ipsum, aut pœnitentiæ; in cuius voto, si vera fuit contritio, est remissum) talis enim negligit præceptum diuinum. Item nec celebrantem sine necessitate cum obliuione sui peccati, quia ratio legis talem non comprehendit, sed celebrantem in necessitate sine copia confessoris. Hoc præceptum confessionis ante Eucharistiam respectu Sacerdotis obligat non per se, sed ex præcepto Eucharistiæ, ad quam dignè accedere debet, modò aliàs non currat præceptum pœnitentiæ: ratio est, quia tum non tenetur confiteri, modò ab Eucharistia, ac celebratione abstineat. Sed an tunc etiam obliget præceptum pœnitentiæ per se, infrà dicetur *dist.* 17.

55 *Virum ad remissionem venialis requiratur aliqua dispositio.*

c *De peccato autem veniali non oportet dubitare, quia de illo non est necessaria pœnitentia*, &c. Aliqui docent contrarium huius conclusionis, nempe, præter statum gratiæ exigi deuotionem actualem conceptam ex aliqua pia animi cõsideratione: ita Alensis 4.*p.q.*10.*m.*8.*art.*3.§.2. D.Thom.*in* 4.*dist.* 12.*q.*2.*art.*1.*quæstiunc.*3. quem sequitur Antoninus 3.*p.tit.*13.*c.*6.§.8. Syluester verbo *Eucharistia*. Paludan.*dist.*12.*q.*2.*art.*2.*concl.*3. Durand.*eadem dist. q.*4. Caietan.3.*p.q.*8.*art.*8.*in fine*.& 1.2.*q.*113.*art.*3.

Alensis. D. Thom. Antonin. Syluester. Paludan. Durand. Caietan.

Hi omnes loquuntur de effectu gratiæ habitualis, excepto Alensi, qui vniuersim intelligit de quocumque eius effectu: asserunt itaque peccatum veniale, quod impedit deuotionem actualem circa Sacramentum, impedire fructum huius Sacramenti: illud peccatum est distractio, quæ impedit deuotionem actualem circa Sacramentum: Petrus autem de Soto asserit hanc euagationem mentis aliquando talem esse contingere, vt sit graue peccatum; si autem diuagatio illa sit præter intentionem, & parua, non impedit gratiam Sacramenti.

*Peccatũ veniale impedire fructũ Sacramenti.* Petrus de Soto.

Secunda sententia est Marsilij *in* 4.*q.*6.*art.* 4. *corollario* 3. dicentis, præter statum gratiæ, requiri ne peccatum veniale committatur, ad dignè accedendum: videtur ergo docere tale impedire fructum Sacramenti.

Marsilius.

Conclusio tamen præmissa videtur D.Thomæ 3.*part.q.*80.*art.*8.*in corpore*, & *ad primum*; sequitur idem Gabriel *lect.*83. *in Canon.* Soto *in* 4.*dist.*11. *q.*2.*art.*8.*dub.*1. Corduba *lib.*1.*q.*8. Adrianus *in* 4. *quæst.*1. *de Eucharistia*. Suarez *disp.*63.*sect.*3. Vasquez *disp.*206.*c.*2. probatur ex Trident.*sess.*13.*c.*7. explicat illud primæ ad Corinth.11. *Probet autem seipsum homo*, &c. *Ecclesiastica autem*, inquit, *consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat*, &c. ergo non exigitur ad probationem, quam intendit Apostolus aliud, quàm status gratiæ, & non habere conscientiam peccati mortalis; vel si habeat, præmittere confessionem datâ facultate confessoris: quæ est declaratio Ecclesiæ: ergo aliud non requiritur ad effectum Sacramenti: ergo quando accedit in veniali, non impeditur effectus Sacramenti, aliàs certè indignè accederet, & peccaret mortaliter: vniuersim autem falsum est veniale impedire augmentum gratiæ, vel fieri mortale.

56 *Conclusio vera.*

D.Thom. Gabriel. Soto. Corduba. Adrianus. Suarez. Vasquez. Trident. *Probatio.*

Dices, accedens ad Sacramentum non inferre grauem iniuriam Sacramento, quia veniale non est tale, licèt hoc impediat effectum Sacramenti. Contrà, impedire per se effectum Sacramenti est graue peccatum, quia redderet Sacramẽtum inefficax: nam ideò peccatum mortale ponit obicem, quia repugnat gratiæ, & effectui Sacramenti: ergo si veniale hoc faceret, iam non esset veniale, sed mortale. Deinde veniale in *facto esse*, aut habitualiter, non repugnat sanctitati: ergo neque eius augmento. Vnde non consequenter loquuntur, qui dicunt veniale impedire fructum Sacramenti, & manere tantùm veniale.

*Responsio.*

Dices, illud, quod aliàs esset veniale, in eo casu fieri mortale, vt insinuare videtur Marsilius. Sed contrà, repugnat veniale fieri mortale in eo casu: quia Concilium non exigit ad probationem, nisi vt præmittatur confessio mortalium: ergo si veniale non fuerit mortale antè accessum, non fit per accessum mortale.

*Responsio.* *Impugnatio.* *Veniale non fit mortale.*

Confirma

Trident. Confirmatur ex doctrina Trident. sess.6.c.11. vbi ait: *Licèt enim in hac mortali vita quantumuis sancti & iusti, in leuia saltem, & quotidiana, quæ venialia dicuntur peccata, quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti*,&c. Item sess.14.cap.5. *Venialia quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam rectè, & vtiliter, citráque omnem præsumptionem in confessione dicantur, quod piorum hominum vsus demonstrat, taceri tamen citra culpam, multisque aliis remedijs expiari possunt*,&c. Ex quibus sequitur venialia non excludere à gratia & iustitia, neque necessario esse confitenda: quando ergo declarat Concilium probationem præmittendam ad Eucharistiæ sumptionem, esse confessionem mortalis peccati, sufficienter demonstrat neque veniale repugnare eius effectui, neque necessariò esse confitendum.

Deinde non est maior obligatio ad accedendum sine veniali ad Eucharistiam, quàm sit confitendi venialis in pœnitentia, quia idem principium vtrobique inducit obligationem eandem, nempe sancta tractare sanctè, non ponere obicem effectui sacramentali: in pœnitentia autem veniale non ponit obicem: ergo neque in Eucharistia.

57 *Obiectio prima soluitur.* Obiicies: sancti Patres adhortantur omnes, vt accedant ad hoc Sacramentum cum magno feruore, & deuotione: ergo hæc necessaria est. Respondetur negando consequentiam, si intelligatur de necessitate simpliciter: si secundùm *quid*, conceditur: hoc est quantùm ad vtilitatem, & decentiam.

58 *Augmentum gratiæ ex frequentia Sacramenti.* Obiicies secundò, quia sequeretur, si status gratiæ sufficiat, multos Sacerdotes quotidie celebrantes in statu gratiæ acquirere immensum gratiæ cumulum, quod non videtur verum: ergo requiritur præter iustitiam habitualem deuotio actualis, cuius carentia solùm obstare videtur. Respondetur, hoc nihil absurdi continere, vt quotidie celebrans in statu gratiæ, quotidie etiam reddatur iustior; sicut contingit in iis, qui quotidie se exercent in bonis operibus.

59 Obiicies tertiò Sacramentum per modum cibi, & potus ordinatum esse, vt nutriat animam: ergo requirit cooperationem nostram, sicut nutrimentum spirituale. Respondetur hoc nutrimentum esse viuificatum ex seipso, modò inueniat dispositum in iustitia; deinde accedit fides sumentis ex parte nostra, vt plurimùm: in infantibus autem neque fidem exigit, quibus communicat gratiam.

60 *Impediri feruorem per actuale veniale.* *Secunda conclusio*: distractio, & defectus deuotionis actualis in sumente impedit feruorem, & refectionem dulcedinis spiritualis, quam quis alioquin sentire posset in hoc Sacramento, & ab ipso causatur, est D. Thomæ, & vera, quia peccatum veniale, licèt non opponatur gratiæ iustificanti, tamen opponitur feruori charitatis. Non licet colligere ex dictis, quòd quæuis distractio sit leuis in hac materia: vt quando quis ita accedit, tanquam ad communem cibum, quia distractio talis esse potest, vt sit grauis irreuerentia, si sit voluntaria.

61 *Quale peccatum sit accedere peccando venialiter.* Petes si quis accedat cum peccato veniali, an saltem de nouo peccet venialiter? nam quòd non mortaliter, iam dictum est: aliqui docent esse peccatum veniale, si quis accedat cum veniali actuali: verbi gratiâ distractione, vel sentiens se habere conscientiam grauatam multis venialibus, nisi præmittat pœnitentiam: fundantur in authoritate libri de Ecclesiasticis dogmatibus, qui est Gennadij apud Augustinum *cap.53.* & habetur *de consecrat. dist.2. can. Quotidie*: vbi exhortatur fideles, vt singulis diebus Dominicis communicent; & subdit: *Si tamen mens sine affectu peccandi sit, habentem ad hoc voluntatem peccandi grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari; & ideò quamuis quis peccato mordeatur, peccandi non habeat de cætero voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, orationibus, & confidens de Domini miseratione, qui peccata piâ confessione donare consuenit, accedat ad Eucharistiam intrepidus, & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia, & mortalia peccata non grauant*,&c. vbi videtur hic author agere de peccatis venialibus, non mortalibus. Deinde Anselmus in primæ ad Corinth.11. probet autem,&c. *Indignè*, inquit, *manducat, & bibit, qui vel aliquod, vel multa leuia commisit peccata, & non est confessus.* Deinde ratio est, quia impedit aliquem effectum Sacramenti: ergo facit contra reuerentiam, & fructum Sacramenti. Anselmus.

Respondetur tamen, vel veniale committitur in vsu ipsius Sacramenti, vel circa aliam materiam, vt quando quis habet veniale, vel pluta venialia habitualia, de quibus non satisfecit: probabile ergo est quoad primum non committi aliquod peccatum diuersum ab ipso veniali, quod circa vsum Sacramenti committitur, quia non multiplicatur peccatum nisi multiplicato præcepto: in eo casu est vnicum præceptum, contra quod committitur veniale, nempe, tractandi sancta sanctè: ergo vnicum tantùm peccatum est. 62 *Responsio ad dubium.* *Non esse peccatum diuersum.*

Quoad reliqua respondeo etiam non esse diuersa peccata, neque peccare de nouo eum, qui accedit cum veniali habituali ad Sacramentum, quia nullum est præceptum in contrarium, quia sic accedere potest præmissâ debitâ probatione, quæ respicit peccata mortalia tantùm, quantum ad obligationem: neque peccata venialia habitualia impediunt augmentum gratiæ, neque effectum per se huius Sacramenti, & qui regulariter datur: nam deuotio, & feruor actualis non omnibus conceditur etiam accedentibus sine veniali peccato bonâ fide.

Ita videtur supponere Doctor in litera; sequitur Vasquez *disput.207. cap.2.* citans Richardum *in 4.dist.9.art.2. quæst.1.* Maior *quæst.1.* Adrianus *quæst.1. de Eucharistia.* Sotus *dist.12. quæst.1.art.4.* & ratio conclusionis est, quia non apparet præceptum de contrario. Doctor. Vasquez. Richard. Maior. Adrianus. Sotus.

Ad locum Gennadij, respondet Doctor intelligi debere de peccatis mortalibus iam confessis, de quibus mordetur, nō quòd sit remorsus ipsius peccati; sed quòd non præmiserit de eo sufficientem satisfactionem: alioquin si de venialibus loqueretur, nemo dicit necessariò præmittendam esse confessionem ipsorum: vt patet ex Tridentino *suprà* citato; hæc est satis literalis, & ad propositum textus. Alij intelligunt eum loqui de peccatis publicis, in quibus publica præmittenda est pœnitentia; non de secretis, de quibus non fuit consuetum iniungere publicam pœnitentiam: vt patet ex Trident. *sess.14.cap.5.* Quòd autem de iis intelligatur, patet ex verbis quæ subiungit: nam quem mortalia crimina post Baptismum premunt, hortor priùs publica pœnitentia satisfacere, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari. *Explicatur locus allatus Gennadij.* Trident.

Vnde Augustinus epist.118. *Cæterùm*, inquit, *si peccata tanta non sunt, vt excommunicandus quibusdam homo iudicetur; non se debet à quotidiana medi-* Augustin.

*cina Dominici corporis separare*: habetur Canone, *Si non tanta, de consecr. dist.* 2. Peccata autem propter quæ excommunicandus esset aliquis, id est, à communione separandus, non quæcumque mortalia intelliguntur, sed illa publica etiam confessa, ob quæ per tempus, iuxta rigorem antiquorum Canonum, & iudicium antistitum, quis separandus esset à communione. Ad Anselmum, oportet eodem modo ex ratione prædicta eum interpretari; quia alioquin non est obligatio confessionis leuium, quæ dicuntur venialia: per leuia ergo intelligit peccata mortalia secreta, quæ leuia dicuntur respectiuè ad scandalosa, & publica, ob quæ negabatur etiam pœnitentibus communio ante absolutam publicam satisfactionem, quæ iniungebatur. *Interpretatio Anselmi.*

# DISTINCTIO DECIMA.

*A* SVNT item alij præcedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem, iuxta modum naturalium rerum metientes, audaciùs ac periculosiùs veritati contradicunt: asserentes in Altari non esse corpus Christi, vel sanguinem, nec substantiam panis, vel vini in substantiam carnis & sanguinis conuerti, sed ita Christum dixisse: 1.*Cor.*10. Hoc est corpus meum, sicut Apostolus dixit, Petra autem erat Christus. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tantùm in Sacramento, id est, in signo, & tantùm in signo manducari à nobis. Qui errandi occasionem sumunt à verbis veritatis, vnde prima hæresis facta est in discipulis Christi. [ Cùm *Ioan.* 6. *f* enim diceret, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus *Aug. sup. Psal.* 54. & 98. *circa illud*, Et ador. scabel. & *de consecratione, dist.* 2. Prima quidem, *homil.* 27. *super Ioan.* est hic sermo, quis potest eum audire? & abierunt retro. ] [ Illis descendentibus instruxit duodecim, qui remanserant, Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro nihil prodest, verba quæ locutus sum vobis, Spiritus & vita sunt. Intellexisti spiritualiter, spiritus, & vita sunt. Intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus, & vita sunt, sed tibi non sunt: spiritualiter intellige quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui. Spiritualiter intellectum viuificabit vos: caro autem non prodest quicquam. ] Sunt etiam & alia, illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus: [ Donec sæculum finiatur, sursum est Dominus: *Tract.* 50. *super Ioan. in fine.* sed tamen etiam hîc nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo *Augustin. ad Dard. epist.* 57. *non longè à princ. tom.* 2. resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est. ] Item, [ Vna persona est Deus & homo: vbique per id quod est Deus, in cœlo per id, quod homo est. Christus dicit etiam, Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. ] His aliisque vtuntur præfati hæretici, in assertionem sui erroris. *Matt.*26.*a*

## *Determinatio præmissorum.*

*B* QVæ ex eadem ratione omnia accipienda sunt, non enim verbis his negatur verum corpus Christi à fidelibus sumi, vel in Altari esse, sed his veritas Apostolos, & in eis nos instruxit, quòd ipsius corpus non per partes discerptum, vt putauerunt illi discipuli qui retrò ierunt, sed integrum: nec visibiliter in forma humana, sed inuisibiliter sub forma panis, & vini corpus & sanguinem nobis traderet. Quem sensum Augustinus † confirmat, dicens: [ Ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod videbatur, manducatur: ipsum quidem inuisibiliter, non ipsum visibiliter. ] Item, * [ Etsi necesse est illud celebrari visibiliter, necesse est tamen inuisibiliter intelligi. ] Ita etiam intelligendum est

*Ioan.* 6. *f* † *In ep. ad Iren. & habe. de consecrat. dist.* 2. *c.* Nó hoc, *Matt.*26.*a* * *Sup. Psal.* 98. *in loco prælleg.*

eſt corpus Chriſti eſſe in vno loco, ſcilicet viſibiliter in forma humana, veritas tamen eius, id eſt, diuinitas vbique eſt, veritas etiam eius, id eſt, verum corpus in omni Altari eſt, vbicumque celebratur. Sic etiam illud intelligendum eſt, Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, ſecundùm corporalem præſentiam, ſcilicet quâ cum eis conuerſabatur. Similiter per id quod homo eſt, in cœlo eſt, ſcilicet viſibiliter: inuiſibiliter autem eſt in Altari, quia non in forma humana apparet, ſed formâ panis, & vini operitur. Vnde & inuiſibilis caro eius dicitur, quæ verè eſt in Altari. Sed quia in ſpecie ſua non apparet, inuiſibilis dicitur. Ait enim Auguſtinus. [ Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus. Sacrificium duobus confici, duobus conſtare: viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne, & ſanguine, Sacramento, & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Sicut & Chriſti perſona conſtat, & conficitur ex Deo & homine, cùm Chriſtus ſit verus Deus & homo, quia omnis res illarum rerum naturam, & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus, Sacramento, & re Sacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Eſt ergo Sacramentum, & res Sacramenti idem corpus Chriſti. ] Ecce inuiſibilem dixit carnem Chriſti, quia forma panis operta ſumitur & tractatur. Idémque corpus Chriſti dixit eſſe Sacramentum, & rem: ex quo confirmatur quod ſuprà diximus. Deinde addit quod magis mouet lectorem, [ Caro, inquit, eius eſt, quam ſub forma panis opertam in Sacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus, caro videlicet carnis, & ſanguis Sacramentum eſt ſanguinis; carne & ſanguine, vtroque inuiſibi, intelligibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti viſibile, & palpabile, plenum gratiâ, & diuinâ majeſtate. ]

*In lib. Sententi. Proſp. & hab. de conſecr. diſt. 2. cap.* Hoc eſt.

*Ibid. vbi ſuprà.*

## *Quæ ſit intelligentia præmiſſorum.*

C

ATtende his diligenter, quia Tropo quodam vtitur hîc Auguſtinus, quo ſolent res ſignificantes rerum ſortiri vocabula, quas ſignificant. Hîc enim viſibilis ſpecies panis vocatur nomine carnis, & viſibilis ſpecies vini nomine ſanguinis. Inuiſibilis verò, & intelligibilis dicitur caro Chriſti, quia ſecundùm illam ſpeciem non videtur caro, ſed intelligitur: ita & ſanguis. Caro ergo inuiſibilis dicitur eſſe Sacramentum carnis viſibilis: quia ſpecies panis, ſecundùm quam non videtur caro illa, eſt Sacramentum carnis viſibilis, quia in carne inuiſibili, id eſt; ſpecie, ſecundùm quam caro Chriſti non videtur caro, ſignificatur corpus Chriſti, quod eſt viſibile, & palpabile, vbi in ſua forma apparet. Ita & de ſanguine accipi debet. Quem ſenſum confirmat Auguſtinus, aperiens qualiter prædicta intelligenda ſint, quia obſcurè dixerat: conſequenter dicens ita panem vocari corpus Chriſti, cùm verè ſit Sacramentum corporis Chriſti, quod in cruce poſitum eſt, ſicut ipſa immolatio quæ fit manibus Sacerdotis, vocatur Chriſti Paſſio, non rei veritate, ſed ſignificandi myſterio, & ſicut Sacramentum fidei dicitur fides. Satis reſponſum eſt hæreticis, & obiectionibus eorum, qui negant verum corpus Chriſti in Altari eſſe, & panem in corpus, vel vinum in ſanguinem, myſticâ conſecratione conuerti, dicentes: Quis audeat manducare Dominum ſuum? Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Chriſti de materia, vel ſubſtantia, quæ non fuit caro Virginis?

*De conſecr. diſt. 2.* Hoc eſt quod dicimus. *para.* Sicut ergo.

## *Auctoritatibus probat verum corpus Christi esse in Altari, & id in panem conuerti.*

*D Matt.26.c* HÆc, & his similia obiiciunt illi, in diuino mysterio legem naturæ se-
ctantes: quorum perfidiam subdita conuincunt testimonia. Ait enim ve-
*Ambr. lib. de his qui mysteriis initiantur c.9.in med. tom. 4.* ritas, Accipite, hoc est corpus meum. Item Ambros. [ Si tantum valuit sermo
*4. Reg. 9. Genes.1. & Psalm.22.* Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret, non valebit tantum sermo Christi, vt
*Ibid.* substantias mutet? De totius mundi operibus legitur, quia ipse dixit & facta
sunt, &c. Sermo igitur, id est, Filius, qui potuit ex nihilo facere quod non erat,
non potest ea quæ sunt, in id mutare, quod non erat? Non enim minus est
creare, quàm mutare naturas rerum. ] Item. [ Si ordinem quærimus, viro
mista fœmina generare consueuerat. Liquet ergo, quòd præter naturæ ordi-
nem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est. Quid
ergo hîc quæris naturæ ordinem in Christi corpore, cùm præter naturam sit
*Ibid.* ipse partus ex Virgine? ] Item. [ Ante benedictionem alia species nomina-
tur, post consecrationem corpus significatur. Ante consecrationem aliud di-
citur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis. Amen, id est, ve-
*Aug. in lib. Sen. Prosp. & de consecr. dist. 2.* rum est. Quod sermo fonat, affectus sentiat. ] Item Augustinus. [ In specie pa-
nis, & vini, quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem, & sanguinem ho-
noramus, nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem
nos autē. pendebamus, cùm fideliter fateamur ante consecrationem panem esse, & vi-
*Lib. de Sacram. 4. c. 4. tom. 4.* num, quod natura formauit: post consecrationem verò carnem Christi, &
sanguinem, quod benedictio consecrauit. ] Item Ambrosius. [ Panis est in
Altari vsitatus ante verba sacra: vbi accessit consecratio, de pane fit Christi
caro. Quomodo autem potest quod panis est, esse corpus Christi? Consecra-
*Ibid. & de cōsec. dist. 1.* tione, quæ fit sermone Christi. ] Item. [ Si tanta vis est in sermone Domini,
Panis est. vt incipiant esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ
* *In sermone quodam de verbis Euang. cuius initium,* erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecratio-
veritas, nem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi crea-
quæ est turam mutat, & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calicem
Christus, missum fit sanguis, consecratione verbi cœlestis. ] Item Augustinus. * [ Sicut
*ait, sed non rep. in vulg. exēplari, de consec. dist. 2.* per Spiritum sanctum vera Christi caro sine coitu creatur: ita per eundem ex
Vtrùm substantia panis & vini idem corpus Christi, & sanguis consecratur. Corpus
*sub. & de consecr. dist. 2. c.* Christi, & veritas est, & figura. Veritas, dum corpus Christi, & sanguis virtute
Quia Spiritus sancti ex panis viníque substantia efficitur: Figura verò est id quod
corpus. exteriùs sentitur. ] Item Eusebius Emissenus. † [ Inuisibilis Sacerdos visibiles
† *In serm. de corp. & sang. Dom.* creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui, verbo suo secretâ potestate
commutat. ] Ex his aliísque pluribus constat, verum corpus Christi, & sangui-
nem in Altari esse, imò integrum Christum ibi sub vtraque specie: & substan-
tiam panis in corpus, viníque substantiam in sanguinem conuerti.

---

Hic incipit distinctio decima, in qua Magister excludit errorem quorum-
dam de re huius Sacramenti, qui scilicet negabant verum corpus Christi in
Eucharistia contineri. Hæc diuiditur in tres partes. Primò, pōnit errorem.
Secundò, eius affirmationem. Tertiò, eius improbationem. Secunda ibi:
[ *Qui errandi occasionem.* ] Tertia ibi: [ *Quorum perfidiam.* ] Secunda potest diuidi: quia
primò ponit quatuor auctoritates pro eis: secundò, soluit illas auctoritates, ibi: [ *Qui eā-
dem ratione:* ] tertiò, confirmat suam solutionem, ibi: [ *Ait enim Augustinus.* ] & illa ter-
tia potest diuidi: quia primò ponit auctoritatem, quæ est contra se: secundò, ponderat
quandam partem, quæ videtur facere dubium, ibi: [ *Deinde addit:* ] tertiò, respondet ad
illud dubium, ibi: [ *Attendat diligenter.* ]

Quia

Quia verò conclusio principalis huius distinctionis est, quòd verum corpus Christi in Eucharistia realiter continetur, & hoc quidem: quia prima est de Eucharistia ordine doctrinæ (vnde & suppositа fuit *in prima quæst. distinct.* 8.) ideò circa hanc conclusionem de tribus principaliter quæram. Primò, de possibilitate existentiæ corporis Christi in Eucharistia. Secundò, de his, quæ conuenire possunt corpori Christi in Eucharistia existenti. Tertiò, de actione, quæ conuenire potest Christo in Eucharistia existenti. Circa primum quæro tria. Primò, vtrùm possibile sit corpus Christi sub specie panis, & vini realiter contineri? Secundò, vtrùm possit simul esse localiter in cœlo, & alibi? Tertiò, vtrùm possit esse simul in cœlo localiter, & in altari sacramentaliter?

## COMMENTARIVS.

*De reali existentia, & sacramentali.*

1 IN hac distinctione agitur de reali existentia Christi in Eucharistia: circa quam Doctor primò quærit de possibilitate mysterij: secundò, ex occasione huius quærit, an idem corpus possit esse simul in diuersis locis, modo connaturali existendi: tertiò, an possit esse in diuersis locis in vno secundùm modum naturalem, in alio sacramentaliter: quartò, an in Sacramento habeat partes: quintò, quænam actio Christo ineat in Sacramento: sextò, an possit ineſſe motus: septimò, an possit sic existens aliquid aliud à se transmutare: octauò, an possit videri naturaliter in Sacramento ab intellectu creato: nonò, an possit sic existens videri oculo corporeo. Diuisio autem principalis huius distinctionis est in tres articulos: primus continet tres quæstiones de possibilitate mysterij: secundus, tres quæstiones de iis quæ insunt corpori Christi in Eucharistia: tertius, alias tres de actione ipsi competenti.

*Diuisio distinctionis in specie.*

*Diuisio principalis in genere.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm possibile sit corpus Christi sub specie panis, & vini realiter contineri?*

Alens. 4.*p.q.*40.*m.*3.*a.*1. D.Bonau.*hic art.*1.*q.*1. Richard.*a.*1.*q.*1. D.Thom.*q.*1.*a.*1. *&* 3.*p.q.*75.*a.*1. Suar. *ibid.d.*46.*per tot.* Gabr. *hic q.*1. *Vide* Sco. 5.*Met. quæst.*5. *&* 6.*Met.q.*11. *in fol. primi princip. in Theorem.* §. *Non omne agens agit.*

EST ergo prima quæstio, Vtrùm possibile sit corpus Christi sub specie panis, & vini realiter contineri? Videtur quòd non, quia sub specie panis non consecrati, non continetur realiter corpus Christi: ergo neque post consecrationem. Antecedens est manifestum. Probatio consequentiæ, quia species illa non se habet aliter in se post consecrationem, quàm antè. Et si dicas, quòd antè est in subiecto, & pòst non in subiecto. Accipio tunc, quòd non aliter se habet in habitudine ad corpus Christi post consecrationem: quia suum *esse* in subiecto, vel non *esse* in subiecto, nullo modo variat illam habitudinem: impossibile est autem aliquid esse vbi priùs non fuit, nisi vel illud mutetur, vel ipsum, in quo est de nouo: ergo cùm species panis non mutetur in habitudine ad corpus Christi, necesse est corpus Christi mutari in habitudine ad species, ad hoc, quòd sit ibi de nouo. Sed hoc est falsum: quia corpus Christi immutabiliter manet in cœlo, secundùm illud Augustini *de consec. dist.*2. prima hæresis, *Donec finiatur sæculum sursum est Dominus.* 1 *Argum.*1.

Secundò sic, aut corpus Christi sub illa specie est quantum, aut non quantum: non potest esse non quantum, quia cùm sit quantum in cœlo, sic simul esset quantum, & non quantum. Nec potest ibi esse quantum, quia quantitas non potest separari à modo quantitatiuo, sicut nec subiectum à sua propria passione, quia maximè propria passio quanti videtur esse modus quantitatiuus: ergo esset ibi modo quantitatiuo, & hoc est falsum, quia hoc modo maius non potest esse in minore. 2 *Argum.* 2.

Tertiò sic, quia aut in Eucharistia est pars corporis Christi extra partem, aut non. Si sic, ergo non essent omnes partes simul sub eadem parte hostiæ: & vniuersaliter eius partes sunt extra se inuicem, sicut si quantum est simul cum alio quanto, pars videtur esse cum parte, & totum cum toto, si autem non sit ibi pars extra partem, ergo non est ibi quantum. *Argum.*3.

Contrà, Matth.26. dicit Christus, *Hoc est corpus meum*, & Ioan.6. *Caro mea verè est cibus*, & auctoritates multæ Augustini, & Ambrosij, ponuntur *de cons. dist.*2. valde expressè, quarum aliquas adducit Magister in litera, & inspiciantur ibidem. *Ratio opp.*

## SCHOLIVM.

*Secundùm fidem corpus Christi verè esse sub speciebus Eucharistiæ, hócque patere ex Scripturâ expresè, & iuxta expositionem Sanctorum, & sensum Ecclesiæ, & soluit Scripturam, & locum Aug. in oppositum. Vide Trid. ss. 13. c. 1. & 3. 4.*

3 *Resolutio 1.* Hîc duo [a] sunt declaranda, sicut circa alia credibilia: primò, quid tenendum est, & propter quam auctoritatem: secundò declarandum est, qualiter illud est possibile quod creditur.

De primo dico[b], quòd corpus Christi esse ibi verè realiter est simpliciter de substantia fidei, eo modo, quo veritas alicuius Sacramenti pertinet ad articulos fidei. Ista enim veritas à principio fuit expresè tradita, ex quo Eucharistia fuit instituta. Fundamentum autem auctoritatis est Matth. 26. & Luc. 22. vbi in Cœna, ait Christus: *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus.* Et si hæretici vellent ista exponere, dicendo quòd sint figuratiuè dicta, sicut illud quod ait Ioan. 15. *Ego sum vitis vera,* & illud 1. Corinth. 10. *Petra autem erat Christus,* istud omnino est contra intentionem Saluatoris, quod patet ex Augustino 83. quæstionum. quæst. 69. *Solet circumstantia Scripturarum illuminare sententiam.* Vniuersaliter enim intellectus verborum Christi an loquatur figuratiuè, an non, colligi potest ex præcedentibus, vel consequentibus ibidem, vel ex aliis Scripturæ locis. Vnde cùm Christus ait: *Ego sum vitis,* subiunxit, *& vos palmites.* Constat autem, quòd discipuli non erant palmites naturales, sed tantùm figurales. Sed cùm dixit Lucæ 22. *Hoc est corpus meum,* subdit, *quod pro vobis tradetur.* Cùm etiam dixisset: *Hic est calix sanguinis mei,* subdit, *Qui pro vobis fundetur.* Hoc etiam manifestè patet ex alio loco Scripturæ, scilicet Ioan. 6. vbi est diffusa prædicatio de isto Sacramento.

*Vnde colligendum an Christus loquatur figuratiuè?*

4 Et si dicas, quòd Christus videns aliquos abiisse, propter prædicationem suam de Eucharistia, postea exposuit se, dicens, *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam. Verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*: quod pertractans Augustinus de consec. dist. 2. Prima hæresis, ait, *Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, nec sanguinem effundendum, Sacramentum aliquod vobis commendaui spiritualiter intellectum viuificabit vos*: ergo ex verbis Christi, & Augustini videtur, quòd non intellexit de corpore suo, nisi figuratiuè.

*Aug. voluit corpus Christi non sumi carnaliter visibiliter, non aliud.*

Dico, quòd Magister respondet in litera huic auctoritati, & benè, quòd nec Christus, nec Augustinus exponens, vult negare veritatem corporis Christi: sed quòd non est in Sacramento corpus Christi sic carnaliter, sicut ipsi intellexerunt, qui abierunt retrò, scilicet visibiliter in forma propria: sed per oppositum ad istum modum intelligendi, est ibi spiritualiter, & intellectualiter, & hoc est, quod dicit Augustinus, & Magister adducit, & est de consec. dist. 2. *Ipsum quidem, & non ipsum corpus, quod videbatur, manducatur, ipsum inuisibiliter, non ipsum visibiliter.* Isto etiam modo de Eucharistia diffusè pertractatur à Paulo, 1. *Corinth.* 11. Sancti etiam omnes postea Catholici exponentes ista loca Scripturarum, verba huius Scripturæ dicunt esse intelligenda de reali præsentia corporis Christi, non figuratiuè. Vnde est simpliciter hæresis hodie sentire, quòd non sit ibi realiter verum corpus Christi. Hoc de primo.

## COMMENTARIVS.

1 *Conclusio fidei.* [a] *Hîc duo sunt declaranda,* &c. Subdit Doctor conclusionem fidei, de reali præsentia corporis & sanguinis Christi sub speciebus consecratis. Hanc probat ex institutione Sacramenti, apud Euangelistas Matthæi 26. Lucæ 22. Deinde probat verba Euangelistarum propriè, & non figuratè intelligenda esse, ex regula Augustini, quam docet sequendam interpretando Scripturam in vera sententia, & intenta.

Eandem veritatem dicit contineri Ioannis 6: & respondet ad ea quæ obiici possunt, tam ex verbis Christi, quàm Augustini de manducatione spirituali, & optimè soluit cum Magistro: tandem confirmat fidem ex Paulo 1. *ad Corinth.* 11. allegans omnes sanctos Patres intellexisse, tam Euangelistas, quàm Paulum in sensu literali, & non figurato. Hæc sunt principia ad quæ hæc veritas fidei reducitur, ex quibus tanquam suppositis procedendum erit contra nouatores huius temporis.

*Errores varij.* Circa veritatem huius mysterij varij fuerunt errores: Simon, & Menander negabant realem exist entiam Christi in Eucharistia: ita Ignatius apud Theodoretum *dialogo 3. & in epistola ad Smyrnenses*: sed hoc ex alio errore dixerunt, quo negarunt veram carnem Christi asserentes solùm phantasticam: Paulus Samosatenus admittebat, sed sanguinem dicebat patibilem: ita Dionysius Alexandrinus in epistola aduersùs eundem. Armeni apud Euthymium 2. *part. panoplię, titulo* 2. negabant Eucharistiam esse aliud, quàm signum corporis, & sanguinis. Sic Iconoclastæ in Concilio Niceno II. *act.* 6. apud Damascen. *lib.* 4. *fid. orthodox. cap.* 14. Theophylactus *in Matth.* 26.

Ignatius. Dion. Alex. Euthym. Nicen. II. Damascen. Theophyl.

Ad

Ad alium tamen errorem videntur attendisse, nempe non debere depingi Christum secundùm humanitatem, cùm Eucharistia eiusdem imago sit: quos reprehendit Concilium, quòd species consecratas imaginem Christi dixerint: cùm potiùs ipsæ Christus dici debeant: quia imago in hoc differt ab aliis, quòd ipsa rem non contineat in esse, sed in repræsentatione. Fatentur tamen ante consecrationem panem & vinum posse dici imaginem, seu typum corporis, & sanguinis Domini.

*Panem, & vinum ante cõsecrationem dici imaginẽ Christi.*

Et sic appellatur ab Euaristo Papa in illud Prouerb. 9. *Edite panem meum, & vinum quod miscui vobis*: & à Basilio in deprecatione anaphoræ, id est, illius partis Missæ, quæ continet consecrationem. Damascenus etiam *lib. 4. fid. cap. 14.* Theophylactus *in cap. 26. Matth.* & *1. ad Corinth. 11.* negant post consecrationem panem & vinum dicenda esse figuram, aut typum corporis, & sanguinis, quamuis antea sic appellari possint: & infrà patebit sic appellari vinum, cui miscetur aqua, sanguinem Christi in typo. Vnde hæc notata faciunt ad intelligentiam Patrum, quos ibi citabimus, & ad soluendum ea, quæ obiiciunt hæretici ex verbis Patrum, & modis loquendi, typum appellantium, quamuis in alio etiam sensu, vt videbimus, quatenus Sacramentum hoc est in commemorationem sacrificij cruenti: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem.*

Euaristus.

Basilius.

Damascen. Theophyl.

2 *Primus qui negauit realẽ præsentiam.*

Primus ergo author, qui negauit realem præsentiam corporis Christi, & sanguinis ex Lantfranco, dicitur fuisse Ioannes Scotus, quis autem ille fuerit incertum est. Dicitur autem Berengarius Apostata ab eo desumpsisse errorem, cuius liber in Concilio Vercellensi fuit damnatus, vt idem fatetur, sicut & sententia Berengarij. Aliqui asserunt fuisse Eriginam, sed in catalogo operum eius à Trithemio non inuenitur talis liber, quin etiam lib. Ecclesiæ Lugdunen. contra eundem, talem errorem eidem non adscribit, quamuis acriter in eum inuehatur.

Aliqui dicunt Bertramum monachum eiusdem fuisse erroris, & confutatum fuisse à Paschasio Abbate Corbeiensi, quamuis eius mentionem in specie non faciat: id tamen ex eo colligitur, aliquos tum fuisse huius hæresis assertores, quos rectè ex Patribus impugnat.

Vltimò, tandem hic error Berengario Archidiacono Ecclesiæ Andegauensis, tanquam primario assertori tribuitur, quia primus eum publicè tueri, & prædicare est conatus, contra quem scripserunt Guitmundus, Lantfrancus, & Algerus, & habentur in Bibliotheca Patrum suis locis. A quibusdam tribuitur Petro Bruisianis. Sed hi ampliùs procedebant, qui nullam Missam admittebant, quia dicebant non licuisse, nec in Sacerdotibus fuisse facultatem vllam renouandi, quod Christus semel in Cœna gessit: de quibus Petrus Cluniacens. suprà: aliqui commemorant Albigenses: sed hi erant Cathari potiùs, & noui Manichæi.

Eundem errorem secutus est VVitclefus & Hussitæ, circa annum Domini 1370. cuius libri delati in Bohemiam circa annum 1300. totum regnum infecerunt, neque etiamnum hodie dicitur conualuisse. Carolstadius discipulus Lutheri illum errorem docuit, & Zuinglius in libro de vera, & falsa religione. OEcolampadius, Caluinus, qui negat corpus Christi alibi esse, quàm in cœlo, & non esse sub symbolo panis, & vini; deinde symbolum illud non esse vacuum, quia Christus in ipso nobis donatur per vnionem, quam recipimus cum ipso per fidem in pane, non realiter, & explicant: *Hoc est corpus meum*, ita vt ly *est*, sit idem, quod *significat.*

b *Dico primò, quòd corpus Christi*, &c. Hæc conclusio est de fide, nempe Christum realiter contineri sub speciebus. Hæc veritas definita est in variis Conciliis, & tanquam verus fidei articulus tradita semper in Ecclesia ab omnibus Patribus, quæ nunquam publicè oppugnata est ante annum 780. Eam fusissimè defendunt omnes Doctores Catholici contra hæreticos, in materia de Sacramentis in genere, & specie.

3 *Veritas fidei.*

Probatur primò, ex Scriptura Matth. 26. *Hoc est corpus meum*, &c. *Hic est sanguis meus*: quæ etiam iisdem penè verbis habentur Lucæ 22. 1. *ad Corinth. 11.* & ne fiat dubitatio, de quo loquebatur addit, *Quod pro vobis tradetur*, &c. quæ verba ita clara sunt, vt torserint Sacramentarios, & anno 1577. prodierit libellus, qui bis centies illa in varias significationes torserit, quamuis nulla quadrare potuit, vt ex ipsa vacillatione authoris, & inepta applicatione constat.

4 *Probatio ex Scriptura.*

Respondent præcipuè verbum *est* sumi, pro *significat*, quasi sensus sit; hoc significat corpus meum. Contrà; verba Scripturæ in proprio sensu intelligenda sunt, nisi manifesta absurditas ex literali sequatur, quæ ad aliam significationem cogit: alioquin nihil liceret ex Scriptura literaliter colligere, & tota esset ambigua, neque faceret ad dogmata fidei, quia quâ ratione vnus sensus intelligeretur, posset in alium verfari ex arbitrio: quæro enim vnde colligi potest Verbum esse caro factum; nam eâdem ratione potuisset moueri tropus, nempe, vt dicebat Nestorius, secundùm vnionem accidentalem gratiæ tantùm inhabitasse in nobis. nisi dicatur esse illum sensum literalem, si dicas Ecclesiam id declarasse contra Nestorium: sed idem in proposito contingit, quoad hanc Scripturam, ex qua expositione nihil absurdi sequitur: ergo simpliciter, & propriè accipienda est, quia omnia loca de hoc mysterio agentia, mira verborum simplicitate, & consonantiâ leguntur.

*Respõsio hæreticorum impugnatur.*

*Proprietas ampletendæ verbi,*

Deinde sensus tropicus in vno loco Scripturæ colligitur ex alio literali eiusdem, aliàs nequit fundari interpretatio: quâ enim ratione ille sensus fundaretur, nisi ex absurdo sequente, aut circumstantia, aut alia Scripturæ authoritate, quæ eum sensum efficiat: Scripturæ enim sensus debet inniti reuelationi, quia supernaturaliter tradita est, & inspirata.

*Necessitas sẽsus literalis.*

Peto igitur, quo fundamento vnus locus erit literalis, & alius tropicus, nisi recurrendum sit ad rigorem sermonis, veritatem mysterij, declarationem Ecclesiæ, & Patrum: omnia hæc in proposito habentur: ergo secundùm rigorem ille locus interpretationem habet: patet consequentia, quia nullus est locus Scripturæ, in quo corpus Christi accipiatur aliter, quàm pro naturali eius corpore, aut pro mystico, quod est Ecclesia. Sed circumstantia literæ non permittit hîc interpretari pro corpore mystico: *Quod pro vobis*, inquit, *traditur*, aut offertur nempe in Cruce per cuius sanguinem Ecclesia mundata est, vt illa etiam *pro vobis*, quæ denotant fideles, *traditur*: ergo non licet recurrere ad tropum, quia neque in Scriptura fundatur talis interpretatio, neque ratio cogit, neque interpretatio Ecclesiæ, aut Patrum; ideò est merè

*Circumstãtia literæ denotat sensum literalem.*

*Diſtructio fidei ex impropria interpretatione Scripturæ.*

merè friuola inuentio contra omnem vſum Scripturæ: alioquin datur campus hæreticis antiquis, vt dicant Chriſtum ſumpſiſſe carnem phantaſticam, & ſecundùm apparentiam natum eſſe ex Virgine ſpiritaliter, aut ſecundùm apparentiam paſſum eſſe, ſecundùm apparentiam habuiſſe animam rationalem, ſecundùm apparentiam opera redemptionis exercuiſſe: & vnde conuenienter hæretici id aſſerentes niſi loca Scripturæ intelligantur literaliter ex regula præſcripta.

5 *Euaſio impugnatur.*

Dices ideò ſic debere interpretari, quia nequit capi quomodo poſſet ſubeſſe realiter Chriſtus ſpecibus. Contrà, difficilius eſt capere myſterium Incarnationis, & Trinitatis, quàm hunc modum exiſtendi, qui, vt infrà probabitur non inuolui repugnantiam ad rationem Philoſophicam: tamen quia Scriptura in locis illis literaliter intelligendis, id aſſerit, creditur: ergo idem dicendum eſt in propoſito. Præterea Agnus paſchalis, Manna fuerunt figuræ huius Sacramenti, nunquam tamen dici poſſunt, aut dicuntur corpus & ſanguis Chriſti: ergo minùs panis & vinum, ſuppoſito quòd Chriſtus non inſit in Sacramento.

Dices panem, & vinum dici à Patribus typum corporis, & ſanguinis Chriſti, Contrà, Patres reprobant illum modum loquendi factâ conſecratione, vt ſuprà præmiſimus. Dices repræſentatum appellari per repræſentans, ſicut Chriſtus dicitur Agnus, petra, lapis angularis, imago Cæſaris appellatur Cæſar. Contrà, quando repræſentans non habet alium vſum, quàm repræſentare, id verum eſt: quando autem alium effectum habet, eſt falſum: vnde lignum antequam formatur in imagine, quia alium vſum habet, & indifferentem, nequaquam dici poteſt Cæſar, donec formetur in imagine ſecundùm lineamenta externa, quo caſu, vt ſubeſt tali artificio, non habet alium effectum, quàm repræſentare.

Et quando Chriſtus myſticè dicitur *agnus, petra*, &c. Hæc appellatio eius deſumitur ex Scriptura, quæ ſic eum appellat, & ſequendo Apoſtolum, quia omnia ipſis contigiſſe in figura refert; primarius autem vſus illarum in Scriptura fuit repræſentatio futurorum, & vt Tridentinum, & Florentinum explicant de Sacramentis veteris legis, ſicut & omnes Patres, quia erant vmbræ futurorum ſecundùm Apoſtolum: ſed nunquam Scriptura dicit panem, & vinum eſſe corpus Chriſti: ergo, &c.

*Mod. ratè vtendum hac vltima replica.*

Fateor hoc argumentum, quamuis apud modernos frequens ſit, non eſſe adeò efficax meo videri, ideò non eſſe vrgendum, quia habet ſolutionem: quia & Patres *ſuprà* dicunt panem, & vinum poſſe eſſe typum Chriſti; & multa loca Scripturæ loquuntur ſic, & appellant panem & vinum: vt Prouerb. 9. & aliis in locis, quę myſticè accommodantur ad hunc ſenſum. Et vt cætera omittam, Ioannis ſextum caput à multis Doctoribus Catholicis explicatur minus opportune non de reali manducatione huius Sacramenti, neque de ipſo Sacramento, ſed de manducatione ſpirituali per fidem: quamuis ibi dicatur panis cibus, & potus Chriſtus, vt per fidem ſumptus: ideò in hoc, aut ſimili argumento oportet adeſſe ſemper definitionem, & Patrum, & Eccleſiæ interpretationem contra pertinaces. Siſtamus ergo in circumſtantia literæ ad probandum Scripturam hanc literalem eſſe, ſed addamus ſemper interpretationem Eccleſiæ, & Patrum.

6 Alia ergo ratione confirmatur ſenſus eſſe literalis, & non figuratus, quia ſi in dictis verbis eſſet tropus tam obſcurus, Chriſtus diſcedens ex mundo, & condens Teſtamentum illud explicaret Diſcipulis: ſicut Matth. 13. parabolam de ſemine, & zizaniis; Lucæ 12. *Attendite à fermento Phariſæorum, quod eſt hypocriſis.* Ioan. 3. de Baptiſmo: vnde ſi in dictis verbis contineretur tropus, aut Chriſtus, aut aliquis Euangeliſta eam explicaret: adde quod Matth. 5. & in monte inſtruens Diſcipulos, plane & ſine parabolâ eſt locutus; & aliàs ſemper penè ſic inſtruebat, quibus parabolas ad turbas dictas etiam explicabat. Deinde cùm res tam grauis, & præcipua legis nouæ cæremonia, Sacramentum, & ſacrificium inſtitueretur, cum debita inſtructione planis verbis vtendum erat, ne in re periculoſa contingeret error: ergo in Diſcipulis adhuc rudibus non erat vtendum tropo adeò obſcuro: probatur, quia in cæteris, tam veteris, quàm nouæ legis cæremoniis, & præceptis, non eſt vſus tropi, ſed planis verbis traduntur: ergo idem in propoſito obſeruatum eſt.

*Secúda ratio.*

*Hic non eſſe locum tropo.*

*In materia legis, cæremoniarum, pacti abnegatur tropus.*

Antecedens patet in præceptis Decalogi, Circumciſionis, Agni Paſchalis, oblationum veteris Legis, cæremoniarum: hîc autem condidit Teſtamentum & pactum, quia Matth. 26. Marci 14. dicitur: *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti*, Luc. 22. 1. ad Corinth. 11. *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine*: ergo ſicut vetus Teſtamentum datum eſt Patribus propriiſſimis verbis, & non figuratis, idem dicendum de nouo Teſtamento, quod perfectius eſt, & finis veteris: vetus Teſtamentum fuit pactum, quia ſub conditione, in eo remanerent: Exodi 24. ad Hebræos 9. ſic etiam contigit hîc, quia promittitur vita æterna ſumentibus Euchariſtiam.

*Item in materiâ fidei, & dogmatica.*

Deinde hîc traditum fuit dogma fidei omnibus credendum: ſed cætera fidei dogmata planis verbis propoſita ſunt: vnde, ſi in hoc admitteretur figura, & tropus, locus pateret infinitis dubitationibus: ſicut inter hæreticos contingit, qui cõtendunt eſſe figuratam locutionem; & quorum euaſiones ex verbis inſtitutionis de facili refelluntur: &, vt patet, Eccleſia ſic ſemper intellexit, vt infrà patebit.

7 *Euaſio Carolſtadij impudens.*

Carolſtadius pronomen *hoc* & *hic* demonſtratiuum conuertit in aduerbium *hîc*, aut *ex hoc*: ita in libello edito Baſileæ ann. 1524. quam interpretationem ex reuelatione ſe addidiciſſe fatetur, quaſi Chriſtus ſedens in eo loco cœnaculi oſtenderet ſuum corpus. Contra quem Lutherus ſcripſit libellum cui titulus eſt *contra cœleſtes Prophetas.* Contrà, hæc interpretatio non congruit cum Scriptura antecedenti: *Cœnantibus autem*, inquit Matthæus, *accepit Ieſus panem, & benedixit, ac fregit; dédítque Diſcipulis ſuis*, & ait: *Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum*: quæ enim conſequentia verborum eſſet, ſi ly *hoc*, aduerbium loci denotaret, vt quid enim Chriſtus denotaret locum ſuum, quem ipſi Apoſtoli videbant, aut quid in hoc myſterij? aut quomodo illa clauſula perficeret ſermonem, aut declararet actionem Chriſti?

*Impugnatur. Ex verbis antecedentibus.*

Deinde ſequitur: *Et accipiens calicem gratias egit & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*, &c. *Bibite*, inquit, ex hoc omnes: *Hic eſt enim*, ly *enim* cauſam bibendi denotat, & rationem: coniunctio rationalis, vtique quia cauſam, & rationem ſubnectit prioris: ergo ly *hic* refert contentum, & eſt demonſtratiuum ſanguinis, qui datur bibendus.

*Ex forma, & datione calicis demonſtratur.*

Eadem

*Institutio Sacramenti.*

Eadem apud Marcum leguntur: Lucas, *Accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis, dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem: similiter, & calicem postquam cœnauit, dicens: hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur*, &c. ergo sanguis eius fuit in calice, quem designat, corpus etiam sub pane.

Consonat Apostolus 1. Corinth. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, accipite, & manducate; hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem: similiter & calicem postquam cœnauit, dicens: hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem*, &c. & infrà: *Itaque quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis, & sanguinis Domini: probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Hæc verba plana sunt, & loquuntur de corpore & sanguine, quod manducatur & bibitur: ergo euasio illa futilis est, qua pronomina referuntur ad locum.

8

*Euasio Buceri.*

Similiter excluditur euasio Buceri in Retractationibus, quæ tribuitur etiam Ioanni Lusko, qui referunt pronomen ad totam actionem Christi: vt sensus sit; *Hæc actio Christi corpus, & sanguinem repræsentat, siue in ea exhibeatur, siue non.* Contrà, quia non actionem, sed res ipsas significat, quas præ manibus habebat Christus, *& dedit Discipulis*, & declarat quid continebant: *Accipite*, inquit, *& comedite, hoc est corpus meum: Accipite, & bibite, hic est enim calix sanguinis mei: Hic est sanguis meus.* Item, *Quod pro vobis datur, Qui pro vobis effundetur.* Item, *Iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini*: ergo demonstrantur res sumptæ ab Apostolis.

*Impugnatur.*

9

*Tertia euasio impugnatur.*

Reiicitur tertiò, euasio eorum, qui interpretantur quasi per conuersionem Logicam, *Hoc est corpus meum*, id est, *Corpus meum est hoc*, quia nutrit animas, sicut panis. Contrà, ergo dedit Discipulis corpus sumendum, & sanguinem, vt verba sonant planè, quibus asseritur esse, & comminatio sumentibus dignè non diiudicantibus *corpus Domini.* Dices sumi per fidem, & non realiter. Contrà, etiam sic sumebatur in fide ab antiquis: quia Agnus paschalis, Manna, & reliqua significabant corpus Christi mysticè, *Omnes bibebant de petra; petra autem erat Christus*: sed hæc sumptio non dicitur sumptio corporis Christi, sicut hîc: ergo aliter hîc Christus sumitur nempe realiter, quàm per repræsentationem, & solam fidem: vnde sicut Agnus paschalis fuit typus huius Sacramenti, debet veritas rei hîc inueniri, & non sola repræsentatio vacua, quæ etiam in Agno paschali fuit tanquam in typo, & figura; nam sic contingit in aliis figuris, quia liberatio à peccato verè inuenitur in Baptismo, quæ significabatur per liberationem in arca Noe à diluuio, & per liberationem à seruitute Ægyptiaca, per aquas maris rubri, & transitum Iordanis.

*Euasiones aliorum excluduntur.*

Alij vniuersim exponunt eodem ferè modo, & vniuersa sententia eorum reducitur ad idem, licèt variis modis, vt per metonymiam res repræsentata ponatur pro signo: iuxta regulam Augustini *quæst. 57. in Leuiticum*; sicut Genesis 42. septem spicas, inquit, significasse septem annos: & Ioannes Baptista dicitur Elias secundùm spiritum. Hanc figuratam locutionem ponit Zuinglius in verbo *est*, quasi idem sit, quod *significat*: hinc Exodi 12. Agnus paschalis vocatur phase, id est, transitus Domini, vbi ly, *est*, pro *significat* accipitur: sed hoc nihil est, quia Scriptura exponit figuratam locutionem, & rationem eius in verbis consequentibus: *Et transibo*, inquit, *per Ægyptum illâ nocte, percutiámque omne primogenitum.* & infrà, *Erit autem vobis sanguis in signum, in ædibus, in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo*, &c. Sed neque hîc, neque alibi, in Scriptura exponitur tropus huius locutionis, neque vlla ratio eius admittendi inuenit in re, aut verbis, nam simili modo omnes locutiones Scripturæ per verbum *est* possent sic exponi: vt illud: *Tu es Christus filius Dei viui; hic est Discipulus ille, qui testimonium perhibet de his: in principio erat verbum*, &c. quæ absurdissima sunt.

10

*Alia euasio.*

Boquinus in examine libri Hesychij, per communicationem idiomatum, asserit panem dici corpus; tres enim vniones dicit hanc communicationem facere, naturalem animæ ad corpus, hypostaticam naturæ ad verbum, tertiam sacramentalem, quæ hîc reperitur.

*Refellitur.*

Peto qualis illa, an realis, quod est propositum; an verò signi tantùm, vt ipsi volunt, ad excitandam fidem, quod dicitur rememoratiuum: sed Agnus paschalis, & alia veteris legis significabant, & excitabant: quod enim signum sit rememoratiuum, aut prognosticum, id est, præteriti, aut futuri, non facit ad efficaciam, quia eadem fides repræsentatur. Hoc non obstante illa non dicebantur corpus Christi; sicut neque Circumcisio, quæ spiritualem per fidem significabat: sic Ionas Propheta tribus diebus in ventre ceti significabat corpus Christi in sepulchro: serpens in deserto eleuatus significabat Christum in Cruce.

De his tamen loquens ad turbas non dicit se Ionam, neque serpentem: *Sed sicut Ionas fuit in ventre ceti*, &c. *sic erit filius hominis*, &c. *in corde terræ; sicut Moyses eleuauit serpentem in deserto, sic oportet eleuari filium hominis*, &c. & quoties Scriptura admittit tropum, illum etiam declarat, *vt, soluite templum hoc, & in triduo reædificabo illud*, subdit Euangelista, *intelligebat enim de templo corporis sui.* Accedit Baptismus, & alia Sacramenta tam nouæ, quàm veteris Legis, secundùm hæreticos non habebant aliam efficaciam, quàm excitare eandem fidem passionis, & mortis Christi, non tamen dicuntur corpus eius. Ex peculiari itaque ratione hîc dicitur corpus Christi.

11

*Euasio aliorũ ad eandem impugnationem spectat.*

OEcolampadius, & Caluinus *lib. 4. Institut. c. 17.* figuram constituit in particula, nimirum signatum efferri de signo: addit tamen Caluinus non esse solam figuram corporis, sed figuram, quæ rem ipsam exhibeat: ita etiam Petrus martyr, asserens esse panem signum efficax. Sed cùm hi non admittant realem præsentiam, nihil noui dicunt, nisi vt eludant in verbis, rem ipsam destruentes, quod moris est hæreticorum: hanc enim efficaciam intelligunt solam fidei excitationem: ac proinde per eadem principia impugnantur.

Ex hac ergo aduersariorum mira inconstantia, & vacillatione, apparet veritas sensus literalis, & hîc nullo modo admitti posse tropicum. Vnde meritò Pius V. in impressione Romana expungi fecit ex commentariis Caietani *in 3. part. quæst. 75. art. 1.* illam eius sententiam, quâ dixit, hîc non

posse,

posse vllo modo ex vi verborum colligi realem præsentiam, aut sensum esse literalem, & non figuratum: quia licèt necessaria sit semper regula vi-
*Ex vi verborum colligi præsentiam Christi.* ua, & authoritas interpretandi Scripturam in Ecclesia quoad nos: tamen ille locus sufficit quoad se faciendam certam fidem huius mysterij, quo nullus est certior & clarior in tota Scriptura ad firmandum aliquam veritatem.

Vnde VII. Synodus act. 6. ponderat, Christum non dixisse: *Accipite figuram corporis mei*, sed *corpus meum*, contra Iconoclastas, qui hoc Sacramentum figuram Christi appellabant, vt *suprà* præmissimus; & Tridentinum *sess.* 13. *cap.* 1. asserit disertis verbis illa literaliter intelligenda esse, & non per tropum: quamuis addat authoritatem Ecclesiæ, & Patrum traditionem. Et hic quidem sensus ex Patribus, & Conciliis infrà probabitur.
*Trident.*

14 *Recapitulatio dictorum.* Reducendo itaque ad pauciora, quæ dicta sunt, colligitur id ex materia subiecta, quia tradit Sacramentum, & sacrificium, quod sub præcepto cadit Ioan. 6. & in prædictis locis: *Hoc facite in meam commemorationem:* in materia autem dogmatica Scriptura clarè loquitur, vel si vtatur tropo, ex adiunctis intelligitur, aut ex alia Scriptura sensus planus & literalis: vt rectè Tertullianus *lib.* 2. *de resurrectione, cap.* 10. *&* 25. *& sequentibus*: patet exemplo in reliquis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, &c. intelligitur naturalis aqua, & sic de reliquis. Deinde non est locus tropicæ locutionis, secun-
*Quis sit vsus figuræ?* dùm Augustinum *lib.* 83. *quæst.* 69. nisi vt occulatur sermo à communi intelligentia, vel gratia amplificationis, & delectationis: vnde vitiosè admittitur in familiari colloquio inter amicos, discipulum, & magistrum in causa instructionis.

Hæ circumstantiæ in proposito non concurrebant, non primæ, in qua vsus est metaphoræ, & tropi: vnde paulò pòst dicit illis: *Vos dixi amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis*, Ioan. 15. vbi exponitur colloquium in Cœna post lotionem pedum: & discipuli Ioan. 16. *Ecce nunc palam loqueris, & prouerbium nullum dicis.* & hoc necessarium fuit ad instructionem Ecclesiæ. Deinde quando proponit verba figurata de plano intelliguntur ex contextu, aut alio loco, vt dixi: deinde ipsa verba designat hunc sensum: neque illusiones aduersariorum cum illis quadrant, quia sine vllo fundamento Scripturæ, aut ratione, merè ex arbitrio adhibentur contra expressam locutionem. Accedit interpretatio continua Patrum, & Ecclesiæ in hoc sensu, & quòd error sit nouitius, & destruens fundamentum interpretandi quodcunque dogma Ecclesiæ in sensu literali.

13 *Probatio ex Ioan. cap.* 6. Tertiò, principaliter patet conclusio ex Ioan. 6. vbi proponitur, & promittitur hoc Sacramentum: *Ego sum panis vitæ*, &c. *Hic est panis de cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur: Ego sum panis viuus, qui de cœlo descendi: si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, &c. Hîc aduertendum, quòd omnes etiam hæretici admittant hîc loqui Christum de Sacramento, sed manducando per fidem, vt in præcedentibus vidimus.
*Interpretatio quorundam.* Multi etiam Doctores Catholici intelligunt hunc locum de manducatione spirituali per fidem; non autem de reali, ac proinde locutionem esse dicunt figuratam: vt contra VVitclefum, & Hussitas, qui ex hoc capite defendebant communionem sub vtraque specie præcipi, defenderent contrarium. Reliqui hæretici nostri temporis captant illam expositionem, vt defendant non subesse Christum realiter Sacramento, sed vbique, & hîc, & alibi intelligatur manducatio spiritualis per fidem humanitatis Christi.

Quoad præsens intelligi tantùm spiritualiter, docet Gabriel *lect.* 84. *in Can. Missæ*, & 87. & 36. Gabriel. Nicolaus Cusanus *epist.* 7. *ad Bohemos.* Caietanus Cusanus. 3. *part. quæst.* 80. *art.* 8. Ioan. Hesselius *lib. de Caietan. communione sub vtraque specie.* Iansenius *c.* 59. *Concord.* in Hesselius. illud: *& panis quem ego dabo*, &c. putans hunc sen- Iansenius. sum primarium esse per extensionem, & accommodationem, sanctos Patres vtiliter intellexisse de reali manducatione, & sacramentali. Ruardus Ruardus. Tapersus *art.* 15. Inclinat etiam VValden. *tomo* 2. VValdensis. *de Sacram. cap.* 92.

Probatur ergo hîc agi de reali manducatione, 14 primò ex Patribus, qui sic intellexerunt; secundò, *Intelligi de manducatione sacramentali.* ex litera. Origenes *hom.* 7. *in Numer.* aliàs 9. Cy- Origenes. prianus *in serm. de Cœna Domini*, aut quicunque sit Author. ser. author: idem Cyprianus *in serm. de orat. Dominica:* in Cœna *& lib.* 1. *contra Iudæos, cap.* 22. Hilarius *lib.* 8. *de* Domini. *Trinit.* Basilius *in reg. moralibus, reg.* 21. *cap.* 1. Chry- Cyprian. sostomus *hom.* 45. & 46. *in Ioan.* Epiphanius *hæres.* 55. Hilarius. & *hær.* 26. post medium. Ambrosius *lib.* 4. *de Sacra-* Chrysost. *mentis, c.* 5. *lib.* 5. *c.* 1. *de fide, c.* 5. Augustinus *lib.* 1. *de* Epiphan. *peccator. meritis, & remiss. c.* 20. *&* 24. *lib.* 1. *contra Iu-* Ambrosius. *lianum, c.* 4. *serm.* 2. *de verbis Apostoli.* Hieronymus Augustinus. *in magnis commentariis epistola ad Ephesios, in illud* Hieron. *c.* 33. In quo habemus redemptionem: *in epist. ad Hebdibiam*, quæ est 156. *q.* 2. Theophilus *epist.* seu Theophil. *lib.* 2. *paschali.* Nyssenus *lib. de perfecti hominis for-* Greg. Nyss. *ma; & in Ecclesiasten hom.* 8. Cyrillus *in cap.* 6. *Ioan.* Cyrillus Theodoretus *in dialogo impatibili, & lib.* 4. *hist. c.* 11. Alexand. Gaudentius *tract.* 2. *ad Neophytos.* Maximus Tauri- Theodoret. nen. *serm. in illa verba Psalmi* 21. *Deus, Deus meus.* Gaudent. Leo I. *s.* 6. *de ieiunio septimi mensis.* Prosper in illud Maximus. Psalmi 135. *Qui dat escam omni carni.* Hesychius in Leo Papa. *lib.* 6. *in Leuit. c.* 22. Isidorus *lib. de officiis Eccle-* Prosper. *siast. c.* 18. Eusebius Emissenus *hom.* 5. *de Pasche.* Cas- Hesychius. siodorus *in Psal.* 109. Damasc. *lib.* 4. *de fide c.* 14. Ber- Isidorus. nardus *serm.* 3. *in Psal. Qui habitat.* Theophylactus, Eusebius Euthymius, Rupertus *in c.* 6. *Ioan.* Trid. *sess.* 13. *c.* 2. Emissenus. *&* 21. Colonien. II. *c.* 46. Conc. Alexand. *in epist. ad* Cassiodorus. *Nestor. confirmata in Ephes.* 14. & sept. Synodus, Damasc. *act.* 6. Bernardus. Theophyl. Euthym. Rupert. Trident. Colonien. Conc. Alex. Ephesin. I. VII. Synod.

In hoc ergo communi consensu Patrum, & Conciliorum explicantiù illud caput in sensu literali: non est quod repugnetur illud in eo sensu intelligendum esse. Dices cum Ruardo, & Iansenio, non tam inuestigasse illos Patres in hom. sensum literalem illius loci, quàm per accommodationem extendisse ad Sacramenta. Contrà, Cocilia citata procedunt dogmaticè, & veritatem Sacramenti ex illo loco probat. Deinde vtuntur argumento huius Scripturæ, ad probandum dogmaticè Christũ realiter esse in Sacramento. Et certè, si ita interpretari liceret Patres, & sensum eorum, vix esset locus colligẽdi ex ipsis aliquod dogma fidei. *Responsio refellitur.*

Accedit, quòd antiqui Scriptores contra Berengarium vtuntur illo loco in sensu literali. Hos omnes Patres citat Maldonatus circa interpretationem huius loci. Item Toletus, Bellarminus *lib.* 1. *de Eucharistia c.* 5. citant ipsa verba, quæ citat etiam Suarez *disp.* 46. *sect.* 2. Coccius *in suo Thesauro tom.* 2. *lib.* 6.

Confirmatur veritas ex ipso textu, in quo pri- 15 mùm proponitur, quomodo turba secuta est *Confirmatio ex ipso textu.* Christum Capharnaum, mirum illa, quam pauit

pauit in deserto ex quinque panibus, quibus ex occasione huius miraculi Christus induxit primum sermonem de fide in ipsum necessaria; quæ est dispositio ad fructuosam sumptionem Sacramenti per adultum: *Amen, Amen*, inquit, *dico vobis: quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis: operamini, non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam, quem Filius hominis dabit vobis: hunc enim Pater signauit Deus*, &c.

*Inductio ad fidē in Christum.*

Et quando interrogarunt quis ille cibus esset; *quid faciemus, vt operemur opera Dei? Hoc est*, inquit, *opus Dei, vt credatis in eum, quem ille misit.* Obiiciunt: *quod ergo facis signum, vt credamus tibi*, &c. *Patres nostri manducauerunt manna in deserto; sicut scriptum est; Panem de cœlo dedit eis manducare.* Respondit, *Amen, Amen dico vobis; non Moyses dedit vobis panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis panem de cœlo; verus panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam mundo: dixerunt ad eum; Domine semper da nobis panem hunc: dixit autem Iesus; Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet vnquam*, &c.

Sic deinceps docet fidem in ipsum esse necessariam, & se esse panem, qui dat vitam, qui de cœlo descendit: dare vitam, & resuscitare in nouissimo die, vsque ad illa verba; *Ego sum panis viuus qui de cœlo descendi, si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, &c. Vbi accedit ad declarationem panis, & quomodo esset panis declarans suam carnem esse panem: postquam ergo ipsos excitasset ad quærendum cibum animæ, & tractasset de fide in ipsum, & docuisset hanc non posse esse à quoquam nisi à Patre suo; *nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: & excitat, vt quærant lumen fidei, per quod ad ipsum venirent.

*Progressus ad Sacramentū.*

Iterum regreditur ad figuram mannæ, & docet, se esse verum panem figuratum per ipsum, qui de cœlo descendit; ac tandem hunc panem esse suam carnem. Quæ verba simillima sunt verbis institutionis Sacramenti præmissis: ergo in sensu literali intelligenda sunt. Dices, quare antè tractauit de fide, per quam spiritualiter manducatur. Respondetur, ideò, quia fuit doctrina de dispositione ad Sacramentum, quod promittebatur: vnde Apostolus etiam de institutione agens ad Corinthios, subdit doctrinam de dispositione requisita: instruendi etiam erant de fide in Christum, vt crederent veritatem sublimem Sacramenti.

16 *Probatur sēsus literalis.*

Quòd autem hic sit sermo de Sacramento, & in sequentibus, probatur; quia secundùm sensum planum, & literalem etiam Iudæi intellexerunt carnem Christi: vnde subditur; *Litigabant ergo Iudæi ad inuicem, dicentes, Quomodo potest hic nobis carnem dare ad manducandum?* ad quorum dubitationem respondit, confirmando quod dixit: *Dixit ergo eis Iesus; Amen, Amen, dico vobis, nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, &c. *Caro enim mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, & cætera quæ ibi subiungit, vt: *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: qui manducat hunc panem, viuet in æternum.*

*Cōfirmat dicta, & declarat effectum Sacramenti comparatiuè cum manna.*

Confirmatur etiam, quia & discipuli sic intellexerunt: *Multi ergo audientes ex discipulis eius, dixerunt; Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* ergo ille sensus literalis est. Deinde hìc non agitur de fide humanitatis Christi, quia illam videbant tam Apostoli, quàm Iudæi, & etiam quando crucifixus est visuri erant: fides enim est non apparentium: ergo agit de carne sua, vt alio modo manducandâ, & consequenter sacramentali; nempe de ipsa, quæ futura erat Sacramentum per modum panis, & potus, comprehendendo sanguinem.

Deinde hic sensus planus est, & ex regula Augustini *lib. 3. de doctrina Christiana*, sic intelligitur Scriptura, quando incommodum aliquod non sequitur. Si autem ageret de manducatione spirituali, non esset necessum tam obscura metaphora vti, quæ non est alibi explicata, &, vt diximus suprà, consonat litera institutioni. 17 *Regula interpretādi Scripturam.*

Deinde Ioannes nullibi fecit mentionem de hoc Sacramento, nisi hìc; quod tamen non præteriret, quod à reliquis omnibus, & ab Apostolo Paulo traditur expressis verbis, nisi sufficienter hìc exprimeretur, vbi agit de eius promissione; de qua promissione alij non agunt, sed tantùm Ioannes: reliqui transeunt ad factum, quod promissioni concordat, sicut exigit consonantia Scripturarum.

Deinde expressè tradit præceptum, & necessitatem huius manducationis, vt omnes Doctores & Patres declarant; ergo de re expressè propositâ: repugnat enim legi vt concipiatur verbis obscuris, & non intelligibilibus, quia habet vim obligandi: non obligat nisi intelligatur; sicut non obligat nisi etiam publicetur, quæ publicatio spectat ad eius intelligentiam. *Patet ex præcepto.* *Natura legis.*

Ex his, & superiùs dictis patet contra hæreticos veritas literalis, qui ad figuratum recurrunt: omnia argumenta ibi facta his quadrant ex regulis intelligendi Scripturas: vnde sicut Iudæis dubitantibus, & discipulis scandalizatis, & sic intelligentibus, Christus neque dubium abstulit, neque scandalum, quod de facili potuisset, sed illis confirmauit veritatem: hos autem ad altiora prouocauit; confirmans alio miraculo quod dixit, nempe possibilitatem: *Hoc vos*, inquit, *scandalizat: si ergo videritis Filium hominis ascendentem in cœlum, vbi priùs erat*, &c. deinde prouocat ad altiora, dicens; *verba quæ ego loquor vobis spiritus, & vita sunt.* Ita, inquam, hìc intelligenda est Scriptura literaliter, sicut ipsi eam intellexerunt; alioquin error in verbis tam obscuris, si figuratè loqueretur, de facili condonari posset, & non reprehendi discipulos tam seuerè, sicut reprehendit. 18

Obiicies primò, quia Christus in principio illius sermonis de manducatione spirituali apertè videtur loqui: ergo de illa totum caput intelligi debet, ne transitus fiat in alium. Respondetur communiter hìc non esse transitum de vno sensu in alium; sed de vna re, & dogmate in aliud, quod consuetum fuit Christo: sic Ioan. 4. in colloquio cum Samaritana transit de aqua materiali ad aquam viuam gratiæ: & cap. 13. quando nuntiatum fuit ipsi quosdam Galilæos à Pilato fuisse interfectos: *Putatis*, inquit, *quia illi præ omnibus peccatores fuerunt?* sumpta occasione transit ad prædicandum pœnitentiam: & alibi transit de piscatione materiali ad spiritualem, insinuans authoritatem, quam daturus esset Petro. Sic in proposito primùm excitat ad fidem, quæ est dispositio ad hoc Sacramentum; mox autem ad realem eius manducationem futuram. 19 *Obiectio à continuatione sententiæ. Responsio.*

20 *Obiectio ſecunda ex verbis textus.*

Obiicies ſecundò, Chriſtus dixit videns ſcandalum Apoſtolorum : *Caro non prodeſt quidquam, verba, quæ ego locutus ſum, ſpiritus, & vita ſunt.* Quæ verba ſpiritualiter intelligi debent : ergo reliqua ſic intelligi poſſunt; maximè cùm in Scriptura manducatio ſæpè habeat hanc ſignificationem. Eccleſiaſtici 33. *Cibabit illum pane vitæ, & intellectus :* & cap. 24. *qui edunt me, adhuc eſurient; & qui bibunt me, adhuc ſitient.* Reſpondent Auguſtinus, Cyrillus, & alij, intelligi carnem ſeparatam à diuinitate non valere quidquam : & dato hoc ſenſu, argumentum non vrget. Alij intelligunt illa verba carnem intelligi animali modo laniandam in propria ſpecie, vt erroneè diſcipuli putarunt; & ſic in propria ſpecie manducandam dixiſſe : vt Cyprianus, Chryſoſtomus carnalem intelligentiam infructuoſam eſſe. Docuit ergo ſpirituali modo ſub aliena ſpecie, nempe panis, ſumendam; & hic etiam ſenſus eſt commodus : quia ſæpè modus exiſtendi Chriſti ſub ſpeciebus ſacramentalibus reſpectiuè ad modum naturalem, quem in ſe habet, dicitur à Patribus ſpiritualis. Loca illa allata Scripturæ ſic intelligi cogit circumſtantia literæ; quamuis etiam in ſenſu myſtico de hoc Sacramento interpretari poſſint, vt Ianſenius aduertit.

*Reſponſio.* Auguſtin. Cyrillus.

Cyprian. Chryſoſt.

21 *Obiectio tertia ex interpretatione Patrum.* Bernard. Hieron. Baſilius. Origenes. Auguſtin.

Obiicies tertiò, quòd ſæpè Sancti Patres hunc locum figuratè exponunt; Bernardus *tract. de diligendo Deo, non longè à principio*; & *ſerm. 3. in Pſalm. Qui habitat.* Hieronym. *ſuper Pſalm. 146.* vbi de Scriptura ſacra hunc locum intelligit. Baſilius *epiſt. 141.* Origenes *homil. 7. in Leuit.* & *tract. 26. in Matth.* ſed præ reliquis Auguſtinus variis in locis : nam vt omittamus ea loca, quibus *ſuprà* reſponſum eſt, agendo de neceſſitate huius Sacramenti, quando dicit paruulis eſſe neceſſarium, quod nequit dici de manducatione reali : & ſicut explicuimus, intendit quantùm ad æquiualentiam quâ incorporantur Chriſto per Baptiſmum. Aliis etiam in locis explicat caput hoc de ſpirituali manducatione *tract. 25. & 26. in Ioan.* vbi ſæpè dicit manducari ſpiritualiter per fidem, & in his verbis eſſe figuram præcipientem Paſſioni Domini communicari, vel vniri corpori Eccleſiæ : *Quid paras dentem, & ventrem, crede, & manducaſti,* & tract. 55. *Si manducare eſt reſici, quid eſt bibere, niſi viuere ?* Reſpondetur vniuerſaliter metaphoricum ſenſum non excludere literalem. Vnde ſi & Sancti interdum accommodent ſuum ſermonem, vt cibus ſit verbum Dei, fides aut Scriptura, & manducare ſit intelligere, & bibere viuere; in his non intendunt excludere ſenſum literalem. Vnde rectè Origenes homilia 16. in Numer. *Bibimus ſanguinem Chriſti, & ritu Sacramentorum, & cùm ſermonem eius recipimus.*

*Reſponſio. Non excludi literalem per metaphoricũ ſenſum.*

*Secunda reſpõſio, vtrumque ſenſum comprehẽdit.*

Secundò reſpondetur non eſſe contra intentionem Chriſti, intelligi eundem locum & literaliter, & myſticè, quia vterque ſæpè in Scriptura eadem, importatur; vt Matth. 24. multi Sancti explicant comprehendiſſe iiſdem verbis, & excidium Ieroſolymitanum, & orbis conſummationem in die nouiſſimo : & Ioan. 4. illa verba, *aquam, quam ego dabo, fiet in eo,* &c. Cyprianus *lib. 3. epiſt. 3.* intelligit de aqua Baptiſmi : ſic etiam ſacrificia veteris legis, & literalem ſenſum, & quantùm ad obligationem legis importabant, & myſticum, ſeu figuralem.

*Cyprian.*

Petes, quis ſenſus erit primarius ? Reſpondetur ex ſubiecta materia colligi; & ſecundùm diuerſas intentiones quemlibet primarium intelligi : quia quantùm ad obſeruantiam legis, & præcepti, ſenſus literalis legis in cæremoniis fuit primarius, ne populus Iudæorum in idololatriam caderet, ſed in illis haberent vſum religionis. Quantùm autem ad finem extrinſecum, quia illæ erant vmbræ futurorum, vt ex iis conſurgerent ad intellectionem ſpiritualem Meſſiæ, in cuius fide ſaluabantur, & myſteriorum ſenſus myſticus fuit primariò intentus.

22 *Reſponſio tertia figuralis fundatur in literali.*

Reſpondetur tertiò, figuralem in propoſito fundari in literali, quia hoc Sacramentum inſtitutum eſt ad incorporationem in Chriſto, & nutritionem ſpiritualem, & in memoriam Paſſionis : *Hoc,* inquit, *facite in meam commemorationem,* nempe Paſſionis eius, quia ſacrificium incruentum, quod in hoc perficitur, repræſentat Paſſionem Chriſti, & cruentum ſacrificium per mortem in cruce; ac proinde excitat ad fidem in mortem Chriſti, quo eius corpori myſtico, id eſt, Eccleſiæ, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, vt dicit Apoſtolus, incorporetur.

Vnde quando intelligunt Patres hoc ſpiritualiter, & figuratè, denotant hoc myſterium comprehendi etiam ex natura rei ſubiectæ : vnde Bernardus ſem. 3. in Pſalm. *Qui habitat : Quid autem eſt manducare eius carnem, & bibere eius ſanguinem, niſi communicare Paſſionibus eius, & eam conuerſationem imitari, quam geſſit in carne ?* & infrà : *vnde & hoc deſignat illibatum illius Altaris Sacramentum, vbi Dominicum corpus accipimus, vt ſicut videtur illa panis forma in nos intrare; ſic nouerimus per eam, quam in terris habuit conuerſationem, ipſum intrare in nos ad habitandum per fidem in cordibus noſtris.* Bernard.

*Manducatio realis, quomodo ſpiritualis ſit ?*

Addi etiam poteſt, quòd per manducationem ſpiritualem intelligant manducationem mediante fide, etiam realem, vt condiſtinguitur contra animalem : quia vſus huius Sacramenti eſt, vt nutriat gratiam per conuerſionem hominis in ſe ſpiritualiter, & incorporationem in Chriſtum mediante fide, & charitate : non autem ſicut in aliis alimentis corporalibus contingit per conuerſionem alimenti in alitum, ſed aliti in ipſum alimentum, qui eſt Chriſtus.

*Proſa ſequentia in Miſſa.*

Hinc dicuntur aliqui ſumere Sacramentum, & non ſacramentaliter, nempe peccatores; iuxta illud : *Sumunt boni, ſumunt mali, ſorte tamen inæquali, vita, vel interitus : mors eſt malis, vita bonis,* &c. Alij Sacramentum ſacramentaliter. cum diſpoſitione requiſita, & hi, reſpectu illorum, dicuntur ſumere Sacramentum ſpiritualiter : vnde Author ſermone de Cœna Domini apud Cyprianum : *Hoc quando agimus, non dentes ad manducandum acuimus, ſed fide ſyncera panem ſanctum frangimus, & partimur,* &c. Quo ſenſu non incongruè intelligitur illud Auguſtini, *quid paras dentem & ventrem.*

23 Auguſtin. *Explicatur locus obſcurus Auguſtini.*

Ex quo ſolui poteſt duriſſima authoritas eiuſdem Auguſtini *lib. 3. de Doctrina Chriſtiana, cap. 16.* vbi dicit, quando locutio Scripturæ eſt præceptiua, ſi ſuadeat malum, aut prohibeat bonum, figuratam eſſe locutionem, quia tale præceptum in ſenſu literali intellectum recedit à charitate, quæ eſt finis, & plenitudo legis : ſubdit autem

autem exemplum ex prædicto cap. 5. Ioannis: *Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus & flagitium videtur inhere figura: ergo est præcipiens passionibus Domini esse communicandum, quod pro nobis caro eius crucifixa, & vulnerata est*, &c.

Quæ verba intelligo de manducatione eo modo, quo intelligebant Iudæi, & discipuli, nempe; modo animali, & corporali: & sic est figurata iuxta præmissa, quia modo spirituali Christus est sub Sacramento, & sub aliena, non propria specie manducatur: quia alioquin dicere, quòd præceptum diuinum de manducatione Christi, sub speciebus sacramentalibus esset præcipere facinus, & flagitium; esset magnus error contra veritatem huius Sacramenti, & doctrinam Augustini locis *supra* citatis, & aliis in locis, in quibus disertissimè de hoc Sacramento agit, eiúsque fructu, & obligatione.

*Ab incommenienti, & doctrina aliàs tradita.*

Vnde quandoquidem illa verba non retractat *in libris retract. lib. 2.* vbi agit *de lib. de Doctrina Christiana*, signum est non intellexisse illa in sensu erroneo, sed figuratam locutionem intellexisse, iuxta modum expressum; scelus autem, & flagitium esse manducare sensu à Iudæis percepto; nempe in propria specie.

*Locus obscurus Hieronymi declaratur.*

Hinc etiam patet ad locum quendam Hieronymi *in Commentarijs magnis epist. ad Ephesios*, in illa; *in quo habemus redemptionem*, &c. vbi videtur distinguere in Christo carnem diuinam, & sanguinem; de quibus Ioannis 6. dicitur: *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*, &c. *& aliam, quæ crucifixa est*: quia hîc distinguit diuersum statum carnis mortalis, & immortalis, existentis sensibiliter in se, & spiritualiter sub aliena specie in Sacramento. Similem locum habet Clemens Alexandrinus *lib. 2. pæd. cap. 2.* vbi similiter distinguit sanguinem Christi; alterum carnalem, quo redempti sumus, alterum spiritualem quo vniti sumus.

*Locus similis Clementis Alexandrini.*

24 *Quartò probatur ex Patribus, & Ecclesia.*

Probatur quartò veritas ex authoritate, & communi traditione Patrum, & Ecclesiæ; quorum authoritates per omnes ætates citat Bellarminus, & alij, fuit definita, vel certè tradita in Concilio Alexandrino *epist. ad Nestorium recepta in Ephes. & VII. Synodo*, antequam hæresis suborta est. Statim autem quàm incepit contrarium dogmatizari à Berengario damnatum in Concilio Romano sub Leone IX. & in Concilio Vercellensi sub eodem, vt docet Lanfrancus. Eadem sententia retractata est à Berengario in Concilio Turonensi sub Victore II. cui præfuerunt eius Legati; mox relapsus, sed concepta verborum forma ab Vmberto Episcopo iterum palinodiam recantauit; & refertur à Gratiano de consecrat. dist. 2. can. *Ego Berengarius*: sed iterum relapsus non in illum, sed alium errorem, nempe, impanationis, scilicet, remanere substantiam panis & vini simul sub speciebus cum corpore Christi, damnatus in Concilio Romano sub Gregorio VII. in quo & ipse comparuit, & sub certa verborum forma palinodiam publicè coram Concilio emisit. Huius abiurationis meminit Blondus *decad. 2. lib. 3.* Gerson *serm. de Cœna Domini*. Surius *annotatione in præfatum Concilium*, & alij: item Concilium Romanum generale contra VVitclefum anno 1413. item Constantiense *sess. 8.* non solùm confirmauit definitionem Concilij Romani: sed etiam inter errores VVitclefi reiecit præfatum: item Concilium Viennense. *Clement. vnica, de Reliquijs, & veneratione Sanctorum.* Florentinum in decreto vnionis. Quamuis in illo Concilio non fuit quæstio inter Græcos, & Latinos de veritate huius Sacramenti; quam Græci ante & post schisma admittunt. Vnde cum tempore Leonis IX. multa obiicerent Latinis, nunquam obiecerunt quod de veritate Sacramenti perperam sentirent: & scriptores moderni eorum post Florentinum veritatem ipsam confirmant: & patet ex interrogatione Pontificis, circa aliquos ritus huius Sacramenti, qui supponunt veritatem eius.

*Dānatio erroris in Concilijs.* Rom. Conc. sub Leone IX. Lanfrancus. Concil. Turonense. Vmbertus. Gratianus. *Error impanationis.* Conc. Rom. sub Gregor. VII. Blondus. Gerson. Surius. Concil. Romanū contra VVitclef. Constantiēs. Viennense. Florent. *Veritas cōfessa à Græcis.*

Tandem Tridentin. *sess. 13. & 21.* eandem fusissimè docet Bellarminus *lib. 2. de Eucharistia*, per omnes ætates citat omnium seculorum Patres; ipsum adire potest lector, sicut & loca communia Iodoci: non est quòd hîc aliqua in tanta varietate, & consensu ipsorum scribamus, suprà eos insinuauimus tertio argumento, de quo maius dubium esse potuit: passim apud omnes authores de hoc Sacramento inueniuntur; eos dico, qui contra hæreticos scripserunt; speciatim de hoc Sacramento: moderni etiam Scholastici abundantissimè veritatem propugnant. Solùm ergo supereſt, vt respondeamus argumentis hæreticorum.

25 *Obiectio ex Patribus.*

Obiiciunt primò, multa ex Patribus, tam Latinis, quàm Græcis, potissimùm ex Augustino tract. 25. in Ioan. *Quid paras ventrem, & dentem*, &c. *non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis.* Item illum locum, quem proximè explicuimus *ex lib. 3. de Doctrina Christiana.* Item *enar. in Psalm. 3.* vbi dicit Dominum adhibuisse Iudam ad conuiuium, *In quo corporis & sanguinis sui figuram commendauit, & tradidit discipulis.* Item *lib. contra Adimantum, cap. 12.* vbi tractans verba Deuteronomij 12. *Non comedes sanguinem animalium; sanguis enim eorum pro anima est: dicit signum nomine signati appellari*; & subdit: *Non enim dubitauit Dominus dicere, hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis.* Item epist. 23. docens signa sæpè nominibus rerum, quas significant, appellari; subdit: *Sicut ergo secundùm quemdam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi est, & Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei, fides est*, id est, Baptisma: sed Baptisma non est fides in se; sed tantùm figuratè, quia est signum fidei: ergo neque Sacramentum corporis est corpus, nisi tantùm figuratè, & vt signum. Item in lib. de Catechismo cap. 4. *Cùm manè illud venerit, quod vesperum non habebit, non iam offeretur sacrificium imaginis agni, sed ipse agnus*, &c. sentit ergo iam offerti sacrificium imaginis agni, non ipsum agnum. Item 10. *de Ciuitate, cap. 20.* vbi dicit hæreticos & schismaticos *non manducare corpus Christi; sed tantùm Sacramentum corporis, quia non manducat*, inquit, *corpus Christi, qui non est in corpore Christi, quia verè manducare est in Christo manere, & Christum in ipso.*

*Varia loca Augustini.*

26 *Responsio in genere.*

Respondetur in genere, neque Augustinum, neque alios Patres, quando dicunt Sacramentum hoc esse figuram corporis Christi, locutos fuisse vnquam cum exclusiua, nempe, esse tantùm figuram corporis, vt excludatur veritas; vel aliud addidisse vnde hoc excluderetur; sed in aliis locis confessos fuisse continere veritatem rei;

*Non excludi veritatē per sensum figuratum.*

vnde reddendo ſingula ſingulis mens eorum colligenda eſt, non ex vno tantùm, aut altero loco, ſed ex omnibus vbi completè expreſſa eſt: quia nempe ex materia ſubiecta procedentes in vno loco non poſſunt omnia comprehendere.

Vnde ſi dicerent in vno eſſe figuram, in reliquis autem tacerent de veritate, ſic tantùm ex illis ſumeretur argumentum, quod apparentiam haberet; apparentiam dico, quia cùm tam veritas rei, quàm ſignificatio figurata conuenit Sacramento, vtrumque de ipſo dici poteſt. Cùm ergo Patres expreſſiſſimis verbis confiteantur alibi veritatem rei; argumentum ex appellatione ſigni, aut figuræ in quibuſdam locis, nullum eſt: tunc enim non fuit aliqua controuerſia de veritate Sacramenti: ac proinde non fuit neceſſarium, vt in ſingulis locis adderent cautelam illam, quâ exprimeretur totum, quod Sacramento competit. Vnde Auguſtinus lib. 1. contra Iulianum, cap. 2. loquens de Chryſoſtomo: *Diſputans*, inquit, *in Catholica Eccleſia non ſe aliter intelligi arbitrabatur, tali quæſtione nullus pulſabatur, vobis nondum litigantibus, ſecuriùs loquebatur*, &c. quæ verba ad præſentem quæſtionem accommodantur.

*Quare Patres Symbolicis verbis vtebantur.* Iuſtinus. Theodoret.

Deinde in primitiua Eccleſia Patres libentiùs vtebantur verbis ſymbolicis; vt Iuſtinus appellando panem & vinum, ac alij; propter Gentiles, quibus myſterium tegebant: vnde Theodoretus dialogo 2. *Non oportet*, inquit, *aperte dicere; eſt enim veriſimile adeſſe aliquos non initiatos*, &c. vnde inter calumnias Gentilium contra Chriſtianos illud percrebuit, eos carnibus humanis veſci; quod fortè ex hoc Sacramento vmbram accepit. Deinde Auguſtinus ſerm. 2. de verbis Apoſtoli, interſerit hanc rationem: *Illa verba norunt fideles: quibus myſterium latens maius eſſe inſinuatur, quàm verbis explicatur.*

Auguſtin.

*Cauèdum aliquando à verbis aliàs licitis.*

Hinc ſequitur quòd rectè hoc Sacramentum appellari poſſit figura, ſignum, panis, & vinum ſymbolicè; tum ex modo loquendi Patrum, tum quia hæc conueniunt (quamuis iam propter hæreticorum perfidiam ea locutio non ſit admittenda, poſtquam cœpit de veritate eius controuerſia) repræſentat enim ipſum Chriſtum, vt in carne oblatum: *Hoc facite in meam commemorationem*: vel vt in cœlo eſt, quatenus eſt pignus gloriæ, vt vocat Tridentinum; eo enim ipſo, quòd ſit ſacrum ſignum, poteſt dici Sacramentum illarum rerum, quas ſignificat. Damaſcenus lib. 4. de fide cap. 14. *Figura porrò rerum futurarum dicuntur idcircò, non quòd verè corpus, & ſanguis Chriſti non ſint; ſed quòd nunc quidem diuinitatis Chriſti per ea participes efficiamur, tunc autem intellectuali modo, & per ſolum aſpectum*, &c.

*Cur dicitur figura, & ſignum.* Damaſc.

Anſelmus.

Anſelmus de diuinis officiis apud Claudium Sanctez rep. 3. cap. 4. *Benedictione panis fit corpus eius, non ſignificatiuè tantùm, ſed etiam ſubſtantiuè; neque enim ab hoc Sacramento figuram omnino excludimus, neque eam ſolam admittimus: veritas eſt, quia Chriſti corpus eſt; figura eſt, quia immolatur, quod incorruptibile habetur*, &c. Eſſe ergo figuram non excludit veritatem hîc; nam ad Hebræos 9. dicitur, filius figura ſubſtantiæ Patris, non quòd careret veritate eſſentiæ, in qua idem, & homouſios eſt Patri, quia ex modo procedendi per generationem naturalem illum repræſentat: ita Chriſtus, vt immolatur incruentè in Altari, repræſentat ſeipſum, vt cruentè in cruce immolabatur; vt ſumitur in Sacramento per modum paſtus, ſignificat ſeipſum, vt in cœlo eſt ſecundùm diuinitatem paſtus Beatorum mediante viſione, & fruitione beatificâ. Vnde Sacramentum comparatum ad diuerſos hos modos poteſt vocari ſpirituale, aut corporale: quia, vt comparatur Chriſtus exiſtens ſub ſpecièbus ad modum naturalem exiſtendi eius in ſe, eſt ſpiritualis figura, & manducatur ſpiritualiter, vt ſuprà explicuimus; vt comparatur autem ad modum, quo fruuntur ipſo Beati mediante viſione, dici poteſt paſtus ſpiritualis reſpectiuè ad Sacramentum, quod modo materiali ſumitur.

*Quomodo res alia, quomodo ſpiritualis?*

Vnde hîc ſumitur, non ex verbis, ſed ex re ipſa ſignificatio hæc myſtica; quæ aliquando etiam refertur ad myſticum corpus Eccleſiæ: vt Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2. *Pignus præterea id eſſe voluit noſtræ gloriæ futuræ, & perpetuæ felicitatis; adeóque Symbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit*, &c.

*Significatio myſtica ex reipſa, nõ verbis ſumitur.*

27

*Reſponſio in ſpecie ad loca citata.*

Ex his reſpondetur in ſpecie ad illa loca Auguſtini; in primis ad illud Pſalmi, locutio eſt figurata, & refertur ad corpus Chriſti ſecundùm modum naturalem exiſtendi. Per idem patet ad alia contra Adimantum. Item *in epiſt.* 23. ille locus eſt ad oppoſitum: quia Baptiſmus in paruulis dicitur fides, quia non credunt actu elicito; ſed per ſumptionem ipſius Baptiſmi dicuntur credere. Sicut Sacramentum ergo corporis, & ſanguinis eſt etiam ipſum corpus & ſanguis, quia verè continet hæc: ita Baptiſmus paruulorum dicitur fides, quia in eo ſine alio actu explicito ſaluantur. Locus etiam ille ex Authore lib. de Catechiſmo refertur ad Chriſtum immolatum cruentè, quia hoc Sacramentum eſt ſignum eius. Vltimus locus declaratur per manducationem ſpiritualem, quia hoc Sacramentum, vt proximè ex Tridentino citauimus, denotat incorporationem in corpore myſtico, id eſt, Eccleſia; in qua ſumens per fidem, ſpem, & charitatem vnitur Chriſto: quod nequit conuenire hæreticis, & ſchiſmaticis, qui ab Eccleſia reſecantur; aut priuatione fidei, vt illi; aut charitatis, vt hi. In his locutionibus non dicitur ab Auguſtino, niſi quòd reuera conuenit Sacramento myſticè; neque inde tollitur ab ipſo, quod non exprimitur: quia non faciebat ad intentum Auguſtini illud tractare; & ſupponebat quod apud omnes in confeſſo fuit, & quod ipſe aliàs ſæpè declarauit: vt *tractat.* 84. *in Ioan. lib.* 12. *contra Fauſtum, cap.* 10. & *cap.* 20. *lib.* 2. *de peccatorum meritis, & remiſſ. cap.* 26. & in Pſalm. 93. *Fuderunt pretium ſuum, vt biberent*, inquit, *pretium ſuum*: & alibi ſæpè docet manifeſtè veritatem Sacramenti.

*Eſſe figuram non tollit veritatem.*

28

*Explicantur alij Patres.* Sermon. de Cœna Domini

Ex his patet ad alios Patres, quos citant, vt Cyprianum, ſeu Authorem ſermonis de Cœna Domini; ille enim expreſsè admittit veritatem Sacramenti; vnde quando dicit: *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed fide ſyncerâ panem ſanctum frangimus, & partimur*; loquitur de diſpoſitione, cum qua debet ſumi. Citatur etiam in ſermone de vnctione Chriſmatis; ſed ibi nihil habet in contrarium, niſi quòd Sacramentum vocet panem ſanctum, quod non obſtat: imò veritatem etiam in ipſo contextu exprimit comparans Sacramentum oblatum manibus propriis à Chriſto, ad ſeipſum oblatum in Cruce à militibus.

Hieron.

Hieronymus, quem obiiciunt contra Iouinianum lib. 2. vbi vocat typum: *In typo*, inquit, *ſui ſanguinis*

*sanguinis non aquam obtulit, sed vinum:* typus enim figuram significat, seu signum: non tollit autem veritatem rei ex dictis; sicut nec quando Filius
Ambros. dicitur figura substantiæ Patris. Ambrosius similiter explicatur, *lib. de Offic. cap.* 48. vbi ait, *Christum hic offerri in imagine, in cœlo autem in veritate:* & lib. de his, qui initiantur, cap. 8. & 11. vbi dicit *Eucharistiam esse verum panem, & corpus Christi significare*, &c. Nam primum intelligitur de vera immolatione Christi sub specie sensibili; vt distinguitur contra seipsum, vt offertur à Beatis in cœlo tanquam mediator, vel inquantùm Deus mediante fruitione fit ipsorum pastus, nempe, animarum. Secundus locus ad figuratam locutionem spectat sæpiùs declaratam, quia verè Eucharistia dicitur panis.

29 Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14.
Tertullian. *Panem quo ipsum suum corpus repræsentat.* Hæc
*Explicatur.* locutio nihil obstat, quia eandem interpretationem recipit; significat enim Christum repræsentasse suum corpus modo naturali existentem; vt rem ipsam præsentem faceret, intelligit sub speciebus panis; quam locutionem familiarem esse Tertulliano refert Pamelius in eundem locum: pluribus enim aliis in locis Tertullianus veritatem rei docet; quæ Pame-
Pamel. lius *lib. 4. contra Marcionem, cap. 40.* congerit; vt *lib. contra idololatriam, cap. 7.* inuehitur in Christianum, *qui audet eas manus admouere corpori Domini, quæ dæmonis corpora conferunt*, &c. Agit contra lapsos, qui postea ad communionem redibant, eam iuxta antiquam consuetudinem manibus propriis sumentes: vnde subdit, *proh scelus! Iudæi Christo manus intulerunt, isti quotidie corpus eius lacessunt.* Item lib. de Resurrectione carnis, cap. 9. *Caro*, inquit, *corpore & sanguine Christi vescitur, vt anima Deo saginetur:* & lib. 2. ad vxorem, cap. 5. negat Eucharistiam esse communem panem.

30 Obiicitur, Gelasius contra Eutychen; imago,
Gelasius. & similitudo corporis, & sanguinis Christi in
*Opus illud dubium est.* actione mysteriorum celebrantur. Respondetur hunc à multis negari esse Gelasij, neque haberi in authoritate: deinde nihil aliud ex illis verbis haberi posse, quàm quòd in mysteriis celebretur memoria passionis, & mortis Christi in cruce.

31 Obiicunt Clementem *lib. 5. constitut. cap.* 13.
Clemens. Nazianzen. Nazianzen. *orat.* 11. *ad funus fratris Gorgoniæ*, vocare hoc Sacramentum antitypon, aut antitypa.
*Quid sit ἀντίτυπον, seu antitypus.* Respondetur antitypon significare quandoque typum, seu figuram, id est, loco figuræ positum ab *ἀντὶ*, id est, pro, & *τῦ τύπε*, id est, figura: vel significat figuram simpliciter; sed eam, quæ cum exemplari certare potest de forma: idem hic erit, ac *ἰσότυπον*; id est æqualem, vel similem figuram; vnde *ἀντίτυπον*, est propriè hominis imago in speculo obiecto: vt notauit Bellarminus *in primo*
Bellarmin. *lib. de Sacramentis in genere, & de hoc in specie:* & Petrus Arcudius *lib. 5. de Eucharistia, cap.* 34. aliqui ergo, vt Turrianus in scholiis ad constitut.
Billius. Clementis lib. 5. cap. 13. & Billius in scholiis ad orationem Nazianzeni præfatam, intelligunt *ἀντίτυπα*, dici ipsum exemplar, seu veritatem, vt apponitur imagini; & sic in proposito fumi: sicut dicitur 1. Petri 3. Baptisma esse *ἀντίτυπον* diluuij: hoc sensu, quia continuit veritatem. Sic in proposito, hæc solutio non quadrat, quia licèt quandoque sic sumatur *ἀντίτυπον*, tamen Patres hîc vocant Sacramentum *ἀντίτυπον* corporis, & sanguinis Christi, sicut aliàs Sym-



bola, imagines, similitudinem, typum, figuram, signum, notam. Responsio ergo vera petenda est ex dictis sic vocari, tum quia species separatæ continent tanquam signa Christum, & significant præsentem: tum etiam ampliùs, quia sic contentum sub speciebus repræsentat corpus, & sanguinem in Passione. Vnde Augustinus in sententiis apud Prosperum: *Caro*, inquit, *eius est, quam formâ panis opertam in Sacramento accipimus; & sanguis eius, quem sub specie vini, & sapore potamus: caro videlicet carnis, & sanguis est Sacramentum sanguinis: carne, & sanguine, vtroque inuisibili, & spiritali significatur corpus Christi visibile, & palpabile plenum gratiæ, & veritatis*, &c. Idem docet Chrysostomus 17. in epistolam ad Hebræos. Ex his patet vniuersim ad loca Patrum, quorum loca obscura per clara intelligi debent.

Obiiciunt præterea, id quod habuit Christus 32
*Obiectio à ratione.* præ manibus, dum diceret *hoc*, fuisse panem: ergo demonstratur: deinde fregit, & dedit discipulis, illud, quod accepit; hæc autem conueniunt pani. Item calix apud Lucam accipitur metaphoricè: ergo & corpus: deinde forma consecrationis est sacramentalis: ergo figurata. Ad primum
*Responsio. Pronomẽ demonstrat individuũ entis.* respondetur ly, *hoc* denotare indiuiduum entis, nec denotare aliquid in specie, nisi ratione adiuncti in eadem oratione: verificatur autem oratio, non pro instanti prolationis pronominis, sed pro vltimo instanti completæ prolationis: quod maximè verum est in propositionibus practicis; vt dictum est. Ad secundum, puerile est, vt si quis diceret, accepit carnes crudas, coxit & comedit: ergo comedit carnes crudas: panem itaque accepit Christus, sed conuersum in corpus suum tradidit discipulis.

Ad tertium *frangere*, &c. dicuntur de Sacra-
*Sacramẽtum frangitur.* mento ratione specierum. Ad aliud, calix quidem figuratè sumitur, vt continens pro contento, sed vsitatâ locutione, quæ declaratur ex adiunctis, *sanguinis mei noui Testamenti:* quia Sacramenta sunt instrumenta, per quæ nobis Testamentum Christi, & valor sanguinis eius communicatur ad vitam, & hæreditatem. Ad aliud, forma conse-
*Forma consecrationis propriè intelligẽda.* crationis est sacramentalis, non tamen tropicè interpretanda, sed secundùm communem proprietatem locutionis prolata, habet vim conficiendi ex institutione Christi.

Item obiiciunt, 1. *ad Corinth.* 10. dicitur He- 33
bræus eandem escam spiritalem comedisse, & eundem potum spiritalem nobiscum bibisse: sed illi non ore, sed fola fide biberunt: ergo & nos. Respondetur negando antecedens, quia non dicuntur nobiscum comedisse, sed inter se: vnde additio illa est hæreticotum: & Paulus apertè docet eos comedisse significatione tantùm, & non reipsâ.

Item obiiciunt illud Matth. 26. *Pauperes sem-* 34
*per habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Respondetur eum loqui de modo humano, &
*Qua ratione discesserit, & manet Christus.* familiari conuersandi cum ipsis, sicut hactenus ante mortem conuersatus est in forma visibili: vnde Luc. vltimo: *Hæc locutus sum vobis, dum adhuc vobiscum essem*; quamuis hæc dicens, fuerit etiam præsens corporaliter, & visibiliter. Ioan. 14. dicit se relinquere mundum, & missurum Paracletum; quamuis ibidem etiam dicat, *non relinquam vos orphanos, veniam ad vos*; & Matth. vltimo: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi:* prior ergo Scriptura non repugnat existentiæ eius in Sacramento.

35 Obiiciunt præterea quaſdam ratiunculas, quæ non merentur reſponſionem: vt quòd nequeat eſſe Chriſtus eodem tempore in diuerſis locis ſimul; de quo infrà: nulla enim eſt repugnantia. Præterea obiiciunt, ſolum panem videmus, & guſtamus. Reſpondetur id verum eſſe, quia ſpecies tantùm cadunt ſub ſenſum, vt fides ſaluetur, iuxta illud Gregorij, *fides non habet meritum, vbi humana ratio habet experimentum:* deinde ſuſceptio, inquiunt, Sacramenti debet eſſe conformis ſuo fini; hic ſpiritualis eſt: ergo per fidem tantùm ſumendum. Reſpondetur id probare requiri fidem ad fructuoſam ſumptionem eius quæ in aliis etiam Sacramentis requiritur. Obiiciunt præterea abſurda, quòd Chriſtus potuiſſet comedi à beſtiis, proiici in cloacam, deſcendere in fœtidum ſtomachum. Reſpondetur ſimilibus illuſionibus Neſtorianos negaſſe diuinitatem Chriſti: & probari Deum non eſſe vbique. Non refert ergo, vt hoc Sacramentum ex hominum incuria, aut malitia aliquid indigni patiatur, quia id per accidens eſt.

## SCHOLIVM.

*Ponit ſentent. D. Thom. 3. p. q. 75. art. 2. & 4. & Varr. dicentium corpus Chriſti incipere eſſe in Altari ſine ſui mutatione, ſolùm per conuerſionem panis in ipſum. Hanc refutat. Primò, præſentia Chriſti eſt aliud à ſubſtantia: ergo non habetur per tranſubſtantiationem. Secundò, poſſet haberi ſimul cum ſubſtantia panis. Tertiò, conuerſum in præexiſtens, magis acquirit conditiones eius, quàm è contra, vt patet de nutrimento, quod acquirit conditiones, &* vbi *carnis. Quartò, poſſet panis conuerti in corpus Chriſti in cœlo exiſtens. Quintò, ſi panis quantus conuerteretur in corpus Chriſti quantum, hoc non haberet illius præſentiam circumſcriptiuè: ergo idem de conuerſione ſubſtantiæ nudæ in ſubſtantiam nudam: ita omnes Scotiſtæ.*

5 De[a] ſecundo multa videntur hîc impoſſibilia implicari, ſcilicet ſequendo principia Philoſophorum: Vnum eſt, quòd quantum ſit ſimul cum quanto, vel quòd ſubſtantia corporis ſit hîc ſine quantitate ſua. Secundum, quòd maius quantum ſit ſimul cum minori quanto, vel in loco æquali. Tertium eſt, quòd incipiat hîc eſſe corpus Chriſti, & tamen ſine motu & mutatione propriè dictâ: quia non ponitur deſerere ſuum *vbi* in cœlo. Quartum, quòd idem quantum ſit ſimul in diuerſis locis realiter.

*Diſt. 49. q. vlt. & in quodl. q. 10.* Poſſibilitas autem omnium iſtorum non eſt hîc declaranda, quia nimia eſſet prolixitas. Quòd enim hîc non ſit ſubſtantia ſine quantitate ſua, dicetur *in 2. articulo iſtius diſt. q. 1.* Qualiter autem quantum poſſit eſſe ſimul cum quanto, magis euidens difficultas eſt de quantis habentibus modum quantitatiuum, quàm quando alterum, vel ambo ſunt ſine modo quantitatiuo. Ideò iſta difficultas tangetur in materia de corporibus glorioſis in quæſtionibus de ſubtilitate corporis. Vltimum autem, quòd idem ſimul ſit in diuerſis locis, declarabitur in quæſtionibus duabus ſequentibus.

Reſtant ergo pro iſta quæſtione duo declaranda, ſcilicet quòd ſit poſſibile corpus Chriſti incipere eſſe ſine ſui mutatione locali in Altari: ſecundò, quomodo ſit poſſibile corpus Chriſti eſſe quantum ſine modo quantitatiuo.

*D. Thom. hîc quæſt. 1. ſolut. ad 4. Idem. tenet Varro q. 3. hîc.* De primo dicitur communiter, quòd hoc eſt propter mutationem alterius in ipſum, puta propter conuerſionem panis in corpus Chriſti; & ideò non oportet ipſum corpus in ſe mutari: ſufficit enim, quòd aliud mutetur in ipſum ad hoc, quòd incipiat corpus ibi præſentialiter eſſe; ſicut enim naturaliter genitum eſt vbi fuit priùs corruptum, & non propter aliquam loci mutationem propriam ipſius geniti: ita videtur quòd illud in quod conuerſum eſt aliquid per conuerſionem, ſit vbi conuerſum priùs fuit, non per mutationem loci propriam ipſius termini *ad quem* conuerſionis, ſed ſolùm termini *à quo*.

6 *Præſentia non poteſt eſſe per ſe terminus cõuerſionis, vel tranſubſtantiationis.* Contrà, ſuppono ſecundùm eos, quòd tranſubſtantiatio eſt mutatio ſubſtantialis eo modo, quo conceditur eſſe mutatio. Ex hoc ſequitur, quòd habet pro ſe termino *ad quem*, ſubſtantiam: per nullam autem mutationem habetur per ſe illud, quod eſt poſterius ſuo per ſe termino, ſed ſolùm per illam mutationem habetur per ſe terminus: ſed huiuſmodi præſentia eſt poſteriùs ſimpliciter ſubſtantia corporis Chriſti, quæ ſubſtantia terminat, manifeſtum eſt. Non enim eſt huiuſmodi præſentia prior eſſentialiter, quia ſubſtantia corporis poteſt eſſe ſine huiuſmodi præſentia: nec ſimul naturâ, quia tunc non poſſet iſta præſentia deſtrui, niſi deſtrueretur ſubſtantia, quod falſum eſt: igitur præſentia corporis Chriſti non habetur per ſe per illam mutationem, quæ eſt conuerſio, vel tranſubſtantiatio, ſed ſolùm ſubſtantia corporis Chriſti, quæ non eſt ſua præſentia.

Hæc ratio poteſt formari alio modo ponendo pro poſterioritate alienitatem, ſic. Per nullam mutationem per ſe habetur illud, quod eſt per ſe aliud à per ſe termino: ſed huiuſmodi præſentia eſt ſimpliciter aliud à ſubſtantia, quæ eſt per ſe terminus tranſubſtantiationis;

tiationis: ergo,&c. Maior patet, quia vnius mutationis per se est vnus per se terminus,& ita quidquid est per se aliud ab illo termino,licèt sit per accidens idem cum eo, non haberet *esse* per illam mutationem. Minor patet,quia huiusmodi præsentia non est substantia panis; manifestum est, quia quando ipsa est,substantia panis non est: in ista præsentia est substantia corporis Christi,quia huius substantia fuit,quando præsentia non fuit.

Secundò sic, Deus potest facere corpus suum præsens cum pane, manente substantiâ panis:& tunc non erit per aliquam mutationem, quæ sit ad substantiam, vt per se terminum: & tamen per istam acquireretur præsentia eiusdem rationis cum illa,quæ tunc habetur:ergo oportet,quòd per mutationem eiusdem rationis: ergo per aliam fieret,quàm per mutationem substantialem. Probatio maioris, quia ad nouitatem posterioris non sequitur nouitas prioris,patet 8.*Physic.* vbi vult Philosophus, quòd in cœlo potest esse motus secundùm *vbi*, licèt non possit ibi esse aliqua nouitas secundùm formam absolutam: (cuius ratio est, quia *vbi* est quidam respectus extrinsecus aduenies,& non forma absoluta) sed præsentia ista posterior est substantiâ panis,sicut respectus absoluto, & maximè substantiâ: ergo sine mutatione aliqua circa substantiam panis, potest esse noua præsentia corporis ad panem: ergo oportet dare aliquam mutationem ad huiusmodi præsentiam,quæ non sit substantialis, & per consequens in proposito per transsubstantiationem non habetur ista præsentia,quia terminus eiusdem rationis cuiusmodi est præsentia, non propriè,& per se est terminus duarum mutationum distinctarum secundùm genus. 7

*Text.74. 75.& inde. Præsentia corporis Christi post set haberi simul cũ substãtia panis.*

Et si dicas, potest esse præsens cum substantia panis sine mutatione substantiali,tamen fit nunc præsens per substantialem mutationem panis in corpus Christi,& non per aliam. Contrà, in corpus Christi priùs factum præsens pani, posset Deus conuertere panem: non enim est magis contradictio hîc, quàm quòd modò conuertatur in corpus non priùs præsens: ergo per talem conuersionem tunc factam in corpus præsens speciei panis,non fieret præsens ibi: vel oporteret dicere, quòd fieret præsens postquam fuit præsens, & quòd eadem præsentia terminaret duas mutationes dictas. 8

*Panis potest mutari in corpus Christi priùs sibi præsens.*

Tertiò sic,quod conuertitur in aliquid præexistens, magis acquirit conditiones eius, quàm è conuerso; patet,si enim nutrimentum conuertatur in carnem, magis animatur anima carnis, quàm caro informetur formâ eius, & vniuersaliter acquirit conditiones absolutas,& *vbi*,& alias respectiuas carnis, magis quàm è conuerso:ergo ex sola conuersione panis in corpus Christi præexistens, magis acquirit panis conuersus præsentiam in cœlo,quàm corpus Christi præsentiam speciei panis in altari.

Quartò sic. Deus posset conuertere panem in corpus Christi, vt habens esse in cœlo: quia non est ibi maior contradictio, quàm in conuersione, quæ nunc ponitur, sed tunc non haberetur corpus Christi sub specie panis ex ipsa conuersione: ergo nec nunc.

*Posset panis conuerti in corpus Christi in cœlo.*

Quintò sic, si panis quantus conuerteretur in corpus Christi quantum,ita quòd quantitas in quantitatem, & substantia in substantiam, corpus Christi quantum non haberet illud *vbi* circumscriptiuè, quod fuit ipsius panis circumscriptiuè: ergo ex conuersione substantiæ in substantiam, substantia corporis Christi non habet illud *vbi* definitiuè. Antecedens est manifestum, quia non posset illud quantum,scilicet corpus Christi, esse circumscriptiuè in loco panis, cùm sit maius pane. Consequentia probatur, quia sicut substantia,& substantia, quæ subsunt quantitati se habent ad locum definitiuè, ita substantia quanta, & substantia quanta se habent ad locum circumscriptiuè; ergo quod conuersio substantiæ in substantiam facit ad esse definitiuè in loco, hæc conuersio substantiæ quanta in substantiam quantam facit adesse circumscriptiuè in loco.

*Si panis quantus cõuerteretur in corpus Christi quãtum,hoc non haberet circumscriptiuè præsentiã illius.*

## *COMMENTARIVS.*

36 2 *De secundo, multa videntur hic impossibilia*, &c. Rationes dubitandi circa veritatem mysterij, quas hîc mouet, resoluit in sequentibus: quibus proinde supersedendo in hoc articulo,qui est primus huius quæstionis, suppositâ conclusione fidei, quam ex Scriptura probat, & ex Patribus, atque definitione Ecclesiæ nota; duo tantùm resoluit, nempe illud, quod per formaliter corpus Christi est præsens speciebus: & secundum est,corpus idem quantum esse sub speciebus sine modo quantitatiuo.

*Tangit modũ & rationem, quibus est Christus in Sacramento.*

*D.Thom.sententia.*

Quantùm ad primum est sententia D.Thomæ *in hac dist. quæst.1. & 3.part. quæst.75. art.2. & 4.* quam defendunt plures eius discipuli, corpus Christi fieri hîc, non per aliquam sui mutationem, sed per conuersionem alterius in ipsum: vt si aër conuertatur in ignem; ignis genitus est in loco vbi fuit aër,eiúsque materia. Ita in proposito, corpus Christi sub speciebus per conuersionem substantiæ panis in ipsum corpus, & mutationem materiæ conuersæ, non autem termini *ad quem*.

*Sub speciebus est corpus sine sui mutatione.*

*Per mutationem alterius in ipsum.*

Hanc sententiam quinque rationibus impugnat Doctor, quas breuiter subiungo. Prima est 37

*Impugnatur quinque rationibus.*

ex principiis communibus sibi, & D.Thomæ, nempe transsubstantiationem dicere mutationem substantialem: quomodo autem dicat talem mutationem, infrà declarabitur *dist.sequent.* per nullam autem mutationem habetur per se illud, quod est posterius suo primo termino; terminus autem per se huius conuersionis est corpus Christi, in quo neque includitur præsentia sacramentalis, neque est ipsi connaturalis, sed supernaturalis: terminus *à quo* similiter est substantia panis, quæ non importat talem præsentiam: ergo saluatur transsubstantiatio, quantùm ad omne per se, quod est de conceptu eius formali, qui est ordo inter vtrumque terminum, sine eo, quòd habeatur conceptus præsentiæ sacramentalis, & definitiuæ Christi sub speciebus: hæc est substantia rationis Doctoris, quam duobus modis format, vt patet in litera.

*Prima ratio, ex conceptu transsubstantiationis.*

*Secunda ratio.*

Secunda ratio, quòd Deus posset facere corpus Christi præsens speciebus sine desitione substantiæ panis, præsentia scilicet definitiua eadem, quam nunc habet: sed in eo casu nulla esset conuersio substantialis, aut transsubstantialis: ergo ex præciso conceptu transsubstantiationis, quæ est conuersio substantialis tantùm, non habetur talis præsentia, quia terminus eiusdem rationis non potest esse per se terminus diuersarum mutationum. Si dicas nunc esse terminum substantialis conuersionis panis in corpus: contra replicat Doctor, quia Deus primùm potest facere corpus præsens dicto modo definitiuè, & indistribuiliter: ita vt esset in toto, & in qualibet parte totius, & postea conuertere in ipsam qualibet partem totius, & postea conuertere in ipsam substantiam panis: quo casu iam esset conuersio substantialis, sine eo quòd per eam haberetur præsentia illa definitiua corporis, quam supponeret.

*Posset dari hæc præsentia sine transsubstantiatione.*

*Responsio. Impugnatur.*

*Tertia ratio, ex natura conuersionis in genere.*

Tertia ratio est, quia petendo exemplum ex aliis conuersionibus, magis conuersum acquirit conditiones termini, in quem conuertitur, quàm econtrà, vt patet in nutrimento: ergo ex conuersione panis in corpus præexistens magis natus est transire in corpus Christi secundùm modum naturalem existendi, quem habet in cœlo, quàm econtrà corpus acquirere præsentiam, quam habuit panis sub specie, vel ei æquiualentem: ergo non ex vi conuersionis panis in ipsum præcisè acquirit præsentiam sub specie.

*Quarta ratio.*

Quarta ratio, posset Deus conuertere panem in corpus Christi, secundùm modum naturalem existendi, tunc corpus non acquireret præsentiam sub specie panis. Si negaueris minorem: contrà (quidquid sit de veritate rei, de qua infrà dist.sequenti) saltem potest conuertere in corpus; ita vt hoc non sit præsens definitiuè vt nunc, sed tantùm circumscriptiuè: ergo separabilis est præsentia definitiua à conuersione substantiali, ac proinde nequit præcisè per eam haberi.

*Posse fieri cõuersionem in corpus existens modo naturali.*

*Quinta ratio, ex cõuersione quanti, in quantum.*

Quinta ratio est, ex conuersione substantiæ quantæ simul cum sua quantitate in substantiam quantam corporis, quo casu non posset corpus acquirere præsentiam, quæ aliàs fuit panis, quia maior debetur corpori. De vtraque hac vltima ratione est controuersia, secundùm diuersos modos, quos aliqui statuunt conuersionis vnius in aliud, manente aliquo communi vtrique termino: hoc infrà tractabimus. Sed ad propositum illud commune potest esse aliquid aliud diuersum à præsentia, & quantitate, saluâ vera conuersione substantiali terminorum, & etiam quantitatiuâ, nempe vel *esse*, vel aliquod accidens, quod non esset ratio essendi in loco, aut acquirendi nouam præsentiam.

Conclusio ergo est, *Non haberi formalem præsentiam ex ratione conuersionis substantialis, vt sic* id est, in genere, *neque causam eiusdem præsentiæ.*

*Conclusio Doctoris.*

38 Respondet Sotus *dist.9.quæst.9.art.2.* magis Scotum impugnare Concilium Lateranense, quàm D.Thomam, quia D.Thomas sumpsit rationem illam præsentiæ sacramentalis ex transsubstantiatione, sicut & Concilium sumit, non assignans aliam causam, cui subscribit Florentinum.

*Responsio Doctoris.*

Sed hæc responsio non valet: quia Theologi omnes, & D.Thomas non dubitant, quin transsubstantiatio, prout sumitur de facto à Concilio, inferat præsentiam sacramentalem Christi: quia sic sumpta est actio commensurata formæ verborum, inquantùm significat practicè, & demonstrat de rigore sermonis, corpus Christi præsens sub speciebus. Sed per transsubstantiationem sic sumptam solum habetur factum, & quidquid fides docet: non tamen probatur possibilitas, aut tollitur impossibilitas per aliquam causam diuersam ab ipso mysterio, neque redditur ratio rei prout conantur omnes Theologi ostendere sine nugatione, probando idem per idem. D.Thomas autem longè recedit ab illa intelligentia, quia præsentiam Christi sub speciebus conatur probare esse sine mutatione aliqua in corpore Christi, & cum sola mutatione panis in ipsum, quod nulla ratione habetur ex transsubstantiatione in genere, neque haberi potest. Deinde D.Thomas contendit probare præsentiam corporis sacramentalem, non ex ratione peculiari conuersionis substantialis, vt est in hoc mysterio, sed ex ratione generica conuersionis substantialis, adducens exemplum, & probationem, ex conuersione substantiali naturali vnius in aliud; vt patet ex litera eius. Quam rationem optimè impugnat Doctor in prædictis rationibus; nam suppositâ mysterij veritate, debet Theologus ostendere illud non repugnare, & soluere argumenta, quæ ex ratione naturali, aut aliis principiis petuntur in contrarium.

*Impugnatur.*

*Assignãda est possibilitas.*

*Possibilitas non probatur ex conuersione in genere.*

Ex his etiam euacuantur solutiones Caietani dicentis D.Thomam non loqui de conuersione absolutè, sed de conuersione sacramentali, contra quam non concludunt argumenta adducta, sed contra conuersionem absolutè sumptam. Contrà, loquendo de transsubstantiatione præcisè, quæ est conuersio substantialis, non infert præsentiam corporis Christi necessariò sub speciebus panis, talem, qualẽ docet Ecclesia; mutatio enim substantiæ in substãtiam potest stare sine eo, quòd detur præsentia in toto, & in qualibet parte specierum, atque adeò magis connaturale esset termino retinere modum naturalem essendi sub speciebus panis, quàm supernaturalem acquirere; tam ex parte termini *à quo*, quàm ex parte termini *ad quem*, quia modus circumscriptiuus est connaturalis modus essendi vtriusque; posset ergo ordo inter vtrumque terminum saluari absque præsentia sacramentali, & supernaturali, quæ nunc est: ratio ergo deficit in probatione.

39 *Responsio Caietani.*

*Impugnatur.*

*Præsentia cõnaturalis vtrique termino.*

Deinde, vt benè Doctor, posset stare conuersio substantialis absque successione terminorum quoad præsentiam, quod admittit etiam Cajetanus. Tertiò, Ecclesia non ex vi conuersionis substantialis probat mysterium, sed ex veritate formæ probat interuenire conuersionem quæ nunc est, quia nisi corpus Christi fieret præsens sub speciebus,

*Ecclesia colligit præsentiã ex veritate formæ.*

ſpeciebus, non rectè, aut verè forma demonſtraret præſentiam eius ſub ſpeciebus: conuerſionem ergo panis in corpus præſens ſub ſpeciebus probat Eccleſia, & Patres ex veritate formæ, non autem præſentiam ex conuerſione ſubſtantiali præcisè. Superſedeo reſponſionibus eius in ſpecie ad ſingulas rationes Doctoris, quia eas admittit in ſuo rigore, & recurrit ad conuerſionem, non quæ poſſibilis eſt fieri, & ſtaret ſine præſentia, ſed ad eam, quæ nunc eſt, & quæ habet hanc præſentiam concomitantem: hoc enim admittit Doctor, ſed inde non oſtenditur intentum per aliquid, quòd ſit maior declaratio myſterij, quàm vt per fidem ſolam proponitur.

## SCHOLIVM.

*In mutatione locali regulariter eſſe octo terminos, & quatuor mutationes. Si tamen corpus motum aliud non expelleret, tantùm eſſent duæ mutationes, & ſi ipſum non dependeret ſuum* vbi, *tantùm eſſet vna mutatio: oſtendit non poſſe corpus Chriſti poni hîc præſens, ſine omni mutatione ſaltem ad reſpectum realem extrinſecum præſentiæ, quæ reducitur ad genus* vbi.

Quantùm[c] ergo ad iſtum articulum, non videtur neceſſarium fugiendum eſſe ad conuerſionem panis in corpus Chriſti, præcipuè cùm à principio ex quo res huius Sacramenti fuit credita, fuit ſemper creditum, quòd Chriſti corpus non mutatur de loco ſuo in cœlo, vt ſit hîc: & tamen non fuit in principio ita manifeſtè creditum de iſta conuerſione, vt dicetur *diſt.* 11. 9

*In mutatione locali cõmuniter ſũt quatuor motus, vel mutationes, & octo termini.*

Dico ergo ad hoc, præmittendo quædam, ſcilicet quòd quando corpus mouetur de loco ad locum, & expellitur aliud corpus, communiter ſunt ibi quatuor motus, vel mutationes, & octo termini: duæ ſcilicet in corpore expellente, & duæ in expellendo. Nam corpus expellens mouetur ab *vbi* ſuo ad priuationem eius: & illa mutatio, quæ eſt inter terminum *à quo* poſitiuum, & terminum *ad quem* priuatiuum, poteſt dici deperditio prioris *vbi*: idem etiam corpus à carentia ſecundi *vbi*, mouetur ad illud *vbi* ſecundum, & ita à priuatione vt à termino *à quo*, ad *vbi*, vt ad terminum *ad quem*, & illa poteſt dici acquiſitiua *vbi*. Conſimiliter ſunt duæ mutationes, & quatuor termini circa corpus quod expellitur, cùm primum corpus intrat locum eius.

*Corpus accipiẽs nouum vbi, nõ perdens antiquum, tantùm habet vnam mutationem.*

Si autem moueretur aliquod corpus, & non expelleret aliud corpus de loco ſuo, iam non eſſent ibi niſi duæ mutationes, & ambæ in ipſo corpore moto. Vna ſcilicet deperditiua prioris *vbi*, & alia acquiſitiua noui *vbi*. Si verò corpus non recedens à priori *vbi*, fieret in nouo *vbi*, ibi eſſet tantùm vna mutatio, ſcilicet à priuatione noui *vbi*, ad illud nouum *vbi*, & hæc acquiſitiua: & nulla ibi eſſet deperditiua, quia non eſſet à priori *vbi* ad eius carentiam, quia prius *vbi* non deperditur ex hypotheſi, licèt illud corpus ponatur in *vbi* nouo. Sed ſi nulla iſtarum mutationum ponatur, omnino non eſt intelligibile, quòd corpus ſit, vbi non fuit priùs. Nam impoſſibile eſt qualitercumque aliquid eſſe hîc realiter, quòd priùs non fuit hîc realiter, quin ſit aliqua mutatio realis, vel in iſto, vel in illo cui eſt præſens realiter: nam nullo modo eſt tranſitus à contradictorio in contradictorium, quantùm ad aliquod prædicatum reale, quin ſit aliqua mutatio realis: quia ſi nihil mutatur realiter, non eſt ratio, quare hæc pars contradictionis eſt magis vera nunc, quàm priùs, nec quare priùs alia magis vera, quàm iſta, & ſic tam nunc, quàm priùs, vel ambo ſunt ſimul vera, vel ambo ſimul falſa.

*Tranſitus à contradictorio in cõtradictoriũ, ſecundùm prædicatum reale, non ſit ſine mutatione reali.*

Ad propoſitum, mutationem deperditiuam illius *vbi* de cœlo nullus ponit in corpore Chriſti, ſecundùm Auguſtinum *ſuprà* adductum, *Donec finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus.* Et hoc intelligendo regulariter, niſi placeret ſibi ex aliqua gratia ſpeciali localiter deſcendere: quod non ponitur fieri propter veritatem Euchariſtiæ. Oportet tamen ponere ad ſaluandum realem præſentiam corporis Chriſti hîc, quòd in ipſo ſit aliqua præſentia ad ſpeciem panis, quæ priùs non fuit, alioquin non magis eſſet nunc præſens hîc, quàm priùs. Illa enim mutatio, quæ eſt circa ſpecies, ſcilicet quòd priùs erant in ſubiecto, nunc autem ſunt in ſubiecto, nihil facit ad hoc, quòd corpus Chriſti de non præſente iſtis, fiat realiter præſens iſtis, vt ſuprà probatum eſt: quia illa habet alios terminos per ſe ab illa, quâ non præſens fit præſens: ergo neceſſe eſt ponere aliquam mutationem in corpore Chriſti acquiſitiuam illius præſentiæ nouæ. 10

*Corpus Chriſti non poteſt eſſe præſens vbi ante nõ fuit, ſine omni mutatione.*

*Noua præſentia corporis Chriſti, quare nõ eſt mutatio localis.*

Quæ tamen non poteſt dici propria mutatio localis propter duo; tum quia eam non concomitatur aliqua deperditiua prioris *vbi*, ſicut communiter eſt in motu locali, quia ibi terminum poſitiuum *à quo*, & terminum poſitiuum *ad quem*, concomitantur duæ priuationes, eo modo, quo Philoſophus dicit 5. *Phyſic.* quòd *motus eſt à ſubiecto in ſubiectum.* Tum etiam, quia hîc propriè terminus iſtius mutationis non eſt *vbi*, quia in termino mutationis huiuſmodi corpus Chriſti non habet hîc propriè *vbi*: ſed terminus eſt quædam præſentia *Text.* 7.

præsentia simplex ipsi speciei, vera tamen, & realis: terminus autem mutationis localis propriè acceptæ est ipsum *vbi*.

11 *Terminus mutationis corporis Christi spectat reductiuè ad* vbi.

Et si quæras, ad quod genus pertinet hæc mutatio, & terminus istius mutationis? Dico, si Angelus ponitur de nouo præsens alicui corpori, dicitur quidem esse in loco definitiuè eo modo, quo sibi potest conuenire esse in loco: & sic dicitur mutari, licèt illa mutatio multum distet à vera mutatione secundùm *vbi*. Adhuc autem quantùm ad aliquas conditiones, præsentia corporis Christi speciei magis recedit à vera ratione *vbi*: quia nullo modo per istam præsentiam determinatur sic ad vnum *vbi*, quòd sibi repugnet aliud. Sed Angelus per vnum *vbi* sic determinatur ad illud, vt sibi repugnet aliud.

Vbi *est respectus extrinsecus, de quo suprà d. 6. q. vlt.*

Et si habeas pro inconuenienti aliquam mutationem qualemcunque in corpore Christi realiter esse, dico quòd necesse est ponere saltem aliquem respectum extrinsecus aduenientem, qui scilicet non necessariò sequatur fundamentum, & terminum posita in actu: quia omnis respectus sic consequens necessariò est intrinsecus aduenies, vt ostensum est in *quæst.* 2. de charactere, contra primam opinionem: ergo respectus potest aduenire extrinsecus de nouo, sine alio quocunque nouo, vel in fundamento, vel in termino. Sic ergo non est inconueniens corpus Christi esse de nouo præsens alicui non habenti nouam formam absolutam, nec nouum respectum respectu eius, vel si habet huiusmodi nouum respectum, pari ratione, & corpus Christi habebit nouum respectum eius: quia si species sunt de nouo præsentes corpori Christi, & corpus est de nouo præsens eis (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio mutua) non erit tunc inconueniens dare in corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecus aduenientem.

Et si obiicias, ad respectum non est mutatio, solutum est in quæstione de charactere. Et si omnino arguas, ille respectus extrinsecus aduenies, qui dicitur præsentia simplex, ad quod genus pertinet? Potest dici, quòd magis propriè reducitur ad genus, *vbi* inter omnia genera respectuum extrinsecus aduenientium, quia in pluribus cum illo respectu conuenit: & si fortè non sit propriè in genere, sequitur, quòd decem genera non sufficienter euacuarent totum ens. Quod non est inconueniens, eo modo, quo Philosophi loquuntur de rationibus eorum, quia non repugnat sub ente inuenire aliquem respectum, puta Angeli ad lapidem, qui non habet aliquam rationem respectus in genere, vt ipsi loquuntur: non tamen sequitur ex hoc plura genera esse, quàm decem: sed quòd rationes eorum, vel ratio alicuius eorum non assignatur sub ratione communi, sicut posset assignari.

*An decem genera exhauriant totum ens.*

## COMMENTARIVS.

40 *Resolutio difficultatis.*

a QVantum ergo ad istum articulum, &c. Hîc resoluit, quod est primariò intentum, nempe mysterium hoc non inuoluere aliquam impossibilitatem ex natura rei: potest nempe diuina Omnipotentia quidquid non implicat: radix enim possibilitatis, aut impossibilitatis primùm ab intrinseco, & formaliter sumitur ex natura termini, vt ipse benè probat *in 1. dist. 43. quæst. vnica*: licèt autem virtute creatâ nequeat dari præsentia sacramentalis, aut circumscriptiua etiam noua, sine deperditione prioris loci: Sacramentalis autem nullo modo virtute creaturæ haberi possit, saltem vt principali agente (vt secludamus controuersiam de agente instrumentali, quæ non est ad scopum præsentem) virtute tamen diuinâ produci potest tollendo repugnantiam ex parte termini.

*Radix impossibilitatis.*

Hinc ergo Doctor in proposito declarat nullam esse repugnantiam ex parte termini, vt subiicitur diuinæ potentiæ, quæ potest ipsum conseruare in loco naturali, & simul collocare idem in alio loco per præsentiam, quæ sit sacramentalis, & acquisitiua, non verò deperditiua *vbi* prioris.

*Prima cõclusio Doctoris, dari aliquam mutationem in termino ad quem.*

Tria autem dicit: primum est, non posse saluari præsentiam Christi nouam, & sacramentalem sine aliqua mutatione in Christo reali, quia de nouo fit hîc Christus realiter, vbi autea non fuit: talis autem mutatio non repugnat Christo, quia licèt mutatio, quæ fit ad corruptionem, non conueniat corpori glorioso, & impassibili; non tamen repugnant mutationes, quoad respectum, qui non infert mutationem substantialem: nam ante Ascensionem habuit plures tales, vt visionis, locutionis, manducationis, loci, post resurrectionem.

*Secunda conclusio, illam esse secundùm vbi.*

Secundum, quod docet, est hanc præsentiam, & mutationem reduci ad mutationem secundùm *vbi*.

41 *Tertia cõclusio esse respectu.*

Tertium est, præsentiam illam esse relationem extrinsecus aduenientem, de qua ipsum vide *suprà dist. 6. quæst. vltima*.

In hac litera Doctor tantùm disserit de præsentia sacramentali sub ratione termini acquisiti per mutationem acquisitiuam, & non deperditiuam, quâ præsentia eius naturalis in cœlo destrueretur; quia hæc manet, vt patet ex symbolis fidei, *Sedet ad dexteram Patris*, &c. & Lucæ vltimo: & ex Augustino loco citato, vt docet Doctor, nisi ex gratia speciali ipse apparere aliquando in terris voluerit; saltem ad sacramentalem præsentiam acquirendam non deseritur. Quantùm autem ad rationem specialem præsentiæ sacramentalis eius possibilitatem probat in sequenti textu.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Sententia asserens quantitatem esse in corpore Christi in Eucharistia, sed sine modo quantitatiuo, quia est ibi per modum primi termini, id est, substantiæ, quæ ibi non quantitatiuè adest. Impugnatur primò, res vbicunque est, habet suum modum naturalem necessarium: nec refert an sit ibi vt primus terminus, vel secundus. Secundò, panis erat sub speciebus quantitatiuè: ergo & quod ei succedit, si per conuersionem, sit terminus ad quem, vbi fuit terminus à quo.*

De secundo [a] dicitur, quòd quantitas corporis Christi non est sub specie panis, nisi concomitanter, quia primus terminus conuersionis est substantia corporis Christi, & quidquid est ibi, est ibi eo modo, quo illa terminat conuersionem: ergo quantitas erit ibi per modum primi termini. Primus autem terminus, qui est substantia, non habet modum quantitatiuum, seu commensuratiuum: ergo quantitas existens ibi sub ratione eius, vel sub modo eius, id est, substantiæ, erit ibi modo non quantitatiuo. 12

*Hēr. quodl. 1. q. 5. Ægid. quodl. 1. q. 4. quodl. 2. q. 17. Varro in 4. q. 4. huius materiæ.*

Contrà, vnumquodque siue sit primus terminus transsubstantiationis, siue secundus, si tamen est ibi, habet proprietates suas, quæ sibi necessariò, & naturaliter conueniunt. Quod probatur exemplo, quia si Deus crearet substantiam quantam, vel natura generet substantiam, & concomitetur quantitas, vtriusque productionis terminus primus est substantia, & quantitas concomitans: & tamen tam in generato, quàm in creato, quantitas habet suum modum realem, sicut haberet si primò terminaret aliquam mutationem.

*Modus naturalis consequitur rē vbicumque.*

Et hoc probatur per rationem, quia alia, & alia habitudo ad agens, non variat naturam rei, hoc est, prima vel secunda, mediata, vel immediata, dum tamen producatur: quia habitudo ad aliud agens non variat naturam rei actę, secundùm Augustinum 3. *de Trinit.* ergo nec carebit quantitas suo modo naturali propter hoc tantùm, quia non est primus terminus transsubstantiationis: dum tamen sit ibi realiter, siue primò, siue secundò per illam mutationem.

Secundò sic, si per conuersionem fit terminus *ad quem*, vbi priùs fuit terminus *à quo*; ergo modus essendi huius, & illius erit similis, ille saltem, qui potest esse communis vtrique: sed panis conuersus erat hîc quantitatiuè suo modo, quia sub quantitate habens partem extra partem: ergo & substantia corporis Christi existens hîc ex vi conuersionis, erit hîc suo modo quantitatiuo, habens scilicet partem substantiæ sub parte quantitatis, & tunc quantitas eius erit hîc propriè dimensiuè.

## COMMENTARIVS.

42 *De sacramẽtali specie.*

a *De secundo dicitur*, &c. Hîc, vt dixi, agit de ratione specifica præsentiæ sacramentalis, ostendens eam non repugnare: reiicit fundamentum Henrici, & aliorum, qui docent præsentiam corporis Christi non esse secundùm modum naturalem, & quantitatiuum: ex eo, quòd quantitas eius non sit terminus primus conuersionis, sed substantia corporis, ad quam se habet quantitas solùm concomitanter. Hæc ratio non probat quantitatem non esse modo quantitatiuo sub speciebus: quia si Deus crearet substantiam quantam, substantia esset terminus primus creationis, & quantitas concomitanter se haberet; existeret tamen modo sibi connaturali, id est, secundùm dimensiones, & circumscriptiuè: quia alia, & alia habitudo ad agens non variat modum essendi connaturalem rei ex Augustino: loquitur autem de alia, & alia habitudine secundùm diuersos modos producendi, qui non variant substantiam, & entitatem effectus, vt si homo creatur, vel generatur, semper erit homo; si rana producatur per generationem vniuocam, aut æquiuocam, si calor producatur à motu, igne, aut Sole, eodem modo existet.

*Ratio Henrici.*

*Reiicitur.*

*Substantia creata à Deo existeret modo naturali.*

Secunda ratio est ex ipsa conuersione, nempe, quâ terminus *ad quem* fit, vbi priùs fuit terminus *à quo*, sed panis quantus conuertitur in corpus Christi quantum, secundùm opinantes, scilicet, qui statuunt quantitatem Christi esse hîc, licèt concomitanter: ergo nisi aliud probatur, erit modo quantitatiuo, & dimensiuè. Oportet ergo aliquam mutationem fieri, & probari factam in ipsa quantitate, quantùm ad modum naturalem essendi, vt ostendatur possibilitas, seu non repugnantia huius mysterij, & modi essendi Christi sub speciebus. 43

*Alia ratio ex natura termini conuersionis naturalis.*

## SCHOLIVM.

*Alia sententia, partes corporis Christi non esse extra se inuicem, sed oculos esse in manibus, & è contra, & sic de aliis. Refutatur, quia sic corpus Christi non haberet positionem in toto, nec figuram necessariam, vt animaretur, quia non haberet distincta situ organa.*

Alio [a] modo dicitur hîc, quòd partes corporis Christi non sunt extra se inuicem in hostia. Quod probatur sic, quia sicut possibile est virtuti diuinæ facere, quòd corpus sit 13

simul

*Ocham in 4.q.1.huius materiæ in fol.2. difficultatis.*

ſimul cum corpore: ita etiam, & quòd pars vna corporis ſit ſimul cum alia. Poteſt ergo facere partem ſubintrare partem, & ſic vltrà ſubintrabunt ſe inuicem vſque ad minimam quantitatem naturalem, vt ſic ſaluetur veritas cuiuſlibet partis: & tamen nulla eſt extenſio partis extra partem, ſicut veritas vnius corporis ſaluatur, non obſtante, quòd per ſubintrationem in alia non ſit extra illud.

*Figura neceſſaria ad animabilitatem corporis.*

Sed contrà, iſtud non eſt probabile, quia tollit à corpore Chriſti poſitionem in toto, & omnem figuram, quæ neceſſaria fortè eſt ad corpus animatum. Si enim non diſtet caput à pede, ſed totum ſubintrat totum vſque ad minimam partem naturalem, iam non habebit ordinem partium in toto neceſſarium ad corpus animatum, nec figuram.

## *COMMENTARIVS.*

44 *Opinio Durandi, & Nominalium.*

a *Alio modo dicitur*, &c. Hîc reiicit opinionem aliorum, qui dicunt corpus Chriſti eſſe in Sacramento per penetrationem partium, quâ vna ſubintrat aliam, vſque ad minimam quantitatem naturalem. Pro hac citatur Ocham in margine huius literæ, *in 4.quæſt.4. & in tract. de Euchariſtia, cap.29.* & alij Nominales. Dubium fortaſſe alicui videretur, ſi omnino eadem ſit ſententia ipſorum, qui negant omnem quantitatem propter illam particulam, *vſque ad minimam quantitatem naturalem*, &c. quia minima quantitas eſt aliqua quantitas.

Ocham.

Cæterùm ratio, qua illam ſententiam oppugnat Doctor, ſupponit nullam quantitatem admitti ab opinantibus eſſe in corpore Chriſti ſub ſpeciebus, quæ eſt ſententia Durandi, & Nominalium, quam ipſi reſumpſerunt. Neque mirum cuiquam videri debet ſi Doctor & hîc, & alibi ſententiam Nominalium impugnet, quia anterior fuit ſchola: nam Otto Friſingenſis *de geſtis Friderici primi, cap.47.* agens de Petro Abailardo, docet magiſtrum eiuſdem Petri quondam Rozelinum primum illis temporibus fuiſſe, qui ſententiam vocum in Logicam inuexit; mox eundem Abailardum eandem intuliſſe Theologiæ, quam penè abolitam reſtaurauit Ocham.

*Author Schola Nominalium.*

Rozelinus.

Sententia ergo, quam hîc impugnat, eſt Nominalium, quin etiam Durandi *in 4.diſt.10. quæſt.2.* qui docet Chriſtum in Euchariſtia non habere quantitatem, & ſubſtantiam corporis Chriſti poni ſub ſpeciebus ſine quantitate, quæ remanet in ipſo, vt eſt in cœlo, etiam diſtincta realiter à ſubſtantia. Nominales alia viâ incedunt conformiter ad ſua principia, qui negant quantitatem diſtingui realiter à ſubſtantia, eámque dicunt conſiſtere in extenſione, & ſitu, in ordine ad locum, quibus hîc caret corpus Chriſti, ac proinde in eo non eſſe quantitatem ſub ratione quantitatis. Opinionem hanc in quantùm remouet quantitatem à Chriſto in Sacramento, cenſet Maior *in hac diſt.quæſt.2.* eſſe magis conſentaneam rationi: videatur Gabriel *art.2.con.2. & lect. 43.in canonem.*

*Diuerſus modus opinandi.*

Maior.

Gabriel.

45 *Sententia cõmunis eſt cõtraria.* D. Thom. D.Bonauẽt. Richard. Paludan. Alenſis. Altiſſiodor. Henrici.

Contrarium huius eſt omnium Theologorum: D.Thomæ *in præſenti diſt. art.2. & 3. part. quæſt.76.art.4.* D.Bonauenturæ *diſt. præſenti art.1. quæſt.1.* Richardi *quæſt.2.* Paludani *ibidem*, & omnium Doctorum vtriuſque Scholæ, ſed eſt etiam anteriorum, vt Alenſis *4.p.quæſt.40.m.3.art.4.* Altiſſiodorenſis *lib.4. Summæ tract.5.cap.4.* Henrici *quodlibeto 1.quæſt.5.* quos ſequuntur omnes moderni Scriptores. Impugnatio Nominalium in ſuis principiis remittenda eſt ad philoſophica; non eſt enim quæſtio huius loci, niſi per ſequelam opinandi, & conſequentiam doctrinæ.

Impugnatur ergo ſententia Durandi admittentis quantitatem diſtingui realiter à ſubſtantia; primò, quia quantitas, & cætera accidentia abſoluta, & connaturalia Chriſto, inſunt independenter à loco, & conueniunt, vt proprietates corpori organico, vt prius eſt loco, & permanenter inſunt: quantitas enim, quæ eſt ratio eſſendi in loco, nequit dependenter à loco in eſſe: eſt diſpoſitio etiam requiſita in corpore ad infuſionem animæ; ſicut & qualitates naturales, neque mutato loco deperduntur: ergo ſunt priora, & indepentia à loco, ſicut & ſubſtantia ipſa: ergo repugnat ea eſſe in corpore in cœlo exiſtente, quin etiam eidem inſint vbilibet: quia affirmatio, & negatio horum accidentium fit de ſubiecto, vt abſtrahit à loco. Hoc argumentum eſt ex principiis Doctoris, vt in ſequentibus apparebit. 46

*Quantitas eſt prior ordine ad locum.*

Sequeretur ſecundò, quòd Chriſti corpus in Euchariſtia non eſſet, quia neque corpus glorioſum, neque organicum, neque viuum poteſt eſſe ſine quantitate, & aliis accidentibus abſolutis; dotes enim corporis glorioſi ſunt accidentia: quantitas, & alia accidentia, quæ dicuntur proprietates phyſicæ, diſponunt corpus, & organa ad vitam: quia anima eſt actus corporis organici potentiâ vitam habentis, *lib.2.de anima, cap.1.* quantitas ergo cum reliquis eſt diſpoſitio neceſſitans ad vitam, ad quam exigitur ſitus partium, & vnio ad inuicem, & figura, quæ nequeunt eſſe ſine quantitate. Hoc argumentum eſt etiam Doctoris in litera, & fortiſſimum eſt, ſpecialiter contra negantem in corpore organico aliam formam præter animam. 47 *Seũda ratio. Quãtitas neceſſaria ad organizationẽ, & vitam.*

Confirmari poteſt ex Tridentino *ſeſſ.13. cap.3.* vbi ex vi naturalis connexionis inter corpus verum Chriſti, & animam, & ſanguinem aſſerit hæc eſſe ſub ſpecie panis realiter: ſed in reipſa maior eſt connexio corporis ad quantitatem, & cæteras diſpoſitiones naturales, & accidentales, quàm ſit connexio eius ad ſanguinem & animam, quantùm ad inſeparabilitatem (quidquid ſit de compoſitione per ſe, & ſubſtantiali) quàm corporis ad animam, & ſanguinem, quæ ſeparari poſſunt à corpore manente quantitate, & reliquis qualitatibus, vt ſeparata fuerunt in morte, & manſerunt in triduo: & anima econtrà nequit ineſſe ſine quantitate, & aliis: ergo ex vi connexionis naturalis magis ſequitur quantitatem, & qualitatem ineſſe corpori Chriſti in Euchariſtia, quàm animam, & ſanguinem. *Confirmatio.* Tridẽt. *Dicit connexionem naturalem ad corpus.* *Maior connexio quantitatis ad corpus, quàm animæ & ſanguinis, &c.*

Pro opinione Durandi nullum fundamentum vrget; nam quòd ſubſtantia ſit terminus per ſe primò huius conuerſionis, non infert nudam ſubſtantiam corporis poni ſub ſpeciebus, ſine aliis, 48 *Fundamentũ Durandi ſoluitur.*

aliis, quæ habent connexionem naturalem cum corpore: aliàs vana est collectio facta per Tridentinum, & omnes Patres in hac materia: aliud ergo est, quod explicitè ponitur ex vi verborum; aliud verò quod concomitanter. Accedit, quòd illud, quod ponitur ex vi verborum, sit corpus vt importat per se necessaria ad substantiam, seu constitutionem corporis, siue vt pars, siue vt dispositio necessaria.

*Contentum ex vi verborum, & ex concomitantia.*

*Censura opinionis.*

Aliqui censurant hanc opinionem Durandi hæresis, alij erroris. Primum argumentum quod reducitur ad confirmationem factam ex Concilio, plurimum vrget, considerando mysterium, prout in se ipsa institutum est: quidquid sit an affirmatio, & negatio accidentis absoluti de eodem posito in diuersis locis, amittat vim contradicendi, quod infrà examinabimus. Secundum argumentum dependet à necessitate quantitatis, & aliarum dispositionum in corpore viuo, & organico; quæ necessitas videtur certa lumine naturali, & sic inferre conclusionem esse certam Theologicè saltem: nam corpus viuum de facto poni sub speciebus, est certum de fide: vnde infertur, saltem illam sententiam, quantùm ad qualitates, & cætera accidentia necessaria ad corporis constitutionem, esse valde saltem improbabilem. De quantitate autem propter controuersiam illam, an distinguatur à re quanta; & an subiectum de se habeat situm intrinsecum partium, & ordinationem in toto, non ita constat. Hæc sententia est adeò rigidè censuranda quoad hanc partem.

## SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris, quantitatem corporis Christi in Eucharistia habere positionem, seu modum quantitatiuum sumptum pro ordine partium in toto, non tamen positionem in ordine ad locum, & hoc secundum probat. Optimè concordant D. Thom. 3. p. quæst. 76. art. 3. Alens. 4. p. quæst. 10. num. 7. art. 3. D. Bonau. hic 1. part. art. 1. quæst. 4.*

Dico ergo aliter, quòd positio, quæ est differentia quantitatis, necessariò inest quanto continuo permanenti: & istam oportet saluari in proposito, scilicet quæ dicit ordinem partium in toto. Non est enim benè intelligibile aliquod esse quantum dimensionatum, quin sit signare in toto ordinem huius partis ad illam secundùm quantitatem, vel positionem interiacentem: positio autem, quæ ponitur prædicamentum à quibusdam, aliud addit. Præsupposito enim ordine partium in toto, positio dicit vltra hoc ordinem partium ad locum, siue ad partes loci, vel locantis, hoc est dictu, quòd partes coextendantur partibus loci, sicut totum dicitur primò commensurari toti loco, in quo habet *vbi*, ita quòd *positio* prædicamentum præsupponit positionem differentiam quantitatis, & specificat *vbi*. Per modum autem quantitatiuum, siue dimensiuum, quocumque modo nominetur, non intelligo, nisi positionem dictam secundò. 14

*Duplex extensio quãtitatis, in se, & in ordine ad locũ.*

*Modus quantitatiuus separabilis à quãtitate.*

Hanc autem habitudinem possibile est Deum separare à quanto, manente etiam positione primâ, non solùm per negationem termini, sicut posset facere aliquod corpus quantum extra vniuersum, & tunc non haberet istam secundam positionem: quia non haberet aliquod continens, cuius partibus partes contenti commensurarentur: sed etiam posito termino cui, scilicet præsenti, posset fieri commensuratio, seu coextensio alterius corporis, possibile esset Deum conseruare quantum, & coexistentiam eius ad aliud quantum: & tamen sine ista coextensione partium vnius ad partes alterius, quam dicit positio ista, de qua loquimur.

*Quantum posse esse, sine commensuratione ad locum.*

Quod probo, primò sic: Quæcumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, se habet contingenter ad totum genus: intelligo enim simpliciter, quasi non est necessariò ex causa intrinseca, hæc videtur satis manifesta, quia si esset vna natura, & à causa intrinseca determinaret sibi tale genus, necessariò determinaret sibi aliquam speciem illius generis: quia vna natura non habet intrinsecè ad oppositа disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod vnum illorum. 15

Et per hoc soluitur instantia, quæ posset fieri sic: Quia numerus est par, vel impar necessariò; nec tamen necessariò alterum illorum. Instatur enim de aliquo communi respectu passionis disiunctæ, sed quodlibet speciale necessariò se habet ad alterum, sicut ad genus. Nec ista instantia etiam est ad propositum: quia hoc non est aliquod subiectum, quod contingenter se habeat ad quamcumque formam totius generis.

*Quod non respicit essentialiter aliquã formam alicuius generis, nõ essentialiter respicit genus.*

Et si instes, quia superficies necessariò est colorata, & tamen contingenter se habet ad quemlibet colorem: non est instantia; quia hæc non est necessitas ad intrà. Non enim posset inueniri intrinseca ratio, per quam esset contradictio ex parte superficiei, si esset sine colore, sicut contingentia est respectu cuiuscumque coloris.

Hac [b] maiore suppositâ, addo minorem, scilicet quòd corpus se habet contingenter ad quamcumque positionem partium in loco: patet, quia possum mouere corpus meum

à quacumque poſitione ad aliam: ergo corpus habens poſitionem partium in toto, non ſimpliciter ſe habet neceſſariò ad poſitionem iſtam, quæ eſt prædicamentum, nec iſta coëxiſtentia quanti ad quantum eſt ſimpliciter neceſſaria ratio illius poſitionis ſecundæ: quia contingit intelligere coexiſtentiam alicuius ipſi toti, abſque hoc, quòd intelligatur coëxiſtentia, vel coextenſio partium partibus. Hæc enim coexiſtentia eſt alia ab illa, etiam quando ſe concomitantur: nec iſta in ratione ſua formali includit illam: ergo abſolutè corpus quantum habens primam poſitionem poſſet eſſe ſine omni poſitione extrinſeca, & intelligi quantum coexiſtentiam habere ad aliud quantum ſine iſta poſitione.

*Stare poteſt ordo partiũ inter ſe, ſine coextenſione ad locum.*

16 *Quid eſt conſeruari quantũ, ſine coextenſione ad locum?*

Et ſi quæras [c], quid ſit hoc, quantitatem ſeruari ſine poſitione extrinſeca? Dico quòd non eſt aliud, niſi abſolutum conſeruari ſine reſpectu extrinſecus adueniente. Sic etiam coëxiſtentiam conſeruari ſine poſitione illa, non eſt aliud, niſi vnam relationem extrinſecam conſeruari ſine alia relatione extrinſeca, ſicut illa, quæ eſt vbi primò eſt totius circumſcripti ad totum circumſcribens: ſed poſitio, quæ dicta eſt aliud genus, ſuperaddit reſpectum partium ad partes. Et quòd prima neceſſariò habeat ſecundam, non eſt niſi, quòd iſte reſpectus ſit talis, quòd includat diuiſibilitatem partium, & præſentiam earum partibus locantis: ſed coexiſtentia alicuius totius toti, vel cuilibet parti abſtrahit ab iſta poſitione, propter quam *vbi* neceſſariò habet poſitionem: ergo ſimpliciter poſſibile eſt illam coexiſtentiam eſſe ſine poſitione.

Et hoc poteſt breuiter declarari ſic; quia poſitio ſecunda ſupponit *vbi* propriè dictum: ergo ſi Deus poteſt quantum conſeruare ſine *vbi* propriè dicto, poteſt & ſine poſitione.

Et ſi dicas, benè poteſt ſine *vbi*, ſed non cum præſentia ſiue coexiſtentia ad aliud corpus, falſum eſt; nam coexiſtentia, licèt ſit quanti ad corpus, non tamen formaliter eſt *vbi*.

*Obiectio remouetur.*

Et ſi obiicitur, quòd quantitas non poteſt poni ſine reſpectu iſto, quem dicit modus quantitatiuus, quia non poteſt eſſe quantum, & aliud quantum, quin ſit commenſuratum illi; Dico quòd quantitatem poſitam, & terminum benè ſequitur æqualitas, vel inæqualitas, quæ dicit reſpectum intrinſecus aduenientem; ſed non neceſſariò conſequitur aliquis reſpectus extrinſecus aduenies: talis eſt autem commenſuratio, vt hîc loquimur, vel magis propriè coextenſio. Nam ſi loquaris de commenſuratione, ſecundùm æqualitatem, vel inæqualitatem, quia ſcilicet hoc ſit maius, vel minus, iſtam concedo in propoſito, quia corpus Chriſti eſt maius hoſtia: ſed non iſtam commenſurationem, quæ dicitur propriè coextenſio, quæ propriè dicit ſimultatem partis cum parte.

17 *Ad arg. 1.*

Ex dictis patet ſolutio ad rationes principales. Ad primam patet ex primo articulo, quia concedo hîc aliquam mutationem, non tantùm ſpecierum, quâ fiunt de ſubiecto ſine ſubiecto: ſed etiam aliam, quâ fiunt præſentes corpori Chriſti, & cum hoc concedo nouam præſentiam corporis ad ſpecies, & ad iſtam eſt mutatio: & qualis eſt forma, talis debet iudicari mutatio.

Vel ſi non placet vti vocabulo *mutationis*, dicatur, quòd aliquis reſpectus extrinſecus aduenies nouus eſt ſine omni mutatione: nec mutari tunc erit ab alio in aliud ire, ſicut dicit Gregorius *in Mor.* ſed qualitercumque ſe habere aliter in ſe, vel ad alterum, ſcilicet tantummodò in ſe, & ad ſe, vel ad alterum ex relatione intrinſecus fundamento aduenient: ſed relatio non eſt mutatio tunc, quia ibi nihil nouum aduenit,

*Text. 17. & 33.* *ex 7. Phyſic.*

*Ad 2.* Ad ſecundum dico, quòd modus quantitatiuus non eſt paſſio quanti, ſicut riſibile hominis: imò eſt accidens per accidens eius, ſcilicet reſpectus extrinſecus aduenies partibus quanti ad partes alterius quanti.

*Ad 3.* Ad tertium, concedo quòd pars eſt extra partem, prout ly *extra* reſpicit per ſe ipſas partes corporis, requiritur ad poſitionem, quæ eſt differentia quantitatis: ſed prout *extra* pertinet ad locum, ſic pars non eſt extra partem, id eſt, non eſt extra illum locum, in quo eſt alia pars. Nec ex hoc ſequitur, quòd totum non ſit quantum: quia totum quantum habens eodem modo ſuas partes extra ſe inuicem in toto, poteſt habere vnicam præſentiam ſui, & omnium partium ad aliquod vnum extra indiuiſibile, vel quantumcumque modicum diuiſibile, ita quòd ibi non eſt alia præſentia alij parti, & alia alij.

49 *Ostenditur possibilitas præsentiæ sacramentalis.*

a *Dico ergo aliter*, &c. Explicat iuxta propria principia *suprà* præmissa, rationem præsentiæ sacramentalis, eiúsque non repugnantiam. Dicit primò essentiam quantitatis consistere in ordine partium in toto; seu in ordine ad se inuicem in toto, loquendo de quantitate continua, quæ est sententia communis: videantur Philosophi in hac materia, & Metaphysici. Dicit secundò, positionem in ordine ad locum superaddere coextensionem ad partes loci. Dicit tertiò, possibilem esse separationem huius ab illa.

*Ratio Doctoris.*

Egregiè probat hac ratione: *Quæcumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis, simpliciter se habet contingenter ad totum genus.* Solemne, & magistrale principium; cuius intelligentia ex ipsa litera mutuari debet, plurimum valet ad declarationem præsentis mysterij supposito lumine fidei: *Contingenter simpliciter respicere quamlibet formam totius generis*, est non respicere necessariò ex causa intrinseca, vt ipse declarat; necessitari autem ex causa intrinseca naturam, contingit dupliciter. Primò ratione dependentiæ, vel ab ipsa forma, vel per formam ad terminum illius: vtrumque explicari potest sic: verbi gratiâ, elementum respicit qualitates primas, & proprias necessitate essendi, resistendi, & agendi: albedo respicit propriam inhærentiam propter dependentiam ad subiectum: substantia materialis exigit quantitatem, & dimensiones, vt dispositionem requisitam ad recipiendum influxum causę naturalis materialis; effectus respectū dependentiæ, à causa per se eius.

*Explicatur.*

*Quid sit necessitari ab intrinseco.*

50 *Alius modus necessitatis ab intrinseco.*

Secundo modo necessitatur ab intrinseco ad formam ex perfectione propria subiecti, vt seruetur ordo essentialis prioris, & posterioris: sic subiectum necessitatur ad propriam passionem physicam, ignis ad calorem vt octo; essentia diuina ad sua attributa & perfectiones, & proprietates personales: excludit ergo Doctor per ly *simpliciter* necessitatem secundùm *quid*, & quæ prouenit ab extrinseco; verbi gratiâ, ab applicatione huius, aut illius causæ, quæ producunt formam sibi connaturalem in subiecto, quamuis illa forma non sit secundùm exigentiam subiecti; verbi gratiâ, color in superficie, calor in aqua, ad quæ necessitatur subiectum actione causæ extrinsecæ.

51 *Limitatio principij.*

Tertiò, intelligitur de natura completa vnius generis, & singulari, respectiuè ad formam alterius generis, seu prædicamenti: hinc excluditur instantia quæ fieri potest de materia prima in ordine ad formam substantialem in genere propter sententiam aliorum, quam nunc non differimus, nempe si existat per formam; tum quia sunt ęiusdem generis, & ordinantur tanquam partes ad substantiam completam: tum

*Duplex potentia materiæ primæ.*

quia materia licèt dicat potentiam remotam ad omnes formas, proximam tamen dicit ad singulas formas diuersam; vt patet, quia hæc includit priuationem huius & illius formæ, quæ diuersæ sunt. Vide Doctorem *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad* 4. tum etiam, quia verificatur principium hoc in naturis, vt dixi, completis in suo genere; tum etiam quia materia, vt dixi, non est potentia proxima completa, donec disponatur per actionem agentis naturalis in ordine ad formam propriam. Excluditur instantia de aliquo communi in ordine ad passiones disiunctas, vt patet ex litera, & intelligitur principium verificari in subiecto singulari respectu formæ alterius generis. His non obstantibus, admittendum simpliciter sine limitatione, etiam in substantia completa hoc principium.

Ex his patet probatio maioris: quia vna natura non habet ad opposita disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod vnum illorum. Confirmatur, natura singularis completa in suo genere nequit necessitari ad opposita simul, quia hæc nequeunt simul inesse; omnis autem necessitas, seu exigentia subiecti ad formam ex causa intrinseca, est ad aliquod possibile, & quod reduci potest ad actum: ergo etiam neque eadem natura singularis, & completa modo dicto, dicit necessitatem simpliciter ad aliqua disiuncta opposita alterius generis.

52 *Probatio maioris.*

*Confirmatur.*

*Necessitas ab intrinseco est ad possibile.*

Probatur consequentia, primùm ex parte subiecti, seu naturæ, quia necessitas fundata in natura per causam intrinsecam, supponit prædicatum determinatum, ratione cuius exigit formam, éstque per causam determinatam recipiendæ, aut communicandæ perfectionis, modo *suprà* explicato, & inquantum est propria perfectio illius naturæ, quà talis est, ab ipsa prouenientis, vel ad eam sequens: ergo talis necessariò est ad terminum determinatum ex ratione propria suæ causæ: & sicut subiectum, & causa in subiecto, in quo fundatur ordo ad formam, sunt determinata in specie; ita etiam forma ipsa inquantùm exigitur, debet esse determinata in specie.

*Prima probatio cōsequentiæ, ex parte subiecti.*

*Necessitas ex parte subiecti est per prædicatum determinatum.*

*Est ad formam determinatam.*

Secundò probatur eadem consequentia ex parte termini: quia opposita, inquantùm opposita causant, & perficiunt secundùm rationem propriam cuiusque, & oppositam: causantur etiam per rationes oppositas, tanquam per causas per se proprias: ergo quodlibet secundùm rationem determinatam, & propriam causat, & tollit alterum: ergo nulla perfectio eadem ab illis esse potest: ergo neque eadem potest esse exigentia ad vtrumque etiam sub disiunctione, quia inquantùm opposita sunt, nequeunt aliquid vnum causare, aut perficere subiectum sub ratione vna.

53 *Secunda probatio ex parte termini.*

*Opposita sub ratione opposita causant.*

Dices, in genere posse conuenire, & subiectum sub hac ratione posse necessitari primò ad formã in genere, sub disiunctione autẽ ad species. Contrà, subiectum non necessitatur ad formam in genere, nisi quà exigit perfici à forma in specie, loquendo de necessitate ab intrinseco, quia forma physica secundùm genus, non est nata perficere, nisi mediante specie, & quà forma in specie perficit, id est, secundùm rationem specificam: ergo si ad nullam speciem necessitatur ab intrinseco subiectum, ad nullum etiã in genere necessitatur ab intrinseco. Antecedens patet, discurrendo per omnes formas, & subiecta, quia non contingit formam esse perfectionem per se subiecti secundùm rationem genericam, quin etiam perficiat per se subiectum secundùm rationem specificam.

*Responsio.*

*Subiectũ necessitari primò ad formam in genere.*

*Impugnatio.*

*Nulla forma in genere perficit, nisi quà secũdum species perficit.*

b *Hac maiori suppositâ, addo minorem*, &c. Ad propositum subsumit Doctor minorem, nempe, quòd corpus contingenter se habeat ad quamcumque positionem partium in loco. Probat, quia seipsum potest mouere viuens à quacumque positione ad aliam. Hæc probatio declaratur: quia forma, ad quam necessitatur ab intrinseco subiectum, est inseparabilis à subiecto, & producitur in eadem mensura cum subiecto, vt patet in proprietatibus physicis, quæ consequun-

54 *Probatio minoris principalis.*

*Declaratur.*

tur formam ſubſtantialem hanc, vel illam: hinc ergo ſequitur non poſſe moueri ſubiectum præexiſtens ad talem formam in eo gradu, quo determinatur per cauſam intrinſecam, ſeu prædicatum ſubiecti eſſentiale ad ipſam.

*Forma ſubſtantialis determinat ſibi gradum qualitatis conſequentis.*

Dixi *in eo gradu*, &c. quia, vt *infrà diſt.12.quæſt.3.* docet Doctor, forma ſubſtantialis determinat ſibi aliquem gradum qualitatis conſequentis, à quo eſt inſeparabilis virtute cauſæ naturalis, neque corrumpitur, donec ipſa forma corrumpatur: vnde, licèt qualitas illa ſit remiſſibilis per motum violentum cauſæ extrinſecæ prædominantis ſubiecto, non tamen ex toto ſeparari poteſt, quoad omnes gradus à ſubiecto; ſecluſo autem impedimento formæ contrariæ, tam quoad hos, quàm quoad illos gradus, producitur qualitas tota ſimul, quia ſubiectum eſt ſummè inclinatum, & ſine reſiſtentia, cauſa autem productiua perfectè applicata, ſiue ſit generans (vt aliqui volunt) ſiue vt nos tenemus ex principiis Doctoris ipſa forma ſubſtantiæ, à qua emanat: ſublatâ autem reſiſtentiâ, & impedimento actionis, tollitur motus.

*Remouetur inſtantia.*

Ex his patet ad inſtantiam quæ poſſet obiici, de aqua calida reducente ſe ad frigus connaturale, & ſucceſſiuè, quia in prima ſui productione frigus totum ſimul productum fuit; reſtauratur autem deperditum ſucceſſiuè ex reſiſtentia formæ contrariæ: benè ergo Doctor probat ex motu, quo indifferenter poteſt ſeipſum mouere viuens ad hanc, aut illam poſitionem in loco, non eſſe poſitionem vllam, ad quam neceſſitatur ab intrinſeco ſubiectum.

55 *Concluſio argumenti.*

Concluſio autem Doctoris intenta in hoc argumento eſt, quòd coextenſio ad locum non ſit propria paſſio quantitatis, ſed accidens per accidens, ac proinde poſſe manere ſubiectum ſine tali modo eſſendi, ex definitione talis formæ, quæ poteſt adeſſe, & abeſſe ſine ſubiecti corruptione; & poſſe intelligi coexiſtentia entitatiua corporis quanti ad locum, ſine eo, quòd ſit in loco circumſcriptiuè: intelligi dico, non per modum rei incompoſſibilis, ſed conceptu vero explicitè, quod per ſe competit ſubiecto ſecluſo accidente per accidens conueniente, & poſteriùs aduenient̃e: ergo carere tali modo eſſendi non inuoluit repugnãtiam ex natura terminorum per prædicatum intrinſecum quod neceſſitaret ſimpliciter, & nõ ſolùm cõtingenter ad ineſſe formæ: poteſt ergo Deus hoc facere quod eſt intentum.

*Poſitio in loco eſt accidẽs contingenter adueniens.*

Ad hanc rationem reducuntur argumenta modernorum; nempe, quòd extenſio ad locum ſit poſterius quantitate; & poteſt ea ſeparari, quia ab ipſa non dependet quantum, quia & idem corpus nunc habet maiorem, nunc minorem extenſionem ſeruatâ eâdem quantitate; vt cùm condenſatur, & rarefit: ſed neque inſtantia certa eſt, quantùm ad id, quod ſupponit; neque probant perfectè ſeparabilitatem, quia oportet primò probare hanc extenſionem eſſe accidens per accidens, & non accidens proprium: magis ergo commodè per rationem præmiſſam probatur, ex qua in genere indagare licet, an forma ſit neceſſariò connexa, an ſolùm contingenter.

*Alia rationes ad idem.*

56 *Ratio præmiſſa non demonſtrat.*

Cæterùm illud principium non concludit neceſſariò in propoſito, & demonſtratiuè contra negantem ſecluſo lumine fidei; exhibet tamen probationem per cauſam, & à priori in re, ſi minor eſſet nota lumine naturali; nempe quantitatem poſſe eſſe ſine poſitione partium extra ſe mutuò in ordine ad locum; & an talis extenſio ſeparabilis ſit à quantitate manente ſua entitate: quod negaret Philoſophus naturalis; ſicut negauit Durandus, ex qua ratione putat non eſſe corpus quantum ſub ſpecie panis. Philoſophi enim ignorauerunt aliam poſitionem conuenire quantitati, quæ dicitur partium in toto ſine extenſione ad locum, quâ vna pars ſit extra aliam, quos correxit fides huius myſterij: quod admonere volui, ne quis vellet tali rationi naturali inniti in re omnino ſupernaturali; aut ex confidentia principij Philoſophici deſerere certitudinem rei, quæ ex fide eſt.

*Intentum rationis præfatæ.*

Cæterùm tamen ratio illa facta talis eſt, vt ex illa ſoluantur quæcumque Philoſophorum obiecta, quibus quis vellet probare impoſſibilitatem myſterij, & hoc ſufficit Theologo: neque aliud intendit Doctor, quàm defendere myſterium non eſſe impoſſibile, aut inuoluere repugnantiam.

57

c *Et ſi quæras*, &c. Hîc, & vſque in finem, docet Doctor poſitionem quanti in ordine ad locum eſſe relationem extrinſecus aduenientem; hoc eſt, nihil ſuperaddere quantitati, quàm talem relationem. Alij docent eſſe modum, ſed de hoc commodiùs agemus infrà: diſtinguit autem poſitionem, quæ eſt differentia quantitatis ab illa, quæ eſt in ordine ad locum, tanquam prædicatum eſſentiale ab accidentali quinti prædicabilis: vide *reſponſionem ad tertium.*

---

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm idem corpus poſſit eſſe localiter ſimul in diuerſis locis?*

Henr. *quodl.9.q.32.* D.Thom. *3.p.q.75.art.1.ad 3.& hîc q.1.art.1.* Palud. *q.1.* Durand. *q.1.* Capr. *q.1.* Heruæus *quodl.11.q.13.* Ferrar. *4.contra Gen.c.68.negant; ſed cum Doct. aiunt,* Alenſ. *4.p.q.44.m.7.* Rich. *hîc, art.2. q.2.* Maior *q.2.* Gabr. *q.1.art.2.* Bellarm. *3.de Euchariſtia, cap.3.4.* Suarez *3.p.tom.3.diſp.48.ſect.4.* Sotus *4.Phyſic.* Claudius *repet.4.de Euchariſtia, cap.4.& 7.& omnes ſcribentes contra hæreticos.*

1 *Vide Varr. q.7. huius materiæ. Argum.1.*

AD ſecundum ſic proceditur: Videtur quòd non poſſit eſſe idem corpus localiter ſimul in diuerſis locis. Primò ſic: Idem non poteſt referri ad ſe oppoſitis relationibus, quia oppoſita relatiuè includunt contradictoria: ſed ſi idem ſimul eſſet in diuerſis locis, poſſet dici inferius, & ſuperius ſeipſo, & reſpectu alterius eiuſdem, & ſimiliter dextrum, & ſiniſtrum, & ſic de aliis relationibus oppoſitis ſecundùm ſitum.

*Argum.2.* Item, propinquum & diſtans ſunt relationes contrariæ, ſicut ſimile, & diſſimile: ſed ſi idem

idem esset simul in duobus locis, posset esse simul eidem propinquum, & distans: quod est ita inconueniens, sicut quòd idem secundùm eandem qualitatem sit eidem simile, & dissimile.

Tertiò sic, idem temporale non potest esse simul in diuersis temporibus: ergo nec idem locabile in diuersis locis. *Argum. 3.*

Quartò, quia idem corpus posset simul moueri, & quiescere: quia in vno loco moueri, & in alio quiescere. Consequens est impossibile, quia sunt priuatiuè opposita. *Argum. 4.*

Quintò, quia idem corpus humanum, vt Christi, posset in vno loco habere operationem sensitiuam, in alio non habere: quia in vno loco posset videre corpus sibi propinquum, & in alio non posset idem videre, quia esset distans improportionaliter. *Argum. 5.*

Contrà, Hugo de Sacramentis, parte 8. cap. 11. dicit: *Qui fecit, vt vnum corpus esset in vno loco, fecit quomodo voluit: & si voluisset, aliter posset facere.* *Ratio ad opp.*

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thom. Henrici, & aliorum, etiam de potentia absoluta, vnum corpus non posse esse quantitatiuè in pluribus locis. Probant primò, quia posset sic esse in infinitis. Secundò, haberet simul multa contraria. Tertiò, esset vnum, & plura. Quartò, Angelus non potest esse in diuersis locis. Quintò, res non potest esse, nisi in vna specie. Sextò, non posset vnâ, nec pluribus mutationibus constitui in pluribus locis.*

Hìc [a] tenetur à multis conclusio negatiua: sed diuersi diuersimodè probant. Vnus Doctor arguit sic: Quando aliquid (quantùm est de potentia agentis) differenter fieri posset secundùm varios modos, si idem esset receptibile illius secundùm vnum modum, possibile esset fieri secundùm quemlibet aliorum modorum: ex parte autem agentis, cùm sit infinitæ potentiæ, est æqualis possibilitas, vt vnum corpus fiat simul in pluribus locis secundùm quemcumque modum pluralitatis: sed impossibile est, quòd Deo agente idem corpus sit vbique: ergo simpliciter impossibile est, quòd idem corpus fiat simul in diuersis locis. Probatio minoris, quia posse esse vbique simul, est proprium Dei. 2 *D. Thom. 3. part. q. 75. art. 1. ad 3. Hēri. quodl. 9. quæst. 32. Ægidius quodl. 1. q. 1*

Item, sequerentur plura contradictoria, quia quando ponitur in vno loco, aut habet eandem formam, quam & in alio, aut non. Si sic, & in vno ponatur gelu, & in alio calor, sequitur quòd in vno habebit frigus, & in alio calorem. Similiter si in vno loco non inueniret quid comederet, ibi esuriret, in alio autem inueniens cibum non esuriret: & in vno loco incurreret ex aëris intemperie infirmitatem, in alio ex temperie sanitatem, & sic esset sanum & non sanum, vel ægrum: & in vno loco occideretur, in alio non: ergo simul moreretur, & non moreretur.

Si autem teneatur secundum membrum, eadem sequuntur, quia saltem idem corpus habebit contraria: sed secundùm primum membrum, vtrobique habebit contrarium, secundùm aliud membrum autem in vno loco habebit contrarium vnum, & in alio aliud.

Item, sicut locatum commensuratur dimensionibus loci secundùm quantum, & continuum, sic commensuratur secundùm vnum, & plura: ergo si idem locatum sit in diuersis locis, erit simul vnum, & plura.

Et si instetur contra secundam rationem, quia ipsa videtur eo modo concludere de corpore Christi in cruce, & in pyxide, quia ibi vulneraretur, & ibi non. Respondet, quòd quando aliquid conuenit alicui, secundùm quòd natum est ei conuenire, simpliciter conuenit sibi, vt si homo est crispus secundùm caput, est crispus simpliciter, licèt non sit crispus secundùm aliam partem. Vulnerari autem quod includit diuisionem continui competit alicui, vt habet *esse* localiter tantùm: & ideò si in vno loco sit localiter, & in alio non localiter, si vulneratur vbi est localiter, simpliciter vulneratur: si non vulneratur in alio, non propter hoc non vulneratur, sed est fallacia à *secundùm quid* ad *simpliciter*. Sed si ponatur idem corpus localiter, & per consequens, dimensionaliter in diuersis locis, quidquid natum est agere, vel pati in vno loco, & in alio: ergo & tunc simpliciter habebit oppositа. 3 *D. Thom. hic quæst. 2. quæstiunc. 3. Ægidius, quodl. 1. q. 1. & quodl. 2. quæst. 17. Gotf. quodl. 3. quæst. 4. Et Alanus in 4. quæst. 1.*

Alius Doctor sic arguit: Termini locati, & termini loci sunt simul: ergo si locatum est extra terminos sui loci proprij, est etiam extra terminos suos proprios. Adducit etiam de Angelo, quòd non potest simul esse in diuersis locis: ergo minùs vnum corpus localiter in diuersis locis.

Alius sic arguit: Res sicut per propriam naturam est tantùm in vna specie, sic per vnam

vnam dimenſionem eſt ſimul tantùm in vno loco: quia ſicut ſe habet natura ad ſpeciem, ſic quantitas ad locum.

Alius ſic arguit; ſi idem eſſet ſimul in diuerſis locis, aut vnâ mutatione, aut duabus. Non vnâ, quia vna mutatio eſt tantùm ad vnum terminum. Nec duabus, quia aut eiuſdem ſpeciei, aut alterius. Non eiuſdem, quia non poteſt ſimul idem moueri duobus motibus eiuſdem ſpeciei, 3. *Phyſicorum*, & 5. *Metaphyſ. cap. De eodem*: nec duobus alterius ſpeciei, quia termini eſſent contrarij, & ſic motus incompoſſibiles.

*Text. 19.*

*Text. 26.* Item, cuiuſlibet motus termini ſunt incompoſſibiles, 5. *Phyſic.* ſed quæcumque duo *vbi* poſſunt eſſe termini eiuſdem motus, quia poteſt corpus moueri ab vno *vbi* ad aliud: ergo quæcumque duo *vbi* ſunt incompoſſibilia circa idem corpus.

## *COMMENTARIVS.*

1 a *Hic tenetur à multis concluſio negatiua*, &c. Vide citatos à Scholiaſte ſub titulo quæſtionis; quos etiam ſequitur Vaſquez *diſput.* 189. *cap.* 4. *& ſequentibus.* Fundamenta breuiter recapitulauit idem Scholiaſtes: ſicut & in ſcholio ſequenti alias quinque rationes, quas ipſe Doctor in fauorem huius ſententiæ affert, & claræ ſunt ex textu *in* §. *Contra iſtam opinionem*, &c. *ſub ſcholio* 3. Quatuor rationibus improbat Doctor ſententiam negantem; quarum prima, & ſecunda procedit abſolute; tertia, & quarta ex ſuppoſitione, quam admittit D. Thomas, nempe, terminum conuerſionis eſſe in loco, vbi fuit ſubſtantia conuerſa, quam ſuppoſitionem in initio quæſtionis refutauit. His omnibus ſuppoſitis tranſibimus ad concluſionem.

## SCHOLIVM.

*Pro eadem ſententia negante idem corpus modo quantitatiuo poni poſſe in diuerſis locis, adducit Doctor proprias, & ſubtiles rationes. Prima, quia ſequeretur agens naturale non corrumpere primum* vbi. *Secunda, materiam ſimul eſſe ſub pluribus formis ſubſtantialibus. Tertia, paruulus ignis ſic comburere poſſet omnia combuſtibilia. Quarta, idem corpus nutriretur, & non nutriretur. Quinta, in duplum nutriri poſſet.*

4 Ego etiam appono rationes alias. Prima eſt, agens naturale non intendi per ſe corruptionem termini *à quo*, ſed tantùm per accidens, quia eſt incompoſſibilis termino *ad quem*, quem intendit inducere: ergo ſi vnum *vbi* ſit incompoſſibile alteri *vbi*, agens naturale non corrumpet primum *vbi*, ad hoc quòd inducat ſecundum *vbi*: ergo poſſet facere corpus in nouo *vbi*, abſque hoc quòd remoueat illud aliud *vbi*, quod habuit priùs.

Secundò ſic, impoſſibile eſt eandem materiam eſſe ſimul ſub duabus formis ſubſtantialibus: ſed ſi poſſibile ſit idem corpus ſimul eſſe in diuerſis locis, ſequitur oppoſitum illius. Probatio minoris. Prima eſt, quia ponatur idem nutrimentum in duobus locis, vel tribus, & à diuerſis animalibus in illis exiſtentibus comedatur; nutritiua vtriuſque conuerteret idem in ſubſtantiam ſuam, & per conſequens eadem materia nutrimenti illius erit ſimul ſub diuerſis formis ſubſtantialibus, & animabitur in brutis diuerſis animabus ſenſitiuis, & in hominibus diuerſis intellectiuis.

*Si idem panis comedatur à pluribus, animaꝛitur pluribus animabus.*

Secunda probatio eiuſdem minoris eſt, quia poſito, quòd idem lignum ſit in diuerſis locis, & in illis ſint duo ignes, agent in illud lignum, & corrumpent, quia non poteſt reſiſtere virtuti agenti, & inducent formam ignis: non eandem, cùm agentia ſint diuerſa: ergo aliam, & aliam, & in eadem materia, cùm materia ligni corrupti fuerit eadem, ſicut & lignum idem.

Item, ſequeretur quòd quantumcumque paruulus ignis poſſet comburere omnia combuſtibilia: quia ſi habeat hîc combuſtibile proportionatum, & ibi aliud, & in tertio loco tertium; poterit hîc agere in illud, & ibi in illud, & ſic ſimul in infinitis locis, & ſic quæcumque combuſtibilia poſſent ſimul incendi à quantumcumque paruo igne: ſed quæcumque virtus poteſt ſimul in multa paſſa parua, poteſt ſimul in paſſum magnum integratum ex illis paruis: ergo minimus ignis poſſet comburere integratum ex omnibus combuſtibilibus.

Quartò ſic, animal habens hîc conueniens nutrimentum, nutriretur, alibi verò non habens, non nutriretur ibi: & ſic ſimul nutriretur, & non nutriretur.

Quintò ſic, quia ſi in duobus locis haberet conueniens nutrimentum, & ſuſciperet vtrobique, ſequitur quòd in duplum nutriretur: vel quòd nutrimentum ſuſceptum deperderetur, & non conuerteretur in nutrimentum.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Refutat dictam sententiam in generali, quia non ostenditur euidens contradictio, quòd vnum corpus sit in pluribus locis specialiter. Primò, quia duo corpora possunt esse in eodem loco, vt in resurrectione Christi. Secundò, posset conuerti quantitas panis in quantitatem corporis Christi, & sic esset in loco panis, & secundùm D. Thom. in suo. Tertiò, corpus potest esse sacramentaliter in pluribus locis; ergo & quantitatiuè. Quartò, Angelus potest esse in diuersis locis. Has rationes latè tractat Doctor, sed ponderat tantùm primam & tertiam. Hanc tenent Alens. 4. p. q. 11. Ric. hîc a. 2. q. 2. Ocham. Gabr. Aureol. Bellarm. 3. de Euchar. 3. & 4. Suar. 3. tom. d. 48. sect. 4. & ferè omnes Theologi, & Philosophi.*

Contra istam opinionem, hoc sufficit in generali: quia quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec est ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas, vel contradictio euidenter concluditur. Sic est hîc, vt patebit soluendo omnes rationes suprà positas. 5

In speciali autem arguitur per quasdam rationes, quas ille Doctor, cuius rationes primò recitatæ sunt, ponit, & nititur soluere. Prima est talis, non minùs inconueniens est duo corpora esse simul, quàm idem corpus in duobus locis: sed Deo est possibile primum, sicut patet de corpore glorioso, & non glorioso: ergo & secundum. Maior patet, quia Philosophi secundùm principia sua omnino ponerent repugnantiam inter duo quanta respectu eiusdem *vbi*, sicut albi, & nigri respectu eiusdem subiecti, sicut patet *quarto Physico. cap. de Vacuo*: quia quantum, eo quòd quantum, expellit aliud eiusdem quantitatis, non quia tale, vel tale. Et exemplificat de cubo. Minor probatur in resurrectione Christi de dote subtilitatis. *Text. 76.*

Respondet, quòd duæ mensiones repugnant propter situm localem, & illud tollit dos subtilitatis: sed illud, quod est ratio limitationis ad vnum *vbi*, scilicet situs determinatus, non potest tolli per aliquod donum, vel dotem: quia etiam corpus glorioſum habet situm determinatum, quo oportet ipsum esse ita hîc, quòd non alibi, licèt non habeat situm localem, quo resistat alteri corpori.

Sed contra istud arguitur ex tertia ratione sua, quæ est de *commensurari* secundùm *multum*, & *vnum*: quia secundùm illam impossibilius erit duo corpora esse simul magis, quàm vnum corpus in duobus locis: quia aut ideò oportet locatum multiplicari multitudine illâ locorum, quia commensuretur loco: aut propter aliquam rationem specialem. Si propter primum, cùm æquè oporteat loca commensurari locatis, sicut è conuerso, quia commensuratio talis est respectu communis, tunc sequitur, quòd ad multiplicationem locatorum sequitur multitudo locorum. Et ideò sequitur propositum, scilicet, quòd æquè est impossibile duo corpora esse simul, sicut idem in pluribus. 6 *Redarguit Henr.* *Non minùs impossibile, duo corpora esse in vno loco, quàm vnum in duobus.*

Si verò propter aliquid aliud, hoc non potest esse, nisi posteritas naturalis, vel simultas loci respectu dimensionis locatæ. Nam prius naturaliter non oportet commultiplicari posteriori: sed posterius priori, & simul ei, cum quo est simul. Sed si ista est ratio, manifestum est, quòd dimensiones loci sunt posteriores dimensionibus locati: ergo magis oportet dimensiones loci multiplicari ad multitudinem dimensionum locati, quàm è conuerso. *Multiplicato posteriori, non sequitur multiplicari prius.*

Probatio minoris, tum quia dimensiones locati sunt causæ dimensionum loci, quia locatum facit latera continentis distare, & superficiem eius esse in actu: tum quia prius est, quòd potest esse sine alio, & non è conuerso: dimensiones autem corporis possunt esse sine dimensionibus locantis, patet de superficie primi cœli: non autem è conuerso, quia non possunt distare superficies locantis absque distantia partium locati. Patet etiam per aliud, quia in motu locali quocunque manet eadem superficies locati, sed non loci: immò communiter mutatur superficies loci mutato locato. Et si corpus æquale succedit æquali, & similiter figurato, adhuc non manet superficies eadem prioris circumscribens corpus secundum. *Litera sequens variè seruatur in originalibus, sed satis benè habetur hîc.*

Et hæc ratio potest sic formari, non tantùm contra eum, sed ad probandum, quòd simul potest esse corpus in pluribus locis. Duo corpora possunt simul esse: ergo idem in duobus locis simul. Antecedens conceditur ab omnibus. Probatio consequentiæ, quia magis possibile est cum vnitate prioris naturaliter stare multitudinem posteriorum naturaliter, quàm è conuerso: dimensio autem locati prior est naturaliter dimensione loci, vt probatum est nunc: ergo magis possibile est vni corpori locato correspondere plures dimensiones locorum, quàm è conuerso. 7 *Magis possibile vnum corpus esse in pluribus locis, quàm plura in vno.*

Secundò ſic, Poſſibile eſt, quòd Deus conuertat quantitatem panis in quantitatem corporis Chriſti, ſicut conuertitur ſubſtantia in ſubſtantiam. Hoc poſito, cùm ſecundùm eum, illud in quod aliquid conuertitur, ſit vbi priùs fuit conuerſum, ſequitur tunc, quòd corpus, in quod fit conuerſio, eſt vbi fuit priùs illud quod conuertitur: & non poteſt eſſe ſecundùm ſuam quantitatem in alio loco, ita quòd quantitas ſit ei ratio eſſendi ibi, ſicut eſſet, ſi eſſet per ſe terminus conuerſionis, niſi ſit ibi localiter ſecundùm eos: ergo illud corpus erit localiter, vbi priùs fuit localiter conuerſum, & cum hoc manet in ſuo loco proprio: conuerſio autem non aufert terminum, in quem eſt, à ſuo loco: ergo ſimul poteſt eſſe localiter in duobus locis.

Reſpondet, quòd aut ſubſtantia panis manet in tali conuerſione, & tunc vel afficitur dimenſionibus corporis Chriſti, & non ſequitur, quòd corpus Chriſti ſit dimenſiuè in duobus locis, ſed tantùm in vno: aut non afficitur ſubſtantia panis illis dimenſionibus corporis Chriſti, & tunc corpus Chriſti non eſt, vbi eſt ſubſtantia panis, niſi ratione ſubſtantiæ panis, & per conſequens, non dimenſiuè: quia ſecundùm Philoſophum 1. *Phyſic.* ſubſtantia nullam habet magnitudinem, & ſic non erit ibi localiter, & per conſequens non erit localiter in duobus locis. Aut omnino totum conuertitur in totum, & ſic cùm nihil maneat, ratione cuius corporis Chriſti dicatur ibi eſſe, ſcilicet in loco conuerſi, ſequitur, quòd non erit ibi, quia non ſacramentaliter, cùm nulla ſit ſenſibilis ſpecies: nec non ſacramentaliter, quia ſic eſt tantùm in cœlo.

*Text. 15.*

Et præterea, cùm corpus Chriſti non eſſet ibi dimenſionaliter, non poſſet implere locum, quem priùs impleuerant dimenſiones panis: & ita non maneret illa capacitas, ſed in inſtanti conuerſionis partes aëris concurrerent, & deſineret eſſe locus, qui priùs erat: & ſic per ipſum non maneret ibi corpus alicuius, nec corpus Chriſti, ſicut nec modò manet corruptis ſpeciebus panis: ergo ſi adhuc ibi maneret, hoc non eſſet, niſi propter ſubſtantiam partium aëris, quæ immediatè conuerſionem iſtius termini tangebant dimenſiones panis: & ſic ſemper maneret ibi corpus Chriſti, quia ſemper manere poſſent ibi iſtæ partes aëris.

Contrà, ratio non videtur ſolui, quia conuertatur ſubſtantia quanta æqualis corpori Chriſti in corpus Chriſti quantum, & ſtabit argumentum, quia illud, in quod fit conuerſio, erit quantitatiuè in loco termini conuerſi, & cum hoc etiam erit in loco proprio, vbi priùs.

Quando ergo reſpondet diuidendo, poteſt dari hoc membrum, quòd totum omnino conuertitur in totum: quia non ſequitur, quòd terminus conuerſionis non ſit, vbi priùs fuit conuerſum, ſi nihil manet; niſi negetur iſta propoſitio, terminus conuerſionis eſt vbi priùs fuit conuerſum, & fortè negaret eam, niſi fortè cum iſta additione, ſi illud manet, quod fuit conuerſo ratio locandi: & tunc argumentum iſtud non concludit contra eum, nec etiam de aëre æquali conuerſo in corpus Chriſti. Nec curo inſiſtere, quia credo, quòd illa propoſitio, cui innititur ratio, ſit falſa, ſcilicet, quòd oporteat terminum conuerſionis eſſe, vbi præfuit conuerſum, ſiue maneat illud, quod fuit conuerſo ratio locandi, ſiue non.

Poſſet dari aliud membrum diuiſionis, ſcilicet, quòd quantitas aëris conuerteretur in quantitatem corporis Chriſti, ſubſtantiâ aëris remanente: & tunc poſſet inferri, quòd corpus Chriſti eſſet ſub ſua quantitate, & dimenſione. Patet etiam, quòd quantitas eius ſit, vbi præfuit quantitas aëris conuerſi: ergo corpus Chriſti erit ibi dimenſiuè, & cum hoc erit in cœlo.

9 *Ratio efficaciſſima contra D. Thom. & alios. Facilius corpus eſſe in pluribus locis quantitatiuè, quàm ſacramentaliter.*

Arguo ergo aliter per aliam rationem ad hanc concluſionem, & ſi fortè ſit ad hominem, arguo ſic: Vbicumque poteſt Deus facere ſubſtantiam naturalem, non ſub modo ſuo naturali, vel ſub modo ſibi oppoſito, poteſt eam facere ſub modo ſuo naturali, ſeu conuenienti ſuæ naturæ. Probatio, quia in faciendo primum eſt duplex miraculum: vnum verò tantùm eſt in faciendo ſecundum. Sed Deus poteſt facere corpus Chriſti ſacratum ſecundùm omnes, & facit de facto ſacramentaliter, id eſt, non ſub modo ſuo naturali ſimul in diuerſis locis: ergo poteſt idem facere in eiſdem ſub modo naturali, ſcilicet localiter, & dimenſiuè.

Nec valet dicere, quòd eſt hîc per conuerſionem alterius in ipſum. Quia conuerſio alterius in iſtud non eſt iſti formaliter ratio eſſendi hîc. Quod patet, quia tranſeunte conuerſione manet terminus conuerſionis hîc: ergo ſine aliqua contradictione poteſt alicui conferri eſſe hîc ſine conuerſione aliqua alterius in ipſum.

Si dicas, quòd conuerſio iſta, vt præterita eſt cauſa iſtius præſentiæ. Contrà, Deus de potentia abſoluta non poteſt facere conuerſionem præteritam non præteriſſe: ergo

de

de potentia absoluta non potest facere sic præsens non esse sic præsens, quod nihil est.

Si dicas, quòd species derelicta post conuersionem est corpori Christi ratio existendi hîc,& ita ad istud esse hîc necessariò requiritur conuersio. Contrà, species illa non est formaliter in corpore Christi : ergo non est ratio corpori Christi essendi formaliter aliquale, & hoc loquendo generaliter de aliquali pro quocunque, quod formaliter inest corpori Christi:sed corpus est formaliter præsens:ergo per aliquid aliud, quàm per conuersionem,vel speciem conuersi, sicut dicit Hugo, qui totum tribuit potentiæ Dei, licèt Doctor iste nitatur soluere. 10

Probatur etiam illa prima propositio, quia possibile est nouitatem circa aliquid posterius absque nouitate circa prius : ergo possibile est nouam esse talem præsentiam absque omni nouitate circa formam substantialem,quæ prior est omni tali respectu.

Quartò arguo sic,Angelus potest esse simul definitiuè in pluribus locis:ergo & corpus circumscriptiuè. Consequentia videtur satis manifesta,quia similis habitudo est in vtroque : & per consequens similis determinatio ad locum sibi suo modo conuenientem. Vnde communiter negantes consequens, negant antecedens. Probatio antecedentis, Deus potest conuertere panem in Angelum, vt probabitur *dist.*11. & vbi præfuit conuersum,ibi est illud,in quod conuertitur,saltem si ratio locationis ipsius conuersi manet: ergo Angelus est, vbi fuit panis : sed non potest esse ibi præsens, quin sit in loco secundùm modum sibi conuenientem essendi in loco : & tamen manet in proprio loco in cœlo : ergo, &c.

Istarum quatuor rationum primam, & tertiam pondero : secunda, & quarta non procedunt,nisi ex quodam præsuppositio, quod non credo esse verum : concluderet tamen contra plures illam præsuppositionem concedentes. Ad hoc est intentio Hugonem, quem licèt ille Doctor nitatur exponere;tamen legenti Hugonem, satis patet, quòd totum,quòd pertinet ad istud difficile,scilicet esse simul in duobus locis idem corpus,attribuit omnipotentiæ Dei, non autem alicui conuersioni alicuius in istum terminum. *Vide Aug. de ciu. lib. 21.cap.7.*

## SCHOLIVM.

*Resoluit vt maximam tenendum, quicquid non includit euidenter contradictionem, nec infert eam,non esse denegandum omnipotentiæ Dei. & vnum corpus in pluribus locis esse, est tale, vt patet soluendo rationes in contrarium, & explicat quomodo non repugnet plura* vbi *conuenire eidem corpori, quia sunt respectus extrinseci.*

Dico [a] ergo ad quæstionem,quòd est maxima mihi certissima, quòd Deo est possibile omne quod non includit euidenter contradictionem, & ad quod non sequitur necessariò contradictio : hoc est,huiusmodi : ergo possibile est Deo,vt patebit soluendo rationes. 11

Dico ergo, quòd Deo simpliciter est possibile idem corpus simul facere in diuersis locis localiter. Hoc patet ex intellectu terminorum. Cùm enim dico,idem corpus simul esse localiter in diuersis locis, nihil dico super hoc corpus, nisi quendam respectum extrinsecus aduenientem fundatum in vno quanto ad aliud quantum circumscribens : respectum autem talem plurificari super idem fundamentum ad diuersos terminos, non apparet contra aliquid notum secundùm rationem : quia respectus intrinsecus aduenientes, de quibus minùs videtur, possunt plurificari fundamento eodem manente ad diuersos terminos, vt super eandem albedinem possunt duæ similitudines fundari ad duos terminos, vt probatum est *libro tertio distinctione octaua.* *Quære Rich. hic art.2.q.3.*

Assumptum, scilicet, quod *vbi* non dicit nisi respectum extrinsecus aduenientem ad circumscribeus, satis patet ex dictis in præcedenti quæstione.Et mirum est,quòd sequentes rationem tantùm sequuntur imaginationem, quòd quia imaginatio non separat locum à corpore, nec è conuerso, nec percipit vnum plurificari sine alio ; ideò dicatur simpliciter impossibile vnum sine alio plurificari : sequendo tamen imaginationem non apparet aliud.

Sed exclusâ istâ imaginatione, quæ semper innitens sensibus non aliud apprehendit, & sequendo rationem ex rationibus terminorum, nulla est necessitas, quòd plurificato vno plurificetur aliud, vt plurificato posteriori non est necesse prius plurificari, ipsa autem *vbi* sunt manifestè posteriora ipso quanto locato, & accidentaliter, & contingenter aduenientia : in multis etiam aliis,vbi maior est connexio secundùm rationem concedimus *Sicut alij respectus multiplicantur in eodẽ fundamento,sic respectus* vbi *multiplicari potest.*

mus vnum ſine altero plurificari; vix enim eſt aliqua habitu do accidentalior ſuo fundamento, quàm ſit *vbi*: nec aliquis modus *eſſendi in*: nec aliquis modus *ab*: & ſic de aliis multis habitudinibus: & tamen in aliis habitudinibus, non ita proteruè aſſeritur impoſſibilitas plurificationis habitudinum circa idem fundamentum.

12 Etſi inſtes, quòd verum eſt, quòd plures reſpectus poſſunt fundari in eodem fundamento, quando vnus eorum non adæquat totum fundamentum, hîc autem vnum *vbi* adæquat totam rationem quanti, inquantùm locabile eſt: hoc videtur ſine ratione dictum, quia reſpectus, qui oritur ex natura fundamenti, magis videtur adæquari fundamento, quàm ille, qui extrinſecus aduenit, cæteris paribus: ſed ad duos terminos poſſunt eſſe in eodem fundamento duo tales reſpectus orientes ex natura fundamenti, vt duæ æqualitates ad duo quanta æqualia: ergo ſine ratione fingitur, quòd hîc vnus reſpectus adæquatur.

*Subſtantia habet plures præſentias; ergo quantitas poteſt plures habere.*

Confirmatur, quia non magis adæquat quantitatem ſuâ præſentiâ ad locum, quàm adæquat ſubſtantiam ſuâ præſentiâ ſibi conueniens: ſed ſubſtantia ponitur poſſe habere plures præſentias etiam primò, cùm ſit primus terminus multarum conuerſionum in multis altaribus, & cum hoc tamen eſt præſens in cœlo ſub modo quantitatiuo: ergo.

Aliqua argumenta ſunt facilia, & ſoluentur eo modo, quo procedunt in generali. Multa alia ſunt difficilia ſecundùm imaginationem, quæ procedunt in exemplis *ſuprà* adductis de calore, & frigore, fame, & ſaturitate, ſanitate, & ægritudine, morte, & vita, & ſic de aliis.

## *COMMENTARIVS.*

2 *Concluſio.* Auguſtinus. Hugo. Alenſis. Richardus. Maior. Gabriel. Marſilius. Ocham. Aliacus. Claudius. Bellarm. Suarez.

2 *Dico ergo ad quæſtionem*, &c. ſtatuit concluſionem affirmatiuam, quæ eſt Auguſtini *in lib. De cura pro mortuis habenda, cap.* 16. *&* 17. vt infrà patebit, & Hugonis *de Sacramentis, part.* 8. *quæſt.* 11. Supponit eam, aut inſinuat Alenſis 4. *part. quæſt.* 11. *art.* 1. aliàs 44. *m.* 7. Richardus *in* 4. *diſt.* 10. *art.* 2. *queſt.* 2. Maior *ibidem*; Gabriel *queſt.* 2. *art.* 2. *& in can. lect.* 46. Marſilius *in* 4. *queſt.* 7. *art.* 3. *dub.* 2. Ocham *queſt.* 4. Aliacus *queſt.* 5. *art.* 2. Alanus *lib.* 3. *de hoc Sacramento cap.* 38. Claudius Sanctes *rep.* 4. *de Euchariſtia cap.* 4. *&* 7. Bellarminus *lib.* 3. *de Euchariſtia cap.* 3. *&* 4. Suarez *diſp.* 48. *ſect.* 4. & ferè eſt communis modernorum Theologorum, præſertim contra hæreticos. Vnde meritò Suarez dicit non ſolùm hanc ſententiam eſſe aptiorem ad impugnandum hæreticos, & Catholicam veritatem tuendam, ſed ſuo iudicio tam neceſſariò, támque euidenter conſequentem ad illam, vt miretur contrariam ſententiam grauiſſimis Theologis potuiſſe perſuaderi.

3 Suppoſitis autem rationibus Doctoris, quæ claræ ſunt, neque indigent ſpeciali explicatione, quibus etiam vtuntur paſſim Doctores in hac materia, ſubiungam duas rationes: quarum prima eſt ex principiis Doctoris: ſecunda ab inconuenienti, quod aliàs ſequeretur ex oppoſito. Probatur primò, quia nulla eſt repugnantia à priori, aut poſteriori fundata in aliquo principio: ergo non excedit diuinam potentiam: conſequentia eſt manifeſta, quia hæc eſt ad quodcumque poſſibile.

*Prima probatio concluſionis.*

*Fundamentũ repugnantiæ vniuerſum deſtruitur.*

Antecedens probatur, illa repugnantia fundaretur in ſubſtantia corporis, aut in quantitate, aut in præſentia locali, quomodocumque illa explicetur, aut ex parte diuerſorum locorum repugnantium circa idem locatum, ſed nihil ex his fundat talem repugnantiam: ergo, &c. Maior patet à ſufficienti enumeratione. Minor probatur, non ex parte ſubſtantiæ: quia de facto eadem ſubſtantia corporis Chriſti eſt in diuerſis locis ſecundùm præſentiam ſacramentalem, vt fides docet, & per diuerſas conuerſiones: ergo non repugnat ex hac parte: non ex parte quantitatis,

*Nõ repugnat ſubſtãtiæ, aut quantitati.*

quia hæc etiam eſt in omnibus locis, vbi eſt ſubſtantia corporis Chriſti ſacramentaliter, & indiuiſibiliter: ergo etiam non repugnat ipſi eſſe in diuerſis locis ſimul modo connaturali. Conſequentia probatur: quia magis poteſt idem poni in diuerſis ſecundùm modum connaturalem eſſendi, quàm modo ſupernaturali, quia hoc modo maius eſt miraculum: ergo cùm de facto poſſit eſſe in pluribus locis ſupernaturali modo eſſendi, de poſſibili poteſt eſſe modo naturali.

*Minus repugnat quantitati modus naturalis, quàm ſupernaturalis eſſendi.*

Conſequentia probatur, extenſio quantitatis materialiter ſumpta in ordine ad locum, non dependet ab aliquo loco poſitiuo, quia vt ſic, eſt abſoluta, & non variatur variato loco: nam quantitas *bipedalis* manet eadem in diuerſis locis, vt per ſe conſtat ad ſenſum: ergo quantumcunque varientur loca ſimul, non variabitur. Patet conſequentia, quia nulla eſt dependentia eius à loco, quia ſi ſumatur locus fundamentaliter, nihil aliud eſt quàm ſuperficies ambiens, & quanta, ſed quantum à quanto, quod eſt eiuſdem rationis, qualis eſt ſuperficies contenti, & loci continentis, non dependet eſſentialiter, quia ſic idem eſſet priùs, & poſteriùs in ſpecie: eſſet priùs inquantùm cauſa dependentiæ, ſeu terminus, eſſet poſteriùs inquantùm dependens, quod repugnat, quia quodcumque prædicatum fundaret illam, includitur in vtroque, cùm ſint eiuſdem ſpeciei, & daretur circulus dependentiæ eſſentialis inter indiuidua eiuſdem ſpeciei.

4

*Non depẽdet à loco.*

*Nec quãtum à quanto.*

Si loquamur de loco formali, nihil aliud eſt, quàm indiſtantia, vel modus, ſecundùm aliquos, vel certè relatio adueniens: ſi primum, eſt negatio, ſed hæc multiplicari poteſt reſpectiuè ad diuerſas formas in eodem fundamento, vt negatio Petri, & Pauli in hoc homine; albedinis, & rubedinis in pariete, & Angelo: diſtantia autem ad vnum locum determinatum, & diſtantia ad alterum ſunt diuerſæ formæ: ergo & negationes earum: ergo ſicut diſtantiæ ad diuerſa poſſunt eſſe ſimul, quia ſunt formæ diſparatæ non repugnantes, ita & negationes earum. Patet conſequentia

*Quid locus formalis?*

*Quid diſtantia ſit?*

quentia à priori: quia nulla est oppositio negationis ad negationem, quæ solùm est ad formam oppositam: patet à posteriori, quia sic corpus Christi est indistans pluribus locis simul & sacramentaliter.

5 Si dicatur autem, hæc præsentia esse modus, aut relatio, patet esse posterior fundamento, ac proinde multiplicari posse sine multiplicatione fundamenti, sicut de facto idem contingit in præsentia sacramentali, & sicut indistantia loci ad diuersa loca non repugnat, ita etiam neque relationes, aut modus præsentiæ: nam supposita priori, hæc naturaliter resultat, quia causæ eius priores ponuntur applicatæ per indistantiam: vnde data per possibile, vel impossibile indistantiâ locati ad diuersa loca simul, resultaret præsentia illa, quidquid sit ex natura extremorum: sicut applicatâ causâ ad diuersa passa, potest sequi effectus simul in vtriusque, si sint eiusdem dispositionis: suppositis pluribus albis; diuersæ similitudines: in vno patre relatio ad diuersos filios, siue diuersa, siue eadem extensa, vt aliqui volunt, nihil refert quoad præsens, modò saluetur paternitas, eiúsque referentia, & denominatio formalis, ad diuersos terminos.

6 *Quantum potest esse in vacuo.* Deinde si dependeret essentialiter locatum à locato quantitatiuo, non posset poni in vacuo, seu extra locum, sed hoc falsum est, quia vltimum cœlum non ambitur loco, in quo tamen manet sua extensio, & eadem maneret, si Deus aliud cœlum, aut aërem ambientem crearet extra ipsum. *Dependentia essentialis est ad aliquod determinatum.* Item, si dependeret corpus à loco quantitatiuo, dependeret ab aliquo determinato, quia omnis dependentia essentialis, & immutabilis est ad aliquod determinatum indiuiduum, vt Petri ad suas partes, creaturæ ad Deum, loquendo in absolutis.

*Quantitas nō est actiua.* Accedit, quòd huiusmodi dependentia nequeat reduci ad vllum genus causæ, quia quantitas non est actiua: ergo non ad genus causæ efficientis, vt patet etiam ex sensu, quia non mutatur absolutè corpus variatâ superficie ambiente, vt patet in turre, quæ mutat superficiem aëris continentis ex impulsu ventorum, quibus cedit aër. Non est formalis, quia superficies ambiens non spectat ad constitutionem corporis: ergo ad nullum genus causæ reducitur, sed dependentia, quæ ad causam non reducitur, est merè imaginaria: ergo, &c.

7 *Non repugnare præsentiam multiplicari.* Ex his patet tertium, nempe hanc repugnantiam non reduci ad præsentiam formalem: & confirmatur, non magis repugnat, si est relatio, eandem multiplicari, quàm alias relationes (& perinde est, si dicamus esse modum) quia & relationes intrinsecæ, & extrinsecæ variantur, quando aliàs causæ earum per se applicantur diuersæ, aut subtrahuntur: ita autem contingit in proposito, quia corpus applicatum loco, natum est habere præsentiam ad ipsum: ergo diuersis locis applicatum habebit etiam diuersas præsentias: quia non est maior ratio, quare vnum magis sequatur, quàm alterum: vel ergo nullum, vel vtrumque simul: primum dici nequit, quia causa naturalis applicata infert effectum suum naturaliter: inter formas non est repugnantia: ergo etiam neque inter causas, & actiones.

*Repugnantia causarum est ex repugnantia effectus.* Præterea, idem passum potest recipere à diuersis agentibus simul diuersas formas, ad quas est in potentia, si illæ non repugnant; verbi gratiâ, dispositionem vltimam ad animam ab agente particulari, animam à causa prima, vel calorem, & albedinem à diuersis causis: eadem etiam causa diuersis passis applicata potest simul producere diuersos effectus: corpus est causa loci, quia facit distare latera eius: ergo simul applicatum diuersis locis poterit idem facere, quia non erit penetrabiliter cum altero.

8 *Penetratio corporum.* Deinde superficies loci potest diuinitus continere duo corpora simul, vt contingit quando Christus exiuit clauso Virginis vtero, ex sepulchro etiam ingressus est ad Apostolos ianuis clausis: ergo à fortiori idem corpus plura loca occupare simul.

*Confirmatur. Ex modo essendi Angeli in loco.* Confirmatur, quia Angelus est totus in qualibet parte distante sui loci, anima tota in qualibet parte corporis, & Angelus potest esse in partibus discretis sui loci adæquati, & secundùm aliquos occupare duo loca simul: sed sicut se habet spirituale ad locum, ita & corporale, saltem diuinitus applicatum: ergo non est in proposito maior repugnantia, quàm in primo, supposità applicatione diuinitus factâ. Ex quibus patet, quòd ex natura loci nulla est repugnantia, vt patet in Angelo, & anima: patet in præsentia sacramentali in diuersis locis, vt *suprà* deductum est.

*Modus essendi Angeli sub speciebus, si panis in ipsa cōuertetur.* Confirmatur vltimò, ex quarta ratione Doctoris, quamuis enim neget suppositum D. Thomæ ex quo procedit, tamen ipsam conclusionem admittit: si ergo conuerteretur panis in substantiam Angeli eo modo, quo fit de facto in corpus Christi præsens: Angelus esset sub speciebus totus in toto, & totus in qualibet parte: hic autem est modus essendi connaturalis Angeli, licèt supernaturalis esset, quantùm ad conuersionem, & retento primo loco, verbi gratiâ, in cœlo, neque aliter posset esse sub speciebus, quàm modo dicto indiuisibiliter: ergo corpus potest etiam connaturali modo essendi poni in duobus locis.

9 *Secunda probatio ab inconueniēti.* Secundò probatur conclusio ab inconuenienti: quia alioquin opposita sententia reddit dubias multas historias, & vitas Sanctorum, in quibus Christus Dominus legitur in terris apparuisse Sanctis visibiliter, verbi gratiâ, Petro, quando Roma fugiens ad portam Latinam apparuit ei Christus, quem interrogauit, *Domine quò vadis?* & *Visus Christus ad portā Latinam à Petro.* respondit: *Vado iterum crucifigi Romam.* vbi Cappella huius rei monumentum extat, & vestigia infixa lapidi.

Respondent aduersarij has visiones, vel esse imaginarias, vel certè Angelos apparuisse in persona Christi, non ipsum Christum. Contrà, contrarius est sensus Ecclesiæ, & fidelium celebrantis has visiones, tanquam in persona Christi factas, non alterius, vt & verba demonstrant: quamuis enim in veteri Testamento id contingebat quandoque, vt Angeli tanquam legati Dei missi respondebant in persona Domini, vt in monte Sinai: tamen quia cessauerant figuræ, & vmbræ, non legitur ita contigisse in nouo Testamento reuelatâ veritate; vnde Arnobius in lib. 1. contra gentes: *Vnus fuit, ait, ex nobis Christus, qui post mortem, & resurrectionem se prompta in luce detexit, qui iustissimis viris etiamnum impollutis, ac diligentibus sese, non per varia somnia* (alludit ad modum, quo olim Prophetis fiebant visiones) *sed per puræ simplicitatis speciem apparebat*, &c.

Præterea, alioquin possent multa mysteria sic eludi; at in Apocalypsi, aliter de Angelis, aliter de Domino Angelorum loquitur Ioannes, quamuis in spiritu.

Et

*Christus visus est Paulo.*

Et quidquid sit de reliquis, probatur non posse ita responderi ad singulas visiones: Christus apparuit Paulo in terris post resurrectionem 1. *ad Corinth.* 15. vbi probat ex apparitionibus, quas Christus fecit, eius resurrectionem, vt Cephæ, post hæc vndecim Apostolis: item plus quàm quingentis fratribus simul: item Iacobo: *Nouissimè*, inquit, *tanquam abortiuo visus est mihi*, &c. ergo visio, quam habuit Paulus, fuit vera, & realis Christi in persona propria, non autem Angeli: aliàs non rectè ex ea probaretur resurrectio Christi; & reliquæ visiones, quas commemorat, fuerunt Christi veræ in propria persona; & consequenter illa quæ facta est Paulo.

10 *Responsio.*

Respondent quidam negando consequentiam, quia etiam Angelus apparens in persona Christi, vt faceret hanc fidem resurrectionis eius, sufficienter probaret Christum surrexisse. Contrà, quia Paulus non recurrit ad argumentum Theologicum fundatum in attestatione Angeli, neque factum illud sufficienter probaret resurrectionem Christi, quia etiam multorum Patrum testimonio apparuit Angelus in persona Christi in veteri Testamento, quod tamen non probabat Christum fuisse, tum in natura humana.

*Impugnatur.*

Vnde & illud Apostoli: *Cùm introduceret primogenitum in orbem terræ, dixit, Adorent eum omnes Angeli eius*: secundùm multos expositores Christus fuit ostensus in natura humana: Paulus ergo vtitur argumento habito per sensum, & experientiam multorum fidelium, & suiipsius specialiter vnde nullus Patrum exponit hanc apparitionem tanquam factam per Angelum, neque ratio ad eam expositionem cogit, neque literæ circumstantia permittit.

*Argumentum de resurrectione Christi à visione desumptum.*

11 *Quando visus est Paulo?*

Confirmatur ergo veritas, quia Actorum 9. contigit hæc visio, dum Paulus pergeret acceptis literis contra Christianos in Damascum: *Contigit*, inquit, *vt appropinquaret Damasco, subitò circumfulsit eum lux de cœlo, & cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi, Saule, Saule, quid me persequeris? qui dixit, Quis es Domine? & ille: Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, &c. Et infrà Ananias ad eundem: *Saule frater Dominus Iesus misit me, qui apparuit tibi in via quâ veniebás*, &c. Idem etiam refert ipse Act. cap. 22. vbi etiam agit de alia visione sibi in Spiritu facta, differente tamen modo, quàm prior, quia dicit eam fuisse in Spiritu: vnde de priori locutum fuisse Apostolum *ad Corinthios*, docent eius interpretes: Carthus. Primasius, Glossa ordinaria, S. Thomas, Origenes *contra Celsum lib. 2.* Tertullianus *lib. contra Praxeam.* Ambrosius autem intelligit eam de ea etiam, quæ in templo contigit. Sedulius, Petrus Lombardus, Haimo, Hugo Cardinalis.

Carthus. Primasius. Glossa. Origenes. Tertull. Ambrosius. Sedulius. Petrus Lõb. Haimo. Hugo.

Lux autem illa dicitur fulsisse ex glorioso Christi corpore, quod videns Paulus præ nimio splendore solutus est ei visus: vnde non rectè Caietanus ex cæcitate subsequente insinuat Paulum non vidisse Christum; ex serie namque historiæ, & collocutione vltrò, citróque Christi, & Pauli, ex verbis Ananiæ sequitur contrarium, nempe, Christum apparuisse Paulo, non in cœlo, sicut Stephano, sed in aëre propinquo, vbi vox formari, & audiri potuit.

*Responsi. Caietani reiicitur.*

Sed tum Christus fuit etiam in cœlo, vt constat ex illo Actorum 3. *Quem oportet quidem cœlum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os Sanctorum suorum à seculo Prophetarum*, &c. id est, vsque ad diem iudicij: & constat eum esse à dextris Patris in excelsis, neque deserere eundem vsque ad diem nouissimum.

12 *Solutio aliorũ reiicitur.*

Ex quo confutatur solutio S. Thomæ, & aliorum asserentium Christum tunc descendisse de cœlo relinquendo cœlum, nihil enim ad hoc cogit, & videtur contrarium ibidem insinuari: & insinuat Chrysostomus *homil. de conuersione S. Pauli*, super illa, *Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, &c. *& quare*, inquit, *non dixit, Ego sum Iesus, qui resurrexit, Ego sum Iesus, qui sedet à dextris Dei, sed, Ego sum Iesus, quem tu persequeris*, &c. ergo supponit Chrysostomus ipsum sedisse etiam à dexteris Patris, quando simul apparuit Paulo, neque ad effectum huius apparitionis deseruisse priorem locum.

Adelmarus.

Quam sententiam expressè docuit cõtra Berẽgarium Adelmarus Brixiensis ex hac Christi apparitione, secundùm quam Christus fuit in terra visus à Paulo, manens simul in cœlo; sumens inde argumentum, quo probaret Christum simul esse posse in cœlo, & in Eucharistia esse. Augustinus lib. de cura pro mortuis habenda, cap. 16. & 17. supponit animas Martyrum diuina virtute posse esse in cœlo simul, & etiam præsentes iis, quibus apparent, & quibus impetrant à Deo beneficia: vnde cap. 16. *Alij*, inquit, *sunt humanarum limites rerum, alia diuinarum signa virtutum; alia sunt quæ naturaliter, alia quæ mirabiliter fiunt*, &c. Vnde quamuis dicat, quòd incertum sibi sit, quid fiat de facto, an ipsæ animæ manentes in cœlo appareant in propria specie, an Angeli earum, indicat vtrumque possibile esse, adducens exempla talium apparitionum. Sed eadem ratio est etiam de corporibus; nam si non repugnat animas esse simul diuina virtute in cœlo, & in terra præsentes iis quibus apparent beneficia largientes, quod naturalem virtutem earum excedit, ita neque repugnat in corpore idem contingere diuina virtute.

Augustinus.

Non solùm antiqui, quos Doctor citat, impugnant prædictam conclusionem, sed etiam moderni, variatis, aut extensis eorum principiis: sed & hæretici, vt destruant realem præsentiam, easdem rationes accommodant: vt ergo simul vtrisque respondeatur, & rationes prout formantur, aut reformantur à modernis, simul soluantur, ne sæpiùs eadem repetenda essent, respondebo breuiter ad omnes suo ordine.

13 *Obiectio hæreticorum.*

Obiiciunt hæretici Matth. 28. *Iesum quem quæritis non est hic*, surrexit *enim*, &c. quæ illatio non valeret si idẽ corpus posset esse diuersis in locis. Respondet Suarez non esse illationem, sed simplicem assertionem, quia mulieres quærebant mortuum, Angelus affirmat esse viuum, & surrexisse. Deinde si intelligatur etiam illatiuè, illatio ad potentiam ordinariam, & familiarem sermonem modo humano intellectum refertur, qui fundatur in potentia ordinaria: quia benè sequitur, surrexit; ergo non est hîc, supple in sepulchro mortuus.

*Obiectio secunda.*

Obiiciunt secundò Patres, qui negant idem corpus esse posse in diuersis locis: vt Augustinus *epist. 3. & 57. & 20. cap. 11.* Anselmus *in Monologio, cap. 20.* Respondetur eos loqui secundùm potentiam naturalem, & cursum rerum ipsis propria virtute conuenientem; non autem supernaturaliter: vnde Anselmus *cap. 21.* docet discursum à se factum non concludere, quamuis naturaliter cõcludat in creaturis, quæ locum definitũ occupant.

Tertiò

*Obiectio tertia.* Tertiò obiiciunt, quòd idem corpus nequeat esse modo naturali, & quantitatiuo simul in diuersis locis: ergo neque sacramentaliter in vno, quantitatiuè in altero. Antecedens probant testimonio Catholicorum ad hominem. Respondetur eos abuti testimonio Catholicorum, si ex authoritate agunt; ideò neganda est consequentia, quia Catholici docent id de essentia in duobus locis quantitatiua; non autem sacramentali, & quantitatiua: antecedens autem falsum est, & negandum, si vt principium vrgeatur.

14 *Obiectio quarta.* Obiiciunt quartò alij, quia si idem corpus possit esse simul in diuersis locis quantitatiuè: ergo in infinitis: hoc est falsum, quia esse vbique soli Deo competit: vnde Patres ex hoc probant diuinitatem Filij, & Spiritus sancti. Augustinus *lib.6.contra Maximinum,cap.*21. Fulgentius *lib.2. ad Trasimundum, cap.*17. Ambrosius *lib. de Spiritu sancto, cap.* 7. Basilius *de Spiritu sancto, cap.*12.

Augustin. Fulgent. Ambros. Basilius.

*Responsio prima ad argumentum ex immensitate Dei.* Respondetur hanc rationem magis vrgere contra præsentiam sacramentalem simul in pluribus locis, quia, quod est in infinitis locis, debet esse in singulis totum, & in partibus totum secundùm modum immensitatis, quod magis conuenit præsentiæ sacramentali, quàm quantitatiuæ, quæ est partim in parte loci, non tota in qualibet parte.

*Responsio secunda.* Respondeo negando sequelam, quantùm est ex vi formæ; vt benè Doctor respondet ad 1. pro opinione negatiua: quia in omnem visionem potest Deus absolutè, non tamen respectu omnis susceptiui. superficies est capax omnis coloris: ergo simul est falsa, à diuisis ad coniuncta. corpus est capax omnis situs: ergo simul non valet. Quantùm verò ad materiam concedit, & benè, consequentiam; & quantùm ad esse vbique, vt respicit vniuersum, quia omnia corpora vniuersi Deus posset conuertere in corpus Christi. Breuiter ergo, omissis pluribus redargutionibus, nego sequi immensitatem ex illo exemplo, quia hæc ex natura sua est vbique, ita vt id exigat, & nequeat non esse vbique, seu in quocumque loco vero, imò etiam secundùm aliquos imaginario; corpus autem fit in pluribus, vel fieret per accidens extrinsecâ virtute agentis, non propriâ exigentiâ. Vnde si daretur vbique immensitas, ipsi non conueniret, nisi secundùm *quid*, & participatiuè, non simpliciter, aut per se; sicut creatura quæ poneretur ab æterno, diceretur æterna participatiuè, non autem per se, sicut Deus. Argumenta Patrum procedunt de facto, quia nihil est vbique, neque per se, neque participatiuè, præter solum Deum; & fundantur in reuelatis contra Arianos probantes diuinitatem Verbi, ex eo, quòd Verbum fuerit ab æterno.

*Quàuis corpus esset vbique, non esset immensum.*

15 *Obiectio quinta.* Obiiciunt quintò alij, si idem corpus esset in duobus locis, esset diuisum, & indiuisum, id est, idem, & diuersum: ergo, &c. Respondetur idem posse vrgeri contra mysterium præsens: negatur ergo sequela, haberet enim solùm diuersas præsentias locales, seu diuersas relationes posteriùs aduenientes.

*Obiectio sexta.* Obiiciunt sextò, sequeretur quòd eadem res esset extra spatium, quod ipsum circumscribit, & non esset, quia circumscriptio dicit negationem circumscripti alibi. Respondetur idem vrgere contra præsentiam sacramentalem: negatur ergo sequela. Ad eius probationem respondetur, circumscriptionem per accidens dicere illam negationem, quia ab intrinseco tantùm dicit, quòd sit locus æqualis comprehendens locatum secundùm se totum: quòd autem idem locatum non sit alibi, est per accidens, nempe quia naturaliter id ipsi non conuenit, non quòd ipsi repugnat, aut ex loco circumscribenti inferatur simpliciter, & absolutè.

*Respondetur.*

Obiiciunt septimò, quantitas est finita: ergo limitatur ad vnum locum: deinde extensio ad locum supponit extensionem in ordine ad se: ergo duplex in ordine ad locum supponit duplicem in ordine ad se. Respondetur ad primum, verum esse naturaliter tam antecedens, quàm cõsequens, non autem spectatâ Dei omnipotentiâ. Ad aliud negatur consequentia, quia prius non necessariò multiplicatur multiplicato posteriori, qualis est præsentia in ordine ad locum respectiuè ad præsentiam in ordine ad se supponens hanc pro fundamento. Exempla huius passim occurrunt in aliis, quia eadem virtus immutata potest in plures effectus, &c.

*Obiectio septima.*

*Nõ multiplicatur prius multiplicato posteriori.*

16 *Obiectio octaua.* Obiectio octaua, sequeretur quòd idem corpus posset bis poni in eodem loco, quod capi nequit. Respondetur negari posse sequelam de eodem modo præsentiæ, & secundùm eundẽ situm, quamuis aliqui, vt Suarez, idem admittant, & sustineri possit etiam in nostra opinione: quia dicimus illam præsentiam produci à solo Deo: vnde sicut idem corpus in eodem loco successiuè positum habet diuersas præsentias formales numero, quia idem numero non redit naturaliter, neque consequenter prior præsentia deperdita redit, sed alia diuersa: Deus similiter videtur multiplicare posse simul diuersas illas præsentias, quas seipso producere potest.

*Responsio.*

*An præsentia in eodem loco possit multiplicari.*

Licèt hoc sustineri possit, & sit conceptibile, quia fundatur in omnipotẽtia Dei; negari tamen potest probabiliter, quia licèt Deus possit præsentiam producere, & statuere corpus in loco, vbi antea non fuit; tamen hæc præsentia non abstrahit ab extremis, quia supponit fundamentum, & terminũ, cùm fit relatio à quibus dependet; quamuis in hoc distinguatur ab aliis relationibus, quòd possit esse terminus actionis per se primò.

*Pars negatiua.*

Sicut ergo dependet à fundamento, nempe à corpore, supponit *in ipso* capacitatem secundùm diuersum modum essendi in loco; eiusdem autem corporis ad eundem locum vniformiter se habentis est vnus, & idem ordo fundamentalis, neque natus est referri nisi secundùm eundem modum; vnde cùm secundùm vnam relationem est adæquatè in vno situ relatus; sic non dicit capacitatem ad alteram simul, quia tollitur exigentia, & capacitas in fundamento ad aliam in eo casu: sicut multæ formæ accidentales absolutæ, licèt multiplicari possint numero successiuè in eodem subiecto, non tamen simul, quia est status in his secundùm exigentiam, & capacitatem subiecti; vnde aër nequit esse calidus vt octo, neque bis calidus vt sex. Eodem modo relationes, quæ non casualiter insunt, sed secundùm exigentiam fundamenti, mensuram, & modum eius sequuntur.

Si tamen ponatur secundùm diuersum situm in eodem loco, vel secundùm diuersas præsentias, alteram quantam, alteram sacramentalem, nulla est repugnantia, quia variatur fundamentalis modus se habendi ad locum; vel secundùm situm, vt si ponatur sursum, & deorsum se-

cundùm eaſdem partes; vel ſecundùm extenſionem, vt in ſecundo caſu. Argumentum hoc etiam poteſt retorqueri, quia eadem difficultas vrget de præſentia ſacramentali multiplicata in diuerſis, aut eodem loco.

17 Obiiciunt nonò, quòd idem corpus nequeat eſſe in diuerſis temporibus ſimul: ergo neque in diuerſis locis. Hæc ratio eſt hæreticorum, ſed inutilis, quia ſi loquamur de tempore extrinſeco, & vniuerſali, falſum eſt antecedens, quia Deus poteſt creare aliud primum mobile, & ſic idem poſſet ſimul eſſe in diuerſis temporibus: nequit autem eſſe ſimul in diuerſis partibus eiuſdem temporis; non ex repugnantia ſubiecti, ſed quia repugnat partes eiuſdem ſucceſſiui eſſe ſimul vt temporis, quæ ſunt in fluxu.

*Obiectio decima.* Obiectio decima: ſequeretur idem corpus eſſe æquale quanto maiori, & minori; & conſequenter æquale, & inæquale. Sequela patet, quia ex Philoſopho, corpus locatum eſt æquale loco: ergo ſi eſt ſimul in duobus, eſt æquale duobus locis: ergo excedit quemlibet. Reſpondetur, in hac ratione maximè fundari Vaſquez, & alios, quia fortè nequit torqueri ad hominem, quia non quadrat in myſterium præſens, quia non eſt commenſuratum loco: ſed patitur aliam difficultatem, ſecundùm quam retorqueri poteſt, quia idem locus poteſt continere duo corpora ſimul penetratiuè; ſed ſicut locatum eſt æquale loco, ita locus locato: ergo in eo caſu eſſet æqualis locus, & inæqualis, quod repugnat. Reſpondetur ergo omiſſis pluribus, quæ hîc dici poſſent; quòd ſicut quantitas minor reducta adæquat maiorem quantitatem; ita corpus replicatum per vnam eandémque ſuam extenſionem adæquat vtrumque locum: ergo erit æquale vtrique; ſecundùm replicationem concedo, abſolutè autem nego.

*Vaſquez. Reſponſio.*

*Retorquetur.*

*Quantitas minor reducta æquiualet maiori.*

18 Vltima ratio eſt ab inconuenientibus, quia inde ſequeretur, quòd idem in diuerſis locis haberet cõtradictoria, in vno viueret, in alio mortuus eſſet; calefieret in vno, frigefieret in altero; in vno mereretur, in altero peccaret; amaret, odio haberet, eſſet fidelis, infidelis; in gloria, in pœna; quæ ſunt contradictoria. Reſpondetur in primis argumentum deſtruere ſe, quia vel illa habent oppoſitionem circa idem corpus poſitum in diuerſis locis; vel ſi non habent, nõ inducunt inconuenientia, quæ finguntur ex oppoſitione eorum, quia hæc tollitur; cùm requiratur idẽ locus ſicut idem ſubiectum: ſi autem dicas inuoluere contradictionem circa idem ſubiectũ reſpectiuè, etiam ad diuerſa loca, ſequela non valet, quia varietas locorum non tollit vim conditionis eorum circa idem. Torquetur etiam argumentum, quia ſequeretur etiam quòd viueret in Euchariſtia, moreretur in loco naturali, crederet in vno, & amaret, in alio diſcrederet, & odio haberet, &c. & ſic de reliquis. Ad argumentum reſpondebitur in ſequenti §. cum Doctore.

*Vltima obiectio. Ex contradictione.*

## SCHOLIVM.

*Pro ſolutione argumentorum oppoſitæ ſententiæ, ponit Doctor tres propoſitiones. Prima, quæ ſunt priora* vbi, *non variantur variato* vbi, *ſecus ſi ſunt ſimul, vel poſteriora. Secunda, quoad paſſionem, ad formam abſolutam perinde eſt corpus eſſe in vno, vel in pluribus locis, vt patiatur. Tertia, corpus eſt actiuum in diuerſa ſibi applicata in diuerſis* vbi, *ſicut & in vno* vbi, *ex his reſponderi poteſt ad argumenta pro ſententia D. Thom. quòd latè præſtat Doctor.*

13 *Nota tres propoſitiones pro ſoluendis argumẽtis difficillimis.* Et a pro iſtis ſoluendis pono tres propoſitiones, quarũm prima eſt: Quæcumque ſunt priora eſſentialiter ipſo *vbi*, vniformiter inſunt corpori, quamuis habenti diuerſa *vbi*, nec variabuntur variato ipſo *vbi*: quæ verò poſteriùs, vel ſimul naturâ, variabuntur ſecundùm varietatem ipſius *vbi*. Hoc patet, quia prius eſſentialiter non variatur propter variationem poſterioris: ſed poſterius benè variatur ad varietatem prioris: quæ etiam ſunt ſimul naturâ cum aliquo, variantur cum illo.

Secunda propoſitio eſt: Sicut paſſum exiſtens in vno *vbi*, reciperet formam à duobus agentibus ſibi ibidem approximatis, ſic ipſum in duobus locis exiſtens patietur ab eiſdem ſibi in illis duobus *vbi* approximatis, & hoc intelligo de paſſione, quæ eſt ad formam abſolutam. Hoc patet, quia ad hoc, quòd patiens patiatur ab agente recipiendo iſtam formam, non oportet, niſi quòd ſit in potentia paſſiua, & agens habeat formam actiuam, & ſint debitè approximata, ſiue in hoc *vbi*, ſiue in illo ſit approximatio, nihil differt quantùm ad actionem, quæ eſt ad formam abſolutam, ſed paſſo poſito in duobus *vbi* ipſum habet eandem potentiam paſſiuam ad formam abſolutam, & actiuum habet eandem potentiam actiuam, & eodem modo poteſt approximari ſibi, vt eſt in iſto *vbi*, ſicut in alio: ergo eodem modo patietur, quantùm ad omnem formam abſolutam à quocumque actiuo ſibi approximato, ſiue in iſto *vbi*, ſiue in alio, ſicut ſi tantùm eſſet in vno *vbi*, & eſſet agens ſibi approximatum.

Addidi autem *ſecundùm formam abſolutam*, quia non oportet, quòd eadem patiatur loquendo de reſpectiuis, quæ ſunt ſimul naturâ cum *vbi*, vel poſteriora: quia illa poſſunt variari, ſicut & *vbi*, ex prima propoſitione. Verumtamen ibi etiam poſſet concedi iſta ſecunda propoſitio, vt patebit reſpondendo ad inſtantias in ſpeciali.

Tertia propoſitio eſt: Sicut corpus in vno *vbi* exiſtens ſe haberet in ratione actiui ad diuerſa ſibi approximata in illo *vbi*, ſic ipſum vt exiſtens in duobus *vbi*, ſe habet ad eadem ſibi in illis *vbi* approximata: hoc patet ex probatione præcedentis.

Ex

Ex his ad rationes Doctorum adductas pro opinione negatiua. Ad primam dico, quòd prima propositio posset ita intelligi, quòd esset neganda. Absolutè enim potest Deus in omnem visionem, & secundùm omnem modum visionis, non tamen in quocumque oculo potest causare quamcumque, quia non quilibet oculus est susceptiuus. Sed esto, quòd loquatur de quacumque forma, ad quam æqualiter se habet potentia agentis de se, & potentia receptiui, quòd per istam potentiam æquè posset quælibet causari in susceptiuo, tunc vera est propositio, quia tam ex ratione actiui, quàm passiui esset æqualis possibilitas. 14 *Ad argum. n. 2. & seqq. posita.*

Sed non adhuc sequitur de qualibet diuisim, & de omnibus simul: quia ex parte Dei, & susceptiui actiui, & passiui superficies est æquè possibilis ad omnem colorem, non tamen ad omnem simul. Et tunc oporteret ostendere, quòd corpus ex parte sui est æquè susceptiuum omnium *vbi*, & duorum: quod negatur ab aduersario. Tamen ad rem concedo, quòd ex parte Dei actiui, & corporis vt susceptiui, æqualis est possibilitas in corpore ad duo *vbi*, quæ sunt simpliciter distincta, & ad quodcumque, & tunc ad omnia. *Corpus posse esse vbique per Dei potentiam, non tamen ideò immensum esset.*

Et cùm dicitur per nullam virtutem potest vnum corpus habere omnia *vbi*, nec esse vbique; falsum est & probo, quia ipsi concedunt, quòd corpus Christi posset vbique esse sacramentaliter: posset enim Deus quodcumque corpus vniuersi conuertere in corpus Christi, sicut panem; & ego dico, quòd non est maior limitatio ad esse alicubi localiter, quàm sacramentaliter comparando ad potentiam Dei.

Quidquid enim potest fieri per causam secundam actiuam, potest Deus facere immediatè: ipsum autem Sacramentum velans corpus Christi, non est causa corpori essendi hîc, nisi sicut causa effectiua secunda: quia non tanquam causa formalis, vt probatum est.

Et ad probationem, cùm dicitur, quòd esse vbique est proprium Dei, dico quòd Deus ex sua immensitate necessariò est vbique: quia nullum potest esse *vbi*, in quo non sit secundùm potentiam, præsentiam, & essentiam; & sic impossibile est aliud à Deo esse vbique. Sed non est inconueniens aliquid aliud à Deo per eius potentiam esse in quocumque *vbi*, nec per hoc debet dici propriè esse vbique sicut Deus, quia non est immensum. 15 *Deus non ideò immensus, quia vbique.*

Ad illud argumentum, quod includit multa de illis repugnantibus, patet ex tribus propositionibus; applico tamen sic: Esto quòd huic corpori in isto loco approximatur vnum agens, scilicet ignis, & in loco eodem aliud agens, scilicet aqua; dico quòd aut sunt æqualis virtutis in agendo, aut vnum vincit alterum. Si sunt æqualis virtutis, sicut approximata isti corpori habenti vnum *vbi*; alterum, vel vtrumque impediret alterum, ita quòd neutrum ageret, vel agerent ad quemdam effectum medium, in quo passum nec perfectè assimilaretur vni, nec alteri; sic eodem modo dico nunc, quando sunt approximata eidem corpori in diuersis locis. Si autem virtus alterius vincat, vel simpliciter assimilet sibi passum, vel magis quàm alterum; & eodem modo dico, si sint in diuersis locis: quia non est maior difficultas hîc, quàm si ignis, & aqua ponerentur simul, quod tamen non negatur posse fieri à Deo: & idem corpus approximatum igni, & aquæ habentibus idem *vbi*. Quod enim oporteret ibi dicere ad vitandum contraria in passo, hoc faciliùs, vel æquè facile vitare potest quicumque in proposito. *Duo agentia contraria applicata corpori in diuersis vbi, sic agunt, ac si esset in vno vbi.*

De fame, & saturitate, dico quòd fames est appetitus calidi, & sicci: iste autem appetitus vel est naturalis, vel voluntarius: siue ergo sic, siue sic, dicit aliquid absolutum: illud ergo non variatur propter varietatem *vbi*, ex prima propositione; & per consequens si hîc satiaretur, & cessaret appetitus cibi, cessaret etiam in eodem alibi; licèt non ex cibo sumpto ibi, sicut statim dicetur de morte. 16 *2. de Anima t. c. 28. Fames, quia absolutum quid, nõ variatur ad variationẽ loci.*

Si autem dicas saturitatem esse repletionem corporalem stomachi, tunc esset dubium, cùm non recipiat hoc vt hîc, vtrùm vt hîc esset repletus isto modo; & dico quòd non, sicut nec corpus Christi, vt in pyxide fuisset vulneratum: quia ista repletio non dicit nisi præsentiam alimenti contenti à continente, scilicet stomacho, vel ventre; & sicut possibile est, quòd continentia istud corpus hîc & ibi, sint alia, ita possibile est, quòd continentia actiua istius corporis hîc sit alia continentia eius in alio *vbi*: quia hîc nihil absolutum dicit, sed respectum extrinsecum. *Saturitas pro repletione, variatur ad variationem vbi.*

De tertio, scilicet sanitate & infirmitate, temperie, & intemperie, dico quòd vel intemperies aëris expellit temperiem in comparatione ad corpus animalis, in quod agit aër temperatus, vel intemperatus: & tunc breuiter erit tale, quale natum esset causare agens vincens, licèt fortè ageret illud remissiùs propter actionem contrarij impedientis, & resistentis. Si autem sint æqualia in agendo, passum tunc alterabitur in media proportione, *De temperie & intemperie.*

17 *Mors, & vita repugnant in diuersis vbi, contra est Suar. 3. to. d. 48. s. 6. & Conim. 4. Physic. q. 5. Sed malè, quia cõtradictio in vna seca, quæ est inter viuens & mortuũ, non tollitur per mutationem extrinsecam* vbi.

eodem modo, sicut si diceres, quòd sana aura, & infirma simul essent: quod concedis Deum posse: & idem corpus esset approximatum isti auræ, & illi simul.

Quartum, quod est de morte & vita, faciliter soluitur, quia vtrumque istorum est aliquid absolutum priuatiuum, vel positiuum, & per consequens non variatur propter variationem *vbi*, secundùm primam propositionem: si ergo moritur hîc, moritur & ibi: sed tamen non sequitur, vulneratur hîc; ergo vulneratur ibi: quia vulneratio dicit diuisionem continui, vt hîc ab aliquo hîc diuidente: sed tamen est verum, si hîc habet vulnus, quòd & alibi habet: quia sic est discontinuatio partium, quæ si ibi est in hoc corpore, & alibi in eodem.

Ad tertium principale huius Doctoris, dico quòd non oportet locatum commensurari dimensionibus loci secundùm vnum, & multa, ita quòd ad multitudinem dimensionum loci sequatur multitudo dimensionum locati: sicut nec ad plurificationem posterioris sequitur multitudo prioris, maximè de respectu extrinseco, & fundamento, sicut tactum est in arguendo contra primam opinionem.

18 *Vide D. Th. quodl. 1. art. 21. & 22. Ad argum. n. 3, posita. Quia corpus, est extra terminos digiti, non tamẽ est extra terminos animæ, quia anima informat totum corpus. Ratio formalis proxima essendi in loco est ipsa vbicatio.*

Ad rationem primam alterius Doctoris, dico quòd termini vnius possunt intelligi simul esse cum terminis alterius, vel simultatè præcisâ, & adæquatâ, vel nec præcisâ, nec adæquatâ. Si primo modo intelligatur de simultate, dico quòd maior est vera, & minor falsa. Si autem intelligatur de simultate secundo modo, scilicet non adæquatâ; tunc maior est falsa: quia non oportet illud quod est extra terminos vnius, esse extra terminos alterius: quia vniuersaliter si vnum excedit aliud, non oportet quòd illud quod est simul excedenti, sit simul excesso: verbi gratiâ, si anima secundùm terminos suos quiditatiuos (terminum enim quantitatiuum non habet) sit simul cum terminis digiti, non propter hoc sequitur, quòd quicquid est extra terminos digiti, sit extra terminos animæ.

Ad illud de Angelo, dico quòd concludit oppositum, sicut ostensum est in quarta ratione contra opinionem. Potest enim Angelus suo modo, scilicet definitiuè, esse in pluribus locis, scilicet per potentiam diuinam.

Ad aliud alterius Doctoris, dico quòd illud simile non tenet: quia natura vna est ratio formalis essendi in vna specie: sed dimensio non est ratio formalis proxima essendi in loco, sed tantùm ratio fundamentalis. Illa tamen potest esse vna, licèt respectus sint diuersi: sicut albedo potest esse vna, licèt similitudines diuersæ sint. Sed non nisi per vnam similitudinem constituitur formaliter in specie similis. Si autem species similis non possit plurificari in eodem, nec similitudo.

19 *Nouũ vbi vnâ, vel duabus mutationibus acquisibile. Vide quæst. praced. n. 9. Incompossibilitas mutationũ est ex incompossibilitate terminorũ. Qui termini mutationis incompossibiles.*

Ad aliud alterius Doctoris, dico quòd si remanet in eodem *vbi*, in quo priùs erat, potest acquirere nouum *vbi* vnicâ mutatione, & duabus mutationibus. Et si quæras, illæ mutationes, aut sunt eiusdem speciei, aut non? Detur vnum, vel alterum, non curo.

Et cùm arguis, duæ mutationes eiusdem speciei non sunt simul in eodem, dico quòd non est incompossibilitas mutationum, nisi ex incompossibilitate terminorum, vel formarum, secundùm quas sunt. Primò ergo oporteret probare incompossibilitatem duorum *vbi*, quod nego, quare non erit incompossibilitas duarum huiusmodi mutationum.

Ad aliud eiusdem Doctoris, cùm dicit quòd termini mutationis sint incompossibiles, dico quòd verum est de primis terminis, non autem de terminis concomitantibus. Intelligo autem, quòd primi termini cuiuslibet mutationis sunt priuatio, & forma, & è conuerso: concomitanter autem qui iunguntur terminis prædictis.

20 *Terminus à quo animationis, nõ est corpus organicum, sed inanimatio. Qui terminus à quo augmẽtationis, & diminutionis.*

Vniuersaliter ergo concedo, quòd priuatio, & forma sunt incompossibiles: sed concomitantia possunt esse compossibilia: verbi gratiâ, in mutationibus substantialibus, si ponatur vnica forma in animato, corpus organicum præcedit animationem, quæ est terminus *ad quem*: sed non est per se terminus *à quo* corpus organicum, sed ipsa inanimatio: quia mutatio est inter illam inanimationem, & animationem: licèt autem inanimatio, & animatio sint simul incompossibilia, non tamen corpus organicum, & animatio.

Eodem modo in corruptione, si manet eadem forma corporis, quæ priùs fuit terminus *à quo* per se, scilicet forma, cuius priuatio succedit, ille non manet: sed terminus concomitans istam, per se terminum *à quo*, manet.

Eodem modo in augmentatione, si ponatur tota quantitas præexistens manere, manet totus terminus *à quo* positiuus, qui est concomitans priuationem, quæ est per se terminus *à quo*: & è conuerso in diminutione manet quantitas positiua aliqua, quæ priùs: sed non idem per se terminus *à quo*.

Similiter in alteratione secundùm intensionem, & remissionem: & eodem modo dico de motu locali, quòd non est contradictio, quòd motus acquisitiuus sit sine deperditiuo.

Et tunc cum termino *ad quem* non manet per se terminus *à quo*, qui est priuatio, sed manet ille, terminus qui est quasi per accidens, & quasi concomitans communiter per se terminum. *Terminus à quo per accidens manet cum termino* ad quem.

Ad propositum, ponatur hîc esse tantùm motus acquisitiuus noui *vbi*, sine motu deperditiuo, & huiusmodi per se terminus *à quo* est priuatio *vbi* acquisiti: illa autem non manet cum termino *ad quem*: sed hîc nullus est terminus concomitans per se terminum *à quo*: quia talis non est, nisi vbi sunt duo motus, vel mutationes concomitantes; & per se terminus vnius est per accidens terminus alterius.

## COMMENTARIVS.

19 *Controuersia de oppositis prædicatis, circa subiectum in diuersis locis.*

*Prima sententia. Recipere prædicationē oppositorum.*

a ET *pro istis soluendis pono tres propositiones*, &c. Ex occasione vltimi argumenti quæritur, an in diuersis locis positum subiectum possit habere oppositum? intelligitur autem de oppositione contradictoria, priuatiua & contraria, quæ est subiectum vltimi præmissi argumenti.

Prima sententia est, non solùm de potentia absoluta, sed etiam ordinaria ex natura rei posse idem corpus positum in duobus locis habere prædicata contradictoria, aut priuatiuè opposita. Hanc docent Nominales: Maior *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 4. Ocham *quæst.* 4. citatur etiam Alensis 4. *p. quæst.* 44. *m.* 7.

*Secunda sententia concedit de potentia absoluta.*

Secunda sententia est de potentia ordinaria, talia prædicata contraria, si sint qualitates naturales non posse inesse corpori in diuersis locis, & non posse habere contradictorium, aut priuatiuum harum: de potentia tamen absoluta posse habere eas in vno loco, & contradictorium, aut priuatiuum in altero; modò illæ qualitates, seu proprietates sint separabiles ex natura rei à corpore: ita Gabriel *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *art.* 2. *& in can. lect.* 46. Soto *quæst.* 1. *art.* 5. Marsilius *in* 4. *quæst.* 7. Suarez *disput.* 48. *sect.* 8. *concluſ.* 1. *&* 2. *& concluſ.* 3. dicit concomitantiam proprietatum accidentalium, quæ producuntur in vno ad corpus in alio loco existens fore dependere ex voluntate Dei.

Gabriel. Soto. Marsilius. Suarez.

20 *Prima cōclusio. Quæ non dependent à loco, necessariò insunt.*

*Prima conclusio Doctoris: Quidquid conuenit corpori independenter ab vbi, aut prius naturaliter ipso vbi, necessariò inest vbicunque est corpus*; ita vt de potentia absoluta nequeat eius contradictorium, aut priuatiuum simul alibi inesse: est Doctoris, quem etiam sequitur in hoc Vasquez *suprà cap.* 4.

*Quænam illa?*

Hæc prædicata non dependentia à loco, & priora ipso naturaliter sunt, omnia prædicata absoluta tam substantialia, quàm quantitatis in ordine ad se consideratæ, quàm qualitatis, quatenus præcisè habent rationem formæ in subiecto: ideò nequit idem corpus esse viuens, & mortuum in diuersis locis; album, & non album; idem homo in peccato, & non peccato; cæcus, & videns; vulneratus, & non vulneratus, & his opposita.

*Probatio conclusionis.*

Probatur ex regulis contradictionis, quia alioquin simul inesse possunt contradictoria de potentia Dei absoluta. Dices, non habere oppositionem ad idem in diuersis locis positum, quia non opponuntur secundùm idem. Contrà, illa opponuntur secundùm idē, quæ opponūtur secundùm idem subiectum, & reliqua omnia eadem secundùm quæ insunt: sed hîc est idem subiectum, quia supponitur idem corpus, quamuis sit in diuersis locis, manere idem, neque est alia ratio, nisi quia ad *esse* corporis non facit locus, quod posterius est accidentaliter adueniens; ad *esse* materiæ non facit forma; ideò eadē manere potest sub diuersis formis sine diuersitate sui à se idem subiectum sub affirmatione, & negatione accidentali: neque alia ratio in vniuersum assignari potest præter præmissam.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Sed quantitas est prior loco, quia est fundamentum, & causa eius; qualitas similiter, quia mutato loco nihil variatur in suo *esse* absoluto, quod manet idem in diuersis locis; & sic de reliquis: alioquin benè sequeretur hæc consequentia: Petrus mutauit locum, ergo quantitatem & qualitatem: sequeretur etiam, quòd vltima superficies cœli non esset quanta, quia non est in loco; neque corpus in vacuo retineret sua accidentia absoluta; quod chimæricum est dicere, quia hæc non desinunt per sui corruptionem posito contrario, aut sublato aliquo per se requisito ad eorum *esse*, quod nequit esse locus, à quo nullo modo dependent, sicut neque prius à posteriori.

21 *Quantitas est prior loco, & alia*, &c.

Ex quibus sequitur rationem esse horum in subiecto; & sic de aliis, quæ non dependent à loco, non esse locum: ergo etiam neque priuationis: aut negationis oppositæ, & consequenter abstrahunt hæc à loco, vt enuntiantur de subiecto: ergo alterum eorum necessariò inest; scilicet, aut affirmatio, aut negatio; non obstante mutatione loci.

22 *Secunda ratio.*

Secundò principaliter probatur: quidquid est concomitanter sub speciebus, verbi gratia anima sub speciebus corporis fundatur in connexione naturali, seu vnione eius ad corpus, vt est in modo suo naturali existendi, vt definit Tridentinum, non in voluntate Dei, ad quam in proposito non recurrit Concilium: ergo vnio animæ ad corpus abstrahit ab hoc, vel illo loco; ita vt impossibile sit corpus esse animatum, quin vbique sit animatum vbicumque est. Ex Trident.

*Responsio. Impugnatur.*

Dices, esse verum de potentia ordinaria, non absoluta. Contrà, positio corporis Christi sub speciebus, seu in diuersis locis, nō respicit potentiam ordinariam, sed absolutam, & supernaturalem; sed hoc non obstante, anima sequitur ad corpus sub speciebus ex natura rei, & connexione naturali: peto in quo fundatur hæc connexio? non in alia, nisi quia nequit corpus esse animatum, & non animatum simul: ergo: & reducitur ad illud primum principium, quodlibet est, vel non est, inquantùm verificatur de corpore Christi, quod est animatum sub speciebus, quia est animatum in suo modo existendi naturali: sicut prædicaretur de ipso, quòd esset mortuum in triduo, si fieret consecratio, quia erat mortuum in suo modo naturali existendi; sic etiam de vnione hypostatica sequitur, quòd sub speciebus eam retineat, quia in suo modo naturali existendi eandem habet ex eodem principio.

Sed quæcumque contraria deducta ex principio primo per se noto est æternæ, & necessariæ veritatis, sicut & ipsum principium, quia con-

*Propoſitio æterna veritatis, & neceſſaria.*

nexio terminorum non fundatur in aliquo extrinſeco, ſed in ordine intrinſeco, & neceſſario eorum ad ſe inuicem: ſicut patet in omnibus principiis immediatis habentibus veritatem ex terminis, & in concluſionibus per ſe ſequentibus ex illis, quæ etiam antecedenter ad omnem actum diuinæ voluntatis ſunt veræ: ergo idem dicendum in propoſito.

*Confirmatur. Forma in ſubiecto tollit priuationem abſolutè.*

Confirmatur, cauſa formalis in ſubiecto neceſſario habet ſuum effectum: ergo anima poſita in corpore, neceſſariò illud viuificat, quia actuat ipſum ſecundùm omnem eius capacitatem: ergo repugnat corpus eſſe ſub priuatione, ſeu in potentia ad animam, quia tota eius potentia eſt in actu completo: ſed ex poſitione corporis in alio loco non variatur eius eſſentia: ergo neque proprietas ſubſequens, quæ eſt capacitas illa: ergo vbicumque ponitur, illa erit, & conſequenter nequit ſimul eſſe in potentia, aut ſub priuatione animæ; ſicut neque in eodem loco neque in diuerſis.

23 *Reſponſio formæ contrarias ſimul ineſſe poſſe. Impugnatio.*

Dices, ſecundùm aliquos de potentia abſoluta poſſe poni duas formas, etiam oppoſitas in eodem ſubiecto; ac proinde formam cadaueris poni in corpore poſſe in vno, animam in altero loco. Contrà, licèt falſa ſit illa doctrina: tamen eâ datâ, imaginariè ad propoſitum applicatur, quia ita tenentes docent in vno eodémque loco poſſe duabus formis informari. Sed dato caſu, nemo dicit, quòd ſimul cum altera ineſt priuatio alterius formæ, quæ ineſt, nec quidem ineſſe poteſt per diuinam omnipotentiam: ergo etiam nullibi ineſſe poteſt, quia immediatè opponitur circa ſubiectum abſolutè ſumptum, ſicut ſic ſumptum dicit capacitatem ad formam, non vt in hoc, aut illo loco.

*Subiectū oppoſitionis priuatiuæ.*

*Confirmatio. Cur proprietas eſt inſeparabilis à ſubiecto?*

Confirmatur ad hominē, peto quare proprietas inſeparabilis à corpore ineſt ipſi vbicumque eſt, niſi quia ineſſe eius abſtrahit ab hoc, vel illo loco, éſtque prior loco independens ab ipſo; ac propterea quod eſt idem abſolutè alicui, vbique eſt idem; aliàs ſequerentur contradictoria, contra primum principium, nempe eſſe idem, & non eſſe idem: ſed ſic etiam conuenit corpori quæcumque alia forma abſtrahens à loco (vt quantitas, quæ eſt prior loco anima, &c.) independenter, & ſecundùm aliquid prius loco, quia hæ formæ, vt inſint corpori, nihil aliud requirunt præter capacitatem in ipſo & vnionem: & quamuis ab agente nequeant produci in ſubiecto, niſi ſecundùm determinatam diſtantiam ob limitatam virtutem agendi; tamen, dum inſunt, manent independenter à loco, eóque mutato; ſicut etiam ſine dependentia ab agente particulari, quod in agendo limitatur ad locum: ergo eadem ratio, quæ concludit proprietates identificatas eſſe in corpore vbicumque ſit. Probat ſimiliter de aliis abſtrahentibus à loco: aliàs dicam ſimiliter, quòd illæ proprietates in vno loco ſint eædem, in alio diuerſæ; imò & ipſum corpus in vno eſſe idem, in alio diuerſum, quia eadem ratio currit: vel ergo concludit vniuerſaliter per viam contradictionis de omnibus abſtrahentibus à loco, vel de nullo.

*Comparatur forma abſoluta ad ſubiectum ſicut proprietates.*

Nec refert dicere, quòd quædam ſint ſimpliciter ſeparabiles à corpore, quia licèt id verum ſit, dum tamen inſunt, neceſſariò inſunt; vt per diuinam potentiam non ineſſe non poſſint, quamdiu inſunt: neque ſeparabilitas eorum fundatur in diuerſitate loci, ſed in diuerſa exiſtentia; & æquè ſeparabiles ſunt à corpore in vno loco poſito; cùm hoc tamen repugnet, quamdiu inſunt, eas non ineſſe: idem ergo erit, ſi ponatur in diuerſis locis, quia id extrinſecum eſt, & impertinens ad effectum, & *eſſe* ipſarum: & oppoſitum aſſerere, eſt illudere imaginariè primo principio.

24 *Secunda concluſio. De formis quæ dependent à loco etiam concomitanter. Dependentes à loco. Concomitantes.*

*Secunda concluſio Doctoris*; quæcumque conueniunt corpori dependenter ad *vbi*, vel etiam concomitanter, poſito in diuerſis locis corpore, poſſunt variari, & variantur de facto, dependentia ad locum ſunt reſpectus præſentiæ formalis, indiſtantia, ſeu contiguitas, ſitus; vt eſſe ſurſum, aut deorſum, ſedere, ſtare, motus localis, & eiuſmodi: & illa ſunt concomitantia ad *vbi*, actio ſiue tranſiens à virtute actiua corporis in paſſum ſibi applicatum in vno loco, quod non applicatur in altero, ſiue paſſio recepta ab agente applicato in vno, & non altero loco.

*Quomodo cōcomitans.*

Dicuntur hæc concomitanter ad *vbi* determinatum, quia licèt actio, & paſſio dependeant à virtute actiua & paſſiua tantùm, vt à principiis per ſe, in ordine ad quæ definiuntur; vt actio quæ eſt relatio tranſmutantis, vel actus actiuorum, vt ab his, ſi ſumatur pro re acta; vt definitur motus à Philoſopho *eſſe actum entis in potentia*, &c. tamen quia in agente limitato, eſt determinata ſphæra agendi; ideò requiritur determinata applicatio eius ad paſſum, quæ contingere poteſt in vno loco, & non in altero. Dicitur autem hæc concomitans ad determinatum locum, quia virtus actiua, licèt exigat determinatam præſentiam, tamen non in hoc loco magis, quàm in altero; & ſic actio eius erit concomitans ad præſentiam paſſi in hoc loco; & non poſterior naturaliter, quia ab ipſo non dependet determinatè, etiam vt à conditione. Secludimus hîc opinionem eorum, qui dicunt actionem indiuiduari per circumſtantias loci, temporis, &c.

3. Phyſic.

25 *Probatio concluſionis quoad vtramque partem.*

His poſitis, probatur concluſio quoad primum ex iiſdem principiis, quia variato, ſeu multiplicato priori eſſentialiter, multiplicatur poſterius; *vbi* ſe habet vt prius ad illa, quæ ab ipſo dependent: ergo, &c. Patet etiam ſecunda pars concluſionis, quia licèt actio, & paſſio non dependeant determinatè ab hoc loco, tamen concomitanter ſe habent hîc, & nunc ad ipſum, quia ex applicatione actiui, & paſſiui ſequuntur hîc, & nunc in hoc determinato loco, & deficiente eâdem applicatione alibi non ſequuntur.

Aduertendum tamen, quòd licèt actio, & paſſio conueniant corpori in determinato loco, terminus tamen actionis, & paſſionis, ſi ſint forma abſoluta, ſequetur ad corpus vbicumque erit, quia illæ formæ nullum dicunt ordinem ad locum, niſi tantùm in *fieri* ob dependentiam agentis ad applicationem, quæ contingit in determinato loco: in *facto* autem *eſſe*, ſicut neque ab agente, ſic neque à loco dependent, quia ceſſat actio agentis particularis, & formæ ſub ratione abſoluta reſpiciunt ſubiectum vbicumque ſit, illud actuando: ſi autem terminus actionis dependeat à loco, aliud erit. Ex quibus patet ſecunda, & tertia propoſitio Doctoris in litera poſitæ.

26 *Contradictiones ſoluuntur apparentes.*

Ex his ſoluuntur multæ contradictiones imaginariæ, quæ huc adduci poſſunt, quia in vno loco poſſet ſedere, in altero ſtare; in vno quieſcere, in altero moueri; in vno frigefieri, in altero calefieri; in altero eſſe ſatur, in altero famere; in firmari, & ſanus eſſe: ad quæ vniuerſim patet ſolutio ex dictis.

Quando actio, & terminus dependent à loco, verifican

verificantur de subiecto in illo loco tantùm, in alio verò eorum negatio: quando actio dependet à loco, aut concomitanter se habet ad locum, terminus autem non ita: actio in illo tantùm prædicantur de subiecto; in altero verò negatio eius; terminus autem absolutè vbicumque est corpus: sic potest comedere, & traiicere cibos in stomachum in vno, sed digestio, & augmentatio sequens erit vbique: potest cædi, & vulnerari in vno, sed vulnus sequens, & cicatrix etiam erit in altero: potest ex infectione aëris in vno infirmari, in altero autem corrumpetur sanitas, & erit infirmus vbique. Quando causæ oppositæ eidem applicarentur in diuersis locis, vt calidum & frigidum: idem iudicium ferendum, ac si applicarentur in eodem loco, quia actio sequetur fortius agens: motus etiam contrarij possunt inesse simul, qui dependent à loco, vt lapidem moueri sursum violenter, deorsum naturaliter: non tamen motus contrarij ad formas, non dependentes à loco, quando sunt contrarij, vt ad frigidum, & calidum, ad vitam & mortem, ad augmentationem, & minorationem, seu decrementum.

27 *Soluitur arg. Ledesmæ.* Hinc soluitur argumentum Ledesmæ applicando singula singulis: quidquid enim abstrahit à loco, seu quoad dependentiam, seu per concomitantiam, si inest vbique inest: si non abstrahit contrarium accidit.

*Argumentum Vasquez.* Patet etiam ad argumentum Vasquez contra præsentiam modo naturali in duobus locis: *Quia lapis*, inquit, *ponitur in centro quiescens naturaliter, & in alio loco sursum supra trabem, amotâ trabe mouebitur à grauitate sua ad centrum, & per eandem etiam grauitatem quiesceret in centro: ergo mouebitur, & quiesceret simul naturaliter.*

*Responsio.* Hæc ratio nulla est, peto quis locus horum conueniat lapidi virtute naturali, quis supernaturaliter? & an vterque supernaturaliter? si locus ille supernatrabe tunc amotâ trabe, vel conseruatur ibi, vel non; si non, non acquirit aliũ locũ, sed simpliciter desinet conseruari ille primus locus eius, & sic non mouebitur ad locum centri, quem nunc habet, ad quem amplius non est in potentia: sicut corpus Christi desinens corruptis speciebus sacramentaliter non acquirit alium locum. Demus etiam moueri ad loca intermedia nihil refert, quia non est in motu, & quiete respectu eiusdem loci, sed diuersorum: si vterque locus sit supernaturaliter, desinet in eo, qui non conseruatur, & non acquirit alium, vel si acquirat, etiam mouetur ad diuersum, non ad eundem locum: si ad eundem, cessat motus, quando peruenitur ad superficiem extremam eiusdem loci. Motus enim erit ad loca intermedia, non ad centrum, quod possidet, & respectu cuius non est in potentia: quia motus est actus entis in potentia secundùm quòd in potentia, non entis in actu.

Obiicit Suarez primò, quia præsentia localis naturalis est in corpore Christi in cœlo, & non in Sacramento; præsentia verò substantialis sub speciebus in Sacramento: sed eadem est ratio de quantitate, & qualitate, & aliis: ergo possunt esse in corpore in vno loco absque eo, quòd insint in altero. Respondetur hoc esse inutile argumentum: quia non repugnantia, aut repugnantia fundatur non in eo, quòd hæc, aut illa distinguantur à subiecto realiter: sed quia alia immediatè opponuntur circa subiectum absolutè, & sine ordine ad locum, quia ab ipso abstrahunt. Alia dependent à loco tanquam à priore, ideóque eo mutato, & multiplicato, mutantur, & multiplicantur. 28 *Responsio ad argumentum Suarez.*

Vrget etiam exemplum de corpore posito in diuersis temporibus, in quibus habet diuersas præsentias: ad hoc responsum est. Ex his patet quid sequatur ad corpus Christi, quatenus est sub speciebus, & quænam in ipso sunt, vt est tam hîc, quàm alibi, siue secundùm naturalem præsentiam, siue secundùm sacramentalem: nam ea, quæ abstrahunt à loco, eadem sunt, vbicumque est, in ipso: quæ verò dependent à loco, diuersa sunt secundùm diuersitatem loci. *Secundò obiicit Suarez.*

## SCHOLIVM.

*Soluit argumenta, quæ ipse fecit in fauorem aduersariorum, num. 4. explicat quid fieret si cibus esset in duobus locis, & à duobus sumeretur. Item, quid si duo ignes applicarentur ligno posito in duobus locis. Item, quid si animal hîc esset sine alimento, & alibi abundè comederet. Item, quid de igne replicato, & applicato sic multis combustibilibus.*

Ad rationes [a] per me appositas, ad primam dico, quòd per illam posset probari, quòd duo corpora naturaliter possunt esse simul: quia agens naturale non intendit corpus vnum expellere, nisi inducat aliud corpus: si ergo non esset repugnantia duo corpora esse simul, tunc mouendo hoc corpus ad istud *vbi*, non expelleretur aliud corpus; & sic natura posset facere duo corpora simul: quia ergo concludit manifestum inconueniens, dico, quòd aliqua sunt repugnantia respectu virtutis creatæ, & limitatæ, super quorum simultatem non potest creata virtus actiua, quæ tamen non sunt simpliciter incompossibilia. 21 *Aliqua repugnant respectu virtutis creatæ, quæ simpliciter repugnant.*

Exemplum, Virginem parere ita est naturæ creatæ impossibile facere, sicut duo corpora in eodem loco, & vnum corpus in diuersis, super quæ non potest virtus creata simul: quæ tamen non includunt contradictionem simpliciter, vt visum est, ideò sunt possibilia Deo.

Ad secundum, dico, quòd potest concedi, quòd si illa materia corporis locati in duobus locis transmutatur à duobus agentibus ad duas formas, non esset nouum miraculum: sed tantùm per antiquum miraculum esset proportionata ad recipiendum actiones illorum agentium. 22

Dico tamen aliter, quòd ſi idem ponatur eſſe in duobus locis, non ſequitur, quòd eadem materia duabus formis informetur ſimul ſubſtantialibus, neque eiuſdem ſpeciei, neque alterius. Eodem quidem modo poteſt argui de hoc, & de alio, ſi agentia ponantur eiuſdem ſpeciei, vel alterius.

*Idem dicẽdum de alimento replicato ſumpto à duobus, & de non replicato à duobus ſumpto.*

Ad exemplum de alimento, dico, quòd idem fieret de alimento ſumpto à diuerſis in diuerſis *vbi*, quod fieret, ſi illi duo ſtomachi fierent in eodem loco, & cibus ille eſſet in vtroque. Tunc enim, aut totaliter virtus vna vinceret aliam, & totum conuerteret in ſuum corpus: vel eſſent virtutes æquales, & tunc æqualiter conuerterent de alimento, hæc in ſuum corpus, & illa in ſuum: vel eſſent inæquales, non tamen vna omnino vinceret, & tunc fortior plus conuerteret in ſuum corpus, & alia debilior minus conuerteret. Eodem modo, ſicut haberes dicere ibi de ſtomachis animalium ſimul exiſtentibus, & cibo recepto in vtroque: ita dico hîc iuxta illam propoſitionem ſecundam *ſuprà* poſitam.

*Si duo ſtomachi penetrarent ſe, quid fieret de cibo in ipſis recepto?*

Per illud ad aliud de ignibus approximatis vni ligno in diuerſis *vbi*, etiam dico, quòd haberes idem dicere, ſi duo ignes per potentiam Dei eſſent ſimul, & approximati illi ligno.

Et ſi quæras quid eſſet dicendum, nónne tunc oporteret, quòd lignum conuerteretur in ignem, vel in quem, & à quo? non enim magis ab vno, quàm ab alio, quia ſunt æquales; non in vnum, quia duo ſunt agentia, & totalia: non autem poſſunt eſſe duæ cauſæ totales eiuſdem effectus.

23

*Lignum in duobus locis, cui applicarentur duo ignes, in quem ipſorum, & à quo conuerteretur.*

Dico, quòd vel eundem ignem generarent perfectiorem, & ſic eſſet effectus diuiſibilis ſecundùm perfectionem, ſi forma ſubſtantialis poteſt habere partem, & partem, ſicut diceretur de calore. Si verò generarent, eundem effectum indiuiſibilem omnino generarent, tamen eo modo efficiendi, quo neuter illorum poſſet eſſe cauſa totalis effectus: quia poſt ita breuem alterationem, quæ non ſufficeret ad ignitionem ab altero iſtorum præcisè agente, & tunc iſta propoſitio eſt vera, quòd duæ cauſæ totales totaliter cauſantes non poſſunt eſſe eiuſdem effectus.

*Animal hîc ſine nutrimento nutritur, alimento alibi ab eo ſũpto.*

Ad aliud dico, quòd animal exiſtens in aliquo *vbi* ſine nutrimento, nutriretur ibidem, dum tamen idem animal ſuſciperet alimentum conueniens in alio *vbi*: quia etſi motus localis nutrimenti ad ſtomachum non ſit idem hîc, qui ibi, (nec mirum, quia ex quo *vbi* eſt aliud, & motus localis ad *vbi* poteſt eſſe alius) tamen conuerſio nutrimenti in ſubſtantiam alendi, eſt eadem hîc, & ibi: quia illa conuerſio eſt generatio partis ſubſtantiæ iſtius nutriti: & tota ſubſtantia nutrita, & quælibet pars prior eſt ipſo *vbi*: nec ergo variabitur ad variationem eius, ſcilicet *vbi*.

*Quid ſi animal replicatum, vtrobique reciperet alimentum.*

Et cùm additur, ſi vtrobique haberet alimentum ſufficiens, in duplo nutriretur. Dico, quòd vel vtrobique ſuſciperet totum illud alimentum, & per conſequens ſuperflueret, quia eius medietas ſufficeret ad nutritionem eius: vel in vno loco ſuſciperet partem, & in alio aliam, & vtrobique ſufficienter nutriretur. Patet ex prædictis.

24

*De igne replicato.*

Ad illud de modico igne, quòd combureret omnia combuſtibilia. Dico per propoſitionem tertiam, quia ſi ponatur ignis in vno loco, & multa combuſtibilia ſibi habenti illud *vbi* tantùm approximata, quod dicerem tunc de igne reſpectu illorum, ſic dico nunc, quia vel in aliquod illorum ageret præcisè, vel ſi in quodlibet, eſto quòd omnia eſſent ſimul, ageret tamen valde remiſsè in ea. Eodem modo dico in propoſito, quòd actio erit remiſſa in quodlibet iſtorum reſpectu actionis, quam haberet in vnum illorum, ſi in nullum aliud ageret. Nec mirum, quia virtus naturalis minor eſt in plura, quàm in pauciora, & in multa, quàm in vnum.

*Hæc argumenta non poſuit ſuprà.*

Ad illud de diuerſa figuratione: dico quòd licèt figuratio videatur, eſſe qualitas: tamen conſequitur ipſum *vbi*. Ad [b] aliud de toto, & parte, dico, quòd pars extra totum nihil habet, quod non habet in toto: illa enim actualitas, quæ attribuitur parti extra totum, & non in toto, non eſt niſi præciſio.

Sed [c] contrà, quia continuitas eſt forma abſoluta, & per conſequens prior eſt ipſo *vbi*: ergo non poteſt eſſe idem corpus in loco iſto continuum, & alibi non continuum, & per conſequens nec hîc pars, & ibi non pars, eo modo quo continuatum alteri dicitur pars. Reſponſionem quære.

ADDITIO.

*Aliqui dicũ Scotum reliquiſſe hanc replicam inſolutam, quia vult, vt concludat.*

*Dici poteſt, quòd duplex eſt figura, quædam eſt forma abſoluta, & iſta eſt de genere Qualitatis forma, vel circa aliquid conſtans figura: & ita non ſequitur* vbi. *Alia eſt figura, quæ eſt ſituatio partium in loco, & in continente, & iſta eſt forma reſpectiua conſequens ipſum* vbi, *& ſic procedit argumentum. De hoc tamen diſtinctione duodecima quæſt. quarta reſpondendo ad quæſt. ibi. ſed de figuratione alia, & alia videtur, &c.*

COMMEN

## COMMENTARIVS.

29 a *Ad rationes per me appositas*, &c. Doctrina huius paragraphi iam præmissa est, sicut & resolutio argumentorum: vltimum verò argumentum, ad quod respondet, de diuersitate figuræ, non præmisit superiùs in eo ordine, quo hîc resoluit. Cæterùm illud vrget Henricus in secunda ratione adducta pro negatiua, versu, *Et si instetur*: vbi de discontinuatione membrorum per vulnus agit, ex qua sequitur mutatio figuræ, quæ materialiter dicit ipsam quantitatem continuam, formaliter respectum partium continui ad se inuicem, vel terminorum includentium partes, vt infrà dicit *dist.* 12. *quæst.* 4. *respondendo ad quæstionem, v. Sed de figuratione alia, & alia*, &c. Huc autem de proposito transfert solutionem illius secundi argumenti Henrici, vbi positis tribus illis maximis, seu propositionibus, respondet ad omnia argumenta, quæ petûtur ex prædicatis oppositis circa idem corpus in diuersis locis positum. Respondet, quòd figuratio sequitur ad ipsum *vbi*, intelligit de figuratione impropriè dicta, quæ denotat situm diuersum partium in ordine ad se inuicem, vel terminorum includentium partes in ordine ad locum, & posterior ipso, alia quæ est qualitas quartæ speciei, est loco prior: saluandum ergo vniuersaliter dictum, quòd figura est posterior *vbi* vero, vel imaginario: quod magis concordat principiis Doctoris, & hîc, & in præcedentibus, & sequentibus quæstionibus, vbi dicit extensionem nihil superaddere quantitati, quàm respectum extrinsecus aduenientem: figura autem nihil addit nisi respectum partium, secundùm diuersam dimensionem in ordine ad diuersos terminos includentes partes, vel econtrà terminorum ad ipsas partes, verbi gratiâ, triangulus respectum secundùm tres angulos includentes extensionem, secundùm tres lineas rectas, & terminatas in ipsis angulis, in quibus coëunt ad inuicem, tanquam in termino communi terminante ipsam extensionem secundùm hanc, & illam lineam rectam. Extensio ergo partium est situs, & ordo partium in toto, quatenus vna est extra aliam in ordine ad locum verum, vel imaginarium; prior est figura, quæ est terminus talis extensionis, secundùm hoc, vel illos terminos ipsius, scilicet lineam rectam, vel obliquam, & consistit in ordine ad extrinsecum: quia in situ, & ordine ipsorum *vbi* circumscribentium: & hic est sensus Doctoris. Si tamen comparetur figura ad locum verum, & realem, cuius latera facit distare locatum, & cuius terminus est figura aliqua, vel hæc, vel illa, est prior tali loco, & præsentia in ipso.

*Ordo mutatus.*

*Quid sit figura?*

*Ratio mutati ordinem.*

*Responsio Doctoris.*

*Figuræ sequitur ad ipsum vbi.*

*Secunda responsio.*

*Figuram sequi ad vbi verum, vel imaginarium.*

Quòd si obiicias in fluidis sumi figuram ab ipso loco, verbi gratiâ, à vase, quia talis est figura aquæ, qualis vasis ambientis, quia hoc quod est quantum solidum non cedit fluido: non refert, quia etiam priùs aqua ex natura sua fluit in figuram vasis, quàm sit præsens ipsi vasi præsentia vbicali, alioquin non impleret totum vas.

b *Ad aliud de toto, & parte*, &c. Hoc argumentum etiam tangit Henricus *suprà*, nempe, quòd corpus esset vulneratum in vno loco, seu discontinuum, in alio verò continuum: ergo haberet pars aliam actualitatem in vno, aliam in altero. 30

*Continuatio, & discontinuatio.*

Respondet, quòd pars non habet actualitatem in toto, quam non habet extra totum: intelligit de actualitate existentiæ, & essentiæ, seu intrinseca, quacunque alia adueniente extrinsecus, quia manus verbi gratiâ in toto animatur, non autem extra totum.

Veritas dicti patet, quia pars habet rationem prioris, & causæ ad totum quod constituit: ergo non recipit actualitatem à toto, sed communicat loquendo de ipsa præcisè quà pars, vt pars comparatur ad totum: benè ergo infert illam actualitatem, quæ tribuitur parti extra totum corpus quantum, quod componit, esse præcisionem, aut diuisionem, quâ separatâ, manet eadem, destructâ continuatione in sua entitate.

*Pars est causa totius.*

c *Sed contrà*, &c. Vrget quòd continuitas sit forma absoluta, & prior *vbi*: ergo nequit corpus in vno loco esse continuum, in alio non continuum: ergo neque hîc pars, ibi non pars, supple actu constituens. Huius solutionem remittit ad aliâs dicta, & patet ex prima propositione: concedenda nempe est consequentia, quia licèt vulneratio ipsa, seu discontinuitas, vt est in motu, actione, seu *fieri*, potest esse in vno loco, & non in alio, tamen in *facto esse*, erit vbicumque est corpus, sicut de aliis accidentibus absolutis dictum est: benè ergo dicit in antecedente continuitatem esse formam absolutam, quia nempe est forma, quantitatem continuam constituens, vt distinguitur à discreta: quantitas autem sic sumpta est aliquid absolutum. 31

*Continuatur pars vbique, vel separatur.*

## SCHOLIVM.

*Soluit argumenta in initio posita, explicando subtilissimè graues, & curiosas obiectiones, vt note in margine, & sanè ita totam hanc quæstionem tractauit, vt humano ingenio melius tractari non potuerit. Et ideò ex eo recentiores tam hîc, quàm in 4. Physic. ferè omnia, quæ de hac re differunt, deprompserunt.*

Dico a ad argumenta principalia. Ad primum dico, quòd multi concedunt relationes oppositas posse esse simul in eodem, dicentes idem, & secundùm idem esse principium agendi, & patiendi. Sed ad propositum, non oportet incidere in istam difficultatem. Nullus enim negat, quin relationes oppositæ possint inesse eidem secundùm diuersa fundamenta, vtpote quia secundùm aliquid sit maius, & secundùm aliud minus: & hoc, vel respectu sui, vel alterius. *Vbi* autem in toto corpore, aliud & aliud est posterius, & anterius, superius, & inferius: vnde mediante illo *vbi*, tanquam fundamento alio, & alio, non est inconueniens corpus habens *vbi* superius, & inferius esse superius, & inferius. Nec mireris respectum 25

*Vide quæst. sequente, & infrà art. 2. q. 3. expressè ad hoc. Quomodo relationes oppositæ cõueniant eidẽ.*

*De charactere q. 2. idem habet in primo dist. 19. q. 1. & 1. d. 2. q. 5. & in hoc 4. dist. 11. q. 1.*

reſpectum ſuperioris,& inferioris fundari in *vbi*, licèt *vbi* ſit reſpectus,quia poteſt benè vnus reſpectus fundari in alio reſpectu,vt tactum eſt *ſuprà*.

*Propinquũ, & diſtans quomodo cõueniũt eidẽ? Ad 3.*

Ad aliud dico,quòd relationes contrariæ in genere benè poſſunt ineſſe eidem ſecundùm diuerſa fundamenta: ſicut idem poteſt eſſe ſimile alicui ſecundùm albedinem, & diſſimile eidem ſecundùm ſcientiam:propinquum autem,& diſtans fundantur in corpore vbicato,quia ipſum *vbi* eius eſt propinquum, & diſtans : ergo ſi aliud eſt *vbi* propinquum,& diſtans, poſſunt eidem corpori conuenire, ſicut conueniunt duobus *vbi*, quæ conueniunt illi corpori,& ſunt fundamenta propinquitatis,& diſtantiæ.

*Quomodo idem temporale poteſt, & non poteſt eſſe in diuerſis tẽporibus?*

Ad tertium dico,quòd ſicut idem temporale non poteſt eſſe ſimul ſecundùm tempus, id eſt,eâdem temporalitate, vt ita dicam, in diuerſis temporibus, ſic nec idem locabile poteſt eſſe ſimul ſecundùm locum in duobus locis. Si autem accipias in antecedente *ſimul*,ſecundùm tempus, & in conſequente *ſimul* ſecundùm locum, valet conſequentia, vel proportio:quia ita debet ſimultas temporis comparari ad tempus idem circa temporale,ſicut ſimultas loci ad eundem locum circa locabile. Concedo ergo, quòd vnicâ locatione,quod eſt dicere,eſſe ſimul ſecundùm locum, non poteſt eſſe idem locabile ſimul in duobus locis.

Poteſt autem hæc ratio duci ad partem oppoſitam, licèt ſophiſticè, ſic : idem locabile ſimul, id eſt, in eodem loco exiſtens, poteſt eſſe in diuerſis temporibus : ergo & ſimul tempore poteſt eſſe in diuerſis locis. Soluant iſtud ſophiſma, & ſoluent argumentum ſuum, ſi fortè reputent, quòd habeat euidentiam.

26

*Ad 4. Corpus ſimul moueri poſſe, & quieſcere.*

Ad aliud, quòd idem moueretur ſimul,& quieſceret : dico ſecundùm primam propoſitionem illarum trium,quòd cùm moueri,vel quieſcere ſecundùm locum,ſit ſimul cum *vbi*,vel poſteriùs;ideò variatur ad variationem *vbi*:& ita poterit in vno *vbi* quieſcere localiter, & in alio *vbi* moueri. Quia quieſcere hîc localiter nihil aliud eſt quàm habere continuè idem *vbi*,quod priùs : & ibi moueri nihil aliud eſt,quàm habere aliud, & aliud *vbi*. Sicut autem eſt poſſibile, quòd idem corpus habeat hîc permanenter *vbi* vnum, & aliud ibi:ſic poſſibile eſt,quòd permanenter habeat hîc vnum *vbi*, & alibi plura ſucceſſiuè. Eodem modo dicendum eſt de partibus totius, ſi fiant inſtantiæ, quia poſſibile eſt, quòd hîc omnes partes totius quieſcant in toto, & ibi aliquæ moueantur, vt manus, vel pes:quia omnia iſta conſequuntur *vbi*, puta hoc,& illud.

*Homo in duobus vbi, an poteſt accedere ad ſeipſum, & an ſe expellet,an exercitus ex ſolo illo conflari poſſet.*

Et ſi arguas,ergo vt eſt in vno *vbi* poſſet moueri ad ſeipſum, vt eſt in alio *vbi*,& ita accederet ad illud *vbi*,in quo iam eſt:& tunc, vel expelleret ſeipſum de alio *vbi*, ad quod accedit, & tunc eſſet incompoſſibile ſibi ipſi ſecundùm *vbi*, ſicut aliud corpus: vel non expelleret,& tunc deſineret habere illud *vbi* virtute propriâ, accipiens tantùm illud *vbi* quieſcentis. Vel faceret ſe vt habens aliud *vbi* cum ſeipſo,& ita quaſi duo corpora ſimul. Similiter ſi eſſet animatum,poſſet ſe ipſum mouere pellendo,vel trahendo,&poſſet idem homo habens mille *vbi* facere choreas,& maximum exercitum in campo, & multa alia, quæ videntur mira,& iterum loqui & tacere,& diſputare cum ſeipſo.

Dico,quòd hæc ſunt puerilia,& imaginationem ſenſui innitentem ſequentia.Si enim quæratur ratio eorum, de quibus arguitur,nulla eſt difficultas maior, quòd corpus moueatur ad illud *vbi*, in quo quieſcit, quàm ad aliud *vbi*. Et tunc cùm peruenerit ad illud *vbi*, dico, quòd idem corpus expellet ſe de illo *vbi*, in quo quieuit; niſi fortè illa virtus agens,per quam habuit aliud *vbi*, deſinat conſeruare ipſum,vt aliud vbicatum : & tunc non habebit,niſi tantùm *vbi*, quod habuit priùs quieſcens : ſed priùs non habebat illud, vt terminum ſui motus;imò deſinet ſecundùm *vbi*, quod habebat in motu : habere autem quodcunque *vbi*,ſiue vt in motu, ſiue in termino motus,nihil facit ad variationem, vel multitudinem abſolutorum, quæ ſunt in re.

27

*Homo in diuerſis vbi, an poſſit ſecum diſputare,fabulari, choreas ducere.*

Per hoc patet de chorea,& bello, confabulatione, & diſputatione cum ſeipſo,quia ſi *loqui* dicat actum imaginationis,vel intellectus, ille quidem vbique eſt idem vbicunque fuerit loquens;ſi autem non eſt,niſi formatio vocis per inſtrumenta naturalia in aëre percuſſo,& quidem alius erit aër contiguus organis vocalibus in iſto *vbi*,& alius in alio *vbi*: & eſto quòd idem aër ſit,moueri tamen poterit hîc localiter aër,& ibi non : & ſic in iſto formabitur vox,& in illo non : & in illo loquetur,& in iſto tacebit : & in iſto tenebit tenorem,& in iſto quintam, & ille attrahet aërem extra aquam exiſtens, & idem exiſtens in aqua non poterit attrahere:ſed non ſubmergeretur hîc, quia alibi habet aërem attractum refrigerantem ipſum.

Ita etiam concedo,quòd vt in vno *vbi* poterit mouere corpus ſuum, vt eſt in alio *vbi*, pellendo, vel trahendo : quia propter identitatem corporis non aufertur ratio mobilis, nec motiui áb ipſo.

Et

Et si arguitur sic,si mouetur, ergo non quiescit: si quiescit, ergo non mouetur: ergo si simul mouetur,& quiescit,simul mouetur,& non mouetur,simul quiescit, & non quiescit. Respondeo,in respectiuis oppositis non sequitur absoluta affirmatio,& negatio, sed tantùm secundùm *quid*;sicut non sequitur, est similis, & dissimilis:ergo est similis,& non similis. Nam antecedentia verificantur, si intelligantur respectu diuersorum. Si enim est similis huic,est similis:& si est dissimilis illi,est dissimilis:sicut Philosophus arguit in prædicamentis *capite de quantitate*,quòd si aliquid est magnum,ad hoc est magnum,& si paruum,ad illud est paruum. Et ex hoc infert,quòd *magnum*,& *paruum*, non sunt contraria, quod non teneret, nisi magnum ad hoc inferret magnum, & paruum ad hoc inferret paruum. Eodem modo hîc quiescere in hoc *vbi* infert quiescere, & moueri in hoc *vbi* infert moueri: tamen illæ affirmationes non inferunt illas negationes, puta quiescere, non moueri, moueri,non quiescere: imò est fallacia consequentis:quia antecedens verificatur in respectu ad vnum terminum, & consequens negatiuum negat respectu cuiuscumque. 28

*In oppositis respectiuis, absoluta affirmatio, & negatio,non sequitur.*

*Hîc quiescere,non infert non moueri absolutè.*

Ad vltimum argumentum,dico quòd omnis actus immanens, qui inesset isti corpori in hoc *vbi*,inesset sibi in quocunque *vbi*, licèt non inficret sibi, vt in isto *vbi*: & de hoc dicetur in secundo articulo *istius dist.quæst.*2. Sed nunquid sanguis,vel spiritus,vel similia,quæ non sunt de veritate naturæ humanæ,essent eadem hîc,& ibi,soluetur vbi dictum est nunc,scilicet *articulo* 2.*quæst.*1.*huius dist.*quæ tamen erat in ordine *quæst.*4.

## COMMENTARIVS.

32 *Responsio ad argumenta principalia.*

a Dico *ad argumenta principalia*, &c. Hîc respondet ad argumenta principalia ad initium quæstionis proposita. Ad primum,& secundum docet quomodo relationes oppositæ ex genere,& specie possunt inesse eidem respectiuè ad diuersos terminos, vel secundùm diuersa fundamenta. Ad tertium, quomodo sumatur proportio inter tempus,& temporaneum, & inter locum,& locatum; quantùm ad simultatem. Ad quartum, quomodo idem potest moueri, & quiescere simul in diuersis locis; de quo dictum est *suprà*:& sic de *loqui*,& *tacere*,& huiusmodi, quæ dependent à loco,& tradit maximam, nempe in respectiuis oppositis,non sequi absolutam affirmationem,& negationem,sed tantùm secundùm *quid* cum limitatione ad diuersa:vt patet ex Philosopho, *cap.De quantitate*. Ad vltimum, quòd actus immanens esset in constituto in diuersis locis, vt visio, & huiusmodi, quamuis non inficret, id est non produceretur in ipso in *fieri*, & actione in omnibus locis, sed in vno determinatè, terminus tamen esset in ipso alibi, per regulam positam in prima propositione. Quæstionem hanc copiosissimè tractauit hactenus Doctor, ita vt cæteri ex eius abundantia acceperint: licèt in aliquibus discordent quantùm ad resolutionem.

---

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm corpus Christi possit esse simul in cœlo, & in Eucharistia?*

Alens. D. Thom. D. Bonau. Rich. *& omnes citati pro q. praced.*

AD tertium sic proceditur,& arguitur, quòd corpus Christi non potest simul esse in cœlo, & in Eucharistia. Primò per illud Augustini,& ponitur *de consec. distinct.*2. prima hæresis. *Corpus Christi sursum est, & in vno loco esse oportet.* 1

Secundò sic,quia formalis ratio essendi in loco est quantitas,secundùm Philosophum 4. *Physic. cap.de Vacuo*: sed non potest aliquid plurificari non plurificatâ eius formali ratione: ergo quantitate corporis Christi existente vnâ, non potest ipsum esse, nisi in loco vno.

Tertiò sic,quæcunque vni,& eidem sunt eadem,sunt inter se eadem:ergo quæcunque vni,& eidem sunt simul,inter se sunt simul:ergo si corpus esset hîc,& ibi,tunc illud,quod esset hîc cum eo, & illud, quod alibi est cum eo,essent simul:sed consequens est falsum: quia alterum potest esse Romæ,alterum Parisiis: ergo,&c.

Quartò sic,quod distat ab aliquo,est aliud ab eo, quia nihil distat à seipso: sed corpus Christi,si esset in Eucharistia, distaret à seipso in cœlo:ergo esset aliud & aliud. Probatio maioris, quia distantia includit discontinuitatem: vnitas autem quantitatis continuæ est continuitas: ergo distantia repugnat illi vnitati, & per consequens ponit pluralitatem.

Quintò sic,quia posset tunc simul moueri, & quiescere: quia corpus Christi in cœlo quiesceret,

quieſceret,in Euchariſtia autem moueretur ad motum Euchariſtiæ,ſecundùm illud Philoſophi: *Motis nobis mouentur omnia,quæ ſunt in nobis.*

Oppoſitum patet, quia corpus Chriſti eſt in cœlo, ſecundùm illud Auguſtini: *Donec finiatur ſæculum,ſurſum eſt Dominus:*& ponitur *de conſec.diſt.2. prima hæreſis:*& eſt verè in Euchariſtia,vt tactum eſt 1. *q. huius diſtinctionis.*

## SCHOLIVM.

*Suppoſitâ fide de reali præſentia corporis Chriſti ſub ſpeciebus ſacris, refert ſent. D.Thom.dicentis id tantùm eſſe poſsibile per conuerſionẽ alterius in ipſum,& repugnare corpus Chriſti manens in cœlo alibi localiter poni.Vtramque partem refutat Scotus,reſoluens corpus Chriſti manens in cœlo,ponibile eſſe alibi,ſine conuerſione, & etiam localiter. Vide ſuprà q.1.à n.5.ad illud axioma,quæ ſunt eadem vni tertio,&c. Vide Scot.1.d.2.p.2.q.1.n.47. quòd verò corpus Chriſti ſit in cœlo,habetur ex Trid.ſſ.15.c.1.ex Aug.de conſec.d.2.cap.prima hæreſis.*

2 *D. Thom. hic q.1. ſol. 1.arg.*

Concluſio [a] eſt certa cuilibet fideli, vt oſtenſum eſt 1.*quæſt.huius diſt.* ſed vnus modus ponendi eſt talis, ſcilicet, quòd per conuerſionem alterius in ipſum, poteſt illud corpus eſſe alibi, quàm in loco ſuo naturali: quia vbi præfuit conuerſum, ibi eſt illud, in quo conuerſum eſt,non localiter,ſed ſacramentaliter: & hoc modo, ſcilicet ſacramentaliter, corpus Chriſti poteſt eſſe alibi,& in pluribus locis: non autem localiter,nec dimenſiuè: quia localiter eſſe includeret contradictionem, ſicut poſitæ ſunt rationes eorum in præcedenti quæſtione:ſacramentaliter autem non includit contradictionem:quia ipſum non eſt ibi ſecundùm leges loci,ſed tantùm illud,ſub quo eſt ſacramentaliter.

*q. 1. huius diſt.n.5. Nec cõuerſio, nec ſpecies ſunt ratio corpori eſſendi hîc.*

Sed contra, hæc argumenta tacta ſunt aliqua in præcedenti quæſtione, improbando iſtam concluſionem communem. Manifeſtum enim videtur, quòd conuerſio non eſt formalis ratio corpori eſſendi hîc,nec vt præſens,quia ipſa tranſeunte manet corpus hîc: nec vt eſt præterita, quia tunc non poſſet Deus facere corpus ſuum non eſſe hîc, ſicut nec conuerſionem præteritam non eſſe præteritam: nec etiam illud, quod vocatur Sacramentum,ſcilicet ſpecies, ſunt ratio formalis corpori eſſendi hîc:quia non ſunt formaliter in corpore Chriſti,nec per eas aliquid ineſt formaliter corpori Chriſti.

3 *Faciliùs eſt ponere corpus alicubi cum ſuo modo naturali, quàm ſine eo:in primo vnum,in ſecundo duo miracula interueniũt. Non magis repugnat corpus Chriſti eſſe cum ſubſtantia panis,quàm cum quantitate eius.*

Ex hoc arguitur,Deus poteſt facere in creatura aliquid ſine eo,quod non eſt ſibi formalis ratio eſſendi,nec aliquo modo de eſſentia eius: ſed nec conuerſio, nec Sacramentum eſt formalis ratio corpori eſſendi hîc, nec aliquo modo de eſſentia eius: ergo Deus poteſt facere corpus eſſe hîc ſine vtroque iſtorum.

Item, non eſt maior repugnantia, corpus Chriſti eſſe ſimul cum ſubſtantia panis, quàm cum quantitate eius: quia non magis ſubſtantia repugnat ſubſtantiæ, quàm ſubſtantia quantitati quoad talem ſimultatem: ſed corpore Chriſti exiſtente in cœlo poteſt Deus facere idem corpus ſimul cum quantitate panis ſecundùm omnes: ergo poteſt facere idem ſimul cum ſubſtantia panis quanta, & per conſequens ſine conuerſione. Hoc quantùm ad primum duorum,quæ tacta ſunt.

Si etiam illa ſubſtantia panis quanta ponatur Sacramentum, adhuc contra eos: quia, ſicut ſuprà oſtenſum eſt, faciliùs eſt facere corpus eſſe alicubi cum modo ſuo naturali, quàm ſine: ſed cum ſubſtantia panis quanta poteſt Deus facere corpus ſuum modo ſacramentali,id eſt,non naturali: ergo, & modo naturali.

4 *Reſolutio Doctoris. Corpus Chriſti manẽs in cœlo, poni poſſe alibi ſacramẽtaliter ſine cõuerſione, ac etiam localiter, ſeu quãtitatiuè, ita omnes DD. citati pro q. præc.*

Et ſi dicas ad primam rationem, quòd relatio non poteſt fieri ſine proprio termino, ſicut nec ſine fundamento: proprius autem terminus iſtius præſentiæ eſt aliquod Sacramentum,id eſt,aliquod ſenſibile replens locum,cum quo,vel ſub quo corpus Chriſti eſt, non localiter. Contrà,non magis impoſſibile videtur corpus Chriſti eſſe cum illo, quàm cum iſto:ergo non magis repugnat eſſe cum ſubſtantia panis, quàm cum quantitate, vt dictum eſt, & ſic de quocumque alio à ſe,& tunc vltrà. Si poteſt autem eſſe alibi, quàm vbi eſt ſub modo non naturali ſibi:ergo & ſub naturali,hoc contra ſecundum.

Dico ergo, quòd ponendo conuerſionem in propoſito, de qua dicetur *diſt.*11. & ponendo, quòd hîc ſit aliquod ſignum ſenſibile continens verè corpus Chriſti hîc præſens, quod ſenſibile dicatur Sacramentum, quod quidem verum eſt, ſcilicet corpus Chriſti de facto, hoc eſt, poſt conſecrationem, vel conuerſionem, & ſub Sacramento: non tamen ſic, quin poſſet eſſe non per conuerſionem, nec ſub Sacramento, loquendo de quocumque ſenſibili determinato, non video, ſicut argutum eſt in quæſtione præcedenti.

Et fortè illi,qui negant Deum poſſe facere corpus ſuum in pluribus locis,aliter quàm

per

per conuerſionem ſub Sacramento: negarent etiam hoc, niſi quia fides dicit hoc. De modo autem iſto eſſendi, ſcilicet non quantitatiuè, vel non dimenſiuè, vel localiter, non video, ſi poteſt fieri idem in pluribus locis non ſub modo naturali, quin etiam poſſit fieri modo naturali: cùm in primo ſint duo miracula, in ſecundo tantùm vnum, vt *ſuprà* oſtenſum eſt. In primo quidem ſunt duo miracula, vnum ſcilicet in cauſando præſentiam corporis hîc: & aliud in ſeparando ipſum à ſuo modo naturali. Sic ergo poteſt eſſe modo naturali, ſicut ſub Sacramento.

Ad primum in contrarium dico, quòd Auguſtinus ſic intelligit, oportet, id eſt, oportunum eſt, id eſt, congruum eſt illud corpus glorioſum habitare in illo regno præparato glorioſis: ſed non oportet, id eſt, non ſimpliciter eſt neceſſarium. Poteſt enim aliquando etiam localiter Chriſtus non eſſe ibi, mouendo ſe de illo loco: & multò fortiùs poteſt eſſe alibi, & ſacramentaliter, & localiter per diuinam actionem abſolutè abſque deperditione illius *vbi* in cœlo: ſicut modò tenemus illud corpus præſens eſſe in Euchariſtia non localiter. 5 *Ad arg.* 1.

Ad ſecundum dico, quòd formalis ratio poteſt intelligi dupliciter: primò propriè pro ratione formali proxima: ſecundò pro remota: largè ſumendo rationem formalem pro ratione fundamentali remota; ſicut calor dicitur formalis ratio agendi, & albedo fundamentaliter dicitur ratio formalis eſſendi ſimile pro tanto, ſcilicet quòd calor eſt principium, quo agens agit, & albedo ſimilitudinis: ſimilitudo autem eſt ratio formalis propinqua ſimilis. *Ad* 2. *Calor quomodo ratio formalis agendi?*

Loquendo ergo de prima ratione, poteſt concedi, quòd ſine plurificatione eius, non plurificatur illud, cuius eſt ratio formalis: ſed ratione formali ſecundo modo falſum eſt: quia idem poteſt eſſe principium agendi proximum reſpectu multarum actionum, & idem fundamentum proximum reſpectu multarum relationum. Quantitas autem non eſt formalis ratio eſſendi in loco primo modo, ſed ſecundo modo: quia eſt proximum fundamentum illius reſpectus: & ex hoc ſequitur propoſitum, ſcilicet quòd ſuper idem fundamentum poſſunt fundari plures reſpectus, maximè extrinſecus aduenientes. *Quantitas quomodo eſt ratio formalis eſſendi in loco?*

Ad tertium dico, quòd prima propoſitio falſa eſt, niſi intelligendo de vniformi vnitate illius tertij in ſe, & illorum, quæ concluduntur eſſe vnum ex vnitate illius: quia aliàs, ſi eſt minor vnitas illius tertij in ſe, non poteſt concludi maior vnitas aliorum inter ſe per vnitatem illorum in tertio. Eodem modo de *ſimul*, quia niſi illud tertium, cum quo alia ſunt ſimul, ſit limitatum ſecundùm illam vnitatem, ſecundùm quam ipſa ſunt ſimul cum illo tertio; non ſequitur ſimultas eorum inter ſe: nec qui Pariſiis ſimul eſt cum eo, erit ſimul cum illo, qui cum eodem tertio eſt Romæ, ſi illud tertium ſit illimitatum. Vnde non ſequitur, ego ſum ſimul cum æternitate, & anima Antichriſti ſimiliter: ergo anima hæc, & ego ſimul ſumus: quia æternitas eſt immenſa, & illimitata quantùm ad actualem præſentiam. Ad propoſitum dico, quòd illud, quod ſimul eſt in duobus locis illimitatum eſt, licèt non virtute propriâ, ſed virtute Dei agentis quantùm ad *vbi*: & ideò quæ ſunt ſimul cum ſic illimitato, non oportet, quòd ſint ſimul inter ſe. 6 *Ad* 3.

Ad quartum de diſcontinuatione, dico, quòd accipiendo diſtantiam pro diſtantia locali, maior eſt falſa. Ad probationem dico, quòd aliquid non eſt idem ſibi, quia continuum ſibi: ſed veriori vnitate, quia continuitas eſt vnitas partis ad partem in toto: ſed vnitas totius ad ſeipſum eſt vera identitas. Dico ergo, quòd etſi totum vt diſtans non continuetur ſibi ipſi, vt diſtantis tamen in vtroque termino diſtantiæ eſt verè idem habens eandem continuitatem partium in toto. Et cùm dicitur, quòd vnitas totius continui eſt continuitas eius, verum eſt, vnitas, vt eſt ex partibus: ſed identitas eius ad ſeipſum non eſt continuitas eiuſdem totius ad ſeipſum, eo modo quo pars eſt continua parti. 7 *Ad* 4.

Ad quintum patebit in ſecundo articulo *iſtius diſt. art.* 2. *quæſt.* 2. quæ tamen in ordine erit *quæſt.* 6. *concluſione* 6. *Ad* 5.

Circa ſecundum principale quæro tria. Primò, vtrùm corpori Chriſti naturaliter exiſtenti, & eidem ſacramentaliter exiſtenti, neceſſariò inſint eædem partes, & proprietates? Secundò, vtrùm quælibet actio immanens, quæ eſt in Chriſto naturaliter exiſtenti, eadem inſit ſibi, vt in Euchariſtia ſacramentaliter exiſtenti? Tertiò, vtrùm corpori Chriſti, vt in Euchariſtia exiſtenti, poſſit ineſſe aliquis motus corporalis?

1 *Concluſio fidei.*

a *Concluſio eſt certa*, &c. Statuit concluſionem, quæ eſt de fide, vt *in commento quæſt.* cum ipſo probatum eſt. Impugnat fundamentum D. Thomæ, qui refert poſſibilitatem exiſtendi Chriſti ſub ſpeciebus in ſolam conuerſionem.

*Ratio D. Th.* Hoc, inquam, impugnat Doctor hîc ad ſcopum quæſtionis præſentis: *ſuprà* verò *quæſt.* 1. idem fundamentum impugnauit, quatenus ex illo fundamento inferebatur nullam eſſe mutationem in corpore Chriſti, vt ſit ſub ſpeciebus; & inquàtùm etiam præſentia ſacramentalis infertur ex natura conuerſionis, in genere termini *à quo* in terminum *ad quem*. Hîc autem eandem rationem impugnat inquantùm ad eam limitatur poſſibilitas ponendi corporis ſub ſpeciebus, ſiue indiuiſibiliter, ſiue quantitatiuè, atque adeò in alia materia, nempe, vt applicatur ad diuerſam concluſionem.

2 *Impugnatur prædicta ratio.*

Impugnat autem ſic, quia Deus poteſt facere in creatura aliquid ſine eo, quod non eſt ratio formalis eſſendi, nec aliquo modo de eius eſſentia, ſed neque conuerſio, neque Sacramentum, id eſt, ſpecies ſeparata eſt ratio formalis corpori eſſendi hîc, nec aliquo modo de eſſentia eius: ergo Deus poteſt facere ipſum corpus præſens hîc ſine conuerſione ſubſtantiæ panis in ipſum, & ſine ſeparatione ſpecierum: poteſt ergo facere corpus præſens manente ſubſtantiâ panis.

*Deus poteſt facere corpus præſens ſine conuerſione.*

*Conuerſio nõ eſt ratio formalis eſſendi in loco.*

Minor probatur, quia neque conuerſio vt præſens eſt ratio eſſendi, quia tranſeunte conuerſione manet Chriſtus præſens, neque etiam vt præterita, quia Deus nequit facere quin præterita, vt præterita ſint præterita; poteſt autem deſtruere præſentiam ſacramentalem. Patet minor etiam quoad alterum membrum, quia ſpecies non ſunt in corpore Chriſti; ſed ſunt terminus ſuæ præſentiæ: ergo non ſunt modus formalis eſſendi corpori.

Si dicas præſentiam ſacramentalem corporis exigere terminum, qui ſunt ſpecies. Contrà vrget, quia ſicut præſentia illa de facto ſaluatur in ordine ad ſpecies, ſic etiam ſaluaretur in ordine ad ſubſtantiam panis quantam, ſeclusa conuerſione. Non eſt enim maior repugnantia corpus Chriſti eſſe ſimul cum ſubſtantia panis, quàm cum quantitate panis, vt probat ſecunda ratione. Probat etiam corpus Chriſti poſſe eſſe præſens modo quantitatiuo, tam ſpeciebus, quàm ſubſtantiæ panis, ſine vlla repugnantia: ſed de his ſufficienter actum eſt in præcedentibus.

3 *Solutio argumentorum Auguſtin.*

Hæc autem quæſtio magis mouetur, vt ſoluantur argumenta ad oppoſitum. Primum eſt ex authoritate Auguſtini, quæ ponitur dict. 2. prima hæreſis, *Corpus Chriſti ſurſum eſt, & in illo loco eſſe apertet*: ergo tantùm eſt in cœlo. Reſpondetur negando conſequentiam, circa quæ nihil occurrit, quod aliàs non fuerit dictum.

*Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe.*

In reſponſione ad tertium dicit, quòd vnitas extremorum inter ſe ratione tertij non poſſit concludi maior, quàm ſit vnitas ipſius tertij: de hoc vide ipſum *in prima diſt.* 2. *part.* 2. *quæſt.* 1. vbi diſputatur, an illud axioma: *Quecunque ſunt eadem vni tertio, ſint eadem inter ſe*, &c. verificetur in diuinis, & benè dicit Doctor verificari, ſed cum illa limitatione, quam hîc adiungit, nempe eo modo, quo ſunt vnum in tertio, vel ipſum vnitate tertij; vnde tres perſonæ vnitate Deitatis, & eſſentiæ ſunt vnum realiter inter ſe, id eſt, in eſſentia; nec licet inde inferre eſſe vnas inter ſe vnitate ſuppoſiti, quia hanc non habent ab eſſentia, vt ad eam comparantur, ſed ſolùm eſſentialem: ſic extrema nequeunt aliter ad ſe inuicem referri in concluſione, quàm vt in præmiſſis referuntur ad medium: quia veritas concluſionis eſt mediata, & ratione medij conueniens: vnde ſi medium per ſe vniretur alteri extremo, per accidens alteri, hinc non habetur vnio extremorum in concluſione aliter quàm per accidens, talis, qualis eſt vnitas alterius extremi, quod per accidens tantùm vnitur medio. Vnde in demonſtratione à priori licèt definitio, quæ eſt medium per ſe, primo modo prædicetur de ſubiecto; tamen paſſio in concluſione non prædicatur de ipſo, niſi in ſecundo modo, quia ſic tantùm prædicatur in præmiſſis de medio, ſeu definitione.

*vnio extremorum talis eſt inter ſe qualis cũ medio.*

Hinc etiam habetur illud vulgare axioma quòd *concluſio ſequatur debiliorem partem ſuæ cauſæ*: quando enim plures cauſæ per ſe concurrunt ad effectum communem, actualitas, ſeu perfectio vnius non eſt nata ſupplere defectum alterius; loquendo in cauſis particularibus, ac proinde in effectu communi redundat defectus ex cauſæ imperfectione. Ratio autem horum eſt, quia effectus non excedit perfectionem ſuæ cauſæ: vnde ſi concluderetur maior vnitas extremorum ad inuicem, quàm ſit vnitas eorum ad medium, ſeu medij ad ipſa extrema exceſſus in effectu, id eſt, vnitate ad ſe inuicem, non ſupponeret cauſam, & ſequerentur contradictoria, nempe, eſſe vna, & non eſſe propter medium: primum ſequeretur, quia nullam aliam habent cauſam ſuæ vnitatis: ſecundum ſequeretur, quia exceſſus vnitatis conſtituit ſpeciem diſtinctam vnitatis, quæ non continetur in cauſa, vel ſecundùm, vel prout influit *eſſe*, & vnitatem in extrema.

4 *Concluſio ſequitur debiliorem partem.*

*Ratio huius.*

Ex hoc vlteriùs declarat, quòd ea, quæ ſunt ſimul cum tertio, ſint ſimul inter ſe: quæ ratio intelligitur tantùm de iis, quæ ſunt ſimul cum tertio adæquatè; non verò ſecundùm *quid*, vel ſecundùm partem, quia ex eo quòd ſuperficies ex vna parte ſit ſimul cum locato, non ſequitur, quòd ſit ſimul cum altera ſuperficie diſtante, quamuis hæc ſit ſimul cum locato; quantùm eſt ex parte ipſius ſuperficiei: intelligitur ergo in loco, & locato, quæ ſe adæquant: ſed quando locatum eſt illuminatum, non ſequitur etiam in his. Ratio eſt iam aſſignata, quia ſicut neque vna ſuperficies loci adæquat totum locatum, licèt ipſa quantùm eſt ex parte ſuperficiei, ſit ſimul cum locato: ita quando locatum eſt in pluribus locis vnus locus non adæquat locatum: vnde non ſequitur quòd locus, qui eſt ſimul cum ipſo in determinata diſtantia, & ſitu, ſit ſimul cum ipſo in alia differentia diſtantiæ, & ſitus: ſicut non ſequitur, anima eſt cum pede ſimul in eodem loco, & eadem anima eſt cum capite ſimul: ergo pes, & caput ſunt ſimul; anima eſt illimitata, illimitatum autem æquiualet pluribus determinatis.

5 *Simultas ad locatum quid infert inter extrema.*

*Locatum illimitatũ æquiualet pluribus.*

Dat etiam exemplum Doctor in æternitate, quæ eſt tota ſimul cum diuerſis partibus temporum,

rum, inde non tollitur ipsas partes esse simul: quod autem in tempore facit successio, ne partes eius simul esse possint, hoc in locis facit distantia per spatium intermedium, ita vt simul esse non possint localiter, quamuis idem corpus possit esse in distantibus locis ex illimitatione sui ad locum determinatum, vt subest diuinæ omnipotentiæ.

*Vnitas aliter cõparata ad totum, & partes diuersam tribuit appellationẽ.*

6 *Responsio ad quartum.* In responsione ad quartum docet vnitatem per continuitatem conuenire partibus in toto vt comparantur ad se inuicem; vnitatem autem totius non esse continuitatis, quia non continuatur alteri, sed esse identitatis. Ex hoc fortè nonnulli Doctores nostræ scholæ distinguunt realiter totum continuum à suis partibus vnitis, sed textus id non continet, neque etiam contrarium: quamuis verum sit quòd vnitas per se totius, vt ipsi primò conuenit, non sit vnitas partium sub denominatione continuitatis, quæ limitatio concernit modum vnitatis partium ad se inuicem in toto; tamen si hoc totum non est aliud à partibus vnitis realiter, vnitas formalis integra partium est vnitas eius, non sub illa denominatione, quæ materialis est, & respicit partes; sed sub ratione qua ipsi primò competit, & connotat negationem continuitatis eius ad aliud quantum, & terminum suæ extensionis: & sic rectè dicitur potiùs identitas quàm continuitas.

*An totũ continuũ distinguatur realiter à partibus.*

Si dicatur etiam quòd distinguitur realiter hoc totum à partibus, per me licet; quia non est huius loci disputare de hac quæstione. Ad quintum vt iacet in forma responsum est aliàs; sed in specie, vt tangit mysterium præsens, remittit solutionem eius in quæstionem sextam in ordine.

b *Circa secundum principale*, &c. Hanc distinctionem diuisit in tres articulos principales, quorum primus declararet possibilitatem mysterij, prout iam in præmissis tribus quæstionibus declarauit: secundus est, qui agit de iis, quæ insunt corpori Christi in Eucharistia: de quibus agit in tribus sequentibus uæ stionibus.

7 *Secundum membrũ huius distinctionis.*

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm corpori Christi naturaliter existenti, & eidem sacramentaliter existenti insint eædem partes, & proprietates?*

Alens.4.*p.q.*40.*m.*3.*art.*4.5. D. Bonau.*hic p.*1.*art.*1.*q.*2. Richad.*art.*1.*q.*2. D.Thom.*q.*3.*art.*2.*&* 3.*p.q.*76. *art.*4. Suarez *ibi disp.*51.*sect.*2.*&* 4. *& disp.*48.*sect.*5. Sotus *hic q.*1.*art.*2.*&* 5.

AD primum sic proceditur, & arguitur quòd non. Primò, quia nihil potest esse, vbi priùs non fuit, nisi aliquid conuertatur in ipsum: sed in Eucharistia nihil conuertitur in proprietates corpori Christi: ergo ibi non sunt. Probatio maioris, quia quod incipit esse vbi priùs non fuit, hoc est per aliquam mutationem: sed non est mutatio in eo, quod incipit ibi esse, quia manet vbi priùs fuit: ergo est in aliquo alio, cui, vel in cuius *vbi*, incipit ipsum esse præsens; hoc non est, nisi per conuersionem. Minor patet, quia sola substantia hîc conuertitur in substantiam: ergo non in passiones. 1 *Argum.*1.

Secundò sic, sanguis non est in Eucharistia sacramentaliter, nisi post consecrationem vini: ergo non est sub hostia; tum quia aliter poneretur ibi frustrà contineri, scilicet sub specie vini: tum quia nihil incipit esse simpliciter postquam iam est simpliciter: ergo nec incipit esse sacramentaliter, postquam est sacramentaliter: sed sanguis sacramentaliter incipit esse sub specie vini, cuius consecratio sequitur consecrationem corporis: ergo non est hîc sacramentaliter sub specie panis: & tamen est ibi corpus: ergo vt est sub hostia tantùm, non habet sanguinem, quem habet in cœlo. *Argum.*2. **Aliàs sanguis non est, nisi semel in Eucharistia, quæ est vnum Sacramentum.*

Tertiò sic, quantitas non potest esse simul cum quantitate: quia est repugnantia formalis hîc respectu *vbi*: sicut contrariorum respectu eiusdem subiecti, quæ nullo modo possunt esse simul, quia secundùm Philosophum 4. *Metaphysic.* Ad contraria simul esse vera, sequitur contradictoria simul esse vera: ergo quantitas corporis Christi, quæ est proprietas eius, non potest esse in eo, vt est sub hostia. *Argum.*3. *Text.* 9. *&* 27.

Hoc etiam patet, quia quantitas, vnde quantitas, non potest esse simul cum quantitate continente, quin sit ibi localiter: quia posito fundamento, & termino proprio, necessariò sequitur relatio media: fundamentum proprium circumscriptionis passiuæ est quantum, proprius terminus eius est continens: hîc autem non est quantitas circumscriptiuè, patet: ergo nullo modo est ibi. 2 *Argum.*4.

Quintò sic, sicut in operibus naturæ non debet poni pluralitas sine necessitate, sequendo rationem naturalem: ita nec in creditis est ponenda pluralitas, quæ non sequitur per necessariam deductionem ex creditis: sed tota veritas Eucharistiæ potest saluari non ponendo hîc, nisi solam substantiam corporis Christi. Probatio minoris, quia corpus potest esse sine anima, cùm sit materia susceptiua eius, & ita potentia contradictionis ad animam: & etiam sine anima habet rationem cibi spiritualis. *Argum.*5.

Item, poteſt eſſe ſine proprietatibus, quia priùs naturaliter poteſt eſſe ſine poſterioti: ergo ſine contradictione poſſet hîc fieri ſola ſubſtantia corporis Chriſti nuda ſub ſpeciebus illis, ſed ſic eſſet res ſufficiens Sacramenti, quia ſignum effectus vltimi, ſcilicet nutritionis ſpiritualis: ergo, &c.

*Ratiò opp. Innoc.* Contrà, Magiſter *diſt. 11. in fin.* & idem dicit Innocentius de officio Miſſæ parte 3. *cap. 10. Tale corpus dedit Chriſtus diſcipulis ſuis, quale habuit:* ergo eadem qualitas inſuit corpori Chriſti in Euchariſtia, quæ inſuit eidem in exiſtentia naturali.

## SCHOLIVM.

*Corpus Chriſti, vt eſt compoſitum ex materia & forma corporeitatis, eſſe terminum primum tranſubſtantiationis, & non includere animam, vel accidentia, & illud tantùm ex vi verborum poni ſub ſpeciebus, de quo diſt. ſeq. quæſt. 3. & videtur Trident. ſeſſ. 13. c. 3. ita docere, quatenus ait non poni animam ex vi verborum, poni tamen corpus.*

3 Hîc duo ſunt videnda. Primò de ſuppoſito: ſecundò de quæſito. Supponitur enim corpus Chriſti modo duplici exiſtere, in cœlo ſuo modo naturali, & in Euchariſtia modo ſacramentali; vtrumque eſt ſatis manifeſtum. Primum per illud Auguſt. *de conſecrat. diſt. 2. prima hæreſis. Donec*, inquit, *finiatur ſæculum, ſurſum eſt Dominus.* Secundum per ea quæ prædicta ſunt, *quæſt. 1. huius diſt.*

Sed dubium eſt de corpore, vt eſt in Euchariſtia, quæ ſunt illa, quæ continet tanquam partes? Dico, quòd non continet animam, nec accidentia. Hoc eſt poſſibile, accipiendo corpus pro primo perfectibili ipſius animæ: quia non eſt contradictio corpus illud eſſe ſine anima, & ſine accidentibus. Hoc etiam congruum eſt, quia ſpecies iſtæ repræſentant alimentum: ergo ſubſtantiam, & non accidentia. Hoc etiam factum eſt, quoniam ſi in triduo Euchariſtia conſecrata fuiſſet, fuiſſet ibi vera res Euchariſtiæ: & tamen non fuiſſet ibi anima, ſicut dicetur in fine huius ſolutionis. Corpus etiam hoc modo non continet ſanguinem: quia ſanguis non eſt animatus; & per conſequens nec aliqua pars primi animati. Poſſibile eſt etiam ex parte Sacramenti, quia alterius eſſentialiter poteſt eſſe aliud ſignum: corpus autem ſumptum dicto modo differt eſſentialiter ab anima, & ab aliis, vt ſanguine, & huiuſmodi: ergo poteſt habere aliud ſignum ad placitum.

Et hoc probatur à minori; quia poteſt habere non idem ſignum naturale: ſunt enim duo conceptus iſtorum eſſentialiter diſtincti, qui conceptus ſunt ſigna rerum naturaliter, *primo Perihermenias*: ſanguis autem eſt eſſentialiter aliud à corpore, vt eſt primum perfectibile ab anima: ergo eius poteſt non eſſe idem ſignum, quod eſt ſanguinis. *Cap. 1.*

Hoc etiam probatur factum, quia poſſibile fuit totum ſanguinem fuiſſe ſeparatum à corpore Chriſti in morte: & tamen ſi tunc fuiſſet Euchariſtia conſecrata, fuiſſet res eadem, quæ & modò. Poſſibile eſt etiam, quòd magna pars ſanguinis ſit effuſa; & tamen tota res eadem manſiſſet ſub ſpecie panis.

Hoc ergo tenendum eſt, quòd corpus Chriſti, vt eſt primum ſignatum ſpeciei panis, & contentum, non includit animam, nec accidentia, nec ſanguinem.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Hîc duo ſunt videnda*, &c. Hîc ſupponit veritatem, nempe corpus Chriſti Domini habere de facto duplicem modum eſſendi, naturalem in cœlo, ſacramentalem in Euchariſtia: & moto dubio reſoluit breuiter, quid per ſe eſt ſub ſpecie corporis, quid verò per naturalem concomitantiam. Dicit ergo corpus per ſe eſſe primò ſub ſpeciebus; animam verò, & ſanguinem, & accidentia concomitanter tantùm, non verò per ſe primò: quæ eſt doctrina Tridentin. *ſeſſ. 13. cap. 3.* diſcuſſionem huius doctrinæ meliùs in ſequentem diſtinctionem referimus *quæſt. 3.* *Per ſe contentum, & concomitanter.*

## SCHOLIVM.

*Explicato ſenſu quæſtionis, ponit duo dicta. Primum, poteſt corpus habere partes, & proprietates ſub modo naturali, & non ſub modo ſacramentali; quia hic modus poſt iudicium non perſeuerabit. Secundum, poteſt habere partes & proprietates ſub modo ſacramentali, & non ſub naturali, quia ille modus non dependet neceſſariò ſimpliciter ab iſto. Quod latè probat, inferens hinc duo corollaria. Primum, potuiſſe inſtitui Euchariſtiam ante Incarnationem. Sumit hanc*

*pro-*

*pro formatione ex vtero Virginis, vt patet ex ſolut. argumentorum, non de corpore vnito Deo. Secundum, manere poſſe, licèt modus exiſtentiæ naturalis corporis deſineret. Ita omnes Scotiſtæ, Gabr. lect. 47. in can. Suar. ſuprà.*

De[a] quæſito primo videndus eſt intellectus quæſtionis. Non enim quæritur hîc de neceſſitate extremi vnius, vel alterius in exiſtendo, neque de neceſſitate habendi partes, vel proprietates abſolutè: ſed quæritur de neceſſitate concomitantiæ, vel conſequentiæ, ſcilicet an corpori Chriſti exiſtenti modo dicto inſint aliquæ partes, vel proprietates, vel neceſſariò ſequantur, vel concomitentur, quòd eædem inſint, quæ ſibi inſunt exiſtenti modo naturali? & hoc poteſt intelligi dupliciter. Primò, vtrùm per ly *neceſſariò* importetur neceſſitas ſimpliciter, & abſoluta, vel tantùm ſecundùm *quid*? ſcilicet quòd ex poſitione antecedentis ſimpliciter neceſſariò ſequatur conſequens: vel quòd ſequatur ſecundùm *quid*, ſiue ex ſuppoſitione, hoc eſt, ſuppoſitâ exiſtentiâ ſubiecti conſequentis. 4

Primò ergo videndum eſt de neceſſitate ſimpliciter: ſecundò de neceſſitate ſecundùm *quid*.

De primo ſit prima concluſio, quòd non eſt ſimpliciter neceſſitas, quòd ſi ſub modo naturali habet partes, & proprietates, quòd habeat eaſdem ſub modo ſacramentali. hoc breuiter apparet, quia poſt reſurrectionem non erit Euchariſtia, nec etiam corpus Chriſti habebit ſub iſto modo proprietates, ſeu paſſiones: & tamen tunc corpus Chriſti ſub modo eſſendi naturali habebit iſta. *Concluſ. 1.*

Concluſio ſecunda hæc eſt, quòd non eſt ſimpliciter neceſſitas èconuerſo, ſcilicet quòd non ſequitur ſimpliciter neceſſariò, ſi corpus habet iſtas partes, & proprietates ſub modo ſacramentali, quòd propter hoc eas habeat ſub exiſtentia naturali. Hoc primò ſic probatur, quando exiſtentia aliqua eſt indifferens ad duos modos, ſicut poteſt ſimpliciter haberi ſub vno modo, ſic & ſub alio: ſed exiſtentia corporis Chriſti ſimpliciter, ſeu realis indifferens eſt ad iſtos duos modos, ſcilicet naturalem & ſacramentalem: ergo poteſt haberi ſub iſto modo, licèt non ſub alio. *Concluſ. 2. Modũ ſacramẽtalem non dependere ab exiſtentia naturali ſimpliciter.*

Dicunt[b] quidam ad hoc, quòd prima propoſitio intelligitur, quando neuter modus dependet ab alio: ſic autem non eſt hîc, quia modus ſacramentalis dependet à modo naturali, quia ille eſt primus modus eſſendi in Sacramento. 5 *D. Thom. Caiet. 3. p. q. 76. art. 2.*

Contrà, & eſt ad concluſionem principalem: exiſtentia ſub modo naturali non eſt de eſſentia exiſtentiæ ſub modo ſacramentali, nec eſt eius cauſa: ergo iſtá non dependet ab illa: quia nihil dependet ab aliquo, quod non eſt de eſſentia eius, nec cauſa eius. Prima pars antecedentis patet, quia res Euchariſtiæ non habet ibi modum exiſtendi naturalem, ſcilicet extenſiuum, haberet autem, ſi eſſet de eſſentia illius exiſtentiæ, vel modi exiſtendi, quem ibi habet: quia omne habens aliquid, habet illud, quod eſt de eſſentia eius. Probatio ſecundæ partis antecedentis, quia Deus eſt cauſa immediata iſtius exiſtentiæ, ſcilicet corporis Chriſti in Sacramento: ergo corpus ſub naturali exiſtentia non eſt cauſa exiſtentiæ ſacramentalis.

Item, (& eſt idem quaſi cum priori,) Euchariſtia non dependet ab eo, quod nec eſt Sacramentum, nec res Sacramenti, nec cauſa huius: ſed exiſtentia modo naturali non eſt ibi Sacramentum, patet: nec res Sacramenti, imò res Sacramenti eſt exiſtentia ſub alio modo diſparato; nec eſt cauſa huius, vel illius, vt patet ex prædictis: ergo, &c.

Item, (& eſt quaſi idem,) Deus poteſt ſine quocumque cauſato non intrinſeco alicui, illud cauſare; exiſtentia modo naturali non eſt intrinſeca Euchariſtiæ: ergo, &c.

Dices, quòd maior eſt vera de abſolutis, non de reſpectu: quia reſpectus ſine fundamento, & termino fieri non poteſt: Euchariſtia autem includit reſpectum, cuius terminus eſt exiſtentia corporis modo naturali.

Contrà, exiſtentia, licèt ſit eadem ſub duobus modis, ſcilicet naturali, & ſacramentali: tamen non eſt terminus relationis, quæ includitur in Euchariſtia ſub modo naturali, ſed ſub modo diſparato. Probatio, eo modo eſt res contenta in Euchariſtia, quo modo eſt primum ſignatum huius ſigni: hæc eſt enim differentia huius Sacramenti ad alia, quia realiter continet ſuum primum ſignatum, vt eſt ſuum ſignatum primum: ſed exiſtentia ſub modo naturali non continetur hîc realiter, imò ſub modo alio diſparato: ergo, &c. 6 *Ante Incarnationẽ potuit eſſe Euchariſtia ſicut modò, id eſt, corpus quod eſt Chriſti, potuit primò poni in Euchariſtia.*

Ex[c] hac ſecunda concluſione ſequitur corollarium: quòd ante Incarnationem potuit ita verè Euchariſtia fuiſſe, ſicut & nunc, & hoc tam quantùm ad ſignificationem, quàm quantùm ad rem ſignatam, & contentam.

*Posset corpus Christi desinere esse secundùm modum naturalè, & manere sacramentaliter.*

Secundùm est corollarium: post Incarnationem posset corpus Christi desinere esse sub modo naturali; & tamen Eucharistia verè maneret, & quantùm ad veritatem signi, & quantùm ad veritatem signati, & contenti. Hoc patet, quia si ad corpus Christi realiter contineri in Eucharistia, non necessariò sequitur corpus illud habere existentiam modo naturali: ergo primum potuit fieri sine secundo, præcedendo siue remanendo post destructionem illius secundi.

7

De præcessione probatur primùm specialiter sic: Vbicumque res temporalis potest habere veram existentiam realem, ibi postquam non fuerit, potest incipere esse simpliciter: sed corpus Christi potest simpliciter habere existentiam realem sub modo existentiæ sacramentalis: ergo postquam non fuit hoc, potest simpliciter incipere esse: ergo non oportet ad hoc, quòd sub hoc modo incipiat esse, quòd sub alio modo incipiat etiam esse.

*Esse rei simpliciter non dependet à modo naturali.*

Et si dicas, quòd quando incipit esse hîc, oportet, quòd simul alibi incipiat: quia si est inceptio simpliciter, est *esse* rei in se. Quòd si simul incipiat in alio, non minùs oportet ad hoc, quòd sit inceptio simpliciter, quòd res incipiat *esse* in se: quia eadem est inceptio simpliciter rei, sicut est idem simpliciter eius *esse*: *esse* autem simpliciter istius rei in se est ipsius sub *esse* naturali.

Hæc responsio excluditur per rationes factas ad secundam conclusionem: quia si æquè habet existentiam realem sub isto modo, sicut sub alio, ex prima ratione, & illa non dependet ab alio modo existendi ex ratione secunda, sequitur, quòd potest habere simpliciter inceptionem sub isto modo sacramentali, absque hoc, quòd habeat inceptionem sub illo. Eodem modo potest argui ad corollarium de *desinere esse*, quia vbicumque res temporalis habet veram existentiam, dum ibi manet, modò non omnino desinit quomodocumque desinit sub alio modo.

*In secunda obiect. variatur litera, sed res eadem.*

Contra[d] primum corollarium infero hoc inconueniens: ergo illud corpus posset incipere esse, postquam fuit. Nam in Incarnatione incepisset illud corpus esse: & tamen priùs fuisset verè, si Eucharistia fuisset verè. Contra secundum similiter arguo, quia tunc idem corpus desineret esse, postquam desisteret esse. Probo, quia desinendo esse sub modo naturali, desineret esse; & tunc maneret, si Eucharistia verè maneret, & tunc posset etiam desinere esse sub Eucharistia.

8

Respondeo, quòd neutra consequentia valet: quia habens *esse* simpliciter, si incipit sub alio modo, non incipit, nisi secundùm *quid*: & simpliciter manens, si desinit alicubi sub alio modo, non desinit, nisi secundùm *quid*. Ad rationem * de Incarnatione dico, quòd possibile esset illud idem corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & hoc sub modo essendi naturali, non obstante quod Eucharistia præcessisset vera: sed illa formatio non fuisset tunc inceptio corporis, nisi secundùm *quid*: sicut modò conuersio panis in corpus, non est inceptio corporis, nisi secundùm *quid*. Et tota ratio est, quia quod sic incipit, præhabet *esse* simpliciter.

** Aliàs probationem.*

Similiter dico ad secundum, quòd desitio corporis sub modo naturali, non esset desitio, nisi secundùm *quid*, si tamen maneret idem corpus habens eandem existentiam realem sub modo sacramentali. Et si obiicias, fuit nunc inceptio corporis simpliciter in Conceptione Christi: ergo similiter fuisset inceptio simpliciter, si in Eucharistia præcessisset: nam non fuisset minùs verum *esse* corporis Christi sub modo naturali tunc, quàm nunc; & per consequens acquirendo illud *esse*, non fuisset minùs vera inceptio corporis accipientis tale *esse*.

Respondeo, inceptio simpliciter requirit non tantùm quòd sit acceptio *esse* simpliciter eius, quod dicitur incipere, sed quòd sit ad primum *esse* eius: nunc autem fuit in Incarnatione acceptio, non tantùm *esse* simpliciter corporis, sed etiam primi *esse*: tunc autem fuisset inceptio *esse* simpliciter sub modo vno, non tamen primo: quia præcessisset idem *esse* simpliciter sub alio modo: & ideò tunc fuisset inceptio secundùm *quid*, modò autem simpliciter.

Si verò arguas de desitione, quia si desitio sub modo naturali est desitio simpliciter; nam illa corruptio est corruptio simpliciter, & hoc vbique; quare si non corrumpatur hîc, ergo manet postquam corruptum est. Respondeo, nulla contradictoria sunt de eodem concedenda propter distinctionem istorum modorum essendi, vt dicetur statim. Si ergo loquaris de corruptione, quæ est separatio partis à parte, sicut corporis ab anima, vel formæ corporeitatis à materia, si talis corruptio est existentis sub tali modo, est etiam eiusdem sub quocumque modo: alioquin eadem forma simul informaret idem, & non informaret; & per consequens posset corpus Christi sub modo naturali fieri

inanima

inanimatum,quin fieret ſub Sacramento inanimatum, & è conuerſo. Nec etiam reſolui in materiam ſeparatâ formâ corporeitatis hîc,quin ibi fieret tale ſub modo ſacramentali, nec è conuerſo.

*Non poteſt corpus in diuerſis vbi, eſſe animatum,& inanimatũ contra Suar. ſup.& alios.*

Si loquamur de corruptione partium totali, id eſt, deſitione totius exiſtentis ſub iſto modo, & ſub iſto modo, benè poſſet deſinere eſſe, vt hîc, non deſinendo eſſe ibi, & è conuerſo : quia totum poſſet deſinere habere vnum modum ſuæ exiſtentiæ, retinendo ſibi alium modum, ſub quorum modorum vtroque verè tota iſta exiſtentia ſaluaretur.

*Per deſitionem totius exiſtentis, intelligi deſitione modi, qui eſt reſpectus extrinſecus.*

Ex hoc ſequitur corollarium,ſcilicet quòd per corruptionem, quam natura poſſet facere in corpore Chriſti,ſcilicet ſeparando partem à parte,neceſſe eſſet ſeparationem fieri partium huius rei eodem modo hîc,& ibi:ſed per illam deſitionem,quam poſſet Deus de potentia abſoluta facere,non quidem *eſſe* rei ſimpliciter,ſed rei ſub iſto modo, poſſet res illa non habere iſtum modum eſſendi,& tamen habere illum.

Et ſi obiicitur contra iſtud, quia illud quod nihil eſt in ſe, nihil eſt in altero : ergo ſi corpus Chriſti non haberet in ſe exiſtentiam, id eſt, ſub modo naturali, non poſſet habere eam ſub Sacramento. Dico,ſi in ſe intelligatur interimendo,vel præſcindendo omnem modum eſſendi in aliquo,minor eſt falſa : nam corpus Chriſti æquè verè habet *eſſe* ſuum reale ſub modo exiſtendi in alio,ſicut in ſe.Si autem intelligatur in ſe non præſcindendo,ſed ponendo propriam exiſtentiam huius realem, concedo maiorem. Et tunc dico,quòd ſi corpus eſt tantùm in Euchariſtia, non ſequitur, quòd non ſit hoc modò in ſe; quia ita verum *eſſe* habet iſto modo in ſe in Euchariſtia, vbi eſt ſub ſigno, ſicut in cœlo, vbi eſt non ſub ſigno.

## COMMENTARIVS.

1 *Declaratio quæſtionis.*

a *De primo quæſito*, &c. Hæc quæſtio habet duo membra;primum,de exiſtentia naturali,& ſacramentali ; an habeant ſimpliciter connexionem ad inuicem, ita vt Chriſtus non poſſit eſſe ſub vna, quin ſit ſub alia ? Hoc eſt ergo quærere, an exiſtentia ſacramentalis ſupponat naturalem,vel eam inferat,aut certè naturalis inferat ſacramentalem. Intelligit autem per naturalem modum exiſtendi quantitatiuum : per ſacramentalem verò modum exiſtendi indiuiſibilem.

2 *Prima concluſio. Exiſtẽtia naturalis nõ dependet à ſacramentali.*

*Prima concluſio*,quòd exiſtentia modo naturali non habet connexionem, aut dependentiam ad exiſtentiam ſacramentalem. Patet, quia poſt reſurrectionem erit ſub modo naturali corpus exiſtens, ſicut fuit etiam ante inſtitutionem Sacramenti ; tum non habuit exiſtentiam ſacramentalem, neque poſt reſurrectionem habebit deſinente peregrinatione Eccleſiæ : ergo, &c.

3 *Neutram inferre aliam per ſe.*

*Secunda concluſio*, eſt etiam negatiua, nempe non ſequi,ſi exiſtat Chriſtus ſub modo ſacramentali,vt exiſtat ſub modo naturali, id eſt,quantitatiuo, de quo loquitur, non autem ſubſtantiali: quia neutro modo poteſt exiſtere ſine ſua ſubſtantiali entitate, & exiſtentia, quæ ad vtrumque ſupponitur. Probat, quia quando exiſtentia aliqua eſt indifferens ad duos modos, ſicut poteſt haberi ſimpliciter ſub vno, & ſub altero : ſed ſic ſe habet exiſtentia Chriſti ſimpliciter, id eſt,realis & ſubſtantialis ad modum exiſtendi quantitatiuum,& ſacramentalem : ergo,&c.

*Exiſtentia ſubſtantialis indifferens ad diuerſos modos exiſtendi.*

4 *Sententia aliorum.* Altiſſiodor. D. Thom.

b *Dicunt quidam*, &c. Hæc ſententia ab aliquibus tribuitur Altiſſiodorenſi *lib.4.ſum. cap.5.* ſequitur ex iis,quæ docet D.Thomas *3.part.quæſt. 73.art.5. reſp.ad 2.*vbit ait: *Euchariſtia eſt Sacramentum perfectum Dominicæ paſſionis:& ideò non potuit inſtitui ante incarnationem*, &c. Hanc ſententiam interpretatur Soto *diſt.10. art.5. & diſt.10. art.2. quæſt.* de *poſſe* ordinariò, & non abſolutè, quia de hoc non eſt difficultas : ita etiam Suarez *in commento dicti articuli.* Hoc modo non eſt controuerſia, quantùm ad id,quod factum eſt, ſacramentalem præſupponere exiſtentiam modo naturali,& quantitatiuo eo modo, quo explicabimus *infrà*.

Sotus.

Suarez.

*Impugnatio Caietani nulla.*

Cæterùm Caietan.*quæſt.76.art.2.* ſatis infensè inuehitur in has concluſiones Doctoris,reiiciens eas tanquam chimæras:ſed nihil obtinet.

*Diſtinctio terminorum.*

Tres terminos diſtinguit Doctor, nempe exiſtentiam ſimpliciter,quæ eſt ſubſtantialis, & exiſtentiam ſub modo naturali, nempe cum extenſione in ordine ad locum per quantitatem,& exiſtentiam ſub modo ſacramentali, quæ eſt ipſa præſentia ſacramentalis, & indiuiſibilis, excludens exiſtentiam modo quantitatiuo.

Caietanus autem in reſponſione ad rationes Doctoris ſumit exiſtentiam naturalem, aut ſub modo naturali,pro exiſtentia ſubſtantiali corporis abſolutè, & non pro modo quantitatiuo, ſeu extenſo exiſtendi per quantitatem. Et ſic reſponſiones eius nihil faciunt ad propoſitum diſcurſus,& mutant *quale* in *quid*, aut rem in modum, & contrà.

*Fallacia in terminis.*

5 *Reſponſio Caietani. Corpus non eſſe indifferens ad exiſtentiam.*

Reſpondet ergo Caietanus, quòd propoſitio maior Scoti eſt falſa, quia exiſtentia corporis Chriſti non eſt indifferens ad *eſſe* naturale, & *eſſe* in Sacramento : ſicut nulla ſubſtantia eſt indifferens ad eſſe ad ſe,& ad aliud:vel eſſe ad ſe, & ad aliud genus:vnde corpus Chriſti, ita eſt determitum ad modum eſſendi naturalem, ſicut ad eſſe ſe ipſum. Sed hæc reſponſio non eſt digna ingenio,& doctrinâ Caietani.

*Reſponſio deuiat.*

*Exiſtentia ſub modo naturali, eſt quãtitatiua.*

Ratio Doctoris ſumit modum eſſendi naturalem Chriſti, prout omnes Theologi ſumunt pro exiſtentia ſub modo quantitatiuo,& extenſo,non pro exiſtentia ſubſtantiali : ſic ſumunt etiam Patres Concilij Tridentini exiſtentiam, ſeu modum exiſtendi naturalem Chriſti ſeſſ.13. cap.1. *Neque enim hæc*,inquit Concilium,*inter ſe pugnant, vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in*

Trident.

*cœlis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus aliis in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit*, &c. Supponit Concilium modum exiſtendi naturalem ſeparari à Chriſto in Euchariſtia, idémque ſupponit fides myſterij, negat Caietanus eſſe ſeparabilem: ſed impropriè loquitur, & non de eodem: ergo, teſte Concilio, propoſitio præmiſſa Doctoris ſubſiſtit, nempe exiſtentiam Chriſti ſubſtantialem eſſe indifferentem (quantùm ſcilicet ad ſeparationem, non quantùm ad inclinationem) ad duos modos exiſtendi: alterum naturalem, alterum ſacramentalem.

Probationes ſequentes Doctoris ſunt euidentes, & claræ. Primò, quòd exiſtentia ſub modo naturali (loquitur reduplicatiuè in ſenſu formali, & idem valet, ac modus exiſtendi naturalis quantitatiuus, hîc enim agit præcisè de hoc modo, reſpectiuè tamen ad ſubiectum) non eſt de eſſentia, neque cauſa exiſtentiæ, ſub modo ſacramentali, quia modus naturalis exiſtendi non conuenit rei huius Sacramenti, vt eſt in Sacramento: ergo non eſt de eſſentia. Deus etiam eſt ſola cauſa eius: ergo non modus naturalis exiſtendi; imò neque ipſa res exiſtens, eſt cauſa phyſica, de qua agit. Inde ſequitur etiam, quòd modus naturalis exiſtendi non ſe habeat, vt conditio, quia conditiones requiruntur reſpectiuè ad agens creatum, nempe naturale, vel vniuerſale agens ex ſubiecto. Deus hîc agit actione propriâ, quæ æquialet creationi, & non ſupponit ſubiectum. Item ſecundò, Euchariſtia non dependet ab eo, quod neque eſt Sacramentum, aut res Sacramenti, neque cauſa alterutrius, talis eſt ille modus naturalis exiſtendi.

*Quantitatiuus non eſt de eſſentia, aut cauſa ſacramentali.*

5 Item tertiò, Deus poteſt cauſare quodcunque ſine quocunque cauſato diuerſo, & non intrinſeco: exiſtentia naturalis Chriſti non eſt extrinſeca Euchariſtiæ. Reſpondebis negando antecedens in relatiuis: ad propoſitum autem, Euchariſtia includit reſpectum, cuius terminus eſt modus naturalis exiſtendi Chriſti. Contrà, quia Chriſtus non eſt terminus, aut fundamentum relationis ſacramentalis, vt eſt ſub modo naturali exiſtendi, ſed vt eſt hîc præſens ſub modo diſparato: eſt enim præſens hîc, quà eſt primum ſignatum ex vi verborum; ſic autem non eſt ſub modo naturali exiſtendi.

*Reſponſio.*

*Impugnatio.*

Has rationes vnicâ illâ ſolutione præmiſſâ conatur eludere Caietanus, dicens modum naturalem exiſtendi Chriſti eſſe exiſtentiam ſubſtantialem. Reſpondet ergo ad primam probationem, vel intelligi de ipſa præſentia ſacramentali; & ſic negatur conſequentia, quia reſpectus præſentiæ dependet ab aliquo, quod non eſt de eſſentia ſua, dependet enim à termino. Contrà, ſed terminus eius non eſt Chriſtus exiſtens ſub modo naturali, neque ipſe modus naturalis exiſtendi, ſed ſpecies. Si autem per terminum intelligit fundamentum, neque Chriſtus vt exiſtens modo naturali, & quantitatiuo eſt fundamentum, aliàs Chriſtus eſſet præſens in Sacramento modo quantitatiuo, qui modus repugnat præſentiæ ſacramentali, & indiuiſibili, vt eſt de facto: ergo etiam repugnat ipſi fundari in modo quantitatiuo exiſtendi Chriſti. Præterea, falſum eſt reſpectum non dependere ab extremis tanquam à cauſis, maximè quando eſt alius ab extremis realiter, vt contingit in propoſito.

*Reſponſio.*

*Impugnatio.*

*Sacramentalem non terminat, neque fundat quantitatiue.*

*Reſpectus dependet ab extremis.*

*Reſponſio.*

Reſpondet aliter, ſi intelligatur de re præſente, falſum eſſe antecedens, quia de rei præſentis eſſentia eſt ipſa res præſens. Contrà, ſed præſentia quantitatiua, aut modus naturalis exiſtendi non eſt de conceptu, aut eſſentia rei præſentis, vt præſens eſt in Sacramento; imò ipſi repugnat, quà tali modo eſt præſens: ergo ratio Doctoris manet ex ipſa Caietani ſolutione.

*Impugnatio.*

Reſpondet aliter, quòd exiſtentia naturalis Chriſti eſt ſuum *eſſe*, ſcilicet ſubſtantiale, & ſic eſt præſens: vnde Scotus mutat rem præſentem in modum rei, ſi intelligat exiſtentiam naturalem per modum extenſiuum: ſed hæc reſponſio non facit ad propoſitum, quia Scotus hoc ipſum intelligit, ſicut omnes intelligunt: & de hoc modo format quæſtionem, non de exiſtentia ſubſtantiali, de qua nulla eſt controuerſia iuxta principia Doctoris, vt patet ex quæſtione præcedenti, & in hac ipſa in rationibus præmiſſis, in quibus oſtendit exiſtentiam ſubſtantialem eſſe indifferentem ad vtrumque modum: neque vnum neceſſariò, abſolutè loquendo, dependere ab alio, neque committit fallaciam figuræ dictionis, vt imponit præfatus author in ſequentibus reſponſionibus, quæ ſunt eiuſdem doctrinæ.

6 Reſolutio autem Caietani eſt, exiſtentia corporis Chriſti in ſuo modo naturali eſt res primò contenta, & ſignata, dicente Chriſto: *Hoc eſt corpus meum*: nam dicendo corpus ſuum ſine additione ſignificat corpus in ſuo *eſſe* naturali: modus autem, quo continetur, non eſt res ſignata, neque contenta in hoc Sacramento, ſed modus continendi: & non valet conſequentia: corpus Chriſti non continetur modo naturali, id eſt, extenſiuo: ergo res contenta non eſt modus naturalis, & extenſiuus corporis Chriſti. Et hinc manifeſtum eſt eſſe chimæram, quòd ante incarnationem Chriſti potuerit verè eſſe hoc Sacramentum, ſicut nunc: dato enim quòd Deus potuiſſet efficere ſub ſpeciebus panis eundem reſpectum præſentiæ, qui nunc fieri dicitur, nulla propterea res poſſet eſſe præſens, quia nec corpus Chriſti, neque aliquid aliud.

*Reſolutio Caietani.*

*Corpus non potuiſſe eſſe ſub ſpeciebus ante Incarnationem.*

*Impugnatio.*

Contrà, hæc doctrina eſt valde obſcura & liberam: nam Deum poſſe cauſare præſentiam ſine re præſente, tam abſurdum eſt iuxta omnes, quàm cauſare relationem, aut modum, ſine fundamento, & ſubiecto. Secundò, quòd hoc Sacramentum potuerit eſſe ante incarnationem, ſequitur ex prædictis rationibus Doctoris, & admittunt reliqui. Tertiò, quòd modus cõtinendi ſit res ſignificata in hoc Sacramento, & non modus, quo continetur, vt hi modi diſtinguuntur, non videtur congruere myſterio, niſi aliter declaretur, quàm vt ex proprietate terminorum licet.

7 Nam modus, quo continetur, denotat paſſiuam continentiam ipſius Chriſti, vt eſt terminus continentiæ actiuæ ſpecierum, quam denotat modus continendi, qui ſe tenet ex parte ſpecierum, & nihil eſt aliud, quàm præſentia ſpecierum continentium ad Chriſtum contentum: hæc autem, neque eſt res contenta, neque præſentia eius, ſed longè diuerſa, nempe, extenſa, & diuiſibilis iuxta naturam ſui ſubiecti, & fundamenti, in quo eſt. Modus autem, quo continetur Chriſtus, eſt præſentia indiuiſibilis, & ſacramentalis, quæ eſt in re contenta, & ſignata per ſpecies, quæ demonſtrant Chriſtum, vt præſentem, & contentum realiter ſub ſpeciebus. Mutat ergo Caietanus actiuum in paſſiuum, quod non permittit fides huius myſterij, ſi aliqua diuerſa intendat, per duplicem

*Continentia actiua, & paſſiua diſtinguuntur.*

cem illum modum, quod intendere debet, cùm affirmet de vno, quod de altero negat: præsentia ergo sacramentalis Christi ad species est res signata, vt *quo*, ipse Christus secundùm existentiam substantialem res signata, vt *quod*: quia quidquid signatur per verba: signatur etiam per species, forma autem sacramentalis signat non Christum absolutè tantùm existentem, sed existentem, vt præsentem realiter, & sacramentaliter: ergo hoc idem significant species.

*Species significant idem, quod forma verborum.*

8 Tertiò negat hoc argumentum valere: corpus Christi non continetur modo naturali, id est, extensiuo; ergo res contenta non est ipse modus naturalis, & extensiuus corporis Christi, vt patet. Contrà, nescio ex quibus regulis id pateat, quia à negatione effectus formalis benè sequitur negatio formæ in subiecto: sicut à positione causæ formalis in subiecto, benè sequitur affirmatio effectus: corpus Christi in Sacramento non habet extensionem, seu modum extensiuum: ergo extensio corporis Christi, aut modus existendi quantitatiuus non est res contenta in Sacramento; aliàs certè significatio Sacramenti esset falsa, cùm significaret continendo, quod non inest: extensio non inest existenti, aliàs afficeret corpus Christi: meliùs ergo Sotus, & post eum Suarez intelligunt D. Thomam loqui de potentia ordinaria, non absoluta, quamuis Sotus reprehendat in articulo secundo citato Doctorem nostrum, quòd recurrat ad potentiam absolutam: sed in hoc mysterio tam ipse, quàm alij recurrunt sæpè ad potentiam absolutam, vt declaretur fides mysterij: quod est officium Theologi, segregare certa ab incertis. Vterque modus existendi competit Christo de facto, vt patet ex præcedenti quæstione: in hac autem congruum erat explicare ordinem, & dependentiam eorum ad inuicem.

*Negato effectu formali, negatur forma in subiecto.*

c *Ex hac secunda conclusione sequitur corollarium,* &c. Hîc infert duo corollaria ex prædictis; nam supposito, quòd nulla sit dependentia modi existendi sacramentaliter, ad modum existendi naturalem, vt iam probauit, sequitur quòd de potentia absoluta posset hoc Sacramentum institui ante Incarnationem, quod est primum corollarium.

9 *Primum corollarium. Institui potuisse ante Incarnationem.*

10 Secundum corollarium sequitur ex eodem, nempe post Incarnationem de potentia absoluta posset corpus Christi definere sub modo naturali eodem remanente sub modo sacramentali. Probatio prioris, quia sub speciebus Christus habet veram, & realem existentiam: ergo secundùm hanc posset incipere simpliciter, quamuis antea non fuerit: ergo ad hoc, vt sub modo sacramentali incipiat simpliciter esse, non requiritur vt etiam incipiat esse sub modo naturali essendi, &c.

*Secundum corollarium. Manens sub vno modo essendi posset definere sub altero.*

*Humanitas Christi eadē potuit esse per creationem.*

Hæc ratio est à priori, neque aliam oportet assignare, quia sicut primò incepit Christus esse per generationem ex matre, ita etiam potuisset incipere per solam creationem, quoad eandem individuam substantiam, quæ non diuersificatur ex diuerso modo productionis, per quem non variantur principia intrinseca eius: sicut enim idem est individuum, quod est in potentia ad *esse*, loquendo absolutè, & existit, & desinit esse; sic etiam idem manet siue ab hac, siue ab illa causa; hoc, aut illo modo connaturali causæ producitur, nam de eodem subiecto verificantur possibilitas, & existentia: & decisio secundùm se loquendo: & Adam potuit idem manens absolutè generari, sicut fuit creatus: nam, quæ posteriùs accedunt, non variant naturam prioris ratione sui, vt aliud à se ipso sit, cùm hoc ei repugnet.

*Idem est sub potentia, & actu.*

*Nō variatur per diuersos modos causandi.*

Aduertendum ergo est ex Doctore hîc, & in sequentibus ad excludendam ambiguitatem interpretationis, quam nonnulli vtriusque scholæ in hoc passu adhibent, quasi hîc voluerit admittere reproductionem præexistentis esse possibilem, quo nihil magis suæ doctrinæ repugnat, & principiis, variis in locis, & potissimùm etiam hîc. Aduertendum, inquam, existentiam realem, & substantialem Christi distingui à modis existendi quantitatiuo, & sacramentali: secundùm autem existentiam realem dicit ipse Christum incipere simpliciter, vt refertur ad *non esse* reale Christi præcedens, secundùm modos autem naturalem, & quantitatiuum, ac per oppositum sacramentalem incipere secundùm *quid*; quia hæc denotant modos accidentales supponentes, aut accedentes ad existentiam realem, & substantialem Christi, quæ eadem semper est in se, & indifferens ad hos modos accidentales.

11 *Explicatio Doctoris, & doctrina præmissa.*

*Incipit simpliciter corpus secundùm existentiam substantialē.*

*Secundùm quid, quoad modos essēdi.*

Ad propositum, potuit Eucharistia institui ante incarnationem, & eadem esset, quantùm ad rem contentam, quæ est modò: cæterùm transubstantiatio connotaret in eo casu aliam actionem, quam non connotat modò, quia connotaret actionem creatiuam, vel aliam, per quam produceretur simpliciter Christus in existentia substantiali, quoad omnia etiam, quæ sunt in natura Christi, siue vnionem hypostaticam: siue accidentia: nunc autem tantùm connotat actionem adductiuam, per quam causatur præsentia Christi ad species, quia supponit Christum simpliciter esse. Cæterùm neque vna, neque altera est de ratione intrinseca transubstantiationis, vt præcisè est conuersio substantialis: prout in sequenti distinctione fusiùs explicabitur. Manente ergo transubstantiatione eâdem, & reliquis intrinsecis æquiualenter se habentibus, sequitur Sacramentum vniformiter se habere.

12 *Institutum Sacramētum ante Incarnationem idē esset, quod nunc. Connotaret diuersam actionem.*

Petes, vnde colligitur concomitantia creationis in eo casu, quia tunc videtur variari institutio. Quod probatur, quia institutio, quæ est de facto, non connotat, neque infert talem actionem: ergo non esset illa, quæ est modò in eo casu, neque esset eadem, sed diuersa institutio: sed variatâ institutione variatur etiam institutum, & ipsum Sacramentum: ergo non esset idem Sacramentum.

13 *Dubium proponitur.*

Respondetur, quòd esset eadem institutio, quantùm ad rationem, & essentiam institutionis: quia esset tantùm voluntas Dei efficax, & absoluta cooperandi Sacramento, & formæ sensibili verborum, prout significat practicè Christum præsentem speciebus. Per hanc voluntatem determinatur causa principalis ad constituendum Christum præsentem pro vltimo instanti prolationis verborum: quod ergo producendo Christum, vel adducendo, sic constituat præsentem, est extrinsecum institutioni, & significationi sacramentali, ac ipsi etiam contento, quà significatum sacramentale est, quia denotat tantùm modum agendi causæ principalis, qui non ingreditur essentiam, aut modum Sacramenti: sicut perinde est ad Sacramentum, verbi gratiâ, Baptismi, siue creatur effectus eius, siue, vt alij volunt, educatur ex potentia materiæ: neque mutat Eucharistiam, siue Christus gloriosus, & impatibilis ponatur sub speciebus, vt nunc ponitur.

*Resoluitur.*

nitur; vel certè passibilis, vt fuit in Cœna.

*Responsio ad rationem dubitandi.*

Ex quibus patet ad rationem dubitandi præmissam, negando antecedens. Ad cuius probationem respondetur, quòd institutio de facto non connotat actionem productiuam, vel adductiuam ex ratione sua, sed tantùm vnam, vel alteram, & quemlibet modum possibilem, quo Deus potest statuere Christum præsentem speciebus: de facto autem dicitur connotare adductiuam, quia illam solam habet concomitantem in re ipsa; solùm enim respicit conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi præsentes.

13 His suppositis obiicit sibi Doctor, quòd necessariò in eo casu incipiat Christus similiter esse: sed hæc inceptio est secundùm naturalem modum essendi: ergo hæc obiectio sumitur ex responsione, quam subiicit ad rationem superiùs præmissam: cuius responsio petitur ex impugnatione subiecta §. *Hæc responsio excluditur*, &c. Respondetur ergo negando minorem, quia inceptio simpliciter Christi est respectiuè ad existentiam substantialem tantùm: hæc autem indifferens est ad modum naturalem, & quantitatiuum existendi, aut sacramentalè: sub alterutro ergo potest simpliciter incipere Christus esse, quia vnus non dependet ab alio, quin præmitti posset ad ipsum, de potentia absoluta, neque existentia simpliciter Christi, quæ est substantialis, vt est sub vno, dependet à seipsa, vt est sub altero.

14 *Obiectio.*

d *Contra primum corollarium*, &c. Obiicit contra vtrumque corollarium, quòd inde sequeretur, quòd simpliciter inciperet Christus esse, postquam fuit, id est, postquam est præexistens, verbi gratiâ, inciperet ex casu præmisso, in Eucharistia ante Incarnationem, & ex dictis inciperet simpliciter esse; postea succedente Incarnatione etiam inciperet denuò esse simpliciter, antequam desiit prior eius existentia sub Eucharistia: ergo bis inciperet simpliciter esse, & bis simpliciter produceretur duabus productionibus totalibus, quod est inconueniens, maximè in doctrina Doctoris, vt in distinctione sequenti ex professo probabitur.

*Quòd bis inciperet Christus simpliciter esse.*

*Obiectio secunda. Quòd bis posset desinere.*

Contra secundum corollarium in simili forma probaretur duplex desitio: nam posset desinere esse secundùm modum naturalem receptum in Incarnatione, manente Eucharistiâ, & secundò desineret, desinente Eucharistiâ, & sic simpliciter bis desineret esse.

15 *Responsio.*

Respondet, negando consequentiam vtramque: & quia multi in hac litera offendunt, quasi hinc ex mente Doctoris detur reproductio eiusdem præexistentis, & dari possit duplex productio totalis eiusdem effectus simul; assumenda sunt verba ipsa Doctoris, & interpretanda iuxta genuinum sensum: subiungens ergo rationem negationis præmissæ vtriusque consequentiæ, dicit: *Quia habens esse simpliciter, si incipit sub alio modo, non incipit nisi secundùm quid, & simpliciter manens, si desinit alicubi, sub alio modo non desinit, nisi secundùm quid*, &c.

*Interpretatio literæ Doctoris.*

Esse simpliciter (vt patet ex notabili præmisso, & ex toto hoc membro quæstionis) idem est, ac esse extra suas causas, & habere existentiam in seipso, quæ, vt ex præmissis constat, in probatione secundæ conclusionis, & aliis sequentibus, est indifferens ad modos essendi diuersos, & per accidens conuenientes respectiuè ad locum, seu extrinsecum, verbi gratiâ, in substantia completa existere in propria, aut aliena persona, in præsenti mysterio existere sub modo quantitatiuo, quem vocat naturalem modum existentiæ, quia ad illum naturaliter inclinatur, & illum naturaliter exigit substantia corporea, & existere sacramentaliter in materia prima existere separatim à forma substantiali, vel existere sub forma, vel etiam existere sub hac vel illa forma, verbi gratiâ, elementi, aut mixti in forma ipsa, existere in subiecto, vel separatim à subiecto: in quanto existere sub hac, vel illa figura.

*Existentia rei est alia à modis essendi contingentibus.*

In his omnibus sicut entitas singularis rei non mutatur, vt ipsa sit alia à seipsa: sic etiam neque existentia eius est alia & alia, loquendo de *esse simpliciter*, seu de existentia, quâ primò concipitur, & constituitur res extra suas causas, abstrahendo à modis essendi, qui sunt posteriores ipsâ existentiâ, & extrinsecus aduenientes, & simpliciter separabiles ab ipsa existentia: suppono nempe existentiam iuxta communiora principia, non distingui realiter saltem ab essentia posita extra causas, non solùm reduplicatiuè loquendo, sed etiam specificatiuè.

Per *esse* ergo *simpliciter* intelligit Doctor existentiam, vt prior est modis essendi, verbi gratiâ, in proposito ad modum quantitatiuum, & sacramentalem, à quibus distinguitur re, & entitate, & sui productione, quæ substantialis est, productio autem modi, est solius accidentis: illa ergo productio rei secundùm substantiam dicitur productio simpliciter, quia terminatur ad existentiam substantialem, & entitatiuam, quæ sola est simpliciter existentia eius, productio rei non simpliciter est productio eius secundùm modum, & ratione accidentis: sic dicitur produci quantum, produci calidum, non solùm ipsa forma, sed etiam subiectum ratione formæ, quâ fit de nouo sub forma, sed hæc productio, vt terminatur ad subiectum, est productio eius secundùm *quid*, quia mutatur secundùm *quid* per actionem agentis, non verò productio simpliciter.

16

*Quid sit produci simpliciter.*

*Quid sit produci secundùm quid.*

Negat ergo Doctor Christum præexistentem, aut quodlibet aliud produci simpliciter: quia productio simpliciter, vt *infrà* dicit, est productio rei secundùm primum *esse*, quod supponit sui *non esse*, sed produci tantùm secundùm *quid*, est produci ratione modi existendi noui, & accidentalis, non verò entitatiuè, & proprij *esse*.

Hoc supposito, respondet ad probationem primæ consequentiæ: probatio autem est hæc: *In Incarnatione incepisset illud corpus esse, & tamen prius fuisset verè, si Eucharistia fuisset verè*, &c. Responsio est talis: *Ad rationem de Incarnatione, dico quod possibile esset illud idem corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & hoc sub modo essendi naturali, non obstante, quòd Eucharistia præcessisset vera, sed illa formatio non fuisset tunc inceptio corporis, nisi secundùm quid, sicut modò conuersio panis in corpus, non est inceptio corporis, nisi secundùm quid: & tota ratio est, quia quod sic incipit, præhabet esse simpliciter*, &c.

17 *Negatur cõsequentia præmissa. Ad probationem eius respondet.*

Crediderim ex hoc passu sumptam fuisse occasionem interpretationis præmissæ superiùs eorum, qui putant Doctorem fuisse in sententia, quam excludendam esse, ex hac ipsa litera patet: illi enim non intelligebant formari posse corpus ex sanguinibus Virginis, vt hic dicit, nisi per generationem, administrando materiam, & concurrendo actiuè ad formationem simpliciter corporis, quæ est ad *esse* eius substantiale, & simpliciter: sed hæc non est mens Doctoris.

18 *Fundamentũ ex quo alij decepti sunt.*

Nam

*Hæc verba limitationē, non propoſitionem ſonāt in textu.*

Nam illa clauſula: *Et hoc ſub modo eſſendi naturali*, &c. non eſt abſolutè intelligenda per modum categoricę ſignificantis abſolutè, & per ſe, ſed per modum limitationis adiunctæ prædicato prioris, nempe, *Fuiſſe formatum de ſanguinibus Virginis*, ita, vt ly *&* non ſit copula propoſitionum, ſed determinationis adiunctæ prædicato, vnde hæc omnia ad vnam propoſitionem ſpectant: *Poſſibile eſſet illud idem corpus* (in his exprimitur ſubiectum) *fuiſſe formatum de ſanguinibus Virginis* (exprimitur prædicatum) & *hoc* (ſupple *formatum*) *ſub modo eſſendi naturali*, &c. exprimitur limitatio, ſeu determinatio prædicati, vt non ſimpliciter intelligatur formatio corporis quoad *eſſe* primarium, quod præexiſtit, ſed quoad modum exiſtendi naturalem, & quantitatiuum.

*Qualis eſſet cōcurſus Virginis in tali caſu.*

Hæc autem formatio eſſet, quoad nutritionem & augmentum, & reliquas diſpoſitiones, quæ conſequerentur ad animationem corporis animati in ventre matris, quæ ſubminiſtrat alimentum ex proprio ſanguine, donec fœtus ad maturitatem perueniens editur.

19

*Non generaret. Concurreret ad eſſe ſecundarium.*

Nec ergo conciperet propriè per actionem generatiuam, nec communicaret materiam, neque concurreret ad alterationem præuiam ad formam corporis, neque ad animationem eius, quia hæc omnia ſupponeret, poſſet tamen ad reliqua concurrere, quæ ad formationem fœtus ſecundariam, & ſecundùm modum naturalem exiſtendi, ſeu quantitatiuum ſpectant. Hanc autem formationem vocat Doctor formationem, ſeu inceptionem corporis ſecundùm *quid*, quia ſupponitur *eſſe* eius ſimpliciter.

*An eſſet mater Chriſti?*

Sed quid, an Virgo in eo caſu eſſet mater Chriſti? Reſpondetur, quòd tantùm eſſet mater eius ſecundùm modum, quo procederet ab ipſa, & non aliter, quia generatio, in qua fundatur maternitas, non eſſet à Virgine, ideò in eo caſu non eſſet mater in *fieri* ſaltem, quidquid ſit, an eſſet mater in *facto eſſe*, quia formatio corporis, quam ſupponeret, poſſet ab ipſa eſſe ſimpliciter, & foret, niſi iam præueniretur à cauſa ſuperiori; reliqua autem, quæ ſubſequuntur, à Virgine fierent.

*Nō eſſet mater in fieri, ſed in facto eſſe.*

20

*Ad eundum modum deſineret ſecundùm quid, aut ſimpliciter.*

Ex dictis facilis eſt intellectio literæ in ſequentibus, quæ per omnia cohærent dictis, vt iam intellecta ſunt: vnde ad probationem ſecundæ conſequentiæ ſuperiùs præmiſſæ, quantùm ad deſitionem, dicit non deſinere niſi ſecundùm *quid*: modò maneat ſub alio modo eſſendi: & infrà §. *Si verò arguas*, &c. in reſponſione ad obiectionem, dicit: quòd contradictoria de eodem abſolutè non debent admitti propter diuerſos modos eſſendi: vnde ſi deſinit, aut corrumpitur ſimpliciter ſub vno modo, etiam corrumpetur ſub altero, vt ſi corrumpatur forma corporeitatis, & ſi corpus fiat inanimatum in vno loco, & ſecundùm diuerſum modum exiſtendi, eadem corruptio vbique erit: ex iis, quæ *ſuprà* dicta ſunt *quæſtione præcedenti*, quia hæc non dependent à modis eſſendi, qui ſunt poſteriores: ſed opponuntur circa rei entitatem, & exiſtentiam ſimpliciter: quæ autem ſic opponuntur, ſimpliciter opponuntur & abſolutè ſine vlla limitatione modi eſſendi, aut loci, vt dictum eſt *ſuprà*.

21

*Corruptio duplex.*

Diſtinguit præterea Doctor duplicem corruptionem rei; vnam quam inducit agens naturale, vt deſtruendo formam viuentis, aut corporis ex ſubiecto, & dicit hanc ſemper deſtruere vbique exiſtentiam, ſeu corporis, ſeu viuentis ſimpliciter, & ſub omni modo exiſtendi: vnde ſi fieret ſeparatio animæ Chriſti à corpore in Sacramento, etiam ſequeretur eadem ſub modo naturali exiſtendi.

*Corruptio ſimpliciter.*

Inde ſequitur, quòd nequeat ſecundùm vnam partem poni in Sacramento ſine altera, manente vnione inter ipſas partes in re ipſa; licèt ſub alio modo eſſendi. Sequitur etiam, quòd nequeat deſinere vna pars ſub Sacramento, aut ſub modo naturali per corruptionem ſui, aut totius, quin deſinat ſimpliciter totum: quia ex *non eſſe* partis eſſentialis ſequitur *non eſſe* totius compoſiti.

*Hæc infert deſitionem ſimpliciter.*

Si autem corruptio ſumatur ſecundùm *quid*, id eſt, pro deſitione totius ſub iſto modo eſſendi, verbi gratiâ, ſacramentali, non ſequitur corruptio, ſeu deſitio totius ſimpliciter, quia ſub alio modo eſſendi poteſt manere, verbi gratiâ, in alia hoſtia, vel ſub modo ſuo naturali.

*Corruptio ſecūdùm quid.*

*Ex hoc ſequitur corollarium: ſcilicet*, &c. Hinc deducit corollarium, quòd nempe per ſeparationem, quam natura poteſt facere inter partes Chriſti, ſequeretur ſeparatio illa partium, vbique & ſecundùm omnes modos eſſendi. Ratio autem huius eſt, quia natura nequit ſeparare rem ab exiſtentia ſub modo ſuo naturali, & quantitatiuo, agendo in rem ipſam, niſi deſtruendo eſſentiam, & exiſtentiam rei, inducendo formam incompoſſibilem in materiam: nequit enim tota natura ſeparare quantitatem, aut quantum à ſua extenſione, niſi deſtruendo ſubiectum per actionem aliquam, quæ ſemper ſupponit (vt *infrà* videbimus) ſubiectum modo quantitatiuo exiſtens, in quod agit.

22

*Corruptio facta per naturam eſt ſimpliciter.*

*Ratio huius ex modo agendi.*

Benè ergo Doctor infert non poſſe naturam ſeparare modum naturalem exiſtendi ſubiecti, ſeparando partem à parte (aliter enim natura non corrumpit, neque ſeparat) quin ſimpliciter deſtruat totum vbique.

Cæterùm, Deus de potentia abſoluta poteſt, non ſeparando partem à parte, ſed modum naturalem eſſendi, nempe extenſum, & quantitatiuum ab ipſa re quanta, manente rei ſubſtantiâ ſub alio modo, ſeparare totum manens in exiſtentia ſubſtantiali, ſeu entitatiua à ſuo modo exiſtendi, abſque eo, quòd totum ſimpliciter, aut alibi deſinat eſſe, ſed tantùm hîc, & ſub hoc modo. Hunc modum corruptionis, ſeu ſeparationis rei à ſuo modo naturali eſſendi, manente re ipſa alibi, & ſub alio modo, vocat Doctor corruptionem, ſeu deſitionem totius ſub iſto modo: priorem vocat ſeparationem, ſeu corruptionem partis, quia in ſubiectum formæ non poteſt natura, & ideò poteſt manere deſinente formâ in eodem loco, neque totum poteſt deſinere per corruptionem, niſi per ſeparationem partis vtriuſque, quia nequit partibus vnitis manentibus, deſtrui.

23

*Separatio poſſibilis Deo ſecundùm quid deſtruit.*

Ex hoc modo diſcernendi vtramque deſitionem, ſiue partialem, ſiue totalem, Caietanus *ſuprà* citatus ſumit occaſionem, vt dicat Doctorem in ea eſſe ſententia, vt putet per corruptionem naturalem inductam ab agente naturali deſtrui ſimpliciter corpus ſub omni modo eſſendi; tamen per annihilationem à Deo factam non ita corrumpi, ſed ſecundùm vnum modum eſſendi, ac poſſe manere proinde ſub altero modo, in hoc eſt eum ſecutus Sotus.

24

Caietan. *Non aſſequitur Doctorē.*

Sotus. *Vera ſententia Doctoris.*

Sed Doctor ne verbum quidem hîc agit de annihilatione, niſi intelligas annihilationem ſecundùm *quid*, nempe quoad modum naturalem eſſendi, verbi gratiâ, quam vocat Doctor corruptionē, ſepara

ſeparationem,deſitionem totius,vt fit actione diuina, aut fieri poteſt, & ad diſtinctionem ſeparationis,quæ fieri tantùm poteſt per naturam,nempe ſeparando partem à parte. Doctor autem hîc, nihil ſomniauit de annihilatione ſub ratione annihilationis,quamuis fortè ſeruatâ quâdam proportione,illa actio dicta,quâ ſepararetur extenſio quanti à re quanta, diceretur annihilatio ſecundùm *quid*, quando fieret ſine inductione alterius formæ incompatibilis per ſe.

Minùs autem Doctor agit hîc de annihilatione ſimpliciter,quatenus importat deſitionem abſolutam rei ſecundùm totum *eſſe* reale:nam verba, & ratio eius talem annihilationem, & modum deſitionis excludunt. Superflua ergo eſt impugnatio adducta à Caietano ex annihilatione ſimpliciter, & procedit ex praua intelligentia literæ Doctoris. Hactenus quantùm ad expoſitionem huius literæ: probatio autem & fundamentum dictorum breuiter attingitur in ipſa litera, & fuſiùs in præcedentibus habetur, ſicut & in paragrapho ſequenti.

## SCHOLIVM.

*Suppoſito,corpus eſſe in cœlo,& in Euchariſtia, reſoluit partes,proprietates,omniáque abſoluta habere vtrobique:quia nullum abſolutum deſinit eſſe in aliquo, per reſpectum de nouo aduenientem. Secundò,abſoluta priùs inſunt, quàm* vbi. *Tertiò, alioquin abſolutè contradictoria dicerentur de eodem ſecundùm idem:quod ſufficit, nec requiritur,ad idem quando prædicatum eſt abſolutum. Vide Tartaret.hîc,de quo actum eſt ſupr.q.2. n.13.*

10 De [a] ſecundo membro diſtinctionis, ſcilicet de neceſſitate ſecundùm *quid*, ſuppoſitâ ſcilicet exiſtentiâ ſubiecti conſequentis, eſt hæc concluſio: quòd neceſſe eſt iſto modo eaſdem proprietates,& partes ineſſe corpori ſub iſto modo eſſendi, & illo. Probatio,quia nullum abſolutum deſinit eſſe in aliquo adueniente ſibi præcisè nouo reſpectu extrinſeco: proprietates,& partes in corpore ſunt verè abſoluta,ſed præſentia iſta in Euchariſtia eſt tantùm reſpectus extrinſecus aduenientis: ergo, &c. Hîc etiam poſſet argui ſecundùm illà,quæ dicta ſunt *quæſt.2.huius diſt.*quia abſolutum non variatur propter variationem reſpectuum *vbi*,vel ſibi ſimilium: ergo non variatur abſolutum aliquod in corpore Chriſti propter *vbi* in cœlo,& propter iſtam præſentiam in Euchariſtia, quæ aſſimilatur reſpectui vbicali.

Maior primæ rationis probatur, quia non eſt formalis repugnantia talis reſpectus ad *vbi* præexiſtens,nec etiam virtualis eo modo, quo paſſio contraria repugnat ſubiecto, vt frigus igni: quia oppoſitum iſtius reſpectus non oritur ex principiis abſoluti; tunc enim ille reſpectus non eſſet contingenter inhærens,nec extrinſecus aduenientis. Secundò ſic, quia abſolutum naturaliter priùs ineſt,cui ineſt, quàm reſpectus fundatus in illo abſoluto,& maximè extrinſecus, & contingenter aduenientis: ergo in illo priori antequam intelligatur corpus habere iſtum reſpectum nouum in Euchariſtia, habebat quantitatem, & qualitatem,& omnia abſoluta, quæ ſunt in eo. Alioquin enim ſequeretur contradictoria ſimpliciter eſſe vera de eodem;nam iſta affirmatio, & negatio non poſſet dici ineſſe ſecundùm diuerſa,puta ſecundùm hoc *vbi*,& illud,vel præſentiam hanc, & illam: quia ſicut affirmatio iſta non eſt nata ineſſe ſecundùm *vbi*,ita nec negatio è conuerſo.

11 *al. Sed corpus habere aliquod abſolutum hic, & non habere ibi ſimul,ſunt ſimul contradictoria de eodem, & ſimul,& ſecũdum idẽ.*

Hîc poſſet planè ſic argui,de eodem ſecundùm idem non ſunt ſimpliciter vera contradictoria,& non oportet addere ad idem,quando illud prædicatum eſt abſolutum:corpus ſi hîc non habet abſoluta,& ibi habet,hoc eſt idem,& ſimul,& ſecundùm idem.Duæ primæ conditiones patent. Probatio tertiæ, quia nihil aliud eſt hîc,& ibi, niſi *vbi*,& *vbi*: ſed nec affirmatio abſoluta, nec negatio ineſt ſecundùm *vbi*. Quod patet, quia poſito quòd corpus benè poteſt localiter moueri hîc, & ibi, non pro tanto, quia iſta inſunt ſecundùm *vbi* aliud, & aliud: tunc eſt fallacia conſequentis arguendo ſic: non mouetur hîc:ergo non mouetur, licèt teneat gratiâ materiæ, & ſimiliter, ſi idem haberet duas ſuperficies,ſecundùm vnam poſſet eſſe album, ſecundùm aliam nigrum: & non eſſet contrarietas,nec contradictio,quia non ineſſent ſecundùm idem:ſed de abſoluta affirmatione,& eius negatione,ſi inſint eidem, in quo non ſit differentia, niſi tantùm reſpectuum, manifeſtum eſt quòd ſecundùm idem ineruntquia illi reſpectus non poterant eſſe ratio, ſecundùm quam affirmatio, vel negatio ineſſet: quia reſpectus eſt poſterior naturaliter abſoluto.

12 *Ad arg. 1.*

Ad [b] argumenta principalia. Ad primum dicendum, quòd qui teneret iſtam maiorem, quòd nihil poſſet eſſe alibi manens in ſuo loco priori, niſi per conuerſionem alterius in illud, neceſſe haberet gloſſare illam propoſitionem, de eo quod primò incipit eſſe alibi,& dicere, quòd proprietates incipiunt eſſe hîc concomitanter, non autem primò.

Sed contrà hoc primò: quia ſaltem habetur, quòd aliquid eſt hîc ſine conuerſione

alicuius

alicuius in ipsum; & per consequens conuersio, siue propria mutatio non est propria ratio formalis, nec præcisa ad essendum hîc. Et præterea, alia est præsentia animæ hîc, & corporis: quia aliud, & aliud fundamentum: ergo præter illam præsentiam, quâ formaliter corpus est hîc, oportet dare aliam, quâ anima formaliter sit hîc: & ista non habetur per conuersionem: ergo maior est falsa.

Respondeo ergo, quòd mihi non est difficultas, quia dictam maiorem non credo veram, vt dictum est 1. *quæst. huius dist.* nec enim conuersio est ratio talis præsentiæ, nec propria mutatio ad talem præsentiam; sed sola virtus diuina per mutationem illam, quæ non est conuersio, facit illud, quod est alibi habere istam præsentiam hîc: & hoc potest facere ita de parte corporis, & proprietatibus, sicut de toto corpore.

Ad secundum, si tenetur quòd corpus, quod est primum signatum speciei panis, non continet per se sanguinem tanquam aliquid eius, iuxta illud, quod dictum est *suprà*, declarando suppositum, tunc facilis est responsio: quia tantummodo est sanguis concomitanter sub specie panis: & tunc non est ibi bis ex vi Sacramenti; nec tamen frustrà est concomitanter sub specie panis, cùm sit sub specie vini ex vi Sacramenti: quia hoc est ad saluandum veritatem rei contentæ, quæ, vbicumque ponatur, semper habet eadem absoluta. Nec sequitur, quòd incipit esse hîc postquam fuit hîc, loquendo de eodem modo essendi: præfuit enim hîc concomitanter, & incipit hîc esse ex vi consecrationis. 13 *Ad 2.* *Problema an sanguis sit sub specie panis, ex vi verborum.*

Si autem teneatur, quòd sanguis est per se pars corporis, vt corpus est primum signatum speciei panis, tunc oportet dicere, quòd bis est hîc sanguis ex vi Sacramenti. Sed adhuc non eodem modo: quia sub specie vini est per se, & primò, quia primum signatum eius. Sub specie verò panis est per se, sed non primò, imò aliquid primi signati. Nec tunc est frustrà, quia per se est sub specie panis, vt saluetur veritas rei contentæ primò. Nec incipit esse postquam est, eodem modo essendi: sed incipit esse primò, postquam non fuit primò, licèt per se habuerit ibi *esse*.

Ad aliud argumentum dico, quòd positis extremis, non oportet relationem extrinsecus aduenientem necessariò sequi: in hoc enim differt à relatione propriè dictâ, seu respectu intrinsecus aduenientes; præsentialitas autem ista est respectus extrinsecus aduenientes. Ad aliud, licèt absolutè posset corpus Christi poni esse sine aliis, puta sine anima, & sine aliis, tamen positâ exigentiâ corporis alibi cum istis proprietatibus, & partibus, non potest hîc esse sine illis, propter contradictionem de affirmatione, & negatione absoluti sub duobus respectibus.

## *COMMENTARIVS.*

25 a *De secundo membro distinctionis*, &c. In primo membro egit de connexione, & dependentia modorum essendi naturalis, & sacramentalis ad se inuicem; subiiciens corollarium, quod iam explicatum est. Hîc autem agit supposito vtroque modo essendi; an necessariò eædem partes, & proprietates insint corpori sub vtroque modo existendi: & loquitur de absolutis, vel quasi absolutis, saltem quæ non sequuntur per se modos essendi, aut positiones; sed absolutè conueniunt subiecto, vt abstrahit ab his.

26 *Conclusio est affirmatiua*: probat primò, quia nullum absolutum variatur propter respectu posteriùs, & extrinsecus aduenientem: tales sunt *vbi* in cœlo, & præsentia sacramentalis, quæ assimilatur respectui vbicali: ergo, &c. Hanc & sequentes probationes *suprà* tractauimus fusiùs, cum ipso in commento quæstionis secundæ.

*Triplex probatio conclusionis.* Reducitur tota probatio ad hæc tria, nempe ad prioritatem talium proprietatum, & reliquorum absolutorum, ad respectus extrinsecos modorum essendi: secundò, & sequitur ex priori, nempe, ex independentia, quam habent proprietates, & partes ad prædictos respectus: tertiò, & sequitur ex prædictis, nempe, affirmationem horum siue complexam, siue incomplexam, & negationem oppositam verificari circa subiectum absolutè, & sine vlla limitatione, vt supponitur ad modos essendi diuersos; hoc est, quòd neque mediantibus essendi modis, neque etiam dependenter ab ipsis insunt; ideóque neque distrahunt, neque determinant formas quantùm ad *inesse* ipsarum: sed habentur pro non adiectis; nisi quando adiunctâ reduplicatione denotarent causam inhærentiæ prædicati ad subiectum: vt hic Christus inquantùm præsens sacramentaliter est albus, est viuens, quæ est falsa: sicut & hæc inquantùm est præsens sacramentaliter est non albus, quia cum reduplicatione tali amittunt vim contradicendi. *Contradictoria nō admittunt limitationem.*

27 b *Ad argumenta principalia*, &c. Ad primum impugnat, & negat maiorem, quæ est D. Thomæ, nempe conuersionem alicuius in aliud, vt panis in corpus Christi esse rationem essendi corporis sub speciebus; quam hîc etiam impugnat, ex eo quòd aliquid sit hîc, vt anima, sub specie corporis absque eo, quòd aliquid in ipsum conuertitur: & si respondes, quòd illa propositio vera est de eo, quòd primò inest, & ex vi verborum: *Saltem*, inquit, *hoc habetur, quòd conuersio, vt est mutatio, non sit propria ratio formalis, & præcisa, quâ aliquid est hîc.* *Cōuersio sub ratione mutationis non ratio essendi hic.*

28 Ad secundum, nempe quòd sanguis non sit sub specie panis, quia frustrà bis poneretur in mysterio, &c. Respondet negando sequelam, ad cuius probationem, si teneatur sanguis non esse

*Qualiter sanguis sit sub specie corporis.*

pars corporis, aut de veritate eius, vt est primum signatum verborum, tunc dicitur esse concomitanter ratione connexionis, & non ex vi verborum, aut Sacramenti. Si teneatur esse de veritate corporis, dicendum quòd secundum sit ex vi verborum sub specie panis, vt pars primi contenti: primariò verò sub specie vini tanquam primum contentum, & signatum: quid autem sit secundùm mentem Doctoris, ex supradictis de sanguine patet dist. 8. quæst. 2. & infrà dicendis patebit.

Ad tertium patet ex litera, & iam dictis in probatione maioris, quâ secundum membrum fulcitur.

## SCHOLIVM.

*Infert corollariè illa concomitanter poni sub speciebus, quæ non sunt de substantia primi significati, scilicet corporis vel sanguinis, talia tamen sunt, vt sine eis modus naturalis primi signati esse nequeat. Ponit alium dicendi modum, quòd forma etiam absoluta potest esse præsens corpori, in vno* vbi, *& non in altero, pro quo subtiles adducit rationes, contra quas tria obijcit, & tandem nihil resoluit, sed dubius manet; in quo fauere videtur illi opinioni, quæ dicit, hominem posse mori in vno* vbi, *& viuere in altero, sed standum est ijs quæ dixit q. 2. n. 13. scilicet formas absolutas non variari ad variationem* vbi, *quod etiam expressè tenet infrà q. 6. num. 9. & quæ ibi dicit faciunt ad explicationem huius literæ. Vide Pitigian. hîc art. 6. qui tamen non videtur attingere sensum Doctoris.*

14 Ex [a] ista solutione apparet; quid est in Eucharistia primò vt significatum, & contentum, & quid est ibi non primò, sed concomitanter: quia illud, sine quo primum signatum non haberet *esse* modo naturali. [b] Et etiam posset dici, quòd non est necesse positâ existentiâ corporis Christi hîc; & ibi, quòd illa quæ insunt corpori sub vna existentia, insint sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis. Nec tamen sequitur contradictio, scilicet, quòd sit quantum, & non quantum; imò est quantum hîc, sed non quantitate, quæ sit hîc, sed quantitate, quæ est in cœlo.

*Nota.*

*Quæ cõtingenter vniuntur inter se, & cũ tertio, vnum sine altero cõuenire potest tertio.*

Pro hoc est ratio talis: Quæcumque contingenter coniunguntur inter se, & eidem tertio, potest vnum illorum conuenire illi tertio, absque hoc, quòd aliud conueniat eidem: sed præsentia substantiæ hîc; & præsentia quantitatis eius contingenter coniunguntur, & inter se, & respectu tertij, quod est corpus quantum: ergo potest corpus manere quantum positâ vnâ præsentiâ sine alia. Maior videtur plana, quia non est ratio inseparabilitatis eorum ex parte eorum inter se, cùm contingenter coniungatur, nec ex parte tertij, quia contingenter coniunguntur illi tertio. Minor probatur: patet enim, quòd præsentia substantiæ corporis, & præsentia quantitatis eius, est alia & alia, & neutra simpliciter includit alteram, quia neutra est de per se essentia alterius, nec per se causa eius: ergo contingenter coniunguntur inter se.

*Forma absoluta priùs perficit suũ perfectibile, quam ipsum, vel perfectibile habeant respectũ extrinsecum præsentiæ ad aliud.*

Probo etiam secundam partem minoris, scilicet quòd contingenter se habent ad hoc tertium, quod est corpus esse quantum: quia forma absoluta priùs naturaliter perficit suum perfectibile, quàm huiusmodi perfectibile, vel ipsa forma habeat respectum extrinsecus aduenientem; & istud esset euidentius si argueretur de corpore, & anima. Nam coniunctio animæ ad corpus requiritur ad existentiam substantiæ compositæ: illa autem substantia composita priùs est naturaliter quocumque respectu extrinsecus aduenientem: ergo substantia composita, vel quanta, seu corpus animatum, non habet hanc præsentiam, vel illam, & hoc ad aliquid extrinsecum ab istis, nisi contingenter sibi aduenienter, & sicut posterius naturaliter.

15 *Quod potest esse sine duobus coniunctis, quæ contingeter coniunguntur, potest esse cũ altero præcisè; huiusmodi sunt præsentia corporis, & præsentia quantitatis ad speciem respectu corporis, & sic corpus potest esse cũ altero tantùm.*

Ex hoc breuiter posset sic argui, quod potest esse sine aliquibus coniunctis, quorum coniunctio est contingens, potest esse sine altero illorum præcisè: corpus animatum, vel substantia quanta potest esse sine duabus illis præsentiis, scilicet, præsentiâ huius partis speciei Eucharistiæ, & præsentiâ illius partis: & illæ duæ præsentiæ contingenter coniunguntur, quia neutra est per se causa alterius: ergo & substantia quanta, vel corpus animatum potest esse cum vna præsentia sine alia: & tunc nihil aliud esset, nisi quòd quantitas informaret suum perfectibile, sed non haberet duplicem præsentiam, sicut habet suum perfectibile: & ita suum perfectibile est quantum vtrobique, sed non quantitate præsente vtrobique.

Contrà, vbicumque corpus est quantum, habet ibi illud, quod est formale principium essendi quantum: sed non habet ibi illud, nisi illud sit ibi præsens: ergo, &c. Item, quale est aliquid hîc, tale esset circumscripto per possibile, vel impossibile omni alio *esse*: sed si circumscriberetur quantitas sub *esse* naturali, corpus istud non esset quantum: ergo ipsum vt hîc non est quantum. Item, res Eucharistiæ posset ibi veraciter contineri,

tineri, absque hoc, quòd haberet alicubi *esse* modo naturali. Patet ex primo argumento huius solutionis: sed si nusquam alibi esset, sola res hîc contenta esset substantia: ergo ipsa non est quanta: & qualis tunc esset secùndùm formam absolutam, talis est nunc: ergo, &c. Ad rationem illam in contrarium de contingenti coniunctione præsentiarum inter se, & eidem tertio composito ex partibus absolutis. Responsionem quære.

## COMMENTARIVS.

29 a EX *ista solutione*, &c. Nempe tertij argumenti, vide suppositum huius quæstionis in principio.

b *Et etiam posset dici*, &c. Ex hoc textu, & sequentibus duabus rationibus Sotus *in hac dist. quæst.* 1. *art.* 2. & 5. etiam contendit de potentia absoluta posse Christi corpus esse præsens speciebus, sine quantitate, quam sub modo naturali habet, idque sensisse Doctorem. Quin etiam ita hanc literam interpretari videtur Dominus Scholiastes, vt plurimum faueat opinioni, quam *suprà in quæst.* 2. cum ipso Doctore impugnauimus.

Sotus.

*Posse corpus alibi, quantum, poni in Sacramento sine quantitate.*

Scholiastes.

*Sententia Doctoris.*

Cæterùm Doctor in hoc non fauet illi opinioni, vt patet ex illis verbis: *Nec tamen sequitur, quòd sit contradictio, scilicet quòd sit quantum, & non quantum: imò est quantum hîc, sed quantitate quæ est in cœlo*, &c. non est autem intelligibile, quomodo sit quantum hîc, si non ineat ipsi hîc sua quantitas.

30 Aliam ergo quæstionem diuersam, & valde Metaphysicam monet hîc Doctor, nempe an possibile sit separare à quantitate, vt est in subiecto, præsentiam formalem, quæ est relatio extrinsecùs aduenies; ita vt licèt sit in corpore Christi, etiam vt est in Eucharistia, eo modo, quo forma informans est in suo subiecto, non dicat tamen præsentiam ad species formalem, manente præsentiâ formali corporis ad ipsas species.

*An quantum possit esse in loco, sine præsentia formali.*

Hæc quæstio similis est illi, an posito corpore in loco modo quantitatiuo, possit Deus impedire vbicationem formalem corporis, vel positam tollere, manente corpore intra latera, & terminos loci, sicut priùs, quantùm ad præsentiam, & indistantiam fundamentalem sine relatione formali, quam Deus in eo casu tolleret, aut impediret, ne sequeretur. Hic ergo est sensus Doctoris, quando dicit: corpus Christi, vt in Eucharistia esset, in eo casu *esse quidem quantum hîc* (id est, habere formam quantitatis, & per modum informantis) *sed quantitate quæ est in cœlo*; id est, non solùm quoad absolutum, sed etiam quoad respectiuum præsentiæ formalis vt in cœlo est: in Eucharistia verò esset quoad absolutum, sed non quoad præsentiam formalem ad species; quæ est relatio extrinsecus aduenies, & producibilis, aut separabilis à Deo de potentia absoluta, manente eius fundamento & termino.

31 Hunc esse verum sensum Doctoris patet ex rationibus, quibus probat possibilitatem dicti. Prima est ex eo, quòd illa, quæ sunt contingenter ad se inuicem, & ad tertium, possint separari quoad vtrumque, aut quodlibet à se inuicem, & à tertio: sed præsentia corporis, & præsentia quantitatis contingenter se habent ad inuicem; neutra enim includit aliam; quælibet est diuersa ab alia, quia habent diuersa fundamenta, loquendo de præsentia entitatiua: vnde alia est præsentia corporis, alia quantitatis in Eucharistia, vtraque etiam contingenter se habet ad corpus quantum, quod est tertium, ad quod comparatur vtraque præsentia, tanquam ad fundamentum totale collectiuè.

*Sensus Doctoris ex probatione clarus.*

*Præsentia corporis, & quantitatis diuersa in Sacramento.*

Hæc ipsa est ratio, qua superiùs *quæst.* 1. §. *Dico ergo aliter*, &c. *num.* 14. probauit præsentiam localem sub modo quantitatiuo separabilem esse à corpore quanto per absolutam Dei potentiam, nempe ex eo, quòd contingenter se habeat ad species omnes talis præsentiæ: ergo ad genus: & sicut ibi ratio procedit de respectiuo, & non de absoluto; ita similiter hîc procedit de respectiuo præsentiæ sacramentalis, non autem de fundamento; nempe vt quantitas est forma informans subiectum, quod est corpus, & ad quod comparatur priùs naturâ secundùm rationem formæ perficientis, vt ad subiectum perfectibile, quàm comparatur vt fundamentum alicuius respectus ad extrinsecum, qui respectus sit adueniens extrinsecè, qualiter se habet qualitas ad relationem præsentiæ sacramentalis.

32 *Colligitur scopus literæ.*

Vnde cùm tertium illud sit corpus quantum, quod supponitur per modum subiecti respectiuè ad separabilitatem præsentiæ sacramentalis vtriusque, vel alterius; vt sunt relationes extrinsecus aduenientes; clarum est non esse quæstionem de separatione quantitatis à corpore quanto in Eucharistia: sed de separatione relationis præsentiæ à quantitate, vt ineat corpori, etiam in Eucharistia. Amplius hoc patet ex probatione secundæ partis illius minoris; nempe vtramque præsentiam tam corporis, quàm quantitatis, contingenter se habere ad tertium, videlicet ipsum corpus quantum: quæ probatio consistit in ratione iam præmissa; nempe quantitatem naturâ priùs dicere ordinem formæ ad subiectum perfectibile, quàm fundamenti ad relationem extrinsecus aduenientem: vnde colligit hanc contingenter aduenire & separari posse.

*Vtraque præsentia cõtingenter se habens.*

Hoc idem patet ex secunda ratione, nempe, quòd potest esse sine aliquibus coniunctis, quorum coniunctio est contingens, potest esse sine altero ipsorum: & hoc est manifestum, quia si negatio vnius non infert positionem alterius, & vtrumque sit separabile; sic etiam neque affirmatio vnius infert affirmationem alterius: sed corpus animatum, & quantum potest esse sine præsentia huius partis speciei, & præsentia alterius partis, quia sunt diuersæ, & neutra est causa alterius: sic autem se habet præsentia corporis ad præsentiam quantitatis; sicut præsentia ad vnam partem speciei ad præsentiam alterius partis: ergo potest esse præsentia corporis sine præsentia quantitatis, &c. Vbi loquitur semper de præsentia, quæ est relatio similis vbicationi, & aduenies extrinsecus. Declarat autem verbis sequentibus, quomodo id fieri potest, non separatione quantitatis à

33 *Contingenter coniuncta possunt separari.*

corpore in Euchariſtia, ſed ſeparatione præſentiæ formalis ab ipſa quantitate: *Et tunc*, inquit, *nihil aliud eſſet, niſi quòd quantitas informaret ſuum perfectibile* (ſi informaret: ergo ipſum ineſſet) *& non haberet duplicem præſentiam, ſicut habet ſuum perfectibile* (haberet nempe præſentiam in cœlo, & non haberet in Euchariſtia) *& ita huius perfectibile eſt quantum vtrobique* (id eſt, in cœlo, & in Euchariſtia) *ſed non quantitate præſente vtrobique*, &c. quia nempe deeſſet ipſi ſua præſentia formalis, ſeu relatio extrinſecus adueniens in Euchariſtia.

*Probatio ex litera.*

34 Tartaretus & Aretinus.

Ex his habemus & intentum Doctoris, & probationem eius: ſic etiam Tartaretus, & Aretinus, & alij intelligunt eundem; & intelligi debet: quia reſponſio illa, ſeu modus dicendi reducitur ad ſenſum rationis, quâ probatur, ſicut vniuerſaliter aſſertum cuiuſcumque Doctoris interpretari debet ex fundamento, per quod illud confirmat, & ex quo ſumitur veritas affirmationis, quæ ex medio probandi ſumit determinationem reſpectiuè ad intentum aſſerentis, & intellectum eius, ſeu aſſenſum.

35 *Confirmatur concluſio.*

Confirmatur itaque concluſio Doctoris, quia ad hoc, vt aliquid contineatur, ſeu inſit realiter in Euchariſtia, non exigitur præſentia quandoque diuerſa ab entitate rei; ergo vt corpus quantum realiter ſit in Euchariſtia, etiam vt quantum, ſaluari poteſt ſine præſentia, quæ ſit relatio ſuperaddita: & conſequenter aliud eſt quantitatem eſſe in Euchariſtia realiter, aliud verò habere præſentiam talem.

*Ex præſentia Deitatis.*

Antecedens patet, quia Deitas ſpecialiter eſt in Euchariſtia, & ad hoc ſufficit vnio hypoſtatica corporis ad ſuppoſitum diuinum ſine præſentia, quæ nequit fundari in Deitate: ergo ſimiliter quantitas ex præciſa vnione, ſeu inhærentia ad corpus eſſet in eo caſu in Euchariſtia realiter, quantùm ad entitatem, & exiſtentiam, quamuis non haberet relationem præſentiæ. Item ipſa præſentia corporis eſt realitèr in Euchariſtia ratione ſuæ inhærentiæ ad ſubiectum ſine alia præſentia ſuperaddita: ex quo habetur exiſtentia alicuius in Euchariſtia, ſine eo quòd fundat relationem nouam præſentiæ diſtinctam.

Item ſecundò, exiſtentia rei diſtinguitur & ſupponitur ad modum exiſtendi: ergo poteſt rectè concipi, vt prior naturâ, quàm adueniat ei modus exiſtendi. Antecedens, & conſequentia ſunt nota ex hoc myſterio: ergo poteſt fieri quantitas cum ſua exiſtentia hìc ſine præſentia ad ſpecies.

36 *Poſſe Chriſtũ eſſe ſub ſpeciebus ſine præſentia.*

Probatur conſequentia, quia Deus poſſet ponere corpus Chriſti in eodem loco ſpecierum ſeclusâ conuerſione ſubſtantiæ panis & vini in ipſum, ſiue illæ manerent, ſiue non manerent; poſſunt enim deſinere per meram, & abſolutam annihilationem abſque ſui conuerſione in corpus, & ſanguinem, & ſecluſo omni ordine ad hæc.

*Nulla eſſet coniũctio eius ad ſpecies.*

In eo caſu nulla eſſet per ſe coniunctio, aut præſentia Chriſti ad ſpecies ſacramentales, quamuis indiuiſibiliter eſſet in eodem loco, in quo ſunt ſpecies; tamen non eſſet ſub ſpeciebus; neque moueretur ad motum ſpecierum, neque deſineret eſſe corruptis ſpeciebus; neque maneret etiam ad permanentiam ſpecierum; neque ſpecies eſſent ſignum ſacramentale eius, aut ſenſui, aut intellectui: ergo ſimiliter poteſt quantitas eſſe in corpore Chriſti ſecundùm realem exiſtentiam & indiuiſibilem, abſque præſentia fundata in quantitate ad ipſas ſpecies.

*Poſſibilitas oſtenditur huius caſus.*

Patet conſequentia, quia in eo caſu corpus Chriſti exiſtens indiuiſibiliter in eodem loco ſpecierum poſſet de nouo recipere præſentiam ad ipſas ſpecies ratione ſui tantùm, quâ ſubſtantia eſt; reſpectu cuius neque quantitas eſſet conditio, neque fundamentum, neque cauſa, ſed ſola Dei voluntas: ſed ex hoc non ſequitur quòd corpus in eo caſu, vt realiter hìc exiſtens eſt, & habuit quantitatem antecedenter ad præſentiam ad ſpecies, deſineret eſſe quantum, aut ipſa quantitas deſineret ſecundùm priorem exiſtentiam abſolutè; aut deſineret informare corpus, quia nullam dicit repugnantiam ad præſentiam talem in corpore, aliàs de facto non maneret in Euchariſtia: ſed in eo caſu etiam informaret corpus, & non haberet præſentiam ſacramentalem; neque ex natura rei ipſi debetur, cùm ſit modus exiſtendi ſupernaturalis, ad quem eſt in potentia tantùm obedientiali, ſolius non repugnantiæ.

37

Dices, ei deberi ex ſuppoſitione exiſtendi in corpore, & ſimul præſentiæ corporis ad ſpecies. Contrà, ad ſaluandam eius exiſtentiam in corpore vt ſubiecto, ſufficit quòd ponatur ſine extenſione, & recipiat modum indiuiſibilem exiſtendi corporis, vt ſit ſecundùm exiſtentiam ſuam, vbicumque eſt corpus hoc modo: ſed ex vi prioris locationis, quo poneretur corpus præſens indiuiſibiliter in eodem loco cum ſpeciebus, haberet illum modum eſſendi, antequam vniretur, ſeu coniungeretur corpus ipſis ſpeciebus, tanquam ſignatum per præſentiam ſacramentalem; ergo ex neceſſitate eſſendi non infertur talis neceſſitas ſuppoſitionis, aut conſecutionis præſentiæ quantitatis; neque ex ipſa præſentia corporis infertur rectè illa neceſſitas.

*Poſſet fieri corpus præſens indiuiſibiliter ante conuerſionem.*

Quia ſunt alia, & alia præſentia ſupernaturalis, & cauſantur liberè à Deo; & poteſt manere præſentia corporis inuariata, deſinente tam quantitate, quàm omni eius præſentia: ergo præſentia corporis non infert tanquam prior eſſentialiter præſentiam quantitatis ad ſpecies; neque præſentia etiam quantitatis præſentiam corporis.

Quia poſſet Deus conuertere quantitatem panis in quantitatem corporis præciſè; ita vt quantitas ipſa corporis eſſet primum ſignatum, & corpus ſe haberet concomitanter: ergo nullus eſt ordo eſſentialis inter has præſentias; aliàs altera ipſarum deberet eſſe ſemper concomitans; altera per ſe prima, vt ſeruaretur ordo eſſentialis inter ipſas præſentias, quo altera eſſet prior, altera poſterior.

*Non eſſe ordinem eſſentialẽ inter præſentias.*

38

Exemplo declaratur tenendo ſanguinem eſſe per ſe partem corporis etiam integrantem; vt illi tenent, qui dicunt eſſe animatum; ſaltem eſt pars ſuo modo corporis viui, vt nos dicimus, quantùm ad ſubſiſtentiam eius requiſitam: ponitur autem concomitanter ſub ſpecie panis iuxta primam ſententiam, tanquam pars primi contenti: ſub ſpecie verò vini ponitur per ſe primò, tanquam ſignatum ex vi verborum, & corpus concomitanter: vnde inter has præſentias corporis, & ſanguinis non eſt aliquis ordo eſſentialis,

*Inter præſentiam corporis, & ſanguinis non eſt ordo eſſentialis.*

tialis, neque ex parte fundamenti, aut termini, neque ex parte ipsarum formarum: perinde se haberet quantitas, & corpus & præsentiæ vtriusque ad species.

39 Hanc cõclusionem de facili admitterent, quotquot asserunt posse separari à corpore quantitatem in Eucharistia, eâdem manente in cœlo: & quotquot admitterent fieri posse, vt corpus Christi de potentia absoluta poneretur alibi diuisibiliter, vel indiuisibiliter absque conuersione alterius in ipsum.

Quantùm autem ad præsentem difficultatem, perinde est, siue dicatur præsentia sacramentalis relatio, aut modus: quia dicendo hoc vel illud, perinde est separabilis à suo fundamento diuina actione, per quam solùm poni potest, & non ex natura fundamenti tanquam resultans. Alia itaque est hîc in casu, vt formatur, præsentia formæ ad subiectum, quæ & fundamentalis est: & hæc semper manet, & quamdiu vllibi est in subiecto, est etiam ad idem subiectum concomitans, vbicumque est, & secundùm omnes modos existendi eius alia ab hac præsentia ipsius formæ, vt est ad aliud extrinsecum, & hæc vocatur formalis & vbicalis; illa verò informationis.

40 *Sensus Scholiastæ, & aliorum, eiúsque fundamentum.*

De fundamentali intellexit Scholiastes hunc passum, non tam perpendens rationem assertionis Doctoris, quæ solùm tangit formalem præsentiam, quàm verba responsionis, & vim argumenti, ad quod respondet, & confirmationum sequentium, vt iacent ad oppositum quæstionis, quæ agunt de inexistentia formæ magis directè: deinde etiam obiectiones *infrà* subiectæ concludunt per se de separatione formæ. Vnde §. *Ad rationem illam*, &c. *sub finem quæstionis* remittit Doctor ad solutionem quærendam ex aliis locis, quâ respondeatur fundamento à se allato ex contingentia vtriusque præsentiæ corporis, & quantitatis tam inter se, quàm etiam ad tertium: vnde expositores citati dicunt eum esse dubium in conclusione præmissa. Accedit etiam quòd ipsa conclusio, vt iacet absolutè comprehẽdat vtramque præsentiam tam inexistentiæ, quàm relationis: nisi sumatur limitatio eius ex sequentibus verbis, & simul ex probationibus, vt sumi debet. Ad argumentum autem *suprà* factum respondit Doctor directè §. *Ad aliud argumentum dico*, &c. quæ est prima solutio, & concernit existentiam formæ, docens etiam vbicationem formalem posse separari à corpore in loco. Quia præterea vlteriùs argumentum comprehendit etiam formalem, & sacramentalem, ex occasione eius subdit secundam solutionem, in qua præcisè responsionem limitat ad hanc præsentiam, nihil agens de præsentia fundamentali, seu inexistentia formæ informantis corpus: quæ responsio magis quadrat principiis, quibus *suprà* probat præsentiam sacramentalem à ratione; & iis, quæ in sequentibus tractat: respondendum ergo erit ad obiectiones.

41 *Contrà, vbicumque corpus*, &c. Prima obiectio: quia vbicumque est corpus quantum, ibi habet principium formale essendi quantum; sed non habet ibi illud, nisi illud ibi sit præsens: ergo, &c. Respondetur distinguendo minorem; nisi sit præsens præsentiâ formali, & fundatâ in forma respectiuè ad extrinsecum terminum subiecto, nego: præsentiâ fundamentali per inexistentiam subiecto, concedo: & hæc sufficit, vt saluetur existentia formæ in Sacramento. Ad secundam obiectionem respondetur, simpliciter negando minorem, vel distinguendo ly *quantum*: vel in ordine ad se, conceditur, in ordine ad extrinsecum, & modum naturalem essendi, negatur.

Ad tertium similiter negatur minor.

Vltimò quatenus dicit responsionem quærendam esse ad rationem de contingentia relationum, seu præsentiarum ad se, & ad corpus quantum, videtur non perfistere in iam determinatis. Quidam eum esse dubium respondent, vel potiùs problematicum: sed sequendum magis est quod ipse per se determinat; & magis consentaneum est suis principiis.

Litera quidem est obscura, propter ambiguam acceptionem illius termini, *quantum*: eius ergo interpretatio sumenda est ex probationibus, & ex aliàs dictis *in quæstione 1. & 2. & in hac ipsa*, quarum resolutio omnino corruit; si dicatur, quòd quantitas, quæ inesset corpori alibi, non inesset in Sacramento. Sequendo ergo interpretationem præmissam, eodem modo dicendum est eum esse problematicum in eo, quòd est præsentiam formalem separabilem esse à quantitate in Sacramento, manente ipsâ quantitate. 42

*Sustinetur sententia negatiua.*

Negando itaque separabilitatem huius præsentiæ in eo casu. Respondetur ad argumentum de contingentia, negando minorem: nam licèt non sit ordo prioris, & posterioris inter præsentiam formalem corporis, & præsentiam formalem quantitatis informantis corpus, vt comparantur ad se inuicem immediatè, quasi vna esset causa, aut ratio alterius, vel de eius conceptu, & ratione, tamen est ordo essentialis concomitantiæ; sicut inter correlatiua, qui est ordo simultatis; qui ordo etiam est essentialis ex modo se habendi ad sua fundamenta, & ex modo, quo ipsa fundamenta se habent ad inuicem: simultas enim ex aliqua priori radice oritur, ad quam ea, quæ sunt simul per se essentialiter dependent: vnde dici potest ordo essentialis, vt est ab illa radice, vel causa, hoc est, in aliquo priori, vt essentialiter inclinantur vniformiter ad posteriora, quæ sunt simul; verbi gratiâ, ignis ad calorem, & siccitatem, quæ simul emanant: intellectuale ad intellectum, & voluntatem, si distinguantur à subiecto realiter. Exempla enim huius sunt obuia in formis per se concomitantibus, vt respiciunt causam illius concomitantiæ.

*Essentialis cõcomitantia inter respectus.*

Sic ergo in proposito connexio naturalis, quæ est inter quantitatem, & subiectum inhæsionis est radix simultatis inter præsentias formales corporis, & quantitatis inhærentis; ita vt sicut repugnat corpus ipsum poni indiuisibiliter sub speciebus, quin similiter quantitas eius indiuisibiliter ponatur sub iisdem: ita etiam repugnat præsentiam corporis formalem poni, quin etiam ponatur præsentia formalis quantitatis inexistentis: & huc spectat authoritas Tridentini sæpè citata, quæ ex connexione naturali aliorum ad primum signatum speciemum, colligit præsentiam eorum per concomitantiam. Declaratur etiam exemplo, quia repugnat, præsentiam secundùm modum naturalem existendi esse in corpore, aut quantitate præcisè sine concomitante præsentia alterius, quia connexio, & modus essendi vtriusque concomitantiam vbi- 43

*Concomitantia fundatur in connexione naturali.*

cationis infert: ergo ſimiliter modus eſſendi indiuiſibilis, cum connexione naturali vtriuſque in *eſſe* infert præſentiam formalem vtriuſque indiuiſibilem.

44 Et per hoc patet ad rationes factas pro concluſione affirmatiua. Et hanc partem confirmant tres obiectiones; ad quas proximè reſpondimus. Nam ex inſeparabilitate quantitatis à corpore, vt eſt in Sacramento, ex ſuppoſitione, quòd alibi ſit quantum, infert Doctor præſentiam formalem etiam quantitatis in Sacramento, quâ ſit illi præſens formaliter, & non tantùm per inhæſionem ad ſubiectum; ſed per ordinem ad ſpecies: *Vbicumque*, inquit, *corpus eſt quantum habet ibi illud, quod eſt formale principium eſſendi quantum*, &c. Hæc eſt maior primæ obiectionis; & ſupponit corpus quantum eſſe in Euchariſtia eo caſu: mox ſubſumit: *Sed non habet ibi illud* (ſupple principium per quod eſt quantum) *niſi illud* (ſupple principium) *ſit ibi præſens: ergo.* Minor itaque negat quantitatem poſſe eſſe in corpore ad ſenſum, & ſuppoſitionem maioris (quæ non comprehendit quantitatem, vt eſt in corpore alibi: ſed vt eſt in corpore, vt eſt hîc) & negat quantitatem ſaluari poſſe in corpore, vt eſt hîc, niſi etiam ſaluetur præſentia eius formalis, & propria ad ſpecies.

Vnde ſequitur intentum Doctoris non reſpicere ſeparationem quantitatis à ſubiecto, vt eſt hîc, ſed à præſentia tantùm formali, & ſacramentali, quò tendit ſecunda, & tertia obiectio eius. Eſt ergo problematicus in hoc; An ſcilicet præſentia formalis ſit inſeparabilis à quantitate, vel à corpore, manente præſentiâ formali alterius, & ſimul connexione naturali: non autem dubitat de eo quod aliàs reſoluit, nempe quantitatem exiſtentem in ſubiecto ſemper ipſi ineſſe, etiam vt eſt alibi.

---

## QVÆSTIO V.

### *Vtrùm quæcumque actio immanens, quæ eſt in Chriſto naturaliter exiſtente, inſit ſibi in Euchariſtia ſacramentaliter exiſtenti?*

D. Thom. 3. *part. q. 76. art. 7. & q. 91. art. 4.* D. Bonau. *hîc* 2. *part. art. 2. q. 2.* Rich. *art. 3. q. 2.* Palud. *quæſt. 4.* Capr. *quæſt. 4.* Marſil. *quæſt. 8.* Suarez 3. *part. tom. 3. diſp. 53. ſect. 2.*

1 *Argum. 1.* AD ſecundum ſic proceditur, & arguitur quòd non quæcumque actio immanens, quæ ineſt Chriſto naturaliter exiſtenti, inſit ſibi ſacramentaliter in Euchariſtia exiſtenti: quia nec auditio, nec viſio, & ſic vniuerſaliter de ſenſatione. Probatur primò, quia obiectum non eſt ſibi præſens in debita proportione requiſitâ ad talem actum, loquendo de obiecto, quod eſt ſibi præſens, vt in cœlo.

*Argum. 2.* Secundò, quia organum non habet hîc modum extenſiuum, ſub quo, & non aliter eſt receptiuum ſenſationis.

*Argum. 3.* Tertiò, quia inter oculum, vt hîc, & obiectum, vt in cœlo, eſt obſtaculum prohibens multiplicationem coloris, vel lucis: ergo, &c.

*Argum. 4.* Quartò, quia hîc non ſentit ea, quæ ſunt hîc præſentia: ergo multò minùs aliquod aliud ſenſibile. Antecedens probatur, quia organum ſenſus non eſt hîc ſub modo requiſito ad ſenſationem.

*Ratio opp.* Contrà, quia tunc ſimul eſſet videns, & non videns idem obiectum, & eodem modo de aliis ſenſationibus; conſequens eſt falſum, quia contradictoria ſimpliciter ineſſent eidem. Euidentia huius rationis patet ex ſolutione quæſtionis præcedentis articulo ſecundo.

Item, operatio eſt perfectio potentiæ operatiuæ, & in ipſa conſiſtit beatitudo ipſius potentiæ: ipſam etiam conſequitur delectatio proportionata perfectioni operationis; pa-

*Cap. 4.* tent hæc omnia *ex* 10. *Ethicorum:* ergo ſi oculus Chriſti, vt hîc, careret viſione, quam habet in cœlo, careret hîc ſuâ propriâ perfectione: & hæc eſt beatitudo eius, eo modo quo viſus dicitur beatificabilis. Careret etiam delectatione conſequente illam operationem perfectam; & tunc ſequeretur, quòd oculus vt hîc, eſſet miſer, & cum dolore, & triſtitia: quia quòd tollit delectationem, eſt doloroſum, & triſte, & tunc ſimpliciter eſſet contra appetitum naturalem ſenſitiuum, quod haberet *eſſe* in Euchariſtia.

### SCHOLIVM.

*Explicat, quid ſit primò ineſſe vt hîc, & concomitanter ineſſe vt hîc; & ponit tres concluſiones. Prima, Chriſto vt in Euchariſtia concomitanter ineſt omnis operatio, quæ primò ineſt ipſi vt in cœlo. Probat primò, quia operatio eſt abſolutum, & ſic non dependet ab* vbi, *iuxta dicta quæſt. præced. & latiùs quæſt. 2. Secundò, ſi anima Chriſti intelligeret vt viator, haberet ſenſationem, etiam in Euchariſtia, quia in ea haberet intellectionem. Tertiò, dolor infuiſſet hîc, ſi in modo naturali infuiſſet Chriſto.*

Reſpondeo

Respondeo primò, dicitur aliquid inesse Christo, vt hîc, quòd sibi inesset, si nusquam alibi esset nisi hîc, concomitanter autem dicitur aliquid sibi inesse hîc, quod primò inest sibi, vt alibi, & ex hoc sibi inest, vt hîc propter identitatem subiecti, & formæ. 2

Secundùm hoc ergo est prima conclusio, scilicet quòd Christo, vt hîc, concomitanter inest omnis operatio, quæ primò sibi inest, vt in cœlo. *Conclus. 1.*

Secunda conclusio est, quòd nulla sensatio potest primò inesse Christo, vt in Sacramento. *Conclus. 2.*

Tertia, quòd operatio spiritualis, vt intellectus, & voluntatis potest primò inesse Christo, vt in Eucharistia. *Conclus. 3.*

Prima conclusio probatur, primò in vniuersali per hoc, quòd nullum absolutum desinit esse in aliquo propter nouum respectum extrinsecus aduenientem: operatio autem est forma absoluta, vt ostensum est *in primo lib. dist. 3.* ergo propter præsentiam nouam, quæ est respectus nouus extrinsecus adueniens, non desinit illa operatio inesse suo subiecto. Euidentia huius rationis potest haberi ex fine solutionis, præcedentis quæstionis, vbi ista ratio diffusiùs pertractatur. *Prob. 1. cõcl. q. 6. n. 32. & quodl. 13. & 15.*

Dicunt quidam ad hoc, quòd maior est vera de forma simpliciter absoluta: operatio autem non est sic absoluta, quia requirit respectum potentiæ ad obiectum. 3

Contrà, etiam aliæ quantitates, vel qualitates in suo *fieri* dependent ab approximatione agentis, vt patet de calore, & frigore, & aliis qualitatibus, ad quas est alteratio: & tamen in *esse* suo sunt simpliciter absolutæ. Similiter operationes in suo *fieri* non requirunt talem respectum, & hoc vbi infiunt concomitanter, & non primò: apparet enim, quòd si corpus Christi in cruce fuit infrigidatum, frigus etiam fiebat in corpore Christi, vt in pyxide concomitanter, sed non primò: & ad illud *fieri* non requirebatur approximatio agentis ad passum ibi: ergo à simili ista qualitas, cùm sit in se absoluta, licèt in *fieri* requirat præsentiam obiecti ad potentiam, hoc non erit, nisi vbi primò insit: potest ergo concomitanter infieri sine tali respectu. *Quomodo operatio dependet à respectu ad obiectum.*

Respondent, quòd operatio magis includit respectum, quàm aliæ formæ, de quibus arguitur, puta calor, frigus, & huiusmodi: quia illæ tantùm requirunt respectum agentis ad passum, & hoc vbi infiunt primò, sed post suum *fieri* in *esse* proprio, non requirunt huiusmodi respectum: sed operatio est in continuo *fieri*, & ideò requirit continuam approximationem potentiæ ad obiectum. Et ex hoc videtur, quòd magis repugnet isti infieri, vel inesse sine tali respectu, quàm calori.

Dico, quòd licèt sit in *fieri* continuè, tamen non sequitur, quin concomitanter possit inesse, & continuè infieri sine obiecti præsentia, vel approximatione. Sicut enim calor potest infieri corpori in Eucharistia sine approximatione agentis, vt ibi: ita si *esse* caloris esset in *fieri*, semper posset causari calor in corpore in hostia, & tamen sine tali approximatione: non enim magis requiritur continuus respectus ad *fieri* continuum, quàm ad *fieri* transiens, respectus pro tunc præsens.

Et [b] si obiicias, ad operationem requiritur respectus ad obiectum, non tantùm, vt est causa in *fieri*, sed cum hoc requiritur obiectum in ratione terminantis: sicut ergo impossibile est operationem esse, & non terminari ad obiectum, sic impossibile est, quòd alicubi insit, & vt ibi non terminetur ad obiectum præsens. Dico, quòd non oportet obiectum in se esse præsens propter terminationem actus, sed tantùm propter causationem: ita quòd quando est aliqua causa sufficiens ipsius actus, non requiritur præsentia obiecti propter terminationem: sicut patet de vidente creaturam in essentia diuina, si essentia esset causa illius visionis, non requiritur illud obiectum ad quod terminatur hæc visio præsens propriâ præsentialitate. 4 *Obiectum requiritur præsens ad causandum, non ad terminandum.*

Secundò, probatur hæc prima conclusio in speciali, quia omnis intellectio inest Christo ibi, & hîc: sed si anima Christi intelligeret præcisè secundùm modum intelligendi animæ viatoris, non habere intellectionem intuitiuam istius obiecti sine sensatione concomitante eiusdem: ergo cùm illam intellectionem haberet eandem hîc, & ibi, sequitur quòd etiam sensationem requisitam ad ipsam haberet hîc, sicut ibi.

Tertiò probatur sic, quia passio appetitus sensitiui, vtpote dolor, eadem infuisset hîc, & ibi: ergo sensatio eadem. Antecedens probatur, quia mors secuta fuisset hîc, sicut ibi: ibi autem sequebatur ad dolorem immoderatum: ergo & hîc. Consequentia prima probatur, quia non est idem effectus sine eadem causa, & hoc non ponendo miraculum, & loquendo de causa naturali præcisa: dolor est effectus sensationis, vel obiecti non nisi sensati: ergo non potest esse idem dolor sine sensatione eadem absque miraculo. *Dolor est tantùm de obiecto sensato.*

Respondent quidam, quòd actus imaginationis sufficeret ad hoc in Christo, scilicet

ad illum dolorem. Contra hæc dupliciter: primò, quia reſponſio deſtruit ſe: non enim poſſibile eſt actum imaginationis ineſſe, cui actus ſecundùm ſenſum non poteſt ineſſe: quia imaginatio eſt motus factus à ſenſu. 2. *de Anima.* Secundò, quia imaginatio non eſt cauſa doloris eiuſdem ſecundùm ſpeciem, cuius cauſa eſt ſenſatio exterior; alioquin ſomnians doleret dolore eiuſdem ſpeciei cum dolore vigilantis.

*Text. com. 160.*

## *COMMENTARIVS.*

1 *Ineſſe primò, & ineſſe ſubiecto concomitanter.*

2 RESpondeo primò, &c. Præmittit diſtinctionem inter ea, quæ primò inſunt ſubiecto, vt eſt in loco determinato, ſeu præſentia, & ea quæ concomitanter inſunt: & dicit illa, quæ non ineſſẽt ſubiecto, ſi nullibi eſſet hîc, niſi eſſe primò in ſubiecto vt hîc: concomitanter autem aliquid ineſt ſubiecto, vt hîc, quod primò ineſt ipſi, vt alibi, propter identitatem ſubiecti & formæ.

*Duplex comparatio formæ ad ſubiectum.*

Pro intellectione huius aduertendum eſt, quòd ſubiectum poteſt ad duo comparari, nempe ad agens, & actionem, per quam tranſmutatur; ſecundò, comparatur ad ipſam formam, quam habet tranſeunte actione, quæ eſt terminus ipſius actionis, vel quod idem eſt, comparari ad formam in *fieri*, & in *facto eſſe*: intelligendo formam in *fieri*, vt exit à virtute agentis tranſmutantis ſubiectum.

Si comparetur ad formam in *fieri*, & mediante ipſa ad agens, ſequitur modum, & determinationem agentis in ordine ad locum; ita vt quando agens nequit cauſare formam, niſi indeterminata diſtantia, & exigens applicationem paſſi, tunc forma recipitur primò in paſſo, vt eſt intra talem diſtantiam, quam nequit attingere virtus agentis, niſi vt in tali diſtantia eſt, cùm ergo ſubiectum non ex ſe habet formam, ſed per virtutem agentis, ideò dicitur primò habere formam in eo loco, in quo ſubeſt virtuti, & actioni agentis. Si autem forma eſt talis, vt deinceps poſita in *eſſe* abſoluatur à dependentia ad agens, erit concomitanter in omni loco, vbi eſt ſubiectum: *Propter identitatem formæ, & ſubiecti*, inquit Doctor, nempe reſpectiuè ad prædicata contradictoria, quia poſita iam forma in *eſſe*, ſicut non dependet ampliùs ab agente, ita etiam non dependet à loco, aut diſtantia determinata ad agens: ad illa nempe ideò præcisè dependebat, quia dependebat ad agens, & eius virtutem limitatam: vnde ex natura ſubiecti, quà præcisè comparatur ad formam, vt perfectibile, & ex natura formæ, quà eſt actus informans, & perficiens, nulla habetur determinatio ad locum, aut diſtantiam, quæ merè extrinſeca ſunt, & ſi poneretur ſubiectum in ſpatiis imaginariis, aut vacuo, perinde ſe haberet ad formam, & forma ad ipſam, ac ſi eſſent in loco.

*Quare abſoluitur à loco forma, vt ineſt ſubiecto.*

Quòd ſi autem forma ſit talis, vt continuò dependeat ab influxu ſuæ cauſæ, & ſemper ſit in *fieri*, vt ea, quæ eſſentialiter ſunt influxu, verum erit quantùm ad *fieri* ſemper dependere à loco determinato: ſi tamen illud *fieri* habeat etiam *factum eſſe* conſequens in forma etiam ſecundùm *eſſe*, forma erit in ſubiecto alibi, & concomitanter, vt infrà dicit Doctor, & ibidem explicabitur, niſi dependeat à loco, aut ſupponat locum eſſentialiter.

Hoc ſuppoſito tres concluſiones ſubiicit, & ſuo ordine declarat & probat.

2 *Prima concluſio.* Quòd Chriſto in Euchariſtia ineſt concomitanter omnis operatio immanens, quæ primò ipſi ineſt, vt in cœlo eſt. Probat primò, ex ratione generali, quia operatio eſt forma abſoluta, quæ non mutatur propter reſpectum aduenientem extrinſecus: vide ipſum alibi, *vt in primo diſt. 3. quæſt. 6. & 7. diſt. 27. quæſt. 1. diſt. 12. q. 1. diſt. 6. quæſt. 1. in 4. diſt. 11. quæſt. 2. quodlibeto 13. & 15.* & aliàs ſæpè. Dices dependere ab obiecto. Contrà, ſic etiam quantitas & qualitas in ſuo *fieri* dependent ab agente; tamen in ſuo *eſſe* comitantur *eſſe* ſubiecti, vt ſi calefieret in cœlo, aut in Cruce, etiam eſſet calidum in pyxide. Circa hoc punctum quod generalius eſt, quàm præſens quæſtio, eſt controuerſia: aliqui enim negant virtute agentis naturalis poſſe ineſſe mutationes in ſubiecto alibi poſito concomitanter, ſed commodiùs quæſtione ſequenti id declarabitur.

*Ineſſe Chriſto operationes immanentes in Sacramento.*

*Dubium in ſequenti quæſtione ſoluendum.*

Adducit reſponſionem aliorum, qui dicunt operationes magis includere reſpectum, quàm qualitates alias, quia tantùm in *fieri* requirunt præſentiam agentis, non in *facto eſſe*: non ita operatio, quæ exigit præſentiam obiecti tam in *fieri*, quàm in *facto eſſe*. Reſpondet, quòd nec inde ſequitur quin per concomitantiam etiam ſubiecto alibi inſit. Ratio eſt, quia vt *ſuprà* dixi, ex virtute agentis, & approximatione habet forma, vt primò ſit hîc in ſubiecto: non tamen ex virtute agentis habet poſtquam ineſt, vt alibi inſit ſubiecto per concomitantiam, ſed ex identitate ſubiecti, & formæ, quod vniuerſim verum eſt tanquam ex cauſa præciſa.

3 *Reſponſio.*

Vnde ſi idem ſubiectum replicaretur intra eandem ſphæram actiuitatis, poſtquam primò accepit formam in *fieri* ab agente, eandem etiam haberet ſubiectum replicatum, non ex virtute agentis: ſed ex identitate ſubiecti & formæ (& hoc etiam intelligitur tantùm de formis, quæ non dependent à loco) quia licèt ſubiectum replicaretur, non ideò actio, vt tranſiens, ab agente replicaretur, ſed maneret reſpectiuè ad ſubiectum præcisè in eadem diſtantia, & ſitu collocatum, quo fuit primùm elicita: neque aliam differentem numero poſſet recipere ſubiectum replicatum, quia iam haberet formam eandem, neque eſt ad ipſam in potentia.

*De ſubiecta replicato intra eandem ſphæram.*

b *Et ſi obiicias ad operationem requiritur*, &c. Hîc videtur aſſerere ad cognitionem intuitiuam non requiri obiectum terminatiuum præſens. Contrà, docet variis in locis, vt infrà diſt. 45. quæſt. 2. §. *Ad quæſtionem*, &c. *in probatione ſecundi. & in 3. diſt. 14. quæſt. 3. & in 2. diſt. 3. quæſt. & aliàs ſæpè*, intuitiuam eſſe ait rei exiſtentis, & præſentis. Sed reſpondetur eum loqui hîc de cognitione intuitiua latè, cuius plures modos aſſignat, vt patet *in 3. diſt. 14. quæſt. 3.* vbi diſtinguit perfectam, & imperfectam intuitiuam. Quando ergo dicit non requiri præſentiam obiecti ad terminandum intuitiuam, intelligit de intuitiua impropriè dicta, ſeu imperfecta, vt exemplum ſubiectum indicat: de quo *in primo diſt. 2. quæſt. 4.* Poteſt & teneri vniuerſaliter doctrina: quia ideò requiritur præſentia obiecti, quia ſcipſo immediatè concurrit

4 *Reconciliatio ſententiæ Doctoris.*

*Viſio intuitiua quomodo ſe habet ad obiectum.*

concurrit in propria existentia, & præsentia ad intuitiuam: quòd ergo sit ipsius, vt præsentis tanquam terminatiui, ideò est, quia sic est ipsius, vt motiui, & mouentis. Sed de hac quæstione aliàs agendum erit.

5 *Responsio ad obiectionem.* Quantùm ad obiectionem non requirit discussionem huius quæstionis, quia vnus, & idem actus vnam tantùm habet tendentiam, neque constituit eandem potentiam operantem aliter: visio ergo, vt est in cœlo, constituit videntem, non verò vt in Sacramento, licèt ibi etiam sit contemitantes, quantùm ad absolutum operationis, non autem quantùm ad attingentiam obiecti.

Hoc existimo dicendum iuxta principia hactenus tradita de iis, quæ consequuntur loci præsentiam, quoniam hæc oportet variari secundùm diuersitatem locorum: vnde Christus si desineret visio sub modo naturali in cœlo, Deo conseruante absolutum visionis corporalis in ipso in Eucharistia, nihil videret, quia ad visionem in genere requiritur, vt obiectum sit præsens in se, vel saltem in aliquo eminenter continente obiectum, neutrum horum esset in eo casu: ergo non videretur. *Præsentia obiecti ad visionem requiritur.* Hoc idem patet ex secunda conclusione, quæ docet nullam sensationem posse esse in Christo, primò vt est in Eucharistia: in eo autem casu esset in eo sensatio primò, vt est in Eucharistia, quantùm ad *conseruari* saltem, si videret obiectum.

6 *Replica. Responsio. Requiri extr. sionem, tam potẽtia, quàm obiecti.* Dices hinc colligi, quòd neque absolutum sensationis in eo conseruari posset. Respondetur negando sequelam, quia secunda conclusio intelligitur tam de absoluto, quàm respectiuo, vt patet ex fundamento ipsius propter indispositionem potentiæ, quæ est materialis, & exigit extensionem sui, vt tendat in obiectum, & obiectum requirit extensionem sui, vt terminet potentiam, vel agat in ipsam, vt patebit infrà quæst. 9. §. *Secundò dico*, &c.

Non minùs autem requiri extensionem ex parte potentiæ, ad hoc vt actu sentiat mediante operatione, id est, tendat in obiectum, patet ex 4. ad oppositum, & responsione eius: admittit enim antecedens, & negat consequentiam. Patet etiam ex responsione ad secundum, & ad primum. Prima autem conclusio Doctoris de concomitantia visionis in oculo, vt hîc est, intelligi debet quoad absolutum tantùm: patet, quia de absoluto tantùm procedit argumentum eius.

7 *Dubium incidentale.* Sed quomodo potest esse absolutum operationis sine eo, quòd oculus, etiam vt hîc, habens tale absolutum, videat actu obiectum; cùm operatio iuxta principia nostræ scholæ, consistat in receptione formæ, tanquam effectus eius formalis? effectus autem formalis nequeat separari à forma in subiecto: ergo 3 &c.

*Solutio.* Respondetur facilem esse solutionem ex principiis nostræ scholæ, quia, vt Doctor *in quodlibeto 13. art. 2.* operatio inquantùm est principium, seu medium vniendi potentiam obiecto, exigit relationem realem attingentiæ, si est obiecti vt existentis, & præsentis, & hoc primò; vt se habere debet visio exterior: hæc autem relatio distinguitur à fundamento, & termino; & nequit poni nisi obiecto realiter existente, & præsente respectu visionis externæ. In eo autem casu, neque obiectum est præsens, neque necessariò existens, vel si existat respectiuè ad illam visionem (siue productam, siue conseruatam à Deo in oculo indiuisibiliter existente) se habet tanquam non existens, quantùm ad influxum, & terminationem: inde sequitur deesse illam relationem, neque absolutum operationis creatæ sine illa, vnquam potest esse medium vniendi: quia inquantùm vnit extrema, debet necessariò respicere extrema; aliquin nequiret ipsa sibi inuicem communicare, neque ipsum in se esse medium commune ab ipsis suo modo participatum. Sed absolutum inquantùm absolutum præcisè nihil respicit: ergo absolutum operationis secluso respectu nequit vnire potentiam obiecto: sicut autem ex intelligibili, & intellectu fit vnum: ita ex visibili, & potentia visiua fit vnum. *Dependentia operationis à respectu.*

Præterea, id ipsum patet quantùm ad effectum primarium formæ in ratione talis qualitatis, quantumlibet enim intrinsecè se habeat ad subiectum, seu ad potentiam, quantùm ad instantiam, nequit ipsi communicare effectum vllum formalem; etiam eum qui est primarius eius, nisi interueniat primùm respectus vniens ipsam subiecto, qui est vnio, aut inhærentia formæ ad subiectum: eodem ergo modo, nequit vnire potentiam obiecto, nisi interueniat relatio ad obiectum. 8 *Argumẽtum à simili.*

Hæc doctrina est peruia in principiis Doctoris, quia ex hac ratione contingit intellectum animæ Christi non videre omnia actu in Verbo, sed habitu, vt patet *ex 3. dist. 4. quæst. 2.* nunc has, nunc illas creaturas ad libitum, non variatâ substantiâ, aut entitate visionis, sed per diuersas attingentias extensa visione mediantibus respectibus ad has, vel illas, quas actu videt: sic etiam contingit in aliis Beatis, inquantùm in Verbo vident nunc vnas, nunc alias creaturas. *Visio creaturarum in Verbo.*

Ad rationem dubitandi respondetur, quòd operatio in subiecto tribuit semper effectum formalem primarium, qui conuenit ipsi, vt est qualitas absoluta; effectum verò secundarium, & completum, qui est perfectissimus, & finalis eius, non potest tribuere se solâ, sine conditione requisita, inquantùm enim est medium vniendi potentiam obiecto (qui est finis eius vltimus) requirit præter absolutum ordinem ad ipsum obiectum in genere conditionis: voco primum effectum primarium eius ordine generationis; secundum verò ordine causæ finalis, & perfectionis. Sed non est quod fusiùs de hoc agamus hîc. 9 *Responsio ad rationem dubitandi.* *Duplex effectus operationis.*

Dici etiam potest, quòd visio etiam sub ratione operationis sit in Eucharistia, & non solùm sub ratione qualitatis, quoniam id secunda probatio, & tertia Doctoris de concomitantia intellectionis intuitiuæ; & sensationis, seu visionis, & de concomitantia actionis, & passionis ad inuicem, videtur importare; & tunc dicendum est, quòd visio sub ratione operationis sit concomitanter ad obiectum in Eucharistia; de quo non est verum, quòd sit simpliciter distans, sed tantùm distans secundùm *quid*, nempe vt oculus est hîc, qui alibi habet obiectum præsens: ratio autem est peruia, quia licèt respectus ad obiectum præsens in operatione sit necessarius, vt hæc sit operatio in *esse* completo, & actu vniat obiectum, & potentiam: suppositâ tamen hac vnione visio sub ratione visionis sequitur vbicumque est, quia hoc ipsum, quod est constituere operatem completè, & actu, est effectus absolutus operationis, quamuis dependeat à relatione illa, vt conditione; ideóque talis effectus sequitur ad formam concomitanter vbicumque est. 10 *Visionem sub ratione operationis esse in Eucharistia.*

*Relatio realis attingentiæ.*

Quod

Quod ſi deſineret tamen in cœlo ſecundùm modum naturalem eſſendi, iam ampliùs licèt conſeruaretur in Euchariſtia etiam viſio ſub ratione qualitatis, nihil operaretur potentia, ex defectu relationis requiſitæ ad attingentiam obiecti, quæ nequit ineſſe niſi reſpectu præſentis, & proportionati terminatiui, & concomitanter deſineret etiam effectus vitalis operationis, qui concomitanter tantùm eſt in potentia, vt in Euchariſtia eſt. Ex his deinceps patet concluſio ſecunda & tertia, quæ ex eiſdem fundamentis reſoluitur, ſicut & reſponſio ad argumenta.

## SCHOLIVM.

*Secunda concluſio eſt, nullam ſenſationem poſſe ineſſe Chriſto primò, vt in Euchariſtia. Ratio eſt, quia non eſt ibi, modo quanto, nec proportionato, vt patiatur à corpore, ſed inſtar Angeli. Tertia concluſio, operatio ſpiritualis poteſt primò ineſſe Chriſto, vt in Euchariſtia. Ratio, quia cùm anima eius ſit beata, non dependet à ſenſibilibus, ſed ſicut Angelus, poteſt intelligere intuitiuè ſibi præſentia.*

5

*Senſatio nõ ſit à Chriſto, vt in Euchariſtia.*

Secunda concluſio principalis probatur ſic, quia organum ſenſus non eſt in corpore Chriſti in Euchariſtia ſub modo illo, qui requiritur ad hoc, quòd immutetur ab obiecto: quia oportet, quòd tale habeat modum quantitatiuum, & ſic ſit localiter in loco ad hoc, vt patiatur à corpore obiecto. Similiter ei, vt in Euchariſtia, non eſt obiectum approximatum: ita enim eſt hîc præſens cuicunque corpori, vt agenti, ac ſi non eſſet præſens, quia ſic hîc eſt, ac ſi nuſquam eſſet quantùm ad rationem patiendi à corpore; eſſe enim corpus agens requirit paſſum approximatum ſibi localiter: ſic autem non eſt hîc corpus Chriſti localiter, ſed ſolùm ſpecies eſt hîc iſto modo: nec illud eſt magis præſens hîc alicui corpori in ratione paſſi, quàm ſi Angelus eſſet hîc: ergo nulla ſenſatio poteſt ſibi ineſſe primò, vt in Euchariſtia exiſtit.

*Prob. concluſ. 3. Anima Chriſti in Euchariſtia intelligit, nõ ſecus ac Angelus.*

Tertia concluſio, ſcilicet quòd operatio intellectus, & voluntatis primò poteſt ineſſe Chriſto, vt in Euchariſtia. Probatur ſic, quia anima Chriſti nunc beata intelligit, ſicut Angelus quoad hoc, quòd non dependet à ſenſibus, nec ex ſenſibilibus in intelligendo: ergo ſicut Angelus alicubi exiſtens poſſet intuitiuè intelligere obiectum ſibi proportionaliter præſens, ita anima Chriſti ibidem exiſtens poteſt illud obiectum intueri: ergo anima Chriſti, vt hîc, poteſt intuitiuè intelligere illa intelligibilia, quæ ſunt ſibi vt hîc, præſentia, ſicut Angelus poſſet, vtpotè intuitiuè videre Angelum hîc præſentem, & animam Sacerdotis: hæc autem intuitio ineſt animæ Chriſti: primò, vt hîc: quia non ineſt illi animæ primò, vt in cœlo, ſuppoſito quòd immoderata diſtantia impediat intellectionem intuitiuam creatam: ſic enim Angelus exiſtens in cœlo intuitiuè non videt, quidquid præſens hîc videt intuitiuè.

*Chriſtus vt in Euchariſtia non priuatur vllâ operatione, quam habet in cœlo.*

Ex hoc ſequitur corollarium, quòd Chriſtus propter ſuum *eſſe* in Euchariſtia, non tantùm non priuatur aliquâ operatione quam habet, vt in cœlo: ſed vt in Euchariſtia eſt, habet aliquam operationem primò, quam per conſequens concomitanter habet, vt in cœlo, vtpote intellectionem, & volitionem cuiuſcunque obiecti, cuius Angelus hîc præſens haberét: & per conſequens non eſt ad imperfectionem ſuam, quòd ſit in Euchariſtia, ſed ad ampliorem perfectionem.

6

*Ad arg. 1. Nõ ſemper requiritur obiectũ præſens ad habendam sẽſationem.*

Ex his ad argumenta. Ad primum dico, quòd omnis ſenſatio eiuſdem obiecti, quæ ineſt ſenſui Chriſti, vt in cœlo, ineſt eidem in Euchariſtia, ſicut probatum eſt in prima concluſione per tres vias. Ad primam probationem in oppoſitum dico, quòd non requiritur obiectum in debita proportione præſens ad actum ſentiendi, niſi vbi obiectum eſt aliquo modo cauſa ſenſationis: & hîc, vt primò infiendæ.

*Ad 2.*

*Modus quantitatiuus non requiritur, vt concomitãter recipiatur ſenſatio.*

Ad ſecundam dico, quòd organum hoc verè eſt quantum hîc, ſicut in cœlo, & per conſequens poteſt recipere ſenſationem, non obſtante quòd ſenſatio non recipitur abſolutè: niſi in quanto habente modum quantitatiuum: ſed non habet hîc modum quantitatiuum, id eſt, coëxtenſum quanto, cui eſt præſens, nec replet locum: & ideò, vt hîc non poteſt ſibi primò infieri ſenſatio. Iſte enim modus quantitatiuus requiritur in organo ad hoc, quòd primò ſibi infiat ſenſatio: ſed non requiritur ad hoc, quòd concomitanter ſibi infiat, vel inſit: quia non eſt cauſa neceſſaria recipiendi ſenſationem huiuſmodi modus quantitatiuus: ſed tantummodo conditio requiſita per comparationem ad agens primò tranſmutans.

*Ad 3.*

Ad tertiam probationem dico per idem, quòd obſtaculum non eſt obſtaculum, niſi ad ſenſationem primò infiendam, vel infieri.

*Ad 4.*

Ad quartum argumentum, nego conſequentiam: nam antecedens eſt verum ex ſecunda concluſione ſolutionis: conſequens autem falſum eſt ex prima concluſione.

Ratio

Ratio defectus consequentiæ patet ex dictis, quia ad sentiendum illa quæ sunt hîc, oporteret sensationem primò fieri in oculo vt hîc: non enim potest illa sensatio primò infieri oculo, vt in cœlo, quia illud sensibile non est præsens oculo vt in cœlo: sed ad hoc, quòd infiat sensatio concomitanter alicuius obiecti oculo vt hîc, sufficit quòd illud sit proportionaliter præsens oculo, vt alibi: & vt possit sibi vt ibi primò infieri: sic autem est de obiectis, quæ sentit sensus Christi, vt in cœlo.

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm corpori Christi in Eucharistia existenti possit inesse motus corporalis?*

D. Thom. 3. *p. q.* 76. *a.* 6. Richard. *hîc a.* 4. *q.* 2. Gabr. *q. vn. a.* 3. Capr. *q.* 3. Suar. 3. *p. tom.* 4. *d.* 53. *s.* 1. *Vide* Scot. 9. *Met. q.* 14.

AD tertium[a] sic proceditur, & arguitur quòd corpori Christi, vt in Eucharistia, possit inesse motus corporalis. Primò, quia vnum, & idem non potest simul esse continuum, & non continuum: quia continuitas præcedit *vbi*, & est absolutè forma: sed corpus Christi in cruce erat non continuum, loquendo de diuisione facta per vulnera: ergo ipsum in pyxide erat non continuum, sed simpliciter diuisum: ergo de continuo fiebat non continuum, & per consequens mouebatur motu corporali. 1 *Argum.* 1.

Secundò sic, nutritio est ad substantiam: ergo non potest idem simul nutriri, & non nutriri. corpus Christi nutriebatur in existentia naturali: ergo nutritum fuisset in existentia sacramentali. Sed nutritio est mutatio corporalis: ergo, &c. *Argum.* 2.

Tertiò sic: Motis nobis, mouentur omnia, quæ in nobis sunt: ergo mota hostia, mouetur corpus Christi in hostia: sed ille motus est corporalis, quia transit ab vno *vbi* ad aliud *vbi*: ergo, &c. Et confirmatur, quia impossibile est aliquid habere aliud, & aliud *vbi*, sine omni motu, & mutatione: corpus Christi habet aliud, & aliud *vbi*, quando hostia mouetur: ergo, &c. *Argum.* 3.

Quartò sic, subiectum habens dispositiones requisitas ad susceptionem alicuius formæ, potest illam recipere: corpus Christi, hîc, habet omnes dispositiones requisitas ad receptionem caloris, & frigoris, quia quæcunque sunt rationes recipiendi istas qualitates in corpore Christi naturaliter existente, illæ eædem insunt corpori Christi, vt hîc: ergo corpus Christi, vt hîc potest recipere calorem, & frigus, & per consequens moueri motu alterationis, secundùm tertiam speciem Qualitatis. *Argum.* 4.

Contrà, quintò Physicorum dicitur: *Omne, quod mouetur, est in loco*: corpus Christi in Sacramento, non est in loco: ergo, &c. *Text. com.* 8.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Ordo quæstionis.*

a *AD tertium sic proceditur*, &c. Egit antea de partibus, & proprietatibus, supple modis essendi, & per se consequentibus *in quæst.* 4. in qua secundum articulum huius distinctionis incipit: in præcedenti egit de operatione vitali; hîc agit de mutatione strictè, & latè sumpta eius. Supponit ergo primò triplicem distinctionem: prima est motus in strictè, & latè sumpti: secunda distinctio ex parte mobilis, nempe, vt primò mouetur, vel concomitanter: tertia est ex parte agentis, nempe increati, & creati. Subiungit sex conclusiones. Prima, secunda, & tertia nullam habent difficultatem, & patent ex probationibus adiunctis.

## SCHOLIVM.

*Positâ triplici distinctione satis clarâ, resoluit quæst. per sex conclusiones. Prima, corpus Christi, vt in Eucharistia, non potest moueri virtute creatâ motu strictè sumpto, id est, ad substantiam, Quantitatem, Qualitatem, vel* vbi. *Ratio est, non se habet ad corpus vt passibile, nec ad Angelum vt locale. Angelus enim non potest mouere corpus, nisi supposito corporis* vbi.

Ad intellectum quæstionis præmitto distinctiones quasdam; primò de motu. Potest enim intelligi strictè, non dico distinguendo motum contra mutationem, sicut diuisibile contra indiuisibile: sed accipiendo motum indifferenter ad mutationem diuisibilem, & indiuisi 2 *Motus strictè sumitur dupliciter.*

indiuiſibilem. Strictè tamen accipitur, ſecundùm quòd eſt ad illos terminos, ad quos ponit Philoſophus propriè fieri mutationem, quæ ſunt Subſtantia, Quantitas, Qualitas, &
*Tex.7.&9.* *vbi*; patet 5. *Phyſicor.* Poteſt etiam alio modo magis extenſiuè accipi, prout dicit quamcunque acceptionem cuiuſcunque nouæ formæ, ſiue abſolutæ, ſiue reſpectiuæ, & ſiue reſpectus pertinentis ad *vbi* propriè, vel per quandam ſimilitudinem, vel reductionem, cuiuſmodi reſpectus eſt præſentialitas corporis Chriſti hîc, ſub ſpecie, vt tactum eſt in pri-
*à n.10.* ma quæſtione huius diſtinctionis.

Diſtinguo ſecundò, quòd corpus Chriſti poteſt intelligi moueri motu ſic, vel ſic ſumpto: primò, vel concomitanter. & ratio membrorum huius diuiſionis, patet ex principio ſolutionis quæſtionis præcedentis. Tertiò diſtinguo ex parte agentis, quia corpus ſic, vel ſic moueri, tali, vel tali motu, poteſt intelligi, vel à virtute creata, vel immediatè à Deo: ſecundùm hoc ergo ſtabit ſolutio quæſtionis in ſex concluſionibus.

*Concl.1.* Prima eſt iſta: Corpus Chriſti, vt in Euchariſtia, non poteſt moueri primò, motu, vel mutatione propriè dictâ à virtute creata.

*Concl.2.* Secunda eſt iſta, quòd poteſt primò moueri, motu propriè dicto, immediatè à Deo.

*Concl.3.* Tertia eſt iſta, quòd poteſt moueri, & mouetur primò, motu extenſiuè ſumpto.

*Concl.4.* Quarta eſt iſta, quòd iſto modo, & iſto motu, non mouetur, niſi immediatè à Deo.

*Concl.5.* Quinta eſt, quòd poteſt concomitanter moueri, & mouetur omni motu ad formam abſolutam, quo mouetur primò, vt in cœlo, & ab eodem agente à quo ibi mouetur.

*Concl.6.* Sexta & vltima eſt, quòd non mouetur concomitanter motu locali, quo mouetur primo, vt in cœlo: nec aliquo motu ſimili motui locali.

*Prob.cõcl.1.* Prima concluſio probatur ſic, quia nulla virtus creata agit circa corpus non ſibi proportionaliter approximatum ſecundùm locum: corpus Chriſti eſt hîc, non vt in loco, & per conſequens nulli approximatum ſecundùm locum: imò tantùm illa ſpecies ſub qua eſt, approximatur cuicumque agenti, illâ approximatione, quæ poteſt haberi ad iſtud *vbi*. Dixi autem nulla virtus creata, quia etſi manifeſtius ſit de corpore, quàm de Angelo: tamen Angelus ſi agat circa corpus, realiter tranſmutando illud, realiter ſibi approximatur localiter: vel ſaltem habet localem exiſtentiam, quia virtus eius non poteſt eſſe ad aliquem motum in corpore, niſi præſuppoſito *vbi* illius corporis.

## SCHOLIVM.

*Secunda concluſio, corpus Chriſti in Euchariſtia poſſe moueri primò motu propriè à Deo; ratio, quia habet diſpoſitiones requiſitas ad recipiendas formas illorum quatuor generum, quia habet omnia abſoluta quæ habet in cœlo. Tertia concluſio, poteſt corpus vt hîc moueri motu, largo modo, primo, ſeu immediatè, quia ad motum hoſtiæ acquirit nouas præſentias, quas non habet, vt in cœlo.*

3 *Prob.cõcl.2. Primã partem vocat rationes pro oppoſito adductas in initio.* Secunda concluſio probatur, per quartam rationem factam ad primam partem, quia omnem diſpoſitionem neceſſariam ad recipiendum calorem habet corpus Chriſti vt hîc, quam habet vt in cœlo: ergo ſi vt hîc, non repugnat recipere calorem, eſto per poſſibile, vel impoſſibile, quòd nuſquam alibi eſſet: & per conſequens cùm virtus diuina omnem formam poſſet imprimere paſſo, cuius paſſum eſt receptiuum; ſequitur quòd Deus poteſt corpus ſuum vt hîc tranſmutare primò ad calorem.

*Concl. 3. prob. Corpus Chriſti mouetur motu impropriè dicto ad motum hoſtiæ.* Tertia concluſio patet, quia tenemus, quòd poſt conſecrationem vbicumque hoſtia, ibi verè eſt corpus Chriſti: ergo propter præſentiam vniformem corporis ad hoſtiam, quæ hoſtia habet aliam, & aliam præſentiam localem primò, ad aliud, & aliud continens: ſequitur quòd corpus Chriſti habeat aliam, & aliam præſentiam, ad aliud, & aliud continens. Hîc autem alia, & alia præſentia non eſt ſine mutatione ſic extenſiuè ſumptâ: & iſto modo ineſt primò corpori, vt hîc: quia nullo modo corpus Chriſti, vt in cœlo, habet iſtam præſentiam, imò neutram.

Et ſi quæras, poſſétne habere aliam, & aliam præſentiam, & non tantùm reſpectu continentis, ſcilicet ſpeciei, ita quòd eſſet præſentialitas reſpectu continentis ſpeciem, licèt reſpectu ſpeciei non haberet aliam præſentiam, & inciperet habere nouam præſentiam reſpectu alterius?

Dico,

Dico, quòd non est simpliciter necessarium, illud corpus esse præsens speciei, sed tantùm ex ordinatione diuina, de qua certificauit Ecclesiam. Posset ergo Deus de potentia absoluta facere corpus suum non esse præsens speciei, isto modo, manente specie, & facere ipsum isto modo præsens aëri circumstanti hostiam, & etiam successiuè nunc vni parti aëris, nunc alteri: & sic transferre corpus de loco hostiæ, vsque ad quamcumque partem vniuersi,& semper sub eodem modo existendi,non localiter cum alio corpore replente locum.

## SCHOLIVM.

*Quarta conclusio, corpus Christi ad motum specierum à solo Deo immediatè posse moueri. Ratio est, quia cùm aliqua coniunguntur per actum liberum voluntatis, mouens vnum, non ideò mouet alterum, si est ei proportionatum, quia nullum habet necessarium nexum cum moto, sed si vult voluntas nectens, mouetur, si non vult, non: ita est hîc, & explicatur exemplo Angeli sedentis super lapidem, quem non mouet, mouens lapidem. Contra hanc Thomistæ inaniter multa obyciunt indigna solutione.*

Quarta conclusio probatur, quia quod nullo modo habet virtutem motiuam super aliud, quando illud est per se, non mouet illud per accidens quando est cum alio, cum quo non facit vnum, sicut actus, & potentia: sed virtus creata omnino non potest super corpus Christi in se sub isto modo existendi, ad mouendum ipsum: ergo quando est cum alio, respectu cuius non est sicut potentia,nec sicut actus: sequitur,quòd eadem virtus non poterit corpus illud mouere, etiam per accidens: sic autem est cum hostia, quia patet quòd species non est forma eius, nec ipsum forma speciei.

4 *Dum mouetur corpus Christi motu hostiæ à solo Deo mouetur, cõtra D.Thom. 3. part. q. 76. art. 6.*

Si maior ista negetur, quia graue existens in naui mouetur à mouente nauem, licèt graue non sit forma nauis, nec è conuerso: Instantia non est ad propositum, quia virtus motiua illius posset super graue per se, si graue per se esset. Ideò autem addidi in maiori, quorum neutrum est actus alterius: quia etsi aliquid, quod est actus alicuius, non posset per se moueri ab aliquo: tamen potest moueri per accidens ab eodem potente mouere totum, cuius est iste actus.

Sed vt contra maiorem omnis instantia tollatur, accipiatur ista maior: quando aliqua coniunguntur præcisè per actum voluntatis,contingenter se habentis ad illam coniunctionem, si vnum illorum secundùm se sit mobile omnino improportionatum alicui mouenti, & reliquum proportionatum; ipsum non eâdem motione potest mouere vtrumque istorum coniunctorum. Patet, quia si mouet vnum, quod est sibi proportionatum, non propter hoc per accidens mouet reliquum: quia reliquum non est præsens isti moto, nec sicut actus potentiæ nec è conuerso: nec simpliciter ex aliqua necessitate naturali, sicut graue est præsens illi, cui innititur, & propter hoc simul mouetur cum illo:sed tantummodò est sibi præsens voluntate aliquâ contingenter se habente ad illam coniunctionem; quæ per consequens potest non velle coniunctionem illam, stante tamen motione alterius illorum.

*Mouens vnum cõiunctorum non mouet alterum, si per actum voluntatis sint connexa.*

Exemplum istius, si Angelus voluntariè faceret se esse præsentem lapidi; si moueo lapidem, non propter hoc moueo Angelum: quia nec est mobile per se à virtute mea, nec per accidens in proposito: quia nec est forma, nec pars alicuius mobilis per se à me. Si ergo Angelus esset præsens lapidi moto à me in termino motus: hoc non esset per actum meum, sed per actionem suam propriam, quâ faceret se præsentem ibi. Eodem modo in proposito,cùm corpus sit præsens speciei, tantùm per actum voluntatis diuinæ: si facio speciem habere nouum *vbi*, per illam motionem non est ibi corpus: quia nullo modo subest præsentialitas illius corporis, neque noua, neque antiqua, voluntati meæ, nec etiam per accidens: quia non est forma, nec pars illius, quod subest meæ motioni.

5 *Ferens lapidem, cui insidet Angelus non ideò fert Angelum.*

Contrà,quod mouet aliquid per se,mouet per accidens quicquid est in illo; ergo virtus creata,quæ per se mouet hostiam,per accidẽs mouet corpus,quod per se est in hostia.

6 *Mouens aliquid per se, mouet per accidẽs quod est in illo,explicatur.*

Secundò,quia aliter esset nouũ miraculum quoties Sacerdos transferret hostiam,quia illa translatio non posset fieri manente veritate Eucharistiæ, sine speciali actione diuina.

Ad primum dico, quòd illa propositio prima falsa est, nisi intelligatur de illo quod est in moto, vel sicut actus in potentia, vel sicut pars in toto, vel sicut aliquid necessitate naturali coniunctum, vt graue illi cui innititur. Si enim tantùm per actum voluntatis contingenter coniungitur hoc illi, mouens istud, non propter hoc mouebit illud: sed oportet, quòd illa voluntas, quæ est causa coniunctionis, sit etiam causa motionis illius,

quod nullâ naturali neceſſitate coniungitur moto. Sic eſt in propoſito, & patet exemplum de Angelo: non enim mouens lapidem per ſe, propter hoc mouet Angelum per accidens, vt dictum eſt.

*Motio corporis Chriſti ad motionem ſpecierum non eſt nouum miraculum.*

Ad ſecundum dico, quòd non eſt nouum miraculum, quia Deus eâ voluntate, quâ inſtituit Euchariſtiam in Eccleſia, determinauit facere corpus Chriſti ſemper præſens ſpeciei poſt conſecrationem: & ideò ſpecie manente qualitercumque transferatur, quòd Deus faciat corpus præſens alia præſentia, loquendo de præſentia reſpectu continentis, ſicut ſpecies habet aliam præſentiam, & aliam, vt primò contenta, non eſt nouum miraculum, ſed antiqua determinatio voluntatis diuinæ: ſicut ſi Angelus determinaſſet per voluntatem, quòd ſemper ſimul eſſet cum iſto lapide, non diceretur miraculum, quia transfertur tranſlato lapide: non tamen transferens lapidem per actionem ſuam transferret Angelum, ſed Angelus voluntate propriâ.

## *COMMENTARIVS.*

2 a *QVarta concluſio probatur*, &c. Tertia, & quarta concluſio eſt, quòd Chriſtus in Euchariſtia poſſit moueri motu latè, & ſtrictè ſumpto, à diuina virtute tantùm, quantùm ad motum, qui eſt ad ſubſtantiam, quantitatem & qualitatem: aſſertio hæc eſt communis, ſolùm eſt difficultas quantùm ad motum localem, non qui primò reciperetur in ipſum Chriſtum, quaſi per ſe primò reciperet motum ab agente creato: ſed de motu per accidens; an ſcilicet etiam cauſa ſecunda mouendo per ſe ſpecies, moueat Chriſtum per accidens, ſicut mouens per ſe continens mouet per accidens contentum. In hac autem difficultate variè philoſophantur moderni de natura, & modo præſentiæ ſacramentalis Chriſti ad ſpecies, & vnione atque connexione extremorum: de quibus infrà ſuo dicemus loco diſtinct. ſequenti, parum enim ad præſens refert.

3 Prima ergo ſententia quoad præſens eſt; corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento à nemine poſſe moueri per ſe intrinſecè, niſi à ſolo Deo; per accidens autem poſſe moueri à quocumque habente virtutem mouendi ſpecies; eſt communior in ſchola D. Thomæ *quæſt. 76. art. 6.* vbi expoſitores *in 4. diſt. 10. quæſt. 1. art. 3. quæſtiuncula 4.* quem ſequitur Richardus *quæſt. 1. art. 6.* Capreolus *quæſt. 3. art. 1.* Suarez *diſput. 53. ſect. 1. concluſione vltima.* Vaſquez *diſp. 180. 1. 4.* Hæc ſententia intelligitur de motore; & motu Phyſico: negatur autem moueri ab extrinſeco agente creato per ſe, id eſt, motu primùm recepto in corpus, quia eſt paſſum improportionatum: per accidens autem mouetur à mouente ſpecies, quia habet cõnexionem Phyſicam ad ſpecies, ſecundùm quam trahitur, inquiunt, ad motum ſpecierum.

*Non moueri per ſe ab vlla creatura.*
*Per accidens moueri à mouente ſpecies.*
D. Thom.
Richard.
Capreolus.
Suarez.
Vaſquez.

4 Secunda ſententia eſt Doctoris in præmiſſa concluſione, quia negat per accidens, aut per ſe moueri phyſicè à Sacerdote mouente ſpecies: quem ſequitur Gabriel *lect. 47. in canonem*, cum reliquis noſtræ ſcholæ *in hac diſtinctione.*

*Secunda ſententia.*
Gabriel.

*Probatio.*
*Non moueri per accidẽs à mouente ſpecies.*

Probatur, quia quando aliquid excedit virtutem motiuam per ſe alicuius, coniunctum alteri, cum quo non habet connexionem aliquam naturalem; ſicut actus per ſe eius, aut ſicut graue contentum in alio, vt homo in naui; ſed connexio eſt tantùm merè contingens; & per voluntatem extrinſecam, quam non habet in ſua poteſtate, quod mouet per ſe vnum, non neceſſariò mouet alterum. Exemplum, ſi Angelus ſe faciat præſentem lapidi voluntariè mouens lapidem, non neceſſariò mouet lapidem.

Sed ſic ſe habet in propoſito corpus Chriſti, quod eſt præſens per voluntatem diuinam, non tanquam actus, neque ſicut aliquid habens neceſſariam connexionem ex natura rei cum ſpeciebus: ergo qui mouet ſpecies, non potens aliàs in corpus, non ideò per accidens, ſeu ſecundariò per ſe ex natura rei mouet corpus: ſed corpus vt poſitum ſub Sacramento non eſt ſubiectum proportionatum agenti externo, & extenſo: ergo neque per accidens redditur per ſe ab ipſo mobile. Excluduntur inſtantiæ quæ fierent de anima in corpore, de parte in toto, de contento in dolio, quod mouetur, quia hæc habent neceſſariam connexionem inter ſe, ſecundùm quam poſſunt moueri ad motum alterius, verbi gratiâ totius, vel continentis.

*Excluduntur inſtantia.*

5 Dices, communicari ſpeciebus vim tractiuam corporis, & coniungendi ſibi corpus, & conſeruandi præſentiã ſacramentalem: ita Suarez. Contrà, hoc falſum eſſe oſtendimus ſuo loco: quia nulla eſt virtus phyſica in Sacramentis: deinde dato oppoſito, ſpecies ſunt extenſæ: ergo nequeunt agere in corpus indiuiſibiliter poſitum, neque vt ſit præſens, neque vt conſeruetur præſens: mediante autem virtute effectiua ſpecies motæ mouerent per ſe corpus.

*Reſpõſio Suarez.*
*Impugnatur.*
*Species nõ habent virtutem mouendi corpus.*

Dices, dari vnionem formalem inter ſpecies, & corpus. Contrà, nulla alia hîc inuenitur, niſi præſentia ſacramentalis; quia non eſt ordo corporis ad ſpecies alius, quàm contenti ad continens. Secundò deberet eſſe vnio diuerſa à præſentia: vnio enim non datur, neque poni poteſt, niſi inter terminos dicentes fundamentaliter ordinem vnibilium ad inuicem, ſeu proportionem: hîc nulla talis imaginari poteſt, vel ex natura extremorum, vel ex neceſſitate myſterij, & non eſt intelligibilis: & ſi talis eſſet, à ſolo Deo eſſet, & conſeruari poſſet; non autem ex natura extremorum: ergo cùm neque mouens ſpecies, neque ipſæ ſpecies habeant virtutem conſeruandi vnionem, neque ipſa per ſe permanens eſt, niſi ex beneplacito Dei; ſequitur quòd mouens ſpecies non moueat per ſe corpus præſens, quia illa vnio eſt extrinſeci ad extrinſecum. Ex his ſoluí poſſunt obiectiones, quæcumque obiici poſſunt ex natura extremorum, & præſentiæ.

*Reſponſio impugnatur.*

*Concluſio altera Doctoris eſt*, quòd Deus phyſicè mouet corpus Chriſti ad motum ſpecierum à Sacerdote, & patet ex dictis. Sacerdos autem moraliter mouet corpus Chriſti ad motum ſpecierum: quia ex eadem volũtate, quâ Deus voluit ſemper eſſe præſens corpus ſub ſpeciebus, (vt fides docet) ſic

6 *Motus eſt à Deo phyſicè, à cauſa ſecunda moraliter.*

sic etiam assistit, vt moueatur corpus ad motum specierum. Dicitur autem Sacerdos mouere moraliter corpus, quia ponit illud: ex quo sequitur concomitanter motus corporis diuina virtute.

Ex hoc soluitur argumentum Theologicum, nempe quòd sequeretur Sacerdotem non eleuare corpus Christi, non deferre ad infirmos, aut in processione, quod est contra veritatem, & modum loquendi canonum: quia negatur sequela, mouet enim absolutè sicut consecrat; quamuis vtrumque moraliter, non actione physica, de qua solùm agitur hîc.

## SCHOLIVM.

*Quinta conclusio, corpus in Eucharistia mouetur concomitanter omni motu ad formam absolutam, quo mouetur primò, vt in cælo, & ab eodem mouente. Ratio est, quia absoluta non variantur per respectus extrinsecos, quales sunt diuersa* vbi, *vt dictum est q.2.n.13.& q.4.n.10.& q.5. n.2. & in speciali, probat Doctor de motibus alterationis, augmentationis, diminutionis, nutritionis, & corruptionis. Suarez 3.tom.disp.48.sect.6. & alij contendunt hanc concomitantiam operationum & formarum absolutarum non fieri virtute naturalium agentium, sed supernaturali virtute. Oppositum tamen verius, quod etiam tenet D. Thom.3.p.q.76. art.1. & q.81. art.4. nec est inconueniens quòd agens naturale suppositâ replicatione corporis, agat in remotissimum concomitanter, & tribuat plures præsentias, & huiusmodi: quod hîc ait num.7. fin. si corpus corrumperetur in existentia naturali, quòd non ideò corrumperetur in sacramentali, loquitur non de corruptione substantiæ, sed solius modi naturalis, aliàs sibi contraderet, quia asserit esse absolutum, & ab* vbi *independens non posse tolli vel poni per* vbi, *vel carentiam eius; modus autem ille naturalis est tantùm respectus extensionis.*

Quinta conclusio probatur per illam probationem, quæ posita est de formis absolutis, tam in prima quæstione istius articuli, quàm in secunda: quia absolutum non variatur propter variationẽ respectus extrinseci, nec definit inesse propter nouum respectum extrinsecus aduenientẽ, & quâ ratione de absoluto in *esse*, eâdem ratione de absoluto in *fieri*. 7 *Id est in q. 4.& 5. huius dist.*

Hæc etiam conclusio potest probari in speciali discurrendo per mutationes, quæ sunt ad formas absolutas. Primò quidem de alteratione, quia si corpus est calidum in existentia naturali, concomitanter est calidum in Sacramento secundùm quòd omnes concedunt. Consimiliter de augmentò & diminutione, quia si pars quantitatiua aduenirent, vel recederet à corpore in existentia naturali, consimiliter aduenirent, vel recederet in Eucharistia: quia eaſdem partes habet corpus sub vno modo essendi, quas sub alio, ex prima quæstione istius articuli.

Consimiliter de nutritione, quia nutritio est aggeneratio partis toti nutriendo, non autem potest esse aliqua pars aggenerata hîc, quæ non est ibi. Eodem modo in corruptione, quæ opponitur nutritioni, si aliqua pars deperit corpori in existentia naturali, ipsa nõ manet pars eiusdem in Sacramento, nec è conuerso. Nec tamen dico, quòd si corpus corrumperetur in existentia naturali, quòd propter hoc corrumperetur in Eucharistia. *Vide infra dist.44.*

Vbi sciendum, quòd corruptio propriè dicta est separatio formæ à materia manente postea sub priuatione formæ: si autem corrumperetur in existentia naturali, non maneret in Eucharistia materia sine forma. Hoc declaro sic, quia anima primò perficit suum primum perfectibile, scilicet totum corpus organicum: partes autem non perficit, nisi quia sunt aliquid primi perfectibilis: ergo formâ totius corporis organici cessante, nihil est formatum ab anima. Eodem modo vniuersaliter, quando aliquid competit primò toti, & parti, non nisi quia toti, destructo toto in ordine ad illud, pars non habet eundum ordinem ad idem. Nunc autem primum signatum Eucharistiæ est corpus compositum ex materia, & forma, siue includat sanguinem, siue non, non curo (de hoc tactum est articulo isto, quæstione prima) ergo non manente aliquo toto sub ratione primi signati, nihil eius remanet, tanquam signatum eius per se. Sed separatâ formâ corporis à materia in existentia naturali, non manet illud primum signatum eius per se sub Eucharistia; quia simul materia haberet formam, & non haberet: ergo sub illo signo nihil omnino manet istius signati. Neque enim materia sub forma propter contradictionem: neque materia sine forma omnino: quia non continetur hîc, nisi quia pars totius: neque materia sub alia forma, quia tunc simul haberet, & non haberet illam aliam formam. 8 *Si desineret forma corporeitatis, in modo naturali, & in Eucharistia desineret. 1. quæst.4. Primum signatũ Eucharistiæ est compositum ex materia, & forma corporeitatis.*

Contrà, priùs concessum est in prima quæstione istius articuli, quòd posset manere res Eucharistiæ, etsi corpus nusquam haberet existentiam naturalem: imò posito quòd corrumperetur in existentia naturali, non sequitur, quin possit manere verè idem, vt est res Eucharistiæ.

Respondeo, quòd illa desitio corporis sub existentia naturali potest esse tota, & totalis, 9 *Suprà q.4. à num.4.*

talis, quaſi eſſet annihilatio, & verè eſſet annihilatio, ſi corpus alicubi non eſſet, tamen maneret totum idem hîc ſub alio modo exiſtendi. Sed ſi ſit ibi corruptio illa partialis deſtructio, ſcilicet ſeparatio partis à parte manente, & illa non poteſt eſſe ibi non exiſtente ſimul ſeparatione vbicumque; nec ſeparatio illa poteſt ſtare hîc, cum hoc quòd aliquid corporis ſit in Sacramento, quia nihil corporis eſt in Sacramento, niſi vt eſt pars totius. Pars autem materialis ſeparata à parte formali non eſt pars totius: ergo non ſequitur, ſi poteſt deſinere eſſe hîc non deſinendo eſſe ibi: ergo poteſt corrumpi ibi, & non corrumpi hîc: quia primum nullam includit contradictionem. Non enim ponit; niſi vnum reſpectum manere in abſoluto alio non manente, ſecundum autem ponit contradictionem, ſcilicet eandem formam abſolutam informare idem, & non informare, poſitâ ſolâ variatione reſpectuum.

*In ſubſtantia vult modum naturalem corporis corrũpi poſſe, manente ſacramentali, formam tamen abſolutam non poſſe ſeparari ab eo in vno vbi quãdo vbique ab eo ſeparetur.*

Si autem dicas, quòd vtrobique forma non informat materiam. Contrà, quia contra veritatem huius Sacramenti eſt, partem corporis contineri hîc, niſi priùs contineatur totum corpus: & ita materia ſine forma nullo modo continebitur hîc, nec per conſequens poterit corrumpi vt hîc, licèt totaliter poſſit corrumpi, vt hîc, quia non poteſt materia tranſmutari, vt hîc, à forma ad priuationem, quæ tranſmutatio eſt corruptio: imò materiam deſinere habere formam, eſt deſinere eſſe partem totius, & per conſequens deſinere eſſe vt hîc.

10

*Epilogatio dictorum.*

Ex primis duabus concluſionibus apparet, quomodo corpus Chriſti, vt hîc, poſſet primò moueri motu propriè dicto, & à quo. Ex tertia & quarta, patet quomodo corpus Chriſti, vt hîc, poſſit moueri primò motu extenſiuè ſumpto, & à quo. Ex quinta & ſexta apparet quomodo poſſit moueri concomitanter, & quo motu, & à quo.

11

*Ad arg. 1.*

Ad rationes; ad primam, licèt dicatur quòd vulnerabatur in cruce, & non in pyxide: tamen reſpondeo, quòd vulnus poteſt accipi pro ipſa formali diuiſione continui partium, vel pro ipſa, vt inflicta à corpore, vt ibi ſubintrante, & diuidente partes corporis. Si primo modo, ita diuiſum fuiſſet corpus in pyxide, ſicut in cruce, quia ſicut arguitur continuitas, & non continuitas, non poſſunt ſaluari propter aliud, & aliud *vbi*. Si autem accipiatur ſecundo modo, verum eſt quòd illa diuiſio non infiebat corpori primò, vt in pyxide. Iſta etiam diuiſio partium corporis in pyxide fuiſſet comparando partes ad totum, cuius ſunt partes, non autem comparando ad locum, vel continens: quia partes diuiſæ non habuiſſent *vbi*, & *vbi* diſtantia, ſicut habuerunt partes diuiſæ in cruce. Et ratio huius eſt, quia partes in cruce habuerunt extenſionem corporalem correſpondentem extenſioni continentis: & ideò diuiſioni earum in toto correſpondebat diſtinctio in partibus continentis, non ſic autem partes in Euchariſtia: imò partes ibi diuiſæ, & diſcontinuæ, vt in toto, non habuiſſent partes diſtinctas continentis ſibi correſpondentes.

*Diſcõtinuato corpore in modo naturali, diſcontinuatur in Euchariſtia, quoad ſe, nõ quoad locum.*

*Dolium vini in duobus locis poſſet in altero tantùm exhauriri, tamen in vtroque partes quoad ſe haberent eandẽ continuitatem.*

Per hoc poteſt ſolui vnum argumentum, quòd ſit ad ſecundam quæſtionem primi articuli, quia ſi liquor poſſet eſſe in duobus locis: ergo hîc in dolio clauſo, ibi autem in dolio perforato, & per conſequens hîc maneret continuum, ibi autem flueret. Reſpondeo, quòd partes comparando ad totum eodem modo haberent continuitatem hîc, & ibi: ſed comparando ad continens poſſent habere continuitatem continentis correſpondentem hîc, & non ſimilem correſpondentem ibi.

12

*Ad 2.*

Ad ſecundum de nutritione, patet quòd illa fuiſſet corporis exiſtentis vtrobique, accipiendo nutritionem pro aggeneratione partis ſubſtantiæ ipſi toti nutrito: ſed non ſequitur ex hoc mutatio corporalis primò corporis, vt hîc; quia non eſſet per nutrimentum approximatum, vt hîc, ſed tantùm eſſet hîc concomitanter propter conuerſionem nutrimenti alibi approximati, & propter identitatem ſubſtantiæ hîc, & ibi, quam oportet vbique habere eaſdem partes.

*Ad 3.*

Ad tertium patet, quomodo mouetur primò, accipiendo motum extenſiuè, & à quo, ex tertia & quarta concluſione.

*Ad 4.*

Ad quartum, concedo quod probatur, ſcilicet quòd abſolutè poteſt hoc corpus moueri primò motu corporali propriè dicto: ſed non à quocumque, ſed à Deo immediatè, ſicut dictum eſt in concluſione ſecunda. Ideò autem non ab alio agente concomitanter etiam, quia agens creatum ad hoc, quòd tranſmutet corpus, requirit ipſum localiter approximatum: Deus autem poteſt agere in corpus quantumcumque nõ localiter exiſtens: quia potentia eius reſpicit paſſum abſolutè, ſecundùm quòd ipſum eſt ſuſceptiuum termini, non autem reſpicit ipſum præcisè ſecundùm conditiones illas accidentales approximationis, & diſtantiæ localis, quæ ſunt neceſſariæ reſpectu agentis cuiuſlibet naturalis.

*Nullum agens creatum agit in corpus, niſi in localiter approximatum.*

13

Hîc intelligendum eſt pro argumento de nutritione, quòd ſi corpus non nutritur hîc, niſi concomitanter, quia alibi primò, & nutritio eſt neceſſaria ad conſeruationem

vitæ

vitæ mortalis: ergo non potest corpus hîc continuari in vita, nisi quia continuatur alibi.

Et ex hoc sequitur quòd si nusquam alibi esset modo naturali, vel moreretur deficiente nutrimento iam conuerso: vel perpetuò maneret in vita mortali sine susceptione nutrimenti. Si ergo nusquam esset localiter, sed tantùm sacramentaliter, semper maneret ibi sub eodem modo essendi, quo inceperat ibi: non enim magis posset mori, vt ibi, quàm nutriri: ergo possibile esset corpus sub aliquo modo essendi viuere vitâ mortali, & tamen immortaliter sine etiam nutritione, & respiratione, & aliis quæ ad vitam mortalem communiter requiruntur.

*Corpus habens tãtùm esse sacramentale, an sine cibo perpetuò viueret.*

Circa tertium principale quæro tria. Primò, de virtute actiua naturali in Eucharistia, Vtrùm, scilicet Christus in Eucharistia existens possit per aliquam naturalem virtutem transmutare aliquid aliud à se? Secundò, de actione eius, vt obiecti in potentia intellectiua, Vtrùm aliquis intellectus creatus possit naturaliter videre existentiam Christi in Eucharistia? Tertiò, de actione eius, vt obiecti in sensum, Vtrùm aliquis sensus possit naturaliter corpus Christi sentire, vt in Eucharistia?

## *COMMENTARIVS.*

7 a *QVinta conclusio probatur*, &c. Hæc conclusio docet moueri Christum, cõcomitanter ad formam quamcumque absolutam in Eucharistia, ad quam mouetur primò, vt est in cœlo. Hanc conclusionem negat Suarez *disp.* 48. *sect.* 6. vbi negat virtute agentis naturalis sequi in subiecto, vt est in alio loco, formam produci concomitanter, vel in *esse* concomitanter, vbicumque est subiectum. Cæterùm conclusio posita est communis Theologorum, quam tenet D. Thomas *quæst.* 76. *art.* 1. *& quæst.* 81. *art.* 4. neque repugnant, quos Suarez citat: quamuis enim aliqui diuinæ virtuti id attribuant, vel certè per accidens ex applicatione contrariarum causarum, quæ agunt ad oppositas formas in idem subiectum positum in diuersis locis. Cæterùm connaturaliter, & seclusis impedimentis concedunt conclusionem, quam *suprà* fusiùs probauimus *in commento q.* 2. éstque Tridentini, vt ibi ostendimus. Supereſt ergo vt supponendo contrarium inuoluere contradictionem, quæ est ratio Doctoris, quam ibidem deduximus: alioquin nullum esset fundamentum ex connexione naturali extremorum ea, quæ vnita sunt corpori, hîc esse, vt colligit Tridentinus, nisi per se naturaliter sequerentur ad corpus vbicumque esset, tam ex natura formæ, quæ nequit desinere in subiecto nisi ponatur contraria, vel desinente ipso subiecto, quam ex dispositione mysterij. Supereſt, inquam, vt respondeamus fundamentis eiusdem.

*Suarez contrarium docet.*

*D. Thom.*

8 Obiicit ergo primò de termino alterationis, quia agens naturale calefaciens hîc, verbi gratiâ, idem corpus, quod est Romæ, non habet virtutem transmittendi Romam calorem, quia scilicet nequit agere in tantum distans.

*Prima ratio Suarez.*

*Responsio.* Respondetur hanc rationem non esse probabilem, quia ex identitate subiecti, & formæ permanentis absolutæ, quæ non dependet à loco per se, neque per accidens in *fieri*, aut *facto esse*; nisi vt est in *fieri* à tali agente, quod nequit exercere virtutem in tanta distantia subiecti; sequitur quòd forma eadem insit subiecto Romæ, quia idem *esse* quod recipit hîc, ineſt etiam Romæ; ex eo quòd tollatur simpliciter eius contradictorium, id est, negatio absoluta inexistendi, vt abstrahit ab omni loco: vel ergo interroget milites, qui vulnera, & cicatrices, quæ recipiunt in prælio, vbique circumferunt, cùm tamen virtus agentis primò hæc imprimentis non extenditur ad loca remota primò.

*Quomodo insit concomitanter forma alibi.*

*Vulnus, & cicatrix manent mutato loco.*

Dices, illas formas permanere post sui impressionem, & non dependere à loco. Contrà, huius ratio non est alia, quàm quòd sequantur ex natura rei subiectum, cui inhærent independenter ab hoc, & illo loco: vnde quòd idem subiectum sit simul in pluribus locis, non facit esse aliud, & aliud in *esse* entis, sed idem ipsum, quia vnitas eius, & entitas abstrahit ab hoc, & illo loco: sic etiam qualitas naturaliter ipsi inhærens, atque ipsa etiam inhærentia eius manet simul cum subiecto vbicumque est: limitatio autem virtutis agentis ad certum locum non variat naturam termini, subiecti, aut vnionis.

*Responsio. Impugnatio.*

*Existere in pluribus locis non variat subiectum.*

*Nec qualitatem, aut inhærentiam.*

Nam sicut calefaciens, inquantùm calefacit, non potest producere aliam formam per modum termini, & tali productione, quàm calorem: sic etiam calor productus nequit aliter esse, quàm vt formaliter est talis, & taliter inexistens; neque producens illi dare dependentiam ad id, ad quod repugnat ipsi ex natura sua dependere; repugnat autem ipsi dependere à subiecto cum limitatione ad locum, aliàs mutato tali loco, in quo est impressus, non posset manere; quod est contra sensum, & rationem.

*Ratio præmissorum.*

9 Hoc autem argumentum, cui respondemus, inuoluit imaginationem falsam, vt quòd vel diuersa esset actio producens hîc & ibi, vel certè virtus agentis æquè primò respiceret subiectum hîc & ibi; quorum neutrum est verum, quia & agens attingit subiectum primò hîc; & tantùm attingit subiectum vt hîc, & agit in subiectum vt hîc, reduplicando etiam limitationem loci huius demonstrati, respectiuè ad agens, & respectiuè ad subiectum, quà mutatur ab agente, de negatione in formam: hoc non obstante subiectum, quantùm est ex natura subiecti, & mutationis sui denegatione (quæ absolutè ipsi competit, & independenter ab hoc, & illo loco, & sequitur naturam, & entitatem subiecti absolutam, vt præscindit à loco; sicut etiam forma, & eius appetitus) ad formam, non mouetur, vt hîc tantùm, præscindendo ordinem motus, & mutationis ad agens, & considerando tantùm naturam subiecti, vt in eo succedit negationi forma, aut contrà. Ratio huius est, quia subiectum, vt iam dixi, non respicit formam, vt est perfectibile eius, & vt est in potentia ad ipsam, id est, sub negatione ipsius, non respicit, inquam,

*Falsa suppositio argumenti.*

*Forma hic primò producta non prius est in subiecto hic, quàm alibi.*

formam cum vlla limitatione ad locum vllum, ſed abſolutè: vnde ſiue ab agente illimitato ad vllum locum, ſiue per creationem, ſiue per eductionem, ſiue etiam ab agente limitato producatur, & non variatur ordo terminorum oppoſitorum inter ſe, neque alterutrius ad ſubiectum, neque ſubiecti ad ipſos terminos, ſub quibus eſt ſucceſſiuè.

*Ordo terminorum ad ſe, & ſubiectum non variatur per locum.*

10 *Mouere primò, vt hic, quid ſit? Determinatio per ſe reſpectu agentis limitati, in ſubiecto verò ſolum concomitans.*

Itaque cùm dicimus moueri hîc primò ſubiectum, ly *hîc*, vt determinat motionem, quâ reſpicit agens limitatum & creatum, eſt determinatio per ſe propter dependentiam virtutis limitatæ ad ſphæram determinatam; vt verò adiungitur ſubiecto, eſt limitatio tantùm concomitans, & non per ſe, aut inferens dependentiam ex parte ſubiecti reſpectiuè ad locum: & ſic intelligo concluſionem Doctoris.

Ratione ergo mutationis, vt eſt ab agente, dicitur ſubiectum hîc primò mutari, & forma hîc primò produci; non quòd priùs inſit hîc in ſubiecto, quàm alibi; aut negatio eius priùs naturâ, aut ratione hîc tollatur, quàm alibi, à ſubiecto: ſed quòd agens, & actio eius limitatur ad ſubiectum in hoc loco, concomitanter tamen, & ſimul forma vbilibet in ſubiecto ponatur, & negatio tollatur. Quòd ergo dicatur hîc primò produci, non denotat ordinem ſucceſſionis in eſſe hîc, & ibi in eodem ſubiecto, ſeu inexiſtendi formæ, ſed reſpectum ad cauſam, prout hîc applicatur, & agit cum dependentia ad hunc locum & ſphæram: vnde agens primum poteſt agere formam in ſubiecto abſolutè, abſtrahendo ab hoc, & ab illo loco; & ſic erit æquè primò forma in ſubiecto, vbicumque eſt.

*Triplex modus quò ineſſe poſſet forma ab agẽte primo.*

Poteſt etiam agere ad modum agentis limitati ex propria voluntate in ſubiectum, vt eſt in vno loco primò; & forma ſi eſt abſoluta, erit in ſubiecto alibi concomitanter. Poteſt etiam agere ad aliquam formam, verbi gratiâ, actum vitalem intellectus, & voluntatis in Chriſto, vt eſt in Euchariſtia; & hic actus erit in ipſo, vt eſt in cœlo concomitanter, prout benè Doctor *quæſtione præcedenti, concluſione 3.* perinde docet de actibus immanentibus Chriſti in Euchariſtia applicato hîc obiecto intelligibili in proprio genere.

11 *Secunda obiectio. Præſentiã in pluribus locis nequit agens creatum conferre.*

Obiicit ſecundò quòd agens naturale non poſſit dare præſentiam in diuerſis locis formæ à ſe productæ: ergo neque etiam producere concomitanter eandem in ſubiecto, vt eſt diſtans: & potiùs dicendum eſſet, quòd nullo modo poſſet producere effectum, etiam in ſubiectum, vt hîc applicatur ipſi, quàm quòd producat concomitanter alibi.

Reſpondetur ex dictis: agens naturale, ſeu creatum dare *eſſe* formæ in ſubiecto, vt ſibi hîc primò applicatur: ex ſuppoſitione autem exiſtentiæ ſubiecti alibi, eandem formam ineſſe ſubiecto, vbicumque eſt, & hoc ex identitate ſubiecti, & formæ independentis à loco: ideóque hîc non eſt nouum miraculum; ſed primum continuatum, ex quo neceſſitate conſequentiæ, & inexiſtentiæ formæ, ſequitur illa duplex præſentia in forma: quia neque poſitio ſubiecti alibi tollit capacitatem ad formam recipiendam in ſubiecto ab agente debitè applicato, neque quidpiam per ſe requiſitum ad actionem; proinde ſine nouo miraculo non poſſet ſuſpendi actio cauſæ naturalis, ideóque falſum eſt aſſumptum: neque etiam ſuppoſitum huius argumenti ſubſiſtit, quaſi virtute agentis naturalis recipiat forma duplicem præſentiam, quia producitur in ſubiecto applicato à cauſa naturali.

*Non eſſe nouũ miraculũ formam replicari.*

*Suppoſitũ argumenti non ſubſiſtit.*

Hæc enim eſt vera, ideò forma abſoluta producta habet duplicem præſentiam, quia ſequitur conditionem ſubiecti, quod habet duplicem præſentiam, à quo eſt inſeparabilis forma, quamdiu ineſt: ita etiam negamus virtute agentis naturalis formam habere duplicem præſentiam, quamuis hoc ſequatur ad actionem cauſæ naturalis, & argumentum tranſit de genere in genus.

*Ex replicatione ſubiecti, non virtute agẽtis forma replicatur.*

Tertiò obiicit, & eſt quaſi confirmatio prioris, quia agens naturale mouens ſubiectum in vno loco, non transfert motum ad alium locum, etiam concomitanter: ergo idem dicendum de quauis alia forma.

12 *Obiectio tertia.*

Reſpondetur committi fallaciam conſequentis, quia motus localis conuenit ſubiecto dependenter à ſpatio vero, vel imaginario, & à loco, quia eſt tranſlatio ſubiecti de vno loco in alium: alteratio verò, & productio formæ abſolutè, quæ ineſt ſine dependentia à loco: negatur ergo conſequentia.

*Fallacia conſequentis.*

Ad aliud, quod ſubiungit, nempe ex defectu virtutis etiam hoc prouenire in mouente localiter; & non ſolùm ex natura mutationis, falſum eſt: quia quantumlibet mouens localiter non exerat virtutem ſuam integrè, quoad extremum virium ſuarum, nunquam poteſt mouere de loco in locum ſine perditione prioris, idque ex natura termini, & mutationis tantùm, non ex defectu virtutis. Quòd ſi verò aliàs forma eſſet abſoluta à loco, eadem ipſa virtus ſufficeret, vt forma producta in vno loco, eſſet etiam in alio; non ex virtute agentis, vt dictum eſt, quamuis ad eam ſequatur, vel eam ſupponat talis inexiſtentia, vt per eam habet abſolutè *eſſe*: ſed ex identitate formæ, & ſubiecti, quæ abſoluitur à loco determinato.

*Cur motus non replicetur.*

Obiicit quartò, quòd calor cauſatus ab agente naturali in Chriſto in cœnaculo, non tranſiuit in corpus, vt habuit *eſſe* ſub ſpeciebus, quia hunc modum, qui eſt ſuperioris ordinis, nequit recipere ab agente naturali, quod nequit producere calorem indiuiſibiliter exiſtentem. Confirmatur, quia ob hanc eandem cauſam ex dependentia ab extenſione, corpus Chriſti nequit pati ab agente naturali immediatè: nam effectus idem erit in Sacramento, ſiue immediatè, ſiue mediatè fieri dicatur, cùm ſemper requirat immediatam actionem, per quam fiat.

13 *Quarta obiectio.* *Confirmatur.*

Reſpondetur ex dictis, negando antecedens. Ad cuius probationem reſpondetur illum modum non recipere virtute agentis naturalis; ſed ſequi ad actionem illius agentis, non ex vi illius actionis, quæ extenſa eſt, & fit ſubiecto etiam quà extenſum eſt: prouenit ergo ex modo exiſtendi præſuppoſiti ſubiecti: quod enim recipitur, vel ineſt alicui ſubiecto, per modum recipientis ineſt, hoc eſt, ſequitur modum eſſendi ſubiecti: ſicut ergo ſubiectum ſe habet ad modum eſſendi, ita & forma, & ſicut ſubiectum habet diuerſos illos modos eſſendi, ita & forma eoſdem habet: ex identitate ergo prædicta formæ, & ſubiecti conuenit proximè, remotè verò à cauſa prima.

*Reſponſio.*

*Cur forma exiſtit indiuiſibiliter?*

Ad confirmationem, concedo antecedens negando conſequentiam: cuius probatio eſt vera de effectu, inquantùm primò producitur, & terminat actionem ſuæ cauſæ: exiſtere autẽ in ſubiecto

inſepa

inſeparabiliter modo ſæpiùs explicato competit formæ, quamdiu eſt, habere autem modum exiſtendi ſubiecti ex eadem inſeparabilitate ſequitur: extenſio ergo formæ competit ratione ſubiecti, ſicut & priuatio extenſionis: hæc enim non conueniunt formæ primò, ſed ſubiecto; ſecundariò autem formæ.

Aliæ rationes prædicti authoris ex aliis ſpeciebus motus, & mutationis hærent in iiſdem principiis, quæ iam ſoluta ſunt; breuitatis autem compendio omittuntur, licèt aliquæ ex ipſis in ſpecie poſſint impugnari: omnia autem egregiè tractat Doctor in litera ſequenti, & reſponſionibus ad argumenta, quæ commento, aut confirmatione non indiget. Admonendum tamen clarè conſtare, ea quæ dicta ſunt in reſponſione ad tertium præcedentis quæſtionis, de exiſtentia quantitatis in corpore alibi, & non in Euchariſtia, in hac quæſtione impugnari ex propoſito: ac proinde non eſſe ex ſententia aſſerta Doctoris: cui autem non placuerit interpretatio ibidem adhibita, dicat Doctorem ibi inſinuaſſe ſententiam aliorum, quam *ſuprà* impugnauit *q. 1. §. Alio modo dicitur*, &c. quæ negat quantitatem corporis in Euchariſtia, & quam ſecuti ſunt poſteriores, vt Durandus, & Ocham. & licèt probationem eius inſinuauerit: tamen eam tribus obiectionibus impugnat, & remittit ſolutionem argumenti ad aliàs dicta, & dicenda in poſterioribus, potiſſimùm in hac quæſtione. Corollarium illud: *& ex hoc ſequitur*, &c. explicabitur commodiùs in ſequenti.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrum Chriſtus in Euchariſtia exiſtens poſsit per aliquam virtutem naturalem tranſmutare aliquid aliud à ſe?*

Henric. *quodl. 5. q. 6.* Anton. *3. p. tit. 13. c. 6. §. 13.* D. Thom. *3. p. q. 76. a. 7. & q. 91. a. 4.* Richard. *hîc a. 5. q. 2.* Gabr. *lect. 45. in can.* Palud. *q. 4.* Capr. *q. 4.* Ocham *hic q. 4.* Maior. *q. 5.* Suar. *3. p. tom. 3. d. 53. ſ. 2. Vide* Scot. *9. Met. q. 14.*

AD primum arguitur, quòd ſic, quia ſecundùm Philoſophum quinto Metaphyſicæ, & 9. *Potentia actiua eſt principium tranſmutandi aliud, inquantùm aliud*: ſed Chriſtus vt in Euchariſtia, habet potentiam actiuam, quia omnem formam abſolutam, quam habet in exiſtentia naturali: ergo vt in Euchariſtia, habet principium tranſmutandi, ſed habens principium tranſmutandi, per illud tranſmutare poteſt. Sed poſſet fieri vis de gerundio *tranſmutandi*, ſecundùm illa, quæ dicta ſunt in primo libro diſtinct. ſeptima, *An filius Dei habet potentiam generandi.* 1 *Arg. 1. Text. 17. Text. 2.*

Secundò ſic, homo viuens vitâ mortali ſemper nutritur, *primo de generatione*; ſed corpus Chriſti in Euchariſtia vixiſſet vitâ mortali, dum Chriſtus eſſet mortalis: ergo ſemper nutriretur, & nutrimentum conuerteretur in ſubſtantiam eius: ergo ſemper ageret. *Arg. 2. Text. 41. & 2. de Anima.*

Tertiò ſic, homo viuens vitâ mortali, ſemper indiget reſpiratione aëris, & inſpiratione. Patet, quia ſuffocatio, ſiue in aqua, ſiue in aëre, ſemper fit propter defectum huius, ſcilicet *reſpirare*, vt dicitur *in libro de Reſpiratione*: corpus Chriſti, vt priùs, viuit hîc vitâ mortali: ergo continuè hîc inſpirat, & reſpirat aërem: ſed hæ ſunt actiones: ergo, &c. *Text. 47. Arg. 3.*

Quartò, Chriſtus vt in Euchariſtia habet eandem potentiam actiuam, quam habet vt in cœlo: nec eſt impedita, vt eſt hîc: ergo ſecundùm illam potentiam poteſt Chriſtus hîc exire in actum eius, & per conſequens mouere corpus ſuum motu locali. *Arg. 4.*

Contrà, omne agens, phyſicè agendo, repatitur, *tertio Phyſicorum*; corpus Chriſti, vt hîc, non poteſt pati phyſicè: ergo nec agere. Secundò ſic, corpus agens in aliud requirit determinatam approximationem ſecundùm locum, ad aliud corpus: corpus Chriſti non eſt hîc localiter: imò quantùm ad omnem habitudinem ad aliud corpus, eſt hîc, ac ſi non eſſet hîc: quia non replet hîc locum. *Text. 8. & 1. de Genera. Text. 54. & 55.*

### *COMMENTARIVS.*

*Tertius articulus diſtinctionis.*

a AD primum arguitur quòd ſic, &c. Hîc incipit tertium articulum huius diſtinctionis, in quo agit tribus his quæſtionibus de actione, quæ Chriſto conuenit in Euchariſtia.

### SCHOLIVM.

*Hæc litera continet aliquot dicta. Primum, Chriſtus in Euchariſtia non poteſt habere vllam operationem corpoream internam, vel externam; quia eius potentiæ corporeæ nulli paſſo ſunt localiter approximatæ. Secundum dictum, poteſt habere operationem ſpiritualem, vt illuminare Angelum præſentem. Tertium dictum, poteſt anima Chriſti in Euchariſtia actione ſpirituali mouere inorganicè (id eſt, totum ſimul) corpus ab vno loco in alium, quia hoc poteſt Angelus,*

*& aliquibus videtur Chriſtus vſus hac potentiâ in vita mortali, vt quando elapſus eſt è manibus Iudæorum. Luc. 4. In primo dicto conuenit D. Thom. d. ... a. 4. & communis, contra Ocham. Gabr. Maior. citatos. De tertio dicto vide infr. d. 49. q. 14. & quæ ibi noto.*

2 Reſpondeo [a], ſicut homo eſt compoſitus ex anima, & corpore, ita habet potentias quaſdam merè ſpirituales, quæ conueniunt animæ primò, tamen toti per ſe per animã, vt ſunt intellectus, & voluntas. Habet etiam quaſdam potentias corporeas, quæ ſcilicet non ſunt animæ per ſe, ſed totius coniuncti ex anima & corpore, *ex lib. de Senſu, & Senſato*; & quidem illarum, quæ ſunt totius coniuncti, quædam ſunt magis corporeæ, quæ ſcilicet conſequuntur naturam corporis ſic mixti: quædam ſunt magis approximantes ad naturam animæ, ſcilicet quæ conſequuntur corpus animatum, in quantùm tale. De his ergo potentiis ſupponendo aliquas hinc, inde actiuas, videndum eſt per ordinem.

*Chriſtus in Euchariſtia, non poteſt habere vllam actionem corpoream. Tex. 8. & 9.*

Et ſit prima concluſio, quòd Chriſtus in Euchariſtia, non poteſt vti aliqua potentia actiua corporea, ſiue illa ſit merè corporea, puta conſequens naturam corporis mixti: ſiue ſit corporea, hoc eſt, conſequens totum animatum. Primò hoc probatur, quia omnis potentia actiua corporea requirit paſſum, in quod agat approximatum ſibi localiter: iſta potentia, vt eſt hîc, non eſt alicui localiter approximata: ergo vt eſt hîc, non poteſt habere paſſum ſibi approximatum, ſicut requiritur ad actionem talis potentiæ. Maior patet 7. *Phyſicorum*, vbi probatur, quòd oportet agens corporeum approximatum eſſe paſſo mediatè, vel immediatè.

3 Secunda [b] concluſio eſt, quòd Chriſtus in Euchariſtia poteſt vti quacumque potentia actiua ſpirituali. Hoc probatur per medium oppoſitum, quia illa non requirit ad actionem, quòd habeat *eſſe* localiter: quia etſi agens per principium ſpirituale ſit in loco, non tamen requiritur, quòd ſit ibi localiter ad hoc, quòd agat.

*Anima Chriſti in Euchariſtia, poteſt loqui Angelo ſpiritualiter.*

Hanc autem concluſionem in ſpeciali explicando, dico, quòd Chriſtus in Euchariſtia poteſt habere aliquam actionem merè ſpiritualem, tam ex parte principij, quàm ex parte termini: & poteſt habere aliquam ſpiritualem ex parte principij agendi, corporalem tamen ex parte termini. Primum illorum probo, quia ſi eſſet aliquis Angelus præſens Chriſto in Euchariſtia, poſſet anima Chriſti illum Angelum illũminare, & illi loqui locutione mentali eo modo, quo Angelus exiſtens, vbi Chriſtus eſt, poſſet alium Angelum illuminare, vel alij loqui: nam iſta illuminatio, & locutio non requirit, niſi principium actiuum ſufficiens in illuminante & loquente, & ſubiectum capax ex parte illuminati, ſiue cui fit locutio: & fortè approximationem ſecundùm *vbi* definitiuum, ſeu approximationem ſimplicem illuminantis ad illuminatum, vel loquentis ei cui loquitur: nec requiritur ibi localiter eſſe, ſicut nec ſi vnus Angelus loqueretur alij. Hæc autem omnia ſunt in propoſito; qualiter autem anima Chriſti habeat principium illuminandi Angelos, & loquendi eis intellectualiter, ſupponatur *ex 3. lib. diſt. 13. & 14.*

*De hoc lib. 2. d. 9. q. 2.*

4 Secundum, ſcilicet quòd poteſt habere actionem ſpiritualem ex parte principij, tamen corporalem ex parte termini, declaratur ſic, quia Angelus habet potentiam motiuam ſecundùm locum, non organicam. Patet, quia non poteſt habere potentiam aliquam organicam: illa poteſt eſſe principium mouendi corpus, ſecundùm totum, non ſecundùm partes, quomodo corpus noſtrum mouetur organicè: quælibet autem anima intellectiua talem potentiam habet: ergo poteſt eſſe principium motus: & per conſequens illa eſt merè ſpiritualis ex parte principij, quia nullo modo organica: & tamen corporalis ex parte termini, quia eius terminus eſt motus localis corporis.

*De quo d. 49. q. 14. n. 4. 5.*

Et ſi arguitur, quòd tunc anima hominis habet duplicem potentiam actiuam motiuam, ſecundùm locum reſpectu corporis: habet enim vnam organicam, & præter illam aliam non organicam: hoc autem ponere, videtur ſuperfluum: tum quia videtur eſſe rationis eiuſdem, cum altera: tum quia altera potentia non poteſt exire in actum ſuum pro ſtatu iſto, vt manifeſtum eſt.

Reſpondeo, ſicut anima quantùm ad multa alia, ſimilis eſt Angelo, ita etiam quantùm ad potentiam motiuam corporis non organicam: non enim eſt ratio quare iſta ſubſtantia non habet huiuſmodi potentiam motiuam corporis: & vniuerſaliter nulli naturæ debet negari quòd eſſet in ea perfectionis, niſi manifeſtè appareat, quòd tale ſibi repugnet: quia ſecundùm Philoſophum 2. de Generatione in fine: *Dignificanda eſt natura ſemper ſecundùm melius quantùm poſsibile eſt.*

*An potẽtia nõn organica, & organica ſint diuerſa rationis.*

Et cùm arguis, quòd eſſent eiuſdem rationis, nego: nam iſta potentia non organica, quæ mouet totum corpus ſimul, non ordinatè per partes eo modo, quo fit motio corporis animalis in motu progreſſiuo, iſta, inquam, eſt alterius rationis à virtute progreſſiua:

quia

quia ista habet actionem mouendi totum corpus immediatè, non partem post partem, illa autem non potest mouere totum nisi ordinatè mouendo partes, & partem post partem: sicut modò virtus progressiua primò mouet quasdam partes, & per illas alias, deinde totum corpus: sunt ergo alterius rationis, sicut patet ex proprietatibus, & actionibus earum, quæ sunt alterius rationis.

5

Ad secundum, cùm dicis, quòd illa nunc est frustrà, quia nullus eius actus potest haberi. Respondeo, quòd nunc gustum, & alios sensus ponimus, & necessarios ad perfectionem naturæ humanæ: & tamen non oportet omnes istos esse in actu suo aliquando, sed possunt esse sine actu suo, vt in Beatis: nec tamen sunt frustrà, quia pertinent ad perfectionem naturalem illius in quo sunt: si ergo illi non sunt ibi frustrà, quorum tamen vsus est frustrà pro illo statu, qui est simpliciter status perfectus naturæ humanæ (possibilis autem est vsus illorũ præcisè pro isto statu naturali) multo magis illa potentia motiua non organica non est frustrà, licèt vsus eius non possit modò haberi, cuius tamen vsus erit perpetuò in Beatitudine, quia non tantùm poterit tunc Beatus mouere corpus suum progressiuè, id est, primò mouendo vnam partem, & per illam aliam, & sic totum: sed poterit statim, & immediatè mouere totum corpus secundùm *vbi*, sine tali ordine motus partium. De hoc inferiùs in materia de Beatitudine, *q. de agilitate.*

*Aliqui sensus erunt sine suis actibus in Beatis.*

*Anima nostra habet potentiam motiuã non organicam, quã vtetur in Beatitudine.*

*Dist. 49. q. 14.*

Hanc potentiam motiuam non organicam suppono esse in anima Christi, quia etiam erit in anima cuiuslibet Beati: non tantùm quantùm ad habitum, sed quantùm ad actum, vel vsus possibilitatem. Hac etiam poterit vti immediatè, mouendo aliquod corpus secundùm se totum, sicut Angelus posset mouere. Hac etiam fortè vsus est Christus in vita ista, vt quando elapsus est de manibus Iudæorum, qui ducentes eum ad montem super quem erat ciuitas eorum sita, voluerunt ipsum præcipitare: quando etiam elapsus est de manibus parentum, & mansit in Ierusalem, vt patet secundùm Origenem super illud Luc. 2. *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim.* Ergo anima Christi in Eucharistia existens poterit vti ista potentia, mouendo species illas, vel hostiam, & fortè sic aliquando mota est hostia à Christo immediatè.

Et si quæras, nunquid priùs mouit corpus suum per istam potentiam motiuam, quàm hostiam? Respondeo, non fuit necessarium, sicut nec oportet Angelum priùs mouere se localiter ad hoc, vt corpus sibi approximatum moueat localiter.

6

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd ista descriptio de potentia actiua, scilicet quòd est principium transmutandi, &c. debet intelligi quantùm est ex parte sui, sed multa impedimenta possunt prouenire, vel ex parte habentis, vel ex parte obiecti, vel medij, propter quæ non potest habens illam potentiam, exire in actum. Si verò ponderetur illud gerundium *transmutandi* secundùm illa, quæ dicta sunt *primo libro distinct. 7.* de potentia generandi. Respondeo, debet intelligi *transmutandi*, quantùm est ex parte illius potentiæ, sed non sequitur quin aliud possit impedire actualem transmutationem.

*Ad arg. 1. & q. 2. quodl.*

*Ad 2. Non valet, hîc nutritur; ergo hîc agit.*

Ad secundum dico, quòd corpus hîc nutritur, si nutritur in existentia naturali, sed non sequitur, ergo vt hîc agit: quia nutritio non est nisi aggeneratio partis ipsius substantiæ nutritæ, & ista aggeneratio potest esse per actionem virtutis nutritiuæ, siue vt hîc, siue vt alibi.

*Ad 3. Christus in Eucharistia nõ inspirat, nec respirat, tamen habet pulmonem tẽperatissimũ. vt hîc.*

Ad tertium de inspiratione, & respiratione dico, quòd corpus Christi, vt hîc non respirat aërem, nec inspirat: tunc enim oporteret ponere aërem aliquem, vt hîc simul cum corpore Christi sub hostia, sed tamen corpus Christi, vt hîc, habet pulmonem refrigeratum, sicut alibi in existentia naturali, quia frigus causatum per aërem ibi attractum causatur hîc concomitanter, licèt non primò.

*Ad 4. Quare Christus vt hîc nõ potest mouere se organicè.*

Ad quartum dico, quòd potentia illa motiua Christi, quæ est organica & corporalis, licèt sit in corpore Christi, vt hîc: tamen non potest esse principium actus sui in corpore, vt hîc; quia requirit partem extra partem, non tantùm in toto, sed in comparatione ad locum, ad hoc vt per vnam partem motam localiter moueat aliam. Potentia autem alia motiua non organica potest in actum suum hîc, sicut in cœlo, & per consequens secundùm istam potest mouere corpus aliud sibi approximatum, sicut Angelus posset, sed tamen non potest mouere corpus suum, vt hîc, quia vt sic illud corpus non subest alicui potentiæ motiuæ, nisi diuinæ immediatè, vt dictum est suprà.

1 *Diuiſio potẽtiarum hominis in tria genera.*

a RESpondeo, *ſicut homo compoſitus*, &c. Potentias hominis reducit ad tria genera; primum eſt merè ſpiritualium, vt eſt voluntas & intellectus, quæ dicuntur potentiæ rationabiles, & conueniunt primò: ſecundum genus eſt potentiarum, quæ ſequuntur naturam corporis viuẽtis, vt potentiæ animæ vegetatiuæ, vt ſunt nutritiua, augmentatiua, expulſiua: tertium genus, quod ſequitur ad corpus animatum, anima ſenſitiua, vt ſunt ſenſus externi, & interni.

2 *Prima concluſio. Actio, & paſſio potentiæ corporeæ non ſunt hic primò.*

b *Et ſit prima concluſio, quòd Chriſtus in Euchariſtia*, &c. negat vſum potentiæ corporeæ à Chriſto in Euchariſtia, & actionem, quæ ipſi in eo ſtatu primùm conueniat. Eadem concluſio perinde vera eſt de paſſione mediante potentiâ receptiua, vt probauit Doctor in præcedentibus quæſtionibus, & potiſſimùm quæſtione ſexta. Eandem tamen addo hîc ex occaſione contrariæ ſententiæ, quà reſpõdeatur aliquibus eius fundamentis: illa eſt ſententia Nominalium, & affirmatiua: Ocham *in 4. quæſt. 4.* Aliacus *quæſt. 5. art. 2.* Maior *in hac diſt. quæſt. 5.* Gabriel *lect. 45. in canonem.*

*Sent. contra.*

Ocham. Aliacus. Maior. Gabriel.

*Prima probatio.*

Concluſionem præmiſſam tenent communiter Theologi citati à Scholiaſte. Probatur primò ratione philoſophica, quia quantitas extenſa eſt conditio agendi, & patiendi in ſubſtantia corporea, vt experientia docet. Alij probant, quia agentia naturalia agunt per contactum, qui nequit eſſe ſine quantitate. Sed hæc ratio non valet, quia dari poteſt actio indiſtans per ſolum contactum virtutis, non autem quantitatiuum, ſeu mathematicum.

*Ab experientia.*

*Datur ratio indiſtans.*

*Secũda ratio.*

Secundò hæc dependentia actionis, & paſſionis in ſubſtantia corporea ab extenſione probatur in materia rara, & denſa, aliter enim ferrum candens calefacit, aliter ſtupa, in quibus eſt differentia tantùm ſecundùm quantitatem, quia idem eſt principium agendi, idem paſſum vtrique applicatum, eadem applicatio; ſolùm differunt ſecundùm quantitatem. Patet idem in actione ſenſibili, in ſenſum quodlibet minimum non agit quamuis habeat, & eaſdem qualitates ſenſibiles, quas habet magnum, & ſolùm differt ſecundùm extenſionem.

*Ex materia dẽſa, & rara.*

*Ex actione in ſenſum.*

*Tertia ratio. Ex ſubiecto.*

Tertiò, quia quantitas eſt ſubiectum *quo* formarum, ſaltem accidentalium: ergo ab ipſa dependent in *fieri*, ſicut in *facto eſſe*.

*Quarta ratio. Ex modo eſſendi.*

Quartò, quidquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur: ergo diuiſibiliter, ſi eſt diuiſibile; & conſequenter paſſio, & actio, vt ſumuntur pro re acta, dependent à quantitate. Deinde forma corporis quæcunque, præter animam rationalem, non eſt tota in toto, & tota in qualibet parte, ſed diuiſibilis ſecundùm partem in parte; ſed actio ſequitur modum eſſendi formæ: ergo agit actione diuiſibili: ergo in aliquid diuiſibile, & conſequenter dependenter ab extenſione. Ex quibus ſequitur corpus ſecundùm modum exiſtendi ſacramentalem non habere actionem tranſeuntem in aliud, neque poſſe pati ab alio diuiſibili.

3 *Prima obiect. Ex applicatione virtutis. Reſponſio.*

Obiicies, agens nihil aliud poſtulat præter principium agendi, & applicationem eius ſecundùm indiſtantiam, quæ conueniunt corpori etiam indiuiſibiliter exiſtenti: ergo, &c. Reſpondetur negando antecedens ex dictis, quia modus agendi corporis ſupponit modum eſſendi connaturalẽ eius: vnde malè Suarez admittit poſſe fieri actionem tranſeuntem à corpore indiuiſibiliter exiſtente, quamuis nequeat pati: neque diſparitas aſſignata ab ipſo ſubſiſtit; quia, inquit, quidquid recipitur per modum recipientis recipitur, ideóque nequit forma extenſa, aut actio ab extenſo recipi in id, quod indiuiſibile eſt. Econtrà, cùm actio tranſiens recipiatur non in agente, ſed in paſſo, nihil repugnat, quin poſſit eſſe ab agente indiuiſibiliter exiſtente: ergo à corpore, cùm habeat virtutem actiuam, & ſufficiat contactus virtutis.

Suarez.

*Fundamentũ Suarez.*

*Quidquid recipitur in alio, per modũ recipientis recipitur.*

Retorqueo eandem rationem: quia ſicut ſe habet corpus ad actionem, ita & ad paſſionem, quia potentia tam actiua, quàm paſſiua in ipſo manet indiuiſibiliter exiſtenti: ac etiam formæ, quæ ſequuntur, vt proprietates abſolutæ, & præſentia, & reliqua, quæ inſunt in ordine ad locum indiuiſibilem: ergo quantùm eſt ex parte eius, eadem eſt ratio: ergo ſi poteſt agere actione tranſeunte in aliud extenſum, ita & pati ab ipſo, quia quidquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur, quia actio ſequitur naturã paſſi, & modum eius exiſtendi: ergo paſſio & actio, quæ fierent in corpus indiuiſibiliter exiſtens, eſſent indiuiſibiles, & ſic non repugnarent. Sicut neque paſſionem, & actionem eſſe ab ipſo in aliud diuiſibile, quia ſequerentur modum eſſendi ſubiecti non agentis.

*Retorquetur argumẽtum.*

Vtrumque ergo aſſerendum eſt, vel negandum: communis negat ex rationibus *ſuprà* allatis, quia ſicut in *eſſe* dependet corpus à quantitate, ita etiam in *agere* magis, quàm in *pati*, quia diuinâ virtute poteſt, & Angelica poſſet exerceri actio circa corpus indiuiſibiliter exiſtens: ergo de facto nequit pati ab agente corporeo, quia ab hoc nequit eſſe actio niſi in illud, quod eſt extenſum, loquendo de reali actione, ideóque requiritur à Philoſopho, & aſtruitur intellectus agens propter hanc improportionem phantaſiæ, quæ eſt materialis ad intellectum, vt paſſum. Eâdem ratione negant Theologi ignem inferni agere in ſpiritum phyſicè, quamuis non repugnat materiale agere in immateriale partialiter: repugnat tamen, vt cauſam totalem ſic agere.

4

Obiicies tamen ſecundò, quòd indiuiſibile poſſit moueri localiter, quia quodlibet indiuiſibile ſphæræ poteſt deſcribere planum: ergo neque repugnat corpus etiam indiuiſibiliter exiſtens agere, & pati. Antecedens eſt Doctoris *in 2. diſt. 2. quæſt. 9. §. Ad tertium argumentum principale.* Reſpondetur indiuiſibile in continuo moueri poſſe per accidens, & ſecundariò, ab agente etiam corporeo, quod primò poteſt mouere totum, non tamen primò mouetur indiuiſibile: vnde, vt *ſuprà* præmiſi, non eſt repugnantia ex parte ipſius indiuiſibilis ſimpliciter, quin recipere poſſit formam à Deo, aut Angelo, aut etiam ab agente corporeo: ſed repugnantia eſt ex parte agentis, quia nequit producere actionem, niſi ſuppoſitâ extenſione ſui, quia proximè non applicatur virtus eius creatiua, niſi vt extenſiua eſt.

5 *Obiectio ſecũda, à motu indiuiſibilis.*

*Reſpondetur.*

*Maior dependentia agẽtis ab extẽſione, quàm paſſi.*

Nam ſicut nequit agere agens corporeum ſubſtantiale primò per actionem formæ ſubſtantialis, niſi agat per formam accidentalem priùs, vt ignis per calorem, non ob ſubordinationem, quæ

eſt

est inter formas simpliciter,sed respectiuè ad passum,à quo debet primum expelli qualitas contraria conseruatiua suæ formæ,quæ si abesset, posset esse actio substantialis primò in ipsum.

Ita etiam in proposito, subordinatio, quæ est inter passum,& agens,ratione extensionis, oritur primò ex natura agentis,quod nequit agere, nisi ipsum sit extensum,qui est modus naturalis essendi eius: vnde si posset agere, posset etiam passum recipere, & reciperet à virtute actiua proportionata,illa solùm est diuina quoad omnia; Angelica quoad motum localem, si sibi dimitteretur, non quoad alias formas creatas corporeas:demus etiam virtutem actiuam,quoad has Angelo,idem erit. Ratio est, quia quælibet forma corporea ex natura sua exigit tanquam modum naturalem essendi esse extensum, à quo absolui solùm potest à solo Deo: vnde cùm virtus quæcùnque creata, quæ respiciat effectum, seu formam ipsam continet in sua virtute, secundùm modum naturalem essendi, nequit eam aliter producere: motus tamen localis ad *vbi* indiuisibile,suppositio miraculo potest conuenire corpori,vt passo, sicut & existentia indiuisibilis:potest etiam fieri ab Angelo, quia subiectum est capax eius, licèt nequeat fieri ab agente corporeo ob rationem datam.

6 *Obiectio tertia,à nutritione, & respiratione viuentis.*

Obiicies tertiò, quia corpus viuens in Eucharistia,& passibile,vt potuit esse Christus saltem in via, necessariò nùtritur:ergo haberet actus nutritiuæ. Item necessariò respirat: ergo habet actus respiratiuæ. Respondetur vtrumque antecedens esse falsum,sed secundum magis.

Quantùm ad primum antecedens respondet Doctor in quæstione præcedenti in corollario post responsionem ad quartum: post ergo responsionem ad secundum quod mouet in litera,dicit,nutritionem,si corpus alibi secundùm modum naturalem essendi nutriretur:quòd etiam quantùm ad aggenerationem per concomitantiam nutriretur in Eucharistia: in corollario autem supponendo, quòd corpus non haberet modum alium essendi,nisi sacramentalem,mouet dubium:& respondet, quòd semper ibi maneret, & viueret sine nutritione, & respiratione, & aliis, quæ ad vitam mortalem cõmuniter requiruntur.

*Corpus indiuisibiliter positum nõ nutritur, non respirat.*

Ratio autem huius est, quia corpus viuens,vt existens sacramentaliter,manet in eadem dispositione naturali, in qua primò ponitur præsens sacramentaliter,quæ naturâ suâ est permanens, donec corrumpatur actione extrinseci contrarij: vt est autem in Eucharistia,nequit pati ab vllo agente corporeo, neque vna eius pars propter inextensionem agit,aut patitur ab alia:ac proinde,nec partes sic sunt in fluxu, quorum restauratio dependeret à nutritione,neque pulmo patitur à calore,vt ideò exigat respirationem. Vide etiam responsionem ad tertium in hac quæstione.

*Non patitur, non moritur.*

c *Conclusio secunda est,quòd Christus*, &c. Dicit quòd Christus, vt in Eucharistia, possit habere actiones intellectus,& voluntatis:fundamentum huius est ab oppositio eius,quo probauit non posse habere vsum potentiarum naturalium, & facultatum corporalium, propter dependentiam earum in agendo,& patiendo à quantitate extensa. Per oppositum ergo, sicut hæc dependentia non exigitur in voluntate,aut intellectu ex parte principij, aut termini,id est,potentiæ, & actus, possint exire in suos actus. 7 *Secunda conclusio. Habet actiones intellectus, & voluntatis.*

Dices dependere intellectum à phantasmatibus: ergo nequit operari sine phantasmate, aut non operante simul phantasiâ,quia quando intellectus intelligit,phantasia phantasiatur ex Philosopho,& experientiâ,quam habemus de nobis. *Replica.*

Respondetur, quidquid sit de natura intellectus,& intellectionis nostræ pro hoc statu, quod exigit longiorem dissertationem, saltem conclusionem veram esse in intellectu,quoad ea, in quibus non dependet à phantasia, & habente obiectum sibi præsens; non ita tamen intellectus dependet à phantasia,etiam pro hoc statu,quin operatio possit esse primò ab ipso intellectu, atque determinatio operandi: hanc habere posset in Sacramento,licèt phantasia non operatur:in statu autem glorioso,& animæ etiam separatæ, non est dubium quin intellectus sine dependentia à phantasmate operari possit,vt infrà latiùs patebit *dist.45. quæst.2.* *Responsio:* *Operatio ab intellectu primò esse potest.*

Dicit tertiò, quòd potest Christus mouere aliud corpus vicinum per potentiam motiuam, non organicam: quod perinde dicendum est de corpore proprio, nisi diuina voluntas obstaret: vtrumque potest præstare Angelus, quantùm est ex se: Christus ergo posset loqui mentaliter Angelo,& illum illuminare, posset etiam vti potentia motiua non organica, qua primò posset mouere suum, aut alienum corpus non organicè. Hanc secundam partem videtur negare Suarez *disp.53.sect.1.* Dependet resolutio, & probatio ex assertione huius potentiæ motiuæ non organicæ: quod remitto, quantùm ad præsens, ad ea quæ breuiter hîc perstringit Doctor, & maior per se *infrà dist.49.quæst.14.*vbi fusiùs,& in proprio loco agemus: admittendo namque talem potentiam motiuam,non est fundamentum denegandi actum eius proprium hîc habere posse circa ea,quæ simpliciter subsunt potestati creaturæ. Supponatur ergo pro nunc antecedens,& facilis est conclusio ex dictis. 8 Suarez.

## Qvæstio VIII.

### *Vtrùm aliquis intellectus creatus possit naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia?*

D.Thom. *3.p.q.76.a.7. & hic q.4.a.4.* D.Bonau. *hic p.2.a.2.q.1.* Richard. *a.5.q.1.* Henr. *quodl.11.q.12.* Ocham *4.q.5.*Palac. *hic disp.3.*Maior *hic q.5.* Bassol. *q.8.a.3.* Ægid. *Theor.16.*Argent. *hic q.1.*Rub. *q.8.* Mayron. *d.11.q.2.a.2.*Gabr. *lect.45.in can.*Suar. *3.p.tom.3.a.53.s.5.Vide* Scot. *8.Met.q.10.& 12.*

AD secundum sic proceditur, & videtur,quòd nullus intellectus creatus naturaliter possit videre corpus Christi,vt in Eucharistia. Primò,quia illa existentia est supernaturalis, & per consequens est verum supernaturale: ergo est tantùm superna 1 *Argum.1.*

ſupernaturaliter cognoſcibile:non ergo ab aliquo intellectu creato naturaliter.Hæc conſequentia vltima probatur, quia factibile ſupernaturale non poteſt fieri, niſi tantùm ſupernaturaliter à cauſa ſupernaturali:ergo à ſimili cognoſcibile ſupernaturale, non poteſt cognoſci ab aliquo intellectu creato naturaliter.

Item, cognitio fidei eſt ſimpliciter eminentior omni cognitione naturali: ſed de exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia eſt fides, vel cognitio fidei, ſicut de articulis aliis ſecundùm illum articulum, *Sanctam Eccleſiam Catholicam*: ergo, &c. Maior probatur, quia aliàs non eſſet neceſſe fidem eſſe infuſam ſimpliciter: quia ad cognitionem illam poſſet natura attingere, ſi non eſſet ſimpliciter eminentior omni cognitione naturali.

2 *Argum.3.* Tertiò ſic, ſi intellectus poſſet naturaliter cognoſcere exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, mali Angeli poſſent eam cognoſcere:quia ſecundùm Dionyſium 4.*de diuin. nom.* remanèt in eis naturalia integra:conſequens falſum eſt,quia inimici gratiæ,non poſſunt cognoſcere Sacramentum gratiæ. Et hoc confirmatur per illud Ambroſij ſuper illud Lucæ primo, *Miſſus eſt*, quia ſecundùm eum,malignum ſpiritum latuit myſterium Incarnationis: ſed æquè poſſet ipſe percipere illud, ſicut iſtud: quia quâ ratione iſtud eſſet cognoſcibile naturaliter,ita & illud. Hoc etiam confirmatur ſecundùm Dam.lib.4. cap.5.vbi loquens de iſto Sacramento,ait:*Verè*(inquit)*Spiritus operatio hæc, quæ ſuper naturam ſunt,operatur, quæ non poteſt capere,niſi ſola fides.*& paulò pòſt, *Interrogas qualiter panis ſit corpus Chriſti? dico tibi:Spiritus ſanctus ſic ſuperuenit,& facit hæc, quæ ſunt ſuper rationem,& intellectum.*

*Maligum ſpiritum latuit Incarnatio.*

*Argum.4.* Item, nullus intellectus creatus poteſt cognoſcere futurum contingens: iſtud autem, ſcilicet corpus Chriſti eſſe ſub Euchariſtia, eſt æquè indeterminatum, ſicut futurum contingens: quia dependet merè à voluntate diuina ad hoc contingenter ſe habente: ergo, &c.

3 *Ratio ad oppoſitum.* Contrà,anima Chriſti nouit naturaliter ſe eſſe vbicumque eſt, & per conſequens nouit ſe eſſe in Euchariſtia: & ita naturaliter poteſt noſſe exiſtentiam,* quæ ratione ſui,& corporis, ibi eſt.

**al.exiſtẽtiam corporis ſui ibi.* Secundò ſic, exiſtentia non eſt excellentius cognoſcibile,quàm exiſtens,cuius eſt exiſtentia;ſed Chriſtus eſt naturaliter cognoſcibilis ab intellectu creato:ergo & quæcumque exiſtentia eius. Probatio maioris, quia non poteſt aliquis modus improportionaliter excedere illud,cuius eſt modus. Item Beatus naturaliter videt in alio Beato actum beatificum: & tamen illa Beatitudo non eſt minùs ſupernaturalis, quàm exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia: ergo,&c.Maior patet, quia etſi non videat Beatus in Verbo,Beati alterius beatitudinem, nec in ſe, nec per aliquam ſpecialem reuelationem; poteſt tamen videre alium eſſe Beatum, ſicut poteſt videre animam alterius Beati,vel Angelum, vel eſſentiam alterius Angeli:quia non magis excellit intellectum eius naturalem beatitudo Angeli, quàm ipſa anima.

## SCHOLIVM.

*Sententia D.Thom.ab intellectu creato non eſſe viſibilem exiſtentiam Chriſti in Euchariſtia,benè tamen à Beato,actu beatifico. Richard.concordat,ſed ait à Beato videri in proprio genere, ſicut & omnia alia, quæ ſunt fidei.*

4 *D. Thom. hìc art.4. q.4.* Hîc [a] dicitur,quòd non poteſt cognoſci naturaliter ab intellectu viatoris, quia eſt obiectum fidei: poteſt tamen benè cognoſci à Beato,& hoc actu beatifico,quia eorum,quæ ænigmaticè cognoſcuntur in via, ſuccedit in beatitudine clara viſio.

Aliter dicitur,idem tamen in ſententia,quantùm ad primum, ſed propter aliam rationem, quia ſcilicet lumen naturale non attingit ad cognitionem iſtius exiſtentiæ. Quantùm ad ſecundum diſcordatur, quia dicitur, quòd non tantùm poteſt videre Beatus in Verbo, illam exiſtentiam: ſed etiam in genere proprio, propter hoc, quia quamuis ille modus exiſtendi excedat facultatem luminis naturalis intellectus, non tamen luminis gloriæ: &, ideò licèt nullus intellectus creatus relictus ſuo lumini naturali poſſit videre illum modum exiſtendi; intellectus tamen adiutus lumine ſupernaturali gloriæ poteſt videre. Vnde dicit,quòd quicumque intellectus beatus modum exiſtentiæ corporis Chriſti ſub Sacramento,& omnia, quæ ſunt fidei, videt clarè, non tantùm in Verbo, ſed etiam illâ viſione,quæ dicitur eſſe in genere proprio.

COMMEN

## COMMENTARIVS.

1 *Sententia negans.* D. Thom. D. Bonau. Henricus. Richard. Durandus. Sotus. Caietan. Suarez.

a *Hic dicitur*,&c. D.Thomas negat posse videri ab intellectu creato modum existendi sacramentalem virtute naturali:quem sequuntur D.Bonauentura,Henricus,Richardus à Scholiaste citati ; & *in hac dist.* Durandus *quæst.* 4. Sotus, Caietanus, Suarez *disp.*53.*sect.*5. & communis doctrina est in schola D.Thomæ. Agitur hîc de intellectione Angeli,animæ separatæ,& Beati. Docet D. Thomas videri quidem in Verbo hunc modum existendi, non tamen in proprio genere. Richardus admittit à Beato posse videri in genere proprio ; non virtute naturalis luminis, sed per lumen supernaturale gloriæ omnia mysteria fidei. Alij , vt Caietanus admittit per speciem infusam posse Angelum videre corporis Christi existentiam in Eucharistia ; non tamen modum existendi. Approbat Suarez quamuis per actum consequentem talem speciem non videretur, vbi esset corpus existens ; sed eius existentia.

*Limitatio prioris sententiæ prima.*

*Secúda limitatio.*

*Tertia limitatio.*

## SCHOLIVM.

*Explicatis tribus terminis,* intellectus,naturaliter,*&* videre,*ponit aliqua dicta. Primum,certum est,quòd intelligimus abstractiuè corpus Christi in Eucharistia. Secundum,non possumus illud intueri pro hoc statu. Tertium, intellectus creatus non alligatus sensibilibus potest intuitiuè videre existentiam corporis Christi in Eucharistia.Probat primò,quia modus accidentalis non impedit cognoscibilitatem substantiæ , quæ est per se obiectum intellectus , quia sicut ipsa prius habet* esse, *ita & intelligibilitatem, ante illum modum. Secundò,intellectus cognoscere potest absentiam panis. Tertiò , ens creatum est obiectum proportionatum intellectus creati. Quartò, supernaturalitas, quæ videtur esse habitudo ad supernaturale agens , non tollit intelligibilitatem rei creatæ : quia quædam naturalia videntur in entitate perfectiora quibusdam supernaturalibus,quia hæc ordinantur ad illa. Contra hanc clamant Thomistæ 3.par.q.76.cum Suarez ibi disp.53.sect.5.Scotum sequuntur Maior q.5. Palacius disp.3.concl.7.Ocham 4.q.5. Gabriel lect.45.in canon. Ægid.Theor.16.& omnes Scotistæ. Rub.Bassol.Mayron.citati, Leuchetus, Tartaretus, & alij hîc.*

Respondeo [a] ad quæstionem,primò exponendo istos tres terminos, *intellectus,videre, naturaliter.* Intellectus enim creatus vel est omnino separatus à materia, sicut Angelicus : vel est sibi similis in operatione,vt intellectus animæ separatæ,& intellectus animæ coniunctæ corpori beato, qui sunt similes Angelis in operatione, vt suppono hîc, & probatur inferiùs : vel est intellectus creatus coniunctus corpori corruptibili, quod aggrauat animam, Sapient.9. ille non intelligit,nisi imaginabilia,vel illa quæ relucent in phantasmatibus, ex 3. de Anima.

5 *Intellectus in corpore beato est similis Angelo in operatione.*

Et per hoc aduerbium *naturaliter* non intelligitur, quòd intellectus ex sola sua natura possit illud obiectum cognoscere : quia anima est sicut tabula rasa,quæ nihil potest ex se sola cognoscere, *ex 3.de Anima,* sed intelligitur illud cognoscere naturaliter, quia intellectus potest cognoscere concurrentibus causis naturalibus, scilicet actiuo, & passiuo.

*Text.*30.*& inde. Text. com.* 14.

*Videre* autem importat intellectionem intuitiuam , vt distinguitur contra intellectionem abstractiuam : & quidem , vt dictum est alibi , intellectio intuitiua est cognitio rei, vt in se est præsens : abstractiua potest esse eius secundùm quòd relucet in aliqua similitudine, quæ potest esse existentis, & etiam non existentis, siue præsentis, siue non.

*Intellectio intuitiua quid sit , & quid abstractiua.*

Non ergo quæritur de *intelligere naturaliter,* sed de *videre* : quia de *intelligere* loquendo de intellectione abstractiua, manifestum est , quòd noster intellectus potest intelligere corpus Christi : impossibile est enim aliquam complexionem concipere, cuius extrema non concipiuntur : possibile est autem intellectum nostrum concipere hanc complexionem , *corpus Christi est in Eucharistia* , alioquin non posset illam formare : ergo intellectus noster & istam complexionem,& eius extrema potest cognoscere,& intelligere aliquâ intellectione.

*Vide Scot. 2. d.3. q.9. & 1.d.1. q. 2. & d. 8. quæst. pen. & 3. d.14. & 4. d.49. q.12.*

Et si quæras quomodo potest corpus Christi, vel existentia eius in Eucharistia intelligi à nobis abstractiuè ? Respondeo, docet August. 8. *de Trinit.c.*4.*&* 5. quomodo habemus fidem de Christo , cùm tamen Christum non viderimus , hoc est secundùm ipsum in quibusdam intentionibus communibus acceptis à singularibus, sicut diffusè docet ibi: quia nihil interest ad fidem nostram,vtrùm erremus in quibusdam conditionibus singularibus conceptis de Christo : quia fides nostra non respicit per se illas conditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, cuius notitia potuit nobis infieri ex notitia cuiuscumque singularis hominis : ita etiam existentia corporis Christi hîc potuit nobis infieri ex alia existentia, vtpote alicuius contenti in continente,seu signati in signo, vel tecti in tegente. De *videre* igitur, hoc est,de intellectione intuitiua huius existentiæ, mouetur quæstio.

6 *Quomodo haberi potest fides de eo quod non est visum, nec cognitum in se.*

*Concluſ.1.* His autem rationibus terminorum ſuppoſitis. Reſpondeo ad quæſtionem ſecundùm membra diſtinctionis,& ſit prima concluſio: Quòd intellectus noſter pro ſtatu viæ non poteſt naturaliter videre corpus Chriſti, vt ibi exiſtens. Hoc probatur, quia intellectus qui non intelligit, niſi ex ſenſibilibus, eodem modo intelligit ſenſibilibus eodem modo ſibi præſentibus; noſter intellectus pro nunc eſt huiuſmodi: ſenſibilia autem ſunt ſibi eodem modo præſentia antequam ſit ibi corpus Chriſti,& poſtea: ergo,&c. ſed antè non videt intuitiuè corpus Chriſti, quia antè non eſt ibi: ergo nec pòſt videt intuitiuè.

7 *Concluſ.2. Contra D. Thom. 3. p. q.76. art.7.* Secunda concluſio eſt de intellectu non alligato ſenſibilibus in intelligendo: & ſit iſta: Omnis talis intellectus, ſiue Angelicus, ſiue animæ ſeparatæ, ſiue hominis beati, naturaliter poteſt videre exiſtentiam corporis Chriſti in Euchariſtia. Hoc probatur, quia intellectus ſe habens ad intelligibilia, ſicut ipſa ſunt in ſe intelligibilia priùs intelligit illud, quod priùs intelligibile eſt in ſe; & per conſequens illud, quod eſt priùs in ſe ens: quia vnumquodque, ſicut ſe habet ad *eſſe* ita ad veritatem, id eſt, intelligibilitatem ſecundùm ſe, 2. Metaphyſ. intellectus autem talis reſpicit totum ens, & quodcumque ſecundùm ordinem ſuæ intelligibilitatis: ſubſtantia autem eſt prior, ſicut in entitate, ſic in cognoſcibilitate, quocumque modo accidentali ipſius ſubſtantiæ: ergo talis intellectus priùs intelligit ipſam ſubſtantiam, quàm quemcumque modum eius; & per conſequens nullus modus ſub quo eſt ſubſtantia, poteſt impedire intellectionem ſubſtantiæ à tali intellectu.

*Text.com.4. Intellectus Angelicus, vel ſeparatus poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia.*

Breuiter ſic arguitur; Modus accidentalis per ſe obiecti non impedit cognitionem illius obiecti: iſta præſentia in Euchariſtia eſt modus accidentalis ſubſtantiæ corporis Chriſti: ergo non impedit illam ſubſtantiam cognoſci ab intellectu, cuius ipſa eſt per ſe obiectum, eſt autem per ſe obiectum iſtius intellectus abſtracti, qui non dependet in intelligendo à ſenſibilibus. Si dicas, quòd iſta concludunt, quòd talis ſubſtantia corporis Chriſti poſſet cognoſci à tali intellectu, ſed non intuitiuè videri, qui illa exiſtentia eſt ſupernaturalis; & per conſequens improportionalis cuilibet intellectui creato, vt naturaliter cognoſcenti. Contrà hoc,& primò contra concluſionem, deinde contra rationem.

8 *Text.10. Cuius eſt cognoſcere abſentiam, eiuſdem eſt cognoſcere præſentiam.* Contra primum dupliciter: primò, quia virtus potens cognoſcere obiectum dum eſt præſens intuitiuè, poteſt cognoſcere eius abſentiam dum eſt abſens, patet 2. *de Anima*, quia per viſum cognoſcimus non tantùm lucem, ſed tenebram: intellectus abſtractus talis poteſt cognoſcere præſentiam panis, quando eſt præſens, quia non eſt obiectum ſupernaturale: ergo poteſt cognoſcere abſentiam eius, quando eſt abſens: & qua ratione poteſt cognoſcere iſtam abſentiam ſubſtantiæ panis, poteſt cognoſcere præſentiam ſubſtantiæ corporis Chriſti: quia corpus illud in ſe eſt obiectum proportionatum etiam intellectui tali, vt intuenti: ergo modus accidentalis ipſius corporis non impedit quin ſit obiectum intuibile eidem intellectui.

*Omne ens creatum eſt obiectũ proportionatũ intellectui creato.* Secundò ſic, totum ens creatum eſt obiectum proportionatum tali intellectui, quantùm ad cognitionem tam abſtractiuam, quàm intuitiuam: non enim differt intuitiua ab abſtractiua, niſi propter præſentiam obiecti aliam, & aliam: quicquid ergo poteſt eſſe obiectum proportionatum intellectui in hac præſentia, & in illa. Si ergo quodcumque ens poteſt abſtractiuè cognoſci à tali intellectu, quando eſt ſibi præſens vno modo, ſequitur quòd poteſt intuitiuè intelligi ab eodem, quando eſt ſibi perfectè præſens in propria exiſtentia actuali.

9 *Naturale, & ſupernaturale in quo differunt?* Contra rationem etiam iſtius reſponſionis de ſupernaturali, arguo ſic; quia naturale, & ſupernaturale non diſtinguunt naturam alicuius in ſe, ſed tantùm in comparatione ad agens: ideò enim dicitur aliquid ſupernaturale, quia à ſupernaturali agente: naturale verò, quia à naturali agente: ſed habitudo ad agens aliud, & aliud, non neceſſariò concludit aliquid eſſe aliud, & aliud in ſe, ſecundùm Auguſtinum, 3. *de Trinit.c.9.* ergo non neceſſariò concludit illud eſſe aliud, & aliud ratione intelligibilis.

Hoc etiam patet, quia imperfectum ens poſſet eſſe ſupernaturale, & naturale aliquod poſſet eſſe perfectius eo; ſicut omnis ſubſtantia eſt ſimpliciter perfectior omni accidente, 7. *Metaphyſ.* & tamen alicui ſubſtantiæ, quæ eſt ens naturale, poteſt ineſſe aliquod accidens ſupernaturale. Hoc etiam patet, quia virtutes Theologicæ, vt charitas, & huiuſmodi ſunt in determinata ſpecie Qualitatis: & ſecundùm multos, Angelus habet naturaliter principia cognoſcendi omnes ſpecies entium: ergo habet naturaliter principia cognoſcendi iſtas virtutes, licèt ſint entia ſupernaturalia.

*Text. 2. & 4.*

2 *Sensus quæstionis.*

a *Respondeo ad quæstionem*, &c. Supponit explicationem terminorum, & reducit ad sensum quæstionis, qui est: an possit intellectus separatus à materia vt Angelicus, & animæ separatæ, vel se habens in operando, vt separatus; sicut intellectus Beati intelligere, non abstractiuè, sed intuitiuè Christum, vt subest speciebus sacramentalibus, etiam quoad modum existendi; ita vt hic modus videatur etiam naturaliter. Hanc quæstionem resoluit per duas conclusiones.

*Prima cõclusio.* Prima est negatiua, quantùm ad intellectum nostrum in via; & hæc est communis vtriusque scholæ, & benè probatur in litera.

*Secunda conclusio.* Maior. Ocham. Palacius. Gabriel. Ægidius. *Rationes conclusionis secundæ.*

*Secunda conclusio* est affirmatiua quoad intellectum separatum, quam tenet etiam Maior *hic quodlibeto 5.* Palacius *disput. 3. concl. 7.* Ocham *in 4. quæst. 5.* Gabriel *lect. 45. in canon.* Ægidius *Theor. 16.* & omnes nostræ scholæ authores, quos citat Scholiastes. Rationes autem Doctoris procedunt ex his principiis cognoscendi, nempe ex obiecto primo intellectus Angelici, aut separati, ex prioritate existentiæ ad modum existendi, & excellentia obiecti cognoscibilis, aliàs ab intellectu lumine naturali præ tali modo, tam in *esse* entis, quàm in *esse* cognoscibilis. Hæc ratio impugnat fundamentũ oppositæ sententiæ, quod sumitur ex perfectione supernaturalis modi.

Tertiò denique, quia supernaturalitas illius modi non impedit, quin positus in reipsa videatur, sicut alia entia supernaturalia, verbi gratiâ, virtutes supernaturales: procedit ergo per principia contradictoria, & quamuis tota difficultas reducatur ad hoc vltimum, nempe supernaturalitatem modi existendi; & an entia, quæ sunt supernaturalia respectiuè ad *esse*, & *produci*, sint etiam supernaturalia ad *cognosci*; non licet eam hîc ex proposito disputare, aut inquirere, in quo est differentia entis naturalis, & supernaturalis, cùm hoc commodiùs agetur infrà in materia de beatitudine, & appetitu naturali ad ipsam *dist. 49. quæst. 9.*

3 *Replicantur eadem principia contra modernos.*

Eadem ergo conclusio probatur contra modernos Thomistas, replicando eadem principia: primò, quia totum hoc visibile cadit sub obiecto naturali intellectus Angelici: ergo tollitur repugnantia posito concursu sufficiente ex parte Dei, qui intelligitur adesse. Antecedens patet, quia intellectus Angelicus est totius entis finiti, quod non respicit aliquid, quod excedit virtutem naturalem intellectus essentialiter; sicut vnio hypostatica, vel similis ordo intrinsecus rerum, qui est ad Deum sub ratione propria, quâ excedit intellectum creatum, & obiectum eius naturale motiuum, & terminatiuum: sed existentia indiuisibilis non est talis, quia est inter corpus Christi, & species, quorum quodlibet est contentum sub obiecto naturali intellectus Angelici: ergo, &c.

*Obiectũ naturale intellectus Angelici.*

*Responsio.* Respondent aduersarij totam repugnantiam esse in eo, quòd hæc existentia sit supernaturalis. Contrà; gratia, & virtutes infusæ sunt supernaturales; tamen videri possunt, & cognosci ab Angelis per naturalem virtutem, & species concreatas ipsis: deinde supernaturalitas non variat rationem rei in se formalem, quia est tantùm ordo ad agens, quia substantia per se est prior omni modo essendi, qui conuenit ipsi per accidens: ergo, & sic cadit sub cognitione intellectus Angelici: ergo & cognoscibilis est secundùm se, non obstante modo illo accidentali. Probatur consequentia, quia talis modus non est ipsi ratio substantialis essendi in se; neque ratio intelligibilitatis, quia neque motiua, neque terminatiua cognitionis.

*Impugnatio. Sub obiecto naturali cõtinentur virtutes, & substantia.*

4 *Responsio Caietani. Impugnatio. Continetur quantitas, sine extensione.*

Respondet Caietanus, concedendo totum, & negat cognosci modum illum existendi eius indiuisibilem respectiuè ad species. Contrà, in primis idem argumẽtum potest etiam fieri de quantitate, sub ratione sua absoluta, vt distinguitur à sua extensione, & modo essendi in loco diuisibili, vel indiuisibili; & eadem responsio etiam dari potest, quam confirmant exemplo humanitatis Christi Domini, quæ videbatur ab Angelo, non tamen modus eius vnionis. Sed hoc exemplum non est ad propositum; quia, vt suo loco dicetur, ille modus essentialiter respicit terminum, sine quo nequit intelligi, aut videri, qui terminus excedit virtutem intellectus Angelici: in proposito non datur talis ratio, quia supernaturalitas non obstat.

*Humanitas Christi.*

*Separatæ species videtur.*

Quod probatur, species, vt separantur à natura panis, habent modum existendi supernaturalem; sed hoc non obstante possunt cognosci in *esse* separato sine sua inhærentia existere, quia cognoscitur substantia panis non esse præsens, aut cognosci potest; & accidens non habere propriam inhærentiam, aut subiectum sibi connaturale, hoc autem est supernaturale. Potest cognosci idem corpus positum in diuersis locis naturaliter: ergo supernaturalitas non obstat.

5 *Videtur substantia corporis, sine extẽsione.*

Deinde cognoscitur substantia corporis Christi, vt hîc nimirum, esse sub speciebus, vt admittit Caietanus; sed cognoscitur non esse cum sua extensione: ergo sine extensione: cognoscitur autem tota sub qualibet parte specierum: ergo vt est indiuisibiliter sub speciebus. Probatur, consequentia, diuisibiliter existere sub speciebus, & indiuisibiliter, appellant super extrema contradictionis; sed cognoscitur naturaliter non esse extensa, & esse hîc in loco specierum, & vt indistans ab ipsis, quia quodlibet horum cadit sub cognitione, & obiecto naturali intellectus Angelici; nempe, substantia secundùm rationem absolutam, cum quantitate; & esse eam in hoc loco determinato, nempe in circulo hostiæ, & esse indistantem à quolibet parte hostiæ totam: ergo totum hoc complexum: simul ergo ordo omnium ad inuicem; & consequenter præsentia cognoscitur.

Patet prima consequentia: quia complexum nihil superaddit extremis: patet consequentia secunda: ad cognitionẽ alicuius relationis, aut modi dicentis relationem inter extrema, nihil requiritur, nisi vt cognoscantur extrema, quà fundant talem ordinem ad inuicem; sed species, & corpus Christi ratione indistantiæ fundant præsentiam ad inuicem, & cognoscuntur secundùm quòd indistantia, nempe, quà neutrum est loco separatum ab altero: ergo & præsentia ipsorum. Maior patet, quia nihil aliud requiritur ad *esse*, & cognitionem talis relationis, quàm ipsa extrema esse, & esse cognita, quà dicunt talem ordinem fundamentaliter.

6 Dices, id verum esse, quando ordo fundatur inter ipsa, ex natura rei, non verò secundùm potentiam obedientialem virtute agentis extrinseci. Contrà, licèt potentia obedientialis passiua non cognoscitur semper, non inde sequitur, quin terminus, seu actus eius productus in *esse* cognosci possit; verbi gratiâ, substantiam corpoream, & quantam esse sine extensione actuali partis extra partem, est actus potentiæ obedientialis: accidens esse sine subiecto, & inhærentia, similiter est potentiæ obedientialis actus. Hæc in re posita cognoscuntur ab Angelo naturaliter, quia videt non esse extensam illam; hæc autem esse separata absque inhærentia ad subiectum: hæc & illa esse indistantia localiter: corpus Christi non esse extensiuè in loco, aut aliqua eius parte, esse tamen in loco hoc determinato: ergo secundùm præsentiam indiuisibilem.

*Modi supernaturales naturaliter cogniti.*

*Partem indistãtem esse ab alia, & à specie videtur.*

Deinde connaturale est corpori esse in loco definito, quia non est vbique: sed si non extensim in loco, nequit esse in ipso aliter, quàm non extensim, inter quæ non est medium: ergo indiuisibiliter hoc est totum in toto, & totum in qualibet parte: ergo, &c. sed non habere extensionem videt Angelus, quia videt caput non distare à pedibus, & extensionem, qui est modus naturalis essendi, videret, si adesset: ergo & eius negationem, quia eiusdem potentiæ est extrema contradictionis cognoscere.

7 Secundò principaliter, si substantia esset in puncto, cognosceretur ab Angelo, & ipsa puncta cognoscuntur; & modus essendi indiuisibilis cognoscitur suiipsius, & animæ separatæ, & potest cognoscere extensionem maiorem, vel minorem eiusdem rei, imò & nos eandem cognoscimus per sensum: ergo cognoscere potest omnem determinatum, saltem extensionem separabilem esse à corpore: quia sub quacumque forma subiectum manet inuariatum, ipsâ mutatâ, non dependet ab ea subiectum: adde quòd videat etiam corpus, vt hîc carere extensione: ergo nihil in ipso excedit lumen naturale intellectus Angelici.

*Secunda ratio. Indiuisibilis modus essendi naturaliter ab Angelo videtur.*

Patet consequentia, quia vel ideò excederet, quia indiuisibilis est præsentia, vel quia corporis est, non quà indiuisibilis, quia sic nec seipsum in loco videret; non quà corporis, quia quòd præsentia sit indiuisibilis, non addit nisi negationem extensionis in ordine ad locum, & esse in loco; totum hoc cognoscit Angelus: deinde illam præsentiam esse corporis magis, quàm spiritus, non variat rationem formalem præsentiæ, licèt subiecto non debeatur: ergo neque, vt afficit subiectum, variatur eius intelligibilitas; sicut non aliter mutat sensum albedo separata, quàm in subiecto; licèt *esse* illud separatum ei non debeatur: sic etiam, si diuinitus poneretur in Æthiope, caderet sub sensum, & intellectum.

*Cognoscibilis est negatio extensionis actualis in corpore.*

8 Confirmatur corpus esse indiuisibiliter in loco potest à nobis intelligi, & concipi in via, tanquam ratio vera, nihil habens implicantiæ, quia quod posterius est & realiter diuersum, separari potest à priore diuinâ virtute, & concipi priùs sine ipso, imò & cũ eius opposito, sicut & coruus cum albedine: ergo à fortiori illud idem cadit sub obiecto intellectus Angelici: ergo in re positũ ab ipso videtur, quia eiusdem potentiæ est cognoscere obiecti præsentiam, cuius est obiectum.

*Potest à nobis in via cognosci.*

Neque refert hîc dicere illud esse obiectum supernaturale, quia est effectus supernaturalis: non enim sequitur esse obiectum supernaturale respectiuè ad potentiam cognitiuam, quamuis sit supernaturalis effectus in ordine ad potentiam actiuam: quia cognoscit Angelus naturaliter aliquos effectus supernaturaliter posse fieri à Deo, cognoscit enim potentiam Dei non esse exhaustam per ea, quæ facta sunt. Item extendi ad omne illud quod non inuoluit contradictionem, quamuis excederet virtutem creaturæ, vt cæcum illuminare, mortuum suscitare, &c. & cognoscit insuper hæc non inuoluere contradictionem ab intrinseco; sicut & multa alia, quæ diuinitus fieri possunt, & excedunt naturam: ergo supernaturalitas effectus non ponit aliquid repugnans intellectui Angeli, & abstrahens obiectum à lumine eius naturali.

*Supernaturale in effectu non est supernaturale in obiecto.*

*Potentiã ad supernaturalia cognoscit Angelus.*

9 Tertiò, vt patebit, videri potest oculo corporeo corpus Christi, vt hîc miraculosè, & docent aduersarij: ergo naturaliter etiam videri potest ab Angelo. Probatur consequentia, quia obiectum quodcumque potentiæ inferioris continetur sub obiecto potentiæ superioris; & quod in proposito etiam apparet, sub naturali obiecto: quia repugnantia, quæ in proposito est ad naturalem visionem sensibilem corporis Christi sub speciebus contenti, est propter modum operandi potentiæ, & obiecti respectiuè ad ipsam ab extensione obiecti in ordine ad locum, quia potentia materialis est, & obiectum respectu eius est etiam materiale.

*Tertia ratio ad hominem. Videri posse visu corporeo supernaturaliter.*

Sed nihil horum concludit respectiuè ad intellectum Angeli, qui potest abstrahere species à rebus quibuscumque præsentibus, etiam materialibus, secundùm scholam nostram; vel certè habet congenitas secundùm aduersarios, quæ æquè rem præsentem, & absentem repræsentant independenter ab obiecto ipso, saltem in ratione mouentis: ergo potest videri, vt hîc, corpus Christi ab Angelo per tales species, quia materialitas obiecti non obstat; aliàs semper obstaret; neque modus essendi, ad quem eleuari etiam potest oculus; & qui alioquin cadit sub intellectualitate Angeli, quæ abstrahit à materia.

Obiiciunt aduersarij, quia intellectus separatus nequit recipere species à corpore Christi, quia habet species congenitas, & nullam habet, nisi quæ debetur; non debetur eidem species repræsentans corpus Christi sub speciebus, quia supernaturalis est talis modus essendi: ergo, &c.

10 *Prima obiectio.*

Respondetur, Angelum & abstrahere species à rebus, & cognoscere eas præsentes; neque in hoc esse vllam repugnantiam: demus etiam contrarium. Dico, quòd Angelo debetur cognitio omnium, quæ ponuntur in *esse*, & continentur sub obiecto naturali sui intellectus: ergo etiam species earum; si per species tantùm cognosci debent. Videt ergo Angelus intuitiuè præsens ipsum corpus Christi, & hoc naturaliter.

11 *Secunda obiectio.*

Secundò obiiciunt quòd potest Angelus naturaliter intueri, dum est præsens; potest etiam naturaliter cognoscere, vt est possibile: sed hoc in proposito est falsum: ergo & antecedens. Respondetur in primis negando minorem, in iis, scilicet, quorum non repugnantia est manifesta

*Responsio.*

Angelo

Angelo ex principiis intrinsecis ipsorum; vt idem corpus poni posse in diuersis locis simul; extensionem posse separari à corpore, quia ab ea non dependet: videtur ergo etiam Angelus (probabiliter loquendo) potuisse attingere lumine naturali intelligibilitatem huius mysterij, & possibilitatem: quæ videtur sufficienter probari potuisse ex natura rei, & independentia subiecti à modo essendi quanto; sicut etiam resurrectionis possibilitas ab Angelo demonstrari potest ex natura ipsorum extremorum, & idem de restauratione cæci nati.

*Replica.* Dices, illud ens est supernaturale factibile: ergo supernaturale cognoscibile; vel si supernaturaliter fit: ergo supernaturaliter tantùm cognoscitur. Respondetur ex Doctore, si ly *supernaturale* determinat tam in antecedente, quàm in consequente, totum est verum: nam sicut quod est tantùm supernaturaliter factibile nequit fieri virtute naturali; sic etiam quod est supernaturaliter cognoscibile, nequit virtute naturali cognosci: si tamen supernaturale determinat tantùm rationem entis, & non cognoscibilitatis, falsum erit consequens, nempe non posse cognosci nisi supernaturaliter.

12 *Obiectio tertia.* Obiicies tertiò, quodcumque cognoscibile per fidem, excedit quodcumque cognoscibile naturaliter. *Respondetur*, quodcumque cognoscibile tantùm per fidem respectiuè ad cognoscibile naturaliter respectiuè ad eundem intellectum, & statum, verum esse: non tamen ad diuersum intellectum, & statum comparatum. *Responsio.*

*Supernaturale in cognosci simpliciter.* Vnde aliquid pro statu viæ, tam in Angelo, quàm in homine, non est cognoscibile nisi per fidem, vt vnio hypostatica, capacitas gloriæ in anima, & eiusmodi, quæ sunt simpliciter ordinis supernaturalis, quantùm ad *cognosci* à creatura virtute sui obiecti primi motiui, & contenti naturaliter sub ipso.

*Supernaturale determinatum in cognosci, & non simpliciter.* Aliquid tamen cognoscibile est ab intellectu nostro pro statu viæ tantùm per fidem, quod cognosci potest naturaliter ab intellectu nostro separato, vt accidens esse sine subiecto, corpus sine extensione; duo corpora esse in eodem loco penetratiuè, quod videri potuit ab Angelo sibi dimisso; imò etiam à quibusdam viatoribus, aliqua sunt credita tantùm, quæ aliis fuerunt scita; vt Crux Christi, & mors à nobis creduntur; aliis tamen, qui fuerunt præsentes, visa euidenter sunt, & non credita; neque probabiliter deinceps etiam erat in ipsis obiectum fidei, quia remansit in rememoratiua species eas repræsentans cum euidentia actus præteriti: habitus autem fidei, licèt in vtrisque sit idem, tamen nequit applicari ad obiectum, nisi quod obscurè tantùm proponitur. *Fides & scientia, de eodem non sunt.*

13 *Obiectio quarta.* Obiicies quartò, sequi quòd mali Angeli possint naturaliter cognoscere existentiam corporis Christi in Eucharistia, quia naturalia in ipsis manserunt integra secundùm Dionysium 4. *de Diuinis nominibus*: sed hoc est falsum, quia inimici gratiæ non cognoscunt Sacramenta gratiæ. Respondetur, quòd sibi dimissi possint cognoscere; sicut & integritatem Virginis, cogitationes cordium, & multa alia ex natura sua, quæ non permittuntur eis; vt Magister *in 2. dist. 7.* inter quæ est integritas Virginis, secundùm Ambrosium super illud Lucæ 1. *Missus est*, &c. *Responsio.* Magist. Ambros.

Dices, Damascenus lib. 4. cap. 5. loquens de hoc Sacramento, *Verè*, inquit, *Spiritus operatio hæc, quæ supra naturam sunt operatur, quæ non potest capere nisi sola fides*; & infrà: *interrogas qualiter panis fit corpus Christi; dico Spiritus sanctus superuenit hîc, & facit hæc, quæ sunt super rationem, & intellectum.* Respondeo, eum loqui de nobis tantùm, qui solùm attingimus illam veritatem per fidem. Dices, nullum futurum contingens potest ab intellectu, quamdiu futurum est, cognosci; sed existentia corporis Christi in Eucharistia est æquè indeterminata, sicut quodlibet futurum: ergo, &c. Respondetur, quamdiu futurum est in virtute suæ causæ, non posse sciri ab intellectu creato: sed quando positum est in *esse*, sicut habet determinatam entitatem; sic etiam cadit determinatè sub cognitionem: sic ergo intellectus non cognoscit, quòd sub ista hostia fiet corpus Christi, positum tamen cognosci potest ab intellectu Christi, & alio separato. Ex his patet responsio Doctoris in litera ad argumenta ad oppositum, quæ fermè eadem sunt, sicut & responsio data, quæ est ipsius Doctoris in terminis, solùm accommodata hîc, ad modum, quo moderni formant rationes in oppositum. *Responsio.* *Replica.* *Respondetur. Futurum non scitur in causa.*

## SCHOLIVM.

*Beatos non videre existentiam Christi in Eucharistia, actu beatifico, quia non est obiectum beans, nec inclusum in eo, & alioquin eodem actu omnes articuli fidei viderentur: multò minùs eo videre dictam existentiam in proprio genere, quia perfectio huius visionis minùs requiritur, quàm visionis in Verbo.*

10 *Conclus. 3.* Tertia * conclusio est, quòd intellectus beatus nullo modo per actum beatificum videt corpus Christi in Eucharistia. Hoc probatur, quia Beatus non distinguitur à non Beato, nisi videndo obiectum beatificum, vt est obiectum beatificum, & ea quæ includuntur in ipso, vt est tale obiectum: sed corpus Christi esse in Eucharistia non est tale obiectum, vt patet, nec inclusum in obiecto beatifico, patet: quia æquè essentialiter pertinet ad obiectum beatificum includere in ratione obiecti vnam rem, vel veritatem vnius Sacramenti, sicut alterius: sicut æquè pertinet ad veritatem fidei credere veritatem vnius articuli, sicut alterius: sed nullo modo pertinet ad obiectum beatificum includere istud sub ratione ostensi, scilicet gratiam conferri paruulo in Baptismo, vel confitenti in confessione: & ista æquè veraciter includuntur in Sacramentis istis, sicut corpus Christi in Eucharistia: ergo nullo modo obiectum beatificum, vt est obiectum tale, includit corpus Christi, vt visum in Eucharistia. *Vide infrà d. 45. q. 4. artic. 2. & in 3. d. 31. ad 1. princ. Beatos non videre corpus Christi in Eucharistia, in verbo, nec in genere proprio rationis beatitudinis.*

Addo iuxta hoc, quòd multò minùs requiritur ad beatitudinem, quòd beatus videat exiſtentiam corporis Chriſti in genere proprio, quia multò minùs ad beatitudinem requiritur talis perfectio viſionis, quàm viſionis in Verbo.

11 *Non valet, eſt tantùm factibile ſupernaturaliter: ergo cognoſcibile tantùm ſupernaturaliter. Exemplum de cæco, qui licèt ſupernaturaliter illuminetur, tamē poſtea naturaliter videt.*

Ad argumenta. Ad primum, ſi arguis, ens ſupernaturale vniformiter eſt ens ſupernaturale: ergo cognoſcibile ſupernaturale, ita quòd ſupernaturalitas in antecedente, & conſequente referatur ad idem: concedo conſequentiam, quia in conſequente refertur ſupernaturalitas ad entitatem, ſicut in antecedente; ſed tunc non ſequitur: ergo tantùm ſupernaturaliter poteſt cognoſci, iſtud enim non ſequitur, niſi ſupernaturale referatur ad cognoſcibilitatem. Si autem intelligas in conſequente, cùm dicitur *cognoſcibile ſupernaturale, ſupernaturale* referri ad cognoſcibilitatem; nego conſequentiam, eſt ens ſupernaturale: ergo cognoſcibile ſupernaturale; quia in antecedente ly *ſupernaturale*, dicit habitudinem ad cauſam ſuam, à qua poteſt accipere eſſe; licèt autem non poſſit accipere *eſſe*, niſi à cauſa ſupernaturali, tamen eſt cognoſcibile naturaliter: quia quantumcumque aliquid ſupernaturaliter ponatur in *eſſe*, poſtquam tamen poſitum eſt in *eſſe*, eſt quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoſcenti, vel cognitiuæ.

12 *Ad 2. Si loquatur de obiecto, res eſt clara, ſi de actibus, non ita; an ſcilicet actus intuitiuus naturalis ſit aquè perfectus, ac actus fidei de eodē obiecto.*

Per hoc patet ad illam probationem adductam, factibile ſupernaturale non eſt naturaliter factibile: ergo cognoſcibile ſupernaturale non eſt naturaliter cognoſcibile: quia ſi ſupernaturale vbique per ſe determinet illud, cui additur, poteſt concedi conſequens, ſicut etiam antecedens: & tunc minor erit falſa, quòd iſta, ſcilicet exiſtentia ſit cognoſcibile ſupernaturale. Si autem ſupernaturale non determinet per ſe illud, cui additur, ſed quoddam aliud implicitum, vtpotè ens, conſequentia non valet: quia in antecedente per ſe determinat ipſum ſub ratione factibilis, & ideò repugnat ei hoc, quod eſt *fieri naturaliter*: in conſequente verò non determinat cognoſcibile ſub *fieri*, & ideò non repugnat ei cognoſci naturaliter.

Ad ſecundum dico, quòd hæc propoſitio eſt falſa, ſcilicet quodcumque cognitum per fidem excellit quodcumque cognoſcibile naturaliter, loquendo de cognoſcibili ab intellectu abſtracto. Vera eſt tamen loquendo de cognoſcibili naturaliter ab intellectu noſtro pro ſtatu viæ: & ideò nobis neceſſaria eſt fides, non autem illi intellectui abſtracto. Ratio huius negationis ſatis patet, quia Angeli intuitiuè potuerunt naturaliter cognoſcere Chriſtum pati, & mori, ſicut poterant naturaliter cognoſcere ipſum viuere vitâ humanâ: nos autem de illa morte habemus cognitionem fidei: illa autem cognitio intuitiua multò perfectior eſt noſtra ænigmatica, & de eodem ſubiecto: ita dico de exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia.

13 *Damon, ſi permitteretur, poſſet videre integritatem Mariæ, tā mētis, quàm carnis, 1. Corinth. 2.*

Ad tertium de malis Angelis dico, quòd ſi abſolutè permittatur quicumque Angelus malus vti ſua potentia cognitiua naturali, poteſt intelligere quodcumque intelligibile cauſatum; & per conſequens poſſet intelligere cogitationes cordium, & myſteria gratiæ, ex quo poſita ſunt in effectu; ſed ſicut dicit Magiſter *lib. 2. diſt. 7.* multa poſſent ex natura ſua, quæ non permittuntur eis: & ita ſupponitur quòd non permittitur Angelo malo videre ſecretùm cordis, & hoc modo, & non alio poſſet videre corpus Chriſti in Euchariſtia. Sic ergo ſupponitur quòd non permittuntur videre myſteria gratiæ.

Et ſic exponenda eſt auctoritas Ambroſij de myſterio Incarnationis non abſolutè, quin quilibet Angelus malus poſſet videre, vel cognoſcere integritatem Mariæ tam in mente, quàm in carne, æquè ſicut poteſt cognoſcere tactum digiti ad digitum, vel aliam intellectionem naturalem alicuius intellectus: ſed non fuit permiſſus propter certas cauſas, ne impediretur redemptio noſtra: *Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*, id eſt, nunquam me redimi eius morte procuraſſent.

13 *D. Thom. vbi ſupr. vide Ægid. Arg. 4. Contra Aſtrologos, qui profitētur ſe futura prædicere.*

Ad confirmationem de Damaſc. dico quòd loquitur de nobis pro ſtatu iſto; quamuis vnus Doctor dicat eum loqui tam de Angelo, quàm de nobis; ſed hoc non poteſt eſſe verum, loquendo de naturali potentia intellectus Angelici, vt probatum eſt in ſecunda concluſione ſolutionis, ſed tantùm de potētia Angeli, vt permiſſi, & hoc de malo Angelo.

Ad quartum dico, quòd contingens dum eſt contingens, ſcilicet dum eſt in cauſa ſua, non poteſt ſciri ab intellectu creato: ſed quantumcumque aliquid contingenter ſit in cauſa ſua, poſtquam tamen contingenter poſitum eſt in *eſſe*, ſicut iam habet determinatam entitatem, ita iam poteſt habere determinatam cognoſcibilitatem, & hoc in quocumque intellectu reſpiciente totum ens: licèt ergo aliquis intellectus non poſſit præſcire, quòd in iſta hoſtia continebitur corpus Chriſti: tamen ex quo iſtud factum eſt, benè poteſt intellectus naturaliter intueri corpus ibi exiſtens.

14 *Ad argum. D. Thom.*

Ad argumenta pro opinione: ad illud de fide, reſponſum eſt. Ad probationem autem, quia tunc habitus fidei non eſſet neceſſarius, dico quòd nobis eſt neceſſarius, quia

intellectus

intellectus noſter intelligens ex ſenſibilibus nihil poteſt habere, vnde determinatè aſſentiat tali veritati: & ideò requiritur habitus inclinans ad aſſentiendum, ſed alius intellectus reſpiciens totum ens, & per conſequens iſtud ens intuitiuè, benè poteſt habere aſſenſum de hoc, ex rationibus extremorum viſis intuitiuè, & ideò ſibi non eſt neceſſaria fides.

*Viſio ſuccedit fidei quoad primum obiectum.*

Et cùm additur, quòd fidei ſuccedit viſio, dico quòd hoc eſt verum de principali obiecto fidei, quod eſt Deus trinus, & vnus: ſed non de omnibus aliis reſpectu quorum eſt fides: alioquin oporteret Beatum videre in Verbo gratiam fuiſſe collatam in Baptiſmo, Pœnitentia, & Confirmatione. Videret etiam ſemper in Verbo incarnationem Verbi, natiuitatem, paſſionem, &c. quæ non ſunt neceſſaria, vt videantur in Verbo, nec in ſe, ad hoc quòd aliquis ſit Beatus. Hoc etiam modo non oportet de iſto Sacramento magis, quàm de aliis Sacramentis, vel de aliis credibilibus veritatem ſemper videre in Verbo, ad hoc vt aliquis intellectus ſimpliciter ſit beatus.

## COMMENTARIVS.

14 *Tertia concluſio. Non videtur per ſe à Beatis Chriſtus in Sacramẽto.*

a *Tertia concluſio eſt*, &c. Hæc concluſio eſt contra eoſdem; & rectè probatur, quia id non ſpectat ad obiectum Beatitudinis, quæ perficitur in obiecto primario, neque ex natura eius neceſſariò extenditur ad obiectum hoc ſecundarium; ſicut non extenditur ad effectus aliorum Sacramentorum; quamuis perinde ad fidem ſpectant in viatore.

15 *Quarta concluſio.*

*Addo iuxta hoc*, &c. Eſt quarta concluſio contra Richardum, non videri neceſſariò ſcilicet exiſtentiam corporis Chriſti à Beatis in genere proprio ex vi luminis beatifici; quia *minus*, inquit, *hoc ſpectat ad beatitudinem, quàm viſio eiuſdem in Verbo*; & facilè eſt probatu, quia lumen beatificum non tranſcendit naturam ſui obiecti primarij, quod eſt Deus in ſe, ſicut neque viſio; ergo non extenditur ad aliquod obiectum, ad quod non determinatur, aut mouet obiectum beatificum: obiectum autem beatificum eſt ratio cognoſcendi cognita; ideóque, vt mouet ad obiecta ſecundaria, mouet ad ipſa, vt cognoſcuntur in ipſo cognito, ſeu ad ipſum vt primò cognitum.

*Non videri à Beatis in genere proprio per lumen gloriæ.*

*Obiectio.*

Dices, fidei ſuccedit viſio, ſed exiſtentia Chriſti in Euchariſtia eſt obiectum fidei: ergo, &c.

*Reſponſio.*

Reſpondetur ſuccedere fidei viſionem quoad obiectum primarium, non quoad omnia ſecundaria; aliàs videret Beatus in Verbo conferri gratiam per Baptiſmum, & alia Sacramenta hîc, & nunc applicata; videret ſemper Incarnationem, natiuitatem, paſſionem, & cætera myſteria, quæ de Chriſto creditit in via: ex natura enim beatitudinis hoc non deducitur, neque eſt omnino neceſſarium. Ex his patent cætera, vt reſponſio ad argumenta principalia, & ad argumenta pro opinione.

*Quomodo ſuccedit viſio fidei.*

---

## QVÆSTIO IX.

### *Vtrùm corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, poſſit videri oculo corporali?*

Alenſ. 4. *p. q.* 10. *m.* 7. *a.* 3. D. Thom. 3. *p. q.* 76. *a.* 7. *& hic q.* 2. *a.* 2. Richard. *a.* 5. *q.* 2. D. Bonau. 2. *p. a.* 2. *q.* 2. Durand. *q.* 4. Baſſol. *q.* 4. *a.* 3. Maior *q.* 5. Rub. *q.* 8. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 53. *ſ.* 4.

1 *Vide Ochã quodl.* 4. *q.* 20. *Argum.* 1.

AD tertium ſic proceditur, & arguitur, quòd exiſtentia corporis Chriſti in Euchariſtia poſſit videri oculo corporali. Primò, quia Beatus videndo iſtas ſpecies non deciperetur, quia deceptio repugnat Beatitudini: ſed ſi non videret corpus Chriſti, poſſet decipi credendo ibi eſſe ſubſtantiam panis: ergo, &c. Saltem poſſet dubitare, an ibi eſſet ſubſtantia panis ſi non videret ibi corpus Chriſti: dubitatio autem videtur repugnare ſtatui Beatitudinis, ſicut imperfectio perfectioni.

*Argum.* 2.

Secundò, quia lux ſi eſſet punctalis, videretur, vel eſſet viſibilis: ergo corpus Chriſti, vt hîc, eſt viſibile. Conſequentia patet, quia non eſt hîc ſub ratione minùs viſibilis, quàm forma punctalis. Antecedens probatur, tum quia illa lux ſe diffunderet ſphæricè, & ita videretur ſphæricè: tum quia reflexio fit à ſolo puncto corporis reflectentis, & tamen illud videtur à quo fit reflexio.

*Propoſit.* 3. *& 4. 1. part. Pech.*

Contrà, quidquid videtur, videtur ſub pyramide, cuius baſis eſt in re viſa, & conus in oculo: ergo corpus Chriſti videtur ſub tali pyramide, ſed non eſt ibi dare baſim pyramidis, quia illa eſſet ſimul cum baſe pyramidis, ſub qua videtur hoſtia: nam vbique eſt corpus cum hoſtia, & tunc corpus Chriſti, & hoſtia ſimul viderentur ſub æquali angulo correſpondenti, ſed quæ videntur ſub eodem angulo, videntur æqualia: ergo corpus Chriſti videretur æquale ſpeciei; ſequeretur etiam, quòd corpus Chriſti videretur, vt rotundum, quia baſis, ſub qua videtur ſpecies, eſt rotunda.

## SCHOLIVM.

*Poſt relatam & refutatam opinionem, quam tenent Nominales, ſcilicet corpus vt hîc, videri poſſe, ſi Deus permitteret, refert ſent. D. Thom. hîc q. 1. a. 7. tenentis oculo glorioſo miraculosè viſibilem eſſe exiſtentiam Chriſti in Euchariſtia. Reiicit hanc, ac eius rationem ſimul cum rationibus aliorum, qui aliter ſentiunt.*

2 *Rich. hic a. 5. q. 2. D. Thom. art. 4. q. 1.*

Hîc [a] dicitur, quòd diſtingui poteſt de oculo glorioſo, & non glorioſo. Item de *videre naturaliter, & gloriosè*, vel *miraculosè*: neuter autem viſus poteſt videre naturaliter corpus Chriſti in Euchariſtia, & ponitur vna ratio, quia non poteſt ibi eſſe contactus, ſine quo non eſt actio naturalis in corporibus. Ratio autem quare ibi non poteſt eſſe contactus, eſt, quia corpus Chriſti non reſpicit ibi ſpecies ratione quantitatis: quantitas autem ſola eſt ratio contactus.

Alia ratio eſt, quia color reſpicit quantitatem pro per ſe ſubiecto: corpus autem Chriſti non habet ordinem ad locum ratione quantitatis: ergo nec ratione coloris: ergo corpus Chriſti non poteſt immutare medium immutatione aliquâ virtute coloris, & ita nec ad viſionem. Ponitur alia ratio, quia ſpecies non poteſt hîc deriuari ab obiecto per medium, quia obiectum non eſt in loco: deriuatio autem talis requiritur ad viſionem. Additur etiam, quòd nec lumen gloriæ, quale ponitur in corpore, vel oculo glorioſo, poteſt attingere rem non exiſtentem alicubi, vt in loco: ergo nec iſtud corpus, cùm iſtud, vt hîc, non ſit alicubi.

*Deriuari capitur pro cauſari, & deriuatio eſt cauſatio.*

Tertiò additur, quòd nec per miraculum poteſt aliquis oculus eleuari ad cognoſcendum iſtud, quia non poteſt eleuari ad cognoſcendum exiſtentiam ſubſtantiæ ſeparatæ: corpus autem Chriſti, vt hîc, habet modum exiſtentiæ ſubſtantiæ ſeparatæ; ergo, &c.

3 *Duplex eſt contactus: mathematicus, vt duo digiti coniuncti ſe tãgunt: & virtualis, vt corpora ſuperiora reſpectu inferiorum, & torpedo reſpectu manus.*

Contra primum: Angelus nunquam eſt præſens localiter, niſi diffinitiuè: mouet tamen localiter corpus ſibi proportionaliter præſens, & ſi haberet virtutem alterandi ipſum, alteraret corpus vt ibi præſens: ergo non requiritur ex parte mouentis exiſtentia corporalis ad hoc, quòd alteret organum ad ſenſationem. Item, corpus Chriſti non eſt præſens ſpeciei alicui ad minùs, niſi minimo ſenſibili, quia nulli indiuiſibili eſt præſens ibi: minimum autem ſenſibile poteſt percipi à ſenſu perfectiſſimo, ſecundùm Ariſtot. *in fine de Senſu, & Senſato, in dubitatione vltima*: ergo iſtud poterit percipi à viſu perfectiſſimo, non obſtante ſuo modo exiſtendi hîc.

*Quantitas neceſſaria ſimpliciter ad viſionẽ, ſed non extenſio.*

Contra aliud, non eſt ſimile de ſubſtantia ſeparata, & de iſto corpore, quia iſtud corpus eſt quantum coloratum, & figuratum: non ſic autem ſubſtantia ſeparata. Argumentum primum, ſcilicet de contactu, non concludit: quia contactus, vt dicit habitudinem corporis ad corpus extrinſecum, non videtur neceſſariò requiri ad aliquam actionem abſolutam, cuiuſmodi eſt immutatio ſenſus: quia actio abſoluta videtur poſſe præcedere quemcunque talem reſpectum extrinſecus aduenientem: ergo licèt corpus vt hîc, non contingat, excludendo talem reſpectum extrinſecus aduenientem ad corpus aliud, non ſequitur quin poſſit alterare, quod eſt immutare ad formam abſolutam ſenſationis.

4

Ad ſecundam rationem, non ſequitur, niſi quòd color non habet ordinem ad locum, eo modo, quo quantitas, quæ eſt ſubiectum eius, non habet ordinem ad locum: hoc autem non eſt, niſi quia non eſt extenſio proportionalis extenſioni quantitatis illius corporis. Si ergo inferas, quòd color non coëxtenditur extenſioni quanti continentis, quod concedo: ſed ſi inferas, ergo non poteſt alterare medium, nihil ad B.

*Quia exiſtere in loco, eſt reſpectus extrinſecus.*

Ad tertium de *deriuari per medium*, improbatum eſt per primam rationem: quia Angelus benè poteſt habere aliquem effectum ordinatè deriuatum in paſſo ſecundùm partes paſſi, licèt ipſe Angelus, vt agens, non habeat alicubi *eſſe* localiter. Quod additur de lumine gloriæ, non eſt euidens quomodo propter non exiſtentiam corporis, vt in loco, non poſſit attingi in ratione obiecti ab habente tale lumen. Quod additur de miraculo, non probatur; quia exiſtentia huius corporis, licèt quoad aliquid ſimilis ſit exiſtentiæ Angeli, non tamen quoad ſenſibile, & viſibile: quia Angelus caret illis principiis, quæ requiruntur in aliquo obiecto ad actum ſenſationis, ſcilicet quantitate, & qualitatibus ſenſibilibus: iſta autem ſubſtantia habet quantitatem, & qualitates ſenſibiles, licèt modus aliquis eis auferatur: oporteret ergo probare, quòd talis modus eſſet ſimpliciter neceſſarius, ad hoc, quòd eſſet ſenſatio iſtorum.

1 *Fundamentũ aliorum impugnat.*

a *Hic dicitur*, &c. Impugnat fundamenta D.Thomæ, & Richardi. Probat primò, non posse videri naturaliter ab oculo glorioso, aut non glorioso, quia deest contactus physicus per quantitatem, qui exigitur in corporibus; corpus autem Christi est sub speciebus non vt quantum, id est, cum extensione. Contrà, quia Angelus potest mouere corpus sibi præsens, quamuis non existat modo quantitatiuo, & si haberet virtutem alteratiuam, etiam alteraret: deinde quia corpus non est præsens indiuisibili, sed minimo sensibili: sed minimum sensibile potest immutare sensum ex Philosopho allegato: deinde non requiritur contactus physicus ad actionem absolutam, qualis est sensatio. Agit de visione, quæ potest esse rei immediatè, & non per speciem immissam.

*Prima ratio ex defectu cõtactus improbatur.*

*Minimũ sensibile potest immutare sensum.*

2 *Secũda ratio. Deficit in probatione consequentiæ.*

Secunda ratio, corpus Christi non habet ordinem ad locum ratione quantitatis, neque ratione coloris: ergo corpus Christi non potest immutare medium ratione coloris; ita neque in ordine ad visionem. Respondet probandam esse consequentiam: & similiter probandum est, quòd non possit causare speciem.

*Replica cõtra Doctorem.*

Dices has rationes amplectitur ipse Doctor in secunda conclusione, quia ipse recurrit ad defectum extensionis in loco, vt probet, neque obiectum sic existens, posse causare visionem, aut eam terminare.

*Responsio: Aliud est, processus Doctoris.*

Respondetur, quòd aliter procedat, quàm rationes positæ procedunt à principio valdè generali, & non subsistente, nempe requiri in corpore extensionem, & contactum vniuersaliter ad omnem actionem, & hoc non est verum: quia datur actio in distans per Doctorem, neque requiritur etiam extensio in agente corporeo, nisi ad illam actionem in specie, quæ recipitur in corpus. Vnde phantasia, aut phantasma agit in intellectum, sicut & corpus etiam existens indiuisibiliter, vt superiori quæstione visum est.

*Cur ad sensationem exigatur extẽsio.*

Doctor autem non ex ratione vniuersali, & necessitate extensionis in agente corporeo ad quamlibet actionem procedit: sed ex ratione in specie, quâ exigitur extensio, vt dispositio requisita ad sensationem, sine qua obiectum nequit habere præsentiam, & approximationem debitam, neque ex parte obiecti, neque ex parte talis potentiæ, nisi extensum sit: quia potentia sicut est materialis, & extensa, non abstrahit in operando à tali modo. Neque ex alia parte obiectum potest immutare, aut terminare visionem, nisi in debita approximatione, quia sensibile supra sensum positum non causat sensationem: neque etiam in quocunque situ, sed in situ opposito positum natum est terminare visionem, aut acies pupillæ in illud tendere: vt patet experientiâ, quia obiectum, verbi gratiâ, in speculo terminat visionem in angulo reflexionis speciei.

*Terminatio visionis.*

3 Tertia etiam ratio, quâ probatur, quòd oculus glorioſus non possit in corpus sic existens, non sufficienter probat, quia ratio, aut repugnantia ex parte luminis vix potest assignari: recurrendum ergo est ad ipsum obiectum, quà vt hîc, & inuisibile ex ratione præmissa. Alia similiter ratio de modo existendi substantiæ separatæ non seruat paritatem, quia hîc Christus habet colorem, figuram, & alia requisita ex parte obiecti sensibilis præter solam extensionem, non ita substantia separata.

4 *An Christus sit præsens minimis, & indiuisibilibus speciẽi.*

Antequam progrediamur ad solutionem quæstionis, quæ habetur in sequenti paragrapho, occurrendum est censuræ, quâ aliqui notant secundam rationem contra primum fundamentum sententiæ oppositæ: in ea dicit Doctor Christum non esse præsentem indiuisibilibus specierum, sed minimo sensibili. Quantùm ergo ad præsentiam Christi sub partibus specierum, earúmque indiuisibilibus, variè resoluitur. Prima sententia tribuitur Altissiodorensi *lib.4. sum. tract.5. cap.4.* quasi asseruit ante fractionem Christum tantùm esse sub tota hostia, non autem sub partibus, nisi tantùm separatis, sed hoc asseruit in eo sensu quo dicit non esse sub partibus primò, nisi quando separantur: & sic etiam explicari debet Albertus *in 4. dist.13. art.11.*

*Prima sent.* Altissiodor.

Albertus.

5 *Secunda sent.* Alensis. D Bonauẽt. Gabriel.

Secunda sententia tribuitur Alensi 4. *part. quæst.40. m.3. art.5.* D. Bonauenturæ *in 4. dist.10. art.1. quæst.1.* Gabrieli *lect.80. in canonẽ Missæ, dub.4.* qui asserunt Christum non esse in hoc Sacramento, nisi sub iis partibus quantitatis, quæ si separarentur, possit conseruari seorsim, & sic sequitur, quòd Christus non erit infinities in Sacramento secundùm numerum determinatum.

Sotus. *Cẽsuratur ab aliũ secunda sententia.*

Aliqui hanc opinionem erroris insimulant, vt Soto, asserens non minùs esse de fide Christum contineri sub partibus singulis separatim sumptis, quàm etiam continuis. Cæterùm alij temperant censuram, nempe non esse hæresim, sed reducendam esse ad errorem, seu temeritatem: ita Vasquez, & Suarez citandi. Ratio huius est, quia tam Concilium Tridentinum *sess.13. can.3.* quàm Florentinum docent Christum esse sub singulis partibus facta separatione earum: addunt ergo illam limitationem, vt excludant comprehendi partes in toto continuas. Addunt hi authores errorem in fide docere illam sententiam.

Vasquez. Suarez. Trident. Florent.

6 *Explicatur dicta sententia, & defenditur à censuris.*

Sed eam explico aliter iuxta dicenda inferiùs *dist.11. quæst.6.* de materia consecrabili, quòd sicut quantitas in ea magnitudine, quâ excedit vsum in ordine ad finem intrinsecum huius Sacramenti, nempe nutritionem, non est materia consecrabilis iuxta hos authores; sic etiam in ea paruitate, quâ non est sensibilis, aut sensibiliter designabilis ex eodem principio per eosdem nequit consecrari. Hoc supposito, licèt illa pars consecrabilis sit in toto, & sic etiam continet Christum, tamen seorsim nec consecrabilis est, neque conseruaret Christum: quatenus ergo non continet Christum primò, sicut aliæ sensibiles, eatenus negant præfati authores Christum esse sub ipsa; non autem est extra totam designabilis, & consecrabilis.

*Aliquã partem non continere Christum primò, & seorsim.*

7 *Argumẽtum aliorum.*

Argumentum autem aliorum contra hoc non vrget tantum, quantum putant. Aut in aliqua parte minima, inquiunt, est Christus totus, aut pars eius, aut nihil. Si primum, non est contendendum: secundum, & tertium nequit dici, quia Christus secundùm partes, aut modo quantitatiuo non est in Sacramento. Tertium etiam est falsum, quia sic sequeretur, quòd in multis minimis non esset Christus; & cùm diuisibilis sit quantitas tota in infinitas huiusmodi, sequeretur non esse Christum sub vlla parte quantitatis.

*Quomodo Christus est sub speciebus.*

Respondetur Christum esse sub singulis partibus sensibilibus, quæ cadere possunt sub vsu sensibili,

*Responsio.*

ſibili,quia de ratione Sacramenti eſt,vt ſit materia ſenſibilis, & inquantùm talis, ſolùm eſt conſecrabilis.

*Duplex modus diuidendi quantitatem.*

Duplex autem modus attenditur in quantitate;alius qui eſt diuiſionis eius in partes ſenſibiles; alius,qui eſt in partes inſenſibiles,& ſolùm à Deo, aut Angelis fieri poteſt, quia homo nequit progredi in diuiſione quantitatis,niſi in partes ſenſibiles, quia ſic tantùm applicare poteſt diuiſiuum eius;& ſic quantitas cadit ſub vſu humano.

8

*Quæ inſenſibilia, non eſt conſecrabilis, ſed quæ ſenſibilis.*

Quandocumque ergo reducitur ad eum ſtatum, in quo ampliùs non eſt diuiſibilis ab homine, neque cadit ſub ſenſum eius, aut vſum, tunc amittit ſtatum materiæ conſecrabilis : ergo illa non eſt materia, quatenus diuiſibilis eſt in inſenſibiles,ſed in ſenſibiles partes. Ad inconueniens ex hoc adductum reſpondetur,minimas illas particulas,quæ faciunt vnum inter ſe, aut cum aliis eſſe ſenſibiles, & continere Chriſtum, quia diuiſibile additum diuiſibili facit magis, & quantum quanto. Vnde ſicut quantitas eſt diſpoſitio requiſita in materialibus ad actionem tam realem, quàm intentionalem in aliud quantum,& extenſum ( quâ ratione ſi reducatur aliquod quantum ad punctum ſeclusâ omni extenſione,nequit eſſe principium agendi,aut patiendi in eo ſtatu reſpectiuè ad aliud quantum extenſum : ſicut neque de facto corpori Chriſti ſub ſpeciebus conuenit actio,aut paſſio reſpectiuè ad alia quanta ) ſequitur quòd quantitas in determinata extenſione exigitur ad agendum, & patiendum, vltra quam non eſſet ſufficiens diſpoſitio ad actionem.

*Omnes partes continere Chriſtum.*

*Extenſio ſenſibilis conditio eſt agẽdi,& patiendi.*

*Determinata requiritur.*

Hinc eſt,quòd ſcintilla ignis non habet illum effectum quem habet ſtrues, quamuis in ea ſit calor in ſummo,neque forma in materia rara habet eundem effectum,ſicut in denſa:quia raritas, & denſitas ſunt diſpoſitiones ad agendum requiſitæ ſecundùm diuerſam naturam formarum, & effectuum.

*Partes quæ faciunt ſenſibile,continent Chriſtum.*

Illæ ergo partes quantitatis etiam ſingulæ ſunt conſecrabiles,& continent Chriſtum de facto, in eo tamen ſtatu, quo ſunt adiunctæ aliis ſenſibilibus, non tamen in alio ſuppoſitionis, quo non cadunt ſub ſenſum, quia ſic deeſt conditio eſſentialiter requiſita ad ſacramentalem materiam, prout de facto inſtituta ſit, nempe ſenſibilitas, per quam habet, vt cadit ſub cognitionem, & vſum determinatum humanum.

9

*Fallacia argumenti.*

Ratio ergo illa procedit ſecundùm fallaciam conſequentis à diuiſis ad coniuncta, vel potiùs ſecundùm fallaciam accidentis, quia in antecedente ſumuntur,vt ſunt ſeorſum,& carent conditione eſſentialiter requiſita ad materiam ſacramentalem : in conſequente autem vt coniuncta ſunt, inferendo quòd ſic non contineant Chriſtum : eſt ſimilis conſequentia huic argumento: panis in quacunque diſtantia non eſt conſecrabilis : ergo neque applicatus eſt conſecrabilis, vel potiùs huic : verba formæ prolata ſeorſim, & ſine ordine ad inuicem non ſunt valida ad conſecrationem,quia non faciunt orationem, aut ſenſum requiſitum eius:ergo neque etiam coniuncta.

*Patet ex ſimili.*

Idem eſt in propoſito, partes ſeorſim minimæ, & non ſenſibiles, vel quà non ſenſibiles non faciunt materiam conſecrabilem : ergo neque coniunctæ:non valet conſequentia. Sic autem interpretandam eſſe prædictorum ſententiam patet ex fundamento ipſorum ; requirunt enim ſolùm quòd materia ſit vſualis per ſe, vt validè ſit conſecrabilis. Argumenta ex Concilio petita non vrgent,quia Concilium loquitur iuxta materiam ſubiectam Sacramentorum, quæ debet eſſe ſenſibilis,ac proinde ad partes ſenſibiles refertur, & quà ſenſibiles. Prompta videtur ergo modernorum cenſura, quam non adhibuerunt Theologi, qui dictam ſententiam viderunt ſine vlla cenſura,aut offenſione.

Addi poteſt,& alia interptetatio eius, quæ data, in voce ſolùm erit differentia : nam eatenus negant Chriſtum eſſe ſub ſingulis partibus, non quòd negent Chriſtum totum eſſe ſub ſingulis partibus hoſtiæ, ſed quatenus partes non ſint ibi actu,ſed potentiâ, vt dicitur, ac proinde non ſit ſub ipſis primò,ſicut quando diuiduntur,& fiunt totum per ſe.

10

*Alia explicatio.*

Vrget Suarez hanc ſententiam docere falſum in Philoſophia, nempe dari minimum quod ſic in quantitate. Reſpondetur dari minimum, quòd ſic, non ſimpliciter, ſed in ordine ad ſenſum,actionem,& paſſionem,quod tantùm ſupponunt præfati authores,quia præſentia Chriſti eſt ſacramentalis tanquam ſignati ſub ſigno ſenſibili: ergo quidquid non eſt per ſe ſenſibile, non eſt terminus huius præſentiæ, nec natum eſt eſſe ſignum ſacramentale,id eſt,ſenſibile.

*Obiectio Suarez.*

*Reſponſio.*

*Dari minimũ quod ſic in eſſe ſenſibili ad actionem, &c.*

*Ratio efficax.*

Dices, ergo non eſt Chriſtus ſub aliqua parte determinata. Reſponderur negando conſequentiam, quia quælibet pars, vt alteri coniuncta eſt ſenſibilis : licèt ſeorſim non eſſet ſenſibilis, quia neque nata terminare, aut mouere ſenſum,ex ratione ſuperiùs præmiſſa,defectu diſpoſitionis requiſitæ : vt infrà videbitur.

11

*Replica.*

*Reſponſio.*

Secundò reſpondetur dari minimum, quod ſic in quantitate reſpectiuè ad formam ſubſtantialem, quæ exigit quantitatem determinatam, & maximè iuxta ſententiam D.Thomæ hîc diſt.12. art.2.& 3.part..quæſt.77. art.4. aſſerentis, poſſe quantitatem ſeparatam corrumpi per talem additionem, & diuiſionem,ſub qua non maneret forma panis,quam ipſe docet eſſe ſubſtantialem, & forma vini.

*Secunda reſponſio.*

*Dari minimum, vt ſic reſpectiuè ad formam.*

Ad duo itaque principia,quæ nequeunt excludi,reducitur hæc ſententia, & reſponſio data.Primum eſt,quòd Sacramentum eſſentialiter eſt ſenſibile, ſiue ſit permanens, vt Euchariſtia, vel tranſiens, vt cætera. Secundum principium eſt, quòd omnis alteratio, quæ non conſiſteret, cùm ſubſtantia panis, & vini, tollat de facto præſentiam Chriſti ſub ſpeciebus : quæcunque autem minima pars quantitatis,neque ſenſibilis eſt ſeorſim,neque conſeruatiua ſubſtantiæ panis,& vini: ergo neque Chriſti ſub ſe. Et ab hac ſententia ſic explicata non differt ſentrentia Doctoris, neque conſequenter antiquorum, aut modernorum in reipſa; ſi benè ſentiant.

*Duo fundamenta præcipua.*

*Concordat Doctor.*

Dico ergo primò Chriſtum eſſe ſub omni parte ſenſibili hoſtiæ,etiam minima ; & conſequenter nulla eſt ibi pars inſenſibilis,vt eſt in toto, & componit cum aliis : extra tamen totum poſita ſi ſit aliqua poſſibilis, non ſenſibilis,non continebit Chriſtum : neque in toto ſub hac ratione inſenſibilis continebat Chriſtum, ſed quà ſenſibilis erat.

12

*Primum aſſertum. Contineri Chriſtum ſub omnibus partibus.*

Dico ſecundò, Chriſtus Dominus non eſt ſub indiuiſibilibus ſpecierum : hanc docet Doctor loco citato, Albertus *in 4.diſt.13.a.10.*Richardus *diſt.10.art.6.*Ægidius *Theor.11.* Vaſquez *diſp.189. cap.* 4. aliique moderni, quotquot negant in quantitate eſſe indiuiſibilia: ſed hi procedunt ex aliis mediis,& modo opinandi.

*Secundum aſſertum. Non eſſe ſub indiuiſibilibus.*

Doctor.
Albertus.
Richardus.
Ægidius.
Vaſquez.

Probatur

13 *Probatio conclusionis, quia neque substantia continetur. Responsio. Impugnatio. Non dari indiuisibilia in substantia.*

Probatur conclusio, quia corpus Christi succedit substantiæ panis,& vini, quæ non erant sub indiuisibilibus quantitatis: ergo neque Christus. Dices in substantia esse quædam indiuisibilia entitatiua,quæ correspondent indiuisibilibus quantitatis. Contrà: fortè probabilius est non admittere eiusmodi,quia neque ad subiectandum indiuisibilia quantitatis sunt necessaria; cùm hæc in ipsis partibus subiectentur, neque saluari posset commodè, quomodo etiam non conueniret substantiæ per se extensio, si haberet illa indiuisibilia, quia conueniret ei definitio quantitatis, vt habere partes copulatas termino communi: sed quidquid sit, saltem illa indiuisibilia substantiæ non sunt substantia, sicut neque indiuisibilia quantitatis sunt quantitas: & consequenter non sunt materia conuersionis.

Deinde sequeretur, quòd fractâ hostiâ Christus de nouo esset sub singulis indiuisibilibus extremis sine noua consecratione, quod videtur inconueniens:sed admittunt aduersarij ex vi prioris miraculi id sequi: nam sub aliis accidentibus de nouo productis in speciebus, verbi gratiâ, sub colore est Christus, & sic etiam sub quantitate per rarefactionem inducta: ideò non conuenit.

Tertiò adduci potest ratio,quòd non possit secundùm aliquos Angelus esse in puncto:ergo neque corpus Christi: sed antecedens est incertum. Addunt alij, quòd aliàs sequeretur posse superficiem extimam consecrari: sed hæc etiam non vrget,nisi contra eos, qui admittunt vnam partem panis continui posse consecrari non consecrato toto,quod *infrà* impugnabitur *dist.*12.

14 *Sententia contraria. Capreolus. Sotus. Suarez. Prima obiectio.*

Oppositum huius docent Capreolus *dist.*10. *quæst.*4.*art.*3. Soto *in* 4.*dist.*49. *quæst.*4. *art.*6. asserens non licere Theologo docere contrarium. Suarez *disp.*52.*sect.*3.dicens,Christum esse sub indiuisibilibus non primò, & per se,sed per necessariam consecutionem. Probant, quia sicut Angelus se habet ad locum, ita etiam Christus in Eucharistia, vt subest speciebus: sed Angelus est etiam in punctis, sicut totus in singulis partibus: ergo,&c.Minor patet, quia est in loco præsentia continua: ergo non solùm est in partibus, sed etiam in terminis partium.

*Ad præsentiæ cõtinuæ quid requiratur.*

Respondetur negando minorem.Ad cuius probationem respondetur ad præsentiam continuam in loco non requiri, vt præsens sit in singulis indiuisibilibus, sed sufficere vt sit in partibus quibusque continuis:nam locus dicit dimensiones,ad quas non spectant indiuisibilia, nisi per modum termini, non partium; non enim faciunt maius, ac proinde præsentia ad locum non infert præsentiam ad ipsa.

*Locus dicit dimensiones.*

*Anima rationalis nõ est in pũctis corporis per se.*

Anima rationalis est tota in qualibet parte materiæ, & hoc præsentia continua, non tamen est in singulis punctis,saltem per se, quia anima vbi est,animat;indiuisibilia autem animat,quia in illis non est dispositio requisita ad suum effectum, neque sunt capaces eius per modum subiecti, quod debet naturaliter esse extensum ad hoc, vt sit capax formæ, & actionis causæ efficientis in aliis formis extensis: quod perinde dicendum est de anima,quæ virtualiter extensa est, id est, proportionatur materia,informando totum, & præexigens dispositionem,ac si esset extensa.

15 *Obiectio 2. Suarez. Responsio.*

Obiicit Suarez secundò, exemplum de durationeindiuisibili Angeli, quæ coëxistit tempori diuisibili, & consequenter est tota in singulis punctis illius temporis, aliàs non esset continua duratio. Respondetur quòd alia est duratio temporis,alia instantis, quia instanti etiam conuenit sua duratio propria: vnde cùm duratio Angeli sit talis, vt tota in se simplex coëxistat omni durationi inferiori;sic etiam continet, & durationem rerum permanentium,& successiuarum,& consequenter instantis,in quo si non esset, duratio eius non esset continua.

Aliud autem est de loco quantitatiuo, qui est superficies extensa constituta per partes extensas; vnde esse in loco,est esse in partibus continuis loci,non autem indiuisibilibus: quia indiuisibile non habet rationem loci quantitatiui: & quidquid sit an Angelus possit esse in puncto, quod resoluit Doctor problematicè pro vtraque parte *in* 2.*d.*2.*quæst.*5. Alia ratio est in proposito, quia punctum non est sensibile in se, ac proinde nequit habere rationem signi sacramentalis continentis Christum:vt *supra* deduximus,neque continet etiam materiam conuersam, quæ sit propria eius, & cui succederet terminus *ad quem*. Deinde indiuisibile, sicut non superaddit aliquid magis parti,sic non habet locum separatum à partibus, ac proinde non requirit præsentiam locati ad ipsum,diuersum ab ea,quæ est partium.

16 *Reconciliatio vtriusque sententiæ.*

Sic ergo conciliari possunt hæ sententiæ,nempe corpus Christi non esse præsens indiuisibilibus præsentiâ distinctâ ab ea, quæ est partium, sicut est sub qualibet parte præsentiâ propriâ illi parti; & hoc intendit Doctor.Potest tamen, sumendo præsentiam pro indistantia, dici esse præsens ipsis punctis, eâdem præsentia, quæ est ad partes: quamuis autem non repugnaret aliquid poni in puncto,nempe ipsum corpus indiuisibiliter,& hoc de potentia absoluta Dei,ita vt diceret præsentiam propriam ad punctum. In proposito tamen id non contingit, quia præsentia Christi, quâ succedit substantiæ panis, est primò respectu totius, & partium, & sub speciebus tanquam sub signo sensibili: neque ad continuationem huius præsentiæ exigitur propria, & diuersa respectu punctorum: quia per eandem, quâ est præsens partibus, est præsens punctis modo explicato. Quæ præsentia dici potest indistantiæ,& materialis; non autem formalis, sicut contenti ad contentum, aut signi ad signatum, & quasi vbicationis ad terminum, qualis est præsentia ad partes.

*Esse sub punctis eâdē præsentiâ,quâ est sub partibus.*

*Dici potest materialis,nõ formalis.*

## SCHOLIVM.

*Resoluit quæst. per duo dicta.Primum, potest Deus causare visionem corporis in Eucharistia, in quocunque oculo,quia est forma absoluta. Secundum, talis visio non esset corporis vt hîc. Primò,quia corpus vt hîc,non causaret,nec terminaret primò eam, quia non potest habere approximationem ad organum:esse tergo corpus Christi vt hîc specificatiuè. in primo conuenit D.Bonauent.Alens.supr. & D.Thom.hîc q.*1.*a.*4. *Sotus q.*1.*a.*7.

Ad

5 Ad [a] quæſtionem ergo dico, quòd Deus de potentia abſoluta, poſſet cauſare in oculo glorioſo, vel non glorioſo, viſionem iſtius corporis, licèt iſtud corpus nuſquàm eſſet, niſi in Euchariſtia. Hoc probatur, quia viſio eſt forma abſoluta, ex primo libro d. 3. ergo ſine contradictione poteſt fieri ſine reſpectu præſentialitatis ad obiectum, vel quocunque tali reſpectu.

*An poteſt eſſe viſio ſine perceptione obiecti?*

Secundò [b] dico, quòd nulla viſio etiam ſic cauſata poſſet eſſe corporis, vt hîc primò, quia hæc includeret corpus vt hîc, vel eſſe cauſam primò viſionis, vel eſſe proprium, & primum terminum viſionis, ſed corpus vt hîc, neque poteſt cauſare primò, neque terminare primò, quia tam cauſatio, quàm terminatio talis requirit in obiecto primo cauſante, vel terminante diſpoſitionem debitam, & hoc ſecundùm locum, vtpote approximationem, & diſtantiam debitam: ſed corpus iſtud vt hîc, non poteſt debitè approximari organo, vel diſtare debitè, quia non eſt in loco vt hîc: nec miraculùm ad hoc iuuat, quia corpus vt hîc, abſolutè non eſt viſibile, nec vt cauſatiuum viſionis, nec vt terminatiuum: miraculum autem non eſt ad illud, quod includit contradictionem.

6 *Ad arg. 1. Senſus non decipitur circa Euchariſtiam, ſed intellectus argues, ex ſenſibilibus.*

Ad argumenta. Ad primum dico, quòd ſenſus etiam noſter non decipitur circa Euchariſtiam: quod enim percipit per ſe, hoc eſt ibi, ſcilicet quantitas, figura, color, & huiſmodi, nec eſt poſſibile modò, quòd circa Euchariſtiam decipiatur viſus noſter: ſed tantùm intellectus arguens ex his, quæ ſenſus apprehendit, quòd ibi eſt ſubſtantia panis. Hoc autẽ argumentum eſt ſophiſticum, licèt enim hoc eueniat, vt in pluribus, non tamen neceſſariò. Dico ergo, quòd ſenſus Beati perciperet hoc, quod ſenſus noſter, ſcilicet accidentia: nec iſte aliquo modo deciperetur, ſicut nec noſter: imò minùs, quàm noſter, ſed nec intellectus Beati ſic ſophiſticè argueret ex actu ſenſus, ſicut noſter arguit.

Ad illud de dubitatione, dico, quòd Beatus dimiſſus naturali cognitioni ſuæ, non ſciret per actum ſenſus, hoc eſſe corpus Chriſti, ſed tantùm per intellectum intuitiuè videns illud corpus, ſicut dictum eſt de cognitione intuitiua *quæſtione præcedente.*

7 *Ad 2. Tex. com. 7. & 87. q. 9.*

Ad ſecundum dico, quòd lumen punctale non multiplicaret ſe ad organum corporale, ita quòd eſſet viſibile ſecundùm communem opinionem, quæ dicit, quòd non eſt poſſibile indiuiſibile moueri, *ex 6. Phyſic.* ſed hoc diſcuſſum eſt *in 2. lib. diſtinct. 2. de motu Angeli.* Et cùm probas, quòd ſphæricè ſe multiplicaret. Negandum eſſet ſecundùm iſtam viam: imò priùs oporteret, quòd ipſum haberet in ſe diuiſibilitatem quantitatiuam, quàm ageret in quantum paſſum.

*Lumen punctale, an viſibile.*

Ad aliud, de reflexione luminis à puncto, non cogit: quia in illa reflexione primum agens non eſt illa lux punctalis, quæ tangit corpus, à quo fit inflexio (ſi tamen lux punctalis eſſet ibi) ſed eſt ipſum primum obiectum, à quo multiplicatur illa lux: idem enim agit in viſione recta, reflexa, & fracta. Vnde punctus tangens ſuperficiem ſpeculi non multiplicat radium reflexum, ſed primum luminoſum, quod vſque ad ſpeculum multiplicat lumen ſuum: illud etiam immediatè in ratione cauſæ multiplicat radium reflexum. Et ratio eſt, quia agens naturale, ex quo agit ſecundùm vltimum ſuæ potentiæ, quando impeditur agere ſecundùm illam lineam, quæ eſt maximè conueniens actioni naturali, puta rectam, quæ eſt breuiſſima; agit ſecundùm eam, ſecundùm quam poteſt, ſcilicet ſecundùm lineam reflexam. Et hæc eſt ratio, quare non videtur in ſpeculo imago ipſa corporis multiplicata vſque ad ſpeculum, ſed ipſum corpus cuius eſt imago.

*De radiis vide in 2. d. 13.*

*Non poteſt agere in rectum, agit in obliquũ.*

## COMMENTARIVS.

17 *Prima concluſio. Deus poteſt cauſare abſolutum viſionis Chriſti, vt in Sacramento.*

a *Ad quæſtionem ergo dico*, &c. Subiicit duas concluſiones. Prima eſt, quòd Deus poſſit de potentia abſoluta cauſare viſionem illius corporis, licet nullibi eſſet, niſi in Euchariſtia: ratio eſt, quia viſio eſt forma abſoluta, vt patet per ipſum aliàs *in 1. diſt. 3. quæſt. 7. diſt. 6. quæſt. 1. ad primum pro opinione diſt. 7. quæſt. 1. ad 3. in 3. diſt. 15. quæſt. 1. & in 4. diſt. 11. quæſt. 2. diſt. 49. quæſt. 1. & quodlibeto 15.* ergo ſine contradictione poteſt fieri ſine reſpectu præſentialitatis ad obiectum, vel quocumque tali reſpectu. Hæc concluſio intelligitur, vt *ſuprà* declarauimus *quæſt. 5.* quoad abſolutum viſionis; non quòd mediante tali viſione videret obiectum, quia præſcindit ab ea omnem reſpectum ad obiectum: quod magis confirmat ſequens concluſio.

18 *Secunda concluſio. Illa viſio non eſſet corporis, vt hic.*

b *Secundò dico*, &c. Hîc negat viſionem ſic cauſatam eſſe poſſe corporis, vt hîc primò: ratio eſt, quia id includeret corpus, vt hîc eſſe cauſam primò viſionis, vel eſſe proprium, & primum terminum viſionis: vtrumque exigit in obiecto debitam diſpoſitionem, id eſt, extenſionem ſecundùm locum, vtpote approximationem, & diſtantiam debitam: quia ſenſus non poteſt videre obiectum in quacunque diſtantia; maximè cùm ſit cognitio eius rei exiſtentis, & præſentis: requirit etiam diſtantiam, quia, vt dictum eſt, ſenſibile ſupra ſenſum poſitum non cauſat ſenſationem.

Ex quibus concludit, quòd ſicut nequit vt hîc applicari, aut diſtare ab organo ſecundùm locum,

*Requiritur exigentia in obiecto ad causandam, & terminandam visionem.*

locum, sit absolutè inuisibile, seu non visibile; siue vt causa, siue vt terminus visionis: miraculum autem non est ad id, quod inuoluit contradictionem. Conformiter ad hanc conclusionem respondet ad argumenta; imò responsione ad secundum se insinuat tenere conclusionem D. Thomæ, & Richardi, quamuis rationes eorum adductas impugnauerit; & eandem doctrinam supponit *suprà quæst. 5.* vt ibi diximus: cùm ergo hîc discurrat ad quęsitum, nemini dubium esse debet, quin sit in sententia Richardi, & negatiua.

*In conclusione sequitur D. Thomam, & Richardū.*

19

*Conclusio prima explicatur aliter, iuxtæ sensum Scholiastæ.*

Quantùm ad primam conclusionem positam, licèt interpretatio eius præmissa, quantùm ad veritatem rei subsistat, ex principiis suprà præmissis in commento quæst. 5. & ad eam facit ratio subiecta à Doctore; quia ex eo, quòd sit absoluta forma, potuisset à Deo solo fieri sine respectu præsentialitatis ad obiectum, vel quocunque tali respectu; si ly *quocunque* distribuit pro omni respectu, etiam attingentiæ, interpretatio, inquam, posita subsistit.

*Motiuum diuersæ interpretationis.*

Quia tamen non videtur hæc interpretatio, facere ad scopum controuersiæ, & titulum quæstionis, cùm vtrumque supponat quæstionem esse de visione, quà est operatio, & constituit videntem cum aliis respectibus ad hunc effectum necessariis: impertinens autem est causatio talis formæ in oculo, vel separatim ab omni subiecto, nisi intendatur etiam effectus visionis, quâ constituit videntem, & in quo scopus ipse quæstionis versatur.

20

*Quem respectum excludit Doctor?*

Ideò illa conclusio potest etiam aliter intelligi de visione, vt habet hunc effectum suum annexum: & intelligenda est ratio Doctoris quæ excludit respectum præsentialitatis, & alium quemcunque talem ad obiectum, quà specificat respectum præsentiæ localis, & extensæ, nempe approximationem, & distantiam debitam obiecti secundùm locum; de quibus tantùm loquitur in secunda conclusione. Non intelligit autem respectum mensuræ, vel etiam attingentiæ quæ requiruntur ad effectum visionis: hinc Scholiastes in scholio præmisso rectè intelligit visionem illam esse obiecti; vt hîc specificatiuè, non autem reduplicatiuè: alij verò intelligunt esse obiecti secundùm naturalem modum existendi, vel quem habet, vel habere potest; & exigit naturaliter ex se. Præferēda est in hoc interpretatio Scholiastis, quia illa facit ad scopū quæstionis & cōtrouersiæ,

*Interpretatio Scholiastis, & aliorum.*

Non enim hîc quæritur an Deus possit causare visionem rei absentis, & non existentis, vel eius, quòd ita se habeat respectiuè ad visionem, quâ mouetur, & terminatur, tanquam si non existeret. De hac eius visione non est præsens controuersia, quia illa tantùm esset visio apparens; & non ipsius rei secundùm modum existendi, quem habet, & de quo quæritur, an possit secundùm illum modum videri specificatiuè, vel certè reduplicatiuè, & an indiuisibilis modus existendi ita impediat videri posse Christum vt hîc.

21

*Sententia negatiua.*

Richardus.

D. Thom.

Alensis.

Marsilius.

Richardus est in sententia negatiua; & ita videtur esse Doctor in secunda conclusione, sed magis in tertia, vt infrà videbitur; D. Thomas verò *in 4. dist. 10. quæst. 1. art. 4. quæstiuncula prima: & dist. 11. quæst. 3. art. 1. ad 4.* docet videri posse miraculosè; licèt non vt sub speciebus primò: Alensis *4. part.* loco citato apud Scholiastem, dicit B. Virginem ex priuilegio speciali videre corpus Christi in Eucharistia: Marsilius idem docet de ipso Christo: & videri posse miraculosè plures tradunt, vt VValdensis *tom. 2. de Sacramentis c. 65.* Soto *in 4. dist. 10. q. 1. art. 7.* Suarez *disp. 53. sect. 4.* vtrumque docet esse probabile. Vasquez autem *disp. 155. cap. 2.* sequitur eandem affirmatiuam; & à fortiori docent Nominales, qui putant etiam naturaliter videri posse corpus Christi in Eucharistia, suspenso miraculo, quo tenetur à Deo inuisibile & absconditum ad saluandam fidem.

VValdensis. Suarez. Vasquez. Nominales.

22

*Explicatur interpretatio Scholiastæ.*

Declarando ergo primam conclusionem Doctoris iuxta modum quo Scholiastes Magister meus intelligere videtur, nempe visionem fieri posse corporis specificatiuè, vt est hîc; vel quod est hîc: suppono ex Philosopho *primo Physicorum text. com. 49. & 2. de Anima text. com. 60.* vniuersale esse obiectum intellectus; & per oppositum singulare esse obiectū sensus, vt determinatur ad conditiones existendi, & ipsam existentiam; provt definitur à Porphyrio; neque sensum percipere obiectum suum, nisi secundùm aliquam dispositionem, quam habuit, dum sentitur; vnde Philosophus 7. Metaphys. textu com. 45. *abeuntibus sensibilibus à sensu non est palàm, vtrùm sint, an non,* &c. Vnde Doctor *in 4. dist. 45. quæst. 3. ad secundum,* ait sensum cognoscere obiectum vt hîc, & nunc, &c. intelligit de cognitione eius vt existentis, & præsentis. Oportet ergo vt saluetur visio Christi in Eucharistia, vt sit eius aliquo modo quà existens & præsens est. Item *in 2. dist. 24. quæst. 1. ad 2.* dicit Doctor, quòd color in communi non videtur, sed hic color, hoc album, &c.

*Suppositio prima.*

Suppono secundò *ex dist. 12. sequenti quæst. 3. in responsione ad confirmationem ex Boetio adductam in fine*, quòd quantitas, si esset separata per se, non posset immutare sensum, neque esset sensibilis, quia est sensibile commune, non per se primò, sed per actionem, & speciem sensibilis proprij, vtpote coloris: vel si dicatur habere speciem propriam, quia cadit sub sensum, *2. de Anima textu comment. 64.* non tamen potest illam causare nisi concomitanter ad sensibile proprium, eiúsque speciem. Si primum dicatur, agit tantùm ad immutationem sensus, non quoad substantiam sensationis: sed alia erit visio, verbi gratiâ albedinis, alia superficiei, licèt concomitanter in re, sed cum ordine dependentiæ posterioris à priori; quia non videretur superficies, nisi vt afficit albedinem visam; & quantitas, quæ dicitur visibilis, est magnitudo, & extensio, quâ partes videntur extra partes cum continuatione, sicut econtrà numerus cum discontinuatione, & figura vt afficit albedinem extensam, vel colores: primo tamen modo esset vnica tantùm visio, quæ esset albedinis primò; figuræ verò & extensionis, vt afficit albedinem: à quibus distinctæ sunt aliæ conditiones obiecti visibilis per se requisitæ, vt existentia & præsentia; præsentia autem attenditur respectiuè ad determinatam distantiam, & alia concurrentia, seu adiacentia, & spatium, vt comparantur ad operantem.

23

*Suppositio secunda.*

*Quantitas separata per se, nō est actu sensibilis.*

*Quomodo agat ad sensationem.*

His positis probatur conclusio sic intellecta: 24

*Probatio conclusionis.*

siue eadem possit esse visio albedinis, & extensionis, quæ esset primariò albedinis, secundariò verò extensionis, siue diuersa; non repugnat Deum immediatè agere ad immutationem sensus respectu coloris tantùm, etiam hîc præsentis, seu indistantis ab aliis, verbi gratiâ à speciebus (quæ sunt præsentes) & etiam existentis; absque eo, quòd agat ad visionem extensionis actualis, siue eam habeat, siue non; ergo potest agere ad visionem corporis, vt est sub speciebus, loquendo

*Deus potest agere ad visionem sensibilis proprij præcisè.*

ſpecificatiuè, licèt per illam neque extenſio, neque à fortiori priuatio extenſionis videatur expreſsè tanquam obiectum viſum.

Antecedens probatur primò, quia ſunt in reipſa diuerſa, & reſpectiuè ad ſenſum: ſecundò neque extenſio, & eius priuatio ſunt rationes intuendi corpus, aut ſenſibile proprium, neque conditiones per ſe præuiæ requiſitæ ſimpliciter ex parte obiecti viſibilis, aut ſenſus; ſed tantùm ſecundariò annexæ, & dependentes à ſenſibili proprio, vt cadant ſub ſenſum: ergo diuinâ virtute poſſunt non videri viſo ſenſibili proprio.

*Senſibile cõmune non eſt ratio, aut cõditio intuendi proprium.*

Patet ſubſumptum ex ſecundo ſuppoſito, quantùm eſt ex parte obiecti ſenſibilis: patet etiam quantùm ad potentiam, quia viſus, & potentia ſequitur naturam ſui obiecti; ita vt in obiectum proprium non feratur mediante rẽmoto, & ſecundariò, neque vt ratione, neque conditione præuiſa, aut præuia.

25 *Reſponſio.*

Dices, ſenſus non fertur in proprium ſenſibile, niſi ſecundùm aliquam conditionem, quam in reipſa habet: ergo vt eſt extenſum, vel non extenſum. Contrà, conditio quam reſpicit obiectum, vt ſit viſibile ſimpliciter, eſt exiſtentia, & præſentia: in his diſtinguitur ab operatione abſtractiua intellectus operatio ſenſus externi: ſed hæ poſſunt ſaluari reſpectiuè ad ſenſum ſine eo, quòd tendat in extenſionem, aut eius priuationem: ergo, &c.

*Exiſtẽtia, & præſentia tãtùm ad viſionem requiritur.*

*Prima conditio nõ dependet ab extenſione.*

Conſequentia patet, quia exiſtentia, quæ eſt prior extenſione, ab ipſa non dependet, neque in *eſſe*, neque in *cognoſci*, ſiue per ſenſum, ſiue per intellectum reſpectiuè ad Deum cauſantem viſionem: quidquid enim eſt primò ſenſibile, & per ſe, poteſt reduci in actum abſque eo, quòd reducatur potentia in ſenſibile ſecundarium, & dependens ab ipſo in actum, ſaltem diuinâ virtute.

*Præſentia abſtrahit ab extenſione.*

Patet eadem etiam conſequentia quoad præſentiam, quia præſentia quæ hîc requiritur, eſt illa quâ obiectum in ſe videtur in ſuo *eſſe*, & non in alio; ſed nulla eſt hîc repugnantia, quin ſic videri poſſit etiam in determinato ſitu, verbi gratiâ, ſub ſpeciebus, & in eodem loco; ſicut videtur ab intellectu Beati, aut ipſius Chriſti, quamuis non habeat extenſionem localem; eſt tamen illa viſio præſentis, vt præſentis; ſicut viſio, quâ videtur Angelus, eſt viſio ipſius præſentis, quamuis Angelo non conueniat eſſe in loco circumſcriptiuè.

26 *Confirmatur. Videre poſſe aliquid præciſè non viſo coniuncto.*

Confirmatur, de ratione viſionis intuitiuæ non eſt videre quodcumque re ipſâ coniunctum obiecto ſuo in re, aut incluſum, quia ſic videri poteſt eſſentia diuina in propria exiſtentia, non viſis attributis ex Doctore *in* 1. *diſt.* 1. *quæſt.* 4. non repugnat videri aliquod corpus mixtum, quâ lucidum eſt, non viſo eius colore, quamuis vtrumque ſit obiectum per ſe proprium, & ſenſibile: ergo minùs repugnat videre coloratum, non viſâ extenſione, motu, aut figura eius reſpectiuè ad locum.

Patet conſequentia, quia vtrumque quantùm ad coniunctionem in reipſa perinde ſe habet; vt comparantur autem ad potentiam, magis inclinatur ad vtrumque ſenſibile proprium, quàm ad ſenſibile ſecundarium.

*Non reciprocari dependentiã in eodem genere.*

Confirmatur ſecundò: quia non ſtat ſenſibile proprium eſſe rationem videndi, aut ſine qua viſa non videatur ſenſibile commune cum dependentia ſenſibilis proprij à ſenſibili communi in hoc genere; aliàs reciprocaretur dependentia, & quodlibet eſſet prius & poſterius in ratione ſenſibilis: imò neutrum poſſet eſſe ſenſibile in actu, quia ſine altero non poſſet mouere, aut terminare actum ſenſationis; nequeunt autem ſibi inuicem, ſecundùm dependentiam eiuſdem generis ſupponi.

27 *Dependentia in eſſe obiecti, non infertur ex dependentia in eſſe.*

Et probatur ampliùs, quia dependentia in exiſtentia non infert dependentiam in operatione; ita vt, quæ ſit vnius vt obiecti, neceſſariò ſit eius, à quo dependet in *eſſe*, quia color dependet magis à corpore, quàm ab extenſione, aut quantitate eius: hoc autem non obſtat, quin videri poſſit coloratum, non videndo explicitè ſubſtantiam corporis in ſeipſo. Si etiam quantitas localis, aut extenſio eſſet conditio ad hoc, vt coloratum poſſit videri, non omnis conditio talis tranſit ad obiectum viſionis; quia ſingularitas intrinſeca eſt magis intrinſecè albedini, quàm quantitas, quæ tamen non videtur: vt patet ex Doctore *in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 6. ergo tantùm quantitas eſt conditio tanquam coniuncta ipſi, vt actu mouet, aut mouere poteſt, & terminat viſionem. Hoc autem repugnat ex dictis, quia ſenſibile proprium priùs ſe habet, vt mouens, & terminans, quàm ſenſibile commune: ergo à primo ad vltimum poteſt videri non viſo ſenſibili communi. Hoc dato tollitur repugnantia, quæ dicitur eſſe in propoſito: ergo, &c.

*Conditio non ſemper tranſit in obiectum.*

28 *Confirmatur tertiò.*

Confirmatur denique tertiò ex illo principio Doctoris, quo probat extenſionem ad locum ſeparari poſſe à quantitate, & ſubſtantia corporis: quia quod non dependet ad aliquam ſpeciem eiuſdem generis; ſed indifferenter ſe habet ad omnes ſpecies, & contingenter, ita etiam ſe habet contingenter ad ipſum genus: ſed color idem manere poteſt variata extenſione hac, vel illa quantitatis, & manet in *eſſe* viſibilis actu mutatâ extenſione: ergo contingenter ſe habet ad extenſionem in genere & ſpecie, quantùm ad ſui ſenſationem: ergo non dependet per ſe ad vllam, & etiam quà viſibilis eſt. Dices, quòd argumentum concluderet etiam naturaliter poſſe videri coloratum, ſine vlla extenſione. Reſpondetur negando aſſumptum, quia color in *eſſe* dependet à quantitate, tanquam formâ priori, vel ſubiecto *quo*, & exigit modum naturalem eſſendi, quo exiſtat in ſubiecto quanto, & extenſo, qui modus ſupponitur ad actionem, ſeu immutationem ſenſus factam ab ipſo naturaliter.

*Color contingenter ſe habet ad extenſionem in ſpecie.*

*Reſponſio ad obiectionem.*

Vnde Doctor *ſuprà quæſt.* 5. §. *Si obijcias*, &c. dicit præſentiam obiecti, id eſt, quantitatiuam, de qua loquitur, requiri ad actionem ſeu productionem, & motionem; non verò ad terminationem. In caſu autem noſtro non requiritur motio obiecti, quia Deus ſuppleret eam producendo viſionem; vt ſupponit concluſio præmiſſa: ergo non ſequitur quin videri poſſit obiectum ſic ſupernaturaliter, quamuis non naturaliter.

*Requiri extenſionem ad actionem, non ad terminationem.*

Ex his procedendo declaratur concluſio Doctoris ad ſcopum huius quæſtionis & controuerſiæ, nempe, poſſe cauſari à Deo viſionem corporis, vt eſt in Sacramento, quà eſt corpus Chriſti coloratum; quamuis talis viſio non extenderetur ad corpus Chriſti, vt priuatum extenſione: quia ſub viſionẽ non cadit explicitè priuatio, vt tenebræ, neque priuationes ſenſibilis communis, aut proprij; ſed tantùm arguitiuè, & ſecundùm experientiam, quâ ſenſus non percipit actum circa ſenſibilia. Concluſio autem præmiſſa, iuxta hunc

24 *Declaratur concluſio Doctoris ad propoſitũ huius diſcurſus.*

modum

modum dicendi, excludit visionem modi essendi indiuisibilis, & supernaturalis. Conclusio posita probatur ab aliis Doctoribus; sed principia quædam adhibent, quæ non admittuntur à nostris, ideò eas omitto.

*Non videretur totum in toto, & qualibet parte.*

Verum ergo est simpliciter, corpus, vt exístit in Eucharistia secundùm præsentiam sacramentalem, quà est totum in toto, & totum in qualibet parte, non posse videri oculo corporeo etiam supernaturaliter, non solùm in hoc, quòd priuatio extensionis non cadat directè, & explicitè, sub sensum, tanquam obiectum sensatum, aut quòd præsentia illa formalis, vt est relatio, non sit visibilis; sed etiam neque Christus materialiter, vt est totus indistans, vt ita dicam, & contentum sub qualibet parte speciei, & sub ipsa tota specie.

Quia sicut species ipsa non ita cadit sub sensum, vt referatur distinctè in quaslibet eius partes extensas; & hoc vno actu, qui tantùm primò, & per se est totius; secundariò tantùm partium, & confusè; neque distinctè & determinatè potest esse partium, nisi per visiones proprias singularum, quæ vt plures insint simul, non est capax potentia, quia distraheretur eius tendentia, neque tot esse possunt, quia secundùm alias, & alias partes possit multiplicari visio, & sic quasi in infinitum quodammodo: ita, inquam, contingit in Christo vt sub ipsis continetur, quamuis enim respectiuè ad hanc, vel illam partem, posset videri vt coniunctum indistans, non tamen vt totus est in singulis eius partibus, quia ad hoc singulæ visiones requirerentur, quæ inesse non possunt.

*Qualis esset visio corporis.*

30 Posset ergo videri Christus, vt est primò in toto ambitu hostiæ consecratæ; & sic non videretur totus, vt replicatus ad singulas partes; neque vt non replicatus, quia sic non cadit sub sensum, quia reflectere nequit super actum suum, neque super re visa: sed directè, vt habet terminos extrinsecos essendi, & commensuratos secundùm locum, in ipsum tendit.

Videret etiam simul Christum in pluribus partibus hostiæ per plures visiones, quarum quælibet esset visio eius determinata, & distincta secundùm diuersas partes, in quibus videretur: sicut, verbi gratiâ, in speculo fracto multiplicatis speciebus visibilibus videtur obiectum in singulis partibus speculi per distinctam speciem & visionem.

*Exemplum.*

31. *Sustinetur prima interpretatio.*

Secundam conclusionem vt suprà explicaui primo loco, puto esse magis ex sensu Doctoris, qui videtur, etiam specificatiuè loquendo, Christum dicére in Eucharistia, sub omni ratione, esse inuisibilem: & quamquam rationes factæ videantur secundùm principia illius: tamen quantùm ad sententiam standum erit illius conclusioni, vt iacet, & probationem, ex qua sensus assertionis magis sumendus est.

*Præmissa rationes possibilitatem probant ex parte obiecti.*

Dico ergo non probari plenè contrarium, quia aliud est considerare sensibile proprium, & commune, vt comparantur ad inuicem in ratione obiecti sensibilis, & vnum est ratio alteri, sine qua non moueret sensum: & hoc modo procedunt obiectiones, seu rationes factæ: & concedo talem ordinem inter sensibile proprium, & commune; vt proprium primò, & per se respiciat sensum, commune verò dependenter à proprio.

*Non probant ex parte potentiæ.*

Aliud est considerare operationem, quâ tendit potentia in obiectum, & ipsam potentiam tendentem, quæ est materialis & extensa, & versatur circa obiectum; non actione transeunte, sed immanente ipsi potentiæ, secundùm modum connaturalem potentiæ, & extensum; vnde neque moueri potest, neque terminari ab obiecto, nisi vt extensa est: licèt ergo extensio non sit ratio, aut conditio præuia sensibilis proprij, vt moueret sensum: & demus etiam vt terminaret, quantùm est ex parte sua, tamen est dispositio requisita in obiecto ex parte potentiæ: & ratio materialis, sub qua tendere tantùm potest, quia tam operatio, quàm tendentia eius est extensa, & non secundùm aliquod punctum indiuisibile sui videt, aut tendit; sed secundùm totam virtutem extensam, quæ est pars in parte, non tota: ideóque nequit tendere in punctum, aut aliquod indiuisibile, quà tale, ac proinde benè Doctor ait, quòd Christus simpliciter est inuisibilis in Eucharistia sine extensione.

*Quomodo requiritur in obiecto extensio vt potentia tendat.*

Ex quibus patet ad rationes adductas: quia propter modum operandi, & essendi potentiæ requiritur extensioni obiecti, vt possit vniri ei potentia, & ipsum obiectum terminare eius operationem ex natura ipsius potentiæ, quæ nequit abstrahere à modo essendi naturali ipsius obiecti, aut proprio.

32 *Excluduntur fundamenta Nominalium.*

A fortiori soluuntur rationes Nominalium, quæ minoris sunt difficultatis, quia & obiectum ipsum, vt moueat potentiam, exigit naturalem modum essendi, perinde ac quodlibet aliud materiale agens: deinde hoc ipsum requiritur ex parte potentiæ; non sufficit ergo corpus Christi esse præsens sub speciebus, vt possint videri, nisi sit præsens iuxta dispositionem requisitam, ex parte obiecti, & potentiæ.

Ex his patet vlteriùs quomodo intelligi debeat prima Doctoris conclusio, in qua explicat id, quod possibile est fieri, circa corpus Christi in ratione obiecti visibilis ex occasione quæstionis, & negatur in secunda conclusione esse visibile vt hîc est. Vtrumque est ad propositum quæstionis, quia repugnantia potest esse per causam intrinsecam, & extrinsecam; sic tollit repugnantiam, quæ esse posset absolutè in ordine ad Deum, quantùm ad productionem actus vitalis: vnde nescio quâ opinandi consecutione, illi, qui negant posse potentiam operari vitaliter, nisi producendo actum, quem nequit producere, vt ipsi aiunt hîc, quomodo, inquam, possit in ea esse operatio quâ videret.

33 *Vtraque conclusio Doctoris est ad propositum quæstionis.*

*Quomodo visio illa possit esse operatio?*

Visio ergo illa, quam Doctor produci à solo Deo posse asserit, esset obiecti secundùm naturalem modum existendi, & in ea nulla esset deceptio, quia esset obiecti secundùm modum, quem natum esset habere, non esset autem eius, vt in Eucharistia est: hoc dico, asserendo quòd obiectum videretur; si non placet primus modus interpretandi conclusionem.

Præterea non capio illud lumen supernaturale, mediante quo potentia videret obiectum secundùm aliquos, vt est hîc, quia illud esset ad confortandam potentiam, & perficiendam eius virtutem, vel certè ad repræsentationem obiecti per modum speciei. Si primum dicatur, nequit operari, nisi vt forma extensa recepta in organo; & sic nihil facit: nequit etiam mutare modum connaturalem potentiæ ad operandum, cùm ei accedat, neque variat modum eius essendi.

34 *Excluditur modus, quo dicitur possibilis visio Christi vt hic per lumen supernaturale.*

Si secundum dicatur, per idem patet nihil efficere, si sit species impressa, cùm potentia nequeat

operari immediatè circa obiectum in ſe præſens, niſi quà extenſum eſt; neque ſpecies aliter repræſentet, niſi ſic, cùm ipſa ſit extenſa; & ſubiiciatur potentiæ, eíque accommodetur. Quid ergo habetur ex tali ſpecie, quod aliàs per ipſam potentiam, Deo ſupplente concurſum obiecti, haberi non poſſit?

35 Ad argumenta patet ex litera. Ad vltimum dicitur, agens naturale agere ſecundùm lineam rectam, & quòd non poteſt indirectum agere in reflexum. Hoc principium variis in locis docet intelligendum de multiplicatione effectus in medio, ſi ſit effectus indiuiſibilis, vel de intenſione ſi ſit diuiſibilis forma. Ex hoc principio non rectè aliqui colligunt non dari actionem in diſtans; vt ſuo loco videbitur.

Conſequenter ad hanc quęſtionem, & ad priorem Doctores ſolent inquirere de apparitionibus, quæ contingunt in Euchariſtia, quid ſit iudicandum? quibus explicandis tam practicè, quàm ſpeculatiuè ſubiiciemus ſequentem quæſtionem.

## *Quid iudicandum de apparitionibus, quæ in hoc Sacramento contingunt?*

36 *De apparitionibus in Sacramento. Paſchaſius. Quis finis earum?* PLures apparitiones factas eſſe in Euchariſtia conſtat ex hiſtoriis; de quibus Paſchaſius *in lib. de Euchariſtia cap.* 14. aſſerens factas fuiſſe plerumque in confirmationem fidei de hoc Sacramento: quod verum eſt, quando fiunt publicæ; quando autem priuatæ ſunt, vt contingit ſæpè in perſonis piis, fiunt quandoque ob alios fines qui ad animam huius vel illius ſpectant, nempè ad confirmationem deuotionis, excitationem ſpiritus, conſolationem ſpiritualem, & amorem, & reuerentiam Sacramenti; & alios quibus Deus ſuauiter animas allicit.

*Alię reales, alię imaginariæ, alię apparentes. Reales apparitiones.* Hæ apparitiones quandoque ſunt reales ex parte Sacramenti, ſeu in ipſo Sacramento: aliquando non in Sacramento, ſed in ſenſu interiori, aut exteriori: in Sacramento, vt quando ſtillat ſanguinem, quando apparet caro, vel cinis, vel petra: in ſenſu, vt quando videtur ibi puer, aut Chriſtus in forma crucifixi; aut ſub aliis rationibus.

D. Thom. *Vnde diſcernantur.* D. Thomas aſſignat inter has mutationes modum, quo diſcerni poſſunt: nam ſi vnus aut alter habeant illas apparitiones, & cæteri videant ſpecies ſub ſua ratione, ſignum eſt eas fieri per mutationem ſenſus, non autem obiecti: item ſi breui durent, ita quòd antea & pòſt videantur ſpecies ſub ſua ratione propria, etiam eſt ſignum fuiſſe apparionem per mutationem ſenſus, non obiecti: contrarium ſi contingat erit ſignum mutationis in ipſo obiecto.

37 *An apparentes ſint vera ſigna.* Si quæras an illæ apparitiones per immutationem ſenſus tantùm, & non obiecti includunt mendacium, aut deceptionem? Reſpondetur negatiuè, quia fiunt ad oſtenſionem alicuius veritatis: vnde Auguſtinus *lib. 2. quæſt. Euangelicarum, & libro contra mendacium cap. 9.* Quando ſimulatio ad aliquod verum ſignificandum refertur, non eſt mendacium. Ratio eſt, quia eiuſmodi ſigna ſymbolica includunt veram ſignificationem, vt imagines, allegoriæ, parabolæ, & huiuſmodi.

Verum ad diſcernendum inter apparitiones veras, & illuſiones, quæ fiunt, vel arte dæmonis, vel ex vitio ſenſus, vel ex vehementi imaginatione, debilitate phantaſiæ, opus eſt prudentiâ, & conſilio, certiſque regulis, quæ ad præſens non ſpectant. Agendum tantùm eſt hìc de apparitionibus, quæ fiunt per immutationem ſpecierum; de illis conſuli poteſt Alenſis *4. p. q. 53. in 4. art. 3.*

38 *De apparitione reali.* Quoad apparitiones ſecundi generis prima ſententia eſt, quando videtur in Euchariſtia Chriſtus in forma pueri, carnis, aut ſanguinis, videri reipſa Chriſtum Dominum: ita Alenſis loco citato. Gabriel *lect. 51. in canon.* Secunda ſententia eſt, non videri Chriſtum in ſe: ita D. Thomas *3. part. quæſt. 76.* & communis *in 4. diſt. 10.* vbi Richardus *art. 5. q. 2.* Durandus, Paludanus, Carthuſ. *quæſt. 4.* Marſilius *quæſt. 7. art. 3. dub. 5.* & communiter Thomiſtæ, Vaſquez *comment. in illum articulum D. Thomæ*, Suarez. Quod docuerunt etiam antiquiores, Paſchaſius, Guitmundus, & Lanfrancus.

Sent. Alenſ. Sent. contraria. D. Thom. Richardus. Durandus. Paludanus. Carthuſ. Marſilius. Vaſquez. Paſchaſius. Guitmund. Lanfrancus.

*Concluſio prima.* Quando apparet ibi Chriſtus ſecundùm formam pueri, vel aliam, quæ non importat corruptibilitatem, quæ eſt contra naturam corporis glorioſi, non videtur improbabilis ſententia Alenſis: quia nihil obſtare poteſt, quin ita ſecundùm apparentiam contingere poſſit: quia idem corpus, ſicut ponitur de facto in diuerſis locis modo naturali eſſendi in vno, & ſacramentali in altero; ſic etiam non repugnat poni vtroque modo in Sacramento: vno modo ex vi verborum, altero verò per miraculum ad probandam veram exiſtentiam Chriſti in Sacramento. Dices, bis eſſet in Sacramento, quod videtur abſurdum. Reſpondetur quòd verum eſt ſecundùm potentiam ordinariam, extraordinariam negatur; quia effectus ipſam non excedit, & magis congruit veritati, & fini apparitionis, qui eſt probatio veræ exiſtentiæ realis in Sacramento.

1. *Concluſio. Probabilis ſententia Alenſ.*

*Non repugnat Chriſtū bis poni in Sacramento: diuerſo tamē modo*

Deinde ſic apparuit Chriſtus in forma hortulani Magdalenæ, in forma peregrini diſcipulis euntibus in Emaus, & reliquis poſt reſurrectionem non apparuit in forma corporis glorioſi, oſtendens dotes talis ſtatus, ſed in forma ſua cognita aliàs: vnde manducauit, & bibit cum illis in eadem forma: hoc tamen non fuit contra veritatem ſtatus corporis glorioſi: vnde quando apparet etiam in forma crucifixi, aut iudicis, aut pueri, non eſt deceptio, ſed repræſentatio ſtatus quem habuit, aut habiturus eſt: neque in huiuſmodi apparitionibus neceſſarium eſt, vt immutentur ſpecies realiter.

*Apparuit ſæpè non in forma corporis glorioſi.*

39 *Secunda concluſio.* Idem dici poteſt, quando apparet ibi caro & ſanguis tranſeunter, ita vt ſpecies redeant ad ſuum ſenſum priſtinum; quando verò permanenter, ita vt videatur quod ibidem apparet tranſire ad corruptionem, tunc non erit caro, aut ſanguis Chriſti, ſed aliud corpus ibi creatum ad ſignificandum carnem ſanguinémque verum Chriſti: ſi autem citò tranſeat, non eſt neceſſaria vera mutatio ſpecierum, ſed ſufficit apparens. Ratio prioris eſt, quia non competit carni & ſanguini corporis glorioſi ſubeſſe corruptioni: ratio poſterioris, quia ſuppetit aliqua ratio probans immutationem realem in re ipſa factam.

2. *Concluſio. Quid quando apparet caro?*

40 *Tertia concluſio.* Altera ſententia D. Thomæ eſt probabilior: quia non eſt neceſſarium Chriſtum apparere reipſa ad effectum, aut finem miraculi; quia ſufficienter probatur, etiamſi aliud ſit, quod apparet, veritas fidei in cuius confirmationem ſit: ſiue ergo ſit illa ſpecies repræſentans Chriſtum, ſicut in ſpeculo contingit repræſentare obiectum; & ſuprà probatum eſt poſſe rem non exiſtentem videri in ſua ſpecie; ſiue Angelus appareat in ea forma; vtrumque æquè fieri poteſt,

*Sententia D. Thomæ probabilior.*

&

& ſine deceptione. Dices, apparet Chriſtus modo extenſo in Sacramento ; cùm tamen hunc modum eſſendi in Sacramento non habeat : ergo poteſt contingere deceptio. Reſpondetur negando conſequentiam, quia fides docet indiuiſibiliter eſſe in Sacramento : apparitio autem eſt ad probandam veram exiſtentiam, & realem eius in eodem: quòd verò exhibeatur modo extẽſo & ſenſibili, illud neceſſarium eſt ad effectum viſionis externæ, quæ alio modo in ipſum ferri nequit.

41 Suarez. *Sententia.* Si quæras, quid ſit illud, quod apparet, quando apparet caro & ſanguis ? Reſpondet Suarez non eſſe carnem, & ſanguinem in re ipſa ; ſed tantùm aliquid colore ſimile : quia hoc ſufficit ad ſaluanda, quæ apparent: neque ſunt multiplicanda miracula ſine neceſſitate : neque probabiliter cogitari poteſt quòd illa caro ſit humana ; alterius autem animalis eſſe non eſt decens.

*Reijcitur.* Sed hæc non videntur eſſe fundata, maximè in iis apparitionibus, quæ durant, quia quod ibi producitur ſecundùm experientiam, apparet eſſe caro & ſanguis ; & ille eſt communis ſenſus hominum, quia nihil diſcernunt inter hæc, & aliam carnem, quæ variet ſubſtantiam : neque eſt multiplicare miracula, quia eiuſdem virtutis & ibi producere quodcumque tam aliud corpus, quàm veram carnem, eiuſdémque miraculi : deinde magis conducit ad finem apparitionis : deinde caro illa non eſt neceſſarium vt dicatur humana, vel alterius animalis, quia fuit creata, & nuſquam aliàs incorporata huic, aut iſti animali : quamuis potuit incorporari. Ægidius dicit ſpecies ſacramentales conuerti in illas dimenſiones carnis. Richardus accidentia illa, quæ apparent eſſe in corpore circumdante ſpecies. D. Thomas adhærere ipſis ſpeciebus : ſed quando fit vera immutatio, melius dicitur inhærere corpori, quod intra ſpecies producitur : quando autem apparitio eſt tranſiens, non produci ibi alia accidentia, niſi intentionalia; vel illud quod dicit S. Thomas, ſed incertum eſt quid fiat.

Ægid. Richard. D.Thom.

42 *Quando ſpecies corrumpuntur non manere Chriſtum.* *Quarta concluſio.* Quando mutatio talis eſt in ſpeciebus, vt ſub iis non maneret ſubſtantia panis, aut vini ſi adeſſet ; tunc corpus, & ſanguis Chriſti definit eſſe ſub ſpeciebus. Hæc eſt communis ratio eius, quia definunt ipſæ ſpecies, cum quibus habuit connexionem Chriſtus, vt cum ſigno ſenſibili : ergo & ipſum corpus, quod tantùm ineſt, inquantùm manet ſignum ſacramentale. Controuerſia eſt, quando id contingat ; Durandus aſſerit ſemper id contingere : alij putant manere Chriſtum, quamdiu manet quantitas immutata; licèt fiat mutatio in qualitate: ita D. Thomas *art.* 8. *& in* 4. *diſt.* 10. *q.* 1. *art.* 4. *quæſtiuncula* 2. *& diſt.* 18. *quæſt.* 5. Capreolus *quæſt.* 1 *ad argumenta.* Quæſtio eſt Philoſophica, ad quam breuiter dicendum, quando mutatio fit ita in qualitate, vt ſi ſubſtantia panis, aut vini adeſſet, corrumperetur, tunc deſinere Chriſtum eſſe ſub ſpeciebus : ratio eſt præmiſſa. Quòd verò corruptis qualitatibus deſinat ſubſtantia, non eſt ambiguum, quia illæ ſunt diſpoſitio eius neceſſaria.

Durand. D. Thom. Capreolus.

Sed aduertendum id non contingere in communibus qualitatibus, verbi gratiâ, calore, aut frigore, vel eiuſmodi ; ſed in propriis, vt in ſapore, & odore, quia hæ ſunt qualitates magis propriæ ſpecierum. Dignoſcitur ergo hæc mutatio, quando hæ definunt : contingit autem quantitatem, quantùm ad ſenſum non variari corruptâ ſubſtantiâ ; vt quando vinum conuertitur in acetum : quidquid ſit, an phyſicè corrumpatur quantitas vini ; quod dependet ab illa quæſtione de eius ſubiecto; an ſit materia prima, an totum ſubſtantiale ? ſi ſecundum dicatur, licèt non appareat mutatio eius quoad ſenſum ; colligitur tamen à poſteriori per illud principium, quòd accidens deſinente ſubiecto deſinat : deſitio autem ſubiecti, quia definit accidens proprium eius, & ponuntur accidentia, ſeu diſpoſitio ad formam repugnantem. Quando autem fiunt huiuſmodi mutationes, vt in carnem & ſanguinem, aut aliud, ſiue maneat ibi corpus Chriſti, ſiue non ; ſeruandæ ſunt ſpecies decenter in loco ſacro, & decenti, donec manent in forma.

43 *Mutatio qualitatis propriæ infert deſitionem.* *Quid faciendum in tali mutatione.*

Sed quid dicendum, an debeant adorari ? Reſpondetur, quòd ſic, quia adoratio terminatur ad corpus Chriſti, quod fortè ſubeſt, vt ſi maneant accidentia, quod in ſeipſo abſolutè eſt, & ſignificatur per talem ſubſtantiam.

44

Sed quid ſi poſt conſecrationem appareat talis immutatio, quid fieri debet ? Reſpondetur ſumi poſſe, ſi ſpecies in aliqua parte manent immutatæ : ſi verò totæ transferantur in eam formam, quæ non faciat ad vſum, & conſumptionem Sacramenti ; aliqui dicunt eum teneri iterum conſecrare, quia ſumptio eſt de præcepto, & integrat ſacrificium. Alij negant hanc obligationem, quia conſecrare denuò non eſſet primum ſacrificium conſummare; ſed aliud inchoare. Si autem in vna tantùm ſpecie contingeret mutatio, probabile eſt eum debere conſecrare eandem denuò ad integritatem ſumptionis, probabile magis contrarium : quia de hoc nihil certi lex ſtatuit ; cùm ſit caſus, qui non cadit ſub lege ; & nouitas facti magis ſuperſedendum eſſe fortè ſuadet, & perquirendum iudicium Eccleſiæ.

# DISTINCTIO VNDECIMA.

SI autem quæritur, Qualis ſit illa conuerſio : an formalis, an ſubſtantialis, vel alterius generis ? definire non ſufficio. Formalem tamen non eſſe cognoſco : quia ſpecies rerum, quæ antè fuerant, remanent, & ſapor, & pondus. Quibuſdam eſſe videtur ſubſtantialis, dicentibus ; ſic ſubſtantiam conuerti in ſubſtantiam, vt hæc eſſentialiter fiat illa. Cui ſenſui præmiſſæ auctoritates conſentire videntur.

*Oppoſitio.*

B SEd huic ſententiæ ſic opponitur ab aliis; Si ſubſtantia panis, inquiunt, vel vini conuertitur ſubſtantialiter in corpus, vel ſanguinem Chriſti: quotidie fit aliqua ſubſtantia corpus vel ſanguis Chriſti, quæ antè non erat: & hodie eſt aliquid corpus Chriſti, quod heri non erat, & quotidie augetur corpus Chriſti, atque formatur de materia, de qua in conceptione non fuit factum. Quibus hoc modo reſponderi poteſt, quia non eâ ratione dicitur corpus Chriſti confici verbo cœleſti, quòd ipſum corpus in conceptu Virginis formatum, deinceps formetur: ſed quia ſubſtantia panis vel vini, quæ antè non fuerat corpus Chriſti, vel ſanguis, verbo cœleſti fit corpus, & ſanguis. Et ideò Sacerdotes dicuntur conficere corpus Chriſti & ſanguinem, quia eorum miniſterio ſubſtantia panis fit caro, & ſubſtantia vini fit ſanguis Chriſti, nec tamen aliquid additur corpori vel ſanguini, nec augetur corpus Chriſti, vel ſanguis.

*Auguſtinus in libro Sententiarum Proſperi.*

C SI verò quæris modum, quo id fieri poſſit, breuiter reſpondeo: Myſterium fidei credi ſalubriter poteſt, inueſtigari ſalubriter non poteſt. Quòd ergo corpus Chriſti, panis mutatione in id non augmentatur, nec ſanguis ex vini conuerſione: eius voluntati, & potentiæ adſcribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit: fit ergo ſubſtantia illa iſta ſine eius augmento. Nec tamen concedunt quidam, quòd ſubſtantia panis aliquando ſit caro Chriſti, etſi fiat caro Chriſti, ſicut farina facta eſt panis, & aqua facta eſt vinum, nec tamen dicitur, farina eſt panis, & aqua eſt vinum. Alij verò concedunt illud, quod erat panis vel vinum poſt conſecrationem eſſe corpus & ſanguinem: non tamen ſequitur, panis eſt caro Chriſti, vel vinum eſt ſanguis, quia ſubſtantia panis vel vini poſtquam facta eſt caro Chriſti vel ſanguis, non eſt ſubſtantia panis vel vini, ſed caro, & ſanguis. Ideò diſtinguendum videtur, cùm dicitur ſubſtantia panis, vel id quod erat panis, modò eſt corpus Chriſti. Manens enim panis non eſt corpus Chriſti: ſed mutata in id quod facta eſt, eſt corpus Chriſti. Nec dicimus ſubſtantiam panis, vel vini materiam eſſe corporis, vel ſanguinis Domini: quia non de ea, vt de materia, formatur corpus: ſed ipſa formatur in illud, & efficitur illud. Vnde Auguſtinus, [ Corpus Chriſti dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſticâ conſecratum ſumimus in memoriam dominicæ paſſionis. Quod cùm per manus hominis ad illam viſibilem ſpeciem perducatur, non ſanctificatur, vt ſit tam dignum Sacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei. ]

*Aug. lib. de Trin. 3. c. 4. in fine eiuſdem, & de conſecr. diſt. 2. cap.* Corpus.

*Aſſerunt quidam dictum panem tranſire in corpus Chriſti.*

D QVidam verò ſic dicunt conuerſionem illam eſſe intelligendam, vt ſub illis accidentibus, ſub quibus erat priùs ſubſtãtia panis & vini, poſt conſecrationem ſit ſubſtantia corporis & ſanguinis, ſic tamen, vt non eis afficiatur, & ſic aſſerunt dictum panem tranſire in corpus Chriſti: quia vbi erat panis, nunc eſt corpus Chriſti. Quod ſi eſt, quid ergo fit de ſubſtantia panis & vini? Illi dicunt vel in præiacentem materiam reſolui, vel in nihilum redigi. Alij verò putauerunt ibi ſubſtantiam panis, & vini remanere, & ibidem corpus Chriſti eſſe, & ſanguinem: & hac ratione dici illam ſubſtantiam fieri iſtam:

quia

quia vbi eſt hæc, eſt & illa: quod mirum eſt: & ipſam ſubſtantiam panis, vel vini dicunt eſſe Sacramentum. Sed quòd non ſit ibi ſubſtantia, niſi corpus Chriſti, & ſanguis, ex prædictis, & ſubditis apertè oſtenditur. Ait enim Ambroſius. [Panem iſtum quem ſumimus in myſterio, illum intelligo vtique, qui manu ſancti Spiritus formatus eſt in vtero Virginis, & igne paſſionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus eſt cibus hominum. Vnde Veritas ait, Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcendi. & iterum, Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ex his namque duabus ſententiis apertè datur intelligi, quia panis ille, & iſte, non duo, ſed vnus panis, & vna caro, proculdubio vnum efficitur corpus. Illud verè, illud ſanè, quod ſumptum eſt de Virgine, quod reſurrexit, & in cœlum aſcendit.] Item Gregorius, [Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Chriſti myſterio Angelorum choros adeſſe, ſumma & ima ſociari, vnum quid ex inuiſibilibus, atque viſibilibus fieri?] Idem, [Eodem momento, & in cœlum rapitur miniſterio Angelorum conſociandum corpori Chriſti, & ante oculos Sacerdotis in altari videtur. Sicut diuinitas Verbi totum implet mundum, ita multis locis illud corpus conſecratur. Nec ſunt tamen multa corpora Chriſti, ſed vnum corpus, & vnus ſanguis. Ideóque ſiue plus, ſiue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Chriſti integerrimè ſumunt. Poſt conſecrationem ergo non eſt ibi ſubſtantia panis, vel vini, licèt ſpecies remaneant. Eſt enim ibi ſpecies panis & vini, ſicut & ſapor. Vnde aliud videtur, aliud intelligitur.

*De Sacram. & alleg. de conſ. diſt. 2. c.* Omnia quæ. *Ioan. 6. c.*

*Gregor. in hom. Paſchali, cap.* Quid ſit ſanguis, *& lib. 4. dial. c. 58. & hab. de conſ. diſt. 2.*

## *Quare ſub alia ſpecie.*

*E*

SVb alia autem ſpecie tribus de cauſis carnem & ſanguinem tradidit Chriſtus, & deinceps ſumendum inſtituit: vt fides ſcilicet haberet meritum, quæ eſt de his, quæ non videntur, quia fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Et ideò etiam, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in vſu carnem crudam comedere, & ſanguinem bibere. Quia ergo Chriſtum vorari dentibus fas non eſt, in myſterio carnem, & ſanguinem, nobis commendauit. Et etiam ideò, ne ab incredulis religioni Chriſtianæ inſultaretur. Vnde Auguſtinus, [Nihil rationabilius, quàm vt ſanguinis ſimilitudinem ſumamus, vt & ita veritas non deſit, & ridiculum nullum fiat à paganis, quod cruorem occiſi hominis bibamus.] [Ne ergo hoc fieret, & ne veluti quidam horror eſſet cruoris, in ſimilitudinem accipimus Sacramentum.] Ex præmiſſis iam liquet, quare ſub alia ſpecie, & quare ſub iſta hoc Sacramentum Dominus celebrauerit, & celebrari à nobis inſtituerit.

*Gregor. in hom. Paſch. Idem hom. 26. ſup. Euang. Auguſt. in ſerm. præal. & habet. de conſ. diſt. 2. c.* Vtrùm ſub figura. *Amb. lib. 6. de Sacr. c. 1. & de conſ. diſt. 2. c.* Panis, *&c.*

## *Quare ſub duplici ſpecie.*

*F*

SEd quare ſub duplici ſpecie ſumitur, cùm ſub alterutra totus ſit Chriſtus? Vt oſtenderetur totam humanam naturam aſſumpſiſſe, vt totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur: vinum ad animam, quia vinum operatur ſanguinem, in quo ſedes animæ à Phyſicis eſſe dicitur. Ideò ergo in duabus ſpeciebus celebratur, vt animæ & carnis ſuſceptio in Chriſto, & vtriuſque liberatio in nobis ſignificetur. [Valet enim, vt Ambroſius ait, ad tuitionem corporis, & animæ quod percipimus, quia caro Chriſti pro ſalute corporis,

*Ambr. Cõment. ad 11. c. ep. prioris ad Cor. in tom. 4.*

*Leuit.17.* ſanguis verò pro anima noſtra offertur, ſicut præfigurauit Moyſes. Caro, inquit, pro corpore veſtro offertur, ſanguis pro anima: ] ſed tamen ſub vtraque ſpecie ſumitur, quod ad vtramque valet: quia ſub vtraque ſumitur ipſe totus Chriſtus. Sed ſi in altera tantùm ſumeretur, ad alterius tantùm, id eſt, animæ, vel corporis, non vtriuſque pariter tuitionem valere ſignificaretur. Sub vtraque ſpecie tamen totus ſumitur Chriſtus: nec plus ſub vtraque, nec minus ſub altera tantùm ſumitur. Eadem enim ratio eſt, vt ait Hilarius, in corpore Chriſti, quæ in manna præceſſit. De quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius: nec qui minùs parauerat, habuit minus. Et licèt ſub vtraque ſpecie idem ſumatur totus Chriſtus: tamen non fit conuerſio panis niſi in carnem, nec vini in ſanguinem. Nec debent dici duo Sacramenta, ſed vnum, quia ſub vtraque ſpecie idem ſumitur. Neque debet iterari Sacramentum: quia benedictio non repetitur ſuper ſpeciem eandem. Neque aliæ ſubſtantiæ in ſacrificium veritatis offerri debent: quia de aliis non poteſt conſecrari corpus Chriſti, vel ſanguis.

*Hilar. Papa de conſ. diſt. 2. cap.* Vbi pars eſt. *Exod.26.d.*

## *Quare aqua admiſceatur.*

G *Iſid. lib. de Eccleſ. offic. cap. 18. & Cypr. lib. 2. epiſtolarum epiſt. 3. & habetur intelligi. Apoc.17.d.*

AQua verò admiſcenda eſt vino, quia aqua populum ſignat, qui per Chriſti paſſionem redemptus eſt. Calix ergo dominicus iuxta canonum præceptum, aquâ & vino mixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Cùm ergo in calice, vino aqua miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit copulatur: quæ copulatio aquæ, & vini ſic miſcetur in calice Chriſti, vt mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum quis tantùm offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.

## *Iulius Papa.*

H *In epiſt. de Sacr. cal. cuius princip.* Quanquam ſciã frater, *quæ eſt 3. in lib. 2. De conſec. diſt. 2. cap.* Nõ oportet, *& c.* In Sacramento *ep præal. & habetur de conſ. d. 2. c.* Scriptura. *Aug. 4. de doctr. Chr. cap. 21. ex Cypriano. Ioan.6.d. Ioan.12. d.* Determinatio præmiſſorum.

SI verò quæritur, An irritum ſit, quod geritur, ſi aqua prætermittatur? Audi quod ſequitur in eodem canone. Non poteſt, inquit, calix Domini eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur. Item Cyprianus, [Calix Domini non eſt aqua ſola, aut vinum ſolum, niſi vtrumque miſceatur: ſicut nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, nec aqua ſola, niſi vtrumque fuerit adunatum, & panis vnius compage ſolidatum.] Si quis tamen non intendens introducere hæreſim, obliuione vel ignorantia aquam prætermiſerit, non videtur eſſe irritum Sacramentum: ſed ille grauiter eſt corripiendus: nam & Græcorum Eccleſia non apponere aquam dicitur. Quod etiam ex dictis Cypriani videtur poſſe colligi: ait enim, [Si quis de anteceſſoribus noſtris, vel ignoranter, vel ſimpliciter non hoc ſeruauerit, quod nos Dominus facere, & exemplo, & magiſterio docuit, poteſt ſimplicitati eius indulgentia Domini venia concedi.] [Nobis verò non poteſt ignoſci, qui nunc à Domino inſtructi ſumus, vt calicem Domini cum vino mixtum, ſecundùm quòd Dominus obtulit, offeramus.] Ex hoc videtur, quòd ſi quis ſimpliciter, vel ignoranter vinum offerat ſine aqua, Sacramentum conficiat. Aqua verò nullatenus ſine vino poteſt offerri in ſacrificio, nec panis niſi de frumento: nec granum frumenti, niſi redactum fuerit in panem: quia Chriſtus & panem ſe dicit, & grano frumenti ſe comparat. Quod ergo ſuprà dictum eſt non poſſe vinum ſolum offerri, determinari oportet: recipit enim exceptionem. Non

poteſt

potest, nisi simpliciter vel ignoranter fiat: vel non potest, id est, non debet. Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum. Colligitur etiam ex prædictis, quòd Christus vinum aquâ mixtum dedit discipulis. Corpus verò tale dedit, quale tunc habuit, id est, mortale, & passibile. Nunc verò sumitur à nobis immortale, & impassibile; nec tamen maiorem habet efficientiam. Eucharistia quoque intincta non debet dari populo pro supplemento communionis: quia non legitur Christus alicui discipulorum præbuisse panem intinctum, nisi Iudæ. [Tunc verò non accepit Iudas corpus Christi, sed tantùm panem: corpus verò, & sanguinem Christi antè cum aliis discipulis perceperat.]

Iulius Papa, quòd intincta non debet dari hostia populo, & *habetur de cons. dist. 2. cap.* Cùm omnę. *Aug. serm. 28. ad fratres in eremo.*

---

SVPRA [a] Magister determinauit veritatem de Eucharistia, quantùm ad Sacramentum, & rem Sacramenti, & vsum eius: hîc determinat de consecratione sacramentali, quæ est quasi inceptio Sacramenti: & diuiditur in duas partes. Primò enim determinat de ipsa consecratione, quantùm ad actum consecrationis. Secundò quantùm ad materiam, ibi: [*Sub alia autem specie.*] prima in duas. Primò determinat veritatem: secundò excludit errorem circa hoc, ibi: [*Quidam autem.*] secunda pars in tres. Primò determinat de materia præcedente, & concomitante consecrationem in communi, scilicet quare est species alia, & alia ab ipsa specie rei contentæ: secundò de ipsa in speciali, quantùm ad duplicem speciem concurrentem ibi: [*Sed quia sub duplici.*] tertiò de quadam specie apponenda alij speciei principali, ibi: [*Aqua.*]

Circa distinctionem istam vndecimam quærendum est principaliter de duobus. Primò, de conuersione, seu transsubstantiatione. Secundò, de materia apta transsubstantiationi, vel conuersioni. Circa primum, primò quærendum est de possibilitate. Secundò, de actualitate. De possibilitate quæro duo. Primò, vtrùm sit possibilis transsubstantiatio? Secundò, vtrùm sit possibile, quodlibet ens conuerti in quodcunque?

## *COMMENTARIVS.*

1 *Materia huius distinctionis.*

a IN hac distinctione agitur primò de via ad Sacramentum, nempe de conuersione, & transsubstantiatione: secundò, de materia Sacramenti: eam absoluit Doctor septem quæstionibus, quarum prima est de possibilitate transsubstantiationis: secunda, an possit quodlibet conuerti in quodlibet? tertia, an panis conuertatur in corpus Christi? quarta, an panis conuersus annihiletur? quinta, quibus verbis possit exprimi hæc conuersio? sexta, de natura, & essentia panis conuertibilis: septima est, de materia calicis.

---

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm transsubstantiatio sit possibilis?*

Alens. 4. *p. q.* 38. *m.* 1. *&* 2. D. Bonau. *hîc a.* 1. *q.* 1. Richard. *a.* 1. *q.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 75. *a.* 4. Suar. 3. *p. tom.* 3. *d.* 50. *s.* 1. 2. Bellarm. *lib.* 3. *de Euchar. per totum.*

AD primum [a], arguo, quòd non, quia transsubstantiatio idem est, quòd mutatio substantiæ in substantiam: sed talis mutatio non est nisi generatio, vel corruptio, secundùm Philosophum, 5. *Phys.* sed nec ista, nec illa est transsubstantiatio: ergo nec est possibilis transsubstantiatio. 1 *Argum. 1. Text. 7. & inde.*

Secundò, quia in omni mutatione aliquod subiectum commune manet, ex illa definitione mutationis, 6. Phys. *Mutari est aliter se habere nunc, quàm priùs.* Et patet discurrendo per omnes species mutationis, 5. *Phys.* Sed in transsubstantiatione nihil commune manet: ergo nec est aliqua transsubstantiatio: quia non potest esse aliquid aliud, quàm mutatio, quia non est aliquid permanens, nec etiam successiuum aliud à motu, & mutatione: quia successiua non sunt, nisi motus, & mutatio, tempus, & huiusmodi: ergo, &c. *Argum. 2. Text. 32. 73. & inde. Text. 7. & 9.*

Tertiò,

*Argum. 3.* Tertiò, quia in omni mutatione termini ſunt incompoſſibiles: ſed termini tranſſubſtantiationis non ſunt incompoſſibiles, quia poſſunt eſſe ſimul: ergo tranſſubſtantiatio non eſt mutatio, & tunc vt priùs nihil aliud poteſt poni: ergo, &c.

*Ratio opp. Ambr.* Contrà, Ambroſius de Sacramentis, & habetur de conſec. diſt. 2. *Reuera mirabile, non minùs eſt dare, quàm mutare nouas naturas rebus.* Ex quo concludit, quòd cùm Deus poſſit dare nouas naturas rebus, quæ priùs non erant, potuit & mutare naturam in naturam, & per conſequens tranſſubſtantiare.

## *COMMENTARIVS.*

2 a *AD primum ſic proceditur*, &c. In hac quæſtione ſunt tres articuli: primus, de ſignificatione nominis: ſecundus, de re ſubſtrata eiúſque poſſibilitate: tertius quid ſit? Circa hæc omnis controuerſia, quæ fuit inter antiquos, verſatur tantùm in eo, an tranſſubſtantiatio contineatur ſub genere mutationis: de quo agit Doctor *in 3. articulo*: inter poſteriores tamen ſuccreuit magna varietas quæſtionum, quibus reſpondendum erit. Controuerſiam cum hæreticis *ſuprà* præmiſimus: in hac autem quæſtione tantùm mouetur controuerſia Scholaſtica.

## SCHOLIVM.

*Deſcribit tranſſubſtantiationem eſſe totalem tranſitionem ſubſtantiæ in ſubſtantiam. quod clarè, & optimè explicat, quoad ſingulas partes, diſtinguendo tranſſubſtantiationem à generatione.*

2 Hîc ſecundùm proceſſum ſuperiùs habitum de Sacramentis. Primò videnda eſt ratio nominis. Secundò, an illi rationi poſſit aliquid ſubeſſe. Tertiò quid ſit illud in ſpeciali, vtpote ad quod genus pertineat, vel cuius ſpeciei in genere rationem poſſit habere.

*Tranſſubſtantiatio quid ſit.* Totalis *quid ſignificet.* *Text. 10. & 24.* *Generatio eſt tranſmutatio totius in totum, explicatur.* *In generatione totum per ſe trãſit in totũ per ſe, in alteratione totum per accidẽs, in totum per accidens.*

De primo [a] dico, quòd hæc eſt conueniens ratio huius nominis *tranſſubſtantiatio*: quod eſt tranſitio totalis ſubſtantiæ, in ſubſtantiam. Primò expono iſtud vocabulum *totalis*; totum enim vno modo dicitur integrum ex partibus: alio modo pro qualibet parte categorematicè, & ſyncategorematicè. Secundùm hoc dupliciter poteſt eſſe tranſitio totius in totum. Vno modo, accipiendo pro toto integro ex partibus, ſcilicet quòd vni toti ex partibus ſuccedat aliud totum ex partibus. Et hoc modò dicit Ariſtoteles primo de Generatione, quòd generatio eſt *tranſmutatio totius in totum*: quia illud totum ex partibus, quod fuit verè totum, ſcilicet per ſe vnum, non manet, ſed aliud totum ſuccedit: non tamen quælibet pars ſuccedit, quia materia manet communis, ſecundùm ipſum. Et per oppoſitum in alteratione non tranſit totum in totum: quia quodlibet totum per ſe vnum, quod præceſſit alterationem, manet in termino alterationis: ſed tantùm tranſit totum vnum ſecundùm *quid*, ſiue per accidens, in totum aliud per accidens, vt lignum calidum in lignum frigidum, quorum neutrum eſt totum propriè loquendo, ſed tantùm per accidens totum, ſicut per accidens vnum. Quodcunque autem totum, quod ſcilicet eſt per ſe vnum, & per conſequens eſt de genere ſubſtantiæ, manet idem ſub vtroque termino tranſmutationis, huius ſcilicet alterationis.

Per hoc patet, quòd iſta auctoritas nihil facit contra poſitionem de pluralitate formarum: quia quantùmcunque ponatur prima forma manere, ſecundùm rei veritatem in generato, & corrupto; tamen non manet totum idem, etiam iſto modo loquendo de toto: quia totum ſimpliciter præcedens corruptionem, includebat formam vltimam ſpecificatam: illud autem non manet in termino generationis, ſed tantùm pars eius: ergo benè dictum eſt in definitione tranſſubſtantiationis, eam diſtinguendo contra tranſmutationem, quod non eſt tranſitio totius in totum, quia ibi poſſet eſſe æquiuocatio de ly *totius*, ſed quod eſt *totalis tranſitio.*

3 De ſecundo, quòd additur in hac ratione nominis, id eſt, *ſubſtantiæ in ſubſtantiam.* Dico, quòd ponitur ibi *ſubſtantiæ*, diſtinguendo contra accidens. Manifeſtum eſt enim, quòd tranſitio accidentis in accidens, magis diceretur tranſaccidentatio, quàm tranſſubſtantiatio. Sed quod dicitur *ſubſtantiæ in ſubſtantiam*, intelligendum eſt ſecundùm Philoſophum 1. *Phyſic.* quòd dupliciter dicitur aliquid fieri ex aliquo, ſcilicet ex ſubiecto manente, vel ex termino corrupto. Aliter enim ignis generatur ex materia ignis, aliter ex aëre, ſiue non igne, ſecundùm ipſum ibi. Tranſitio ergo illa partialis ſubſtantiæ in ſubſtantiam, poteſt eſſe, vel ſubiecti à termino in terminum tranſeuntis: vel totius termini tranſeuntis in terminum oppoſitum. Sed in propoſito, cùm dicitur *tranſitio totalis*, excluditur primus intellectus: quia nihil commune tranſit ibi à termino

*Text. 58. & inde.* *Dupliciter fit aliquid ex aliquo.*

in

in terminum ( tunc enim non esset *transitio totalis*, sed partialis : ) ergo est hîc tantùm transitio substantiæ in substantiam, sicut termini totaliter desinentis esse, in terminum, sicut in substantiam totaliter incipientem esse.

## COMMENTARIVS.

3 *Definitur transsubstantiatio.*

a *Dico primò*, &c. Præmissâ diuisione quæstionis, explicat *quid nominis*, dicens, *transsubstantiationem esse transitionem totalem substantiæ in substantiam.* Distinguit transsubstantiationem à generatione; ex eo quòd in vtraque sit *transitio totius in totum* : sed aliter, quia in generatione totum non succedit toti secundùm omnes partes suas, quia eadem materia communis manet in genito, quæ fuit in corrupto : in transsubstantiatione fit mutatio totius in totum, & totalis secundùm omnes partes categorematicè sumptas: vt nulla, quæ fuit in termino *à quo*, maneat in termino *ad quem*, sed substantia tota & totalis collectiuè quoad partes, & totum sumpta transeat in terminum *ad quem*.

*Differentia eius à generatione.*

*Differt ab alteratione.*

Excluditur etiam alteratio, quæ est mutatio totius secundùm *quid*, in aliud secundùm *quid*, & non totius simpliciter, quod est subiectum manens sub vtroque termino.

Dicitur *substantiæ in substantiam*, &c. nó eo modo quo *primo Physicorum*, dicit subiectum transire de priuatione in formam; aut de forma corrupta in formam genitam, seu eductam; vel quâ corrumptum dicitur transire in genitum : sed modo iam explicato. Vnde excluditur per has particulas transmutatio, quâ vnum accidens in aliud conuertitur, quia illa transaccidentatio est, non transsubstantiatio. Doctor autem explicat transsubstantiationem, & describit eo modo, quo sumitur à Patribus, & Conciliis in hoc mysterio, quatenus nihil termini *à quo*, quoad substantiam manet, sed totus cum partibus transit in terminum *ad quem*.

*Differt à transmutatione.*

*Definitur secundùm naturam præsentis mysterij.*

## SCHOLIVM.

*Transsubstantiationem esse possibilem, quia vna substantia potest totaliter incipere, & alia totaliter desinere, id tamen à solo Deo fieri posse, quia soli ipsi extrema totaliter subsunt.*

4 De secundo [a] articulo, primò dico, quòd possibile est huic rationi nominis aliquid subesse. Secundò, quòd illud non est possibile alicui virtuti actiuæ, nisi diuinæ immediatè.

Primum probatur, quicquid potest esse totaliter nouum, non repugnat sibi succedere alij, quod potest totaliter desinere esse : sed aliqua substantia potest totaliter esse noua, sicut expositum est priùs totaliter, hoc est, non tantùm secundùm se totam compositam ex partibus, sed etiam secundùm quodlibet eius : & alia potest eodem modo desinere esse : ergo hæc potest totaliter succedere illi totaliter desinenti, & per consequens hæc potest conuerti totaliter in illam, & ita transsubstantiari. Assumpta patent, quia nec totalis inceptio substantiæ, nec totalis desitio includit contradictionem, nec per consequens inceptio huius ad totalem desitionem illius, quæ transitio includit transsubstantiationem : ergo vera est prima conclusio, scilicet quòd possibilis est transsubstantiatio.

Secundum probatur, scilicet, quòd soli Deo istud sit possibile, quia in cuius potentia actiua est vtrumque extremum, & quantùm ad totum *esse*, & quantùm ad totum *non esse*, est hoc præcisè in eius virtute actiua, vt transitio extremi in extremum, & præcisè eius: nunc autem *esse* totalis substantiæ, & *non esse* eius subsunt virtuti actiuæ diuinæ, & soli illi, quia quæliber alia requirit subiectum, in quod agat : ergo transitio totalis substantiæ in substantiam subest illi virtuti, & soli illi. Maior & etiam tota ratio confirmatur per simile de transitione partiali, cuius enim virtuti actiuæ subest *esse*, & *non esse* partiale vtriusque extremi, eius virtuti subest transitio partialis extremi in extremum. Patet de generatione, & corruptione. Virtus enim potens super *non esse* formæ præcedentis, & *esse* formæ consequentis, manente illâ parte compositi communi, scilicet materiâ, potest super generationem huius ex illo, quæ est transitio partialis vnius partialis in aliud: ergo à simili virtus potens super *esse*, & *non esse* vtriusque extremi, totaliter potest super transitionem totalem extremi in extremum.

*Transsubstantiatio soli Deo possibilis. Exd. 1. q. 1. huius.*

## COMMENTARIVS.

4 *Prima conclusio. Possibilitas eius.*

a *De secundo articulo*, &c. Hîc ponit duas conclusiones. Prima, quòd transsubstantiatio modo dicto in priori sit possibilis. Secunda, quòd hæc possibilitas respiciat solùm virtutem diuinam, non creatam. Prima probatur, quia quidquid potest esse totaliter, id est, secundùm totum, & partes nouum, potest etiam succedere alteri, quod secundùm totum, & partes potest desinere esse : quia nec inceptio totalis vnius, neque desitio totalis alterius, nec ordo successionis vtriusque ad inuicem repugnat. Hæc ratio suppo-

*Secunda cõcl. Probatio 1. conclusionis.*

*Ratio est ex creditis.*

nit propositionẽ creditam, nempe Deum habere omnipo

omnipotentiam, quam Theologi aſſerunt, & agere poſſe independenter ab omni cauſa creata, & cauſam materialem à Deo dependere, & creari poſſe, nempe materiam primam, ab eóque conſeruari, quod non admitterent Philoſophi, vt viſum eſt *diſt. 1. quæſt. 1.*

*Secunda concluſionis probatio.* Secunda concluſio probatur ex eo, quòd ſolus Deus agere poſſit independenter à ſubiecto, & non cauſa creata: ergo *eſſe*, & *non eſſe* totale ſubſtantiæ eſt in ſola poteſtate diuina, prout *eſſe*, & *non eſſe* comprehendunt totum, & partes. Hæ rationes quantùm ad principia ex quibus dependent, iam tractatæ ſunt loco citato: vnde non eſt quòd hîc ampliùs eis inſiſtamus: ſolùm ſupereſt explicandum, an panis deſinat per annihilationem? an ex repugnantia aliqua ex natura rei? quod in ſequentibus tractabitur.

## SCHOLIVM.

*Refutat Varronem, & alios tenentes tranſſubſtantiationem eſſe mutationem, & explicat definitionem mutationis ad mentem Philoſophi exactiſsimè.*

5 *Varr. in hac materia, q. 3. q. 2.* Quantùm [a] ad tertium articulum dicitur, diſtinguendo de mutatione ſubiectiuè ſumpta, & obiectiuè; tranſſubſtantiatio non eſt immutatio ſubiectiuè, ſed obiectiuè. Pro diſtinctione hac poteſt poni probabilitas, quia aliquid poteſt generari ſubiectiuè, aliquid obiectiuè, ſicut probatum eſt 1. *lib. diſt. 5. in q. de principio materiali generationis filij*: & pari ratione poteſt generatio diſtingui: vt ſumpta ſubiectiuè, vel obiectiuè, & per conſequens mutatio.

*Definitio mutationis explicatur.* Contra hoc primò, quia diſtinctio non concordat cum Philoſopho, quia ex 6. Phyſic. *Mutatio eſt, quâ aliquid poteſt aliter ſe habere nunc, quàm priùs.* Hæc ratio non conuenit, niſi ſubiecto tantùm; non termino, quia terminus non ſe habet nunc aliter, quàm priùs: quia ſi eſt terminus *ad quem*, nunc primò eſt, & ita non ſe habuit priùs aliter, quàm nunc: ſi eſt terminus *à quo*, nunc non eſt, & per conſequens non ſe aliter habet nunc, quàm priùs: ergo nihil mutatur niſi ſubiectiuè.

Vna reſponſio eſt, quòd Philoſophus negauit aliquid produci, niſi de ſubiecto, & ideò mutatio apud eum requirebat ſubiectum; ſed nos ponimus aliam mutationem poſſibilem, & ita poſſumus illi attribuere rationem mutationis: ſed non illam, de qua loquitur Philoſ. Alia reſponſio eſt, quia ſi arguitur de illo *aliter*, quod accipitur in definitione, quia illud requirit entitatem poſitiuam pro tanto, quia, *aliud* eſt differentia entis, ſicut *Text. com. 11.* idem, 10. *Metaphyſicæ*. Contrà, hoc non concludit, quia ſubiectum nunc exiſtens ſub priuatione, & priùs ſub forma, dicitur aliter ſe habere: & tamen *eſſe* ſub priuatione non eſt taliter, ſeu entiter ſe habere, quia priuatio non eſt aliqua entitas: ergo ex eo, quod additur *aliter*, non poteſt concludi, quòd ſit entitas communis vtriuſque termini.

6 Contra primam reſponſionem. Aliud eſt negare Philoſophum in ratione nominis: aliud in ponendo, vel non ponendo exiſtentiam rei ſignatæ: multa enim non poſuit, quæ tamen ſi poſuiſſet, dixiſſet conſequenter nobiſcum de ratione conueniente eis: ſed vniuerſaliter vbi poſuiſſet aliquam rationem propriam alicuius, dixiſſet illud non conuenire, niſi ei, in quo illa propria ratio ſaluaretur: quomodocumque dixiſſet de exiſtentia, vel non exiſtentia illorum, quibus illa ratio applicaretur. Nunc autem hæc ratio nominis ſecundùm Philoſophum *mutatio eſt*, &c. quæ poſita eſt, non conuenit, niſi vbi manet aliquod ſubiectum: ergo licèt ſupponeret nobiſcum tranſſubſtantiationem poſſibilem, tamen cùm ſibi repugnet iſta ratio, negaret eam eſſe mutationem.

*Phil. negaret trãſſubſtantiationẽ, eſſe mutationem.*

Secunda reſponſio non valet, quia non arguitur ab eo, quod in deſcriptione mutationis ponitur *aliter*. Verum eſt enim, quòd *aliter* ibi accipitur generaliter ad entitatem poſitiuam contrariorum, vel priuationis, & formæ: ſed aliter arguitur ex eo, quòd dicitur *ſe habere*: nam iſtud includit aliquid commune manere, & ei, quod eſt aliter ſe habere nunc, & aliter ſe habere priùs: quia ſe habere aliter, affirmatur æqualiter ex parte vtriuſque. Item, iſta diſtinctio non concordat dictis Sanctorum, quia ſecundùm Gregorium 5. Moral. *Mutare eſt ex aliquo in aliud ire*: hoc non conuenit, niſi ſubiecto mutationis.

7 Poſſet [b] etiam argui contra dictam reſponſionem per rationem, quia ſi obiectiuè dicitur aliquid mutari, hoc eſt, quia obiectum diſtinguendo contra ſubiectum mutatur: ſed terminus *ad quem* hîc non mutatur: ergo non poteſt iſta tranſſubſtantiatio dici mutatio obiectiuè.

Si dicatur, quòd *obiectiuè* ſumitur hîc generaliter, pro termino, ſiue *à quo*, ſiue *ad quem*, & in creatione verificatur mutatio obiectiua pro termino *ad quem*, hîc autem pro termino *à quo*: & probatur, quia verum eſt dicere, quòd panis conuerſus eſt in corpus Chriſti; ergo panis mutatus eſt, quia non eodem modo ſe habet quo priùs; hoc improba

improbatum est pertractando rationem Philosophi, quia neuter terminus se habet nunc aliter, quàm priùs. Terminus enim *à quo* non manet, & sic non se habet aliter: quia se habere aliter includit entitatem se habentis aliter; & tunc potest dici, quòd non sequitur, panis est conuersus in corpus: ergo est mutatus, quia antecedens non denotat, nisi transitum termini *à quo*, ad terminum *ad quem*: consequens autem denotat transitum alicuius subiecti communis vtrique termino.

*Quid sit aliter se habere? Panis Eucharistiæ non est mutatus.*

Et si adhuc obiiciatur, corruptum est mutatum, & non subiectiuè, quia non manet: ergo obiectiuè. 8

Dico, quòd illud, quod conuenit parti per se, dicitur de toto per accidens, 5. *Physic. in principio, & 7.* & quia materia corrupti est per se mutata à forma ad priuationem, & ideò hoc totum potest dici per accidens mutatum: sed non sic est in proposito, quia nulla pars transubstantiati per se mutatur.

*Text. com. 1.* *Text. com. 1. & 2.*

Ad [c] aliam ergo persuasionem adductam pro opinione de generari subiectiuè, & obiectiuè: dico, quòd illud potest duci ad oppositum. Non enim distinguitur generatio in subiectiuam, & obiectiuam, licèt aliquid dicatur generari subiectiuè, vel obiectiuè: ergo pari ratione, nec mutatio distinguetur sic, vel sic.

Et si dicas, si *generari* sic distinguitur: ergo & *mutari*; & præterea, quomodo possit *generari* sic distingui, & non generatio? Ad primum dico, quòd generatio non est inferius ad mutationem, nisi vt conuenit subiecto generationis: vt autem comparatur ad terminum, habet rationem productionis, vt dictum est *lib. 1. dist. 5. quæst. 2.*

*Generatio non est inferius ad mutationem, si comparetur ad terminū.*

Ad secundum dico, quòd ab eodem abstracto possunt imponi multa denominatiuè, vel idem æquiuocè, quia illa forma potest habere aliam, & aliam habitudinem ad diuersa, & per diuersa concreta, vel idem æquiuocè acceptum potest signare illam formam, vt habentem talem, vel talem habitudinem. 9

*Ab eodē abstracto possunt esse diuersa habitudines in concreto.*

Exemplum patet de sano, quia sanitate existente vna forma, quæ potest aliam habitudinem habere ad signum, aliam ad causam, aliam ad subiectum, hoc concretum *sanum* imponitur ad signandum istam formam sub hac, & illa habitudine: & ideò est æquiuocum, & possent imponi simpliciter diuersa concreta, puta sanum sanificatiuum, &c.

Ita in proposito, generatione existente eadem secundùm se, potest ipsa habere diuersas habitudines ad subiectum cui ineſt, & ad terminum ad quem est, & secundùm hoc potest concretum impositum ab ipsa æquiuocè accipi, vt denotat informationem huius, & illius, & sic aliquid dicitur æquiuocè generari, licèt generatio secundùm se non sic distinguatur, sed tantùm dicatur alio modo accipi, vt est huius, & illius.

## COMMENTARIVS.

5 *Mutationis diuisio. Subiectiua mutatio.*

a *Quantùm ad tertium articulum*, &c. Mutatio distinguitur à quibusdam in subiectiuam, & obiectiuam. Subiectiua est illa, quæ est subiecti, vt aliter se habet nunc, quàm aliàs, & transit de forma in formam in mutationibus positiuis ex parte vtriusque termini; vel certè in priuatiuis, & negatiuis, vt succedit in eo priuatio, & negatio formæ, aut è contra. Obiectiua mutatio est ex parte termini partialis, aut totalis, qui incipit, vel desinit, éstque inter *esse*, vel *non esse* termini. In hoc articulo tertio tangitur controuersia magis de proprietate nominis, iuxta mentem Philosophi, eiúsque significato, quàm de re ipsa: nam eo modo, quo creatio, & annihilatio dicuntur mutationes impropriè, & obiectiuè, & terminus ipse transire de potentia obiectiua ad *esse* cum quadam sui mutatione, quâ recipit *esse* post *non esse*; & hæc in eo succedunt: ita etiam omnis transmutatio dicitur aliquo modo mutatio impropriè sumpta: vide Doctorem *in 2. dist. 1. quæst. 4. ad 5. & dist. 2. quæst. 4. ad 5.*

*Obiectiua mutatio.*

6 *Transubstantiatio est mutatio propriè dicta, vt quidam volunt. Impugnatur.*

Impugnat ergo Doctor asserentes mutationem propriè dictam dici de transubstantiatione; & prout mutationem definit Philosophus, *6. Physicorum*, quâ dicitur aliquid se habere aliter, quàm priùs: quæ ratio nominis non conuenit termino, sed subiecto, vt idem manet sub vtroque termino, sed aliter, & aliter se habens, & vt supponitur vtrique termino. Respondent aliqui, quòd Philosophus nō agnouit aliam mutationem, nisi ex subiecto, quia non agnouit creationem, & annihilationem, quas Theologi cognoscunt, neque transubstantiationem: ergo potest ipsi attribui ratio mutationis. Contrà, Philosophus rationem propriam alicuius non extenderet ad aliud, in quo res, cui propriè competit, non includitur: illam rationem tanquam mutationis dixit propriam: ergo, &c. deinde Philosophus agnouit rem transire de *non esse*, ad esse; tamen non comprehendit hunc transitum sub mutatione.

*Responsio.* *Impugnatio.* *Ratio propria rei non conuenit alteri.*

Secunda responsio est, quòd per ly *aliter* intellexerit Philosophus aliquid positiuum, quia est differentia entis per ipsum, sicut idem ait, 10. *Metaphys. textu comment. 11.* sed subiectum nunc existens sub priuatione succedente formæ aliter se habet, quamuis priuatio non sit eius positiuum. Contrà Doctor, quia licèt particula *aliter* sumatur, vt commune etiam priuatiuo, & positiuo: tamen *se habere* sumitur, vt denotat subiectum commune, quod aliter se habet, sub vtroque termino succeſſiuè: sic etiam sumunt communiter Theologi mutationem.

*Responsio.* *Impugnatio.*

b *Posset etiam argui*, &c. *terminus ad quem hic non mutatur*, &c. nempe subſtantialiter: agitur enim de mutatione, vt includitur in transubstantiatione; ac proinde de subſtantiali iuxta opinantes. 7

*Replica.* *Reſponſio.* *Replica.* *Reſponſio.*

nantes. Dices, ſaltem eſt mutatio ratione panis, qui deſinit eſſe ſubſtantialiter. Reſpondet negando conſequentiam; quia nihil eius manet, quod aliter ſe haberet. Dices, corruptum eſt mutatum obiectiuè, non ſubiectiuè, quia non manet. Reſpondet dici denominatiuè mutari, quia quod conuenit parti per ſe, per accidens dicitur de toto *5. Phyſicor. textu comment. 1. & 7. Phyſic. textu comment. 1. & 2.* & pars corrupti manet, quæ per ſe mutatur; & ideò denominatio per accidens tranſit ad totum.

*Limitatio principij.*

Vide quaſdam limitationes huius *in 3. diſt. 11. quæſt. 1.* nempe quando denominatio à parte repugnat abſolutè toti, non denominat totum, niſi cum limitatione: nihil autem panis manet, quod per ſe denominaretur, & primò, ideò neque totum denominari poteſt per accidens, quia per accidens reducitur ad per ſe; ſicut contingens ad neceſſarium.

c *Ad aliam ergo perſuaſionem*, &c. Dicit quòd aliud dicitur generari ſubiectiuè, & obiectiuè aliud, & has acceptiones non eſſe generationis in diuerſas ſpecies diuiſionem, ſed diuerſas habitudines eiuſdē formæ, & denominationes, vt comparatur ad diuerſa, verbi gratiâ, ad ſubiectum, & ad terminum, quà enim recipitur in ſubiecto, dicitur generatio per modum mutationis, quà autem reſpicit terminum, dicitur generatio per modum productionis: non licet autem mutationem, quà mutatio eſt, ſumere aliter, quàm in ordine ad ſubiectum: non dicitur mutari aliquid obiectiuè, ſicut dicitur generari. 8

*Generatio ſubiectiua, & obiectiua.*

*Differentia vtriuſque.*

## SCHOLIVM.

*Tranſubſtantiationem non eſſe mutationem, quia hæc dicit ſubiectum, quod mutatur, & formam ad quam mutatur. Item ſucceſſionem immediatam informationis, ad non informationem, & è contra: lato modo tamen, dici poteſt mutatio, ſeu verſio à ſubiecto in ſubiectum.*

10 Dico [a] ergo propriè loquendo, quòd tranſubſtantiatio non eſt mutatio, nec circa hoc oportet laborare ad inquirendum genus tranſubſtantiationis: quia mutatio, etſi det intelligere ſubiectum, quod mutatur, & formam ſecundùm quam mutatur, & habitudinem ſubiecti ad formam: tamen vltra iſtam habitudinem formaliter importat ſucceſſionem immediatam informationis ad non informationem, & è conuerſo. Sicut ergo in Baptiſmo dicitur aliquid materiale, vt ablutio, & aliquid formale, ſcilicet verba; licèt ambo ſint materialia ſimpliciter reſpectu eius, quod eſt ſimpliciter formale, vt eſt ſignificatio: tamen hoc dicitur eo, quòd verba ſunt aliquo modo formalia, reſpectu ablutionis. Sic in propoſito, tam ſubiectum, quàm terminus eſt materiale in mutatione: ſed illorum duorum formalius eſt terminus, quàm ſubiectum: ideò dicitur formaliùs etiam importari, & veriùs quàm ille reſpectus ſucceſſionis, licèt verè ille reſpectus ſit formalior: quia eſt aliquid verius in ſe, quia forma abſoluta, vel ad minùs ens poſitiuum: ille autem ordo poſteritatis, vel ſucceſſionis non eſt niſi reſpectus ſecundùm *quid*. Non haberetur ergo genus tranſubſtantiationis, ſi eſſet mutatio, niſi quantùm ad illud formale, quod addit vltra terminum reſpectus, ſcilicet qui eſt ordo immediatus alicuius ad aliud præcedens.

*Terminus formalius pertinet ad mutationē, quàm ſubiectū, vel ſucceſſio.*

Si autem omnino velis extendere mutationem, vt dicatur de tranſubſtantiatione; poteſt dici, quòd ſicut ſecundùm Philoſoph. 5. Phyſicor. triplex eſt mutatio, ſcilicet à non ſubiecto in ſubiectum, à ſubiecto in ſubiectum, & à ſubiecto in non ſubiectum; & accipitur ibi ſubiectum pro ente poſitiuo, & non ſubiectum pro priuatione eius: ſic poteſt verſio extendendo ad mutationem ſupernaturalem diſtingui, vt illa, quæ eſt à ſubiecto in non ſubiectum, dicatur annihilatio: quæ autem à non ſubiecto in ſubiectum, creatio: quæ vero à ſubiecto in ſubiectum, tranſubſtantiatio. Sed per hoc quaſi nihil habetur de genere remoto tranſmutationis, quod ſcilicet eſt genus verſionis, niſi quod vtrumque formaliter eſt inferius ad relationem quandam ordinis, ſiue ſucceſſionis.

*Text. com. 7. Mutatio triplex; & verſio triplex.*

*Vide Varr. vbi ſupr. & D. Thom. hic artic. 2. q. 1.*

Ad argumenta: ad primum patet ex iſto vltimo articulo. Ad ſecundum per idem. Ad tertium dico, quòd verum eſt in mutatione propriè dicta, quia ſuccedit in eodem ſuſceptiuo oppoſitum poſt oppoſitum: eſt enim ibi tranſitio partialis, ſcilicet formæ in oppoſitum eodem ſubiecto manente, & ideò ibi termini illi primi ſunt incompoſſibiles: ſed non eſt iſta ratio in propoſito; hîc enim ſufficit, quòd *eſſe* huius termini, & illius ſint diſparata, licèt ſimul ſe poſſint compati in entitate, quia ad nihil idem informandum comparantur, circa quod ſibi ſuccedant: vel poſſet concedi, quòd eſſent ſimpliciter incompoſſibiles circa idem numero, licèt non ſint incompoſſibiles in eſſendo abſolutè: ſicut ſimul ſunt in entitate album, & nigrum, & quidem ſunt verè contraria ſecundùm ſpecies, in quibus ſunt, nec tamen ſimul ſunt in aliquo eodem ſuſceptiuo.

11 *Argumenta.*

9 *Conclusio communis antiquorum.*

1 Dico ergo propriè loquendo, quòd transubstantiatio non est mutatio, &c. Hæc est conclusio principalis huius quæstionis, ad quam cætera reducuntur, quæ breuiter recapitulata sunt *in comment.* eam tenent antiqui Theologi, & omnes

Altisiodor. Alensis. D. Thom. D. Bonau. Richardus. nostræ scholæ. Altisiodorensis *lib. 4. tract. 5. c. 2.* Alensis *in 4. q. 10. m. 5. art. 3.* D. Thomas *3. p. q. 75. art. 4. & in hac dist. quæst. 1. art. 3. quæstiuncula 1. ad 3.* D. Bonauentura *ibidem part. 1. art. 1. quæst. 2.* Richardus *art. 1.* & alij. Sed antequam ad probationem cõmunis sententiæ procedamus, subiungendi, & impugnandi sunt modi dicẽdi aliorum.

10 *Varietas opinionum.* Vasquez.

Circa autem hoc quæsitum variæ sunt sententiæ, & repugnant conclusioni, quæ vix ad summam reduci possunt; & vt benè Vasquez, magis confundunt mysterium, quam explicant; imò aliquæ tradunt occasionem aduersariis fidei, vt plures fingant impossibilitates eius.

*Prima sententia Durandi.*

Prima sententia est Durandi, quæ iam impugnata est, nempe ad transubstantiationem requiri, vt subiectum commune maneat sub vtroque termino: & sic in hac conuersione nihil aliud fieri docet, nisi materiam panis fieri sub corpore Christi. Constat ergo productionem esse respectu termini *ad quem*, & substantialem.

*Secunda sententia in varios modos transit.*

Alij docentes actionem esse productiuam, terminum eius statuũt modum quendam, quo Christus est in hoc Sacramento: terminatur ergo ad ipsum, vt habet talem modum; non autem ad aliquod eius antiquum *esse*. Si intelligas de modo

*Terminari ad præsentiam.* Sotus. præsentiæ localis, aliqui citant nostrum Doctorem pro eadem sentẽtia: eam sequitur Soto *dist. 9. q. 2. art. 2.* Alij magis declarant hunc modum substantialem esse, vt defendant actionem hanc esse substantialem; ne cogerentur probare transubstantiationem esse actionem accidentalem. Modum autem illum sic declarant, vt ex vi eius necessariò ex natura rei desinat substantia panis, &

*Modus explicãdi aliorum.*

*Esse modum subſtãtialem repugnantem pani, & vino.* vini; ac proinde asserunt inesse corpori, & sanguini Christi: ne cogantur asserere præter inconueniens allatum, annihilari substantiam panis & vini, & tollerent rationem veræ conuersionis eorum in corpus, & sanguinem Christi; hunc modum dicunt substantialem, quia si esset accidentalis, non repugnaret ex natura rei cum substantia panis & vini; & docent esse vnionem substantialem corporis & sanguinis cum speciebus, mediante quâ, ea sustentat, sine vlla inhæsione harum ad ipsa, & sine imperfectione. Alij,

*Alij dicunt esse conseruationem substantialem.* Gabriel. Suarez. statuunt esse conseruationem ipsius Christi nouam virtute verborum continuatam: ita Gabriel *in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. dub. 2. & lect. 40. in canon.* hæc placet Suarez *disp. 58. sect. 4.*

11 *Prima conclusio. Non manet materia.*

*Prima conclusio.* Ad hanc conuersionem non requiritur, vt materia eadem maneat sub vtroque termino. Hæc est contra Durandum: probatur, quia hæc conuersio est alterius rationis à reliquis omnibus, quia totius in totum, vt definiunt Concilia: ergo nihil commune manet vtrique, quod sit substantiale, & intrinsecum vtrique: sed hoc infrà latiùs.

12 *Secunda conclusio.* *Terminus nõ est modus substantialis.*

*Secunda conclusio.* Terminus transubstantiationis non est modus aliquis substantialis, vt alij *suprà* explicant talem. Probatur primò, quia sic transubstantiatio esset ad illum modum, non verò ad corpus Christi. Sed Concilia, & Patres dicunt transubstantiationem terminari ad corpus Christi, in quod fit mutatio panis: ergo terminus *ad quem* non erit ille modus. Antecedens patet, quia secundùm ipsos transubstantiatio est motus productiuus termini, ex natura rei repugnantis cum substantia panis, sub speciebus: sed id totum conuenit isti modo, & non corpori Christi secundùm se, quia neque producitur corpus, neque repugnat per se substantiæ panis sub speciebus: ergo non erit terminus contra Concilia, & Patres *suprà* citatos, & potissimum Lateranense, & Tridentinum, quod postquam declarauit hîc conuersionem fieri totius panis in substantiam corporis, & totius vini in substantiam sanguinis, ait: *Quæ conuersio*, inquit, *conuenienter, & propriè à Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata*: ergo etiam rem habet transubstantiationis, vt conuersio est ad corpus Christi præcisè; non verò ad aliquid superadditum.

*Conuersio fit in corpus, & sanguinem.*

Lateranens. Trident.

13 *Obscurari mysterium sine necessitate, aut fundamento.*

Secundò, iste modus est fictitius & imaginarius, de quo aliter, & aliter isti authores censent: nam aliqui dicunt esse substantialem in entitate; aliqui esse accidentalem: sed ratione termini *à quo*, cum quo repugnat, nempe substantiæ panis & vini, dici substantialem.

Hæc omnia imaginaria sunt, & sine necessitate adinuenta, quin etiam obscurant mysterium: minùs enim capit ratio modum illum in alieno subiecto repugnare corpori Christi, quàm ipsum corpus poni sub speciebus modo sacramentali, & non circumscriptiuo, quia hoc inuoluit solùm difficultatem illam essendi cum alio corpore circumscriptiuè, quæ tollitur; vel aliam, nempe posse poni sub speciebus modo indiuisibili.

Sed moderni ampliùs addunt, nempe ad hoc dari modũ præfatum: ergo obscurant: quia nequit ostendi ex quo capite repugnaret modus ex natura rei substantiæ panis, & vini: imò falsum est, quia non opponuntur circa idem subiectum.

14 *Responsio.* *Impugnatur.*

Dices, hoc ipso, quo separantur accidentia à pane, & vniuntur corpori Christi, desinere substantiam panis ex natura rei, quia dependet in *esse*, & *conseruari* ab illis speciebus. Contra, accidentia dependent à substantia, vt subiecto, in *esse*, cui inhærent, quia accidentis *esse* est *ineſſe* ex Philosopho: ergo non dependet subiectum ab accidentibus. Deinde accidentia supponunt subiectum; terminus autem dependentiæ alicuius ad ipsum supponitur saltem naturâ. Deinde, subiectum non habet existentiam substantialem ab accidentibus, sed à suis causis prioribus: vnde cùm hæc existentia sit completa, & subsistens, non mutatur separatione accidentium.

*Fallit suppositio.* *Non depẽdere subiectum ab accidentibus in suo esse.*

Dices accidentia conseruare, vt remouens prohibens subiectum. Contrà, licèt in hoc genere accidentia faciant ad conseruationem subiecti, in quantùm agunt, vel resistunt contrario corrumpenti; tamen in proposito sequitur contrarium, quia separatis accidentibus à subiecto, non est capax actionis, aut passionis ab agente naturali, quia hoc nequit agere, nisi in quantum: ergo nequit agere in substantiam non quantam: qualis in eo casu esset substantia panis.

*Responsio.* *Impugnatur.*

Demus ergo modum illum vnionis esse substantialem, aut accidentalem, nullum inuenitur fundamentum illius repugnantiæ, quia neque subſtantiæ panis absolutè repugnat; aliàs quili-

*Nõ repugnare subſtantiæ panis, & vini.*

bet panis etiam non consecratus eo posito desineret: neque etiam ratione separationis specierum ab hoc pane, qui conuerti dicitur: ergo inutilis est.

15 *Impugnatio eiusdem modi.* *Repugnare modum Christo.*

Secundò probatur inuoluere falsum, & repugnantia; in primis, quod dicitur substantialis videtur imaginarium, quia corpus Christi gloriosum, & completum nō est in potentia ad aliquod complementum, aut actum substantialem, si dicatur substantialis ratione termini *à quo*, propter repugnantiam. Probo, quidquid dicatur, non esse talem repugnantiam, quia accidentia separata ante separationem nihil recipiunt intrinsecè, quod inhærentiæ eorum ad substantiam panis repugnet: ergo, &c.

*Nō repugnare speciebus, & inhærētiæ.*

Antecedens probatur, quia ille modus, vel est in ipsis speciebus, vel in corpore Christi; non in ipsis speciebus, vt supponit opinio, quia dicitur inesse Christo, qui est terminus *ad quem*: ergo habebit modum essendi, quem habet Christus definitiuum: sed nullum accidens tale repugnat accidenti, quod ex natura sua est in subiecto quanto, quia sunt diuersi generis; & vnum est spirituale, & supernaturale, vel quasi supernaturale; aliud verò materiale, éstque in diuerso subiecto hîc, nempe aliud in corpore, aliud in speciebus.

16 *Probatio eiusdem.*

Deinde demus aliud accidens, seu vnionem inesse speciebus, non opponitur ipsis: quia hæc tantùm est continentis ad contentum; non formæ ad subiectum: ergo alterius rationis, & consequenter nullius in reipsa repugnantiæ ad inhærentiam: quia de potentia absoluta posset sic institui Sacramentum, vt maneret substantia panis, vt *suprà* probatum est: & probatur ampliùs, nihil repugnat inhærentiæ ex modo essendi positiuè, nisi quod supplet dependentiam accidentis ad subiectum, sed illa vnio non supplet talem dependentiam: ergo, &c.

*Modus non supplet dependentiam accidentium.*

*Tollitur oppositio contrariæ, & priuatiua, & disparata.*

Maior patet exemplis, & ratione; primò, patet in omnibus quæ non sunt priuatiuè, aut contradictoriè opposita, quæ oppositio non est in proposito, vt supponimus: quia neque illa vnio, & inhærentia accidentis sunt formæ maximè distantes sub eodem genere, cùm sint diuersi generis, neque consequenter contrariæ. Vtraque est positiua, ac proinde remouentur aliæ species oppositionis: in reliquis autem quæ sibi opponuntur ex limitatione potentiæ, & subiecti, vt sunt formæ substantiales circa eandem materiam, quælibet est actus adæquatus per se materiæ, & supplet alteram, quia constituit materiam in actu completo.

*Repugnantia ex causis extrinsecis tollitur.*

In causis extrinsecis, quando vna tollit influxum alterius, seu vt productiuum, seu conseruatiuum sui effectus, qui potest esse ab alterutra; supplet etiam concursum alterius; vt patet in causis vniuersalibus, maximè prima: ergo nequit tolli dependentia accidentis ad subiectum hoc modo, nisi suppleatur influxus subiecti in ipsum.

17 *Destruitur eadem oppositio.* *Æquiualet subiecto, quod supplet inhærentiam.*

Deinde idem patet ratione, quia dependentia accidentis est per se: ergo quidquid repugnat ipsi, debet esse æquiualens quoad hoc, subiecto, alias non aduenire tanquam aliquid repugnans accidenti in subiecto; neque conseruaret accidens seorsim à subiecto: modus ergo huius impossibilitatis esset præcisè ex eo, quòd repugnaret accidens dependere à duabus causis totalibus simul, vnde altera tollit influxum alterius, & adæquat tanquam æquiualens: sed id etiam non contingit in proposito.

*Vnum subiectum aliud supplet, vel solus Deus.*

Patet subsumptum, quæ est principalis minor, quia nihil supplet cōcursum ad accidens, nisi subiectum, vel causa includens totum genus subiecti in alio genere, vt causa prima: vnde tota natura non posset separare accidens in *esse* permanenti à subiecto, aliàs non esset miraculum. Ratio est prædicta, quia nulla causa in natura includit genus subiecti præter solam primam, quantùm ad posse supplere eius causalitatem.

*Corpus contentum nō est subiectū specierum.*

Sed corpus Christi, vt contentum sub speciebus, non habet rationem subiecti; & repugnat, vt habeat etiam de potentia absoluta, eo modo, quo nunc est indiuisibiliter; quia accidentia extensa nequeunt, vt sic, conuenire subiecto, nisi proportionato; tale enim non est corpus Christi.

*Non habet actiuitatem respectu specierum.*

Sed neque corpus Christi habet actiuitatem, aut actionem physicam, vt est sub Sacramento, quia sicut nequit propter modum essendi subiectum esse respectu actionis agentis naturalis extensi: sic etiam neque habere actionē propriam, quæ supponit modum quantitatiuum. Neque corpus Christi cōtinet genus subiecti in seipso, sicut causa prima, aut supplere potest eius influxum: ergo vnio ad corpus Christi, vt contenti, non repugnat inhærentiæ accidentium, ac proinde imaginaria est, neque saluat aliquid requisitum in hoc mysterio, & repugnat rationi naturali.

*Non continet genus subiecti.*

18 *Respōsio aliorum.* *Impugnatur.* *Accidētia insunt supposito, quā inhærent.* *Subsistere est substantiæ.*

Dices cum aduersariis, corpus Christi, vt terminum per modum suppositi, terminare dependentiam accidentium. Contrà, in primis accidentia non sunt nata dependere à supposito extrinseco immediatè; nec nata sunt referri ad suppositum, nisi quà inhærent, quia accidentis *esse* est *inesse*, id est, inhærere; non autem subsistere, qui est modus essendi substantiæ: vnde, si separaretur forma substantialis panis, manerent accidentia vniformiter in forma; sicut nunc manent in quantitate, quamuis non esset suppositum (& sic anima in *esse* separato intelligit, quamuis non sit suppositum) ex eo præcisè, quia accidentia non dicunt dependentiam ad suppositum, quà tale, sed quà subiectum; ideóque nequit aliquod accidens vniri immediatè hypostaticè personæ diuinæ, quantò minùs creatæ?

19 *Eadem euasio impugnatur.* *Prior est dependentia ad subiectū, quā ad suppositum.*

Sed dato etiam oppositio, sic argumentor, nequeunt dependere à supposito, nisi priùs dependeant à subiecto, quia dependentia ad subiectū est immediata: & demus dependere à supposito, hęc dependentia est posterior inhærētia, qua referuntur ad subiectum. Item corpus Christi nequit esse terminus essendi accidentium, nisi vt suppositum, vel vt subiectum; neutrum ipsi conuenit, quà est contentum hîc per modum significati expressi, quamuis enim simul insit suppositum diuinum, tamen accidentia non respiciunt illud, tanquam signatum formale suum: ergo, &c.

*Accidentia non signant suppositum.*

Deinde nō euacuatur difficultas, quia accidentia corporea, & extensa nequeunt dependere à supposito, nisi extensō; sicut exigunt etiam subiectum extensum, nihil horum est in proposito: ergo nulla oppositio ex natura rei inter inhærentiam, & vnionem illam prætensam.

*Requirunt suppositū extensum, si vllum.*

20 *Confirmatio præcedētium.*

Et confirmatur totum: quia non maior est repugnantia ex natura rei inter illam vnionem, & inhærentiam ad subiectum remotum, quàm inhærentiam ad subiectum proximum, quod est quantitas: sed reliquorum accidentium inhærentia manet ad quantitatem; quâ non obstante

vniuntur

vniuntur corpori Christi : ergo inhærentia illa ad subiectum remotum, nempe substantiæ non tollitur per repugnantiam naturalem eius ad vnionem præfatam. Hæc ratio specialiter vrget eos, qui dicunt inhærentiam ad quantitatem & substantiam, seu subiectum remotum esse eandem : de quo *infrà* dicetur *distinctione sequenti*.

*Videantur alij.* Aliis etiam rationibus impugnant moderni sententiam illam oppositam:quæ ad fundamenta incerta reducuntur : hæc nobis sufficiunt petita ex natura rei;& sufficit vnicum illud,nempe,my-

*Ratio maximè vrgens.* sterium reddi obscurum, & difficile in ratione naturali sine fundamento;& dari hæreticis occasionem cauillandi : neque fundamentum vllum esse ex reuelatis, aut ratione naturali ; vnde debeat sic explicari transubstantiatio, quia modus ille videtur impossibilis.

21 *Tertia conclusio* : Transubstantiatio non fit per nouam conseruationem corporis Christi,& sub-

Gabriel. Suarez. stantialem. Hæc est contra Gabrielem, & Suarez. Probatur omnibus principiis,ex quibus apparet contradictio, quòd idem effectus possit esse à duabus causis totalibus sic ; Conseruatio in re ipsa est continuata actio : sicut ergo nequit

*Nõ dari duas actiones totales eiusdẽ effectus.* dari duplex actio totalis respectu eiusdem effectus in *esse* ; sic neque duplex conseruatio : sed corpus siue in se, siue in Sacramento non mutatur substantialiter : ergo neque eius conseruatio. Patet minor, quia in Sacramento non recipit aliquod *esse* substantiale, aut existentiam, neque in toto, neque in parte, neque in modo ; aliàs non esset idem corpus in cœlo, & in Sacramento quoad substantialia : quod est falsum, & contra veritatem mysterij, iuxta illud hymni : *se dat suis manibus.*

22 Secundò, desinente corpore Christi simpli-

*Secunda probatio.* citer, vt in se est, desineret etiam in Sacramento : ergo *esse* absolutum eius idem est ; ac proinde eadem conseruatio, eadem existentia. Hæc ratio sæpiùs deducta est ex Philosophis : vnde vbi nullum est *esse* nouum substantiale, non inuenitur fundamentum, aut necessitas nouæ

*Responsio. Impugnatio.* actionis substantialis,aut conseruationis. Dices, dari corpus Christi sub speciebus. Contrà : *esse*, & *non esse* prædicantur de substantia, & quolibet absoluto in ordine ad se, non in ordine ad aliud ; quia *esse* abstrahit à loco, qui est posterius, & à præsentia ad aliud : ergo etiam conseruatio. Deinde esse præsens speciebus non est prædicatum substantiale, sed accidentale : ergo non infert conseruationem nouam substan-

*Nõ exigi conseruationem nouam substantialem.* tialem ; aliàs mutato loco, & præsentia, mutaretur *esse*, & conseruatio, quod est inauditum. Deinde effectus ille præsentiæ non exigit actionem superioris generis,quia est merè accidens : ergo non substantialem nouam ; consequentia patet, quia actio specificatur à termino formali.

23 Tertiò, corpus Christi penetratiuè positum

*Tertia ratio. Idem probat.* cum alio in eodem loco ; vt quando exiuit de vtero Virginis clauso, de sepulcro, ingressus est ad discipulos clauso ostio, penetrauit cœlum, non exigebat conseruationem nouam substantialem ; sicut neque corpora Beatorum in-

*Probatio antecedentis.* quantùm habent dotem penetrabilitatis : ergo neque positum sub speciebus in Sacramento. Antecedens nemo negat : consequentia probatur, quia quantùm est ex ratione loci, & locati, maior est repugnantia, vnum corpus penetratiuè poni cum alio in eodem loco quantitatiuè,quàm poni indiuisibiliter corpus sub speciebus quantis : ergo illud magis argueret actionem substantialem, quàm hoc.

Dices,corpus penetratiuè positum ponitur secundùm modum naturalem essendi ; ac proinde non requiri nouam conseruationem : non ita in propositio. Contrà, quantùm ad priorem casum quoad præsentiam modus essendi est magis, vel æquè supernaturalis ob repugnantiam quantitatis, & extensionis hinc & inde. Quantùm ad secundum nõ est alius essendi modus supernaturalis,nisi quòd tollatur extensio,quæ non est variatio secundùm *esse*,sed respectiuè ad locum,seu secundùm principium essendi in loco, modo naturali quantitatiuè ; éstque tantùm variatio secundùm accidens:ergo non infert mutationem substantialem, neque actionem, magis quàm prior modus.

*Separatio extensionis non est mutatio quantitatiua.*

24 Quartò,forma verborum non habet causalita-

*Ex vi verborum non inferri talẽ nouam conseruationem.* tem physicam respectu corporis Christi, neque etiam species, sed tantùm moralem, vt suppono nunc *ex tractatu de Sacramentis in genere in 1. dist.* ergo hæc conseruatio non est vi verborum;vt dicit illa sententia : ergo neque ex alio principio. Probatur prima consequentia, quia illud *ex vi verborum*, vel denotat causam,à qua est conseruatio physicè ; & hoc non : quia verba non sunt, quando Christus ponitur sub speciebus ; & talis actio verbis repugnat, quia tantùm causant ex instituto, quod non est principium, aut modus causandi physicè;cùm sit denominatio adhærens ex voluntate instituentis, aut denominatio extrinseca, vt alij volunt, aut intrinseca rationis.

Vel esse *ex vi verborum*,denotat hoc requiri ad veritatem formæ,vt cõseruatio illa sit noua. Contrà, ad veritatem formæ non requiritur aliud, quàm rem esse,vt affirmat;hoc est,vt corpus,quod enuntiat esse præsens,sit præsens sacramentaliter: sed hoc potest effici per adductionem, & vnionem ad species accidentalem,quæ dicitur præsentia sine noua actione substantiali : ergo,&c. Patet subsumptum,quia neque adductio,neque præsentia ad quam est,sunt substantiales per modum actionis, aut termini : ergo non arguunt actionem esse substantialem.

*Veritas formæ saluatur sine conseruatione prædicta.*

25 Confirmatur, priùs naturâ est corpus Christi

*Priùs est sub speciebus, quàm conseruatur sub ipsis.* sub speciebus, quàm cõseruatur sub ipsis;sed hoc esse est ex vi & causalitate, seu efficacia verborum,quæ nequit esse physica:neque arguit actionem substãtialem,aut productionem nouam corporis Christi:non creationem:quia supponit *non esse* simpliciter termini : non aliam ex subiecto præexistente,quia hæc repugnat, quia corpus includit primam : ergo productio illa, seu potiùs positio corporis sub speciebus ex vi verborũ,non est substantialis productio eius ; sed conseruatio non excedit priorem actionem productiuam,quia nulla est ratio excessus;imò destrueret mysterium: quia si essent alterius rationis, sequeretur corpus Christi permanenter habere aliud *esse*, & modum sub speciebus diuersum ab eo, quem habet ex vi verborum ; & consequenter contra Florentinum, quòd verba *hoc est*, &c. non essent effectiua præsentiæ sacramentalis : ergo,&c.

Præter hæc adduci possunt superiùs exposita, quòd neque hic modus habeat fundamentum ex authoritate, aut ratione, & reddit mysterium magis difficile, & obscurum : ergo non admittendus est.

*Responsio ad fundamenta aliorum.*

Omnes prædictæ sententiæ fundantur in eo, quòd putent transubstantiationem aliter non posse defendi aut explicari; & quòd illi modi non inuoluant contradictionem. Ad hoc ex argumentis factis responsionem habent; ex sequenti patebit oppositum illius, nempe transubstantiationem saluari verè sine illis inuentis: quorum impugnatio legi potest apud Vasquez *disput.* 181.

Vasquez.

26 *Sententia Doctoris exponitur.*

*Conclusio ergo Doctoris* patet ex impugnatione præmissarum opinionum, quæ contendunt transubstantiationem esse formaliter actionem, & mutationem. De sententia autem propria non est locus ambigendi, aut eam declarandi aliter, quàm sonant verba: dicit enim *transubstantiationem esse conuersionem totius subsantiæ in subsantiam*; & nihil aliud includere, quàm duos terminos cum ordine successionis: ita declarat *articulo* 1. rationem nominis, ita *art.* 2. probat rei substratæ possibilitatem: & *art.* 3. ex prædictis negat esse mutationem. In conclusione autem posita idem ipsum declarat, nihil admittens in *transubstantiatione*, nisi subiectum conuersum, & terminum, in quem conuertitur, & ordinem successionis vnius ad aliud in *esse* hîc.

*Transubstantiationem esse conuersionem totalem subsantiæ in aliam, cum ordine in essendo.*

Et infrà *quæst.* 4. idem docet ostendens panem non annihilari, sed conuerti in corpus Christi vt hîc, desinente pane vt hîc; & non acquirente *esse* alibi. Dicit autem conuerti panem in corpus Christi vt hîc, quo denotat hanc conuersionem, quæ est de facto, habere actionem adductiuam concomitantem, in quo distinguitur ab aliis conuersionibus substantialibus, quæ fiunt per productionem termini: quamuis autem requiratur illa præsentia per adductionem, non est terminus formalis conuersionis, sed ipsum corpus, quia iuxta superiùs determinata posset dari præsentia illa corporis ad accidentia, & substantiam panis, manente ipsâ substantiâ panis: quo casu nulla fieret conuersio.

*Adductio est actio cõcomitans, non terminus formalis.*

27 *Cõsonat Patribus, & mysterio.*

Sicut autẽ conclusio hæc sic explicata est antiquorum Theologorum, ita & veritatem mysterij, & proprietatem loquendi, quam seruant Patres, & Concilia, explicando naturam huius conuersionis, retinet; neque aliquid, quod rationi naturali repugnat, inducit, nec obscurat fidem, neque locum dat cauillationibus hæreticorũ. Siue enim per verbum *transubstantiationis*, quo vtuntur Lateranense, & Tridentinum, mysterium declaratur, rectè declaratur per conuersionem panis in corpus Christi cum ordine successionis termini *ad quem* ad terminum *à quo*; & nihil aliud exigitur.

Trident.

*Probatio ex verbis Concilij.*

Probatur ergo conclusio ex verbis Tridentini: *Hæc Synodus declarat per consecrationem panis, & vini, conuersionem fieri totius subsantiæ panis in subsantiam corporis Christi*, &c. *quæ conuersio conuenienter, & propriè à Sancta Catholica Ecclesia transubstantiatio est appellata*, &c. Quibus verbis comparatur subsantia panis ad subsantiam corporis Christi, tanquam duo extrema, inter quæ secundùm subsantiam interuenit conuersio, vt vna sit consequenter inter illos terminos, tanquam *à quo*, & *ad quem* secundùm subsantiam: ergo omnis actio seu mutatio, quæ est ad panem, non quà conuertitur secundùm subsantiam in corpus Christi, non spectat ad intrinsecam rationem cõuersionis; & similiter omnis actio, & mutatio, quæ est ad corpus Christi, non præcisè quà est terminus *ad quem* conuersionis, non est de ratione, aut de conceptu conuersionis, quæ est præcisè inter vtrumque terminum respectiuè ad inuicem, & secundùm subsantiam. Præter autem terminos, nihil dicit conuersio, nisi ordinem inter ipsos terminos, quo vnus transit in alium: hic autem ordo rectè explicatur per ordinem successionis actiuæ vnius ad alterum: ergo nihil aliud significat transubstantiatio, nullúmque præterea respectum, aut modum, aut mutationem includit intrinsecè.

*Mutatio extranea conuersioni non spectat ad cõceptum eius.*

Neque aliter declarant Patres hoc mysterium, siue vtantur verbo *transmutandi*, vt Cyrillus Hierosolymitanus *Cateches.* 4. Gregorius Nyssenus *in orat. Cateches. cap.* 37. & alij: siue verbo *conuertendi*; vt Cyrillus Alexandrinus *epistola ad Colossyrium*, & alij: siue verbo *vertendi*, vt Damasc. *lib.* 4. *cap.* 14. siue *faciendi*, vt Tertullianus *lib.* 4. *contra Marcionem*, *cap.* 40. Author serm. de Cœna Domini apud Cyprianum: & Liturgiæ antiquæ cum canone Latinæ Ecclesiæ: siue *consecrandi*, vt Ambrosius *lib.* 4. *de Sacram. cap.* 4. quibus verbis consuescunt Patres in hoc mysterio, vt denotant conuersionem.

28 *Eadem conclusio patet ex Patribus.*

Cyrillus. Nyssenus. Cyrill. Alex. Damasc. Tertullian. Liturgia.

Siue autem hoc, vel illo vtantur, nihil aliud insinuant, quàm panem transmutari, conuerti, &c. in corpus Christi: & ipsam factionem, versionem, conuersionem, transmutationem, consecrationem, &c. expressè denotant esse inter hos terminos panem, & corpus, quoad subsantiam vtriusque: & consequenter nullum aliud modum, aut mutationem, quæ non est inter hos terminos formaliter secundùm *esse* subsantiale vtriusque respectiuè ad successionem iam declaratam, exprimere verè, propriè, & in rigore naturam conuersionis, vt traditur à Patribus.

29 *Responsio ad Patres allegatos à Suarez.*

Hinc respondetur in primis ad authoritates Patrum, quos pro se adducit Suarez, qui propositam conclusionem declarant: nam quòd mutatio panis, & conuersio fiat in corpus Christi, non denotat productionem, aut mutationem vllam subsantialem in termino *ad quem*: aut in ea versari ipsam conuersionem, sed omnino oppositum colligitur: si enim dicerent mutari corpus secundùm subsantiam aliquid faueret: sed econtrà, cùm dicant mutari panem, & vinum subsantialiter in ipsum corpus, & sanguinem Christi: & hoc affirmant de pane, & vino, non autem de corpore; sequitur ex mente ipsorum non mutari corpus subsantialiter. Vide Vasquez, qui minutè ad singula respondet *cap.* 13. Fabrum, & Aretinum hîc.

*Rigor locutionis Patrũ.*

30 *Secunda obiectio soluitur.*

Obiicit secundò, quòd per solam actionem adductiuam non rectè explicatur, quia per illam non fit *transubstantiatio*, sed translocatio. Respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam, quæ infertur, nempe fieri per actionem subsantialem.

31 *Tertia obiectio.*

*Modũ diuersum essendi exigere nouã actionem.*

Tertiò obiicit: actio conseruans corpus Christi, vt in cælo, non est sufficiens ad conseruandum illum in Sacramento: ergo requiritur noua subsantialis: patet antecedens, quia existit modo supernaturali: vnaquæque autem res, vt conseruetur sine modo naturali, maiorem influxum requirit, vt est accidentis conseruatio extra subiectum. Deinde vt Deus conseruet materiam sine forma, aut subsantiam materialem sine quantitate, & aliis accidentibus, necesse est, vt mutet actionem conseruatiuam.

*Responsio.*

Respondetur corpus Christi cõsiderarî dupliciter:

*Duplex esse corporis Christi.*

citer: primò, secundùm *esse* substantiale: secundò, secundùm *esse* in loco, & modum essendi, quæ sunt accidentalia. Primo modo est eadem actio quoad substantiam, seu *esse* substantiale, quòd non variatur in Sacramento, aut extra Sacramentum,

*Noua actio ad præsentiã datur, non ad substantiam.*

quoad *esse* locale non est eadem actio, sed requiritur adductio, vel quæcunque illa actio sit, aut appellatur, per quam habetur præsentia Christi sub speciebus, quam nos vocamus adductionem, quia per eam tantùm recipitur *esse* in loco definitiuè modo sacramentali.

*Eadem actio substantialis ad animam in corpore, & extra.*

Exemplum huius est, quia aliâ actione anima recipit *esse* substantiale, aliâ recipit *esse* in corpore, nempe mediante vnione: illa nunquam variatur, siue anima sit in corpore, siue extra corpus: hæc autem sic. Ratio est, quia variato accidente non variatur substantia: neque consequenter actio ad ipsam.

32 *Ad argumẽti in forma.*

Ex quo patet ad argumentum, negando antecedens, loquendo de actione substantiali, imò oppositum absurdum est: sicut absurdum esset dicere, quòd mutato locò naturali mutaretur substantia, aut actio conseruatiua eius. Si intelligatur de actione non simpliciter conseruatiua, sed tantùm in tali loco determinato, verum est: sicut locus est alius, & alius, ita requirere aliam, & aliam actionem, tam productiuam, quàm conseruatiuam. Negatur autem consequentia, quia est fallacia à *secundum quid* ad *simpliciter* in hac forma; quia non est eadem actio, quâ conseruatur in hoc loco, & in illo: ergo alia & alia substantialis. Negatur consequentia, quia ex mutatione, & multiplicatione posterioris, non licet mutare, aut multiplicare prius, neque ex varietate actionis secundùm *esse* accidentale, & secundùm *quid*, licet inferre actionem simpliciter, aut substantialem ad *esse* rei.

33 *Responsio ad probationem. Existentia in Sacramento qualiter supernaturalis?*

Ad probationem antecedentis respondetur, existere modo præternaturali quoad *esse* secundùm *quid*, & accidentale; non autem quoad *esse* simpliciter, & substantiale: vnde sicut quoad hoc *esse* non variatur, sic etiam neque influxus in idem *esse* mutatur; licèt mutetur secundùm accidens vtrumque, nempe *esse* in loco, & influxus secundùm *esse* in loco. Ad exempla, & rationem transeat pro nunc, de qua *infrà*: & negatur paritas, quia nempe subiectum se habet vt priùs, & tanquam per se causa accidentis: ergo si eo subtracto varietur actio, quâ suppleatur eius influxus in accidens dependens, non sequitur in proposito idem, quia *esse* substantiale est prius ad *esse* in loco, & causa, & subiectum eius: neque dependet à loco, ac proinde non variatur in se substantialiter, quamuis locus, aut modus essendi in ipso varietur. Alia exempla sunt etiam falsa, quia neque materia recipit suum *esse* substantiale à forma, sed à causa prima per creationem. Neque substantia similiter dependet à quantitate, nisi secundùm *quid*, nempe in ordine ad actionem, & passionem tanquam dispositione requisitâ, & in ordine ad locum. Alia etiam accidentia naturalia non influunt in *esse* subiecti, nisi vt sunt principia agendi, & resistendi in ordine ad extrinsecum corruptiuum.

*Disparitas inter substantiam, & accidens.*

---

## Quæstio II.

### *Vtrùm sit possibile quodlibet ens conuerti in quodcumque?*

D. Thom. *3.p.q.75.a.4.* Richard. *d.10.a.3.q.1.* Palud. *hic q.3.* Maior *q.1.a.3.* Gabr. *q.2.* Durand. *q.2. & communis, excepto* Dur. *affirmant.* Suar. *3.p.tom.3.d.50.s.10. eum* Dur. *sentit.*

AD secundum sic proceditur, & arguitur, quòd quodlibet possit conuerti in quodlibet. Primò, quòd creatura in Deitatem, quia non repugnat personæ diuinæ terminare aliquam actionem realem, vt patet in incarnatione, cuius terminus erat Verbum: ergo à simili in proposito. 1 *Arg.1.*

Secundò sic, non repugnat naturæ diuinæ terminare illam actionem, quæ non requirit in termino mutabilitatem, possibilitatem, nec finitatem, sed transsubstantiatio est huiusmodi, quia non requirit terminum suum mutari, nec per consequens possibilitatem aliquam in termino: nec requirit termino suo aliquid addi, & per consequens, nec finitatem, nec oppositionem, vel componibilitatem: ergo, &c. Maior etiam confirmatur, quia non repugnat naturæ diuinæ terminare intellectionem, & volitionem, pro tanto quòd illæ actiones non requirunt mutationem, nec possibilitatem, nec limitationem in termino, vel obiecto. *Arg.2.*

Præterea, quòd quælibet creatura possit conuerti in quamlibet, probatur; quia nulla creatura potest magis conuerti in vnam, quàm in aliam, propter conuenientiam termini *à quo*, ad terminum *ad quem*: quia in ista conuersione nulla requiritur conuenientia alicuius subiecti communis manentis: ergo quantumcunque aliqua creatura non conueniat cum alia, non minùs est conuertibilis in ipsam. *Arg.3.*

Oppositum, primò, quòd nihil possit conuerti in naturam diuinam, quia tunc natura diuina posset conuerti in aliud: quia termini istius conuersionis possunt mutuò esse termini: tunc etiam natura diuina posset incipere esse alicubi, vbi priùs non fuit, vel eo modo, quo non fuit; quod videtur inconueniens. 2 *Ratio opp.*

Item, quòd non quælibet creatura in quamlibet, quia tunc posset conuerti quantitas *Ratio 2.*

panis in quantitatem corporis Christi, & per consequens corpus Christi quantum esset vbi priùs panis fuit. Consequens impossibile est, quia tunc corpus maius esset in loco minori.

*Ratio 3.* Item Augustinus 7. super Genes. ad literam cap. 12. & Boëtius lib. de duabus naturis, & vna persona Christi, cap. 7. *Nullo modo potest corpus conuerti in Spiritum, nec è conuerso.*

*Ratio 4.* Item, tunc absolutum posset conuerti in respectiuum, & per consequens respectus posset per se esse sine fundamento, & sine termino, sicut & absolutum conuersum in ipsum; consequens est impossibile manifestè, quia contradictio est respectum esse sine fundamento, & termino.

## COMMENTARIVS.

1 2 AD *secundum sic proceditur*, &c. Hæc quæstio ad faciliorem declarationem mysterij tractatur à Theologis: resolutio eius dependet ex quæstione præcedente; nam prout quisque sibi efformat naturam conuersionis, eadem consequentia opinandi respondet ad quæstionem. Durandus consequenter ad dicta negat aliquid conuerti in aliud, nisi sit ens materiale; ita vt materia sit communis vtrique termino. Hanc sententiam Durandi *infrà* examinabimus *quæst. sequenti.* Paludanus *hic quæst. 3.* requirit necessariò remanere aliquid commune vtrique termino, saltem locum, & probabilius sentit non posse dari nisi in materialibus.

*Prima sent.* Durandus.

*Secunda sent.* Paludan.

*Tertia sent.* Alij, qui statuunt conuersionem vnius in aliud esse nouam productionem, aut conseruationem termini *ad quem*, vel modum aliquem repugnantem termino *à quo* in *esse*, eodem modo philosophantur de possibilitate terminorum eius, aut ipsa conuersione inter terminos requiri illam capacitatem termini *ad quem* in *esse*, & repugnantiam vtriusque termini ex natura rei in *esse* respectu communis manentis sub vtroque: illud commune debent esse accidentia, vel locus.

*Tertia sent.* Vasquez *Requiri esse sensibile, & repugnantiæ inter terminos.* Vasquez *disp.* 184. *cap.* 2. duo asserit, nempe terminum *à quo*, qui conuertitur necessariò, esse sensibilem, vel habere accidentia sensibilia, quæ demonstrari possunt per pronomen *hic*, vel *hoc* demonstratiuum. Inter substantias autem totales, de quarum conuersione hîc agitur, debet aliqua repugnantia esse, ita vt desitio vnius sit ex positione alterius inquantùm repugnat: cùm autem in *esse* ipsorum non possit esse talis repugnantia, dicit requiri saltem in modo agendi causæ, nempe Dei, nullus autem modus inferendi hanc repugnantiam potest esse in operatione Dei, nisi vt agit præcisè mediantibus verbis per formam demonstratiuam *hoc*, vel *hic*, &c. neque aliud instrumentum infert talem oppositionem: ita ergo concludit, ita factam esse conuersionem panis in corpus per formam verborum, vt alio modo de potentia absoluta fieri non possit.

*Hæc repugnãtia est ex modo agendi causæ.*

*Per formam verborum est solùm possibile.*

2 Sed hic modus non videtur subsistere, imò plurimùm repugnat principiis, quidquid enim sit, an verba causent physicè conuersionem (quod Vasquez negat, vt *suprà* vidimus *dist.* 1. *huius q.* 5. & 6. vniuersim formas, aut materias Sacramentorum physicè non causare suum significatum) nullo fundamento asseritur ad effectum suum proprium, & supernaturalem, ad quem neque instrumentaliter physicè potest creatura immediatè agere, vel disponere physicè, vt *suprà quæst.* 1. *dist.* 1. fusiùs probauimus omnipotentiam Dei limitari ad certum instrumentum, & maximè in proposito id verum est, quia hæc conuersio æquiparatur creationi, nisi exuperet ipsam creationem: quia creatio quandoque ad potentiam ordinariam Dei, vt est etiam causa prima in ordine naturalium agentium, spectat: conuersio autem totalis substantiæ in aliam, non ita.

*Impugnatur hic modus.*

*Deum nõ necessitari ad formam verborum, aut instrumenti.*

*Conuersio, & creatio æquiualent.*

Vnde primò patet falsitas huius sententiæ, quia neque verba influunt in conuersionem physicè, etiam per ipsum, neque influere possunt: ergo conuersio vt in re posita in *fieri*, aut *facto esse*, non recipit modum à verbis, neque quoad limitationem: neque sunt conditio agendi, neque principium etiam instrumentale physicè agendi.

*Verba non influunt physicè, neque actionẽ, neque modum eius.*

Conuersio autem vt fit physicè, debet à causa, à qua fluit, & est, participare illum modum agendi, seu actionis, ex quo sequitur repugnantia inter terminos quoad *esse*, cùm nihil aliud sit, à quo illum participet, quia neque subiectum, neque termini, iuxta sententiam authoris, cùm potiùs ipsi non dicant repugnantiam, nisi vt substant conuersioni sic modificatæ, vt inferat repugnantiam terminorum in *esse*, quàm ex se, alioquin non habent termini, vt idem fatetur.

*Modus fundans repugnantiã derivatur à causa physica.*

3 Secundò, dato etiam quòd verba influerent physicè in conuersionem, ille influxus est supernaturalis, ad quem assumuntur, vt sunt in potentia verè obedientiali, sed eandem proportionem habent aliæ res: ergo assumi possunt, vt instrumentum eiusdem conuersionis: vnde forma Sacramenti Eucharistiæ, sicut significat effectum, ita & aliæ formæ Sacramentorum significant suos effectus, tamen effectus ipsorum poni posset sine ipsis: quia Deus posset instituere Sacramentum, & significationem Baptismi, verbi gratiâ, in sola lotione: ergo & instituere Sacramentum Eucharistiæ sine vllis verbis, & facere conuersionem, vt modò fit absque eisdem verbis.

*Secũda ratio.*

*Cõuersionem fieri posse per aliud.*

4 Tertiò, Sacramentum Eucharistiæ est permanens, & reipsa corpus permanenter demonstratur per species: ergo etiam conuersio in *fieri* demonstrari poterit per species, sicut in *facto esse*, vel per aliud simile: ergo ad naturam demonstrationis non requiruntur verba, quasi aliter conuersio in *facto esse* nequeat demonstrari: conuersionem autem in *fieri* non demonstrat ly *hoc*, & *hic*, quia demonstrant corpus, vt præsens, & sanguinem, vt patet ex Tridentino, & aliis, & de rigore significationis: vnde vt *suprà dist.* 8. *quæst.* 2. dictum est, priùs forma est practica & vera, vt instrumentum, seu signum practicum, quàm vt speculatiuè vera est: demonstrare autem competit ipsi ex significatione speculatiua. Vnde Trident. sess. 13. cap. 4. *Quoniam autem Christus Redemptor corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideò*

*Tertia ratio. Demonstratio aliter quàm per pronomen fieri posset.*

*Pronomen nõ demonstrat conuersionem in fieri.*

Trident.

*ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia fuit, idque nunc denuò Sancta hac Synodus declarat, per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri*, &c.

5 *Demonſtrat Chriſtũ præſentem tanquàm, & conuerſionem in facto eſſe.*

Vnde per hoc, quòd forma ſit vera, & demonſtret corpus Chriſti præſens, colligitur, tanquàm ab effectu ad cauſam, per conſecrationem fieri corpus præſens, & conuerſionem fieri: ergo ſicut ſupponitur corpus præſens, & conuerſio facta ad veritatem formæ, & demonſtrationis, ſequitur quòd forma priùs ſit conſecratiua, & conuerſiua, quàm vera, aut verè demonſtrans: & ſicut optimè Doctor loco citato, forma non vt vera, neque vt falſa, ſed vt neutra eſt inſtrumentum murale conſecrationis: ergo etiam conſecratio, & conuerſio hæc fieri poſſet ſimpliciter, & de potentia abſoluta ſine forma verborum, & demonſtratione, quæ per eam importatur: quia hæc fundatur in ſignificatione practica formæ; ideóque Florentinum agens de cauſa effectiua Sacramenti exprimit ſignificationem practicam formæ, & non ſpeculatiuam: vtrumque verò Tridentinum, ſed ita vt practica ſignificatio ſit prior, & cauſa veritatis ſpeculatiuæ, qua forma demonſtrat verè iam corpus præſens. Sed de hoc *infrà quæſt. ſequenti.* Idem author videtur in hoc conſentire Doctori, quà dicit formam vt neutram eſſe inſtrumentũ conſecrationis, non quà veram, aut falſam: vt patet in loco citato *ſupra diſt. 8. quæſt. 2. & in comment.*

Alij modi dicendi *ſupra in priori comment.* ſunt reiecti in ſuo fundamento, quo ſtatuunt naturam conuerſionis. Supereſt tantùm, vt explicemus ſententiam Doctoris.

## SCHOLIVM.

*Reſoluit quæſtionem per duo dicta. Primum, repugnat Deum conuerti in creaturam, quia quoad eſſe, vel* non eſſe, *nulli, nec ſibi ſubeſt. Secundum, quælibet creatura in quamlibet conuerti poteſt per rationem oppoſitam. Concordant, D. Thom. 3. p. q. 75. a. 4. ad 3. Rich. d. 10. a. 3. q. 1. & communis: à qua recedit Suar. 3. tom. d. 50. ſ. 10. intellige hanc concluſ. cum Baſſoli hîc, modò vna res creata non dependeat eſſentialiter ab altera, vt paternitas ab eo, qui eſt pater, & à filiatione, homo ab anima. Vnum conuerti in aliud, ſecundùm mentem Scotiſt. eſt tantùm vnum ſuccedere alteri, in eadem præſentia adæquata, vel inadæquata, vel fortè ſine vlla mutatione in termino ad quem, ſi præexiſtat. Vide Baſſol. & Tartar. hîc. & latè Lychet. & Tartar. quodl. 10. Fabrum, & alios recentiores hîc.*

Hæc quæſtio, vt patet ex argumentis, continet duos articulos; ſcilicet de conuerſione Deitatis in creaturam, & creaturæ in creaturam. 3 *Vide Varr. q. 1. huius materiæ, & Hũr. quodl. 7. q. 4.*

De primo dico, quòd non; & ratio tacta eſt *in præced. quæſt. art. 2. concluſ. 2.* quia nihil poteſt conuerti, nec vt terminus *à quo*, nec vt terminus *ad quem*, niſi cuius *eſſe*, & *non eſſe* totaliter ſubeſt virtuti conuertentis: nihil autem intrinſecum Deo ſubeſt potentiæ diuinæ, quia illa potentia non reſpicit pro obiecto, niſi poſſibile: ſed quicquid eſt Deo intrinſecum, eſſe neceſſe eſſe.

De ſecundo [b] dico, quòd quodlibet poteſt conuerti in quodlibet propter eandem rationem: quia vtrumque extremum in creaturis ſubeſt potentiæ diuinæ, & quantùm ad totale *eſſe*, & quantùm ad totale *non eſſe*. *Vide 41. pri. & 7. quodl. de omnipot.*

Ad [c] argumenta: ad primum dico, quòd Verbum eſſe incarnatum non dicit Verbum eſſe terminum alicuius actionis de genere Actionis. Et cùm dicitur, quòd Incarnatio terminatur ad perſonam Filij; dico, quòd vnio illa (loquendo de vnione quæ importat relationem in natura humana) importat Verbum pro termino, quia in natura humana eſt reſpectus realis ad Verbum, & è conuerſo, non niſi rationis; ſed terminus actionis de genere Actionis eſt aliquid, quod accipit *eſſe* per illam actionem: hæc autem eſt vnio illa realis naturæ humanæ ad Verbum. 4 *Quomodo verbum terminet Incarnationis actionem.*

Et ſi arguitur, Filius Dei eſt incarnatus: ergo eſt ſubiectum, vel terminus illius actionis: quia *incarnari* ſignificat paſſionem, quam oportet ponere in ſubiecto, vel in termino.

Et præterea cuilibet actioni reſpondet propria paſſio: tres perſonæ incarnabant actione propriè dictâ: ergo quod reſpondet illi, eſt paſſio propriè dicta: hoc autem eſt incarnatum eſſe: ergo, &c.

Ad primam dico, quòd incarnatum eſſe eſt vnitum eſſe carni in vnitate perſonæ, & hoc ſecundùm quod vnitum eſſe dicit relationem non realem, ſed rationis tantùm. Ad ſecundum dico, quòd actioni Trinitatis correſpondet aliqua paſſio realis: ſed illius obiectum eſt natura humana, & terminus eſt aliquid in natura humana, ſcilicet vnio formalis naturæ illius ad Verbum, ita quòd vnio Trinitatis, ſiue magis vnitio, quæ eſt actio Trinitatis, eſt ad vnionem formalem naturæ humanæ ad Verbum, quæ vnio eſt realiter in natura humana. 5 *Verbum eſſe Incarnatum eſt tantùm relatio rationis in ipſo. Terminus Incarnationis eſt vnio in humanitate.*

Et cùm dicitur, quòd *incarnatum eſſe* dicit paſſionem, ſicut *incarnare* actionem; dico, quòd

*Incarnari non dicit passionẽ in denominato, sed in connotato.*

quòd etsi *incarnari*, vel *incarnatum* grammaticè, importet passionem, propter modum significandi: non tamen realiter in illo, de quo dicitur, sed tantùm in alio, quod connotat illi vniri: & illud aliud dicitur esse subiectum passionis importatæ realiter per *incarnari*, quæ scilicet correspondet illi actioni, quam importat *incarnare*.

*q. vlt. in fi. Operationes sũt qualitates, non actiones.*

Ad secundum dico, quòd contra immutabilitatem, necessitatem, & infinitatem cuiuscunque est, quòd possit esse terminus alicuius actionis propriè dictæ de genere Actionis. Et cùm probatur de actionibus intelligendi, & volendi. Dico, quòd hoc non est ad propositum, quia sicut dictum est *in lib. 1. dist. 3.* istæ dicuntur actiones, quia operationes: nam per actiones de genere Actionis, aliquis terminus accipit *esse* simpliciter, si producitur, vel aliquo modo *esse*: per intellectionem autem obiectum intellectum nullo modo accipit *esse*, imò præsupponitur omnino ipsi intellectioni, & hoc ideò, quia istæ operationes, quæ dicuntur actiones, sunt vltimi termini, non autem gratia aliorum terminorum.

*Saltem ad terminum conuersionis requiritur, quòd sit mutabilis secũdum Bassol. & Tartar. hic.*

Sed adhuc restat dubium, an actio de genere Actionis requirat terminum mutari? Dico, quòd non videtur facile quomodo actio de genere Actionis possit poni, per quam terminus non accipit *esse*: imò sicut ponitur talis actio in diuinis, sicut per generationem actiuam Filius Dei accipit *esse*, si tamen actionem sic dictam possit aliquid terminare, & tamen nullo modo accipere *esse*, dicetur *in sequente quæst.*

6 *Ad rationẽ 1. in oppo. & 2.*

Ad argumenta in oppositum. Primum concedo. Ad secundum dico, quòd etsi quantitas panis conuerteretur in quantitatem corporis Christi: non tamen propter hoc corpus esset hîc, vel eius quantitas, ex vi conuersionis, sicut tactum est priùs *1. quæst. dist. 10.* Et ad probationem illam *suprà* tactam, sed non solutam, scilicet quòd genitum est, vbi corruptum fuit. Dico quòd ideò ibi est, quia materia manet communis, quæ in generatione non mouetur localiter, & per consequens ibi recipit formam, vbi est, & ex hoc genitum ex ipsa & forma, est vbi præfuit corruptum.

*Quare genitum est, vbi fuit corruptum?*

Contrà, materia non est ratio essendi in loco localiter, sed quantitas: non autem manet eadem quantitas in generato, & corrupto, nisi vt materia: ergo ipsa non est ratio quare genitum est, vbi præfuit corruptum. Dico, quòd materia secundùm se habet *esse* in loco definitiuè, sicut quæcunque substantia limitata: ipsa autem, vt sub quantitate habet *esse* in loco circumscriptiuè: quia ergo manet definitiuè, vbi priùs fuit substantia, ideò ibi recipit formam, & ideò substantia genita ibi est, vbi præfuit substantia corrupta, & vbi definitiuè est substantia, ibi circumscriptiuè est ipsamet, vt quanta: & ideò sequitur quòd genitum vt habens quantitatem ibi est circumscriptiuè, vbi fuit corruptum circumscriptiuè. Non tamen intelligendum est quòd aliquando fuerit alicubi substantia hîc, vel ibi definitiuè, & non circumscriptiuè: quia nunquam fuit sine quantitate, quæ erat ratio circumscribendi: sed tamen non ponendo aliquam quantitatem manere eandem, quod credo esse verius: non oportet ponere aliquid idem circumscriptiuè manens esse rationem essendi in eodem loco in genito, & corrupto, sed sufficit materia remanens in loco definitiuè, vbi fuit corruptum.

*Non videtur remanere eadẽ accidentia in genito, & corrupto, scilicet si tollatur forma corporeitatis, de quo 2. d. 3. q. 4. ad 1. pro opin.*

7

Posset etiam dici, quòd vbi agens inuenit passum, ibi informat ipsum: sed agens in generando non transmutat localiter: ergo informat ibi passum: & vbi passum informatur, ibi est compositum ex passo, & forma inducta: ergo, &c. Concesso tamen secundùm communem opinionem, quòd ibi possit esse terminus conuersionis, vbi præfuit conuersum: dico quòd debet intelligi vbi non præcisè, sed vel sic, vel secundùm partem: & sic, vbi præfuit panis, posset esse corpus Christi, vt quantum, vel præcisè, vel sicut in parte sui *vbi*, ita quòd pars esset ibi, & pars esset in *vbi* circumstante. Esto etiam quòd teneretur illud principium aliquorum, quòd terminus conuersionis est, vbi præfuit conuersum: non tamen erit ibi localiter. Et sic posset concedi, quòd si quantitas esset primus terminus conuersionis, esset vbi præfuit substantia panis, non tamen esset localiter: & hoc est argumentum contra aliam viam, quæ ponit propter hoc quantitatem Christi non esse hîc localiter, quia est secundus terminus, & non primus, quia esto quòd esset primus, adhuc non esset ibi localiter necessariò, ita enim posset iste modus separari à primo termino conuersionis, sicut à secundo.

8 *Hĕr. quodl. 1. q. 5. & Ægid. quodl. 1. q. 4.*

Ad tertium dicitur, quòd Augustinus, & Boëtius loquuntur in comparatione ad potentiam creatam. Sed hoc nihil est, quia nulla virtus creata, potest quodcumque corpus conuertere in quodcunque. Ideò dico aliter, quòd quot sunt rationes repugnantiæ, tot sunt rationes impossibilitatis: & aliquâ illarum amotâ, est aliqua possibilitas quæ priùs non fuit, non quidem possibilitas simpliciter, sed ex parte illius: verbi gratiâ, visus non potest recipere intellectionem, tum quia intellectio inextensa est, & visus extensus: tum

quia

quia visus est cognoscens tantùm aliquid sub ratione singularis, intellectus autem intelligit non præcisè sub ratione singularis: tolle vnam impossibilitatem, vtpote si esset potentia, quæ posset habere obiectum sub ratione vniuersalis, & cùm remaneret alia ratio impossibilitatis, simpliciter esset impossibile hoc, sicut illud: & tamen diceretur hoc possibile respectu illius non simpliciter, sed quia illa ratio impossibilitatis ibi, non est ratio impossibilitatis hîc.

*Dicitur specialiter impossibile, quòd plures habet rationes impossibilitatis, licèt respectu Dei absolutè sit possibile.*

Ad propositum, omne corpus habet quandam non repugnantiam, vt conuertatur in corpus, puta quia habet materiam, quantitatem, & similes rationes concurrentes ad conuertibilitatem: omnis spiritus habet oppositas rationes istis: ergo licèt sit impossibile simpliciter corpus cœleste conuerti in elementare, isto modo, quo impossibile est spiritui conuerti in ignem, quia respectu agentis cuiuscumque creati vtrumque est impossibile, respectu tamen agentis increati sicut vnum est possibile, ita & aliud, tamen istud dicitur possibile, & aliud impossibile, quia hîc est aliqua ratio impossibilitatis, quæ non est ibi.

9

*Ad 4. An absolutum cõuerti possit in respectum?*

Ad quartum dico, quòd absolutum posset conuerti in respectiuum, & è conuerso, sed non sequitur vltrà, quòd respectus esset sine fundamento, & termino: quia terminus per conuersionem acciperet *esse* eo modo, quo potest habere *esse*: respectus autem non potest habere *esse* sine fundamento, & termino.

Nec sequitur, si terminus *à quo* præfuit sine istis: ergo terminus *ad quem*, potest esse sine istis, sicut nec in aliis, vbi terminus vnus requirit aliqua ad sui *esse*, quæ non requirit alius. Dico ergo, quòd si in respectiuum conuerteretur absolutum, ille respectus requiret fundamentum, & terminum, & haberet ea, vel antiqua, quæ præcesserunt conuersionem, vel noua. Exemplum in aliis: non sequitur, lapis potest conuerti in scientiam, & è conuerso, lapis non informat aliquem intellectum: ergo nec scientia: quodcunque enim in aliquod conuertatur, semper terminus habebit suum proprium modum existendi, sicut terminus *à quo* conuersionis habuit ante conuersionem suum proprium modum existendi.

## COMMENTARIVS.

6

*Duplex modus considerãdi terminũ conuersionis.*

*Duplex quo, & quod.*

7

*Conuersionẽ concomitatur duplex actio.*

*Alterutra actio productiua, aut adductiua interuenit.*

a HÆc quæstio, *vt patet ex argumentis*, &c. Diximus superiùs, licèt conuersio sit inter ipsas substantias secundùm ordinem, & successionem eorum in *esse*, in qua formaliter consistit, vt *quo* in ipsis terminis substratis, vt *quod* respectiuè ad *quo*, seu ad ipsam successionem: comparando tamen terminos ad inuicem, vt subsunt ordini, alius est formalis, nempe terminus *ad quem*, alius materialis, vt terminus *à quo*. Et hoc modo consideratur conuersio in *esse* rei; priori modo secundùm illud, quod superaddit ordo. Sic etiam in aliis conuersionibus physicis attenditur duplex *quo*, & *quod*; nempe mutationis, vt comparatur ad vtrumque terminum, & vnum *quod*: & alius ordo formalis inter ipsos terminos, vt alter succedit alteri secundùm intentionem agentis, quæ per se respicit terminum *ad quem*, per accidens terminum *à quo*. Vide Doctorem *in quæst. præcedenti art. 3. §. Dico ergo*, &c.

Cùm ergo successio, & ordo inter terminos, sit quantùm ad *esse* totale vtriusque (vt agitur modò de conuersione) eam concomitatur aliqua actio, positiua quidem respectiuè ad terminum *ad quem*, priuatiua respectiuè ad terminum *à quo*. Si terminus *ad quem* est præexistens, erit actio non productiua termini in *esse* simpliciter, sed in *esse* secundùm *quid*, vt hîc, vel huiusmodi alicuius *esse* secundùm *quid*: si terminus non præextiterit, actio erit productiua termini simpliciter. Vtramque actionem docet Doctor interuenire posse in conuersione: primam *in dist. præcedenti quæst. 1. art. 1.* & *quæst. 3.* & de facto contingere vbique docet in hoc mysterio: & *quæst. 4.* docet secundùm genus conuersionis esse possibile in corollario primi membri, & vtrumque *in quæst. præcedenti huius distinctionis art. 1. in descriptione transsubstantiationis, art. 2.* vbi requirit vtrumque terminum conuersionis debere subesse diuinæ virtuti, nempe agenti, quatenus circa *esse* totale vtriusque aliquid disponat agendo, & quatenus dicit conuersionem totalem spectare ad solam Dei virtutem.

Et in præsenti conclusione, & ratione eius idem patet, quia successio inter vtrumque terminum quoad *esse* nequit saluari, nisi virtute agentis terminus *ad quem* recipit aliquod *esse*, vel simpliciter, vel secundùm *quid*, virtute agentis in ipsum terminum *à quo*: quia successio in essendo virtute causæ factæ, & ordo supponit *esse* recipi ab agente, qualecunque illud sit, siue *esse* simpliciter, siue secundùm *quid*.

*Et patet idẽ ratione.*

*Sine aliqua productione non saluatur conuersio.*

8

*Nihil posse in Deũ cõuerti.*

Ex his ergo patet prima conclusio, quòd nihil potest immediatè conuerti in Deum, quia *esse* Dei nequit alio modo subesse suæ virtuti, quæ respicit possibile tantùm: quod autem est infinitum necesse esse, immutabile, vt benè Doctor *responsione ad 2.* non potest esse terminus alicuius actionis de genere Actionis, neque secundùm *esse* simpliciter, neque secundùm *esse* accidentale, & secundùm *quid* ipsi aduenientes intrinsecè, quod requiritur, vt possit esse terminus *à quo*, vel *ad quem* conuersionis.

Hæc conclusio est communis Theologorum: rationem eius aliter, & aliter assignant. Henricus dat illam rationem, quia aliqualitas creaturæ non potest esse aliqualitas Dei: ratio obscura est, nisi intelligatur, quòd nulla actio, quæ creata est ex genere suo, possit esse Dei, vt termini intrinseci secundùm aliquod *esse*, ac proinde non posse Deũ succedere creaturæ in essendo, quia si succederet, haberet aliqualitatem creaturæ aliquo modo, qui

*Henricus. Ratio obscura satis, sed declaratur.*

qui reciperet *esse* limitatum, quod ſoli creaturæ competit, cùm reciperet *esse* per ſucceſſionem eſſendi reſpectiuè ad creaturam, quæ in ipſum conuerteretur: & ſic intellecta ratio coincidit cum præmiſſa Doctoris.

9 *D. Thomæ ratio.* *Caietan.* *Ratio D. Thomæ ſufficiens declaratur.*

D. Thomas probat, quia eſſentia diuina eſt ingenerabilis. Caietanus dicit illam rationem non eſſe ſufficientem, vt excludat conuerſionem totalem. Sed meliùs intelligendo rationem, coincidit cum illa, quam aſſignat Doctor, quia vel ingenerabilitas intelligi poteſt vniuerſaliter pro omni productione in *eſſe*, & ſic æquiualet, quia denotat immutabilitatem, vel ſi intelligatur de ingenerabilitate propriè, benè ex ea deducitur omnis immutabilitas eſſendi.

*Ratio Caiet. & Soti.*

Ipſe Caietanus, & Sotus aſſignant aliam rationem, quia Deus, & creatura non conueniunt in ente. quidquid ſit de hac conuenientia, ſi intelligunt de ratione entis limitati, & creati, quod ſubeſt potentiæ conuertentis, redit in idem: ſi de ratione abſtracti, non probat, quia ſubſtantia, & quantitas etiam ſic ſe habent, tamen poſſunt conuerti in ſe inuicem: ſic, inquam, ſe habent ſubſtantia, & quantitas ex ſententia ſcholæ D. Thomæ: & in conuerſione magis ſpectatur repugnantia terminorum in *eſſe*, quam conuenientia.

*Eſt obſcura, vel certè inſufficiens.*

10 *Vaſquez recidit à communi.* *Poſſe conuerti aliquid in Deũ, vt terminũ partem.*

Vaſquez *ſuprà cap.* 4. admittit concluſionem communem, quantùm ad conuerſionem immediatam, & adæquatam, ſed diſtinguit terminum *ad quem* conuerſionis in adæquatum, & inadæquatum: & dicit non poſſe fieri conuerſionem in Deum, tanquam in terminum adæquatum, benè tamen in Deum, tanquam in partem termini adæquati: vnde dicit, quòd alitèr Deitas poſſet eſſe in Sacramento, verbi gratiâ, quàm per concomitantiam.

*Deitatem ex vi verborum poſſe eſſe in Sacramento aliter inſtituto.*

De facto autem eſt tantùm per concomitantiam, quia forma, & demonſtratio quam importat, ſolùm deſignãt ſubſtantiam expreſsè, vt clauditur in iſtis accidentibus, vt extra ipſa alibi non ſit in alia re, quod nequit dici de Deitate: ſi tamen inſtitueretur ſic: *Hoc eſt corpus meum deificatum*, vel, *Hoc eſt corpus Chriſti*, Deitas eſſet in Sacramento cum corpore, ex eo quòd expreſsè ſignificaretur, vt forma deificans corpus, quemadmodum, ſi hæc eſſet forma, *Hæc eſt caro viuens*, vel, *Hoc eſt corpus meum viuum*, &c. ex vi illorum eſſet anima; ergo ſimiliter: vnde colligit in tranſſubſtantiatione non requiri terminum *ad quem* produci.

11 *Impugnatio doctrinæ Vaſquez.* *Neceſſaria eſt aliqua mutatio in termino conuerſionis.* *Nouitas eſtẽdi repugnat intrinſecè Deo.*

Hæc doctrina non videtur admittenda, quia ſaluando veram naturam tranſmutationis totalis quoad eſſe, neceſſum eſt terminum ad quem recipere aliquod eſſe nouum virtute agentis, ſaltem ſecundùm quid, per mutationem intrinſecam eius; alioquin non manet conuerſionis conceptus; qua aliquid conuertitur in ipſum ſecundùm eſſe, niſi ſit aliqua ſucceſſio eius in eſſe reſpectiuè ad terminum *ad quem*, quod *eſſe* ante non habuit. Hoc autem repugnat Deitati, & meritò omnes negant in eam aliquid conuerti, ne cogantur admittere eius mutationem intrinſecam; vnde Theologi ſummoperè cauent in productione rerum in tempore, vt in vnione hypoſtatica, & aſſumptione naturæ humanæ, admittere vllam nouitatem in Deo intrinſecam: vt benè Doctor etiam *in hac quæſtione* reſoluit, quod & ipſe Vaſquez, & omnis fidelis cauet: vel ergo deſtruit naturam conuerſionis totalis, vel certè admittit oppoſitum.

Probatur ſumendo idem principium, ad quod refugit: nihil eſſet in Sacramento ex vi verborum, niſi quod efficeretur virtute practicæ formæ, vt per ſe conſtat, omne autem tale per ſe efficitur à cauſa principali, cuius actio reſpicit primariò terminum *ad quem* conuerſionis: ergo ſi per talem formam eſſet hîc Deitas aliter, quàm eſt modò per ſolam concomitantiam ratione vnionis hypoſtaticæ corporis ad ipſam, eſſet per aliquam actionem diuerſam, tam formæ ſuo modo, quàm cauſæ principalis phyſicè agentis illud *eſſe* diuerſum Deitatis in Sacramento, tanquam contentæ per ſe ex vi verborum: ergo eſſet diuerſa præſentia Deitatis, ab ea quæ dicitur eſſe modò, tanquam contenti practicè & ſignificati, tam per verba, quàm etiam per ſpecies: illa autem præſentia eſſet realis, & à cauſa principali phyſicè: ergo in ipſa Deitate, quod dici nequit, neque ipſe author dicere intendit, quamuis ex doctrina eius ſequatur. Antecedens, & prima conſequentia patent ex natura huius myſterij, & vtrumque admittit aduerſarius.

12 *Probatio à priori ex efficacia formæ diuerſa.* *Infert diuerſitatem in actione, & eſſe.* *Suppoſita præſentia noua eſſet in Deitate.*

Vltima conſequentia probatur, quia illa noua præſentia non eſſet in corpore Chriſti, vt eſt diuerſum ſubiectum, & ſignificatum à Deitate, quia ſic non eſt natum inferre præſentiam Deitatis ex vi verborum, ſed tantùm ratione vnionis concomitanter: neque eſt alius eius ordo ad Deitatem, aut ſuppoſitum, neque eſſe poteſt ex vi huius actionis ſaltem.

13 *Probatio.* *Non eſſet in corpore.* *Non eſſet in ſpeciebus.*

Non eſſet in ſpeciebus, tum quia actio primariò reſpicit terminum *ad quem*, & non ſpecies, tanquam ſubiectum, in quod influit præſentiam; tum quia ſpecies non dicunt relationem ſigni, aut continentis ad contentum diuerſam, niſi ſit diuerſus modus eſſendi eius ſub ſpeciebus in *eſſe* contenti: ergo erit in ipſa Deitate, quod eſt abſurdum, vel ſi dicas ipſam Deitatem ſine aliqua nouitate ſui eſſe poſſe ſub ſpeciebus ex vi verborum, tanquam terminus inadæquatus, eodem modo eſſet ſub ſpeciebus tanquam terminus adæquatus, & ſic aliquid conuerti poſſe in Deum immediatè, quod negatur.

14 *Explicatur Vaſquez quoad intentum.* *Præſentia cõcomitans eſſentiæ magis explicita.*

Explicandus ergo eſt hic author, nempe eum velle aſſerere vnionem hypoſtaticam poni poſſe ſub ſpeciebus, ex vi verborum, & ſic concedo potuiſſe inſtitui formam illam, quæ haberet efficaciam reſpectu corporis, quà vniti hypoſtaticè, & fortè hoc intelligere voluit, quamuis per corpus deificatum intelligat alibi ipſum effectum Deitate, vt ratione ſanctificandi *tomo 1. in 3. part. diſt. 6.* & *hîc* etiam ex modo loquendi, & inſtituto concluſionis idem proferre videtur.

*Impoſſibile eſſe poni Deitatem ex vi verborum in Sacramento.*

In eo caſu non eſſet Deitas præſens ex vi, & efficacia verborum, licèt corpus quà vnitum eſſet præſens, ſed quia vnio expreſſa, & præſens ex vi verborum denotaret ſuum terminum, nempe ſuppoſitum, ideò præſentia Deitatis eſſet magis explicita, quamuis ſolùm eſſet concomitans.

*Ad fundamẽta opinionis.*

Dico conſequenter impoſſibile eſſe formam aliquam inſtitui, quæ ex vi verborum, & practicè ſignificaret præſentem Deitatem, quia nulla poteſt eſſe conuerſio in ipſam, neque vt terminus primarius, & adæquatus foret, neque vt terminus inadæquatus, quia ratio facta perinde vtrumque excludit à Deitate. Forma autem præmiſſa verbalis quantùm ad particulam *deificatum*, vt reſpicit ipſam Deitatem in ratione contenti, eſſet explicatiua, & non pertineret ad ſenſum ſubſtantialem, & practicum formæ, vt

vero

verò reſpiceret, & importaret vnionem, eſſet de ſenſu ſubſtantiali.

Neque alia forma: *Hoc eſt corpus animatum*, &c. eſt eiuſdem rationis cum priori, quia anima poteſt fieri præſens ex vi verborum, & practicè, recipiendo nouum *eſſe*, ſaltem quoad ipſam præſentiam.

15 *Declaratur præſentia cõcomitantia. Se habet in partibus, & proprietatibus, vt modus ſuperadditus eſſendi.*

Aduertendum inſuper aliter dici alia eſſe concomitantia, aliter Deitatem in hoc myſterio; quia reliqua licèt non ſint præſentia, vt ſanguis ſub ſpecie corporis, ex vi verborum; tamen recipit præſentiam nouam, & ſupernaturalem ad ſpecies, quà eſt in toto, & ſub qualibet parte totius: qui eſt modus eſſendi eius diuerſus à præſentia corporis: ſic etiam quantitas Chriſti, & reliqua accidentia.

*In Deitate non ita.*

Deitas autem ratione corporis vniti hypoſtaticè ſit præſens præſentiâ corporis, & vnionis tantùm; non autem præſentiâ aliquâ propria, ſicut propriam habent reliqua concomitantia corpus; licèt non ſignificentur per verba, quorum veritas ſaluari poſſet ſine illis, ſicut & præſentia ipſius corporis. Vt autem illa ſequantur ad corpus, vbicumque eſt, ratione connexionis naturalis, debent etiam recipere modum eſſendi corporis, hoc eſt, indiuiſibilem, aliàs non poſſint concomitari corpus.

Diſplicet etiam ratio illa, quâ putat Deitatem non eſſe ex vi verborum formæ de facto inſtitutæ ſub ſpeciebus, nec de poſſibili eſſe poſſe ex vi verborum huius formæ: quia ſcilicet demonſtratio formæ ita deſignat ſubſtantiam claudi ſub ſpeciebus, vt alibi extra ipſas non ſit in

*Ratio hæc nõ admittitur. Nec demonſtratio excludit demõſtratum ab alio eſſe diuerſo alibi.*

alia re. Hæc ratio non placet, nec ſubſiſtit, quia demonſtratio non dicit talem extenſionem, cùm corpus Chriſti, & in aliis Sacramentis, & ſpeciebus ſit, & in modo ſuo naturali eſſendi, de quo non eſt dubium ipſi authori. Ratio ergo valde obſcura eſt, & inefficax, eam intelligendo, vt ſonat.

16 *Concluſio affirmatiua.*

b *De ſecundo dico*, &c. Hæc concluſio Doctoris patet ex dictis, & ex ratione ſubiuncta, quia in creaturis vtrumque extremum ſubeſt omnipotentiæ diuinæ, quantùm ad *eſſe* totale vtriuſque.

*Limitatio principij præmiſſi.*

Hoc principium intelligi debet, iuxta limitationem additam à Scholiaſte; nempe quando eſſentialiter non dependet ab alio vnum extremum, vt totum à parte, quod nequit eſſe ſine parte; ideò nequit pars in totum conuerti. Ratio ipſa hanc limitationem importat; quia creatura ſubeſt diuinæ omnipotentiæ, quoad ea,

*Non comprehendit eſſentialiter, aut impoſſibile.*

quæ non inuoluunt repugnantiam: terminus enim diuinæ omnipotentiæ eſt ens poſſibile, non verò impoſſibile.

*Relatio in ſuam correlationem nequit conuerti.*

Eodem modo neque relatio intrinſecus aduenies poteſt conuerti in ſuam correlationem propter ſimultaneam coexiſtentiam, quâ vna nequit eſſe ſine alia, quia cauſa eſſendi vnius, quæ ſunt extrema, eſt ſimiliter cauſa eſſendi alterius eâdem neceſſitate.

*Neque in ſua extrema, aut è contrà.*

Hinc etiam nequit relatio conuerti in ſua extrema ſimul exiſtentia, non quòd extrema dependeant à relatione; ſed quia exigunt relationem, tanquam prius ſuum poſterius neceſſariò connexum: ſic etiam neque totum conuerti poteſt in ſuas partes ſimul vnitas ex eadem ratione: oportet enim terminum conuerſum deſinere eſſe, manente termino *ad quem* conuerſionis.

*Neque totum in partes vnitas, aut econtrà. Ratio horum.*

Huic concluſioni repugnant, vt plurimùm, moderni, quotquot exigunt aliquid commune vtrique extremo manere: Vaſquez addit terminum *à quo* conuerſionis neceſſariò debere eſſe aliquod ſenſibile, quod cadere poſſit in demonſtrationem, ſeu ab illa deſignari, quia putat aliter non poſſe fieri conuerſionem, niſi per formam verbalem.

17 *Sententia negatiua. Vaſquez.*

Sententia autem Doctoris eſt, poſſe vnum conuerti in aliud, quamuis nihil conuerſi maneat. Probatur, quia hæc conuerſio eſt mutatio vnius ſecundùm *eſſe* totale in aliud, quod ſuccedit ſecundùm ſuum *eſſe* totale: ergo poteſt ſaluari conuerſio, quamuis nihil termini *à quo* maneat.

*Sententia Doctoris probatur. Ex natura conuerſionis.*

Probatur conſequentia, quia terminus *à quo* eatenus eſt extremum conuerſionis, quatenus deſinit ſecundùm ſe totum, aduenitente termino *ad quem*, ſeu ad ipſum reſpectiuè: ergo quia tranſit in *non eſſe* eſt extremum conuerſionis: ergo quòd aliquid, quod fuit in ipſo maneat, non facit, nec conſtituit ipſum extremum conuerſionis.

*Terminus à quo quà deſinit terminat.*

Patet conſequentia: quidquid ſpectat ad aliquem ordinem præcisè, vt eſt ſub determinato extremo contradictionis, nequit ſpectare ad eundem ordinem per ſe, quà participat alterum contradictorium, quia hoc repugnat: ſi ergo terminus *à quo* conuerſionis ſpectat præcisè ad ipſam conuerſionem (quæ eſt ordo cum ſucceſſione eſſendi inter terminos) quà tranſit in *non eſſe* formaliter, ſequitur non ſpectare ad hunc ordinem, quà aliquod eius accidens manet, de quo verificatur prædicatum contradictorium; nempe non conuerti tale accidens, verbi gratiâ, quantitatem panis in corpus Chriſti, conuerti tamen ſubſtantiam panis.

*Quod eſt ſub negatione, nõ cõponitur ex affirmatione.*

Quòd etiam permanentia alicuius in *eſſe*, quod fuit termini *à quo*, verbi gratiâ accidentis, non facit ad conuerſionem, vt reſpicit terminum *ad quem*. Probatur primò ex ratione præmiſſa, quæ perinde poteſt accommodari. Item quia *eſſe* illius communis, ſeu accidentis, non eſt *eſſe* termini *ad quem*, ſed diuerſum; neque eſt *eſſe* nouum, aut intrinſecum termino *ad quem*; ſed *eſſe* antiquum accidentis, & extrinſecum loquendo præcisè de illo, quod commune eſt vtrique termino: terminus autem *ad quem* recipit aliquod *eſſe* proprium, nempe *eſſe* ſimpliciter, ſi producatur; vel *eſſe* ſecundùm *quid*, ſi recipiat *eſſe* tantùm accidentale, & ſecundarium: vtrumque horum ſaluari poteſt ſine tali accidente permanente, quod fuit in termino *à quo*: ergo, &c. Patet aſſumptum, quia *eſſe* ſimpliciter termini *ad quem*, nullâ ratione poteſt dependere ab accidente, quod fuit alterius diſpoſitio naturalis, vt per ſe patet: poteſt etiam eſſe, ſecundum, & ſecundarium eius ſimiliter ſaluari, non permanente accidente prædicto: verbi gratiâ, ſi corpus Chriſti reciperet eſſe indiuiſibile in loco, in quo fuit panis, nullo accidente panis remanente; ſed totâ ſubſtantiâ, & accidentibus ſimul conuerſis in corpus Chriſti, ſic exiſtens, vel hîc, vel alibi: ergo non exigitur aliquid commune, quod fuit intrinſecum pani, remanere, quantùm ad conuerſionem, quæ hoc modo fieret: vnde rectè *ſuprà* Doctor aſſerit panem conuerti poſſe in corpus Chriſti alibi exiſtens, quàm hîc.

18 *Non ſpectare illud commune ad terminũ* ad quem.

19 *Responſio.* *Impugnatur. Non requiri ob repugnantiam terminorum.*

Dices requiri aliquid commune manere, vt ſaluetur repugnantia in eſſendo inter terminum *ad quem*, & *à quo*. Contrà, repugnantia in eſſendo nequit oriri ex accidente, quod poſterius eſt ſubſtantia: vt *ſuprà* probatum eſt contra aſſerentes ſubſtantiam panis deſinere ex natura rei ob ſeparationem ab accidentibus, quaſi dependeret in eſſendo ab accidentibus.

*Inter terminos repugnantia in eſſendo.*

Deinde repugnantia in *eſſe* ſaluatur ex modo producendi cauſæ primæ, ſecluſo omni accidente communi: ergo non requiritur ad repugnantiam in eſſendo ſaluandam, vt aliquod accidens maneat, quod fuit termini *à quo*. Probatur antecedens, nulla repugnantia hîc eſſe poteſt præter illam, quæ eſt ex modo producendi agentis; verbi gratiâ, inter ſubſtantias totales, quia nequeunt comparari ad inuicem ratione alicuius tertij, in quo ex natura rei opponerentur, quia non eſt oppoſitio circa materiam eandem, aut ſubiectum, quia nequeunt ineſſe alicui ſubiecto.

*Eſt ex modo producendi cauſa prima.*

*Non eſt circa materiam.*

Non eſſet ſecundùm aliquam formam communem, ſub qua repugnarent; vt per ſe etiam conſtat, quia formæ ſubſtantiales non ſunt capaces, cùm ſint in actu completo, & vltimo ſuæ naturæ, quælibet ipſarum per propriam formam, non eſſet talis repugnantia ex forma accidentali, vt patet ex dictis aliàs.

*Non eſt circa formam ſubſtantialem.*

*Non ab aliquo accidente, aut loco, &c.*

Non eſſet talis repugnantia ex aliquo extrinſecus ſe habente, vt loco, tempore, ſitu; non eſſet illa repugnantia ratione exiſtentiæ abſolutè conſideratæ, quia ſimul exiſtere poſſunt per diuerſas cauſas, & productiones, & conſeruationes.

*Eſt ex modo producendi.*

Sequitur ergo à primo ad vltimum, repugnantiam illam ſolùm eſſe ex modo producendi termini *ad quem*, vt procedit ab agente communi, & primo, inquantùm illud ſuccedit termino *à quo* in *eſſe*. Hæc autem repugnantia ſaluari poteſt, etiamſi nullum accidens, aut aliquid, quod fuit intrinſecum termino *à quo*, maneat in *eſſe*.

20 *Secunda reſponſio.* *Impugnatur. Oppoſitio partialis nequit eſſe, ſine ſubiecto communi.*

Dices ergo ſecundò, requiri aliquid commune remanere in *eſſe* ad ſaluandam conuerſionem in genere, & ſucceſſionem terminorum, & ordinem ad inuicem. Contrà, licèt mutationes partiales, quæ dicuntur formales, exigant, ex præciſa oppoſitione aliquid commune permanere, quia termini earum opponuntur circa idem ſubiectum: mutatio totalis, quæ in hoc ab ipſis diſtinguitur, non exigit illud commune, quia & oppoſitio, & ordo terminorum ſaluatur ſine tali communi: quod probatur ex ratione iam præmiſſa.

*Oppoſitio ex modo producendi probatur.*

Confirmatur ordo terminorum, & ſucceſſio in eſſendo ſaluatur, quamdiu *eſſe* termini *ad quem* habet adiunctum *non eſſe* termini *à quo*; & *non eſſe* termini *à quo*, *eſſe* termini *ad quem* adiunctum: ſed ex modo producendi termini *ad quem*, deſinendi termini *à quo*, (vt vterque hîc, & nunc ſubſunt potentiæ diuinæ operanti circa ipſarum *eſſe*, & *non eſſe* reſpectiuè ad ſe inuicem) terminus *ad quem* habet coniunctum *non eſſe* termini *à quo*; & è contra *non eſſe* termini *à quo*, *eſſe* termini *ad quem*, ſecluſo omni ordine ad aliquod commune accidens, vel aliud diuerſum ab ipſis terminis, & modo, quo terminant potentiam Dei: imò accidens illud, neque vt conditio, neque vt limitatio, neque vt ratio, neque vt ſubiectum ſe habet ad prædicta, vt ſubſunt huic ordini, qui prædicatur de ipſis terminis ſecundùm hunc modum conuerſionis, vt ad ſe inuicem dicuntur: ergo ordo, oppoſitio, & ſucceſſio terminorum, atque adeò conuerſio totalis ipſorum rectè ſaluari poteſt, ſine tali accidente communi, ſub quo vterque eſſet cum ordine.

*Accidēs nihil facit ad conuerſionē phyſicē.*

21 *Secunda confirmatur ad idem.*

Confirmatur ſecundò, *eſſe*, & *non eſſe* cum ordine non ſolùm comparantur ad inuicem in conuerſionibus partialibus reſpectiuè ad cauſam materialem, ſed etiam reſpectiuè ad efficientem; cuius virtute inſunt ſucceſſiuè materiæ; ita vt licèt prædicatio ſit reſpectiuè ad ſubiectum, ad quod limitantur, & inſunt: tamen primariò de ipſis terminis, prout ſubſunt conuerſioni, dicuntur *eſſe*, & *non eſſe*, cum ordine oppoſitionis; ita vt vnum inferat aliud, & *eſſe* vnius inferat *non eſſe* alterius, non ſolùm in ſubiecto, ſed etiam abſolutè loquendo, quia nempe non conſeruatur alibi ab agente, & propter dependentiam à ſubiecto, à quo excluditur, forma corrupta ſimpliciter deſinit: vnde ſi agens primum vellet conſeruare extra ſubiectum formam, vel etiam, vt quidam volunt, in ſubiecto. In ſecundo caſu (quem declarandi cauſa ad hominem induco, non opinandi; oppoſitum enim tenet noſtra ſchola) *eſſe* vnius non inferret vllum *non eſſe* formæ alterius, neque conuerſionem, aut oppoſitionem hîc, & nunc inter terminos. Ex quibus colligitur *eſſe*, & *non eſſe*, ſeu ordinem inter hæc, conuenire primariò terminis, vt ſubſunt virtuti primæ agentis.

*Ordo inter eſſe, & non eſſe oppoſitionis abſolutæ.*

*Eſt ab agente primario.*

22 *Saluari in cōuerſione totali.*

Ad propoſitum ergo id applicando ſeruatâ proportione: Conuerſio totalis poteſt ſtare cum ordine, & ſucceſſione terminorum, quantùm ad *eſſe* vnius, & *non eſſe* alterius, vt ſubſunt hæc extrema virtuti agentis, & ipſi termini abſolutæ contradictioni, vt abſtrahit à cauſa materiali, quæ in propoſito interuenire non poteſt: ergo ſine omni alio communi vtrique præter ipſos terminos.

Patet antecedens, quia in creatione, & annihilatione rei ſaluatur ordo inter *eſſe*, & *non eſſe*, ſecluſo ordine ad extrinſecum: ergo etiam inter terminos conuerſionis totalis. Negabis conſequentiam, & paritatem, quia *eſſe*, & *non eſſe* comparantur abſolutè ad terminum creationis: hîc autem *eſſe* prædicatur de termino conuerſionis reſpectiuè ad terminum, qui in ipſum conuertitur; ac proinde debet aliquod eius *eſſe* participare. Contrà: ſaltem id conceditur, quod poteſt eſſe ordo inter *eſſe*, & *non eſſe*, ac ſucceſſio, vt ſunt à cauſa prima: ergo etiam, quamuis nihil commune maneat, poteſt idem ordo, & ſucceſſio manere quoad conuerſionem totalem inter ipſos terminos.

23 *Modus determinatus productionis, & actionis præditum ordinem inducit. Probatur per varia exempla.*

Probatur iam conſequentia: quia ex modo producendi, & determinatione actionis, vt procedit à diuina voluntate, & recipitur in termino *ad quem*, poteſt ſequi ordo ad aliquid, ad quod ex natura rei aliàs & abſolutè nullus eſſet ordo: verbi gratiâ, in creatione huius animæ in hoc corpore; in creatione huius gratiæ in hac anima, ex creatione huius corporis, aut Angeli, in hoc loco, & tempore; in volitione alicuius per modum finis reſpectiuè ad media hæc aſſumpta, quod aliàs potuiſſet Deus abſolutè velle, & ponere in re independenter ab omnibus mediis, & ſine ordine finis ad media. Item, in effectu aliquo ponendo cum dependentia ad hoc inſtrumentum determi

determinatum, quod aliàs sine instrumento poni posset. Similiter etiam cum dependentia à causa determinata secunda, quam posset absolutè sine ordine ad ipsam ponere, vel certè per creationem, vel per aliam causam.

*Explicatur modus oppositionis, & eius causa.*

In quibus omnibus coniunctio, & ordo vnius ad alterum est ex modo determinationis diuinæ voluntatis, & actionis, vt per eam procedit terminus: ergo etiam ex modo determinato producendi terminum *ad quem*, potest habere annexum *non esse* termini *à quo* conuersionis; ita vt positio eius inferat secum desitionem alterius: & consequenter, manente hac præcisâ causâ, stat ordo, & successio inter terminos conuersionis totalis, secluso quocumque alio.

Et in proposito consequenter positio termini *ad quem*, & desitio termini *à quo*, non habent se concomitanter tantùm, & sine ordine, vt prætendit Vasquez *suprà*, cùm ex modo producendi termini *ad quem*, stet repugnantia simpliciter ad terminum *à quo* in *esse*; & hoc ex natura rei, vt subsunt huic determinato modo agendi primæ causæ, quia ita voluntas eius est termini *ad quem*, vt in eum per desitionem conuertatur terminus *à quo*.

*Hæc oppositio est ex natura rei.*

24 *Responsio allata destruitur.*

Ad illud autem, quod *suprà* inferebatur, nempe terminum *ad quem*, debere recipere aliquod *esse* termini *à quo*, est falsum simpliciter: quia id tantùm in conuersionibus formalibus, & partialibus seruatur; vel etiam in conuersione totali, vt fit de facto in præsenti mysterio: non tamen exigitur simpliciter, & in omni conuersione possibili: ideò benè Doctor *in quæst. præcedenti, artic.* 1. in definitione transubstantiationis non possit aliud, quàm esse *mutationem totalem substantiæ in substantiam*. Quæ definitio saluatur in præsenti mysterio inter ipsas subsutantias, accidentia autem manent tanquam Sacramentum præsentiæ Christi, & terminus; non vt aliquid intrinsecè spectans ad ipsam conuersionem, quæ præcisè est inter subsutantias, vt Patres, & Concilia docent.

*Accidentium communium munus.*

25 *Sententia cõmunis.*

Ex his etiam facilis est conclusio communis, nempe in creaturis quodlibet posse conuerti in quodlibet, quia licèt absolutè aliàs non dicant repugnantiam; tamen, vt subsunt determinato modo producendi, dicunt ordinem ad inuicem in *esse*, & *non esse*; & vt terminus *à quo*, & *ad quem*, dicunt illam repugnantiam, quæ rectè dicitur ex natura rei, cùm ex modo agendi causæ primæ transeat in terminos.

26 *Nõ dari actionem sine mutatione.*

c *Ad argumenta*, &c. Solutio argumentorum hinc inde clara est, sicut & dubij, quod mouet §.

d *Sed adhuc restat dubium*, &c. Vbi definit vniuersaliter actionem de genere Actionis requirere mutationem in termino, loquitur de mutatione abusiuè, vt denotat per talem actionem, semper terminum recipere *esse*; & probat in diuinis, vbi actio per modum productionis ponitur, per quam persona recipit *esse*, non per modum mutationis.

27 Augustin. Boëtius. *Spiritum conuerti posse in corpus.*

Ad tertium, quod militat contra secundam conclusionem ex authoritate Augustini *lib.* 7. *de Gen. ad literam, cap.* 12. & Boëtij *in libro de duabus naturis, & vna persona*. Respondet Doctor supposito, quòd illæ authoritates intelligendæ essent de conuersione; prout de ea nunc agimus, nempe totali (vt etiam intelligit Henricus, & Ægidius anteriores) respondet tantùm insinuari maiorem repugnantiam esse ex natura extremorum, nempe spiritus, & corporis in ordine ad conuersionem, quàm inter duo corpora: sed neutrum est simpliciter impossibile respectu diuinæ omnipotentiæ, quæ posset conuertere panem in Angelum, sicut conuertit modò, & hoc genere conuersionis, illum in corpus Christi. Henricus. Ægidius.

Cæterùm Augustinus non loquitur de hoc genere conuersionis, sed de conuersione partiali, & formali per veram corruptionem prioris formæ, & sic negat animam fieri ex corpore aliquo elementari, sicut ex ea facta est caro: *Cùm anima*, inquit, *non sit corporea, quidquid autem ex mundi corporeis elementis fit, corporeum esse necesse est, in quibus mundi elementis etiam aër iste connumeratur, nec si de puri illius, cœlestique ignis elemento facta anima diceretur, credi oporteret. Omne quippe corpus in omne corpus posse mutari non defuerunt, qui asserrent. Corpus autem aliquod siue terrenum, siue cœleste, conuerti in animam, fierique naturam incorpoream, nec quemquam sensisse scio, nec fides hæc habet*, &c. Ex quibus patet Augustinum loqui de conuersione quæ fuit in quæstione; non autem de hac, quam nunc disserimus: agit enim de prima productione animæ rationalis, quam dicit non esse ex materia. Vtramque solutionem tradit Doctor quodlibeto 10. art. 1. Augustin.

Boëtius etiam de simili conuersione agit differens cõtra Eutychen, eiúsque discipulos, vnius naturæ in Christo assertores, quod variè ab iis explicatur. Hic enim error sicut nullis principiis fultus, ita ambiguè, & confusè docebatur: nempe conuerti diuinam naturam in humanam Christi; vt insinuat Flauianus Patriarcha Constantinopolitanus *in epistola ad Leonem I.* & ipse Leo *in epist.* 67. *ad Leonem Imperatorem*. Theodoretus *lib.* 4. *hæret.* Fab. *in Eutychen*: & Nicephorus *lib.* 18. *cap.* 45. Alij dixerunt è contra defendisse vnam naturam per conuersionem humanæ in diuinam. Tertio modo dixerunt, vtramque fieri vnam per mixtionem, quem modum tenuerunt Iacobitæ, & Acephali. 28 *Sententia Boëtij. Eutychianorum deliria.* Flauianus. Leo Papa. Theodoret. Nicephor. *Iacobitæ, Acephali.*

Quartus modus tenebat per compositionem fieri, vt ait Euthymius *in Panopl. titulo* 15. & Gelasius *in Eutychen libro*, qui habetur in Bibliotheca Patrum: & Damascenus *lib. de natura composita*. Contra hos agit Boëtius impugnans conuersionem, & mixtionem naturarum hoc modo; vt naturæ humanæ, & corporeæ cum diuina, aut è contra per veram corruptionem altetius naturæ; corruptione, quæ Philosophis fuit nota. Verba Boëtij sunt, *Nec corporea substantia in incorpoream mutari potest; nec incorporea in se inuicem proprias formas mutant: sola enim in se mutari possunt, quæ habent vnius naturæ subiectum commune*, &c. Requirit ergo materiam communem, deinde vt in se inuicem agere possint, & pati; præterea vt conuersio sit immediata; vnde negat æs conuerti in lapidem ex defectu qualitatum contrarium; & agit de naturali conuersione; ita Doctor loco proximè citato: vbi etiam rationem Boëtij accommodat ad formam probantem, addendo maiorem. Responsio ad quartum argumentum confirmat limitationem, quam *suprà* adiunxi conclusioni secundæ. Euthym. Gelasius. Damasc.

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm panis conuertatur in corpus Chriſti in Euchariſtia?*

D.Thom.*3.part.quæſt.75.art.6.& hîc quæſt.*1.Durand.*hîc quæſt.*3.Palud.*quæſt.*2.Ocham *quodl.4.quæſt.29.30.* Argent.*quæſt.*1.*art.*2. Gabriel *lect.45.in can.* Bellarm.*lib.3.de Euchariſtia per totum.* Rupertus *lib.6.in Ioan.in illa verba, panis, quem ego,* &c. Maior *hîc quæſt.*2. Gabriel *quæſt.*2. Suarez *3.tom. diſput.49. ſect.*2.

1 *Argum.*1. * *Aliàs* 6. *Auguſt.*

IRCA ſecundum * principale quæro duo. Primò, vtrùm panis conuertatur in corpus Chriſti in Euchariſtia? Secundò, an panis in iſta conuerſione annihiletur? Ad primum,arguo quòd non. Auguſtinus 3.de Trinit.4.*Chriſti corpus dicimus, quod ex fructibus terræ acceptum ſumimus:* ſed non eſt aliquid acceptum ex fructibus terræ, niſi panis vel vinum: ergo non tranſubſtantiatur.

*Argum.*2. * *Aliàs copulauit.* Secundò, Damaſcenus lib.4.cap.14. *Quemadmodum in Baptiſmate, quia conſuetudo eſt hominibus aquâ lauari, & oleo vngi* *, *coniugauit oleo,& aquæ gratiam Spiritus ſancti, & fecit ipſum lauacrum regenerationis: ſic quia conſuetudo eſt hominibus panem comedere, & vinum, & aquam bibere, coniugauit ipſis ſui ipſius Deitatem, & fecit ipſa corpus, & ſanguinem ſuum,* * *Aliàs aſſirgamus.* *vt per conſueta, & ſecundùm naturam in his, quæ ſuper naturam ſunt* * *fiamus.* Vult dicere, quòd ſicut in Baptiſmo abluimur in aqua, & hoc ideò conſtitutum eſt, quia conſuetudo hominibus eſt lauari in aqua: ita in Euchariſtia paſcimur, & potamur pane, & vino, quia iſta ſunt conſuetus potus, & cibus humanus: ergo ſicut in Baptiſmo eſt verè aqua eiuſdem rationis cum communi aqua, quâ abluimur, ita in Euchariſtia verè eſt panis, & vinum cum communi cibo, & potu humano.

*Argum.*3. Tertiò ſic, Auguſtinus in gloſſ. ſuper illud 1. Corinth.10. *Vnus panis,*&c. *Sicut vnus panis ex multis granis,& corpus Chriſti ex multis membris,ita Eccleſia ex multis perſonis:* ergo Euchariſtia propter iſtam ſimilitudinem ſignificat corpus Chriſti verum,& corpus Chriſti myſticum: ſed ex multis granis non colligitur aliquid ſic ſignificatiuum, niſi panis: ergo ille manet in Euchariſtia.

2 *Argum.*4. Quartò ſic, in omni mutatione poſitiua terminus *ad quem* accipit *eſſe:* ſed corpus Chriſti non accipit *eſſe* per iſtam actionem, quia tunc frequenter acciperet *eſſe:* nec etiam aliquod *eſſe* accipit, quia tunc frequenter augeretur ex frequentatione Euchariſtiæ: ergo corpus Chriſti non eſt hîc terminus alicuius mutationis, ſeu actionis poſitiuæ.

*Argum.*5. Quintò ſic, ſi panis conuerteretur in corpus Chriſti, oporteret eſſe aliquem terminum primum iſtius mutationis: illud in propoſito non poteſt eſſe Deitas ex præcedenti quæſtione, nec anima intellectiua, quia illa ſecundùm omnes non eſt hîc niſi concomitanter: nec poteſt eſſe aliquod accidens, vel accidentia, quia tunc non eſſet tranſubſtantiatio, ſed tranſaccidentatio; non reſtat ergo niſi materia ſola; ſed conuerſio in materiam ſolam non eſt tranſubſtantiatio: magis enim diceretur reſolutio in materiam, quàm tranſubſtantiatio.

Et hoc patet, quia ſecundùm omnes forma panis conuertitur in formam aliquam, ſicut materia in materiam: & iſta forma non poteſt aliqua inueniri, quæ terminet, vt patet ex diuiſione præpoſita: ergo, &c. Si dicas quòd eſt aliqua forma ſubſtantialis alia ab intellectiua, in quam conuertitur forma panis. Contra hoc: Vnius rei non eſt niſi vnum *eſſe:* ergo non eſt niſi vna forma.

*Ratio opp.* *Ambroſ.* Oppoſitum, Ambroſius de Sacramentis; & ponitur de conſecrat. diſt.2. *Panis eſt in altari,vbi acceſſit conſecratio, de pane fit corpus Chriſti.* Idem, & ponitur ibidem. *Reuera mirabile, ſermo, qui potuit facere,quæ non erant,nónne poteſt mutare ea, quæ ſunt, in id, quod non erant?* Quaſi diceret, ſic.

*Euſebius.* Præterea Euſebius, & ponitur ibidem, Quia corpus: *Sacerdos inuiſibilis, viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis ſui ſecreta poteſtate commutat;* & ad hoc habentur plures auctoritates de conſecrat. diſt.2. in diuerſis locis, & Magiſter adducit aliquas in iſta diſtinct. & aliquas in diſtinct. præced.

COMMEN

## COMMENTARIVS.

1 *Disputata, & resoluta in hac quæstione.*

a *Circa secundum principale*, &c. Hæc quæstio prolixissima est, & ex occasione variarum opinionum plura congerit, quæ seorsim ab aliis tractari solent sub diuersis titulis: reducitur ad duas partes principales, quarum secunda diuiditur in duas. Prima parte resoluit quæsitum per conclusionem affirmatiuam, asserens panem transubstantiari quoad totum, & partes, in corpus Christi. In primo articulo secundæ partis docet quomodo? In secunda parte agit de termino *ad quem*, & occasione huius de constitutiuo corporis humani; & pluralitate formarum in eodem supposito. Quartò, tandem respondet ad argumenta initio adducta: hæc reducitur ad primam partem quæstionis. Inseruntur & aliæ quæstiones intermistæ, nempe de significato formæ ex vi verborum; & an detur actio sine nouitate aliqua in termino *ad quem* actionis. Hæ quæstiones interrepserunt, ex modo, quo alij discurrunt ad quæstionem principalem; & accessoriè ad modum, quo panis transubstantiatur, & de termino *ad quem* illius transubstantiationis. Hæc magis patebunt ex ordine ipsius literæ.

## SCHOLIVM.

*Recitat tres opiniones. Prima ait cum corpore Christi simul manere panem. Hanc tenuit Berengarius apud Guitmundum lib. 1. & 3. & tenent modò Hussitæ, & Lutherani, pro qua adducit Doctor quatuor argumenta latè & clarè explicata. Bellarm. varios Lutheranorum, & aliorum errores, circa panis existentiam refert lib. 3. de Eucharistia, cap. 13.*

Hîc b duo videnda sunt, sicut circa alia credita. Primò, quid tenendum. Secundò, quomodo illud poterit declarari. De primo, sicut recitat Innocentius *de Officio Missæ, part. 2. cap. 26.* circa hoc erant tres opiniones. Vna, quòd panis manet, & tamen cum ipso verè est corpus Christi. Alia, quòd panis non manet, & tamen non conuertitur, sed desinit esse, vel per annihilationem, vel per resolutionem in materiam, vel per corruptionem in aliud. Tertia, quòd panis transubstantiatur in corpus, & vinum in sanguinem; quælibet autem istarum voluit istud commune saluare, quòd ibi verè est corpus Christi, quia istud negare est planè contra fidem: vt patet *dist. 3. quæst. 1.* Expresè enim à principio institutionis Eucharistiæ fuit de veritate fidei, quòd verè ibi, & realiter corpus Christi continetur. 3

*Hanc tenet Ochã in 4. in hac materia, q. 3. in fol. 7. dubij. Vide ipsum quodl. 4. q. 35. & in tractatu huius materia, cap. 5. Text. 50. Idem 8. Phys. text. com. 48.*

Pro c prima opinione arguitur primò sic. Sicut in naturalibus non sunt plura ponenda, quàm ratio naturalis necessariò conuincit, primo Physic. & in pluribus locis secundùm Philosophum, quia pluralitas est superflua: ita in credibilibus non sunt ponenda plura, quàm conuinci possit ex veritate creditorum: sed veritas Eucharistiæ saluari potest sine ista transubstantiatione: ergo, &c. Minor probatur, quòd ad veritatem Eucharistiæ requiritur signum, & signatum realiter contentum, subsstantia panis cum suis accidentibus æquè potest esse signum, sicut sola accidentia, imò magis: quia subsstantia panis sub speciebus magis est nutrimentum, quàm accidentia: ergo magis repræsentat corpus Christi in ratione nutrimenti spiritualis. Res etiam contenta, scilicet verum corpus Christi, æquè potest saluari cum subsstantia panis sicut cum accidentibus, quia non magis repugnat subsstantiæ esse simul cum subsstantia, quàm cum quantitate illius subsstantiæ.

Et confirmatur hæc ratio, quia ponenda sunt pauciora miracula, quantùm possibile est: sed ponendo panem manere cum suis accidentibus, & corpus Christi ibi esse verè, pauciora ponuntur miracula, quàm ponendo panem ibi non esse: nam tunc non poneretur aliquod accidens sine subiecto.

Secundò sic, & quasi in idem redit, in creditis nobis secundùm intellectum vniuersalem traditis, non videtur ille modus determinandus, qui est difficilior ad intelligendum, & ad quem plura videntur sequi inconuenientia: sed istud, corpus Christi esse in Eucharistia, est quoddam verum vniuersaliter traditum nobis: iste autem intellectus, quòd non sit ibi subsstantia panis, videtur difficilior ad sustinendum, & ad ipsum sequuntur plura inconuenientia, quàm ponendo ibi esse subsstantiam panis: ergo, &c. Maior probatur, quia ex quo fides nobis data est, vt sit via ad salutem, ita debet vt videtur determinari, & teneri ab Ecclesia, sicut magis est idonea ad salutem: sed ponendo intellectum aliquem talem supra modum difficilem, & ad quem manifestè videntur sequi inconuenientia, est occasio auertendi omnes Philosophos, imò ferè omnes sequentes rationem naturalem, à fide, vel saltem impediendi eos, ne conuertantur ad fidem, si dicatur eis talia pertinere ad fidem nostram: imò videtur, quòd Philosophus haberet pro 4

maiori inconueniente, vel quicumque ſequens naturalem rationem, ea quæ ponuntur hîc, negando ſubſtantiam panis, quam haberet de omnibus articulis, quos habemus de Incarnatione. Et mirum videtur, quare in vno articulo, qui non eſt principalis articulus fidei, debeat talis intellectus aſſeri, propter quem fides pateat contemptui omnium ſequentium rationem.

5 *Tripliciter contingit aliquid eſſe de fide.*

Tertiò ſic; Nihil eſt tenendum tanquam de ſubſtantia fidei, niſi quod poteſt expreſsè haberi de Scriptura, vel expreſsè declaratum eſt per Eccleſiam, vel euidenter ſequitur ex aliquo planè contento in Scriptura, vel planè determinato ab Eccleſia. Iſta maior videtur ſufficiens, quia pro nullo alio haberet quis cauſam exponendi ſe morti: & pro omni eo, quod eſt de ſubſtantia fidei, laudabiliter exponeret quis ſe morti; & etiam quod nullo iſtorum modorum habetur certum, firmiter credere, videtur leuitatis: quia non eſt auctoritas ſufficiens, nec ratio, ſi nullum iſtorum inueniatur. Nunc autem non videtur expreſsè haberi non eſſe ibi ſubſtantiam panis: nam Ioan. 6. vbi multùm prædicatur veritas Euchariſtiæ, planum eſt, vbi Chriſtus dicit: *Ego ſum panis viuus: qui manducauerit ex hoc pane*, &c. Et 1. Corinth. dicit Paulus: *Panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt?* nec inuenitur in Eccleſia, vbi iſtam veritatem determinet ſolemniter: nec etiam qualiter iſtud poſſit ex aliquo manifeſto credito euidenter inferri: ergo, &c.

*Ioan. 6.* *1. Cor. 10.*

*D. Thom. hic artic. 1. q. 1. & 3. p. q. 75. art. 2.*

Si dicas ſicut dicit vnus Doctor, quòd Matth. 26. dicendo: *Hoc eſt corpus meum*, expreſsè inſinuat panem non manere, quia tunc eſſet propoſitio falſa. Hoc non cogit, quia dato quòd ſubſtantia panis maneret, non demonſtratur ſubſtantia panis, ſed contentum ſub pane: ſicut modò non demonſtrantur accidentia, quia tunc eſſet propoſitio falſa: ſed eſt ſenſus, Hoc ens contentum ſub iſto ſigno ſenſibili, eſt corpus meum.

6 *Accidentia an ſignificẽt naturaliter adeſſe ſubſtantiam.*

Item in Sacramentis veritatis nulla debet eſſe falſitas: ſed accidentia iſta ſignant naturaliter ſubſtantias, quas affecerunt, & ſi non ſit ibi eorum ſubſtantia, ſignatio iſta naturalis erit falſa; hoc eſt inconueniens. Si dicas, quòd ſignificant corpus Chriſti, & ſanguinem, & iſta ſignificatio eſt vera. Contrà, naturalis ſignificatio non mutatur propter ſignificationem ex inſtitutione ad placitum: ergo iſta accidentia naturaliter ſignificant eadem, quæ priùs ſignificauerunt: ergo ex iſta parte in ſignificatione naturali erit falſitas, niſi ſignificata ſubſint ſignis: ſed poſito quòd illa ſignificata ſubſint, veritas habetur in ſignificatione naturali accidentium. Poſſet etiam veritas haberi in ſignificatione ad placitum, quia in illis ſubiectis poſſent contineri illa, quæ ſignificantur ad placitum ex inſtitutione, & ſic haberetur omnimoda veritas in vtraque ſignificatione. Sed ſecundùm aliam viam falſitas eſt in ſignificatione naturali: ergo magis congruit alia via, quàm iſta.

## *COMMENTARIVS.*

2 a *Hic duo videnda ſunt*, &c. Nempe quid tenendum ſecundùm fidem; & quomodo fidei definitio declarari debeat à Theologo, & defendi. Recitat ex Innocentio tres opiniones circa quæſitum; & vocat opiniones vulgari ſignificatione poſt Innocentium, prout applicari ſolet placito hominis, etiam falſo & erroneo; qualis eſt prima in ordine, & ſecunda; tertia verò, quæ eſt tenenda, quam docet Eccleſia, eſtque de fide, appellatur opinio vulgari modo, iuxta ſignificationem præmiſſam; non vt dicit ſpeciem cognitionis, quæ habet ex propria differentia formidinem, & incertitudinem. Dicit autem omnes in eo conueniſſe, vt ſaluarent realem præſentiam corporis, & ſanguinis Chriſti; quæ fuit ab initio inſtitutionis ſemper indubitabilis, & veritas explicita fidei, ad quam tenebantur omnes. Dixi ſecundam opinionem eſſe erroneam, quâ negat conuerſionem, vt exprimitur in litera: erroneam dico contra fidem errore hæreſis in ſpecie, vt patebit *infrà* cum Doctore: an verò deſitio panis dici poſſit in rigore, annihilatio, dubitatur inter Theologos: de quo *quæſtione ſequenti*.

*Tres modi dicendi.* *Innocent.* *Cur dicantur opiniones.*

3 *Error Berengarij.*

b *Pro prima opinione*, &c. Hæc eſt Berengarij, qui poſtquam conuictus eſt de errore, circa realem præſentiam, quem *ſuprà* confutauimus cum Doctore *diſt. 10. quæſt. 1.* poſtea docuit manere ſubſtantiam panis & vini in Euchariſtia cum corpore & ſanguine Chriſti, cuius diſcipuli poſtea vocati ſunt impanatores: ita Guitmundus contra ipſum *lib. 1. & 3. circa initium.* Hunc errorem ſequitur Lutherus *in lib. de captiuitate Babylonica, cap. de Euchariſtia:* quem ſequuntur magis communiter Lutherani: vnde concedunt hanc propoſitionem, *panis eſt corpus Chriſti, eſſe veram per communicationem idiomatum.* *Guitmund.* *Lutherus.* *Secundus error.*

Accedit alius error ex eodem deſumptus in ſermone de Sacramento Cœnæ Domini; quem hîc etiam incidenter tangemus: quem idem etiam docet in libro: *Quod verbo Chriſti; hoc eſt corpus meum*, adhuc firmiter ſtent, quòd corpus, vbicumque ſit verbum, etiam ſit, & conſequenter vbique; ac proinde etiam in hoc Sacramento ſimul cum pane: quem ſecutus eſt Brentius *in Apologia pro confeſſione VVirtembergenſi in tractatu de Cœna Domini; & in lib. De duabus naturis*, & alij; vnde dicti ſunt Vbiquiſtæ. *Tertius error.* *Brentius.*

Alij apud S. Thomam 3. *part. quæſt. 75. art. 6.* materiam quidem panis, & vini conuerti, formas autem dixerunt manere: quinam illi fuerint, non indicat; ſed fuerunt aliqui ex Berengarianis. Alius eſt error aſſerens panem quoad naturam, & vinum manere in Euchariſtia vnita hypoſtaticè Verbo, 4 *S. Thomas.* *Quartus error.*

Verbo, sicut est ipsa humanitas. Hic error communiter à modernis tribuitur Ruperto Abbati Tuitiensi in *lib. De officiis diuinis, cap. 2. & in Ioan. 6.* vbi dicit super illa: *Caro mea verè est cibus*, &c. Factâ consecratione corpus Christi esse panem: & in priori loco corpus panaceum. Cæterùm Oxonienses apud VValdensem *tom. de Sacramentis* 47. coniiciunt authorem prioris libri de officiis Ecclesiasticis non esse Rupertum, sed VValeramum Episcopum Atemburgensem. Probant ex Anselmo de corpore, & sanguine Domini, qui inter eius impressa opera non inuenitur, vbi impugnat hunc errorem: quem postea desumpsit Rupertus posterior, qui vixit sub Henrico V. Imperatore: vt alij sub Henrico III. *loco præfato in Ioannem. & lib. 2. in Exodum cap.* 10. Alius est error Ioannis cuiusdam Parisiensis, teste VValdensi *cap. 65.* qui confutauit errorem Ruperti, sed ipse in similem incidit, asserens quidem substantias panis, & vini manere non vnitas Verbo hypostaticè, sed corpori, & sanguini Domini.

*Rupertus. Quintus error.*

*Vltimus error.*

Pro hac, vt ita dicam, opinione, adducit quatuor rationes occasionatiuè, quibus inductis, præbet viam, quâ veritas fidei egregiè declaratur, & certa ab incertis distinguantur, & principia communia, quæ variis in locis deseruire possunt, tanquam regulæ vniuersales discernendi veritatem fidei, & declarandi ad proprium, & verum sensum explicantur. 5

Prima ratio est, in mysteriis fidei tollendam esse superfluitatem, & in operibus supernaturalibus, & miraculosis. Secunda est in creditis, quantùm fieri potest, & admittit veritas fidei, captandam esse facilitatem, & non ingerendam esse maiorem difficultatem mysteriis: quod plurimùm expedit saluti. Tertia ratio explicat in genere, quæ sunt veritates explicitæ, & de substantia fidei; & vnde certitudo earum primaria desumi debeat. Quarta ratio est ex peculiari ratione huius mysterij, vt saluetur veritas signi naturalis, nempe accidentium, quâ designant substantiam, cui sunt connaturalia.

*Prima ratio. Tollenda superfluitas. Secúda ratio. Captanda facilitas. Tertia ratio. Quid sit de substantia fidei. Quarta ratio ad saluandã esse veritatem signi.*

## SCHOLIVM.

*Secunda sententia ait non manere panem, nec conuerti, sed desinere per annihilationem, corruptionem, vel resolutionem in materiam. Pro hac tres rationes allatæ pro prima sententia faciunt, videtur Dur. qui dicit manere materiam panis. Ponit Doctor varias improbationes D. Thom. contra vtramque sent.*

Prò [a] opinione secunda potest argui per rationes similes aliquibus prædictarum, quia tres primæ satis videntur posse adduci pro ista: tum quia plura miracula ponuntur, ponendo transsubstantiationem, quàm negando: tum quia ista transsubstantiatio est ita difficilis ad intelligendum, & ita videtur repugnare rationi naturali: quia omni sequenti rationem naturalem videtur irrationabiliter posita, & per consequens plus auertere à veritate fidei, quàm absolutè ponere panem non manere per annihilationem, vel per aliquam aliam viam. Tertiò, quia ista transsubstantiatio non videtur magis probari ex Scriptura, quàm panem non manere, imò minùs. 7

Contra istas opiniones arguit quidam Doctor; contra primam sic, quòd ipsa est inconueniens, & impossibilis, & hæretica. Primum probatur ex tribus, primò, quia tollit reuerentiam debitam Christo, vt continetur in hostia: sibi enim in Eucharistia debetur cultus latriæ: sed si ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idololatriam, adorando creaturam. Secundò videtur inconueniens, quia tollit significationem huius Sacramenti: debet enim illud primò significare corpus, vt primum significatum: sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationem primi significati. Tertiò, quia tollitur debitus vsus Sacramenti: quia si maneret verè substantia panis, ipsa est verè cibus corporalis: huius autem Sacramenti vsus est, quòd sit cibus spiritualis.

*D. Thom. vbi suprà. Tres rationes D. Tho. contra primam sent. quòd sit inconueniens.*

Secundum verò, scilicet quòd hæc positio sit impossibilis, arguit per idem medium, tam contra primam opinionem, quàm contra secundam: quia nihil potest incipere esse vbi priùs non fuit, nisi per sui mutationem, vel alterius in ipsum, sed corpus Christi non mutatur per hoc, quòd Eucharistia conficitur, quia manet in cœlo, sicut priùs: ergo si nihil conuertitur in ipsum, non est magis realiter in altari quàm priùs fuit: hoc est, impossibile. 8

Tertium, scilicet quòd sit hæretica, probat sic: quia est contra Verbum Christi instituentis Sacramentum, Matth. 26. *Hoc est corpus meum*, non dicit, *Hic est*: sed, *Hoc est*. Si autem substantia panis maneret, vel annihilaretur, & non conuerteretur, veriùs diceretur, *Hic est corpus*, quàm, *Hoc est corpus*.

*Alia ratio D. Tho. qua probat primam, & secundam esse impossibiles. Probat D. Thom. relatas sent. esse hæreticas. D. Tho. vbi suprà q. 2.*

Contra opinionem secundam arguitur, specialiter contra hoc, quòd ponit resolutionem in materiam panis præiacentem: quia vel fieret in materiam nudam; & hoc est impossibile, quia tunc esset materia sine forma, & sic actus materiæ erit, & non erit: vel fieret in materiam sub aliqua alia forma, sed hoc est inconueniens, quia vel illud corpus aliud nouum, cuius est illa materia, esset simul cum speciebus, & corpore Christi, vel

mutaretur de loco illo,& vtrumque eſt inconueniens. Primum, quia impoſſibile eſt duo corpora eſſe ſimul.Secundum, quia ille motus localis illius poſſet percipi per expulſionem corporis alterius circumſtantis.

## COMMENTARIVS.

6

D. Thom. *Impugnat errorem. Ex cultu debito.*

*Ex veritate ſignificationis. Ex priuatione vſus debiti.*

*Secũda ratio. Ex natura conuerſionis requiſita.*

[a] *Pro opinione ſecunda*, &c. Inſinuat tres priores rationes factas pro prima, etiam adduci poſſe in confirmationem ſecundæ opinionis: mox ſubiicit rationes, quibus S.Thomas impugnat prædictas opiniones,ſeu errores:prima verò conſtat mediis tribus. Primum eſt, tolli cultum debitum Sacramento ex præſentia panis, & vini: quia ſic cultus eſſet idololatria, quia adoraretur creatura panis,quæ eſt ſub ſpeciebus. Secundum, propter inconueniens, quia ſequeretur,quòd primum ſignificatum non eſſet corpus, ſed panis. Tertium eſt, quia tolleretur vſus debitus Sacramenti,quia fieret in alimentum corporale,& non in ſpirituale.

Secunda ratio, quia poſitio eſt impoſſibilis, quia nihil fieri poteſt de nouo,vbi priùs non fuit, niſi per mutationem ſui, vel conuerſionem alterius in ipſum: ſed corpus Chriſti non mutatur per conſecrationem: ergo panis mutatur in ipſum.

*Tertia ratio: Quòd ſit contra formam Sacramenti.*

Tertia ratio eſt, quòd ſit hæretica, quia eſt contra formam Sacramenti, ciúſque veritatem Matth.26. *Hoc eſt corpus meum*, &c. non *hic*, ſed *hoc eſt corpus meum*: ſi autem panis annihilaretur, vel maneret, veriùs diceretur *hic eſt*,quàm *hoc eſt*, &c. Quartam rationem addit ſpecialem contra ſecundam opinionem, quia vel reſolutio fieret in materiam nudam, & hoc eſſet impoſſibile, quia illa nequit eſſe ſine forma, vel in materiam ſub alia forma, & ſic vel maneret corpus nouum ſub ſpeciebus, eſt autem impoſſibile duo corpora ſimul eſſe, vel non manere, & ſic ſenſu perciperetur motus eius ad alium locum, quod derogat fidei Sacramenti.

*Secundum errorem impugnat.*

*Ex natura reſolutionis, &c.*

## SCHOLIVM.

*Soluit impugnationes D.Thom. contra relatas ſententias, oſtendens quòd non cogunt, & in earum refutatione habet optimam & variam doctrinam,quam noto in margine.*

9

*Si panis maneret, nõ eſſent idololatræ, qui Euchariſtiã adorarent.*

Quidquid [a] ſit de opinionibus, iſtæ rationes non videntur eas efficaciter improbare. Prima non valet,quia modò non eſt idololatra,qui adorat Chriſtum in Euchariſtia:& tamen non poteſt negari,quin ſit ibi creatura aliqua, ſcilicet ſpecies illæ: ſed non eſt adorandum ſenſibile continens,ſed Chriſtus contentus, & eodem modo tunc dicetur Chriſtum contineri ſub pane quanto,& quali,& ita non panem adorari,ſed Chriſtum contentum in pane,vt in ſigno.

Et ſi obiicias ſaltem ſimplices, qui non ſic diſtinguunt,eſſent idololatræ. Dico,quòd ita poteſt nunc argui contra te, quia ſimplices non diſtinguunt accidentia illa à corpore Chriſti: in omnibus autem talibus eſt vna reſponſio, quia ſimplices adorant in fide Eccleſiæ, & hoc ſufficit eis ad ſalutem. Maiores autem diſtinctè adorant contentum, non ſignum continens, & hoc ſiue ſignum continens ſit accidens tantùm, ſiue ſubſtantia panis cum accidente.

*Si maneret panis, non minùs maneret ſignificatio ſpecierum.*

Ad ſecundum dico,quòd eſt ad oppoſitum, quia ſi eſſet hîc ſubſtantia panis, illa duplex ſignificatio eſſet vera,ſcilicet naturalis,quâ accidentia ſignificant ſubſtantiam panis: & illa quæ eſt ex inſtitutione diuina,quâ ſenſibile ſignificat corpus Chriſti:ſed nunc non poteſt ſaluari,niſi præcisè altera vera. Nec poteſt dici, quòd ceſſet ſignificatio naturalis propter aliam,quæ eſt ex inſtitutione, quia ſi ſic, tunc non ducerent accidentia illa naturaliter,quantùm eſt de ſe,ad deprehendendum ſubſtantiam panis; ſed totaliter ceſſaret in eis iſta ſignificatio, vel repræſentatio, quæ tamen priùs infuit eis: & tunc aliquo modo immutaſſent aliter intellectum ante conſecrationem, quàm pòſt: hoc nihil eſt.

*Primum ſignatũ ſpecierum ex inſtitutione eſt corpus, ſed ex ſignificatione naturali eſt panis.*

Reſpondeo ergo, quòd primum ſignificatum ex inſtitutione debet eſſe corpus Chriſti: & ita eſt, ſiue maneat ſubſtantia panis, ſiue non: ſed primum ſignificatum accidentium,quòd ſcilicet naturaliter ſignificant,ſemper eſt ſubſtantia illa, quam primò affecerunt,vel nata eſſent afficere,quia illa ſignificatio naturalis non mutatur.

10

*Species nutriunt.*

Ad tertium,non valet, quia modò manifeſtum eſt, quòd illæ ſpecies nũtriunt ſecundùm Apoſtolum 1. Corinth.11. *Vnus quidem eſurit,alius verò ebrius eſt*, & hoc ex perceptione ſpecierum ſacramentalium, & tamen non negatur hîc eſſe cibum animæ: tamen datur ipſum contentum ſub nutrimento corporali: & ita ſi poneretur panis manere, eſſet ibi nutrimentum corporale, & tamen contentum ſub illo eſſet tantùm nutrimentum animæ.

Aliud autem de impoſſibilitate, ſatis ſolutum eſt *diſt.* 10. *quæſt.* 1. quia incipit

hîc

hìc esse non sine omni mutatione, extendendo mutationem ad illam præsentiam simplicem.

Aliud [b] de *hoc*, vel *hic*, nihil est ad *B*: verum est enim quod, *Hoc est corpus meum*, &, *Hic est corpus meum*. Sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente. Eodem modo, si esset panis, non hoc, quòd est substantia panis, esset corpus, sed hoc, quod est contentum sub pane, est corpus. Maluit autem Saluator vti hoc vocabulo *hoc*, quàm *hic*, quia magis exprimitur veritas, licèt vtrumque dictum esset verum.

*Quare vsus est Christus ly* hoc, *potiùs quam ly* hic.

Ad aliud contra secundam opinionem posset responderi, ponendo annihilationem panis totaliter, vel si ponatur resolutio vsque ad materiam ex qua fuit; argumentum non cogit. Posset enim dici, quòd & in materiam nudam, & in materiam sub alia forma: & posset dici, quòd in manentem vbi priùs erat, vel motam inde localiter.

11 *Duplex actus, entitatiuus, & formialis. Potẽtia duplex, prima, omne cui nõ repugnat exiſtere; ſecunda, omne receptiuum actus ſecundo modo, vtramque diuiſionem actus & potentiæ, oſtẽdit ex Philoſ. variis locis. Tex. 1. & 2. Text. 11.*

Et quando arguitur contra primum, quia tunc materia esset sine forma, & sic in actu, & non in actu, æquiuocatio est de actu: quia vno modo actus est differentia entis oppositæ potentiæ, prout diuiditur omne ens, quòd est scilicet in actu, vel in potentia. Alio modo actus dicit habitudinem illam, quam dicit forma ad informabile, & ad totum, cuius est. Et eodem modo æquiuocatur de potentia, quia vt opponitur actui primo modo, dicit ens diminutum, cui scilicet non repugnat esse extra causam suam: ens autem in actu oppositum isti potentiæ, est ens completum in suo *esse* extra causam suam, quodcunque sit illud. Alio modo potentia dicit principium receptiuum actus secundo modo dicti, sicut materia dicitur potentia, & forma actus. Hæc distinctio planè patet per Philosophum, 9. *Metaph. in principio*: & etiam membra distinctionis probari possunt per dicta Philosophi in multis locis, loquentis de actu, & potentia, nunc sic, nunc sic, sicut in 7. Metaph. cap. pen. & 8. Metaph. cap. vlt. *Ex actu & potentia per se fit vnum*, non intelligitur de istis, vt oppositæ sunt, quia sic non sunt simul. alio modo 9. Metaph. cap. 5. *Est autem actus existere rem non ita sicut dicimus potentia.* Et pòst, explanando istam descriptionem, manifestat in multis oppositis, vt vigilans ad dormiens, & videns ad claudens oculum: & elaboratum ad illaboratum, *Huiusmodi*, inquit, *differentiæ est alteri parti actus determinatus, alteri autem potentiale.*

12 *Materia ſine forma eſt actus entitatiuus ſecũdum Auguſtinum. Materia ante creationem fuit potentia obiectiua, pòſt ſubiectiua. Text. 76.*

Ad propositum ergo, materia sine forma est in actu primo modo: & non in potentia, quod probatur per ipsum Augustinum *confessionum*. ecce verba sua: *Materia ipsa accepit à Deo hoc imperfectum* esse, *quod habet, scilicet in potentia.* & necesse est ipsum hoc ponere; quia materiam concedit à Deo creari, sed antequam crearetur, erat in potentia primo modo. Probatur, quia aliter crearetur, quod impossibile est creari: ergo post creationem fuit in potentia; non isto modo, quia tunc per creationem non esset aliqua entitas materiæ productæ: tantùm igitur post creationem fuit in potentia secundo modo, quia fuit receptiuum actus secundo modo dicti. Sed tunc est ignorantia Elenchi, cùm dicitur: Materia est in actu primo modo, & non in actu secundo modo: ergo est in actu, & non in actu. Eodem modo est æquiuocatio de potentia hinc inde.

Si etiam daretur secundum, scilicet quòd materia reciperet aliam formam, & maneret simul cum corpore Christi, non posset improbari, quin esset Deo possibile, quia non includit contradictionem. Si enim corpus Christi etiam quantum potest esse simul cum quantitate panis, & plus repugnat quantum quanto, quantùm ad simultatem, quàm substantia substantiæ, & per consequens plùs quàm substantiæ cuicunque. Sic enim arguit Philosophus 4. Physic. cap. de Vacuo, quòd si duo corpora possent esse simul, & quodlibet, sequitur quòd non est impossibile aliquam substantiam compositam ex illa materia, & noua forma manere simul cum corpore Christi. Si iterum daretur, quòd expellitur, non tamen sic, quòd manifestè appareat expulsio aëris, nec hoc potest probari impossibile Deo, quia nullam includit contradictionem.

## COMMENTARIVS.

7 a *Videquid sit de opinionibus*, &c. Negat has impugnationes esse efficaces, ideóque ad eas respondet eo ordine quo proponuntur.

*Respondet ad rationes præmissas.*

Ad primam respondet, negando tolli cultum, quia modò non tollitur, quamuis maneant species; cultus autem dirigitur ad Christum contentum, & tunc dirigeretur sine errore, si adesset substantia panis. Sed obiicies simplices non distinguentes inter hæc idololatrari. Respondet negando consequentiam, quia instantia facta etiam concernit simplices, qui non distinguunt inter continens, & contentum: *Eis*, inquit Doctor, *sufficit adoratio in fide Ecclesiæ*, id est, adorare quod Ecclesia adorat.

*Non committi idololatriã in cultu.*

Hæc responsio est satis fundata, quia adoratio regulam fidei sequitur, non sensum: & instantia est ex communi sententia, quam *infrà* tractabimus: nempe quando aqua non conuertitur in vinum ante consecrationem, manet in propria substantia, & non impedit adorationem veram sanguinis, quando

*Responsio approbatur.*

quando fit mutatio miraculoſa in ſpeciebus, vt cùm apparet caro, aut ſanguis, etiam adorantur.

8 *Ad 2. rat. Veritas ſignificationis non tollitur.*

Ad ſecundum reſpondet, ſignificatum ex inſtituto eſſe corpus Chriſti, non obſtante autem ſignificatione ex inſtituto, ſpecies non mutantur in ſignificatione naturali, quæ eſt mouere ſenſum, & intellectum ex ſenſu ad cognitionem ſubſtantiæ, quæ eſt ipſis connaturalis, ſiue actu ſubſit, ſiue non: ſapor enim, & color vini eſt, & perſeuerat.

*Confirmatur reſponſio.*

Vnde idem Sanctus in ſermone, qui legitur in officio diei Corporis Chriſti in ſecunda lectione, ita habet: *Accidentia autem ſine ſubiecto in eodem ſubſiſtunt, vt fides locum habeat, dum viſibile inuiſibiliter ſumitur aliena ſpecie occultatum; & ſenſus à deceptione reduntur immunes, qui de accidentibus iudicant ſibi notis*, &c. ſicut ergo manet ſignificatio naturalis accidentium quoad ſenſum, ſic etiam quoad intellectum. Vnde Doctor dicit ſubſtantiam, quæ ineſt, vel ineſſet, debere eſſe ſignificatum accidentium naturale: & benè, quia intellectus noſter pro hoc ſtatu nequit iudicare certò, aut ſcire lumine naturali, ſequendo viam ſenſus, ſi ſubſtantia inſit, vel non, quia à ſubſtantia non mouetur, ſed ab accidentibus ſenſibilibus.

9 *Reſponſ. ad 3. Species de facto nutrire.* Chryſoſt. Theophyl.

Ad tertium reſpondet, etiam de facto ſpecies ſacramentales nutrire, quod incidenter probat tanquam ex effectu per verba Apoſtoli: *Vnus quidem eſurit*, &c. quæ licèt non de cœna Euchariſtiæ, ſed de Agape quidam intelligunt cum Chryſoſtomo, & Theophylacto: tamen etiam hanc interpretationem, quam inſinuat Doctor, habet author Commentarij in epiſtolas Pauli inter opera Ambroſij: (ſit ipſius, vel alterius) & Magiſter ſentent. ex ipſo *in 1. ad Cor.* 11. quam inſinuare videtur Auguſtinus *tract.* 62. *in Ioan.* quatenus docet reprehendi ab Apoſtolo eos, qui non diſcernebant Euchariſtiam à cibo prophano: quem ſequitur Beda in Apoſtolum loco citato: eam ſequitur noſter Gutierrez de Trejo Placentinus in ſuo copioſo commento ſuper epiſtol. Pauli in locum prædictum.

*Author Commentarij inter opera Ambroſ.* Petr. Lomb. Auguſtinus. Beda. Gutierrez Trejo.

10 *Reſponſ. ad 3.*

b *Ad aliud de* hoc, *vel* hic, *nihil eſt ad* B, &c. Hic dicit Doctor, quòd forma corporis: *Hoc eſt corpus meum*, &c. eſſet vera, ſicut & hæc: *Hic eſt corpus meum*, quamuis ſubſtantia panis manet, quia deſignatur contentum ſub ſpeciebus, & deſignaretur contentum ſub pane in eo caſu, non verò ipſe panis, vel ſpecies: ne autem putaretur aſſerere, *Hic eſt corpus meum*, eſſe formam conſecrationis, aut æquialentem, dicit quòd Dominus maluit vti particula *hoc*, quàm *hic*: quia magis exprimitur veritas per ly *hoc*, quia nempe demonſtrat ipſam rem primò, quam particula *hic*, demonſtrat ratione loci: Chriſtus autem non eſt ſub ſpeciebus vt in loco, licèt ſit in loco ſpecierum.

*Manere veritatè formæ, quantùm ad demõſtrationẽ particulæ.*

*Kemnitij calumnia. Reiicitur.*

Reiicienda eſt hîc in primis calumnia Kemnitij loco citato aſſerentis: Scotus, inquit Cameracenſis, atque alij diſertè fatentur, neque verbis Scripturæ, neque Symbolis fidei, neque veterum ſententiis cogi nos ad dogma tranſſubſtantiationis, &c. aliqui aſſerunt Cameracenſem ita dixiſſe. Scotus autem expreſsè docet contrarium, vt patebit in concluſione huius articuli.

11 *Controuerſia cum modernis.*

Cæterùm moderni Scriptores reſponſionem præmiſſam Doctoris, totis viribus impugnant, quin etiam vellicant, aſſerentes plurimùm facere hæreticis, & defendi non poſſe: vnde prædictam ſententiam D. Thomæ de veritate formæ, & particulæ demonſtratiuæ ſequuntur, quam ipſe tenet *3. part. quæſt. 75. art. 2. in 5. contra Gentes, cap. 63. & in præſenti diſt. quæſt.* 1. Bellarminus *lib. 3. de Euchariſtia.* Sotus *in 4. diſt. 9. art. 4.* Suarez *diſp. 49. ſect. 2.* Vaſquez 180. *cap. 5.* cum Doctore verò noſtro ſentit Durandus *in hac diſt. quæſt.* 1. Paludanus *ibidem.* Ocham *in 4. quæſt. 6. quodlibeto 4. quæſt. 30.*

Sotus. Suarez. Vaſquez. Durandus. Paludan. Ocham.

Controuerſia ſolùm eſt de virtute particulæ demonſtratiuæ; an poſſit demonſtrare corpus Chriſti contentum ſub ſubſtantia panis quanti, & qualificati; non autem an propoſitio, vt eſt conuerſiua de facto, verificari poſſit in ſenſu vero, niſi factâ conuerſione, quia Doctor *infrà* admittit hunc eſſe præciſum eius ſenſum, inquantùm practica eſt, & de facto ex inſtitutione Chriſti.

*Punctum cõtrouerſiæ declaratur.*

*Quæſtionis modus.*

Tantùm ergo quæritur, an hic ſenſus eius practicus euidenter colligatur ex particula demonſtratiua, inquantùm hæc ex inſtitutione communi hominum ſignificet, ita vt aliàs demonſtratio, & conſequenter oratio eſſet falſa, niſi fieret conuerſio, quamuis Chriſtus eſſet præſens ſubſtantiæ panis, eo modo, quo nunc eſt præſens ſpeciebus. Vel certè an ita poſſit accommodari inſtitutio Chriſti huic formæ, ſaluâ eius veritate ſpeculatiuâ, quam habet ex communi hominum inſtituto, vt faceret corpus Chriſti præſens, non conuertendo ſubſtantiam panis in ipſum.

*An demõſtratio eſſet fal. ſa, præſente Chriſto.*

Vtrumque horum affirmat Doctor: neque inde fauet hæreticis, quorum fundamenta conuellit: neque fides patitur, ſi ratio illa ſubtrahatur: quâ contenditur ex veritate ſpeculatiua, tam propoſitionis, quàm demonſtrationis, colligi euidenter conuerſionem panis fieri in corpus Chriſti, prout contendit ſententia aduerſa.

12 *Concluſio Doctoris.*

Non ſunt ergo confundendæ hæ duæ ſignificationes formæ, quarum altera eſt ſpeculatiua, quæ eſt ex inſtituto humano, & nullius factiua: altera verò practica ex inſtitutione Dei, & Chriſti, quâ hæc propoſitio eſt factiua ſui termini; eo modo, quo reliquæ formæ ſacramentales dicuntur practicæ ex diuina tantùm inſtitutione, & non humanâ: quæ eſt fidei veritas, vt ſuo loco probatum eſt. Et ne has ſignificationes confundamus, agendum erit de particula, & propoſitione demonſtrante iuxta veritatem, quæ illi competit in priori ſenſu ſpeculatiuo.

*Duplex ſignificatio formæ.*

Probatur ergo concluſio Doctoris ratione, quam ipſe inſinuat; quia ly *hoc* in illa propoſitione non demonſtrat accidentia, quæ ſunt præſentia, ſed contentum tantùm ſub accidentibus eſſe corpus Chriſti. Sed in caſu habere poſſet eandem veritatem, quamuis maneret ſubſtantia panis: ergo ex vi ſermonis non colligitur ſubſtantia panis abeſſe inquantùm propoſitio eſt demonſtratiua.

13 *Prima prob. Non demonſtrat accidentia.*

Probatur minor: particula demonſtratiua non magis nata eſt referri ad ſubſtantiam panis, quantùm ad ſignificationem abſolutam, quæ ipſi competit, quàm ad quodcunque ens præſens: quia ſignificat ens indeterminatum: ergo non magis nata eſt demonſtrare ſubſtantiam panis, quàm ipſa accidentia, pro quibus determinatè etiam ſupponere poteſt: ergo ſi in illa propoſitione non deſignat accidentia, ſed tantùm corpus Chriſti, ita etiam non deſignaret ſubſtantiam panis, ſi adeſſet.

*Quid ſignificet particula hoc.*

Dices ly *hoc* denotare ſubſtantiam, & non accidentia, referri verò ad illam ſubſtantiam, quæ habet maiorem connexionem cum accidentibus, qualis eſt ſubſtantia panis, ſi adeſſet, quia

*Reſponſio. Significare contentum connaturale.*

principa

principaliter significatur per accidentia,& ex natura rei.

14 *Prædicatum non diceretur de substantia panis.*

Contrà,talia sunt subiecta secundùm suppositionem, qualia permittuntur à prædicatis,sed ly *hoc* in illa propositione est subiectum : ergo non supponit nisi respectu prædicati,quod est corpus Christi : ergo non respectu alterius, de quo nequit prædicatum,vel absolutè, vel vt est prædicatum huius propositionis, affirmari : sicut reuera nequit prædicari de substantia panis, in qua ratio prædicati non includitur : ergo quamuis adesset panis, non supponeret pro ea particula demonstratiua in illa propositione : & consequenter maneret vera tam propositio, quàm demonstratio.

*Particula in propositione supponit respectiuè ad alias.*

Probatur prima consequentia, quia particula categorica, aut syncategorica in oratione nequit referri ad aliquid, ad quod significatio integra propositionis, & orationis non refertur : verbi gratiâ in hac oratione, *animal est rationale*,nequit subiectum referri ad aliud, ad quod non refertur prædicatum. Et ratio est, quia licèt animal possit importare suas species absolutè sumptum extra orationem, tamen in oratione integrat, vt pars, ipsam orationem cum reliquis concurrentibus, vt se mutuò determinant, quo sensus integræ orationis, complexus & diuersus à significatione partium eius seorsim sumptarum consurgat.

15 *Nec significatio,nec modus eius importaret subsistantiam panis.*

Ex quo patet etiam secunda consequentia,quia significatio illius propositionis nequit referri ad illud,cui repugnat prædicatum secundùm significationem,& modum significandi : sed esse corpus Christi,quod est prædicatum, neque ex significatione importat subsistantiam panis : neque ex modo significandi, cùm sit concretum substantiale, quod non concernit aliquid extrinsecum, & disparatum, qualis est substantia quæcunque alia etiam præsens. Neque ponitur aliqua particula ex parte subiecti, verbi gratiâ,particulæ demonstratiuæ *hoc*, quo distribueretur pro omnibus significatis indeterminatis,autpro pluribus.

Quia significat singulare, & illud determinatum, pro quo affirmatur prædicatum, quia sicut subiectum in propositione importat prædicatum, sic etiam supponit pro prædicato determinatè,vt componit partem,seu extremum propositionis,aliàs non coalesceret cum reliquis, vt pars complexi, neque aliter supponeret in oratione, quàm extra orationem : vnde fieret, vt nulla propositio de prædicato determinato, & subiecto communi, aliàs indeterminato esset vera : quod falsum est,& absurdum.

Nam si in exemplo allato, verbi gratiâ, *animal est rationale*, vel *homo currit*; subiectum poneret omnia sua significata indeterminata in oratione respectiuè ad prædicatum, propositio simpliciter esset falsa & æquialeret huic vniuersali falsæ, *Omne animal est rationale* : ergo perinde illa particula demonstratiua, *hoc*, ita se habet in illa propositione, vt pro nullo supponat determinatè, nisi pro eo,cui competit prædicatum.

16 *Secùda ratio ad idem. Significare determinatè, & indeterminatè contradicunt.*

Secundò probatur conclusio, & impugnatur simul prædicta solutio, in qua consistit fundamentum sententiæ oppositæ. Nullus terminus significans indeterminatè ex natura sua supponit,aut significat determinatè ex natura sua, quia hoc inuoluit expressam contradictionem : ergo vt significet determinatè,est ex adiuncto,quod limitat terminum aliàs communem,aut indeterminatum in supponendo, vt importet tantùm aliquod determinatum.

*Signa sequuntur naturam significati.*

Signa enim,vt sunt voces,quantùm ad hoc sequuntur naturam rerum, pro quibus substituuntur,vt calculi,ex Philosopho *in primo Elenchorum*, & sermo accommodatur rei : in rebus autem quidquid est indifferens, se ipso non determinatur, sed per aliquid aduenies per modum differentiæ,& formæ,vel modi, &c. sed ly *hoc* significat indiuiduum entis indeterminatum : ergo non refertur ex se ad demonstrandum aliquod determinatum, nisi ex adiunctis, sed in prædicta oratione, nulla particula determinat ad substantiam panis,vt pro ea supponat,& omnes determinant, vt supponat pro corpore Christi : ergo non panem demonstraret, sed corpus Christi ex rigore sermonis. Maior patet,quia perinde demonstrare potest substantiam,& accidens, Deum,& creaturam,& quodcunque indiuiduum creaturæ, vt patet formando per singulas propositiones.

17 *Per exempla probatur.*

Et vt cætera omittam, hæc propositio est vera; *Hic est calix congelatus*,designando calicem consecratum, vbi demonstrantur tantùm species, quibus competit prædicatum,& non ipsum contentum,cui repugnat:*Hic calix calefit,rarefit*,&c, quæ prædicata sicut tantùm conueniunt speciebus consecratis, ita etiam demonstratiua particula ad eas solas refertur, & non ad Christum contentum,alioquin propositio non esset vera:ergo particula demonstratiua id determinatè tantùm demonstrat,ad quod limitatur adiuncta.

In proposito limitatur per adiunctum prædicatum, vt demonstrat corpus Christi præcisè, & non aliud,sicut in præmissa propositione, *Hic est calix congelatus*, vt supponat pro speciebus tantùm,& non pro sanguine contento.

18 *Tertia ratio ad idem. Demonstratio non est exclusiua aliorum præsentium.*

Tertiò ad idem:illa propositio non demonstrat corpus Christi præsens,cum exclusione aliorum præsentium : ergo non demonstrat corpus Christi cum exclusione substantiæ panis de rigore sermonis, & ex virtute tantùm particulæ demonstratiuæ. Secludo sensum practicum, de quo iam non est sermo, sed præcisè de vi sermonis ex communi impositione; & quantùm ad sensum in eo fundatum,& veritatem.

Antecedens patet, quia non excludit accidentia, licèt determinatè referatur ad contentum, quod demonstrat : sicut in hac propositione : *Hoc Sacramentum est fractum* : *Hoc Sacramentum teritur dentibus*, &c. ly *hoc* demonstrat præcisè species: quia *nulla rei fit scissura,signi tantùm fit fractura* : vbi ly *hoc*, licèt determinatè demonstret species, tamen non excludit corpus Christi esse præsens: eodem ergo modo ly *hoc* in priori propositione, licèt demonstret corpus Christi esse præsens; tamen non excludit per hoc, quin alia sint præsentia,aliàs esset falsa, quamuis præsentiam aliorum non demonstret:ergo etiamsi panis esset præsens, adhuc propositio illa esset vera.

*Probatio ab homine.*

Probatur consequentia, quia hæc esset in eo casu vera,*Hic est panis triticeus*, secundùm opinionem aduersariorum : & quamuis esset corpus Christi præsens,nõ demonstraretur eius præsentia,neque excluderetur, alioquin propositio esset falsa:vel ergo præsentibus vtrisque neutrum determinatè posset demonstrari præsens per veram propositionem : quod non admittunt aduersarij, vel certè alterutrum potest determinatè demonstrari præsens seorsim,& verè.

Patet consequentia, quia sicut illa duo habent diuersas

diuersas entitates, & præsentias, in quibus non communicant, ita etiam habent rationem signati differentis, & demonstrabilis determinatè: & ita esset in re prout affirmatur per demonstrationem vocalem, quod sufficit ad veritatem propositionis per regulam communem, *ex eo quod res est, vel non est*, &c.

19 Dices alteram propositionem fore veram, quæ demonstrat panem, quia illud significatum accidentium naturale est.

*Significatio naturalis nō derogat instituto.*

Contrà, hæc responsio non tollit difficultatem, quia accidentia sunt signa panis in *esse* rei, neque hæc significatio ipsorum variat, aut facit ad significationem illius propositionis, quæ est ex instituto, & non refertur ad accidentia, sed ad contentum sub accidentibus: licèt ergo accidentia non significarent aliud contentum, quàm suum connaturale subiectum, quod etiam falsum esset, non sequitur quin in reipsa continerent corpus Christi præsens: suppono enim, quòd corpus Christi fieret præsens sub accidentibus simul cum substantia panis, quem casum vt possibilem Deo admittunt plerique authores aduersæ opinionis.

*Propositio esset vera, designans præsentiam.*

In eo ergo casu hæc esset falsa: *Corpus Christi non est præsens sub accidentibus panis*: ergo hæc vera esset: *Corpus Christi est præsens sub accidentibus*: ergo etiam potest demonstrari hæc præsentia eius: *Hoc est corpus Christi præsens accidentibus*: nisi dicatur non posse demonstrari rationem præsentiæ, quæ in re facta esset: quod omnino est falsum.

*Præsentia vera, & in re facta est demōstrabilis.*

Quia demus casum, quòd Deus causaret visionem corporalium, vt aliqui putant, vel certè intellectualem corporis Christi in Angelo, aut Beato, posset demonstrare corpus Christi intellectualiter: ergo etiam hæc propositio illi esset vera, *Hoc est corpus Christi*, designando corpus, quod videret, quia nihil affirmaret, nisi quod in re est, & videt: ergo etiam alius ex reuelatione miraculi ipsi factâ, si dissentiret huic propositioni, *Hoc est corpus Christi*, esset infidelis, quia dissentiret veritati reuelatæ: ergo propositio illa esset ei materia credendi, ac proinde in re ipsa vera in significando: cuius veritas non dependet à modo significandi accidentium, quia est alterius generis, & fundatus in connexione naturali ipsorum ad proprium subiectum.

*Esset propositio fidei reuelabilis.*

De facto autem illa propositio, *Hoc est corpus meum*, non includit modum significandi accidentium naturalem, neque connotat tanquam rationem significandi, neque vt rem significatam, neque vt partem rei significatæ, aliàs non staret eius veritas, neque vt modum significandi: & in vniuersum nulla particula illius propositionis exprimit accidentia.

20 Vt ergo ratio hæc ampliùs pateat: dices connotari accidentia in obliquo, & contentum significari, quod est corpus Christi, vt quod respectiuè ad accidentia quà sunt continens; si autem adesset substantia panis, supponerent pro ipsa tantùm, tanquam significato primario, & naturali, non pro Christi corpore. Contrà, eatenus connotaret accidentia, quatenus primò supponit proposito, & demonstratiua particula pro corpore Christi contento, & se habent vt continens: sed verè, & realiter continerent in eo casu: ergo vt sic importata, aut connotata non ponerent aliquid repugnans veritati propositionis: & sic etiam ea importari non facit propositionem esse falsam.

*Cōnotari accidentia vt quo.*

*Non derogat veritati.*

Demus vlteriùs importari vt signum corporis Christi: sic argumentor, non importarentur, nisi vt ipsum corpus significatur tanquam primò significatum, & consignificatum in re ab ipsis accidentibus, tanquam signis in re, id est, extra vocem: sed sic tantùm importarentur, vt signum supernaturale, & ex instituto corporis, non vt significant significatione naturali substantiam panis: ergo etiam sic importata nihil addunt repugnans veritati propositionis.

*Cōnotarentur, vt signū ex instituto, & non naturale.*

Patet subsumptum, quia nequeunt aliter importari, aut connotari, nisi quà spectant ad corpus, quod significarent, & vt essent terminus eius præsentiæ, vel haberent ordinem ad ipsum: totum hoc est supernaturale in ipsis, nihilque derogat significationi naturali ipsorum, neque hoc modo possunt communicari pani, aut ipsum significare: ergo nihil obstaret veritati rei, aut propositionis talis connotatio.

21 Quartò, & est ad idem veritas demonstrationis in prædicta propositione, vel desumitur ex conformitate ad rem ipsam, vel ex conformitate ad sensum, & intellectum, quibus demonstratur mediante sensibili accidente res contenta. Sed in proposito casu omnia saluarentur respectiuè ad corpus Christi præsens, sicut modò saluantur, quantùm ad veritatem propositionis de rigore sermonis spectat: ergo, &c. Probatur minor, quia quantùm ad rem ipsam supponitur corpus Christi præsens, quantùm ad sensum, & intellectū lumine naturali tantùm præditum, manet eadem significatio naturalis accidentium, sicut & natura, aliàs euacuaretur fides, & cognosceretur absentia panis ex vario modo repræsentandi accidentium, qui esset in sola mutatione vtriusque potentiæ, quæ eadē est nunc, sicut si adesset substātia panis.

*Quarta ratio ad idem.*

*Maneret significatio naturalis accidentium.*

Quoad intellectum etiam lumine fidei illustratum, cognosceretur præsentia corporis Christi sub speciebus, vel sub pane, & illæ repræsentarent intellectui eleuato, vt signa, supernaturali significatione, & ex instituto, non obstante significatione naturali accidentium, quæ est alterius generis, sicut etiam modò vtraque significatio manet, & compatitur, & vsus signi est secundùm vnam, & aliam respectiuè ad diuersum sensum, & intellectum.

*Naturalis, & supernaturalis etiam manet.*

Confirmatur, accidentia reliqua præter quantitatem ex communi opinione non solùm dicunt ordinem ad substantiam, sed etiam ad quantitatē, vt ad subiectum, cui inhærent, quibus talis ordo est connaturalis. Demus vlteriùs quantitatem recipere, vt aliqui volunt, perfeitatem existendi, vt fiat subiectum *quod* accidentium, & respectiuè ad omnes transmutationes, quæ fiunt circa hoc mysterium, saltem accidentales, sic argumentor: non obstante inhærentiâ actuali accidentium ad quātitatem, quæ est ipsis subiectum cōnaturale, & significatione consequente talem connexionem, de facto saluatur hæc propositio vera, *Hoc est corpus meum*: ergo etiamsi maneret inhærentia actualis eorum ad substantiam panis, posita præsentia Christi, illa propositio esset eiusdem veritatis, & per consequens demonstratio esset vera, & accidentia, seu panis accidentatus significaret ex instituto corpus Christi à paritate.

22 *Confirmatur.*

*Demōstrationi non obstat inhærentia qualitatum.*

Quintò, particula demonstratiua aduerbialiter sumpta verificaretur de corpore Christi respectiuè ad locum in eo casu, dicēdo, *Hic est corpus Christi*: ergo & existentia per pronomē dicendo, *Hoc est corpus Christi*. Probatur consequentia, quia benè sequitur,

23 *Quinta ratio. Ex particula aduerbiali.*

sequitur, hic est corpus: ergo est, vel existit: ergo quidquid demonstrari potest quoad locum, potest demonstrari verè quoad existentiam: & vtraque demonstratio erit vera. Præterea, quando terminus aliquis pro diuersis accipi, & supponere potest in oratione, per diuersas significationes eiusdem etiam ordinis, potest per adiuncta limitari vt pro vno tantùm supponat: verbi gratiâ, homo potest habere suppositionem simplicem, aut personalem; vt *homo est animal, est species*, vel *homo currit*, vtraque est vera, vbi subiectum præcisè supponit pro prædicato: ergo à fortiori, quando significationes sunt diuersi ordinis, vt vna sit naturalis, alia ad placitum, ratione adiuncti potest vel pro naturali significato, vel pro illo, quod est ex instituto supponere in vera propositione.

*Significatio multiplex limitatur ad suppositionem determinatã.*

Et sic contingit in proposito, vbi forma ex instituto Christi significaret præsentiam corporis; ex naturali verò significatione alij volunt substantiam panis. Præterea terminus æquiuocus sumi potest secundùm aliquos pro altero æquiuocatorum: ergo etiam in proposito idem contingeret. Antecedens patet, quia *canis currit*, est vera; ac proinde subiectum supponit pro animali.

*Idem de termino æquiuoco secundùm alios.*

24 Confirmatur, dando quòd in eo casu, manente substantiâ panis, Christus institueret formam illam, *Hoc est corpus meum*, tanquam signum practicum præsentiæ corporis sui, non autem conuersiuum panis in ipsum, significaret demonstratiuè Christum præsentem, & non aliter quàm ex instituto, faceret etiam præsentem. Non potest autem assignari vlla repugnantia, quin sic posset institui: sicut nequit dari repugnantia, quin sic posset fieri præsens: maneret ergo veritas demonstrationis quamuis adesset substantia panis.

*Confirmatur.*

*Casus possibilis.*

*Responsio.* Dices ex natura rei deduci absentiam panis ad positionem corporis Christi, & sic ex vi consequentiæ saltem significat abesse panem tanquam terminum incompossibilem. Contrà: hæc responsio est falsa, nec facit ad propositum, quia supponitur casus, & quæritur de veritate formæ; an in eo possit stare, & quidquid sit de significatione practica; saltem in significatione speculatiua non esset falsa.

*Impugnatio.*

*Veritas speculatiua supponit præsentiam.* Imò neque in practica: quia veritas practica est fundamentum veritatis speculatiuæ; ex eodem enim habet veritatem, tanquam à causa speculatiua propositio, à qua ponitur corpus Christi sub speciebus. Vnde illa propositio in alia materia non consecrabili esset falsa, quia ibi non esset corpus Christi, vt si dicatur super panem auenaceo: ergo oportet illam formam participare veritatem speculatiuam à practica, seu ab alia causa ponente corpus sub speciebus.

25 Probatur ergo primum, dato casu, qui admittitur, aliàs non esset locus controuersiæ: nec quærendum esset, an illa forma significaret absentiam panis. Ad veritatem consequentiæ requiritur positio antecedentis repugnantis: in proposito antecedens est præsentia Christi significata per formam: sed neque hæc ex natura rei, neque ex instituto Christi in eo casu repugnaret præsentiæ panis: ergo neque eius absentia significaretur per illam formam ex consequenti ad primum significatum quo demonstraret præsentiam Christi.

*Casus nõ infert ex consequẽti destitutem panis.*

Patet subsumptum, quia de potentia absoluta id fieri potest; neque inter Angelum positum sub pane, & ipsum panem repugnantia illa inuenitur, quamuis esset totum in toto, & totum in qualibet parte: neque hoc destrueret essentiam panis, quia nihil ad *esse* eius requisitum tollit, neque intrinsecum, neque extrinsecum: & si imaginari posset repugnantia, illa solùm esset ratione loci; neque hæc ipsa, quia corpus est præsens non quantitatiuè; & duo etiam quanta possunt in eodem loco poni de potentia absoluta (de quibus *infrà*) neque ex instituto Christi illa repugnantia esset in casu expresso, qui possibilis est: ergo à primo ad vltimum illa forma in sensu speculatiuo demonstrans præsentiam corporis tantùm, neque ex consequentia refertur ad desitionem panis: ac proinde totum eius significatum verificatur, quamuis adesset substantia panis.

*Nihil intrinseci, aut extrinsecum panis tollit.*

Sextò, posset conuerti substantia panis in corpus, & animam Christi, tanquam duo prima significata non subordinata per hanc formam: *Hoc est corpus, & hæc est anima mea*: ita vt corpus non esset sub speciebus ratione animæ, neque anima ratione corporis, sed vtraque æquè primò. Vtraque demonstratio esset vera, & vtraque propositio, quamuis neutra importaret per se ex vi verborum alteram: vel ponuntur aliqua duo quæ in re non dicunt ordinem ad inuicem: posset enim fieri conuersio in plura significata prima, sicut fit de facto in vnum: ergo non impedit veritatem vnius demonstrationis, quòd species contineant, & significent etiam alterum: ergo etiam à paritate non impediret significationem, & veritatem illius: *Hoc est corpus meum*; si propositio non esset conuersiua, vt substantia panis esset præsens, & significaretur per species. 26 *Sexta ratio.*

Confirmatur ex communi sententia, quia non impedit veritatẽ formæ sanguinis, quæ est etiam demonstratiua, quando ex casu non conuertitur in vinum aqua, quæ est in calice, & hoc non obstante Ecclesia per particulam demonstratiuam designat corpus, & sanguinem Christi in illa precatione Canonis: *Supplices te rogamus*, &c. *iube hæc perferri*, &c. *ex hac altaris participatione*, &c. *hæc commixtio, & consecratio corporis & sanguinis*, &c. ergo & particula demonstratiua designare potest præsentiam sanguinis, quamuis aqua sit admista in calice, & simpliciter ex sensu Ecclesiæ demonstrat corpus & sanguinem præsentem suppositа consecratione in sensu speculatiuo, & tum post consecrationem, nihil efficiendo circa corpus & sanguinem; ac proinde esset vera, etiamsi panis adesset, aut corpus Christi fieret præsens cũ pane. 27 *Confirmatio. Ex communi Doctorum. Et sensu Ecclesiæ.*

Vnde colligitur ad veritatem demonstrationis simpliciter, & absolutè saluandam, iuxta id quod habet ex communi acceptione, non fuisse necessarium conuersionem fieri, vt fit modò virtute formæ per destructionẽ panis: quia quotquot dicebant Christum non consecrasse hac forma, saluabant veritatem demonstrationis, vt proferebantur etiam verba à Christo suppositâ consecratione, quamuis non respiciebant panem, aut conuersionem in sensu practico.

*Ex sensu eorum, qui dicebant Christum non conferasse verbis.*

Hanc etiam conuersionem Deus ita facere potuit, vt fieret Christus sacramentaliter præsens, non conuerso pane in ipsum; sed vel annihilato, vel eo separato, & alibi conseruato: quo casu saluaretur demonstrationis veritas sine vllo ordine formæ ad panem: ergo videtur ad demonstrationis veritatem solùm requiri, vt Christus sit præsens sacramentaliter, vel alio modo realiter, siue panis sit præsens, siue non: quòd si dicas, quòd requiratur absentia panis, iam *suprà* hoc impugnatum est.

*Potuisse fieri cõsecrationem annihilando panẽ, aut alibi conseruando.*

Sequitur ergo ex hactenus dictis, ex vi solius 28

*Concluſio Doctoris, & cauſa per ſe. definitionis panis per conuerſionem.*

demonſtrationis, vt vera eſt, denotari corpus eſſe præſens realiter quoad ſubſtantiam; quà verò eadem forma eſt conuerſiua panis in corpus Chriſti denotat abſentiam panis: & hic ſenſus eſt verus, & practicus formæ ex inſtitutione Chriſti, non hominum; quem colligimus ex declaratione Eccleſiæ, & Patrum, atque traditione. Et vt *ſuprà* dictum eſt, agendo de ſignificatione formæ *diſt.8.q.3.* priùs forma eſt vera practicè, quàm ſpeculatiuè, & priùs ſit virtute formæ, vt eſt ſignum actiuum inſtitutum à Chriſto, corpus præſens ſacramentaliter, quàm demonſtratiua particula verè demonſtret eſſe præſentem: ita vt hæc veritas ſpeculatiua, & demonſtratiua formæ ſupponat virtutem practicam, vt cauſam, & fundamentum; cùm aliter non fiat corpus præſens, quàm per conuerſionem: vt probatum eſt etiam quæſtione præcedenti contra Vaſquez, idque ex Tridentino.

29 *Obiectio prima.*

Obijcies; Eccleſiam ex verbis formæ colligere non eſſe ſubſtantiam panis & vini; vt patet ex Trident. ſeſſ.14.c.4. *Quoniam autem*, inquit, *Chriſtus Redemptor noſter corpus ſuum id quod ſub ſpecie bus panis offerebat, verè eſſe dixit; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri*, &c. *Vaſquez cenſura contra dicta.* *Non refert ergo*, inquit Vaſquez, *quòd aliqui in traditionibus, & doctina Patrum parum verſati oppoſitum dixerim, &c. nam de antiquo Eccleſiæ ſenſu non vnius, aut alterius Doctoris, ſed iudicio Concilij iure ſtare debemus.* Præterea multò ante Concilium Lateranenſe hoc dogma fuiſſe expreſsè definitum conſtat contra Berengarium.

*Sententia Doctoris notata à prædicto Authore.*

Hîc taxat noſtrum Doctorem, ſicut in præcedentibus eius explicat ſententiam in duobus conſiſtere; nempe dogma fidei fuiſſe ſemper in Eccleſia de præſentia corporis, & ſanguinis Domini: de conuerſione verò ſubſtantiæ panis, & vini, non fuiſſe tale dogma ante Concil. Lateranenſe.

30 *Verus ſenſus Doctoris.*

Repondeo in primis malè interpretari Vaſquez ſententiam Doctoris: verba eius ſunt in reſolutione articuli: *Quantum ad iſtum articulum quid ſcilicet ſit tenendum. Reſpondeo quod communiter tenetur, quòd nec panis manet, contra primam opinionem, nec annihilatur, nec reſoluitur in materiam primam, contra ſecundam opinionem; ſed conuertitur in corpus Chriſti: & ad hoc multum expreſsè videtur loqui Ambroſius, cuius duæ authoritates ſuprà adductæ ſunt, & plures habentur de conſecrat. diſt.2. & ponuntur à Magiſtro diſt.10. & diſt. iſta.*

*Vidiſſe Patres in hac quæſtione.*

Vidit ergo Scotus Ambroſium; vidit & reliquos citatos à Magiſtro; vidit & omnes, quos congerit Gratianus *de conſecr. diſt.2.* congerit autem pleroſque maioris authoritatis.

Accedit quòd diſt. 10. quæſt. 1. §. *Hîc duo ſunt* *Probat veritatẽ fidei ex Scriptura, & Patribus.* *declaranda*, egregiè & paucis verbis probat ex Scriptura realem præſentiam contra hæreticos; in fine ſubdit argumentum ex authoritate SS. Patrum: *Sancti etiam omnes poſtea Catholici exponentes iſta loca Scripturarum, dicunt eſſe intelligenda de reali præſentia corporis Chriſti, non figuratiuè*; & concludit: *vnde eſt ſimpliciter hæreſis hodie ſentire, quòd non ſit ibi realiter verum corpus Chriſti*, vbi optimè explicat locum obſcurum Auguſtini: ergo non ſolus Vaſquez vidit Patres; nec Scotus imparatus acceſſit ad controuerſiam Scholaſticam, quæ mouetur tantùm in caſu poſſibili, an ſtare poſſit veritas demonſtrationis, iuxta ſenſum explicatum.

31

Et ſubiungit hîc; *principaliter autem videtur mouere quod de Sacramentis tenendum eſt, ſicut tenet Sancta Romana Eccleſia: ſicut habetur Extra de hæreticis, cap. Ad abolendam. Nunc autem ipſa tenet panem tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem: ſicut manifeſtè habetur Extra de Summa Trinitate, & fide Catholica, vbi dicitur: Ipſe Ieſus Chriſtus Sacerdos eſt, & ſacrificium, cuius corpus & ſanguis in Sacramento altaris ſub ſpeciebus panis, & vini veraciter continetur, tranſubſtantiatis panè in corpus, & vino in ſanguinem diuinâ poteſtate*, &c.

Hîc ſolùm Doctor allegat definitionem Eccleſiæ in Concilio generali æditam, nihil aſſerens, ſi ea veritas aliàs fuerit definita, vel non: vnde ergo colligitur eum negaſſe aliàs fuiſſe hanc veritatem definitam.

*Cur citat Lateranenſe.*

Deinde eſto hæc veritas fuerit definita in Concilio Romano ſub Gregorio VII. Acta illius Concilij non extant, neque authores, qui mentionem eius faciunt fuêre peruij: ſed à pauco tempore emerſerunt; neque in corpore iuris inter canones Eccleſiæ mentio eius habetur per ſolemnem promulgationem, ſicut contigit in definitione Concilij Lateranenſis.

32

Rectè ergo Doctor probans ſenſum Eccleſiæ recurrit ad acta publicata, & communi Eccleſiæ acceptatione recepta: de quibus nemo dubitare poteſt. Si ergo ipſa Eccleſia inter canones non inſeruit acta prioris Concilij, non eſt vertendũ negligentiæ, aut errori Theologorum, ſi ex receptis, & de quibus nullus dubitare poſſet, procedant.

*Vtitur Doctor canone promulgato ab Eccleſia, & certo.*

Inter canones autem promulgatos, ille canon Concilij Lateranenſis fuit primus, qui hanc veritatem definiuit: & inter alios articulos ad ſubſtantiam fidei, & explicitè ab omnibus credendos comprehendit.

Ille fuit canon Lateranenſis.

*Articuli fidei in duplici genere.*

Vnde aduertendum eſt quoſdam eſſe articulos, ſeu propoſitiones de fide, qui ad ſubſtantiam fidei non pertinent, quamuis de fide ſint definiti: alios autem ad ſubſtantiam fidei explicitè ſpectare. Prioris generis ſunt illi, qui ſub obligatione non proponũtur omnibus credendi in Symbolis fidei: ſecundi generis ſunt articuli, qui continentur in Symbolis: fides explicita priorum exigitur à doctis; poſteriorum autẽ à doctis, & indoctis communiter. De hac definitione, ſecundo modo loquitur Doctor: definitio autem illa Concilij Lateranenſis habet rationem Symboli, vt Doctor declarat reſponſione ad tertium: *Et tunc*, inquit, *ad tertium, vbi ſtat vis, dicendum eſt quòd Eccleſia declarauit iſtum intellectum* (ſupple conuerſionis) *eſſe de ſubſtantia fidei in illo Symbolo, edito ſub Innocentio III.* in Concilio Lateranenſi: *firmiter credimus*, &c. *ſicut allegatum eſt ſuperiùs, vbi explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum magis explicitè, quàm habeantur in Symbolo Apoſtolorum, vel Athanaſij, vel Niceni: & breuiter quidquid ibi dicitur eſſe de ſubſtantia fidei: & hoc poſt illam declarationem ſolemnem factam ab Eccleſia*, &c. Sicut ergo idẽ Concilium cap. *Vtriuſque ſexus*, præcepit communionem Paſchalem ab omnibus fieri, qui ad annos pubertatis perueniunt; ita etiam fidem explicitam huius myſterij declarauit congruè de ſubſtantia eſſe credendorum: quia ad veram receptionem, & debitam huius Sacramenti requiritur fides eius, & ſcientia de eo, quod continet.

*Articulus de ſubſtantia tenendus.*

Ex quibus patet cenſuram illam, ſeu improperium non habere locum, nec rectè ponderatum fuiſſe inſtitutum Doctoris, quo intendit dogma reducere ad certum, & indubitabile fundamentum. Dicit enim communiter teneri fieri conuerſionem; & inter cæteros, multùm vrgere in variis authoritatibus Ambroſium; qui certè ex cæteris Patribus frequentior eſt in probanda conuerſio

33 *Scopus Doctoris eſt reducere veritatem ad certum, & indubitabile fundamentum.*

conuersione. Addit tandem definitionem Ecclesiæ. Primum ergo argumentum, quod adducit Doctor, est ex traditione, & Patribus: secundum, ex authoritate Ecclesiæ.

*Primum argumentū Doctoris ex traditione.*

*Secundum ex definitione Ecclesiæ.*

Præterea, quando dicit præsentiam realem ab initio fuisse manifestam ex verborum virtute, & rigore, & sensu Ecclesiæ: non negat etiam conuersionem ab initio fuisse notam Ecclesiæ, & acceptam; cùm dicat omnes communiter id tenere. Et patet ex canone Missæ, cuius ordinem, & connexionem *suprà* breuiter insinuant *dist.* 8. *quæst.* 2. & conuersio hæc petitur immediatè in oratione, ante verba Christi: *Benedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilem facere digneris*, supple oblationem panis & vini; & subditur: *vt fiat corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, qui pridie*, &c.

*Distinctio circumstantiarum, quoad præsentiā, & conuersionem.*

Dicit tamen Doctor hanc veritatem, & sensum formæ non fuisse adeò manifestum ex verbis eius, aut Scriptura, sicut præsentia realis Christi in Eucharistia: & verum hoc dicit, quia præsentia Christi explicitè importatur & demonstratur per formam; conuersio autem panis non ita, sed tantùm implicitè, & ex sensu practico, vt postea declarabitur ex Tridentino; quod & ipsi aduersarij admittunt solùm arguitiuè: detulit ergo Doctor Innocentio, qui præfatas opiniones sub appellatione opinionis allegat; non autem erroris: quamuis in re fuerit error: accedente autem definitione Ecclesiæ, transierunt in hæresim.

*Sensus est Innocentium.*

34 His ergo positis respondetur ad vnicum illud argumentum Vasquez ex Concilio Tridentino; primò, particulam illam rationalem *ideóque*, fundari in sensu practico, & sacramentali formę, quæ conuersiua est, & in quo sensu veritas demonstrationis, & præsentiæ Christi fundatur: agit enim de ipsa conuersione, & transubstantiatione ex instituto.

*Responsio ad argumentum Vasquez ex Tridentino.*

*Veritas demonstrationis ex conuersione subsistit.*

Cùm enim corpus non fiat præsens de facto, nisi per conuersionem panis in ipsum; ita neque veritas illius propositionis, inquantùm demonstrat corpus Christi, subsisteret, nisi per conuersionem, quæ est causa præsentiæ. Ex effectu ergo (si ita volueris) colligit Concilium causam, seu declarat, vt effectus de facto in re ipsa ponitur virtute formæ, tanquam terminus *ad quem* conuersionis, quæ fit per formam; non quà demonstratiua est, sed quà conuersiua.

Diuersi enim articuli sunt apud Concilium, *præsentia realis corporis Christi*, & *panis conuersio in corpus*; *præsentia sanguinis*, & *conuersio vini in sanguinem*. Vnde *cap.* 1. declarat præsentiam realem ex vi verborum; & *cap.* 3. quid sit præsens concomitanter: in *cap.* 4. agit de conuersione: sic etiam *in canone* 1. & 2. seruat eandem distinctionem.

*Processus Cōcilij in declaranda veritate.*

*Capite* itaque 4. supponit præsentiam ex verbis Christi, & docet modum, quo fit præsens: vnde vt illatio Concilij teneat, est necesse, vt ex præsentia Christi, quâ dicit connexionem, ad conuersionem substantiæ panis & vini, inferat ipsam conuersionem.

35 Præsentia autem Christi absolutè sumpta, vel testibus ipsis authoribus, qui hanc consequentiam vrgent, non infert conuersionem, quia posset fieri præsens desinente substantiâ panis & vini; vel absolutè per annihilationem, vel iis conuersis in aliud, vel subtractis, & separatis ab accidentibus: & in vniuersum nihil exigunt ex prætenso argumento ad veritatem particulæ

*Præsentia absolutè sumpta non infert conuersionem iuxta plerosque.*

*Aliud est abesse panem, aliud cōuerti.*

demonstratiuæ, quàm non adesse substantiam panis & vini.

Sed Concilium aliter infert, quia ex præsentia conuersionem, ex conuersione verò absentiam substantiæ panis & vini, quia aliter non desinunt, aut absunt: ergo illatio Concilij fundatur in facto, atque adeò præsentia Christi, vt subest conuersioni tanquam terminus *ad quem*, & habet connexionem, seu ordinem ad terminum *à quo* conuersum, infert conuersionem panis, & vini, eorúmque desitionem.

*Illatio, & doctrina Concilij fundatur in facto.*

*Cōnexio præsentia ad cōuersionem.*

Hic discursus Concilij, qui nihil facit ad intentum aduersariorum, quia insinuat veritatem practicam formæ, prout est conuersiua, seu naturam ipsius conuersionis, ex sensu Ecclesiæ, & veritatem, vt dixi, practicam formæ, quam habet ex institutione Christi. 36

Neque fundaretur eius discursus, si ex sola veritate speculatiua formæ, quâ demonstraret præsentiam Christi, & non modo dicto inferret conuersionem panis in ipsum: sicut si quis Beatus diceret, hoc est corpus Christi, designando præsentiam naturalem eius, verè demonstraret corpus Christi præsens, fine conuersione: sic etiam si fieret corpus præsens speciebus desinente substantiâ panis per annihilationem: non rectè ex præsentia, aut demonstratione eius inferretur conuersio: probandum enim priùs esset non posse fieri corpus Christi præsens speciebus, nisi per conuersionem substantiæ panis in ipsum, vt asserit S. Thomas.

*Ex sadē probatur desitio panis per conuersionem.*

Vnde colligitur intentum nostrum, nempe præsentiam corporis Christi non inferre desitionem panis, nisi vt fit præsens per conuersionem; atque adeò demonstrationem, aut affirmationem præsentiæ non inferre aliter absentiam panis: contra quod non vrget illatio adducta ex Concilio; sed magis fauet, cùm ex præsentia hoc modo sumpta cum limitatione, & non absolutè, sed vt ponitur de facto, infert conuersionem & desitionem, seu absentiam panis & vini: limitatio enim expressa, seu tacitè insinuata, eam habet vim, vt determinet principium ad sensum, in quo præcisè concludit; aliàs esset superflua, & pro non adiecta, quod in materia doctrinæ non admittitur.

*Concilij concordat Doctori.*

*Limitationis admincta vis.*

Tridentinum autem *cap.* 1. exprimit illam limitationem: *Post*, inquit, *panis & vini consecrationem*, &c. & infrà; *cùm post panis & vini benedictionem.* & cap. 3. *statim post consecrationem*, &c. vbi loquitur de præsentia, vt per consecrationem panis & vini fit; eámque insinuat *cap.* 4. vbi ex præsentia infert conuersionem, nempe, qua fit per consecrationem, & ipsam conuersionem: vt planè etiam definit *can.* 2. qui ex illo capite desumptus est. 37

Particula itaque *ideò*, vt est causatiua, & designat causam effectus, non rectè intelligitur à præfatis authoribus, quia vt causatiua est, & rationalis præsentiæ corporis, quæ affirmatur ex verbis Christi, refertur ad subsequentia, in quibus declaratur ipsa conuersio, & causa præsentiæ, non ad antecedentia: nam rationalis ideò dicitur, quòd causam dictorum subiungat: & hic est verus intellectus canonis, & differentia particulæ rationalis ab illatiua, quæ designat consecutionem vnius ex alio, siue causæ, siue effectus, siue alterius quodcumque sit.

*Quid denotat particula ideò.*

38 Respondeo secundò, interpretando particulam *ideò* non causatiuè, sed consecutiuè; prout intellgi,

*Secunda responsio sumendo particulā ideò cōsecutiue.*

telligi, & ſumi quandoque poteſt, vt patet ff. l. *Falcidia*: ſic eſſe notam expreſſionis, & declarationis, & communis ſenſus, & conſenſus Eccleſiæ, & Concilij, circa dictum Chriſti, per eauſam veritatis rei declaratam. Veritatis dico rei, quia quantùm ad certitudinem reuelatam habet veritatem, & certitudinem ex dicto, & reuelatione Chriſti, quæ ſupponit Concilium.

*Tertia reſpõſio.* Et vlteriùs tertiò per cauſam in re poſitam, nempe conuerſionem, oſtendit veritatem rei ſubſtratæ per cauſam, quâ corpus, quod dixit Chriſtus eſſe præſens, ſit præſens: *Ideò*, inquit, *perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit; idque nunc denuò Sancta hac Synodus declarat per conſecrationem panis, & vini conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis, & vini*, &c. Hanc etiam declarationem comprehendit *canon. 2. illius ſeſſionis.*

39 *Triplex ſenſus particulæ.* Ex dictis ergo habetur triplex ſenſus canonis, & quilibet eſt verus, & nullus facit ad intentum aduerſæ partis, aut ad ſcopum præſentis difficultatis. Hic triplex ſenſus oritur, ex triplici acceptione particulæ, *ideò*, vel enim ſumitur vt æquiualet illatiuæ particulæ, & ſic infert deſitionem ſubſtantiæ panis & vini, ex præſentia corporis & ſanguinis ſub ſpeciebus, tanquam per cauſam finalem, ſeu formalem ſuo modo, quatenus ex poſitione termini *ad quem* ſequitur deſitio termini *à quo*; & ſic ſumitur corpus præſens, vt ſubeſt conuerſioni, & modo, quo fit præſens de facto per cõſecrationem panis in ipſum: Concilia enim in definitionibus, & doctrina fidei declarant id quod factum eſt, quia procedunt ſecundùm regulam reuelationis quæ reſpicit factum: & ſic etiam Tridentinum agit cum eadem limitatione de præſentia corporis in ſuperioribus, & illa eſt neceſſaria, vt ſaluetur repugnantia inter terminos: & ſic intellectus canon non facit ad caſum, de quo diſputamus, & in quo nulla eſſe repugnantia, aut ſucceſſio inter terminos.

*Denotat cauſam finalẽ, & formalẽ conuerſionis.*

*Vt patet ex limitatione, quæ vtitur Concilium.*

40 *Secundus intellectus* ideò *particula, vt eſt rationalis.* Secundus intellectus eſt ſumendo particulam *ideò*, vt eſt rationalis, & dat cauſam præſentiæ Chriſti, nempe per cõuerſionem panis in ipſum; & ſic non eſt illatiua, ſed effectus præſuppoſiti ſubiungit rationem & cauſam: ſic etiam intellecta non facit ad caſum præſentem, vt per ſe patet ex dictis.

*Tertius intellectus particula denotat cõſecutionem.* Tertius intellectus eſt; vt ſumitur conſecutiuè, & ſic deſignat expreſſionem, & declarationem veritatis materialis, ſeu rei ſubſtratæ dicto Chriſti per cauſam in re: *Declarat*, inquit, *Sancta Synodus*, &c. ſic etiam non facit ad ſcopum difficultatis præſentis. Omnes hi intellectus denotant veritatem practicam formæ proximè, remotè verò ſpeculatiuam, quatenus fundatur in practica.

41 *Scopus cõtrouerſiæ.* Controuerſia autem præſens longè diuerſa eſt, nempe ſupponit corpus Chriſti poſſe fieri præſens aliter, ſine conuerſione panis in ipſum, quod & concedunt moderni. Quo ſuppoſito, quæritur an poſſit illa præſentia demonſtrari de rigore ſermonis per illam propoſitionem: *Hoc eſt corpus meum*, &c. etiamſi non eſſet practica, ſed tantùm ſpeculatiua: vel ſi illa forma poſſet ita inſtitui, vt tantùm eſſet adductiua corporis Chriſti, & non conuerſiua panis in ipſum. Vtrumque nos affirmamus; & inde colligimus etiam de facto propoſitionem, vt eſt abſolutè demonſtratiua, non denotare abſentiam panis, ſed quâ ſic demonſtrat ſuppoſitâ conuerſione, quæ fit modò, & inquantùm veritas eius ſupponit corpus præſens, quod aliter de facto non eſt præſens, niſi per conuerſionem: ſic ergo per ſe ex vi verborum veritas eius ſupponit præſentiam Chriſti, concomitanter autem deſitionem panis, vel certè præſuppoſitiuè, quâ præſentia eſt corporis, vt termini *ad quem* conuerſionis, & repugnantis cum ſubſtantia panis.

*Sententia vera quam tenet Doctor.*

Argumenta à ratione, & ex modo ſignificandi, quibus prior ſententia nititur, iam ſunt confutata in præmiſſis probationibus noſtræ ſententiæ, ex quibus facilis eſt reſponſio.

c *Ad aliud contra ſecundam opinionem*, &c. Hîc reſpondet ad alia obiecta à D. Thoma. Docet materiam habere propriam entitatem, & poſſe manere nudam diuinitus ab omni forma: de quo vide ipſum fuſiùs *in 2. diſt. 12. queſt. 1. & 2.*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit panem non manere, ſed conuerti in corpus Chriſti, quia ita habent auctoritates SS. quas Magiſter citat hac diſt. & præced. & Eccleſiæ, cap.* Firmiter, *de Sum. Trinit. & nunc expreſsè Trident. ſeſſ. 13. c. 4. & adducit duas congruentias. Iuxta Scot. illa propoſitio* hoc eſt corpus meum *haberet verum ſenſum, vel ex intentione dicentis, vel ratione principalis contenti, licèt panis maneret. Nec Trid. ſuprà obſtat, quia tantùm ait, quia Chriſtus dixit, quod offerebat, eſſe ſuum corpus, Eccleſiam perſuaſam fuiſſe, non manſiſſe panem, id eſt, licèt poſſent eſſe alij ſenſus, hunc Eccleſia à Deo edocta ex illis verbis elicuit: vana ſunt ergo quæ ex hoc Suarez 3. tom. diſp. 49. ſect. 2. Sot. d. 9. q. 2. art. 4. & alij obijciunt contra Scot. cui falsò imponit Sotus, quòd aſſerat Eccleſiam accepiſſe tranſubſtantiationem à Doctoribus.*

13 Quantùm[a] ergo ad iſtum articulum, quid ſcilicet ſit tenendum. Reſpondeo, quòd communiter tenetur, quòd nec panis manet, contra primam opinionem, nec annihilatur, vel reſoluitur in materiam primam, contra ſecundam opinionem, ſed conuertitur in corpus Chriſti: & ad hoc multùm expreſsè videtur loqui Ambroſius, cuius duæ auctoritates ſuprà adductæ ſunt, & plures habentur *de conſecrat. diſt. 2.* & ponuntur à Magiſtro *diſt. 10. & diſt. iſta.* Principaliter autem videtur mouere, quod de Sacramentis tenendum eſt, ſicut tenet Sancta Romana Eccleſia, ſicut habetur *Extrà de hæreticis, ad abolendam.* Nunc autem ipſa tenet panem tranſubſtantiari in corpus, & vinum in ſanguinem, ſicut manifeſtè habetur Extrà de Sum. Trinit. & fide, cap. *Firmiter credimus*, §. *Vna verò*, vbi dicitur, *Ipſe Ieſus Chriſtus Sacerdos eſt, & ſacrificium, cuius corpus, & ſanguis in Sacramento altaris*

*taris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur.* & sequitur statim: *Transsubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuinâ.*

Ad hoc etiam est vna congruentia, quia Ecclesia non errat, cùm dicit: *Fiat commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis Domini nostri Iesu Christi*, &c. Alia est congruentia, quia non ieiunus non potest congruè celebrare, sed percepta Eucharistia adhuc potest Sacerdos iterum celebrare, sicut habetur Extra. de celeb. Miss. *Consuluisti. excepto* (inquit) *die Natiuitatis Domini, nisi tamen necessitas superueniat, sufficit Sacerdoti semel in die Missam celebrare.* & ex hoc innuit, quòd in die Natiuitatis Domini, & quando necessitas ingruit, licèt plures Missas celebrare in die.

*Duæ congruitiæ pro desitione panis.*

## COMMENTARIVS.

42 a *Quantùm ergo ad istum articulum*, &c. Respondeo, &c. Hæc conclusio est de fide: definita est in Concilio Romano sub Gregorio VII. contra Berengarium. Item in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & habetur in cap. *Firmiter*, de Summa Trinitate, & fide Catholica: sub verbo *Transsubstantiationis*. Item in Concilio Romano contra VVitclefum anno Domini 1413. de quo Cocleus *in libro contra Hussitas*. In Constantien. *sess.* 8. vbi confirmatur definitio Concilij Romani. Item in Florentino in decreto vnionis Armenorum de hoc Sacramento; vbi dicitur substantia panis conuerti in corpus, substantia vini in sanguinem: ac tandem in Trident. *sess.* 13. *cap.* 4. *& canone* 2. vbi dicitur, totam substantiam panis & vini conuerti in corpus & sanguinem Christi; & damnantur asserentes oppositum. Sed respondent Lutherani *in lib. de captiuitate Babylonica*, transubstantiationem fuisse inuentum Scholasticorum, & Innocentij III. in prædicto Concilio Lateranensi: sicut & Caluinus *lib.* 4. *Institut. cap.* 17. & Kemnitius *in* 2. *parte examinis Concil. Trident. sess.* 13. *cap.* 4.

Romanum. Lateranens. Alterũ Romanum. Constãtien. Florent. Trident. *Caliõnia hæreticorum.*

43 Secundò itaque probatur ex Patribus rem ipsam antiquiorem esse; & sic semper docuisse Ecclesiam. Iustinus *in Apologia* 2. *propè finem*, loquens de Eucharistia dicit: *Illum panem, quo carnes nostræ aluntur*, id est, *panem communem prece verbi Dei sanctificatum esse carnem Domini.* Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *Acceptum panem corpus suum facit*, dicendo; *Hoc est corpus meum.* Author sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum ait; *Panem quem Dominus discipulis porrexit, non effigie, sed naturâ mutatum, factum esse carnem Christi:* & subiungit, *sub specie panis dari corpus, sub specie vini sanguinem.* Cyrillus Catech. 4. mystagogica à principio, ait; *Vinum in sanguinem suum Christum transmutasse:* & subiungit, *sub specie panis dari corpus, sub specie vini sanguinem:* & in fine ait, *panem illum, qui videtur, non esse panem, licèt gustus panem esse sentiat.* Ambrosius lib. de iis, qui initiantur mysteriis, cap. 9. ait; *Benedictione*, id est, *consecratione naturam ipsam mutari* (supple panis & vini) *& non esse ibi quod natura formauit.* Item in lib. de Sacramentis expressissimè dicit; *Panem mutari in corpus, vinum in sanguinem*; & *de pane per consecrationem fieri carnem Christi:* & multa similia. Nyssenus in oratione magna catechistica cap. 37. affirmat *Dei verbo sanctificatum panem in corpus verbi immutari:* subdit etiam, *naturam rerum, quæ videntur in corpus Christi mutari.* Gaudentius tract. 2. in Exodum quæst. 7. ait; *Deum de pane efficere corpus suum, & de vino sanguinem*, &c. quod nequaquam verum esset, si horum substantia maneret. Chrysost. homil. 85. in Matthæum, non longè à fine, concedit *transmutationem substantialem fieri:* & homil. de Eucharistia, & enceniis, ait; *Confirmi sibi antiam mysteriorum, hoc est, panis & vini, quæ in Sacramenta assumuntur à substantia corporis Christi: sicut cera ab igne consumitur, & in ipsum conuertitur.* Augustinus serm. 28. de verbis Domini: *Dixi vobis quòd ante verba Christi, quod offertur panis dicatur, vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus Christi appellatur.* Eusebius Emissenus, seu Author sermonis de corpore Domini ait similia, nempe, antequam id quod apponitur in altari consecretur, esse panem & vinum; post consecrationem esse corpus & sanguinem Domini: *quid mirum autem*, inquit, *si ea quæ verbo creare potuit, possit creata conuertere?* Remigius Rhemensis *in cap.* 10. 1. *ad Corinth.* docet panem, qui consecratur, *transire in corpus Domini.* Beda *serm. de Epiphania*, dicit, *transferri in corpus*, quod idem est. Damascen. *lib.* 4. *de fide, cap.* 14. dicit, *immutari.* Theophylactus in illud Ioan. 6. *Ego sum panis vitæ*, dicit, *transformari, & mutari.* Sic etiam alij posteriores vtuntur nomine *conuersionis, immutationis, versionis, mutationis*; vt qui scripserunt contra Berengarium, & sectatores, Lanfrancus, Algerus, Adelanus, Petrus Cluniacensis, Guitmundus, qui asserunt non manere substantiam panis & vini.

Augustin. Remigius Rhemens. Beda. Damasc. Lanfrancus. Algerus. Adelanus. Petrus Cluniacensis. Guitmund.

*Reijcitur ex Patribus.* Iustinus. Tertullian. Cyrill. Ierosolym. Ambrosius. Nyssenus. Gaudentius. Chrysost.

Ex his ergo omnibus colligitur veritas Catholica; nam *conuerti, transformari, immutari*, &c. idem sunt: ac non manere substantias mutatorum, sed conuersas esse in corpus & sanguinem Domini; quod reipsa idem est ac *transubstantiari*, id est, fieri mutationem, & conuersionem eorum secundùm substantiam in corpus & sanguinem. Et si dicatur hoc verbum *transubstantiationis* nouum esse, non est nouum quoad significationem; quoad vocem autem ad expressionem veri dogmatis necessarium fuit, sicut aliàs Ecclesia consueuit, vt patet in dictione *Homousios* contra Arianos, & *Theotocos* cõtra Nestorianos: quia apud Ecclesiam ea est authoritas, quam etiam Grammatici sibi liberam concedunt. Hæc breuiter contra hæreticos dicta sufficiant, quorum argumenta confutauimus *suprà in materia de reali præsentia, dist.* 8. *quæst.* 2.

*Caliõnia prætensa excluditur.*

*Verba noua aliquãdo necessaria.*

44 Vt autem reprehensioni quorumdam modernorum occurratur, qui ita perstringunt Doctorem, quasi in probatione conclusionis huius fuerit parcus; dico neminem ante ipsum inter Scholasticos fusiùs, & magis appositè reduxisse hanc veritatem ad sua principia. Primò eam probat argumento ad oppositum, duabus authoritatibus expressis S. Ambrosij, & alia Eusebij cap. *Quia corpus, de consecrat. dist.* 2. Hæ authoritates expressissimæ sunt; & subdit, ad alias authoritates Patrum remittendo lectorem: *Et ad hoc*, inquit, *habentur plures authoritates, de consecrat. dist.* 2. *in diuersis locis*; & Magister adducit aliquas in ista distinctione, & aliquas in distinctione præcedente. Hæc probatio est ex Patribus, & superabundans, quia tres authoritates citat literales, & expres-

*Exeluditur caliõnia modernorum in Doctorem.*

*Veritatẽ fidei appositè, & fusè tractauit.*

ſas; ad reliquas remittit lectorem, citans locum vbi eas legere poſſit.

Eandem probationem repetit ſub ipſa concluſione §. *præcedenti*, in quo hoc ordine procedit, vt primùm in confirmationem ſupponat traditionem, dicens, *concluſionem communiter teneri*. Secundo loco adducit argumentum factum ex Patribus. Tertio loco tenendam eſſe doctrinam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, circa Sacramenta ex definitione cap. *Ad abolendam*, &c. *de hæreticis*: cui addit definitionem Concilij Lateranenſis in ſpecie, circa hanc veritatem cap. *Firmiter credimus*.

1. *Ex traditione.*
2. *Ex Patribus.*
3. *Ex Eccleſiæ doctrina.*
4. *Ex definitione Lateranen.*

Quartò loco addit traditionem in ſpecie ex canone Miſſæ antiquiſſimo, ex illa: *Fiat cõmixtio, & conſecratio corporis*, &c. citat verba canonis, prout ſuo tempore erant in vſu, vbi verbum *fiat* præponebatur; ſed in correctione nouiſſima Miſſalis fuit tranſpoſitum, vt iam legitur in canone: *Fiat accipientibus nobis*, &c. Quintò probat ex præcepto accedendi in ieiunio ad hoc Sacramentum; quod antiquiſſimum eſt, & à temporibus Apoſtolorum; in quo præcepto Eccleſia non diſpenſat, quando in nocte Natiuitatis Domini indulget ex antiqua conſuetudine celebrari à quolibet Sacerdote tres Miſſas: ſupponit ergo hæc conſuetudo non manere ſubſtantiam panis, & vini. Hactenus Doctor.

5. *Ex canone Rom. Eccleſia in Miſſa.*
6. *Ex præcepto ieiunij.*

Hanc autem fuiſſe inſtitutionem Chriſti docet reſpondendo ad argumenta à ſe facta ad initium quæſtionis pro oppoſita ſententia impanatorum reſponſ. ad 1. & 2. *Vt patet*, inquit, *ex authoritatibus allegatis*; & in reſponſione ad 3, *hunc verum ſenſum formæ Eccleſiam Spiritu ſancto edoctam, & directam in eliciendo, & interpretando vero eius ſenſu intellexiſſe*. Quid ergo magis debuit Doctor? vel vnde Vaſquez taxat eum ignorantiæ in Patribus, & traditione in hac veritate, qui petitis argumentis ex pluribus locis in genere abundantiùs probat concluſionem, quàm ipſe proteruus ſcriptor.

Reiicitur hinc calumnia Soti *in 4. diſtinct. 9. quæſt. 2. art. 4. concl. 4.* vbi aſſerit Doctorem aſſeruiſſe & nomen, & rem ipſam tranſubſtantiationis eſſe nouam; & quòd primum ille intellectus fidei ſuſceptus ſit in Concilio Lateranenſi: ſed non aduertit quæ Doctor diſſeruit pro concluſione. 45

Omnia hæc, & ſimilia dicteria ex eo ſolo exoriuntur, quòd Doctor non admittat ex ſola communi acceptione ſpeculatiua formæ Sacramenti contineri expreſsè hanc veritatem de deſitione panis, & ſeclusâ omni interpretatione Eccleſiæ, & declaratione: ſed in hoc errant, quia alioquin, vt cætera, quæ dicta ſunt, omittamus, Rupertus vir verè Catholicus, & exercitatiſſimus in Scripturis ſacris non erraret in hoc articulo, ſi verus eſſet ex ſola formæ ſuperficie; neque Concilium Tridentinum *in illo cap. 4.* fruſtrà recurrit ad traditionem, & communem ſenſum Eccleſiæ in declaranda hac veritate formæ; quem Marginator Concilij citat cap. *Panis eſt*, id eſt, *corpus Chriſti, de conſecr. diſt. 2.* cap. *Firmiter, de Summa Trinitate*, &c. cap. *cum Martha*: quæ ſunt allegationes Doctoris in litera. Vnde ipſum Concilium aliter loquitur de præſentia Chriſti, vt importatur per formam; aliter verò de deſitione panis: nam *cap. 1.* dicit præſentiam Chriſti haberi ex perſpicuis formę verbis, quibus Chriſtus dixit ſe ſuum corpus præbere diſcipulis: & *cap. 4. in initio*, idem adducit; nempe Chriſtũ dixiſſe ſe ſuum corpus ſub ſpecie panis offerre. De deſitione panis *in 2. parte capitis*, nihil tale dixit, ſed explicat conuerſionem panis & vini, eorúmque deſitionem ex traditione, & interpretatione Eccleſiæ; non autem ex verbis perſpicuis formæ; ſicut & præſentia Chriſti colligitur; ex qua ſequitur aliud ex veritate practica formæ, nempe deſitio panis, & ex inſtitutione ſpeciali Chriſti; quam docet Eccleſia, Patres, & traditio, non autem ſuperficies verborum explicitè; ſed tacitè, ex modo, quo ſit præſens Chriſtus.

Rupertus.

*Tridentinum recurrit ad traditionẽ, & ſenſum Eccleſiæ.*

## SCHOLIVM.

*Soluit ſatis clarè argumenta allata à num. 3. pro prima ſententia, tenente panem manere, & pro ſecunda, tenente non eſſe conuerſum in corpus Chriſti.*

14 Ad[a] argumenta pro prima opinione & ſecunda. Ad primum, concedo quòd etiam in creditis non ſunt plura ponenda ſine neceſſitate, nec plura miracula, quàm oportet. Sed cùm dicitur in minori, veritas Euchariſtiæ poſſet ſaluari manente pane, vel ſine tranſubſtantiatione; dico quòd benè fuiſſet Deo poſſibile inſtituiſſe, quòd corpus Chriſti verè eſſet præſens, ſubſtantiâ panis manente, vel cum accidentibus, pane annihilato: & tunc fuiſſet ibi veritas Euchariſtiæ, quia & ſignum verum, & ſignatum verum: ſed hîc non eſt modo tota veritas Euchariſtiæ; non enim ſic inſtituit, vt dicunt auctoritates adductæ. Et cùm dicitur, quòd ad veritatem Euchariſtiæ nihil requiritur niſi verum ſignum, & verum ſignatum. Reſpondeo, verum eſt eo modo, quo ſignum eſt inſtitutum, & quo ſibi debet correſpondere ſignatum, quod non eſt nunc præcisè, quòd corpus ſit cum aliquo, ſcilicet cum pane, vel cum accidentibus panis indiſtinctè: ſed inſtitutum eſt nunc, quòd ſignatum ſit tantùm ſub accidentibus, vt ſub ſigno.

*Poſſet eſſe Euchariſtia pane manẽte ſi Deus vellet.*

15 Ad ſecundum, dico quòd non eſt aliquis articulus arctandus ad intellectum difficilem, niſi ille intellectus ſit verus; ſed ſi verus eſt, & probatur euidenter eſſe verum, oportet ſecundùm illum intellectum tenere articulum, quando inquiritur in ſpeciali: quia nullus alius intellectus ſpecialis verus eſt: ſic autem ſupponitur de intellectu huius articuli ex auctoritatibus allegatis.

*Antea ſic ita credebatur, non ita expreſsè.*

Et tunc ad tertium, vbi ſtat vis, dicendum quòd Eccleſia declarauit iſtum intellectum eſſe de veritate fidei in illo Symbolo edito ſub Innocent. III. in Concilio Lateranenſi. *Firmiter credimus*, &c. ſicut allegatum eſt ſuperiùs; vbi explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum, magis explicitè quàm habebatur in Symbolo Apoſtolorum, vel Athanaſij,

Athanasij,vel Niceni. Et breuiter, quidquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei:& hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia.

Et si quæras quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem huius articuli,cùm verba Scripturæ possent saluari secundùm intellectum facilem,& veriorem secundùm apparentiam de hoc articulo.Dico,quòd eo spiritu expositæ sunt Scripturæ,quo conditæ. Et ita supponendum est,quòd Ecclesia Catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita est nobis fides,Spiritu scilicet veritatis edocta,& ideò hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum, sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicauit directa in hoc, vt creditur, Spiritu veritatis.

*Ecclesia exponit Scripturas, eo Spiritu,quo condita sũt.*

*Ecclesia dirigitur à Spiritu sancto.*

Ad quartum posset dici,quòd accidentia non semper signant subsstantiam esse in actu, quàm affecerunt, sed aptitudinaliter: vel si modò signant in actu, non est ibi falsitas in signo, vt est signum institutum ad placitum, quia vt sic habet signatum ad quod institutum est.

## COMMENTARIVS.

46 *Ecclesia sensum formæ docet.*

a *Ad argumenta pro prima opinione*, &c. Hæc litera patet ex dictis. Ad tertium docet Ecclesiam Spiritu sancto edoctam intellexisse hunc esse sensum verum,& vnicum formæ, quem habet ex sua institutione. Contrà vrget Sotus: Ecclesia non habuit reuelationem immediatam, sicut habuerunt Apostoli,sed diuina opera vtitur, ne erudiendis articulis fidei erraret, non sufficit Theologo dicere,Ecclesia sic decreuit:sed munus eius est ostendere, ex quibus locis sacræ Scripturæ id collegerit. Respondeo ex iis solis, quibus institutio Sacramenti habetur: alia non supponunt, sed horum etiam veritatem Spiritu sancto edocta,& prout ab initio tradita sunt, declarat ex traditione,& Patribus.

*Obiicit Sotus.*

*Responsio.*

Vasquez. Vasquez conatur regulam tradere,seu comprehendere modum procedendi Ecclesiæ in expositione alicuius loci dubij:sed discurrit ad prætensã suam sententiam:& facilis est instantia contra ea, quæ dicit,vel applicat.Superiùs ostendi eum non fuisse rectum assecutum sensum canonis Tridentini.De reliquo nolo iam minutim discutere modum, quo discurrit, aut medium, nec prolixitas permittit,quia plura magis seria me auocant.

## SCHOLIVM.

*Ponit sententiam Ægidij de transsubstantiatione. Inter alia habet hanc propositionem, materia vt est* quid,*est indistincta,& Deus agit in eam,vt talis,quam latè refutat Doctor in hac litera.Habet etiam materiam panis manere in Eucharistia,quod etiam tenet Dur.hîc q.3. Hoc refutat Doctor,quia tollit transsubstantiationem,& ponit generationem, éstque contra fidem, secundum Scot.hîc n.15.& D.Thom.suprà ex c.firmiter,& clariùs ex Trid. ss.13.c.4. definiente totam substantiam panis conuerti in corpus Christi.*

16 *Quomodo panis trãssubstãtietur. Secundùm aliquos ad transsubstãtiationẽ requiritur mutua conuertibilitas extremorũ, & fortè ideò in Deum nihil est conuertibile, ex q. præced.*

De secundo a articulo principali sunt duo declaranda. Primò, quomodo panis transsubstantiatur, vel possit fieri transsubstantiatio in corpus Christi præexistens. Secundò, quid possit esse formale in termino *ad quem* conuersionis?hæc enim duo tangebantur in argumentis ad primam partem.De primo sciendum,quòd siue ad transsubstantiationem vnius ad aliud non requiratur, nisi quòd vterque terminus sit substantia, & sit plenè in obedientia agentis quantùm ad totale *esse*, & quantùm ad totale *non esse*, siue secundùm aliquos plùs requiratur,scilicet mutua conuertibilitas secundùm naturam, propter scilicet principium potentiale transmutabile à forma vnius, ad formam alterius, licèt non vnica transmutatione,sed per multas, & hoc ab agente naturali. Vtrumque istorum saluatur in proposito, quia tam panis, quàm corpus Christi totaliter est in potestate Dei, quantùm ad totale *esse*, & totale *non esse*. Habent etiam materiam eiusdem rationis, propter quam, quantùm est ex parte vtriusque, posset fieri transitus per naturam ab vno in aliud,licèt per multa media,licèt etiam considerando corpus illud, inquantùm est nunc immortale,& impassibile,non posset illud per naturam conuerti in panem: sed hoc non est,quia careat materia receptiua formæ panis,sed quia materia eius inseparabiliter continetur à forma sua,scilicet animâ impassibili.

17 Hoc b etiam posset declarari de partibus vtriusque termini.Deus enim in potestate sua habet tam materiam, quàm formam vtriusque termini, & per consequens potest materiam conuertere in materiam,& formam in formam, & ita totum in totum, & totaliter: hoc autem non potest naturale agens,quia in potestate eius non est materia, sed supponitur actioni suæ, *ex 1.quæst.huius quarti.* & ista ratio procedit secundùm illam viam, quæ tacta est *in quæst præced.*non autem supponendo,quòd conuersio requirat susceptiuum,vt commune vtrique termino.

*Ægid. in Theor. 1. & 2.*

Sed[c] de modo poſſibilitatis iſtius conuerſionis ponitur ſic. Materia vt eſt *quid*, eſt omnino indiſtincta, *primo de generat.* ergo agens præſupponendo eam, vt *quid*, reſpicit illam, vt omnino indiſtinctam: Deus eſt huiuſmodi, quia non agit per motum, & hoc ideò quia non eſt inſtrumentum, ſed cauſa prima: ergo agit in materiam, vt omnino indiſtinctam: ergo ſicut poteſt formam deſtructam eandem numero reducere in ſuam materiam propriam, quia non agit per motum, qui prohibet idem numero redire: ita poteſt eandem formam inducere in quamcunque materiam: ad eandem autem formam numero ſequitur eadem materia numero: ergo poteſt facere, quòd quæcunque forma fiat in quacunque materia, & ſic poteſt facere quòd forma corporis ponatur in materia panis, & per hoc illa materia fiat iſta, & forma, & totum iſtud diffusè declaratur.

18

*Reiicitur Ægidius.*

Sed contra primam propoſitionem, quam accipit, ſcilicet *materia vt eſt* quid, *eſt omnino indiſtincta*, arguitur ſic. Quia aut intelligitur indiſtincta ſecundùm numerum, ſcilicet quòd quæcunque vt eſt *quid*, eſt omnino eadem cuicunque: vel intelligitur indiſtincta ſecundùm rationem, hoc eſt, vt eſt *quid* eſt vnius rationis. Si primo modo, iſte intellectus eſt omnino impoſſibilis, quia contra Philoſophum, & contra rationem naturalem, & contra illud quod intendit declarare. Contra Philoſophum, quia ex intententione loquens,

*Text. 27.* 12. *Metaph. cap. 2. de per ſe principiis* dicit, quòd ſicut principiata ſunt alia, ſic eorum per ſe principia: & hoc ſecundùm genus, & ſpeciem, & numerum.

Et ad propoſitum expreſsè dicit, *Horum, quæ ſunt in eadem ſpecie, diuerſa* (ſupple ſunt) *principia, non præcisè, ſed quia ſingularium, alia eſt tua materia, & mouens, & ſpecies, & mea: ratione autem vniuerſali eadem*: ergo ex intentione vult, quòd materia mea, & tua, vt eſt per ſe principium meum, & tuum, eſt alia numero. Eſt autem per ſe principium vt *quid* eſt, quia pars ſubſtantiæ non poteſt eſſe aliquid niſi vt ſubſtantia, & vt *quid*. Hoc etiam patet ex proceſſu Philoſophi inueſtigando materiam, *primo Phyſic. & primo de generat.* & ſecundò dicit eam eſſe eandem ſubſtantiam toti tranſmutationi, & vtrique termino. Sic ergo eſt eadem in genito, & corrupto, quo modo non eſt eadem in duobus ſimul genitis: quia tunc generatio, & corruptio non magis concluderent materiam vnam, quàm ſimul exiſtentia diuerſorum: ergo materia vt *quid*, ſi eſt eadem in aëre corrupto, & in igne genito ex ipſo, ipſa vt *quid* eſt, non ſic eſt eadem in aëre, & igne ſimul exiſtentibus.

*Text. 82.* *Text. 24.* *Text. 51.*

19

*Materia, natura, prior forma.*

Et poteſt ratio confirmari, quia ſi poſſet eſſe eadem ſimul ſub forma aëris, & ignis, non requireretur tranſmutatio corrumpens præcedens ad hoc, quòd materia fieret ſub alia forma. Contrà hoc etiam eſt ratio manifeſta, quia materia eſt prior ordine naturæ, quàm ipſa forma recepta, quia materia eſt fundamentum omnium, iuxta illud 1. Metaph. in antiqua tranſlatione, *In fundamento naturæ nihil eſt diſtinctum*: prius autem, vt eſt prius eſſentialiter, non variatur propter variationem poſterioris: ſi ergo materia vt eſt *quid*, eſt omnino eadem in ſe, nullo modo poteſt eſſe alia propter aliam formam receptam: ergo ipſa omnino eadem recipiet formas contrarias ſubſtantiales, vel ſaltem incompoſſibiles, vt aëris, & ignis: & tunc ſequeretur, quòd generans poſſet generare, nihil corrumpendo. Poſſet etiam materia ſimul eſſe eadem ſub forma hominis, & aſini: & ſic nullæ duæ formæ ſubſtantiales repugnarent in ſimul perficiendo materiam.

*Text. 17.*

Eſt etiam ille intellectus falſus ad propoſitum ſuum, quia deducit, quod poteſt formam corporis ponere Deus in materia panis. Si autem iſta materia eſt eadem cum materia corporis, non poteſt poni in ea forma corporis, quia iam habet eam; eadem enim numero ſibi, vtpote materia corporis, iam habet illam formam: ergo & iſta habet, & ſi habet, non poteſt ſibi imprimi, quia tunc ſimul haberet, & non haberet.

20

*Prius nõ variatur propter variationem poſterioris.*

Si autem intelligat, quòd materia ſit indiſtincta, hoc eſt eiuſdem rationis, & ſic deducat, quòd Deus poteſt formam eandem numero imprimere illi materiæ, quæ ineſt iſti. Conſequentia non valet, quia eadem forma numero non poteſt ſimul informare duas materias, quarum vtraque erit ſufficiens receptiuum, & totale eius: nam & iſta vnitas rationis ſtat cum diſtinctione numerali huius materiæ ab illa. Eſto[d] etiam, quòd daretur ſibi conſequens: non tamen ſequitur, quòd iſta materia fiat illa materia, quia priùs non variatur propter nouitatem poſterioris: materia ergo illa non fit alia, quàm priùs fuerit, quia recipit aliam formam, quam priùs non habuit.

Hoc etiam probatur, quia ſi fieret alia, ergo iſta forma non poſſet ſibi imprimi: quia forma illa non poteſt imprimi illi materiæ, quæ iam habet eam, vt ſic arguatur, pro eodem inſtanti, ſi materia panis recipit formam corporis: ergo fit in illo inſtanti materia corporis: ergo in illo inſtanti non poteſt recipere formam corporis: quia materia corporis, non poteſt tunc recipere formam corporis; quia eam præhabet.

Item,

Item [e], ista impressio formæ corporis in materiam panis non esset transsubstantiatio, sed generatio: illa enim materia priùs fuit sub priuatione formæ corporis, & non habet formam illam. Nec per hoc etiam probatur, quomodo forma panis transeat in formam corporis. Præterea etiam ista propositio; quòd solus Deus respicit materiam, vt est *quid*, videtur esse falsa: agens enim sub ea ratione respicit passum, sub qua inducit in eo terminum actionis: sed agens creatum potest inducere formam substantialem in materiam per generationem, & illa inducitur in materiam, vt est *quid*, quia sic est per se receptiua formæ substantialis: ergo agens naturale attingit materiam, vt est *quid*: & ex hoc sequeretur, si ista propositio esset vera, quòd eam respiciens vt *quid*, potest eandem formam in materiam quamcunque imprimere, & tunc si agens supernaturale transsubstantiare potest, sequeretur etiam quòd agens causatum hoc posset, quod est manifestè falsum.

*Ista*, solus Deus respicit materiam, vt est *quid*, *est falsa.*

Item, illa propositio qua probat quòd Deus non agit per motum, & omne aliud agit per motum, quia omne aliud est instrumentum Dei, & Deus est prima causa, non concludit, imò magis potest duci ad oppositum, quia si instrumentum, inquantùm instrumentum est, non oportet agere per motum, nisi quia ipsum est mouens motum: ergo oportet illud, respectu cuius est instrumentum, mouere ipsum, & per consequens, illud cuius est instrumentum, poterit agere per motum ipsum instrumentum.

## *COMMENTARIVS.*

47 *Sententia aliorum instituta.*

a *De secundo articulo principali sunt duo declaranda*, &c. quomodo scilicet fiat transsubstantiatio, & quis sit eius terminus *ad quem*. Declarat transsubstantiationem iuxta principia tradita *quæst. 1. & 2.* Addit ex opinione aliorum requiri mutuam conuertibilitatem ratione principij potentialis, quod possit esse sub vtriusque forma, saltem in præsentiarum illa conditio seruatur, quia transsubstantiatio est inter duo corpora.

48 b *Hoc etiam posset declarari de partibus vtriusque termini*, &c. In quæstione prima dixit transsubstantiationem esse conuersionem totalem, id est, totius, quoad omnes suas partes, in totum: & in conclusione præcedentis articuli docet panem non manere, neque annihilari, sed conuerti in corpus Christi: hîc autem applicat eam rationem, qua declaratur possibilitas conuersionis totius in totum propter subiectionem, quam habet ad Deum: eandem, inquam, rationem applicat ad conuersionem partium panis, ita vt sicut nihil panis maneat, sic etiam nec vlla eius pars, sed conuersio extendatur ad totum, & partes simul: concluso ergo eius est, nihil manere, quod fuit panis, præter accidentia: quæ conclusio est communis Scholasticorum.

*Nihil manere præter accidentia.*

Ad cuius confirmationem subiungam modos dicendi variorum, opponendo hanc conclusionem vniuersalem Doctoris per negationes singulas, & particulares inclusas: respondendo etiam breuiter erroribus, quos *suprà* citauimus de assumptione panis ad vnionem hypostaticam, & de vbiquitate eius.

### *Vtrùm aliquid panis maneat?*

49 *Prima sent.*

PRima sententia est, post consecrationem manere materiam panis & vini, vt sit subiectum accidentium, & totius conuersionis. Hanc refert Doctor loco citato. D. Bonauentura *dist. 11. art. 1. quæst. 2.* tribuitur Ægidio *Theor. 1. & 2.* præcipuè eam defendit Durandus *eadem dist. quæst. 3.*

Doctor. D. Bonau. Est Ægidij, & Durandi.

Secunda sententia docet manere formam panis: hanc refert D. Thomas *suprà* relatus, & aliqui hanc opinionem tribuunt nostro Doctori *dist. 12. quæst. 6.* & Gabrieli *quæst. 2.* & *lect. 25. in canonem.* Maiori *eadem dist. quæst. 1.* quia nimirum dicunt panem in *esse* suo constitui per formam accidentalem.

*Secunda sent.* D. Thom.

Tertia sententia est, manere subsistentiam panis: ita Godefridus *quodlibeto 8. quæst. 16.* vt refert Paludanus *dist. 12. quæst. 3.* & Picus Mirandulanus *in Apologia, quæst. 9.* asserit esse possibilem.

*Tertia sent.* Godefrid. Paludan. Mirandul.

Quarta sententia est quorundam asserentium manere existentiam panis, vt subiectum accidentium. Hanc defendunt moderni Thomistæ, vt Bannes. Fundatur in duobus principiis, nempe existentiam distingui realiter ab essentia, & ab ea separari posse, vt contingit in humanitate assumpta ad vnionem hypostaticam, quæ existit existentia Verbi diuini. Alterum est, accidentia non habere propriam existentiam, sed existere existentiâ substantiæ, in qua sunt; cùm ergo hîc existant eadem existentia, quâ primùm existebant, manet eadem, quæ fuit panis & vini.

*Quarta sent.*

Bannes, & alij. *Declaratur.*

Quinta opinio est, non manere aliquid substantiæ panis sub eadem differentia specifica, sub qua antè erat, manere tamen eandem indiuiduam substantiam, quæ antè erat panis, & per conuersionem fieri corpus Christi. Hanc insinuat Henricus *quodlib. 9. quæst. 9.* & *quodlib. 11. quæst. 4.* & vt videtur Caietanus *3. part. quæst. 75. art. 3. circa solutionem ad 3.* vbi sæpè repetit manere quod erat panis, & explicat illud relatiuum *quod* referre substantiam, & veram realitatem, quæ manet, & est corpus Christi: & particulam demonstratiuam *hoc* designare subsistantiam panis, non sub *esse* panis, sed absolutè. Hunc modum loquendi videtur desumpsisse ex Richardo *dist. 11. art. 14.* & ex D. Thoma *eadem dist. quæst. 1. art. 2. ad primum*, vbi ait, terminum *à quo*, conuersionis esse substantiam panis conuerti in terminum *ad quem.*

Henricus. Caietan. Richard. D. Thom.

50 *Prima conclusio. Non manere substantiam panis vnitam hypostaticè.*

*Prima conclusio.* Substantia panis non manet in hoc Sacramento vnita hypostaticè Verbo diuino, aut corpori, & sanguini Christi. Hæc est de fide contra errores citatos aliàs *suprà*, & sequitur ex Patribus, & Conciliis ibidem citatis, & ex significatione formæ inquantùm conuersiua est, quia aliàs æquè esset vera hæc: *Verbum est impanatum*,

*tum*, ſicut hæc: *eſt incarnatum*, quod eſt inauditum in Scripturis, aut Patribus.

*Secunda ratio. Ex impoſſibilitate rei.*

Deinde nequit vniri hypoſtaticè corpori, & ſanguini, quia illa non ſunt ſuppoſita, niſi in Verbo: ergo nihil ſuppoſitare poſſunt. Videantur Patres *ſuprà* citati. Alius autem error Vbiquiſtarum eſt imaginarius, vt conſtat eius falſitas ex Scriptura vbicunque loquitur de Chriſto, quà eſt homo, quia dat ipſi *vbi* circumſcriptum, & determinatum, & definitum, vt quòd fuerit in ventre Matris, quòd natus in præſepio, paſſus in Cruce, aſcendit ad cœlos, vbi ſedet ad dexteram Dei Patris; inde venturus iudicare viuos, & mortuos, &c. Deinde ſi per Scripturam, & Patres, eſt in hoc Sacramento ſpeciali modo vbiquitas illa imaginaria, non ſaluat veritatem Sacramenti, aliàs ſic eſſet quodlibet Sacramentum Euchariſtiæ, ſaltem quod habet vim nutriendi. His relictis, ſit

*Error Vbiquiſtarum.*

51 *Secunda concluſio. Non manere partes. Probatio ex Concilijs.*

*Secunda concluſio.* Non manet materia, aut forma ſubſtantialis panis, & vini in Sacramento: eſt communis Theologorum præter citatos. Probatur, quia tranſſubſtantiatio eſt conuerſio totius in totum, vt definit Lateranenſe, & Tridentinum locis iam citatis: ſed non eſſet talis conuerſio totius in totum ſi maneret aliqua pars eſſentialis termini *à quo*: vnde quando definitur eſſe conuerſionem totius in totum, non ſolùm determinant ſubſtantiam panis in *eſſe* ſpecifico, vel ſecundùm entitatem compoſiti, quia ſic ſufficeret dicere conuerſionem ſubſtantiæ panis & vini abſolutè, non addendo *totius*: ergo per illam particulam comprehendunt & totum, & partes.

*Sola accidentia manere nihil panis, & vini.*

Et certè Tridentinum *cap. 2.* videtur valde expreſsè loqui: *Si quis dixerit in Sacroſancto Euchariſtiæ Sacramento remanere ſubſtantiam panis, & vini vnà cum corpore, & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti, negaueritque mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem, manentibus dumtaxat ſpeciebus panis & vini: quam quidem conuerſionem Catholica Eccleſia aptiſſimè tranſſubſtantiationem appellat, anathema ſit*, &c. Meritò itaque moderni cenſent hanc concluſionem eſſe de fide, quia in illo canone non ſolùm *conuerſionem fieri totius in totum* definit, ſed etiam *nihil manere poſt conuerſionem ſubſtantiæ panis & vini præter ſola accidentia.*

52 Colonienſ. Ambroſius.

His conſonat Concilium Colonienſe part. 7. cap. 15. *Quid enim*, inquit, *panis vinique ſpecies poſt conſecrationem ſunt, niſi ſpecies ſacramentales, & accidentia ſine ſubiecto.* Et Ambroſius, vt habetur *in cap. Omnia, de conſecrat. diſt. 2.* aſſerit nihil aliud manere poſt conſecrationem, niſi accidentia panis, & corpus Domini.

*Nullum ob finem manent partes panis.*

Præterea manere materiam, aut formam panis neceſſariò dicendum eſſet, vel ad effectum aliquem neceſſarium, qui ſine materia haberi nequit, vel ad myſterium fidei: non ſecundum, quia illa non ſunt ſenſibilia, ac proinde non faciunt ad fidem ſaluandum: ſed ſolùm accidentia, circa quæ tanquam obiectum verſatur ſenſus; non primum, quia vel maneret materia ſine forma, aut forma ſine materia: & hoc eſſet inutile, & nouum miraculum ſine neceſſitate non debet induci, vel vt ſubiectum accidentium, ſed neque hoc: quia ſecundùm fidem accidentia ſunt ſeparata à ſubiecto.

*Reſponſio: Impugnatur.*

Si dices materiam eſſe informatam animâ Chriſti. Contrà, hoc abſurdiſſimum eſt, quia tollit tranſſubſtantiationem, vt eſt conuerſio totius in totum, & eſſet transformatio, ſeu generatio quædam ſubſtantialis tantùm, neque materia illa nata eſt informari animâ, donec priùs informetur formâ corporis qualiſcunque illa ſit: quòd autem corpus glorioſum ſubiectum ſit mutationi ſubſtantiali, & fluxui, eſt abſurdum, & contra dotes impaſſibilitatis illius ſtatus: vnde ſi illam materiam informaret anima Chriſti, & fieret in corpore eius, ſequeretur quòd definentibus ſpeciebus, deſineret aliquid corporis Chriſti: vel certè, ſi non deſineret, in immenſum creſceret, & ex alterutro ſequeretur prædicta mutatio.

*Mutatio ſubſtantialis corporis Chriſti.*

Eadem ratione refellitur illud, quod Durandus ad patrocinium huius aſſerit, nempe cibum, quem ſumpſit Chriſtus poſt reſurrectionem ad demonſtrandum corpus viuens, conuerſum fuiſſe in ſubſtantiam eius non neceſſitate, ſed voluntate, & poteſtate. Deinde ponit aliquid monſtruoſum, vt benè notant moderni, quia ſequeretur, quòd in Euchariſtia corpus Chriſti eſſet maius, quàm illud quod in cœlo habet. Si dicas non eſſe de fide dari in rebus materiam. Reſpondetur de fide eſſe nihil panis præter accidentia manere hîc, & ſic dicatur manere in aëre. Reſpondetur id ſine fundamento aſſeri, ac idem dici poſſe de tota ſubſtantia: vtrumque autem eſſet contra conuerſionem totius in totum, & tranſſubſtantiationem, vt eam explicant Concilia.

53 *Fundamentũ Durandi ſolutum.*

Ad fundamenta Durandi reſponſum eſt *ſuprà quæſt. 1. & 2.* mouetur enim ex eo, quòd conuerſio non ſit intelligibilis aliter: quia de ratione eius eſt, vt idem ſubiectum maneat ſub vtroque termino, & ita Patres videntur accommodare exempla ad declarationem huius conuerſionis: ſed ad hæc infrà declarando eſſentiam tranſſubſtantiationis. Quoad præſens negatur illud antecedens; Patres autem per accommodationem loquuntur, declarando poſſibilitatem per alias conuerſiones factas à Deo, vt coſtæ in mulierem, aquæ in vinum in nuptiis, & alimenti in ſubſtantiam aliti; non quòd ſimilitudo ſit in omnibus, ſed quòd poteſtas Dei, probatur ex illis extendi ad conuerſionem, quæ eſt totius in totum.

*Declarantur exempla quibus partes vtuntur.*

54 *Sententia Doctoris de forma panis.*

Sed quid dicendum, ſi formà panis ſit accidentalis, & quid cenſeat Doctor? Reſpondeo in primis Doctorem *infrà quæſt. 6.* non autem *diſt. 12.* vt alij citant, docere panem, & paſtam non differre eſſentialiter. *Quoad ſecundum*, inquit, *dubium benè probabile eſt, quòd paſta & panis non differant ſpecie, quia per decoctionem paſtæ in furno, vel alio modo ab igne, non fit niſi exhalatio humoris aquei commixti cum partibus farinæ, & hæc mixtio eſt per iuxtapoſitionem; talis autem ſeparatio non mutat ſpeciem, quia nec etiam mixtio*, &c. & hoc idem ſupponere videtur Philoſophus, nempe aquam in ſua ſubſtantia manere in pane, *in lib. problematum, ſect. 1. text. 13.* vbi quærit, cur mutatio ciborum magis, quàm aquæ grauis occurrat. Reſpondet: *An quia plurimum aquæ conſumimus; nam & in pane, & in obſoniis aquæ vſus plurimus eſt*, &c. Supponit ergo ſubſtantiam aquæ non mutari in pane; & conſequenter idem dicendum de farina. Ex quibus ſequitur duas formas conſiderari in pane, altera ex mixtorum, nempe farinæ & aquæ: ſecunda autem artificialis, nempe mixtionis, & coagulationis, ſeu iuxtà poſitionis, & hæc eſt accidentalis; prior deſinit, ſecunda manet.

*Formam artificialẽ manere, non ſubſtantialem.*

Ad primum ergo reſpondet Caietanus *3. part. quæſt. 75. art. 6.* Sotus *diſt. 9. quæſt. 2. art. 6.* Ledeſma *quæſt. 6.*

Caietan. Sotus. Ledeſma.

Bellarm. *Censura leuis.*

*quæst.6.art.6.* Bellarm. *lib.3.cap.*11.& 14. esse erroneum. Sed censura est sine fundamento: patet enim ad sensum manere mixtionem, seu iuxtà positionem illam in accidentibus, sicut & figuram, & quantitatem: & oppositum censeri debet contra Concilia, quæ definiunt manere species conuersâ substantiâ.

55 Dices ex Conciliis sequi non manere formam panis, aut materiam absolutè. Respondetur, id verum esse, (& expresè idem docere in hac litera Doctorem) quia quando loquitur de forma simpliciter, intelligitur de substantiali: quia ex intento Conciliorum, & de rigore sermonis forma absolutè sumpta intelligitur substantialis: nec sic loquitur Doctor, sed de forma respectiuè, & secundùm *quid*, quâ distinguitur panis à pasta, quæ est accidentalis, nimirum decoctio, aut exhalatio humoris aquei ex parte per ignem, vnde panis fiat vsualis ad nutrimentum, & per hoc in ordine ad Sacramentum distingui à pasta, quæ non est panis vsualis, aut consecrabilis. Loquuntur ergo Concilia de forma constituente terminum *à quo*, in *esse* substantiæ, quia secundùm substantiam conuertitur, non secundùm accidentia, & ad sensum patet formam accidentalem panis manere.

56 *Tertia conclusio.* Non manet subsistentia panis: sequitur ex dictis, quia hæc subsistentia non est accidens, & pertinet ad complementum substantiæ in *esse* substantiæ, vt distinguitur ab accidentibus, & iisdem supponitur, nihil autem substantiæ manet: ergo, &c. Deinde nequit manere, vt subiectum accidentium, quia hæc non habent subiectum, ex Concilio Constantiensi *sess.*8. Si dicas esse terminum accidentium, quo subsistant; hoc etiam est falsum: quia illa non subsistunt: deinde alia vrgeri possunt ex natura ipsius subsistentiæ, vt quòd non possit conseruari seorsim à substantia: deinde quia in mixto artificiali, vt est panis, non est subsistentia, quæ sit primò totius, quia hoc non est vnum per se, sed per iuxtà positionem. Neque fundamentum pro opposito est alicuius momenti, nempe quòd distinguatur realiter subsistentia ab essentia, quia id non probat posse manere, aut quòd nequeat subsistentia panis conuerti in substantiam corporis Christi: quia res subsistens integra in aliud conuerti potest, etiam non subsistens, vel saltem, quà subsistens esset.

*Tertia conclusio.* Non manet subsistentia panis: — *Non manere subsistentiã.*

Constant. — Constant.

*Responsio ad fundamenta.* — *Responsio ad fundamenta.*

57 *Quarta conclusio.* Existentia panis, aut vini non manet. Est contra præfatos Thomistas, & communis Theologorum. Sequitur ex iisdem principiis, quia existentia spectat ad substantiam: deinde conuersio panis nequit fieri nisi inquantùm existens est, & non secundùm essentiam, quia *produci*, & *conuerti*, & *desinere* conueniunt rei secundùm *esse* existentiæ, & non tantùm essentiæ.

*Quarta conclusio. Existentia panis non manet.* — *Quarta conclusio. Existentia panis non manet.*

*Accidens terminus actionis.* — *Accidens terminus actionis.*

Deinde facilis est impugnationis ex principiis metaphysicis, quia accidentia dicunt propriam existentiam, & inhærentiam, seu dependentiam à subiecto: sunt terminus actionis, & motus: ergo habent propriam existentiam, & consequenter accidens potest sine subiecto conseruari, & produci seorsim à subiecto per creationem, si sit absolutum: ergo non requirit existentiam subiecti, vt fit. Fundamenta huius sententiæ sunt falsa in Metaphysica, quòd nempe accidens indiuiduetur per subiectum, & existat existentiâ subiecti, non propriâ: quæ suis locis eximinantur.

*Non indiuiduari per subiectum.* — *Non indiuiduari per subiectum.*

58 *Quinta conclusio.* Non manet eadem entitas panis post consecrationem sub *esse* corporis. Est contra modum illum loquendi Caietani, qui fortè in reipsa non discordat, nisi sequatur opinionem Henrici *quodlib.*9. *quæst.*9. *quodlib.*11. *quæst.*4. *quodlib.*12. *quæst.*10. vbi dicit panem non annihilari, & post conuersionem non esse nihil, & per consequens esse aliquid, non autem illud quod præfuit, nec quidquam aliud à termino, in quem conuersus est: vnde quod præfuit panis, est corpus Christi: sequitur ergo quòd panis post conuersionem non sit nihil, sed aliquid, & hoc esse aliquid, quod habet esse corpus Christi, aut aliqualitas corporis Christi: ita opinionem hanc explicat, & oppugnat Doctor q. 4. §. *Hic dicitur.*

*Quinta conclusio.* — *Quinta conclusio.*

*Sententia Henrici explicatur.* — *Sententia Henrici explicatur.*

Probatur conclusio ex Doctore, quia terminus *ad quem* mutationis, inquantùm est terminus, includit *non esse* termini *à quo*, quia sibi inuicem debent repugnare in mutatione propriè dicta: ergo corpus, vt est terminus *ad quem*, non includit terminum *à quo*, neque aliqualitatem eius. Patet consequentia, quia sic includeret *esse*, & *non esse* eiusdem, quod contradictorium est.

59 *Probatio conclusionis.* — *Probatio conclusionis.*

*Termini mutationis repugnant.* — *Termini mutationis repugnant.*

Secundò, corpus Christi nullo alio modo est in se substantialiter post conuersionem, aliter quàm fuit ante conuersionem panis: sed panis non conuersus in corpus Christi nullo modo habuit *esse* simpliciter, aut aliquale in corpore Christi: ergo neque post conuersionem panis conuersus habet tale *esse*.

*Secunda probatio. Corpus quoad substantiam non mutatur.* — *Secunda probatio. Corpus quoad substantiam non mutatur.*

Tertiò, cuius est aliqualitas, illud eâ formaliter est aliquid: si ergo *esse* corporis post conuersionem sit panis *esse* simpliciter, aut aliquale panis, post conuersionem erit aliquid formaliter. Quæro quid? non panis, quia desinit, secundùm fundamenta superiùs expressa, quæ militant contra hunc modum fortiùs, aut æquè, quàm contra priores sententias: quia si manet panis in *esse* aliquo suo formali, aut essentiæ, aut existentiæ, quamuis illud dicatur, inesse corpori Christi: currunt argumenta facta, nempe non desinere substantiam panis: & contradictio videtur esse in terminis, quòd aliquid in se formaliter sit, & panis existat *esse* corporis Christi, nisi admittatur vnio hypostatica hæreticorum inter panem & corpus, vel dicatur iuxta opinionem Thomistarum, naturam assumptam existere existentiâ termini.

*Tertia ratio.* — *Tertia ratio.*

*Sequeretur manere panẽ in esse formali.* — *Sequeretur manere panẽ in esse formali.*

*Implicantia contradictionis.* — *Implicantia contradictionis.*

Quartò, *aliquid* & *res* conuertuntur; si ergo panis est aliquid post conuersionem, & non nihil, sequitur quòd sit secundùm existentiam res, aut secundùm essentiam. Peto quænam? non panis, neque corpus Christi, quia repugnat esse essentiam, aut existentiam corporis Christi: ergo neque in se, neque in alio manet.

60 *Quarta ratio. Aliquid & res conuertuntur.* — *Quarta ratio. Aliquid & res conuertuntur.*

Quintò sequeretur non manere sola accidentia contra Concilia.

*Quinta ratio.* — *Quinta ratio.*

Sextò, non esse idem corpus Christi includens panem in Sacramento, & extra Sacramentum non includens.

*Sexta ratio.* — *Sexta ratio.*

Septimò, neque idem esse corpus Christi sub diuersis hostiis, quia includereret diuersos panes, qui numero differunt sub diuersis hostiis, neque *tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur*, quia maius est *esse*, quod habet totius panis, quàm partis, vel certè vt includit totum pro parte, erit maius. Deinde repugnat, vt hic panis desinat in *esse* huius panis, quin desinat in *esse* huius substantiæ contra Caietanum, & huius entis.

*Septima ratio.* — *Septima ratio.*

*Ex fundamẽtis præmissis.* — *Ex fundamẽtis præmissis.*

Fundamenta huius sententiæ consistunt in eo, quòd aliter non possit defendi, quin panis annihilaretur, si nihil eius manet, & consequenter, quòd

*Saluari aliter panem, non annihilari.* — *Saluari aliter panem, non annihilari.*

quòd tranubſtantiatio, & mutatio non ſaluarentur: ſed de hoc *infrà*.

61 *Sententia Ægidij.* *Non diſtingui ſeipſâ materiam.* *Vt quid ſubiici ſoli Deo, vt cauſa.*

© *Sed de modo poſſibilitatis*, &c. Hic modus interpretandi tranſubſtantiationem, vt ſit de facto, eſt Ægidij locis citatis. Primò dicit materiam non habere vllam diſtinctionem in ſe ipſa; principium autem diſtinguendi eam eſſe formam. Secundò dicit, quòd Deus ſolus reſpicit materiam vt *quid*, quia non agit per motum ſicut inſtrumentum: inde colligit, quòd Deus poteſt inducere in materiam panis quamcunque formam; ac proinde formam corporis.

*Impugnatur.* Contra primum Doctor probat, quòd materia non recipiat diſtinctionem numericam à forma: primò ex Philoſopho 12. *Metaphiſ. cap.* 2. vbi ait; *quòd ſicut principiata ſunt diuerſa, ita etiam per ſe principia ſunt diuerſa*: materia vt *quid eſt*, eſt per ſe principium ſubſtantiæ, & pars: ergo, &c.

*Materiam ſeipſa differre à forma.* *Secunda ratio.* Secundò ex proceſſu Philoſophi inueſtigantis materiam 1. *Phyſicor. textu* 82. & 1. *de generat. textu* 24. & 51. ex eo quòd eſt eadem in genito & corrupto; non ſic eſſet eadem numero in duobus ſimul exiſtentibus ſi non eſſet diſtincta ſe ipſa.

*Tertia ratio. Tolleretur generatio & corruptio.* Tertiò ratione, quia aliàs ſi eſſet eadem numero in igne, verbi gratiâ, & aëre, non requireretur corruptio vnius formæ, vt fieret materia ſub altera.

*Quarta ratio. Ex prioritate ad formam.* Quartò, quia materia eſt prior eſſentialiter forma; ergo diſtinguitur ſeipſa, & non per formam, & non variatur in ſe ex variatione poſterioris.

*Quinta ratio. Deſtrui concluſionem intentam.* Quintò quòd hoc fundamentum ſic deſtrueret intentum authoris, quia ſi materia panis ex ſe eſt eadem numero cum materia corporis; non poteſt ipſi imprimi forma corporis, quam habet actu, & conſequenter non eſt ad eam in potentia, quod requiritur vt poſſit ei imprimi de nouo forma.

Si intelligatur quòd materia ſit eiuſdem rationis ſpecificæ ex ſe nihil iuuat; quia conſequentia non valet, quâ inde deducitur, quòd Deus poſſet eandem numero formam ponere in diuerſis numero materiis, quia altera eſt ſuſceptiuum adæquatum, & totale eius.

*An vna materia poſſit eſſe ſimul ſub diuerſis formis.* *Sententia Doctoris.* Hîc poſſet tractari controuerſia philoſophica, quam in ſuum locum remittimus; nempè an Deus de potentia abſoluta poſſet eandem numero formam vnire diuerſis numero materiis, & diſparatis. Conſtans ſententia Doctoris eſt non poſſe; ſicut neque eadem materia habere ſimul duas formas ſubſtantiales & diſparatas, nec ſubordinatas: quia forma in vna materia habet ſuſceptiuum adæquatum & totale. Hæc ratio non videtur ſufficiens, quia de hac quæritur ſaltem reſpectiuè ad omnipotentiam Dei.

*An vna forma poſſet eſſe ſimul in pluribus materiis.* Et vrgetur difficultas, quia forma eſt prior ſuo effectu formali: ergo non perficitur per ſuum effectum formalem. Contingit etiam formam in ſua exiſtentia non dependere à materia; vt patet in anima rationali: ergo repugnantia hæc non fundatur in aliqua dependentia formæ, quæ compleatur per vnum ſuſceptiuum. Vnde non videtur hîc currere illud vulgare principium, quod idem effectus totalis non poſſit à duabus cauſis totalibus ſimul eſſe: ad quod principium communiter noſtræ ſcholæ Doctores reducunt eiuſmodi repugnantias: quia in propoſito non eſſet idem à duabus cauſis, ſed ab vna, nempè formâ: neque eſſet alius & alius; ſed in alio ſuſceptiuo vnus & idem formaliter, & ab eadem forma.

*Ratio difficultatis.*

Accedit, quòd altera materia eſt in potentia, & ſub priuatione formæ; ergo poteſt reduci ad actum: quia nulla eſt repugnantia ex parte formæ, quia eſt prior naturaliter ſuo effectu, & etiam materiâ, inquantùm reducit materiam ad actum, & ſi dicas effectum eſſe aliquo modo diuerſum, ſaltem vt connotat aliam, & aliam potentiam, & priuationem, non refert, quia ad multiplicationem poſterioris non ſequitur multiplicatio prioris: forma autem eſt prior ſuo effectu eſſentialiter.

*Ex potentia diuerſa in materiis.* *Ex prioritate ad effectum.*

Vnde accedit tertiò, quòd cauſæ extrinſecæ poſſint, manentes eædem, habere plures effectus: ergo & formalis, & materialis ſaltem reſpectiuè ad diuerſa: neque eſt repugnantia ex parte vnionis formæ ad diuerſa, quia niſi ſit repugnantia ex parte fundamenti, nulla erit ex parte vnionis.

*Cauſæ extrinſecæ habent plures effectus.*

Reſpondetur tamen illam rationem Doctoris ſubſiſtere; neque ſolùm de potentia ordinaria inuoluere repugnantiam formam eandem numero eſſe in diuerſis materiis ſimul (licèt hæc repugnantia ad præſens inſtitutum ſufficeret contra Ægidium) ſed etiam de potentia abſoluta.

*Fundamentũ negatiuæ explicatur, & defenditur.*

Hæc autem repugnantia reducitur ad contradictionem eſſendi, & non eſſendi ſimul; vel eſſendi ſimul in actu, & non eſſendi: eſt ergo hæc repugnantia tam ex parte cauſæ, quàm ex parte effectus: ex parte effectus: quia effectus formalis etiam formæ dependet à cauſa materiali in ſuo genere, ſicut & ab efficiente in alio genere: quomodocunque ſumatur ille effectus formalis, ſiue reſpectiuè ad materiam, ſiue reſpectiuè ad totum; potentialitas ergo illius effectus ad *eſſe*, ſicut per formam reducitur ad actum, ita etiam per efficiens, & per materiam, vt nullo modo ſit vnius tantùm in ſuo genere; quin ſit alterius etiam in genere proprio: quia cauſæ ſimul cauſant idem, ſingulis in ſuo genere concurrentibus; neque vlla ſeorſim ab alia cauſat effectum communem.

*Eſt repugnãtia ex parte cauſæ, & effectus.* *Ex parte effectum probatur repugnantia.* *Effectus eſt ab omnibus cauſis ſimul.*

Omnis dependentia effectus ad materiam reducitur in actum, & terminatur per vnam materiam, & ſuſceptiuum totaliter; ita vt ampliùs non maneat in potentia vlla, quæ poſſit reduci ſimul in actum ab alia materia; nullam enim cauſalitatem reſpectu eius poteſt exercere altera materia, vel plures, quin vnica & prior in qua fit, exerceat eam completè.

*Potẽtialitas. Terminatur per vnã materiam.*

Patet à ſimili reſpectiuè ad efficiens totale eius, à quo ita fit, vt ab alio nequeat ſimul fieri: quia effectus inquantùm eſt in potentia ad *eſſe*, reducitur per actionem totalem ad actum, ſeu terminum illius potentiæ: ſicut ergo non eſt poſſibilitas ad exiſtentiam in eo quod eſt actu, in quantùm eſt actu; ſic etiam neque poteſt recipere aliam exiſtentiam; neque hanc ipſam, quam habet, & ad quam ampliùs non eſt in potentia: actio autem efficientis ſupponit poſſibilitatem ex parte termini effectibilis, quam reduceret ad actum ſuum; quâ ceſſante, ceſſat poſſibilitas actionis; per idem patet de eodem effectu reſpectiuè ad materiam.

*Quod eſt in actu, non eſt in potentia.* *Actio efficientis ſupponit terminum in potentia.*

Hæc eadem repugnantia declaratur ex parte formæ; quia ſicut cauſa efficiens non reducitur de potentia ad actum, niſi reſpectu illius effectus, qui non eſt in actu; ſed poſſibilis tantùm, ſeu in potentia ad actum: neque reſpectu huius niſi ſecundùm menſuram eſſendi, & poſſibilitatis eius; ita vt actione, verbi gratiâ, vt ſex, nequeat agere ad terminum in gradu eſſendi, vt quatuor: nempè

*Declaratur repugnantia ex parte formæ.*

nempe calefactione vt sex, ad calorem vt quatuor: & sicut actus secundus eius supponit actum primum non solùm in *esse* virtutis, sed etiam cum negatione actionis; vel supponere potest tanquam diuersos status eius; saltem in hoc quod quamdiu est in actu secundo nequeat esse in actu primo tantùm, seu in potentia ad agendum hac ipsâ actione, vel aliâ eiusdem rationis respectu eiusdem termini; & posito termino in actu cessat ex natura rei actio, vt productiua est termini; ita vt repugnet, quando terminus ponitur in actu completo essendi, seu existendi, vt ampliùs maneat actio sub ratione productionis & influxus, quia esset actio, & non esset; esset ex suppositione: non esset, quia nihil communicat termino, cùm sit in actu completo essendi, & existens non possibilis.

*Actus secundus supponit primum.*

*Ex proportione actionis, & termini.*

*Eadem ratio est in causa formali.*

Ita etiam perinde se habet forma in actu primo considerata, quia non est in actu primo, nisi respectiuè ad hunc indiuisibilem effectum, cui communicat suam entitatem: sicut ergo hic effectus eius respectiuè ad vnam materiam totalem, & efficientem totalem, & ipsam formam iam recepit *esse* adæquatè, ita vt ampliùs nequeat esse in potentia ad essendum: ita etiam forma inquantùm est causa eius reducitur ad actum adæquatum, ad quem tantùm est in potentia: alteri autem materiæ nequit etiam seorsim communicare, nisi hunc indiuisibilem effectum, quia eo posito, ampliùs non est in potentia ad alium communicandum: ergo neque forma, vt eius causa, est in potentia respectu eius.

65 *Disparitas inter causas extrinsecas, & intrinsecas.*

Per hoc idem patet disparitas inter causas extrinsecas, & intrinsecas, quia illæ causant non per communicationem propriæ entitatis, sed per virtutem, & aliquid extrinsecum effectui; ideò effectus ipsorum multiplicari potest. Causæ intrinsecæ vnicum indiuisibilem effectum habent per communicationem sui; qui, vt recipit *esse*, iam ampliùs non est in potentia ad essendum. Ex quo patet ad rationem dubitandi super præmissa.

d *Esto etiam quòd daretur sibi consequens*, &c. 66
Admittendo etiam vnam formam posse informare diuersas materias, non sequitur quòd vna materia fiat altera ex ratione præmissa de ordine inter materiam & formam: materia ergo panis non fieret materia, quæ priùs erat corporis; aliàs non posset forma imprimi de nouo materiæ panis, nisi esset distincta, & in potentia ad ipsam formam; quod non est verum dicere de materia, quæ est priùs sub forma corporis, quia *esse* in actu, & potentia sunt prædicata contradictoria.

*Dato casu nõ sequitur intentum.*

*Patet ex præmissis.*

e *Item ista impressio formæ corporis*, &c. 67
Probat argumento Theologico per hunc modum, quo dicitur materia panis manere sub forma corporis, non saluari transubstantiationem, quia tunc magis esset generatio, quod argumentum vrgetur etiam contra Durandum.

*Non saluari intentum.*

Duas alias propositiones eiusdem refellit: primam, quâ dicit Deum solùm agere in materiam, vt est *quid*: propositio falsa est in Philosophia, quia agens creatum educit formam substantialem de potentia materiæ, & forma illa inducitur in materiam vt *quid*: & sic transubstantiatio, quâ explicatur ab hoc authore, etiam fieri posset virtute agentis naturalis; quantùm scilicet ratio illa probat.

*Materia subijcitur causæ naturali.*

Secunda propositio, quâ negat Deum agere per motum reiiciturquin etiam reducitur ad oppositum: quia si causa secunda, vt instrumentum Dei tantùm, agit, & per motum; sic ageret vt mouens motum. Deinde refellitur, quia si agens creatum agit per motum: ergo terminus producitur ab eo successiuè: vel ergo Deus non concurrit ad productionem immediatam termini, vel concurrit producendo per motum, & successiuè, cùm produci successiuè terminum, & non produci successiuè, sed instantaneè, includant contradictionem. Vide Doctorem *Quodlib.* 10. *artic.* 2. *in principio*; vbi clariùs explicat sententiam Ægidij in forma probante, eúmque impugnat.

*Reducitur ad oppositum.*

## SCHOLIVM.

*Possibilitatem transubstantiationis esse ex plena obedientia vtriusque extremi ad Deum. Item, productiuam transubstantiationem non posse esse ad præexistens, sed tantùm adductiuam; contra hoc tria obijcit, & soluit. Transubstantiationem esse productiuam tenent Thomistæ, licèt D. Thom. 3. p. q. 75. art. 3. & 4. vbi ista tractat, hoc non asserat. Vide Scot. quodlib. 10. vbi videtur inclinare in productiuam transubstantiationem; & sic quidam Scotistæ eum interpretantur, sed immeritò, quia clarè hîc docet esse adductiuam, quem sequuntur Maior hîc q. 1. Rub. quæst. 1. art. 3. Mayron. quæst. pen. Ocham q. 6. Petrus de Aliaco q. 6. Bonau. dist. 10. art. 2. q. 1. Marsil. q. 8. art. 2. concl. 7. 8. inclinat Alens. 4. p. q. 10. memb. 5. art. 3.*

Quantùm * ergo ad istum articulum dico, quòd possibilitas conuersionis panis absoluta in corpus Christi est ex plena obedientia vtriusque termini respectu virtutis diuinæ. Sed est dubium speciale hîc propter terminum *ad quem* præexistentem, quia non videtur, quòd in præexistens, & secundùm *esse* pristinum manens, possit aliquid conuerti. Hîc dici potest, quòd est impossibile transubstantiationem partialem esse in præexistens: quia illa est mutatio, per quam potentiale recipit actum, quo priùs caruit, & per consequens compositum ex illo potentiali, & illo actu, nouum est, quia succedit priuationi illius actus. Sed oppositum est in transubstantiatione totali, quia ibi non est mutatio, vt dictum est priùs, & ideò non oportet terminum illius transubstantiationis sequi priuationem, seu negationem oppositam suo *esse*.

22

*Dubium an transubstantiatio partialis sit possibilis in præexistens.*

Sed istud non sufficit, quia licèt non oporteat terminum istius transubstantiationis esse nouum propter rationem mutationis, sicut benè deducitur; tamen videtur quòd oportet ipsum esse nouum, quia est terminus nouæ actionis. Nihil enim est terminus actionis propriè, scilicet de genere Actionis, quin per illam actionem accipiat *esse*, & hoc, saltem

*Terminus actionis accipit* esse *per eam.*

ſaltem ſecundùm illud, ſecundùm quod eſt formalis terminus actionis illius. Vnde etiam Filius Dei, qui eſt terminus actiuæ generationis Patris, per illam generationem accipit *eſſe*, & perſonam eſſe, & Deum eſſe: alioquin ſi nullum *eſſe* accipit per illam, non videtur eſſe intelligibile quomodo ſit ibi aliquid terminans generationem, quæ eſt actio de genere Actionis. Quod pro tanto dico, ad excludendu m operationes, quæ dicuntur æquiuocè actiones: illarum quidem terminum non oportet accipere *eſſe*, quia non ſunt *q.6.n.31.* actiones de genere Actionis, ſed ſunt termini, vt dictum eſt *diſt.3. primi libri.*

23 Si dicas verum eſſe de termino actionis poſitiuæ: tranſubſtantiatio autem non eſt niſi actio deſtructiua termini *à quo*, & in hoc magis eſt non actio. Hoc non videtur probabile, quia ipſa eſt inter terminos poſitiuos, ita quòd nec eſt creatio, nec deſtructio tantùm. [b] Poteſt dici, quòd tranſubſtantiatio (hoc ſtante quòd ſit inter terminos poſitiuos, qui ſunt ſubſtantiæ) poteſt poni duobus modis intelligi. Vno modo quòd ſit ad ſubſtantiam vt per ipſam accipientem *eſſe*. Alio modo vt ſit ad ſubſtantiam, vt per ipſam accipientem *eſſe* hîc. Prima poteſt dici productiua ſui termini *ad quem*: ſecunda adductiua, quia per ipſam adducitur terminus, vt ſit hîc. Et ſub aliis verbis poteſt eſſe, vel ad entitatem ſui termini, vel ad præſentialitatem eius alicubi. Tranſubſtantiatio primo modo non poteſt eſſe ad ſubſtantiam, quæ præfuit: quia non videtur poſſe poni in ſubſtantiam manentem ſecundùm *eſſe* ſuum antiquum: ſed ſecundo modo benè poteſt eſſe tranſubſtantiatio in præexiſtens, quia poteſt fieri de nouo præſens hîc, vbi fuit terminus *à quo*, manens tamen vbi erat priùs.

*Trãſubſtantiatio, alia productiua, alia adductiua.*

*Trãſubſtantiatio adductiua poteſt eſſe in præexiſtens.*

*Dubitatio.* Et ſi obiiciatur quòd iſta ſecunda non eſt tranſubſtantiatio, quia terminus eius non eſt ſubſtantia vt ſubſtantia, ſed eſt iſta præſentia, quæ accidit ſubſtantiæ: ſola enim illa acquiritur per iſtam actionem. Et præterea tunc erit terminus *ad quem* per tranſubſtantiationem alicubi, vbi priùs non fuit, cuius oppoſitum probatum eſt *in diſt.10. quæſt.1.* Et præterea tunc quot eſſent hîc præſentia, tot eſſent præſentialitates, & per conſequens tot conuerſiones: multa autem ſunt in Chriſto, quorum quodlibet eſt hîc præſens: ergo ſunt multæ conuerſiones.

*Ad trãſubſtantiationem ſat eſt vnam ſubſtantiã ſuccedere alij.* Ad primum poteſt dici, quòd ſubſtantia eſt terminus ipſius tranſubſtantiationis ſecundo modo dictæ, quia ipſa ſubſtantia ſuccedit ſubſtantiæ: non tamen habet *eſſe* ſubſtantiale nouum, ſed tantùm præſentiam nouam. Ad ſecundum dico, quòd tranſubſtantiatio primo modo dicta non facit terminum *ad quem* eſſe, vbi non præfuit, & ita debet intelligi concluſio probata *diſt.10.* ſed tranſubſtantiatio ſecundo modo dicta includit mutationem quandam ad ſimplicem præſentiam circa terminum *ad quem*, & ratione iſtius benè poteſt terminus *ad quem* eſſe per illam, vbi non præfuit.

Ad tertium poteſt dici, quòd non eſt ibi, niſi vnicum primò præſens, ſcilicet illud quod eſt primum ſignatum huius ſigni. Alia autem præſentia vel ſunt partes ipſius, vel concomitantia ipſum: conuerſio ergo eſt vnica, quia vnius ſubſtantiæ panis priùs præſentis iſtis ſpeciebus, in vnum corpus vt præſens eiſdem.

24 Pro [c] iſta via videtur eſſe ratio iſta, quia eo modo terminus prior conuertitur in terminum poſteriorem, quomodo terminus poſterior ſuccedit termino priori: ſed terminus poſterior non ſuccedit ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, ſed ſecundùm *eſſe* hîc præſens pani præexiſtenti: ergo nec panis conuertitur, nec tranſit in corpus Chriſti, niſi ſecundùm *eſſe* hîc præſens pani præexiſtenti.

Si [d] dicas, quòd abſolutè *eſſe* corporis ſuccedit ipſi *eſſe* panis, quia corpus manet ſecundùm ſuum *eſſe* ſimpliciter pane deſinente eſſe. Contrà, hoc non eſt ſuccedere ſicut terminum termino, quia ſic Sol poteſt dici ſuccedere cuicumque corrupto hîc inferiùs, quia manet in ſuo *eſſe*, illo deſinente eſſe.

*Termini cõuerſionis ſũt incompoſſibiles, eo modo quo terminant.* Secundùm [e] hanc viam poteſt teneri, quòd termini iſtius tranſitus ſunt incompoſſibiles eo modo, quo terminant, quia ſic non ſunt ſimul, licèt de potentia abſoluta Dei poſſint eſſe ſimul: ſicut licèt Deus poſſit facere aërem ſimul cum igne de potentia abſoluta, & fortè ex eadem materia: tamen vt aër ſuccedit igni, ſic ſunt incompoſſibiles in ſimul eſſendo. Contra hoc videtur, quòd non ſit tantùm vna mutatio in propoſito, quia per illam, quâ corpus vt hîc ſuccedit pani vt hîc, non definit panis eſſe niſi vt hîc; & per conſequens non definit eſſe ſimpliciter: ergo oportet dare aliam mutationem, per quam panis definit eſſe ſimpliciter. Reſponſionem quære.

ADDITIO. *Dici poteſt, vt dicit Doctor quæſt. illa, an panis in conuerſione in Chriſti corpus annihiletur, ante ſolutiones argumentorum, quæ in ordine eſt, q.4. huius diſt. quòd panis hac conuerſione deſinit ſolum eſſe hîc, & ſic ſolùm habet mutationem deperditiuam præſentiæ ſuæ vt hîc, & hoc primò virtute iſtius conuerſionis. Hanc conſequitur alia deperditiua, quâ deſinit eſſe ſimpliciter, & ſic ſunt duæ, ſed tantùm vna primò vnitate conuerſionis huius.*

COMMEN

68 a *Quantùm ergo ad istum articulum dico*, &c. Tenet, quod priùs dixit de possibilitate transubstantiationis, eam fundari in plena subiectione vtriusque termini ad omnipotentiam Dei: sed mouet dubium, quomodo possit saluari respectiuè ad terminum præexistentem? Si dicas mutationes partiales semper dare *esse* simpliciter termino suo *ad quem*; non tamen totalem.

*Actio nõ datur sine termino.* Contrà, licèt mutatio totalis non det *esse* termino *ad quem*, inquantùm mutatio est; tamen quà fit per actionem nouam, requiritur aliquod *esse* receptum per totalem actionem: quia neque in ipsis diuinis saluatur actio, sine suo termino proprio. Hæc ratio satis manet probata in præcedentibus, probando quòd vna forma non possit recipere *esse* simul in duabus materiis; nam sicut actio nequit saluari respectu præexistentis; ita noua actio requirit nouum terminum, vel secundùm *quid*, vel simpliciter respectiuè ad naturam actionis. Reiicit aliam responsionem, quæ magis spectat ad quæstionem sequentem; & subdit conclusionem.

69 b *Potest dici quòd transubstantiatio*, &c. Tartaretus, & quidã alij, vt Aretinus, dicunt Doctorem hìc sustinere transubstantiationem esse adductiuam mutationem, tanquam probabilem; quæ est plurium authorum, quos citat Scholiastes: quia distinguit hìc transubstantiationem in productiuam & adductiuam; illam negat esse ad præexistens, hanc autem sic, & per eam terminum recipere *esse* non simpliciter: sed recipere *esse hìc*.

*Cõclusio Doctoris.* *Tartaretus.* *Aretinus.* *Interpretantur conclusionem.*

*Reiicitur interpretatio præmissa.* Sed hæc interpretatio neque congruit mysterio, neque etiam est secundùm mentem Doctoris in proposito, neque alibi: quia, vt *suprà* ex ipso probatum est, transubstãtiatio est ad subst antiam, & definitur *mutatio substantiæ in substantiam*; quam doctrinam constanter defendit, & consequenter *in præmissis*, & *in distinctione priori*; & *in quodlib.* 10. *art.* 2. & *in artic. præsenti in* 2. *parte* de termino *ad quem* huius conuersionis; & *in art.* 1. & idem supponit *in quæst.* etiam *sequenti*, substantiam esse terminum formalem *ad quem* conuersionis, & in eam conuerti panem, & vinum in sanguinem, tanquam in primum significatum formæ.

70 Aliter ergo hìc loquitur Doctor de transubstantiatione: aliter autem *suprà quæst.* 1. *huius*: quia in *quæst.* 1. agit de transubstantiatione secundùm proprium & præcisum conceptum in ordine ad definitionem; & sic tantùm est inter terminos ordo; & successio totalis in essendo per conuersionem vnius in alterum. In præsenti dubio agit de eadem, prout includit actionem concomitantem, & mutationem propriè dictam, quam superiùs exclusit à conceptu eius, & dixit tantùm se habere concomitanter.

*Duplex acceptio transubstantiationis.*

Hìc ergo sumit latiùs transubstantiationem, vt comprehendit etiam quidquid concomitanter fit actione diuinâ ad ipsam conuersionem totalem. Hoc patet ex litera vbi inter transubstantiationem, quà mutatio totalis est, & actionem concomitantem distinguit. In prima nempe responsione distinguitur transubstantiatio à mutatione partiali, & formali propriè dicta; in eo quòd illa sit mutatio propriè dicta, quâ terminus succedit in *esse* simpliciter alteri: transubstantiatio verò non sit mutatio propriè dicta, sed totalis conuersio, sine subiecto communi.

Approbat solutionem quoad secundum membrum, & distinguit illam quà est mutatio totalis ab actione concomitante. *Sed istud*, inquit, *non sufficit*; *quia licèt non oporteat terminum illius transubstantiationis esse nouum propter rationem mutationis*; *sicut benè adducitur*; *tamen videtur quòd oportet ipsum esse nouum*, *quia est terminus nouæ actionis*, &c. nempe adductionis. Item in responsione ad primam obiectionem contra conclusionem seruat eãdem distinctionem, asserens subst antiam esse terminum *ad quem* transubstantiationis; sed non habere *esse* nouum substantiale, sed tantùm præsentiam nouam: negat ergo antecedens cum sua probatione, vt iacet in litera.

Item, in responsione ad secundum. *Ad secundum*, inquit, *dico quòd transubstantiatio primo modo dicta*, *non facit terminum* ad quem *esse*, *vbi non præfuit*; *& ita debet intelligi conclusio probata in dist.* 10. *sed transubstantiatio secundo modo dicta includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum* ad quem, *& ratione istius benè potest terminus* ad quem *esse per illam*, *vbi non præfuit*, &c.

Ex his ergo declaratur sensus Doctoris, qui in hoc versatur, quòd transubstantiatio secundùm conceptum essentialem, & formalem, nihil includat nisi quòd sit *mutatio totalis vnius substantiæ in aliam*; & per hoc distinguitur à mutationibus, quæ fieri possunt virtute agentis creati, & in naturalibus; & sic de transubstantiatione egit hactenus: & non includit vllam actionem productiuam, vel adductiuam; nam hæ actiones possunt stare sine vlla conuersione: vt si adduceretur corpus Christi sub speciebus simpliciter, manente substantiâ panis: vel si aliquod aliud produceretur absolutè in *esse*, & non per conuersionem alterius in ipsum, non haberetur transubstantiatio, aut aliquod eius.

71 *Explicatur Doctor.* *Prima acceptio.*

Potest ergo sumi transubstantiatio non solùm secundùm illud, quod formaliter includit in *esse* mutationis, aut conuersionis totalis; sed etiam prout habet aliquid concomitans, & sic potest variari per accidens, & secundùm concomitantia distingui vna transubstantiatio ab alia, sicut idem subiectum, vt est sub diuersis formis accidentalibus diuersificatur secundùm *quid*; vel vnum indiuiduum substantiæ ab alio secundùm accidentia, & non secundùm essentiam. *Secunda acceptio.*

Talis est distinctio quâ hìc Doctor discernit transubstantiationem productiuam & adductiuam inter se; non quidem in *esse* transubstantiationis, aut conuersionis in se, & quiditatiuè; sed ratione concomitantis, quâ alia connotat actionem productiuam termini; alia verò solãm adductiuam: quæ est differentia accidentalis duntaxat, non verò essentialis, aut per se transubstantiationis. Patet per hoc ad modernos, qui putant ex hac litera vel Doctorem vacillare, vel esse in sententia asserentium transubstantiationem esse mutationem propriè dictam; sed adductiuam, & hanc dicere in recto. *Alia productiua, alia adductiua.*

c *Pro ista via videtur esse ratio ista*, &c. Hæc ratio reducenda est ad sensum conclusionis explicatum, per quem tantùm intendit probare non produci simpliciter terminũ *ad quem* in transubstantiatione adductiua, id est, includente actionem adductiuam tantùm, vt distinguitur ab illa, quam vocauit transubstantiationem productiuam. 72 *Explicatur ratio.*

*Explicatio minoris.* Vnde patet ſenſus minoris; *ſed terminus poſterior non ſuccedit ſecundùm* eſſe *ſimpliciter*, &c. quæ ſic intelligenda eſt; terminus poſterior poteſt intelligi, vt eſt terminus *ad quem* conuerſionis tantùm; & ſic non ſumitur hîc: ſed vt eſt terminus *ad quem* adductionis: & ſic ſuccedit ſecundùm præſentiam tantùm, in quo diſtinguitur ab eo, quod ſuccederet ſecundùm *eſſe* ſimpliciter productum. Hic enim ſenſus tantùm facit ad ſcopum diſcurſus, & differentiæ poſitæ inter vtrumque terminum; & inter vtramque mutationem totalem, quâ vna connotat, ſeu includit productionem ſui termini, altera non, ſed ſolam adductionem.

73 *Senſus concluſionis.* Simili modo explicanda eſt concluſio deducta: *Ergo nec panis conuertitur, nec tranſit in corpus Chriſti, niſi ſecundùm* eſſe *hîc præſens pani præexiſtenti*, &c. vbi excluditur *eſſe* productum corporis, non autem *eſſe* ſubſtantiale eius præexiſtens. Et additur *eſſe hîc*, vt denotetur terminus adductionis, non vt excludatur conuerſio panis fieri in corpus Chriſti ſecundùm ſubſtantiam; nec vt denotetur panis conuerti in corpus Chriſti, ſecundùm præſentiam tantùm, quia ſic non eſſet tranſubſtantiatio, ſed tantùm conuerſio ſubſtantiæ in accidens: vt ſi conuerteretur aliquod abſolutum in reſpectiuum; quamuis illud reſpectiuum inferret exiſtentiam ſui fundamenti: tamen abſolutum non diceretur conuerti in fundamentum, ſed in reſpectum; & fundamentum ſe haberet concomitanter ad conuerſionem; non verò tanquam aliquid per ſe ex vi conuerſionis ſuccedens in *eſſe*, & repugnans termino *à quo* conuerſo, quia illa repugnantia fundaretur in ſolo termino *ad quem*, qui eſſet reſpectus.

Ita in propoſito ſi eſſet repugnantia corporis ad panem, vel è contra, ratione ſolius præſentiæ; ſic ipſe reſpectus præſentiæ eſſet terminus *ad quem*, & corpus concomitanter ſe haberet; quod nequit dici ex mente Doctoris, neque ſecundùm determinationem Conciliorum. Conuerſio ergo panis fit in *eſſe* corporis Chriſti ſubſtantiale hîc; ita vt ly *hic* non denotet rationem formalem, quâ ſe tenentem ex parte termini *ad quem*, ſed concomitantem; *& per eſſe corporis Chriſti hîc*, &c. non denotatur reſtrictio, aut reduplicatio termini *ad quem*; ſed ipſe terminus *ad quem* conuerſionis cum ſpecificatione accedente ratione præſentiæ concomitantis ex adductione, & excludatur productio ſimpliciter corporis. Particula ergo aduerbialis determinat ſpecificatiuè, & non diſtrahit terminum *ad quem* conuerſionis, & excludit etiam determinationem oppoſitam, quâ terminus *ad quem* conuerſionis poſſet aliàs produci, & produceretur de facto, niſi eſſet præexiſtens. Quamuis & illa productio concomitanter ſe haberet ad conuerſionem; ſicut adductio termini præexiſtentis etiam ſic concomitanter ſe habet ad terminum, vt ſpecificat conuerſionem.

*Terminus conuerſionis.*

74 Seruanda ergo hîc veritas rei, & proprietas locutionis; non enim eodem modo, iuxta principia ſuperiùs poſita *queſt. 1. & 2. huius diſtinct.* nobis licet loqui de tranſubſtantiatione (qui negamus eam eſſe mutationem formalem reſpectiuè ad terminum *ad quem*, & includere in ſuo conceptu actionem de genere Actionis, quæ eſt mutatio hoc modo ſumpta) quo modo alij loquuntur de tranſubſtantiatione, qui tenent eam eſſe actionem productiuam termini *ad quem* ſimpliciter, vel ſecundùm *quid*. Quamuis enim dicamus actionem aliquam, ſiue productiuam, ſiue adductiuam, vel ſimilem cócomitari tranſubſtantiationem; tamen alterius rationis, & conceptus eſt à conuerſione totali, nec faciunt vnum conceptum per ſe, quia & in ſe diuerſæ ſunt, & etiam non communicant in eodem termino formali: nam terminus *ad quem* conuerſionis, vt ſpectat ad actionem abſolutè ſumitur ſecundùm illud, quod recipit per actionem, ſiue ſit ſimpliciter *eſſe*, ſiue *eſſe* ſecundùm quid; & ſic non dicit ordinem ad terminum *à quo* conuerſionis, quâ conuertitur in terminum *ad quem*: terminus autem *ad quem* conuerſionis dicit ordinem, & repugnantiam cum termino *à quo* in *eſſe*. Corpus Chriſti poteſt fieri præſens abſolutè manente ſubſtantiâ panis, vt aliàs *in art.* 1. diſſeruimus. Corpus tamen vt eſt terminus *ad quem*, conuerſionis panis in ipſum, dicit repugnantiam in *eſſe* ad ſubſtantiam panis: illa ergo clauſula, *eſſe corporis Chriſti hîc*, &c. vtrumque importat, terminum ſcilicet *ad quem* conuerſionis, & terminum *ad quem* adductionis; & vtrumque ſpectat ad hoc myſterium, vt alterum ſine altero non ſaluetur, quamuis ab inuicem diſtinguantur. Sicut concomitanter ſe habent conuerſio formalis & partialis, ac naturalis ſubſtantiæ corruptæ in genitam, & genitam ſuccedere in eodem loco, in quo fuit corrupta: licèt diuerſa ſint recipere *eſſe* ſimpliciter ſubſtantiam genitam; & recipere *eſſe* hîc.

Dices corpus Chriſti, vt exiſtens abſolutè, non dicit repugnantiam ad terminum *à quo* in *eſſe*, nempe ad ſubſtantiam panis: ergo tantùm dicit illam repugnantiam, vt eſt hîc præcisè: ergo ratione præſentiæ ad ſpecies dicit illam. Reſpondetur diſtinguendo antecedens; ſi intelligatur exiſtens abſolutè, vt abſtrahit ab omni eſſendi modo conceditur: vel etiam, vt eſt ſub modo naturali eſſendi: ſi intelligitur *eſſe* abſolutè pro exiſtentia reali ſpecificatiuè, quæ eſt hîc, negatur; & tunc ad conſequens reſpondetur ſi ly *tantùm* determinat conditionem, aut rationem concomitantem, concedo: ſi autem fundamentum repugnantiæ, negatur. Sicut à ſimili anima non conſtituit hanc partem corporis viuentem, niſi vnita ipſi: ergo non conſtituit viuentem, niſi mediante vnione tanquam ratione formali viuificandi, negatur; ſic etiam corpus Chriſti, ſecundùm *eſſe* reale, & ſubſtantiale eſt terminus formalis *ad quem* conuerſionis, & repugnans termino *à quo*; tamen non eſt talis terminus, niſi vt habet præſentiam ſui concomitantem, per quam applicatur, ſicut in aliis oppoſitis concomitatur ſimilis conditio in ordine oppoſitionis actualis, qua vnum cedit alteri. Per hoc patet ad illud, quod conſequitur.

75 *Obiectio.* *Reſponſio.* *Exemplũ accõmodatum.*

d *Si dicas quòd abſolutè eſſe corporis ſuccedit*, &c. 76
Hæc reſponſio non eſt ſufficiens, vt refunditur in rationem ſubiunctam, quæ eſt hæc: *quia corpus manet ſecundùm ſuum eſſe*, &c. quia manet ſecundùm naturalem modum eſſendi, deſinente pane; tamen vt ſic exiſtens, non eſt terminus *ad quem* conuerſionis, neque manet per modum talis termini. Sicut neque Sol (vt replicatur) quamuis maneat deſinente ſubſtantiâ ſublunari corrupta, non eſt terminus in quem conuertitur talis ſubſtantia: ſed illa alia particularis quæ generatur, & ſuccedit in eadem materia.

Reſponſio ergo vt valeat debet reduci ad iam dicta: nempe, vt *eſſe* corporis ſubſtantiale per modum termini conuerſionis manet; quod ipſi competit, vt habet concomitantem præſentiam ſacramentalem; neque ideò præſentia tranſit in terminum

terminum *ad quem* conuersionis, quæ est existentia corporis, vt habet annexum *non esse* panis, ex natura conuersionis, non verò præsentiæ.

Vnde posset saluari conuersio absolutè loquendo, si fieret sine præsentia concomitante, vt *suprà quæst. 2. huius* est probatum: præsentia autem requiritur ad finem conuersionis, vt fit de facto; quatenus terminus conuersionis, quod est corpus, demonstrari possit per signum demonstratiuum vocale, & reale.

*Quare requiritur præsentia sub speciebus.*

77 *Duplex ordo terminorum.*

Vnde potest hîc considerari duplex successio inter terminos conuersionis: alia est in essendo, & hæc spectat ad transubstãtiationem, per quam terminus *ad quem*, habet annexum *non esse* termini *à quo*, etiam simpliciter. Alia est successio in præsentia, quæ requiritur ad *esse* Sacramenti; ita vt corpus Christi succedat substantiæ panis, quoad præsentiam sub iisdem accidentibus, quæ fuerunt panis; vt primum & vnicum contentum per modum significati, & vt Sacramentum est institutum de facto.

Quamuis ergo prima successio in *esse* sufficiat simpliciter ad naturam transubstantiationis, quæ saluari posset etiamsi corpus Christi non poneretur hîc, sed alibi, & reciperet *esse*, cui esset connexum *non esse* substantiæ panis totale; tamen non sufficit ad *esse* Sacramenti, vt est de facto institutum; sed requiritur successio in præsentia, quam Doctor hactenus explicuit per *esse hîc*.

Et si dicas: ergo est duplex conuersio, nempe substantiæ in substantiam, & præsentiæ in præsentiam. Respondetur negando consequentiam, quia sicut ex vi conuersionis panis desinit esse quoad substantiam, ita etiam desinit esse præsens, quod supponit existentiam: præsentia itaque corporis in reipsa succedit præsentiæ panis, non per conuersionem immediatam vnius in aliam, sed ex ratione dicta; & in essendo, & quà præsentia corporis concomitatur conuersionem, quæ infert *non esse* panis.

*Præsentia panis non conuertitur, sed desinit esse natura rei.*

78 e *Secundùm hanc viam potest teneri*, &c. Hæc est responsio ad vltimam replicam, quam iam declarauimus: dicit ergo terminos huius trãsitus, seu conuersionis, eo modo esse incompossibiles, quo sunt termini: quia sic non sunt simul, licèt de potentia absoluta possint esse simul; nempe corpus Christi & panis. Instantia autem, seu exemplum, quod adducit, non est ex proprijs assertis; vt patet ex commento præcedentis paragraphi: vbi impugnat Ægidium, quòd dixerit eandem formam informare duas materias.

*Exemplũ ex doctrina Ægidij.*

Ex hoc fortè, & replica subsequente videtur hîc Doctor differere iuxta principia aliorum. Sed neque hoc necessarium est interpretari, quia illa instantia est declaratiua tantùm, & non probatiua: & sicut docet conuersionem esse primariò inter ipsas substantias aëris & ignis, sicut terminos: accessoriè verò & concomitanter, vt sunt hîc: ita intelligendus est toto discursu loqui de terminis transubstantiationis, non solùm, quà est successio inter ipsos quoad substantiam, & vt cadunt sub conuersione; sed etiam quà terminus *ad quem* aliàs præexistens succedit termino *à quo*, secundùm illud *esse* nouum, quod recipit per actionem adductiuam.

*Seruetur interpretatio præmissa.*

Hoc non tollit aliàs dicta superiùs: quia hæc duo sunt vera, nempe terminum *ad quem* transubstantiationis esse substantiam, secundùm suum *esse* substantiale, & succedere substantiæ conuersæ in *esse*, non solùm substantiali, sed etiam secundùm illud *esse* nouum, quod recipit, siue per actionem productiuam, siue adductiuam, siue quamcumque aliam concomitantem: quia ordo, & successio inter ipsas substantias non saluatur, quin etiam saluetur inter concomitantia, aliàs non essent concomitantia.

79 *Successio corporis in esse absolutè, & in esse hîc.*

Etiam hæc vera est, quòd terminus *ad quem*, secundùm substantiam sit terminus formalis conuersionis; licèt non sit talis, nisi vt habet modum essendi nouum concomitantem, non tanquam rationem formalem terminandi; sed tanquam determinationem cõcomitantem, sub qua ipsa substantia, secundùm suum *esse* reale, vt ratione formali terminandi terminet conuersionem: & illa determinatio, vt dictum est, est specificans, non reduplicans rationem formalem rei.

Sic vna correlatio non potest esse, quin altera, quæ simul est, sit, quamuis neutra sit ratio essendi alteri, neque conditio essendi: sic etiam concomitantia causarum in causando, verbi gratiâ efficientis, & materialis, & formalis, & finalis; licèt neutra sit alteri ratio, aut conditio causandi. Sic etiam plures potentiæ simul operantur, licèt neutra virtute alterius hîc, & nunc operatur: sic ergo hîc potest esse terminus totalis conuersionis, & productionis, seu actionis; ita vt sit concomitantia in termino, & in mutatione; & *esse hîc*, vt importat tantùm *esse*, sit terminus conuersionis, vt præsentiam verò, adductionis; & vnum sine altero non ponatur; licèt per diuersa, & in ordine ad diuersa subsistant. Replicam illam, quam subiungit Doctor, soluemus *in quæst. sequenti.*

*Exemplũ ex coexistentia relatiuorum.*

*Ex concomitantia causarum.*

*Plures potentia concomitãter operantur.*

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thom. est, terminum primum conuersionis, qui ponitur ex vi verborum, esse compositum ex materia, & anima, quatenus dat* esse *corporeum. In fauorem huius suadetur quatuor rationibus non dari formam corporeitatis, sed vnam tantùm formam substantialem in composito. Contra hanc duas affert rationes suadentes dari formam corporeitatis.*

De a secundo articulo dico, quòd sicut in conuerso sunt duo, scilicet materia, & forma, ita in termino *ad quem* conuersionis. Ponitur enim hîc compositum primò conuerti in compositum, & ita in vtroque termino aliquid esse formale, & aliquid materiale. Quid sit ergo formale in termino *ad quem*, dicitur quòd in natura humana Christi nihil est, nisi materia prima, & anima intellectiua, & pro hoc sunt quatuor rationes fundamentales. Prima est hæc: Vnius entis est vnum *esse*; vnum *esse* est ab vna forma: ergo vnius entis est vna forma.

25 *D. Thom. 1. p. q. 76. art. 3. & 4.*

*Text. com. 43.* Hoc confirmatur per illud Philoſophi 7. Metaphyſic. cap. de vnitate definitionis, vbi vult, quòd *genus nihil eſt præter eas, quæ ſunt generis ſpecies.* Et ibidem: *Finalis differentia ſubſtantia erit rei, & definitio.* Et ibidem: *Non eſt ordo in ſubſtantia. Quomodo enim oportet intelligere hoc priùs, illud verò poſteriùs?* Ex quibus omnibus accipitur, quòd vnitas definitionis per hoc eſt, quòd genus nihil eſt, præter ea, quorum eſt, & differentia, quæ habet rationem formalis, dicit totam ſubſtantiam rei: ergo non eſt ibi alia, & alia forma, quia tunc ſi à prima acciperetur genus, & à ſecunda differentia, genus eſſet aliquid præter ſpecies, ſaltem ſecundùm *eſſe* quiditatiuum, nèc eſſet differentia vltima tota ſubſtantia definiti. Eſſet etiam ordo in ſubſtantia rei ſecundùm ordinem formarum. Ibidem etiam videtur dicere Philoſophus, quòd differentia poſterior includit priorem. Nam *ſiſsio pedis eſt quædam pedalitas:* ſed non includeret, ſi ab alia & alia forma ſumeretur: hæc ratio ſumpta eſt ex vnitate per ſe.

26 *Tres differentiæ inter formam accidentalem, & ſubſtantialem.* Secunda ratio ex differentia formæ accidentalis ad formam ſubſtantialem ſumitur: forma enim ſubſtantialis dat *eſſe* ſimpliciter, accidentalis autem ſecundùm *quid.* Ex hac ſequitur alia differentia, quòd forma accidentalis aduenit enti ſimpliciter: ſubſtantialis autem enti tantùm in potentia. Tertia differentia eſt, quòd ſubſtantiæ eſt generatio ſimpliciter, quia de potentia ſimpliciter ad *eſſe* ſimpliciter: accidentis autem ſecundùm *quid.* Sed ſi forma ſubſtantialis poſſet ſequi aliam formam ſubſtantialem in eodem, iſtæ differentiæ non ſaluarentur: nam illa ſecunda non daret *eſſe* ſimpliciter, quia aduenire enti in actu, & eſſet generatio ſecundùm *quid:* & vltimum medium, ſcilicet de generatione, ponderatur ſpecialiter, quia ſecundùm Philoſophum, 5. *Phyſicorum*, generatio non eſt motus propter duo media, quæ ibi tangit. Primum eſt, *quod mouetur eſt: quod generatur non eſt.* Secundum medium eſt, *quod mouetur eſt in loco*; & loquitur vtrobique accipiendo *quod generatur*, pro ſubiecto generationis: ergo illud ſimpliciter non eſt, nec habet formam, per quam poteſt eſſe in loco; ſed ſi poneretur forma prior ſaltem per iſtam ſubiectum eſſet ſimpliciter, & poſſet eſſe in loco: ergo, &c.

*Text. 8. Quare generatio non eſt motus.*

27 Tertia ratio ſumitur ex prædicatione, quia quando à diuerſis formis accipitur prædicatio, vel eſt prædicatio per accidens, vtpote, ſi formæ non ſunt per ſe ordinatæ, vt homo eſt albus: vel ſi formæ ſint per ſe ordinatæ eſt prædicatio per ſe ſecundo modo, vt ſuperficiatum eſt coloratum: ergo ſi genus accipitur ab vna forma, & ſpecies accipitur ab alia, quod oportet dicere, ponendo plures formas in homine; ſequitur, quòd prædicatio alicuius generis de homine non erit prædicatio per ſe primo modo.

*Text. 50.* Quarta ratio poteſt fieri, & plus valet omnibus præcedentibus. Pluralitas non eſt ponenda ſine neceſſitate, *ex 1. Phyſicorum:* ſed non eſt neceſſarium ponere illas plures formas, quia perfectior continet in ſe imperfectiorem virtualiter, ſicut tetragonum trigonum, *ex 2. de Anima:* ergo ſuperfluum eſt ponere illam aliam diſtinctam ab iſta perfectiori continente illam.

*Text. 31.*

*D. Thom. hic artic. 1. q. 1. & 1. p. q. 75. art. 6. Primus terminus conuerſionis ſecundùm D. Thomã eſt compoſitum ex materia, & anima, vt dat eſſe corporeum.* Innitentes iſtis rationibus, & concluſionem ipſarum tenentes, ad propoſitum eas applicant. Dicitur enim vno modo, quòd primus terminus conuerſionis iſtius eſt compoſitum ex materia, & anima intellectiua, non vt intellectiua, nec vt conſtituit compoſitum, quod eſt homo, ſed vt dat *eſſe* corporeum, & conſtituit compoſitum, quod eſt corpus. Ipſa enim eadem anima, & conſtituit in *eſſe* hominis, & animalis, & corporis, & ſubſtantiæ, & hoc ſine diſtinctione reali formæ, & formæ, ſed propter continentiam virtualem formæ perfectioris: & ſicut poteſt aliquid primò agere per animam, vt dat *eſſe* corporeum, licèt non agat eandem actionem per animam vt dat *eſſe* intellectiuum: ita poteſt terminare actionem ſub tali ratione, licèt non ſub tali.

28 *Dari formã corporeitatis probat duabus rationibus. Quæſt. 4.* Contra iſtud, Si hoſtia conſecrata à Chriſto in cœna in pyxide fuiſſet in triduo ſeruata, permanſiſſet ibi eadem res primò contenta: illud autem, in quod primò fiebat conuerſio, nec fuit materia prima, nec accidentia, nec compoſitum ex materia & accidente: ergo compoſitum aliquid ex materia & forma ſubſtantiali: illud ergo permanſiſſet in triduo: ſed tunc non erat compoſitum ex materia, & anima intellectiua, quia Chriſtus verè fuit mortuus in cruce, & ita anima intellectiua, verè fuit ſeparata: ſed non poteſt eſſe ſimul ſeparata, & vnita eidem corpori, *ex diſtinct. 10.*

Item, terminus iſtius conuerſionis oportet quòd ſit reale, & vt reale, quia conuerſio eſt realis; ſed anima intellectiua, vt dat *eſſe* corporeum diſtinguendo contra *eſſe* intellectiuum, etiam ſecundùm aliquos iſtorum, non eſt aliquid reale, ſed tantùm quid abſtractum per actum intellectus, ſicut commune eſt aliquid præter ſingularia, ſiue inferiora ſecundùm eos: ergo iſta conuerſio non poteſt eſſe in anima ſub tali ratione, vt in per ſe terminum conuerſionis.

## COMMENTARIVS.

80 a *De ſecundo articulo dico*, &c. Primum ſupponit hîc terminum *à quo* conuerſionis eſſe compoſitum ex materia & forma, ita etiam terminum eſſe ſimiliter compoſitum ex materia & forma. Ex quo patet interpretatio præmiſſa prioris paragraphi, cùm non ſoleat Doctor abruptim tranſire in extremas ſententias, & hîc aſſerat, quod aliàs hactenus docuit de termino formali conuerſionis eſſe compoſitum ſubſtantiale, nempe corpus Chriſti.

*Corpus eſt terminus ad quem.*

*Quæ ſit forma cõſtitutiua corporis.*

Quantùm ad quæſitum irrepſerunt plures modi dicendi ex varietate opinionum circa conſtitutiuum corporis humani: de fide enim eſt conſtitui corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti verum, & proprium ſub ſpeciebus panis. Sed controuerſia eſt de eo, quod ipſum corpus conſtituit, ſeu de forma eius. Adducit primò ſententiam D. Thomæ, quæ eſt, quòd corpus conſtituatur per animam, non quà rationalis eſt, ſed quà dat *eſſe* corporeum. Pro qua præmittit quatuor rationes. Prima ratio eſt, quia vnius entis vnum eſt *eſſe*, & conſequenter vna forma. Secunda ratio, ex differentia formæ ſubſtantialis ab accidentali; prima quòd det *eſſe* ſimpliciter; ſecunda quòd non adueniat enti in actu; tertia quòd ſubſtantiæ ſit generatio ſimpliciter. Ratio tertia eſt, quia prædicatio è diuerſis formis non ſubordinatis ſumpta eſt in ſecundo modo dicendi, & non in primo modo, id eſt, per modum proprij: ſumpta verò à formis non ſubordinatis eſt accidentis quinti Prædicabilis. Quarta ratio, quia ſuperfluit pluralitas formarum, cùm perfectior includit in ſe imperfectiorem virtualiter: ſicut tetragonum includit trigonum, *ex 2. de Anima, textu 31.*

*Prima ſent. D. Thom. conſtitui per animam.*

*Fundamentũ huius opinionis.*

Hanc ſententiam impugnat duabus rationibus. Prima eſt, quòd in triduo manere poſſet contentum ſub ſpeciebus panis, quamuis anima non eſſet vnita corpori: ergo eſſet verum corpus Chriſti, quod repugnaret eſſe ſine principio conſtitutiuo. Secunda ratio eſt, quòd terminus huius conuerſionis ſit aliquod reale: ergo ex principiis realibus: ſed *eſſe* corporeum, vt eſt ab anima, & diſtinguitur ab *eſſe* intellectiuo, eſt conceptus intellectus, non aliquid in reipſa ex mente ipſorum.

*Duplex impugnatio.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Ægid. materiam ſine quantitate, vt tamen habet modum quantitatiuum, eſſe terminum conuerſionis. Hanc refutat Doctor, fusè probans ratione, & Sanctorum auctoritatibus dari formam corporeitatis, quam tenent Auic. 1. ſuffic. cap. 2. Henr. quodl. 2. q. 2. Rich. 2. d. 17. a. 1. q. 5. Argent. 4. d. 13. a. 1. ait eſſe omnium Anglorum. Anton. Andr. 7. Met. q. 17. Baſſol. 2. d. 17. q. 1. a. 2. Baccon. 3. d. 19. q. vn.*

Alius [a] tenens concluſionem eandem dicit, quòd materia habens modum quantitatiuum, eſt illud compoſitum, in quo fit conuerſio panis: quantitas enim derelinquit in materia modum extenſiuum partium, qui modus non eſt aliquod accidens ipſi materiæ: & tamen materia ſub illo modo eſt compoſitum, in tantùm etiam vt poſſit dici corpus, vt ipſe declarat. Ideò autem negat quantitatem eſſe in per ſe termino conuerſionis, quia tunc non eſſet tranſſubſtantiatio, ſi requireret in per ſe termino ſuo aliquod accidens, & tunc etiam eſſet ibi quantitas primò, quod ipſi negant, & alij communiter. 29

*Ægidius Theor. 28. 29. & 30.*

Contrà, quæro aut modus ille quantitatiuus eſt idem materiæ præcisè ſumptæ, aut non? Si ſic, & conuerſio fit in materiam ſub iſto modo: ergo fit conuerſio totius panis in materiam præcisè acceptam, & per conſequens, non eſt materia conuerſa in materiam, & forma in formam: quod ipſe negat. Si non, ergo vel ille modus quantitatiuus nihil eſt, & tunc conuerſio fit in nihil, quia formalis terminus conuerſionis eſt purum nihil. Vel conuerſio fit præcisè in ipſam materiam, & per conſequens, non eſt materia conuerſa in materiam, & forma in formam, & tunc multiplicantur verba ſine fructu: aut aliquid aliud à materia, & tunc vel forma ſubſtantialis, vel accidentalis. Si ſubſtantialis, & non anima intellectiua, habetur propoſitum, quòd eſt alia forma ſubſtantialis in corpore Chriſti. Si accidentalis, ſequitur illud inconueniens, quod credit vitare, ſcilicet quòd in per ſe termino iſtius conuerſionis requiratur aliquod accidens.

*Contra Ægid. ad hominem.*

Item, nihil cauſatum à poſteriori naturaliter poteſt eſſe idem priori naturaliter: modus iſte per te cauſatur, & derelinquitur à quantitate, quæ eſt poſterior naturaliter ſubſtantia materiæ: ergo non poteſt eſſe idem ſubſtantiæ materiæ. Maior probatur, quia quod eſt idem realiter priori, non dependet realiter ab eo: ſed poſterius dependet realiter à priori, prius non dependet realiter à poſteriori: ergo nec iſtud, quod eſt idem ſibi realiter dependet à poſteriori: ſequitur, ergo dependet, & non dependet. Adhuc maior iſtius manifeſtiùs patet, quia contradictio eſt aliquid eſſe, & non eſſe aliquid, quod eſt idem ſibi: ſed ſi iſtud non dependeret ab aliquo, & illud quod eſt idem ſibi dependeret, poſſet illud eſſe ſine illo.

*Cauſatum à poſteriori, non poteſt eſſe ſimul cũ priori.*

Præterea, aut illud corpus, quod ponis primum terminum conuerſionis, eſt corpus mathematicum, vel naturale: non enim diſtinxit Philoſophus corpus in plura. Si mathematicum, 30

thematicum, ergo includit actu quantitatem: ergo habetur quod vitas. Si naturale, vel ergo est per formam substantialem naturalem: vel per qualitatem. Si primo modo, habetur propositum, quia illa forma non est anima intellectiua: si secundo, & qualitas naturalis præsupponit quantitatem, adhuc habetur propositum: quia primus terminus conuersionis includet materiam cum quantitate, & qualitate, & ita erit non tantùm ens per accidens, sed dupliciter ens per accidens.

Item, non sunt efficaciora verba super sanguinem, quàm super corpus: sed dicendo, *Hic est calix sanguinis*, non potest fingi terminus conuersionis esse sola materia sub modo quantitatiuo, quia illud non est sanguis: sanguis enim dicit aliquam substantiam, quæ generatur à nutrimento assumpto, & est proximum conuertendum in carnem: non autem generaretur, nec conuerteretur, nisi haberet propriam formam substantialem.

*Sanguis habet propriã formã, ergo & corpus.*

31 *Caro & os non magis includunt formam, quam corpus.*

Præterea cùm dicitur, *Hoc est corpus*, non ponitur aliquid distrahens à veritate carnis, & ossis, & huiusmodi, sed potiùs vt includit omnes partes eius, quod est primò animabile: sed si diceretur, hæc est caro, vel os, videretur fictio ponere terminum conuersionis esse tantùm materiam sub modo quantitatiuo: ergo multò magis in proposito, accipiendo corpus, vt est quoddam includens omnia ista, sicut hîc accipitur.

*Probat multis Sanctorũ authoritatibus dari formam corporeitatis, Ambros. Leo.*

Sic ergo neuter modus tenens conclusionem negatiuam hanc, quòd in corpore Christi non est alia forma substantialis, quàm intellectiua, saluat sufficienter veritatem Eucharistiæ: sed nec saluat sufficienter vnitatem rei contentæ in Eucharistia, scilicet vnitatem corporis Christi: quia sicut in existentia naturali, ita & in Eucharistia erat idem corpus & mortuum, & viuum. Quod probatur per multas auctoritates, quarum vna est Ambrosij, & ponitur *de consec. dist. 2. Omnia quæcumque*, loquens de Eucharistia, quomodo efficitur corpus Christi, *Idem*, inquiens, *sanè corpus quod de Virgine sumptum est, quod passum est, & sepultum, quod resurrexit, & in cœlum ascendit.*

Item dicit Leo Papa in sermone de Ascensione Domini: *Non dubiâ fide, sed certissimâ scienti â tenemus eam naturam in Patris consessuram throno, quæ iacuerat in sepulchro.* Idem habetur ab Augustino in sermone de Ascensione, qui incipit, *Omnia charissimi.*

32 *Aug. c. 17. Damascen.*

Item Augustinus de fide ad Petrum, *Idem homo in vtero matris, & pependit in cruce, & iacuit in sepulchro, & resurrexit.* Sed non potest intelligi hîc ista identitas nisi ratione partis, quæ est corpus. Hoc etiam vult Damascen. lib. 5. cap. 30. *Nullam*, inquit, *partium naturæ deposuit.*

*Gregor.*

Item Gregorius super illud Ioan. 20. *Maria stabat*, &c. *Quod moriendo in sepulchro posuit, super Angelos leuauit.* Hoc etiam habetur ab Augustino, ad Felicianum, & habetur lib. 3. dist. 21. *Illam carnem in sepulchro non deseruit, quam in vtero formauit.* Hoc etiam confirmatur per Innocentium Extrà de celebratione Missarum, In quadam: *De latere Saluatoris fluxit sanguis & aqua in quibus instituta sunt duo principalia Sacramenta, Baptismus, & Eucharistia*: ergo Eucharistia vt ibi innuitur, & habet significationem illius sanguinis fusi de latere, & habet efficaciam virtute illius sanguinis: sed non significat sanguinem, nisi qui est pars corporis, nec habet efficaciam nisi in virtute effusi sanguinis de corpore Christi: ergo illud corpus de quo fusus fuit sanguis ille, fuit corpus Christi. Sed de corpore mortuo fusus fuit, quia Ioan. 19. dicitur, quòd eo iam mortuo vnus militum lancea latus eius aperuit: *Cùm viderent*, inquit, *Iesum iam mortuum*: ergo illud corpus iam mortuum fuit idem cum corpore Christi viuentis.

*Innocent. Fluxit de latere Christi, sanguis & aqua.*

*Hieronym.*

Item, Hieronymus super illud Ionæ 2. *Et subleuabis de corruptione*, dicit: *Illud ipsum corpus, & eandem carnem surgere, quæ humo condita fuerat.*

## COMMENTARIVS.

81 *Secunda sent. Ægidij.*

a *Alius tenens conclusionem eandem*, &c. Explicat sententiam Ægidij asserentis *Theorem. 28. 29. & 30.* quantitatem non includi in termino per se conuersionis, quia sic non esset transsubstantiatio, si requireret per se aliquod accidens in termino primo *ad quem*: dicitur tamen derelinqui à quantitate in materia modus extensiuus indistinctus à materia, & non est aliquod eius accidens, cum quo materia componit *esse* corporis.

Hanc positionem impugnat quinque rationibus. Addit sextam ex Patribus, contra vtramque opinionem. Prima est, quia sequeretur quòd conuersio esset præcisè in materia, vel in materiam, vt includit accidens, & non materiæ in materiam, & formæ in formam, vt ipse admittit fieri. *Impugnatur sex rationibus. Prima ratio.*

Secunda ratio est, quòd causatum à posteriori naturaliter, potest esse idem priori naturaliter: quia sequeretur, quòd idem dependeret, & non dependeret. *Secũda ratio.*

Tertia, quia vel corpus sumitur, vt est mathematicum, *Tertia ratio.*

maticum, vel vt est naturale: aliud genus non agnouit Philosophus. Si vt mathematicum, includit quantitatem, & erit ens per accidens: si naturale, vel erit constitutum per formam substantialem diuersam ab anima, quod est intentum; vel qualitatem, & consequenter quantitatem: ergo sequitur quod euitare contendit.

*Quarta ratio.*

Quarta, quia forma sanguinis ponit non materiam cum tali modo, sed formam substantialem sanguinis: ergo similiter forma corporis ponit corpus substantiale per formam substantialem constitutum.

*Quinta ratio.*

Quinta, ex veritate formæ, quia, *Hoc est corpus meum*, non ponit aliquid distrahens à veritate carnis & ossis: hæc autem constitui per materiam, & modum quantitatiuum, est fictitium: ergo idem à fortiori de corpore.

*Sexta ratio. Contra vtrãque ex Patribus.*

Sexta ratio est contra vtramque sententiam, vt conueniunt in conclusione negatiua, quia non saluant sufficienter veritatem Eucharistiæ, neque vnitatem rei contentæ: & hæc est ex authoritate Ambrosij, Augustini, Gregorij, Hieronymi, asserentium idem corpus fuisse in Cruce, in sepulchro, resurrexisse, &c. Reliqui modi explicandi sententiam negatiuam, & sustinendi, reducuntur ad hos modos, nempe corpus, vel vt constituitur per animam, esse terminum conuersionis, vel certè materiam, vel nudam, vel in ordine ad aliquam formam, & rationes eorum reducuntur in genere ad dicta, sicut & impugnatio, ex iis quæ adducit Doctor. His ergo in genere, & per compendium dictis, supereſt vt eaſdem rationes in specie contra modernos vrgeamus, & explicemus modum, quo sustinent corpus non constitui per aliam formam substantialem.

*Reliqui modi dicendi ad alteram sententiam ex dictis reducuntur.*

*Sententia modernorũ.*

82

*Prima sent.* Gabriel. Marsilius. Maior.

Prima sententia, & modus explicandi est, corpus quod ponitur ex vi verborum, esse materiam primam: ita Gabriel *in can. Missæ, lect.* 42. Marsilius *in* 4. *quæst.* 8. *art.* 1. Maior *dist.* 10. *quæst.* 1. Hæc fundatur in eo, quòd illud ex quo componitur humanitas, est corpus & anima; corpus autem, vt distinguitur ab anima, nihil est nisi materia prima, non autem includit accidentia, quia hæc variari possunt: corpus autem quod est significatum verborum, non potest variari, neque alia forma substantiali constitui: ergo erit tantùm materia.

*Secunda sent.*

Alij, qui negant etiam dari aliam formam constitutiuam corporis substantialem, dicunt corpus, quod est significatum hîc, non esse speciem subalternam, neque corpus quantitatiuum, neque corpus, quod conflatur ex materia & quantitate, sed corpus quod constituitur per animam rationalem: negat tamen fieri conuersionem in animam, qua tribuit *esse* corporis, vel animam esse partem termini *ad quem* conuersionis. Hæc obscura est, licèt sit opinio D. Thomæ, & aliorum, quantùm ad constitutionem corporis, nempe constitui per animam, non quà viuens, aut rationalis est, sed sub quadam generali ratione, quâ nata est constituere corpus.

*Constitui corpus per animam.*

*Tertia sent. seu explicatio eiusdem.*

Ideò alij docent, supponendo hanc sententiam de constitutione corporis per animam, quà tribuit omnia prædicata prædicamentalia materiæ secundùm diuersas rationes communes, nempe quà forma substantialis est, tribuit *esse* substantiæ, & sic deinceps, quà nata afficere materiam esse corporis, deinceps viuentis, & tandem rationalis. Docet ergo hæc sententia significatum hîc esse corpus, quod dicitur species subalterna, & constituitur per animam modo dicto, & sic sub illa ratione præcisa, quæ solùm ratione distinguitur ab aliis, ingreditur partem signati. Hanc docuit Durandus *in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 2. *in* 6. Caietanus 3. *part. quæst.* 75. *art.* 6. Ferrar. 4. *contra Gentes c.* 64. Citatur etiam pro ea Sotus, & Ledesma, licèt varient in modò explicandi: nam dicunt corpus, quod constituitur significatum, constare anima, non sub ratione animæ, sed sub conceptu vniuoco ad viuum, & mortuum, seu cadauer. Sed aliqui dicunt, vt Ledesma, quòd anima non ingrediatur rationem significati, nisi per modum connotati: alij verò dicunt importari, vt pars etiam constituti per verba.

Durandus. Caietan. Ferrar. Sotus. Ledesma.

*Diuersus modus explicandi.*

Alij, vt Vasquez *disp.* 186. asserit corpus, quod disiunctim constituitur, siue per formam cadaueris, siue per animam, esse significatum: ita vt verba importent corpus tantùm, non viuum, aut mortuum, sub illa determinatione, sed corpus tale, quale est: disiunctim autem constitui, siue per animam, siue per formam aliam, quæ dicitur cadaueris. Fundamentum huius est idem, quia nempe non datur alia forma substantialis in corpore viuo, nisi anima; in mortuo datur alia diuersa, nempe illa cadaueris: corpus ergo organicum, quod constat ossibus, & carne, est significatum, siue illud sic constituatur per animam, siue per aliam formam.

Vasquez. *Corpus sub disiunctione significari.*

Hanc sententiam etiam docuit Suarez *disp.* 51. *sect.* 5. *con.* 3. dicens esse corpus organicum, vt abstrahit ab anima, & forma cadaueris, licèt semper constituatur, siue per vnam, siue per alteram. Omnes hi modi posteriores dicendi reducuntur ad opinionem illam D. Thomæ de constitutione corporis organici 5. *part. quæst.* 75. *art.* 6. *ad* 2.

Suarez.

D. Thom.

83

*Non esse materiam significatiũ formæ.*

*Prima conclusio.* Significatum ex vi verborum non est materia prima. Est contra Gabrielem. Probatur, quia terminus *ad quem* huius conuersionis est corpus, *Quod pro vobis tradetur*, & capax mortis, atque id per effusionem sanguinis in passione, idque constat ex forma ipsa, *Hoc est corpus meum*, vbi demonstratur terminus *ad quem* esse corpus Christi, sed corpus neque in vsu philosophico, neque morali, neque in re, neque in conceptu significat, aut est solùm materia prima: ergo materia prima non est terminus *ad quem* ex vi verborum.

Confirmatur, quia si corpus supponeret pro materia prima, vel supponit synonymè, vel non? si synonymè, ergo hæc esset æquiualens forma, *hæc est materia prima mea*, & per eam validè conficeretur, sed nemo id admittet; si non significat synonymè, ergo corpus habet aliquod significatum à materia prima diuersum, ergo illud, quodcunque sit, erit terminus *ad quem* huius conuersionis.

*Discordat à Scriptura, & Patribus.*

Deinde non cohæret hæc sententia Scripturæ, aut Patribus, quia Ioan. 6. suam carnem promittit Christus, non materiam primam, prout de ea in rigore philosophico loquimur, *Caro mea verè est cibus*, &c. neque Patribus, quia dicunt: *Idem corpus quod natum fuit de Virgine, passum in Cruce, resurrexit*, &c. & includit carnem & ossa, fuisse communicatum Apostolis in Sacramento: vnde canit Ecclesia, *Sedat suis manibus*, &c. quæ nulla ratione possunt affirmari de materia prima.

*Non dicit proportionem nutrimenti.*

Deinde materia prima nudè sumpta nequit habere rationem, aut proportionem nutrimenti: ergo nequit significare, aut causare nutritionem spiritualem ex proportione, quam habet nutritio corporalis

corporalis ad ſpiritualem, & econtrà, prout Patres hîc docent contingere: & conſtat Ioan.6. vbi denotatur eadem proportio in eo, quod dat Chriſtus ad nutrimentum corporale, & ad manna in ſpecie.

*Nō eſſet ſubiectū, de quo diceretur poſſeſſiuū, meū.*

Deinde materia prima, vt præſcindit ab omni determinatione accidentali, aut ſubſtantiali per formas, non eſt magis Chriſti, quàm cuiuſcunque, quia ſic ſumpta eſt mera potentia, & ſit huius, aut illius per formas, quibus reducitur in hunc, aut illum actum determinati entis: ergo de ipſa nudè ſumpta nequit verificari pronomen *meum*, & ſic forma eſſet ſemper falſa.

84 *Impugnatur ſententia Ægidij.*

Hæ rationes claræ ſunt, & per eas impugnatur ſententia Ægidij *Theoremate* 28. & 29. aſſerentis ſignificatum eſſe materiam, vt habet quendam modum ex quantitate, & aliis accidentibus: quia vel ille modus conſequitur formam conſtitutiuam hominis, id eſt, animam, vel non: ſi ſecundum, ergo priùs eſt informata materia animâ rationali, & ſic non ſola materia cum illa accidentali determinatione ponitur ſub ſpeciebus ex vi verborum. Patet conſequentia, quia illa modificatio non ſpectat ad *eſſe* corporis, niſi vt eſt animatum, ac proinde non vt eſt altera pars compoſiti ſubſtantialis.

*Significatum eſſe aliquod ſubſtantiale.*

Si primum dicatur, cùm ſint tantùm accidentia, non ſpectant ad compoſitionem per ſe: ergo neque ad alteram partem compoſiti ſubſtantialis, quæ ſubeſt ex vi verborum: & ſic materia nuda erit ſignificatum verborum, de qua nequeunt verificari ea, quæ conueniunt corpori, vt *ſuprà* probatum eſt contra Gabrielem: quia illud eſt ex vi verborum ſub ſpeciebus, in quod panis conuertitur, non conuertitur autem in accidentia, ſed in ſubſtantiam, quia aliàs non propriè diceretur

*Trident. Lateran.*

hæc conuerſio tranſſubſtantiatio, vt Tridentinum docet propriè ſic dici poſt Lateranenſe, cùm terminus *ad quem* non eſſet ſubſtantia, quia terminus *ad quem* eſſet tantùm compoſitum per accidens, quòd ſequitur naturam ſuæ formæ conſtitutiuæ, quæ in propoſito eſſet quantitas, & qualitas, ex quibus cum materia non fit aliud, quàm quantum, & quale, quod eſt ens per accidens, neque ingreditur compoſitionem eſſentialem ſubſtantiæ. Pro hac opinione, ſicut pro præcedenti non ſunt aliqua vrgentia, præter ea, quæ ex vnitate formæ ſubſtantialis deſumuntur ex Philoſophia: quibus infrà reſpondebitur.

85 *Significatum forma nō eſſe corpus, vt cōſtitutum per animam. Trident.*

*Secunda concluſio.* Significatum ex vi verborum, non eſt corpus conſtitutum ex materia, & anima rationali, quomodocunque explicetur hæc conſtitutio. Eſt contra Thomiſtas. Probatur primò, ex Concilio Trident. *ſeſſ.*13. *cap.*3. vbi ait: *Hæc fides in Eccleſia Dei fuit ſtatim poſt conſecrationem eorum Domini noſtri corpus, verumque eius ſanguinem ſub parie, & vini ſpecie vnà cum ipſius anima, & diuinitate exiſtere: ſed corpus ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie ex vi verborum, ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animámque ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur; diuinitatem porro propter admirabilem illam eius cum corpore, & anima hypoſtaticam vnionem*, &c.

*Quid contineatur ex vi verborū, quid cōcomitāter.*

*Animam eſſe ſub ſpeciebus tantùm concomitanter.*

Ex his verbis Concilij declarantis id quod ex vi verborum eſt ſub ſpeciebus, & quòd anima tantùm concomitanter ad ſignificatum verborum ſubeſt, colligitur animam non eſſe ex vi verborum ſub ſpecie panis, aut vini, ſed tantùm concomitanter propter illam vnionem, quæ eſt inter Chriſti viuentis partes; ſed hoc eſſet falſum ſi anima eſſet forma conſtituens intrinſecè corpus: ergo, &c.

*Eſſet ex vi verborum, ſi conſtitueret corpus.*

Patet ſubſumptum, quia vel totum non eſt aliud præter partes ſimul vnitas, & copulatiuè ſumptas, prout multi docent, vel ſi etiam diſtinguatur ab illis ſic in *eſſe*, nequit ab ipſis abſtrahere, quia per identitatem inſunt, tanquam conſtitutiua eius, licèt ab ipſis ſit aliud, ita etiam nequit per diuinam potentiam, aut virtute alicuius cauſæ, poni ſine ipſis in *eſſe*: ergo cauſalitas, quæ extenditur ad totum, extenditur ad partes, earúmque vnionem in toto: ergo forma conſecratiua, & practica, qualiſcunque ſit eius cauſalitas, nequit ponere corpus ſub ſpeciebus, quin etiam ex eadem efficacia ponat ſuas cauſas intrinſecas: ſed anima non ponitur ex efficacia verborum, ſed ex concomitantia eius ad corpus propter vnionem: vnde poſſet in caſu, verbi gratiâ, in triduo, vt *infrà* videbimus, poni ſignificatum verborum per conſecrationem panis ſub ſpeciebus, ſine anima: vnde quòd ponatur de facto, non eſt primò ex efficacia verborum, ſed ex vnione eius ad ſignificatum practicum ipſorum, per quam de facto ſunt inſeparabilia.

*Cauſans totum, cauſat vt partibus conſtat.*

*Eſſet corpus in triduo ſine anima ſub ſpeciebus.*

Confirmatur, pars integralis, vt caput Chriſti Domini, ponitur ſub ſpeciebus ex vi verborum, quia ſine eo nequit conſiſtere corpus integrum, cùm ſit de eius conſtitutione: ſed pars formalis eſſentialis eſt magis de conſtitutione corporis, quàm pars integralis: ergo ſi illa ſit anima, erit ſub ſpeciebus ex vi verborum.

*Pars integralis, & formalis eſt ſub ſpeciebus ex vi verborum.*

86 *Reſponſio.*

Dices quòd anima, non quà viuens, aut rationalis, eſt conſtituens corpus, ſed ſub alia ratione magis vniuerſali: quando autem Concilium declarat eam concomitanter poni ſub ſpeciebus, intelligitur quà viuens, & rationalis eſt, non autem quà pars corporis. Contrà, in primis hæ rationes ſecundùm aduerſarios ſolâ ratione diſtinguuntur in anima: ergo non diſtinguuntur in effectu phyſico: talis enim eſt diſtinctio eorum in effectu qualis in cauſa formali conſtituente: ſed Concilium agit de effectu practico formæ, prout in re diſcernitur ille, qui eſt ex rigore verborum, ab eo qui non ponitur ex rigore verborum, ſed ſeparabilis eſt, & habet tantùm concomitantiam ex alia ratione ſeparabili, nempe ex vnione naturali, non autem ex identitate, quia ſic nequiret poni ſolùm per concomitantiam: vnde cùm eſſe viuens, & rationale in anima ſint idem in re, ſi anima ex rigore verborum ponitur, vt forma corporis, ſequitur etiam poni ex vi verborum ſub omni ratione, quæ eſt indiſtincta ab ipſa.

*Impugnatio.*

*Effectus forma ſeparabilis.*

Probatur ſequela, quia ex vi verborum ponitur materia prima ſub ſpecie panis, quia eſt pars corporis, ſed magis diſtinguitur materia à compoſito, quia realiter; quàm eſſe viuens, & rationale ab anima: ergo ſi anima ponitur ex vi verborum, quà eſt forma corporis, ſic etiam quà viuens, & quà rationalis.

*Ponitur materia ex vi verborum.*

87

Confirmatur, quia potentiæ organicæ, vt viſiua, & eiuſmodi, quæ ſunt proprietates corporis, ponuntur ex vi verborum, quia inſeparabiles ſunt, licèt non ſpectent ad eſſentiam corporis: ergo etiam eſſe viuens, & rationale eodem modo ponuntur ſi anima eſt conſtitutiua corporis. Vnde falſum eſſet per ſolam concomitantiam poni animam etiam quà viuens, & rationalis ſub ſpeciebus,

*Cōnexio fundata in identitate, excedit illam, quæ eſt vnionis tantùm.*

bus, vt docet Concilium poni, quia perfectionem vnionem, sub his rationibus habet ad significatum corporis; nempe, identitatem (si ipsa eius est constitutiua) quàm sit concomitantiæ: Concilium autem doctrinaliter procedens esse ex vi verborum explicat vt alium modum essendi diuersum à concomitantia; supponens non esse animam ex vi verborum: esset autem ex vi verborum, si esset eadem ad corpus realiter eiúsque constitutiuum: ideóque Concilium non explicat modum, quo sunt sub speciebus partes corporis & proprietates, quia supponit illa esse sub speciebus ex vi verborum: ergo idem esset de anima supponendum, neque tam seriò Concilium, vt probaret animam esse sub iisdem, recurreret ad vnionem eius ad corpus, tanquam ad causam huius præsentiæ: intendit autem vnionem physicam, quæ est inter diuersas res.

*Doctrina Cœcilij in fauorem conclusionis.*

Ex doctrina ergo Concilij, quâ declarat quid subest speciebus, & modum, quo subest, & causam, sequitur animam non esse partem essentialem corporis, sed condistinctam physicè; *Animámque*, inquit, *sub vtraque* (supple specie) *vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ: quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis surrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur*, &c. Agit ergo de partibus separabilibus ab inuicem, inter quas vnio physica, & concomitantia in ea fundata interuenire potest: & sic animam condistinguit à corpore in *esse*, quod non conuenit, si ipsa adæquatè, aut inadæquatè sumpta esset eius constitutiuum intrinsecum, & essentiale.

88

*Modi dicendi in specie impugnantur. Paludanus.*

Ex iis reiiciuntur modi dicendi Thomistarum: in primis modus dicendi Paludani, habet in terminis repugnantiam: quia corpus, quà tale, diuersum est à materia prima, & secundùm ipsum constituitur in tali *esse* ab anima: sed de fide est corpus, quà corpus, esse significatum ex vi verborum: ergo vt importat suum constitutiuum. Subsumptum patet ex forma consecrationis: *Hoc est corpus meum.* Consequentia probatur, quia efficacia formæ extenditur per se ad omne illud, quod formaliter est eius constitutiuum, & distinctiuum corporis ab aliis, quia sic est significatum formale sacramentale: vnde sicut in *esse* nequit abstrahere ab anima, si est constitutiuum eius, sic etiam neque in ratione effectus, vt consequenter efficacia verborum ad ipsum extenditur, quà suum constitutiuum includit.

*Corpori constitutiuè sub speciebus ex vi verborum.*

*Constituens corpus nequit esse connotatum extrinsecè.*

Deinde sequerentur reliqua, quæ adducta sunt contra Gabrielem. Nec satisfacit limitatio illa, quam aliqui addunt, nempe materiam, quà connotat animam poni sub speciebus, quia & est impropria locutio, quia materia, aut subiectum non dicitur connotare, sed forma, aut quidquid se habet per modum formæ: quia connotatio à limitatione sumitur, quæ est per formam. Deinde quidquid connotatur, tantùm est extrinsecum, sed constitutiuum formale corporis, vt anima secundùm ipsos nequit extrinsecè se habere.

Præterea, corpus connotat suppositum per vnionem hypostaticam, sed non inde sequitur suppositum aliter, quàm per concomitantiam poni sub speciebus. Quæro ergo an anima ponitur sub speciebus ex vi verborum? si non: ergo sola materia ponitur: si sic, sequitur idem de supposito.

*Connotatio extrinseca nõ facit ad rem.*

89

*Responsio. Impugnatur.*

Si dicas animam intrinsecè se habere ad materiam, non ita suppositum: nihil refert, quia vnio ad suppositum intrinseca est corpori, sicut vnio ad formam materiæ: ergo si connotatio hæc sit sola vnio, erit par ratio: si autem connotat effectum consequentem, nempe esse animatum, materia vt habet hunc effectum, ab anima nequit abstrahere: si ergo tam materia, quàm connotatio ex vi verborum ponitur sub speciebus, id est, materia quà connotat, vel habet animam reduplicatiuè, ipsa etiam anima ponitur ex vi verborum, quia non abstrahit à primo significato, quod est materia animata, quà talis: si autem specificatiuè; sic materia, quà materia; tantùm erit significatum practicum verborum, quorum efficacia non extenditur ad connotationem animæ, licèt in re sit connotata: sicut Petrus quà albus currit specificatiuè, id est, qui habet albedinem; non reduplicatiuè, quia albedo non est causa, aut principium currendi.

*Connotatio, vel ipse forma, vel effectus eius.*

Et sic etiam reliqua omnia ponentur sub speciebus, quæ materiæ conueniunt, & connotantur, & denominant, vt anima quà viuens, quà rationalis, quod negant aduersarij, quia illa prædicata conueniunt in reipsa, sicut & esse verbum, & quidquid aliud limitat materiam in re, vel connotat, & denominat.

Deinde corpus non supponit pro materia connotando animam, aliàs hæc esset vera: *Corpus est materia habens animam*, quod falsum est, quia totum subst antiale facit vnum per se diuersum, saltem ratione, & conceptu ab altera parte, connotando alteram, aut à duabus etiam simul sumptis, vt esse viuens, esse animal, esse homo: quia illa propositio, vel similis, vt *ignis est materia habens formam talem*, falsa est, nunquam enim pars in abstracto prædicatur de toto per se in recto cum quacumque limitatione sumatur.

90

*Corpus non supponit præcisè pro materia connotãte.*

*Pars in abstracto non prædicatur de toto.*

Et ratio est, quia forma habet duos effectus, vnum, qui est constituere materiam in actu, eámque perficere; alter, qui est constituere essentialiter totum tanquam intrinsecum per se eius: prior effectus est diuersus, & perficitur præcisè respectiuè ad materiam, quà est in potentia ad formam; secundus respectiuè ad terminum resultans, cui partes insunt. Dictæ propositiones exprimunt priorem effectum, & non secundum, qui est ipsum totum, sed corpus, vt *suprà* diximus, est significatum verborum, & non materia, quocunque modo sumpta, quia sic non est corpus, neque synonymè se habet: ergo, &c.

*Duplex effectus formæ.*

Neque modus aliorum subsistit, aut cohæret Concilio, qui affirmant corpus esse conceptum genericum, & sic denotari per formam, quia Concilium agit de corpore, vt est compars, vt subiectum animæ, vt capax vnionis ad ipsam, ac proinde vt est producibilis terminus physicè, vel vt natum terminare conuersionem panis in ipsum, virtute practica formæ, vt instrumenti, qualiscunque sit eius actio, vel physica, vel moralis, & vt natum est terminare actionem causæ principalis, nempe Dei.

*Impugnatur modus aliorum.*

*Significatum formæ est corpus organicũ non cõmune.*

Deinde tam Tridentinum, quàm reliqui omnes, quàm Scriptura, agunt de corpore Christi singulari, vt denotatur per pronomen demonstratiuum *hoc*, quòd denotat tantùm singulare, & possessiuum *meum*, quod denotat etiam singulare, & ordinem ad ipsum Christum: sed nihil horum conuenit conceptui generico, aut vniuersali sumpto præcisè, qui nec sic existere potest, neque terminare actionem, neque in virtute, & efficacia causæ contineri, neque demonstrari, neque signari per possessiuum, neque vniri comparti, neque componere

91

*Corpus compars Christi designatur per pronomen hoc, & meũ.*

componere physicè totum, cùm habeat tantùm rationem conceptus metaphysici, & abstracti: ergo de eo nequit intelligi Tridentin. aut alia Concilia.

Accedit quòd neque hîc dicit carnem, & ossa sub conceptu generico: Christus autem Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur*, vt habetur de institutione huius Sacramenti, quod nequit dici de conceptu generico corporis vt sic.

*Euasio. Impugnatur.* Si autem dicas esse corpus vniuocum viuo, & mortuo, quod dicit carnem & ossa: impugnatur ex prioribus rationibus, quia neque sic dicit ordinem ad Christum magis, quàm ad quodcunque singulare aliud: neque conueniunt ei cæteræ rationes iam expressæ.

Adde quòd nequeunt Concilia intelligi de alio corpore, nisi de eo, quod est com par animæ Christi, & heterogenea, non de specie, quæ essentialiter conuenit, & inest aliis per differentias contractiuas, & inest, quia dicitur corpus Christi, quod est significatum sacramentale, quod est sub specie vini per concomitantiam ratione vnionis, & quod trahit secum animam ratione vnionis sub specie panis.

*Responsio. Impugnatur.* Dices, ergo corpus vt hîc denotatur contrahi ad aliquam rationem particularem, vt sit Christi, & supponat pro corpore Christi. Contrà, ergo constitutum ex illa ratione particulari erit significatum, & non corpus vniuocum. Patet consequentia, quia sic verba formæ denotant primò singulare corpus Christi, sicut & contextus.

92 *Impugnatur sententia Suarez. Idem inconueniens manet.* Ex quo impugnatur sententia Suarez dicentis corpus, vt est indifferens ad viuum, & mortuum, esse significatum formæ: quia corpus viuum, & mortuum ex primario fundamento ipsorum differunt specie, quia constituitur viuum per animam, mortuum per formam substantialem, quam vocant cadaueris: corpus autem sic sumptum, vt abstrahit ad his, non dicit ordinem ad singulare aliquod determinatum vnum magis, quàm aliud: ergo inconueniens manet.

*Responsio. Impugnatur.* Dices fortè, corpus Christi abstrahere à viuo, & mortuo, & sic importari per formam. Id quidem verum est in nostra sententia, qui asserimus corpus constitui per propriam formam, cui vt subiecto aduenit vita, & eius priuatio, tanquam prædicata extrinseca, quorum neutrum necessariò inest: sed in opinione aduersariorum id nequit teneri, quia corpus Christi, quà Christi, est singulare: repugnat autem singulare contrahi per differentias essentiales: & inferiores, quales sunt viuum, & mortuum, per ipsos: ergo nequit corpus Christi in opinione ipsorum esse indifferens ad viuum, & mortuum. Vnde, vt concludam hoc vnico inconuenienti: quodcunque argumentum desumptum ex significatione quoad vim, & rigorem verborum contra hæreticos, videtur planè illudi in hac sententia: quod hac ratione confirmo breuiter.

*Corpus indifferens ad viuum, & mortuum tanquàm differentias essentiales.*

*Graue inconueniens.*

93 *Tollere viam probandi ex sententiam ex vi verborũ.* Præterea per concomitantiam non probatur ex vi verborum, sed ex connexione naturali inter concomitans, & significatum rigorosum, & primum verborum; vnde si tolleretur talis in re connexio, illud iam desineret esse concomitans, & esse sub speciebus nihil variatâ formæ veritate speculatiuâ, aut practicâ: sed nihil est ex vi verborum sub speciebus, nisi quod expressè significatur per verba; per verba significatur conceptus vniuersalis vniuocus, & non individuus corporis Christi: in rigore autem philosophico nullus vnquam confudit conceptum vniuersalem cum particulari in ratione conceptus, aut significati: ergo hæc sententia tollit argumentum, quod fit ex proprietate verborum de præsentia corporis Christi sub speciebus: imò quod amplius est, reddit formam falsam, & inefficacem, quia nihil ponit sub speciebus, nisi suum significatum, quod est ex vi verborum: hoc autem, si est aliquod vniuersale, nequit esse terminus actionis, nisi in aliquo singulari, quod tamen determinatè non importatur per formã in sententia oppositã: ergo, &c.

*Formam reddi inefficacẽ, & falsam.*

Hoc argumentum fundatur in efficacia, & significatione formæ Sacramentorum, quæ semper refertur ad aliquod singulare, verbi gratiâ Baptismi, & Pœnitentiæ ad peccatum originale, & actuale, ante, vel post Baptismum, commissum: & sic de cæteris. Fundatur etiam in doctrina Concilij, quâ explicat quid sit sub speciebus ex vi verborum, quid concomitanter, & in Scriptura modo explicato.

*Confirmatio præcedentis argumenti.*

Si dicatur ad hæc, quòd corpus Christi ponatur determinatè sub speciebus ex vi verborum, licèt non vt constituitur per formam determinatã, vel vt eam importat determinatè, & secundùm gradum determinatum. Hoc videtur inuoluere implicantiam: quia repugnat corpus esse determinatum Christi, nisi vt includit illud per quod constituitur in *esse* determinato, sicut esse Petrum, nisi vt inuoluit constitutiuum, per quod determinatè talis est distinctus ab aliis, ab hoc enim nequit abstrahere: ergo etiam nequit significari, aut concipi determinatè, nisi vt includit illud per quod est corpus Christi determinatè; totum enim tale est, qualis sua forma: & quamuis aliquando non sit necessarium, vt concipiatur, aut significetur sua forma constitutiua distinctè; tamen si concipiatur determinatè nequit abstrahere ab eo, quod ita ipsum constituit: sicut neque obiectum formale à sua ratione formali.

94 *Responsio.* *Impugnatur.* *Quod est determinatum includit constitutiuum determinatiũ.*

Ex quibus vltimò impugnatur sententia Vasquez, & Suarez, quia ad idem reipsâ reducitur, quia forma sacramentalis significat semper vniuocè, non æquiuocè: significat enim ex institutio tanquam infallibile signum illud, ad quod significandum fuit instituta, & non aliud, vel ergo significat illud corpus, quod constituitur per animam determinatè, vel quod constituitur per formam cadaueris determinatè, & hoc implicat, quia semper poneret ex vi verborum alterum horum determinatè, si viuum, etiam in triduo poneret viuum sub speciebus; si cadaueris, nunc etiam poneret formam cadaueris: quia forma habet ex institutione sua effectum determinatum: vtrumque autem horum est falsum: ergo tantùm ponit corpus ab his abstrahens, & sic redeunt rationes iam positæ, quia sic non significabit corpus Christi: ergo, &c.

95 *Impugnatur sententia Vasquez.* *Forma est determinata significationis.*

Patet antecedens, quia hæ formæ specie distinguuntur secundùm ipsos, & ex suo fundamento primario, quod desumunt ex Philosopho, qui dicit carnem viuam, & mortuam æquiuocè dici carnem: vnde asserunt ipsi debere ex hoc dari formã substantialem cadaueris, diuersam in specie ab anima, quâ constituitur corpus viuum in *esse*, non solùm viuentis, sed corporis: quia materia nunquam est nuda à forma substantiali, & cùm duæ simul esse nequeant, in viuo vna est, nempe anima, in mortuo, separatâ anima, alia diuersa: sed constitu-

*Fundamentũ aduersariorũ.*

tura

tuta æquè diuersa sunt, quàm formæ: ergo hoc modo forma consecrationis significat corpus, vt abstrahit à viuo,& mortuo,& sic secundùm conceptum vniuersalem: ergo non significat corpus Christi determinatè. Probo consequentiam, quia corpus constitutum per formam cadaueris, si est diuersa in specie non est corpus Christi, quia hæc forma vnita hypostaticè nunquam fuit,nec constitutum per ipsam: nunquam ergo potuit esse pars componens Christum,nempe humanitatem Christi, quæ constat anima & corpore: imò hoc illi repugnat, nempe esse, aut fuisse partem Christi quà homo.

*Forma cadaueris non constituit partem Christi.*

95 Concilium autem loquitur de corpore Christi, & comparte animæ: sed abstrahens ab his duobus compositis, quorum vnum constituitur per animam, alterum per formam cadaueris, non magis est proprium Christi corpus,quàm vtrumque à quo abstrahitur: sed alterum horum nequit esse Christi, quia neque vt tota humanitas eius, neque vt pars humanitatis, quod necessariò admittendum est in sententia aduersariorum, vt compositum vtrumque possint simul, aut seorsim manere in Christo,& esse Christi subsistentis in humanitate; vt verificetur pronomen *meum*, aut esse posse, quod repugnat: ergo corpus abstrahens ab his nequit esse corpus Christi, aut demonstrari per formam consecrationis vt corpus Christi. Hoc deducemus argumento sequenti. Ex quibus sequitur, quàm malè cohæreat aduersariorum opinio Concilio,aut Scripturæ;quæ solùm reducitur ad authoritatem illam Philosophi malè intellectam, & principia quædam philosophica parùm fundata, vt videbimus.

*Non posse de cõstituto eius corpus meum, id est,Christi.*

*Neque constitutum formã cadaueris, quam Christus non assumpsit.*

Dices constitutum per formam cadaueris fuisse vnitum, ex sequela prioris vnionis,sicut etiam caro per nutritionem adueniens in viuo fuit vnita supposito diuino. Contrà, caro illa induit naturam compositi quod integrauit: sed de forma cadaueris,quæ non spectat ad veritatem humanitatis, sicut illa caro, neque spectare potest de potentia absoluta,cùm sit ei repugnans,non suppetit fundamentum, aut ex Scriptura,aut Patribus, vnde dicatur assumi, cùm non sit humanitatis pars,aut de integritate eius,aut ad eam ordinabilis; assumpta autem est natura nostra cum suis partibus, & non aliud; & quamuis corpus fuerit mortuum in triduo, fuit mors eius per priuationem animæ, & secundùm Patres fuit idem,quod fuit viuens, & mortuum, & resurrexit, vt postea probabitur, quod nequit eneruari authoritate Philosophi, etiamsi aliud diceret; proprietas enim Incarnationis, & veritas corporis, prout etiam Patres contra antiquos hæreticos docuerunt, est rigorosè tenenda.

96 Secundò principaliter probatur conclusio;supponendo in triduo potuisse consecrari validè, quamuis autem aliqui id negent, communis admittit. Et probatur, quia forma consecrationis ab instanti suæ institutionis positis requisitis ad effectum, fuit semper eiusdem efficaciæ, & significationis: ergo in triduo, &c.

*Potuisse cõsecrari in triduo.*

Patet antecedens, quia habuit decretum Dei connexum,efficax, & absolutum,de positione sui effectus, in quo fundatur infallibilitas significationis sacramentalis; vt patet in reliquis Sacramentis; in quibus hoc vnicum fundamentum est infallibilitatis sui effectus: institutio autem in proposito nunquam fuit reuocata;nihilque aliud exigit præter materiam,formam,& intentionem ministri, quæ potuerunt in triduo haberi: quia Apostoli in nocte Cœnæ fuerunt ordinati Sacerdotes, & materia & reliqua adesse poterant: ergo totum requisitum ad consecrationem; tunc anima non subesset speciebus panis: ergo corpus, quod subesset, non constitueretur per animam;sed non mutaretur significatum per se formæ: ergo non constituitur per animam;sed esset idem corpus Christi, quia hoc est significatum formæ; *Hoc est corpus meum:* ergo non diuersum in specie, vel numero, quia id non conuenit cum significatione formæ.

97 Respondent aduersarij, vt *suprà* impugnatum est. Alij dicunt esse idem corpus moraliter, ita Suarez;quia est idem corpus mortuum, & viuum vnitate suppositi, & quantitatis: sed hoc est mera euasio: hîc agimus de termino physico, & reali transubstantiationis; non autem de aliquo morali: ergo veritas conclusionis determinanda, & discernenda est per principia physica huc spectantia, quæ docent formas subtantiales in specie diuersas non subordinatas inducere diuersitatem specificam, & numericam in constitutis: talis est forma cadaueris, quam ipsi ponunt: ergo,&c. Concilia autem, & Patres definientes & declarantes hanc materiam, & naturam transubstantiationis, non procedunt per principia moralia, & imaginaria philosophiæ moralis, quæ fundantur in prudentia, in conuenientia finis, & mediorum, & præcisè referuntur ad actiones liberas, & humanas dictando mediocritatem in ipsis seruandam;vt voluntas recta seruet medium rationis,aut rei: sed per principia physica ex naturis rerum,motus,& mutationis desumpta. Vnde præsentiam ex vi verborum fundant in institutione Christi, & veritate formæ præsentiam: per concomitantiam in connexione naturali, & physica rerum, ipsam transubstantiationem definiunt *mutationem totius in totum*,&c. Nihil autem referunt ad opinionem humanam,quod sit de ratione huius mysterij.

*Respõsio Suarez.*

*Impugnatur.*

*Principia applicanda mysterio.*

Deinde quod addit, nihil habet apparentiæ præter verba, quia vnitas materiæ, aut quantitatis, non sufficiunt ad vnitatem specificam, aut numericam compositi, aliàs genitum, & corruptum essent vnum numero, quod nemo affirmat: quæcumque enim differentia in *esse* per se sufficit ad distinctionem simpliciter; non quæcumque conuenientia, ad vnitatem:ergo constitutum per formam cadaueris diuersum ab anima,est diuersum à constituto per animam physicè: quod & aduersarij admittere debent.

*Vnitas accidẽtium posterior vnitate substantiæ.*

Vnitas etiam suppositi extrinseci non facit ad propositum vnitatis numericæ,aut specificæ:quæ vnitas numerica conuenit naturæ per suam singularitatem priorem suppositio,non autem à supposito: quid ergo facit vnitas suppositi ad numericam, quam supponit æquè ac specificam?

*Vnitas suppositi non facit ad vnitatem numericam corporis.*

98 Hæc est doctrina communis, & recepta ab omnibus Patribus,& Theologis,& Philosophis: nec expedit eã probare,quia Christus assumsipt naturã singularem; & si dimitteretur, & esset in proprio supposito,nõ mutaretur numero.Item,qui dicunt eandẽ numero posse assumi à diuersis personis simul,supponunt diuersitatẽ,aut vnitatem personarum non facere ad vnitatem numericam naturæ.

*Natura ante assumptionem fuit numerica.*

Deinde priùs naturã debet esse in se singularis, quàm nata sit terminari ad suppositum proprium, aut alienum; & sic est terminus actionis realis sicut humanitas Christi, quæ fuit gene-

rata à Virgine, quamuis non concurrebat ad vnionem hypoſtaticam eius ad ſuppoſitum, quæ ſupponebat exiſtentiam naturæ, priùs ratione, cui adueniebat hypoſtaſis, pro eo inſtanti, quo nata eſſet aduenire propria, ſi adeſſet. Ex quibus ſequitur illam ſolutionem eſſe inanem, quamuis ſit Capreoli, Caietani, & aliorum.

Deinde quid iuuat hæc vnitas ſuppoſiti? quia peto, an corpus viuum & mortuum Petri ſit idem numero? dices quòd ſic; variatur tamen ſuppoſitum, quia compoſitum ex noua forma ſubſtantiali, ex principiis aduerſariorum in hac ipſa quæſtione, infert nouum ſuppoſitum, quando non aſſumitur ad extrinſecum: ergo vnitas ſuppoſiti nihil facit in propoſito, ad vnitatem corporis viui, & mortui numericam, quæ ſaluatur ſine tali, in corpore Petri ſecundùm ipſos.

99 Addo vlteriùs corpus denotare diuerſum gradum entis phyſici à materia, & quantitate, cuius vnitas numerica, aut qualis, qualis ipſi conuenit, debet ab ipſo ſumi: quia quot modis dicitur ens, tot modis & vnum, &c.

Peto vlteriùs incidenter, vt *ſuprà* dictum eſt, quo fundamento cadauer, vt conſtituitur per ſuam formam, dicitur vniri hypoſtaticè; nullum eſt principium philoſophicum hoc probans: imò & contrarium ſequitur, quia diuerſitas formæ ſubſtantialis non ſubordinatæ infert diuerſitatem ſuppoſiti: neque eſt principium reuelatum; imò contrarium ſequitur, quia fides docet vniri hypoſtaticè ea ſolùm, quæ ſpectant ad veritatem naturæ humanæ in Chriſto: forma cadaueris nihil horum eſt, neque in *fieri*, neque in *facto eſſe*; ſed potiùs habet annexam priuationem vitæ oppoſitam humanitati: ergo ex principiis reuelatis non colligitur talis vnio.

100 *Vltima probatio concluſionis ex Patribus.* Hanc ergo rationem de identitate corporis confirmat Doctor fusè ex Sanctis Patribus, vt habetur de conſecrat. diſt. 2. *Omnia quæcumque*, agens de Euchariſtia dicit: *idem corpus quod de Virgine ſumptum eſt, quod paſſum eſt, & ſepultum, quod reſurrexit, & in cælum aſcendit*, &c. dicit eſſe in Euchariſtia: Leo Papa. Leo Papa in ſerm. de Aſcenſione Domini: *Non dubiâ fide, ſed certiſſimâ ſcientiâ tenemus eam naturam in Patris conſeſſuram throno, quæ iacuerat in ſepulchro*, &c. Auguſtin. Item Auguſtinus in ſerm. de Aſcenſione: *Omnia chariſſimi*, &c. Gregorius ſuper illa Ioan. 20. *Maria ſtabat*, &c. *quod moriendo in ſepulchro poſuit, ſurgendo ſuper Angelos leuauit*, &c. ſimilia Auguſtinus ad Felicianum; *illam carnem in ſepulchro deſeruit, quam in vtero formauit.* Auguſtin. Fulgentius de fide ad Petrum, *idem homo in vtero matris, & pependit in Cruce, & iacuit in ſepulchro, & reſurrexit*, &c. quæ identitas intelligitur ratione partium. Damaſc. lib. 3. cap. 20. *Nullam*, inquit, *partium natura depoſuit.* Fulgentius. Damaſcen. Hieronymus in Ionæ 2. ſuper illud, *& ſubleuabis de corruptione*, dicit, *illud ipſum corpus, & carnem reſurgere quæ primò condita fuerat.* Hieron. Idem Beda 1. *ad Corinth.* 11. & reliqui: ergo ſecundùm Sanctos Patres non eſt diuerſitas carnis, aut corporis in Chriſto nunc, ab illa quam habuit in ſepulchro; & conſequenter eadem ſomâ conſtituuntur. Beda.

Probatur conſequentia, quia multi hæretici negarunt verum corpus in Chriſto, dicentes eſſe phantaſticum & apparens (de quibus ſuo loco) multi licèt admitterent corpus, negarunt fuiſſe ex Virgine, & dicunt reſolutum fuiſſe in elementa in morte, ex quibus primum fuerit compactum. His vt obuiarent Patres diſſerunt de veritate carnis, & identitas & vnitas eiuſdem inculcatur: ergo eorum verba in eo rigore intelligenda ſunt, quo aliis contradicunt in extremo contradictionis; ac proinde intelligendi, vt verba ſonant, de identitate corporis in ſepulchro, & in Cruce, viui & mortui: vel ſanè videamus quâ arte aduerſarij cum ſua forma cadaueris impugnabunt Appellitas, qui docebant corpus Chriſti reſolutum fuiſſe in elementa in morte: quid enim magis eſt reſolui in elementa, quàm in aliam ſubſtantiam diſparatam: quia error fuit in eo, quod dicebant corpus deſiuiſſe, ac fuiſſe corruptum: quod Patres negant, & meritò. 101 *Quid hæretici de corpore Chriſti, & carne dixerunt?* *Patres in extremo contradicunt.* *Intelligendi ſunt, vt verba ſonant.*

Hinc manet probatum corpus, quod eſt ſignificatum, & contentum ſub ſpeciebus, conſtitui per formam ſubſtantialem propriam, quæ dicitur forma corporis, & ſupponitur ad animam. Hæc concluſio in ſequentibus patebit, quantùm ad rationem philoſophicam, & naturalem: vbi etiam reſpondebitur ad fundamenta aliarum opinionum, quæ ſolùm petuntur ex ratione philoſophica.

## SCHOLIVM.

*Sententia Henrici, tenet rationes adductas pro opinione D. Thom. probare, quòd productum ab vno agente vnam habeat formam ſubſtantialem, id tamen non probare de producto à pluribus agentibus, & pluribus mutationibus. Ratio pro prima parte eſt, quia vnius mutationis vna eſt forma terminans, & hæc latè tractatur.*

33 *Henr. quodlib. 3. q. 6. 8. 15. & 16. & quodl. 2. q. 2. & 3. & quodl. 4. q. 13.* Alij [a] concedentes concluſionem, ad quam adductæ ſunt iſtæ auctoritates, dicunt quòd quatuor rationes adductæ pro concluſione negatiua concludunt de quolibet, quòd producitur ab vno, & eodem agente: non autem concludunt de homine, quia producitur à duobus agentibus, & duabus mutationibus; corpus enim producitur à propagante: anima autem à creante, 16. de animalibus dicitur, *Solus intellectus eſt ab extra.*

Et iſtæ duæ concluſiones, ſcilicet prima, quòd illæ rationes concludant ibi, & non concludant hîc, quæ eſt ſecunda, probantur. Prima ſic: Omne quod eſt, ideò eſt, quia vnum numero eſt. Boëtius *lib. de Vnitate, & Vno*: ergo ad quamlibet vnam rem naturalem eſt vna mutatio numero: ſed mutatio diſtinguitur ſpecie, numero, & genere per formam terminantem, *ex 5. Phyſicorum*: ergo vnius mutationis qua producitur vna res naturalis, eſt vna forma numero terminans. *Text. com. 4. & inde.*

Si dicatur quòd in generatione vnius entis ſunt multæ generationes partiales, & illæ ſunt

sunt ad diuersas formas, tanquam ad proprios terminos. Contrà, aut istæ plures formæ educuntur de vna potentia materiæ, aut de diuersis. Non de vna, quia secundùm Commentatorem, 12. *Metaphys.* numerus potentiarum in materia est secundùm numerum specierum: & ita illæ duæ formæ, quibus esset vna potentia, essent eiusdem speciei, sed tales duas est impossibile simul esse in eodem. Et præterea tunc illæ perficerent materiam secundùm eandem potentiam, & tunc duo actus essent vnius potentiæ: quod videtur esse contra Philosophum, 3. *Physicorum*, vbi vult, quòd potentiæ distinguantur sicut actus: quia si posse sanari, & posse ægrotare essent idem, sanari, & ægrotare essent idem. *Com. 11. & circiter.* *Text. 10.*

Nec potest dici, quòd illæ formæ educantur de diuersis potentiis materiæ: quia cùm illæ potentiæ inessent materiæ, sine ordine naturæ, sequeretur quòd & formæ illæ, sine ordine essent perficientes materiam istam, quod est impossibile. Tunc etiam sequeretur, quòd materia, vt est terminus *à quo* generationis, plures mutationes includentis, esset ens per accidens: quia habens plures potentias: sed de ente per accidens non generatur nisi ens per accidens: ergo generatum non esset vnum nisi per accidens. Item, omnes illæ rationes concludunt ex per se ratione formæ substantialis: ipsa enim per se constituit ens in actu simpliciter. 34

Et si respondeatur per *esse* completum, & incompletum, hoc improbatur; quia non esset via distinguendi formam substantialem ab accidentali: quantumcumque enim esset forma talis, vel talis, posset euadi dicendo illam, quæ est substantialis, esse accidentalem, & è conuerso, per completum, & incompletum.

Ex hoc potest formari ratio sic: Illa positio est irrationalis, quæ excludit distinctionem substantiæ ab accidente: hæc est huiusmodi, quia per istam non potest concludi aliquam esse formam accidentalem per hoc, quòd aduenit enti in actu, quia per te illud fuit in actu incompleto, & ita dicam (si forma accidentalis aduenias) quòd præexistens sit in actu incompleto.

## COMMENTARIVS.

102 a *Alij concedentes conclusionem, ad quam adductæ sunt illæ authoritates*, &c. Hactenus Doctor tractauit quæstionem Theologicam; deinceps autem agit de hac quæstione, vt fundatur in ratione naturali.

*Quæstio philosophica de pluralitate formarum.*

*Sententia Henrici.*

Subiungit ergo sententiam Henrici, quantùm ad veritatem philosophicam partim conuenit cum D. Thoma, partim differt. Dicit ergo quòd in aliis viuentibus ab homine vna sit tantùm forma, quæ est anima quæ continet in se formam misti, seu corporis: & in his concludunt rationes D. Thomæ, quæ ab vno tantùm agente producuntur. Dicit secundò, quòd non concludunt in homine esse vnam tantùm formam, quia procedit à duabus agentibus, nempe à propagante quoad corpus, & à Deo, qui creat animam. Probatur prima conclusio eius ex vnitate mutationis, quæ sumitur ex vnitate termini *ex* 5. *Physic.* ergo ad vnam numero rem naturalem est tantùm vna numero mutatio. Dices in vna re naturali esse plures formas partiales, & generationes. Contrà, quia vel de vna potentia materiæ educuntur, aut ex pluribus: non de vna ex Commentatore, 12. *Metaphys. com.* 11. numerus potentiarum in materia est ex numero specierum: ergo essent eiusdem speciei, & in vna potentia essent plures actus contra Philosophum, 3. *Physicor. textu* 10. quia si posse sanari, & posse ægrotari essent idem, sanare & ægrotare essent idem.

*In homine forma est duplex, in cæteris vna. Fundamentum.*

*Ex Vnitate mutationis, & termini.*

Non sunt diuersæ potentiæ, quia sic essent formæ in materia sine ordine, & terminus *à quo* generationis, quæ est materia, vt habens plures potentias, esset ens per accidens: ex ente per accidens non generatur ens per se, sed per accidens: forma autem substantialis constituit ens per se: & tolleretur via distinguendi substantiam ab ente per accidens, & formas constituentes vtrumque: quia forma accidentalis ideò est talis, quia aduenit enti completo in actu: ergo non ita substantialis. *Ex vnitate potentiæ in materia.*

## SCHOLIVM.

*Secunda pars, seu conclusio dictæ sententiæ, id est, plures formas substantiales admittendas in homine, & in quocumque producto à pluribus agentibus, pluribus mutationibus, suadetur: & ponuntur quatuor additiones ad hanc opinionem spectantes.*

Secunda conclusio a, scilicet quòd in homine non concludant, sed quòd oppositum sit ibi verum, probatur sic: Omne per se agens habet aliquem proprium terminum suæ actionis: & per consequens vbi sunt diuersa agentia, & diuersæ actiones, non potest esse forma eadem per se terminans. Et hoc confirmatur per Philosophum, 5. *Physicorum*, vbi vult quòd non potest eadem sanitas redire propter diuersitatem actionis ad hanc, & ad illam sanitatem: sed agens increatum per se agit ad generationem hominis, quia in- 35 *Text. com. 38. & circiter.*

*Agẽs creatum generat alterando, corrumpendo, mutando.*

fundit animam intellectiuam, & agens creatum per ſe agit ad eius generationem, alterando, corrumpendo, & tranſmutando, alioquin non magis eſſet bos pater bouis, quàm aſinus, niſi quia per actionem bouis, de ſemine bouis generatur bos; & ita in homine.

Et confirmatur ratio, quia ſi idem eſt per ſe terminus vtriuſque agentis, aut idem compoſitum, aut eadem forma. Si primum detur, ergo homo eſt creatus, quia eſt per ſe terminus creationis. Si forma, ergo homo non eſt per ſe à propagante, quia per ſe eſt terminus creationis: vtrumque eſt inconueniens.

Addit iſte iuxta primam rationem ſuam, quòd ad duas formas eductas de potentia materiæ ſunt potentiæ diſtinctæ: ſed ad duas formas, quarum altera educitur de potentia materiæ, altera creatur, non ſunt duæ habilitates, vel potentiæ: & ideò magis eſt vna generatio ad duas formas ſecundo modo, quàm primo modo.

36 Addit etiam, quòd illa forma, quæ poteſt dare *eſſe* materiæ naturaliter ſeorſim ſine altera, nata eſt conſtituere ſuppoſitum, & ideò omnis forma ſuperueniens illi eſt accidens: ſed forma non nata dare per ſe *eſſe* ſine alia, non eſt nata conſtituere ſuppoſitum niſi miraculosè. Et ad propoſitum, forma miſtionis non eſt nata perficere, niſi dum anima intellectiua perficit, & ideò nata eſt ſeparari à materia, quando anima deſinit informare: & ideò miraculum eſt, quòd forma miſtionis manet in materia ſine intellectiua: nec anima adueniens illi eſt accidens, quia illa prima non eſt nata conſtituere ſuppoſitum, niſi miraculosè.

* *Aliàs proximum.* Addit etiam, quòd eadem materia eſt * proprium perfectibile ipſius miſtionis, & animæ intellectiuæ: non autem forma prior, ſcilicet miſtionis conſtituit proprium receptiuum animæ: tunc enim anima aduenirет enti in actu, & tunc non eſſet forma ſubſtantialis. Addit quartò, quòd intellectiua continet in ſe vegetatiuam & ſenſitiuam: illa autem forma miſtionis continet virtualiter omnes formas, quæ poſſunt eſſe ſeorſim in aliis formis corporis. Ideò autem intellectiua non continet iſtam formam miſtionis, quia impermiſta eſt, & inextenſa, & ideò continet illas, quæ poſſunt tali modo habere *eſſe*: forma autem miſtionis continet omnes alias extenſas, vel extenſibiles, & ideò illæ duæ ſufficiunt in homine.

## *COMMENTARIVS.*

103 *Plures formas eſſe in homine. Ex diuerſitate agentium.*

a *Secunda concluſio, ſcilicet quòd in homine*, &c. In hoc recedit Henricus à D. Thoma admittens formam miſtionis in homine diuerſam ab anima rationali. Diuerſitatem vtriuſque probat ex diuerſitate actionis, & agentium; ſicut in ſuperiori probauit vnitatem formæ in aliis viuentibus ab vnitate actionis, & agentis: ergo diuerſi etiam termini. Confirmatur, quia ſi idem eſſet terminus, vel eſſet forma, vel compoſitum, & ſic vtrumque eſſet creatum. Addit quatuor declarationes huius concluſionis. Prima eſt, quòd non ſint duæ potentiæ in materia hominis ad formas, ſed vna tantùm ad formam miſtionis, quæ educitur ad animam, quæ creatur, nulla eſt potentia; & hoc modo productio hominis magis eſt vna declaratio ad duas formas, quàm duæ generationes.

*Declaratio concluſionis. Non multiplicari potentias in materia.*

*Secunda declaratio.*

Secunda eſt: Quòd forma miſtionis ſeorſim ab anima non eſt nata manere, niſi miraculosè; neque proinde conſtituere ſuppoſitum niſi miraculosè: ideò anima ſuperueniens non aduenit per accidens; ſi autem illa naturaliter maneret & conſtitueret, anima eſſet forma per accidens.

*Tertia declaratio.*

Tertia, quòd vtraque forma, tam miſtionis, quàm anima aduenient primò materiæ primæ, tanquam proprio perfectibili; aliàs ſi anima aduenirет conſtituto per priorem, conſtitueret ens per accidens.

*Quarta declaratio.*

Quarta, quòd forma miſtionis contineat virtualiter in ſe omnes alias formas extenſibiles, & extenſas, quæ poſſunt eſſe ſeorſim in aliis formis corporis: non continetur autem in anima intellectiua, quia hæc eſt impermiſta, & inextenſa: eam autem continet anima vegetatiua plantæ, & ſenſitiua bruti: aliàs deberet hic author in illis conſtituere formam miſtionis, ſicut in homine. Intellectiua autem hominis continet in ſe ſenſitiuam, & vegetatiuam: & ſic illæ duæ ſufficiunt in homine.

## SCHOLIVM.

*Impugnat ſecundam concluſionem dictæ ſententiæ, ex quarta eius additione: quia ſi intellectiua continet vegetatiuam, & ſenſitiuam, & iſtæ in brutis & plantis continent formam corporeitatis, vt dicit Henricus in homine eandem continebunt. Item à quocumque occidatur brutum, & non obſtante quacumque, & quantumcumque diuersâ alteratione præuiâ, manet idem caduer: ergo non eſt aliquid de nouo, ſed idem compoſitum antiquum.*

37 Contra a concluſionem arguitur ex iſto quarto & vltimo addito ſic: Vegetatiua in planta continet in ſe formam corporeitatis, & ſenſitiua in boue continet vegetatiuam, & corpo

& corporeitatem,alioquin oporteret in illis ponere plures formas,quod ipse negat: tunc accipio istam propositionem : Quidquid continet perfectè, & formaliter aliquam formam continentem formaliter aliam formam, continet etiam illam aliam : sed intellectiua continet perfectè, & formaliter vegetatiuam, & sensitiuam per te, & non sub ratione destruente rationem vegetatiuæ, & sensitiuæ, sed sub ratione perfectiori, quàm illæ formæ habeantur sine intellectiua : ergo intellectiua continet perfectè istam formam, quam sensitiua & vegetatiua continent. Sine ratione ergo videtur dictum, quòd sensitiua in bruto continet formam corporeitatis, & vegetàtiua in planta: & tamen quòd sensitiua & vegetatiua, vt contentæ in intellectiua, & modo perfectiori non contineant eandem formam.

*Forma continens formam continentem formas alias, continet ab hac contentas.*

Si dicas,continentur in intellectiua modo inextenso, ideò non continet formam corporeitatis, quæ est extensibilis. Contrà, aut sensitiuæ, & vegetatiuæ modus inextensibilis repugnat, aut modus extensibilis: aut nec sic, nec sic. Si primo modò, ergo non continentur in intellectiua. Si secundo modo, ergo non continent formam corporeitatis. Si verò detur tertium membrum, scilicet quòd neque sic, neque sic; tunc indifferenter poterunt continere formam corporeitatis, vt sunt in se, vel vt contentæ in intellectiua. Tunc enim continent corporeitatem propter ordinem perfectionis formæ ad formam,non autem propter modum exiſtendi talem,vel talem : sed ordo perfectionis semper est idem.

*Si vegetatiua in planta, & bruto continent formã corporeitatis, idem erit de vegetatiua hominis.*

Item, manifestiùs videtur exclusâ fide, quòd possit concludi in aliis viuis forma mistionis differre ab anima, quàm in homine de anima intellectiua: & hoc probatur, quia non potest esse regulariter idem effectus à quibuscumque, & quantumcumque diuersis agentibus: sed à quocumque, & qualitercumque corrumpatur corpus viuum, dum tamen non statim resoluatur in elementa, semper producitur cadauer idem, & eiusdem rationis. Patet ad sensum: sed idem non potest esse terminus proprius actionis huius,& illius agentis:ergo non est nouum productum per actionem corruptiuam ipsius animati, sed est derelictum. 38

*Non potest idem effectus à quibuscumque, & quãtumcumque diuersis fieri. A quocumque occidatur:vel corrumpatur animal, idẽ cadauer manet.*

Apparet istud in speciali, si bos per cultellum, submersionem,vel interfectionem, vel aliis modis corrumpatur, semper derelinquitur idem cadauer, & eiusdem rationis: corrumpentia autem hæc & illa, non sunt nata inducere eandem formam, & hoc statim absque omni alteratione præuia: imò si deberet eadem talis forma induci, & ab eodem agente, adhuc videtur vniformis alteratio necessaria præuia: sed hanc quantumcumque difformis alteratio præcedat, & ab alio & alio agente, semper sequitur idem terminus.

## COMMENTARIVS.

104 a *Contra conclusionem arguitur ex vltimo*, &c. Impugnat Henricum primò ex quarta limitatione addita ab ipso; éstque redargutio ad hominem. Anima intellectiua continet perfectè, & formaliter sensitiuam, & vegetatiuam secundùm perfectiorem modum, quàm in se sunt: ergo etiam continent quidquid in ipsis, & ex perfectione ipsarum continetur: sed sic continetur in ipsis virtualiter forma mistionis, vt sunt in bruto, & planta : ergo consequenter loqueudo eandem continent, vt sunt in homine: vel primum ergo est falsum, vel secundum dici debet consequenter. Argumentum est clarum.

*Continẽs formam continet perfectionem eius inclusam.*

*Confirmatio prioris rationis.*

Confirmatur vltima pars argumenti primi; *tunc enim continent corporeitatem propter ordinem perfectionis formæ ad formam*, &c. modus essendi, seu exiſtendi est posterius forma, & aduenies ei per actionem agentis, quidquid autem continet forma virtualiter, continet ratione suâ specificâ: vndè modus essendi talis vel talis, siue sit perfectus,siue imperfectus, prouenit ex natura formæ, tanquam consequens ad essentiam eius:ideò enim substantia exigit exiſtere per se, quia substantia est;ideò Deus est necesse esse, & immutabile,quia Deus est.

*Modus essendi perfectione naturæ posterior est.*

Vnde vniuersim modi essendi redundant ex natura,non econtrà;quod autem posterius est,nequit esse ratio continendi perfectionem in priori: ergo non ideò vegetatiua plantæ includit virtualiter formam mistionis, quia extensa est; sed ex natura sua, quà talis forma secundùm gradum perfectionis,ad quam determinatur à sua natura: sed anima intellectiua non posset includere vegetatiuam, nisi etiam includeret omnem eius perfectionem virtualem, quæ competit ipsi, quà natura est:ergo includit etiam virtualiter corporeitatem, quod Henricus negat.

Deinde vna forma nequit virtute continere aliam secundùm gradum cõmunem essendi vtrique,quia in hoc,cæteris paribus,nullus est excessus, neque secundùm idem potest sumi ratio mensuræ, & mensurati secundùm perfectionem: sed non magis vegetatiua plantæ, aut sensitiua bruti exigit modum exiſtendi extensum, aut extensibilem,quàm forma mistionis ex genere,quia eadem ratio vtrique competit, nempe esse formam materialem eductam de potentia materiæ : ergo non ideò vegetatiua, & sensitiua in seipsis subsistentes includunt formam mistionis virtute, quia exiſtunt modo extenso, quod perinde mistioni conuenit per se; sed quæcumque alia ratio includendi formam mistionis virtualiter in ipsis, vt in propria specie sunt; perinde competit intellectiuæ, vt includit ipsas: ergo, &c. 105

*Prædicatum vniuocũ non est ratio continendi eminenter.*

Secunda ratio est,quòd idem effectus non pos- 106

*Secũda ratio Doctorũ.*

sit esse à quibuscumque,& quantumlibet diuersis agentibus; sed quomodocumque, & à quocumque corrumpitur vita,manet idem cadauer,vt patet ad sensum: ergo non est nouum productum, sed idem derelictum, quia diuersa agentia agunt secundùm propriam formam,per quam ordinantur ad diuersos effectus; & ad eandem formam præsupponitur vniformis dispositio & alteratio. Accedit quòd vita corrumpi potest, seu priuatio eius induci, à causa non actiua, sed impeditiua alicuius, quod ad eius conseruationem requiritur,vt per suffocationem,per exclusionem aëris, & collisionem faucium, per discontinuationem membrorum, & huiusmodi; qui non sunt motus ad substantiam inducendam. Hoc argumentum probat à priori conclusionem Doctoris contra negatiuam; & perinde applicari potest in homine, sicut in cæteris animantibus.

*Diuersa agentia nequeunt eandem formam producere.*

*Corrumpitur vita à non actiuo.*

107 Peto ergo,vnde producatur illa forma,id est,à qua causa, & ad quem finem? non à causa particulari: quia vel hæc non est actiua ad substantiam; vel si est actiua, agit ad propriam formam tantùm, si est vniuoca; si æquiuoca, agit ad formam, ad quam per virtutem propriam potest disponere subiectum; sed ex ea virtute nunquam alias natum est disponere subiectum ad formam cadaueris,diuersam à forma corporeitatis: neque de facto inducit talem dispositionem præuiam, quia deberet esse materialis, & sensibilis,quæ cadere posset sub sensum.

*Confirmatur ratio prædicta.*

*Ex negatione virtutis, & actionis.*

*Limitatio virtutis actiuæ.*

Neque causa ipsa nata est agere aliter in corpus viuum ad inductionem formæ cadaueris, quàm agit aliàs ex limitatione propriæ virtutis in quodcumque passum aliàs diuersum, & applicatum, in quo non inducit formam cadaueris: ergo, &c.

*Materia de se indifferens.*

Materia etiam prima non limitatur, aut determinatur ex natura sua ad vllam formam; sed ex virtute agentis inquantùm disponit ad formam determinatam, quia materia nunquam potest se reducere ad actum, cùm sit merè in potentia passiua, quæ transmutatur solùm per agens. Si dicas à causa vniuersali produci illam formam. Contrà, causa vniuersalis non agit ad formam determinatam, nisi vt supplet defectum causæ particularis, exigentis ex actione præuia, & dispositiua talem concursum,vel actionem sequentem:sed nulla præcessit dispositio, aut actio causæ particularis, disponentis materiam, quæ exigat, vel ordinetur ad talem formam nouam cadaueris: ergo neque à causa vniuersali inducitur. Dices induci ob particularem dispositionem materiæ.

*Non producit à causa vniuersali.*

*Responsio.*

108 Contra, illa dispositio materiæ non est antiqua, quæ fuit sub forma viuentis, quia vel accidentia inhærent toti, & sic nulla manent desinente toto; vel insunt materiæ primæ, vt moderni magis philosophantur; sed etiam sic dicunt maiorem connexionem ex natura rei cum forma viuentis, quàm ad aliam formam: quia dispositio naturalis ad vnam formam, non est connaturalis ad aliam: neque illa est connaturalis vni formæ inducendæ, & conseruandæ,quæ disponunt ad eius corruptionem per aliam formam: ergo materia sub quibuscumque dispositionibus connaturalibus formæ viuentis, non exigit corruptionem illius formæ, aut positionem alterius incompatibilis. Non est dispositio de nouo introducta in materia, quia neque ex causis particularibus, neque ex causis vniuersalibus, vt concurrunt hîc, suppetit fundamentum aliquod, vel ex parte causarum, vel ex parte materiæ, vel ex ratione actionis corruptiuæ formæ viuentis, vnde colligatur talis dispositio,vt probatum est: ergo,&c.

*Impugnatur. Non sequitur ex dispositione particulari materiæ.*

Probatur etiam, quòd neque prætendi potest aliquis naturæ præfixus finis,vnde colligatur necessitas formæ nouæ in proposito, quæ dicatur cadaueris: ergo sine ratione statuitur. Probatur antecedens, quia perfectio naturæ, qui est finis motus, & mutationis, ne quid maneat incompletum, id non exigit, quia manente formâ antiquâ corporis, vt ad sensum manet, desinente vitâ, materia non manet incompleta, aut sine forma. Ratio autem, & sensus magis exigit id affirmare, quàm alia adstruere: vt ex dictis patet, & ampliùs patebit.

109 *Non dari finē talis productionis.*

Probatur autem quantùm ad præsens,nulla debetur ex parte finis perfectio naturæ in actu, nisi ex virtute, & efficacia causarum naturalium, & mediorum, quibus reducitur finis naturæ in *esse*: sed considerando collectiuè, aut seorsim omnes causas, quæ hîc, & nunc concurrunt ad corruptionem viuentis, & agunt circa materiam primam eius, nulla inuenitur causa productiua formæ cadaueris, aut exigentiæ ex parte materiæ, aut dispositio, quæ eam particulariter exigat: ergo forma hæc, quæ nunc inest materiæ, non est forma noua inducta virtute harum causarū,prout hîc, & nunc applicantur: ergo virtute aliarum causarum materia habet actum,& non per has.

*Finis naturæ per causas acquiritur.*

*Materia reducitur in actū per causas.*

Maior est per se nota: minor iam probata est cum prima consequentia: secunda autem patet, quia materia non est in actu, nisi per virtutem causæ efficientis: sed non potest assignari alia causa efficiens,à qua recepit hunc actum præter causam, per quam homo, aut viuens recipit *esse* per generationem, & per quam prior forma embryonis fuit corrupta ad introductionem huius formæ: ergo hæc forma antiqua est, & non aliqua noua;per easdem enim causas per quas aliquid componitur, per easdem soluitur; soluitur viuens in animam & corpus: ergo per easdem componitur.

*Illa sunt, per quas viuens accepit esse.*

110 Confirmatur ex Athanasio in Symbolo: *sicut anima rationalis, & caro vnus est homo*,&c. per carnem intelligit corpus: componitur ergo homo substantialiter ex carne, tanquam parte substantiali, & proxima: ergo constituitur caro in *esse* substantiæ per formam propriam. Sic etiam intelligunt Patres, quos *suprà* citauimus, eandem carnem, & corpus Christi conceptum de Virgine, passum in Cruce, iacuisse in sepulchro,resurrexisse.

Athanas.

Sic denique Philosophus 2. *de Anima*, definiuit animam definitione Physica,in ordine ad materiam suam, nempe ad corpus; *quòd sit actus corporis organici potentia vitam habentis*, &c. Definiuit autem in ordine ad subiectum proximum, quod est compars totius: ergo si potentia vitam habet, & non actu, sequitur quòd non includat animam, quia subiectum physicum debet distingui physicè à sua forma; si autem anima constitueret corpus intrinsecè, tanquam pars eius, hoc non posset saluari. Deinde dicit, quòd ex corpore & anima fit vnum, sicut ex cera & figura, sicut ex pupilla & visu; hæc autem diuersa sunt in re: ergo & anima, & corpus. Tertiò denique reprehendit antiquos, quòd definierint animam non factâ mentione corporis, quia diuersæ animæ requirunt diuersa corpora; sicut diuersi actus diuersam materiam.

*Definitio animæ.*

*Corpus subiectum eius.*

*Riunt vnum cera & figura.*

*Diuersa exigunt diuersa corpora.*

Ex

Ex his patet ratio Doctoris, quam breuitatis tantùm gratiâ prosequor cæteris omissis, alia plura leguntur apud Philosophos passim in hac materia: vt quòd alioquin nutritio non saluaretur, neque subiectum extensionis formale, dato quòd per animam constitueretur corpus, neque subiectum accidentium materialium; dato, vt Thomistæ admittunt subiectari accidentia in toto mediante forma. Quartò denique, quòd anima nequeat constituere corpus in *esse* corporis formaliter, cùm ipsa tantùm virtualiter dicitur corporea, quia effectus formalis debet esse per causam formalem in suo *esse* formali: & nihil virtuale, aut eminentiale det *esse* formale, sicut neque Deus dici possit formaliter lapis, aut Sol formaliter calidus.

*Alia rationes.*

III

*Obiectio Vasquez ex Philosoph.*

Obiicit Vasquez *disp.186. cap.2.* Philosophum lib.2.de generatione animalium cap.1.*Neque enim facies*, inquit, *nisi animam habeat, neque caro, sed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit*, &c. ergo mortuum, & viuum non communicant in eadem forma substantiali, neque constituuntur eâdem formâ. Respondetur in eo capite, Philosophum agere de partibus, vt subsunt generationi, mouentur, & formantur à principio efficiente, siue illud sit semen, siue cor: vel certè ab extrinseco, nempe à generante: vt patet ex præcedentibus in toto decursu capitis, & vlteriùs agit de parte in ordine ad nutritionem suiipsius, & augmentum, & partem ab anima secernit: vnde in verbis præcedentibus immediatè, ita concludit: *Omnia*, inquit, *quacunque aut naturâ, aut arte efficiuntur ab eo quod actu est, fiunt ex eo quod potentia tale est: semen igitur tale est, materiamque habet, & principium tale, vt motu peracto, pars existat, quæque, eademque fit animata, non est enim facies*, &c. & infrà: *Sed habeatne semen animam, nécne, ratio eadem, atque de partibus reddenda est: nec enim anima vlla esse potest in alio, nisi in eo cuius est, neque pars vlla esse potest, quod particeps animæ non est, nisi æquiuocè, vt mortui oculus: semen igitur, & habere animam, & esse potentia palam est*, &c.

*Responsio. Scopus Philosophi.*

Si ergo partes habent potentiâ animam, sicut & semen, sequitur ex mente Philosophi partes non constitui animâ: vnde cap.3. dicit, *Semen non habere animam, nisi in potentia, quia est pars excrementi.* Deinde de anima intellectuali, atque sensibili dicit, priùs haberi potentia, quàm actu. Et ibidem: *Sed enim omnis anima siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idque magis diuinum, quàm ea quæ elementa appellantur: verùm prout nobilitate, vel ignobilitate animæ inter se differunt, ita & natura eius corporis differt*, &c. Ex quibus constat, quòd corpus non constituatur per animam in *esse* corporis ex Philosopho: quia in *esse* corporis distinguitur ab elementari, atque quò animæ sunt nobiliores, eò participant nobiliora corpora tanquam subiecta: loquitur enim de ipsis respectiuè ad subiectum.

Ad propositum ergo faciem mortuam dici æquiuocè partem, quia neque actu, neque potentiâ habet in se animam, deficiente dispositione requisitâ ad animam, & omni virtute intrinsecâ, & extrinsecâ naturali, quâ disponi possit ad animam, non quòd deficiat forma substantialis corporis: aut certè constituatur formaliter per animam. Nam *infrà cap.4.* vbi eadem repetit, ad partem dicit sufficere, & requiri, vt habeat animam in actu, aut in potentia: *Nec fieri potest*, inquit, *vel facies, vel manus, vel caro, vel alia pars sit, nisi anima sensualis insit aut actu, aut potentiâ, & aut aliquatenus, aut simpliciter, erit enim aut mortuus, aut pars mortui*, &c.

112

*Quâ ratione facies mortuis æquiuocè facies dicitur.*

*Ratio dicti.*

Dicitur autem pars, vt habet calorem naturalem, per quem possit nutriri, aut disponi ad animam esse pars simpliciter, vel in actu, vel in potentia: pars mortui dicitur æquiuocè pars, in ordine ad totum, quod est corruptum: cui proinde neque in *fieri*, neque in *facto esse*, neque actu per participationem animæ, neque etiam in potentia per viam generationis potest fieri totius, sed tendit in corruptionem.

*Æquiuocatio in rebus quomodo sumitur.*

Imperfectum enim physicè dicitur æquiuocè se habere ad perfectum, sicut 10.*Met.* in genere dicuntur latere æquiuocationes. Et sicut hîc *c.3.* dicitur generatio fœminæ esse imperfecta: *Ex læsis*, inquit, *interdum læsa, interdum non læsa gignuntur: sic fœmina partim fœmina, aliàs non fœmina, sed mas generatur; fœmina autem quasi mas læsus est.* Et lib.7. Metaphys.cap.9.dicit generationem fœminę non esse vniuocam simpliciter, sicut est generatio viri, *sed aliqualiter*, & *quasi æquiuocè*: & lib.de Animalibus, fœminam non intendi per se à natura, sed generari occasionatè, quia natura tẽdit ex se in illud, quod perfectum est. Ex prædicto ergo loco nihil fauet aduersariis: & cùm sancti Patres dicant eandem esse carnem viui, & mortui, sequenda simpliciter est eorum sententia, cui in nullo repugnat Philosophus, & magis est præsenti mysterio congrua. Argumenta ex communibus principiis soluemus cum Doctore in sequentibus.

*Fœmina non vniuocè, sed æquiuocè generatur.*

*Concluſio.*

## SCHOLIVM.

*Refutat secundum additum Henrici, quo dicit formam corporeitatis non informare, sine miraculo, nisi simul informante anima intellectiua. Item, tertium additum, quod est, materiam primam esse proprium perfectibile animæ intellectiuæ.*

Contra[a] secundum additum, scilicet de forma perficiente naturaliter seorsim sumpta, arguitur sic: Omne agens, quod potest sufficienter in actionem suam sine actione alterius, & in terminum actionis, potest informare passum illa forma sine actione alterius: sed agens naturale potest cum communi influentia sine speciali actione diuina in actionem suam, & in terminum actionis, qui est forma mixtionis. Quod enim tunc in eodem instanti Deus creat animam, hoc non est prius naturaliter, quàm propagans inducat formam mixtionis, imò est posterius naturaliter, sicut forma, ad quam est dispositio, sequitur dispositionem: nec necessariò simpliciter Deus creat animam, imò merè contingenter: ergo agens illud potest informare suum passum per istam formam mixtionis, absque

39

*Forma corporeitatis est prius anima, tanquam dispositio eius.*

actione Dei,& per conſequens nulla contradictio eſt reſpectu agentis creati,quòd forma mixtionis informet abſque anima intellectiua:non ergo eſt miraculum.

*Contra tertium additū Henrici.*

Contra [b] tertium additum de proprio perfectibili animæ intellectiuæ arguitur dupliciter. Primò ſic:Proprium perfectibile ab agente ſufficiente poteſt perfici propriâ perfectione, circumſcripto quocumque agente alio, & perfectione aliâ, maximè ab agente non dependente in agendo ab actione alicuius alterius agentis: ergo ſi materia prima ſit primum, & proprium perfectibile animæ intellectiuæ, poterit à Deo agente (qui in agendo non dependet ab aliquo creato) informari anima intellectiua abſque actione agentis creati, & termino eius: & ita ſine omni forma mixtionis poſſet immediatè intellectiua perficere materiam.Hoc videtur inconueniens, quia tale compoſitum non videretur eſſe homo,cùm non haberet illud quod eſt de eſſentia hominis: nec etiam non homo,quia haberet illud,quo formaliter homo eſt homo.

*Si forma mixti non eſſet perfectibile per animã, homo non eſſet per ſe vnũ.*

Secundò ſic, ex duobus actibus, quorum vnus non eſt potentia reſpectu alterius, non poteſt fieri per ſe vnum. 7. *Metaphyſic. cap. pen.* & 8. *cap. vltim.* quia ibi vterque illorum actuum manet actus ſimpliciter reſpectu alterius: & ex duobus actibus in ſe, & inter ſe, non fit per ſe vnum: ſed per te forma mixti, & anima intellectiua ſunt duo actus, & neuter potentialis reſpectu alterius, ſic quòd neuter eſt ratio recipiendi alterum: ergo non fit per ſe vnum ex eis. Si dicas, imò, quia eadem materia recipiet eos, hoc nihil ad *B*: quia per ſe vnitas alicuius entis eſt ex actu, non ex potentia, ex capitulis præallegatis.

## COMMENTARIVS.

113 *Vnde eſt ſubordinatio.*

a *Contra ſecundum additum*,&c. Maior huius rationis eſt euidens, quia vbi nulla eſt ſubordinatio actionis ad actionem, neque termini ad terminum, neque agentis ad aliud agens, inquantùm hoc agit propriâ actione, vt Deus, verbi gratiâ creans animam; rectè tollitur omnis coniunctio naturalis neceſſaria inter terminos, quin ſeorſim eſſe poſſint, quòd enim ſimul ſint, prouenit ex applicatione cauſarum, nõ ex dependentia,aut ordine formarum:dato ergo quòd forma mixtionis ſit in homine diuerſa ab anima, rectè ſequitur, quòd naturaliter poſſit ineſſe ſine anima,& ſeparatâ vnione animæ, manere in materia:differentia ergo illa,quam adducit Henricus in ordine ad conſtituendum ſuppoſitum, libera eſt, non probata.

114 *Sequi animã poſſe infundi, ſine forma mixtionis.*

b *Contra tertium additum*, &c. Hæc ratio eſt clara:quia proprium,& immediatum perfectibile animæ, dicit Henricus, eſſe materiam primam, non conſtitutum ex forma mixtionis, ne admittat animam conſtituere per accidens, quia aduenire enti in actu conſtituto: hoc ſuppoſito Deus poteſt creare animam in materia, quia nullo medio reſpiciunt ſe mutuò,vt actus,& potentia, neque Deus dependet ab aliquo agente, aut actione eius reſpectiuè ad terminum creationis.

*Non requiri mixtionẽ, vt diſpoſitionẽ.*

Si dicas formam mixtionis eſſe diſpoſitionem præuiam ad animam. Contrà, diſpoſitio præuia non requiritur in materia reſpectiuè ad formam, quam nata eſt immediatè recipere,niſi vt tollatur impedimentum, nempe forma prior inexiſtens, ſed nullum impedimentum tale eſt proportionatum ad agens increatum: & ſi quod eſſet,tolleretur per infuſionem animæ, quæ non poſſet exiſtere cum forma priore,ſicut tollitur per formam mixtionis.

*Tollitur ſubordinatio inter formas.*

Dices eſſe ordinem inter ipſas formas. Contrà,hic ordo ſaluari nequit inter formas ex natura formarum, quia vna creatur, altera educitur: neque eſt reſpectiuè ad formas,vt ſunt ab agentibus ex eadem ratione:ergo tantùm erit reſpectiuè ad ſubiectum,ſed hoc non, ſi materia immediatè eſt receptiua vtriuſque, quia ſic forma mixtionis, neque eſt ratio proxima recipiendi animam, ſicut quantitas, alias formas accidentales: neque eſt conditio, aut diſpoſitio prior, vt iam dictum eſt: neque materia ſeruat ordinem ex natura ſua ad vllas formas, cùm æquè immediatè reſpiciat omnes ſubſtantiales indifferenter, neque vnam magis, quàm aliam, neque ordo inter ipſas formas ex natura formarum ineſt, quaſi vna eſſet prior eſſentialiter reſpectu alterius: ergo oportet hanc ſuppoſitionem ad animam oriri ex eo, quòd conſtitutum per eam ſit ſubiectum animæ.

115 *Forma mixtionis quare requiritur.*

Si dicas quòd anima ſupponat organa, & partes ad hoc,vt poſſit dare ſuum effectum materiæ. Contrà, vel eſt hoc ex neceſſitate effectus formalis,vel certè effectus, qui proueniunt ab anima,vt principio *quo* efficiente: non primum, quia effectus formalis præcisè communicatur ſubiecto primo,& immediato formæ: ſi ergo illud eſt materia,non requiritur ad hunc effectum, informatio eius per formam mixtionis; neque ſecundum dici poteſt, quia anima eſt principium *quo* operandi reſpectiuè ad principium ſuum *quod*, & per animam conſtitutum: hoc autem eſt ſolum compoſitum ex auima, & materia, ſi hæc immediatè recipit animam: ergo ſic non ſupponit formam mixtionis ex neceſſitate effectus, niſi ipſa, aut conſtitutum per ipſam ſit ſubiectum proximum animæ.

*Quãtitas cur præſuppoſita ad formam ſubſtantialẽ.*

Dices ſupponi formam mixtionis ad animam eo modo, quo quantitas requiritur ad formam ſubſtantialem materialem in materia. Contrà, hoc requiritur ex neceſſitate agentis materialis, non autem formæ,quia illud nequit agere,niſi in materiam extenſam. Quòd verò non ex forma proueniat, patet, quia ſic forma ſubſtantialis, ſi reſpiceret quantitatem vt ſubiectum *quo*, non componeret cum materia niſi per accidens:quod enim reſpicit mediante accidente, non poteſt per ſe magis reſpicere tertium, quàm reſpiciat medium: Deus ergo qui non dependet à quantitate in agendo, maximè producendo formam, quæ nequit dependere à quantitate: ſic etiam non dependet à forma mixtionis,

niſi

nisi ipsa ingrediatur rationem subiecti primi animæ.

116 *Secunda ratio contra eundē.* Secunda etiam ratio Doctoris est probans, & destruit intentum Henrici, quoad vnitatem per se; nam magis sequitur ex eo, quòd ponit vtramque formam immediatè afficere materiam, homi- *Destruit intentum.* nem non esse ens vnum per se, quàm ponendo animæ susceptiuum immediatum esse compositum ex forma mixtionis, vt benè probatur ex Philosopho, quia per se vnitas compositi sumitur ex *Intellige de specifica.* actu per se, non autem ex potentia. Patet, genitum & corruptum sunt simpliciter diuersa entia, quamuis habeant eandem materiam: verum tamen est etiam sumi vnitatem ex vtroque simul: *Vnde sumatur vnitas.* nam si eadem forma in diuersis materiis seorsim poneretur, composita non essent vna, sed diuersa: ad diuersitatem namque minùs requiritur, quàm ad vnitatem: nam quæcunque differentia sufficit *Differētia ex quocunque sumitur.* ad inferendam diuersitatem, si est differentia per se, non tamen quæcunque identitas ad vnitatem sufficit: vt aliàs sæpè Doctor.

Opinio etiam Henrici impugnari potest, ex eo, quòd admittat duas formas substantiales, & non subordinatas afficere eandem materiam.

Conclusio harum rationum admittitur à Doctore in sequentibus, qui dicit compositū ex forma mixtionis subiectum immediatum animæ: & hoc patet ex Philosopho, & Athanasio citatis, & ratione ipsa: quia in corpore exercet anima suas functiones per organa, quæ sunt instrumenta operandi: ergo sequitur corpus esse subiectum eius, cùm ex operatione rectè colligitur esse. *Subiectum animæ est corpus.*

## SCHOLIVM.

*Refutat rationem Henrici, scilicet ideò plures dandas formas, quia plura sunt agentia, vel plures mutationes, declarans, an ad compositum habens plures formas sit vna, vel plures mutationes. Item, an materiæ ad plures formas sit vna potentia.*

Contra[a] rationem istius opinionis, inquantùm concordat cum præcedente opinione contra illam diuisionem, aut vnâ mutatione, aut pluribus, arguitur sic. Aut sufficit ad vnitatem compositi geniti, quòd duæ sint mutationes ordinatæ ad duas formas ordinatas: vel requiritur tantùm vna mutatio. Si secundo modo, tunc à quibuscunque agentibus sint plures mutationes, licèt ordinatæ, tamen genitum non erit vnum, & tunc homo secundùm opinionem istam non erit vnus. Si autem primum sufficit, tunc licèt illæ plures mutationes sint ab vno agente, non minùs productum poterit esse vnum, quàm si illæ mutationes sint à diuersis agentibus: imò cæteris paribus videtur, quòd magis sufficiat vnum agens, quàm plura agentia. 40 *Ex pluralitate agentiū non colligi pluralitatē formæ in producto.*

Respondetur ad hoc, quòd duæ mutationes, ad quas est vna potentia materiæ, sufficiunt ad hoc, vt productum sit vnum, non autem vbi sunt potentiæ diuersæ materiæ: sed secundùm primum additum ad formas eductas de potentia materiæ sunt diuersæ potentiæ: ad formam autem eductam, & aliam non eductam, eadem est potentia: hanc autem, & aliam respiciunt duo agentia: & ideò duæ mutationes à talibus duobus agentibus subordinatis sufficiunt ad producendum compositum, non autem illæ duæ aliæ.

Contrà, aut potentiæ numerantur ad numerationem formæ, & tunc sequitur vtrobique esse duas potentias, sicut sunt duæ formæ, siue ab eodem, siue à diuersis agentibus sint inductæ: aut numeratur potentia non respectu formæ, sed respectu agentis: & sequitur magis numeratio potentiæ, quando sunt diuersa agentia, quàm quando est vnum agens. *Pluralitas potentiæ in materia, vnde colligatur.*

Dices, numerantur secundùm numerum formarum non absolutè, quæ recipiuntur in ipso composito, sed illarum, quæ educuntur de potentia illius: tales autem sunt illæ, quæ terminant actiones agentis naturalis: sed illa, quæ terminat actionem creantis, non est talis, & ideò propter illam non numeratur.

Contrà, accidit materiæ, quòd forma perficiens ipsam educatur de potentia eius, vel non educatur: si enim esset possibile aliquam formam esse in materia, & tamen non educi de potentia eius, ipsa ita perfectè perficeret materiam, sicut si educeretur de potentia eius: ergo materia eodem modo se habet in ratione perfectibilis ad formam eductam, & non eductam; & per consequens eodem modo respectu huius, vel illius numerabitur, vel non numerabitur potentia materiæ. *Accidit materiæ, formā perficiemē ex eius potētia, educi.*

41 *Ad arg. Henrici supra n. 33. posita. Quomodo vna mutatio terminatur ad compositū habēs plures formas.*

Secundùm hoc ad primam rationem pro secunda opinione posset responderi. Posset enim dari vtrumque membrum, & primò quidem quòd vna est mutatio, quà producitur vnum ens naturale, & hoc loquendo de mutatione vltima: & tunc concedo conclusionem, quòd tantùm est vna forma, verùm est per se terminans illam mutationem: tamen plures sunt mutationes partiales terminatæ ad plures formas partiales præcedentes, vel ordine durationis, si ponatur vna forma priùs tempore induci, quàm alia: vel ordine naturæ, si ponamus omnes illas simul tempore induci, nisi quòd sicut dictum est *in quæstionibus 9. Metaph.* ad vltimam formam non esset propriè mutatio.

Exemplum

*Generatio vnius partis totius præcedit tẽpore aliarũ partium generationem.*

Exemplum huius, ſi ponãtur partes organicæ differre ſecundùm formas ſubſtantiales: tunc enim præcedit generatio vnius non ſolùm naturâ, ſed etiam tempore generationem alterius partis, & etiam generationem illam, quæ eſt ſimpliciter generatio totius, quâ ſcilicet inducitur forma totalis præſuppoſitis iam formis omnium partium. Sed ſic ponendo vnam, vel plures, diceres, aut eſt vna potentia, vel plures in materia reſpectu iſtarum plurium formarum ordinatarum, poſſet dari hoc, vel illud.

*Quomodo vna potẽtia ſit ad plures formas?*

Et ſi detur, quòd vna potentia: tunc ad duas improbationes, contra hoc factas. Reſpondeo ad primam, cùm dicitur, vna potentia ſpecie eſt ad vnam formam ſpecie. Verum eſt eiuſdem ordinis. Et ad duas auctoritates Philoſophi reſpondeo, quòd intelliguntur non de potentia receptiua, & actu recepto: ſed de potentia & actu, vt ſunt differentiæ oppoſitæ entis: vt apparet de poſſe ſanari, & poſſe ægrotare, de quibus exemplificat, quia non eſt verum de potentia ſubiecti, quia idem corpus, & eadem potentia receptiua poteſt poni in corpore reſpectu duorum contrariorum, licèt actus non ſint idem. Iſta autem diſtinctio potentiæ ſic, & ſic, patet *ex quæſt. iſta articulo primo.*

*Eadem potentia receptiua oppoſitorum.*

42 Si detur [c] etiam, quòd ſunt duæ potentiæ reſpectu huius, & illius formæ, tunc ad duas improbationes illius membri poteſt faciliùs reſponderi. Cùm enim primò dicitur, quòd illæ duæ potentiæ inſunt ſine ordine illi materiæ, poteſt negari: imò eſſentialiùs, & immediatiùs ineſt materiæ ordo ad vnam formam, quàm ad aliam: ſicut in ſubiecto reſpectu paſſionum diuerſarum poteſt eſſe potentia prior reſpectu vnius, & poſterior reſpectu alterius. Si autem concederetur, quòd potentiæ ſunt ex æquo: non ſequitur quòd actus ſunt ex æquo: poteſt enim eſſe ordo potentiarum quantùm ad terminos, licèt non ſit ordo earum quantùm ad fundamentum: ſicut patet in multis aliis, vbi duo reſpectus ſine ordine inſunt vni fundamento, & tamen termini illorum reſpectuum habent ordinem inter ſe, & in comparatione ad fundamentum.

*Potẽtiæ poſſunt eſſe ex æquo, quarũ actus poſſũt eſſe ordinati.*

Alia [d] probatio de ente per accidens non habet apparentiam: ſi enim de igne poſſit generari aër, & aqua, non propter hoc ſequitur, quòd ignis in ratione termini *à quo* ſit ens per accidens: quia iſta potentialitas, & illa, non conſtituunt per ſe terminum *à quo*: ita etiam ex parte ſubiecti, ſi habeat potentiam aliam & aliam, non ſequitur, ſi illæ potentiæ inter ſe accidunt: ergo habens illas eſt ens per accidens.

## *COMMENTARIVS.*

117 *Impugnat fundamentũ Henrici.*

a *Contra rationem iſtius opinionis*, &c. Impugnat fundamentum Henrici, deſumptum ex pluralitate mutationum, ad probandum diuerſitatem effectus ſimpliciter in *eſſe* entis. Contrà arguit Doctor, vel vna mutatio per ſe requiritur ad vnitatem effectus, & ſic ſequitur, quòd homo, non ſit vnum ſimpliciter, ad quem ſunt duæ mutationes contra ipſum: vel duæ mutationes ordinatæ, ad duas formas ordinatas, non impediunt vnitatem effectus, & ſic impertinens erit, ſiue ſint ab vno agente, ſiue à diuerſis: quia ex diuerſitate mutationum, non ex diuerſitate agentis ſumitur vnitas effectus: quia vnum agens, à quo procedunt duæ mutationes, licèt ſit vnum in *eſſe* entis, eſt multiplex in virtute, & influxu: neque in *eſſe* entis ſpectat ad conſtitutionem effectus, neque ad poſitionem eius, ſed tantùm quà influit *eſſe* in ipſum: ſi ergo Deus produceret formam mixtionis, & infunderet animam, non minùs homo eſſet vnus, quàm de facto, neque magis Adam fuit vnus, quia ſecundùm corpus, & animam à Deo fuerit productus, quàm Abel, qui per propagationem: ergo quòd ſint mutationes ab vno, vel diuerſis, non arguit vnitatem.

*Impugnatur.*

*Ex diuerſitate agentium non ſequi diuerſitatem effectus.*

*Ratio.*

*Reſponſio.*

Dices duas mutationes, vt ſupponunt duas potentias in materia inferre diuerſitatem, non autem quando vna forma ſupponit potentiam, altera non, vt contingit in productione hominis. Contrà, aut mutationes numerantur ex numero potentiarum in materia, aut ex numero agentium, ſi primum, diuerſitas agentium non facit ad numerum mutationum: ſi ſecundum, diuerſitas potentiarum non facit ad numerum mutationum. Ratio patet, quia ab his ſimul ſumptis nequit ſumi vnitas, quæ ſupponit indiuiſum vnius rationis ex parte entis ſubiecti: *quot modis enim dicitur ens, tot modis & vnum*; ſi ens eſt multiplex, ita & vnum: ſed à cauſa efficiente, & materiali extrinſeca agenti, neque in *eſſe* entis, neque in *eſſe* cauſæ in ſpecie, poteſt ſumi vnus conceptus, aut vna differentia, quia in nullo conueniunt, cùm vnum ſit in actu, & virtualiter includens terminum mutationis, alterum tantùm in potentia: ergo neque differentia, & vnitas mutationis ab his ſimul haberi poſſunt.

*Neque ab agente, neque à potentia ſumi vnitatem.*

118 *Reſponſio.*

Dices cum Henrico, ſumi vnitatem mutationis, non à forma abſolutè ſumpta, ſed vt educitur de potentia materiæ: ad pluralitatem ergo potentiæ, & formarum multiplicantur effectus: anima autem intellectiua non educitur, ac proinde non infert numerum in effectu. Contrà vrget, quòd per accidens eſt formæ, inquantùm conſtituit compoſitum, aut perficit materiam, vt educatur de potentia materiæ, quia etiamſi non educeretur, & ineſſet, perficeret eodem modo materiam.

*Impugnatur.*

Ratio hæc eſt euidens, quia educi de potentia materiæ denotat modum, quo forma producitur ab agente, cuius actio dependet à materia: forma autem perficit, & conſtituit, non inquantùm denotat ordinem ad agens, ſeu dependentiam ſui à materia, ſed in proprio genere, quà forma eſt, & è contra quà materia dependet à forma, vt ab actu. Hanc autem rationem non variat, ſiue educetur,

*Produci formam ex materia non variat effectum.*

cetur, siue creetur, siue etiam improducibilis sit: quia Deitas constituit Patrem Deū per rationem suam formalem, & quælibet forma sic dat actum: vnde si forma mixtionis crearetur, sic etiam daret eundem actum materiæ, & constitueret idem corpus hominis, in eadem vnitate entis, quo constituit, quando educitur de potentia materiæ: quia rationes formales rerum nequeunt variari; modus autem producendi sic: causa autem formalis perficit, & constituit secundùm rationem formalem præcisam, vt existit in subiecto. Vnde in formis accidentalibus, & contrariis eadem est potentia ex parte subiecti; numerantur tamen formæ ex suis rationibus formalibus, & aliter perficiunt subiectum, verbi gratiâ, calor & frigus aquam, quarum vna est connaturalis, altera violenta: non esset autem violenta, nisi subiectum secundùm potentiam, ex qua educitur, repugnaret, quia nempe inclinat naturaliter in oppositum formam.

*Rationes formales inuariabiles.*

119 b *Secundùm hoc ad primam rationem*, &c. Destructo fundamento Henrici, facilis est responsio ad argumenta eius. Respondet ergo Doctor ad primum, quod est nempè vnius entis numero, est vna mutatio numero, vt ad terminum: concedi potest de mutatione vltimata, qua fit terminus completus in vltimo *esse*. Præsupponuntur tamen plures partiales ad formas partiales, quibus constituitur corpus, siue de vna potentia materiæ, siue diuersis, nisi quòd vltima forma non inducatur per mutationem propriè dictam, quia nempe non supponit contrarium, seu formam oppositam, & incompatibilem in subiecto, neque priuationem sui, quia posita forma mixtionis in vltima dispositione, inducitur anima, & sic datur mutatio per modum productionis nouæ formæ, non verò per modum corruptionis alterius præcedentis.

*Responsio ad rationes Henrici.*
*Ad primam. Plures mutationes esse ad hominem.*
*Mutatio per modum productionis.*

Explicat exemplo allato, quòd admittere videtur Philosophus *lib. 2. de generatione animalium, c. 3. & præcedentibus*: & concedit in vno ente, sicut saluantur plures formæ subordinatæ, etiam saluari posse plures potentias subordinatas ad formas diuersi ordinis.

Probatio ex Philosopho adducta ab Henrico non benè intelligitur, quia non loquitur de potentia receptiua, sed obiectiua: vt patet in exemplo de posse sanari, & posse ægrotare, insunt secundùm eandem potentiam receptiuam, sicut forma, & priuatio: debet ergo intelligi de receptiua, secundùm quam repugnat simul esse in potentia ad vtrumque. Ex hoc loco patet intelligi Doctorem, non admittere formam corporeitatis diuersam à partialibus, quibus constituitur corpus, vt totum heterogeneum.

*Potentia obiectiua, & subiectiua diuersa.*

c *Si detur etiam*, &c. Admittit potentias diuersas inesse posse cum ordine, aliquando sine ordine, quamuis termini insint cum ordine: quia ordo potest esse in potentiis ex natura fundamenti, quod immediatiùs, & essentialiùs respicit vnum terminum, quàm alium, vt contingit in subiecto ad proprias passiones: tunc autem ex tali ordine, sequitur ordo etiam in formis, propter exigentiam fundamenti, non verò ipsorum terminorum. Aliquando contingit ordo in terminis sine ordine in potentiis, & hoc ex natura terminorum, quâ vnus supponit alium: verbi gratiâ, in substantia ad accidentia, quantitatem, & qualitatem non est ordo; hæc enim in diuerso genere accedunt, quarum altera materiam, altera sequitur formam: & secundùm hæc potentiæ sunt diuersæ rationis, & non subordinatæ: tamen qualitas ex natura sua præexigit quantitatem, vt subiectum *quo*.

120 *Ordo potentiarum diuersus. Aliquando est ex natura subiecti. Aliquando ex natura formarum.*

d *Alia probatio de ente per accidens*, &c. Hæc probatio est nulla, vt patet ex responsione.

## SCHOLIVM.

*Soluit secundam rationem Henrici, positam num. 34. ostendens, non obstante pluralitate formarum, formam substantialem semper dare esse simpliciter, & saluari differentiam inter formas accidentales, & substantiales.*

Secunda[a] ratio principalis, quæ procedit ex ratione formæ substantialis, & vnitate rei, non concludit: quia distinguo de *dare esse simpliciter*, quia secundùm Philosophum *primo de generatione*, vbi arguit, quòd ex non ente simpliciter non potest aliquid fieri. Patet responsio ad argumentum, distinguendo non ens simpliciter: quia aut prout *simpliciter* accipit pro *vniuersaliter*, & tunc non ens simpliciter est putum nihil, & sic ex non ente simpliciter non potest aliquid fieri: & isti non enti oppositum est quodcunque ens, quantumcunque minimum habeat de entitate. Alio modo accipitur ens simpliciter, prout distinguitur contra ens secundùm *quid*: & tunc ens simpliciter est substantia, ens secundùm *quid*, est accidens. Et patet quid est non ens simpliciter oppositum isti.

43 *Text. 12. & inde. Ens simpliciter sumitur dupliciter, pro vniuersaliter, & vt opponitur enti secundùm quid.*

Sic dico in proposito, quòd forma substantialis dat *esse* simpliciter, non quidem *esse* primum, quod scilicet immediatè sequitur *non esse* simpliciter, sed dat *esse* simpliciter, vt distinguitur contra *esse* secundùm *quid*. Primum patet, quia si accidens primò adueniret materiæ, & si daret sibi primum *esse* formale: non tamen daret sibi *esse* simpliciter, sed secundùm *quid*: quia non est actus nisi secundùm *quid*, nulla etiam forma substantialis materialis est; quæ det *esse* simpliciter materiæ, & hoc si tenetur *esse* simpliciter, id est, omne recedens à *non esse*, sicut probatum est in ista solutione, articulo primo: quia secundùm aduersarios materia habet *esse* simpliciter isto modo, etiam sine omni forma: non ergo sola forma substantialis dat *esse* simpliciter, id est, vniuersaliter, nec etiam simpliciter, id est, primum.

*Hēr. quodl. 1. q. 10.*

Sed accipiendo *esse* simpliciter secundo modo, prout diuiditur contra secundùm *quid*, dico

dico quòd ſicut ens diuiditur in prius, & poſterius, vel primum, & ſecundum: & prius continet ſub ſe ſubſtantiam,& poſterius accidens: ita ſimpliciter in iſto intellectu æquialet ei quod eſt primum naturaliter,& ſecundùm *quid* æquialet ei, quod eſt poſterius naturaliter,& iſto modo omne accidens dat *eſſe* ſecundùm *quid*.

Dico ergo,quòd forma ſubſtantialis,ſiue adueniat alicui iam habenti *eſſe*,ſiue non,dat *eſſe* ſimpliciter hoc ſecundo modo, ſed non primo: ſicut forma accidentalis cuicunque adueniat,dat *eſſe* non ſimpliciter,ſed ſecundùm *quid*.

44 Et ſi quæras vnde poteſt probari,quòd hæc forma dat *eſſe* ſimpliciter,illa non,ſi de ratione neutrius eſt dare illud *eſſe*, quod immediatè recedit à *non eſſe*? Reſpondeo, aut tu quæris de re in ſe,aut in comparatione ad cognitionem noſtram: ſi in ſe, nulla cauſa eſt quare iſta dat *eſſe* ſimpliciter,& illa ſecundùm *quid*,niſi quia hæc eſt forma ſubſtantialis, & illa accidentalis;ſicut enim nulla eſt cauſa, quare calidum calefacit, quia immediata eſt;& inter cauſam immediatam,& effectum non eſt alia cauſa media: ita in genere cauſæ formalis hæc eſt immediata,calor conſtituit calidum,& anima hominem,& eſt immediatio formæ ad actum formalem.

*Per quæ media Philoſophi diſtinxerunt inter formã ſubſtantialẽ,& accidentalẽ.*

Si autem quæras in comparatione ad cognitionem noſtram, de qua videtur procedere argumentum, quaſi iſta opinio deſtrueret omnem diſtinctionem inter formam ſubſtantialem,& accidentalem, quo ad nos. Reſpondeo, Philoſophi diſtinxerunt inter formam ſubſtantialem, & accidentalem à poſteriori, vtpote per iſta media habere contrarium,& non habere,recipere magis, & minus,& non recipere, ſecundùm eam poſſe eſſe notum,& non eſſe, & huiuſmodi.

*Inter ſubſtãtiales formas poſterior eſt ſẽper perfectior.*

Sed ad rem breuiter dico vnum eſſe medium,per quod manifeſtiùs diſtinguitur quantùm ad cognitionem noſtram,quæ forma adueniens enti in actu ſit ſubſtantialis, & quæ accidentalis. Quamdiu enim proceditur in ſubſtantialibus, ſemper poſterior eſt perfectior prioribus. Quando autem venitur ad accidentales,ſequens eſt imperfectior vltima præexiſtente: quæ autem ſit perfectior, hoc nobis innoteſcere non poteſt, niſi à poſteriori, & illud eſt rationabile, & in ſe, & in nobis. In ſe quidem, quia in eodem genere non aduenit forma formæ,niſi vt perfectiùs conſtituat in illo genere:in alio autem quidquid aduenit, ſcilicet vt accidens imperfectiùs eſt quacunque præſuppoſita forma ſubſtantiali.

45 *Soluit diſtinctionem formæ accidentalis à ſubſtantiali, non obſtante pluralitate formarum.*

Patet ergo reſponſio ad formam argumenti, quia iſta opinio non deſtruit diſtinctionem inter formam ſubſtantialem, & accidentalem, nec in ſe (iſta enim eſt immediata, quia hæc eſt hæc, & illa eſt illa) nec quantùm ad cognitionem noſtram per media illa, per quæ poſſumus cognoſcere diſtinctionem iſtam, ſicut à poſteriori. Nec mirum, ſi diſtinguendo hanc formam ab illa ſecundùm intellectum noſtrum oportet vti poſterioribus hac forma, & illa: quia nec alio modo cognoſcimus quaſi in aliquo formas ſubſtantiales, niſi à poſterioribus.

*Quodlibet animatum producitur à duobus, vel quaſi duobus agentibus.*

Ratio [b] quæ facit ad aliud membrum, ſcilicet quòd illæ quatuor rationes non concludunt de homine,pro nobis facit: tamen inquantùm concluſionem negat de aliis animatis, poteſt reſponderi, quòd reſpectu cuiuſcunque animati poteſt poni, quòd habeat duo agentia, vel quaſi duo. Quælibet enim forma vitæ eſt excellentior ſimpliciter quacunque forma mixtionis: & ita quodcunque inducens formam vitæ oportet eſſe perfectius ſeipſo, vel alio, vt præcisè inducit formam mixtionis: & ita licèt ab eodem generetur corpus mixtum in planta, vel bruto, & inducatur anima: tamen ibidem eſt, quaſi duo agentia,quia habens in ſe rationem perfectioris,& imperfectioris agentis.

## COMMENTARIVS.

121 *Diuiſio entis ſimpliciter.*

a *Secunda ratio principalis*, &c. Diſtinctio bimembris hîc aſſignata ſoluit argumentum: nam ens ſimpliciter dicitur,vel ſecundùm diſtributionem, & ſic idem eſt, quòd extremum primum primi principij,& opponitur *nihil*, ſeu non enti. Ens dicitur ſimpliciter ſecundùm perfectionem, & ſic tantùm competit ſubſtantiæ, & opponitur enti ſecundùm *quid*, & dicitur accidens, vt comprehendit nouem genera 7. *Metaph. textu* 2.accidentia eſſe alia à ſubſtantia dicuntur entia, eò quòd totaliter entis, &c. De hoc vide Doctorem *d.ſequenti queſt.* 1. *ad* 1. *pro opin.& in textu ſuper Philoſopho.* Hoc modo dat forma ſubſtantialis *eſſe* ſimplicitur, & non ſecundùm *quid*: vnde autem hoc ipſi competit, nequit aſſignari ratio huius à priori, quia propoſitio immediata non habet cauſam ſuæ veritatis aliam ab extremis. A poſteriori vnde cognoſcatur eſſe ſubſtantialem,variæ rationes aſſignantur à Philoſophis, vt eſt,non ſuſcipere magis,& minùs, non habere contrarium, &c.

*Forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter.*

*Quomodo cognoſcatur*

Aliam differentiam aſſignat Doctor,nempe in progreſſu ad formam ſubſtantialem, illa, quæ eſt poſterior, ſemper eſt perfectior, quia in ordine generationis non aduenit forma formæ, niſi vt perfectius conſtituat, quia ſeruatur proceſſus per viam

*Alia differentia formæ ſubſtantialis.*

viam generationis, quæ procedit de potentia ad actum, & de imperfectiore ad perfectius.

*Processus in accidentalibus.*

Econtrà contingit in accidentibus, quia processus est de perfectiore in id, quod magis imperfectum est: nam accidentia propter subsistantiam sunt, tãquam perfectiones eius secundariæ in *esse*, & *agere*, & *pati*: quò magis ergo accedunt proximè ad subsistantiam, eò magis sunt perfecta; quò magis recedunt, eò imperfectiora: quia sic vt plurimùm, (vt patet in respectiuis) magis exigũtur, aut consequuntur ex absolutis accidẽtibus, quàm ex natura ipsa substãtiæ. Patet hinc opinionẽ Doct. non destruere distinctionem inter substantiã, & accidens.

*Ratio quæ facit ad aliud membrum*, &c. Quod dicit brutum produci à duobus agentibus, aut ab vno quasi duobus, vt producit formam mistionis, & animam sensitiuam; non intelligit animam produci simpliciter à generante, vel producente mistionem, quia contrarium *distinct. seq.* docet: sed alludit ad argumentum Hentici, illud pro nunc permittendo, quatenus conclusionem eandem inducit, quam tenet Doctor.

122 *Explicatio responsionis.*

## SCHOLIVM.

*Soluit rationes adductas à num. 25. pro sententia D. Thom. negantis plures formas in vno composito; & ad primum, ostendit ens aliquod esse vnum, licèt habeat plures formas, & soluit subtiliter quatuor loca Philosophi. Vide eum in 7. Metaphys. cap. de vnitate definitionis.*

Ad rationes ergo pro prima opinione. Ad primam, concedo primam propositionem, quòd vnius entis vnum est *esse*: sed secunda, quòd vnum *esse* requirit tantùm vnam formam, neganda est, accipiendo *esse* vniformiter in maiori, & minori. Sicut enim ens, & vnum diuiditur in simplex, & compositum: ita *esse*, & vnum *esse*, distinguitur in *esse* tale, & tale: ergo *esse* per se vnum non determinat sibi *esse* simplex præcisè, sicut nec aliquod diuisum determinat sibi præcisè alterum diuidentium. Isto modo totius compositi est vnum *esse*, & tamen includit multa *esse* partialia: sicut totum est vnum ens, & tamen multas entitates partiales habet. Nescio enim istam fictionem, quòd *esse* est quid superueniens essentiæ non compositum, si essentia est composita; hoc modo *esse* totius compositi includit *esse* omnium partium, & includit multa *esse* partialia multarum partium, vel formarum, sicut totum ens ex multis formis includit illas actualitates partiales.

46 *Ad argumenta supra n. 25. posita.*

*Existẽtiam non distingui ab essentia.*

Si tamen omnino fiat vis in verbo, concedo quòd formale *esse* totius compositi est principaliter per vnam formam, & illa forma est, quâ totum compositum est hoc ens, ista autem est vltima adueniens omnibus præcedentibus; & hoc modo totum compositum diuiditur in duas partes essentiales, in actum proprium, scilicet vltimam formam, quâ est illud, quod est, & propriam potentiam illius actus, quæ includit materiam primam cum omnibus formis præcedentibus. Et isto modo concedo, quòd *esse* illud totale est completiuè ab vna forma, quæ dat toti illud, quod est: sed ex hoc non sequitur, quòd in toto includatur præcisè vna forma, vel quin in toto includantur plures formæ, non tanquam specificè constituentes illud compositum, sed tanquam quædam inclusa in potentiali istius compositi.

*Totum habens plures formas, est completiuè ab vna, scilicet ab vltima.*

Exemplum huius est in compósito ex partibus integralibus: quantò enim animatum est perfectius, tantò requirit plura organa, & probabile est, quòd distincta specie, per formas substantiales: & tamen ipsum est verius vnum, verius, inquam, id est, perfectius, sed non verius vnum, id est, indiuisibilius. In compositis enim frequentiùs inuenitur cum maiori compositione verior vnitas, & entitas, quàm in partibus cum minori compositione.

*Exẽplo declaratur.*

47 *Trũcatè adducuntur loca Philos. pro sententia D. Th. Soluit quatuor loca Philos. posita num. 25. Non vult Philos. vltimam differentiam esse totam essentiam rei. Sect. 6. Topicorum, & 2. Physicor. Text. 15.*

Ad confirmationem illam adductam *de 7. Metaph. c. de definitione*, capitulum illud non videtur benè exponi, sicut patet in expositione, quam edidi super illud caput; auctoritates autem illæ truncatæ sunt, & nihil ad *B*: prima quidem truncata est, quia sequitur: *ergo genus non est præter eas, quæ sunt generis species: aut si est quidem, vt materia est*; & secunda pars disiunctionis est vera. Vnde ad illud secundum membrum subdit exemplum, *Vox quidem vt genus est*. Est ergo intentio Philosophi, quòd illud, quod importatur per genus, est nihil, nisi potentiale respectu specierum: & eodem modo illud, quod sequitur, quòd finalis differentia erit terminus, & definitio: nullo modo potest intelligi, quòd tota ratio quiditatiua sit in vltima differentia: tunc enim omnino genus superflueret in definitione, quia sola vltima differentia totam essentiam rei exprimeret; sed debet intelligi, quòd completiuè est tota substantia rei, sicut à forma vltima est completiuè tota essentia habentis formam. Eodem enim modo assignat ipse hîc vnitatem definitionis, quomodo dixit se præmisisse *in Analyticis*, & quomodo *in 8. Metaphys. c. penult.* assignat vnitatem rei: quia sicut ibi dicit, quòd ex duobus constituitur compositum reale, quia hoc actus, illud potentia: ita hîc dicit, quòd ex duobus conceptibus componitur vnus conceptus quidi

quiditatiuus, ſeu definitiuus, quia iſte conceptus eſt potentialis, & ille actualis; & ſicut ibi actus eſt principalior quàm potentia, & per conſequens principalior ratio vnitatis, ſicut & entitatis, ita & hîc; quia conceptus vltimæ differentiæ eſt conceptus actualior, & principalior ratio vnitatis & definitionis.

48 Quod autem additur ibi, quòd *in ſubſtantijs non eſt ordo:* nihil eſt ad propoſitum: antè enim immediatè voluit, quòd ſi eſt nugatio addendo priorem differentiam poſteriori, quòd pari ratione erit nugatio è conuerſo: non enim eſt ordo talis in ſubſtantiis, hoc eſt, in his, quæ pertinent ad rationem ſubſtantialem alicuius ſiue definitiuam, quòd alius, & alius ordo faciat, vel tollat nugationem.

*Scilicet ad cauſandum nugationẽ.*

*Si inferior differentia includeret ſuperiorem, in omni definitione eſſet nugatio.*

Quod etiam additur, quòd differentia inferior includit ſuperiorem, hoc eſt manifeſtè falſum: quia tunc impoſſibile eſſet per genus proximum, & differentiam proximam definire, quia idem bis diceretur, ſcilicet illa differentia ſuperior per ſe incluſa tam in ratione differentiæ inferioris, quàm in ratione generis proximi. Vnde, ponendo rationes generis, & differentiæ loco nominum, manifeſtè appareret nugatio: & hæc eſt intentio Philoſophi ibidem, quomodo debeat nugatio cognoſci in definitione, ponendo ſcilicet rationes pro nominibus. Nec etiam poſſet definitio dari per genus remotum, & plures differentias, quia eadem differentia proxima illius generis, diuiſiua remoti, pluries diceretur in illis multis differentiis additis generi. Conſequens eſt planè contra Philoſophum ibidem, qui dicit, *Nihil aliud eſt in definitione, quàm primum dictum genus, & differentiæ. Alia verò genera ſunt primum, & cum hoc comprehenſa differentiæ:* & exemplificat ſtatim, *vt animal alatum, vel animal bipes non alatum. Similiter autem, & ſi plura dicantur, omnino non differt per plura, aut per pauciora dici.* Vult dicere, quòd nihil aliud eſt definitio, quàm primum genus cum multis differentiis, vel proximum genus, & vna differentia: quia proximum genus, nihil eſt niſi genus remotum cum multis differentiis incluſis: & quilibet modus definiendi includeret nugationem, ſi differentia inferior per ſe includeret ſuperiorem.

*Vide Scot. in 7. Metaphyſ. tract. 43.*

49 Quod ergo addit ibi, quòd hoc ipſe velit dicere, cùm dicit, fiſſio pedis eſt quædam pedalitas; hoc non eſt ad propoſitum, intelligit enim ibi non de prædicatione per ſe primo modo, qualis intelligitur per iſta abſtracta: ſed quòd inferior differentia debet per ſe diuidere ſuperiorem inquantùm huiuſmodi: & hanc diuiſionem per ſe innuit per iſta abſtracta. Et quòd ſic intelligat, patet ex præcedentibus *iſtius* §. *in princ.* dicit enim, quòd oportet diuidere differentiæ differentiam, & ſubdit quomodo intelligit, non dicendo, habentis pedes, aliud alatum, aliud non alatum, ſed aliud habens fiſſos pedes, aliud non fiſſos pedes: hæ namque ſunt differentiæ pedum. Et ſequitur illud, quod allegatur. *Nam * fiſſio pedis eſt quædam pedalitas*, hoc eſt dictu, fiſſio pedis per ſe particulat pedalitatem, & ideò per ſe diuidit habens pedes: non ſic autem alatum.

** Aliàs ſciſſio.*

*Loca Phil. nihil facere ad intentum allegãtis, ſed totũ illud caput ſaluatur cum pluralitate formarum.*

Ex toto ergo illo capitulo, ſi conuenienter per totum exponeretur, ſicut alibi expoſitum eſt, neque habetur, quòd genus nihil eſt per ſe in definitione præter rationem differentiæ: neque quòd differentia vltima ſit definitio tota, vel indicans totam ſubſtantiam rei: neque quòd non eſt per ſe ordo in his, quæ importantur per ſe per differentias ordinatas: neque quòd inferior differentia per ſe includat ſuperiorem: nec breuiter aliquid pro vnitate formæ. Imò verè ſaluatur totum illud caput, ponendo rationem quiditatiuam compoſitam ex conceptu potentiali, & actuali: & actualem eſſe principaliorem cauſam vnitatis, ſicut de ente compoſito dicendum eſſet quantùm ad vnitatem, vt ipſe dicit *in* 8. *lib. cap. vlt.*

## *COMMENTARIVS.*

123 *Ad rationes D. Thomæ. Vnitas entis per ſe.*

a *AD rationes pro prima opinione*, &c. Docet vnius entis vnum eſſe principale: ſed negat inde ſequi, non includere plures formas partiales. Addit formale *eſſe* totius compoſiti eſſe per vnam formam principalem, quà compoſitum eſt hoc: neque eſſe de ratione vnius per ſe non includere plures partes: quamuis ſit verius, & perfectius ens, quàm aliquid ſimplex, licèt non indiuiſibilius.

Ad confirmationem reſpondet, exponendo caput illud de definitione *in 7. Metaphyſ.* & patet ex textu vera expoſitio, & ſententia Philoſophi, ex qua nulla habetur propoſitio ex iis, quæ aſſumit ſententia contraria, iuxta veram intelligentiam Philoſophi: vt quòd neque genus per ſe nihil ſit in definitione præter rationem differentiæ: neque quòd differentia vltima ſit tota definitio, neque quòd inferior differentia per ſe includat ſuperiorem: neque breuiter, inquit Doctor, aliquid quod concludat vnitatem formæ.

## SCHOLIVM.

*Soluit secundam rationem pro vnitate formæ in compoſito adductam num. 26. & explicat varia loca Philoſophi, quæ ſunt axiomata, de differentia motus à generatione.*

Ad [a] ſecundum reſponſum eſt, quia æquiuocatur de ly *ſimpliciter*; & quidem pro primo dare *eſſe*, nec omni, nec ſoli formæ ſubſtantiali conuenit dare *eſſe* ſimpliciter, quin ſi primò aduenirет quantitas materiæ, poſſet dare ſibi *eſſe* formale primum, licèt non primum recedens à *non eſſe*: & forma aliqua ſubſtantialis poteſt aduenire ſecundò, & tertiò. Sed diſtinguendo *eſſe ſimpliciter* contra *ſecundùm quid*, ſicut primum naturaliter contra ſecundum naturaliter, ſic omnis forma ſubſtantialis dat *eſſe* ſimpliciter, & accidentalis non ſimpliciter, ſed ſecundùm *quid*: non ergo quæras, ſi primò, vel ſecundò aduenіat iſta forma alicui, ſed quandocumque aduenіat, talem actum nata eſt tribuere, qualis forma eſt. 50

*Omnis forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter explicatur.*

Sed duæ probationes adductæ *de 5. Phyſic. de generatione, & motu*, videntur habere difficultatem ſpecialem. Ad primam dico, quòd *non eſſe*, accipiendo pro ſubiecto generationis, accipitur ibi priuatiuè, & eſt ſenſus: quod generatur, id eſt, quod ſubiicitur generationi, caret *eſſe* ſimpliciter: quod autem mouetur, hoc eſt, vt ſubiicitur motui, non caret *eſſe* aliquo ſimpliciter.

Quod mouetur eſt, quod generatur nō eſt, *explicatur.*

Et ſi arguas, ergo nullam formam ſubſtantialem habet, quæ dat *eſſe* ſimpliciter, non ſequitur, ſed eſt fallacia conſequentis: poteſt enim habere aliquod *eſſe* ſimpliciter iſto modo per vnam formam ſubſtantialem: & tamen carere *eſſe* ſimpliciter, quod nata eſt alia forma ſubſtantialis dare.

Aliud verò argumentum de *eſſe* in loco, requirit (vt videtur) aliam difficultatem: tamen de motu locali, & alterationis poteſt faciliter reſponderi per idem, quòd omne mobile alteratione, vel latione per aliquam formam præſuppoſitam illi motui, eſt in loco: quia quantitas præcedit neceſſariò vtrumque iſtorum motuum: quod autem generatur, hoc eſt, ſubiicitur generationi, neque per illud per quod ſubiicitur generationi, neque per formam aliquam, quam habet per generationem per ſe eſt in loco: quia etſi ſubiectum generationis actu eſſet habens formam ſubſtantialem, & etiam habens quantitatem aliquam, quæ eſt ratio locandi, tamen non habet quantitatem, vt eſt ſubiectum generationis: quia quantitas non eſt ratio recipiendi terminum iſtius mutationis: & ita vniuerſaliter ſubiectum generationis, vt eſt per ſe ſubiectum, non includit aliquid, quod ſit per ſe ratio eſſendi in loco: quia non eſt niſi tantùm ſubſtantia, licèt eam concomitetur quantitas, ſed illa non eſt per ſe aliquid eius inquantùm ſubiicitur generationi.

Quod mouetur eſt in loco, quod generatur, non, *explicatur.*

Sed ſi quæras quomodo illud, quod mouetur motu augmentationis, eſt in loco? Licèt iſta dubitatio non ſit neceſſaria ad propoſitum, tamen reſpondeo, quòd ſecundùm aliquos, quantitas vel quantùm præſupponitur in motu augmentationis, & diminutionis: terminus autem quantitatis talis, vel talis terminat motum hunc, & illum. 51

*Ægidius Theor. 1.*

Sed contra hoc: nulla quantitas omnino eadem manet in toto motu, & ſub vtroque termino: ſubiectum autem manet idem: ergo quantum non eſt ſubiectum iſtius motus. Et præterea iſta terminatio cuius generis eſt per ſe ſpecies? ſi generis Quantitatis, quantitas eſt: ſi non motus ille non erit per ſe ad quantitatem.

Dico ergo, quòd ſicut ſubiectum alterabile licèt in tota alteratione ſit ſub qualitate: tamen non eſt propriè dicendum, quòd quale ſit ſubiectum alterationis: quia illa qualitas accidit illi, quod eſt ſubiectum alterationis: ita augmentabile, licèt ſemper dum augmentatur, ſit quantum; tamen ex quo variatur ſecundùm quantitatem, ſicut alterabile ſecundùm qualitatem, quantitas non eſt ratio, nec per ſe conditio ſubiecti augmentationis.

Quid ergo eſt ſubiectum augmentationis? Dico quòd ſicut ſubiectum per ſe alterationis eſt ens in actu ſecundùm formas priores qualitate, non tamen ens in actu ſecundùm qualitatem, ita per ſe ſubiectum augmentationis eſt aliquod ens in actu ſecundùm aliquam formam priorem quantitate: non autem per ſe eſt ens in actu ſecundùm quantitatem: forma autem prior non eſt niſi ſubſtantialis: ergo per ſe ſubiectum augmentationis, & diminutionis non eſt niſi ſubſtantia tantùm.

*Quod ſit ſubiectū augmentationis, & diminutionis.*

Quomodo ergo ſubiectum, quod ibi mouetur, eſt in loco? Reſpondeo vniuerſaliter, cuiuſcumque motus ſubiectum eſt in loco, vel per formam priùs acquiſitam in mobili, quod mouetur tali motu: vel per ipſam formam ſecundùmquam mobile fluit, vel mo-

uetur:& primum membrum verum eſt de alterato,& lato:ſecundum membrum verum eſt de augmentato & diminuto: ſed quod ſubiicitur generationi, neutro modo eſt in loco, nec enim præſupponitur iſti mutationi in ſubiecto aliquid quod ſit ratio locandi: nec illud ſecundùm quod ſubiectum fluit, eſt ratio locandi.

## COMMENTARIVS.

124 a AD *ſecundum reſponſum eſt*,&c. Patet ex reſponſione ad ſecundam principalem Henrici, quòd ly *ſimpliciter* ſumitur æquiuocè: ſumendo ly *ſimpliciter* pro *eſſe* ſubſtantiali,illud dare conuenit formæ ſubſtantiali,ſiue primò venerit,ſiue ſecundò:nam ſi quantitas, vt quidam volunt, adueniat primò materiæ, dat ipſi *eſſe* primum formale, ſed non ſimpliciter,ſed accidentarium, & ſecundùm *quid*.

*Forma ſubſtantialis dat eſſe ſimpliciter.*

Secundò dicit quòd *non eſſe*, vt dicitur ſubiectum generationis, intelligitur priuatiuè, quia caret forma ſubſtantiali, & intelligitur de generatione reſpectiuè ad alios motus, qui ſunt de ſubiecto in ſubiectum, id eſt, ſupponunt ſubiectum completum in *eſſe ſimpliciter*, ad quod ordinatur: ſubiectum ergo generationis caret *eſſe ſimpliciter*, ad quod ordinatur ipſa generatio; quamuis autem præſupponat generatio viuentis formas partiales, conſtitutum per ipſas eſt in potentia ad *eſſe ſimpliciter* viuentis.

*Terminus à quo generationis.*

125 Ad illud quod dicitur, id quod mouetur eſſe in loco,quod generatur non eſſe in loco.Reſpondet in ſpecie de motibus primò quòd ſubiectum alterationis,& lationis ſit in loco per quantitatem, quæ præſupponitur vtrique formæ,quæ acquiritur: ſubiectum autem generationis, etſi habeat quandoque quantitatem,ſecundùm quam eſt in loco, illa quantitas ſe habet concomitanter, & non per ſe ad generationem & terminum eius.

*Quomodo ſubiectus motus ſit in loco.*

Ratio prioris eſt, quia tam alteratio, quàm qualitas acquiſita dependet à quantitate, vt ſubiecto *quo*; latio verò, & *vbi*, quod eſt eius terminus, eſt ſecundùm quantitatem ſubiecti, tanquam ſubiecto, & cauſa, ſeu fundamento. Ratio poſterioris per oppoſitum huius eſt; quia generatio, & terminus eius non dependent à quantitate: neque quantitas eſt ratio recipiendi alterutrum;ſed ipſa ſubſtantia, vt prior eſt quantitate.

*Eſſe in loco per ſe,aut cõcomitanter.*

De ſubiecto motus augmentationis, reiecta 126
ſententia Ægidij, dicit reſolutiuè, quòd ſubiectum quantitatis, & augmentationis non ſit aliquod quantum, ſed ſubiectum conſtitutum in actu per aliquid prius quantitate,nempe per formam ſubſtantialem; hoc autem, licèt non ſit in loco per formam præſuppoſitam motui; eſt tamen in ſubiecto per ipſam formam fluentem: non ita ſubiectum generationis, quia neque per formam fluentem, neque per formam præſuppoſitam per ſe eſt in loco. Dices, agens materiale præſupponit ſubiectum quantum, in quod agat ex ratione ſua: ergo generatio, vt procedit ab ipſo,præſupponit eſſe in loco. Reſpondetur omnes teneri ad hoc reſpondere, vt ſaluent authoritatem Philoſophi. Dico ergo, quòd ex conditione agentis id exigitur tanquam conditio extrinſeca, non ex dependentia actionis, aut termini, quæ reſpiciunt ſubiectum, vt eſt prius quantitate.

*Eſſe in loco per formam fluentem.*

## SCHOLIVM.

*Soluit tertiam rationem poſitam num.27.pro vnitate formæ in compoſito,& dat optimam doctrinam de prædicatione vnius extremi de altero, quando ſumuntur à diuerſis formis.*

52 Ad a tertium de prædicatione, dico quòd primâ facie non videtur, niſi quòd prædicatum acceptum à forma poſteriori non dicatur per ſe de eo, quod accipitur à forma priori: ſicut hæc non eſt per ſe, homo eſt albus, vel ſuperficies eſt colorata: & per hoc non poteſt plus haberi, niſi quòd hæc non eſt per ſe, animal eſt homo.

*Prædicatum acceptum à forma poſteriori, nõ dicitur per ſe de ſubiecto accepto à forma priori.*

Et ſi obiicias, quòd etiam nec è conuerſo; hæc enim non eſt per ſe, coloratum eſt ſuperficiatum. Reſpondeo, quod præcisè accipitur à forma priori, & quod præcisè accipitur à forma poſteriori, ſic ſe habent, quòd neutrum per ſe includitur in altero: ideò non eſt prædicatio per ſe, ſicut nec è conuerſo: ponendo autem genus accipi à forma priori, & differentiam à forma poſteriori, concludendum eſt, quòd nec genus per ſe prædicabitur de differentia, nec è conuerſo, quod concedo: ſed non ſequitur, quòd genus non prædicetur per ſe de ſpecie, quia ſpecies etſi importat differentiam vltimam, tanquam principalem in ratione ſua: non tamen præcisè importat illud, ſed cum hoc rationem generis, tanquam de per ſe conceptu eius.

53 Et ſi vlteriùs obiicias, quòd nec iſta eſt per ſe: ſuperficiatum coloratum eſt ſuperficiatum, vbi tamen non accipitur præcisè intellectus prioris,& poſterioris,vt diſtinguuntur contra ſe: ſed vt intellectus poſterioris includit prius, comparando ad intellectum prioris ſecundùm ſe. Reſpondeo, hoc ſi verum eſt, hoc ideò eſt, quia ſubiectum iſtud ſuperficiatum coloratum non habet conceptum vnum per ſe: & quod in ſe non eſt per ſe vnum, non videtur eſſe alicui per ſe vnum: non ſic autem ex alia parte, quia conceptus prioris, & poſterioris faciunt conceptum per ſe vnum.

Et ſi quæras, quare magis hîc quàm ibi? Reſpondeo, ſicut quærere quare ex actu, &

potentia

potent ia fit vnum, nulla eſt quæſtio, *ex 8. Metaphyſicæ, cap. vltim.* nam nulla eſt ratio, niſi quia hoc eſt per ſe actus, & illud per ſe potentia: ita quare ex iſto actu, & iſta potentia fit per ſe vnum, ſiue in rebus, ſiue in conceptibus; non eſt alia cauſa, niſi quia hoc eſt potentiale reſpectu illius, & illud actuale: & huius vlteriùs nulla eſt ratio, niſi quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud: & eodem modo de vno per accidens, quia hoc eſt hoc, & illud eſt illud, ideò hoc eſt actus per accidens, & illud potentia per accidens: & ideò ex hoc, & illo fit vnum per accidens: immediator enim eſt iſta, calor conſtituit calidum, & humanitas hominem; & per conſequens calor ens per accidens conſtituit, & humanitas ens per ſe; quàm iſta calidum calefacit: & tamen ſecunda eſt immediata, cuius quærere medium eſt indiſciplinati, 4. *Metaphyſ.*

*Nō eſt quærenda ratio quare ex potentia per ſe, & actu per ſe, fiat vnum per ſe.* *Text. 9. & 26. idem 3. Metaphyſ. Text. 4.*

## COMMENTARIVS.

127 *Reſponſio ad tertium.*

a *AD tertium de prædicatione dico,* &c. Tertium fuit, quòd prædicatum ſumptum à diuerſa forma, non ſubordinata, ſit prædicatum per accidens; ſi eſt ſubordinata, eſt tantùm prædicatum ſecundo modo. Reſpondet reſolutiuè, quòd prædicatum ſumptum à forma priori non dicatur de eo, quod ſumitur à forma poſteriori, ſi vtrum que ſumatur præcisè: præcisè autem ſumi, eſt ſumi prædicatum in ea acceptione, vt nihil aliud importet niſi formam, à qua ſumitur: ſic ergo neque genus de differentia; neque differentia ſuperior de inferiori per ſe dicitur; neque econtrà, quia neutrum includitur in altero, quod requiritur ad prædicationem per ſe primo modo: tamen vtrumque per ſe dicitur de toto.

*Quomodo prædicata de ſe inuicē dicantur.* *Sumi præcisè quid ſit?* *Quare genus de differentia non prædicetur?*

Ad propoſitum prædicata in viuente ſumpta à diuerſis formis, per ſe dicuntur de toto; quamuis non de ſe inuicem immediatè: ex modo autem ſignificandi poſſunt de ſe inuicē dici, quà important totum, aut ſe mutuò connotant in concreto.

Addit *ſuperficiatum eſt coloratum:* non eſſe propoſitionem per ſe, per hanc maximam; quod eſt ens per accidens vnum, non poteſt eſſe alicui per ſe vnum. Contrà, quia partes heterogeneæ corporis organici non ſunt per ſe vnum, dato quòd forma corporeitatis non ſit vna ſimplex forma; tamen corpus ex his conſtans facit vnum per ſe: videtur ergo ſufficere, quòd actus vnus aduenial pluribus ordinatis per modum vnius ſubiecti: & ex eis fiat vnum per ſe, quamuis ordo inter hæc non faciat, niſi vnum per accidens. Reſpondetur vnitatem totius integralis eſſe vnitatem per ſe, aliàs quantitas non eſſet ens prædicamentale: cùm ſit totum integrale, cuius partes copulantur termino communi: negatur ergo aſſumptum: eſt enim ordo per ſe inter partes corporis organici; licèt quælibet per propriam formam conſtituatur, per ſe tamen ordinatur ad totum, & compartes.

*Obiectio.* *Reſponſio.*

## SCHOLIVM.

*Ad quartum argumentum poſitum num. 27. pro vnitate formæ, oſtendit neceſſitatem ponendi plures formas in corporibus animatis. Primò, manet forma corporis pereunte anima. Secundò, triduo mortis Chriſti, manſit forma corporis ſine anima, & ſic manſiſſet in Euchariſtia ſi fuiſſet ſeruata illo triduo. Reſoluit formam corporeitatis formaliter conſtituere terminum conuerſionis, de quo ſuprà diſt. 10. quæſt. 4. ad hæc miras excogitant Thomiſtæ ſolutiones, ſed rationes Scoti videntur inſolubiles.*

Ad [a] quartum dico, quòd habet euidentiam bonam contra ſecundam opinionem improbatam: fruſtrà enim poneretur corporeitas alia ab intellectiua, ſi ipſa includat vegetatiuam, & ſenſitiuam: & ſenſitiua & vegetatiua includant corporeitatem: ſed ſecundùm aliam viam eſt facilis reſponſio. Hìc enim eſt neceſſitas ponendi plura. Et quæ? illa certè, quæ eſt ratio vniuerſaliter diſtinguendi hoc ab illo, ſcilicet contradictio, quæ eſt immediata ratio diſtinguendi plura ſub ente; vtpote ſi hoc, & illud recipiant contradictionem in eſſendo, quia ſi hoc eſt, & illud non eſt, non ſunt idem ens in eſſendo. 54

*Neceſſitas ponēdi plures formas in animatis.*

Sic in propoſito formâ animæ non manente, corpus manet; & ideò vniuerſaliter in quolibet animato, neceſſe eſt ponere illam formam, quâ corpus eſt corpus, aliam ab illa, quâ eſt animatum: non autem loquor de illa, quæ eſt corpus, hoc eſt indiuiduum corporis, quod eſt genus: nam quodcumque indiuiduum ſuâ formâ taliter eſt corpus, vt corpus eſt genus, & habens corporeitatem: ſed loquor de corpore, vt eſt altera pars compoſiti. Per hoc enim non eſt indiuiduum, nec ſpecies in genere corporis, nec in genere ſubſtantiæ, quod eſt ſuperius: ſed tantummodò per reductionem. Vnde corpus, quod eſt altera pars manens quidem in *eſſe* ſuo proprio ſine anima, habet per conſequens formam, quâ eſt corpus iſto modo, & non habet animam: & ita illa forma neceſſariò eſt alia ab anima: ſed non eſt aliquod indiuiduum ſub genere corporis, niſi tantùm per reductionem, vt pars: ſicut nec anima ſeparata eſt per ſe inferius ad ſubſtantiam, ſed tantùm per reductionem.

*Manet forma corporis ſine anima.* *Corpus ſumitur pro genere, & pro altera parte compoſiti.*

55 *Diſpoſitiones requiriũtur ad animã in gradu perfectiori, quam ad formã corporis, ideò hæc manet ſine illa.*

Contra hoc, diſpoſitio neceſſaria, vel neceſſitans non manet abſque illo, ad quod diſponit neceſſariò: ſed forma miſtionis eſt diſpoſitio neceſſaria ad animam: ergo, &c. Et confirmatur ſpecialiter in propoſito, quia intellectiua, cùm ſit immortalis, non neceſſariò ſeparatur à materia, niſi quia aliqua forma ſubſtantialis, quam requirit vt diſpoſitionem neceſſariam, ſeparatur; ipſa enim ſecundùm ſe non habet in materia aliquid ſibi repugnans: ſed illà neceſſariò requiſita non poteſt poni, niſi forma miſtionis: ergo intellectiua ſine illa non poteſt eſſe, nec ſeparatur illa ſtante.

Reſpondeo, aliquæ qualitates conſequuntur formam miſtionis, & in aliquo gradu ſunt neceſſariæ ad hoc, vt intellectiua maneat: quia quicquid eſt neceſſarium ad diſpoſitionem, eſt etiam neceſſarium ad formam, ad quam diſponit: ſed benè poſſunt qualitates eſſe neceſſariæ ſimpliciter ad intellectiuam, vt informantem, & hoc in gradu perfectiori, quàm neceſſariò requiratur ad formam miſti: poſſibile enim eſt formam perfectiorem requirere illud, quod imperfectior requirit, & non tantùm ſecundùm gradum æqualem, ſed ſecundùm gradum perfectiorem. Corruptis ergo illis diſpoſitionibus in gradu illo, in quo neceſſariò requiruntur ad intellectiuam, non manet intellectiua: & tamen illa alia forma diſponens ad eam poteſt manere: quia non ſunt corruptæ ſecundùm gradum neceſſarium ad illam formam: ſed illa alia etiam non manet in *eſſe* perfecto, & quieto: quia qualitates conſequentes eam ſunt corruptæ ſecundùm gradum, ſecundùm quem conſequuntur eam in *eſſe* perfecto, & quieto. Et ideò nullum corpus animabile habet ſimpliciter *eſſe* perfectum, & quietum, recedente animâ: imò ſtatim eſt in continua tendentia ad reſolutionem ſui in elementa.

*Nullũ corpus animabile habet perfectũ eſſe, ſine anima.*

56 *Formã corporis non eſſe diſpoſitionem neceſſitantem ad animam.*

Ad formam ergo argumenti dico, quòd illa forma non eſt diſpoſitio neceſſaria, vel neceſſitans ad intellectiuam: & licèt ſtatim ſequatur eam intellectiua in generatione, hoc non eſt propter neceſſitatem inter eas, ſed quia agens ſuperius habet paſſum proportionatum compoſitum, quia ex materia, & forma miſtionis: & quando habet paſſum proportionatum compoſitum, ſtatim inducit in illud illam formam, cuius eſt capax.

*Omnis forma ſubſtantialis habet qualitates comitantes, ſine quibus non informat.*

Et quod etiam additur in confirmatione, quòd anima intellectiua non habet in materia repugnantiam. Dico quòd nulla eſt forma ſubſtantialis informans materiam, quin illam conſequantur, vel ipſa requirat qualitates conſequentes, & in certo gradu: in quo ſi non maneant, nec forma illa informabit materiam: licèt ergo intellectiua non habeat propriam repugnantiam ad aliquam formam naturalem: tamen informando materiam, requirit qualitates aliquas, & in gradu aliquo perfecto, in quo ſi non maneant, ipſa non informabit materiam; illæ autem ſunt qualitates conſequentes formam priorem: ſed non neceſſariò requiſitæ ad *eſſe* formæ prioris in tanto gradu, in quanto requiruntur ad *eſſe* intellectiuæ in materia.

*Exemplum.*

Iſtud patet in exemplo, quia ad animationem ab intellectiua requiruntur cor, & hepar determinatè calida, cerebrum determinatè frigidum, & ſic de ſingulis partibus organicis: tali autem diſpoſitione ceſſante, poteſt adhuc manere qualitas aliqua, quæ ſtat cum forma miſti; licèt non illa, quæ requiritur ad *eſſe*, & operationem intellectiuæ in materia.

57 *Reſolutio Doctoris.*

Quantùm [b] ergo ad iſtud dubium ſecundum huius ſecundi articuli. Dico quòd corpus Chriſti per ſe includit materiam, & ad minùs formam vnam miſti priorem intellectiua: & per iſtam formam eſt in actu partiali, & eſt proximum receptiuum animæ intellectiuæ, licèt non ſit per illam in genere corporis, vt corpus eſt genus, niſi per reductionem: & in iſtud compoſitum, quod tamen per ſe eſt pars hominis, fit per ſe conuerſio panis: quia totius in totum, & partium in partes: & per conſequens, hæc forma eſt formalis terminus conuerſionis, ſiue forma termini conuerſionis.

*Si fuiſſet Euchariſtia in triduo mortis Chriſti, eſſet ibi forma corporis, ſine anima.*

Hæc autem manet eadem, ſiue anima vniatur illi, ſiue non vniatur: quia hæc prior eſt naturaliter ſaltem in informando ipſâ animâ, & in triduo manſit, animâ non manente ibi: & in triduo fuiſſet eadem res huius Sacramenti, ſi Sacramentum tunc manſiſſet: quia in illo triduo forma corporeitatis non fuit ſeparata à materia ſua in Chriſto; & per conſequens nec ſeparata à materia ſua, vt in Euchariſtia. Sicut enim idem numero fuit res iſta ſecundùm ſe in exiſtentia naturali; ita etiam idem compoſitum numero, quod eſt terminus conuerſionis primus, manſiſſet ſemper in Euchariſtia. Nec valet in iſta identitate ſaluanda fugere ad identitatem materiæ, ſeu hypoſtaſis: quia contraria poſſunt ineſſe eidem identitate materiæ, quando ſuccedunt ſibi inuicem: & ſi etiam Verbum aſſumpſiſſet lapidem, fuiſſet lapis idem naturæ humanæ identitate hypoſtaſis.

COMMEN

## COMMENTARIVS.

128 *Ad 4.* a *Ad quartum dico*, &c. Hoc fuit, quòd non debeat poni pluralitas sine necessitate: hîc tollitur illa necessitas, quia forma perfectior includit virtualiter imperfectiorem, &c. Respondet, argumentum esse contra Henricum, qui admittit probationem, vel admittere debet, vt probauit Doctor, ex sequela opinandi.

*Prima resp.* Respondet ergo Doctor, esse necessitatem ex vniuersali principio distinguendi vnum ab alio, per contradictionem immediatam: manet enim corpus separatâ animâ viuentis: effectus autem formalis formæ non manet desinente ipsâ formâ.

*Principium colligendi distinctionem.*

*Secunda resp.* Dicit secundò, corpus quod est altera pars viuentis, non est species subalterna posita in linea prædicamentali, neque individuum eius: sed reductiuè se habet sicut aliæ partes physicæ. Dicit tertiò, quòd alia sit dispositio ad animam, alia ad formam mixtionis, & hæc possit manere desinente illa, quamuis non in *esse* quieto, sed tendente statim ad corruptionem.

*Tertia resp.*

*Corpus cur separatâ animâ tendit ad corruptionẽ.* Ratio huius est, quia forma corporis non est actiua, neque habet sufficientem resistentiam ex se ad actionem extrinseci corrumpentis: hæc enim resistentia fit virtute caloris naturalis fouentis naturam corporis, & per nutritionem restaurantis eandem, quæ alioquin ab intrinseco, & extrinseco subest pluribus causis corruptiuis, quibus neque ipsa anima, dum adest, resistit aliter, quàm per expulsionem noxij, & restaurationem deperditi. Vnde sicut conseruatur primò forma mixtionis per coniunctionem ad causam generatiuam, nempe ad matrem quæ nutrit, & subministrat alimentum, ante animationem, ita post animationem virtute vegetatiuæ abstrahit alimentum, & conuertit in substantiam propriam: desinente ergo vtraque causa, ideò tendit ad corruptionem: quod & de forma cadaueris dicunt ipsi aduersarij.

129 *Confirmatio conclusionis.* Sed ex hoc ipso deducitur non leue argumentum probandi non esse in cadauere formam nouam substantialem: quia quæcunque causa est nata inducere illam formam, & agendo præualet aliis causis naturalibus, quarum quælibet agit ad productionem propriæ formæ, & assimilandum sibi passum: eadem ipsa causa est coniuncta, & ex virtute propria eandem formam potest conseruare, per eandem enim conseruari posset, per quam inducitur, sicut in prima inductione formæ mixtionis etiam conseruatur à causa eam inducente, siue sit mater, siue alia: neque natura intendit aliquam formam, & compositum simpliciter per accidens, & transeunter, quia sic non facit ad perfectionem naturæ in *esse* entis, aut ad ordinem vniuersi: ergo si in natura esset causa sufficiens productiua talis formæ; ita etiam & conseruatiua, si talis daretur. Contrarium autem constat experientiâ, & ad sensum, illam formam non conseruari, sed tendere ad corruptionem: ergo non est forma de nouo producta, sed antiqua, quæ tendit in corruptionem, separatâ causâ eius productiuâ, & conseruatiuâ.

*Si in corpore esset noua forma, posset conseruari.*

*Ex fine naturæ.*

130 b *Quantùm ergo ad istud dubium*, &c. Hîc tandem Doctor resoluit hanc secundam partem articuli secundi de termino *ad quem*, qui ponitur sub speciebus, & de eius constitutiuo formali, nempe esse corpus Christi constitutum per formam vnam mixtionis saltem, & illud esse proximum receptiuum animæ, &c. Hinc patet Doctorem neque asserere determinatè formam corporeitatis esse vnam simplicem, neque determinatè esse plures illas partiales: vtrumque dici posse probabiliter insinuat: dato quòd sit vna simplex, erit heterogenea, sicut aduersarij docere debent de sua forma cadaueris, & sicut nonnulli de anima bruti & plantæ: hoc dato, non sunt fortè necessariæ aliæ formæ partiales: quia licèt os & caro maneant seorsim à corpore, potest dici in iis remanere formæ partem, quâ constituuntur, sicut in cadauere idem diceretur ab aliis, & in animalibus sectilibus maneat anima secundùm vtramque partem. Si dicantur esse formæ partiales, dicunt in suis constitutis ordinem ad inuicem, vt partes integrales ad totum.

*An forma corporeitatis sit simplex?*

Breuiter quacumque viâ saluarent aduersarij vnitatem tam cadaueris, quàm formæ eius per se, sic etiam saluatur in proposito.

131 *Excluditur responsio aliquorum ad Patres.* Tandem in fine excludit responsiones quorundam ad authoritates Patrum, in prima parte articuli citatas, saluando identitatem corporis Christi, vel per identitatem materiæ, vel suppositi: quam meritò dicit Bassolis non facere ad intentum Patrum, & superiùs probatum est per eam non impugnari hæreses, quas Patres impugnabant, & dicebant corpus Christi fuisse corruptum, & mutatum, seu conuersum in aliud, neque proprietas loquendi Theologica, aut Philosophica: quia licèt materia eadem maneat in genito & corrupto; nemo dicit quòd ignis, verbi gratiâ, sit lignum, iuxta Philosophos: & si Deus poneret materiam Christi sub forma, verbi gratiâ, pomi, in Eucharistia, nemo diceret verè, *Hoc est corpus Christi*: ergo idem dicendum esset in triduo, si tantùm poneretur materia corporis Christi sub forma cadaueris, quia terminus *ad quem* huius conuersionis non est materia, sed corpus vt importat primariò suum formale constitutiuum, quod nulla veritate rei, aut appellationis potest dici de cadauere. Deinde recursus ad vnitatem suppositi nihil iuuat, quia si assumeretur lapis, haberet hanc vnitatem, eandem retinuit anima, & secundùm plures sanguis separatus.

Tamen si anima esset sub speciebus panis, aut sanguis seorsim à corpore, non esset vera hæc, designando alterutram: *Hoc est corpus Christi*: ergo minùs verificari posset de constituto ex forma cadaueris per identitatem suppositi. Neque authoritates Philosophi, quæ habent veram interpretationem alias, tanti æstimandæ sunt, vt iis in sensu non vero saluandis, inducamus difficultatem in fidei mysteriis. Quin etiam si expressè diceret contrarium, magis sequenda esset in hoc sententia medicorum ratio ipsa, & sensus, quàm eius authoritas: prout olim secutæ sunt celeberrimæ Academiæ Parisiensis, & Oxoniensis. Ex his deinceps Doctor respondet ad argumenta posita ad initium huius quæstionis.

## SCHOLIVM.

*Soluit clarè, & ſubtiliter argumenta poſita in initio, confirmans quæ docuit authoritate Auguſt. quoad conuerſionem panis in corpus Chriſti.*

58 Ad [a] argumenta: ad primum, ſicut panis dicitur collectus ex granis, ita ſpe-
*Ad arg. 1.* cies remanentes dicuntur collectæ, quia ſunt aliquid ipſius collecti: & ita exponit Auguſtinus.

*Ad 2.* Ad ſecundum, non intelligit, quòd veſcamur ibi pane remanente, ſicut conſueuimus vti: ſed eo quòd quantùm ad vſum actum eundem habet, quem habet panis:
*Species eodē modo nutriunt, quo panis,* illæ autem ſpecies eodem modo nutriunt, quo illa, quorum ſpecies ſunt. Debet ergo intelligi ſua ſimilitudo, quoad hoc, quòd aliquibus eodem modo ſe habentibus, quoad vſum noſtrum, ſicut pane, & vino vtimur, ſeu paſcimur in Euchariſtia: ſicut vtimur aqua in Baptiſmo: ſed non quoad hoc, quòd ſicut remanet aqua, ita ibi maneat ſubſtantia panis. Expreſsè enim vult oppoſitum in eodem cap. ſtatim pòſt. *Ipſe panis, & vinum tranſit*, ait, *in corpus & ſanguinem Dei. Si autem modum inquiras, ſufficiat tibi audire, quoniam per Spiritum ſanctum fit.* Et paulò pòſt, *Panis, & vinum, & aqua, & per inuocationem, & ſuper aduentum Spiritus ſancti ſupernaturaliter tranſſubſtantiantur in corpus Chriſti, & ſanguinem.*

*Ad 3.* Ad tertium dico, quòd ſpecies panis, & vini, ita repræſentant corpus Chriſti verum,
*Species panis, & vini quomodo repræſentant corpus Chriſti verum, & myſticum?* & myſticum, ſicut panis: quia ita oſtendunt in ſe multa grana, quantùm ad illud, ſecundùm quod grana habent rationem ſenſibilitatis, ſcilicet ratione accidentium.

Ad aliud patet ex ſecundo articulo ſolutionis quæſtionis: hîc enim eſt tranſſubſtantiatio, non quà terminus accipit *eſſe* ſimpliciter: ſed quà accipit *eſſe* hîc.

*Ad 5.* Ad vltimum patet, quòd primus terminus iſtius conuerſionis, nec eſt materia ſola, nec materia ſub quantitate: quia tunc non eſſet tranſſubſtantiatio, ſed tranſquantitatio: nec materia ſub modo quantitatiuo, nec compoſitum ex materia, & anima intellectiua: ſed compoſitum ex materia, & forma quadam priori intellectiua, quæ manſit eadem realiter cum Chriſto viuo, & in corpore mortuo, & quæ manſit, tanquam formale rei primò contentæ ſub Euchariſtia ſemper, ex quo fuit Euchariſtia inſtituta, ideò non valet.

## COMMENTARIVS.

132 a *Ad argumenta*, &c. Reſponſio ad primum, & tertium inſinuant illud, quod *ſupra* diſſeruimus contra modernos de forma accidentali panis, vt denotat mixtionem, & iuxtapoſitionem granorum, ſeu collectionem ex illis, & vltra hoc decoctionem eius, vt diſtinguitur à paſta: hæc eſt forma, quæ manet deſinente ſubſtantiâ panis, & dicit quid accidentale.

In reſponſione ad vltimum argumentum recolligit breuiter dicta ſuperiùs *in 2. parte huius articuli*; aſſerens, quòd primus terminus illius conuerſionis, nec eſt materia ſola, nec materia ſola cum quantitate, nec materia ſub modo quantitatiuo, nec compoſitum ex materia & anima intellectiua: ſed compoſitum ex materia & forma quadam priori anima intellectiua.

Ex quo patet vera interpretatio ſententiæ eius *in 1. parte huius articuli*, §. *Quantùm ad iſtum articulum*, &c. circa dubium quod ibidem mouet. Vnde *in reſſponſ. ad 4.* dicit, corpus Chriſti non accipere *eſſe* ſimpliciter per hanc conuerſionem, quâ connotat actionem productiuam: *ſed eſſe hîc*: non quòd præſentia ſit terminus *ad quem* conuerſionis, vt *in reſſponſ. ad vlt.* patet, ſed corpus Chriſti: præſentia verò ſit terminus formalis conuerſionis, quâ præcisè connotat adductionem, & diſtinguitur à conuerſione, prout productiua eſſet termini in *eſſe* ſimpliciter.

133 Ex hac reſponſione ad vltimum, atque ex dictis in tota quæſtione ſequitur quantitatem non eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus, quia conuerſio reſpicit ſubſtantiam, vt terminum *ad quem*: & corpus Chriſti, vt eſt ſubſtantia ex Tridentino, aliiſque Conciliis, & Theologis communiter, eſt terminus huius conuerſionis, quæcunque ſit illa forma, per quam corpus conſtituitur, vel quidquid nomine ipſius corporis interpretamur, vt eſt ſubſtantia.
*Nec quantitatē, nec qualitates eſſe ex vi verborum, in Sacramēto.*

Reiicitur ergo ſententia Vaſquez *diſp. 186. c. 4.* aſſerit enim quantitatem corporis Chriſti eſſe ex vi verborum ſub ſpeciebus, non autem quantitatem hanc, vel illam in ſingulari: putat enim primum ſignificatum verborum, ſeu formæ eſſe corpus conſtitutum per formam cadaueris, aut certè per animam; & ſic quantitatem, quæ requiritur ad corpus organicum, eſſe ex vi verborum, non autem hanc in ſingulari, quæ ſequitur ad animam particulariter, aut ad formam cadaueris: patet enim ad corpus organicum, eiúſque conſtitutionem requiri quantitatem, vt habeat partes diuerſæ rationis. Idem de aliis accidentibus aſſerit, nempe iis, quæ requiruntur ad organizationem.
*Sententia Vaſquez impugnatur.*

Hæc ratio ſupponit falſum, nempe ad organizationem ſubſtantialem requiri quantitatem, vt formam conſtitutiuam: ſicut neque in vniuerſum compoſitum ſubſtantiale, quà tale eſt, & ſignificatur nomine proprio, importat ſua accidentia, quia ſignificatur, vt eſt prior exiſtentiâ perfectione, & cauſalitate, & definitioue, & diſtinguitur ab accidentibus.
134 *Ad eſſe ſubſtantiæ nō requiritur accidens.*

Et

*Compositum definitur per suas partes per se tãtùm.*

Et inauditum est in Philosophia definitum substantiale,vt importatur proprio nomine, non definiri secundùm totum, quod in sua entitate per se includit,& non definiri per suas partes totum:abstrahit autem ab accidentibus, quia sic est subiectum scientiæ, & in demonstratione constituit diuersum terminum à propria passione,quam non importat,vt significatur per nomen, & definitionem : ergo à fortiori abstrahit ab accidentibus communibus,vel ergo dicat Vasquez nomen *corpus* non significare substantiam,aut aliquid per se vnum,sed compositum accidentale.

Hoc autem si dicatur, æquè primò importat formam,& subiectum, & conuersio æquè primò erit in quantitatem, & cætera accidentia, quàm in substantiam:vel si dicat importare substantiam compositam per se ex actu & potentia;& sic nullo modo ingreditur quantitas rationem constituti, vel esse dicas compositum ex partibus integrantibus, & sic etiam quantitas non spectat ad compositionem substantialem, & entitatiuam corporis.Præterea,corpus substantiale per se primò respicit suam formam : per quam perficitur, per accidens verò accidentia : si ergo anima intellectiua non est ex vi verborum sub speciebus, sed concomitanter, à fortiori quantitas ex vi verborum non erit sub speciebus, neque vllum accidens.

*Anima per se nõ inest ex vi verborũ, minùs ergo accidẽs inest.*

*Tertia ratio.*

Accedit tertiò, quòd si vlla quantitas ex vi verborum statuenda esset sub speciebus, quòd illa statuenda esset,quæ esset constituens hîc, & nunc ipsum significatum:ergo sola singularis, vel certè æquè singularis, quia ly *hoc* denotat aliquod singulare,& non aliquid indifferens.

Quartò seruari debet secundùm proportionem proprietas conuersionis, vt est inter terminos suos,quia sic dicitur à Tridentino *conuersio totius substantiæ panis in substantiam corporis*,&c. Sed ex parte termini *à quo* non importatur quantitas, aut vllum accidens panis : ergo etiam neque ex parte termini *ad quem* conuersionis importatur quantitas,sed corpus Christi præsens, vt est terminus conuersionis, est significatum per se verborum : ergo solùm significatur eius substantia. Dices denotari terminum *ad quem*, vt primarium, subintelligi cætera,quæ insunt. Contrà, aliud est inesse cætera ex connexione naturali, vt dicit Concilium,aliud verò ex vi verborum, quod affirmat de solo corpore. 135

*Quarta ratio.*

*Termini in esse substãtiæ conuertũtur.*

*Terminus à quo in esse substantiæ terminat.*

Probatur ergo solutionem nullam esse,quia cætera non faciunt ad corpus, quà substantia est, & in *esse* substantiæ, imò accidentaliter se habent: sed panis non conuertitur in corpus,nisi quà substantia est,quia vterque terminus,& totum,quod est conuersionis, importatur per nomen *transsubstantiationis*, quod proprium est ex Concilio, & propriè dictum : sed transsubstantiatio nihil importat substantias in *esse* substantiæ, sibi inuicem succedentes : ergo vel non esset propriè dictum nomen, vel solus terminus conuersionis est substantia.

*Conuersio est in substãtiam præciè.*

Neque vnquam dictum est à Patribus panem conuerti in quantitatem Christi primariò, aut secundariò:vnde patet quantitatẽ non esse hîc ex vi verborum;alioquin etiã quidquid pertinet ad perfectionem corporis dicetur esse ex vi verborum; imò & suppositum ipsum,cùm tamen concomitãter hæc omnia insint ex cõmuni, & ex Concilio.

---

## QVÆSTIO IV.

### *Vtrùm panis in conuersione in corpus Christi, annihiletur?*

Alens.4.*p.q.*38.*m.*3. D.Bon.*hîc a.*1.*q.*3.Rich.*a.*1.*q.*3.Palud.*q.*3. Capr.*q.*2. D.Thom.*q.*1.*a.*2.*& 3.p.q.*75. *a.*3. Henr.*quodl.*9.*q.*9. Ægid.*Theor.*1.*&* 34. Suar.3.*p.tom.*3.*d.*30.*s.*7.

AD secundum sic proceditur, & arguitur quòd panis in conuersione in corpus Christi annihiletur : quia quod præcessit,& nihil eius patet, annihilatur: panis præfuit,& nihil eius manet, quia nec materia,nec forma : totum enim totaliter transit,materia scilicet in materiam,& forma in formam:ergo,&c. 1 *Arg.*1.

Secundò sic, quod nihil est in se,nec in alio,& præfuit aliquid,annihilatur: panis post conuersionem nihil est in se, nihil est etiam in Christi corpore:quia tunc corpus Christi augeretur per conuersionem panis in ipsum ; illud enim fit maius, in quo est aliud, & aliud quantum manens : ergo. *Arg.*2.

Tertiò sic, in transitione partiali forma annihilatur, quia nihil eius manet : ad minus non distinguitur ista corruptio partis ab annihilatione, nisi quia forma prior manet in potentia materiæ : sed in proposito forma panis non manet in potentia susceptiui sui.Potest etiam probari, quòd ibi forma, à qua est transitus, annihiletur : quia non manet in actu, patet : nec in potentia subiecti. Probatio, natura potest potentiam naturalem reducere ad actum, & per consequens,si ista forma destructa remaneret eadem numero in potentia materiæ, posset per agens naturale in actum reduci, quod est contra Philosophum, *quinto Physic.& secundo de Generat.in fine.* Si dicas, ipsam non eandem numero, sed eandem in specie manere in potentia subiecti, hoc non prohibet annihilationem, quia etsi ista esset annihilata,adhuc posset alia numero educi de potentia materiæ. *Arg.*3. *Text.*38. *Text.vlt.*

Item, annihilatio & creatio sunt oppositæ,sicut generatio,& corruptio:quia sicut dicitur 5.Physicorum, *Idem est terminus* à quo *generationis*, *& terminus* ad quem *corruptionis*, *& è conuerso*; ita idem est terminus *ad quem* annihilationis, & terminus *à quo* creationis, & 2 *Argum.*4. *Text.*7. *&* 8.*& inde.*

& è conuerſo, ſed quando tota ſubſtantia, & totalis eſt terminus *ad quem* productionis, productio eius eſt creatio: ergo, quando ipſa tota, & totaliter eſt terminus *à quo* deſtructionis, illa deſtructio eſt annihilatio: ſed in propoſito ipſa tota, & totaliter eſt terminus *à quo* conuerſionis: ergo, &c.

Oppoſitum dicunt auctoritates adductæ in quæſtio. præced. artic. 1. dicunt enim panem conuerti in corpus Chriſti: ergo non annihilatur. Et hoc arguitur in ratione, quia creatio, & annihilatio ſunt oppoſita: ſed, ſi corpus conuerteretur in panem, iterum illa reductio panis non eſſet creatio: quia non eſſet ſimpliciter de nihilo, vt de termino à quo: ergo pari ratione, conuerſio panis in corpus, non eſt annihilatio.

Item, iſtius annihilationis non poſſet eſſe cauſa, niſi Deus: ſed Deus non poteſt eſſe cauſa non eſſendi res, ſecundùm quòd probat Auguſtin. 83. *quæſt. quæſt.* 21.

## COMMENTARIVS.

1 *Argumenti quæſtionis.*

a AD *ſecundum ſic proceditur*, &c. Hæc quæſtio eſt ſecundum membrum propoſitum in initio prioris quæſtionis, vbi agitur de conuerſione, vt ſe habet circa terminum *à quo*, in priori agitur de eadem, vt ſe habet circa terminum *ad quem*.

## SCHOLIVM.

*Opinio Henrici panem non annihilari, ſed poſt conuerſionem eſſe aliquid, quia id quod fuit panis eſt corpus Chriſti, vel ſaltem aliquitas corporis eſt panis. Scotus impugnat id quod ait panem poſt conuerſionem eſſe aliquid, quatuor rationibus claris, & vrgentiſsimis.*

3 *Hēr. quodl. 9. queſt. 9. quodl. 11. q. 4. quodl. 12. q. 10. Ocham quodl. 5. & Maior hic tenent panē annihilari. Scot. licèt ſit problematicus, tamen quodl. 10. ſe declarat.*

Hîc b dicitur quòd panis non annihilatur: & ex hoc infertur, quòd poſt conuerſionem panis non eſt nihil, & per conſequens eſt aliquid: non autem illud, quod præfuit, quia illud conuerſum eſt: nec quicquam aliud à termino, in quem conuerſus eſt: ergo poſt conuerſionem eſt aliquid, vt illud in quod conuerſus eſt. Vnde quod præfuit panis eſt corpus Chriſti: aut ſi iſta negetur, neceſſe eſt dare, quòd aliquitas corporis ſit eius, quod fuit panis, & ſimiliter *eſſe* corporis ſit aliquid eius, alioquin panis poſt conuerſionem nullo modo poſſet dici aliquid, ſed oporteret dicere, quòd omnino eſſet annihilatus. Hæc ergo opinio duo dicit, & quòd panis non annihilatur: & quòd poſt conuerſionem non eſt nihil, ſed aliquo modo aliquid, & ſecundum deducit ex primo.

*Vnus terminus mutationis includit non* eſſe *alterius.*

Contra illud ſecundum arguo quadrupliciter. Primò ſic: terminus mutationis, inquantùm eſt terminus, includit *non eſſe* alterius termini. Hoc probatur: quia inquantùm eſt terminus, habet aliquam incompoſſibilitatem ad alium terminum: ergo vt eſt terminus non includit aliquitatem alterius termini, nec alterum terminum eſſe aliquo modo aliquid: quia contradictio eſt, quòd, vt includit non eſſe eius, includat aliquitatem eiuſdem.

*Eſſe ſecundùm* quid, *ſupponit eſſe ſimpliciter, quomodo?*

Secundò, quia corpus Chriſti nullo alio modo ſe habet in ſe poſt conuerſionem, quàm antè: ergo nec aliquid alio modo habet *eſſe* in ipſo, ſed panis non conuerſus nullo modo habet aliquitatem ſuam in corpore Chriſti, nec aliquitatem corporis Chriſti: ergo nec poſt conuerſionem. Probatio primæ conſequentiæ, eſſe ſecundùm *quid* in aliquo, eſt propter *eſſe* eius ſimpliciter: quia enim aliquid in ſe eſt tale, ideò ſic, vel ſic habet aliquid in ſe, vel *eſſe* in alio: ergo non eſt differentia modo eſſendi alicuius in aliquo, niſi propter differentiam eius in ſe.

4 *Habens aliquitatem eſt formaliter aliquid. Hēr. quodl. 5. q. 2.*

Item, cuius eſt aliquitas, illud ea formaliter eſt aliquid; ſi ergo aliquitas corporis ſit nunc eius, quod fuit ſubſtantia panis: ergo illud, quod fuit ſubſtantia panis eſt nunc formaliter aliquid illâ aliquitate. Quæro quid aliquid? non panis, quia panis non eſt: & præterea contradictio videtur, quòd aliquitate corporis ſit formaliter aliquid, illud quod eſt ſubſtantia panis, nec iſtâ aliquitate eſt illud, quod fuit panis corpus: quia quod fuit ſubſtantia panis ſimpliciter deſinit eſſe, corpus ſimpliciter manet in eodem *eſſe*, nec poteſt dici, quòd iſta aliquitate eſt aliquid aliud, niſi panis, vel corpus.

*Res dicitur à reor, & à ratus, ſecùndum Henr. de quo Scot. 1. d. 3. q. 5. & quodl. 3.*

Item, aliquid & res conuertuntur ſecundùm Auicen. *primo Metaphyſicæ ſuæ*: cuius ergo eſt aliqua aliquitas, illud formaliter eſt res: & per conſequens ſequeretur, quòd illud, quod fuit panis, nunc eſſet res. Res autem ſecundùm iſtum Doctorem dicitur dupliciter. Vno modo pro re opinabili, vt res dicitur à *reor reris*. Alio modo res rata, prout dicitur à ratitudine: hæc ergo aliquitate hoc quod fuit panis, vel erit res primo modo; & tunc ſequitur, quòd non magis ſit res, quàm chimæra: quia chimæra eſt res iſto modo

ſecundùm

secundùm eum:& tunc optimè stat cum tali aliquitate annihilatio panis : sicut si aliquid conuerteretur in chimæram,verè esset annihilatum. Si res secundo modo, tunc vt priùs, aut res quiditate panis , & tunc panis non est quiditatiuè conuersus ; aut res quiditate corporis , & hoc est impossibile , propter quiditatiuam distinctionem eius , quod fuit panis , & corporis.

## COMMENTARIVS.

2 *Sententia Henrici.* b *Hic dicitur*,&c. Citat opinionem Henrici, qui dicit post conuersionem panem esse aliquid , alioquin desineret per annihilationem: illud autem *esse* panis, quod manet post conuersionem , est ipsum *esse* corporis Christi , in quod conuertitur , vel aliqualitas eius , hoc est aliquis modus corporis. Hæc sententia est obscura satis, & vix conceptibilis , eam impugnat Doctor quatuor rationibus.

*Impugnatur. Prima ratio.* Prima est , quia terminus *ad quem* mutationis includit *non esse* termini *a quo* propter incompossibilitatem : ergo nequit includere terminum *à quo*,quantùm ad *esse*,aut modum essendi.

*Secúda ratio.* Secundò,quia corpus Christi non variatur in suo *esse* substantiali post conuersionem , sed retinet pristinum *esse* : sed ante conuersionem non includebat , aut aliquem modum essendi eius : ergo nec post conuersionem. *Tertia ratio.* Tertiò sequeretur,quòd panis non desineret secundùm totum suum *esse*, quia maneret secundùm illam aliquiditatem , quam haberet in corpore Christi. *Quarta ratio.* Quartò , aliquid & res conuertuntur secundùm Auicennam 1. *Metaph.* ergo quod est aliquid,est res:& sic panis non esset conuersus quoad totum suum *esse*,sed maneret vt res. Patet ex littera. Has rationes superiùs adduximus ex alia occasione: vbi eandem sententiam impugnauimus promiscuè cum aliis *q. præsenti.*

## SCHOLIVM.

***Sententia Ægidij non annihilari panem , quia manet materia communis ipsi in corpore Christi, vnde corpus posset conuerti in panem. Idem tenent Palud. hîc q. 3.& Capreol. q. 1. Hanc refutat Scot. tribus rationibus.***

Alio * modo dicitur , quòd panis non annihilatur, quia post conuersionem in corpus, manet in illo in potentia : quia corpus Christi,& panis habent subiectum commune , vt materiam,& ideò substantia panis potest redire per corporis conuersionem in ipsum , & illa reditio non esset creatio : ergo nec ista conuersio est annihilatio , & hoc propter communem substantiam , vel commune subiectum , in cuius potentia est vterque terminus. 5 *Ægid. Theor. 1.& 34.*

Contrà, non posset panis annihilari ex isto dicto , manente aliquo alio corpore : quia si aliquod aliud corpus , saltem corruptibile, manet,manet materia eiusdem rationis , in cuius potentia est vterque terminus, & per consequens,manet panis, sicut modò dicitur manere in materia corporis Christi : ergo non posset annihilari panis, nisi tota substantia corporea annihiletur.

Item , si panis annihilaretur , & corpus Christi esset ibi præsens , eodem modo panis esset in potentia materiæ corporis Christi , quo nunc est : ergo propter hoc , quòd nunc manet in potentia in materia corporis Christi , non debet negari annihilatus.

Item ,subiectum commune vtrique termino non est necessarium , nisi ad transmutationem propriè dictam:excludendo enim subiectum, & accipiendo præcisè duos terminos alicuius transmutationis,magis requiritur in eis oppositio , quàm aliquid idem commune : imò idem commune in aliquibus prohibet ipsa esse per se terminos alicuius transitus,vt patet in his,quæ sunt eiusdem speciei : ergo cùm in isto transitu non sit propriè mutatio,nec subiectum manens,sed tantùm sunt duo termini transitus : nihil commune per se dabit,vel auferet aliquam rationem ab isto transitu:ergo si ille transitus esset annihilatio,excluso quocunque communi, erit & modò.

## COMMENTARIVS.

3 a *Alio modo dicitur , quòd panis annihilatur*, &c.Reiicit sententiam Ægidij, quia negauit panem annihilari ,quia manet secundùm rationem communem substantiæ,quæ includitur in corpore Christi,vel propter eandem materiam, quam manere dixit hîc author,vt *suprà* visum est. Impugnatur quantùm ad primam , quia sic nunquam posset annihilari,manente aliquo ente corporeo,quia maneret,vel ratio communis substantiæ,vel materia,in cuius potentia esset forma panis : sic etiam si corpus Christi fieret præsens sine conuersione panis in ipsum , & desineret panis per annihilationem , maneret in eadem potentia materiæ corporis. Tertiò , tandem contra aliud dictum patet,quòd hîc non maneat panis materia sub forma corporis , aut aliter prout *suprà* probauit Doctor *quæst. præsenti.*

Sed inter cæteros Theologos non conuenit 4 quoad

*Varia ſintēt.* quoad hanc deſitionem. Aliqui docent deſitionem hanc eſſe annihilationem: hanc opinionem tanquam primo authori tribuit Vaſquez noſtro Doctori *quodl.1.art.3.& 4.& in hac quæſt.§.Si poteſt ergo teneri*,&c. Sed fallitur quantùm ad interpretationem ſententiæ, ſicut & alij, qui id Doctori imponunt. Fallitur etiam in hoc, quòd dicat meritò eum ſtatuendum eſſe authorem primum huius ſententiæ,quia multò antiquior eſt, quam citat Magiſter *diſt.præſent.* D.Bonauentura *in 1.part. diſt.quæſt.3.*D.Thomas *ſuprà*, & Doctor *quæſt. præcedenti.*Alenſis 4.*part.quæſt.*10.aliàs 38.probabiliorem putat Albertus *præſenti diſt.* Innocentius III. *lib.4. de myſteriis Miſſæ, cap.* 2. cenſet eam probabilem. Durandus eam ſupponit, niſi maneret materia panis, ſicut & Ægidius loco citato: eam ſequitur Gabriel *quæſt.*1, *& in canone lect.* 40.*&* 41. Maior hîc *quæſt.* 1. Ocham *in* 4. *quæſt.6. & quodlibeto 6. dub.*7. Angelus verbo *Euchariſtia.*

*Prima ſent. annihilari panem.*

*Error Vaſquez.*

*Antiqua ſententia eſt.*

Magiſter.
D.Bonauēt.
D.Thom.
Alenſis.
Albertus.
Innoc.III.
Durandus.
Ægidius.
Gabriel.
Ocham.
Angelus.

5 *Secunda ſent.* Altera ſententia eſt non annihilari panem, ſed deſinere eſſe per conuerſionem ſui in corpus Chriſti: hæc eſt communis ſententia, quam tenet Doctor *in §.ſequenti*, vt videbimus. Sed huius deſitionis modum, & cauſam diuerſo modo plures aſſignant. Aliqui docent ex vi actionis, quâ corpus Chriſti ponitur ſub ſpeciebus,deſinere panem;ita Sotus,Ledeſma,Caietanus:quæ ſententia poteſt explicari aliter,& aliter,nempe quòd actio illa ex repugnantia actionis abſolutè, & termini tollat *eſſe* panis; ita vt poni non poſſit corpus Chriſti ſub ſpeciebus manente ſubſtantiâ panis, etiam de potentia abſoluta: & hic ſenſus, quem prætendunt aliqui,eſt ſuperiùs impugnatus.

*Varij modi, quibus explicatur.*

*Primus modus ſuprà impugnatus.*

*Secundus modus vertus.* Alio modo intelligi poteſt ex vi actionis abſolutè non inferri deſitionem illam, ſed ſecundùm modum actionis, vt eſt ſucceſſio inter terminos, & dicunt ordinem in eſſendo: & ſic ſententiam hanc veram eſſe oſtendemus.

6 *Tertius modus ſuprà impugnatus.* Suarez colligit non ex vi actionis præcisè tolli ſubſtantiam panis ex natura rei, ſed ex ſeparatione accidentium, à quibus ſubſtantia panis in *eſſe* depender. Hanc autem etiam *ſuprà* impugnauimus,quia neque faceret talis deſitio ad conuerſionem, quia ſi Deus poneret præſens corpus Chriſti, ſeparatis ſpeciebus à pane ſine vlla conuerſione,ſic deſineret ſubſtantia panis hoc modo, & non ex vi conuerſionis, aut mutationis eius in ſubſtantiam corporis: ponamus ergo Deum ſeparare primùm accidentia à pane,tunc deſinet panis, & poſt deſitionem ponatur corpus præſens, deſitio panis erit vniformis, ſed non ſaluatur conuerſio,quam ſaluandam eſſe docent Concilia: quòd autem accidentia manent, vel non manent, nihil facit ad modum deſitionis ſubſtantiæ, quà ſubſtantia eſt.

Hinc excluditur modus dicendi aliorum, qui dicunt ideò panem non annihilari, quia manent eius accidentia: quia productio, & deſitio ſubſtantiæ eſt alterius rationis à productione, & deſitione accidentium: neque ab illis, aut modo deſitionis, aut productionis eorum ſumit ſpeciem, ſed præcisè ab intrinſecis terminis, qui ſunt *eſſe*, & *non eſſe* ſubſtantiæ, quà ſubſtantia eſt. *Quartus modus.*

Vaſquez tandem reducit hanc difficultatem ad veritatem formæ,prout enuntiatur,per quam Sacerdos facit ibi corpus Chriſti præſens ex primaria intentione,ſecundariò deſtruit panem:tota ergo oppoſitio eſt ex veritate formæ, eo modo, quo enuntiatur. Sed hic modus minùs quàm alij, ſaluat veritatem rei; nam forma vt agit practicè ad conuerſionem, agit ex inſtituto Chriſti, & vt cauſa moralis inſtrumentalis; aliter enim agere non poteſt,cùm nullum ſupponat ſubiectum, in quod agat, & ad veritatem eius exigitur actio phyſica cauſæ principalis aſſiſtentis, vt ponat ſignificatum formæ. De natura autem huius actionis,quæritur prout phyſicè terminatur ad terminos,& an conuerſio,quæ enuntiatur,vt ipſe dicit; aut ſignificatur per formam in re ipſa ſubſiſtat,vt vera dicatur forma ſic enuntians,per conformitatem eius ad rem ipſam: ſi ergo conuerſio ipſa non reducatur in terminos, & incompoſſibilitatem eorum in *eſſe* rei, vel certè vt ſubſunt diuinæ actioni,non poteſt reduci in formam, quæ nullo modo influit *eſſe*, aut *non eſſe* in terminos, aliter quàm virtute cauſæ principalis, & moraliter ex inſtituto. 7 *Quintus modus.* *Incompoſſibilitas inter terminos ex natura conuerſionis deſinienda.*

Minùs ergo hæc ratio incomprehenſibilitatis ex enuntiatione formæ ſatisfacit hæreticis, quos non ſemel, ſed ſæpiùs Vaſquez adducit contra alios Doctores: nam hæretici ex impoſſibilitate rei,& ipſius conuerſionis,vt realiter cadit in terminos,conantur deſtruere ſignificationem veram formæ:oportet ergo primùm ſaluare naturam rei, & conuerſionis, vt ſaluetur veritas formæ poſſibilis in myſterio:quod nullo conatu, aut ratione ſaluat hic author,ſed impugnat alios, qui id conantur ſaluare, declarando naturam ipſius realis mutationis,vt interuenit inter terminos, quæ ſignificatur per formam;maximè cùm ſeruetur hic ordo,vt ex enunciatione Chriſti præſentis ſequatur deſitio panis, vt prima enunciatio ſit vera, prout hic author aliàs declarat naturam huius conuerſionis. Reſtat ergo declarandum, quomodo id contingat. Vide dicta circa naturam tranſſubſtantiationis *in q. prima.* 8 *Diſſertatio cum hæreticis de poſſibilitate rei.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Varronis per duo dicta. Primum,poſt conuerſionem nihil panis manere,ex allatis contra Ægid. Secundum, panem non annihilari, vel ſaltem illâ conuerſione non annihilari probat, quia terminus* ad quem,*non eſt nihil,quod latè examinat,addens duas confirmationes.*

6 *Quæ Var. in 4.diſt.11. hic.* Ad[a] quæſtionem, dico, quòd in propoſito nihil panis manet poſt conuerſionem. Secundò, quòd panis non annihilatur, vel quod eſt facilius, quòd panis iſta conuerſione non annihilatur.

Primum ſupponatur probatum ex rationibus contra primam opinionem. Secundum probatur ſic, terminus *ad quem* tranſitus ipſius panis non eſt purum nihil:ergo panis non annihilatur. Conſequentia probatur, quia terminus *ad quem* annihilationis eſt purum nihil,

nihil, & hoc probatur à simili: sicut terminus *à quo* creationis est purum nihil, ita terminus *ad quem* annihilationis debet esse purum nihil. Antecedens probatur, quia terminus *ad quem* istius transitus, est corpus Christi: quia etsi negatio panis concomitetur terminum *ad quem*, non tamen terminus iste est omnino nihil, sed est in aliquo positiuo.

*Terminus* ad quē *annihilationis*, & à quo *creationis*, *est* nihil.

Contra istud, quia etsi desitionem panis concomitetur positio corporis Christi hîc: tamen illa desitio panis secundùm propriam rationem, vt distinguitur ab illa positione corporis Christi, videtur esse annihilatio: quia terminus *ad quem* eius est nihileitas panis.

Confirmatur per simile, quia corruptio non est modò annihilatio, non propter hoc solùm, quia generatio concomitatur eam: quia si propter hoc, & propter terminum generationis præcisè non esset annihilatio, esset mutatio positiua ipsa corruptio propter terminum positiuum mutationis, quod falsum est: nunc ergo corruptio secundùm propriam rationem, vt distinguitur essentialiter à generatione concomitante, non est annihilatio, quia aliquid corrupti manet, scilicet materia: & ex hoc sequitur, quòd negatio ad quam est, est negatio in apto nato: ergo priuatio. Ergo per oppositum in proposito cùm nihil termini *à quo* maneat, nec negatio *esse* panis sit priuatio, quia non in apto nato, sed purum *non esse*, sequitur quòd ista panis desitio secundùm propriam rationem sui sit annihilatio. 7

Et hoc confirmatur secundò, quia per se ratio alicuius non variatur ex aliquo concurrente per accidens cum eo: sed per accidens est, quòd cum istâ desitione panis concurrit positio corporis Christi hîc. Probatio, posset enim primum separari à secundo: ergo propter istam positionem corporis Christi hîc non variatur ratio istius desitionis: sed ipsa, si sola esset sine positione ista, esset annihilatio panis: ergo & modò.

*Ratio vrgēs pro annihilatione panis.*

Hîc diceretur vno modo, quòd transsubstantiatio est mutatio præcisè inter terminos positiuos, ita quòd non erit dare duos terminos priuatiuos ad duas mutationes, sicut in generatione & corruptione; sed sicut secundùm Philosophum, 5. *Physic.* aliqua mutatio est à subiecto in subiectum, quæ scilicet habet pro vtroque per se termino aliquid positiuum: ita ista transsubstantiatio habet duos terminos præcisè, & vtrumque positiuum: & ita non est hîc considerare illam desitionem, quasi sit vna mutatio per se formaliter distincta genere ab ista inceptione corporis Christi hîc: sed tantummodo est vnus transitus huius positiui in illud positiuum.

*Text. com.* 7.

Contra istud, manifestum est quòd panem non esse, non est formaliter corpus Christi esse hîc, nec è conuerso: quia posset panis non esse, corpore non posito hîc, & è conuerso. Similiter non *esse* corporis hîc, & esse panem hîc non sunt formaliter idem, sed oppositi termini: ergo possumus habere duos transitus quiditatiuè distinctos, quorum vterque habet suos proprios terminos, & tunc stat tota difficultas tacta de generatione, vt distinguitur à corruptione, & de per se formali distinctione huius desitionis, vt distinguitur à positione corporis Christi. 8

Hîc [b] potest dici sustinendo istam conclusionem, scilicet quòd panis non annihilatur simpliciter: quia terminus annihilationis est purum nihil, hoc est, quod nihil termini *à quo*, manet in termino *ad quem*: nec negatio in aliquo apto nato, quæ dicitur priuatio, terminat eam, & oppositæ conditiones istis conditionibus sunt in corruptione, vt corruptio est. Nec tertiò, quòd negatio in aliquo positiuo disparato terminat eam: sed simpliciter negatio extra genus, scilicet extra omne positiuum, siue subiectum, quod dicatur priuatum secundùm illam negationem, siue disparatum, quod includat illam negationem. Et istud vltimum requiri potest ostendi: nam non solùm materia aëris corrupti manet, & habet priuationem formæ prioris, sed negatio formæ aëris saluatur in forma ignis, quæ de nouo inducitur: & negatio illa, vt est in forma ignis, non est ibi, vt in subiecto apto nato, sed sic est tantùm in materia communi: sed est ibi, vt in aliquo disparato. Et licèt circumscribatur negatio illa, vt in materia communi, quæ modò terminat corruptionem, & propter quam corruptio modò non est annihilatio: si tamen terminaret aliquam desitionem negatio ista, vt in disparato, adhuc non annihilaretur aër.

*Triplex negatio.*

*An ad annihilation ẽ requiritur negatio extra genus pro termino? De negatione extra genus, vide Scot. 1. d. 23. & d. 28. & dist. 36. hæc nullum petit positiuum de quo dicatur.*

Ad propositum, etsi hîc non sint illæ duæ rationes, de quibus patet, quòd propter eas corruptio non est annihilatio, scilicet quia aliquid corrupti manet, & quia negatio terminans eam manet in apto nato: est tamen ibi tertia ratio, scilicet quòd negatio terminans est in aliquo positiuo subiecto, licèt disparato. 9

Per hoc ad rationem potest dici, quòd illa desitio panis secundùm se etiam vt est ad *non esse* panis non extra genus, sed vt in corpore non est annihilatio, vt patet. Tunc ad illud exemplum de corruptione, verum enim est, quòd non negatur corruptionẽ esse anni-

*Panem non annihilari.*

*Duæ cauſæ, ob quas corruptio non eſt annihilatio.*

hilationem præcisè propter generationem concomitantem: ſed propter duas cauſas, quarum vna includit aliam, ſcilicet quia eſt ſubiectum commune, & ideò negatio terminans eſt priuatio. Sed ſi poſſet ſine vtraque iſtarum ſtare tertia, quòd negatio terminaret, vt in aliquo poſitiuo diſparato, adhuc non eſſet illa tranſitio, annihilatio: & talis ponitur iſta conuerſio.

## *COMMENTARIVS.*

9 *Concluſio.* *Panè non annihilari.*

a *AD quæſtionem dico*, &c. Concluſio Doctoris eſt nihil ſubſtantiæ panis & vini manere poſt conuerſionem. Secundò, dicit panem non annihilari; *Vel*, inquit, *quod facilius eſt, panem iſtâ conuerſione non annihilari.* Nihil aliud affirmat Doctor in tota quæſtione: immeritò ergo citatur abſolutè pro illa ſententia, quæ dicit panem, vt eſt terminus huius conuerſionis, annihilari; prout alij dicunt, tam noui, quàm antiqui aſſertores huius ſententiæ.

Duobus ergo modis poteſt ex ſententia Doctoris interuenire conuerſio inter ſubſtantiam panis & vini, vt terminum *à quo*, & corpus & ſanguinem Chriſti, vt terminum *ad quem*. Primo modo vt conuerſio hæc ſit panis & vini; quoad *eſſe* abſolutè in corpus & ſanguinem; & hic eſt primus modus huius conuerſionis, quem ponit Doctor, & quem magis ex ſententia ſua ſequitur; & ſecundùm hunc modum reſpondet ad argumenta in oppoſitũ ad initium quæſtionis poſita.

*Primus modus, quo declarat cõcluſionem.*

10 *Secũdus modus quo eandem explicat.*

Verùm, quia aliqua argumenta ex natura annihilationis deſumpta vrgent contra hunc modum, quo myſterium hoc, & fides faciliùs explicetur, & defendatur, addit alium modum, nempe panem & vinum eſſe terminum proximum huius conuerſionis ſecundùm *eſſe hîc*, id eſt, ſecundùm *eſſe*, quod habent naturale ſub ſpeciebus, & ſic conuerti in corpus & ſanguinem huic *non eſſe*, *non eſſe* eorum ſub ſpeciebus, ſuccedere concomitanter *non eſſe* eorum abſolutè, quæ poteſt dici annihilatio, quæ annihilatio dicitur tranſitus de *eſſe* abſolutè, in *non eſſe* abſolutè: ne autem inuertatur litera, aut ordo eius, vtramque declarabimus.

*Probatur primus modus.*

Primam concluſionem, ſeu modum conuerſionis ſupponens Doctor, probat panem non annihilari, quia terminus *ad quem* annihilationis eſt putum nihil, id eſt, negatio extra genus & non negatio, vt ineſt alicui poſitiuo: ſed terminus *ad quem* tranſitus panis non eſt negatio ſimpliciter, & extra genus; ſed corpus Chriſti, vt habet annexam negationem eſſendi panis, tanquam terminus incompatibilis: ergo panis non annihilatur.

11 *Obiectio difficilis.*

Obiicit contra concluſionem primò, quòd deſitio panis ſe habet concomitanter ad poſitionem corporis Chriſti hîc, & non per ſe tanquam ad cauſam inferentem *non eſſe* panis abſolutè, id eſt, deſitio ex repugnantia rei, ſeu termini *ad quem*: ergo *non eſſe* panis, ſeu deſitio eſt per annihilationem. Confirmat primò, quia non ideò corruptio non eſt annihilatio, quia concomitatur generatio alterius, ſed quia manet ſubiectum commune; & conſequenter priuatio, quæ ſit in apto nato; *non eſſe* autem panis non eſt in apto nato, ſed purum *non eſſe*: ergo, &c. Confirmat ſecundò ex eo, quòd id quod ſe habet per accidens ad aliquid, non variat rationem eius; ſed poſitio corporis Chriſti ſe habet per accidens ad *non eſſe* panis: ergo, &c. Et ſi dicas tranſſubſtantiationem eſſe mutationem inter terminos poſitiuos per conuerſionem vnius in alium. Contrà, hîc non agitur de tranſſubſtantiatione ſub illa præciſione, ſed vlteriùs vt connotat duas mutationes cõcomitantes: quarum vna eſt acquiſitiua, vt reſpicit terminum *ad quem*; alia verò deperditiua, vt reſpicit terminum *à quo* conuerſum: qualis autem ſit hæc deperditio inquiritur, & ad quod genus reducatur.

*Deſitio panis eſt abſoluta.* *Prima confirmatio.* *Negatio panis non fundatur ex natura rei in aliquo.* *Secunda confirmatio.* *Poſitio corporis per accidens ſe habet ad* non eſſe *panis.* *Reſponſio.* *Replicatur.*

12 *Tria in corruptione concurrunt.*

b *Hîc poteſt dici*, &c. Declarat concluſionem poſitam, & ſuſtinet diſtinguendo hæc tria in corruptione, nempe ſubiectum commune, & negationem formæ corruptæ, ſeu priuationem in illo ſubiecto; & tertium eſt negatio formæ eiuſdem, vt fundatur in genito, & termino incompatibili, quo expellitur forma corrupta.

*Negatio vltima fundata in termino excludit annihilationem.* *Compoſitum corrumpi etſi priuatio eius non maneat in ſubiecto.*

Dicit ſi hæc manere poſſet reſpectiuè ad formam corruptam abſque eo, quòd ſubiectum commune, & priuatio maneret, eſſet ſufficiens cauſa, vnde corruptio non diceretur annihilatio. Et hoc etiam patet in toto ſubſtantiali cõuerſo in aliud, quod dicitur corrumpi; non quòd priuatio eius manet, ſed quòd ſubiectum manet in altero, quod dicit incompatibilitatem, & negationem eſſendi totius corrupti, negationem, inquam, in genere; id eſt, vt afficit *eſſe* ipſius ſubſtantiæ totalis genitæ.

*Exemplũ de homine.*

Et probatur, quia ſic dicitur corruptus homo, non quia *non eſſe* formæ conſtitutiuæ, quæ incorruptibilis eſt, ſuccedat eius *eſſe* in ſubiecto; ſed quòd per ſeparationem animæ à ſubiecto ſequatur *non eſſe* totius, vt inducitur forma incompatibilis in eadem materia.

*Priuatio formæ in ſubiecto non tollit annihilationem.*

Et ſi hoc aliquo modo aliter explicari poſſet, probo quòd ſubiectum manere cum priuatione formæ non infert corruptionem præcisè, niſi vt altera cauſa coniungitur, nempe negatio illa in genere, quæ fundatur in forma ſuccedente, quæ expellit formam, quæ dicitur corrumpi: quia Deus poteſt annihilare formam, quæ eſt in ſubiecto, ſicut eam potuit creare: ſed in eo caſu non corrumperetur, quamuis ſubiectum eius maneret ſub prinatione: ergo hæc duo ſimul non reddunt cauſam per ſe corruptionis, neque eam inferunt niſi adueniente tertiâ, nempe formâ genitâ, vt includit *non eſſe* formæ prioris: & per conſequens non per accidens ſe habet introductio formæ incompatibilis ad *non eſſe*, quod eſt terminus corruptionis.

13 *Declaratur ratio ad propoſitum.*

Ad propoſitum, ita ſe habet *eſſe* corporis Chriſti, vt eſt terminus conuerſionis *ad quem*, & includit *non eſſe* panis abſolutè. Hoc autem declaratum eſt *ſuprà* in commento ſecundæ concluſionis quæſtionis ſecundæ: ſicut ergo voluntas Dei, vt eſt principium ponendi corpus ſub ſpeciebus, potuit eſſe multiplex: ita etiam *eſſe* ipſius corporis, vt ſubeſſet voluntati, haberet aliam, & aliam habitudinem ex natura rei, & modo, quo ſubeſſet voluntati in ratione effectus.

Potuit autem Deus ponere corpus abſolutè ante *eſſe* eius ſimpliciter; vt ſi inſtitueret Sacramentum ante Incarnationem, & tunc tranſſubſtantiatio connotaret creationem corporis. Potuit conſtituere corpus præſens abſolutè ſine

vllo

vllo ordine ad conuersionem, aut ad panem, vt terminum conuersionis. Potuit etiam, sicut de facto, constituere corpus sub speciebus panis, non solùm absolutè quoad præsentiam; sed etiam per modum termini *ad quem*, conuertendo panem in ipsum. Et sicut hæ sunt determinationes diuersæ voluntatis Dei, vt influit in corpus, aut influeret; ita etiam ex parte termini nempe corporis, habent correspondentem modum diuersum, quia superflueret alia, & alia determinatio ex parte causæ respectiuè ad effectum; nisi in effectu esset modus alius, & alius determinatus ipsi correspondens.

*Determinatio causæ influit habitudinem diuersam.*

14 *Exemplum.* Et facilè declarari potest in aliis, verbi gratiâ, eadem forma potest educi de potentia materiæ à Deo solo, vel ab hac, vel illa causa, vel certè creari: in his omnibus modis ratio formæ absolutè non variatur, neque est aliud, & aliud eius *esse* per quamcumque causam, & modum producatur: sed tamen ex diuersis modis producendi dicit etiam diuersas habitudines; & hoc ex natura rei, prout sic, vel sic ponitur in *esse*: quia quidquid competit effectui ex determinatione, & diuersa habitudine suæ causæ per se ad ipsum, illud simpliciter hîc, & nunc, vt procedit à tali causa, dicitur in omni rigore ipsi competere ex natura rei.

*Determinatio specialis diuinæ voluntatis.* Sed voluntas, quâ Deus de facto voluit corpus Christi esse præsens speciebus per conuersionem panis in ipsum, dicit determinationem in se diuersam, ab illa voluntate, quâ posset velle corpus idem esse præsens absolutè, & non per conuersionem; includit enim illa determinationem destruendi substantiam panis respectiuè ad corpus, vt ad terminum *ad quem*; & consequenter ordinem inter ipsos terminos in essendo: ergo etiam corpus, vt ponitur præsens tanquam effectus determinatus illius voluntatis, includit vel importat secum *non esse* panis absolutè, tanquam negationem in genere: & sic non desinit panis per annihilationem in purum *non esse* extra genus, sed in *non esse* eius, quod fundatur in termino succedente, nempe in corpore, vt est effectus determinatæ illius voluntatis.

*Non esse panis fundari in corpore.*

Neque refert, quòd hæc negatio ex determinata habitudine corporis, vt ponitur præsens ad suam causam insit, & non ex prædicato aliquo absoluto ipsius corporis secundùm *esse* absolutum, quod aliàs posset compati cum substantia panis: hoc, inquam, non refert; quia illa negatio ex natura rei verè inesse dicitur; quia licèt aliàs, si Deus annihilaret substantiam panis, & postea poneret corpus sub speciebus, vel certè simul; vtrumque faceret citra omnem conuersionem, negatio essendi panis in corpore esset concomitans, vt per accidens se haberet ad desitionem panis: tamen vt hoc determinato modo sit præsens corpus per conuersionem, negatio illa non est concomitans, neque per accidens se habet ad desitionem panis, sed per se; & corpus vt habet annexam negationem ex determinatione sui ad *esse* sub speciebus, cum hoc ordine essendi, est causa per modum termini incompatibilis destruendi panem; & sic *non esse* eius non est parùm nihil: vnde facilè soluuntur argumenta, quæ in §. sequenti contra hoc afferuntur. 15

*Quomodo non esse panis sequatur ad corpus præsens?*

## SCHOLIVM.

*Tractans secundam confirmationem argumenti pro opinione negante annihilationem panis, adducit quatuor argumenta suadentia annihilationem, quæ sunt vrgentissima.*

Sed [a] tertium magis cogit, scilicet de per se, & per accidens: inuenitur enim hîc vnus transitus per se ab *esse* panis ad *non esse* eius: & alius à non præsentia corporis Christi hîc ad præsentiam ipsius hîc. Et tunc, sicut argutum fuit, si secunda non concomitaretur primam, prima esset annihilatio: ergo & modò formaliter est annihilatio: quia ratio eius non variatur propter illud, quod per accidens concomitatur. 10

Item, si panis annihilaretur, & corpus Christi poneretur hîc præsens, omni eodem modo se haberet tam panis, quàm corpus, quantùm ad omnem conditionem, tam *esse*, quàm *non esse*, sicut modò se habet: sed quod omni eodem modo se habet, sicut si esset annihilatum, est annihilatum: ergo prima propositio manifesta est: quia si esset annihilatus, nec materia, nec forma eius remaneret eadem, eodem modo nec nunc: si autem corpus esset tunc præsens sub accidentibus, ita & nunc.

Item, & est directè contra responsionem vltimò datam ad illud de corruptione: quia terminus, vt terminus actionis nouæ, nouus est: negatio ergo *esse* panis, terminus desitionis panis, noua est, sed vt in corpore Christi, non est noua: nam illo modo, quo disparatum includit negationem disparati, ante desitionem panis corpus Christi fuit non panis.

Si dicas, verum est, non panis, vt in corpore, non est negatio noua, sicut nec disparatio noua corporis ad panem, sed *non esse* panis est nouum. Contrà, ex hoc sequitur quòd *non esse* panis est terminus: quia vt negatio ista est in corpore, est per rationem disparationis secundùm responsionem illam: si ergo *non esse* panis terminat, vt nouum, non terminat vt in corpore per rationem disparationis. 11

Item, quando simul concurrunt mutationes diuersorum generum, negatio non est per se terminus vnius, vt includitur in termino alterius. Exemplum, si simul sint generatio, & loci mutatio: negatio terminans corruptionem concomitantem generationem, non terminat eam per se, vt saluatur in *vbi*: & probatur illud per rationem, quia vbi ne-

gatio termini *à quo* mutationis per ſe ſaluatur in termino *ad quem* alterius, oportet illas mutationes eſſe eiuſdem generis, quia ad terminum *ad quem*, & *à quo* oppoſitos: ſed in propoſito corpus Chriſti non includit *non eſſe* panis. Patet, quia diſparatio illa corporis ad panem fuit manente vtroque extremo: non includit ergo illam negationem *eſſe* panis, niſi vt hîc: ſed ille terminus *vt hîc*, non pertinet ad genus ſubſtantiæ: ergo negatio illa non per ſe terminat deſitionem, vt ſaluatur in corpore vt hîc.

## *COMMENTARIVS.*

16 *Rationibus vrget contra concluſionem.*

a *Sed tertium magis cogit, ſcilicet de per ſe, & per accidens*, &c. Hæc eſt confirmatio ſecunda *ſuprà* allata contra concluſionem, quâ probat deſitionem panis per accidens ſe habere ad poſitionem corporis Chriſti: quod ex ſupradictis negatur. Contrà vrget, ſi poſitio corporis non comitaretur deſitionem panis, illa deſitio eſſet annihilatio: ergo & nunc. Secundò, ſi annihilaretur panis, & poneretur corpus ſub ſpeciebus, deſitio panis eſſet vera annihilatio: ſed eodem modo ſe habent nunc, tã quoad *eſſe*, quàm quoad *non eſſe* vterque terminus: ergo, &c. Tertiò negatio, vt terminat deſitionẽ panis, eſt noua; ſed negatio panis, vt fundatur in corpore Chriſti, nó eſt noua, ſed antiqua, & diſparata: ergo nó eſt terminus deſitionis: & idem probat replica. Quartò, quia mutationes oppoſitæ ſunt ad terminos eiuſdẽ generis incompatibiles: ſed non ita ſe habent poſitio corporis, & deſitio panis: ergo negatio inducta per deſitionem panis non fundatur in poſitione corporis.

*Prima ratio.*

*Secunda ratio.*

*Tertia ratio.*

*Quarta ratio.*

## SCHOLIVM.

*Aliquas ex rationibus allatis, quibus ſuadetur annihilatio panis, euadi poſſe, aliàs non. Secundam rationem tantùm ſoluit: nam licèt ſoluat aliqualiter tertiam, varijs replicis ſolutionem reijcit.*

12 Iſtarum a rationum aliquæ poſſunt euadi. Secunda, ſic, negando iſtam propoſitionem, quod omni eodem modo ſe habet ſecundùm *eſſe*, & *non eſſe*, ſicut ſi eſſet annihilatum, illud eſt annihilatum, oporteret addere in ſubiecto iſtud, & omnino idem ſuccedit ſibi. Quòd autem iſta additio ſit neceſſaria, ſatis apparet, quia antequam res creatur, eſt ita nihil, ſicut ſi priùs fuiſſet creata, & pòſt annihilata: & tamen antequàm creetur, non eſt annihilata. Et quare hoc? Quia non ſuccedit nihilitas eius, *eſſe* ſuo. Ita dico quòd ſi panis eſſet annihilatus, non maneret materia, nec forma, ſicut nec modò: ſed tamen nunc aliquid ſuccedit ipſi totali *eſſe* panis: quod non ſuccederet, ſi eſſet annihilatus: quia nunc ſuccedit negatio in genere, ſcilicet in aliquo poſitiuo diſparato: tunc verò ſuccederet negatio ſimpliciter extra genus.

*Qualis negatio panis eſt in corpore Chriſti poſt conſecrationem.*

Ad tertium poteſt dici, quòd negatio, vt includitur in diſparato, non eſt incompoſſibilis ſuæ affirmationi in ambitu communi entis, alioquin diſparata non poſſent ſimul eſſe entia: ſed negatio contradicens repugnat ſuæ affirmationi etiam in toto ambitu entis. Si ergo negatio panis diſparata præfuit in corpore, non tamen negatio contradictoria *eſſe* eius: nunc autem poſt conuerſionem illa negatio contradictoria eſt in corpore Chriſti, & ſic eſt noua, quia ſequitur affirmationem ſibi contradicentem.

13 *Obijcit dupliciter contra ſolutionem ad tertium.*

Contra hoc, non videtur aliquo modo iſta negatio contradictoria eſſe in corpore magis, quàm priùs: & ita vt noua eſt, & vt terminat deſitionem panis, non terminat, vt in corpore: negatio enim contradictoria eſt purum nihil, & ita purum nihil dicitur de aliquo poſitiuo, ſicut ſi de chimæra dicitur: ergo ſi illa negatio terminat deſitionem, ſequitur quòd illa deſitio erit purum nihil.

*Eſſe hîc non poteſt eſſe ratio incõpoſſibilitatis corporis ad panem.*

Si dicatur ad primum, quòd *non eſſe* panis, vt contradicit *eſſe* panis, aliter eſt in corpore Chriſti, quàm priùs, quia in corpore Chriſti, vt hîc, includitur illud *non eſſe* contradictorium: in corpore autem abſolutè non includitur, niſi negatio diſparata: hoc improbatur per quartam rationem: quia terminus poſterior non eſt ratio nouæ incompoſſibilitatis ad aliquid prius naturaliter: ergo illud vt hîc non eſt aliqua ratio nouæ incompoſſibilitatis corporis ad *eſſe* panis: ergo oportet dicere, quòd iſta negatio non ſit noua, & tunc non terminat deſitionem, vel ſi eſt noua, & non eſt in corpore vt hîc (quia illa præſentia non eſt ratio, ſecundùm quam ineſt talis incompoſſibilitas) nullo modo illa negatio terminabit, vt in corpore deſitionem panis.

17 *Responsio ad rationes præmissas.*

a *Istarum rationum aliquæ possunt euadi*, &c. Respondet ad illas rationes. Prima non habet efficaciam aliam ab ipsa confirmatione; negatur enim consequentia. Ad secundam negatur minor, quia non eodem modo se haberent corpus & panis quoad *esse*, & *non esse* in vtroque casu: quia in primo desitio panis esset annihilatio in purum *non esse* panis, succedens suo *esse*; de facto non succedit purum *non esse*, sed negatio in genere, & contradictorium, vt fundatur in corpore, quà est terminus incompatibilis, vt modò ponitur in *essendo* ad *esse* panis.

*Negatio disparata, & contradictoria distinguitur.*

Ad tertiam, distinguit duplicem negationem, aliam disparatam, aliam contradicentem: negatio disparata non remouet omnem rationem entis à termino, sed tantùm determinati: verbi gratiâ, negatio panis in lapide, remouet à pane, quòd non sit lapis, non remouet ab eo, quòd sit corpus, neque remouet ab eo alias rationes entis, præter solum lapidem: negatio contradictoria remouet omnem rationem entis, & essendi: negatio ergo panis, vt fundatur in corpore Christi, tanquam disparata, non est noua; sed negatio contradictoria, quæ fundatur in ipso, tanquam contradictoria, vt in termino incompatibili est noua, & illa terminat desitionem panis quæ non est purum nihil, quia includit, seu connotat *esse* fundamenti, in quo est, & succedit *esse* panis: negatur ergo minor.

18 Contrà, ipsa negatio contradictoria est purum nihil: ergo non includitur in corpore, vt est præsens. Respondetur, negationem, quæ includitur in corpore, vt est terminus *ad quem* conuersionis, non esse contradictoriam absolutam, sed potiùs contrariam eo modo, quo negatio fundata in aliquo incompatibili dicitur contraria, non ratione negationis, sed sui fundamenti: corpus enim, vt sit præsens tanquam terminus in quem desinit panis per conuersionem, iuxta suum determinatum modum, quo ponitur præsens in ratione talis effectus, & ex determinatione suæ causæ, dicit per se incompossibilitatem in essendo ad *esse* panis.

*Negatio contraria fundatur in corpore de facto.*

Dicit autem Doctor illam negationem esse contradictoriam, quia nempe non sequitur absolutè ad positionem corporis, quocumque modo ponatur, vel poni posset sine conuersione, per prædicatum absolutum, & intrinsecum corporis; sicut in multis aliis incompatibilibus contingit circa idem subiectum, negationem formæ desinentis fundari in forma incompatibili superueniente præciso modo quo producitur, & ex absoluta entitate sua; licèt non sine ordine ad subiectum commune.

19 Itaque ex modo, quo fit præsens corpus cum successione in *essendo* ad *esse* panis conuersi in ipsum (sic vt saluetur conuersio, vt specificatur ad terminum *ad quem*) terminus *ad quem* dicit *esse*, cum conclusione termini *à quo* conuersi in ipsum; neque ponitur in *esse*, nisi cum hac determinatione *essendi*: neque terminus *à quo* desinit *esse*, nisi respectiuè ad *esse*, quod succedit: cùm ergo conuersio sit inter substantiam, & substantiam in *esse*, sic etiam necessariò vnum *esse* succedit alteri; & vt succedit cum hoc ordine, vt subest conuersioni, dicit incompatibilitatem cum altero in *esse*; & consequenter negationem contrariam; vel certè quòd æquiualet, contradictoriam implicat, inclusam in suo *esse*, vt succedit per modum termini, in quem desinit panis: non succedit ergo negatio pura *esse* panis, sed negatio, vt afficit subiectum determinatum, in quod panis conuertitur.

Et perinde est ad excludendam affirmationem contradictoriam, siue illa negatio insit ex natura absoluta termini, siue ex modo ponendi terminum; quomodocumque enim inest, tollit affirmationem, inquantùm ei succedit: & quia succedit, vt afficit determinatum subiectum, ideò non est purum nihil, aut negatio absoluta essendi, vt abstrahit ab omni subiecto; sicut est negatio, quæ est terminus annihilationis.

Solutio autem subsequens illius replicæ ad hunc sensum reducta subsistit. Ad illud autem quod obiicitur, quòd terminus posterior non est ratio alicuius incompossibilitatis ad aliquid prius naturaliter: ergo corpus Christi, vt hîc, non est aliqua ratio incompossibilitatis corporis ad *esse* panis. Respondetur negando suppositum, quia licèt corpus, vt ponitur sub speciebus, sit posterius pane in essendo, eique succedit, tamen, vt succedit per cõuersionem panis in ipsum, & subest mutationi, est terminus *ad quem*, & prior in genere causæ formalis, vel certè finalis, & specificantis mutationem; prior enim est, inquam, desitione panis, vt transit in *non esse*, ex repugnantia termini *ad quem*; qui includit modo explicato *non esse* panis: & sic patet ad omnes obiectiones allatas.

20 *Obiectio.* *Responsetur.* *Prioritas corporis ad* non esse *panis.*

Hunc modum incompossibilitatis ex natura rei inter terminos huius conuersionis, puto esse magis ex sententia Doctoris; tum quia primo loco illam docet, tum quia fundamentum, ex quo quæstione prima huius distinctionis, probat possibilitatem transsubstantiationis, ei magis cohæret, ex plena subiectione *esse* totalis vnius termini, & *non esse* alterius termini ad potentiam Dei in ordine ad conuersionem vnius in alterum: conuersionem autem hanc dicit soli Deo conuenire posse, quod intelligit, quà est exercitium omnipotentiæ diuinæ diuersum à creatione, & annihilatione: oportet ergo per ipsum transsubstantiationem esse diuersam ab his, vt saluetur tam ipsa conuersio, quàm subiectio illa rerum in ordine ad conuersionem; quàm etiam possibilitas vtrimque fundata ad conuersionem vt diuersam à creatione, & annihilatione.

21 *Hic modus explicandi præfertur.* *Prima ratio.*

Si desitio termini *à quo* esset mera annihilatio, nihil faceret talis desitio ad conuersionem in aliud, tanquam diuersus modus desinendi; neque positio termini *ad quem* faceret aliquid ad conuersionem, cùm nihil in ipsum desineret, sed esset mera creatio latè, vel strictè sumpta.

Facit ad idem definitio transsubstantiationis ab eo assignata ibi, vt sit *mutatio totalis substantiæ in substantiam*: desitio autem non refertur ad aliquid, ad quod terminus desitionis, seu negatio essendi non refertur: terminus autem annihilationis nullo modo refertur ad aliquod subiectum; sed est pura negatio extra genus: ergo sic nihil facit ad terminum *ad quem* conuersionis: oportet ergo vt saluetur mutatio substantiæ in

22 *Secunda ratio.*

ſubſtantiam, deſitionem vnius reſpicere poſitionem alterius, & econtà: hoc autem nequit commodè, niſi deſitio ipſa ex natura mutationis ſit coniuncta termino *ad quem* conuerſionis poſito, ſeruatâ proportione ad alias mutationes quantùm fieri poteſt, in quibus vnum conuertitur, & immutatur in aliud: ergo debet terminus *ad quem*, vt ſubiacet mutationi, dicere negationem eſſendi termini *à quo*.

23 *Tertia, & quarta ratio.* Accedit, quòd hoc modo magis propriè ſaluatur tranſſubſtantiatio inter corpus, & panem in *eſſe* ſubſtantiæ, & verba Conciliorum, & ex Doctore concluſione ſequenti; ſi terminus conuerſionis produceretur ſimpliciter, diceret incompoſſibilitatem, quam modò declarauimus, in eſſendo ad terminum *ad quem*; & terminus *ad quem* inceptionis eſſet per ſe oppoſitus termino *à quo*; ſicut eſt in terminis generationis, & corruptionis: & negatio termini *à quo* deſitionis eſſet terminus eius, vt includitur in termino *ad quem*. Si ergo hoc verum eſt ex ſententia Doctoris, nihil etiam vetat idem dici in propoſito, nempe corpus Chriſti, vt ponitur præſens ſub ſpeciebus realiter & ſubſtantialiter, includere negationem, vt terminat deſitionem panis, cùm Concilia dicant panem ſecundùm ſubſtantiam, nihil eius manente, conuerti in corpus Chriſti. Accedit vltimò, quòd reſpondeat ad argumenta in fine quæſtionis Doctor ſecundùm hanc concluſionem; & obiter tantùm reſponſione ad quartum indicat alterum modum, quem in ſequenti explicabimus, qui eſt ex opinione aliorum: neque in Quodlibeto decimo aliter procedit; quin imò magis diſcurrit ad hunc modum, quàm ad alterum, & reſolutionem finalem ad eum reducit.

## SCHOLIVM.

*Reſoluit Scotus teneri poſſe tertium membrum ſententiæ Varronis poſitæ n.6. id eſt, panem annihilari, ſed non conuerſione, ſed annihilatione. Primam partem probat, quia terminus per ſe deſitionis eius eſt* non eſſe, *cui per accidens coniungitur* eſſe *corporis Chriſti vt hîc. Secundam ſuadet, quia conuerſio eſt actio poſitiua, & non deperditiua* eſſe *panis, ſed præſentiæ eius vt hîc,* eſſe *autem ſimpliciter eius annihilatione perit: & hæc pulcherrimè explicat. Hanc ſententiam de annihilatione tenent Gabr.hîc q.1. & lect.40.in can.Maior.q.1. Albert.hîc art.6. Rub.q.2. art.3. Baſſol.q.4. Ocham 4.q.6. ad dub.7. Angelus verb.* Euchariſtia *1.n.31. Leuchet.quodl.10. Tartar.ibi, & hîc, & omnes Scotiſtæ. Quare immodeſtè loquitur Sotus diſt.9.q.2.art.4. dicens hanc non poſſe doceri citra errorem. Aduerte tamen Scot.hîc n.15. & 16. & latius quodl.10. inſinuare probabiliter conuerſionem eſſe productiuam; & conſequenter deſitionem panis non eſſe annihilationem. Sed tota quæſtio videtur tantùm de modo loquendi, ſuppoſitâ fide de præſentia corporis Chriſti, & abſentia panis.*

14 *Reſolutio Scot. de panis deſitione, qualis ſit.* Poteſt * ergo teneri tertium, ſcilicet ſecundum membrum diſiunctiuæ poſitæ ſuprà: quòd deſitio panis ſit annihilatio abſolutè panis, ſicut probat illa ratio de per accidens: quod quia neceſſe eſt dicere, quòd ipſi *eſſe* panis ſimpliciter ſuccedit *non eſſe* panis ſimpliciter, & iſta ſucceſſio oppoſiti ad oppoſitum per accidens coniungitur cum ſucceſſione præſentiæ corporis Chriſti hîc, ad non præſentiam hîc; ideò iſta habebit ſuos per ſe terminos alios à per ſe terminis illius: non ergo per ſe terminus iſtius terminabit per ſe, vel præcisè, vt coniungitur per accidens per ſe termino alterius.

*num.23. Si tranſubſtantiatio eſſet productiua, fortè panis non annihilaretur, ſecùs cùm ſit adductiua.* Dico etiam quòd hac conuerſione panis non annihilatur: quia ſicut dictum eſt in ſolutione quæſtionis præcedentis, tranſubſtantiatio quædam eſt, quâ terminus accipit ſimpliciter *eſſe*: quædam autem quâ accipit hîc *eſſe*. De prima, quâ terminus vnus accipit ſimpliciter *eſſe*, & alius ſimpliciter *non eſſe*, fortè poſſet ſaluari, quòd deſitio termini *à quo*, non eſt ſimpliciter annihilatio: quia ibi per ſe terminus *ad quem* ipſius inceptionis eſſet oppoſitus termino *à quo* deſitionis, ſicut eſt de termino *à quo*, & *ad quem* generationis, & corruptionis: & ita poſſet ibi negatio termini *à quo*, vt in termino *ad quem*, terminare deſitionem: ſed in propoſito, vbi tantùm eſt tranſitio adductiua, terminus *ad quem* per ſe mutationis poſitiuæ non opponitur termino *à quo* mutationis priuatiuæ: & ita non poteſt eſſe ratio concludendi negationem eius.

15 *Explicatio inceptionis corporis, & deſitionis panis, in Euchariſtia.* Poſſet ergo dici, quòd conuerſio iſta eſt ſicut ſubſtantiæ in ſubſtantiam, non quantùm ad *eſſe* ſubſtantiæ ſimpliciter, ſed quantùm ad hîc *eſſe*, vt ſicut corpus vt hîc ſuccedit pani vt hîc: ita panis vt hîc conuertitur in corpus vt hîc: & illæ mutationes licèt ſint inter ſubſtantias, tamen non ſunt inter ſubſtantias, vt inter terminos: termini enim ſunt tantummodo præſentialitas, & non præſentialitas, quæ poſſunt reduci ad genus *Vbi*, vt dictum eſt *diſt.* 10. *quæſt.* 1. ſicut ergo mutatione poſitiuâ non acquiritur ſimpliciter *eſſe* corpori, ſed tantùm *eſſe hîc*, ita mutatione deperditiua correſpondente, quam incluſit conuerſio iſta, inquantùm iſta conuerſio eſt tranſſubſtantiatio tranſlatiua, non autem productiua, iſtâ inquam non deperdit panis *eſſe* ſimpliciter, ſed *hîc eſſe*, & patet ſatis pulchra correſpondentia, quia ſicut corpus Chriſti habet nouam præſentiam non deperdendo antiquam, & mutationem acquiſitiuam ſine deperditiua, vt dictum

eſt

est *dist.* 10. *quæst.* 1. ita etiam panis habet deperditiuam sine acquisitiua, quia definit esse hîc, & non acquirit aliam præsentiam alibi; quia ergo non deperditur, sicut nec acquiritur per hanc conuersionem, vt est translatiua, nisi tantùm *esse hîc*, & *non esse hîc*, sequitur, quòd per hanc conuersionem, vt hîc est, non deperditur *esse* substantiale: & per consequens non annihilatur, imò non destruitur panis hac conuersione, quia tamen panis non manet in *esse* substantiali, & hac conuersione non destruitur, vt dictum est; oportet quòd desinat esse aliâ desitione, quæ est à simpliciter *esse* eius ad simpliciter *non esse* eius. Illud autem non *esse* eius, licèt quasi concomitetur præsentiam corporis vt hîc, non tamen vt terminum eiusdem generis, & per consequens, si ista desitio secundùm se considerata, sit annihilatio, tamen nullo modo ista conuersio est annihilatio.

*Sicut in cõuersione, corpus Christi habet mutationem acquisitiuam vbi, sine perditiua, ita panis habet deperditiuã sine acquisitiua.*

16

Exemplum huius, Si panis destrueretur, & crearetur Angelus de nouo, & fieret præsens speciei panis, conuersio panis in Angelum esset panis, vt hîc in Angelum hîc præsentem, & per istam conuersionem Angelus non acquireret, nisi illam præsentiam, concomitaretur tamen illam præsentiam nouam nouum *esse*, quod terminat creationem propriam.

Per istum modum dicendi apparet, quæ transsubstantiatio potest esse in præexistens, & quæ non: & quæ potest esse manente termino *à quo*, & quæ non: transitio enim, quæ est à termino in terminum secundùm *esse* simpliciter terminorum, & *non esse*, non potest esse alicuius conuersi, & tamen manentis, nec in terminum præexistentem: sed transsubstantiatio, quæ est transitus substantiæ in substantiam quantùm ad hîc esse, potest esse, & termini *à quo* manentis, si desinat hîc esse, non tamen simpliciter desinat esse, & succedat sibi aliud, vt hîc. Potest etiam esse in terminum præexistentem, si incipiat hîc esse, absque hoc, quòd incipiat esse. Potest etiam esse, quod terminus *à quo* destruatur: sed non hac conuersione. Et potest esse, quòd terminus *ad quem* incipiat esse, & non hac conuersione, sicut exemplificatum est de Angelo creato.

*Transsubstãtiatio adductiua potest esse in præexistens, & termino* à quo *simpliciter manente, productiua neutro modo est possibilis.*

## COMMENTARIVS.

24 a POtest ergo teneri tertium, &c. Docet alium modum explicandi hoc mysterium, tenendo panem desinere esse per annihilationem, quæ per accidens coniuncta est conuersioni, & subdit:

*Secunda conclusio. Annihilatio concomitatur cõuersionem.*

*Dico etiam*, inquit, *quòd hac conuersione panis non annihilatur.* Et declarat duplicem esse transsubstantiationem; nam quædam est, quâ terminus simpliciter recipit *esse*, & hæc includit in suo termino *ad quem* negationem essendi termini conuersi: vnde hic non diceretur annihilari, vt *suprà* explicatum est: quædam verò est adducta, & in hac terminus *ad quem* non includit *non esse* simpliciter termini *à quo*.

*Duplex conuersio.*

*Declaratur conclusio ex aliàs dictis.*

Declaratur hæc conclusio, potest esse successio in essendo inter substantias, vel quantùm ad *esse*, & *non esse* simpliciter, vel quantùm ad *esse*, & *non esse*, quoad modum essendi determinatum, nempe *esse hîc*: conuersio ipsa, seu mutatio totalis est inter ipsas substantias, tanquam inter ipsos per se terminos positiuos, concomitantur autem duæ mutationes, quarum vna est in termino *ad quem*, vel quâ recipit *esse* simpliciter post *non esse*, vel quâ recipit *esse hîc*, & non simpliciter, quia non producitur: prima est productiua, secunda verò adductiua. Similiter seruatâ proportione dicendum de termino conuerso.

*Duplex conuersio.*

25 Vnde reuocandum est ad præsens, quod diximus in commento quæstionis præcedentis, §. *Quantùm ad istum articulum*, &c. circa expositionem dubij, quod ibi mouet, & circa distinctionem assignatam inter transsubstantiationem productiuam, & adductiuam, quam hîc etiam repetit: distingui enim debet transsubstantiatio secundùm id, quod præcisè importat, ab eo quod concomitanter: primo modo est *conuersio totalis substantiæ in substantiam*, prout definitur à Doctore *quæst.* 1. *huius artic.* 1. sine hoc conceptu nequit saluari transsubstantiatio, sicut neque definitum, sine definitione, aut ratione sua formali.

*Definitio transsubstantiationis.*

Hæc autem conuersio substantialis præter extrema dicit ordinem extremorum in *esse*, & successionem. Potest autem esse, vt dixi, hæc successio, vel secundùm *esse* absolutè, vel secundùm *esse* determinatum, quod vocat Doctor *esse hîc*: quod duobus modis intelligi potest, videlicet quod *esse hîc* denotat solùm determinationem accidentalem, quæ aduenit subiecto per præsentiam, vt est respectus: alio modo specificatiuè, denotando ipsum subiectum, quod habet talem præsentiam, & est realiter substantialiter præsens.

*Quid sit* esse *absolutè, quid* esse *determinatum.*

Explicatur exemplo, quando locus dicitur continere locatum, non intelligitur in sensu formali, quasi contineret præsentiam locati, sed in sensu materiali, quà continet ipsum corpus, quod dicitur præsens: forma, verbi gratiâ, anima rationalis, recipit *esse* per modum formæ in subiecto, & superueniente aliâ formâ incompatibili desinit esse in subiecto: hæc inceptio, & desitio *non est* secundùm *esse* simpliciter, & absolutè, quia incipit per creationem, & si desineret, desineret per annihilationem tantùm: sed est *esse* respectiuè ad aliquod determinatum, nempe ad subiectum: sic etiam vna forma repugnat alteri formæ, non absolutè, & secundùm *esse* simpliciter, sed secundùm *esse* determinatum in eodem subiecto, sic etiam repugnat suæ priuationi: sic ergo aliquid secundùm suum *esse* determinatum, id est, respectiuè ad aliquod determinatum, potest repugnare alicui, ita vt repugnantia sit simpliciter inter terminos, non vt abstrahant à quacunque determinatione, quamuis ipsa determinatio superaddita non sit fundamentum repugnantiæ, & incompossibilitatis

26 *Per exempla declaratur hæc diuersitas.*

*Repugnantia secundùm determinatum esse quomodo intelligenda?*

bilitatis, ſed ipſi termini, vt ſubſunt determinationi.

27 *Ita ſaluari poteſt repugnantia in propoſito.*

Ad propoſitum itaque inter corpus Chriſti,& ſubſtantiam,& conuerſio, & ſucceſſio in eſſendo, tanquam inter terminos per ſe mutationis totalis,non tamen ſimpliciter, & abſolutè ſecundùm *eſſe*,vt abſtrahit ab omni determinatione, ſed ſecundùm *eſſe*,vt ſubeſt determinationi,& ſic ſaluatur tranſſubſtantiatio ſecundùm *eſſe* ſubſtantiale determinatum, & non ſecundùm *eſſe* ſimpliciter: præſentia autem corporis, & non præſentia panis non ſunt termini huius conuerſionis per ſe, ſed determinatio concomitans,& ſine qua termini non applicarentur ſibi inuicem, vt dicunt oppoſitionem,quâ vnus deſinit in alium, non ſimpliciter,ſed reſpectiuè ad determinatum *eſſe*,vel ad *eſſe*,vt reſpicit aliquod determinatum, verbi gratiâ,accidentia panis: ipſum ergo ſubiectum præſentiæ,& non præſentiæ ſubiectum,ſunt termini conuerſionis, quâ priora ſunt præſentia, & non præſentia, licèt non opponantur, niſi accedente determinatione per præſentiam, & non præſentiam, & reſpectiuè ad tertium determinatum, nempe accidentia: vide Doctorem *quodlibeto* 10. *art.*2.*in fine*,§. *Aliter poteſt declarari*,&c.

*Determinatio per præſentiam,nõ fundamentũ oppoſitionis.*

28 *Exponitur litera ex dictis*

Ex his declaratur litera ſequens:*Poſſet ergo dici quòd iſta conuerſio eſt ſicut ſubſtantiæ in ſubſtantiã*,&c. vbi primò dicit hanc conuerſionem eſſe inter corpus, & panem non ſecundùm *eſſe* ſimpliciter, & *non eſſe*,id eſt,in omni ambitu entis:ſed ſecundùm *non eſſe hîc*,& *eſſe hîc*,,vel vt declaratum eſt ſecundùm *eſſe*,& *non eſſe determinatum*, quia nec corpus Chriſti ſecundùm modum naturalem eſſendi, quem habet in cœlo,eſt terminus *ad quem* conuerſionis,neque in eum ſecundùm illum modum eſſendi conuertitur,aut deſinit panis,& quando deſinit, corruptis ſpeciebus, non deſinit ſecundùm *eſſe*,quod habet in cœlo, quamuis ſit *eſſe* eius reale, & ſubſtantiale.

*Quid ſit deſinere abſolutè, & ſimpliciter.*

Hæc omnia eſſent falſa, ſi eſſet terminus *ad quem*,ſecundùm *eſſe* ſimpliciter,quod importat affirmationem, vt opponitur contradictoriæ negatiuæ, vt abſtrahit ab omni determinatione, & modo eſſendi, & excludit totum *eſſe* ſuæ affirmatiuæ: ergo corpus Chriſti eſt terminus *ad quem* mutationis, ſeu tranſſubſtantiationis.ſecundùm *eſſe* determinatum,vt dictum eſt, quod intelligit Doctor per *eſſe hic*: non quod *eſſe hic* ſit diſtractio veritatis eſſendi realiter,& ſubſtantialiter,ſed denotet determinationem eſſendi realiter, & ſubſtantialiter:quod omnes fateri debent,qui negant corpus vt hîc produci per tranſſubſtantiationem; & tamen eſſe terminum *ad quem* conuerſionis, imò etiam ij, qui dicunt produci, neceſſariò dicent produci ſecundùm determinatum *eſſe*,& non ſecundùm totale,& omnem modum eſſendi,aliàs produceretur vt in cœlo eſt;& ſic etiam tranſſubſtantiatio eſſet ad ipſum,vt eſt in cœlo,quod non admittit fides.Eodem etiam modo panis, vt habet *eſſe hic*, conuertitur in corpus, ſeu tranſit in ipſum, deſinendo præcisè *eſſe hic*, & *non eſſe* ſimpliciter.

29 *Panis deſinit eſſe, & quomodo?*

Subdit mox Doctor: *Et illæ mutationes, licèt ſint inter ſubſtantias, tamen non ſunt inter ſubſtantias, vt inter terminos: termini enim ſunt tantummodo præſentialitas, & non præſentialitas, quæ poſſunt reduci ad genus* vbi, *vt dictum eſt diſtinct.* 10. *quæſt.*1.&c. Hic paſſus reddit fortè difficilem explicationem præmiſſam, & tam externi, quàm noſtri,plerunque intelligunt hîc loqui Doctorem de tranſſubſtantiatione,ſeu mutatione totali. Reſpondetur tamen (ſaluo meliori iudicio Magiſtrorum) non ita intendere Doctorem, quaſi termini formales conuerſionis eſſent præſentia, & non præſentia, quia vt *ſuprà* vrget Doctor contra alios,ſic eſſet tranſaccidentatio,vel in ſpecie tranſubiquatio, non tranſſubſtantiatio, ſeu mutatio ſubſtantiæ in ſubſtantiam, neque definitio tranſſubſtantiationis ſaluaretur per ipſum aſſignata. *Explicatur.*

Agit ergo hîc Doctor de mutationibus concomitantibus tranſſubſtantiationem,eorúmque terminis:quærit enim de modo deſitionis panis, & de eo, quod de nouo fit in corpore Chriſti, non autem de ipſa præciſa formalis ratione tranſſubſtantiationis, ideò dicit in plurali *illa mutationes*, &c. Tranſſubſtantiatio verò non eſt multiplex mutatio,ſed vna tantùm per ipſum, vt patet *q.*1. per totum, & potiſſimum *art.*3. vbi dicit de formali importare ordinem, & ſucceſſionem inter terminos in eſſendo, quà vnum in aliud totaliter mutatur; de materiali verò ſimul importare ipſos terminos:ergo eſt ſimplex mutatio: quam ibi negat ſpectare ad genus mutationis, vt eam definit Philoſophus. *Agit de concomitãtibus.* *Quid importat tranſſubſtantiatio de formali, & materiali?*

Hanc concomitantur duæ mutationes propriè dictæ ſuo modo, ſecundùm quas eſt nouitas in vtroque termino tranſſubſtantiationis de *eſſe*, in *eſſe* nouum,cuius terminus eſt præſentia, & de *eſſe* panis in *non eſſe*,vel ſimpliciter,vel hîc. 30

De his ergo mutationibus agit hîc Doctor ex propoſito, non autem de tranſſubſtantiatione in ſua formali acceptione: vide quæ diximus *ſuprà quæſt.precedenti*, §. *Quantùm ad iſtum articulum*, &c. ne eadem repetamus. Dicit ergo has mutationes, licèt ſint inter ſubſtantias, videlicet corporis, & panis, quà vnum recipit *eſſe*, aliud deſinit in ipſum, ad quam conuerſionem faciunt prædictæ mutationes, vt determinant per accidens, iuxta ea,quæ præmiſſa ſunt. *Scopus Doctoris.*

*Tamen*,inquit,*non ſunt inter ſubſtantias, vt inter terminos*, ſupple formales, ſed inter præſentiam, quæ producitur per acquiſitiuam mutationem, & productiuam,& non præſentiam, vt eſt terminus diſperditiuæ:*& hæc reducuntur ad genus vbi*,inquit,non autem tranſſubſtantiatio ſecundùm formale ſubiectum,quæ eſt inter ſubſtantias:quia vt dicit de formali ſucceſſionem,& ordinem terminorum non reducitur ad vllum genus,quia ſic eſt aliquid non reale;de materiali verò reſpicit genus Subſtantię eo modo,quo reduci poteſt ad genus.Planum ergo fit non intelligi hanc mutationem hîc, ſed illas alias concomitantes.

Vnde infrà §. *Per iſtum modum dicendi apparet*, &c.*Tranſſubſtantiatio*,inquit,*quæ eſt tranſitus ſubſtantiæ in ſubſtantiam,quantùm ad hîc eſſe,patet eſſe,& termini* à quo *manentis,ſi deſinat hîc eſſe*,&c. non dixit præſentiæ in præſentiam, ſed *ſubſtantiæ in ſubſtantiam*,&c.Illa clauſula:*quantùm ad eſſe hîc*, &c. dicit determinationem, vt excludit *eſſe* ſimpliciter, & tranſitum quoad tale *eſſe*, non verò tranſitum quoad *eſſe* reale ſubſtantiale determinatum: huc ſpectant verba eius ſequentia in contextu ſuperiori. 31

*Sicut ergo mutatione poſitiuâ non acquiritur ſimpliciter* eſſe *corpori,ſed tantùm* eſſe *hîc, ita mutatione deperditiua correſpondente, quam includit conuerſio iſta, inquantùm iſta conuerſio eſt tranſſubſtantiatio translatiua,non autem productiua: iſta, inquam, non deperdit panis* eſſe *ſimpliciter,ſed* eſſe *hîc*,&c. Quibus verbis expreſsè

expresè distinguit inter conuersionem,& mutationem deperditiuam, *Quam includit*, inquit, *conuersio ista*, &c. eandem etiam appellat *transsubstantiationem translatiuam*, in qua & ponitur transsubstantiatio, vt determinabile, & translatiua per modum determinantis consequentis, aut concomitantis, quo distinguatur à productiua, quæ est inter terminos quoad *esse* simpliciter, & non solùm quoad determinatum *esse*.

Deindè explicat eandem proportionem inter terminum *ad quem*,& *à quo*, quia sicut terminus *ad quem* non recipit *esse* simpliciter, sed *esse hic*, vt cadit de facto sub mutatione totali, & substantiali: ita etiam ad saluandam veritatem eiusdem transsubstantiationis respectiuè ad terminum *ad quem*, non requiritur aliud, quàm quòd ex vi conuersionis desinat esse hîc tantùm; quòd ergo ampliùs desinat esse simpliciter, habet ex altera mutatione consequenti, quâ non conseruatur, neque acquirit *esse* alibi, non ex vi huius conuersionis: & ratio quam insinuat, est manifesta quam hîc formo, explicato eius intento.

*Probatio conclusionis secundæ.*

Non magis transsubstantiatio est ad substantiam, vt respicit terminum *à quo*, quàm vt respicit terminum *ad quem*, sed vt respicit terminum *ad quem*, à quo magis specificatur, non requirit terminus *ad quem* transmutationem, seu conuersionem secundùm *esse* simpliciter, & vniuersaliter suum, aliàs esset terminus conuersionis secundùm quòd est in cœlo, sed sufficit, vt sit terminus secundùm *esse* reale, substantiale, & determinatum, quod habet sub speciebus: ergo etiam ad veram transsubstantiationem, vt respicit terminum *à quo*, sufficit, vt desinat secundùm *esse* determinatum, quod habet, vt est sub accidentibus.

*Conuersio est ad terminum* ad quem, *secundùm determinatum esse.*

33 *Secunda ratio.*

Secundò, ex vi conuersionis totalis sufficit, vt sit successio inter terminos, & ordo talis, quo terminus *ad quem* succedat termino *à quo*, & hîc transeat in terminum *ad quem*, inquantùm terminus *ad quem* succedit; finis autem transsubstantiationis saluatur in termino *ad quem*, inquantùm in ipsum, vt succedit, conuertitur terminus *à quo*, & finis desitionis subsstantiæ panis in proposito, est positio corporis Christi: sed si desineret terminus *à quo*, ex vi conuersionis secundùm aliquod *esse*, in quo non succederet terminus *ad quem*, non desineret in terminum *ad quem*, neque saluaretur finis conuersionis, aut successio secundùm ipsam conuersionem, neque ordo proportionatus terminorum: ergo in tantùm ex vi conuersionis desinit terminus *à quo*, inquantùm succedit terminus *ad quem*.

*Ex determinato ordine, & fine conuersionis.*

Sed corpus Christi non succedit pani ex vi huius conuersionis, nisi secundùm *esse* determinatum, vt hîc sub speciebus, non autem secundùm omnem modum essendi corporis vniuersaliter, & secundùm *esse* simpliciter, vt importat omne determinatum *esse* corporis, licèt succedat hoc modo secundùm *esse* reale, & substantiale, vt hîc: ergo ex vi huius conuersionis non definit panis in corpus, nisi secundùm *esse* reale substantiale vt hîc, id est, vt est sub accidentibus, non autem secundùm *esse* simpliciter, id est, vniuersaliter: hæc autem desitio non requirit annihilationem: ergo ex vi huius desitionis non annihilatur, vt infert Doctor, neque etiam desinit secundùm *esse* simpliciter, sed tantùm secundùm *esse* determinatum.

*Requirit tantùm desitionẽ panis, vt est sub accidentibus.*

34 Confirmatur, nõ magis infert hæc mutatio desitionem termini *à quo* simpliciter, quàm mutatio per generationẽ desitionẽ termini *à quo*, seu formæ præexistentis, & incompatibilis suo termino formali, sed ad hanc desitionem sufficit formam priorem desinere subiecto secundùm quòd in ipso est, & secundùm hoc *esse* determinatum tantùm, & non secundùm *esse* simpliciter, vt patet in anima rationali, quæ desinit tantùm secundùm *esse*, quod habuit in subiecto, adueniente aliâ formâ; sit forma cadaueris, vt impugnatores huius conclusionis volunt, sit alia quæcunque.

*Patet à simili.*

Et si Deus vellet formam materialem separatam à subiecto conseruare extra subiectum, idem esset: quia verè generans aliam incompatibilem in subiecto corrumpit *esse*, quod habuit in ipso subiecto, & hoc tantùm requiritur ad finem generationis, nempe vt tollat formam, & actum è subiecto, quod impedit propriæ formæ inductionem: ergo similiter ad finem transsubstanttationis inquantùm inducit terminum *ad quem* sub speciebus, sufficit vt desinat in ipsum, quæ fuit sub speciebus, vel secundùm illud *esse*, in quo solo est incompatibilis ad *esse* corporis Christi sub speciebus.

*Et ratione ex generatione possibili.*

Et probatur consequentia, quia si panis conseruaretur seorsim à speciebus, modò desineret sub speciebus ex oppositione ad corpus Christi sub speciebus, non haberet aliquod *esse* incompatibile ad corpus Christi, vt sub speciebus, est ex vi huius conuersionis: sicut neque anima rationalis, vt manet in *esse* separato habet repugnantiam ad *esse* formæ succedentis, quia nempe vtrobique est oppositio, successio, & conuersio secundùm *esse* determinatum, & non secundùm *esse* simpliciter, & abstractum ab omni determinatione.

*Oppositio potissimùm est inter* esse *determinatum.*

Dices, sic desinere, non saluare conuersionem substantialem panis in corpus Christi, sed tolli tantùm præsentiam panis, quod non saluat transsubstantiationem. Contrà, hanc solutionem tollit prima ratio, vt eam formauimus iuxta mentem Doctoris, quia sicut *esse* corporis Christi reale, & substantiale, & præexistens, nec productum de nouo, vt fit præsens sub speciebus, est terminus substantialis *in quem*, ita etiam *esse* panis, vt est subiectum accidentium, est reale, & substantiale eius sine vlla distractione, quia hæc determinatio non est distractio, sed limitatio ipsius *esse*.

35 *Responsio.*

*Impugnatur.*

*Saluatur cõuersio substantialis.*

Et sicut idem corpus si poneretur in diuersis locis posset in vno loco terminare aliquam actionem substantialem primò secundùm suum *esse* substantiale, quo non terminaret alibi primò, vt nutritionis: imò secundùm aliquos opponentium posset corrumpi simpliciter in vno, & manere in altero sub sua forma: ergo à fortiori *esse* panis sub speciebus, & vt determinatè sub speciebus est, potest similiter terminare hanc mutationem substantialem sui in corpus Christi secundùm illud *esse* determinatum, cùm ipsum corpus eandem terminat principaliter, vt est terminus *ad quem*, non quòd recipiat *esse* simpliciter eo modo, quo hîc loquimur, sed tantùm determinatum *esse*.

*Declaratio ex conceßis, & probatio.*

Tertiò, non magis desinit panis posito corpore Christi sub speciebus, quàm ipsum corpus adueniente nouâ substantiâ, & alteratis speciebus, licèt enim non sit idem modus in omnibus, est tamen ille modus, & successio, quo verè dicatur corpus Christi desinere realiter, & substantialiter quoad *esse* sub speciebus, & omne illud quod recepit ex vi transsubstantiationis; illud autem dicitur

36 *Tertia ratio ex desitione corporis.*

citur *esse* substantiale non nouum, sed præexistens vt fit hîc nempe sub speciebus: & hæc desitio eius est ex vi substantiæ succedentis, saltem ex diuina voluntate: ergo etiam panis desinendo tantùm secundùm illud *esse*, quod habuit sub speciebus, licèt non desineret simpliciter, sufficienter terminaret conuersionem sui in corpus Christi, & diceretur secundùm *esse* aliquod substantiale desinere respectiuè ad corpus Christi succedens, & consequenter in ipsum corpus Christi desineret substantialiter.

37 *Quarta ratio. Saluatur omnia requisita ad transubstantiationē.*

Quartò, saluatur totum, quod est de veritate huius mysterij, & quod fides & Patres docent per hunc modum: ergo sufficit ad declarandum mysterium, & minùs implicat difficultatem quoad rationem naturalem, & multis placet, & de facili tollit illud inconueniens, quod vrgent hæretici de annihilatione panis, vt est terminus conuersionis.

Antecedens probatur, quia saluat veritatem formæ, quia forma nequit falsificari, nisi maneret panis sub speciebus, ex vi conuersionis sic declaratæ, non maneret, & hoc admittunt, vt plurimùm, aduersarij: nempe si panis seorsim alibi extra species conseruaretur, ita vt non possit designari per particulam demonstratiuam, forma demonstrans corpus Christi præsens esset vera.

*Saluaretur veritas formæ, demonstratiuum.*

*Saluaretur practica, & simul cōuersio.*

Saluaretur etiam veritas practica formæ, atque ipsa conuersio, quam docent Patres, quia nihil requirunt, nisi panem desinere in corpus Christi secundùm totam substantiam, ita vt nihil eius maneat simul cum corpore Christi sub speciebus, & ex positione, & præsentia corporis sequatur absentia, seu *non esse* panis (non absolutè & simpliciter, quia de tali desitione nihil Patres) sed sub speciebus, quia de tali permanentia panis quæstio fuit cum antiquis, & moder nis hæreticis.

38 Atque adeò Tridentinum totam hanc veritatem definiuit can. 2. *Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, vnà cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini*, &c. *anathema sit*, &c.

Totum hoc saluat præmissa conclusio, saluat & ipsam transsubstantiationem, quia conuertitur panis in corpus Christi, quoad substantiam, vt probatum est, & nihil panis manere sub accidentibus ex vi conuersionis, nam si per nouum miraculum separatum panem Deus conseruaret seorsim, adhuc maneret veritas Canonis, vt dictum est. Et hæc conclusio longè distat à sententia, quam ipse Doctor *suprà* cum D. Thoma damnat, quæ ponit annihilationem panis sine vlla eius conuersione: non ita hæc sententia.

39 *Altera pars conclus. Probatur.*

Quod supereſt ergo, restat probandum, quòd annihilatio, seu desitio panis secundùm *esse* simpliciter non fiat ex vi conuersionis, tamen de facto ita desinit. Ex vi conuersionis præsentis, vt probatum est, non desinit panis, nisi secundùm *esse* determinatum sub speciebus: sed hæc desitio non est annihilatio, seu desitio vt terminatur ad negationem extra genus, quod tollit *esse* secundùm omnem modum essendi: ergo ex vi huius desitionis non infertur panem desinere in nihil.

*Negatio panis determinata est terminus desitionis.*

Patet minor, quia terminus *ad quem* huius desitionis est negatio panis determinata, & secundùm determinatum modum essendi, nempe sub speciebus, & fundatur in corpore Christi, vt est terminus in quem desinit: negatio autem in subiecto determinato non infert negationem simpliciter vniuersalem, sicut negatio formæ in subiecto, succedens suo *esse* in subiecto, non infert talem negationem extra genus, & omne subiectum, aliàs forma desineret per annihilationem, cùm nihil eius maneat. Vnde colligitur, cùm desitio panis, vt hîc, terminetur ad negationem, quæ ex vi conuersionis inducitur, éstque negatio in subiecto, ex vi conuersionis non induci negationem simpliciter, seu extra subiectum.

*Succedit negatio extra genus, & quomodo?*

Hæc tamen extra genus succedit illi negationi in subiecto, non ex natura ipsius negationis, sed ex voluntate causæ extrinsecæ, non conseruantis panem in *esse* separato; vnde si conseruaret, adhuc maneret desitio ex vi conuersionis, & negatio, quæ est terminus eius absque eo, quòd succederet negatio extra genus.

*Causa negationis extra genus.*

Sicut desinente Christo sub speciebus, succedit tantùm negatio eius secundùm *esse* sacramentale, non autem negatio simpliciter: ergo ex particulari, & determinata negatione, non sequitur negatio simpliciter, quamuis eam in proposito sequatur ex causa extrinseca, quia alibi non conseruatur.

40 *Voluntas vniuersalis causa est desitionis.*

Huius autem desitionis panis, quâ desinit secundùm *esse* simpliciter, & non tantùm secundùm determinatum sub speciebus, causa est, non dependentia panis in *esse* ab accidentibus, vt vult Suarez, nec conuersio panis in corpus Christi, vt fit de facto: nec voluntas particularis causæ primæ, sed voluntas eius vniuersalis, quia de lege ordinaria, quâ Deus conseruat substantiam, eam conseruat sub suis accidentibus, & non seorsim desinit ex natura rei, hoc est, vt subest influxui causæ primæ, qui ipsi non debetur, neque datur, nisi vt subest accidentibus, quia sic cadit sub fine ordinariæ prouidentiæ, & perfectione vniuersi, & illud est *esse* eius naturale, vt subest actioni, vt passioni, quâ influit in alia membra vniuersi, & recipit ab ipsis influxum, secundùm præsentem statum motus, & mutationis, & corruptibilitatis, qui deseruit homini in statu viæ, propter quem hic mundus inferior constitutus est. Vnde quando status viæ finietur, creatura etiam liberaliter à seruitute, secundùm Apostolum, & recipiet *esse* stabile, & permanens, sine motu, & mutatione, & desinent ea, quæ ad vsum sustentandæ vitæ creata sunt, vt animalia, & similia.

*Conseruatio respicit substantiam, vt subest accidentibus.*

Explicatur vlteriùs, concursus Dei, qui exhibetur in ordine ad effectum causæ secundæ, licèt ipsi sit debitus, neque suspendi possit sine miraculo (quod contingit semper, quando subtrahitur, vt quoad tres pueros in fornace, & martyres in igne, & aliis corruptiuis vitæ naturaliter) tamen non debetur, nisi in certa disposítione, vt quando applicatur, neque datur præualens ad actionem contrariam ex parte subiecti, ad quod applicatur, aut resistentia est excedens, aut incapacitas recipiendæ actionis, & termini eius, vt si sit incapax simpliciter formæ, vt Angelus caloris, aut secundùm *quid*, quia iam subiectum supponitur in actu per formam æqualis, aut maioris perfectionis, vt calidum excedens non recipit intensionem à minori, neque æquale ab æquali.

41 *Cōcursus ordinarius Dei qualis est?*

*Quomodo debetur.*

Vnde colligitur influxum diuinum, in ordine ad productionem, aut etiam conseruationem rerum, talem esse, qualem exigit finis, nempe motus, & mutationis secundùm ordinem vniuersi: vnde cùm deficiat in subſtantia panis, separatis acciden

*Deficit finis cōseruationis in subſtantia panis.*

accidentibus,talis finis,cùm neque capax sit actionis,aut mutationis,neque consequenter faciat ad finem vniuersalem,neque etiam ad particularem, nempe nutrimenti, sequitur illam desinere desitione simpliciter non ex repugnantia extrinseca, quam habet simpliciter ad ipsam ex natura rei, terminus *ad quem* ab intrinseco, sicuti est inter terminos repugnantes,sed tantùm secundùm exigentiam prouidentiæ cessante fine,ob quem conseruari debet; & sic suppositâ separatione accidentium desinere hoc modo ex natura rei.

42 *Desitio panis sub speciebus, & desitio simpliciter.*

Vnde quando Doctor dicit, desinere substantiam panis simpliciter per annihilationem, quatenus consideratur desitio eius simpliciter; non intelligitur de pane, quà est terminus *à quo* conuersionis, quia sic tantùm desinit esse sub speciebus,vel esse hîc,& hoc exigitur ad veritatem formæ tantùm; non autem quòd panis simpliciter desinat esse, quia licèt per miraculum conseruaretur,modò non sub speciebus maneret, verificaretur forma iuxta sensum,quem habet ex institutione Christi Domini: quòd ergo desinat simpliciter secundùm omne *esse*, non facit ad mysterium,sed est ex ratione iam declarata.

*Desitio simpliciter concomitatur conuersionem panis.*

Et desitio eius secundùm *esse* simpliciter, & propriè annihilatio, & tantùm concomitanter se habet ad conuersionem,sicut si conuerteretur panis in Angelum,qui tum crearetur pro vltimo instanti verborum, illa creatio esset concomitans ad conuersionem,non aliquid intrinsecè ad ipsam spectans, quia posset conuersio fieri in præexistens: transsubstantiatio ergo non est, nisi inter terminos, vt succedunt sibi inuicem vt hîc, siue terminus *ad quem* incipiat esse simpliciter,& terminus *à quo* desinat esse simpliciter,siue non.

43

Hoc totum seruatâ proportione potest intelligi de annihilatione,vt opponitur corruptioni latè sumptæ,vt est desitio rei ex positione oppositi.

*Annihilationis duplex acceptio.*

Si tamen vlteriùs sumamus annihilationem strictiùs, non vt est desitio rei secundùm exigentiam naturæ, sed merè ex beneplacito causæ primæ:tunc dicendum erit annihilationem non esse in proposito,sed corruptionem,quia sicut desitio luminis non est annihilatio, quamuis fiat tantùm ex suspensione concursus conseruatiui, ob impedimentum interiectum, & non ex positione alicuius contrarij;sic etiam desitio panis non erit annihilatio simpliciter,quia fit secundùm exigentiam naturæ.

44 *Desitio panis quare sit annihilatio.*

Hæc vltima acceptio annihilationis non est in vsu apud Doctores, neque supponit aliquam dispositionem in re ipsa, vt est desitio panis hîc, & separatio accidentium tollit panem verè annihilari,quia non est dispositio simpliciter necessitans ad *non esse* panis simpliciter, sicut non tollit animam rationalem verè creari à Deo, quod de lege supponatur ad eam dispositio in subiecto,quâ posità Deus creat animam: sic etiam,licèt separatio accidentium sit dispositio quædam de lege ad suspensionem actionis conseruatiuæ panis, non tollit verè annihilari de facto,quamuis non ex vi conuersionis.

*Obiectio.*

Et si dicas eodem modo formam materialem desinere, quia non conseruatur à Deo; tamen illam desitionem esse corruptionem, & non annihilationem: ergo similiter hîc dici potest idem.

*Responsio.*

Respondetur negando consequentiam, quia forma materialis desinit ex subtractione causæ materialis,à qua per se dependet in *fieri*,& *conseruari*, ideò in re ipsa ex positione formæ incompatibilis desinit simpliciter, eò ipso quòd desinat in subiecto, à quo dependet: non ita est in substantia, quæ in *esse* non dependet à suis accidentibus, à quibus licèt communi modo dicatur conseruari, id tamen intelligitur quà ex virtute accidentium excluditur actio corruptiua eius, aut disponens ad corruptionem, non quòd secundùm *esse* dependeat ab accidentibus in vllo genere causæ per se, quia sic daretur circulus in dependentia essendi, & idem supponeretur sibiipsi tanquam prius & posterius.

*Quomodo ab accidentibus conseruetur substantia.*

Ex his patet duplex modus dicendi, & explicandi huius quæstionis, quorum primus est magis,vt dixi,ex sententia Doctoris, & in eo conuenit cum S.Thoma,& reliquis antiquis. Secundus modus dicendi reducit sententiam aliorum ad commodum sensum, saluando veram conuersionem,ad quam non facit desitio panis per annihilationem,sed consequitur modo dicto.

45 *Duplex modus saluandi mysterium.*

*Rationes oppositæ non attingunt sensum Doctoris.*

Argumenta autem modernorum censorum contra eius conclusionem secundam procedunt ex defectu intelligentiæ literæ eius, tanquam si assereret panem, vt est terminus annihilationis spectare ad conuersionem, aut per annihilationem,vt ipse eam explicat tolli ipsam veram conuersionem,& desitionem panis in corpus,aut certè tolli transsubstantiationem veram, & nihil ab eo asseri, quàm transsubiectionem:quibus omnibus occurrimus in declaratione, & probatione conclusionis eius.

Si autem mihi licet aliquid inter tot Magistros dicere, magis persisto in prima sententia, quam existimo magis esse ex intentione Doctoris,quam hac ratione confirmo, supponendo responsionem eius ex Quodlibeto 10.art.3.§.*Aliter posset poni*, &c. Immediatè ante responsionem ad argumentum in oppositum:verba eius sunt: *Aliter posset poni aliquid commune terminis non essentialiter, sed communis habitudo ad idem agens, quia potentiæ agentis eodem modo subiacet vterque terminus conuersionis,& hoc etiam sufficit ad excludendam annihilationem, quia* nihil *propriè non subiacet potentiæ agentis, cùm non sit aliquid causabile*,&c.

46 *Præfertur prima sententia Doctoris.*

Potentia obedientialis vtriusque termini respectiuè ad agens inducens conuersionem manet in termino *ad quem*,sicut & negatio termini *à quo* secundùm *esse* determinatum,quod habet sub speciebus:ergo terminus *à quo*, non definit per annihilationem. Probatur consequentia,terminus annihilationis est *non esse* simpliciter post *esse*, quâ inducitur *non esse* simpliciter per annihilationem.

Sed panis non habet aliquod *esse*,nisi determinatum hoc,quod habet sub speciebus; desitio autem huius *esse*,& per conuersionem,vt fatetur Doctor in secunda conclusione, & non per annihilationem, & *non esse* simpliciter panis non sequitur ex vi alicuius nouæ actionis,quia illud *non esse* habet antecedenter ad *esse* sub speciebus,quia nullum aliud *esse* habet,nisi hoc determinatum, quod recipit,vt est sub speciebus:ergo sicut forma, quæ tota definit per successionem sui oppositi,quamuis desitio illa sequatur ad desitionem eius hîc, non definit per annihilationem, ita etiam panis definit per corruptionem latè sumptam, per positionem oppositi, quatenus definit secundùm hoc *esse* determinatum secundùm quod tantùm erat in *esse*.

*Desitionem panis esse corruptionem.*

Neque enim ex vi huius actionis, quâ recipit *esse* sub speciebus, recipit vllum aliud *esse*, neque ex vi conuersionis ipsi debetur, neque ex vi alterius

alterius actionis: ergo *non esse* simpliciter eius inducitur per causam, quæ non compatitur cum hoc *esse* eius, & consequenter per successionem oppositi, & ita ex vi huius desitionis transit in *non esse simpliciter*, quod habuit ante omnem sui productionem; hoc autem destruit annihilationem, cuius terminus proximus est negatio extra genus, & non negatio in genere.

47 *Instantia superius assignata de desitione corporis excluditur.*

Neque est paritas de corpore Christi, quod desinit secundùm *esse* hîc, quia corpus ex vi alterius actionis habet *esse* in se, vt præscindit ab *esse* hîc, non ita panis; actio etiam illa non respicit corpus cum illa determinatione, quâ est tantùm hîc; actio autem conseruatiua panis est determinatè ad panem, vt est sub speciebus, & non aliter.

Sed ex vi conuersionis *esse* illud reale, & substantiale panis, quod determinatè est terminus conseruationis, conuertitur, & transit in corpus Christi: ergo ex vi conuersionis desinit, & consequenter negatio simpliciter essendi non inducitur per se primò, sed vt includitur in negatione, quæ afficit terminum *ad quem*, vt est incompossibilis.

*Terminus annihilationis.*

Ad annihilationem autem requiritur, vt talis negatio simpliciter inducatur primò, & per se, vt abstrahit ab omni subiecto, quod non inuenitur in proposito. Vnde annihilatio non est desitio totius, nisi vt abstrahit ab omni subiecto succedente, & incompatibili, aliàs dicendum esset omnia desinere per annihilationē, quorum nihil manet, quod est falsum. Et hæc de hac quæstione sufficiunt, quæ fortè reduci possunt ad quæstionem de nomine, extendendo annihilationem ad omnem desitionem totius quoad se, & inclusa.

## SCHOLIVM.

*Soluit argumenta in fauorem opinionis negantis panem annihilari, & etiam rationes adductas in oppositum, per quod videtur problematicus in hac quæst. licèt magis inclinet in eam opinionem, quæ tenet panem annihilari.*

17 *Ad arg. 1.*

Ad [a] argumenta: ad primum, si teneatur primum membrum disiunctiuæ positæ in principio solutionis, neganda est illa maior: oportet enim addere, nihil eius manet, & similiter nihil succedit, vt per se terminus.

*Ad 2.*

Ad secundum per idem, etsi nihil sit in se, nec in alio: tamen suo *esse* non succedit omnino *nihil*.

*Ad 3.*

*De potentialitate materiæ, vide dist. 43. q. 3. art. 5.*

Ad tertium, negandum est formam in corruptione annihilari. Et ad probationem, quia non manet, nisi in potentia materiæ. Dico, quòd ipsâ manente in potentia materiæ, est compositi alteram partem manere per se; & sic etiam manet forma per accidens: cuius autem aliquid, siue per se, siue per accidens manet, non annihilatur. Et cùm dicis, quòd posset idem numero redire per agens naturale; non sequitur, quia potentia illa, in qua manet forma, debet intelligi principium potentiale: non autem respectus: corruptâ enim formâ, non ampliùs manet respectus potentiæ ad formam: quia non est respectus potentiæ ad omnino præteritum, sicut nec ad omnino impossibile, sed ipsum principium potentiale manet, & in hoc totum manet per se secundùm aliquid eius, & forma, quæ erat aliquid totius manet per accidens secundùm aliquid sui. Vel posset breuiter dici, quòd etsi nihil formæ corrupti maneat, tamen negatio succedens sibi est negatio in apto nato: & ideò priuatio, & illa non est nata terminare annihilationem.

18 *Negatio in genere non terminat annihilationē.*

Et cùm applicatur ad propositum: etsi requiritur quòd maneat, ad hoc quòd dicatur non annihilari, & forma panis non sic manet, quia materia eius transit in materiam. Dico, quòd propter multas rationes, vt dictum est priùs, corruptio non dicitur annihilatio: & licèt illæ duæ sufficiant, scilicet subiectum manere, & negationem terminantem esse priuationem: tamen si negatio terminans esset quæcunque negatio in genere, puta in aliquo disparato positiuo, adhuc transitus ad ipsam non esset annihilatio.

*Ad 4.*

Ad quartum potest dici, quòd non omnis productio totius substantiæ est creatio: sed quæ est à termino *à quo*, vt à purè nihil, & ita hîc: per oppositum, si teneatur secundum membrum huius disiunctiuæ positæ in solutione quæstionis: sed non concludit, quòd à conuersione panis annihiletur: sed tantùm quòd eius annihilatio concomitetur istam conuersionem.

*Ad rationes in opp.*

Ad rationem in oppositum, Ambrosius loquitur de conuersione terminorum, non secundùm simpliciter *esse*, sed secundùm *quid esse*.

*Idem dist. 1. huius, & dist. 2. lib. 2.*

Ad aliud de creatione, patet ex solutione vltimi argumenti ad primam partem.

Ad Augustinum respondeo, Deus nullâ actione positiua annihilat rem: sed sicut positiuè agendo rem conseruat, ita annihilare, est desinere creaturam conseruare: & hoc potest Deus.

## QVÆSTIO V.

### *An conuersio panis in corpus Christi possit verè exprimi: & quibus propositionibus?*

Damasc.*lib.*4.*c.*14. Innoc. 4. *de hoc myst.c.*6. Ambrof.*5.de Sacram.cap.*3. Cyprian.*serm.de cœn.Dom.* Beda *in* 1.*Corinth.*11.*habetur cap.Non omnis,de consecrat.dist.*2.

VLTIMÒ [a] quæritur sine argumentis,quibus propositionibus possit hæc conuersio verè exprimi?

Respondeo, non potest verè signari per verbum essendi, nec fiendi: neque etiam per hoc verbum *posse*, vel *possibile*: & hoc secundùm nullam differentiam temporis. Nec enim panis fuit corpus, nec est, nec erit: & è conuerso corpus non fuit, nec est, nec erit panis. Et ratio omnium istorum est, quia *esse* notat vnionem extremorum essentialem, vel accidentalem pro illo tempore, quod assignat: sed pro nulla differentia temporis habent hæc extrema vnionem essentialem, nec accidentalem, sed pro omni instanti, vel disparationem, puta quando extrema sunt entia positiua: vel maiorem repugnantiam, scilicet entis ad non ens pro illo instanti, pro quo vnum est, & aliud non est. 1

*Panis non fuit, est, vel erit corpus Christi.*

Secundò dico, quòd panis nec fit, nec factus est, nec fiet corpus Christi, nec è conuerso: & ratio istorum est, quia *fieri*, quando prædicatur secundum adiacens, prædicat *fieri* simpliciter eius de quo dicitur, & sic non coniungit aliquod oppositum ipsi subiecto: sicut panis fiebat, quando coquebatur: & sic corpus fiebat, quando in vtero Virginis formabatur: sed nihil ad *B.* Sed quando *fieri* prædicatur tertium adiacens, tunc denotat subiectum fieri secundùm formam prædicati: sed panis pro nulla differentia temporis fit secundùm formam prædicati, scilicet corporis, nec è conuerso: & patet illud in simili per oppositum: ideò enim hæc est vera, homo fit albus: quia hic homo fit sub forma albedinis: & per oppositum hæc est impossibilis, homo fit asinus, & hoc, loquendo strictè de virtute sermonis: sic videtur esse in proposito.

*De illo verbo* fit *secundùm adiacens, vt dicendo panis fit, vide in* 1. *dist.* 30. *q.* 1. *&* 3. *dist.* 7. *q.*2.

Tertiò dico, quòd panis non potest, nec potuit, nec poterit esse corpus Christi, nec è conuerso. Et ratio omnium istorum est, quia illa de possibili est falsa, cuius illa de *inesse* est impossibilis: quælibet enim de possibili potest exponi in aliquam de *inesse* possibilem, licèt fortè falsam: sed quælibet de *inesse* correspondens cuilibet istarum de possibili, est impossibilis ex prima conclusione iam probata.

*Panem non fieri corpus Christi.*

## *COMMENTARIVS.*

1 *Modi loquendi in hoc mysterio. Prima regula.*

a VLtimò *quæritur sine argumentis*, &c. Assignat regulas quoad modum loquendi in hoc mysterio. Prima regula est per Doctorem, non posse significari hanc conuersionem per verbum essendi, aut fiendi. Ratio est, quia verbum essendi significat vnionem extremorum, vel essentialem, vel accidentalem pro aliqua differentia temporis: sed panis nunquam fuit corpus Christi in *esse*, aut econtrà; neque vniuntur in *esse*, quia desinit vnus terminus aduenire altero; & hoc exigit natura conuersionis. Ratio secundi: quia *fieri*, vt prædicatur tertium adiacens, denotat subiectum fieri secundùm formam, quæ importatur per prædicatum: sed sic corpus Christi nunquam fit panis, aut econtrà.

*Secunda regula.*

Secunda regula est, quando prædicatur vnum extremum huius conuersionis de altero in recto, propositionē non esse veram de rigore sermonis, quia neutrum inest alteri: prædicari ergo possunt sumendo alterum in obliquo denotādo ordinem extremi ad extremum, cum præpositione *ex*, vel *de*, vt de pane fit caro Christi; ex pane fit caro Christi; panis conuertitur in corpus Christi: & omnes aliæ locutiones ad has reduci debent. Suarez. Suarez ait, quòd prima propositio denotat consubstantialitatem, & est falsa. Respōdetur id non esse verum semper, quia Philosophus dicit, 2. *Metaph. cap.* 3. quòd ex manè fit meridies: denotat ergo quandoque conuersionem, & ordinem terminorum, aliquando consubstantialitatem: & illa propositio est Ambrosij *lib.* 4. *de Sacramentis*, *cap.* 4. Ambrof.

## SCHOLIVM.

*Ostenso, panem non esse, fieri, nec posse esse, vel fieri corpus, declarat alterum horum de altero dici tantùm in obliquo, vt dicendo ex pane fit corpus, vel panis transit in corpus, & hæc secunda est magis propria, quia ly* ex, *significat manere subiectum commune vtrique termino secundùm Philosophum.*

2 Dico ergo, quòd nullo iſtorum modorum, accipiendo vtrumque extremum in recto, oportet alterum de altero prædicari. Si ergo vera debet eſſe prædicatio, oportet alterum eorum in obliquo accipere, denotando ordinem extremi ad extremum: & hoc poteſt eſſe dupliciter: vel cum hac præpoſitione *ex*, vel *de*, addendo ad terminum *à quo*, ſicut dicit Philoſophus, 2. Metaphyſicæ, cap. 3. *Quòd ex mane fit meridies, & non è conuerſo*, & hoc modo poteſt concedi, quòd ex pane, vel de pane fit corpus Chriſti. Alio modo addendo termino *ad quem*, hanc præpoſitionem *in*, quæ denotat ipſum eſſe terminum *ad quem*, hoc modo panis tranſit in corpus Chriſti.

*Text. com. 7.*

Et omnes aliæ locutiones de virtute ſermonis ad aliquam iſtarum reducuntur: ſed ſecunda eſt magis propria: quia non denotat aliquid commune manere, ſicut aliquo modo denotat iſta præpoſitio *ex*, ſecundùm modum proprium accipiendi *ex*: non enim ex oppoſito fit oppoſitum, niſi quia ex ſubiecto communi vtrique, ſecundùm Philoſophum, 1. *Phyſic. primo de Generat.* & 11. *Metaphyſ.* nulla autem propoſitio cum mutatione accepta, vel *moueri*, etiam accipiendo vnum terminum in obliquo, & alterum in recto, vera eſt, vtpote panis mutatur in corpus: quia non eſt hîc mutatio, vt dictum eſt *in* 1. *quæſt. iſtius diſtinct.* tranſire autem, ſeu verti, abſtrahit à ratione mutationis, quia ponunt habitudinem termini ad terminum, non importando ſubiectum commune manere.

*Text. 58. & 60. Text. c. 10. & 24. Text. 6. & inde. Idem 7. Metaphyſ. Text. 22.*

Circa ſecundam partem iſtius diſtinctionis, quærendum eſt de materia conuenienti iſti conuerſioni: & duo hîc quæruntur. Primò, vtrùm ſolus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus ſit conueniens materia conuerſionis in corpus Chriſti? Secundò, vtrùm ſolum vinum expreſſum de vua ſit conueniens materia conuerſionis in ſanguinem?

---

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm ſolus panis triticeus cum aqua elementari coagulatus ſit conueniens materia conuerſionis in corpus Chriſti?*

Alenſis 4. *p. q. 32. memb.* 4. D. Bonau. *hîc 2. p. art. 1. q.* 4. Rich. *art. 2. q. 1. 2.* D. Thom. *q. 2. art. 2. & 3. p. q.* 74. Suarez *ibi tom. 3. diſp.* 44. *&* 45. Bellarm. *lib. 4. de Euchariſtia, cap.* 7. 8. Coccius *2. tom. lib. 6. art. 1.*

1 AD primam quæſtionem patet *de conſecrat. diſt. 2. cap. 1.* & *cap. Non oportet.* & *cap. ſequenti.* Ratio principalis eſt, quia Chriſtus talem materiam conſecrandam inſtituit, & in ſignum inſtitutionis tali materiâ conſecrandâ vſus eſt. Quòd etiam panis triticeus, & non alius, habetur *de conſecrat. diſtinct. 2. in Sacramento.* Et huius congruentia accipitur ex illo verbo, Ioan. 12. *Niſi granum frumenti*, &c. vbi Chriſtus ſe grano frumenti comparat. Vnde Aug. ibi: *Cùm ſint multa grana frugum, nulli ſe comparat, niſi illi. Vnde mos cæpit Eccleſiæ de hoc ſolo grano confici corpus Domini.*

*Ioan. 12. Auguſt.*

De hac etiam farina triticea aqua elementari coagulata debet panis formari: quia ita ſupponitur panem illum fuiſſe formatum, quo vſus eſt Chriſtus conſecrando: nec ſufficit paſta, ſed panis: quia ſic conſtitutum eſt: & ad omnia eſt congruentia, quia cùm Sacramentum illud ſit ſignum nutrimenti ſpiritualis, in illis congruè inſtituitur, quæ ſunt ſigna principalis nutritionis corporalis: principale autem nutrimentum quantùm ad cibum eſt panis triticeus.

## *COMMENTARIVS.*

1 *Materia Sacramenti corporis. Panis triticeus. Gabriel.*

a *AD primam quæſtionem patet*, &c. Hæc eſt ſecunda pars huius diſtinctionis, in qua determinatur de materia Sacramenti. In hac quæſtione de materia corporis, qui eſt panis triticeus ex aqua naturali confectus; vt patet ex litera. Gabriel *lect. 35. in canonem Miſſæ*, aſſerit panem confectum ex quocumque genere frumenti eſſe materiam idoneam conſecrationis, ſiue ſit triticum, ſpelta, hordeum, typa; *in* 4. autem *diſt.* 11. *quæſt.* 2. dicit non ſatis conuinci à Theologis materiam huius Sacramenti eſſe triticum, diſtinguens granum à leguminibus, vt illud ſit, quod in ſpicam creſcit, hæc non ita, vt fabæ, piſa, & eiuſmodi. Refertur pro eadem ſententia Thomas de Argentina *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 1. Albertus *art.* 7. Caietanus *in 3. p. q. 74. art. 3. in Commentarijs antiquis*, aſſerit omne frumentum, ex quo fieri poſſit panis, eſſe ſufficientem materiam: quæ ſententia eius, iuſſu Pij V. abolita eſt, & expuncta in editione Romana. Aſſerit idem *in art.* 7. D. Thomæ poſſe confici ex pane confecto ex aqua roſacea, in quo grauiter notatur.

*Diſtinctio inter granũ & legumina.* Thomas Argentin. Caietan.

*Concluſio:* panis triticeus eſt materia huius Sacramenti, non alius. Ita Doctor; Alenſis 4. *part. quæſt.* 10. *memb.* 4. *art.* 1. D. Thomas 3. *part. quæſt.* 74. *art.* 4. *in* 4. *diſt.* 11. *quæſt.* 2. D. Bonauentura *ibidem* 1. *part. diſt. quæſt.* 4. eſt communis Theologorum *in eadem diſt.* Summiſtarum verbo *Euchariſtia*, & aliorum:

2 *Panis triticeus materia.* D. Thom. D. Bonau.

Innoc. III. aliorum. Innocentius III. tenet idem *lib. 4. de Mysterio Missæ, cap. 3. in Catechismo Pij V.* dicitur esse traditio Apostolica. Probatur ex Concilio

Florent. Florentino in Decreto vnionis, vbi definitur materiam huius Sacramenti esse *panem triticeum, & vinum de vite.* Dices cum Caietano panem triticeum esse de necessitate præcepti, non autem

*Resp. Caietani.* Sacramenti. Alanus etiam *lib. de Eucharist. cap. 11.* asserit incertum esse quid horum intendit Pontifex.

*Impugnatur.* Contrà, Pontifex definit materias certas Sacramentorum & necessarias, aliàs posset dici quando dicit aquam naturalem esse materiam Baptismi, sic eludi: deinde Pontifex in materia sanguinis distinguit illam, quæ est de necessitate Sacramenti, ab ea quæ est de præcepto, asserens vinum de vite esse materiam eius, cui modica aqua ex præcepto Ecclesiastico misceri debet. Deinde iuxta communem interpretationem Christus confecit in pane triticeo, quia non est verosimile alium panem fuisse in vsu festi Azymorum, Christus autem confecit in azymo, vt *infrà* videbimus. Concilium autem Carthaginense docet in Sacramento nihil aliud offerendum esse, quàm quod Christus Dominus tradidit: vnde sicut nequit mutari forma, ita neque materia, quàm quæ instituta est.

5 Ex his sequitur primò panem triticeum esse materiam: quia talis habetur ex vsu, & consuetudine. Difficultas tamen est inter Doctores de variis speciebus tritici, seu frumenti, an sit triticum, vel aliud? & oritur plerumque ex varia significatione nominum apud diuersos: verbi

*Variæ species frumenti.* gratiâ negat D. Thomas far esse materiam consecrabilem, quia putat non esse speciem tritici; *Far.* quod interpretatur Sotus intelligi de quodam genere frumenti durissimo, ex quo vix confici possit panis. Cæterùm aliis far significat optimum genus tritici: similiter siligo apud Plinium,

*Siligo.* & antiquos significat optimum genus tritici, in quo fine dubio confici potest: apud alios significat speciem illam frumenti, quam alij typhum, alij centenum vocant; in hoc D. Thomas censet confici posse, quia putat esse speciem tritici, cùm in aliquibus terris nascitur ex tritico, in aliis triticum ex ipso: sed hæc ratio non concludit, quia ex natura soli, & cœli constellatione id contingere posset, quamuis species diuersa sit; auena etiam ex tritico quandoque per corruptionem nascitur, sicut & lolium, & alia diuersæ speciei: natura autem quando nequit in id quod perfectum est, producit quod potest. Alij ergo negant esse materiam sufficientem; vnde sequitur esse dubium, & peccare eum, qui in eo conficeret.

*Spelta.* Aliqui dubitant de spelta an sit verum triticum, negat Doctor cum D. Thoma; affirmat Albertus, & Thomas de Argentina; incertum est, ideò materia est dubia. Hordeum & auenam materiam esse negant communiter omnes præter Gabrielem, & alios *suprà.*

4 Id resolutoriè ergo tenendum est, illud fru-

*Triticum est materia.* mentum, quod communiter à peritis rei rusticæ censetur triticum, esse materiam, non aliud: neque refert quòd sint in diuersis regionibus diuersæ species tritici, modò quælibet sit verum triticum: quia hæc varietas etiam inuenitur in materia sanguinis, quæ multiplex est in specie: quælibet tamen vini species sufficit.

Sequitur secundò, quòd panis, qui verè triticeus secundùm vsum censetur, sit materia; vnde si tritico essent admista grana alterius frumenti, modò sint pauca, adhuc materia esset consecrabilis.

Sequitur tertiò, quòd requiratur vt panis fiat ex aqua naturali, non artificiali, quia hic non est vsualis, neque consequenter materia Sacramenti: vnde panis confectus ex aqua rosacea, melle, butyro, aut etiam vino, aut alio diuerso liquore, non esset consecrabilis: ita etiam S. Thomas D. Thom. *art. 7.* Richardus *in 4. dist. 11. art. 2. quæst. 2.* & com- Richardus. munis; vnde oppositum malè Caietanus *suprà.* Ratio iam dicta est, quia talis panis non habet propriè rationem panis, sed libi, vel confecti præter vsum panis communis: si tamen aliquis liquor modicus admisceretur, non tolleret materiam, sicut neque in Ecclesia Græca illa, quæ ad fermentum spectant, tollunt materiam consecrationis, quæ ab ipsis fit in pane fermẽtato: & sicut iam dictum est de farina, cui aliquid alterius admixtum frumenti esset, in parua quantitate, ita etiam de aqua naturali dicẽdum, cui aliquid alterius liquoris in exigua quantitate inciderei; sufficit enim quòd sit panis vsualis, & triticeus iuxta communem æstimationem, & acceptionem.

Obiicit Gabriel quòd hactenus Ecclesia nihil 5 definierit in oppositum. Respondetur negando *Obiectio prima soluitur.* antecedens, & dato oppositio, nihil temerè affirmandum esset contra traditionem, & vsum Ecclesiæ, nisi reuelatio aut authoritas suppetat, maximè in materia Sacramentorum, quod redderet ipsam nullam, aut dubiam.

Obiicit secundò: *Nisi granum frumenti cadens* *Obiectio secunda.* *in terram mortuum fuerit,* &c. Ioan. 12. vbi notat Au- Augustin. gustinus inter multa alia frugum grana Christum se comparasse soli grano frumenti: *Vnde,* inquit, *mos cœpit in Ecclesia de illo solo grano conficere corpus Domini,* &c. sed constat frumentum genus esse ad omnem speciem grani, quod crescit in aristas: iuxta Isidorum *lib. 7. Etymolog. cap. 3.* Plinium Isidorus. *lib. 18. histor. cap. 7.* Varronem *de re rustica, cap. 48.* Plinius. Varro. ergo, &c.

Confirmatur, quia Pontifices, & Concilia non explicant aliud, quàm panem frumenti esse materiam: ergo comprehendit omne frumentum.

Respondetur locum illum non esse Augustini, sed Glossæ, quæ citat Augustinum; quamuis in eo Glossa. non habeatur: & quidquid sit, nihil facere ad propositum, quia ibi frumentum sumitur pro specie, in qua consueuit Ecclesia consecrare; vt benè Doctor in litera, non pro genere: sic etiam sumunt Pontifices & Concilia, vt Carthagin. III. Carthag. III. *cap. 24.* Bracharens. III. *cap. 1.* Aurelianens. I. V. Brachar. III. *cap. 4.* Alexandrin. I. *epistola decretali, cap. 4.* & ha- Aurelian. IV. Alexand. I. betur de Consecratione dist. 2. can. *Cùm omni crimini,* &c. cap. etiam *Firmiter, de Summa Trinitate:* cap. *Cùm Martha.*

Sumunt autem frumentum antonomasticè pro *Sumi frumentũ antonomasticè pro tritico.* perfectissima specie, vt pro tritico: sicut sæpè Scriptura consueuit variis locis; quæ videre licet apud Suarez, & alios; iuxta illud Psalmi 147. *Ex* Psalm. 147. *adipe frumenti satiat te:* vbi intelligitur triticum; & Psalmo 80. *Cibauit illos ex adipe frumenti.* Deu- Psalm. 80. teron. 9. *Dominus Deus tuus introducet te in terram* Deuter. 9. *bonam,* &c. *terram frumenti, hordei, ac vinearum,* &c. vbi frumentum distinguitur contra hordeum, & sumitur pro tritico.

## SCHOLIVM.

*Oſtenſo, materiam conuerſionis in corpus, eſſe panem triticeum, mouet tria dubia. Primum, an amidum ſit materia? & reſoluit, nihil eſſe certum, præter hoc quod vtens eo peccaret, niſi ignorantia excuſaretur. Negat D. Thom. hîc q. 2. art. 2. aiunt Palud. q. 1. art. 4. Sotus d. 9. q. 1. art. 3. panem & vinum eſſe materiam: habetur ex Matth. 26. & definitur in Lateranen. cap. Firmiter, de Sum. Trinit. Flor. decret. Eugen. Trident. ſeſſ. 13. 21. & 22. quòd panis debeat eſſe triticeus docet Florent. ibidem.*

2 Sed [a] hîc eſt dubium, primò de amido, an ex ipſo poſſit formari panis conſecrabilis. Secundò, an de farina triticea paſta confecta, non cocta poſſit confici. Tertiò, an panis azymus, vel fermentatus, vel vterque.

Quantùm ad primum, videretur primâ facie, quòd talis panis eſſet conſecrabilis: tum quia ille vſualiter reputatur panis triticeus, & Chriſtus inſtituit Sacramentum in pane triticeo vſuali: tum quia illæ depurationes, quæ fiunt circa amidum præparandum, non videntur alterare à ſpecie farinæ triticeæ: non enim fiunt ibi, niſi decolationes, & purgationes, & huiuſmodi: hæc autem non videntur alterare medullam tritici à ſpecie ſua.

*Ariſt. 1. de anim. c. 11. Ex operationibus diuerſis cognoſcimus diuerſas eſſe ſubſtantias.*

Sed ſi credatur expertis in rebus de qualitatibus conſequentibus eas, quæ innoteſcunt ex operationibus, per quas qualitates cognoſcimus, & diſtinguimus ſubſtantias: aliter enim non cognoſcimus diſtinctionem ignis ab aqua, niſi per ea, quæ innoteſcunt nobis ex operationibus: & ſecundùm Medicos quælibet ſpecies habet qualitatem, & operationem à tota ſpecie, quæ non competit ſibi per talem miſtionem, ſed conſequitur formam propriam talis ſpeciei, & huiuſmodi quantitas, & operatio alia eſt in tota ſpecie amido, & alia in pane triticeo, ſicut apparet cernentibus eas, & aſſignantibus proprietates tales, & tales quantùm ad effectus; ex quo videtur quòd amidum ſit totaliter alterius ſpeciei à pane triticeo: & confirmatur iſtud: non enim per aliud probamus acetum, & agreſtam differre ſpecie à vino, & per conſequens non eſſe materiam conſecrationis quantùm ad vinum, niſi quantùm ad qualitates, & operationes, quia ſcilicet acetum eſt à tota ſpecie frigidum: vinum autem à tota ſpecie calidum.

*An amidū ſit conſecrabile.*

Hîc breuiter poteſt dici, quòd cùm certum ſit farinam tritici purgatam ſecundùm communem purgationem, eo modo, ſcilicet quo piſtores ſolent eam purgare, eſſe materiam conuenientem ad faciendum panem conſecrabilem: & dubium ſit, an amidum ſit huiuſmodi materia: & pars negatiua multùm ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio, maximè ille, qui præparat hoſtias conſecrandas: quia ſibi ſimpliciter eſt certum, quòd de tali materia præparat. Vtens fortè poteſt magis excuſari de peccato, quia ſupponit talem materiam eſſe benè præparatam. Sed ſi in veritate non eſt iſta materia conſecrabilis, in conſecrando nihil facit. Nec tamen eſt idololatria, nec occaſio idololatriæ populo: quia quantùm in ſe eſt, ſupponit materiam eſſe idoneam, & à ſe, & ab aliis adorandam.

*Quia eſt ignorantia inuincibilis.*

## COMMENTARIVS.

6 [a] *Sed hîc eſt dubium*, &c. Suppoſitâ communi ſententiâ, & concluſione de materia remota conſecrationis, mouet tria dubia circa materiam proximam: primum, vtrùm ex amido fieri poſſit panis conſecrabilis? ſecundum, vtrùm paſta ſit conſecrabilis? tertium, an azymus & fermentatus?

Ad primum Paludanus reſpondet affirmatiuè *hac diſt. quæſt. 2. art. 4. concl. 5.* & Maior *quæſt. 2.* Negatiuam partem tenet Doctor, vel certè illam materiam eſſe omnino dubiam: & hoc tenet D. Thomas *art. 3.* & alij communiùs: Sotus autem dubius eſt. Probat Doctor primò, quia amidum, vt ex qualitatibus experiri licet, eſt alterius rationis, & ſpeciei à tritico, quia per decolationes, & depurationes corrumpitur forma tritici; ſicut acetum ex vino factum mutat ſpeciem, cùm ſit à tota ſpecie frigidum, vinum à tota ſpecie calidum.

*Amidum non eſt materia.* Doctor. D. Thomas. Sotus, & cōmunis. *Differt à tritico.*

Secundò probat ex eo, quòd panis vſualis ſit ex farina cōmuni modo depurata, & ille ſit materia Sacramenti. Vnde grauiter peccaret, qui talem materiam accommodaret ad hoſtias conficiendas ſcienter: vtens etiam ſcienter tali hoſtiâ peccaret grauiter, & fortè nihil faceret; ſi ignorans ſupponit hoſtiam ex debita materia confectam, excuſatur: populus autem adorans talem hoſtiam non committit idololatriam, quæ ſit peccatum, quia vt aliàs dictum eſt cultus exhibitus ſequitur æſtimationem prudentem.

*Nō eſt vſualis.*

## SCHOLIVM.

*Pastam, licèt non differat specie à pane cocto, non esse consecrabilem; panem tamen redactum in pastam, consecrabilem esse. D. Thom. hîc quæst. 1. art. 1. & 3. part. quæst. 75. art. 6. docet distingui pastam specie à pane cocto.*

Quoad [a] secundum dubium benè probabile est, quòd pasta, & panis non differunt specie: quia per decoctionem pastæ in furno, vel alio modo ab igne, non fit nisi exhalatio humoris aquei commisti cum partibus farinæ, & hæc mistio est per iuxtapositionem: talis autem separatio non mutat speciem, quia nec etiam mistio. Nec tamen de pasta potest confici, quia noluit Christus in Sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica imponere nobis, sed quòd panem triticeum vsualem haberemus communiter pro materia consecrationis, vt sic secundùm Damasc. *lib. 4. cap. 14.* illud quod communiter consueuit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis Sacramentum institutum spirituale. 3 *Hinc elice, non sequi. Ista sunt eiusdē speciei: ergo si vnū est materia conueniens, & aliud; patet de pasta, & pane cocto.*

Et si arguas, Panis fit pasta per modicam compressionem in digitis, quare nec post talem compressionem à digitis videtur materia consecranda, sicut ante decoctionem? Respondeo, hoc probat quòd non differt specie panis à pasta: sed non probat quòd pasta sit materia consecrabilis. Et si quæras de pane tali recenti, & reducto in pastam, an sit consecrabilis? Respondeo quòd sic: quia quantumcumque remittatur in illo consueta duritia, quæ consueuit esse in pane cocto: tamen ex quo semel coctus est, & panis fuit, nisi manifestè recedat à ratione panis vsualis, non recedit à ratione panis consecrabilis. *Panis reductus in pastā est consecrabilis.*

## COMMENTARIVS.

7 *Pasta non est consecrabilis. D. Thom. Maior tenet oppositum.*

a *Quoad secundum dubium*, &c. Hæc resolutio est communis, etiam D. Thomæ *art. 6.* & reliquorum, præter solum Ioannem Maiorem, qui tenet contrarium. Sola est controuersia circa probationem. Doctor sentit pastā, & panem non differre specie, sed tantùm accidētaliter: D. Thomas putat differre essentialiter; quidquid sit de hoc, bona est ratio Doctoris, quia panis idoneus nutritioni, & vsualis, est materia huius Sacramenti: quòd si ex pane foret pasta sine admistione alicuius liquoris, esset consecrabilis, quia sic est idoneus nutritioni, & vsualis est communis. *Non est panis vsualis.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Græcorum, Christum passum esse luna 14. & Cœnam instituisse luna 13. & per consequens consecrasse in fermentato, suadetur tribus argumentis.*

Tertium [a] dubium includit maiorem difficultatem: Græci enim dicunt, quòd necesse est conficere in fermento, & ideò negant Latinos conficere: & antecedens nituntur probare per Euangelia: dicunt enim, quòd Christus passus est lunâ quartadecimâ, vt implēretur figura legis de Agno Paschali, qui immolabatur lunâ 14. & hoc futurum Christus prænoscens præuenit comedere Agnum Paschalem ante lunam 14. dicunt autem tunc inter Iudæos panem fermentatum esse in vsu; non enim erat eis interdictus panis fermentatus ante 14. diem mensis primi ad vesperam. Ex hoc concludunt Christum tunc vsum fuisse fermento, & per consequens ipsum confecisse in fermento. 4

Pro ista opinione adducunt alia de Euangelistis, vt illud Ioan. 18. cap. *Quod non introierant Iudæi in prætorium, vt non contaminarentur, sed manducarent Pascha.* Pascha autem accipitur ibi pro Agno Paschali, qui debebat comedi 14. lunâ: ergo 14. lunâ tradiderunt Christum Pilato. Item Ioan. 13. legitur, quòd *ante diem festum Paschæ*, & sequitur, totum illud de Cœna, & institutione Eucharistiæ: ergo ante diem illum, in quo immolabatur Agnus Paschalis, per consequens ante lunam 14. *Arguitur ex Euangelijs, Christum fuisse passum lunâ 14. & consequenter, cōsecrasse in fermentato.*

Item, Matth. 26. dicitur, quomodo Iudæi cogitauerunt occidere Christum dicentes, *non in die festo*: ille autem dies festus principalis erat lunâ 15. iuxta illud Numer. 28. *Quartadecimâ die mensis primi Pascha erit, & decimaquintâ die solemnitas*, supple principalis: ergo de illo intelligitur in Ioan. cùm dicitur: *Ante diem festum*, &c.

## COMMENTARIVS.

8 a *Tertium dubium includit maiorem difficultatem*, &c. In hoc dubio resoluit duo: primum est Christum consecrasse in azymo, & non in fermentato: secundum verò est, vtramque esse materiam idoneam, & sufficientem, quantùm est ex parte materiæ.

Prima resolutio dependet ab illa quæstione, nempe quando Christus instituit Sacramentum, vtrumque breuiter hîc comprehendemus.

*Præceptum de comestione Agni.* Notandum itaque præceptum fuisse Iudæis comedere Agnum Paschalem, luna 14. id est, decimaquarta die mensis primi, qui Iudæis *Nisan* appellabatur: annos enim habebant lunares, & computabant annum à primo die post æquinoctium vernum.

Pascha luna 15. Hoc præceptum habetur Exodi 12. Leuit. 23. Num. 28. luna autem 15. id est, dies sequens decimamquintam mensis vocabatur. *Pascha*, id est, *transitus Domini*, quando interficiens primogenita Ægypti transiit domos Iudæorum, eos liberauit à seruitute, & eo die primum egressi sunt à captiuitate: hic dies etiam vocabatur dies azymorum primus, in quo præceptum erat Iudæis vesci solis azymis, & deinceps per septem dies, vt constat ex iis locis citatis.

*Vsus azymorum.* *Septem diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Vsus autem azymorum incipiebat die 14. *ad vesperam primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma, vsque ad diem vigesimumprimum eiusdem mensis ad vesperam*, &c.

*Ritus festorum.* Festa etiam Iudæorum continebant primam & secundam vesperam eo ritu, quo in Ecclesia celebrantur festa duplicia cum vtrisque vesperis. Leuit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis Sabbata vestra*, &c. Iuxta ergo computum naturalem, quo Iudæi numerabant dies suos, incipiebat ipsis dies ab aurora, seu ortu Solis; hinc Ioan. 19. ex communi consensu Ecclesiæ dicitur Christus cruci affixus hora sexta, quæ nobis est duodecima, computando à media nocte, illis autem sexta ab ortu Solis, & Matth. 20. dicitur iuisse paterfamilias primùm summo mane, vt conducat operarios in vineam suam, deinde hora tertia, deinde hora sexta, deinde hora nona, deinde hora duodecima.

*Dies naturalis, apud Hebræos.*

9 Accedit illud Leuitici citatum insinuare peculiare quid; si enim dies naturalis inciperet à vespera, non esset necessarium ordinare, vt Sabbata à vespera vsque ad vesperam celebrarent Iudæi.

*Varia sententia.* Ex his dependet solutio huius difficultatis, in qua variæ sunt sententiæ. Primus est error quorumdam asserentium Christum non celebrasse hoc anno Pascha Iudæorum; quem apud Sanctes tuetur Villagagnon; & eundem insinuat Theophylactus, & Euthymius *in cap. 6. Matth.* atque impugnant horum fundamenta, sunt verba Christi, Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum*: sed Pascha legale cùm aliàs sæpè Christus cum Apostolis manducarit, non fuit cur id tum adeò manducare desideraret. Deinde vt Euangelistæ referunt cum Apostolis discumbebat; sed legale stantes manducabant: ergo, &c. Deinde Matth. 26. Christus de Paschate celebrando seriùs collocutus est, quàm vt posset immolari ab iisdem: *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere Pascha*, &c. ergo non superfluit tempus.

Villagagn. Theophylactus Euthymius. Luc. 22.

*Nõ celebrasse Pascha suo tempore.*

Secunda sententia. Secunda sententia est Græcorum, à quingentis, vel circiter annis, docent quidem Christum manducasse Pascha Iudæorum luna 13. mensis, & passum esse luna 14. Euthymius in cap. 26. Matth. *Super primo autem die azymorum.* Nicephorus *lib. 1. histor. cap. 28.* citatur Theophylactus, & Epiphanius, & Chrysostomus in eandem sententiam, quos examinabimus.

*Luna 13. celebrasse.* Euthym. Nicephor.

10 Tertia sententia est omnium Latinorum, qui docent Christum esse passum die 15. & 14. sumpsisse Pascha ex præscripto legis: sed hi etiam in varias opiniones tranſierunt: Luisius Legionen. in opusculo de vtriusque Agni tam typici, quàm veri immolationis legitimo tempore, existimat hanc fieri solitam ex præscripto legis prima vespera luna 14. id est, die 13. sub vesperam secundam.

*Tertia sentẽtia communis.* *Primus modus explicandi.* Luisius.

Alij docent Iudæos eo anno non sumpsisse Pascha die præscripto à lege; sed transtulisse in decimamsextam primum diem azymorum, neque Christum in festo Paschæ, sed pridiè eo anno mortuum: hanc sequuntur plures, Paulus Burgensis in additionibus ad Lyranum super illud; *Erat autem prima dies azymorum.* Gagneus ibidem: Ianſenius *in Concordia, cap. 128.* Onufrius Pombinus *lib. 2. Festorum sub anno* 180. Catherinus *lib. 2. contra Caietanum.* Maldonatus Matth. 26. *Scitis quia post biduum Pascha fiet*, &c.

*Secũdus modus.* *Iudæos eo anno non celebrasse Pascha tempore legitimo.* Paulus Burgensis. Gagneus. Ianſenius. Onufrius. Catherinus. Maldonat.

Fundamentum potissimum huius est, cuiusdam Hebræi traditio obseruata, quam tradit Ianſenius ex libro ipsius, cui titulus Sederolam, qui dicit dispensatum fuisse cum Iudæis occurrentibus sibi mutuò festo Paschæ, id est, prima die azymorum & Sabbatho, vt transferant Pascha in Sabbathum, ne duo festa consequentia se mutuò essent populo onerosa, quia nec in ipsis cibum licebat parare.

*Fundamentum pretensum dispensatio.*

Nolebat ergo Christus vti hac dispensatione, quæ post libertatem captiuitatis Babylonicæ introducta est; sed Pascha celebrauit tempore debito, id est, luna 14. populus autem luna 15. prima vespera post Christi passionem, quæ fuit feria sexta. Rupertus Abbas asserit populum quidem sumpsisse Agnum tempore quo Christus: cæterùm transtulisse festiuitatem Paschæ ex eodem fundamento. Alterum fundamentum est, nempe, quia meliùs saluantur plures difficultates, & apparentes contradictiones.

*Ea non fuit vsus Christus.* Rupertus.

Hæc sententia non est admodùm probabilis; ideò communis est eodem die Christum, & Iudæos sumpsisse Agnum, nempe luna 14. ad secundam vesperam, & idem de Iudæis asserendum.

*Vltimus modus, & verus.*

*Prima conclusio.* Christus cum discipulis eo anno celebrauit Pascha legale. Est communis Latinorum contra primam sententiam. Probatur Matth. 26. *Primo die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Marci 14. *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant* (supple Iudæi) *dicunt ei discipuli; quò vis eamus, & paremus tibi vt manduces Pascha?* Lucæ 22. *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat, occidi Pascha.* Ex quibus verbis, & consequenti

11 *Christum celebrasse Pascha illo anno.*

sequentibus patet intentum, quia apud Matthæũ respondit: *At dixit, Ite in ciuitatem ad quendam, & dicite ei: Magister dicit, tempus meum propè est, apud te facio Pascha, cum discipulis meis: & fecerunt discipuli, sicut constituit illis Iesus, & parauerunt Pascha*, &c.

*Christus & Iudæi die legitimo celebrarunt.*

Idem patet ex Marco, vbi similiter dicuntur parauisse Pascha: & apud Lucam similiter. Secundò sequitur contra alios, quòd Christus fecit Pascha primo die azymorum: & ex Marco Iudæi etiam eodem die immolati sunt Pascha: accedit quòd Lucas dicat *necesse fuisse immolare Pascha*, propter præceptum scilicet, quod destruit illam traditionem.

Hæc conclusio fusiùs in sequentibus probabitur; conueniunt Græci in ipsa, nempe Christum celebrasse Pascha legale: quamuis aliqui de tempore discrepent. Fundamenta autem primæ sententiæ nulla sunt, quia quòd Christus miserit discipulos prima die azymorum, non intelligitur ipsa hora, qua agnus erat immolandus, sed multò antè; illo die naturali, in cuius secunda vespera immolandus erat agnus: hæc autem vespera spectabat ex computu sacro ad diem sequentem, secundùm computum vulgarem autem diei naturalis ad præcedentem, cuius erat vespera, & ideò denominat ipsum diem primum azymorum, quia in ipsius vespera incipiebant azyma cum agno Paschali.

*Respons. ad fundamenta primæ sent.*

Ad illud, quòd dicitur Christus discubuisse cum Apostolis, non intelligitur de cœna legali, sed vsuali, in qua dixit Christus: *Vnus vestrûm me traditurus est*, &c. Alij dicunt, quòd per *discumbere* intelligatur ad mensam accedere. Obiicies ex præcepto legis debitum fuisse, vt agnus lunâ decimâ in domum adduceretur, & seruaretur immolandus lunâ decimâ quartâ, quod non potuit illo die 14. præstari à discipulis. Aliqui dicunt hoc non fuisse præceptum, nisi tantùm Iudæis pro tempore illo Ægyptiacæ profectionis. Sed meliùs respondetur ex Iosepho *lib. 5. Antiquitatum, cap. 45.* Ciues Ierosolymitanos solitos fuisse sibi, & aduenis agnos, cubicula, & reliqua præparare: ac proinde id præstitisse eum, ad quem Dominus discipulos remisit.

12

*Luna 14. ad vesperam celebrauit Pascha.*

*Secunda conclusio.* Christus, & Iudæi, eodem nempe die 14. ad vesperam celebrarunt Pascha, & dies sequens 15. fuit solemnis azymorum. Hæc etiam conclusio communis est Doctorum, paucis exceptis. Probatur, quia Exodi 12. Leuitici 23. & Num. 28. id absolutè præceptum est: ergo non fuit causa dispensandi: neque præsumi debet talis dispensatio, quæ in lege non inuenitur expressa, cuius tũc Iudæi erãt obseruantissimi. Secundò, Iosephus illius tẽporis scriptor *lib. 2. Antiquitat. c. 3. & lib. 3. c. 1.* scribit eam legem de immolando agno Paschali luna 14. & luna 15. de solẽnitate azymorũ seruanda fuisse inuiolabiliter obseruatam. Tertiò, Christus comedit Pascha luna 14. prout lege præscriptum est: ergo & Iudæi. Patet consequentia ex Luca 22. *Venit autem dies azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha*, &c. vbi agit de die, in quo Christus comedit, & alludit ad præceptum commune: ergo tunc reliqui etiam comedebant.

*Iosephus.*

*Respõsio Ruperti.*

Dices cum Ruperto, id quidem verum esse de comestione agni, non de celebratione Paschæ.

*Impugnatur.*

Contrà, quia omnes Euangelistæ citati docent fuisse primum diem azymorum, atqui hæc erat dies Paschæ solemnis: ergo, &c.

*Confirmat.*

Confirmatur, quia vel illius translationis causa fuit legitima; vnde & ipsa translatio facta lege, & consuetudine firmata, vim habuit legis, & consequenter non fuit licitum ab ipsa discordare, & Christus Dominus illegitimo tempore celebraret Pascha, quod falsum est contra testimonia Euangelistarum: vel non fuit, sed hoc etiam falsum esse probat Iudæorum in sua lege tunc obseruanda zelus, qui colligi potest ex subuersionis suæ historia, quo tempore zelantissimi erant eius obseruandæ, vt docet Iosephus, & Philo; & parrim colligitur ex Actibus Apostolorum; nam quidam etiam credentes volebant Gentes ad legis obseruantiam inducere, contra quos Paulus in epistola ad Romanos, & Galatas, & ad Hebræos differit. Accedit fundamentum oppositæ sententiæ non esse tenendum, quia nititur testimonio vnius Rabini moderni, non aliorum veterum.

*Christus obseruauit legẽ.*

*Iudæorũ zelus pro lege.*

13

*Christus pas. fus in die Paschæ.*

Tertiò, omnes Patres docent Christum passum fuisse ipso solemni die Iudæorum in Pascha, qui fuit luna 15. & primus dies azymorum iuxta præscriptum legis, quod colligitur ex ipsis Euangelistis Matth. 27. *Per diem autem solemnem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum, quem voluissent.* Marci 15. *Per diem autem festum solebat dimittere illis vnum ex vinctis.* Lucæ 23. *Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum*, &c. Ioan. 18. *Est autem consuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Pascha*, &c.

Matth. Marc. Lucas.

Quod omnes Patres docent, non solùm Latini, sed Græci. Clemens *lib. 5. constit. cap. 14.* aliàs 16. Origenes *hom. 23. in Num.* Theophilus Alexandrinus *in epistola ad Theodosium.* Cyrillus Ierosolymitanus *Catechef. 13.* Chrysostomus *hom. 86. in Matth.* Socrates *lib. 5 hist. c. 21.* Victor. Antiochenus *in cap. 14. Marci.* Theophylactus *in cap. 26. Matth.* Quin etiam huc accommodat Cyrillus illud Amos: *Et conuertam solemnitates vestras in luctum*, &c. *In azymis enim*, inquit, *hoc agebatur, atque in ipso festo Paschatis: deinde dicit, & ponam ipsum sicut luctum dilecti, & eos qui cum ipso sicut diem doloris: in die enim azymorum ac celebritate mulieres eorum diuerberabant se, & flebant; Apostoli verò occultati dolebant*, &c.

Clem. Rom. Theophil. Cyrillus Ierosol. Chrysost. Socrates. Theophylact. Cyrillus.

14

*Obiectio 1. Soluitur.*

Obiicies Matth. 26. *Non in die festo: ne forte tumultus fieret in populo*, &c. ergo non fuit passus Christus in Pascha. Respondetur illam sententiam fuisse quorundam Iudæorum, non obtinuisse tamen, quia oblatâ occasione per proditionem Iudæ, ipsum illo die occiderunt.

*Obiectio 2.*

Obiicies secundò, illo die, quo mortuus est Christus sindonem mercatus est Ioseph: mulieres parauerunt aromata: Iudæi processerunt criminaliter; horum nihil die illo festo licebat: Leuit. 23. ergo, &c. Respondetur quòd excepto Sabbatho, in aliis festis licebat cibos præparare: Exodi 12. quod etiam licuit in festo Paschatis: de quo ibi: *Nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinent*, &c. Quantò ergo magis licuit opera pietatis in illis exercere, vt sepelire mortuos: nam si non licuit tenere in cruce mortuos superueniente Sabbatho, vt prætendebant Iudæi, apud Ioannem, & alios legitur: licuit eos sepelire, ac proinde mercari ea, quæ ad sepulturam erant necessaria, vt sindonem, & aromata. De processu criminali Iudæorum, constat eos, siue ex cæcitate, siue ex inuidia percitos, putasse se obsequium præstitisse Deo magis gratum interficiendo Christum, quàm sacrificando: vnde illi, qui in Concilio dicebant, *non in die festo*, &c. non ex motiuo non interficiendi eum in festo, sed ne

*Respõsio. Licebat cibũ præparare aliis diebus nũ Sabbatho.*

fortè ex tumultu populi non poſſent, id affirmarunt.

15 *Obiectio 3.* Obiicies tertiò, Ioannes *cap.* 13. dicit Chriſtum ſumpſiſſe cœnam, & lauiſſe pedes diſcipulorum ante diem feſtum Paſchæ: ſed hoc feſtum incipiebat luna 14. ad veſperam: ergo præcedenti die ſumpſit cœnam. *Reſponſio.* Reſpondetur Ioannem computaſſe diem feſtum Paſchæ, non iuxta vſum ſacrum, ſed iuxta communem, & politicum, & ſicut *ſuprà* diximus, dies incipiebat ab ortu Solis, quamuis vſus azymorum incipiebat die præcedenti: ſic etiam Scriptura primum diem azymorum computat quandoque iuxta vſum politicum, & ciuilem, ſeu naturalem.

16 *Obiectio 4.* Obiicies quartò, Ioannis 18. Iudæi non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed poſſent comedere Paſcha: ergo Iudæi ſaltem non celebrarunt Paſcha illo die, quo Chriſtus. Confirmatur, quia dies, quo paſſus eſt Chriſtus, Ioannis 19. appellatur paraſceue Paſchæ, id eſt, præparatio Paſchæ: ergo in priori veſpera non fuit præparatio in populo Paſchæ. Reſpondetur phaſe, vel Paſcha, non intelligi ibi agnum Paſchalem, ſed alias victimas Paſchales, quæ in feſto Paſchatis immolabantur, 2. Paralipomenon 30. & 35. Hebraicè animalia ſic vocantur Paſcha, vt patet Deuteronomij 16. *Victima dicebantur Paſcha.* *Obſerua menſem nouarum frugum, & verni primum temporis, vt facias phaſe Domino Deo tuo: quoniam in iſto menſe eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte: immolabiſque Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt inhabitet nomen eius ibi*, &c. Agnus autem Paſchalis non de bobus, ſed de ouibus immolabatur. Hanc expoſitionem ſequitur Auguſtinus *quæſt.* 24. *in Deuteronom.* & Toletus *in Ioannis* 13. *an.* 3. & 5. Ad confirmationem reſpondetur paraſceuen Paſchæ non dici, eam quæ antecedebat, ſed quæ in ipſum Paſcha incidit, quia cum Iudæis non liceret Sabbatho præparare alimenta, id licuit, & fiebat die Paſchatis, quando antecedebat Sabbathum. *Auguſtinus. Tolet.*

17 *Immolatio agni Paſchalis lun.* 14. *Tertia concluſio.* Agnus Paſchalis immolabatur luna 14. ſecunda veſpera, & non prima, & tunc etiam à Chriſto Domino facta eſt cœna legalis agni. Hæc eſt contra Luiſium Legionenſem, & patet expreſsè ex verbis legis, quia Exodi 12. iubetur adduci agnus die decimo menſis primi, & ſeruari vſque ad decimumquartum diem, & immolari in veſpera, ſed ex illa ſententia non fuiſſet ſeruatus vſque ad decimumquartum, ſed decimotertio fuiſſet immolatus: ergo, &c.

Dices intelligi diem decimumquartum inchoatiuè, vt *ſuprà* oſtendimus ex computu rituali, & ſacro, vtramque veſperam in ſolemnitatibus comprehendi. Contrà, quia adiuncta veſpera diei in illo capite ſignificat, vt multi notant, ſecundam veſperam.

Sed quidquid ſit de hoc, aliter patet falſitas reſponſionis ex textu Exodi 12. Leuit. 23. *Menſe primo quartadecima die menſis, ad veſperam phaſe Domini eſt, & quintâ decimâ die menſis huius, ſolemnitas azymorum Domini eſt.* Sed hoc nequit intelligi de die decimaquarta iuxta computum naturalem, quia non fuit ſolemnis: quia id nullibi exprimitur in lege. Deinde feſtiuitas azymorum, & Paſchæ, continenter ſuccedebant immolationi agni, & excluſio fermenti, ad quod non licebat deinceps redire vſque ad 21. incluſiuè: azymi ergo durabant tantùm per ſeptem dies; durarent autem per octo, ſi die decimatertia fieret immolatio agni. Deinde illa nocte in cuius veſpera immolabatur agnus ſummo manè egreſſi ſunt Iſraëlitæ de Ægypto; & vtebantur tunc azymis tantùm, vt patet ex textu citato; fuit autem decima quinta dies: ergo in ſecunda veſpera immolabatur agnus luna 14. Fundamenta autem huius authoris ſoluta ſunt: nempe, contradictio illa apparens inter loca Euangeliſtarum: de quibus obiectio tertia, & quarta. Et hæc ſufficiant de puncto incidentali huius quæſtionis, quantùm autem ad quæſitum principale, quod tangit materiam huius Sacramenti, ſit

18 *Quarta concluſio. Chriſtus conſecrauit in azymis.* *Concluſio quarta.* Chriſtus conſecrauit in azymis. Hæc patet ex dictis, eſtque contra Græcos modernos, eſtque certa. Eam docet Leo IX. in epiſtola ad Michaëlem Cerularium Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Probatur, quia inſtituit Chriſtus luna 14. Sacramentum poſt cœnam legalem, quando deinceps ex præcepto legis nullus erat vſus fermentati, ex inhibitione Exodi 12. *Primo menſe quartadecima die menſis ad veſperam comedetis azyma vſque ad vigeſimum primum eiuſdem menſis ad veſperam; ſeptem diebus fermentum non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermentum, peribit anima eius de cœtu Iſraël, tam de aduenis, quàm de indigenis terræ*, &c. Vnde conſtat traditionē Eccleſiæ Latinæ eſſe magis veram & certam. *Præceptum azymorum.*

Confirmatur ex argumento *ſuprà* facto, quo ex communi etiam Græcorum Patrum ſententia conſtat Chriſtum paſſum ſequenti die decima quinta, qui erat primus azymorum: ergo in priori veſpera tunc inſtituit Sacramentum peractâ Cœnâ legali, & figurali huius Sacramenti, quando deinceps nullus fuit vſus fermenti. *Confirmat. 1.* Confirmatur ſecundò ex epiſtola Polycratis ad Euſebium *lib. 5 hiſtoriar. cap.* 23. hic fuit Epiſcopus Epheſi, qui cum aliis congregatis Epiſcopis Aſiaticis ſub Victore Papa in controuerſia de obſeruatione Paſchatis ſcribit ad Victorem Pontificem: *Hi*, inquit, *maiores mei, & cognati, tum diem Paſchatis ſemper celebrarunt, cùm ſit populo Iudaico in more poſitum panes azymos apparare*, &c. & ante enumerans Ioannem, Philippum, & filios eius, Polycarpum, & alios: *Iſti omnes diem Paſchatis* 14. *die lunæ ex Euangelij præſcripto obſeruarunt*, &c. *quando ſcilicet vetus Paſcha à Iudæis celebrari ſolebat.* Hic ritus ab Eccleſiis Aſiaticis obſeruabatur, vt aliqui dicunt in gratiam aliquarum Eccleſiarum Iudaizantium: ſed potiùs mihi videtur, vt exemplum Chriſti retinerent, vt patet ex illis verbis ex Euangelij præſcripto, & teſtimonium perhibent tunc celebratum à Chriſto fuiſſe, nempe luna 14. quando fuit vſus azymorum in veteri populo: ergo etiam traditio ipſorum fert Chriſtum in azymis conſecraſſe. *Confirmat. 2.* *Vſus primitiuus Eccleſiæ Orientalis.*

19 *Quare reprehenſi Aſiatici in celebratione Paſchæ.* Neque Concilium Nicenum, neque alia poſteriora corrigentia hunc errorem in ritu, impugnant traditionem prætenſam: ſed in hoc reprehendunt ritum, quod aliud Paſcha cum communi Eccleſia, ex traditione Eccleſiæ Romanæ, & SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum, Chriſti Reſurrectionis non celebrarint, ſed magis adhærerent ritui Synagogæ.

Confirmatur tertiò, ſpeciatim contra Græcos ex Chryſoſtomo, quem aliqui citant in fauorem illius ſententiæ, quæ aſſerit Chriſtum celebraſſe Paſcha luna 14. non autem Iudæos ex loco præfato Ioannis *obiect.* 3. & 4. qui dicit hom. 81. in Matth. *Si Paſcha comedebant, quare contra legem recumbentes comedebant?* Reſponder, *Verùm cùm comederet* *Confirmat. 3. Chryſoſt.*

*deret: Pascha minimè recumbebant, sed postquam illud comedissèt, deinceps recumbentes epulabantur.* Respondet autem iis, qui negabant hoc anno Christum sumpsisse Pascha legale, ibidem: *Cuius rei gratia,* inquit (supple Christus) *peragebat Pascha?* supple, Iudaicum. Respondet: *Semper in omnibus ostendens vsque ad extremum passionis diem se non esse aduersarium legis*, &c. Ex quibus constat Christum & celebrasse Pascha, & die extremo ante passionem: ergo in azymis ex præscripto legis.

Quid ergo Chrysostomus de ipsis Iudæis hom. 83. in Matthæum, ita refert: & *immiserunt in eum manus, & tenuerunt illum ipsa nocte, in qua comederunt Pascha, tantâ insaniâ, tantoque furore agitabantur*, &c. ergo eadem nocte & ipse, & Iudæi, quâ deinceps non licuit redire ad fermentum.

20 *Obiectio 1.* Obiicies *homilia 83. in Matthæum.* Chrysostomus accusat Principes Pharisæorum, quòd non fecerint Pascha, intendentes occisioni Christi, & capturæ eius: *Adeò*, inquit, *in hoc negotio pernoctabant, & vigilabant. Cùm enim dixisset Ioannes, manè autem facto, statim intulit, non intrarunt in prætorium, ne contaminarentur, sed vt comederent Pascha: quid igitur dicendum est?* Respondet, *cupiditate interficiendi Christum eos dissoluisse, & alia die comedisse: neque enim Christus tempus Paschatis violasset qui sub vesperum illud comederit*, &c.

*Responsio. Christus obseruauit tempus præscriptum.* Respondetur ex hoc sequi contrarium, nempe Christum consecrasse in azymis, quia non est transgressus legem, neque tempus, neque modum obseruandi Paschatis: ex Chrysostomo sequitur eum non vsum fuisse fermento, aut in Cœna legali, aut vsuali, quando instituit Sacramentum: quia id per legem, quam ritè obseruauit ex Chrysostomo, non licuit.

*Ita etiam populus.* Deinde si asserit illos cupiditate occidendi Christum non comedisse Pascha, & reliquos Iudæorum comedisse, vt patet ex præcedentibus, sequitur etiam propositum, nempe, culpa illorum non derogat consuetudini, & legi per alios obseruatæ ex eodem. Vnde idem *hom. 26. in Matthæum*, asserit Sacerdotes, & Pharisæos huic sceleri intentos non habuisse rationem temporis, quod sanctum erat: ergo ex vsu, & praxi in obseruantia.

21 *Intentum Chrysost.* Respondetur ergo Chrysostomum mouere dubium, an comederint, vt quasi dilemmate eorum scelera concluderet: nam si comederint Pascha, scelus erat occidere, aut tenere ad mortem Christum in festo; si non comederint, transgressi sunt legem: non ergo assertiuè procedit, sed ad exaggerationem culpæ ipsorum: vnde hom. 83. in Ioannis 13. *Non introierunt in prætorium*, &c. *vt comederent Pascha*, insinuat duplicem expositionem, alteram *suprà* allatam, alteram hîc dictam: *Sed significat*, inquit, *vt manducarent Pascha? ipse autem* (supple Christus) *vno die antea tradidit Pascha*, &c. Primo scilicet die azymorum: siue ergo per Pascha totam intelligit solemnitatem, &c. tunc intelligendum est, vt *suprà* exposuimus, quia sacrificia Paschalia debebant Sacerdotes comedere. Nefas autem erat eis comedere ea non purificatis, vt patet Num. 22. & ideò non sunt ingressi prætorium: *Siue*, inquit, *appellat Ioannes Pascha, quod tunc faciebant*, &c. *ipse autem* (supple Christus) *vno die antea tradidit Pascha*, &c. nempe luna 14. quando & vetus fiebat Pascha.

Ex his ergo sensus Chrysostomi apparet, quem malè interpretantur Euthymius, & Græci moderni. Hi corruperunt Theophylactum *in cap. 14. Marci*: sed in Lucam, & in Ioannē manet integer. *Corruptela Græcorum.*

Ex his ergo apparet mendacium Caluini, asserentis Græcos magis inniti veritati. Hæc sufficiāt de hac quæstione, quam fusim tractant moderni. Supersunt obiectiunculæ parui momenti, quibus non inhæremus, & magis spectant ad primum punctum: vt quòd illa dies vocatur magna dies Sabbathi: ergo ratione Paschæ. Respondent aliqui sic vocari ratione festiuitatis ipsius Sabbathi, non per differentiam eius ab aliis Sabbathis. Alij dicunt, quia incidebat in secundum diem azymorum.

22 *Quæritur quo tempore Christus instituit hoc Sacramentum.* Respondet Iansenius in Concordia, institutum fuisse ante finitam Cœnam legalem, quia non distinguit inter hanc, & vsualem Cœnam: sed errat, quia illam sumebant festinantes, & stantes, iuxta præceptum legis, postquam secuta est lotio pedum, & post eam institutum est Sacramentum. *Quādo Christus instituit Sacramentū. Sententia Iansenij.*

Ioannes de Louanio *lib. de commun. sub vtraque specie*, docet primùm institutum fuisse Sacramentum corporis, & postea calicis, non per modum actus continuati, quem sequitur Bellarminus *lib. 4. de Eucharist. cap. 27.* Fundamentum est, quia Matthæus, & Marcus dicunt, *Cœnantibus illis accepit Iesus panem*, &c. Lucas verò 22. & Paulus 1. ad Corinth. 11. *Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens*, &c. Ioan. de Louanio. *Secunda sententia.* Bellarm.

Respondetur illos de toto mysterio per modum actus continuati loqui. Suarez docet inchoatâ cœnâ communi, seu vsuali fuisse institutum. Respondeo institutionem contigisse in fine cœnæ vsualis, & fuisse vltimum in illa cœna, ita Doctor *suprà dist. 8. quæst. 3. ad 1.* est Augustini *lib. Responsionum ad Ianuarium cap. 6.* & habetur Capitulo *liquidò, de consecratione dist. 2.* causam assignat ibidem epistola 118. *Namque Saluator, quo vehementiùs commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus, & memoriæ discipulorum, à quibus passionem digressurus erat*, &c. Idem tenet Baronius *tom. 1. Annalium* 34. Claudius Sanctez *repet. 2. cap. 7. & repet. 6. cap. 1.* Suarez. *Institutio facta est in fine vsualis Cœnæ.* Doctor. Augustinus. Baron. Claudius.

23 Vrbanus Papa *Clement. 1. de Reliquiis, & venerat. Sanctorum: Sumpta*, inquit, *Cœna*, &c. Canit Ecclesia: *Post agnum typicum expletis epulis, corpus Dominicum datum discipulis*, &c. *Similiter & calicem postquam cœnauit, dicens*, 1. ad Cor. 11. Ratio videtur congrua, quia non videtur quòd post communionem tanti mysterij vacarent cœnæ vsuali, & maximè quando in illa prolixa concione, quam Christus habuit, erant instruendi. Dices: Lucas, post consecrationem calicis, dixisse Christum: *Veruntamen manus tradentis me mecum est in mensa.* Respondetur, quandoque ab Euangelistis non seruari ordinem rerum, vt factæ sunt, & ista potuisse Christum dixisse inter cœnandum cœna vsuali, aut etiam legali. Illud itaque videtur tantùm certum in hoc puncto Christum instituisse Sacramentum post cœnam typicam, vt tradit Tridentin. *sess. 22. cap. 1.* De reliquo non refert an anteà, an sub cœna communi, an in fine: probabiles enim coniecturæ hinc inde sumuntur. *Ratio.*

## SCHOLIVM.

*Refutat Græcos, ostendens ex Euangelijs expressè, Christum passum fuisse lunâ 15. & cœnam instituisse luna 14. & soluit argumenta ad oppositum. De hoc vide Bellarm. 4. de Euchar. cap. 7. 8. 9. Burgens. in 26. Matth. Tolet. in 13. Ioann. Suar. tom. 3. d. 44. qui loca Patrum adducunt. Festa Iudæorum incipiebant à vespera. Leuit. 23. annus à nouilunio proximo æquinoctio vernali. Exod. 12. mensis erat lunaris 30. dierum, & prima dies primi mensis, erat radix omnium festorum, quorum maximum erat Pascha celebrandum luna 14. Exod. 12. & Leuit. 23.*

5 *Christum passum lunâ 15. & fecisse cœnam lunâ 14.*

Sed in proposito tam antecedens est falsum, quàm consequens. Prima enim consequentia nulla est: nec secunda est necessaria. Quòd enim passus fuerit lunâ 15. & per consequens fecit cœnam lunâ 14. probatur expressè per illud Matth. 26. *Prima die azymorum, quæserunt discipuli, Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* & Marc. 14. *Prima autem die azymorum, quando Pascha immolabant: Quo vis eamus, & paremus tibi, vt manduces Pascha?* & Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha, & misit Petrum, & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus.*

*Illa hora, qua comedi debebat agnus Paschalis discipuli comederunt verũ agnũ.*

Ex istis patet, quòd die azymorum prima, scilicet 14. luna comedit agnum Paschalẽ, & hoc iuxta illud Numer. 28. quod allegatum est statim, & 15. die erat solemnitas, hoc est, primus dies integer solemnis solemnitatis Paschæ, & illa die passus est Christus. Et sic illa hora qua comedi debuit agnus Paschalis secundùm legem, scilicet 14. die mensis primi, comederunt discipuli verum agnum.

*Pascha quinque modis sumitur. Vide Deut. 6. 2. Paral. 35.*

Ad probationes eorum, quas addunt pro antecedente, patet per vnam distinctionem, positam ab Innocentio *de officio Missæ, parte 3. cap. 4.* quòd Pascha quinque modis accipitur. Vno modo pro solemnitate diei azymorum, quæ erat lunâ 15. Alio modo pro die, in cuius vespere comedebatur agnus, quæ erat lunâ 14. Tertio pro hora immolationis agni, quæ erat pars diei 14. Quarto pro agno, qui comedebatur, vel immolabatur. Quinto modo pro panibus azymis.

Ad propositum sufficit primum membrum distinctionis pro soluenda auctoritate prima de Ioan. 18. & similiter pro secunda auctoritate.

6 *Vtrumque panem esse sufficientem ad consecrationem.*

Hoc [b] ergo simpliciter tenendum est, quod de necessitate panis consecrabilis non est, neque quòd sit azymus, neque quòd sit fermentatus: quia secundùm Anselmum in lib. suo de azymo, & fermentato, non differunt substantialiter azymus, & fermentatus: & ideò non negamus verè conficere Græcos. Quod [c] etiam patet, quia tempore Leonis Papæ fuit constitutum, quòd conficeretur in fermento: sed fuit ad tempus, ad extinguendam hæresim Ebionitarum, qui dixerunt, quòd necessarium erat Christianos iudaïzare, & per consequens Pascha suum in azymo conficere, sicut fecerunt Iudæi: & ad extinctionem huius hæresis fuit ordinatum consecrare in fermento. Sed pòst hæresi illâ extinctâ rediit Ecclesia Occidentalis ad primam consuetudinem, quæ conformis est institutioni Christi, & promulgationi factæ per eius Vicarium Petrum.

Sed de necessitate ministri ad minùs in Ecclesia Latina est hodie conficere in azymo, sicut dictum est suprà ista distinctione de materia conueniente. Et fortè etiam grauiter peccant Græci, qui non se conformant Ecclesiæ Petri: maximè cùm hîc habeatur fundamentum solidum, quòd sic Christus instituit istud Sacramentum celebrandum, ad minùs, licèt non necessariò, quin aliter fieri posset, tamen sic magis congruè celebratur.

## COMMENTARIVS.

24 *Error Græcorum. Michaël. Cerularius.*

b *Hoc ergo simpliciter tenendum est*, &c. Subiicit secundam conclusionem huius dubij. Michaël Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus circa annum 1050. docuit fermentatum panem esse de necessitate materiæ consecrabilis: quem sequuntur Græci moderni schismatici, vt docet Arcudius. Glossa in capitulo *literas, de celebrat. Miss.* docet fermentatum in Ecclesia Græca, azymum in Latina esse de necessitate materiæ.

*Sent. Glossa.*

*Tertia sent.*

Tertia sententia asserit azymum esse de necessitate præcepti, ideóque Græcos peccare non conformando se Ecclesiæ Latinæ consecrando in azymo: ipsi enim consecrant in fermentato. Pro hac sententia citatur Doctor hîc in fine.

*Quarta sent.*

Quarta sententia est: Latinos ad consecrationem in azymo teneri: Græcis liberum esse siue azymo, siue fermentato vti.

*Hæreticorum error.*

Vltimò tandem hæretici huius temporis putant non referre, quo quis vtatur, sicut non refert siue vinum sit album, aut rubrum: quamuis, inquiunt, fermentatus sit magis accommodus, quia magis vsualis; vnde *can. 11. in Trullo*, prohibetur Christianum vti azymis Iudæorum.

Caluinus

*Mendacium Caluini.*

Caluinus autem *lib.4. Institut. cap.43.* asserit mendaciter totam Ecclesiam vsam fuisse fermentato vsque ad Alexandrum Pontificem,qui vt nouo spectaculo homines in sui admirationem traheret, instituit vt consecraretur in azymo. Sed hoc mendacium est, quia nullus præterea id asserit, neque Alexander primus,septimus à Petro,id præscripsit, cuius memoria nulla in gestis eius habetur,nec facilè hæretici eam antiquitatem institutioni concederent. Alexander autem secundus, & reliqui posteriores sunt Michaële *suprà* citato,qui vsum Ecclesiæ Latinæ in azymis consecrandi improbauit: contra quem Leo IX. scripsit, hic autem præcessit Alexandrum secundum.

25 *Prima conclusio.* Vterque, & alteruter tam azymus,quàm fermentatus,modò triticeus, est sufficiens materia. Est de fide definitum in Florentino in Decreto vnionis Armenorum.Patet,quia vterque simpliciter panis triticeus est, de fermentato enim communiter Scriptura,& vsus id habet, & concedunt Græci : de azymo patet Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. vbi absolutè panis in quo consecrauit Christus,panis dicitur, is autem fuit azymus, vt sequenti conclusione probabimus.Et quidquid sit de hoc; panis quem fregit in Emaus apparens post resurrectionem duobus Discipulis, fuit azymus : quia fermentati tunc non fuit vsus secundo die azymorum; hic autem panis simpliciter dicitur.Deinde verè panis est, & nutrimentum azymus, & etiam vsualis ad effectum nutritionis.Dices fermentatus solus est in vsu.Respondetur id falsum esse. Dices panis Græcè ἄρτος, dicitur,ab ἄιρω, quod est tollo, quod scilicet fermento attollatur. Respondetur dici ab effectu ἄρτος, eo quòd vitam hominis ad debitum accrementum tollat, quod etiam azymo competit: & falsum est stylo Scripturæ ἄρτος tantùm vocari fermentatum:nam Genes.18.& 19.panes subcinericios dedit Abraham & Loth Angelis ἄρτους ἐγκρύφιους. erant azymi. panes propositionis erant azymi, vt patet Leuit.2. quos Scriptura vocat ἄρτους προθέσεως. Psal.77. panem cœli, &c. panem Angelorum, ἄρτους ἐγκαύτους, ἄρτους ἀγγέλων, &c. videatur de hac quæstione Humbertus tom.11. Biblioth. Patrum.

26 *Secunda conclusio.* Græcus sine peccato consecrat in fermentato. Patet ex vsu non reprobato, neque prohibito. Doctor autem sub dubio insinuat contrarium : *Fortè*, inquit, *peccant Græci non conformantes se Ecclesiæ Latinæ* : peccatum autem illud non reducit in necessitatem præcepti sic consecrandi, sed potiùs in contumaciam, & contemptum Græcorum,ex quibus videntur recessisse à ritu Latinorum : & peccatum hoc ex suppositione erroris graue est inquantùm sic consecrant, quasi necessitate materiæ, & institutionis Christi,culpantes Latinam quasi errat.Quem errorem ipsorum citat Doctor ad initium dubij; contemptum ergo hunc culpat Doctor, non verò ritum absolutè, cùm aliàs ritum Græcorum approbet in forma baptizandi; docens necessitate Ministri quemque debere sequi ritum suæ Ecclesiæ,& *suprà dist.*de forma consecrandi,cuius ratio ibi adducta huc spectat. Vnde his sublatis inconuenientibus, nullum est peccatum, quia nec præceptum.

*Quale peccatum Græcorum.*

Conformare autem se Ecclesiæ Latinæ, aut Romanæ in quocunque ritu,non est necessarium, nisi in iis tantùm, qui vniuersales sunt, & sub præcepto lati : & maximè id verum erit, si ritus discrepans consensu eius tolleretur,& Sanctorum Patrum exemplis fulcitur : qualis est ritus Græcorum in fermentato consecrandi.

*Quisque suæ Ecclesiæ ritũ sequatur.*

Quicunque autem particularis ritum suæ Ecclesiæ sequi tenetur,cuius est membrum;peccaret ergo Græcus, si in Ecclesia sua ritu Latinorum, Latinus si Græcorum ritu celebraret. Ratio est, quia quisque obligatur ad legitima præcepta suæ Ecclesiæ,& membrum capiti tenetur. Ex quo patet error hæreticorum asserentium esse indifferens,seu adiaphorum,vti fermentato, aut azymo, cùm constet esse sub determinatione præcepti respectiuè ad ritum Ecclesiæ, cuius celebrans est membrum. Ad illud, quod asserunt Latinos vti azymis Iudæorum, ridiculum est, loquitur enim Trullanus canon de vsu azymorum in communi, & præceptis à lege veteri diebus : sic enim vtuntur Iudæi ex præscripto legis; non autem aliter vtens iudaïzat, vt per se constat : vnde abstinens à carne porcina causa salutis non dicitur iudaïzare.

27

Petes, an Latinus inter Græcos possit celebrare ritu loci, vel econtrà, Græcus inter Latinos? Respondetur affirmatiuè. Fundamentum peti debet ex generali regula, quæ statuit de peregrinis in similibus: peregrinus dicitur qui alibi habet domicilium extra locum in quo dicitur peregrinus:habere autem domicilium dicitur quis in eo loco, in quo animo firmiter permanendi perpetuò domicilium accipit;desinit autem habere domicilium statim ac deserit locum, animo illuc nunquam reuertendi : potest ergo peregrinus accommodare se legibus, & consuetudinibus rationabilibus loci,in quo est, etsi repugnent legibus eius loci,in quo habet domicilium: ita Nauarrus *in man. cap.23.* Panormitanus cap. *Anobis 1. de sent.excommunicationis* : & communiter Doctores. Patet ex capitulo *illa,dist.12.*vbi ex sententia Ambrosij,& Augustini docetur quemque posse se accommodare moribus Ecclesiæ, in qua est : & ex c.*Vt animarum, de consuetudinibus, in 6.* vbi docetur statuto Episcopi ferente excommunicationem contra furantes non comprehendi subditos extra diœcesim furantes, cùm extra territorium ius dicenti non pareatur impunè.

*Peregrinus sequatur ritũ loci in quo est.*

Nauarr. Panormit.

An verò teneatur conformare se legi loci probabile est vtrumque : sed quoad præsentem casum non tenetur, quia vsus toleratus ita fert, vt Latinus apud Græcos ritu Latino, & Græcus inter Latinos ritu Græco. Cæterùm hanc resolutionem admitterem secluso scandalo, & errore, ne putetur sic celebrans transire in errorem Græcorum circa materiæ necessitatem.

28

c *Quòd etiam patet, quia tempore Leonis Papæ fuit constitutum quòd conficeretur in fermento, sed fuit ad tempus*,&c.Hæc litera est corrupta,debet enim aliter legi,vt habet Alensis 4. *part. quæst.10. in 4. art.2.§.3.sub fine.* D.Bonauentura *hac dist.in 2.part. dist.art.2. quæst.1.in fine.* D.Thomas *quæst.2. art.2. quæstiuncula 3.* Dicit enim Leo antiquos Patres propter Iudaïzantes Ebionitas, qui necessariò saluandam legem induxerunt, ad tempus instituisse mysterium conficiendum esse in fermentato, & mox sublatâ hæresi Latinam rediuisse ad pristinum modum iuxta primam consuetudinem conficiendo in azymis; Ecclesia Græca tenuit consecrationem in fermentato.

*Locus corruptus.*

Hic Leo debuit esse octauus, vulgò dictus nonus,qui eo tempore, quo Michaël Constantinopolitanus Patriarcha circa annum Domini 1053. induxit

Leo IX.

induxit errorem de neceſſitate Sacramenti ex fermentato, vocans Latinos Azymitas; ſedit in cathedra Petri, & ſcripſit ad Imperatorem Conſtantinum Monomachum Catholicum, & ipſum Michaëlem in confutationem illius erroris, miſſis etiam Apocryſariis Humberto Epiſcopo Siluæ-Candidæ, & aliis.

*Probabile eſt Latinã ſemper conſecraſſe in azymo.*

Sed neque ego inueni hoc in prædictis literis; fortè dixit in inſtructione, ad quam ſe remittit; de quo etiam dubium mihi eſt: cùm in libro Humberti contra prædictum Michaëlem, & alium contra Nicetam Monachum, aliud planè inſinuetur, nempe Eccleſiam Latinam, & Ieroſolymitanam ſemper vſos fuiſſe azymis. Neque alioquin periculum Ebionitarum, aut aliorum Iudaïzantium tetigit Eccleſiam Occidentalem, neque talis mutationis veſtigium aliquod mihi occurrit, aut ex prædicto libro Humberti inſinuatur: imò exiſtimo Latinam nunquam hunc ritum mutaſſe, quod & docet Rupertus *lib. 2. de diuinis Officiis, cap. 22. in principio.* Fortè in Aſiæ aliquibus Eccleſiis, vbi vigebant Iudaïzãtes, illa nouitas inualuit, vel certè ad diſtinctionem, & ſeparationem, vel certè ad tollendam calumniam circa ritum celebrandi Paſcha; in quo aliqui Iudaïzabant ſub Papa Victore, quantùm ad tempus, & ad diſcrimen mutarunt azymos in panes fermentatos. Quidquid ſit, illud conſtat ſub Leone I X. aut altero huius nominis eam mutationem non fuiſſe inductam, & Eccleſiam ab initio inſtructam fuiſſe, quantùm ad vtriuſque materiæ ſufficientiam. Habentur libri Humberti in tom. 11. Bibliothecæ Patrum editionis Colonienſis. Quæ autem hîc ex Doctore emendanda dicimus, irrepſerunt ex Richardo *hac diſt. art. 2. queſt. 3. ad 4.* quod eſt vltimum.

Ad complementum huius quæſtionis ſubiiciam duas alias, quæ hîc tractari ſolent à Doctoribus.

## *An requiratur determinata quantitas in materia conſecrabili?*

29 *Prima concluſio.* Si panis ſit in tam exigua quantitate, vt non ſit ſenſibilis modo humano, non eſt conſecrabilis. Probatur, quia materia ſenſibilis requiritur ad Sacramentum, quod eſt ſignum ſenſibile: ergo quod ſenſibile non eſt, non eſt conſecrabile. Dices, Chriſtus in hoſtia conſecrata manet ſub qualibet parte: ergo poteſt conſecrari ſeorſim ſub illa. Reſpondetur, negando conſequentiam, quia inſenſibilis ex ſe in toto fit ſenſibilis tanquam pars eius: ſeorſim autem non ita, quia nequit deſignari ſenſibiliter per pronomen *hoc*, quod requiritur: ita Maior *in 4. diſt. 11. queſt. 1.* Oppoſitum huius videtur D. Thomæ: ſed ratio data videtur concludens, aliqua exiguntur ad actionem, quæ ad conſeruationem non ſunt neceſſaria: ergo licèt conſeruari poſſit facta ſeparatione Chriſtus ſub qualibet particula, non tamen conſeruari. Aliqui etiam negant, & meliùs ex eadem ratione conſeruari poſſe ſeorſim ſub particula indiuiſibili: nam Tridentinum, & Florentinum, quando dicunt manere Chriſtum ſub qualibet particula, & canit Eccleſia, *Fracto demum Sacramento*, &c. intelligunt de ſenſibili, de hoc iam *ſuprà* diſſeruimus.

30 *Prima ſent.* Quoad quantitatem ex parte magnitudinis, variæ ſunt opiniones: Maior affirmat dari terminum in quantitate quoad magnitudinem, vltra quem nequit confici validè: quia ſic, inquit, datur etiam in actiuitate verborum, vt exigant certam, & definitam ſphæram, vltra quam non agunt, ſicut & agentia naturalia. Alenſis *in 4. p. quæſt. 34. m. 1.* D. Bonauentura *diſt. 10. art. 2. quæſt. 4.* Angelus verbo *Euchariſtia*, requirunt terminum magnitudinis ex alio fundamento, vt nequeat conſecrari in ea magnitudine, quæ ſit vſui fidelium non accommodata, quia hic videtur prudens modus inſtitutionis Sacramenti, & proportionatus finis ad quem ordinatum eſt in paſtum. Alioquin dare licentiam abſolutè conficiendi quamcúnque velint materiam Sacerdotibus, & inutile eſſet, & poſſet cedere in iniuriam Sacramenti. Hanc cenſet D. Thomas probabilem *opuſc. 59.*

*Dari terminũ in magnitudine.* Maior. Alenſis. D. Bonauẽt. Angelus. *Ex fine inſtitutionis.*

Secunda ſententia negat terminum, etiamſi in infinitum procedatur in extenſione, aut numero: ita Syluester, verbo *Euchariſtia*, Ledeſma *queſt. 11. art. 2.* tribuitur D. Thomæ: Suarez, & alij negant quidem ſi in infinitum fingamus panem extendi, aut vltra ſenſum poſſe conſecrari ex defectu præſentiæ requiſitæ: non autem ob exceſſum quantitatis, neque defectu poteſtatis conſecrandi.

*Secũda ſent. negans.* Syluẽſter. Ledeſma. Suarez.

31 *Secunda concluſio.* Probabilis eſt prima ſententia, ſed & ſecunda etiam æquè probabilis eſt, vtraque autem æquè incerta, quia neque ex Conciliis, aut Patribus alterutra conuincitur. Prima habet fundamentum ex fine inſtitutionis Sacramenti in vſum paſtus: ſecunda autem ex poteſtate data Sacerdotibus, quæ nequaquam limitatur; & per accidens videtur, vt ſit in hac, aut alia quantitate, modò reliqua ſaluentur.

*Vtraque ſententia probabilis.*

Obiiciunt contra primam ſententiam incommoda; primum, quòd ſi ſemel conſecratæ eſſent hoſtiæ, quot pro numero fidelium ſufficerent, quòd deinceps non poſſet conſecrari vlla, quia non eſſet ad vſum paſtus. Reſpondetur diſtinguẽdum eſſe, quia aliquando per ſe, aliquando per accidens contingeret exceſſum in quantitate reddere materiam inutilem. Primo modo, vt ſi fingatur aliqua quantitas exceſſiua, quæ non poteſt reduci in vſum humano modo, ſiue fiat ſecundùm extenſionem, aut numerum, vt panis tam magnus, quàm ſit terra, aut cumulus hoſtiarum: per accidens verò, vt quando hîc, & nunc in talibus circumſtantiis non poſſet accommodari ad vſum, licèt in aliis poſſet. His poſitis, nego conſequentiam illam, quia licèt vna hoſtia ſufficiat, tres tamen, & plures ab eodem ſuſcipi poſſunt. Si tamen quantitas non eſſet per ſe accommodabilis ad vſum, tunc non conſecraretur: quod nullum eſt inconueniens: verbi gratiâ, quòd lacus duodecim millium paſſuum vini non ſit conſecrabilis: nam aliqui concedunt ratione diſtantiæ partium id verum eſſe, quia non eſt præſens quoad partes remotas: ita Suarez *diſp. 43. ſect. 8.* Vaſquez *diſp. 151. cap. 3.* & alij.

32 *Prima obiect.* *Exceſſus in quantitate per ſe, vel per accidens.* *Soluitur obiectio.* Suarez. Vaſquez.

Secundò obiiciunt, quòd cùm numerus fidelium ſit incertus, nobis ſemper dubium remanere, an quis validè conficiat, quia neſcit an conſecratio eſſet vtilis. Reſpondetur negando hanc conſequentiam, quia certum eſt nobis in praxi nihil conſecrari à Sacerdote, quin ipſe ſolus eo vti poſſit, quantò magis alij vna, aut diuerſis vicibus.

33 *Secũda obiect. Soluitur.*

Tertiò obiiciunt, quòd corpus validè conſecratur, vt tradatur etiam peccatoribus in malum vſum, vt ſunt venefici, &c. ergo argumentum ex vſu non valet. Reſpondetur, quòd ille vſus eſſet

esset malus per accidens ex malitia ministri, aut sumentis; non autem per se, & intrinsecè ex natura materiæ impossibilis applicari ad vsum; quod repugnaret institutioni, & fini eius intrinseco: non ita prior casus.

*Exemplum.* Exemplum huius potest esse, non quamlibet ablutionem esse materiam Baptismi, secundùm aliquos, & nostrum Doctorem *suprà dist. 4. q. 3. & dist. 5. quæst. 1.* si quis proiiciatur ex ponte in flumen, quia talis ablutio non ordinatur ad salutem, sed per se ad mortem: ita similiter materia Eucharistiæ, si per se non sit vsualis, siue proueniat hoc impedimentum, tum à quantitate, siue à qualitate, non erit consecrabilis, vt patet in pane, qui mutatur in pastam per admixtionem aquæ, de vino in vua, & secundùm aliquos gelato, vt *infrà* videbimus. Nam hæc mutatio videtur substantialis, quando fini, & institutioni Sacramenti ab intrinseco repugnat: ita est quantitas excessiua in eo gradu, quo redditur non vsualis per se.

34 *Replica. Responsio.* Dices, secundùm partes erit vsualis: ergo & consecrabilis. Respondetur, quòd tunc consecratio, & sensus formæ primò cadit in totum, prout designant pronomina *hoc*, & *hic*, in sensu practico & conuersiuo; vnde partes tantùm consecrantur in toto: quando autem totum non est materia consecrationis primò, sic neque partes secundò. Si autem partes designentur per se, ita vt secundùm consecrantis intentionem, & ex natura rei in ipsas primò cadat sensus formæ, tunc consecrari possunt tanquam seorsim, & non vt partes; quo sensu nihil vrget argumentum.

*Excluditur fundamẽtum Suarez.* Ex quo sequitur fundamentum illud Suarez, & aliorum non esse solidum: dicunt enim ex defectu præsentiæ non esse consecrabilem materiam illam quoad partes remotiores, quæ extra locum, & sensum sunt: quia nequit designari per pronomen *hoc*. Contrà, quia siue loquamur de præsentia locali, aut sensibili, & locali simul, nequit continuum esse præsens alicui, nisi secundùm partes determinatas, quia alioquin daretur penetratio quantitatis: si autem loquantur de sensibili, nequit etiam esse sensibilis, nisi secundùm superficiem extimam; neque secundùm totam, quia quod interius est, non videtur necessariò, neque tangitur: neque est necessarium oppositum, nam particulæ consecrari possunt secundùm aliquos in pyxide etiam clausa, etsi Sacerdos sit cæcus: ergo si non repugnat aliàs materiam illam, ponamus casum, esse infinitam consecrari, modò sit præsens secundùm aliquas partes sui sensibiles, erit consecrabilis.

Confirmatur, quia pronomina designant totum, prout ipsi volunt, & nunc permittimus: quia aliàs de hoc disseruimus, cuius omnes partes per se non sunt sensibiles proferenti: vt *hæc est terra, hoc est cælum, mare*, &c. & patet in casibus iam expressis: ergo fundamentum illud falsum est. Non sufficit ergo materiam esse designabilem, & demonstrabilem; sed requiritur, vt de se sit etiam determinata in quantitate, & qualitate proportionatis ad consecrationem, & vsum Sacramenti per modum pastus.

*Quæ determinatio requiritur in materia consecrabili.* Dices, quando ergo poterit certum esse materiam habere terminum illum? Respondetur, in praxi semper certum esse habere terminum: casus autem illi sunt fictitij; ideò nullum subest periculum. Hæc pro sententia illorum Doctorum.

## *Quæ præsentia requiratur materiæ, aut definitio?*

*Prima conclusio.* Materia debet esse determinata, & definita. Hæc conclusio est communis, eam tenent Doctores *in 4. dist. 10. & 11.* Richard. *priori dist. q. 7.* Durandus *dist. 11. q. 7.* Maior *quæst. 4.* D. Thomas *quæst. 74. art. 2. & 3.* vbi eius discipuli: hîc autem non disputatur de definitione materiæ in specie, vt in Sacramentis in genere differitur contra hæreticos, sed in individuo. 35 *Conclusio.* *Determinatio materiæ.*

Hæc definitio prouenit ex natura formæ, & intentione agentis, quia & illa circa materiam determinatam proferri debet; & hæc, quæ per se requiritur in ministro, debet etiam ad determinatam materiam dirigi: aliquando etiam prouenit ex natura ipsius materiæ, quæ per se designata est. *Causa eius.*

Hinc sequitur primò, quòd si Sacerdos vellet ex decem hostiis septem consecrare, nisi ipse designet illas septem, nihil conficiat. Ratio, quia & forma exigit determinatam materiam, & intentio; vnde cùm materia illa indeterminata sit ex se, non capit determinationem; sed debet aduenire ex intentione; casus intelligitur, quando minister non haberet intentionem consecrandi totum, quod est in altari propositum; habendo autem illam intentionem validè totum consecraret; licèt ex particulari errore putaret non esse, nisi septem: quia nempe habet intentionem vniuersalem, quæ implicitè fertur in totum, quod est propositum, quam non destruit error particularis. 36 *Sine determinatione nihil fit in casu.* *Intentio vniuersalis ex particulari errore non vitiatur.*

Si autem sciens esse decem, nollet consecrare, nisi pauciorẽ numerum, tunc nihil facit, quia non determinat illum numerum, neque ex se in cumulo determinatus est, cùm numerando à qualibet inueniet septem: secus est si ipse designet has tantùm, verbi gratiâ, designando superiores, aut inferiores septem.

Casus est practicus, ideò debet Sacerdos semper habere intentionem consecrandi, quod in corporali proposito est, sint plures, aut pauciores. Sed quid si relinquat Deo designare has, vel illas? Respondetur nihil facere, quia debet ipse determinatè agere: nec ille modus designandi est humanus, quia solùm per reuelationem sciri potest, quæ non debetur ipsi: idem dico, quòd si resignet in voluntatem alterius designationem, dummodò non sit priùs nota, ex ratione iam dicta, quia ipse debet concipere intentionem determinatam respectiuè ad materiam. *Debet concipi semper in actio vniuersalis.*

Obiicies, Sacerdos offerẽs sacrificium pro animabus purgatorij, prodest, relinquendo designationem huius, aut illius, cui proderit soli Deo: ergo similiter in proposito, quantùm ad definitionem materiæ. Suarez *sect. 6.* admittit consequens, & negat consequentiam, quia, inquit, in opere sacrificij Deus est, qui immediatè operatur, non minister, in Sacramento autem minister; ac proinde in illo determinatio ad Deum spectat, in hoc ad Sacerdotem. Contrà, Sacerdos etiam immediatè operatur, quia verè sacrificat per conuersionem panis, & vini in cultum Dei: ergo disparitas non valet. 37 *Obiect. o.* *Responsio Suarez.*

Respondet Vasquez *cap. 1.* negando antecedens, debet enim sacrificans determinare suam intentionem, sicut & sacramentans: oportet ergo vt determinet animam, quam Deus nouit magis, &c. vel quid simile. Hæc responsio non *Responsio Vasquez.*

est improbabilis, quia certum est definitionem hanc posse fieri à Sacerdote, & tunc proficere illi animæ, cui applicat, si indiguerit.

Cæterùm videtur prior intentio iam sufficiens, & negatur consequentia, quia in re incerta potest resignare ipsi Deo talem determinationem: nescit enim Sacerdos, quæ anima determinatè indigeat; & an hæc, aut illa indigeat; ideóque Dei beneplacito potest committere effectum sacrificij in indiuiduo, & sufficit ei habere applicationem in specie determinatè; in confuso autem quoad indiuiduum remittendo certam applicationem Dei beneplacito. Aliud autem est de materia proxima per se requisita ad Sacramentum, quia hæc cadit sub cognitionem ipsius; & debet determinatè operari ex modo cognitionis, quæ determinata est.

38 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò: potest dari absolutio, quoad duo venialia tantùm ex pluribus confessis: ergo & consecratio duarum hostiarum ex pluribus hostiis. *Responsio Suarez.* Respondet Suarez illam intentionem sufficere in ministro, quia spectat ad effectum Sacramenti: vnde in reipsa non obstante tali intentione absoluendi tantùm à duobus, manebit ab omnibus absolutus virtute Sacramenti. Aliud est in proposito, quia forma debet designare materiam non in confuso, sed determinatè.

*Responsio Vasquez.* Oppositum docet Vasquez, eum nihil efficere, sed distinguendum est, quia vel ille absoluens nullam concipit intentionem absoluendi, nisi à duobus tantùm; ita quòd non habeat intentionem conficiendi Sacramentum, nisi respectiuè ad illa duo tantùm; & tunc vel illa determinat, vel non: si non determinat, probabile est nihil facere, quia sententia iudicis, quæ est actus iudicialis, qualis est absolutio, vt definit *sess.14.cap.6.* debet in determinatam ferri materiam, in proposito sunt peccata: ergo debent definiri ab absoluente: sicut ergo nihil definit, nihil absoluit: si autem definiat duo tantùm peccata venialia determinata, non currit exemplum ad propositum, quia consecrans nihil definit.

39 *Absolutio respicit omnia per se confessa.* Quantùm ad rem ipsam, probabile est nihil facere, vel absoluere ab omnibus, quia sententia debet ferri in materiã, de qua cognouit iudicialiter mediante confessione rei. Nec refert quòd vnum veniale posset sine altero remitti aliàs, quia ex ratione dicta, sententia extenditur ex natura rei ad omnia hîc, & nunc confessa: neque liberum est aliquid eius materiæ reseruare, quàm confessio, & dolor vniformiter disposuit ad formam: si ergo habet intentionem absoluendi validè, absoluit ab omnibus: quamuis ex errore, aut malitia priuata non intendat, nisi hæc; neque in arbitrio eius est vti potestate clauium, nisi iuxta exigentiam materiæ. Posset hæc disputatio extendi, sed non est huius materiæ.

40 *Intentio inualida.* Sequitur secundò, nihil conficere eum, qui intendit tantùm partes pares, aut impares hostiæ consecrare ex eadem ratione: sed quid si dimidiam tantùm intendat consecrare. Respondetur, si indeterminatè intendat non designando hanc, aut illam determinatè partem nihil facere ex dictis: vnde meritò reiicitur Maior, dicens, quòd si velit primam partem proportionalem, verbi gratiâ quartam, & primam, & non secundam, & sic deinceps validè consecrare: quia oppositum probat ratio ex dictis, ob defectum intentionis, & applicationis determinatæ formæ ad materiam determinatam. *Maior.*

Sed quid si dimidiam hostiam determinatè velit consecrare, designando ipsam? Durandus, Richardus, Paludanus *dist.* 11. Angelus, Syluester, & alij Summistæ verbo *Eucharistia.* Suarez *sect.6.* affirmant validè conficere, licèt grauiter peccet, quia esset grauis irreuerentia, cùm vix separari possit pars consecrata, à non consecrata. Durand. Richardus. Paludan. Angelus. Syluester. Suarez.

*Præfertur sententia opposita.* Respondeo tamen non posse consecrari vnam partem absque altera, cui continuatur. Probatur, quia forma nequit determinari ex intentione consecrantis ad materiam, nisi ipsa ex se sit capax talis determinationis, vna pars in toto, & continuata alteri non habet designationem, aut diuisionem sui requisitam, vt sit totum, nisi separetur à toto: ergo non potest esse materia consecrabilis seorsim à toto, nisi priùs separetur. Probatur maior, quia forma ex institutione diuina signat practicè, & ex institutione communi: ergo independenter à proferente.

Consequentia patet: quia quidquid de rigore verborum significat, facit sine vlla limitatione deuenire ad cognitionem audientis; sed proferens formam super hostia, quamuis habeat intentionem designandi partem tantùm, non intelligitur aliud, nisi totam ex vi propositionis demonstratiuæ *hic est*, &c. designare: ergo ille est sensus formæ ex rigore verborum designare totam materiam cùm ex se non habeat designationem per terminum extrinsecum.

41 *Sensus formæ nequit variari.* Ex sensu autem speculatiuo formæ colligitur sensus eius practicus, cuius ille est fundamentum; ideóque Patres ex sensu illo colligunt præsentiam realem Christi in Sacramento: ergo si repugnat sensum speculatiuum verificari circa partem in toto, etiam idem erit de practico: ly autem *hoc* sine limitatione designat primò entis indiuiduum: pars in toto continuo, vt dixi, non est indiuiduum absolutè, neque numerari potest, vt diuersum ens absolutè, sed cum diminutione sub appellatione partis: ergo ly *hoc* absolutè prolatum non verificatur circa partem in toto: intentio autem proferentis nequit distrahere formam, aut limitare, quamuis applicare possit ad hanc, aut illam materiam, circa quam non repugnat verificari. Ex quibus minor, & consequentia principalis probata manent. Dices, inde etiam sequeretur contra dicta, quòd non posset vnam ex pluribus simul sumptis designare, aut consecrare, quia forma designat totum. Respondetur, negando consequentiam, quia vna est materia consecrabilis per se, & capax formæ; ly enim *hoc* designat indiuiduum per continuationem, aut per aggregationem; ideóque per intentionem consecrantis ad vtrumlibet applicari potest: non sic in proposito habet suum significatum. *Materia est incapax limitationis.* *Non subest intentioni, nisi vt applicatur forma Sacramenti.*

*Confirmatur primò.* Confirmatur ex dictis: quia ly *hoc* designat ex vi sermonis (vt *suprà* dixi) totum, cuius pars tantùm in sensum cadit. Alioquin peto quare proferens formam super partem indeterminatam materiæ tantùm, non consecret, nisi quia forma totum determinat primò, circa quod profertur? oportet ergo materiam esse determinatam ex se, vt sit capax formæ, & hoc sensibiliter: determinatio per intentionem proferentis est tantùm intentionalis, non realis: ergo non sufficit, vt materia sit determinata sensibiliter ex se, licèt sufficiat ad applicationem.

*Confirmatur secundò.* Confirmatur secundò ex ritu Græcorum, quem ex liturgiis ipsorum refert Arcudius *de Sacramento Eucharistiæ, lib.3. cap.* 38. qui vtuntur formâ Arcudius.



formâ simili hostiæ, vt circumferentia eius sit rotunda, interiùs autem crux in formâ quadranguli: quamuis ergo circularis sit exterius, quadrangularem tantùm contentam consecrant, quam conceptis, & quatuor adhibitis incisuris primùm eximunt ex toto pane mox consecrandam.

42 Quòd si respondeas id fieri causa reuerentiæ, non refert; saltem praxis ita habet, an ex præcepto, an ex necessitate consecrationis fiat? Argumentum *suprà* adductum ex sensu formæ videtur conuincens; ex quo soluitur fundamentum, quod pro oppositio insinuatur: nempe ibi esse materiam sensibilem cum requisitis.

*Responsio ad oppositum.* Respondetur deesse materiam signatam, respectu cuius verificari posset sensus formæ. Dices, quòd si media pars hostiæ esset siliginea, aut hordeacea, aut alia ex materia non consecrabili? Respondetur probabiliter confici, quia tunc ex specie sua habet designationem; sicut quando aqua miscetur in vinum, ita vt conuerti non possit in ipsum ante consecrationem, iuxta communem sententiam non conuertitur in sanguinem, quamuis vinum validè consecretur.

Dici etiam potest nihil fieri, quia sicut calix media ex parte, vinum media ex parte aqua, vel ex pluribus fortè non consecratur: ita etiam cùm forma ibi non verificetur de hoc indiuiduo per continuationem, quòd secundùm se non sit primariò panis triticeus, & consecrabilis, nihil fiet: secus autem si aliqua tantùm grana habeat alterius frumenti, quia iis non obstantibus erit panis triticeus vsualis simpliciter in æstimatione, & substantia: sicut calix, cui parum aquæ immiscetur, censetur simpliciter vinum. Tenendo primam responsionem dicendum, quòd illa pars hostiæ consecrabilis neque secundùm speciem, neque secundùm indiuiduum habet designationem requisitam in toto. Hæc, quæ crebrò in argumentis dicta sunt de significatione particulæ demonstratiuæ, intelligenda sunt respectiuè ad significatum in obliquo, & non in recto, iuxta aliàs dicta, & dicenda quæstione sequenti.

*Secunda conclusio.* Requiritur præsentia sensibilis, in materia consecrabili. Est communis, & fundatur in vsu & praxi, & etiam in significatione formæ; quia pronomina *hoc* & *hic*, designant præsentiam talem rei demonstratæ, in quo distinguuntur ab *illud* & *istud*. Quanta autem debeat esse præsentia? Alij dicunt requiri, vt tangatur materia manibus: sed hoc falsum est, quia hostia in pyxide consecrari potest, quamuis actu non tangatur; qualis modus est consecrandi particulas ex Rituali. 43

*Qua approximatio sit necessaria.*

Alij requirunt, vt tangi possit, vt Paludanus, alij, vt Vignerus, dicunt, vt verba formæ peruenire possint ad materiam, & illam coniungat. Sed neque hæc propinquitas exigitur, quia neque ex significatione formæ, neque aliunde colligitur; neque ex efficientia Sacramenti ex consuetudine Ecclesiæ aliud apparet: nulla ergo certa regula dari potest: requiritur ergo, vt materia sit posita ante Sacerdotem in altari; ideóque nequit consecrari hostia retro Sacerdotem posita; vt communis docet. Idem dicendum de hostia retro murum posita: vnde, vt benè notat Suarez, quoad corpus interiectum inter Sacerdotem, & hostiam, videndum est si per modum continentis interponatur; si per modum separantis, vt diuidentis, hoc secundo modo nihil fieret. Oppositum sequitur si priori tantùm modo: vnde panis clausus in tabernaculo non consecraretur; neque positus sub mappa altaris: præsentia ergo requisita colligenda est ex praxi Ecclesiæ, quam Rituales libri declarant.

## QVÆSTIO VII.

### *Vtrùm solum vinum expressum de vua sit materia conueniens ad conuersionem in sanguinem Christi?*

Alensis 4.*p.q.*32.*memb.*1.*&* 7. D.Thom.3.*p.q.*74.*art.*5. D.Bonau.*hic* 2.*p.art.*1.*q.*4. Rich.*dist.*10.*art.*2.*q.*5. Sotus *dist.*9.*q.*1.*art.*5. Suarez 3.*p.tom.*3.*disp.*45.

AD secundam quæstionem, dico quòd vinum artificiale, siue quodcumque aliud vinum, quod non est vinum vitis, vtpote vinum pomorum, & huiusmodi, non est vinum, nisi secundùm *quid*, & æquiuocè. Vnde nullum tale est aptum consecrationi in sanguinem. 1

Principalis ratio est, quia sic Christus instituit. Bona congruentia, quia secunda pars principalis nutritionis, id est, potus, principaliter consistit in vino, vt in potu principali. Et de hoc habetur *de consecrat. dist.* 2. Vinum etiam illud debet esse expressum de vua: quamdiu enim liquor est in vua tantùm, habet magis rationem comestibilis, quàm potabilis: illud autem Sacramentum pro secunda parte sui essentialiter continet sanguinem, & pro signo aliquo, quod est per se potus: & hoc habetur *de consecr. dist.* 2. *Didicimus*, & *cap. sequenti*, quod de impresso botro, hoc est, de vuarum granis, populus communicaret, valde esset confusum: sed si necesse fuerit botrus in calicem comprimatur.

*Vinum in vua, quare non consecrabile?*

1 a *AD ſecundam quæſtionem dico*, &c. Hæc concluſio eſt communis, & de fide, colligitur ex facto Chriſti adiuncta traditione: *Non bibam de hoc genimine vitis*, &c. vbi colligitur vinum vitis fuiſſe illud vſuale, quod in cœna eſt propoſitum. Definitur in variis Conciliis, aut ſupponitur tanquam de fide certum: Aurelianen. IV. *cap.*4. prohibet aliquid offerendum in calice præter illud, quod obtulit Chriſtus, quod eſt vinum de fructu vitis; in Florentino expreſsè definitur: ſupponit Trident. *ſeſſ.*13. *c.*6. & aliis locis citatis.

Aurelian. Florent. Trident.

2 Obiicies, vinum eſt ſpecie diuerſum, vt docet Philoſophus 4. *Meteor. cap.*10. Et patet ex variis ſpeciebus albi, nigri. Negat Richardus antecedens *diſt.*11. *quæſt.*5. *ad* 1. Soto *diſt.*9. *quæſt.*1. *art.*5. quia vocant differentiam illam accidentalem; ſicut eſt inter hominem album & nigrum.

Cæterùm admittitur antecedens in genere maximè, quando alia accidentia diuerſa ſunt, vt ſapor, & virtus. Negatur conſequentia, quia ad vſum potus illæ differentiæ non faciunt; vinum autem calidum & humidum præ cæteris eſt aptum ad nutrimentum, & magis vſualis potus; ideò in ipſo facta eſt inſtitutio: quæ congruentia adducitur cõmuniter pro inſtitutione Sacramenti corporis in pane triticeo. In hac queſtione non eſt aliqua cõtrouerſia, aut magna difficultas.

3 *Excluditur agreſta.* Sequitur ergo primò, quòd vinum debeat eſſe maturum; vnde excluditur agreſta, vt omnes docent; & habetur inter defectus Miſſæ in Romano ordinatio. Ratio, quia non eſt vinum in ſpecie ſua Phyſica, differt enim accidentibus; debet eſſe vitis: vnde excluduntur alij liquores; debet eſſe potabile: vnde conſecrari non poteſt in vua, antequam exprimatur, quia ſic potiùs eſt cibus, quàm potus, & vſus eius eſt per modum cibi, & nutrimenti ſolidi: ideò prohibetur *de conſecrat. diſt.*2. ex Iulio Papa; Conciliis Bracharenſi, VVormatienſi, & Canone 28. in Trullo. Sequitur hinc muſtum eſſe materiam Sacramenti, ſi ſit potabile & depuratum: vnde loco citato dicitur ſi ſit neceſſe, exprimendus eſſe botrus in calicem, & miſcendam aquam, & ſic confici: cap. *Cùm omne crimen.*

*Excluditur acetum.* Excluditur etiam acetum, quia non eſt ſpecies vini: ideóque Ariſtoteles, 8. *Metaphyſ. cap.*5. *textu* 4. comparat ipſum cadaueri. Contrarium indicat Gloſſa *de conſecrat. diſt.*2. *cap.*2. & indicat Innocentius *lib.*4. *cap.*34. ſed falſa eſt hæc ſententia, loquendo de aceto propriè: & intelligenda eſt de vino aceſcente, quod non omnino eſt corruptum: in quo etiam conficere eſſet peccatum propter periculum nullitatis; vt rectè D. Thomas, & Alenſis: iudicandum ex his de materia calicis.

4 *Quid de congelato?* Armilla. Ledeſma. Alanus. Angelus. Sotus. Syluester. Vaſquez. Suarez. Dubium eſt de vino congelato, an ſit ſufficiens materia? Negant Armilla verbo *Euchariſtia.* Ledeſma *queſt.*15. Alanus *lib. de Euchariſtia, cap.*11. Affirmant Angelus verbo *Miſſa.* Soto *diſt.*9. *q.*1. *art.*5. Syluester verbo *Euchariſtia.* Vaſquez *diſput.* 130. *cap.*2. *in fine.* Suarez *diſp.*45. *ſect.*1. Ratio huius eſt, quia illa mutatio eſt merè accidentalis, quia ſecundùm quantitatem, nec mutat ſubſtantiam vini, ſicut neque alterius liquoris, vt olei: quantumuis quandoque tanta eſt in aqua vt fiat cryſtallus. Patet etiã ex natura ipſius vini, quoad effectus proprios manere, licèt detrahatur eius virtuti per congelationem. Deinde certum eſt in tali manere Chriſtum poſt congelationem, vt ſupponit Eccleſia in defectibus Miſſæ, quæ ordinat liquefaciendum, & ſumendum, vt verum Sacramentum.

*Ad fundamentum oppoſitæ ſententiæ.* Dices, non eſſe potabile. Reſpondetur negando antecedens, quia vinum ex natura ſua potabile eſt, & de facili reducitur ad ſtatum potus. Dices, nequit fieri Baptiſmus in glacie: ergo neque conſecratio in vino gelato. Reſpondetur negando conſequentiam, quia Baptiſmus conſiſtit in vſu, & actuali lotione, ad quam non conducit gelu, niſi liquefiat: hoc Sacramentum non ita, quia permanens, ideò ſolùm exigit, vt fiat in vino, quod naturâ ſuâ potabile eſt.

Ex his patet ad fundamenta oppoſitæ ſententiæ, quæ ſunt iam dicta, & aliud falſum eſt, nempe mutari ſubſtantiali corruptione vinum; quod falſum eſt, inquam, quia aliàs non maneret ſanguis ſub vino conſecrato. Cæterùm non expedit conſecrare vinum congelatum; & aliqui dicunt peccatum eſſe graue, ſi totũ ſit congelatum; ſed liquefieri debet, vel aliud ſumendũ, & offerendum, quod conſecrati debet, illud autem remouendum.

## SCHOLIVM.

*Oſtenſo, ſolum vinum vitis ex vua compreſſum, eſſe materiam calicis, ex Chriſti inſtitutione, oſtendit aquam miſcendam, neceſsitate miniſtri, ſed non conuertendam in ſanguinem, niſi priùs conuertatur in vinum: ſed non cenſurat aſſerentes oppoſitum, de conuerſione aquæ immediata, vt malè faciunt quidam moderni: quo ſubtilior, & doctior eſt Scot. eo modeſtior & humilior, illa ſententia non caret ſuis fundamentis, maximè in modo loquendi Patrum, Ambroſius* 4. *de Sacram. cap.*4. *Damaſc. lib.*4. *c.*14. *Paſchaſij lib. de corp. & ſang. Chriſti, Algeri lib.*1. *c.*16. *tenent illam ſent. Altiſiod. Sum. tract.*5. *c.*2. *Petr. Soto lect.*14. *de Euchariſt. Alan. lib.*1. *de Euchariſtia, cap.*13. *Ianſen. in Concord. c.*131. *ad illa verba*, Hic eſt enim ſanguis. *Peſantius* 3. *part. q.*74. *art.*8. *diſt.*2.

2 Huic [a] autem vino apponere aquam non eſt ſimpliciter neceſſarium de neceſſitate Sacramenti: quia etiam quando appoſita non eſt conuertitur in ſanguinem, niſi priùs ſit conuerſa in vinum, & ita modica eſt apponenda, & ita tempeſtiuè, quòd ante conſecrationem poſſit conuerſa fuiſſe in vinum. Græci etiam [b] non apponunt aquam, vt dicit Innocent. *de Officio Miſſæ, part.*3. *cap.*4. vel 5. eſt tamen de neceſſitate miniſtri propter præceptum Eccleſiæ: & etiam Chriſtus vinum, cum quo fuit aqua mixta, conſecrauit, iuxta illud Damaſc. lib.4. cap.14. *Chriſtus calicem ex vino, & aqua tradidit diſcipulis ſuis, dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus*, &c. Congruentia appoſitionis aquæ in vinum

*Aqua eſt de neceſſitate miniſtri, non Sacramenti.* Damaſc.

vinum est propter mysterium, vt significetur populus vniri Christo, iuxta illud de consecrat.dist.2. Omne. *Cùm in calice aqua vino miscetur, populus Christo vnitur*, id est, copulandus significatur per fidem, & dignam Sacramenti perceptionem.

*Aqua mixta vino quid significat.*

## COMMENTARIVS.

5 a *HVic autem vino apponere aquam*, &c. Circa hanc resolutionem Doctoris varia expediuntur dubia, quæ concernunt mixtionem aquæ in vinum. Primum, an debeat miscери? secundum, an necessitate Sacramenti? tertium, an præcepti, & qualis? quartum, an conuertatur, aut aliquando conuerti possit in sanguinem priùs quàm cõuertatur in vinum? Ad quæ iuxta resolutionem literæ respondebitur per sequentes conclusiones.

*Prima conclusio.* Aqua miscenda est vino. Est communis, quam tradunt omnes Catholici: est contra Armenos, qui in vino puro ad significationem suæ hæresis Eutychianæ non miscebant aquam, quia putabant in Christo vnicam tantùm mansisse naturam per conuersionem alterius in ipsum: ne ergo mixtione vtriusque liquoris, significarent duas naturas, ideò abstinent ab aqua.

*Error Armenorũ ritu expressus.*

Hic enim ritus ad significandum inter reliqua, duas in Christo naturas, est in vsu, & hoc mysterium Græci insinuant, quibus falsò à quibusdam authoribus imputatur error ille Armenorum: Glossa ordinaria *in* 1. *ad Corinth.* 11. Innocent. III. *lib.* 4. *de hoc mysterio, cap.* 22. Gabriel *lect.* 15. *in canonem*: noster Castro de hæresi *lib.* 7. verbo *Græci.* Prateolus *eodem.* Soto *in* 4. *dist.* 9. *quæst.* 1. *art.* 6. Guido Carmelita, & alij: sed falluntur vt ex sequentibus patebit.

*Malè tribuitur Græcis.*
Glossa. Innocent. Gabriel. Castro. Prateolus. Sotus. Guido.

Probatur conclusio *ex can.* 32. *in Trullo*, qui hunc errorem corrigit in Armenis: Aurelianen. IV. *cap.* 4. Carthaginen. IV. *cap.* 14. Arausicanum *cap.* 4. decernunt enim nihil aliud offerendum in Sacramento corporis, & sanguinis, nisi quòd ipse Dominus tradidit panem, & vinum aqua mixtum. Habetur idem ex antiqua traditione, quod nempè Christus Dominus confecerit in vino diluto aqua: Iacobus in liturgia, *Similiter*, inquit, *postquam cœnauit, accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aqua*: similia habet Basilij liturgia. Clemens *lib.* 8. *constitut. cap.* 12. aliàs 17. Irenæus *lib.* 4. *cap.* 14. vocat temperamentum: & *lib.* 5. *c.* 2. calicem mixtum: Theodoretus *dialog.* 1. Damascenus *lib.* 4. *cap.* 14. Augustinus 4. *de Trinit. cap.* 14. Hieronymus *Marci* 14.

*Probatio conclusionis.*
Trullanus canon. Aurelian. Carthagin. Arausican.
Liturgia. Iacobi. Basilij. Clem. Rom. Irenæus. Theodor. Damasc. Augustin. Hieron.

6 *Secunda conclusio.* Hæc mixtio non fit necessitate Sacramenti: vnde in solo vino consecrari potest. Est certa, & communis Theologorum in hac distinctione, ita Doctor loco citato: Alensis 3. *p. quæst.* 11. *memb.* 5. *art.* 1. *&* 6. Innocentius *lib.* 4. *cap.* 32. colligitur ex Tridentino *sess.* 13. quod explicat materiam necessariam esse vinum vitis, nihil asserens de mixtione; idem patet ex Florentino, asserente, aquam ex præcepto Ecclesiastico miscendam esse: quod non diceret, si necessitate Sacramenti esset miscenda.

Doctor. Alensis. Innocent. Trident. Florent.

Concilia enim tradunt materiam necessariam, quæ non dependet ab Ecclesia, sed ex sola institutione Christi: quod supponit Tridentinum *sess.* 21. *cap.* 2. asserens salua Sacramentorum substantiâ penes Ecclesiam esse potestatem ordinandi circa Sacramenta, quidquid ad reuerentiam, & cultum eorum facit. Cyprianus *lib.* 2. *epist.* 3. aliàs 62. asserit eis, qui sine mixtione aquæ interdum conficerent, posse veniam concedi, quia ex ignorantia fecerunt: & *infrà*, ait; *si vinum sine aqua conficeretur, incipere sanguinem Christi esse sine nobis, id est, sine significatione sanctificationis nostræ, quia aqua populum designat.* Deinde Trident. sess. 22. c. 7. ait; *Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo, miscerent: tum quòd Christus ita fecisse credatur, tum etiam, quia à latere eius aqua simul cum sanguine exierat*, &c. ergo præcepto Ecclesiastico id tantùm tenentur facere Sacerdotes, non autem necessitate Sacramenti; alioquin id exprimeretur.

Trident. Cyprian. *Quare miscetur aqua.*

Vnde sequitur illud non esse præcepti diuini, contra Hostium *lib.* 4. *de traditionibus, contra Brentium*, & *nostrum Castro lib.* 6. *de Eucharistia, hæresi* 7. qui ex locis Patrum *suprà* citatis aliisque similibus, ac facto Christi affirmant esse præceptum diuinum. Hoc, inquam, conuincitur esse falsum: quia Concilia procedentia doctrinaliter non referrent illam mixtionem in solum præceptũ Ecclesiasticum, si esset aliàs diuinum præceptum. Vnde quamuis aliqui Patres, vt Cyprianus, id affirment mandato Christi factum, intelligunt non præceptum, sed exemplum, & institutionem, quia omnis actio Christi nostra est institutio.

*Non esse præcepti diuini.*

Miscetur itaque tum exemplo Christi, tum quia ex latere eius fluxit sanguis & aqua; vt *suprà* Tridentinum, & cap. *In Sacramentorum, de consecrat. dist.* 2. quod est Alexandri Papæ *epist.* 1. *c.* 4. & idem Concilium Bracharens. cap. *Non oportet, de consecr. dist.* 2. tum vt significentur duæ naturæ in Christo, vt explicant Græci; tum etiam vt vnio populorum cum Christo: vt habetur cap. *Cùm omne, de consecr. dist.* 2. quod est Carthaginens. III. *cap.* 24. & Doctor idem in textu insinuat.

Alexand. I. Concil. Bracharen. Carthagin.

Sequitur secundò, quòd illud, quod dicitur in lectione Breuiarij Romani, nempè, Alexandrum I. imposuisse hoc præceptum, non rectè colligi ex decretis eius, cùm solùm dicat id se accepisse à Patribus, nempe ab Apostolis: promulgauit ergo præceptum, quod aliàs ante ipsum fuit latum ab Apostolis: & secundùm hoc meliùs explicantur loca Cypriani, & aliorum Patrum, qui insinuant præceptum esse.

Concilio etiam Triburiensi idem mysterium designatur. Dubitatur etiam de quantitate aquæ. Respondetur, cap. *Tamen perniciosus, de celebratione Missarum*, dici, debere esse minorem, quàm sit quantitas vini: in Concilio Triburiensi *cap.* 19. debere esse ad minùs duas partes vini in calice, & aquam non excedere tertiam partem, *Quia maior est*, inquit, *majestas sanguinis, quàm fragilitas populi*: praxis tamen Ecclesiæ est, vt sit minima quantitas aquæ: nam Florentinum determinat modicissimam aquam miscendam esse.

7 Triburiens. Florent.

Verùm est Græcos præter aquam, quam immiscent vino ante consecrationem, etiam speciebus cõsecratis solere immiscere aquã feruentem, vt designent vnionẽ corporis ad Deitatem, quando exiuit sanguis & aqua ex latere Saluatoris post mortem. Hæc mixtio non quomodocumque, sed per modum sacræ cæremoniæ adhiberi debet, idque à ministris; vnde non sufficit mixtio priùs facta, quamuis de ea constet: patet ex rubricis, & debere fieri ante oblationem calicis.

*Ritus Græcorum.*

Quod si constet per errorem, facta consecra-

tione, aquam loco vini fuiſſe, ſequenda eſt rubrica ſpecialis huius caſus omiſsâ oblatione. Sed quando debet aqua miſceri? aliqui dicunt, in principio Miſſæ, vt detur locus conuerſioni eius in vinum antequam deuenitur ad conſecrationem: & ita, ni fallor, Ciſtercienſes & Prædicatores faciunt. Sed reſpondetur ſequendas eſſe rubricas Romani Ordinarij iis, qui eo vtuntur; neque requiri illam anticipationem. Quartum dubium requirit prolixiorem diſſertationem, ideò ſub proprio & ſeparato titulo illud reſoluemus.

## *Vtrùm aqua conuerti poſſit in ſanguinem immediatè?*

8 *Varia ſententia. Prima ſententia moderna affirmat.* Ianſenius. Piſantius. Altiſiodor. Baronius. Gloſſa. Alanus. Toletus.

CIrca hoc quæſitum quatuor ſunt in vniuerſum ſententiæ: quarum prima, noua, & his temporibus inuenta, dicit aquam immediatè conuerti in ſanguinem; eam indicat Ianſenius *in Concordia, cap.* 131. in forma calicis: *ſimiliter & calicem*, &c. probabilem docet Piſantius *3. part. queſt.* 74. *art.* 8. *diſt.* 2. citatur pro ea Altiſiodorenſis *lib.* 4. *Summ. tract.* 5. *cap.* 2. & Baronius *tom.* 12. *Annal. ſub finem anni* 1288. Gloſſa in cap. *Cùm Martha*: eam ſuſtinet Alanus *lib.* 1. *de Euchariſt. cap.* 13. ſeu 14. Toletus *lib.* 2. *Summ. cap.* 25. ſed præ cæteris omnibus eam acerrimè defendit R. P. Ægidius Coninck, amicus meus ſingularis, & vir magni ingenij, & doctrinæ, à quo, ſi opinione diſcedam, at non animo; cui gratum puto, quòd in defenſionem vniuerſæ ſcholæ diſſeram; & ex ſcopo concluſionis præmiſſæ Doctoris, cuius literam expono.

Coninck.

9 *Secunda ſententia. Aquam conuerti in humorem aqueum.*

Secunda ſententia fuit quorumdam apud Innocentium III. cap. *Cùm Martha, de celebrat. Miſſarum*: hi negabant aquam conuerti in vinum, aut ſanguinem, ſed in humorē quendam aqueum, ſeu phlegmaticum, qui fluxit à latere Chriſti. Hæc non habet ſequaces, & meritò cenſetur erronea, aut certè temerariè inuenta: nullum enim habet fundamentum ex forma conſecrandi calicis, quæ eſt cōuerſiua in ſanguinem, non in alium humorem: neque etiam ex Canonibus, aut Patribus aliquid ſuppetit, quod ſpecie tenus huc referatur. Quòd ſi dicant appellatione ſanguinis venire illum humorem; præterquam quòd hoc nullo fundamento affirmatur, tollitur quod prætendunt, quia neque aqua, quæ fluxit ſimul cum ſanguine ex latere Chriſti, venit nomine ſanguinis apud Euangeliſtam; neque in myſterio, ſi ex diſcreta conuerſione, & diuerſæ māteriæ poneretur ſub ſpeciebus per immutationem aquæ in ipſum, vini in ſolum ſanguinem: nam alia, & alia eſſent ſignata, & ſigna.

10 *Tertia ſententia manere in propria ſpecie.*

Tertia ſententia eſt, nunquam conuerti aquam neque mediatè, neque immediatè in ſanguinem; ſed manere in propria ſpecie. Fundamentum huius eſt, quia ex opinione Phyſicorum, aqua nunquam conuertitur in ſanguinem. Hoc ſupponit, hæc opinio, ideóque negat conuerti in ſanguinem, quia nequit conuerti in vinum.

11 *Quarta ſententia, & communis.* Innocent. Scholaſtici. Alenſis. D. Thom.

Quarta ſententia, aquam mediatè in ſanguinem conuerti, quatenus priùs in vinum conuertatur per virtutem ipſius vini; ex quo ſequitur conuerſio eius in ſanguinem. Hanc docet Innocentius dicto capitulo *Cùm Martha*. Eam tuentur omnes Scholaſtici *hac diſt.* vbi Doctor; Alenſis *4. part. quæſt.* 10. *memb.* 4. *art.* 10. D. Thomas *loco citato in* 4. *& 3. part. quæſt.* 74. *art.* 8. eiuſque diſcipuli in vniuerſum: & Catechiſmus Pij V. meritò dicit eſſe ſententiam omnium Eccleſiaſticorum ſcriptorum.

*Cenſura Aduerſarij in Scholam.*

Eamque putat probabilem P. Coninck ſolùm ex auctoritate Scholaſticorum; quamuis ſententiam primo loco expreſſam, quam ipſe ſequitur, putet eſſe Patrum, & aliorum ſcriptorum, qui præceſſerunt Scholaſticos: vnde dicit, ſi conſtaret aquam non mutari in vinum, antequam conſecratur, putat ſuſtineri non poſſe hanc ſententiam ex hoc ſyllogiſmo: Aqua quæ exemplo Chriſti miſcetur in vinum, conſecratione conuertitur in ſanguinem; atqui ſæpè non conuertitur in vinum: ergo aliquando conuertitur in ſanguinem. Si minor, inquit, eſſet tam certa, quàm maior, concluſio eſſet certa.

*Fundamentum cenſuræ.*

Variis autem rationibus probat minorem: ſed magis ex profeſſo probat maiorē. Vt ergo oſtendamus Scholaſticos non inueniſſe nouam opinionem contra communem ſententiam Patrum, & Eccleſiæ; quod maximæ notæ eſſet, nec de facili admittendæ contra vniuerſam ſcholam, quæ ex inſtituto Eccleſiæ, & Patrum veſtigiis inſiſtit, ponenda erit concluſio communis, & probanda ex ſenſu Eccleſiæ, & Patrum.

12 *Concluſio. Non conuerti aquā in ſanguinem immediatè.*

*Concluſio.* Nunquam, & nullo caſu aqua conuertitur immediatè in ſanguinem. Hæc eſt vera ſententia Patrum & Eccleſiæ, & contraria nunquam audita eſt, antequam aſſertores illam inuenerint, ex apparenti tantùm ſuperficie quarumdam authoritatum, non ex vera ſententia, quam in ſequentibus explicabimus. Vt breuiùs, & ex ſcopo magis diſſeratur ſupponendo authoritatem ſcholæ, quam nobis concedunt aduerſarij, reſtat ſuperædificandum, aut potiùs perquirendum fundamentum, quod ex Patribus, atque Eccleſiæ ſenſu præceſſit, præter quod aliud nemo ponere poteſt. Probatur ergo concluſio oſtenſiuè, deſtruendo fundamenta contrariæ opinionis, quæ ſunt ſequentia.

13 *Fundamenta cōtrariæ ſententiæ.* Alexand. I.

Primum fundamentum eſt ex Patribus: Alexander I. *epiſtola ad Orthodoxos*, & habetur de conſecrat. diſt. 2. cap. 1. *Non debet*, inquit, *in calice Domini, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permiſtum offeratur, quia vtrumque ex latere eius in Paſſione profluxiſſe legitur*, &c. Dicitur æquè offerri aqua, & vinum, non offertur niſi per conſecrationem: ergo æquè in ſua ſubſtantia manet aqua ante conſecrationem ac vinum.

Cyprian.

Vrget etiam Cyprianus *ſuprà* citatus illa *epiſt.* 3. aut 63. qui ait; *tunc Sacramentum cœleſte effici, quando aqua & vinum confuſa admixtione copulantur*, &c. quod non fit, niſi vtrumque in ſua ſubſtantia maneat. Item *cap.* 4. *de conſecrat. diſt.* 2. quòd ſumptum eſt ex Concilio Martini Papæ, dicitur, *vinum & aqua dicuntur offerri, & benedici*, &c. quod nequit fieri, niſi aqua maneat in ſubſtantia ante conſecrationem. Item Ambroſius *lib.* 4. *de Sacramentis, cap.* 5. ante verba Chriſti, *calix eſt vino & aqua plenus, vbi verba Chriſti operata fuerint, ſanguis efficitur*. Auguſtin. 4. de Trinitate, cap. 14. *Aqua mittitur in calicem, & fit ſanguis conuerſione verbi cœleſtis*. Damaſcenus, *Non poteſt ſuiipſius corpus facere, & vinum, & aquam ſanguinem*, &c. Græcè habetur, ᾧ τὸν οἶνον, ᾧ ὕδωρ, id eſt *ipſum vinum, & ipſam aquam*, quæ rem certam, & veram ſignificat, & æqualiter vino, & aquæ apponitur. Iuſtinus martyr *apologia* 2. *pro Chriſtianis ſub finem*; vbi ait, *poſteaquam & is qui præſt, gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos Diacones dicuntur, dant vnicuique eorum, qui adſunt percipiendum panem, vinum, & aquam, quæ cum gratiarum actione*

Conc. Martini Papæ.

Ambroſ.

Auguſtin.

Damaſc.

Iuſtinus.

*conſecrata*

*consecrata sunt, & ad eos qui adsunt, perferunt; atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur*, &c. Vbi dicit dari post consecrationem panem, vinum, & aquam, ratione specierum, quod aliàs falsum esset manere in substantia.

14 Paschas. Item Paschasius Corbeiensis lib. 1. de corpore Christi, cap. 11. *Nec dubium*, inquit, *quin sub hoc mysterio bibamus aquam, inquit, quam ego dabo ei, & fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam: propterea non inconuenienter etiam ob hoc ibidem aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem, vt significet quid fides percipiat.* Algerus lib. 1. de Sacramento corporis Domini, cap. 16. *Cùm enim vinum pro Christo aqua sanctificetur pro populo, & vtrumque vnus sanguis fiat*; &c. Alia verba Paschasij citantur ex Baronio. Hoc est fundamentum ab authoritate, quod ad pauca verba reducitur, quia aqua dicitur benedici offerri, consecrari, conuerti in sanguinem à Patribus: ergo manet in sua substantia, donec sic conuertatur: & consequenter secundùm Patres aqua immediatè conuertitur in sanguinem.

15 *Prædicta interpretatio reiicitur.* Impugnatur prædicta interpretatio Patrum, quæ tantùm superficialis est, & in apparentia, non verò ex sensu, aut reipsa. Præcipuas ex illis authoritatibus Ecclesia inter Canones habet, neque eas in eum sensum vnquam est interpretata, sed contrariam sententiam docet: quia ex Florentino, & Tridentino *suprà* allatis, aqua tantùm ex præcepto Ecclesiastico miscenda est vino, sed si esset materia per se consecrabilis manens in sua substantia, non posset esse solius præcepti Ecclesiastici, quia Ecclesia tenetur adhibere materias per se Sacramentorum, & institutas à Christo, vt constat in reliquis omnibus: ergo, &c.

*Aqua solùm miscetur ex præcepto Ecclesiastico.*

*Si ex institutione esset materia, non esset libera.* Dices esse liberam secluso præcepto Ecclesiæ, vt colligitur ex Conciliis *suprà* allatis. Contrà, vnde hoc constat? neque ex facto Christi, neque ex traditione: quia Patres communiter docent necessariò miscendam vino ante consecrationem: ergo si immediatè conuertatur, debet hæc necessitas ex sensu Patrum referri ad necessitatem Sacramenti, non autem præcepti Ecclesiastici, de quo Patres mentionem non faciunt, potiùs ad significationem mysticam, & ad factum Christi recurrentes: ex quibus indicaretur necessitas Sacramenti, si aqua esset per se materia consecrabilis manens in sua substantia.

Vnde sequitur, quòd traditio Ecclesiæ, & definitiones Conciliorum, in quo fundantur, ad illud solum reduci debeant, nempe aquam non conuerti immediatè in sanguinem.

16 *Responsio.* Dices, quòd peccata venialia sint materia libera confessionis, quæ tamen ex arbitrio pœnitentis confiteri possunt, atque absolui: sic aqua consecrari. *Impugnatur.* Contrà, aqua debet misceri ex præcepto, non sic venialia confiteri: vnde ergo collegam non esse aquam materiam necessariam, si conuertibilis, vel certè non esse præceptum diuinum mixtionis, nisi tantùm ex ratione posita, quam omnes Doctores Scholastici amplectuntur.

Dices Ecclesiam contrarium declarasse. Contrà, non ex alio fundamento, quàm iam citato, quia & factum Christi non in exemplum, sed in necessitatem esset: & motiua mixtionis talia sunt, vt inducant obligationem grauem, tanquam materia capax præcepti, etiam diuini, si consecratione aquæ immediata, & ea institutione subsisterent, vel coniungerentur eidem. *Hoc*, inquit, *facite in meam commemorationem*, vbi exprimitur præceptum. Deinde quare Florentinum definit aquam modicissimam esse miscendam, nisi vt priùs in vinùm conuertatur ante consecrationem? Item, quare tam Tridentinum, quàm Florentinum declarent materiam huius Sacramenti esse vinum vitis, *Cui*, inquiunt, *ex præcepto Ecclesiæ, aqua miscenda est?* nisi vt distinguant materiam à non materia: declarant absolutè materiam esse vinum vitis.

*Aqua miscetur ob cæremoniam.* Deinde docent aquam miscendam ex præcepto Ecclesiæ tantùm, vt ostendant esse cæremoniam, & non materiam: deinde motiuum huius præcepti declarant esse exemplum Christi, & quia aqua exiuit de latere eius, quæ est significatio cæremoniæ: ergo hoc ipso aquam discernunt à materia: alioquin certè quod primarium esset, exprimerent, nempe materiam esse Sacramenti. in hoc enim genere argumentum ab authoritate negatiua valet, vt demonstrabitur ex sequenti.

17 Secundò contra idem, peccatum veniale est sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ, non ex alia ratione, nisi quia materia est per se: ergo similiter aqua esset materia Sacramenti calicis, si per se materia est: hoc est falsum, & contra Concilia, non ex alio fundamento, nisi quia definiunt vinum vitis esse materiam absolutè: ergo rectè sequitur alios liquores non esse materiam, vt sinceram, aceum, lac: ergo si ex eo præcisè, quòd definiant Concilia absolutè vinum vitis esse materiam, excluduntur alij liquores, de quibus Concilia non faciunt mentionem, quia nempe non sunt vinum; eodem modo & aqua, de qua non faciunt mentionem, & quia non est vinum excluditur maximè, cùm dicant solùm ex præcepto Ecclesiastico esse miscendam ad significationem mysterij: limitatio enim solius motiui, quod extraneum est institutioni, designat aquam non esse materiam.

*Vinum dicitur absolutè esse materia.*

*Ideò excluduntur alij liquores.*

*Defectus in doctrina.* Confirmatur primò, quia alioquin materiam declarando, non exprimendo etiam aquam, si conuertibilis esset, defectuosè procederent, relinquendo aliquid materiæ non expressum. Tridentinum autem ex professo agens de hoc Sacramento *sess.* 13. declarans materiam calicis, non facit mentionem aquæ tota illa sessione, sed declarat vinum esse materiam *c.* 3. *cap.* 4. *can.* 1. & 2. sess. autem 22. vbi agit de eodem sub ratione sacrificij, *cap.* 1. similiter docet materiam sacrificij esse panem, & vinum: *In cœna*, inquit, *nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilecta sponsæ suæ Ecclesiæ visibili (sicut natura hominum exigit) relinqueret sacrificium*, &c. *Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui Testamenti Sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorúmque successoribus, vt offerrent, præcepit*, per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. *cap.* 2. docet quibus prodest sacrificium: *cap.* 3. offerri solùm in honorem Dei: *cap.* 4. sanctè tractandum: *cap.* 5. ritè institutas cæremonias, & reliquas solemnitates, & ritus offerendi: *cap.* 6. licitas esse Missas priuatas.

Trident.

Ac primum tandem canone 7. *Monet deinde sancta Synodus præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo misceant, tum quòd Christus Dominus ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit: quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm aqua in Beati Ioannis Apocalypsi populi dicantur*

*tur ipſius populi fidelis cum Chriſto vnio repræſentatur*, &c.

18 *Argumentũ efficax ex Tridentino.*

Vnde ſic argumentor, Concilium primum de materia ſacrificij agit, dicens eſſe panem & vinum: tandem poſtquam egit de fructu, modo offerendi, perſonis pro quibus offertur, de cæremoniis & ritibus, tandem agit de aqua miſcenda ex præcepto Eccleſiæ; propter ſignificationem myſticam eorum, quæ poſt paſſionem Chriſti ſucceſſerunt, aut deporabantur per Spiritum ſanctum: ergo hæc aqua non ſpectat ad ſubſtantialia ſacrificij, alioquin in primo capite de ea agendum erat.

*Materia prædicatur de ſolo vino.*

Deinde Florentinum ait, materiam eſſe vinum vitis, cui modiciſſima aqua miſcetur ex præcepto Eccleſiaſtico prædicans materiam in recto de vino ſolo, adiungens mixtionem ex præcepto Eccleſiæ faciendam: ergo vt cæremoniam, non vt materiam, alioquin non rectè diceret abſolutè vinum vitis eſſe materiam in recto, non addendo aquam, niſi putaret aquam in ſanguinem ex inſtitutione Chriſti conuerti non poſſe, aut pertinere ad materiam.

*Aſſignatur materia determinata.*

Confirmatur ſecundò ex ſtylo Concilij, quia Concilium determinatè loquitur de materia, & forma, cuiuſcumque Sacramenti: vnde agens de Sacramento Confirmationis, dicit Chriſma, quod eſt mixtum ex oleo & balſamo, benedictum ab Epiſcopo eſſe materiam: *Secundum Sacramentum*, inquit, *eſt Confirmatio, cuius materia eſt Chriſma confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo, quod odorem ſignificat bonæ famæ per Epiſcopum benedicto*, &c. vbi hæc tria ponit: nunquam autem aſſerit calicem mixtum eſſe materiam Sacramenti ſanguinis; ſed vinum, addens abſolutè ex præcepto Eccleſiaſtico, miſcendam aquam.

19 *Reſponſio.*

Dices, Concilium loqui de eſſentiali, & per ſe neceſſaria materia, ſine qua nequit confici Sacramentum, & in qua ſola validè conficitur, aqua autem etſi conuertatur in ſanguinem, illud contingit, vt mixta eſt vino, ideóque non fit mentio eius, vt materiæ.

*Impugnatur.* Florent. *Concilia definiunt eſſentialem, & etiam integralem.* Tridentinum.

Contrà, primò hoc eſt contra ſtylum Conciliorum, in primis Florentinum loco citato aſſignans partes pœnitentiæ, enumerat tres actus pœnitentis, contritionem, confeſſionem, ſatisfactionem: ſed hæc non eſt pars eſſentialis Sacramenti, quod ſemper perficitur antequam ſatisfactio ponatur. Idem præſtat Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. enumerando eoſdem actus ſimul: ergo id facerent in propoſito, ſi aqua in ſua ſubſtantia manens eſſet materia Sacramenti.

*Item totam materiã, quæ comprehendi-tur inſtitutione.*

Deinde idem Tridentinum *cap.* 5. agens de materia confeſſionis, & pœnitentiæ remota, quæ ſunt peccata, docet mortalia neceſſariò confitenda eſſe; venialia autem vtiliter, & cum fructu confiteri, & eſſe ſufficientem materiam, vt diſcernant certa ab incertis, & non ſolùm vniuerſaliter quid faciendum ſit, ſed etiam in caſu cum qua materia liceat, & poſſit confici Sacramentum: tamen non neceſſaria: ergo idem docerent de aqua, ſi eſſet materia conuertibilis, licèt non neceſſaria: non ſolùm enim docent, quid fieri neceſſe ſit, ſed etiam fieri poſſit, vt validè conficiantur Sacramenta. Idem eſt de Extrema vnctione, docent enim quinque vnctiones fieri debere Ritualia, & ſi non poſſint omnes, vnam tamen fieri, in qua confertur Sacramentum validè in caſu, quo infirmus ante alias diſcedat, quem ritum approbat Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. & *can.* 3.

Secundò contra eandem ſolutionem, ſi aqua vino mixta poſſit immediatè conſecrari; ergo non refert quâ quantitate miſceatur, modò maneat vinum in ſua ſubſtantia, ſed hoc eſt falſum, quia Concilia determinant minorem quantitatem aquæ eſſe debere. Antecedens negant aduerſarij. Probatur, quia illud poculum, in quo prævaleret aqua, eſſet mixtum, & ſicut in Chriſmate ſufficit mixtio ſimpliciter vtriuſque olei balſami, & oliuarum, ita in propoſito. 20 *Secũda ratio principalis.* *Ex inconuenienti.*

Deinde illud poculum retinet nomen vini, & accidentia eius, vt ſaporem, & colorem, & odorem, quæ prævalent, quamuis vinum ſit in minore quantitate, maximè ſi ſit vinum forte, & appellatur vinum communiter, & ſecundùm apparentiam eſt tale, & experientiam, quia ſentitur etiam in ſtomacho calor vini, & operatio: vnde confutatur ſolutio, quâ dicit deberi aquam quodammodo abſorberi à vino, vt appareat ſaltem vinum.

Quid eſt abſorberi? Non ſecundùm ſubſtantiam abſorbetur, quia hoc eſt contra aduerſarium; ſecundùm autem apparentiam abſorbetur, quia ſenſibus, ex quibus hæc apparentia deſumitur per experientiam, abſorbetur, quia prædominantur in ea accidentia vini, quæ ſub ſenſum cadunt: aqua enim non habet qualitates ſenſibiles mixti, vt cadat ſub guſtu, & odoratu, & quantùm ad viſum magis fertur in vinum, ſi ſit rubrum, verbi gratiâ, quantùm ad reliqua ſenſibilia, vt frigus, & humidum non diſcernit hæc ſenſus magis in vno, quàm in alio: ergo in minori quantitate vini, imò & minima abſorbetur aqua, &c. Deinde ſi adhæreamus verbis Patrum, tunc aqua dicetur ſimul cum vino offerri, benedici, &c. Dices Concilia docere minorem quantitatem aquæ debere eſſe. Contrà, Concilia non definiunt hoc in ordine ad effectum conſecrationis, ſed ad ſignificationem myſticam: vnde Triburienſe docens aquam non debere excedere tertiam partem, hanc rationem aſſignat: *Quia maior eſt maieſtas ſanguinis Domini, quàm fragilitas populi.*

Accedit, quòd ex hoc loco declaretur etiam intentum. Canon eſt talis: *Alexander ſucceſſor Euariſti dixit, Non debet enim, vt à Patribus accepimus, aut vinum ſolum, aut aqua ſola offerri, ſed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius profluxit: videlicet, vt per hoc indicet populos, qui ſecundùm Ioannem aqua ſunt, à Chriſto, cuius ſanguis in calice eſt, diuidi non debere: cuius rei veritatem in hac ſancta Synodo confitemur, credimus, & confirmamus, ne vllus ſine mixtione vini, & aquæ myſteria ſacra conficiat: ſed vt duæ partes ſint vini, quia maior eſt maieſtas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi; tertia aqua, per quam ſignificatur fragilitas humanæ naturæ*, &c. 21 *Tertia ratio, ex Canone Triburienſi.*

Ad propoſitum autem faciunt illæ clauſulæ, videlicet, *vt per hoc indicet populos qui ſecundùm Ioannem aqua ſunt, à Chriſto cuius ſanguis in calice eſt diuidi non debere*, &c. Et illa vltima, duæ partes ſint vini, quia maior eſt maieſtas ſanguinis Chriſti, quàm fragilitas populi; tertia aquæ, per quam ſignificatur fragilitas populi: ſi duæ partes ſint vini, per quod ſignificatur maieſtas ſanguinis, tertia aquæ, per quam fragilitas populi ſignificatur: ergo aqua non conuertitur immediatè in ſanguinem. *Significatio, & cauſa mixtionis.*

Patet conſequentia, ideò vinum ſignificat præciſè ſanguinem, quia eſt materia proximè in ſanguinem conuertibilis, ſub cuius accidentibus manet conſecratum: ſed ſi aqua conuerteretur immediatè *Vinum ſignificat ſanguinem, aqua populum.*

diatè in ſanguinem hic modus ſignificandi eidem conueniret, quia maneret ſanguis ſub ſpeciebus aquæ, ſicut & vini: ergo cùm aqua in ſe ſignificet fragilitatem populo, ideóque præcipitur miſceri in calicem vini, quòd denotat ſanguinem, ne populus à Chriſto diuidatur, quod non ſignificat aqua, ſed ipſi vniatur, ſicut aqua vino, quod ſanguinis eſt ſignum, ſequitur propoſitum.

22 *Senſus Eccleſiæ ex dictis.*

Ex his ergo tribus Conciliis, vt alia omittam (de quibus mox agetur) ſequitur interpretatio legitima Patrum ex ſenſu Eccleſiæ, & ſolutio argumenti, nempe loca Patrum referenda eſſe quædam ad primam mixtionem, quâ aqua in propria ſubſtantia miſcetur vino, alia referri ad aquam, quâ conuersâ in vinum mutatur in ſanguinem mediatè, vt patebit reſpondendo in ſpecie ad ipſas authoritates.

*Examinatur & declarantur in ſpecie loca Patrum adducta.*

Locus Alexandri declaratur ex Triburienſi in ſpecie, & mixtionis motiuum eſſe, tum exemplum Chriſti, tum ſignificatio myſtica, vt populus per aquam deſignatus vniatur Chriſto in calice, non per conuerſionem aquæ in ſanguinem immediatè, ſed in vinum, mediatè verò in ſanguinem. Conſequentia malè infertur, aliàs verum eſſet aquam in æquali, aut maiori quantitate poſſe conuerti in ſanguinem.

Cyprianus. Authoritas Cypriani ad idem refertur, nempe ad ſignificationem myſticam: dans enim rationem, quare nec aqua ſola, nec vinum ſolum in calice Domini offerendum ſit, ſubdit rationem: *Nam ſi vinum ſolum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit ſine Chriſto eſſe, id eſt, vt dicit gloſſa, ſine Sacramento, quod de eius latere profluxit, id eſt, ſanguis & aqua:* vel *ſine Chriſto*, id eſt, ſine Eccleſia, quæ corpus Chriſti myſticum eſt, quod eſt dicere ſine aqua, quod ſignificatione repræſentat populum Chriſtianum, alioquin quomodo ſanguis Chriſti poſſet eſſe in calice ſine Chriſto: vnde gloſſa ibidem docet per vinum ſignificari præcisè ſanguinem:

Iulius Papa. ideóque Iulius Papa epiſtola prima ad Epiſcopos Ægypti legit: *Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis: ſi verò aqua ſit ſola, plebs accipit eſſe ſine Chriſto*, &c. vnde ſubdit Cyprianus: *Quando autem vtrumque miſcetur, & adunatione confuſa ſibi inuicem copulantur, tunc Sacramentum ſpiritale, & cœleſte perficitur*, id eſt, ſignificatione, quia ſic ſignificatur noſtra redemptio per vnionem ad Chriſtum: *Vinum enim*, inquit Gloſſa, *ſanguinem aqua plebem ſignificat; horum autem confuſio ſalutis noſtræ eſt Sacramentum*, &c. id eſt, *ſignum.*

23 Iulius Papa. Hæc eadem eſt doctrina, & Iulij Papæ loco citato, & habetur cap. *Cùm omne*, de conſecr. diſt. 2. *Calix*, inquit, *Domini iuxta Canonum præcepta*, (id eſt, præceptum Eccleſiæ, vt Florentinum, & Tridentinum) *vino & aqua permixtus debet offerri*, &c. ſubdit rationem, *Quia videmus in aqua populum intelligi, in vino verò oſtendi ſanguinem Chriſti: ergo cùm in calice vinum aquæ miſcetur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit, copulatur, & iungitur*, &c.

Aduertendum hæc eadem haberi in Concilio Bracharenſi III. *c.* 1. ferè ad verbum, niſi quòd vbi Pontifex inſinuans commune ſtatutum, dicens, *iuxta canonum præcepta.* Bracharenſe habet, *iuxta quod quidam Doctor edixerit*, &c. indicans Cyprianum. Eadem doctrina ſummatim collecta legitur in VVormatienſi *cap.* 4.

*Ex latere Chriſti fluxiſſe Sacramẽta.* Leo Papa. Adde, quòd ſancti Patres interpretantur ex latere Chriſti emanaſſe Sacramenta. Leo Papa *epiſt.* 4. *cap.* 6. Auguſt. *tract.* 15. & 120. *in Ioan. lib.* 2. *de Symbolo ad Catechum. cap.* 6. *lib.* 15. *de ciuit.* 26. Auguſtinus. Chryſoſtomus *homilia* 84. *in Ioannem.* Cyrillus *lib.* 12. *cap.* 39. Ambroſius *lib.* 10. *in Lucam, cap. de commendatione Mariæ.* Tertuillianus *lib. de Bapt. c.* 9. Chryſoſt. Cyrillus. Ambroſius Tertull. In aqua autem deſignant Baptiſma, per quod Eccleſia in Chriſto regenerata eſt; rectè ergo aqua ſignificat populum fidelem. In ſanguine verò aliqui redemptionem, aliqui Euchariſtiam deſignant ſub ſpecie vini: hoc ergo fundamentum eſt huius myſterij, in quo Patres dicunt, miſcendo aquam vino, deſignari vnionem populi ad ſanguinem, per quem redemptus eſt, & conſequenter Chriſtum.

24 Confirmatur, tam mixtio facienda, quàm præceptum de mixtione ſumunt ſpeciem præcisè à ſuo motiuo, quod explicant Patres, ſed illud non eſt aliquod ſpectans ad inſtitutionem, quia de hac nullam mentionem faciunt Patres explicantes prædictum motiuum, ſed dicunt eſſe ſignificationem myſticam, vel quâ ſanguis, & aqua fluxerunt ex latere Chriſti, vel vnionis populi cum Chriſto, dicentes Chriſtum deſignari per vinum, populum per aquam, atque adeò ſignificationem referunt ad ipſam primam mixtionem, non verò ad conuerſionem per conſecrationem in ſanguinem Chriſti, vt patet ex dictis. Sicut ergo mixtio ab his motiuis ſumit ſpeciem, ita & præceptum Eccleſiaſticum mixtionis: ergo non tranſcendunt hæc motiua: ſed hæc ſunt merè cæremonialia, & ſpectantia ad inſtitutionem Eccleſiæ tantùm: ergo non ad Inſtitutionem Sacramenti factam à Chriſto.

*Mixtio à motiuo cæremoniali ſumit ſpeciem.*

Patet prima conſequentia, quia præceptum, & opus præcepti ſumit ſpeciem à ratione, & motiuo, à quibus inducuntur, & lex ex ſua ratione interpretationem capit, ſicut ex fine intrinſeco, ſeu motiuo. Si ergo Patres mixtionem præceperunt ad ſignificandum præcisè ſanguinem, & aquam, quæ ſimul fluxerunt ex latere Chriſti, & hoc vlteriùs ad ſignificandam myſticam vnionem inter populum, quæ deſignatur in Scriptura per aquam, & Chriſtum, qui deſignatur per ſanguinem, & hîc ſymbolicè per vinum: ſequitur quòd neque mixtio, neque præceptum eius ad vlteriora myſteria ipſius inſtitutionis Sacramenti referenda ſint ex ſenſu Patrum, aut Eccleſiæ, quæ alioquin magis erant exprimenda, quàm hæc quæ ſolùm exprimunt Patres.

25 Deinde idem patet vlteriùs ex natura motiui mixtionis, quia hæc inſtituta eſt principaliter ad ſignificandum ſanguinem, & aquam, quæ fluxerunt ex latere Chriſti, & in quibus ſignificatur hæc vnio myſtica; per mixtionem verò ſignificatur ſecundariò ex natura myſterij, quod repræſentat: hoc patet ex verbis Alexandrini I. & Concilij Triburienſis citatis; & ſicut in prototypo, ſeu repræſentato, ſeruabant ſuas ſpecies ſanguis & aqua, vt ſeruetur vera proportio ſigni in mixtione vinum in ſua ſpecie repræſentat ſanguinem, quia eſt materia per ſe eius, & ſola, vt patet ex Conciliis allegatis, & aqua ſimiliter propriam ſpeciem: vnde tota ſignificatio referri debet ad primam mixtionem in qua, retinent ſuas ſpecies ſeruatâ vnione commixtionis tantùm: vnde vinum in ſua ſpecie ſubſtituitur pro ſanguine, vt patet ex Alexandro, Cypriano, Iulio, & Triburienſi, & Tridentino, vbi expreſſis verbis docent ſanguinem deſignari in vino tantùm, in aqua verò populum tantùm,

tùm, in commixtione vtriuſque vnionem populi ad Chriſtum deſignatam in prototypo, ſeu myſterio ſanguinis, & aquæ fluentis ex latere Chriſti: hanc ergo mixtionem intelligunt Patres, & illa ſola apta eſt repræſentationi, quia licèt ſanguis fluxerit ex latere Chriſti, & ſimul aqua, neque ſanguis tranſiuit in aquam, neque aqua in ſanguinem, niſi per mixtionem, neque Chriſtus fit populus, neque populus fit Chriſtus, licèt vniatur Chriſto: quam vnionem ſolùm prætendunt Patres, & in proportione mixtionis ſolùm repræſentatur, dum aqua, quæ ſignificat populum, in propria ſubſtantia manens vnitur vino, quod deſignat ſanguinem, per mixtionem. Hæc autem proportio non ſignificaretur per conuerſionem aquæ immediatè in ſanguinem, quia ſic populus fieret Chriſtus per identitatem, non per vnionem ſeruatâ propria natura, & diſtinctione requiſita: vnde colligitur de tali conuerſione nihil dicere Patres, aut intendere, imò oppoſitum planè inſinuare.

26 Dices, Patres recolere etiam factũ Chriſti, qui in vino diluto conſecrauit. Contrà, hoc perinde vrget contrariam ſententiam: quia ſi inde infertur conſecratio aquæ immediatè in ſanguinem, debet etiam interpretari præceptum diuinum, & conſecratio aquæ de neceſſitate materiæ: *Hoc facite*, inquit, *in meam commemorationem*. Patres tamen, & Concilia citata referunt illam mixtionem ad exemplum Chriſti, non ad inſtitutionem Sacramenti, & intelligunt eſſe tantùm præcepti Eccleſiaſtici: ex cuius natura ſequitur exemplum Chriſti non referri ad inſtitutionem Sacramenti. Deinde neque conſtat certò ea certitudine, quæ requiritur ad fundandam ſententiam communem Patrum, & Eccleſiæ, prout de illa opinione præſumunt aſſertores eius, ſi Chriſtus conſecrauit in vino diluto: ſed tantùm creditur, inquit Tridentinum, id eſt, exiſtimatur: vnde dicit Gaufridus *iuxta conſuetudinem loci illius*, in qua ſcilicet causâ ſobrietatis vinum diluebatur, quod fuit vſuale: quamuis autem id præſumi poſſit, & indicat Liturgia Iacobi, tamen neque Euangeliſtæ referunt ſpecificantes materiam per ſe Sacramenti, quod eſt vinum, quos proinde ſequuntur Concilia: vnde Patres non ad hoc exemplum principaliter referunt ſignificationem mixtionis, ſed ad ſanguinem & aquam, quæ fluxerunt ex latere Chriſti: neque Euangeliſtæ præterirent hanc materiam, ſi ex inſtitutione ſpectaret ad Sacramentum.

27 Ex his patet ad alia loca Patrum: vnde quando dicunt vinum, & aquam in calice conſecrari, intelligitur vinum dilutum, quod etiam denominationem habet ab aqua, quæ miſcetur, non quòd aqua maneat in ſua ſubſtantia, ſed quòd poculum dicatur dilutum, conuerſa etiam aqua in vinum, quod per ipſam temperatur, licèt in ipſum ſit conuerſa, & ad effectum ſignificationis myſticæ: vnde cùm hoc ſolùm ſit motiuum, & cauſa expreſſa mixtionis, nequit trahi ad diuerſum ſenſum: quando ergo aqua dicitur fieri ſanguis ab Auguſtino, intelligi debet mediatè, vt plerumque fit; & ſic Damaſcenus intelligitur, quando dicit vinum, & aquam fieri ſanguinem, quæ copulatiua in ſimilibus locutionibus determinat vtramque ſubſtantiam vini & aquæ, prout miſcetur, non autem quando fit conſecratio: vnde verum eſt aquam fieri ſanguinem, ſed primùm conuerſa in vinum. Per hoc exponitur Iuſtinus, & omnes Patres Græci, qui in ſimili forma loquuntur. Ad Paſchaſium, & Algerum *infrà* dicemus. Et negatur conſequentia, nempe locutiones illas falſas eſſe, mutari, benedici, offerri, conſecrari aquam in ſanguinem, niſi ſit in ſua ſubſtantia, quando iſta contingunt: nónne panis & vinum rectè dicuntur mutari in carnem, & ſanguinem, quamuis tamen non ſint, ſed per decoctionem ſtomachi tranſeunt in chylum, & per huius conuerſionem in ſanguinem, & ſanguinis in carnem: ſic etiam dicitur aqua manere in vinum conuerſa: *Poſtquam guſtauit aquam vinum factam*, ſicut elementa dicuntur manere in mixto in quod conuertuntur, licèt non maneant ſecundùm propriam formam: eâdem ergo proprietate dicitur aqua mutari in ſanguinem, quamuis priùs fiat vinum.

28 Secundum principale fundamentum ſumitur ex Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ, de celebrat. Miſſarum*, quaſi hanc ſententiã ibidem docuerit, vt quæ tunc in Gallia fuerit cõmunis, vt patet ex epiſtola Gaufridi, & ex antiquioribus ante Magiſtrum, & Scholaſticos: quærebatur autem à Pontifice, vtrùm aqua in ſanguinem conuertebatur? quæ quæſtio eſſet nugatoria, niſi intelligatur aqua manere in ſua ſubſtantia: refert enim Pontifex tres ſententias: prima eſt, quæ dicit aquam mutari in aquam, quæ fluxit in latere Chriſti: ſecunda eorum, qui dicunt mutari in vinum; quamuis, inquit, Phyſici id negent, & ita altera negabat, aquam conuerti in vinum; altera affirmabat, & priori conſentit: vnde vlteriùs dicit aquam cum vino mutari in ſanguinem eſſe probabiliorem: vnde *infra* aſſignans rationem, non dicit ideò aquam conuerti in vinum, ſed aquam ideò vniri vino, vt Chriſto populus adunetur.

*Secundum fundamentũ ex Innocẽtio.*

29 Reſpondetur contrarium dici, verba eius ſunt: *Quærebatur*, inquit, *vtrùm aqua cum vino in ſanguinem conuertatur? ſuper hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur, aliquibus enim videtur, quòd cùm de latere Chriſti duo fluxerint præcipua Sacramenta redemptionis in ſanguine, ac regenerationis in aqua, in illa duo, vinum, & aqua, quæ commiſcentur in calice, diuina virtute mutantur, vt in hoc Sacramento plenè ſit veritas & figura.*

*Reſpondetur ad Innocentium, & declaratur.*

*Alij verò tenent, quòd aqua cum vino tranſſubſtantientur in ſanguinem, cùm in vinum tranſeat aqua mixta, licèt Phyſici contrarium aſſeruerint, qui aquam à vino per artificium poſſe aſſerunt ſeparari. Præterea poteſt dici, quòd aqua non tranſit in ſanguinem, ſed remanet prioris vini accidentibus circumfuſa*, &c. Deinde *infrà* concludit: *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari, vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti*, &c. Aſſignat rationem, quam aliàs adducunt priora Concilia, *vt populus Chriſto maneat coadunatus.*

Hæc, quam veram cenſet Pontifex, eſt ſecunda in ordine, quia prima dicit aquam mutari in aquam, quæ fluxit ex latere Chriſti; tertia dicit manere in propria ſubſtantia: ſecunda autem cum vino mutari in ſanguinem, quia conuertitur in vinum: nam illud quod dicit de Phyſicis non ſpectat ad Theologos, & in reſponſione ſequitur contrarium; ita omnes Theologi interpretantur Canonem.

*Secunda ſent. præfertur.*

Confirmatur interpretatio ex ipſo Innocentio *lib. 4. myſteriorum Miſſæ, cap. 29.* differit an aqua in ſanguinem conuertatur, & partem affirmatiuam docet contra eos, qui negant aquam conuerti,

*Confirmatur ex eodem lib. 4. myſt. Miſſæ c. 29.*

*cap. 30.*

cap. 30, reiiciens opinionem eorum, qui dicunt, non aquam naturalem, sed phlegma exiuisse ex corpore Christi, docet modum, quo conuertitur: *Quibusdã verò*, inquit *non absurdũ videtur quod aqua cũ vino transit in sanguinem, eã videlicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cum multo vino modicum infunditur aqua? alioquin tota vini substantia propter guttam aquæ mutatur, vt quoddam fiat ex ipsis confusum, quod nec sit aqua, nec vinum*, &c. Ecce quomodo Pontifex resumens casum capituli *Cum Martha*: docet aquam cum vino mutari in sanguinem, ita vt priùs mutetur in vinum aqua. Hæc ergo fuit communis sententia Theologorum tunc temporis, quam Pontifex, tam in illo decreto, quàm etiam in doctrinali discursu super Missa est secutus.

*Aquam conuerti in sanguinem mediatè.*

30 *Tertium fundamentum. Exemplum Gaufredi.*

Ex hoc sequitur solutio tertij argumenti, quo præfatus author contendit in Ecclesia Gallicana ante Sententiarios Scholasticos cõtrariam communem fuisse ex epistola Gaufridi Abbatis Clarævallensis sub Clemente III. quam Baronius exscribit loco citato. Alij negabant aquam cum vino mutari in sanguinem: alij id affirmabant, quam ipse sententiam dicit communem fuisse, neque aliàs oppositum auditum esse, citans in confirmationem eius Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, *suprà* citatos, & Hildebertum Paschasium, putans eum antiquiorem fuisse, nempe ante Gregorium, in quo errat, fuit enim modernus, item Algerum.

*Responsio.*

Respondeo ex Innocentio, aquam mutari in sanguinem cum vino: sed mediatè, vt Pontifex declarat: alia autem opinio negabat mutari, vel in vinum, vel in sanguinem, vt citat ipse Innocentius capitulo *Cum Martha*: & super Canone, locis citatis: falsò ergo aduersarius infert ex eo, quod dicunt aquam cum vino mutari in sanguinem, intendi suam opinionem, quâ scilicet aqua immediatè in sanguinem transiret, & expresè declarat ipse Innocentius sensum quæstionis contra negantes vllo modo, aut mediatè, aut immediatè in sanguinem mutari.

Nemo autem præsumere debet Innocentium III. qui & Parisiis studuit, & ab ipso Clemente III. inter Cardinales assumptus est, & postea Pontifex ad eandem quæstionem propositam respondet, quam super mysterio Missæ loco citato resoluit, sensum quæstionis, & controuersiam non attigisse.

31 *Declaratur controuersia in clero Gallicano exurgens.*

Controuersia ergo fuit, *An aqua vllo modo conuerteretur in sanguinem?* communis affirmabat, quam docet Pontifex: negabant alij, quia ex opinione Physicorum putabant non posse conuerti in vinum, ac proinde manere in propria substantia circumfusa accidentibus vini: neque aliam controuersiam insinuat Gaufredus in sua epistola, vt patet: proposita enim controuersia inter affirmantes & negantes, subiungit fundamenta affirmatiuæ, quam communem appellat: primò, quia calix Domini fuerat mixtus, & non merus ex consuetudine loci: tum quia id insinuatur Prouerb. 9. *Miscuit vinum, posuit mensam*, &c. vbi designatur mysterium Eucharistiæ: secundò, quia aqua mixta similæ non manet conuerso pane in corpus: ergo etiam nec mixta vino. Tertiò, quod est contra fundamentum negatiuæ, quo negabat aquam posse conuerti, scilicet in vinum. *Postremò*, inquit, *cùm elementa quatuor ignis, aëris, aquæ, & terræ, supremus artifex sic coniunxerit, vt non tam elementa simplicia, quod ex eis elementata sunt, quæ videntur, si ab illa mutatione exceperit alius ignem, alius aërem, alius terram, sicut isti aquam excipiunt, non mediocris inde confusio consequetur*, &c.

*Fundamenta affirmatiuæ, & communis.*

Hoc fundamentum erat à ratione, quo innitebantur negantes aquam conuerti in mixtum, neque consequenter in vinum, & Pontifex etiam vtroque loco citato asserit. Contrà vrgebant affirmantes rationem illam, quia elementa in mixtum conuertuntur, indè probantes aquam in vinum conuerti, atque adeò aquam conuerti posse in aliud virtute agentis naturalis: ergo tenuerunt communem sententiam, quam Theologi Scholastici docent. Alioquin hæc ratio non esset ad propositum, si defenderent aquam immediatè conuerti in sanguinem posse virtute diuina, quia de hoc nullus saluâ fide dubitare potuit. 32

Dicebant ergo negantes vinum esse materiam sanguinis, & non aquam; aquam autem admixtam vino non posse conuerti, aut fieri vinum, sed manere in sua substantia. Econtrà alij asserebant aquam mutari in vinum, & sic conuerti in sanguinem: modum ergo conuersionis aquæ in sanguinem illa ratione comprehendunt, & mox probantes ex authoritate sanctorum Patrum aquam conuerti in sanguinem, intelligunt, seu supponunt modum præfatum conuersionis eius: sicut & Pontifex vtroque loco citato respondens ad quæstionem, eundem modum exprimit proferens affirmatiuam, quæ communis fuit, teste Gaufredo.

*Status controuersiæ.*

Probabat autem communis sententia conuersionem aquæ in sanguinem iisdem authoritatibus, quibus moderni authores suam fulciunt sententiam, quas tamen authoritates, neque Pontifex Innocentius, neque communis sensus Ecclesiæ Gallicanæ, tum temporis intellexit in eo sensu, quasi aqua manens in propria substantia immediatè in vinum conuerteretur, sed vt priùs conuersa in vinum, vt patet ex dictis: ergo hic est verus sensus Patrum, quem rectè assecuti sunt Scholastici, non sententiam nouam inuenientes, sed antiquam in suo rigore sequentes, ac proinde interpretatio Patrum genuina, & vera est illa, quam præmisimus, non quam aduersarij imaginantur: & proprietas locutionis Patrum rectè saluatur, & veritas mysterij, & institutio materiæ, & posteriorum Conciliorum doctrina, vt Florentini, & Tridentini.

33 *Confirmatur ex antiquis authoribus.* Algerus.

Confirmatur hæc veritas, ex authoribus antiquis, quam tam Gaufredus insinuat, quàm aduersarij citant. Algerus lib. de Sacramento Altaris, cap. 5. quærit: *Quare in pane & vino consecretur corpus Christi, & sanguis?* in qua quæstione non facit mentionem aquæ, sed vini simpliciter; dans autem plures rationes, & congruentias huius, quia per modum nutrimenti, quia panis & vinum in substantiam cuiuslibet transformatur naturaliter, quantò magis, si Deus voluerit, in carnem & sanguinem suum transfertur omnipotentialiter? Deinde quia in his est ordinatium nostrum nutrimentum. Item, inquit, Ecclesiastici corporis vnitas ad inuicem aptiùs signatur, quia sicut panis ex multis granis, & vinum ex multis racemis, sic Ecclesia ex variis personis colligitur, &c. vbi loquitur de vino simpliciter, & puro.

*Consecrationi materia.*

Item, quia in his est refectio hominum singularis, non bestiarum. De aqua autem sic subdit:

*Cui,*

*Cui*, inquit, *ſupple vinó etiam poſtmodum per Apoſtolos, aquam miſceri voluit, qui communis potus eſt beſtiarum, & hominum, vt ad vnitatem tanti myſterij pertinere ſignificaret, non ſolùm inſtorum, ſed & peccatorũ, ſi pœnitere vellent, conſortium; vt quod ſuum erat ipſe in exordio Sacramenti priùs exequeretur*, &c. id eſt, inſtituendo materiam tantùm panem & vinum, in iiſque conſecrando: *& nos quod noſtri erat myſterij poſtmodum adderemus*, &c. id eſt, miſcendo aquam ex traditionee Apoſtolica ad ſignificandum iniuſtos. Clarè ergo hîc docet ſententiam communem aſſerens panem, & vinum purum eſſe materiam Sacramenti, in quibus tantùm Chriſtum conſecraſſe refert, aquam ab Apoſtolis additam ad denotandum myſterium. Quod ergo priori libro incidenter dixit, agens per ſe de ſacrificio, reducendum eſt ad ſenſum communem iam explicatum, vt patet ex præmiſſis, vbi veritatem eam loco proprio tractat: ibi autem loquitur iuxta praxim, & ritum conſultum, ſicut & alij Patres non ſolùm inſtitutionem ſpectantes, ſed etiam concurrentia ex ordinatione Eccleſiæ, qualis eſt dicta mixtio. Floruit anno 1130. habetur in Bibliotheca Patrum, tomo 12. part. 2. impreſſ. Coloniæ.

*Verba manifeſta.*

34 Odo Cameracenſis.

Item Odo Cameracenſis Epiſcopus, qui floruit anno 1010. in Canonem Miſſæ ſuper illa, *Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem*, præclarum dicit calicem adhuc vini, vſque dum ſtatim fiet præclarus quando ſanguis erit, &c. & *infrà*, dicit latere ſub ſpeciebus vini, videri, guſtari vinum, quod non eſt, & ſimilia, vbi loquitur de materia proxima ſanguinis, non faciens mentionem aquæ, quæ remota eſt: habetur ibidem.

Hildebert.

Item Hildebertus I. Cenomanen. Epiſcopus, poſtea Turonen. Archiepiſcopus, carmine in Canonem Miſſæ, in offertorium,

*Admixtum vino laticem miraris, at ipſum,*
*Grande Sacramentum eſt, nec ratione vacat,*
*Vnda fluens homo prætereiens ea mixta Liæo:*
*Et Chriſto Chriſti ſanguine iunctus homo,*
*Diuidit vnitos, vel aquam, vel vina miniſtrans,*
*Et caput à membris ſeparat ipſe ſuis,*
*Prætereà nil fons ſine ſanguine*, (id eſt, vino) *nil ſine fonte*
*Sanguis, vtrumque ſimul ſaluat, vtrumque ſacrat,*
*Cùm rimaretur pendentis viſcera Chriſti*
*Lancea, manauit ſanguis, & vnda ſimul.*
*Sicut vtrumque ſimul fluxit, ſimul offer vtrumque*, (ſcilicet in offertorio, aut conſecratione, de quo agit)
*Vnum deme Crucis non imitaris opus.*

Hîc agit de offertorio ante Canonem, vbi docet aquam miſcendam vino, quod denotat ſanguinem Chriſti, vt alij omnes docent *ſuprà* citati: ergo nihil agit de conuerſione immediata aquæ in ſanguinem. Vnde ſequitur hanc fuiſſe communem, quam docemus, quámque prætendit præfatus Abbas Gaufridus in ſua epiſtola, citans authoritatem huius: vixit 1125.

35 Beringoſius.

Beringoſius Abbas, de laude, & inuentione ſanctæ Crucis *lib. 1. cap. 16.* eadem dicit, *Quòd in ſacrificio non vinum ſolum, neque aqua ſola deferenda eſt, ſed vtrumque potiùs miſceatur, vt ex vtroque vnum Sacramentum ſpiritali ſignificatione perficiatur*, &c. Intelligit autem ſignificationem, quâ populus Chriſto vnitur; nam in verbis præcedentibus adducit verba Cypriani dicentis, *Si vinum ſolum offeratur, incipere Chriſtum ſine nobis*: & ſubdit figuram huius mixtionis fuiſſe mutationem aquæ in vinum in nuptiis tempore legis, per quam deſignatur populus in Euangelium, *Vt & nos*, inquit, *in aliam imaginem transformemur ab omnipotente.*

Stephanus Eduenſis Epiſcopus de Sacramento Altaris, cap. 14. agens de materia proxima: *Inde eſt*, inquit, *quòd panis & vinum non tranſeunt in diuinam naturam, ſed in humanam ſubſtantiam: & antea totus*, inquit, *ſub vtraque ſpecie panis, & vini* (ſupple Chriſtus) *& ſub vtraque particula totius ſpeciei totus*; infrà autem, *In præparatione panis*, inquit, *& vini*, id eſt, ad offertorium, *aqua vino miſceatur, vt vtrumque de latere Domini fluxiſſe memoretur, in quo etiam ſignificatur nos per aquam, & ſanguinem ſaluari; aquam dico Baptiſmi ſanguinem Ieſu Chriſti*, &c. vbi nihil aſſerit de conuerſione aquæ in ſanguinem proximè, ſed potiùs oppoſitum: quia & ſuperiùs non facit mentionem aquæ, nec miſtionis, vbi de materia Sacramenti agit: ſed *infrà* tantùm, quando agit de præparatione materiæ, & offertorio, & hoc tantùm ad ſignificationem myſticam: habetur *tom. 11.*

Stephanus Eduenſis.

Aliud non docet Paſchaſius Corbeienſis: *Non credo*, inquit, *quòd aliud pependerit in Cruce, quàm caro, neque aliud profluxerit de latere Chriſti, quam ſanguis, & aqua: & ſi hoc ita eſt, hoc accipiunt credentes, id eſt, carnem, & ſanguinem, cui admiſcetur aqua in calice, aqua in qua renati, ſanguis quoque in quo redempti ſunt fideles: & ſicut teſtatur Cyprianus, nec aqua in calice, ſine ſanguine eſſe debet, nec ſanguis ſine aqua, quia per aquam populus abluitur, vnda baptiſmatis ſignificatur, & per ſanguinem Chriſtus, qui eo nos redemit, ac per hoc neque Chriſtus ſine Eccleſia Pontifex in æternum, neque Eccleſia ſine Chriſto Deo Patri offertur*, &c. Ita ille *in epiſtola de corpore & ſanguine Domini.* lib. verò de corpore & ſanguine Domini, *cap. 11.* ab aduerſario citato habet.

36 Paſchaſius Corbeienſis.

*Planè aqua in ſanguine quare miſceatur, dum in natali calicis factum à Chriſto non legitur: illa permaxima cauſa eſt, quia de latere Chriſti vbi paſſio completur, ſanguis pariter & aqua manauit, quod rectè myſterium plenè intelligentes, faciendum in calice cenſuerunt, vt nihil deeſſet nobis in hoc Sacramento ad commemorationem noſtræ redemptionis*, &c. vbi expreſsè docet ad memoriam myſterij id feciſſe Apoſtolos, ſupponens in calice, quem Chriſtus conſecrauit, non fuiſſe aquam. Aſſignat deinceps alias ſignificationes communes, quas tradidit Cyprianus: & ampliùs inter alias rectè miſceri aquam vino, *Quia hi liquores magis, quàm alij coaleſcunt, quia vinum ex aqua per vitem, ſicut Chriſtus ex Maria per carnem naſcitur*: ergo contra fundamentum aduerſarij cenſet, quo ille putat aquam non eſſe conuertibilem in vinum. Vnde *infrà*, quando dicit aquam verti in ſanguinem, non alio modo intelligit, niſi vt alij. Ex his ergo perperam citatis, quorum nullus negat aquam mutari in vinum, malè ex ſuperficie verborum, quibus tantùm dicunt aquam offerri in calice, aut mutari in ſanguinem, intentat quiſpiam notam toti ſcholæ, quaſi aliud doceret, quàm Eccleſia hactenus, ante ipſos docuit: nam & Theologi idem dicunt, ſed ſano ſenſu, & propriè de rigore verborum dicitur mutari, mediatè tamen: neque ergo Patres, neque antiquitatem pro ſe habet prædicta ſententia.

*Vel immediatè in ſanguinem tranſire.*

Ideóque S. Thomas *in 4. diſt. præſent. quæſt. 2. art. 4. quæſtiuncula prima ad ſecundam.* poſt Innocentium, recenſet duas illas opiniones antiquas

37

de

de conuersione aquæ, quas memorat Gaufridus in sua epistola; quarum vna dicebat aquam conuerti priùs in vinum, & mediatè in sanguinem; alia negabat conuerti in sanguinem. Vnde colligitur nullam tertiam fuisse, quæ diceret aquam conuerti immediatè in sanguinem; ac proinde eam, quam hactenus expugnauimus, esse nouitiam huius temporis: vide ipsum *3.part.quæst.74. art.* 8. Hactenus ex authoritate: reliqua faciliùs expedientur, quæ sunt à ratione.

38 *Fundamentum à ratione.* Obiicitur itaque vinum non posse conuerte-
re in se aquam, quia est corpus simplex, quod nequit transire in mixtum, nisi concurrentibus aliis tribus elementis. Deinde Aristoteles videtur *lib.de Generat.cap.*10. negare hanc conuersionem: deinde quia separari potest aqua à vino per artem, vt chymici docent. *Responsio.* Respondetur omnia hæc falsa esse; nam ratio primùm allata falsa est; nempe ex vno elemento non fieri quando-
*Ex vno elemento posse fieri mixtum.* que mixtum, vt ex aqua piscis; prout probat Doctor *in 2.dist.25.*

Deinde contrarium eius, quod asserit, tenet Aristoteles loco citato: agit enim de distinctio-
*Posse conuerti aquam in mixtum.* ne augmenti per nutritionem à mixtione: de hac aquæ ad vinum sic ait: *An alterius remaneat substantia, id est, mixti, alterius non remanet, vt succi; alteriúsne rei? cùm in hac quoque mixtione id quod imperat, id est, prædominatur; vt si id vinum fuerit, excreuisse dicatur: omnes enim ipsius mixtionis congestæ partes, non aqua, sed vini naturam retinent, & illius opera efficiunt:* ergo vinum conuertit in se aquam, quia eius naturam, & efficaciam retinet. Deinde hoc exemplum adducit in iis mixtis, quorum alterius substantia remanet, alterius verò non remanet, &c. quod ex consequentibus patet; quia illam similitudinem adducit alterationis, quæ fit ad nutritionem in qua substantia aliti manet & augetur; nutrimenti verò non manet, sed attenuatur & perit.

39 *Aqua est alimentum.* Item lib.4.de historia animalium,cap.2. *Qualitatem enim quandam potissimùm recipit & alimentum, & dispositio corporis ex temperamento aëris conuinentis, & cibi ingredientis; sed præcipuè ex alimonia aquæ: huius enim vsus plurimus est, atque in omnibus aqua alimento est, etiam siccis,* &c. ergo aqua conuertitur in mixtum, & non tantùm in corpus simplex.

Et in libro problematum,sect.1.textu 12. *Cur mutationem aquarum grauem, aëris verò non grauem esse affirmant? an quòd aqua corporibus alimento est, quo iam habito complexóque peregrinamur,*&c. & sequenti; *cur ciborum mutatio magis quàm aquæ grauis occurrat? an quia plurimum aquæ consumimus, nam & in pane, & obsoniis, & in potu aquæ vsus plu-*
*Patet experientia.* *rimus est,* &c. Experientia ad hoc accedit, nam qui bibunt aquam, etiam hæc in ipsis in excrementa transit,aut nutritionem, vt in animalibus: ergo corrumpitur in mixtum.

Quod verò ait Philosophus de sensu,& sensato contra Pythagoricos, qui dicunt nutriri quædam animalia per odorem,dat eius rationem hãc: *Perspicuum enim videmus, quòd alimentum compositum esse debet;* & infrà: *nec quidem aqua sola,& quidem non permista alere potest; id enim quod constituendum est, corporeum esse oportet,* &c. hoc, inquam, non obstat,quia saltem mixta alere potest, & corrumpi in aliud, & intentum eius est requiri aliquod solidum per modum cibi: quia aqua sola non alit, sed permixta solido. Ex hoc patet ad secũdam obiectionem. Ad tertiam negatur experientia illa, quia etiam vinum depuratum, quandoque etiam continet humorem aqueum in superficie: vnde separetur humor ex vino, est tenuior pars vini; & licèt non referat calorem, nisi aquæ, tamen saporem, & alias operationes vini habebit; vnde si aqua pura esset, nunquam saperet vt vinum.

Obiicit aduersarius præterea quòd virtus vini debilitetur infusâ aquâ. Respondetur, quia repatitur, id verum esse, non quòd maneat gutta aquæ in substantia, imò per guttam aquæ non debilitatur. Dices cum eodem, quare vinum dilutum non reducit se in pristinum statum, sicut aqua ad propriam frigiditatem? Respondetur, quia virtus caloris naturalis in animali etiam refringitur per actionem, & repassionem ab alimento, quod totum non conuertit in suam substantiam, mutat tamen in aliam, vt excrementi: sic in proposito vinum quidem repatitur, quando aqua in quantitate admiscetur, & fit cimus, id est,alias species, non vini puri,sed diluti: non facit hoc ad propositum per admixtionem guttæ; quæ etiamsi maneret in substantia sua, non impediret conuersionem vt mox apparebit; neque refert ad hanc conuersionem guttæ, vt vinum sit debile, vel Louanienſe, vt idem replicat, quia conuertit etiam guttam in se. 40

Obiicit præterea argumentum Theologicum: quòd falsa esset forma in casu, si aqua non conuerteretur in sanguinem; vt quando statim consecratur post mixtionem, tunc necesse est aquam non mutari in vinum: ergo si non in sanguinem, non totum quod est in calice est sanguis, & consequenter forma falsa. Respondetur hoc nihil esse, quia si musca cadat in calicem, aut gutta mellis,non falsificat formam;neque si granum hordei, aut auenæ misceatur pani, obstat eius consecrationi: quia hæc non tribuunt denominationem toti, & pro nihilo reputantur; ideò censetur calix vinum secundùm apparentiam, & hostia panis triticea; alia illa non cadunt sub sensum, vt diuersa sunt. Vnde Innocentius in cap.*Cùm Martha*,non inuenit illas subtilitates contra eos,qui dicebant aquam non mutari in sanguinem,aut vinum,ideóque miscerí,vt significet populum non vt materia proxima, aut remota conuersionis. 41 *Obiectio.* *Responsio.* *Nõ obstat veritas formæ.*

Obiicit præterea, quia in casu, quo aqua maneret in propria substantia, sumens calicem non esset ieiunus: ergo non posset aliam Missam celebrare quando iure,aut priuilegio conceditur;vt illud in nocte Natiuitatis Domini;hoc autem ob necessitatem populi quibusdam conceditur. *Obiectio de ieiunio.*

Respondet Innocentius *loco citato de mysterio Missæ.* Suarez & Gabriel *lect.35.in canonem missæ,* quando ita probabiliter constaret Sacerdoti non fuisse conuersam aquam non esse ieiunium, & abstinendum esse. Vasquez autem docet nõ comprehendi illum casum sub præcepto ieiunij, quia sumitur per modum vnius potus cum sanguine ex præcepto Ecclesiæ; ac proinde non esse præsumendum Ecclesiam sub præcepto ieiunij comprehendisse casum. Vtraque solutio probabilis est; quidquid dicatur, non sequitur aquam conuerti immediatè in sanguinem. *Responsio prima.* *Responsio secunda,& verior.*

Obiicit præterea: si aqua maneret in propria substantia, non posse adorari calicem. Respondetur adorari posse, non secus, ac si festuca, aut gutta mellis, aut alterius liquoris caderet in calicem, quia quod adoratur est sanguis Christi, 42 *Obiectio ex cultu.* *Solui tur.* *Vera adoratio.*

quod primum eſt contentum à quo non diſcernitur aqua, neque cultus eſt falſus.

Vnde praxis Eccleſiæ Græcæ eſt in contrarium, quæ factâ conſecratione aquam feruentem in calice miſcet, quo non obſtante, adorat calicem ſine errore. Idem dicendum quando aliquod granum hordei immixtum eſt hoſtiæ: item in caſu quo non validè conſecratur hoſtia, populus eam adorat, & ſine errore, quia prudenter exiſtimat conſecratam: actus autem adorationis, ſicut ſequitur prudentiam, recipit determinationem ab intentione, quæ ſequitur æſtimationem, vt non abſolutè ad rem ipſam in *eſſe* feratur, ſed prout exiſtimatur eſſe.

Hæc de hac quæſtione, quæ ad pauciora reduci poſſint, ſed prolixa fecit calumnia inquantùm authoritatem totius ſcholæ concernit, quaſi à Patribus recederet, & communi Eccleſiæ ſenſu in materia deſignanda Sacramenti. Vnde præfatus author aſſerit non eſſe nouum, vt quandoque ab opinione aliàs parùm examinata recedatur, licèt communis ſit inter Doctores ſcholaſticos: ſed inſtantiam huius non adducit congruam ad propoſitum; nec probat intentum, nempe oppoſitum concluſionis fuiſſe commune in Eccleſia ante Innocentium.

b *Graci etiam non apponunt aquam, vt dicit Innocentius*, &c. Idem etiam docet Magiſter in litera: verùm hoc non ſubſiſtere docent authoritates plures Græcorũ Patrum, vt Damaſceni, Clementis Alexãdrini *lib. 2. Pædagogi, c. 2.* Iuſtini in initio huius citati, & aliorum plurium: & Liturgiæ eundem vſum confirmant. Alia tamen eſt cæremonia, quâ Græci vtuntur paulò ante communionem temperandi calicem conſecratum iniectâ aquâ feruente, quæ obiecta eſt eis ab Eugenio Papa in Concilio Florentino, eámque tractat Arcudius *lib. 3. de Euchar. c. 39.* fortè ex hac cæremonia aliqui interpretati ſunt eos non miſcere ante calicem; & inde talis de ipſis percrebuit opinio. 43 *Cõmunis error ex Innocentio.* *Græci miſcẽt calicem ante, & poſt conſecrationem.*

# DISTINCTIO DVODECIMA.

A *De conſequẽtibus ad confectionem corporis Chriſti, quantùm ad fractionem.*

SI autem quæritur de accidentibus quæ remanent, id eſt, de ſpeciebus & ſapore, & pondere, in quo ſubiecto fundentur: potiùs mihi videtur fatendum exiſtere ſine ſubiecto, quàm eſſe in ſubiecto, quia ibi non eſt ſubſtantia, niſi corporis & ſanguinis dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Chriſti talem habet in ſe formam, ſed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per ſe ſubſiſtentia ad myſterij ritum, ad guſtus, fideíque ſuffragium: quibus corpus Chriſti habens formam, & naturam ſuam tegitur.

## *De fractione, & partitione.*

B SOlet etiam quæri de fractione & partitione, quæ ibi videtur fieri, vtrùm vera ſit: & ſi ibi vera fractio eſt, cuius rei ſit, vel in qua re fiat. Cúmque non ſit ibi alia ſubſtantia, quàm Chriſti, ſi in aliqua ſubſtantia eſt illa fractio, in corpore Chriſti videtur eſſe, ſed econtrà, cùm ipſum corpus incorruptibile ſit (quia immortale & impaſſibile) in ipſo non poſſe eſſe videtur. *Ioan. 6. g* Nam & Chriſtus redarguit carnalem ſenſum diſcipulorum, qui putabant carnem Chriſti, ſicut aliam in partes diuidendam, & morſibus dilacerandam. *Opinio quorundam.* Ideò quibuſdam placet, quòd non ſit ibi fractio ſicut videtur: ſed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus obiicitur quod ait Ambroſius, Nihil falſi putandum eſt in ſacrificio veritatis: ſicut fit in magorum præſtigiis, vbi deluſione quadam falluntur oculi, vt videant eſſe quod non eſt. Ad hoc illi dicunt, Non fallit nos viſus, nec fallitur: quod eſſet, ſi crederetur ita frangi, vt videtur. Nec illuſio eſt, quia ad vtilitatem fidei, non ad de- *Luc. vlt. c* ceptionem ita fit, ſicut & Chriſtus ſe oſtendit duobus diſcipulis in via in ſpecie peregrini: nec in eo tamen talis forma erat, ſed oculi eorum tenebantur, ne eum agnoſcerent.

*Aliorum*

*Aliorum opinio.*

C

ALij verò dicunt, quòd sicut ibi species panis est, & non est ibi res cuius, vel in qua sit illa species: ita est ibi fractio, quæ non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur, quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, vt ibi sit fractio, vbi nihil frangitur.

*Aliorum opinio.*

D

ALij tradunt corpus Christi essentialiter frangi & diuidi, & tamen integrum, & incorruptibile existere. Quod se colligere asserunt ex confessione Berengarij, qui confessus est coram Nicolao Papa, & pluribus Episcopis, panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus, & sanguinem Christi esse: & sensualiter non solùm sub Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

*Cõfessio Berengarij, & habetur de consecr. dist. 2. cap.* Ego Berengarius.

*Sententia probabilior.*

E

SEd quia corpus Christi incorruptibile est, sanè dici potest fractio illa & partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentalis fieri: vt vera fractio, & partitio sit ibi, quæ fit non in substantia corporis, sed in Sacramento, id est, specie. Ne autem mireris, vel insultes si accidentia videantur frangi, cùm ibi sint sine subiecto: licèt quidam asserant ea fundari in aëre. Est ibi vera fractio & partitio, quæ fit in pane, id est, in forma panis. Vnde Apostolus ait, Panis quem frangimus, quia forma panis ibi frangitur, & in partes diuiditur, Christus verò integer manet, & totus est in singulis. Vnde Augustinus, [ Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? & tamen veritas inuitans nos ad manducandum ait, Qui manducat me, viuit propter me. Nec occiditur Christus vt manducetur, sed mortuos viuificat: quando manducatur, reficit, non deficit, viuit manducatus, quia surrexit occisus: nec quando manducamus, partes de illo facimus, & quidem in Sacramento sic fit. ] Item, [ Norunt fideles, quomodo manducent carnem Christi: vnusquisque accipit partem suam: vnde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in Sacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Ideò ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: videtur panis & calix, quod & oculi renunciant, quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. ] Ex his datur intelligi, quòd fractio & partes, quæ ibi videntur fieri, in Sacramento fiunt, id est, in specie visibili. Ideóque illa Berengarij verba ita distinguenda sunt, vt sensualiter non modò in Sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum: frangi verò & atteri dentibus, verè quidem, sed in Sacramento tantùm. Vera ergo est ibi attritio & partitio: sed in singulis partibus totus est Christus. Vnde Hieronymus, [ Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulas minuitur, sed integrum se præbet singulis. ] Item Hilarius, [ Vbi pars est corporis, ibi est & totum. ]

1. *Cor.* 10. *d*

*Augustin. in serm. de verbis Euang. & hab. de consecr. dist. 2. cap.* Inuitat nos, *& in gloss.* 1. *Corinth.* 10. *Augustin. de consecr. dist. 2. cap.* præallegatis.

*Hieron. in serm. quodã & hab. de consecr. dist. 2. c.* Singuli accipimus.

## *Quid illæ partes ſignificent.*

F *De conſecr. diſt. 2. cap.* Triform. *Matt. 26. c Luc. 22. b Super 1. Cor. 11. & hab. de conſecr. diſt. 2. c.* Quia in morte. *Auguſt. de verbis Domini, ſerm. 28. & de conſecr. diſt. 2. cap.* Non eſt ille, *& Ambr. lib. 5. Sacram. c. 4. ſer. 26. ſuper Ioan. & Ambroſ. ſuper epiſt. ad Cor. c. 11.*

QVid autem partes illæ ſignificent, Sergius Papa tradit inquiens, Triforme eſt corpus Chriſti. Pars oblata in calicem miſſa, corpus Chriſti, quod iam ſurrexit, monſtrat: pars comeſta, ambulans adhuc ſuper terram: pars in altari vſque ad finem miſſæ remanens, corpus iacens in ſepulchro ſignificat: quia vſque in finem ſæculi corpora Sanctorum in ſepulchris erunt. Et ſicut partes illæ myſticam tenent ſignificationem, ita etiam & fractio paſſionis Chriſti, & mortis eſt repræſentatio; vnde ipſe ait, Hoc facite in meam commemorationem, id eſt, in memoriam paſſionis & mortis meæ. Nam, vt ait Ambroſius, [Quia in morte Chriſti liberati ſumus, huius in edendo & bibendo carnem & ſanguinem, memores eſſe debemus.] Sed caueat quiſque ne indignè percipiat, quia iudicium ſibi manducat. [Non enim eſt iſte panis qui vadit in corpus, ſed panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Sic ergo viue, vt quotidie merearis accipere,] [nec accedas indignus. Indignus eſt, qui aliter celebrat myſterium, quàm Chriſtus tradidit,] vel qui habens mortale peccatum accedit. [Ergo etſi ſint peccata quotidiana, vel non ſint mortifera, antequam accedas, dimitte debitoribus tuis. Si dimittis, dimittetur tibi: & ſic ſecurus accede. Panis enim ſalutaris eſt, non venenum. Si ita accedis, ſpiritualiter manducas: ſpiritualiter enim manducat, qui innocentiam ad altare portat.]

## *Si illud ſit ſacrificium, etſi ſæpiùs immoletur Chriſtus.*

G *Ad Heb. 7. d. ſup. Pſal. 21. in præf. ad 2. expoſ. & hab. de conſecr. diſt. 2. c.* Semel.

POſt hæc quæritur, Si quod gerit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificium, vel immolatio: & ſi Chriſtus quotidie immoletur, vel ſemel tantùm immolatus ſit? Ad hoc breuiter dici poteſt illud quod offertur & conſecratur à Sacerdote, vocari ſacrificium & oblationem: quia memoria eſt, & repræſentatio veri ſacrificij, & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et ſemel Chriſtus mortuus in cruce eſt, ibíque immolatus eſt in ſemetipſo: quotidie autem immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius, quod factum eſt ſemel.] Vnde Auguſtinus, [Certum habemus, quia Chriſtus reſurgens ex mortuis, iam non moritur, &c. tamen ne obliuiſcamur quod ſemel factum eſt, in memoria noſtra omni anno fit, ſcilicet quoties Paſcha celebratur. Nunquid toties Chriſtus occiditur? ſed * tantùm anniuerſaria recordatio repræſentat quod olim factum eſt: & ſic nos facit moueri, tanquam videamus Dominum in crucé.] Item, [Semel immolatus eſt Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in Sacramento. Quod ſic intelligendum eſt, quia in manifeſtatione corporis, & diſtinctione membrorum ſemel tantùm in cruce pependit, offerens ſe Deo Patri hoſtiam redemptionis efficacem, eorum ſcilicet, quos prædeſtinauit.] Item Chryſoſtomus, [In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens, quid ergo nos? Nónne per ſingulos dies offerimus? Etſi quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit: & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel immolatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum ſemper, idipſum offertur: proinde hoc idem eſt ſacrificium. Alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? non, ſed vnus vbique eſt Chriſtus: & hîc plenus exiſtens, & illic plenus: ſicut quod vbique offertur, vnum eſt corpus, ita & vnum ſacrificium. Chriſtus hoſtiam

* *al.* Tamé, *Auguſt. ad Bon. epiſt. 23. & hab. de conſecr. diſt. 2. c.* Semel immolatus. *Super epiſt. ad Hebr. 10. hom. 17. & allegatur de conſecr. diſt. 2. cap.* Vt Chriſto.

obtulit

obtulit: ipſam offerimus & nunc: ſed quod nos agimus, recordatio eſt ſacrificij. ] Nec cauſa ſuæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominem: ſed noſtræ, quia quotidie peccamus. Ex his colligitur eſſe ſacrificium & dici, quod agitur in altari; & Chriſtum ſemel oblatum, & quotidie offerri: ſed aliter tunc, aliter nunc. Et etiam quæ ſit virtus huius Sacramenti oſtenditur: remiſſio ſcilicet peccatorum venialium, & perfectio virtutis.

## *De cauſa inſtitutionis.*

INſtitutum eſt enim hoc Sacramentum duabus de cauſis. In augmentum virtutis, ſcilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis. Vnde Ambroſius, [ Si quoties effunditur ſanguis Chriſti, in remiſſionem peccatorum effunditur, debeo ſemper accipere, qui ſemper pecco, debeo ſemper habere medicinam. ] Item Auguſtinus, [ Iteratur quotidie hæc oblatio, licèt Chriſtus ſemel ſit paſſus: quia quotidie peccamus peccatis, ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt. Et quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus myſticè immolatur pro nobis. ] [ Dedit enim nobis hoc Sacramentum ſalutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non poteſt, per hoc Sacramentum remiſſionem conſequamur. Quotidie comeditur ipſe & bibitur in veritate, ſed integer & viuus manet. ] Item, [ Myſterium fidei dicitur: quia credere debes, quòd ibi ſalus noſtra conſiſtat. ] Si autem quæratur, Vtrùm quotidie communicandum ſit? Audi quid inde tradit Auguſtinus, [ Quotidie, inquit, Euchariſtiam accipere, nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi eſt, grauari magis dico in Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari. Et licèt quis peccato mordeatur, ſi peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & ſatisfaciat lacrymis & orationibus, accedat ſecurus: ſed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non grauant. Si verò non frequentiùs, ſaltem ter in anno homines communicent, niſi fortè quis criminalibus impediatur: in Paſcha ſcilicet, & Pentecoſte, & in Natali. Omnes ergo communicent, qui noluerint carere Eccleſiaſticis liminibus. ]

*H*

*De virtute Sacramẽti, lib. de Sacram. 4. c. 6. Ex ſerm. de Sacram. altaris. Vtrùm ſub figura lib. 4. contra duas epiſt. Pelag. c. 10. & lib. de verbis Dom. ſerm. 28. & de conſecr. diſt. 2. c.* Quid ſit ſanguis. *Lib. de Eccleſ. dogm. c. 53. tom. 3. & de conſecr. diſt. 2.* Quotidie. *Fabianus Papa de cõſecr. diſt. 2. c.* Si non, *& ibi. cap.* Peracta, *& de conſecr. diſt. 1. cap.* Epiſcop.

---

IN iſta * diſtinctione determinat Magiſter de his, quæ remanent poſt conſecrationem Euchariſtiæ: & diuiditur in duo. Primò enim determinat de *eſſe* illorum accidentium, quæ remanent ibi ſine ſubiecto.

Secundò, de quadam tranſmutatione facta circa illa accidentia, ſcilicet fractione hoſtiæ in partes, ibi, [ *Solet etiam quæri.* ] Et iuxta illud incidenter determinat de ſignificatione illarum partium, in quas frangitur hoſtia, ibi, [ *Quid autem partes illæ figurant.* ] Sequitur illa pars: [ *Poſt hoc quæritur.* ] Quæ poteſt poni incidentalis in iſta diſtinctione, vel principaliter diuiſa contra totam præcedentem partem. In iſta enim determinat de Euchariſtia ſub ratione ſacrificij, poſtquam determinauit priùs de ea ſub ratione Sacramenti. Et iſta habet principalem, & incidentalem: quæ diuiditur in duas, quarum prima pars eſt de inſtitutione huius Sacramenti, & ſacrificij, ibi, [ *Vt inſtitutum eſt.* Secunda de perceptione, ibi, [ *Si autem requiratur.* ]

Circa iſtam diſtinctionem quærendum eſt principaliter de accidentibus remanentibus ſine ſubiecto, & ibi tria. Primò, de *eſſe* iſtorum accidentium. Secundò, de actionibus. Tertiò, de tranſmutatione circa ipſa. Circa primum quæruntur duo. Primò, an in Euchariſtia ſit aliquod accidens ſine ſubiecto? Secundò, an quodcumque accidens remanens ſit ſine ſubiecto?

## COMMENTARIVS.

a

*Diuiſio diſtinctionis in tres articulos principales.*

IN hac diſtinctione agitur de iis, quæ remanent poſt conuerſionem panis & vini; nempe de accidentibus ſeparatis: diuiditur à Doctore in tres articulos principales. Primus eſt de *eſſe* ipſorum accidentium, & continet duas quæſtiones; prima eſt, an aliquod accidens in Euchariſtia ſit ſine ſubiecto? ſecunda, an omnia ſint ſine ſubiecto? Secundus articulus eſt de actione, quæ conuenit accidentibus in Euchariſtia; & continet vnam tantùm quæſtionem: nempe, an omnis actio, quæ illis conueniebat aliàs in ſubiecto, conueniat etiam extra ſubiectum? Tertius articulus eſt circa tranſmutationem, quæ fieri poteſt circa eadem, & abſoluitur tribus quæſtionibus: prima eſt, quæ in ordine diſtinctionis eſt quarta; vtrùm neceſſarium ſit eandem quantitatem manere reſpectiuè ad tranſmutationem factam ab agente creato? Secunda quæ eſt in ordine quinta; an poſſint corrumpi? Tertia quæ eſt vltima in ordine; an corruptis accidentibus ſuccedat diuinâ actione ſubſtantia aliqua? & ſic abſoluitur hæc diſtinctio ſex quæſtionibus. *Continet ſex quæſtiones.*

---

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm in Euchariſtia ſit aliquod accidens ſine ſubiecto?*

Alenſis 4.*part.quæſt.*40.*memb.*1.*per tres art.* D.Bonau.*hic art.*1.*quæſt.*1.*&* 3.Richard.*art.*1.*q.*1.*&* 2. Baſſol. *quæſt.*1. D.Thom.*q.*1.*art.*1.*&* 3.*part.q.*77.*art.*1. Suarez 3.*part.tom.*3.*diſp.*56.*Vide Scot.*7.*Metaph.q.*4.6. *&* 9.*Metaphyſ.q.*3.4. *&* 1.*Phyſic.quæſt.*7.

1 *Argum.*1.

AD primum [b], argnitur quòd non, quia ſicut ſubſtantiæ conuenit eſſe per ſe, ſic accidenti eſſe in alio. Hoc probatur, quia ens diuiditur in ens per ſe, & in ens in alio: & primum membrum conuenit ſubſtantiæ, & ſecundum accidenti: ſed impoſſibile eſt eſſe ſubſtantiam, & non eſſe per ſe, ſiue eſſe in alio: quia quod verè eſt, nulli accidit, 1. *Phyſic.* ergo impoſſibile eſt eſſe accidens, & eſſe per ſe, vel non eſſe in alio. *Text.*27.

*Argum.*2. *Text.*16. *Text.*4. Secundò ſic, Poſterius eſſentialiter non poteſt eſſe ſine priori eſſentialiter, 5. *Metaphyſ. cap. de Priori:* ſed accidens eſt poſterius eſſentialiter ſubſtantia, *ex* 7. *Metaphyſ.* quia ſubſtantia eſt principium omnium entium cognitione, & tempore: ergo impoſſibile eſt accidens eſſe ſine ſubſtantia, cuius eſt accidens.

*Argum.*3. *Text.*14.*& ſeqq.* Tertiò ſic, impoſſibile eſt definitum eſſe ſine definitione: & per conſequens ſine quocumque definiente ipſum: ſed ſubſtantia definit accidens, *ex* 7. *Metaphyſ. cap.*3. ergo, &c. Si dicas, maior eſt vera de definiente pertinente ad quiditatem definiti, non autem de illo quod definit, vt additum, ſic autem ſubſtantia definit accidens. Contrà, impoſſibile eſt, & incompoſſibile relatiuum eſſe ſine correlatiuo, tunc enim relatiuum non eſſet relatiuum: & tamen correlatiuum definit relatiuum, non vt aliquid de quiditate eius, ſed vt additum: ergo maior eſt vera de definiente, vt additum.

2 Hoc etiam confirmatur, quia ſi ad definitionem alicuius creaturæ pertineret ipſe Deus, non pertineret, niſi vt additum, & contradictio eſſet, quòd definitum eſſet ſine iſto addito: nunc autem ſecundùm Philoſophos ſubſtantia eſt cauſa ſimpliciter neceſſaria accidentis, ſicut Deus creaturæ, & propter iſtam neceſſitatem cauſandi cadit in definitione accidentis, ſicut tale additum, ſcilicet ſimpliciter neceſſarium: ergo, &c.

*Cap. de Subſtantia.* Item, in Prædicamentis, album, & albedo idem ſignificant: quia album ſolam qualitatem ſignificat: ergo eodem modo quantitas, & quantum: ſed impoſſibile eſt eſſe quantum, niſi ſit aliquod ſubiectum, cui quantitas conueniat: ergo eſt impoſſibile quantitatem eſſe ſine ſubiecto. Confirmatur, quia quando aliqua ſunt omnino eadem, vnum non poteſt eſſe ſine alio: huiuſmodi ſunt quantitas, & quantum.

*De conſecr. diſt.* 2. *cap.* Sanguis, *c.* Hoc eſt, *cap.* Vtrùm ſub figura. Oppoſitum dicitur in litera, & auctoritates Sanctorum, quæ adductæ ſunt *diſt.preced.* Item per rationem: Accidentia panis manent; patet ad ſenſum: & non afficiunt corpus Chriſti, quia illud non eſt quantum hac quantitate, ſed multò magis, nec figuratum hac figurâ, ſed figurâ corporis humani: nec eſt coloratum hoc colore, ſed colore conueniente corpori humano: nec afficiunt aërem: quia aër non eſt capax iſtorum accidentium, cùm iſta ſint accidentia corporis mixti, & repugnantia elemento: nec afficiunt ſubſtantiam panis, quia illa non manet, vt patet ex prædictis: ergo ſunt ſine ſubiecto.

## COMMENTARIVS.

1 b *AD primum arguitur*, &c. Hic agitur de possibilitate separationis accidentium, & de causa per se essendi eorum. In primis suppono manere accidentia aliqua panis, & vini realiter, & Physicè ex Tridentino, Florentino, & Lateranensi, ex doctrina Patrum, & Scholasticorum, de hoc Sacramento. Notatur Petrus de Aliaco in eo, quòd dixerit sensibus non satis iudicari an accidentia remanentia sint vera, vel apparentia, possèque probabiliter negari esse vera. Sed hoc absurdissimum est, nullum scilicet argumentum ab experientia sensus esse validum, quia destrueret plurima principia in quacunque doctrina & facultate: & illa sententia est contra præfatorum Conciliorum, & Patrum doctrinam.

*Petrus de Aliaco notatur.*

*Experientia probatur.*

*Quantitas à substantia distinguitur.*

Suppono secundò quantitatem distingui realiter à substantia, ac proinde hîc eam manere contra Nominales, quia hîc disputare non expedit de hac quæstione.

Suppono tertiò, quamuis Concilia, & Scholastici præcipuè hîc agant de accidentibus sensibilibus, quibus conuenit esse signum sacramentale, neque multùm curasse antiquos de aliis, si quæ sint insensibilia accidentia: idem iudicium esse vtriusque, nempe manere, quia manente quantitate, in qua fundantur, & reliquis qualitatibus sensibilibus, non subest magna ratio dubitandi, quia desitio illorum ex natura mysterij non requiritur, neque etiam Physicè, & magis facit illorum permanentia ad saluandam conuersionem, quæ dicitur substantiæ panis & vini in Christum, manentibus iisdem accidentibus: quidquid ergo inest substantiæ mediante quantitate, manet post consecrationem, alia tamen, vt respectus, qui fundantur in substantia immediatè ratione actionis passionis, aut ex natura rei ratione suiipsius, desinente substantiâ non remanent, quia neque manere possunt, neque faciunt ad mysterium: verbi gratiâ præsentia eius entitatiua, identitas cum alia substantia, & diuersitas, & eiusmodi.

*Manere etiã insensibilia accidentia in quantitate.*

*Quædam etiam desinũt.*

Suppono quartò, accidentia absoluta distincta realiter posse separari à subiecto, & realiter separata conseruari contra D. Thomam *de ente & essentia*, vbi docet, & cum illo etiam Caietanus ibidem, non posse duas albedines numero diuersas creari, aut conseruari seorsim à subiecto: quia nempe subiectum est principium indiuiduationis; indiuiduo autem solùm competit produci, & conseruari. Hoc fundamentum negamus, & id quod sequitur.

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thom. & aliorum, Deum dare nouum* esse *accidenti separato à subiecto, per quod subsistat: refutatur efficaciter quinque rationibus claris in litera.*

Hîc c dicitur, quòd cùm vnius compositi sit tantùm vnum *esse*, illud *esse* ex consequenti, & per accidens est cuiuslibet accidentis illius totius; & per consequens si separetur accidens à subiecto, Deus dat sibi nouum *esse*: quia non potest nunc habere *esse* totius cui priùs accidebat. 3

*Vide Alex. hîc, & Var. q. præsenti. D. Tho. hîc art. 1. q 1. & 3. p. q. 77. art. 1. In 1. dist. 36. & in 3. dist. 6. q. 1.*

Contra hoc, vnumquodque, quod est extra causam suam, & intellectum, sicut habet entitatem propriam, ita & proprium *esse*: ergo si accidens habet propriam entitatem essentialem extra subiectum, & intellectum, habet & proprium *esse*: & ita non est formaliter per *esse* subiecti. Prima propositio supponitur hîc tanquam plana, alibi enim declaratur de *esse*, & essentia.

Item, formam esse in materia de necessitate arguit compositum esse, ita quòd impossibile est ponere primum sine secundo: sed per aliquam transmutationem naturalem forma est in materia, vt per alterationem, vel augmentationem: ergo per illam, & ab eodem agente compositum ex subiecto, & accidente habet *esse* formale illius accidentis. Sed non habet *esse* formaliter illius subiecti: quia illud præfuit ante mutationem: ergo, &c.

Item, si accidens quando separatur, habet nouum *esse*, oportet ibi ponere aliquam transmutationem à carentia illius *esse*, ad istud *esse*: sed hoc est impossibile: primò, quia non potest poni, quæ sit ista mutatio: non enim est generatio, quia accidens non est subiectum generationis: nec est augmentatio, nec alteratio, quia non acquiritur quantitas, nec qualitas per istam mutationem; quia tunc vel qualitas esset subiectum augmentationis, vel alterationis, cuius *esse* acquiritur, vel esset qualitas, & quantitas, & sic de isto posset argui in infinitum.

*Si accidens separatum acciperet esse per se, non esset per generationẽ, alterationẽ, vel creationem, &c. Esse per se in accidẽte, est accidens, vel substantia.*

Item, *esse* illud nouum, quia non est formaliter esse diuinum, aut est propriè substantia, vel accidens, vel neutrum: si in genere substantiæ; erit independens, & per consequens non erit formaliter *esse* alicuius accidentis: quia nullum accidens potest esse formaliter independens, vel per se esse. Si in genere accidentis, quomodocunque per reductionem erit æquè dependens cum forma cuius est: & per consequens per illud *esse* formaliter non erit illud, cuius est ens independens.

Aliter dicitur, quòd quando accidens separatur à subiecto, Deus dat sibi quan- 4

*Hēr. quodl. 4. q. 36.*

dam virtutem ſupernaturalem, per quam virtutem poteſt per ſe eſſe, licèt ſine ea non poſſet.

Contra iſtud ſecundum arguitur, ſicut contra præcedens, ad minùs quantùm ad duo vltima argumenta: quia iſta virtus aduenies eſt terminus alicuius mutationis: quæro cuius? Iſta etiam pertinebit ad aliquod genus: quæro ad quod? & arguitur vt priùs.

*An naturale ſit iuſto elicere actus virtutum infuſarum.*

Item, licèt aliqua virtus ſupernaturalis detur alicui, tamen poſtquam ineſt, naturale eſt habenti eam habere, vel poſſe habere illud ad quod eſt illa virtus: ſicut cæcus, licèt ſupernaturaliter illuminetur, tamen iliuminatus naturaliter videt: ergo licèt eſſet miraculum in primo inſtanti conſeruationis iſtorum accidentium ſine ſubiecto, quia tunc confertur accidenti iſta virtus: tamen poſtea per iſtam virtutem erit naturaliter ſine ſubiecto.

*Eſſe per ſe repugnat accidenti, ſicut eſſe in alio, ſubſtantiæ.*

Item, impoſſibile eſt ſubſtantiam accipere aliquam virtutem, per quam dependeat ad aliquod, vt ſibi inhærens: ergo impoſſibile eſt accidens recipere virtutem, per quam ſit per ſe ens abſolutum ab omni inhærentia ad aliud. Probatur conſequentia, quia iſta per ſe eſſe, & inhærere, æquè appropriantur iſtis, ſcilicet ſubſtantiæ, & accidenti, hoc huic, & illud illi.

## COMMENTARIVS.

2

*Duplex opinio de perfectione accidentium.*

Hic dicitur, &c. In hoc paragrapho impugnat Doctor duas opiniones; quarum prima dicit accidens ſeparatum à ſubiecto recipere nouum *eſſe*: ſecunda verò dicit illud *eſſe* virtutem quandam ſupernaturalem, qua datur ipſi *eſſe* per ſe: vterque tamen modus dicendi in reipſa non plurimùm differunt, & impugnatione ſunt coniuncti, licèt ex diuerſo fundamento explicentur: in hoc ergo conueniunt, quòd accidenti ſeparato tribuant aliquid poſitiuum, per quod per ſe eſt, quem modum eſſendi appellant perfectatem ab effectu.

D. Thom.

D. Thomas *3. part. quæſt. 77. art. 1. ad 4. & art. 1. ad 1.* dicit dari accidentibus diuinitus vt ſint per ſe, & *in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 2.* vocat hunc modum ſubſiſtentiam: & ita Caietanus *ſuprà*. Ferrarienſis *contra Gentes, cap. 66.* Richardus *diſt. 12. art. 14.* Suarez *diſp. 56. ſect. 2.* Idem vt probabile tenet Vaſquez *diſp. 184. cap. 2.* qui in hoc diſtinguit perfectatem ſubſtantiæ à modo illo ſupernaturali accidentium, quòd ſubſtantiæ conueniat negatio eſſendi in alio per ſuam exiſtentiam, tanquam per cauſam, accidentibus non ita, quia primùm ſeparantur ab effectu virtute cauſæ efficientis, antequam acquirant talem modum eſſendi.

Caietan. Ferrar. Richardus. Suarez. Vaſquez.

*Differentia inter perfectatem ſubſtantia, & accidentium.*

*Effectus varij illius perfectatis.*

Caietanus dicit, quòd per illum modum eſſendi in ſe, ſeu per ſe, acquirunt accidentia, vt extra ſubiectum æquè naturaliter maneant, & conſeruentur, ſicut ſi eſſent in ſubſtantia. Deinde conſtitui vnum principium vt *quod* ex illo modo, & dimenſionibus, non minùs, quàm ſi adeſſet ſubſtantia. Tertiò, per talem modum quantitatem habere rationem, & virtutem materiæ, vt ſubiiciatur actioni agentis naturalis: quam doctrinam deſumpſit ex Henrico. Addunt Suarez, & Vaſquez aliam eſſe actionem, quâ Deus conſeruabat quantitatem in ſubiecto, aliam quâ conſeruat extra ſubiectum, quia fuit illa per modum eductionis, hæc autem per modum creationis. Addunt præterea dicti authores, cætera accidentia non recipere modum aliquem perfectatis, quia inhærent quantitati, & conſequenter non mutantur per conſecrationem.

3

*Impugnatio primi modi dicendi.*

Primum modum dicendi, vt iacet in litera, impugnat Doctor quatuor rationibus, quarum duæ directè pugnant contra primum membrum eius, quo dicitur *eſſe* accidentis eſſe illud, quod eſt ſubiecti, vel eius in quo eſt. Quod improbat primò deſumptâ ratione ex cauſa formali, quæ eſt exiſtentia, quâ aliquid conſtituitur in actu extra ſuam cauſam, & intellectum: ita exiſtit accidens in ſubiecto per *eſſe* proprium, per quod accidit ſubiecto, & ab eo diſtinguitur, ſicut forma eius realis.

*Prima ratio ab actualitate, & effectu formali exiſtentiæ.*

Secunda ratio eſt à cauſa efficiente, quâ ſubiectum tranſmutatur per actionem nouam, quæ eſt ad *eſſe* nouum formæ accidentalis, alterando, vel augmentando ſubiectum præexiſtens, quâ actione ipſum ſubiectum non recipit eſſe, vt planum eſt, quia ſupponitur ad actionem agentis, & ad terminum eius, & virtute alterius agentis, à quo recepit *eſſe* ſubſtantiale, non huius, quod communicat tantùm accidentale *eſſe*.

*Secũda ratio ab efficiente, & actione.*

4

*Non dari eſſe nouum poſitiuum accidentibus.*

*Prima ratio.*

Secundum membrum prioris opinionis eſt, ſeparato *eſſe* antiquo, dari aliquod nouum *eſſe*, & intelligitur de *eſſe* poſitiuo. Contrà Doctor vrget alias duas rationes, quæ ſunt in ordine tertia, & quarta: primò ſupponendo illud *eſſe* non eſſe relatiuum, ſed abſolutum, quia accidens ſeparatum non exiſtit dependenter ad aliquem terminum extrinſecum, à quo reciperet *eſſe*, cùm nullum talem habere poſſit, præter ſubiectum, quo caret: & ſententia hæc ſupponit *eſſe* illud nouum eſſe perfectatem, qua tollit ordinem ad extrinſecum.

*Repugnãtia ex impoſſibilitate mutationis ad illud* eſſe.

Illud ergo *eſſe* nouum eſt terminus alicuius tranſmutationis nouæ, quia ineſt accidenti tanquam ſubiecto, & fit de nouo, ſeparato accidente: hoc autem impoſſibile eſt, tam ex parte tranſmutationis, quàm ex parte termini, quia illa nequit eſſe generatio, quia hæc non recipitur in accidente; non eſt alteratio, quia hæc non recipitur in qualitate; non eſt augmentatio, quia hæc nequit recipi in qualitate, aut quantitate, cùm ſupponat ſubiectum priùs natura vtraque. Ex parte termini nequit eſſe ſubſtantia, quia hæc non recipitur in accidente; non eſt qualitas, aut quantitas, quia hæ non poſſunt dare perfectatem, cùm ipſæ per ſe non ſubſiſtant: & eadem ratio eſt de ipſis, ac de prioribus, quæ ſeparantur. De ipſis quæritur quomodo ſunt? ſi dicas per ſe, hoc idem dicendum erit de præſuppoſitis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei: ſi dicas contrarium, quæritur per quod habent *eſſe* ſeparatum, & ſic in infinitum.

*Ex negatione ſpecierum ſimul ad negationem generis.*

Secunda

5 *Responsio esse modum.*

Secunda ratio ad idem reducitur: hæ rationes eluduntur à modernis, qui in obscuritate termini subterfugiunt difficultatem, dicendo esse modum quendam. Sed contrà, est terminus actionis nouæ, & diuersæ ab illa, quâ subiectum priùs productum fuit: ergo est entitas aliqua etiam absoluta, & per se existens, prout existentia competit. Patet consequentia, quia entis tantùm est posse produci, esse, & terminare actionem: quòd autem hic modus afficiat accidens, non obstat, quia ipsum in se est perfectius ens, & *esse*, quàm sit accidens: nec resultat ex natura accidentis, quidquid dixerint aliqui, quia sic non esset supernaturale, & sicut accidens nequit se vnire subiecto, minùs habet in virtute sua perfectatem essendi, tanquam ex natura rei resultantem, aliàs non exigeret essentialiter connaturaliter esse in subiecto; imò hoc ipsi repugnaret, si ex natura eius resultare posset perfectas essendi: nihil enim ex natura sua primò ordinatur ad contrarios modos essendi.

*Impugnatur.*

*Entia tàtùm est terminare actionem.*

*Nequit resultare ex natura rei.*

*Nihil ex natura rei ordinatur ad oppositos modos essendi.*

Sicut ergo hæc liberè finguntur, ita etiam de facili impugnantur, quando reducuntur ad aliquod fundamentum determinatum, & tollitur ambiguitas proportionis, & analogiæ ad diuersa entia, quæ ad nihil aliud deseruit, quàm vt ex diuersis proprietatibus entium fiat vna mixtio diuersorum, quæ tam inter se repugnant, quàm naturæ, ex quibus mutuantur, & totum reducitur ad verba deficiente probatione. Oportet ergo productionem illius modi absoluti reducere ad aliquam productionem, quod repugnat.

*Accidens conseruari posse separatim supernaturaliter.*

Alterum modum explicandi hanc sententiam impugnat Doctor ex duabus rationibus vltimò præmissis; addit præterea, dato illo modo connaturale esse accidenti, vt existat separatim, sicut cæco supernaturaliter illuminato videre: hoc autem videtur inconueniens, quia accidentia non solùm supernaturaliter separantur, sed etiam conseruantur separata. Consequentia tamen tenet, quia illa virtus communicata habet ex natura sua, ita conferuare accidens, sicut oculus illuminatus videre: ergo miraculum solum erit in collatione virtutis, non autem in effectu eius.

Secunda ratio est, quia nequit *esse* accidentis communicari substantiæ, vt inhæreat: ergo etiam neque existentia per se, quæ competit substantiæ, communicari accidenti.

6 *Conclusio Doctoris.*

Ex his rationibus Doctoris sequitur *conclusio negatiua*: accidentia scilicet separata non habere *esse* per se positiuè per aliquid superadditum, neque habere posse. Hanc tenet *resp. ad 2. & quæst. 6.* respectiuè ad primum, quem sequuntur eius discipuli iisdem in locis: fauet Richardus hîc *art. 1. quæst. 2.* Paludanus *quæst. 1. & 3.* Sotus *dist. 10. quæst. 2. art. 2.* eámque tenet Bellarminus *lib. 3. de Euchar. cap. 24.* Gregorius à Valentia *dist. 6. quæst. 5. puncto 1*, Cornexus *in D. Thomam tom. 2. tract. 4. dist. vnica de accidentibus separatis dubio 5.* Suppositis autem pro fundamento rationibus præmissis Doctoris.

*Richardus. Paludanus. Sotus. Bellarm.*

*Cornexus.*

*Probatio conclusionis ex præmissis fundamentis.*

Primò probatur, quia non est aliquod fundamentum ab experientia ratione à priori, aut posteriori, aut ex fide vrgens dari illum modum positiuum perfectatis in quantitate, & omnia saluantur, quæ fides, & ratio exigit sine tali modo, qui superaddit nouam difficultatem mysterio credibili: ergo fruſtrà fingitur. Patet consequentia, quia non sunt obscuranda mysteria, sine necessitate, neque addenda sunt superflua. Maior probatur ab experientia non esse fundamentum: patet, quia quoad sensum manet omnino idem *esse* quantitatis, figura, dimensiones, & reliqua eadem, aliàs sensus deprehenderet talem mutationem fieri, & colligeret non adesse substantiam panis: ergo, &c.

*Obscurat mysterium, fruſtrà, & sine fundamento effertur.*

*Experientia non fauet.*

Nulla etiam ratio à priori cogit ad hoc, quia neque talis modus ad *esse*, *agere*, aut *pati* quantitatis, exigitur: non ad *esse*, quia Deus potest conseruare quantitatem, absque tali modo separatam à subiecto, vt concedunt plerique aduersariorum: & probatur, quia dependentia formæ absolutæ à causa extrinseca, & contingens, potest suppleri à causa prima; talis est dependentia quantitatis à materia, vel subiecto: ergo, &c. Minor patet, quia talis est dependentia formæ ad subiectum qualiter cum subiecto constituit aliquod *esse*. Sed quantitas cum subiecto constituit *esse* tantùm per accidens: ergo ordo extremorum ad inuicem erit ordo per accidens, ac proinde à causa prima potest suppleri. Patet, quia creare potest quantitatem extra subiectum.

*Nõ fauet ratio à priori.*

*Dependentia cõtingens formæ absolutæ suppletur à prima causa.*

*Dependentia à subiecto contingens.*

Dices, id posse tribuendo ipsi modum perfectatis positiuum. Contrà, plerique moderni admittunt antecedens, & probatur: non debetur naturaliter talis modus quantitati, aut talis existentia; deinde non recipit à subiecto existere per se, sed separando ipsum à subiecto, nihil aliud requiritur præter hoc, quod est supplere concursum subiecti, & quem exigit natura eius: Deus potest hoc præstare per influxum actionis sine aliqua alia causa interueniente, aut forma diuersa ab ipsa actione, quam non exigit naturaliter: ergo, &c.

7 *Responsio. Impugnatur.*

*Accidens à subiecto non est per se.*

Confirmatur, existentia quantitatis est absoluta, & prior omni modo essendi, & non dicit ordinem essentialem, & actualem ad aliud: si diceret, tantùm diceret ad illud, quod conuenit ipsi naturaliter, vt distinguitur à substantia in modo essendi, inhærendo in subiecto: vel ergo sententia opposita ponit impossibilitatem separationis eius à subiecto, vel certè sequitur posse esse sine tali modo in sua propria existentia separatum, & hoc per actionem, quæ terminatur ad ipsum, quâ absolutum est ab omni ordine ad aliud: quia absolutum, quâ absolutum, non dicit ordinem ad aliud extra se, præter solam causam, sine qua nequit esse.

*Existentia quantitatis prior modo essendi.*

*Sic potest à Deo produci, & conseruari separata.*

Quòd neque à posteriori subsit ratio, patet, quia nullus hîc effectus probat talem modum essendi quantitatis, quia nulla apparet dependentia particularis ad ipsum: deinde ille effectus esset actio, aut passio, sed neque ex his, quia hæc sequuntur ad *esse* rei: sicut ergo potest poni in *esse* absolutè quantitas cum dependentia sui ad solam primam causam: sic etiam actio & passio erunt sufficienter terminata ad quantitatem, & qualitatem sic existentem; aliàs quando sunt in subiecto non possunt esse principium agendi, aut patiendi, quia sic non existunt per se, sed inhærent.

8 *Tollitur omnis ratio à posteriori.*

Dices, non esset principium *quod*, neque subiectum *quod*, sine tali modo. Contrà, hoc gratis dicitur, quia sicut anima separata est principium *quod* operandi, quæ fuit principium *quo* tantùm in homine, & corpore, absque eo quòd superadditur ipsi aliquis modus essendi positiuus, sic etiam quantitas: quia esse principium *quo*, & *quod* non sunt differentia principij in *esse*, sed secundùm denominationem.

*Responsio. Impugnatur.*

Quòd neque à fide suppetit ratio, patet, quia omnia

*Tollitur ratio, aut exigētia ex fide.*

omnia Concilia nihil aliud dicunt, quàm accidentia hîc esse separata sine subiecto: ex quo nihil sequitur ad propositum, quo astruatur ille modus positiuus. Quòd verò ingerat maiorem difficultatem mysterio, probabitur ratione sequenti.

9

*Secunda probatio cōclus.*

Secundò probatur, quia proprius modus essendi entis, vt condistinguitur ab alio, nequit conuenire alteri intrinsecè etiam supernaturaliter, sed sic conuenit existentia per se subsistantiæ, vt distinguitur ab accidente: ergo nequit huic communicari. Maior patet, quia alioquin non posset esse certum principium colligendi differentias rerum essentiales, quas colligunt Philosophi ex modis essendi, vnde colliguntur diuisiones Prædicamentorum secundùm eandem differentiam, neque aliter definiuntur substantia, & accidens, nisi in ordine ad modum essendi.

*Ex differētijs modorū essēdi per se.*

*Differentia rerum colligitur ex modis essendi.*

Præterea, hinc colligimus ex modo essendi materiam non posse actuare, aut formam supponi ad materiam recipiendo, quia materia existit per modum potentiæ: forma per modum actus. Quòd forma accidentalis nequeat facere vnum cum substantia per se, neque albedinem posse esse in Angelo, neque visionem in lapide, & similia, quæ colliguntur à posteriori à modis essendi particularibus, qui mutati non possunt: destruerentur autem, si accidens posset habere modum essendi substantiæ: quia sic dicam etiam substantiam posse habere modum essendi accidentis, vt inhæreat, quia non est maior repugnantia ex parte vnius, quàm alterius extremi, cùm accidens ab intrinseco exigat modum determinatum essendi, sicut substantia: ergo non magis dicit repugnantiam substantia ad inhærendum, quàm quantitas ad existendum per se.

10

*Ex vnitate per se, & per accidens.*

Deinde quantitas facit vnum per se cum sua perseitate, & non solùm per accidens, vel non; si non, patet non minùs esse separabilem ab ipsa, quàm à subiecto, & dependentiam non esse essentialem: si sic, ergo posset facere vnum cum substantia, cuius esset illa perseitas. Vnum dico per se saltem in ratione existentis *per sè*, ac proinde non minùs in ipsa suppositari poterit, quàm forma substantialis.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Si dicas illam existentiam per se communicatam quantitati, non esse modum essendi alicuius substantiæ connaturalem. Contrà, omnis modus essendi sequitur ad aliquod ens, cuius est proprius, quia modus essendi non excedit latitudinem essendi: ergo neque modus essendi per se latitudinem substantiæ, cuius ille est modus essendi: sicut modus essendi in alio non excedit latitudinem accidentis, quia modus non secus respicit modificatum, quàm proprietas subiectum: nam quidquid dicit dependentiam ex genere suo, respicit terminum dependentiæ.

*Modus essendi nō excedit latitudinem essendi.*

Dices dari modos supernaturales, vt est vnio hypostatica. Contrà, quia licèt hoc sit verum in relatiuis, non tamen in absolutis ab omni ordine: & loquor semper de intrinsecis, & positiuis, non autem negatiuis, aut extrinsecis. Ratio disparitatis est, quia ordo ad extrinsecum potest esse supernaturalis fundamento, vt est vnio hypostatica relatio præsentiæ sacramentalis in corpore Christi, quia nimirum subiectum per talem ordinem refertur ad extrinsecum, quod ipsi est supernaturale: modus autem positiuus intrinsecus, & absolutus ordinatur ad perfectionem formæ in secundum aliquem gradum in suo genere ipsi debitum, vt finitum in finitum, & eiusmodi.

*Disparitas inter absolutos, & relatiuos.*

11

*Modus in esse dependet à modificabili.*

Et quidquid sit de hoc, probatur in modis essendi non habere locum, quando sunt positiui, quia isti modi dicunt ordinem essentialem ad modificatum, & dependentiam: ergo sunt ipsi connaturales, quia forma essentialiter dependens ab alio, vt à subiecto, si absoluta est, videtur ipsi connaturalis, quia tota eius dependentia est terminata ad subiectum, & subiecti vicissim ad ipsam, vt ad terminum.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Dices idem probare vnionem hypostaticam esse connaturalem, quia dicit dependentiam similem ad subiectum. Contrà, non, quia vnio est relatio, & magis specificatur ad terminum, quàm ad fundamentum, sub qua ratione est supernaturalis simpliciter, & in ordine ad agens: fundamento autem inest potentia obedientialis respectu eius, quæ ipsi connaturalis est, & sic non erit supernaturale ipsi eam recipiendo terminare ipsius dependentiam, & naturale est vnioni dependere à subiecto, quamuis forma sit supernaturalis per respectum ad agens, & terminum: absolutus verò modus dicit dependentiam essentialem ad modificatum, quæ secundùm se totam ad ipsum est: ergo vt ad causam per se, ac proinde cùm dicat talem, vt ad subiectum, sequitur esse connaturalem.

*Differentia inter vnionē hypostaticā, & modū absolutum essendi.*

12

*Ratio hac insinuatur tantùm.*

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Quidquid sit de hac ratione, quæ aliquantulum obscura est, & requirit longiorem discussionem per examen plurium principiorum, cui nunc vacare non licet, sufficit eam mouere ex occasione discursus: nec valet respondere, quòd etiam sic dici possint formæ supernaturales ex obiecto connaturales, ex parte subiecti. Contrà, hoc nihil est: quia etsi formæ dependeant à subiecto, non adueniunt, vt perfectiones eius intra latitudinem sui *esse* naturalis debitæ (quod discurrendi causa iam permitto, non affirmo, quia aliud infra cum Doctore dicam) sed modus perfeitatis, vt distinguitur à forma, aduenit vt perfectio intra latitudinem essendi debitam rei modificatæ, & non extrahens ipsam extra proprium genus: & sicut modus est essentialiter posterior, ita modificabile essentialiter est prius modo: forma autem licèt dicat dependentiam à subiecto, illa est contingens, & per vnionem à sua entitate diuersam inest, non sic modus, sed seipso inest. Vis ergo rationis stat in hoc, quòd nihil secundùm se totum, quod est posterius essentialiter dependens tanquam à termino adæquato ab aliquo priori, & in sua entitate absolutum, est supernaturale: quia sicut adæquatè dependentia eius est ad prius, & sic talis ordo sit ipsi connaturalis: ita etiam quod est prius ex natura sua, habet terminare talem dependentiam in *esse*, aliàs non esset prius: hoc non competit formæ absolutæ; competit autem modo essendi intrinseco separabili. Cui hoc non placet, inueniat modum discernendi inter connaturale, & oppositum supernaturale ex ordine ad subiectum præcisè, in modis essendi.

*Ratio aliter deducitur.*

13

Probo intentum aliter: nullus est effectus talis modi in quantitate, qui non conuenit perfeitati substantiæ: ergo erit modus essendi connaturalis alicui substantiæ. Probo consequentiam, quia Deus posset producere substantiam sub illo modo: ergo tribueret ei omnem effectum, quem tribuit quantitati, quia substantia esset eius capax, & magis repugnat illum modum communicare

*Posset illa perfeitas cōmunicari substantiæ.*

quanti

quantitati, quàm ſubſtantiæ: vt per ſe patet, imò neceſſitas eius ponendi in propoſito eſt, vt tribuat modum eſſendi per ſe, qui conuenit ſubſtantiæ, quantitati: tunc ſicut priùs: ergo poteſt quantitas vniri per ſe, ſubſtantiæ, & ſubſiſtere eius ſubſiſtentia, & vniri hypoſtaticè immediatè eidē; ſed hoc repugnat: ergo communicare talem modum eſſendi quantitati ſeparatæ. Probatur ſubſumptum, quia etiam in eo caſu poſſet quantitas vniri ſubiecto ſubſtantiali, vt actus & forma: ſed hoc repugnat aliter, quàm per inhærentiam, & vt eſt forma accidentalis, & conſequenter eſſet per ſe, & eſſet in alio per inhærentiam, qui ſunt modi eſſendi oppoſiti.

*Quantitas poſſet vniri ſubiecto.*

*Probatur poſſibilitas huius vnionis.*

Quòd verò poſſet, & deberet actuare ſubiectum, patet, quia hic eſt effectus eius naturalis, neque impeditur per modum illum eſſendi, qui poſterior eſt ſuâ exiſtentiâ, & effectu, qui natus eſt conuenire formæ, neque proinde abſtrahit formam à ſuo genere, quin ſit quantitas naturaliter receptibilis in ſubiectum.

14 *Reſponſio. Impugnatio.*

Dices quantitatem non poſſe in ſubiecto eſſe, niſi per inhærentiam vniatur, qui modus eſſendi repugnat quantitati, quà per ſe exiſtens eſt. Contrà, inde ſequitur talem modum eſſendi repugnare quantitati, quia repugnat formæ modus eſſendi, qui repugnat eius effectui per ſe: effectus autem per ſe eius eſt eſſe in ſubiecto, vt forma accidentalis eius.

*Perfeitas dicit oppoſitionē ad naturam formæ, vt inclinatur ad ſubiectum.*

Deinde exiſtentia per ſe formæ ſubſtantialis non impedit eius effectum, vt animæ, aut alterius formæ etiam dependentis à materia, ſi creatur à Deo, non dependet in exiſtentia à materia, cui tamen ineſſe poteſt: ergo ſimiliter modus ille eſſendi quantitatis, quà talis, non repugnat præcisè effectui eius in ſubiecto, ſed repugnat ſimpliciter, quia repugnat ineſſe, niſi vt forma accidentalis, ſed ſi faceret vnum per ſe cum ſubiecto, repugnaret eſſe formam accidentalem, quia facere vnum per ſe in ratione ſubſiſtentis intrinſecè inter formam, & ſubiectum ſupponit vnitatem aliam eorum per ſe in ratione actus per ſe, & potentiæ per ſe; quia nulla potentia, & actualitate conueniunt in vnitatem ſuppoſiti, niſi quæ ſunt partes per ſe totius: ergo cùm hoc repugnet quantitati, repugnat etiam eidem eſſe per ſe.

15 *Tertia ratio principalis.*

Tertiò principaliter probatur concluſio: non minùs eſſentialiter dependet qualitas à ſubſtantia, quàm quantitas, & hanc dependentiam eius ſupponunt Concilia aſſerentia accidentia eſſe ſine ſubiecto, & ſupponunt omnes Philoſophi, quia qualitas eſt diſpoſitio formæ ſubſtantialis inducendæ, & conſeruandæ, & principium agendi, & dat ſuum effectum ſubſtantiæ primariò: vnde quamuis in opinione eorum, qui dicunt quantitatem ineſſe materiæ primæ, eadem quantitas numero manet in genito, & corrupto; tamen qualitas eadem non manet, verbi gratiâ, frigus in aqua, calor in igne, & ſic de reliquis, quæ deſinunt cum forma ſubſtantiali, quòd probat eorum dependentia ab eadem forma: vnde formæ perfectiores ſubſtantiales habent etiam perfectiores qualitates: ſed ad terminandam hanc dependentiam non datur ſecundùm ipſos aliquis modus poſitiuus per ſe in qualitate: ergo neque in quantitate.

*Qualitas vt eſt ſeparata ſequitur ſubſtantiam.*

*Qualitas non recipit perfeitatem.*

16 *Confirmatur.*

Confirmatur, quantitati non debetur talis modus eſſendi vt ſit, quia eſt accidens ex natura ſua, cui non debetur exiſtere per ſe, & facile poteſt intelligi in ſua exiſtentia abſoluta conſeruari à Deo, ſine aliquo modo ſuperaddito: & hoc ipſi eſt magis connaturale, neque ad illos effectus requiritur, quos vult Caietanus, nempe vt naturaliter conſeruaretur per illum modum, qui ſupernaturalis eſt, & non violentè, quia exiſtentiam eius ſupponit ille modus, quam habet ab actione diuina conſeruante: neque ille modus tollit violentiam, quia non tollit appetitum eius ad ſubiectum, quà forma eſt, neque actuat illum appetitum, quia non ſe habet per modum ſubiecti eius, neque dat ipſi, vt poſſit eſſe ſubiectum reſpectu aliorum, & tranſmutationum, quæ contingunt, vt ipſe fingit, quia hoc conuenit quantitati per ſuam exiſtentiam naturalem, & extenſam, ſicut etiam coniuncta habet eſſe ſubiectum, quo aliorum, quamuis inſit per modum accidentis, & non per ſe exiſtentis: neque ille modus excuſat miracula, quia nihil tribuit quantitati, quod aliàs ex natura ſua ipſi non conuenit, vt probatum eſt, quia eſſe, & pati, vt ſubiectare.

*Magis cōnaturale quantitati eſſe ſine perfeitate.*

*Et ſic melius ſaluātur omnia, quæ ipſi conueniunt.*

Deinde ille modus erit ſubſtantia, aut accidens; non ſubſtantia, quia nulla hîc admittitur ſubſtantia, quia neque materia, neque forma, neque compoſitum: & ſi eſſet aliquid horum, magis congrueret manere ea quæ fuerunt, quam creari aliquid de nouo ad eundem effectum, quem illa præbere poſſint.

Si eſt accidens: ergo inhæret quantitati, vel non: ſi non, ergo neceſſariò habet alium modum perfeitatis diuerſum à ſe, & de illo iterum erit quæſtio in infinitum. Prima conſequentia patet: quia nequit eſſe terminus dependentiæ alterius, quod non eſt independens in illo genere, & conſequenter non communicat formaliter eſſe per ſe, quod non exiſtit per ſe: ſi inhæret quantitati, erit accidens, & redit eadem difficultas, nempe non eſſe per ſe, neque id communicare quantitati. Deinde erit entitas materialis, & extenſa: ergo per quantitatem; vel ergo quantitas ipſi inerit, vt ſubiecto, vel econtrà ipſa quantitati, vel vtrumque alicui tertio. Primum non admittitur, ſecundum dicit repugnantiam ex dictis, quia eſſet per ſe, & non eſſet, quia inhæreret vt accidens.

17 *Fundamentū oppoſitæ ſententiæ ſoluitur.*

Pro opinione oppoſita nulla ſunt argumenta, quibus oporteat reſpondere, quia quod dicunt quantitatem exiſtere per ſe, intelligitur priuatiuè, quatenus non inhæret. Dices, non inuoluit repugnantiam exiſtere abſolutè. Reſpondetur, iam ſatis oſtenſum eſt inuoluere repugnantiam, ſed quia quæſtio verſatur circa principia, ideò de facili illuditur, negando ipſa, ac proinde probari debet per inconuenientia, quorum plura adducta ſunt ex principiis eſſendi rerum.

*Replica. Soluitur.*

Dices cum Suarez quòd hi modi, qui non diſtinguuntur ex natura rei à rebus, facilè in ipſis reſultant, quando priuantur aliis modis, neque auferuntur modi connaturales, quin dentur alij oppoſiti, vt patet in humanitate Chriſti, in præſentia ſacramentali, vbi vnio ſuccedit loco perſonalitatis propriæ, quæ debebat ineſſe, hîc præſentia indiuiſibilis loco diuiſibilis connaturalis; ſic etiam in naturalibus vbi tollitur ſeſſio, datur alius ſitus: non aufertur rectitudo à linea, niſi detur curuitas: ablato puncto continuante, dantur terminantes; ablato vno *vbi* datur aliud; ablatâ vnâ figurâ à quantitate extenſa, datur alia: quia hi ſunt termini vltimi eſſendi: ſic etiam ſubſiſtentia eſt terminus eſſendi ſubſtantiæ, quâ ablatâ datur vnio: inhærentia eſt terminus eſſendi

*Suarez.*

*Succedere modus ſibi mutuò.*

*Varia exempla.*

essendi accidentis quâ ablatâ datur subsistentia,& quidquid sit respectiuè ad potentiam absolutam, saltem clarum est id non inuoluere repugnantiam,quin hic modus sit possibilis. Vnde, inquit, quæ in fauorem Scoti insinuabantur, nulla sunt. hæc ille author.

18 Sed hæc responsio ad farraginem discursus magis spectat, quàm ad solutionem, aut scopum principalem,quæ proposito possunt applicari, vt videre est considerando singula. In primis, quòd dicat hos modos non distingui ex natura rei, est contra omnia principia, ex quibus colligitur distinctio per extrema contradictionis, quia modi illi vnionis hypostaticæ, & similes,vt ille, de quo agitur, sunt separabiles à rebus,& adueniunt per actionem realem physicam, & diuersam ab ea, quâ ipsa res producitur in *esse*, & merè contingenter, tanquam termini recipientes influxum primariò à causa.

*Respondetur ad instantias.*

*Fundamentū distinguendi realiter modos à re.*

Quod dicit facilè resultare in ipsis rebus : hoc denotat produci eas ex natura rerum, quia resultantia ex natura rerum indicat virtutem, vnde emanent, quod in modis supernaturalibus non admittitur, qui virtute causæ primæ insunt, & actione eius propriâ,non ex natura rei,aliàs essent naturalis,& continerentur virtute in subiecto, à quo manant. Dicere autem quòd quantitati, quæ ex natura sua dicit aptitudinem essendi in alio, & esse in alio,sit connaturalis modus essendi per se, dicere, inquam, includere in sua virtute perfeitatem modo essendi eius connaturali oppositam, magis est quàm dicere aquam esse virtute calidam, aut ignem virtute frigidum : si enim ipsum modum naturalem essendi nequit includere in sua virtute per resultantiam, sed aduenit virtute agentis, minùs includit perfeitatem in sua virtute,qui est modus essendi perfectior,& supernaturalis, aliàs non esset à Deo immediatè, sed præcisè, qua destrueret inhærentiam.

*Modi supernaturales vnde insint.*

*Quantitas, nec per se est, nec inhæret ex propria virtute.*

19 Quod dicit denique modos essendi oppositos tribui,quando aufertur modus naturalis : & confirmat exemplo naturæ assumptæ, & vnionis hypostaticæ:id absurdum est, quia ratio essendi per modum subsistentis non opponitur primò inhærentiæ, quam nequit recipere natura substantialis, & mediante vnione non recipit, nisi actum subsistendi in alio ; vnio autem substantialis non repugnat modo essendi per se, vt patet in formis substantialibus;neque vnio succedit,vt actus personalitati propriæ,sed est conditio:subsistere autem in verbo est actus.

*Instantia de vnione hypostatica soluitur.*

*Instantia de præsentia sacramentali.*

Et idem de præsentia indiuisibili Christi, quæ inquantùm indiuisibilis dicit tantùm negationem ex parte fundamenti : & quamuis ista opponuntur,non tamen secundùm genus, sed tantùm secundùm speciem:neque necessariò etiam succedunt,quia fortè natura potest esse sine omni persona,si est positiua personalitas : si negatiua,ideò nequit esse sine propria, aut aliena, quia illa cadunt sub extremis contradictionis, quorum alterum necessariò inest : præsentia autem sacramentalis non necessariò consequitur, quia potest corpus esse in puncto, sicut Angelus, aut extra omnem locum, aut etiam in vacuo cum negatione diuisionis.

*Exempla ex naturalibus soluuntur.*

Exempla ex naturalibus adducta non faciunt ad propositum, quia necessariò in corpore extenso seruatur distantia partium, ac proinde aliquis situs in ordine ad se,& extrinsecum:in quantitate necessariò est terminus aliquis extrinsecus, cùm sit finitæ extensionis, ac proinde figura aliqua : at non est vlla necessitas ponendi talem modum existendi per se in quantitate separata,neque ex natura rei,neque ex voluntate diuina,quin etiam repugnat : adducta ergo exempla nihil faciunt ad propositum, ne quidem ad declarationem quæstionis,quia nullum est fundamentum similitudinis,si argumentum sumitur secundùm illum locum,neque inductionis,si ab exemplo.

*Figura & situs exigitur, nō ita perfeitas quantitatis.*

Quod additur de punctis,eodem modo refellitur, quia possibile est punctum terminatum non differre specie à continuatiuo, & dato opposito ex natura rei insunt, neque propriè spectant ad modos essendi lineæ, sed ad terminandum extensionem eius : vnde si daretur linea infinitæ longitudinis esset quidem linea,non autem terminata.

Vasquez aliter explicat illam perfeitatem, dicens primò, quòd per illum modum positiuum non recipiat quantitas, aut alia accidentia vim ad actionem, aut passionem. Secundò, declarat illum modum essendi per analogiam ad modum essendi substantiæ per se : est tamen discrimen, quòd negatio essendi in alio conueniat substantiæ ex suo modo perfeitatis, non ita quantitati, quia ordine efficientiæ priùs destruitur subiectum accidentium, negato modo inhæsionis in ipso, sine quo manent accidentia : & tandem sequitur modus ille positiuus, qui supponit negationem essendi in alio. 20

*Modus dicēdi Vasquez.*

Hæc doctrina non probatur ab illo authore, & tollit omnem rationem ponendi perfeitatem in accidentibus : quia si neque facit ad actionem, & passionem, & accidentia saluantur in *esse* per solum concursum cum negatione essendi in alio, antequam adueniat perfeitas : ergo sic etiam permanere possunt; imò ille modus nihil conducit ad *esse* separatum accidentium, quia si ex natura illius modi non insit accidentibus, negatio essendi in alio, non potest esse perfeitas: ergo destruit assertionem : sublato enim effectu causæ formalis destruitur ipsa causa in subiecto. Si ille modus neque ad *esse*, neque ad operationem, aut receptionem facit, quia omnia saluantur independenter ab ipso ; ad nihil ergo facit.

*Impugnatur.*

*Destruit exigentiam, & effectum perfeitatis.*

Ad fundamenta Caietani patet ex probatione conclusionis : modus enim essendi sicut non variat naturam rei, sic etiam non est ratio agendi, aut patiendi, sed conditio tantùm : quantitati ergo nequit communicare diuersam rationem principij, aut subiecti ab illa, quam naturâ suâ habet : ad hoc autem sufficit existentia eius conseruata à Deo, seclusâ alia conditione, aut modo.

*Fundamentū Caietani soluitur.*

Secunda conclusio sequitur ex dictis, nempe *quantitatem existere in Eucharistia per se priuatiuè, sine actuali inhærentia, & cum aptitudine vt inhæreat.* Addo hîc tertiam conclusionem ex responsione ad tertium argumentum, vbi Doctor negat influxum diuersum causæ primæ in accidens separatum, quia ex præmissa sententia modernorum requiritur ad integram resolutionem quæstionis. 21

Tertia conclusio. *Eadem est actio, quâ conseruat Deus accidens separatum, & coniunctum in subiecto.* Est Doctoris loco citato ; oppositum huius docet Suarez, & Vasquez, aliique moderni. Loquor autem de actione, vt concipitur per modum influxus, & quâ est dependentia termini 22

à causa

à causa prima secundùm entitatem absolutam termini, seu accidentis, vt distinguitur ab inhæsione. Illi ergo dicunt actiones variari, & sicut accidens in subiecto dependet ab ipso in *fieri*, & *conseruari*, sic quando absoluitur à subiecto idem accidens, debet suppleri concursus subiecti: quæ videtur satis apparens, dato antecedente: quod necessariò debet admitti ad saluandum ordinem per se causarum.

*Opinio Suarez, Vasquez, & aliorum.*

*Diuisio causarum.*

Ad probationem conclusionis, suppono aliam esse causam per se, aliam per accidens; illa habet influxum in effectum, quia dat ipsi *esse*; hæc tantùm constat per denominationem ex coniunctione cum causa per se, aut cum effectu eius: illa per se duplex est, secundùm exigentiam effectus; nam sicut effectus dicit dependentiam aliam essentialem vt totum ad partes, relatio ad subiectum, creatura ad causam primam: aliam autem contingentiam, sine quâ potest esse effectus simpliciter, vt, verbi gratiâ, ignis hic potest esse vel à solo Deo, vel ab alio quocumque diuerso ab hoc, qui producit, & suppositâ productione, etiam sine igne producente manere, licèt sit ab ipso, vt à causa per se eius, tamen contingenter est ab ipso; & sic dependentia eius ad ipsum erit tantùm contingens, non verò essentialis, sicut est eius ad primam causam, sine qua repugnat esse creaturam.

*Duplex dependentia per se. Essentialis, cõtingens.*

23 *Regulæ generales de dependentia effectuum quatuor.*

Secundò, assigno breuiter has regulas. Prima: *Eadem est res, quæ est in potentia, & quæ est in actu; eadem quæ est in* fieri, *& in* facto esse *in ratione entis.* Secunda: *A quocumque dependet res essentialiter in* fieri, *ab eodem dependet etiam essentialiter in* facto esse: quia eiusdem entis idem est *esse*, & eadem dependentia consequenter essentialis, quæ inseparabilis est ab *esse* eius. Tertia sequitur: *Quidquid dependet ab aliquo tantùm contingenter in* fieri, *quamuis sit causa per se eius in* fieri, *nequit ab eodem dependere essentialiter in* facto esse, *aut econtrà*: quia sicut non variat res *esse*, ita neque dependentiæ genus; & quidquid existere potest sine alio, semper contingenter se habet ad illud. Quarta: *Quamdiu manent essentialiter requisita ad essendum, manere potest res, quamuis desinant ea, ad quæ se habet contingenter.* Ratio, quia hæc non sunt simpliciter requisita, illa autem sufficiunt, & ad *esse* rei non exigitur aliud, quàm quòd dependentia eius essentialis sit terminata, non autem contingens.

24 *Probatio conclusionis.*

Ex his probatur conclusio. Dependentia accidentis absoluti ad subiectum, siue in *fieri*, siue in *conseruari*, est contingens; quia & produci, & conseruari potest sine subiecto virtute diuinâ: ergo desinente tali dependentiâ, & manente eâ, quæ essentialis est ad causam primam, manent omnia per se requisita simpliciter ad *esse* accidentis, licèt varientur contingentia: ergo & ipsa forma; sed potest manere influxus ille Dei idem, seu dependentia formæ ad ipsum desinente subiecto: ergo & effectus: ergo non requiritur aliqua nouitas in influxu diuino.

*Dependentia accidētis absoluti, tam essentialis, quã contingens.*

Subsumptum probatur, manet dependentia essentialis, quamdiu eius per se extrema manent, & maximè terminus; sed hæc dependentia est entis absoluti ad Deum tantùm, quæ non respicit aliquam aliam causam, & potest Deus eam conseruare: ergo & fundamentum, quo mediante inest. Subsumptum probatur ex præmissis, quoad primam partem: quoad secundam probatur, quia dependentia accidentis absoluti, ad quoduis aliud gênus causæ est contingens: ergo quamuis hæc desinat, non sequitur necessariò, & ab intrinseco desinere dependentiam essentialem.

*Dependentia ad subiectū, & causam secundã contingens.*

Confirmatur, albedo potest creari extra subiectum, sine concursu causæ creatæ efficientis: ergo non magis est contingens respectu eius in *esse* concursus efficientis creati, quàm etiam subiecti; sed in *facto esse* conseruatur independenter ab efficiente creato: ergo etiam potest independenter à subiecto.

25 *Secunda confirmatio.*

Confirmatur: conseruatio est causæ efficientis propriè influxus in effectum, sicut & actio: sed conseruabatur in subiecto à prima causa: ergo manente eadem conseruatione extra subiectum, manebit forma. Dices, illum influxum dependere à subiecto, quo desinente desinit influxus. Contrà, influxus eatenus dependet à subiecto, quatenus forma, seu terminus eius dependet ab eodem; sed dependentia termini à subiecto est merè contingens, & non essentialis: ergo etiam dependentia influxus similiter à subiecto erit contingens.

*Conseruatio à causa prima est.*

*Responsio. Impugnatur.*

*Influxus non dependet à subiecto, nisi qua terminus ab eo dependet.*

Maior probatur: quia influxus ille est primò, & per se ad terminum, cùm sit *fieri* ipsius termini, non autem subiecti, quia eo desinente, nihil sequitur, nisi *non esse* termini, seu formæ, non autem subiecti; & mediante illo refertur terminus productus ad causam, non autem ad subiectum: ergo non est maior dependentia influxus, seu actionis conseruatiuæ ad subiectum, quàm ipsius formæ: quia quod mediante alio recipit tertium, non aliter refertur ad ipsum quàm medium, seu antecedens, ad quod est posterius refertur, vt per se patet in omnibus: sed forma absoluta in suo *esse* refertur ad subiectum merè contingenter: ergo & influxus tantùm contingenter.

*Si esset essentialis, nõ posset separari.*

Probatur minor; si forma absoluta per se essentialiter referretur ad subiectum, non posset inexistens subiecto ab ipso separari, desinente subiecto, neque manere, sicut neque forma relatiua potest separari à subiecto, aut conseruari seorsim, ipso & termino simul, vel seorsim alterutro desinente: neque alia ratio assignari potest, nisi dependentia eius per se ad subiectum, & essentialis.

26 *Nequit suppleri essentialis.*

Confirmatur, repugnat de potentia absoluta posse suppleri dependentiam essentialem in vllo genere causæ: sed suppleri potest dependentia accidentis à subiecto absoluti, vt de fide constat: ergo non est essentialis. Antecedens patet in dependentia creaturæ ad Deum, totius ad partes, relationis ad subiectum, modi ad modificatum, effectus formalis ad causam, quæ ita sunt ad suas causas, vt nequeant esse, aut conseruari absque illis: & ratio est, quia essentiæ rerum sunt sicut numeri indiuisibiles, quidquid additur, mutantur, quidquid aufertur, destruuntur: dependentia autem essentialis est proprietas consequens, quæ sequitur naturam, & modum essentiæ. Ex quibus sequitur dependentiam accidentis absoluti à subiecto esse merè contingentem, & separabilem ab ipso: ergo manentibus omnibus per se essentialiter requisitis, potest manere: talis est dependentia eius ad primam causam, quæ est sufficiens, & manet: ergo eodem influxu perseuerante conseruatur seorsim à subiecto, sicut in ipso subiecto conseruabatur.

*Essentia sicut numeri.*

27

Confirmatur tertiò, dependentia accidentis absoluti ad subiectum, est sua inhærentia actualis ad ipsum; sed hæc vt distinguitur ab ipso realiter, est accidens per accidens eius, quod potest adesse, & abesse, saltem virtute diuinâ, sine

ſubiecti interitu: ergo non eſt dependentia eſſentialis eius. Probatur conſequentia, quia nequit ſubiectum habere connexionem cum accidente aliam, quàm contingenter, ex definitione accidentis: ſed fundamentum dependentiæ eſſentialis dicit connexionem neceſſariam ad ſuum terminum dependentiæ: ergo ad ipſam dependentiam, quâ ad terminum refertur. In propoſito autem non eſt talis connexio quantitatis ad inhærentiam actualem; alioquin non poſſet ſeparari ab ipſa: ergo, &c.

28 *Obiectio.* Obiicies, deſinente cauſâ per ſe effectus, deſinit etiam dependentia ad ipſam: ergo neceſſariò debet ſuppleri. Reſpondetur ex dictis concedendo antecedens, & diſtinguendo conſequens; ſi eſt dependentia eſſentialis, negatur conſequentia, quia nequit ſuppleri; ſi eſt contingens, concedo in hoc ſenſu, non quòd neceſſariò exigatur influxus nouus, ſed quòd manentibus cauſis, à quibus dependet effectus eſſentialiter, ſuppletur dependentia cauſæ per ſe contingentis, non per nouum influxum, ſed per antiquum, qui intantum dicitur ſupplere, inquantum eſſe rei, quod fuit etiam à cauſa contingente, continuatur per ordinem ad cauſas per ſe eſſentiales: non eſt ergo eadem ratio hîc ac in cauſis contingentibus, quando vna ſupplet alteram; vt quando duo trahunt idem pondus, vel quando calor ignis conſeruat calorem in aqua productum ab alio; vel quando Deus ſeparatum accidens ab vno ſubiecto vniret alteri: tunc enim per nouum influxum ſuppletur cauſa prior.

*Par eundem cõcurſum ſeruari accidens ſeparatum.*

29 *Replica. Soluitur.* Dices, concurrebat ſubiectum in *fieri*: ergo in *facto eſſe*, & in *conſeruari*. Reſpondetur, contingenter concedo, eſſentialiter nego; neque etiam omnis cauſa effectus per ſe in *fieri* exigitur ad conſeruationem eius in *facto eſſe*, vt patet in generante, quod deſinit eſſe manente effectu.

*Replica. Soluitur.* Dices, quare ergo deſinit accidens, vt quantitas, deſinente ſubiecto. Reſpondetur, quia deſinit Deus conſeruare, ſicut etiam patet in formis ſubſtantialibus, quæ educuntur ex materia, & de ſubſtantia totius, quæ deſinunt corruptis, aut ſeparatis accidentibus, & ſimiliter deſinunt ex eadem ratione, non propter dependentiam per ſe eſſentialem ad ſubiectum: ſed quia non faciunt ad finem creationis, aut vniuerſi pro eo ſtatu, ac proinde non conſeruantur, neque cadunt ſub influxu Dei conſeruatiuo, qui limitatur ordinariè ad effectum, vt ſubeſt influxui cauſarum ſecundarum.

Accidentis enim *eſſe* eſt ineſſe, vt perficiat ſubſtantiam: forma ordinatur ad perfectionem materiæ, & totius, accidentia ad ſubſtantiam, vt inſtrumenta operandi, & perfectiones in eſſendo; quando deſinunt, ſic etiam & ſubſtantia deſinit, & à fortiori ipſa accidentia, quæ ſunt ad ſubſtantiam tanquam ad finem, vt perfectiones connaturales, niſi quando ex ſpeciali fine conſeruantur, vt in propoſito myſterio ad vſum humanum, & *eſſe* Sacramenti, & ad ſaluandam fidem myſterij: ſic etiam vt aliàs dictum eſt, deſinente peregrinatione hominis in conſummatione ſæculi, deſinet motus cœli, generatio & corruptio, & alteratio inferiorum, ac etiam mixta, quæ ad vſum illius ſtatus fuerunt ordinata, & creata: deſinent autem ex ſubtractione concurſus diuini, & per ignem conflagrationis, quia finis ad quem prouidentia diuina ordinauit ipſa, deſinet, ac proinde ipſa etiam prouidentia circa ipſa.

*Defitio rerum, & conſeruatio reſpiciunt eundem finem.*

30 *Obiectio ſecunda.* Obiicies ſecundò: Magis dependet accidens à ſubiecto, quàm forma materialis à materia: ergo accidens non ſolùm contingenter dependet à ſubiecto. Patet conſequentia, quia ſic etiam forma dependet à materia. *Reſponſio.* Reſpondetur, concedendo antecedens, & negando conſequentiam: ad cuius probationem reſpondetur dari latitudinem in dependentia contingenti: vnde ſi argumentum probaret intentum, probaret etiam non poſſe ſeparari accidens à ſubiecto, cuius contrarium *ſuprà* probatum eſt.

*Latitudo in dependentia contingenti.* Forma ſubſtantialis dependet à ſubiecto, fortè reſpectiuè ad agens, quod nequit eam producere, niſi concurrente ſubiecto, quia cùm dicat exiſtentiam per ſe, non videtur exigere ineſſe ſubiecto abſolutè & ſimpliciter, ſed prout virtute cauſæ naturalis dependentis à ſubiecto producitur. Dices, anima rationalis dicit perfectiorem exiſtentiam, quàm aliæ formæ, in eo quòd non dependet à ſubiecto: ergo hæ dependent à ſubiecto. *Replica.* Reſpondetur, animam ita abſtrahere à ſubiecto, vt neque in *fieri* produci poſſit dependenter ab ipſo, non ita aliæ.

*Reſpondetur. Differẽtia in ſubſtãtialem, & accidentalem.* Si hoc non placet, ſaltem non eſt tanta dependentia formæ materialis à ſubiecto, quanta eſt accidentis, quod colligitur ex eo, quòd forma ſubſtantialis dicat exiſtentiam per ſe: cuius perfectio ſupra exiſtentiam accidentis difficulter ſaluari, aut explicari poteſt, ſi forma illa dependeat à ſubiecto aliter, quàm reſpectiuè ad agens creatum, vel certè ad agens primum, quod non conſeruat formam niſi in ſubiecto.

31 *Reiicitur reſponſio.* Hæc ſolutio non videtur Peripatetica; ideò tenendum eſt etiam dependere formam ſubſtantialem à ſubiecto, vt viſum eſt *diſt.* 1. *quæſt.* 1. ſed aliam eſſe illam dependentiam ab ea, quæ eſt accidentis: accidens enim dicit inhærentiam aptitudinalem, tanquam proprietatem, cui debetur inhærentia actualis, tanquam actus connaturalis; & hoc propter exigentiam fundamenti. Cæterùm inde non probatur exigere ita ſimpliciter, vt repugnaret accidens illud non eſſe per ſe abſque ſubiecto, ſi eſt abſolutum.

*Quare Philoſophus negaret ſeparationem accidentis.* Dices, Philoſophus non concederet accidens poſſe ſeparari: ergo ſupponebat exigere ſubiectum per ſe eſſentialiter. Reſpondetur, Philoſophus negaret ſeparationem accidentis à ſubiecto propter ordinem eſſentialem cauſarum, non ob dependentiam eſſentialem ad ſubiectum. Vnde in principio errauit, & corrigitur per fidem, potiſſimùm huius myſterij. Vide quæ dicenda ſunt infrà ſuper litera, reſponſione ad ſecundum.

## SCHOLIVM.

*Prænotando accidens ſumi pro per ſe ſignificato, & denominato: item quid eſt eſſe in alio aptitudinaliter, & actualiter, ponit tres concluſiones. Prima, contradictio eſt ponere per ſe ſignificatum accidentis, ſeu reſpectum inhærentiæ, ſine ſubiecto actuali, ſi reſpectus eſt actio. Hanc latè tractat, & ſoluit varias replicas contra eam.*

Ad

Ad [a] quæstionem respondeo, quòd hoc vocabulum *accidens*, potest accipi pro per se significato eius; vel pro eo, quod denominatur ab isto per se significato (ista distinctio est vniuersalis in omnibus concretis.) Vlteriùs accipiendo pro illo, quod denominatur à significato istius nominis *accidens*, potest accipi, vel pro absoluto, vel pro respectiuo, siue respectu accidentali. Secundùm hoc ergo habentur tria membra, scilicet de accidente quantùm ad per se rationem, quam importat accidens: secundum de eo, quod denominatiuè dicitur accidens, & est absolutum: tertium membrum de eo, quod denominatiuè dicitur accidens, & est respectiuum. Prætereà, hoc prædicatum esse in subiecto, vel non esse in subiecto, potest accipi secundùm aptitudinem, vel secundùm actualitatem.

5 *Per se significatum accidentis est inhærere, denominatum est forma inhærēs absoluta, vel respectiua.*

Sit [b] ergo prima conclusio, quòd loquendo de per se significato accidentis contradictio est ipsum intelligere non esse in subiecto: & hoc intelligendo vniformiter in subiecto, & prædicato, scilicet si in actu, actu; si aptitudine, aptitudine. *Conclus. 1.*

Secunda conclusio, quòd loquendo de eo, quod denominatur à per se accidentis significato, & est per se respectus, contradictio est quòd sit sine subiecto, & hoc actu, ita scilicet quòd non actu inhæreat subiecto, extendendo subiectum ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus. *Conclus. 2.*

Tertia conclusio est, quòd illud, quod denominatur à per se significato accidentis, & est quid absolutum, potest esse, & non inesse subiecto actualiter: sed necessariò inest aptitudinaliter. *Conclus. 3.*

6 *Probatio cōclusionis 1. Respectus accidentiæ, vel inhærēntiæ, est per se significatum accidentis.*

Prima conclusio probatur, quia per se significatum huius nominis *accidens*, est quidam respectus ad illud cui accidit, & fortè idem respectus quem importat hæc dictio *inhærens*, ad illud cui inhæret: & idem significatum est accidentis, & accidentiæ, vt ita loquar, & inhærentis, & inhærentiæ. Sicut ergo impossibile est accidentia esse, quin sit inhærentia, si actu, actu; si aptitudine, aptitudine: ita impossibile est aliquid esse accidens, loquendo de per se significato, & primo huius nominis, quin sit inhæren s proportionaliter, hoc est, si actu, actu; si aptitudine, aptitudine.

*Ad quod genus pertineat respectus vel ratio, quā importat accidens.*

Et si quæras, ad quod genus pertinet illud, quod per se significat hoc, quod est accidens, vel inhærens? Respondeo, ad genus aliquod respectus extrinsecus aduenientis. Patet enim quòd dicit respectum: quia non potest intelligi ratio eius ad se. Non autem dicit respectum intrinsecus aduenientem, quia non necessariò consequentem positionem extremorum: quia sicut patebit in vltima conclusione fundamentum eius, & terminus possunt manere sine isto respectu.

Si quæras ad quod genus? vide si fortè ad genus Passionis, vt sic passio dicat non tantùm respectum passi ad agens, sed ad formam: vel si fortè ad genus Actionis: vt sic actio dicat non tantùm respectum agentis ad patiens, sed formæ informantis ad illud, quod informatur: sed vtroque modo erit respectus extrinsecus aduenies.

7 *Quòd est per se vnius generis, an possit denominare res alterius generis.*

Et si obiicias, quòd illud, quod est determinati generis, non potest competere pluribus generibus: Accidens autem, vel inhærens, quantùm ad per se rationem nominis, conuenit omnibus nouem generibus: ergo, &c. Respondeo, benè potest, quod est determinati generis, denominare plura genera: fortè creatum dicit aliquid per se pertinens ad genus Relationis: & tamen denominat quodlibet aliud à Deo: & solum illud aliud à Deo est propriè in genere: ergo potest iste respectus pertinere per se ad vnum genus, & tamen denominatiuè dici de relationibus, vel respectibus nouem generum.

*Esse in, an constituit aliquod speciale genus.*

Sed si contra hoc obiicias per Simplicium super Prædicamenta, quod *esse in*, non constituit aliquod speciale genus: quia vnum *esse in*, est omnium nouem generum. Respondeo, vel *esse in*, accipitur denominatiuè, & sic circuit omnia genera accidentium, sicut hoc quod est inhærere, vel accidere: vel accipitur pro ipsa habitudine per se significata per *esse in*: & hoc modo accipitur aliquod genus ab *esse in*: quia est species determinata in vno genere. Si autem intelligas, quòd *esse in* quantùm ad per se rationem, quam importat, non pertineat ad aliquod genus determinatum: sed per se ad plura genera; negandus est: non enim est tantæ auctoritatis, quòd propter dictum eius debeat concedi oppositum eius, quod ratio concludit. Ratio autem conuincit, quòd ille conceptus, quem importat *in*, potest quiditatiuè contineri in aliquo genere, licèt denominatiuè dicatur de formis, quæ sunt in multis generibus: non enim dicitur quiditatiuè de albedine, & linea; tunc enim albedo, & linea non dicerentur ad se, quia illud quod essentialiter includitur respectum, non est ad se, secundùm Augustinum 7. *de Trinit. cap.* 2.

*Vt inquit Auer. 12. Metaphys. text. 19.*

32 *Accidens dupliciter accipitur.*

a *AD quæſtionem reſpondeo*, &c. Hîc, & in ſequentibus declarat poſſibilitatem ſeparationis accidentium abſolutorum à ſubiecto: permittit accidens ſumi, ſicut & reliqua concreta pro per ſe ſignificato, & pro illo cui adiacet, quod eſt denominatum per ſe ſignificatum, & eſt ipſa accidentia, ſeu inhærentia, & conſiſtit in ordine formæ ad ſubiectum, ſiue actuali, ſiue aptitudinali.

*Significat concretum formam primariò.*

Ex hoc excluduntur ij, qui dicunt concreta accidentalia importare primò ſubiectum, & non formam: hoc enim eſt contra Philoſophum in Antepræd icamentis, vbi definit denominatiua, & abſtracta ſolo differre caſu, ſeu in modo ſignificandi, quia denominatiuum ſignificat formam in ordine ad ſubiectum; abſtracta verò formam abſolutè, vt abſtrahit à ſubiecto, vt albedo.

*Ratio huius.*

Ratio etiam huius eſt manifeſta, quia illud eſt per ſe ſignificatum nominis, quod primò, & diſtinctè facit deuenire in cognitionem: ſed album, verbi gratiâ, facit conceptum diſtinctum albedinis, non autem ſubiecti, niſi implicitum, & non explicitum, aut diſtinctum: ergo forma eſt per ſe primò ſignificatum eius; ex modo verò ſignificandi dat intelligere ſubiectum indeterminatè & confusè. Vide Doctorem *in* 1. *diſt.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 4. *diſt.* 26. *ad vlt. pro opinione Præpoſitini diſt.* 27. *quæſt.* 2.

33 *Diuiſio accidentis vniuoca.*

Denominatum ab accidentia, ſeu inhærentia diuiditur in abſolutum, & reſpectiuum. Hæc diuiſio eſt eſſentialis, & tranſcendentalis accidentis denominatiuè ſumpti in nouem genera. Diuiſio illa inhærentiæ, ſeu accidentiæ in aptitudinalem, & actualem eſt æquiuoca, & ſolius nominis: aptitudinalis eſt proprietas accidentis in genere, vt diſtinguitur à ſubſtantia; non autem conceptus eius, aut de conceptu primo modo. Hanc controuerſiam remitto ad Metaphyſicos: aptitudines enim ſonant proprietates, & non primum rei conceptum: quia aptitudo ſequitur ad id, cuius eſt aptitudo.

*In actualem, & aptitudinalem æquiuoca.*

*Aptitudo eſt proprietas.*

34

b *Sit ergo prima concluſio*, &c. Subiicit ordine tres concluſiones, quarum primam probat in hoc paragrapho; alias duas in duobus ſequentibus. *Prima concluſio eſt: quòd per ſe ſignificatum accidentis nequit intelligi, neque conſequenter eſſe ſine ſubiecto.* Hæc intelligitur perinde de ſubiecto ipſius accidentiæ, ſeu inhærentiæ, ac de ſubiecto formæ, quæ inhæret, ſine quibus nequit eſſe, aut concipi. Ratio concluſionis eſt, quia inhærentia eſt relatio, quæ exigit vtrumque extremum; fundatur autem, & ſubiectatur in forma, & terminatur ad ſubiectum formæ, vt ad terminum ſuum.

*Prima concluſio.*

*Controuerſia de natura inhærentiæ.*

*Eſſe modum abſolutum.*

Sed hîc occurrunt moderni, qui omnes hos reſpectus ſaluant per modos abſolutos cum relatione, ſeu reſpectu tranſcendentali, vt excludant omnes relationes in *eſſe*, præter ſolas Prædicamenti *Ad aliquid*.

*Sententia Doctoris.*

Econtrà Doctor variis in locis, docet vniuerſim omnes vniones eſſe rationes extrinſecus aduenientes, vt *in* 2. *diſtinct.* 2. *quæſt.* 2. ſic loquitur de vnione partium ſubſtantialium *in* 3. *diſtinct.* 1. *quæſt.* 1. §. *Ad aliud.* ſic de vnione hypoſtatica: hîc autem, & infrà §. *Ad quartum dubium*: & *quodlib.* 10. de hac vnione, quæ eſt

*Eſſe relationem.*

inhærentia formæ accidentalis ad ſuum ſubiectum.

35 *Quòd ſit relatio probatur.*

Quamuis autem ad præſentem materiam parùm refert, dicatur vnio modus abſolutus, aut relatio, modò defendatur ſeparatio accidentis ab ipſa, & ſubiecto, quod facit ad probandum poſſibilitatem præſentis myſterij, & veritatem eius declarandam, quia tamen faciliùs id ſuſtinetur, dicendo eſſe relationem, quàm modum abſolutum, qui ſit idem ex natura rei ſuo modificato, vt formæ. Dicam obiter aliquid ad probationem concluſionis præmiſſæ, ſeu ſuppoſitæ.

Probatur ergo primò inhærentiam eſſe relationem, & non modum abſolutum cum reſpectu tranſcendentali. Modus ille, licèt realiter, id eſt, ſecundùm identitatem realem poſſit eſſe abſolutus & reſpectiuus ſimul, ſecundùm diuerſas rationes formales conceptibiles, eſſentialiter, & in recto nequit eſſe ſimul abſolutus & relatiuus, quia hæc prædicata diuidunt ens eſſentialiter, & adæquatè: ac proinde contentum ſub vno nequit ſub altero contineri eſſentialiter, vt ſpecies, vel differentia eſſentialis, ſeu quaſi ſpecies & differentia: ergo tantùm ille modus includet hæc duo realiter ſecundùm identitatem, ſicut ſe habent creatura, & relatio eius ad Deum, & multa ſimilia.

*Nihil eſt abſolutè, & relatiuum in recto.*

Nam illud quod eſſentialiter includit reſpectum, non eſt ad ſe ſecundùm Auguſtinum 7. *de Trinit. cap.* 2. quem citat Doctor in litera. Oportet ergo, vt ille reſpectus ſequatur ad abſolutum, tanquam ad prius & fundamentum, quia ex genere ſuo abſolutum eſt prius & perfectius, & cauſa, ſeu fundamentum relationis. Quibus præmiſſis,

Auguſtin.

*Abſolutum prius relatione.*

36 *Probatio concluſionis. Ratio dicendi reſpectū ad aliud.*

Sic argumentor, omnis relatio abſoluti ad aliud extra ſe, quæ eſt ex natura rei (qualem eſſe dicunt aduerſarij omnem relationem, quæ in re ſit talis) fundatur in aliqua exigentia cauſalitatis actiuæ, vel paſſiuæ latè ſumendo cauſalitatem, vt extenditur ad omne illud, quod quoquomodo producitur, vel perficitur per aliud; vel certè conuenientiâ naturali rerum, aut diſconuenientia.

*Probatio illius principij.*

Hæc propoſitio patet ex tribus modis, quibus Philoſophus diſtinxit relationes ex natura rei aduenientes in Prædicamento *Ad aliquid*, qui modi reducuntur ad illos tres præmiſſos; ſcilicet vnitatis & numeri, cauſalitatis actiuæ, & paſſiuæ, menſurati ad menſuram: quem modum comprehendo in primo membro breuitatis gratiâ, quia menſura ſuo modo eſt cauſa formalis extrinſeca, quæ participatur à menſurato ſecundùm gradum, in quo accedit ad menſuram.

*Reſponſio.*

Dices, hanc propoſitionem veram eſſe in relationibus, quæ ſunt Prædicamenti *Ad aliquid*, non verò in relationibus ſecundùm *dici*, aut tranſcendentalibus.

Contrà, relationes ſecundùm *dici* (niſi verbo ſubſit fallacia) ſunt tantùm relationes ſecundùm appellationem, & modum concipiendi, non autem in *eſſe*: hîc autem loquimur de relatione, quæ in *eſſe*, eſt ad aliud, qualis eſt relatio inhærentiæ, & cuiuſcumque vnionis.

37 *Impugnatio. Relatio ſecundùm dici, non eſt relatio in eſſe.*

Quoad tranſcendentales, quæ ſunt relationes in *eſſe*, patet eadem propoſitio, ſcilicet fundari eas ſecundùm

*Patet in tranſcendentalibus.*

secundùm exigentiam extremorum ratione productionis, aut alicuius causalitatis actiuæ, & passiuæ, aut secundùm conuenientiam, & disconuenientiam, discurrendo in Diuinis ad intrà, in creatis ad extrà; & potissimùm in forma & subiecto, & materia, quæ ad præsens institutum spectant, in quibus hæc relatio si non est ipsa causalitas, requiritur ex natura causarum.

*Probatio à priori.*

Et probatur ratione: nulla ordinantur ad inuicem, nisi ex communicatione & discrepantia in entitate, vel inquantùm in actu primo, vel secundo vnum causat, aut perficit aliud, vel participat perfectionem ab alio: omnis enim ordo rerum in hoc præcisè consistit, & vbi nihil horum reperitur, non est vllum fundamentum, cur vna res ex natura rei referatur ad aliam. Ex primo modo consurgunt relationes æquiparantiæ: ex secundo verò relationes disquiparantiæ.

*Ex ordine, & exigentia rerum.*

38

*Hic ordo est etiam secundùm trãscendentem.*

Sed perinde est quantùm ad præsens, vt vnum sic ordinetur ad aliud secundùm gradum suæ entitatis transcendentem, siue etiam secundùm gradum in genere determinatum, quia perinde vtrumque includit essentialiter, verbi gratiâ, ex ratione transcendenti accidentis, albedo inhæret, & dependet à subiecto, & sic etiam dependet quà in specie albedo, & quà hæc albedo: sic relatio, quà talis ab extremis; hæc relatio ab his extremis; creatura, quà ens finitum à Deo, & quà hæc creatura, & sic de reliquis: ergo non minùs relatio prædicamentalis supponit talem exigentiam extremorum ex natura rei, quam relatio transcendens ex natura rei eandem supponit.

*Patet exemplu.*

*Transcendens maiorem supponit connexionẽ extremorum, quàm prædicamentalis.*

Imò hæc magis supponit talem connexionem, etiam maiorem extremorum ex natura rei, & per se: quia sicut hæc non distinguitur realiter à suo fundamento, arguit connexionem essentialem fundamenti in *esse* ad suum terminum: relationes autem prædicamentales non supponunt talem connexionem, & exigentiam fundamenti; fundantur enim in ordine, aut causalitate contingenti, & non essentiali per se; vt præmissum est in commento præcedentis articuli.

*Cur eadẽ sit fundamento.*

Vnde euenit vt relationes prioris generis identificentur fundamento realiter, non autem prædicamentales, vt relatio filiationis, & similitudinis in creatis: cuius alia ratio assignari nequit præter iam datam; relationes scilicet fundari, & resultare ex natura extremorum, & exigentia iuxta gradum, & conditionem eius connexionis, quæ si contingens erit ex parte fundamenti, relatio erit contingens, & realiter separari potest ab ipsa fundamentum: si autem essentialis, & per se necessaria erit connexio extremorum in *esse*, relatio erit eadem fundamento realiter. Quam regulam optimè assignauit Doctor *in* 2. *dist.* 1. *quæst.* 5. quæ reducitur ad rationem præmissam; vnde colligitur relationes, quæ dicuntur aptitudinales, seu potentiales non esse relationes vllo modo in *esse*, sed dici tales ex conceptu, & secundùm rationem, quia aliter à nobis non concipiuntur, nisi per collationem vnius extremi ad aliud. Doctrina præmissa rectè quadrat Augustino citato: quia dici ad se priùs quàm ad aliud denotat ex natura eius, vt est *ad*, exigi vt dicatur ad aliud.

39

*Subsumptum ad propositum conclusionis.*

His suppositis sic subsumo: sed modus ille inhærentiæ, & sic de aliis similibus, quà absolutus est, & fundamentum respectus ad subiectum formæ inhærentis, non dicit vllam exigentiam ex natura rei secundùm modos præmissos, secundùm quam diceret præmissum respectum, aut relationem ad subiectum formæ: ergo nullum fundamentum relationis ad ipsum, & consequenter neque ipsam relationem: ergo nequit in eo sic consistere inhærentia.

*Modus quà absolutus nõ dicit ordinem ad subiectum forma.*

Patet hæc vltima consequentia: quia, quà absolutus est, nequit vnire formam subiecto; vt omnes supponunt contra Gabrielem *in* 1. *dist.* 30. *q.* 4. & *in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. & *quæst.* 2. *art.* 3. vbi dicit vnionem hypostaticam fieri per qualitatẽ absolutam. Supponitur etiam contra Gregorium, & Nominales, qui negant vnionẽ esse aliquid ab extremis præter negationem diuisionis, & separationis. Ratio autem potissima est, quia absolutum, quà absolutum, est ad se, & non ad aliud: id ipsum fatentur aduersarij, qui ad effectum vniendi requirunt respectum: & loquor præcisè de illo respectu, qui dicitur includi in dicto modo.

*Sententia Gabrielis nõ admissa.*

40

*Probatio secũda subsumpti.*

Probatur etiam subsumptum, quia hæc relatio non supponit exigentiam secundùm naturalem conuenientiam & discrepantiam, aliàs relatio sequens esset similitudinis, & distingueretur realiter à fundamento; non est alicuius causalitatis, aut perfectionis communicatæ illi modo, quà absolutus est, quia subiectum formæ inhærentis nihil causat, quà subiectum est, nisi ipsam formam, quam recipit: modus autem inhærentiæ est in forma, tanquam subiecto suo adæquato, & proximo: ergo non dicit fundamentalem exigentiam relationis ad subiectum.

*Subiectũ per modum subiecti causat recipiendo.*

Dices inhærentiam propter relationem sibi realiter identificatam exigere subiectum tanquam terminum. Contrà, est petitio principij: de hoc enim disputatur, an detur aliquis modus absolutus, qui sit inhærentia, & exigit talem relationem: & manet ratio iam facta; quia relatio ex natura rei supponit exigentiam, & fundamentum, ad quod sequitur, vt ad radicem priorem natura, ex qua oritur: quare enim pater, & filius, seu generans, & genitum dicunt has relationes, & non alias, nisi secundùm illam exigentiam? Deinde ipsa forma, in qua est inhærentia, magis exigit subiectum proprium, quia ab illo causatur: cum hoc tamen non stat relatio aliqua eadem sibi ad subiectum realiter in *esse*, & quæ sit actualis; aliàs non posset separari à subiecto, & illa sufficeret ad inhærentiam eius: ergo minori fundamento poni potest in illo modo absoluto ex natura absoluti, quia in nullo genere causæ dependet à subiecto formæ, quà absolutus est: ergo magis est fictum, quàm probatum talem modum absolutum esse.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Secundò probatur eadem conclusio. Quando requiritur causa præcisè ad saluandum aliquem effectum in natura, non debet tribui maior perfectio causæ, quàm exigatur ex natura effectus: sed ad vnionem formæ cum subiecto non requiritur perfectio entis absoluti in vnione, & saluatur effectus solùm in respectu, & per ipsum tanquam causam, & meliùs sine inconuenienti: ergo non debet poni vnio, aut inhærentia esse modus absolutus. Maior est manifesta, quia natura sicut non admittit defectum, sic etiam neque superfluitatem, quia sic non esset in pondere, ordine, & mensura contra naturales, & Sanctos Patres, ac ipsam Scripturam, & perfectionem prouidentiæ sui authoris.

41

*Secunda probatio conclusionis.*

*Causa præcisè requisita propter effectũ non debet excedere effectum.*

*Melius saluatur vnionis respectu.*

Minor probatur, quia per formæ vnionem ad ſubiectum nihil concipitur, quàm reſpectus formæ ad ſubiectum: & hic reſpectus atque effectus eius, ſeu referentia ſecundùm exigentiam formæ meliùs ſaluatur, ſi fundatur immediatè in ipſa forma, quàm ſi mediante aliquo abſoluto eam reciperet, quod abſolutum neceſſariò diſtinguitur realiter à forma, & eſt terminus actionis diuerſæ, quandoque ſuppoſitâ formâ in *eſſe*, qualis eſt vnio animæ rationalis ad corpus, & poteſt ſic omnis vnio formæ abſolutæ produci, quam Deus poteſt primùm creare, deinde vnire ſubiecto, ſicut & conſeruat in præſenti myſterio accidentia, deſtructâ eorum vnione ad ſubiectum, manentibus omnibus, quæ realiter identificabantur accidentibus in ſuo *eſſe*.

*Contradictio.*

Dicere enim quòd idem realiter maneat, & deſinat, inuoluit contradictionem manifeſtam, quia nequit deſinere identificatum, niſi deſinat exiſtentia per quam identificatur: ſi hæc deſinit quoad vnum, deſinit ſimpliciter quoad omnia, quia nequit eſſe, & non eſſe.

42

*Si inhærentia eſſet abſoluta non vniret.*

Supponendo ergo hoc, probatur ratio minoris: relatio, ſi eſſet in forma immediatè, referret ipſam immediatè ad ſubiectum, & vniret: ſi verò mediante aliquo abſoluto, modo dicto, non referret referentia vnibilis: ergo, &c. Probatur ſecunda pars antecedentis, quia relatio illa non eſt nata dare aliquem effectum ſubiecto remoto, niſi illum, quem tribuit ſubiecto proximo, & fundamento quod afficit; ſed ſic non refert ſubiectum, aut fundamentum proximum per modum vnibilis ad ſubiectum formæ: ergo neque ipſam formam.

Maior patet à cauſa formali ad effectum, vt cauſa eſt in ſubiecto. Patet etiam exemplo ſimilitudinis, quæ non aliter refert parietem, cui ineſt mediante albedine, quàm refert ipſam albedinem. Dices, illam relationem inhærentiæ non eſſe in forma abſoluta, verbi gratiâ, in albedine vt in ſubiecto, ſed vt in fundamento. Contrà, ipſi ineſt per modum conſtitutiui, tanquam priori ſubiecto, quod ſupponit: ergo dat ipſi primò omnem effectum ſuum, & denominationem in re ipſa: nam ille modus ſecundùm aduerſarios eſt, & dicitur relatiuus: ergo ad ſubiectum albedinis, vt ad terminum; & ipſa albedo eſt, quæ conſtituitur, & inhæret ſubiecto, non autem ſubiectum, albedini: ergo à denominatione ad formam, ineſt albedini, & non ſubiecto: ergo magis ſaluatur inhærentia per ſolam relationem, quàm per aliquid abſolutum dicens relationem: illud enim abſolutum, quà abſolutum eſt, nihil facit ad inhærentiam, niſi quà importat relationem: ergo ſi ipſa relatio immediatè ponatur in forma, meliùs ſaluatur intentum.

*Inhærentiam eſſe in forma, vt in ſubiecto.*

43

*Tollitur repugnatia, & explicatur Philoſophus.*

Hoc autem non repugnat, quia illud principium Philoſophi, quod ad relationem Prædicamenti *Ad aliquid*, non datur motus, ſeu actio ſanè intelligi debet, & ſecundùm principia ipſius Philoſophi; non enim intelligitur de quacumque actione: nihil enim tranſit de *non eſſe* ad *eſſe*, quin habeat dependentiam, & *fieri* à ſuis per ſe cauſis, relationi vtrumque competit, quia eſt ens creatum, de nouo recipiens *eſſe*, poſt *non eſſe*, dependens ab extremis, & à cauſa prima, etiam dependentia propria, ſicut eſt creatura.

*Dari actionẽ ad relationem.*

Sed quia emanat à natura extremorum per neceſſariam, & inſeparabilem ſequelam, ideò dicitur non dari ad eam per ſe motum cauſæ extrinſecæ ipſam per ſe intendentis, & diuerſæ ab extremis: ſublato ergo hoc impedimento, quod tollitur in relatione, quæ non neceſſariò ſequitur ad *eſſe* extremorum, poteſt ſaluari ad ipſam immediata actio, & per ſe cauſæ ipſum intendentis.

Vnde Philoſophus, 5. *Phyſic.* licèt neget motum ad relationem primo modo ſumptam, quia nempe ad eam non eſt ſubiectum in potentia, poſito termino in *eſſe*, quod requiritur ad motum, *ex* 3. *Phyſic.* vt definitur *actus in potentia ſecundùm quòd in potentia*, aſſerit tamen dari motum ad *vbi*, quod eſt relatio; talis etiam eſt inhærentia, ſeu vnio: non oportet ergo ſiſtere in verbis Philoſophi, ſed in ſenſu, & in ratione, ſeu fundamento, ex quo tollitur motus à Prædicamento *Ad aliquid*.

*Quare excluditur motus à Prædicamẽto* Ad aliquid?

Imò, & hoc ipſum neceſſariò dicendum eſt de modis: quia perinde excluduntur à motu ex textu Philoſophi; nam dicit tantùm dari motum ad quantitatem, qualitatem, & *vbi*: ſicut autem modi negantur eſſe formæ horum Prædicamentorum; ita etiam ab ipſis hoc modo remouendus eſt motus: ideò aſſertores modorum dicunt eos non diſtingui ex natura rei à modificato, & comproduci, non autem produci primò; quod in propoſito nequit dici, vt patet ex dictis: cùm eadem ergo ſit difficultas ex textu Philoſophi, ſiue vnio dicatur modus, ſiue relatio, & magis ſaluatur ipſa vnio in relatione, quàm in modo abſoluto, id aſſerendum eſt cui ratio magis fauet.

44

*Tertia probatio concluſionis. Ex progreſſu infinito.*

Tertiò, ſi inhærentia eſſet modus abſolutus, exigeret ſui vnionem ad formam, & illa vnio ſuperaddita eſſet aliquod abſolutum, & ſic procederetur in infinitum: ponendo autem vnionem, ſeu inhærentiam eſſe relationem, nihil tale ſequitur, quia relatio ſeipſa per inhærentiam actualem, quæ eſt ſua proprietas, afficit immediatè ſubiectum.

*Reſponſio.*

Reſpondent aduerſarij negãdo ſequelam, quia ille modus abſolutus eſt vnio & immediatè ſeipſo afficit ſubiectum, & ſeipſo vnitur tanquam prima ratio in qua ſtatur. Contrà: licèt vnio id habeat, quia ad eam eſt ſtatus, tanquam ad vltimam rationem formalem: tamen id ei repugnat, ſi ponatur in aliquo abſoluto, vt eam explicant aduerſarij, ac proinde per hoc deſtruitur ratio vnionis. Probatur ſequela, quia ille modus, quà abſolutus eſt, nequit vnire ſubiectum formæ: ergo neque formam ſubiecto.

*Impugnatur.*

*Tolli vnionẽ.*

Patet conſeqentia, quia quà abſolutus eſt, non reſpicit aliquid aliud à ſe, aliàs tolleretur neceſſitas omnis relationum, vt de facto ex hoc principio Nominales: qui ergo ſtatuunt neceſſitatem relationum, debent ſaluare illud principium, nempe effectum formalem relationum, ſeu ordinare ad aliud non conuenire abſoluto, quà abſolutum eſt: aliàs etiam eodem modo tollenda eſt relatio eius ad ſubiectum, quantùm ad effectum vniendi ipſi formam; quà enim eſt prima ratio formalis in qua eſt ſtatus, eſt ſimplex, & indiuiſibilis, neque ſub diuerſis rationibus eſt talis; aliàs non eſſet ſtatus in ipſa ſub ratione ſimplici & formali: nam & relatio eâ ratione, quà eſt ad terminum, refert fundamentum ad terminum, quia ineſſe in ſubiecto competit ipſi ex ratione communi accidentis, referentia autem ex ratione propria.

*Ex conceſſis.*

*Abſolutum quà abſolutum non vnitur.*

Confirmatur: illa vnio formæ ad ſubiectum, ſiue ſubſtantialis, ſiue etiam accidentalis, educitur de potentia ſubiecti, quia non eſt terminus creatio

45

*Educitur vnio de potentia ſubiecti.*

creationis,cùm seorsim produci nequeat;produci autem potest per actionem diuersam ab ea, quâ producitur forma,verbi gratiâ,si Deus vniret accidens separatum subiecto capaci, quòd nullam inuoluit repugnantiam apud Theologos: si ergo haberet rationem formæ absolutè, non posset inesse subiecto,nisi dependenter à subiecto: ergo per relationem aliquam, & consequenter non seipsâ, quà absolutum est, ineſſet: hoc nequit dici statuendo ipsam in relatione,cuius inhærentia actualis est sua proprietas.

*Dicit relatione ad proprium subiectum.*

*Responsio.*

Et si dicas,simili modo, illud absolutum dicere relationem dependentiæ sibi eandem realiter ad subiectum. Contrà, ergo habetur intentum, nempe illud absolutum, quà absolutum est, non esse vnionem, quia eâ ratione, quâ dicit relationem ad formam,verbi gratiâ, albedinis, in qua inest, & aliam ad subiectum formæ, vnit vtrumque: ergo superfluit omnis ratio absoluta in vnione ad effectum vniendi: ac proinde debet statui in sola relatione, quæ est sententia Doctoris. Rationes pro sententia oppositæ nullæ sunt, præter hoc tantùm, quòd ad relationem non detur motus, quam argumento secundo reiecimus.

*Impugnatur.*

46 *Sententia Nominalium de vnione.* Ariminẽsis.

Conclusioni Doctoris repugnat etiam Gregorius *in* 1. *dist.*28. *quæst.*2. *ad* 17. vbi in vniuersum relegat omne genus relationis,dicens in creaturis omnia esse absoluta,& denominationes relatiuas oriri ex connotatione extremorum absolutorum: vnde etiam omnes vniones tollit etiam naturæ assumptæ ad Verbum, asserendo compositionem esse per solam comparationem extremorum ad inuicem,vt naturæ,& suppositi diuini, quem sequitur Bachonius *in* 3.*dist.*1. *quæst.*1.*art.*1. Ab his recedit Ocham:quamuis enim *in* 1.*dist.*30.*quæst.*1. *ad* 2. neget relationes, *quæst.* tamen 4. admittit vnionem naturæ assumptæ ad Verbum, materiæ ad formam,accidentis ad subiectum.

Bachonius. Ocham.

Dicit itaque Gregorius vnionem consistere in negatione diuisionis, & separationis in alio. Omittendo disputationem in genere de relatione, de qua vide Doctorem *in* 2.*dist.*1.*quæst.*5. Facilior est huius sententiæ impugnatio in particulari applicata ad vnionem hypostaticam: sed quia etiam hoc videtur extra præsens institutum, sisto in vnione formæ ad subiectum. Accidens separatum potest vniri subiecto, sicut & anima rationalis, quæ recipit *esse* per creationem, vnitur. Hoc suppositio.

*Vnionem esse negationem.*

47 *Probatur cõclusio contra Nominales.*

Probatur conclusio affirmatiua, primò, à contradictorio in contradictorium nequit esse transitus realiter, sine mutatione aliqua reali intrinseca,vel extrinseca,sumendo mutationem latè, quà est ad *esse*,vel *non esse* alicuius de nouo:sed per vnitionem formæ præexistentis ad subiectum præexistens, nulla fit mutatio in extremis, quantùm ad *esse* præexistens:neque in agente: ponamus *esse* primam causam, quæ fortè sola hoc præstare potest: ergo hæc mutatio debet esse in aliquo superaddito, illud est vnio: ergo est aliquid diuersum ab extremis: non sola negatio: ergo affirmatio, & consequenter aliquid positiuum reale.

*Non dari transitum in cõtradictorium sine medio.*

*Responsio.*

Dices sufficere mutationem in extrinseco,quæ est illa connotatio extremorum, quâ forma connotat materiam. Contrà, mutari est aliter se habere quoad extrema contradictionis, seu transire de vno in aliud,sed nihil se habet aliter ad aliud, nisi per mutationem suipsius ad extrinsecum,aut extrinseci ad ipsum: verbi gratiâ, Deus dicitur iam creator per mutationem, quæ est in effectu, paries dicitur visus per mutationem, quæ est in potentia visiua.Hic autem non est aliqua mutatio in aliquo extrinseco extremis, neque in ipsis extremis,quantùm ad *esse*: ergo quantùm ad aliquid superadditum.

*Impugnatur. Mutari est aliter se habere.*

Dices esse, negationem separationis. Contrà, 48 hoc est chimæricum: negatio separabilis à subiecto nunquam inest de nouo, nisi per corruptionem affirmationis oppositæ:alterum enim debet necessariò inesse,& sibi mutuò succedunt:si negatio potest adesse, & abesse realiter in subiecto, idem dicendum de affirmatione,sed nulla affirmatio tollitur à forma,aut subiecto præexistente per sui vnionem: ergo vnio illa non consistit in negatione, neque consequenter mutatio eorum saluatur per solam negationem. Minor probatur, quia nihil dicunt præter essentiam,& *esse*,vel quæ ad hæc naturaliter consequuntur, sed hæc omnia saluantur, quia vnio supponit extrema in *esse*, & ponamus nihil esse contrarium formæ ex parte subiecti: ergo illa negatio nullam supponit affirmationem,ac proinde nequit esse noua,aut mutari extrema per ipsam.

*Negatio non est noua, nisi qua tollit affirmationem præmissam in esse.*

Confirmatur, negatio illa non inest ex natura extremorum,aliàs esset inseparabilis,'& sequeretur per se ad aliquod prædicatum entitatiuum extremorum: ergo per causam efficientem inest: sed sic nequit poni virtute efficientis primò, nisi per actionem corruptiuam, aut annihilatiuam: hæc autem non terminatur ad negationem in subiecto,sed ad negationem, quæ est nihil & extra genus,vnde sumit appellationem:illa verò negatio, quæ est in subiecto, non ponitur negatio per corruptionem, nisi per destructionem affirmationis oppositæ, quæ nulla est: ergo & negatio illa est imaginaria, & ad euasionem conficta. Præterea, actio vniendi formam subiecto tendit ad *esse*,& non ad *non esse* per se: ergo habet terminum proprium,qui recipit per eam *esse*, quod nequit dici de illa negatione.

*Confirmatur.*

*Actio vniendi tendit in esse, & non ad negationem esse.*

Secundò,diuisio & separatio consistit in negatione: ergo vnio in positiuo. Antecedens per se patet inductione;separatio enim animæ à corpore,formæ à subiecto, est negatio:& patet ratione, quia est terminus actionis corruptiuę,inquantùm corruptiua est,& tendit in *non esse* eius,quod corrumpitur per mutationem contrariam productioni, estque destructio totius, quod aliter non fit, quàm separatione partium per desitionem vnius. Consequentia ergo probatur, quia negationis non datur negatio(loquor de incomplexis) quòd si hoc axioma negatur, tollitur status in causis per se: quia illius etiam negationis datur negatio,& sic in infinitum:eodem modo affirmationis affirmatio, & nullus erit status, aut terminus in aliquo primo:& quidquid dicatur,non datur saltem negationi negatio opposita, quod intendit argumentum.

49 *Secunda ratio.*

*Terminus actionis corruptiuæ.*

*Negationis non datur negatio.*

*Ratio huius.*

Quod probatur, quia vel intelligis per negationem negationis oppositam affirmationem, & hoc impropriè dicitur, quia affirmatio, quà est ens positiuum,opponitur negationi, eámque tollit,&non aliter:vel intelligis negationem oppositam ipsi negationi directè, sicut opponitur affirmationi,& hoc est falsissimum,quia sic inter contradictoria daretur medium contra primum principium: *Quodlibet est,vel non est*,&c.

*Falsificari primum principium.*

Sequela probatur, quia per negationem nega- *Probatio sequelæ.*

tionis ponamus tolli negationem albedinis in Angelo; ſic in eo non eſſet neque albedo, neque negatio albedinis, ſed negatio huius negationis. Ita in propoſito, ſeparatio formæ per diſtinctionem vnionis eſt negatio vnionis, quia per ſeparationem nihil poſitiui acquirit anima, ſed perdit vnionem ſui ad corpus: negatio huius ſeparationis ponitur ab aduerſariis in ſubiecto; hæc autem nequit eſſe affirmatio oppoſita vnioni, niſi per nouam actionem, ſed negatio ſeparationis; quæ etiam eſt negatio oppoſita affirmationi: ergo neque ſeparatio, neque affirmatio oppoſita eidem ineſt ſubiecto, ſed medium inter hæc, quod eſt abſurdiſſimum.

*Concluſio.* Ex quibus ſequitur, quòd vnio conſiſtat in aliquo poſitiuo ſuperaddito extremis: cùm enim hæc nequeant ſeipſis eſſe vnita, cùm ſint in mera potentia paſſiua, quæ nunquam, quà talis, reducit ſe virtute propriâ ad actum, ita neceſſariò debent applicari ſibi inuicem, & vniri per virtutem cauſæ efficientis reducentis ad actum illam potentiam paſſiuam, & conſequenter producendo, quia nunquam potentia paſſiua eſt in ente ad puram negationem, ſed ad aliquam perfectionem in *eſſe* entis: potentia enim paſſiua, quà eſt paſſiua, ſeparata ab actu includit priuationem actus, ſeu negationem: ergo reſpectiuè ad oppoſitum dicitur potentia, & eſſe in potentia. Patet etiam falſum eſſe fundamentum Gregorij, quia hæc denominatio vnionis nequit eſſe per extrema.

*Non poſſunt extrema vniri niſi per actionẽ, & virtutẽ agentis.*

*Potentia paſſiua reducitur in actum, & quomodo.*

Ex his etiam patet reliquum huius §. vt quod vnio ſit relatio extrinſecus aduenies, quod poteſt poni in genere Actionis, aut Paſſionis, hæc extendendo non ſolùm ad terminos mutationis, vt fit efficienter à cauſa extrinſeca, in paſſo per terminum ſuæ actionis, ſed etiam extendendo tranſmutationem ad genus cauſæ formalis, per quam fit ſub affirmatione, & in actu, ſublatâ priuatione, quæ priùs infuit, & ſic reducitur ad genus Actionis, & ſumitur actio ab actualitate: ad paſſionem etiam reduci poteſt, quia ſubiectum non ſolùm paſſiuè ſe habet ad agens, ſed etiam ad formam. Dicitur præterea, quòd vagetur denominatiuè per omnia nouem genera. Item quando Simplicius dicit, *eſſe in*, non conſtituere certum genus, intelligitur pro denominato accidentis, quod diuiditur in nouem genera.

50 *In quo prædicamento ponitur vnio.*

## SCHOLIVM.

*Secunda concluſio, denominatum à per ſe ſignificato accidentis, ſeu materiale eius, ſi eſt reſpectus, per nullam potentiam eſſe poteſt actu, ſine ſubiecto actu. Ratio eſt, quia eſſentialiter dependet reſpectus à ſubiecto, ſicut à termino: eſt contra Ioan. Canonicum 1. Phyſ. q. 4. a. 3.*

8 *Probatio 2. concl.* Secunda [a] concluſio probatur, quia reſpectus eſt eſſentialiter habitudo inter duo extrema: & ideò ſicut tollere terminum, ad quem eſt reſpectus, eſt tollere, vel deſtruere reſpectum: ita tollere illud cuius eſt reſpectus, eſt tollere reſpectum, & deſtruere rationem reſpectus: non ergo, quia accidens reſpectiuum eſt accidens, ideò requirit ſubiectum, vel fundamentum: ſed quia reſpectus eſt reſpectus, ideò requirit cuius ſit, & ad quod ſit, etiam in Diuinis.

*Repugnat eſſe reſpectũ ſine ſubiecto.*

Si arguatur contra iſtam concluſionem, quod videtur contradicere præcedenti: quia ſecundùm concluſionem præcedentem, ratio, quam ſignificat *accidere*, vel *inhærere*, eſt reſpectus extrinſecus aduenies: ergo non poteſt competere alicui reſpectui denominatiuè: quia reſpectus non eſt ſubiectum reſpectus, nec fundamentum; ſic enim eſſet proceſſus in infinitum: ergo paternitas, vel ſimilitudo non poteſt inhærere, vel accidere: quia inhærere, ſeu denominari ab inhærentia requirit quòd denominatum ſit ſubiectum, & fundamentum inhærentiæ.

*Vide 2. d. 17. & 2. d. 1. q. 5. 6. a. 2.*

*Diſt. 6. q. 10. Vnus reſpectus fundatur in alio.*

Reſpondeo, quòd vnus reſpectus benè poteſt fundari in alio, vt poſterius in priori, ſicut ſuprà tactum eſt in quadam quæſtione de charactere: & probatum de proportione, & proportionabilitate: & ita dico, quòd ſicut albedo poteſt denominari ab inhærentia, ſiue ab eo, quod poteſt accidere: ita poteſt paternitas denominari: & ſimilis eſt denominatio, quoad hoc vtrobique, ſcilicet quòd prædicatum dicit reſpectum extrinſecus aduenientem ipſi ſubiecto. Sed ſi arguas, ergo ipſemet reſpectus inhærentiæ denominabitur à ſeipſo: hoc ſoluetur in ſequenti concluſione.

## *COMMENTARIVS.*

51 *Secunda concluſio Relatio nequit eſſe ſine ſubiecto.*

[a] *Secunda concluſio*, &c. Hæc docet relationem non poſſe eſſe ſine actuali inhærentia ad ſubiectum. Ratio eſt, quia relatio eſt eſſentialiter reſpectus inter extrema; vnde ſicut nequit eſſe ſine termino, ita & ſine fundamento. Quando autem ſubdit, *Non ideò accidens reſpectiuum exigit terminum & fundamentum, ac ſubiectum: quia accidens eſt, ſed quia reſpectus eſt, & reſpectus exigit, cuius ſit, & ad quæ ſit*, &c. Intelligitur hoc ſic, quòd ſcilicet ex communi ratione accidentis, non petat relatio neceſſariò ſubiectum, & fundamentum, quia ſic omne accidens exigeret ſubiectum, etiam accidens abſolutum, ita vt ſeparari non poſſet, quod eſt contra ſequentem concluſionem: ſed ex ratione reſpectus hoc exigit, quà talis eſt, nempe *illud cuius eſt*, &c. quando autem relatio eſt accidens, nequit eſſe alicuius vt fundamenti, niſi ſolius ſubiecti, ideò nequit eſſe ſine ſubiecto, quia aduenit per modum accidentis, & non per ſe, quando autem

autem eſt ſubſtantia, vt in Diuinis, eſt perſonæ tanquam conſtitutiuum eius, vel tanquam eadem ſibi, ſi eſt relatio communis, & non ſe habet per modum accidentis. Ex his colligitur ratio cur accidens reſpectiuum dicat inhærentiam eandem ſibi, quia nequit eſſe ſine termino inhærentiæ, nempe ſubiecto. Ad obiectionem benè reſpondet in litera. Vide ipſum *in 2. diſt. 1. quæſt. 5. & loco cit.* nempe *in 4. diſt. 6. quæſt. 10. & diſt. 10. quæſt. 2. ad primum.*

## SCHOLIVM.

*Tertia concluſio, denominatum, ſeu materiale accidentis, ſi ſit abſolutum, poteſt non ineſſe actu ſubiecto. Probatur, quia abſolutum à nullo extrinſeco dependet eſſentialiter, niſi à cauſa prima: & certum eſt, ſubiectum non eſſe de ratione intrinſeca accidentis, aliàs homo albus eſſet ens per ſe.*

9 Tertia [b] concluſio probatur, quia accidens abſolutum, vnde abſolutum, non requirit terminum, nec terminos: quia tunc non eſſet abſolutum. Si igitur requirit ſubiectum, oportet quòd hoc ſit propter aliam dependentiam ad ipſum eſſentialem: ſed nulla eſt dependentia ſimpliciter neceſſaria alicuius abſoluti ad aliquid, quod non eſt de eſſentia eius, ſed tantùm cauſa extrinſeca: niſi ad cauſam extrinſecam ſimpliciter primam, ſcilicet ad Deum: ſubiectum autem non eſt de eſſentia accidentis, quia tunc homo albus non eſſet ens per accidens, quod eſt contra Philoſophum, 5. *Metaph. cap. de Ente*, & *cap. de Vno. 7. Metaph. cap. 3.* quia addendo alicui illud quod eſt de eſſentia eius, non habetur ens per accidens, præcipuè ſi illud in ſe ſit ens per ſe. Accidens autem ſecundùm ſe eſt ens, per ſe ſecundùm Philoſophum 5. *Metaph. cap. de Ente*: vnde & per ſe eſt in genere: nec ſubiectum eſt cauſa extrinſeca ſimpliciter prima: ſed Deus præcisè eſt huiuſmodi cauſa, qui non eſt ſubiectum accidentis: ergo dependentia accidentis abſoluti ad ſubiectum, non eſt ſimpliciter neceſſaria. Voco ſimpliciter neceſſarium, cuius oppoſitum includit contradictionem. Maior probatur, quia cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ extrinſecæ, reſpectu cuiuſcunque cauſati, perfectè ſupplere poteſt prima cauſa: quia habet in ſe omnem talem cauſalitatem eminentiùs, quàm ſecunda cauſa.

*Probatio concl. 3.*

*Accidens abſolutum poſſe eſſe ſine ſubiecto. T. com. 13. T. com. 7. T. com. 12. & inde. T. com. 14.*

*Prima cauſa ſupplere poteſt omnẽ cauſalitatẽ extrinſecã.*

10 Si dicas ſubiectum eſſe cauſam materialem reſpectu accidentis, & Deus non poteſt ſupplere vicem cauſæ materialis, ſicut nec formalis. Contrà, ſecundùm Philoſophum 8. *Metaph.* accidentia non habent materiam *ex qua*, ſed *in qua*: vel ſi habent *ex qua*, illud non eſt ſubiectum: quia ſubiectum cum accidente facit ens per accidens, vt dictum eſt: per ſe autem intrinſecum eſſentiæ accidentis, ſiue materia, ſiue forma, non conſtituit ens per accidens: quia accidens, vt totum quoddam eſt, eſt ex omnibus pertinentibus ad eſſentiam eius.

*T. com. 12.*

*Accidẽs an habeat materiam.*

Ex iſta ratione patet, quare Philoſophi dicerent, quòd accidens non poteſt eſſe ſine ſubiecto: non quidem quia ponerent ſubiectum de eſſentia accidentis, imò ex eis conſtituitur ens per accidens: nec quia de eſſentia accidentis abſoluti ponerent inhærentiam, vel reſpectum quemcunque ad ſubiectum: quia contradictio eſt quòd in per ſe ratione abſoluti includatur aliquis reſpectus, quia tunc eſſet abſolutum, & non abſolutum: ſed tantummodo, quia ponerent ordinem cauſarum ſimpliciter neceſſarium: ita quòd prima cauſa non poteſt cauſare cauſatum cauſæ ſecundæ, ſine cauſa ſecunda, ſubiectum autem habet aliquam cauſalitatem reſpectù accidentis, loquendo de ordine naturali cauſarum: & ideò ſine iſta cauſa in ordine ſuæ cauſalitatis poſita, negarent accidens eſſe: & pro tanto dicitur 1. *Phyſic.* quòd intellectus quærens ſegregationem paſſionum à ſubiectis, erit quærens impoſſibilia: ſed non eſt impoſſibile, quaſi includat aliquid repugnans primæ rationi, ſeu quiditati accidentis abſoluti: nam tali impoſſibili poſito, nulla poteſt ſeruari regula diſputationis, maximè quantùm ad illa conſequentia, quorum oppoſita includuntur in antecedente. Patet enim, quòd tunc tali impoſſibili poſito, ſtatim concedenda ſunt contradictoria: & ita in propoſito includitur maximum inconueniens, ſcilicet redargutionis, ad quod duci poteſt reſpondens: nunc autem Philoſophus 4. *Phyſic. cap. de Vacuo*, quærit iſtam quæſtionem, ſi eſſet ſpatium, in quo tantùm eſſet color, aut ſonus: vtrùm illud eſſet vacuum? Et reſpondet determinatè ad alteram partem quæſtionis: quia ſi eſſet receptiuum corporis, eſſet vacuum, ſi autem ex primo intellectu eius, quod eſt colorem eſſe, includeretur ipſum eſſe in ſubiecto, cùm ſubiectum eius non poſſet eſſe, niſi corpus, ex primo tunc intellectu poſiti haberetur corpus ibi eſſe, & corpus ibi non eſſe: & ita illâ hypotheſi poſitâ, reſpondendum eſſet ſtatim, quòd ſpatium eſſet vacuum, & non vacuum.

*Quare Philoſophi negarent accidẽs poſſe eſſe ſine ſubiecto.*

*Text. 39. idem 7. Metaph. Text. 3.*

*Text. 18. Quod impoſſibile admittendũ in diſputationibus.*

*De hoc 1. d. 11. q. 2.*

Iſtud

*Eſſe in ſubiecto non eſt de ratione accidentis ſecundum Philoſophũ.*

Illud dictum pro tanto adducitur, vt videatur Philoſophum illam contradictionem nolle eſſe in prima ratione quiditatiua accidentis, ſicut nec poſuit eſſe in ſubiecto eſſe de prima quiditatiua ratione albedinis: ſed tantùm eſt illa impoſſibilitas apud eum propter neceſſitatem, quam ponit in ordinem cauſarum.

## COMMENTARIVS.

52 *Tertia concluſio per ſe intenta.*

b *Tertia concluſio probatur*, &c. Tertia concluſio eſt, quòd accidens abſolutum poſſit eſſe ſine ſua inhærentia, & ſubiecto. Hæc eſt principalis concluſio intenta in hac quæſtione; reliquæ præmiſſæ faciunt ad eius explicationem, vt intẽdatur poſſibilitas myſterij, vt quòd inhærentia accidentis ſit eius ad ſubiectum relatio, & quòd inhærentia accidentis relatiui, ideò non ſit ſeparabilis ab ipſo, quà relatio eſt per ſe dicens ordinem ad illud cuius eſt, non quà accidens eſt, ſed quà relatio. Tertiam ergo concluſionem probat per oppoſitum huius de accidente abſoluto, quod non dicit dependentiam eſſentialem ad aliquid extrinſecum præter cauſam primam: ſubiectum autem eſt extrinſecum accidenti abſoluto, quà abſolutum eſt, quod probat ex Philoſopho, addens cauſalitatem cuiuſcunque cauſæ extrinſecæ poſſe ſuppleri à Deo. Hanc rationem *ſuprà in init. huius quæſt.* fuſiùs deduximus, ideò non eſt neceſſaria eius proſecutio hîc.

*Forma abſoluta non dependet eſſentialiter à ſubiecto.*

Subdit autem præterea Doctor, ideò Philoſophum negare hanc ſeparationem, ob ordinem per ſe cauſarum, non autem ex ratione quiditatiua accidentis: quod rectè probat ex Philoſopho, *cap. de Vacuo, lib. 4. Phyſic.* quia nullus eſſet locus quæſtionis, quam ibi proponit, ſi ex quiditate accidentis exigeretur ſubiectum. Aliqui moderni malè interpretantur locum hunc Doctoris, quaſi voluerit probare poſſibilitatem ſeparationis ex Philoſopho, cùm tamen ſubiungat illud adduci, vt oſtendatur impoſſibilitatem eſſe à cauſa extrinſeca ex Philoſopho, non autem intrinſeca: vnde ſolùm intendit tollere fundamentum impoſſibilitatis à cauſa intrinſeca, ſeu per ipſam.

*Reiicitur calumnia.*

## SCHOLIVM.

*Mouet quatuor dubia contra concluſionem, & ſoluit elegantiſsimè ſingula ſuo ordine.*

11 *Dubium cõtra 3. concl. Prædicato ſcilicet eſſentiali.*

Contra c iſtam concluſionem arguitur primò ſic: Si albedo inhæret ſubiecto, vt tu concedis, iſta inhærentia, aut eſt de eſſentia albedinis: & habeo propoſitum, quòd contradictio eſt, & prima contradictio, ſubiectum eſſe ſine prædicato: aut non eſt, & hoc videtur inconueniens, tum propter auctoritatem, tum propter rationem. Propter auctoritatem Philoſophi 7. Metaph. in principio, *Accidentia*, inquit, *ſiue alia à ſubſtantia dicuntur entia, eo quòd taliter entis*: ergo formalis ratio entitatis in accidente eſt, inhærere taliter enti, id eſt, ſubſtantiæ, & paulò pòſt: *Nihil ipſorum ſecundùm ſe aptum natum, nec poſſibile ſeparari à ſubſtantia.* Multa etiam ſunt ad hoc ibidem.

*Text. 2.* *Text. 3.*

*Text. 2.* Confirmatur per Philoſophum 4. *Metaph.* vbi dicit, quòd ens dicitur de ſubſtantia, & accidentibus, ſicut ſanum de ſanitate in animali, & vrina: ſed nihil formaliter de vrina ſanum dicit, niſi habitudinem ſigni ad ſanum dictum de animali: ergo nec ens dictum

*Text. 15.* de accidente aliquid dicit, niſi habitudinem includens ad ſubſtantiam. Similiter *in 7. c. 3.* videtur dicere, quòd quemadmodum aliquod non ſcibile eſt ſcibile æquiuocè, & medicabile æquiuocè, opus, & vas, ita & iſta quantitas, & qualitas dicuntur entia.

12 Ratio autem ad probandum eſſe illud inconueniens, eſt iſta: Inhærentia ſi non eſt de eſſentia albedinis, erit aliud, & inerit ipſi albedini: quia albedo dicitur inhærens formaliter illa inhærentia. Quæro ergo de inhærentia, quâ inhæret inhærentia albedini? aut ipſa eſt eadem albedini: vel ipſi inhærentiæ. & pari ratione fuit ſtandum in primo: vel illa inhærentia inhærentiæ eſt alia à ſuo fundamento, & tunc erit proceſſus in infinitum.

*Dubium 2. q. 5.* Præterea, contra iſtam concluſionem eſt aliud dubium, quia ad minùs relatio accidentis ad ſubiectum videtur eſſe eadem illi accidenti. Probatio, quia *lib. 2. diſt. 1.* dictum eſt, quòd relatio cuiuſcunque creaturæ ad Deum in ratione triplicis cauſæ eſt eadem fundamento: ſed reſpectus accidentis ad ſubiectum non videtur minùs idem accidenti, quàm ille. Quod probatur, quia ſubſtantia creata non definitur per ipſam eſſentiam diuinam additam in ſua definitione: quia tunc nihil poſſet habere definitionem in ſuo genere, cùm Deus ſit extra genus, & tamen accidens propter ſuum reſpectum ad ſubiectum neceſſariò definitur per reſpectum ad ſubiectum, ex 7. *Metaph. cap. 3.* ergo ille reſpectus eius ad ſubiectum non minùs eſt idem ſibi, quàm reſpectus ſubſtantiæ creatæ ad Deum.

*Text. 12. & inde.*

13 *Dubium 3.* Item, tertium dubium eſt, quia ſaltem ſi reſpectus albedinis ad ſubiectum ſit alius ab albedine, non videtur eſſe poſterior albedine: quia albedo non requirit ſubiectum, niſi propter

propter istum respectum, quem habet ad ipsum: sed si ille respectus est posterior albedine, potest albedo manere isto respectu circumscripto: ergo potest non dependere ad subiectum. Et ista ratio potest euidentiùs deduci de accidente, vt intellecto, quàm vt in existentia, hoc modo: si albedo est prior illo respectu: igitur potest completè concipi sine illo respectu, & per consequens completè definiri, sicut prius sine posteriori: sed non requirit subiectum, nisi propter istum respectum, quem habet ad subiectum: ergo potest completè definiri sine subiecto contra Philosophum, vt priùs.

Item, quartum dubium est, quia si inhærentia est aliud ab albedine, & posterius ea; saltem videtur propria passio eius: quia nihil videtur immediatiùs inhærere albedini, quàm habitudo ad subiectum: sed subiectum per se esse sine propria passione includit contradictionem, alioquin nulla conclusio esset simpliciter scibilis, quia quæcunque talis prædicat passionem de subiecto: & per te nulla talis esset simpliciter necessaria, nec per consequens simpliciter scibilis. *Dubium 4.*

## COMMENTARIVS.

53 *Quatuor dubia.*

c *Contra istam conclusionem*, &c. Mouet quatuor dubia, seu obiectiones contra tertiam conclusionem ad maiorem eius declarationem, & confirmationem mysterij. Primum est, quòd inhærentia albedinis, verbi gratiâ, ad subiectum sit de essentia eius ex Philosopho, & à ratione, quia aliàs esset processus in infinitum: quia si albedo per aliud à se inhæret, ita etiam inhærentia albedinis per aliam inhærentiam, & sic in infinitum. *1. Dubium.*

Secundum, saltem inhærentia est eadem realiter albedini, sicut relatio creaturæ ad Deum est ipsi eadem, quia definitur accidens per subiectum, 7. *Metaph. cap. 3.* non ita creatura per Deum. *2. Dubium.*

Tertium, si distinguitur ab albedine inhærentia, erit posterior ipsa in *esse*, & conceptu, quia ratione illius tantùm dependet à subiecto: ergo sic non exigeret subiectum ex propria ratione, neque defineretur per subiectum contra Philosophum *suprà*, quod est inconueniens. *3. Dubium.*

Quartum est, quòd saltem sit propria passio albedinis, quia nihil immediatiùs ipsi inhæret, quàm sua inhærentia: ergo erit inseparabilis. *4. Dubium.*

## SCHOLIVM.

*Ad primum dubium, negat omnino inhærentiam esse de essentia accidentis, vèl id voluisse Philosophum, & soluit optimè omnia loca Philosophi adducta n. 11. ad oppositum. soluit etiam rationem allatam, num. 12. Quòd etiam inhærentia non sit de essentia relationis, docent benè Mayron. hìc q. 7. & 1. q. 29. q. 5. & Trombeta 7. Met. q. 1.*

Ad ista d, ad primum, nullo modo concedendum est inhærentiam esse de essentia albedinis, & quæstio mota de hoc aliquibus videtur esse truffatica, & sine intellectu. Etsi enim aliquam euidentiam haberet quærere, an illa relatio sit eadem albedini? non tamen propter hoc, an sit de essentia eius? quia nihil est de essentia alicuius, nisi quod pertinet intrinsecè ad quiditatem eius: respectus autem aliquis, licèt sit idem fundamento, sicut dictum est de respectu creaturæ ad Deum, vbi suprà: non tamen est de quiditate eius, quia tunc nulla essentia creaturæ esset absoluta. 14 *Responsio ad primum dubium.* *In 2. dist. 1. q. 5. Text. 23. al Cõmentator enim 5. Metaph. c.* de in eo, quod quoties dicitur causa, *&c. & dicitur quòd ly* in eo quod *potest esse nota. Ly* inquãtùm, & in eo quod *possunt esse nota cuiuscũque causæ.*

Dico ergo negatiuè, quòd inhærentia, quâ albedo inhæret subiecto suo, non est de essentia albedinis. Cùm arguitur per auctoritatem Aristotel. dico, quòd nunquam hoc sensit, quòd forma, quæ per se est in genere absoluto, essentialiter includat respectum aliquem: ratio autem inhærentiæ non potest intelligi, quin intelligatur ratio respectus, nisi non intelligas, quid dicitur per nomen.

Auctoritas ergo prima adducitur ex æquiuocatione illius vocabuli, *eo quòd*: non enim semper, *eo quòd* est nota causæ formalis illius, quod præcedit: nam, vt dicitur quinto Metaphysicæ capitulo de In eo quod, *Quoties dicitur causa, toties dicitur inquantùm, siue in eo quod*: talia possunt esse nota cuiuscunque causæ illius, quod præcedit, & ita cùm substantia sit aliqua causa accidentis, licèt non de essentia eius, accidens est ens eo quòd est taliter entis, designando illam causalitatem in substantia: sed non propter hoc formale *esse* in entitate albedinis, erit *esse* alterius entis. Sicut vniuersaliter causatum à quacunque causa in quocunque genere causæ, est illud, quod est, quia est taliter entis, id est, talis causæ in tali genere, & ordine causandi: nec tamen ista habitudo ad quancunque causam, est formale, vel essentiale in causato: quia tunc nullum causatum esset formaliter absolutum.

Aliqui etiam istum textum peruertunt, accipientes, quasi esset textus Aristotel. *Accidentia non sunt entia, nisi quia taliter entis*, quam propositionem, nec Philosophus dicit, nec 15 *Vide Alex. de Alex. 7. Metaph.*

nec eſt ibi : nec ſequitur ex propoſitione Philoſophi. Nam, *eo quòd*, ſicut in antecedente poteſt denotare cauſam illius ,quod præcedit, ita poteſt denotare quamcunque cauſam illius,quod præcedit talem cauſam:non tamen præciſam:& per conſequens non denotat talem præciſionem.

Sed eſto,quòd in antecedente denotaretur cauſa præciſa, ſicut in conſequente,neutra tamen propoſitio facit ad propoſitum , quòd illa habitudo importata per ly *taliter entis*, ſit formale in *eſſe* albedinis. Sumitur autem ibi *taliter entis* pro ſubſtantia, de qua præceſſit ſermo , vel totaliter entis ſecundùm aliam literam : ita quòd *totaliter* non dicat ibi totalitatem vniuerſalitatis,quia tunc accidens eſſet entis vniuerſaliſſimè accepti,& ita non eſſet ens : ſed totaliter totalitate perfectionis,& ſic ſubſtantia eſt totaliter ens.

*Subſtantia dicitur totaliter ens perfectione.*

Alia auctoritas : neque aptum natum, neque poſſibile,& alia,quæ dicuntur ibi ; patet quomodo Philoſophus intelligit propter neceſſarium ordinem cauſati ad cauſam proximam : ſed non habetur ex hoc, quòd habitudo ad cauſam proximam ſit de eſſentia cauſati.

16

Auctoritas illa de quarto Metaphyſicæ,& ſimilis de ſeptimo, de non ſcibili, & ſcibili, poteſt adduci ſecundùm ſuperficiem verborum , quòd accidens nullam haberet entitatem formalem,ſicut ſanitas in vrina nihil habet de ratione formali ſanitatis , & ſi ad hoc adducitur,non eſt niſi ignorantia vocabulorum. Patet enim,quòd accidentia ſunt principia agendi,& principia cognoſcendi ſubſtantiam , *ex primo de Anima* , & per ſe obiecta ſenſuum : ſed truffa eſt dicere aliquid eſſe principium agendi , vel actione reali in materiam,vel actione intentionali in ſenſum , vel intellectum , & non habere aliquam entitatem formalem:ita enim diceremus chimæram agere,vel ſentiri. Truffa eſt etiam aliquid eſſe per ſe paſſionem entis,niſi ipſum habeat per ſe aliquam entitatem:vel eſſe terminum alicuius motus,vel mutationis,niſi habeat aliquam entitatem : ſubſtantiæ autem omnes, ſi quas habeant paſſiones,ſunt accidentia. Si quis etiam motus eſt augmentationis,alterationis,& *vbi*, eſt ad accidens , vt ad terminum. Eſt ergo intellectus Philoſophi in illis exemplis , non quòd ſimile currat ſuper quatuor pedes:quia ſecundùm Damaſcen. lib. 3. cap. 26. *Quod omni ex parte ſimile eſt, idem eſt,non exemplum.* & ideò præmittit , *Non enim neceſſe eſt exempla prorſus inter ſe ſimilia eſſe,atque eiuſmodi,vt nihil omnino deſideretur, quandoquidem in exemplis , tum ſimilitudinem , tum diſſimilitudinem perſpicere opus eſt , ſiquidem exempla ſunt.*

*Text. 2.*
*Text. 14.*
*Si accidens non haberet formaliter eſſe,nõ haberet actiones reales, vel intentionales.*
*Text. 11.*
*Damaſc. Simile non currere quatuor pedibus.*

17

Ita dico, quòd ad hoc faciunt illa exempla Philoſophi , quòd ſicut ordo eſſentialis eſt medicinæ ad animal in eo quod eſt,dici ſanum : ita habitudo eſſentialis eſt inter accidens, & ſubſtantiam in habendo entitatem : ſed non quòd ille ordo eſſentialis ad ſubiectum ſit de eſſentia albedinis , quæ habet illum ordinem,ſicut ratio ſigni eſt eſſentialiter ſanum, vt dicitur de vrina:& ratio diſſimilitudinis in hoc eſt,quia in vrina non eſt aliqua forma abſoluta à qua dicatur ſana ; licèt ſit ibi aliquod abſolutum ſuper quod fundatur ratio ſigni,vtpote talis color,vel talis digeſtio, & alia, quæ apparent ibi : ſed ipſe ordo ad ſanitatem eſt,quo formaliter dicitur vrina ſana. Et ideò omnino æquiuocè quantùm ad nomen impoſitum ab illo conceptu, quo animal dicitur ſanum:quia licèt ſanitas ſit eadem, quæ eſt in animali formaliter , & quæ ſignificatur per vrinam : tamen ſanum impoſitum ad denotandum habens ſanitatem formaliter,& habens eam vt ſignum,eſt purè æquiuocum. Sed ex alia parte ens non eſt purè æquiuocum,vt dictum eſt aliàs:& in vtroque extremo eſt aliquid abſolutum,propter quod formaliter vtrumque dicitur ens ; licèt ſuper vnum abſolutum fundetur ordo ad aliud.

*Vrina quomodo eſt æquiuoce ſana?*
*In 1. d. 3. q. 2.*

Ad rationem illam dico , quòd inhærentia inhæret albedini ; alioquin albedo non eſſet formaliter inhærens illa inhærentia , & cùm quæris de illa inhærentia , quâ inhærentiâ albedinis inhæret albedini. Dico , quòd illa eſt eadem inhærentiæ albedinis , & tantùm ibi eſt ſtatus. Ratio huius patet *libro ſecundo diſtinct. prima,quæſt. quinta :* quia illa relatio eſt idem fundamento, ſine qua fundamentum eſſe includit contradictionem:huiuſmodi eſt iſta inhærentia inhærentiæ ; quia contradictio eſt inhærentiam albedinis ad ſuperficiem eſſe actu, & non inhærere actu , vel non habere inhærentiam : ſimiliter impoſſibile eſt , & contradictio eſt eſſe in aptitudine , quin & habeat in aptitudine : ſed propter rationem oppoſitam nulla inhærentia formæ abſolutæ eſt ſibi eadem , quia non eſt ſimpliciter repugnantia illam formam ſimpliciter eſſe , & non ineſſe.

*Inhærentia inhærentiæ non differt ab ipſa. Vide 2. d. 1. q. 5.*
*Quæ relatio eſt eadem ſundamẽto?*
*Inhærentia abſoluti diſtinguitur ab ipſo.*

## COMMENTARIVS.

54 d AD *istæ; ad primum*, &c. Reprehendit quæstionem tanquam irrationabilem: & respondet negando antecedens. Ad primam probationem ex Philosopho *eo quòd taliter entis*, particulam illam rationalem non denotare semper causam formalem, sed quamcumque; hîc autem denotat substantiam causare accidens per modum subiecti: vnde non rectè infertur ordinem ad subiectum esse de essentia eius; aliàs sic diceretur de quolibet causato. Responderi etiam potest per aliam versionem, vbi dicitur *totaliter entis*, non dici secundùm prædicationem, quia Deus non est capax accidentis: sed totalitate perfectionis, & sic idem est, quòd accidens sit substantiæ vt subiecti; quia substantia est totalitate perfectionis ens, & ens simpliciter vt comparatur ad accidens. Ad aliam probationem ex Philosopho, quâ negat accidentia posse, aut esse, apta nata separari, respondit *suprà* ad conclusionem, ita sensisse, propter ordinem essentialem causarum; putauit enim non posse causam superiorem in effectum inferioris, nisi ipsâ inferiori concurrente.

*Substātia ens simpliciter.*

Ad alias probationes Philosophi respondet: non rectè adduci sensum Philosophi, vt benè probat in litera. Per exempla ergo intendit Philosophus ordinem inter substantiam, & accidens in essendo secundùm perfectionem & causalitatem, non quòd substantia, aut inhærentia ad ipsam sit de essentia accidentis absoluti. Ad rationem, dicit statum esse in ipsa inhærentia, quæ in seipsa inhæret realiter, ex ratione quam ibidem subiungit.

*Ordo inter substantiam, & accidens.*

## SCHOLIVM.

*Ad secundum dubium num. 12. contra tertiam conclusionem ostendit inhærentiam formæ absolutæ, non esse eandem formæ.*

Et e per istud patet ad secundum dubium. Dico enim, quòd inhærentia albedinis non est eadem albedini: & cùm probatur per relationem creaturæ ad Deum; dico quòd non est simile propter maiorem positam priùs ad istam conclusionem tertiam: nulla enim relatio ad causam extrinsecam est identica causato, nisi illa, quæ est ad causam primam, propter hoc, quòd prima causa potest quodcumque causatum causare, sine quacumque alia causa extrinseca. 18

*Ad 2. dub.*

*Relatio causati ad causam primã, eadem fundamento.*

Et cùm arguitur de definitione; illud magis probaret accidens non debere definiri per substantiam, quia lapis per Deum non definitur, cùm tamen Deus sit causa talis, sine qua impossibile, & contradictio est, esse lapidem, vel equum: non autem sic subiectum respectu accidentis. Sed respondeo, identitas respectus ad fundamentum, vel non identitas, non est ratio, quare terminus respectus cadat in definitionẽ fundamenti, vt additum.

Quid ergo aliud? Respondeo quòd nec dependentia essentialis, & necessaria, est causa, quòd terminus dependentiæ addatur in definitione fundamenti dependentis: tunc enim Deus magis poneretur in definitione cuiuscumque creati, quàm substantia in definitione accidentis: sed causa est, quia nulla forma potest habere conceptum perfectum quietatiuum, nisi cointelligatur illud, cuius est forma: definitio autem exprimit conceptum perfectum definiti; & ideò quantumcumque essentialia formæ exprimerentur sine illo, cuius est forma, quamuis quiditas eius indicaretur: tamen non esset conceptus perfectus quietans intellectum; ideò nec definitiuus. Sed causatum quod est in se quoddam compositum subsistens, si concipiatur in se intellectus, ibi quiescit, non requirens aliud cointelligere.

*Quare subiectum ponitur in definitione accidentis, non tamẽ Deus, à quo magis dependet.*

Et si obiicias, ergo par est necessitas, formam substantialem definiri per additum, sicut & accidens. Respondeo, vtrobique est necessitas. Patet per Philosophum definientem animam 2. *de Anima*: vbi statim ponit corpus, quod est perfectibile ipsius, vel totum compositum, cuius ipsa est pars: nec aliquid ponit pertinens ad essentiam animæ, sed tantummodò hoc, quod est actus, quod significat respectum animæ: ad illud, cuius est forma; non tamen est similis additio hîc, & ibi: quia in definitione formæ substantialis additur aliquid, quod facit per se vnum cum ipsa; vel cuius ipsa est per se pars (quod dico propter modum diuersum dicendi formam definiri, vel per materiam, vel per totum) sed in definitione formæ accidentalis additur aliquid cum quo non facit per se vnum, nec cuius est pars per se. 19

*Text. c. 6.*

*Aliter ponitur additum in definitione formæ accidentalis, & substantialis.*

## COMMENTARIVS.

55 e ET *per istud patet ad secundum*, &c. Resoluit in definitione quiditatiua formæ accidentalis non poni subiectum vt additum: in quietatiua autem, quæ facit conceptum vltimatum formæ, quâ forma est poni subiectum; non quòd subiectum, aut ordo ad ipsum idem sit formæ absolutæ: & tam hoc verum est in formis substantialibus, quàm accidentalibus, vt patet in definitione animæ, quam tradit Philosophus 2. *de Anima*, in qua ponitur subiectum per additum: addit differentiam inter formam substantialem, & accidentalem, quâ respiciunt subiectum.

*Alia definitio quiditatiua, & alia per additum.*

## SCHOLIVM.

*Ad tertium dubium positum num. 13. concedit respectum inhærentiæ esse posteriorem accidente absoluto, sicut omnis respectus est posterior suo fundamento: & soluit rationes contra hoc ibi adductas.*

20 *Ad 3. dub.* Ad [f] tertium dubium dico, quòd ille respectus inhærentiæ est posterior albedine, sicut vniuersaliter respectus fundatus in aliquo est posterior fundamento: & cùm dicis, ergo albedo non necessariò requirit terminum respectus. Nego consequentiam: benè enim potest dependere aliquid à termino respectus, & tamen non dependere à respectu, si respectus est posterior eo: ita enim substantia lapidis non dependet à respectu lapidis ad Deum, sed magis è conuerso, si essent diuersa: & tamen lapis dependet essentialiter à Deo, qui est terminus respectus.

*Aliquid dependet à termino respectus, quod non dependet à respectu.*

Ad illam propositionem, non requirit terminum, nisi propter illum respectum. Respondeo, quòd propter vt consequentem necessariò naturam fundamenti: sed non vt propter requisitum ad naturam fundamenti tanquam prius ipso: & quod sic est propter, non oportet quòd in eodem ordine requiratur, in quo requiritur terminus respectus.

Per hoc ad sequens ibidem, quod tangit adhuc de definitione accidentis. Concedo enim, quòd albedo intelligi potest quantùm ad quodlibet, quod per se primo modo includitur in ratione albedinis, omnino nihil intelligendo de illo respectu: & cùm dicitur, ergo posset definiri per essentialia; concessum est, quòd benè posset assignari aliqua ratio per essentialia indicans totam essentiam eius: sed illa non esset definitio, quia non esset expressiua perfecti conceptus: semper enim intellectus habens illum conceptum dependeret ad aliquid aliud terminans dependentiam illius conceptus.

Et cùm arguis, si respectus ille non necessariò concomitetur: ergo nec terminus respectus requiritur ad intellectionem albi; nego consequentiam, loquendo de intellectu completo, & conceptu quietante intellectum: ad illum enim requiritur cointelligi terminum, non tamen respectum ad terminum: & istud vltimum declarat totam istam conclusionem, & responsionem ad tria argumenta præcedentia: est enim inhærentia respectus quidam.

## COMMENTARIVS.

56 *Inhærētia est posterior forma Relatio posterior fundamento.* [f] *AD tertium dubium*, &c. Respondet respectum illum esse posteriorem albedine, sicut relatio est posterior fundamento, & negat consequentiam, & benè, quia relatio causari ad causam est posterior causato; tamen causatum secundùm suum *esse* exigit causam, à qua recipit *esse*; recipere enim *esse* à causa, est fundamentum ex quo resultet relatio ad causam in causato, quæ posterior est ordine ad hoc, quod est causatum causari. Ad absolutum in causa sequitur absolutum in effectu: ex Doctore *in 2. distinct. 1. quæst. 1. ad 2.* Ad aliud respondet sicut aliàs.

*Conceptu albi intelligi subiectiue, non inhærentiam.* Subiungit autem ad conceptum completum, verbi gratiâ albi, requiri cointelligi terminum inhærentiæ, non ipsam inhærentiam: *Et hoc*, inquit, *declarat istam conclusionem, & responsionem ad tria argumenta præcedentia*, &c. nempe, si habetur conceptus completus, & quietatiuus formæ, cointelligendo subiectum. Sequitur quòd inhærentia ad subiectum non sit de ratione formæ, aut eius entitate completa, loquendo de forma absoluta; ac proinde sit separabilis in *esse* ab ipsa, sicut & in *cognosci*, & extrinsecus aduenit: sic ergo erit forma separabilis à respectu, vt tenet conclusio; sic respectus non erit de essentia, aut entitate completa formę, neque prior ipsa, vt contendunt rationes contra conclusionem.

*Explicatur litera.*

*Replica.* Dices, hoc etiam probaret, quòd relationi non identificaretur suũ *inesse*, seu inhærentia, quia potest intelligi cum fundamẽto, sine eo quòd intelligatur ille respectus. *Responsio.* Respondetur hoc falsum esse, quia nequit intelligi, nisi vt inter extrema tanquam ordo, hoc ipsum est concipere ipsam secundùm respectum ad fundamentum, & terminum.

*Non comprehendit relatiuum.*

57 *Replica.* Dices, potest intelligi creatura, vt Angelus, & definiri, vel homo, sine respectu identificato sibi ad Deum; ergo non sequitur quòd respectus inhærentiæ albedinis non identificetur sibi, ex eo quòd intelligatur conceptu completo quiditatiuo, & quietante intellectum sine ipso respectu.

*Responsio. Distinctio inter cõpletum, & incompletum, quatenus ad* concipi.

Respondetur Angelum, & hominem habere conceptum completum ex immediatè cõstituentibus, secundùm quem intelligi possunt; non ita forma, quia concepta per modum formæ concipitur, vt aliquid incompletum per modum partis, ac proinde requiritur ad conceptum completum eius, vt concipiatur in actu terminato cointellecto suo subiecto: actuare autem, & constituere competit formæ secundùm suam rationem formalem absolutam, ad quem effectum se habet inhærentia, vt mera conditio, subiectum vt per se concurrens potentiale, & in alio genere; hinc colligitur subiectum non addi ad conceptum formæ completum, quà terminat relationem inhærentiæ formæ, sed quà est subiectum ipsius formæ, & potentiale correspondens actui: quæ rationes sunt priores inhærentia formæ in perfectione & causalitate. Si autem inhærentia formę esset ipsi essentialis, aut identificata realiter, sequeretur quòd forma non respiceret subiectum in ratione formæ & actus, quæ prior est, sed præcisè mediante inhærentiâ tanquam ratione priore, & per ipsam inhærentiam; ac proinde subiectum,

*Quomodo subiectum spectat ad conceptũ formæ completum.*

*Additur vt est potentia, non vt terminus inhærentiæ.*

iectum, quà præcisè terminaret illam, esset additum in conceptu formæ, non quà est in potentia ad formam per modum actus, aliàs incompleti, & non terminati, quia quod respicit aliud mediante priore tanquam medio, eatenus respicit remotum quatenus respicit proximum, seu medium idem remotum. Benè ergo ex hac ratione Doctor infert inhærentiam esse extrinsecam, & realiter distinctam à conceptu completo formæ, ac proinde ab ipsa forma completa absoluta.

58 *Forma mediante inhærentiâ respicit subiectū, & quomodo?*

Accedit, quòd forma mediante inhærentiâ tantùm respicit subiectum, vt causam sui *esse*; non verò vt compartem alicuius totius per se, aut per accidens, quod constituit: nam anima rationalis respicit materiam per modum compartis, quamuis non dependeat in *esse* à corpore, & donec concipiatur respectiuè ad corpus compartem non concipitur completè; & perinde ad hunc conceptum facit siue actu insit, siue aptitudine. Idem similiter dicendùm de forma dependente à subiecto; nam esse in causa est conditio, non ratio causandi formalis: ergo dependentia, quæ est secundùm *esse*, est extranea ipsi, quâ ipsa est causa, quia sic consideratur in ratione causati dependentis, non verò causæ: vt pars est, habet rationem causæ, & non causati: ergo sic extranea est ipsi sua inhærentia, quæ facit ad eius *esse*. Accedit ex superiori ratione probatum esse hanc causalitatem omnino esse contingentem: ordo ergo formæ ad subiectum est alterius rationis ab inhærentia, vt subiectum cadit in definitionem formæ per additum: quæ definitio est formæ secundùm essentiam, non verò existentiam sub qua inhæret, vel secundùm quam inhæret; non sic forma relatiua, siue in conceptu, siue in essentia, siue in existentia nequit abstrahere ab eo cuius est.

*Forma causat vt pars.*

## SCHOLIVM.

*Ad quartum dubium, num. 13. obiectum respondet, inhærentiam non esse passionem per se, sed accidens per accidens, respectu formæ absolutæ.*

Ad quartum dubium dico, quòd ista inhærentia non est per se passio albedinis: sed est accidens per accidens: est enim respectus quidam extrinsecus aduenies, & hoc ad minùs cuicumque accidenti absoluto: quia dicit actualem vnionem illius absoluti ad aliud absolutum: omnis autem vnio absoluti ad absolutum est respectus extrinsecus aduenies: omnis autem talis respectus est illi cui inest accidens per accidens, sicut satis declaratum est suprà in quadam quæstione de charactere: quia non necessariò consequitur illud, etiam posito termino: tunc enim esset intrinsecus aduenies: non enim potest aliquis respectus magis intrinsecus aduenire, quàm quòd necessariò consequatur fundamento posito termino: si enim solum fundamentum sine termino consequeretur, non esset respectus. 21 *Ad 4. dub. Idē in 2. dist. 12. quæst. 2. & quodlib. 19. Inhærētia est respectus extrinsecus aduenies accidentiī absoluti.*

Illa autem propositio, quòd scilicet omnis vnio absolutorum est respectus extrinsecus aduenies, probatur: quia neutrum ex ratione sui, nec ambo simul sunt necessaria causa talis vnionis: potest enim Deus sine contradictione facere vtrumque seperatim, & seperatim conseruare sine alio, pro eo, quòd neutrum illorum respectu alterius potest esse, nisi causa extrinseca, & non prima: ita quòd illud de respectu extrinseco declarat, quomodo albedo potest esse sine inhærentia, sicut scilicet fundamentum sine respectu extrinsecus adueniente: vel quia terminus respectus non est, sicut in proposito: vel quia si est, seperatus est. Sed illud de respectu extrinseco tandem reducitur ad rationem adductam suprà, ad probationem tertiæ conclusionis, scilicet ad hanc propositionem: Deus potest quodcumque absolutum facere, sine eo quod non est de essentia eius: quia non dependet ab illo, nisi vt à causa extrinseca, non prima: & omnis talis dependentia est contingens. *Omnis vnio absolutorū est respectus extrinsecus.*

Ad illam ergo probationem de passione, quòd immediatè ineat, posset dici, quòd si albedo habet aliquam propriam passionem, illa immediatiùs inhæret sibi, quàm inhærentia illa. Illa enim necessariò ineat albedini: & hoc siue coniunctæ subiecto, siue seperatæ. Inhærentia autem actualis tantùm contingenter ineat, & non ex natura albedinis: sed à causa extrinseca: non enim facit albedo se inhærere, sed agens. Vniuersaliter enim forma non generatur effectiuè, sed compositum: & sicut in composito per se vno, ita in composito per accidens: quod autem facit albedinem inhærere subiecto, facit compositum per accidens, scilicet subiectum album. 22 *Si albedo habet passionē, immediatiùs ei ineat, quàm inhærentia.*

Et si arguas quòd pari ratione, nec reliqua pars, scilicet potentiale facit totum: & ita subiectum non erit principium effectiuum vniendi sibi aliquod accidens.

Hoc non est ad propositum. Soluitur tamen, quia subiectum benè potest virtualiter includere formam: & ita totum ex subiecto & forma. Non sic autem accidens, quia non includit virtualiter seipsum, nec subiectum, nec per consequens totum ex his. Sequitur etiam naturaliter ipsum agens, cùm sit terminus formalis: non sic autem subiectum.

Posset alio modo dici, quòd licèt inhærentia insit immediatè albedini, & aliis absolutis: non tamen sequitur, quòd magis sit per se passio, nisi probetur illud fundamentum aliquorum, quòd accidens variabile non potest ineare alicui, nisi mediante accidente in-

*An accidens variabile poſſit ineſſe, ſine mediante inuariabili, Ægidius quodlib. 3. q. 10.*

uariabili: ſuper quod fundant magnam harengam de potentiis animæ. Sed vnde probent, quærant. Aliqua exempla adducunt & principium non habent, ſed oporteret videre aliquam rationem coniunctionis extremorum. Si enim aliquid eiuſdem rationis poſſit eſſe accidens inſeparabile in vno, & ſeparabile in alio, erit debile fundamentum: & iſtud non negatur de calore in igne, & in ligno.

## COMMENTARIVS.

59 *Inhærentiam non eſſe paſſionẽ, ſed accidens.*

a AD *quartum dubium dico*, &c. Reſoluit, quòd inhærentia non ſit paſſio accidentis abſoluti, ſed accidens per accidens; & ſic tenet de omni vnione abſoluti ad abſolutum, vt formæ ad materiam, naturæ aſſumptæ ad Verbum diuinum; vt tenet in locis citatis *ſuprà*, & hîc vniuerſaliter: & probat quia neutrum ex ratione ſui, aut vtrumque ſimul ſunt cauſa talis vnionis, quia poſſunt ſeparatim eſſe ſine tali vnione, ad quam ſunt in potentia paſſiua, quæ virtute efficientis tantùm reducitur ad actum; & Deus poteſt quodcumque abſolutum facere ſine eo, quod non eſt de eſſentia eius.

*Obiectio.*

Contra hoc aliqui obiiciunt, quòd tollat compoſitionem per ſe ſubſtantialem, niſi vnio ſit ſubſtantialis modus. Reſpondetur, negando antecedens, quia non ex vnione fit compoſitio per ſe, ſed ex actu & potentia per ſe, quæ proportio ſeruatur in partibus, quia neque per vnionem forma habet quòd ſit actus, neque quòd ſit actus per ſe, ſed ex natura ſua. Idem patet de potentia, quæ ſeipsâ talis eſt.

*Reſponſio. Non requiri ſubſtantialem vnionem ad compoſitionem ſubſtantialem.*

Vnio autem ſe habet per modum applicationis cauſarum intrinſecarum, & per modum conditionis; quòd autem ſit in ſe accidens, non refert, quia applicatio cauſæ efficientis ad ſubiectum, vt producat formam ſubſtantialem, non tollit generationem, aut productionem eſſe ſubſtantialem; quamuis in ſe ſit applicatio accidens: imò cum conditio debeat eſſe alterius rationis à cauſa, magis ſequitur vnionem partium ſubſtantialium eſſe accidens, quàm ſubſtantiam; ſicut vnio accidentis abſoluti eſt reſpectus, & non abſolutum; in relationibus verò quæ ſeipſis vniuntur, non per aliquid diuerſum realiter ſuperadditum vnio eſt relatiua.

*Eſt diuerſa rationis à partibus.*

Dicit præterea, vnionem non eſſe paſſionem 60
accidentis abſoluti, ſed accidens per accidens; ac proinde paſſionem immediatiùs ſe habere ad albedinem, verbi gratiâ, quàm inhærentiam, quia illa manet in albedine ſeparata. Dicit quòd forma vnitur virtute efficientis, quia quod efficit compoſitum, efficit vnionem & formam in ſubiecto; quod ſubiectum quãdoque habet, quà agens, & includit virtutem producendi in ſe formam.

*Secunda reſponſio.*

Reſpondet ſecundò ex fundamentis aliorum, quaſi ad hominem; dicunt enim quòd accidens variabile non inſit alicui, niſi mediante accidente inuaribili: hoc accidens inuariabile dicitur ab eis proprietas, quà neceſſariò, & ſemper ineſt, & omni. Hæc principia non approbat Doctor, vt patet *hic*, & *in 2. diſt. 16. quæſt. 1.* & *diſt. 25.* in qua impugnat illud principium, aſſerens illud quod eſt variabile, reduci ad ipſam ſubſtantiam, quæ inuariabilis eſt, verbi gratiâ actum voluntatis ad ipſam voluntatem. Et quidquid ſit, ſaltem eo dato, ſequitur inhærentiam accidentis abſoluti non eſſe proprietatem, quia eſt accidens variabile: ergo ſupponit aliquid priùs inuariabile. Secundùm hæc principia replicat hoc fundamentum eſſe debile, quia calor in igne eſt inuariabile, in ligno variabile.

## SCHOLIVM.

*Soluendo primum argumentum, ſoluit tria dubia. Primum, vtrùm aptitudo ſit idem, vel diſtinctum ab eo cuius eſt; & reſpondet eſſe idem. Secundum, an accidens ſeparatum habeat oppoſitum modum ei, quem habuit vnitum. Reſpondet tantùm carere reſpectu extrinſeco vnionis ad ſubiectum. Tertium, vtrùm accidens ſeparatum poſſet ſe vnire ſubiecto præſenti: & reſpondet negatiuè.*

23 *Ad argum. 1.*

Ad [a] argumenta principalia. Ad primum dico, quòd accipiendo per ſe eſſe, & eſſe in alio vniformiter, ſcilicet, prout per ſe eſſe, negat aptitudinem ad inhærendum, & eſſe in alio affirmat illam aptitudinem: ſic iſta duo proportionaliter conueniunt, primum ſubſtantiæ, & ſecundum accidenti: & tunc non plus ſequitur, niſi quòd accidens non poſſit eſſe ens per ſe, cui repugnet inhærere: ſicut nec ſubſtantia poteſt eſſe ens, cui conueniat aptitudo inhærendi.

*Actu eſſe in alio non conuenit accidẽti, ſicut actu eſſe per ſe ſubſtantia, & quare.*

Et ſi velis accipere vtrumque actualiter, ſcilicet actualiter eſſe per ſe, & actualiter eſſe in alio. Dico quòd vt ſic non diuidunt, nec ſunt propria iſtis diuidentibus, ſcilicet ſubſtantiæ, & accidenti. Nec mirum, quia ex parte illius per ſe primus intellectus infert ſecundum: repugnantia enim ad *ineſſe* infert *non ineſſe*.

Sed ex alia parte non ſic: ſed eſt fallacia conſequentis: eſt aptum ineſſe: ergo ineſt.

Et ſi quæras de iſta aptitudine inhærendi, vel ineptitudine quid ſit, & qualiter ſe habeat ad albedinem, an ſcilicet inſit ſibi, & an per aliam inhærentiam, & ſic in infinitum. Si etiam quæras de quantitate, vel etiam albedine per ſe exiſtente, an habeat oppoſitum modum eſſendi illi, quem habet, quando eſt in alio. Et videtur quòd ſic, quia per ſe, & in alio quomodocumque accipiantur, ſunt oppoſita inter ſe. Sed oppoſitum videtur: quia idem *eſſe* eſt, vt dictum eſt priùs, & per conſequens idem modus ipſius *eſſe*. Si tertiò

quæratur,

quæratur, an istud accidens ex sua aptitudine posset actualiter inesse, si fieret substantia in actu, quæ esset nata informari eo.

Ad primum, aptitudo nihil aliud absolutum est à natura illius, cuius est aptitudo. Quòd non aliud absolutum, patet: sed nec aliud, vt respectus aliquis realis actualis: nihil enim dicit, nisi quòd naturæ congrueret tale quid; ideò autem competit isti naturæ, seu non repugnat, quia hæc natura est hæc natura.

24 *Aptitudo eadem realiter cum eo cuius est: vnde & propria passio eadem realiter subiecto.*

Ad [b] secundum dico, quòd modi essendi possunt intelligi, vel quòd variant ipsum *esse*: vel quod ponant aliquam diuersitatem posteriorem ipso *esse*. Primo modo sicut est idem *esse* accidentis in pane, & sine pane: ita idem modus essendi secundo modo variatur, quia *esse* illud in pane fuit subiectum cuiusdam respectus realis ad panem: quando autem est per se, priuatur illo respectu, & per hoc patet, quòd dicunt diuersum modum circa *esse*, ponendo respectum ad aliud, & priuando.

*Accidentia separata habent eundem essendi modũ absolutũ, sed carent respectu vnionis ad panem.*

Ad tertium, patet ex illo quarto dubio priùs soluto: quia accidens non potest se vnire effectiuè subiecto. Vnde si Deus reduceret substantiam panis, & nihil aliud faceret, remaneret accidens sine subiecto, sicut modò, nec vniretur substantiæ panis tanquam forma per virtutem illius accidentis, dico effectiuè.

*Accidens non potest se vnire effectiuè subiecto.*

Et [c] si arguas, miraculum est, quòd non ineat: ergo cessante impedimento inhærentiæ, scilicet non existentia subiecti, cessabit miraculum, & totaliter inerit. Respondeo, aliquid positum in *esse*, miraculosè, permanet in illo *esse* quousque ab aliquo agente transmutetur.

*Positum miraculosè sic manet, donec ab alio mutetur.*

Ad secundum dico, quòd prius & posterius possunt intelligi vel actualiter, vel secundùm aptitudinem. Si accipias vniformiter, concedo quòd posterius naturaliter non potest esse sine priori: sed si accipias, quòd posterius secundùm aptitudinem, non potest esse sine priori actualiter, nego: quod enim est prius aptitudinaliter, si non sit, non est prius: si etiam sit, & tollatur dependentia posterioris ad ipsum per aliquid aliud prius vtroque, nec sic est actu prius, & hoc modo est in proposito. Vnde, dico quòd istud accidens non est actualiter posterius ad substantiam panis: sed tantùm aptum natum esse posterius ad illud tanquam ad aptitudinaliter priùs.

25 *Ad argum. 2. * Al. sed si accipias non vniformiter, tunc quod est posterius secũdùm aptitudinem potest esse sine priori actualiter.*

*Accidens non est actu posterius substantia.*

Et si arguas, nullum respectum specialem posterioris habet ad Deum, quem priùs non habuit: ergo non magis suppletur per actionem diuinam illa prioritas panis nunc, quàm priùs, & istud posset esse obiectio contra tertiam conclusionem principalem, & contra probationem eius, quomodo causa prima extrinseca possit supplere causalitatem cuiuscumque alterius causæ extrinsecæ, cùm non possit habere in se prioritatem causæ secundæ: nec per consequens videtur terminare posterioritatem in causato correspondentem propriè illi prioritati. Respondeo, vnica prioritas illimitata potest terminare posterius simpliciter.

*Quomodo causa prima supplet causalitatẽ causæ secundæ.*

Contrà, non aliter terminat nunc, quàm priùs: sed non terminauit totaliter priùs. Respondeo, aliqui respectus erant priùs in posteriori, quod est fundamentum, qui modò non sunt: & hoc est possibile, quia erant extrinsecus aduenientes isti fundamento: illi ergo respectus priùs erant terminati, & modò non sunt terminati: concedo, quia nec sunt, sed vnicus respectus, qui priùs fuit terminatus ad simpliciter primum, est modò terminatus: & terminatio illius vnius sufficit ad *esse* fundamenti talis respectus.

26 *Nullam dependentiã nouam quantitati separatæ, superaddi.*

Contrà, ergo illis aliis dependentiis non dependebat priùs fundamentum essentialiter: quia sine terminis illarum dependentiarum primus respectus eius ad simpliciter primum sufficiebat, & totaliter sufficiebat ad *esse* fundamenti totalis: quod autem habet quicquid requiritur ad sui *esse* in priori signo, in secundo non dependet ad aliquid essentialiter.

*2. d. 37. q. 2. §. ad solut. & 1. d. 17. q. 2. ad 2. de secũda via, negat effectum esse priùs à causa prima, quàm à secũda, nisi tantùm perfectione.*

Respondeo, ista deductio benè videtur tangere ordinem causarum secundarum, & necessitatem illius ordinis: propter quem ordinem dictum est Philosophum negare possibilitatem separationis in proposito. Vel si ille ordo non est necessarius, est difficile videre, quomodo causa secunda est causa effectus: cùm illud non sit causa, sine quo, ab alio priùs naturaliter causatum habet totaliter *esse*. De hoc quære *lib. 2. dist. 1. quæst. 1.*

27 *Ad 3. Non omne quod ponitur in definitione, est inseparabile à definito.*

Ad tertium de definitione, responsum est respondendo ad dubia mota contra tertiam conclusionem. Restat tamen ibi vnum verbum, quia probatur, quòd illud, quod cadit in definitione necessariò requiritur ad *esse* eius, sicut correlatiuum ad *esse* correlatiui. Respondeo, hoc ideò est, quia istud est relatiuum, nec est alia ratio, quare necessariò requirit terminum: non enim, quia accidens: imò si esset relatio, & non accidens, sicut relatio in Diuinis, adhuc requireret terminum. Sed illud definitum, de quo loquimur,

*Non ideò relatiuum non potest esse sine termino, quia accidens.*

est absolutum, ideò non requirit additum, sicut respectus terminum, sed sicut causam aliquam extrinsecam: & quælibet talis non necessariò requiritur præter primam.

*Ad 4.*

*Cap. de substantia. Albū dupliciter sumitur.*

Ad quartum dico, quòd album potest intelligi dupliciter; vno modo vt importat formam talem sub tali modo significandi, & hoc per se significat. Vnde secundùm Philosophum in Prædicamentis, album solam qualitatem significat; quod verum est, tamen sub alio modo significandi, quàm albedo. Alio autem modo, vt communiter accipimus per album, & huiusmodi concreta, totum compositum ex subiecto & forma. Si primo modo, argumentum habet maiorem euidentiam; nam de secundo modo patet quòd non oportet, si albedo est, quòd album sit. Sed de primo modo dico, quòd de virtute sermonis, nec oporteret tunc concedere, quòd si albedo est, quòd album sit: quia etsi forma sit, quæ apta nata est inhærere subiecto, non oportet quòd ipsa sit sub tali modo essendi, scilicet sub actuali inhærentia ad subiectum: album autem significat ipsam sub tali ratione actualiter inhærentis.

*Album est, an includat esse album.*

Et si obiicias, quòd nomen tam adiectiuum, quàm substantiuum abstrahit à tempore: ergo album non significat actualem inhærentiam formæ ad subiectum: quia tunc consignificaret tempus præsens. Respondeo, tunc concederetur quòd sicut albedo est, ita & album est: nec sequeretur, ergo aliquid tanquam subiectum est album: quia nec in antecedente hoc ponitur, neque per significatum, neque per modum significandi. Istud faciliùs concederetur de quantitate. Sicut enim conceditur hîc quantitatem esse; ita & quantum esse: nec tamen conceditur hîc aliquam substantiam perfici quantitate.

## COMMENTARIVS.

61 a *AD argumenta principalia*, &c. Responsio ad primum argumentum cum motis dubiis patet ex litera, & ex dictis *suprà*.

*Ordo accidentis ad substantiam.*

b *Ad secundum dico*, &c. Dicit accidens, quod est posterius substantia secundùm aptitudinem, non esse posterius naturaliter secundùm actum, ita vt aliter non possit esse, nisi in substantia. Intelligit prius naturaliter, & posterius naturaliter, de priore & posteriore secundùm ordinem essentialem, & infert inseparabilitatem: sic ergo non est accidens in actuali existentia, posterius substantia panis; sed contingenter tantùm, sicut illud causat contingenter; præueniri autem potest à Deo, & separari accidens à subiecto, supplendo concursum subiecti, quà Deus est prior vtroque naturaliter, & causa prima vtriusque, continens in se eminenter causalitatem subiecti, licèt in alio genere.

62 c *Et si arguas*, &c. Hîc replicat contra eandem solutionem: quia iam Deus non se habet ad accidens separatum aliter, quàm antea se habebat, nec accidens separatum dicit aliam dependentiam à Deo, diuersam ab illa, quam habuit coniunctum: ergo vel tunc non dependebat accidens à substantia panis; vel nunc aliter à Deo dependet. Dato primo, sequitur quòd causa secunda, aut subiectum nihil concurrant ad productionem accitis, quia illa dependentia ad Deum sufficit ad conseruationem accidentis separati; illa etiam sufficient ad terminandam dependentiam totalem accidentis in *fieri*, & sic tollitur ordo causarum secundarum, & efficientia, seu causalitas, maximè subiecti respectu accidentis.

*Replica.*

*Subiectū concurrit ad accidens.*

Hæc obiectio difficilis est prima facie, ad quam *suprà* responsum est in prima parte quæstionis, conclusione tertia, excepto illo inconuenienti, quod adducitur hîc de ordine causarum. Amplius vrgetur: eodem concursu, quo Deus producit effectum concurrentibus causis, non produceretur effectus seclusis illis, aliàs idem bis saltem ex parte produceretur; quia produceretur totaliter à Deo secundùm totam dependentiam essendi, produceretur etiam à causis secundis in suo genere: hoc perinde repugnat, ac repugnat produci eundem effectum simul à duabus causis totalibus, vel iam præexistens reproduci de nouo, quia eodem modo supponeretur esse, & non esse simul in priori casu, sicut in secundo casu: ergo similiter vel non conseruatur accidens à subiecto, vel certè si conseruatur deficiente tali conseruatione, debet concursus Dei conseruatiuus esse alius, & alius, & non idem. Præterea, per hunc concursum, seu influxum, quo ponitur accidens separatum à subiecto, etiam crearetur accidens, quia æquiualet creationi: ergo est alius ab eo quo conseruatur in subiecto.

*Vrgetur amplius difficultas.*

*Sequeretur idem bis produci.*

Respondetur sistendo in dictis *suprà* secundùm mentem Doctoris, & *infrà quæst. 6. huius locis, citatis*, eundem esse influxum Dei in accidens absolutum separatum, atque in accidens coniunctum, quantùm ad rationem actionis, seu dependentiæ effectus. Pro cuius declaratione, dico primò causam secundam efficientem producto suo effectu permanente, & absoluto extra se non influere ampliùs in *esse* eius; vt patet experientiâ, quia manet effectus talis sine sua causa producente creata in *esse*; & si sit in *esse*, etiam non concurrit aliter ad eius conseruationem, nisi remouendo corrumpens contrarium.

*Responsio. Eadem actione diuina cōseruari accidens separatum, quæ fuit productum. Causa secunda non conseruat effectū absolutum.*

*Ratio huius.*

Ratio huius est, quia effectus ille respectu sui *esse* non est in potentia, vt iam est positus in *esse*, neque causa secunda potest agere, nisi respectu eius, quod est in potentia ad essendum, & vt supponit subiectum in potentia ad terminum: vnde quando iam potentia est actuata per formam permanentem natura sua, desinit motus ex parte agentis creati, & succedit quies, quia nequit agere, nisi in subiectum in potentiam, & prout in potentia est, quia motus est actus entis in potentia, secundùm quòd in potentia *ex 3. Physic.*

63 Dico secundò, causam materialem non conseruare formam, quà materialis est, & subiectum, propriè loquendo. Hoc probatur, quia causa materialis non exercet causalitatem, nisi concurrente causâ efficiente: sed cessat causa efficiens creata influere in formam positam in *esse*, quando est absoluta & permanens, loquendo de causa particulari, cuius virtute actuatur materia: ergo cessat

*Subiectū non cōseruat, quà subiectum est.*

ceſſat etiam influxus materiæ nouus. Vt enim genera cauſarum dependent à ſe mutuò in cauſando, ita ceſſante vnâ cauſare, ceſſant & reliquæ cauſare per nouum influxum.

*Reſponſio. Impugnatur.* Dices manere influxum cauſæ primæ efficientis. Contrà, non manet influxus ille tanquam nouus, ſed idem qui fouit antiquus: ergo materia non habet aliquem influxum nouum, ſed eandem cauſalitatem, quæ fuit antiqua, ad ipſam formam in *fieri*, efficiente etiam cauſa ſecunda creata. Ex virtute autem huius cauſalitatis materiæ, non poteſt conuenire formæ perſeuerare in *eſſe*, ſicut neque *fieri* formæ manet, aut motus ad ipſam, qui eodem modo fuit à materia; nunc autem producta forma perſeuerat in *eſſe*: ergo non ideò forma perſeuerat in *eſſe*, quia materia eam ſuſtentat, ſed quia ipſa ex natura ſua eſt permanens, & habet totum *eſſe* ſimul, quod non eſt natum deſinere eſſe, donec ſubtrahatur concurſus cauſæ per ſe, à qua eſſentialiter dependet, ſicut forma, quæ eſt in fluxu ex natura ſua eſt tranſiens, quamuis materia ad vtramque perinde concurrit ſuſtentando.

*Cur forma permanet.*

64 *Materia ex ſe non habet actum, nec conſeruat.* Secundò patet idem, quia materia inquantùm potentia paſſiua non eſt nata habere formam, niſi virtute agentis: ergo neque in *fieri*, neque in *facto eſſe* nata eſt habere actum, niſi virtute agentis: ſi autem conſeruaret actum, nata eſſet ex ſe eſſe in actu propriâ cauſalitate: ergo etiam ſeipſam reducere ad actum etiam independenter ab agente.

*Patet idē ex inclinatione materiæ ad formam oppoſitam.* Tertiò, materia dicit potentiam paſſiuam ad formam oppoſitam, etiam vt eſt ſub hac forma: ſed quod eſt per ſe conſeruatiuum formæ ex natura ſua, & non liberè, non dicit inclinationem in eodem genere cauſæ: inclinationem, inquam, de ſe indifferentem ad formam oppoſitam: ergo, &c.

*Suſtentat formam ipſi violentam, ſicut & naturalē.* Quartò, quando forma eſt violenta ſubiecto, perinde exercet cauſalitatem materialem reſpectu eius, ſicut & quando eſt ipſi connaturalis, quia eodem modo ſuſtentat vtramque: ſed ſubiectum, quod ab intrinſeco inclinatur ad formam oppoſitam, vt aqua, quà aqua eſt, ad frigus, nequit habere conſeruatiuam cauſalitatem reſpectu formæ oppoſitæ contra inclinationem naturalem ſui *eſſe*, & perfectionis: ergo ſuſtentatio materiæ, aut ſubiecti formæ non eſt conſeruatiua formæ, aliàs repugnaret ex natura ſua ad actionem oppoſitam, & terminum eius.

65 Ex quibus ſequitur, quòd ſubiectum ſuſtentando formam præcisè, non ſit cauſa eius conſeruatiua in *eſſe* ab intrinſeco: neque è contra formam dependere in *eſſe* à ſubiecto, quà ſuſtentans eſt præcisè, quantùm ad ſui conſeruationem. Quamuis autem ſubiectum ſit cauſa formæ in ſui productione quantùm ad *eſſe* eius, non ideò tamen forma conſeruatur in *eſſe*, quia conſeruatur à ſubiecto, ſed ideò quia ex natura ſua eſt permanens, & à cauſa prima conſeruatur.

*Conſeruatio formæ non eſt à materia.* Quando ergo recipit ſuum *eſſe* completum, quod recipit dependenter à materia in *produci*, ſicut & ab aliis cauſis, illud manet dependentiâ antiquâ à materia ſuſtentatum, & cauſatum, non quòd ipſum *eſſe* ſemper, & in *fieri* ſit à materia, aut ſubiecto, & tanquam à cauſa per ſe eſſentiali, quia ſic tantùm eſt à cauſa prima.

*Dependentia formæ à materia eſt in ordine ad agens.* Neque etiam illa dependentia formæ ad ſubiectum eſt immediata, & ſecundùm ordinem immediatum, quæ comparari poſſum ad inuicem, excludendo cauſam efficientem eodem modo, quo reſultat dependentia inter prius, & poſterius eſſentialiter ex immediata comparatione terminorum, ſed eſt dependentia reſultans inter formam, & materiam per comparationem vtriuſque ad cauſam efficientem, quâ transmutat materiam ad actum, & qua ex modo producendi formam in *eſſe* tribuit ipſi dependentiam ad materiam: quia neque forma, neque materia ab intrinſeco habent vt ſeipſis, & propriâ virtute vniantur in *eſſe*, ſed hoc totum eſt ab agente: non poteſt ergo maior eſſe dependentia formæ ad materiam in *eſſe*, quàm ſit dependentia eius à cauſa ſecunda, quæ vnit eam materiæ; hæc autem non eſt in *conſeruari*: ergo etiam neque à materia conſeruatur, licèt in materia conſeruetur.

66 *Dependentia eadem eſt accidentis ſeparati, & coniuncti à cauſa prima.* Dico tertiò, eandem eſſe dependentiam ad Deum, quantùm eſt ex parte effectus accidentis ſeparati, quæ fuit ad ipſum, vt erat coniunctum; tum quia dependentia antiqua eſt eadem realiter fundamento, vt ſæpiùs dictum eſt, quæ nequit deſtrui non deſtructo fundamento: & ex alia parte repugnat eam manere, quin maneat eius fundamentum, vt *ſuprà* probatum eſt: tum quia accidens per ſeparationem ſui non variatur in ſuo *eſſe* abſoluto: idem autem eſſe manens idem, reſpectiuè ad eandem cauſam, à qua eſſentialiter dependet, natum eſt vniformiter depẽdere, quantùm eſt ex parte ſui, quia ordo eſſentialis poſterioris ad prius quamdiu manet non variatur. Et ſi dicas accidens coniunctum dependiſſe à ſubiecto, non ita ſeparatum, iam reſponſum eſt ex præcedenti non dependiſſe aliter, quàm per inhærentiam, quæ eſt dependentia, quam recepit virtute agentis, & dependentia contingens, & ſeparabilis, manente ſuo fundamento in *eſſe*.

67 *Dependentia accidentis ſeparati terminatur ad ſpecialem Dei voluntatem.* Dico tamen quartò, ex parte Dei eſſe voluntatem diuerſam, & particularem, quâ terminat illam dependentiam à voluntate vniuerſali, quâ ipſum terminabat, vt fuit accidens coniunctum, quia hæc terminat dependentiam accidentis, vt præcisè à ſubiecto, & ſecundùm inhærentiam. Hæc alia terminatur ad accidens eiúſque dependentiam extra ſubiectum in *eſſe* ſeparato, & ſufficit hæc diuerſitas ex parte voluntatis, vt dicatur Deus ſupplere alias cauſas, ſi quæ ſunt conſeruationis formæ, & miraculosè accidens extra ſubiectum conſeruari, quia neque accidens ipſum, neque dependentia eius extra ſubiectum maneret ex vi prioris voluntatis, quæ terminatur de lege ad ipſum, vt in ſubiecto præcisè, ac proinde noua voluntas neceſſaria eſt, vt manet ſecundùm dependentiam à Deo in *eſſe* ſeparato. Hæc ergo dependentia ipſa accidentis antiqua, vt eſt ad voluntatem diuinam particularem, & nouam, ſeu diuerſam, æquiualet nouæ conſeruationi, & actioni, quamuis in entitate ſit eadem, & præter eam non detur nouus influxus, quia ſuperflueret, neque ineſſe poſſet, ſine variatione accidentis abſolutè in *eſſe* effectus. Et ſic patet mens Doctoris, qui negat eſſe nouam dependentiam ex parte ſeparati, ſed antiquam, quæ manet modo ſuprædicto.

68 *Reſponſio ad obiectionem.* Reſpondetur ergo ad obiectionem negando antecedens, quia & Deus aliter ſe habet ad accidens ſeparatum, non per actionem nouam, ſed per terminationem dependentiæ nouã, & diuerſam: dependentia etiam accidentis aliter ſe habet ad Deum in ratione termini, non in ratione dependentiæ. Dices, variato termino formali variatur relatio: ergo & dependentia. Reſpondetur, quando variatio eſt ſimpliciter in termino formali, concedo,

*Replica. Soluitur. Quomodo variatur volitas terminãs dependentiã.*

concedo, quando autem ſecundùm magis, & minùs, nego: in propoſito autem eſt variatio ſecundo modo: quia voluntas Dei prima, quâ producebatur accidens in *eſſe*, & terminat dependentiam eius in ſubiecto includitur in voluntate, quâ conſeruatur ſeorſum à ſubiecto: ideò manet terminus formalis dependentiæ, ſicut manet productio in conſeruatione quantùm ad realitatem actionis, & dependentiæ effectus ſecluſis connotatis.

*Reſponſio ad oppoſitum.* Ad alia quæ obiiciuntur, reſpondeo negando primam & ſecundam conſequentiam, & dico, quòd concurſus, quo Deus cauſat effectum in *fieri* ſimul cum cauſis ſecundis, neque ex parte effectus eſſet ſufficiens ponere effectum in *eſſe* ſe ſolo (quidquid aliqui dixerint, putantes hoc derogare perfectioni actionis diuinæ, quod non ſequitur) vnde admitto rationes ibidem adductas, & cauſas ſecundas ita agere in effectum ſimul cum cauſa prima, & ſicut in genere cauſæ efficientis integrant vnam cauſam ſeruato ordine, ita etiam habere vnum effectum. In hoc autem eſt differentia, quòd actio primæ cauſæ ſit neceſſaria, & eſſentialis, aliarum cauſarum neceſſaria hîc, & nunc, vt ſic procedit effectus à Deo: licèt non ſimpliciter neceſſariæ, quia alia productione poſſet independenter ab ipſis produci, & ſic actio earum eſt contingens.

Ad conſequentiam autem, quæ inde infertur. Reſpondetur ens abſolutum poſitum in *eſſe*, & permanens non dependere per ſe in ſui conſeruatione, niſi à ſolo Deo: non autem dependet forma abſoluta à materia per ſe eſſentialiter in *eſſe*, vt probatum eſt dicto ſecundo, ſed ad ſummum contingenter: ſiue qua dependentia poteſt manere forma in *eſſe*. 69 *Reſponſio ad conſequentiã.*

*Forma ſeparata minùs corruptibilis.* Imò minùs corruptibilis eſt forma ſeparata, quàm in ſubiecto, quia vt ſeparata ſubeſt actioni diuinæ tantùm per annihilationem, vt in ſubiecto etiam ſubeſt actioni cauſæ creatæ corrumpentis, inducendo oppoſitam: vnde ſequitur à fortiori non exigere intenſiorem influxum conſeruatiuum in *eſſe* ſeparato, vt eſt à cauſa prima, quàm in *eſſe* coniuncto.

Ad vltimum, quod dicitur de creatione. Reſpondetur, quòd conſeruatio formæ in *eſſe* ſeparato æquiualeat creationi conſeruatiuæ, quantùm ad modum eſſendi formæ, non tamen quantùm ad naturam actionis, & dependentiæ, quia creatio eſt productio rei totalis perſeuerans; forma autem illa fuit producta à cauſis ſecundis, & Deo ſimul; & licèt ſit eadem dependentia eius antiqua, tamen eſt alterius rationis à creatione, quia fuit ex materia. Ad tertium & quartum argumentum patet ex litera.

---

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm quodcunque accidens in Euchariſtia remanens ſit ſine ſubiecto?*

Alenſ. 4. *p. q.* 40. *m.* 1. 4, 1. 2. D. Bonau. *hîc a.* 1. *q.* 3. Richard. *a.* 1. *q.* 2. D. Thom. *q.* 1. *a.* 2. *&* 3. *p. q.* 77. *a.* 2. Henr. *quodl.* 8. *q.* 17. Ægid. *Theor.* 43. Suar. 2. *p. tom.* 3. *d.* 56. *ſ.* 5. *Vide* Scot. 7. *Met. q.* 8. 9. *&* 9. *Met. q.* 7. 10.

1 *Arg.* 1. *Text.* 4. AD ſecundum [a] ſic proceditur, & arguitur, quòd in Euchariſtia quodcunque accidens ſit ſine ſubiecto. Primò ſic, Quodlibet accidens eſt ibi ſine ſubſtantia: ergo ſine ſubiecto. Antecedens patet ex præcedente quæſtione. Primò ſic, ſeptimo Metaphyſicæ: *Subſtantia eſt primum omnium ratione.* Quod probat, quia neceſſe eſt in cuiuſcunque ratione, ſubſtantiæ rationem eſſe: non autem cadit ſubſtantia in rationem cuiuſcunque, niſi vt additum; alioquin illud non eſſet ens per ſe, *Text.* 14. in cuius ratione cadit, quod eſt contra Ariſtotelem *quinto Metaphyſicæ, cap. de Ente.* Non autem cadit vt additum, niſi vt ſubiectum. Hoc confirmatur, quia quando accidentia ſunt in ſubſtantia, ſubſtantia terminat dependentiam cuiuſcunque accidentis: ſed non terminat niſi vt ſubiectum: ergo, &c.

2 *Arg.* 2. Item, nullum accidens eſt ſubiectum alicuius accidentis in Euchariſtia: ergo quodlibet eſt ibi ſine ſubiecto. Conſequentia patet, quia non eſt ibi ſubſtantia. Antecedens probo primò, quia per Philoſophum quarto Metaphyſicæ: *Accidens*, inquit, *non accidit accidenti, niſi quia ambo accidunt eidẽ ſubiecto: nihil enim hoc illi magis, quàm illud accidit huic.* *T. com.* 14. Secundo ratione, tum quia ſicut ſubſtantiæ conuenit per ſe eſſe, ita accidenti inhærere: ergo ſicut repugnat ſubſtantiæ inhærere, ita accidenti per ſe eſſe, vel ſubſtare: tum, quia quod terminat dependetiam aliquam, non dependet dependentiâ eiuſdem rationis: ſed omne accidens dependet dependentiâ ad ſubiectum: ergo nullum determinat hanc dependentiam.

*Arg.* 3. Item, aliquod accidens eſt ibi ſine ſubiecto: ergo quodlibet poteſt eſſe. Antecedens patet, quia accidens, quod primò natum eſt ineſſe ſubſtantiæ, non habet ibi ſubiectum: quia non eſt ſubſtantia ibi. Conſequentia probatur, tum quia quodlibet accidens æquè eſſentialiter dependet à ſubiecto: tum quia in dependentiis neceſſariis, vel eſſentialibus eſt magis neceſſaria dependentia ad primum. Patet in cauſis, quia dependentia ad primam cauſam eſt ſimpliciter neceſſaria: ergo magis eſt neceſſaria dependentia ad ſubſtantiam,

ſtantiam, quàm ad quodcumque accidens: ſi ergo aliquod poteſt eſſe accidens ſine dependentia ad ſubſtantiam; ergo quodlibet poterit eſſe ſine dependentia ad quodlibet ſubiectum.

Item quartò, magis videtur repugnare accidenti relatiuo, ſeu reſpectui eſſe ſine ſubiecto, quàm cuicunque alteri: ſed iſtud poteſt eſſe ſine ſubiecto: ergo quodcunque aliud. Probatio minoris, quia ſi repugnaret: aut ergo vnde accidens, aut vnde relatio: non vnde accidens, quia tunc repugnaret cuilibet accidenti. Nec vnde relatio, quia tunc repugnaret relationi diuinæ, quod falſum eſt: quia non eſt in ſubiecto: & probatur, quia illa eſt infinita, & infinitum eſt per ſe ens. Prima propoſitio probatur, quia illa eſt eſſentia diuina, & ita infinita. Secunda probatur, quia conditiones ſimpliciter perfectæ entis, ſecundùm quòd ens, conueniunt eidem, ita quòd vna aliam infert, ſicut neceſſitas infert actualitatem, & infinitas neceſſitatem, & ſic de aliis: ergo illud quod habet infinitatem, habet etiam per ſe *eſſe*, quæ eſt conditio nobilis in ente. 3 *Arg. 4.*

Oppoſitum videtur per ſe manifeſtum, quia tunc oporteret dicere, quòd in Euchariſtia quilibet motus poſſibilis ibi eſſet ſine mobili. Sequeretur etiam aliud, quòd reſpectus eſſet ibi ſine fundamento: eſt enim ibi æqualitas huius quantitatis ad aliam quantitatem tantam: eſt ibi etiam ſimilitudo iſtius qualitatis ad aliam qualitatem eiuſdem ſpeciei: & eſt circumſcriptio paſſiua, ſiue locatio huius dimenſionis contentæ à continente: nec æqualitas per te eſt in quantitate, nec ſimilitudo in albedine, nec circumſcriptio in quantitate: & per conſequens iſtæ relationes eſſent, & non in aliquo fundamento. 4 *Rat. ad opp.*

Si conſequens non ſtatim apparet inconueniens. Probatur inconueniens per hoc, quia nihil dicitur formaliter tale, niſi per aliquam formam ſibi inhærentem formaliter: hæc autem quantitas dicitur formaliter æqualis, & hæc qualitas ſimilis, & hæc dimenſio locata: ergo illud, à quo denominatur ſubiectum, ineſt ſubiecto, vt forma.

## COMMENTARIVS.

1 2 *AD ſecundum ſic proceditur*, &c. In hac quæſtione declaratur ordo accidentium ad quantitatem; ſupponitur enim quantitatem eſſe in ſubiecto, & quæritur idem de qualitatibus. Prima ſententia eſt, quantitatem tantùm eſſe extra ſubiectum, & poſſe eſſe, non autem qualitates. Hæc eſt Ægidij, & aliquorum diſcipulorum ſancti Thomæ, qui indiuiduationem qualitatum reducunt ad quantitatem, ſeu ad materiam ſignatam quantitate: vnde ſicut qualitates nequeunt ſe ipſis indiuiduari, & produci, & conſeruari nihil poſſit, niſi indiuiduum, conſequenter tenetur non eas conſeruari ſeparatim ab omni ſubiecto.

*Prima ſententia.* *Ægidij, & antiquorum.*

Secunda ſententia, qualitates in Euchariſtia eſſe ſine omni ſubiecto, & tenetur ſecundùm varia principia; eam tenet Gotfredus in litera §. *Secunda opinio*, &c. ex eo quòd patet nullum accidens poſſe ſubiectari in alio accidente, per modum ſubiecti, quidquid ſit de ordine inter ipſas formas. Nominales eandem tenent ex negatione eius, quod ſupponitur, nempe quantitatem diſtingui realiter à ſubiecto, aut quantitatem panis manere, cùm quodlibet ſeipſo ſit quantum, non per aliud. 2 *Secunda ſententia.* *Varij modi eius explicandi.* Gotfredus. Nominales.

Tertia ſententia eſt communis, nempe qualitates non eſſe de facto abſque omni ſubiecto. *Tertia ſent.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Ægidij ſolam quantitatem poſſe eſſe ſine ſubiecto, probatur quatuor rationibus. Scotus oſtendit has rationes nihil probare, reſpondendo ad ſingulas.*

Hîc ſunt duæ opiniones extremæ. Vna, quæ ponit ſolam quantitatem in Euchariſtia eſſe, & poſſe eſſe ſine ſubiecto: pro qua ſunt quatuor rationes. Prima eſt iſta: Sola quantitas indiuiduatur per ſe, & omnia alia accidentia per quantitatem: ergo ſi aliquod accidens eſſet, & non in quantitate, eſſet *hæc*, & non eſſet *hæc*. 5 *Ægid. Theor. 36. 37. 38. 39.*

Item, ſi eſſet albedo ſeparata à quantitate, eſſet ſenſibilis, & non ſenſibilis. Quòd autem ſenſibilis, probo, quia eſſet per ſe de tertia ſpecie qualitatis. Quòd autem inſenſibilis, probatur, quia non quantum non poteſt ſentiri. Et hoc ſi negetur, probatur, quia ſecundùm Philoſophum de ſenſu & ſenſato: *Si ſenſibile diuideretur in infinitum, virtus ſenſitiua diuideretur in infinitum.* Hæc conſequentia non valet: niſi ſecundùm diminutionem ſenſibilis oporteret creſcere virtutem ſenſitiuam: ergo ſi improportionaliter eſt aliquod ſenſibile minùs, ſenſus creſceret improportionaliter; ſed ſenſibile indiuiſibile eſt minùs improportionaliter (vt ita loquar) quocunque ſenſibili quanto: ergo virtus ſenſitiua aliqua poterit eſſe improportionaliter maior quacunque alia. Conſequens eſt falſum: ergo, &c. *Cap. 7.*

Item,

Item, ſi albedo eſſet ſine quantitate, eſſet qualitas ſpiritualis, quia indiuiſibilis: & eſſet qualitas corporalis, quia in tertia ſpecie Qualitatis: & ita ſpiritualis, & non ſpiritualis.

Item quartò ſic, ſi albedo eſt ſine quantitate, & per conſequens ſpiritualis, non eſſet repugnantia, quin ineſſet ſpiritui, & ſic ſpiritus poſſet eſſe albus.

6 *Refutat rationes Ægidij.* Rationes autem iſtæ non probant intentum. Prima non, quia nullum ens eſt ſingulare formaliter per aliquid alterius generis: ſicut enim in quolibet genere eſt inuenire ſupremum in coordinatione illius generis, & omnia media genera, & ſpecies: ita eſt inuenire aliquod infimum per ſe in illa coordinatione, de quo omnia prædicantur, & ipſum non de alio. Qualitas ergo, etiam quando eſt in quantitate, non eſt hæc per quantitatem formaliter: ergo ſi eſt cauſa, eſt cauſa extrinſeca ſingularitatis ipſius qualitatis, & qualitas poteſt eſſe ſingularis ſine cauſa iſta extrinſeca. De hoc ampliùs habetur *lib. 2. diſt. 3. in quæſt. de indiuiduatione.*

*Vt inquit Ariſt. 1. Poſt. cap. 35. q. 4. 5. 6.*

*Potentia remota, & propinqua explicatur.* Secunda ratio de ſenſibili, & inſenſibili non concludit: ſenſibile enim poteſt dici, quod vel eſt in potentia remota, vt ſentiatur: vel quod eſt in potentia propinqua. In potentia remota eſt quicquid habet formam ſufficientem; non tamen ſub modo conuenienti, ſub quo oportet eam haberi ad hoc quòd ſentiatur. In potentia propinqua eſt, quod habet eam, vt ſtatim ceſſante impedimento poſſit ſequi actus.

*Tex. com. 7. Text. 10.* Iſta diſtinctio declarata eſt 1. *lib. diſtinct. 7.* de potentia generandi, & probata per auctoritatem Philoſophi *quinto & nono Metaphyſ.* Patet etiam per Anſelm. *de liber. arbitr. cap. 4.* vbi vult quòd nullam potentiam habemus in nobis, quæ ſola ſufficiat ad actum, ſicut exemplificat de viſu, qui non ſufficit ad actum videndi ſine obiecto, & medio illuminato, &c.

*Nulla potentia in nobis, ſola ſufficit ad actum.* Hoc modo albedo ſeparata eſſet ſenſibilis, accipiendo ſenſibile in potentia remota: quia eſſet forma, quæ ſecundùm ſe eſſet motiua ſenſus, licèt non ſub illo modo eſſendi: & propter hoc non eſſet ſenſibilis potentia propinqua. Nec propter hoc eſt aliqua contradictio, ſicut nec eſſet ſi argueres de diuiſibili, & indiuiſibili: illa enim albedo eſſet diuiſibilis potentia remota, quia poſſet eſſe in quanto, & tunc eſſet in potentia propinqua ad diuidendum: ſed non eſſet diuiſibilis potentia propinqua, quamdiu eſſet ſine quantitate.

7 *Albedo ſeparata ab omni ſubiecto eſſet ſenſibilis remotè, non propinquè.* Et cùm arguis, ſi eſſet ſenſibilis: ergo ſenſus ille improportionaliter excederet omnem alium ſenſum. Reſpondeo, conſequentia valeret, ſi eſſet ſenſibile alicui ſenſui in potentia propinqua, tunc enim ille ſenſus eſſet perfectior omni alio ſenſu ſecundùm illam proportionem, ſecundùm quam iſtud ſenſibile deficeret ab aliis ſenſibilibus. Sed licèt concedam, quòd ſit ſenſibile potentia remota: nullo tamen modo eſt ſenſibile alicui ſenſui in potentia propinqua: & ideò non oportet aliquem ſenſum poſſe ipſam ſentire ſub iſto modo eſſendi: nec per conſequens excedere improportionaliter alios ſenſus. Hoc enim tantùm ſequeretur, ſi eſſet ſenſibile in potentia propinqua, quia ſic arguit ibi Philoſophus de obiecto ſenſibili.

8 *Vide Varr. hìc.* Ad tertium dico, quòd eſſet ſimpliciter qualitas corporalis: quia eſſet apta nata ſimpliciter perficere corpus. Secundùm *quid* autem incorporea, quia non actu ens in corpore, ſicut ſubſtantia corporea, licèt eſſe ſine quantitate, adhuc eſſet corporea: quia eſſet apta nata eſſe ſub quantitate, Angelus autem ſic. Eſt etiam indiuiſibilis actu, diuiſibilis autem potentiâ remotâ, vel aptitudine, vt dictum eſt.

*Qualitas, ſine quantitate eſt corporalis, non ſpiritualis.* Ad quartum, non habet apparentiam, quia ſicut lapis non poteſt eſſe ſapiens, quia nullo modo habet rationem receptiui reſpectu ſapientiæ: ſic Angelus non poteſt eſſe albus, quia nullo modo ſuſceptiuus eſt formæ huius, ſiue iſta forma poneretur diuiſibilis, ſiue non.

*Angelus nõ eſt receptiuus formæ corporeæ, propter duo.* Nunc quidem eſt duplex ratio, quare non poteſt eſſe albus. Vna eſt extenſio in ipſa forma, & inextenſio Angeli. Alia ratio, quia hæc forma eſt hæc forma, & Angelus eſt Angelus. Et ſecunda ratio eſt eſſentialis ratio impoſſibilitatis; prima non: ergo prima ablata eſt poſſibilitas; nulla eſt conſequentia.

## COMMENTARIVS.

3 b *Hìc ſunt duæ opiniones extremæ*, &c. Adducit opinionem Ægidij cum ſuis fundamentis, quibus optimè, & clarè reſpondet in litera. Reſponſionem ad primum vide *in 2. diſt. 3. quæſt. 4. 5. & 6.* quæ docet de principio indiuiduationis, vbi hæc difficultas per ſe tractatur. Reſponſionem ad ſecundum, vide etiam *ſuprà diſt. 10. quæſt. 7. & 9.* & quæ ibidem diximus in commento, quòd nempe albedo ſeparata ſine quantitate, & extenſione eſſet ſenſibilis in potentia remota tantùm;

tum

tum quia est qualitas materialis exigens hæc, ad mouendum,& terminandum sensum,tum ex concomitantia sensibilis proprij ad sensibile commune in ordine ad sensationem.

*Dubium. Extensio entitatiua.*

Sed quid si albedo esset extensa entitatiuè?Respondetur argumentum supponere non dari talem extensionem,quæ tamen magis est secundùm mentem Doctoris, qui *in distinct.illa* 10. *supra* aliquoties distinguit præsentiam entitatiuam à quantitatiua: sed quidquid sit, eâ datâ videtur albedinem in eo casu habere posse debitam proportionem ad sensum mouendum:nam haberet quidquid requiritur:illa enim extensio,& situs secundùm ipsam,& distantia ac continuitas entitatiua, quâ pars eius conseruatur extra, aliam sufficeret in ratione magnitudinis apparentis,& ad mouendum sensum virtute sensibilis proprij.Ad tertium & quartum patet in litera.

*Entitatiua extensio sufficeret ad sensationem.*

## SCHOLIVM.

*Impugnat dictam sententiam, tenentem solam quantitatem posse esse sine subiecto. Primò, quia qualitas stat sine substantia,à qua essentialiùs dependet; ergo sine quantitate stare potest. Secundò, qualitas est perfectior quantitate: ergo non minùs ei repugnat esse per se. Antecedens probat quintupliciter per optimam doctrinam:ita communis, Dur.hîc q.1. Capr.q.1. Soto d.10. q.2.a.2. Ocham 4.q.7.Gabr.lect.44.Ferrar.4.contra Gent.cap.65.*

Contra[c] opinionem etiam istam primam,quantùm ad conclusionem eius, primò arguitur sic:Dependentia ad primum est essentialior,quàm ad aliquod posterius,loquendo de absolutis dependentibus, & terminantibus dependentias: qualitas est forma absoluta,sicut quantitas:ergo essentialiùs dependet qualitas à substantia, quàm à quantitate. Si ergo potest esse qualitas sine dependentia actuali ad substantiam,poterit esse sine dependentia actuali ad quantitatem. 9

Item,absoluto & perfectiori non magis repugnat per se esse,quàm absoluto,& imperfectiori:qualitas est forma absoluta etiam secundùm eos, & perfectior, quàm quantitas: ergo, &c. Probatio minoris quantùm ad secundam partem, primò, quia qualitas est per se principium agendi actionem realem;patet,& ipsi concedunt:quantitas non,quia nulla actio realis, vt hîc loquimur, conuenit quantitati.

*Probat quinque rationibus qualitatem esse perfectiorem quantitate.*

Secundò, quia secundùm ordinem substantiarum attenditur ordo qualitatum: substantiis enim nobilioribus correspondent qualitates nobiliores: non autem sic correspondet ordo quantitatum: non enim semper nobilior substantia est maior in quantitate: maxima enim corpora in genere corruptibilium sunt elementa; & tamen sunt imperfectissima:illud autem videtur perfectius, quod proportionaliter correspondet in sua perfectione perfectiori.

*Nobilioribus substantiis correspondent nobiliores qualitates.*

Tertiò, quia qualitates substantiæ perfectæ consequuntur fines suos: vel enim actus beatificus est qualitas,de quo tactum est *primo libro distinct.tertia*: vel si non, saltem secundùm communem opinionem ad Beatitudinem requiruntur aliquæ formæ supernaturales, vel aliqua forma, quæ est qualitas: quantitas autem nullo modo est substantiæ principium attingendi finem suum. *q.6. n.32. & quodl.13.*

Quartò,quia quantitas sequitur compositum ratione materiæ: qualitas autem ratione formæ: forma autem est simpliciter perfectior materia,*sept.Metaph.cap.2.* Et istud vltimum fortè est ratio primi, secundi, & tertij medij. Propter hoc enim ordo qualitatum correspondet secundùm perfectionem ordini substantiarum secundùm perfectionem:& propter hoc qualitas est principium actionis realis: & etiam ipsi substantiæ principium attingendi finem suum. 10 *Text.7. & inde.*

*Quantitas sequitur materiam,qualitas formã.*

Quintò,quia quod magis conuenit cum perfectione simpliciter,est simpliciter perfectius: qualitas autem, vtpote sapientia, magis conuenit cum perfectione simpliciter, & similiter intelligere & velle,quàm aliqua quantitas,vel quia vna est ratio formalis sapientiæ diuinæ,& sapientiæ creatæ, quæ est qualitas secundùm vnam opinionem tactam *primo lib.distinct.octaua*:vel si non,saltem quantùm ad omnem propinquitatem in analogia, maior est propinquitas sapientiæ creatæ ad sapientiam diuinam, quàm alicuius quantitatis ad Deum, vel aliquid eius. Vnde sicut possibile est perfectionem simpliciter esse in creatura,scilicet cum limitatione,qualitas,quæ est sapientia, est perfectio simpliciter habentis eam: nulla autem quantitas est perfectio simpliciter, nec etiam sicut possibile est creaturam habere perfectionem simpliciter.

*Qualitas est perfectio simpliciter creatura.*

11 Quod est propinquius perfectiori, est perfectius remotiori.

Contra istam rationem instatur sic; quia quod est propinquius perfectiori, est simpliciter perfectius:quantitas est simpliciter propinquior substantiæ, quàm qualitas:substantia autem est perfectissimum entium:ergo quantitas est perfectior qualitate.Respondeo, si in primo perfecto concurrunt simul multæ perfectiones, qualitercunque multæ, non curo, *explicatur*

curo, modò aliquid fortè poteſt eſſe ſibi propinquius ſecundùm vnam perfectionem, & non ſecundùm aliam, vtpote Deus eſt, ſimpliciter neceſſe eſt, & hæc neceſſitas eſt in ipſo perfectio ſimpliciter; quantò ergo aliquid eſt magis neceſſarium, tantò erit propinquius Deo; & ſic cœlum eſt Deo propinquius quocunque corruptibili. Præter hoc autem Deus eſt natura intellectualis ſimpliciter perfecta. Huic ſecundùm hoc magis appropinquat creatura merè intellectualis, licèt finita, cuiuſmodi eſt natura Angelica: poſt hanc natura intellectus noſtri, licèt non merè intellectualis, & finita: poſt hanc natura ſenſitiua, quæ magis appropinquat intellectuali, quàm non ſenſitiua. In hoc ergo ordine propinquius eſt Deo muſca, quàm cœlum. Poſſet ergo inferri ex primo ordine, quòd cœlum eſt propinquius Deo, & per conſequens perfectius muſca: ex ſecundo autem ordine, quòd muſca eſt perfectior cœlo, & ita oppoſita.

12 Dico ergo, quòd quandocunque in primo concurrunt perfectiones qualitercunque diſtinctæ, vel diſparatæ, illud eſt ſimpliciter perfectius, quod eſt ſibi propinquius ſecundùm illud, quod habet rationem perfectioris: ſicut ſecundùm Philoſoph. 3. *Topic.* non ſequitur ſimiam eſſe meliorem equo, licèt ſit ſimilior homini: quia non eſt homini ſimilior in conditionibus nobilioribus ſimpliciter, conditio autem nobilior ſimpliciter in primo eſt intellectualitas, quàm neceſſitas eſſendi, eo modo intelligendo magis, quo eſt ibi diſtinctio, & ideò homo eſt ſimpliciter nobilior cœlo. Nec mireris talem ordinem diuerſum aſſignari ad primum, ſecundùm diuerſas perfectiones: quia quælibet perfectio poteſt eſſe principium vnius hierarchiæ naturalis, vel ſecundùm Philoſophos vnius catenæ aureæ: & ita ſecundùm diuerſas perfectiones ſimpliciter in primo participatas ordinatæ à diuerſis poſſunt attendi diuerſæ catenæ aureæ.

*Cap. 2. Propinquius perfectiori, ſecundùm rationẽ perfectioris, eſt perfectius.*

*Qualitas quomodo propinquior ſubſtantiæ, quam quantitas, & è contra.*

Ad propoſitum dico, quod in ſubſtantia, vt eſt primum entium, eſt duplex ordo prioritatis; vnus in ſubſtando aliis, quod includit recipere alia, & perfici ab eis: alius actualitatis intenſiuæ, & ſecunda perfectio eſt ſimpliciter maior, quàm prima; quia prima conuenit potentiali, vel ſaltem requirit illud, cui conuenit eſſe potentiale. Quantitas autem propinquior eſt ſubſtantiæ ſecundùm primam rationem: quia immediatior ſecundùm rationem receptiui: qualitas autem ſecundùm aliam, ipſa enim eſt principium agendi, non ſic quantitas: & ſecundùm hoc apparet minor actualitas eius.

## COMMENTARIVS.

4 c *Contra opinionem etiam iſtam*, &c. Impugnat iſtam ſententiam, quantùm ad concluſionem, ſeu aſſertionem eius. Rationes ſunt claræ, & concludentes reducuntur ad hoc, qualitas conſeruatur ſeorſim à ſubſtantia, ad quam magis, & per ſe dependet, quàm à quantitate: ergo poteſt à fortiori qualitas ſeparata à quantitate, vel produci, vel conſeruari diuin virtute.

Concluſionem autem Doctoris, & ſententiam ſequuntur non ſolùm eius ſcholæ diſcipuli, ſed etiam Durandus *quæſt. 1. ad 2. hac diſtinct.* & Capreolus *ibidem.* Ferrarienſis *4. contra Gentes, cap. 65.* Sotus *in 4. diſt. 10. quæſt. 2. art. 2.* Nominales omnes ex præſcripta ſententia. Suarez *diſp. 56. ſect. 3.* Vaſquez *194. cap. 3.* & communis modernorum.

Durandus. Capreolus. Ferrar. Sotus. Nominales. Suarez. Vaſquez.

Probat etiam Doctor concluſionem ex maiori perfectione qualitatis ſupra quantitatem, quia hæc ſequitur formam, & imitatur perfectionem ſubſtantiæ, quæ eſt penes formam, quantitas perfectionem, quæ eſt ſecundùm materiam, quæ minor eſt, qualitas eſt principium agendi: perfectiorem ſubſtantiam, ſequitur perfectior qualitas ſecundùm ſpeciem, non ita quantitas: & qualitas coniungit ſubſtantiam ſui perfectiſſimo, & vltimo fini: diſponit etiam ad productionem, & conſeruationem eius.

5 *Perfectior qualitas, quã quantitas.*

Et poſtea ſubdit egregiè quomodo hierarchia naturalis ſecundùm Patres, & Dionyſium, aut catena aurea, quod idem eſt ſecundùm Philoſophos, id eſt, ſeries perfectionum in rebus, vt participantur à primo ente ſecundùm diuerſos gradus perfectionis, & acceſſum, & receſſum ordinari debeat. Vnde in ſubſtantia, quæ eſt ſimpliciter ens reſpectiuè ad creaturas, eſt duplex ordo prioritatis: primus in ſubſtando accidentibus; ſecundus in actualitate, vt excludit potentialitatem: hic autem ordo eſt perfectior, & ſecundùm hunc ordinem qualitas imitatur ſubſtantiam, & in eam reducitur; quantitas ſecundùm priorem ordinem.

*Hierarchia naturalis.*

*Duplex ordo in ſubſtantia ad accidẽtia.*

## SCHOLIVM.

*Secunda ſententia eſt Gotfredi, nullum accidens ſubiectari in alio, quam tueri tenentur aſſerentes quantitatem non diſtingui à ſubſtantia, vt Ocham 4. q. 7. & tract. de Euchar. cap. 28. Maior. hîc q. 2. Gabr. lect. 44. in canon. Pro hac faciunt argumenta pro prima parte quæſt. adducta refutatur à Doctore tripliciter.*

13 *Gotfr. in 4. p. ſu. in materia de Euchariſtia.*

Secunda opinio eſt in alio extremo, ſcilicet, quòd nullum accidens poteſt eſſe ſubiectum alicuius accidentis, & per conſequens in Euchariſtia quodcunque accidens eſt ſine

ſine ſubiecto. Pro iſta opinione ſunt rationes factæ priùs ad principale ad primam partem quæſtionis.

Contra iſtam opinionem arguitur, primò ſic: illud eſt per ſe ſubiectum alicuius accidentis, de quo aliquod accidens prædicatur per ſe ſecundo modo: ſed de aliquo accidente prædicatur aliquod accidens per ſe ſecundo modo vt propria paſſio eius: ergo, &c. *Accidēs eſſe ſubiectum accidentis, tripliciter probat.*

Probatio maioris, illud de quo prædicatur accidens per ſe ſecundo modo, cadit in definitione accidentis, vt additum: & non niſi additum vt ſubiectum, quia nullam aliam dependentiam habet definitum ad tale definiens. Minor patet, quia vniuerſaliter omnes paſſiones demonſtratæ in tota ſcientia Mathematica demonſtrantur de accidentibus, & per ſe ſecundo modo dicuntur de eis. Patet incipiendo à prima concluſione Arithmeticæ, vel Geometriæ vſque in finem; in tantum, quòd quælibet ſcibilis paſſio æquè ſciretur de eo, de quo ſcitur, ſi nulla eſſet ſubſtantia corporea in vniuerſo: non enim minùs triangulus haberet tres angulos, &c. & ſi in nulla ſubſtantia eſſet triangularitas, nec minùs poſſent tres lineæ eſſe latera trianguli æquilateri, etſi nulla eſſet ſubſtantia ſubiecta eis. *Omnes paſſiones in Mathematica demonſtrantur de accidētibus.*

Item: pro hoc eſt Auicenna 2. *Metaph. c.* 1. vbi manifeſtè vult, quòd aliquod accidens eſt ſubiectum alterius accidentis: & exemplificat, ſicut motus eſt ſubiectum velocitatis, & tarditatis. Et hoc tertiò apparet in propoſito per illam rationem factam ad oppoſitum: quia manifeſtum eſt hîc eſſe multas relationes, quibus aliqua referuntur, vt æqualitatem, ſimilitudinem, circumſcriptionem paſſiuam: non autem poſſunt illæ relationes poni, & non in ſubiecto: quia non poſſunt abſoluta referri iſtis relationibus, niſi illæ relationes eſſent formaliter in eis.

## SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris conſiſtit in ſex dictis. Primum, accidens non poteſt eſſe ſubiectum vltimatum accidentis. Secundum, accidens poteſt eſſe ſubiectum propinquum accidentis, ex adductis contra ſecundam opinionem. Tertium, accidens abſolutum poteſt eſſe ſine ſubiecto propinquo & vltimato, ex adductis contra primam opinionem. Quartum, accidens reſpectiuum non poteſt eſſe ſine omni ſubiecto. Quintum, reſpectus de facto in Euchariſtia, ſunt in ſubiecto propinquo. Sextum, qualitas in Euchariſtia ſubiectatur in quantitate: tenendo hanc diſtingui à ſubſtantia ſecundùm communem. Secundùm Nominales aliter reſpondendum eſſet. De quo Scot. 2. d. 12. q. 1. vbi §. dico igitur: & ad ſecundum à ſe factum, tenet quantitatem diſtingui à re quanta, ſed non videtur reputare oppoſitum improbabile, ex dictis hîc, & infrà quæſt. 5. num. 4.*

Ad [d] quæſtionem ergo reſpondeo, mediando inter opiniones prædictas, diſtinguendo de ſubiecto, prout accipitur pro vltimatè terminante illam dependentiam alicuius actus per accidens: aut pro quocumque terminante illam dependentiam proximè, etſi non vltimatè: hoc eſt, pro quocumque, cui aliquis actus poſſet ineſſe per accidens tanquam forma eius, non faciens vnum per ſe cum ſubiecto. 14

Primo modo planum eſt, quòd nihil poteſt eſſe ſubiectum accidentis, niſi ſubſtantia. Secundo modo dico, quòd poſſibile eſt aliquod accidens eſſe ſubiectum accidentis, ſicut probant illa, quæ tacta ſunt contra ſecundam opinionem: & poſſibile eſt accidens quodcumque abſolutum eſſe ſine ſubiecto vtroque modo, ſicut probant illa, quæ adducta ſunt contra primam opinionem. Sed accidens reſpectiuum non eſt poſſibile eſſe ſine ſubiecto ſecundo modo, quia non eſt poſſibile, quòd ſit reſpectus inter duo, quin ſit alicuius, & ad aliquid: & hoc non ex ratione accidentis, ſed ex ratione reſpectus, non poteſt autem eſſe reſpectus alicuius ad aliquid, niſi inſit illi cuius eſt reſpectus: & ita ſi eſt accidentis, inerit ſibi tanquam accidens: & ſic patet de poſſibili, quòd accidens poſſit eſſe ſine ſubiecto, & hoc, ſubiecto ſic vel ſic ſumpto. *Omnis reſpectus neceſſariò eſt alicuius, & ad aliquid.*

Sed de facto quid? Reſpondeo, accidens reſpectiuum eſt hîc in ſubiecto, ſecundo modo loquendo de ſubiecto: quia illius eſt habitudo ad terminum. Sed de abſolutis diuerſimodè opinantes, de quantitate reſpondent diuerſimodè. Qui enim dicunt quantitatem eſſe aliam eſſentiam abſolutam ab eſſentia ſubſtantiæ corporeæ, & qualitatis, ſicut dicit communis opinio, dicerent quantitatem hîc eſſe ſine ſubiecto, ſed non qualitatem, imò quòd qualitas eſt in quantitate. Et pro hoc eſt iſta probabilitas, quia qualitas hæc eſt extenſa, patet ad ſenſum: non eſt autem extenſa eſſentialiter ſine extenſione, quæ ſit intrinſeca qualitati ſecundùm iſtam opinionem, ſed tantùm per accidens: ſed omne extenſum per accidens, vel recipit extenſionem in ſe, quâ extenditur per accidens: vel recipitur in extenſione, vel extenſo: qualitas autem non recipit in ſe extenſionem 15 *In Euchariſtia qualitas ſubiectatur in quãtitate, & ratio huius.*

tenſionem ſecundùm iſtam opinionem: ergo eſt tantùm extenſa per accidens, quia recipitur in extenſo: & hoc concordat cum illo dicto in Prædicamentis, *cap. de Quantitate*, quanta eſt ſuperficies, tanta eſt albedo.

*Ocham in 4.q.1.huius materiæ.*

Qui autem dicerent quantitatem ſubſtantiæ corporeæ, non eſſe aliud ab eſſentia talis ſubſtantiæ, & quantitatem coloris non eſſe aliud à colore; dicerent qualitatem hîc non eſſe in quantitate, imò magis quantitatem, quæ apparet eſſe quantitatem qualitatis: ſed de iſta altercatione habetur *lib.2.diſt.12.quæſt.1.*

16

*Ad arg.1. Omne accidens in Euchariſtia caret ſubiecto propinquo, vel remoto.*

Ad ᵉ argumenta principalia. Ad primum concedo, quòd quodlibet accidens caret ibi ſubiecto aliquo, accipiendo ſubiectum primo modo, ſcilicet vltimatè terminans dependentiam accidentis. Nec plus probat illa ratio ſumpta *ex 7. Metaphyſ.* Ideò enim in definitione omnium accidentium ponitur ſubſtantia, quia nullius poteſt haberi conceptus perfectus quietans intellectum, ſine additione ſubſtantiæ; ſed non propter hoc ſubſtantia eſt immediatum additum in definitione cuiuſcumque accidentis: imò in definitione alicuius eſt immediatum, tanquam proximum receptiuum: in definitione verò alterius eſt additum, vt mediatum receptiuum mediatè terminans eius dependentiam, & immediatè dependentiam alicuius alterius, ad quod illud dependet.

*Ad 2.*

Ad ſecundum dico, quòd accidens poteſt eſſe ſubiectum accidentis ſecundo modo accipiendo ſubiectum: licèt non primo modo. Ad auctoritatem, 4.*Metaphyſ.* poteſt dici tripliciter. Primò, quòd ly *quia*, non ſit nota cauſæ, ſed concomitantiæ, vt ſit ſenſus: non enim accidit accidens accidenti, niſi *quia*, id eſt, quando ambo accidunt alteri. Hoc enim erat neceſſarium apud Philoſophum, qui non reputabat accidens ſine ſubiecto poſſe ſupportare aliud accidens, vt dictum eſt in quæſtione præcedente.

*Ly quia quandoque denotat cõcomitantiã, non cauſam.*

Secundò poteſt dici, quòd loquitur de accidentibus diſparatis, ſicut prætendit exemplum ſuum ibi: dicit enim vt album muſico.

*Non accidit accidens accidenti: niſi quia ambo alteri, explicatur tripliciter.*

Tertiò poteſt dici, quòd illud non eſt dictum tanquam verum, quòd accidens non accidat accidenti; ſed eſt dictum tanquam quoddam ſequens ex hypotheſi, quam intendit ibi improbare: arguit enim ſic, ſi contradictoria ſunt ſimul vera: ergo omnis prædicatio eſt per accidens, & per conſequens neceſſe eſt prædicationem in infinitum ire: ſed in infinitis non eſt ordo, 2. *Metaphyſ.* quia vbi non eſt aliquod primum, non eſt aliquod habitum: ergo nullum accidens habebit ordinem per ſe ad aliud accidens, & per conſequens non magis accidet hoc accidens illi, quàm è conuerſo.

*Text. com. 10.*

17

Et huic modo exponendi conſonat litera: non enim ait, accidens non accidit accidenti, niſi quia ambo eidem: ſed accidens non accidenti accidet, niſi quia, &c. per quod innuit ſe illam propoſitionem aſſerere, non tanquam veram, ſed ex prioribus: & hoc modo exponendo, magis poteſt ex illa auctoritate oppoſitum concludi, quàm propoſitum: erit enim ſecundùm iſtam expoſitionem illud illatum tanquam inconueniens, non affirmatum tanquam vetum.

Cùm probatur per rationem de per ſe eſſe, & in alio eſſe; patet reſponſio ex quæſtione præcedente: quia eo modo, quo iſta ſunt propria ſubſtantiæ, & accidenti, ita non poteſt competere accidenti per ſe eſſe, nec ſubſtare, ſicut nec ſubſtantiæ poteſt competere inhærere: hoc autem eſt accipiendo *ſubſtare*, ſicut competit vltimo terminanti dependentiam inhærentis.

18

*Quæ dependentia impedit terminare dependentiam alterius.*

Et cùm probatur vltimò per rationem dependentiæ, quòd non poteſt terminare dependentiam eiuſdem rationis; concedi poteſt omnino eiuſdem rationis: quia alia independentia requiritur in terminante vltimo, quæ independentia prohibet dependentiam omnino illi ſimilem, quæ eſt ad ipſum: ſed dependentia, quæ eſt aliquo modo eiuſdem rationis, non repugnat terminanti dependentiam: ſicut omnis creatura dependet ad Deum, & hoc in ratione cauſæ effectiuæ; & tamen vna creatura dependet ad aliam, ſicut ad talem cauſam: ſed non vt ad cauſam omnino primam effectiuam, qualis eſt dependentia ad primum.

Sic in propoſito omnia accidentia dependent ad ſubſtantiam, vt ſubiectum, primo modo accipiendo ſubiectum; & per conſequens nullum accidens poteſt terminare dependentiam eorum tanquam vltimatè terminans, quomodo pertinet ad ſubſtantiam terminare.

*Ad 3. Dependẽtia rationis ad fundamentum eſſentialis.*

Ad tertium, concedo conſequentiam de poſſibili, loquendo de quocumque accidente abſoluto. Si arguas de accidente reſpectiuo per hoc, quòd dependentia ad primum eſt eſſentialior, quàm dependentia ad aliquid poſterius. Reſpondeo, dependentia relationis ad fundamentum eſt eſſentialiſſima, ita quòd ſine ea non poteſt eſſe ratio relationis: ſi ergo ſubſtantia non poteſt eſſe fundamentum alicuius relationis; ſed

tantùm

tantùm accidens, neceſſe eſt illam relationem eſſentialiùs dependere ad accidens, quod poteſt eſſe fundamentum huius, quàm ad ſubſtantiam: ſed hoc eſt, non quia relatio eſt accidens: ſed quia relatio eſt relatio, vt dictum eſt in ſolutione præcedenti.

19

Ad quartum dico, quòd nullo modo relatio accidentalis pot eſt eſſe ſine ſubiecto, accipiendo ſubiectum ſecundo modo, quomodo fundamentum relationis accidentalis eſt ſubiectum eius. Ad probationem autem per diuiſionem, aut inquantùm relatio, aut inquantùm accidens, dico quòd diuiſio non eſt ſufficiens: eſt enim dare medium, ſcilicet inquantùm relatio accidentalis: illa enim relatio, quæ formaliter conſtituit ſuppoſitum per ſe, non eſt in aliquo ſubiecto: quia ſuppoſitum per ſe ens non habet formale inhærens, propriè loquendo de inhærente: quælibet autem relatio accidentalis eſt non conſtituens ſuppoſitum; & per conſequens cùm ſola illa, quæ conſtituit ſuppoſitum, ſit non inhærens; iſta erit inhærens.

*Ad 4. Cur relatio accidentalis nō poſſit eſſe ſine ſubiecto.*

Et patet in aliis: multa enim ſunt ſpecialia, quibus aliqua repugnant, non tamen repugnant per naturam vnius communis reperti in eis, nec per naturam alterius: ſed per naturam propriam quæ includit ambo iſta coniuncta. Vt ſi diceres, homini repugnat irriſibilitas: aut ergo inquantùm intellectuale, aut inquantùm animal. Et ſi inquantùm intellectuale, repugnaret & Angelo. Si inquantùm animal, repugnaret boui. Dico quòd neque ſic, neque ſic: ſed inquantùm homo eſt animal rationale. Sic in propoſito, inquantùm relatio eſt accidentalis, repugnat ſibi non eſſe in ſubiecto, accipiendo ſubiectum ſecundo modo.

Poſſet aliter dici, quòd relationi vnde relatio, repugnat non eſſe in ſubiecto aliquo, extendendo illud ad fundamentum: nec enim relatio diuina eſt ita per ſe, ſicut eſſentia diuina eſt per ſe, ſcilicet ſimpliciter ad ſe ens nullo modo indigens ad ſui *eſſe* alio quocumque, nec eſt ita per ſe ens, ſicut ſuppoſitum eſt per ſe ens: ſed ipſa ſecundùm rationem formalem neceſſariò eſt in fundamento, vt in præſuppoſito, & neceſſariò eſt in ſuppoſito, vt vel in præſuppoſito, vel vt formaliter per ipſam conſtituto.

20

Quòd etiam probatur relationem eſſe per ſe, quia infinita; etſi conſequentia poſſet concedi, tamen antecedens videtur negandum: nulla enim perfectione formaliter infinita caret aliqua perſona diuina; quia tunc non eſſet ſimpliciter perfecta: ſed quælibet caret aliqua relatione originis: ergo nulla relatio eſt formaliter infinita: & hoc patet ex ratione perfectionis ſimpliciter, quia ſecundùm Anſ. Monol. 15. *Eſt illud quod in quolibet melius eſt ipſum, quàm non ipſum:* non autem poteſt relatio eſſe ſimpliciter nobilior ſuo oppoſito: quia relatiua ſunt ſimul natura.

*Relationem diuinā non eſſe infinitam. Scot. quodl. 5. De hac diſſin. vide 1. d. 2. quæſt. 4. d. 8. q. 1. & quodl. 5.*

Quando ergo arguitur: eſſentia diuina eſt infinita, paternitas, vel relatio diuina eſt eſſentia: ergo paternitas eſt infinita: eſt figura dictionis, ſicut arguendo ſic: deitas intelligit: paternitas eſt deitas: ergo paternitas intelligit. Et ratio huius tacta eſt frequenter in primo libro: quia in abſtractis benè poteſt eſſe prædicatio identica: vbi autem prædicatum eſt adiectiuum, non poteſt eſſe vera, niſi ſit formalis. Si ergo maior vera eſt formaliter, vel identicè, non curo; & minor eſt tantummodò vera prædicatione identicâ inferendo concluſionem, quæ non poteſt eſſe vera, niſi formali prædicatione: vtpote quia prædicatum eſt aliquod adiectiuum; in illa illatione interpretor identicam prædicationem minoris eſſe formalem: quia non poſſet inferri concluſio iſta, niſi talis fuiſſet prædicatio in minori. Et in iſta interpretatione, quæ fit inferendo concluſionem, eſt commutatio, ſicut inferens ex præmiſſis. Socrates eſt homo, & Plato eſt homo: ergo Socrates eſt Plato; interpretatur fuiſſe hominem hoc aliquid in præmiſſis, quia aliter non poſſet inferre concluſionem ex præmiſſis: & ideò quale quid commutatur in hoc aliquid. Sic in propoſito; eſſentia eſt infinita, eſt prædicatio formalis, paternitas eſt eſſentia, eſt prædicatio tantùm identica; ſi inferatur, paternitas eſt infinita, non poteſt eſſe prædicatio niſi formaliter; & illa non ſequitur, niſi interpretando prædicationem in minori, quæ fuit tantùm identica, eſſe formalem; & per conſequens non ſequitur, niſi commutando prædicationem identicam in formalem.

21

*d. 2. 4. & 5.*

*Quare non valet, eſſentia eſt infinita, paternitas eſt eſſentia: ergo eſt infinita?*

## COMMENTARIVS.

6 d AD *quæſtionem ergo reſpondeo*, &c. Præmiſſis concluſionibus contra duas oppoſitas ſententias, & tertia de accidente reſpectiuo docet cum communi cætera accidentia eſſe in quantitate, tanquam ſubiecto non vltimato; & ſupponit *ex 2. diſt. 12. quæſt. 1.* vbi tenet diſtinctionem realem quantitatis à ſubiecto, & qualitate: quæ eſt communis ſententia.

Probatur primò ratione Doctoris: quia albedo, verbi gratiâ, eſt extenſa habens partes extra partes: ergo vel recipit in ſe vt ſubiectum extenſionem, & conſequenter quantitatem, vel ſubiecta

*Probatio ex effectu.*

iectatur in quantitate tanquam in ſubiecto. Conſequentia probatur, quia vel ideò forma recipit effectum alterius, vel quia ipſam recipit vt ſubiectum; vel quia recipitur in ipſa vt in ſubiecto, & quod recipitur in alio per modum recipientis recipitur.

*Ordo inter quantitatem, & qualitatem.*

Aliter autem ſe habent quantitas, & qualitas ad inuicem, quàm duæ qualitates in eodem ſubiecto: quia vna qualitas non ſupponit aliam, verbi gratiâ, albedo dulcedinem; aliàs non poſſint inueniri ſeorſim, quod falſum eſt; & formæ eiuſdem generis non dicunt ordinem per ſe ad inuicem, quia neutra ſic dependet ab alia. loquor de formis, quæ ſunt ſub eodem genere proximo, & abſolutis, quæ vt plurimum exigunt diuerſa ſubiecta, quia ſequuntur formas ſubſtantiales in ſpecie diuerſas, vel ſi exiſtunt in eodem aliquando; tamen ſeorſim etiam exiſtere poſſunt in diuerſis ſubiectis, quod probat vnam non ſupponere aliam.

*Subſumptum. Qualitas ſupponit quantitatem.*

Sed ad propoſitum qualitas non recipit in ſe quantitatem, vt ſubiectum eius, quia qualitas in ſui productione ſupponit ſubiectum, quantum & extenſum; tum quia, vt *ſuprà* præmiſimus, id exigit agens materiale, quod eſt eius productiuum, vniuerſim ad ſuam actionem, etiam quâ producit formam ſubſtantialem, vt experientiâ conſtat, & ſuperiùs probatum eſt, quantò magis ad productionem formæ accidentalis.

7 *Obiectio.*

Dices, quòd quantitas etiam producatur ab agente naturali: ergo non ſemper actio eius ſupponit quantitatem, aliàs duæ ſimul ineſſent, & vna quantitas dependeret ab alia, vt à ſubiecto, quod eſt contra ſuppoſitum principium. Reſpondetur, dato quòd quantitas inhæreat materiæ, facilem eſſe ſolutionem, quia ſic non producitur per actionem cauſæ naturalis, niſi quà dat ipſi terminum, nempe figuram, vt aliqui volunt, quæ ſequitur ad formam ſubſtantialem determinatam; vel certè, quà vnit duas quantitates ad inuicem ſub eadem forma ſubſtantiali, vt in augmentatione contingit iuxta hanc ſententiam.

*Reſpõſio. Quomodo ſe habet quantitas ad quãtitatem?*

Dato etiam quòd quantitas non ſit coæua materiæ, vt communis docet, & inſit immediatè in compoſito ſubſtantiali. Reſpondetur, quòd agens naturale ſupponit materiam quantam, quia hæc conditio exigitur, vt diſpoſitio ex parte ſubiecti, vt patiatur ab ipſo, ex parte agentis vt agat, quandoque autem quantitas emanat ab ipſa forma ſubſtantiali, vt in generatione; quandoque producitur per actionem agentis & motum, vt in augmentatione, in qua quantitas præſuppoſita habet rationem conditionis, non ſubiecti: conditionis, inquam, ex ratione data; non ſubiecti, vt colligitur à poſteriori.

*Secunda reſpõſio.*

*Quantitas nõ recipitur in alia quantitate.*

Quia ſi quantitas producta reciperetur in præſuppoſita vt ſubiecto, non faceret maius, ſed neceſſariò eius partes ſingulæ eſſent in ſingulis partibus prioris, & conſequenter non faceret maiorem extenſionem, quia exigeret partes extra partes, quoad dimenſiones alias, & diuerſas in ordine ad locum, quod eſt contra naturam formæ & ſubiecti, quia non inuenitur pars aliqua formæ, vbi non eſt pars ſubiecti: nec ergo quantitatis productæ extra partes quantitatis, in quam reciperetur in eo caſu: deinde daretur penetratio naturaliter duarum quantitatum.

8 Ex quibus patet ſolutio difficultatis, & qualitatem materialem eſſe poſteriorem quantitate, nec conſequenter in ipſa recipi vt in ſubiecto, quod non poſſet eſſe, ſi quantitas reciperetur in qualitate; econtrà pereunte quantitate perit qualitas, vt patet in diminutione: ergo eſt ordo inter ipſas non alterius rationis, quàm formæ ad ſubiectum: ergo, &c. Patet ſubſumptum, quia quantitas in nullo alio genere cauſæ eſt prior qualitate, quia non eſt effectiua quantitas: ergo non eſt aſſignabilis aliàs modus per quem dependeret ab ea qualitas, niſi tantùm materialis & ſubiecti.

*Reſpõſio.*

Dices eſſe formas ſubordinatas, ita vt priùs debeat ineſſe ſubiecto quantitas, quàm qualitas; non quòd hæc dependeat à quantitate; ſed quòd ſubiectum commune vtriuſque vt ſubſtantia dicat ordinem ad ipſas. Contrà, inde ſequeretur quòd qualitas, quæ eſt poſterior, non reciperet aliquem modum eſſendi à quantitate: ſed hoc falſum eſt, quia recipit partes extra partes: hoc non conuenit ipſi à ſubſtantia, quæ hunc modum eſſendi recipit à quantitate, cuius ille per ſe eſt effectus: ergo quantitas non ſolùm in ratione formæ prioris ſupponitur ad qualitatem materialem, ſed etiam vt ſubiectum. Ex quo patet ratio illa Doctoris, quam alij ex ipſo deſumunt.

*Impugnatio.*

9 *Secunda probatio.*

Secundò probatur concluſio ab experientia, quia contingit mutari ſpecies ſacramentales actione cauſæ naturalis: ergo ſupponit ibi aliquod ſubiectum; non aliud quàm quantitatem. Sed ad hoc reſponderi facile poteſt; nempe, illas mutationes fieri ad præſentiam agentis naturalis, ad quam producitur quidquid aliàs produceretur per ipſum, ſi adeſſet ſubſtantia: vt contingit etiam in mutationibus ipſius quantitatis, vt rarefactione, & condenſatione: item in actionibus ſubſtantialibus, quando producitur verbi gratiâ vermis, aut alia ſubſtantia, quia forma ſubſtantialis nequit educi de potentia quantitatis.

*Ratio eſt ſolubilis.*

Et hæc omnia ſunt conſequentia ad primum miraculum, vt ſaluetur fides myſterij, Deo efficiente circa ſpecies, quod aliàs fieret virtute cauſæ naturalis, ſi adeſſet ſubſtantia prior; vnde contingit etiam ſpecies ſacramentales nutrire non ſecus, ac panis & vinum nutrirẽt ſi adeſſent.

Et per hoc patet ad tertiam rationem, quæ hîc adducitur à modernis ex colligatione accidentium ad inuicem, quæ neceſſariò debet eſſe ex vnione eorum ad tertium, nempe ad quantitatem, quia diceretur eſſe hæc colligatio ex ordinatione diuina, & voluntate ſic conſeruante illa accidentia, ac ſi adeſſet ſubſtantia cum illo ordine eorum ad inuicem.

Videtur ergo ratio illa Doctoris deſumpta tantùm probare intentum.

10 Quæres, vtrùm vna, & eadem ſit inhærentia accidentium ad quantitatem, & ad ſubſtantiam? Reſpondet Suarez affirmatiuè, Vaſquez etiam loco citato aſſerit accidentia ita inhærere, quòd nullo nouo influxu indigeant, niſi in eo tantùm, quòd conſeruetur quantitas ſeparata: ſi dependerent à ſubſtantia, aliter quàm à quantitate, ipſe admitteret nouum influxum: ergo in eadem ſententia eſt.

Suarez. Vaſquez.

*Non eſſe eandem inhærentiã ad quantitatẽ, & ſubſtantiam.*

Reſpondetur tamen negatiuè, & ſequitur ex rationibus contra concluſionem Ægidij: dicendum ergo eſt inhærentiam qualitatis ad ſubſtantiam eſſe alterius rationis & entitatis ab inhærentia ad quantitatem. Probatur concluſio, ſi eadem eſſet inhærẽtia albedinis ad quantitatem, & ſubſtantiam, ſequeretur quòd per ſe nõ dependeret

*Probatio.*

detet à subſtantia, vt ſubiecto, ſed merè per accidens, ſeu remotè, hoc eſt abſurdum: ergo alia & alia eſt dependentia. Maior probatur, quia eiuſdem ad diuerſos terminos non eſt eadem dependentia æquè primò, cùm eadem relatio nequeat reſpicere diuerſos terminos; imò ne quidem in Diuinis, vbi abſoluitur à dependentia: ergo minùs in creatis, & conſequenter inhærentia non reſpicit niſi vnum terminum primò: ergo ſi inhærentia albedinis reſpicit quantitatem primò, ſequitur magis eam dependere à quantitate, quàm à ſubſtantia; neque à ſubſtantia dependere, niſi quà dependet à quantitate; & conſequenter non dependere per ſe à ſubſtantia, niſi inquantùm quantitas in ipſa eſt.

*Qualitas per ſe reſpicit ſubſtantiam.*

Probatur minor, quia diuerſæ ſubſtantiæ exigunt diuerſas qualitates in ſpecie, quæ ad ipſas ſequuntur; non tamen quantitatem ſpecie diuerſam. Item, ſunt perfectiones, diſpoſitiones, & proprietates Phyſicæ ſubſtãtiarum, ab ipſis emanant motus ad qualitates, dicitur violentus, aut naturalis per ordinem ad ſubiectum ſubſtantiale præcisè, non ad quantitatem, quæ eadem manet ſub diuerſis formis contrariis: verbi gratiâ, quantitas aquæ ſub frigore & calore, neque exigit vnam formam magis, quàm aliam, ex natura ſua: aliter dicitur qualitas conuenire ſubſtantiæ, quàm ea quæ conueniunt ipſi per quantitatem in ordine ad locum.

*Qualitatis proprietates in ordine ad ſubiectũ ſubſtantiale tantùm.*

Hæc omnia eſſent falſa, ſi qualitas aliter non referretur ad ſubſtantiam, quàm ad quantitatem eius: ſi autem eſſet vna ſola inhærentia ad vtrumque, non aliter reſpiceret ſubſtantiam quàm quantitatem, quia nulla eſt dependentia qualitatis vt formæ ad ſubiectum, præter inhærentiam, quæ ſi vna eſſet, reſpiceret ſubiectum remotum mediante primo, non aliter: ergo, &c.

11 *Obiectio. Sequi nõ poſſe agens naturale alterare ſpecies.*

Obiicies, inde ſequeretur quòd agens creatum non poſſet agere in quantitatem, nec alterare ſpecies, producendo, verbi gratiâ, calorem; ſed hoc eſt contra ſenſum & communem ſententiam: ergo. Patet ſequela, quia agens creatum non habet in ſua poteſtate ſubiectum: ergo ſi calor per ſe reſpicit ſubſtantiam, & per aliam dependentiam diuerſam ab ea, quæ eſt ad quantitatem, ſequitur non poſſe producere effectum ſuum ſine tali ſubiecto: aliàs etiam non eſſet maior ratio de illo, quàm de ipſa quantitate; ita vt ſine illa poſſet producere effectum ſuum; & ſic extra omne ſubiectum producere formam.

*Reſponſio.*

Reſpondetur primò, concedendo ſequelam; & tunc dicendum eſſet, quòd omnis actio ad quantitatem, & qualitatem, eſſet miraculoſa, prout dicunt Nominales, ex diuerſo tamen fundamento: quia illi putant quantitatem non differre à re quanta; imò conſequenter ſe habere ad illam, vt modum eius.

*Quare negatur alteratio.*

Nos autem oppoſitum eius ſentientes aſſerimus, ideò non poſſe alterari ſpecies virtute agentis creati, quia deeſt ſubiectum vltimatæ dependentiæ; nec videtur quantitas ſufficiens ſubiectum in propoſito reſpectu qualitatis; quia hæc per ſe dependet à ſubſtantia, vt ſubiecto vltimato, ſiue ſit eadem dependentia, ſiue diuerſa: eadem, inquam, quia ſic non reſpicit quantitatem, niſi vt ſubiectum *quo*; & mediante illâ ſubſtantiam, à qua principaliter dependet ex rationibus præmiſſis.

12 *Secunda reſponſio.*

Reſpondetur ſecundò, negando ſequelam, quia quia ad actionem agentis creati ſufficit dari aliquod ſubiectum, hîc autem datur quantitas; neque requiritur dari ſubiectum, ad quod naturaliter, ſeu ſecundùm inclinationem tam ſubiecti, quàm formæ ordinatur vltimatè ipſa forma, modò eidem ſine repugnantia ineſſe poſſit.

*Ad actionem ſufficit paſſum quodcũque capax.*

Exemplum eſt in motu violento, verbi gratiâ, quando calor in aqua producitur, aqua ex natura ſua repugnat ab appetitu intrinſeco: quia exigit qualitatem contrariam, nempe frigus: calor etiam ab intrinſeco exigit ſubiectum connaturale ſibi, quia quælibet qualitas ſequitur aliquam ſubſtantiam in genere, cuius eſt perfectio; & ſicut ſubiectum exigit ipſam, ita & ipſa exigit ſubiectum, vt connaturale, in quo magis conſeruatur, ſicut quælibet res inclinatur ad conſeruationem ſui *eſſe*: cùm ergo qualitas ordinetur, vt perfectio ſubſtantiæ, à qua dependet, petit ex ſe ſubſtantiam connaturalem ſibi, aut ſaltem non repugnantem, neque ab intrinſeco inclinatam ad contrariam qualitatem.

*Non exigitur connaturale, vt patet in motu violento.*

Virtus autem cauſæ naturalis non ita determinatur ad ſubiectum, ideò poteſt agere in quodcumque, quia nihil appetit, niſi paſſum reddere ſibi ſimile, & propagare ſuam ſpeciem, ac conſeruare; aliàs non poſſet rectè ſaluari generatio & corruptio. Sicut ergo ad nihil determinatur agens, niſi ad ſubiectum, ſiue illud ſit connaturale, & vltimatæ dependentiæ terminus reſpectu formæ, ſiue etiam repugnans, ſiue ſubiectum proximum, aut remotum, ſufficit ad ſaluandam actionem cauſæ creatæ.

*Agens creatum dependet à ſubiecto in genere.*

Ad propoſitum ergo vlteriùs dico hîc ſaluari requiſita ad actionem, quia Deus poteſt ſupplere in *fieri* defectum ſubiecti remoti, ſicut in *facto eſſe* formæ; & agens creatum poteſt ad ipſum agere, quia ſufficit quantitas pro ſubiecto actionis; vt communis tenet. Ex quo patet ad difficultatem; hæc reſponſio magis accommodatur ſententiæ communi, quàm hîc Doctor ſupponit, quia vtramque ſententiam tractat, tam Nominalium, quàm aliorum; & in communem magis inclinat, quia ſecundùm ipſam reſoluit difficultates. 13

*Agere poſſe in ſolam quantitatem.*

Non requiritur ergo ad poſitionem formæ in *eſſe*, vt quælibet eius cauſa per ſe concurrat, ſufficit vt ſaluentur per ſe eſſentialiter requiſita ad actionem, & effectum, quæ in propoſito ſunt actio Dei, & quantitas, vt ſubiectum reſpectu agentis creati; licèt non ſit ſubiectum vltimatæ dependentiæ requiſitum ex parte formæ. Ex quo non ſequitur inconueniens præmiſſum, nempe cauſam creatam poſſe abſolui à quocumque ſubiecto in ſua actione.

*Eſſentialiter requiſita ad actionem.*

Hæc difficultas de inhærentia qualitatis communiter non tractatur in ſpecie, quomodo ſe habeat ad illa ſubiecta diuerſa: diſſerendi gratiâ eam inducimus. Si dicatur eſſe vna inhærentia, oportet cõcedere illam eſſe principaliter ad ſubiectum ſubſtantiale ex præmiſſis, & tunc difficulter ſaluari poteſt, quomodo ſit ad quantitatem, niſi ſolùm per modum conditionis, quia eam eſſe æquè primò ad vtrumque repugnat ex dictis; & admiſſo præmiſſo nequit ſaluari ratio ſubiecti in quantitate propriè reſpectu formæ, aut agentis creati.

*Duplex modus explicandi difficultatem præmiſſam.*

Meliùs ergo admittitur duplex, quod confirmari poteſt, quia poteſt diuinâ virtute educi calor de potentia ignis, ſeclusâ quantitate, & etiam inhærere ipſi, quia magis ſaluatur ratio ſubiecti in ſubſtantia, quàm in quantitate: ſed hoc repugna

*Deus poſſet producere calorem in igne, ſine quantitate.*

pugnaret, ſi eſſet vna inhærentia, quæ primò eſſet ad quantitatem vt ad terminum, & mediatè ad ſubſtantiam: quia nequit ſaluari relatio ſine ſuo termino proximo: ergo melius dicuntur diuerſæ inhærentiæ ad diuerſa illa ſubiecta, ſicut multiplicantur dependentiæ diuerſæ eiuſdem effectus ad diuerſas cauſas efficientes. Hîc poteſt ampliùs inhærere quiſpiam magis curioſè, quàm fructuosè; ſufficit, quod dictum eſt ad intelligendum ordinem accidentis abſoluti ad ſubiectum, vt inde reſoluatur quid poſſit agens creatum circa ſpecies, quid verò nequeat. De accidente reſpectiuo non eſt, quod quidpiam dicamus.

14 *Explicatur intexta dicta reſponſio ad primum.*

e *Ad argumenta principalia*, &c. Reſponſionem ad primum argumentum poſſet quis retorquere contra id, quod dictum eſt proximè, quia in fine dicit, quòd ſubſtantia eſt additum immediatum, & receptiuum in definitione, verbi gratiâ quantitatis; receptiuum verò mediatum reſpectu aliorum. Reſpondetur, id intelligi de immediatione tam formæ, quàm etiam ſubiecti in hoc ſenſu, quòd quantitas priùs aduenit ſubiecto, quàm qualitas: deinde quòd qualitas ſupponat de facto quantitatem in ratione ſubiecti; non autem intelligitur de immediatione termini, quaſi ſubſtantia mediante quantitate, tanquam termino proximo, terminet dependentiam qualitatis: nam ſicut qualitas per ſe primò eſt perfectio debita ſubſtantiæ, tanquam enti ſimpliciter, & per ſe exiſtenti, ad quem modum exiſtendi reducitur exiſtere per inhærentiam in alio, vt in ſubiecto per inhæſionem; & ſicut qualitas eſt proprietas Phyſica ſubſtantiæ, & non quantitatis; proprietas autem ineſt ſubiecto, de quo demonſtratur, vt prædicatum proprium non per principia alterius entis, maximè quantitatis, ad quam non refertur qualitas hoc modo, ſed principia propria ipſius ſubiecti; inde ſequitur aliter dependere & ineſſe ſubſtantiæ, aliter quantitati; quantitas enim nullam in ſpecie qualitatē exigit ex ſe determinatè; ſicut ignis, verbi gratiâ, calorem, & aqua frigus.

Et hoc ipſum patet ex reſponſione ad ſecundum in fine; vbi aſſerit aliter ſubſtantiam terminare dependentiam accidentis, aliter quantitatem, & comparat vtrumque in ſuo genere, ad modum, quo ſe habet dependentia effectus ad cauſam primam, & ſecundam, quæ ſunt dependentiæ alterius rationis ſecundùm principia Doctoris in quæſtione præcedente, reſponſione ad ſecundum, & §. *Ad quæſtionem.* & infra reſponſione ad tertium concedit magis per ſe eſſentialiter, accidens abſolutum inhærere ſubſtantiæ, quàm quantitati.

Ad ſecundum, quod etiam adducunt Nominales *ex* 4. *Metaphyſ. text. com.* 14. aſſignat tres reſponſiones, quarum quælibet in textu habet fundamentum. Intendit Philoſophus non omnia dici ſecundùm accidens, tum quia ſic non eſſet aliquod dictum, ſeu prædicatum vniuerſale de quo 1. *poſter. cap.* 4. deinde quia ſi omnia per accidens dicerentur, procederetur in infinitum in prædicatione, & non eſſet ſtatus: deinde vt oſtendat non eſſe proceſſum in infinitum in prædicatione per accidens, complectitur duos modos prædicandi per accidens, vt quando dicitur album muſicum, vel homo albus, dicit prædicari vnum accidens de alio accidente, quia ambo vni tertio accidunt; vel accidens prædicari de ſubiecto, quia ineſt, non quòd vtrumque eidem tertio accidant.

15 *Ad ſecundum. Reducuntur tres ſolutiones data ad textum Philoſophi.*

*Explicatur prima.*

Secunda etiam ſolutio habet locum, quia in primo genere prædicationis per accidens intendit illa accidentia de ſe prædicari per accidens, quia inſunt tertio, nempe illa, quæ nullo modo ſibi inuicem ordinātur: prædicatio verò accidentis de quantitate, vt ſubiecto, reducitur ad ſecundum modum: vnde *in* 1. *poſter. textu* 35. hos etiam modos prædicandi per accidens docet, addens tertium, quæ eſt conuerſiua ſubiecti prædicatio de prædicato, quam hîc comprehendit ſub ſecundo membro.

*Explicatur ſecunda.*

Intendit ergo Philoſophus non eſſe proceſſum in infinitum in prædicatione ſecundùm accidens, quia eſt ſtatus in ſubiecto, ſiue primo, ſiue ſecundo modo fiat prædicatio. Tertium modum approbat Vaſquez. Videatur Doctor *in text. Philoſ. in comment. Mataphyſ.* Ad reliqua, & tertium patet ex dictis.

*Non dari proceſſum in infinitū in prædicatione per accidens. Tertia ſolutio patet ex litera.*

Ad quartum, dicit relationi repugnare eſſe ſine ſubiecto, non ſecundùm diuiſa, nempe quà relatio, neque quà accidens, ſed quia eſt relatio accidentalis, nempe quà tale ens determinatum eſt: reducitur ergo repugnantia ad hæc ipſa coniuncta ex dictis quæſtione præcedenti; quia relatio, inquantùm relatio, exigit eſſe alicuius, vt repugnet eſſe, niſi alicuius, cùm ſit ordo vnius ad alterum: ſed quà relatio eſt accidētalis, nequit eſſe alicuius, niſi per inhærentiam, quia accidit: ergo nequit eſſe ſine inhærentia. Illud quod ſequitur de diuinis irelationibus, & de commutatione prædicati identici in formale, videatur ſuo loco *in* 1. *diſt.* 2. *quæſt.* 4. *& quodlib.* 5.

16 *Ad quartum. Relationi cōuenit* ineſſe *per ſe.*

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm accidentia in Euchariſtia poſſint habere quamcumque actionem, quam poterant habere in ſubiecto?*

Alenſ. 4. *p. q.* 40. *membr.* 2. *art.* 3. D. Bonau. *hîc* 1. *p. art.* 2. *q.* 2. Richard. *art.* 3. *q.* 2. Durand. *q.* 2. Ocham *quæſt.* 7. D. Thom. 3. *p. q.* 77. *art.* 3. *&* 8. Suarez *ibi. d.* 57. *ſect.* 1. 2. *Vide* Scot. 7. *Metaph. q.* 8. 9. *&* 8. *Metaph. q.* 3. *de primo princ. c.* 3. *&* 2. *Phyſ. quæſt.* 5.

1 *Argum.* 1.

IRCA ſecundum [a] articulum quæro, Vtrùm accidentia in Euchariſtia poſſint habere quamcumque actionem, quam poterant habere in ſubiecto? Arguo quòd non, duplici via. Primò, quòd nullam omnino: ſecundò, quòd non eandem. Ad primam concluſionem arguitur ſic, deſtructo priori eſſentialiter, deſtruitur poſterius: prius eſſentialiter eſt *eſſe*, quàm *agere*: *eſſe* accidentis eſt inhærere:

inhærere ergo destructo *inesse* accidentis, destruitur omne *agere* ipsius. Et confirmatur, quia *inesse* conuenit accidenti tanquam propria passio eius: agere autem in subiectum conuenit sibi contingenter, sicut accidens per accidens.

Item, *agere* per se est suppositi, vt *ex primo Metaphysic.* habetur: accidens autem non potest esse suppositum: ergo, &c. *Arg.1.* Confirmatur ratio secundùm Boëtium de Hebdomadibus, dicentem: *In omnibus circa Deum, differunt, quo est, & quod est.* forma ergo, quæ nata est esse *quo*, respectu actionis, non potest esse agens: ergo præcisè suppositum quod natum est habere illam formam, quæ est *quo*, potest esse agens. Confirmatur etiam per exemplum, quia enim anima est quo homo est homo, ideò anima non potest esse homo: ita à simili forma, quæ nata est esse quo aliquis agat, non potest esse agens. *in proœmio. Boet.*

Confirmatur tandem specialiter in proposito, quia scilicet hæc forma quantitas separata, non videtur forma naturalis; quantitas enim separata videtur purè mathematica: sed secundùm Philosophum 3. Metaphysic. *in Mathematicis non est finis, nec motus, nec bonum.* *Tex.com.4.*

Ad secundam conclusionem, scilicet, quòd non omnis actio possit eis competere, quæ priùs arguitur sic. Primò de generatione dicit Philosophus, quòd *oportet agens, & patiens communicare in materia*: sed substantia habens accidentia communicabat in materia cum aliquo, cum quo non communicant ista accidentia separata in materia: ergo, &c. 2 *Arg.3. Text.87.*

Item 7. *Metaph.* arguitur contra ideas Platonicas, quòd idea non possit esse principium generandi compositum, quia est forma tantùm, sicut Commentator pertractat ibi rationem Philosophi, & valde malè: ergo à simili in proposito, formæ istæ non possunt esse principium producendi compositum: poterant autem esse principium, quando erant in substantia, sicut accidentia sunt principia producendi substantiam: ergo, &c. *Arg.4. Text.28.*

Item ad principale, si accidentia separata possint habere omnem actionem sine subiecto, quam priùs poterant habere in subiecto: ergo species intelligibiles separatæ ab intellectu, & charitas à voluntate separata, poterunt in easdem actiones, in quas poterant, quando priùs erant in subiecto. Consequens est falsum, quia tunc species intelligibilis separata posset intelligere, & charitas separata posset diligere: & ita vtrumque istorum posset esse beatum, vel simpliciter, vel quantùm ad aliquam partem Beatitudinis, quod est impossibile: quia nec Beatitudo tota, nec pars eius potest competere alicui, nisi naturæ intellectuali. 3 *Arg.5.*

Oppositum, quòd in aliquam eandem possint, quia accidentia separata sunt sensibilia: patet ad sensum: possunt etiam alterare passa sibi approximata, patet de modica aqua apposita speciebus vini: ergo in aliquam actionem possunt in quam priùs. *Rat. ad opp.*

Quòd autem in omnem, probatur, quia forma manens eadem in *esse* habet eandem virtutem, & per consequens potest esse principium eiusdem actionis: accidens separatum manet secundùm se idem quod priùs: ergo, &c.

## COMMENTARIVS.

1 *Controuersia vulgaris de virtute accidentis ad productionem substantiæ. Prima sent.* D. Thom. Caietan. Capreolus. Paludanus. Sotus. Ferrariensis. Suarez. Gabriel. Ocham.

a *Circa secundum articulum*, &c. Controuersia de virtute actiua accidentis respectu substantiæ producendæ est peruia & trita, nulla enim in tota Philosophia magis vulgaris. Aliqui docent formam substantialem non esse actiuam immediatè, sed accidentia in virtute substantiæ attingere productionem alterius substantiæ. Hæc est D. Thomæ *3. part. quæst.77. art.3. ad 3.* quem sequitur Caietanus ibidem. Capreolus, Richardus, Paludanus in præsenti distinctione. Sotus, & alij, vt Ferrariensis *4. contra Gent. cap.66.*

Suarez tribuit virtutem partialem substantiæ respectiuè ad productionem alterius substantiæ. Hanc sententiam videtur mutuasse à Gabriele *lect.45. in Canon.* quam tribuit Ochamo *in 4. quæst.7.* Huic sententiæ familiares sunt hi modi loquendi: vt accidens, vt instrumentum; substantiæ, vt virtus substantiæ, in virtute substantiæ, agit ad productionem substantiæ.

2 *Sententia Doctoris satis frequens.*

Contraria sententia est Doctoris, quòd neque accidens coniunctum, neque separatum agat ad productionem substantiæ; perinde enim de separatis & coniunctis opinandum est: quem sequuntur nostræ scholæ Doctores multi recentiores: videatur Aretinus, Faber, Tartaretus: hîc ego nolo ipsi plurimùm immorari: eam probat Doctor variis rationibus, in hoc, & sequentibus §§. *Accidens non agere ad substantiam.*

Reducuntur, vt plurimùm ad hoc quòd substantiæ, quæ est perfectissimum ens, danda est virtus actiua, quæ est perfectionis, quod imperfectius in *esse* nequeat producere perfectius se, alioquin tolleretur modus colligendi perfectionem causarum ex perfectione effectus, & potissimùm primæ causæ supra reliquas: quòd si substantia non sit actiua immediatè, nihil potest in virtute eius causare, quia quod non est actiuum ex se, nequit communicare actionem, aut virtutem agendi in aliis. *Fundamenta Doctoris. Ex perfectione causæ.*

Deinde substantia, quæ non est, nequit agere, aut in virtute eius fieri effectus, quia *esse* est conditio per se requisita ad agendum in causa physica, quæ sit materia, forma, efficiens: quando produ- *Ex conditione necessaria existentiæ.*

citur autem viuens per putrefactionem, vt rana, nulla alia existit, neque causa vniuersalis creata sola potest esse causa viuentis, quia non includit differentiam viuentis formaliter in *esse*, minùs autem eminenter, aut virtualiter, quia viuens est perfectius simpliciter omni non viuente, qualis est Sol; quod in alio includitur eminenter est imperfectius illo: in cuius ergo subſtantiæ virtute producitur illa rana?

*Viuens perfectius non viuente.*

*Responsio. Impugnatur.*

Aliqui dicunt in virtute subſtantiæ vniuocæ, verbi gratiâ, ranæ. Contrà, sed hæc non est actiua, nisi vt existit in aliquo singulari; non ipsius subſtantiæ ranæ, quæ producitur: quia causa, & effectus non coinciduntialia rana non ſupponitur in *esse*, & si ſupponeretur, nihil agit, nisi per viam propagationis, & generationis vniuocæ, quia aliter non est actiua, neque applicatur in proposito ad agendum.

3 Ex quibus ſequitur in his non saluari rationem causæ per ſe requisitæ: oportet ergo recurrere ad causam primam, quâ ſupplet defectum naturæ.

*Generatio vniuoca.*

Deinde ſimilis ratio fieri potest in generatione vniuoca, quæ fit, quando agens non existit, vt verbi gratiâ, mortuo patre, generatur filius; mater ſecundùm ipſos non concurrit effectiuè ad generationem; ſemen quod est deciſum à patre est inferioris entitatis, quàm genitum: neque refert dicere in virtute patris ſemen agere, quia illa virtus, quæ eſſet principium actionis, non est alia, quàm ipſum ſemen, cui repugnat talis actio attingens intrinſecè effectum per ſui corruptionem.

*Reiicitur ſententia Suarez.*

Multa ergo myſteria finguntur hîc contra principia, & doctrinam de cauſis, quæ non euadit Suarez, aut alius, dicendo accidens habere virtutem partialem: quia ſi ſubſtantiæ detur virtus actiua ob perfectionem ſui, & ad ſaluandum principium requiſitum ad actionem, debet ipſi dari virtus perfecta & totalis, qualem habet accidens in ſuo genere, vel certè nulla, & ſic ſufficit actiuitas accidentis ad ſubſtantiam.

4 Ad confirmationem itaque antecedentis addo hanc vnicam rationem, quæ mihi videtur ſatis euidens: nulla cauſa poteſt habere perfectiorem actionem, quàm ſit illa, quæ ſit propria eius ſecundùm differentiam ſpecificam, quæ est perfectiſſimus gradus, quem includit, & ſuperaddit reliquis maiorem perfectionem, & actualitatem, vt patet ſecundùm omnes: ergo nequit conuenire vlli cauſæ actio perfectior, quàm ſit illa per quam vniuocatur cum ſuo effectu, quia adæquat perfectionem ſuæ entitatis, quia ponit in *esse* effectum parem ſibi.

*Confirmatur concluſio Doctoris.*

*Agenti non conuenit vlla actio perfectior vniuoca.*

Sed calor, verbi gratiâ, per actionem vniuocam, quæ fundatur in ſua differentia ſpecifica producit alium calorem vniuocè; ergo nequit habere actionem perfectiorem hac; perfectior autem eſſet actio ad ſubſtantiam: ergo repugnat ipſi. Conſequentia patet, quia hæc actio conueniret ei, non ſecundùm differentiam ſpecificam, ſed quà accidens est ſubſtantiæ, quod est commune ſibi & aliis, & communiter ſecundùm gradum genericum: ſed nequit aliqua maior perfectio in actione, aut *esse* conuenire cauſæ, quàm ſit illud, quod conuenit ſecundùm prædicatum ſpecificum, vt patet diſcurrendo per omnia entia. Si dicas conuenire ipſi quà calor, verbi gratiâ, eſt, redit principium iam poſitum, repugnare nempe conuenire cauſæ aliquam actionem perfectiorem, quàm ſit vniuoca, aliàs actio excederet perfectionem ſuæ cauſæ. Si dicas calori, vt est virtus, & inſtrumentum ſubſtantiæ, conuenire talem actionem, ſunt verba, vt pater examinanti quid ſit hoc, vel quid ſuperaddit calori in actu primo. Subſtantia enim non communicat accidenti, niſi per modum ſubiecti actualitatem, & terminationem eſſendi per inhærentiam. Si ergo nequit tribuere accidenti, vt per ſe exiſtat, (quem modum habet ſubſtantia in ſe,) quia accidens est incapax talis modi eſſendi; minùs poteſt ei communicare virtutem actiuam producendi ſubſtantiam, quâ caret ipſa ſubſtantia ſecundùm aduerſarios. Sed ſufficit pro nunc inſinuare rationem, quæ prolixè deduci poteſt.

Si ergo accidentia in ſubiecto non habent talem actiuitatem, neque conſequenter vt ſunt ſeparata. Conſequentia patet ex dictis, quia accidentia ſeparata non mutant naturam, aut entitatem, ex eo quòd recipiant *esse* extra ſubiectum: ergo neque modum agendi, aut actionem, aut virtutem: ergo ſi in ſubiecto nequeunt producere ſubſtantiam, neque etiam in *esse* ſeparato. 5

*Accidenti ſeparato non conuenit producere ſubſtantiam.*

Peto enim, in cuius virtute? non panis, aut vini, quæ non exiſtunt, & ſi exiſterent, panis, verbi gratiâ, non habet virtutem generandi ex ſe vermem: non in virtute diuina, vt ait D. Thomas, quia Deus non ſuperaddit illis quidpiam præter ſolam conſeruationem: ergo quidquid generatur, est à cauſa prima, vel creante materiam, & cauſa ſecunda ſimul producente formam, vel à cauſa prima ſola.

Experientiæ, quæ adducuntur in contrarium de generatione viuentis per putrefactionem, & propagationem, de generatione ignis ex motu, aut calore ferri candentis, de generatione quorundam mixtorum, nihil probant: nam etſi iſta producantur ad ſenſum de nouo, & ad præſentiam agentis diſponentis, ſaluari debet eorum productio ad illam cauſam, ad quam ſufficienter ipſius effectus dependentia terminatur; ad hoc autem debet eminenter, virtualiter, aut formaliter includere perfectionem effectus: alioquin tollitur fundamentum colligendi perfectionem cauſæ ex effectu; & quod est inconueniens etiam tollitur fundamentum colligendi recurſum ad cauſam primam in multis operibus miraculoſis.

*Fundamentũ aduerſariorũ deſtruitur.*

*Productio in eam cauſam refunditur, quæ nata eſt terminare dependentiam eius.*

Quod probo, quia Philoſophus ſtatuit ordinem eſſentialem cauſarum talem, vt nullo modo cauſa prima poſſit habere effectum ſine ſecunda, & particulari, quod principium Philoſophus ſuſtineret. Si ergo vlteriùs quis dicat aliquam cauſam occultam eſſe, in cuius virtute operantur circumſtantes: quomodo probabimus eſſe opus excedens virtutem cauſarum naturalium hîc, & nunc circumſtantiam, niſi arguendo ex perfectione effectus, & ex perfectione modi operandi effectum ad cauſam, cuius virtus & modus operandi excedit totam latitudinem naturæ? 6

*Inconueniens quod ex oppoſito ſequitur, probatur. Tolli recurſũ ad Deum in operibus miraculoſis.*

Quomodo etiam ſubſiſtet modus probandi perfectionem primæ cauſæ, vel contra Diagoram, & alios Atheiſtas Deum eſſe probabimus ratione naturali, niſi procedendo à contingentibus, & imperfectis ad neceſſe eſſe; ad quod reducuntur, & ſtabilitas naturæ tanquam ad primum independens, & primum motorem?

*Tollitur ratio probandi Deũ eſſe.*

Et quomodo dicemus Deum infinitum eſſe in cauſando? & conſequenter in *esse*? ſi aliquid inferioris ordinis in *esse* producat aliud ſuperioris ordinis, ad quod ex toto genere dependet?

*Et Deum eſſe omnipotentẽ.*

dependet? Rectè ergo Doctor dicit in his effectibus potiùs esse recurrendum ad primam, quàm negandum esset hoc principium, à quo plures veritates naturales dependent. & etiam supernaturales per illud à Theologo defenduntur,& explicantur:nam instantia hæc de accidentia producente substantiam obseruat veritatem illius principij.

## SCHOLIVM.

*Sententia D.Thom.accidentia etiam separata, in virtute substantiæ attingere productionem substantiæ, & formam substantialem non esse immediatè actiuam. Scot. quatuor argumentis conuincit accidentia pauis,in virtute eius,quod non est,nihil causare.*

Hic est opinio, quòd in actionibus naturalibus formæ substantiales non sunt immediatum principium agendi,vel principium proximum actiuum : sed agunt mediantibus qualitatibus actiuis & passiuis, tanquam propriis instrumentis, vt dicitur 2. *de Anima*, quòd scilicet calor naturalis est, quo anima agit,& ideò qualitates non agunt in virtute propria, sed in virtute formæ substantialis. Vnde actio earum non tantùm terminatur ad formam accidentalem,sed substantialem : & propter hoc generatio est terminus alterationis. Huiusmodi autem virtutem instrumentalem recipiunt eo ipso, quòd à principiis essentialibus substantiæ causantur;vnde sicut remota substantia idem *esse* secundùm speciem remanet accidentibus virtute diuina : ita etiam remanet eis eadem virtus, quæ priùs. Et ideò sicut antè poterant intendere ad formam substantialem,ita & nunc. 4 *D.Thom.in 4. dist. 12. art.1.q.1. Quære Var.hic.*

Et si arguatur contra hoc,quia nihil agit vltra speciem suam. Respondent, quòd propriâ virtute nihil agit vltra suam speciem : virtute autem alterius, cuius est instrumentum,potest agere vltra suam speciem,sicut serra agit ad formam scamni. *D.Tho.3.p. q.77.art.3.*

Contra illud,quæro quid intelligitur per hoc,quod dicitur in virtute substantiæ? quia siue intelligat absolutum, siue respectiuum,quæro in quo est illud? Si absolutum,quod est substantia,vel aliquid,quod est in substantia,cùm substantia panis non sit simpliciter; sequitur quòd per nihil, siue non ens,accidens generabit,vel virtute nihili. Si intelligat absolutum,quod est accidens,vel aliquid in accidente, nihil est ibi nobilius accidente;& per consequens non magis potest in virtute talis in aliquid perfectius, quàm in virtute propria.Si verò intelligat habitudinem accidentis ad substantiam,vt ad causam priorem, cùm ad nihil non sit aliqua habitudo, & panis non sit aliquod ens sequitur quòd per hoc quod est in virtute non ponitur aliquid positiuum,& ita idem quod prius. 5 *Accidẽs nõ generare substantiam in virtute substantiæ.*

Ex eius verbis videtur, quòd ponat virtutem illam esse aliquid in accidente : dicit enim,quòd causatur ista virtus instrumentalis in accidentibus, vel quòd ipsam recipiunt eo quòd causantur à principiis essentialibus substantiæ. Et tunc patet manifestè, cùm nihil in accidente sit nobilius eo,non potest accidens per hoc, quod dicitur in virtute, id est, per hanc virtutem, in aliquid perfectius, quàm possit ex se : sed intellectus istorum verborum, virtute talis causæ, vbi dicta verba locum habent,videtur esse iste, scilicet quòd dicit habitudinem causæ inferioris ad causam superiorem, seu perfectiorem concurrentem in causando,sicut suprà dictum est,quòd influentia,quam recipit agens inferius à superiori, non est aliqua forma tunc causata, sed est tantùm ordo determinatus causarum in simul causando. *q.1. huius 4.in fin.*

Item,quod non est,nullam rationem causæ habet respectu geniti, quando generatur; patet 2.*Physic.*& 5.*Metaph.cap.de Causa* : quia causa in actu, & effectus in actu simul sunt, & non sunt. Patet etiam ratione, quia non ens,quando non est, nihil causat in quocunque ordine causæ; substantia autem non est,quam istud accidens affecit,& cuius erat accidens:ergo illa substantia nullam rationem causæ habet propinquè,vel remotè respectu effectus causati ab accidente; & per consequens accidens non causât aliquid in virtute eius tanquam in virtute causæ superioris. 6 *Text.37. Text.3.*

Item,nihil est causa instrumentalis illius, ad quod sua virtus actiua sola sufficit producendum. Patet,si accipiatur instrumentum strictè, sicut serra, & securis dicuntur instrumenta mouentia mota:tale enim instrumentum non habet de se formam sufficientem ad producendum effectum, sed tantùm per motionem principalis agentis producitur, quod producitur. Si etiam instrumentum accipitur secundùm alios modos suprà positos,scilicet prout causa inferior dicitur instrumentum,vel forma,quam huiusmodi causa recipit per motionem agentis superioris, qua forma agit, adhuc nullum istorum instrumentorum per formam suam potest in effectum, respectu cuius est instrumentum : sed necesse est, quòd ad illum effectum concurrat simul concausans illud, cuius est instrumentum: *d.1.q.1.& d.6.q.5.*

mentum : nunc autem accidens per formam ſuam præcisè, ſine omni actione ſubſtantiæ in quodcunque agat, agit : ergo nullo modo agit in virtute ſubſtantiæ, vel vt inſtrumentum eius ad aliquem effectum.

Item, hoc poteſt argui per principia iſtorum de inſtrumento, quod eſt mouens motum: quia accidens in propoſito non eſt motum à ſubſtantia, cùm ipſa non ſit : ergo accidens non eſt eius inſtrumentum.

## SCHOLIVM.

*Sententia Scoti conſiſtit in tribus concluſionibus. Prima, accidens ſeparatum non poteſt eſſe inſtrumentum generationis. Ratio, quia nihil poteſt eſſe inſtrumentum non entis. Soluit adducta pro opinione D. Thom. & idem tenet de accidente coniuncto, ac ſeparato. Ita omnes Scotiſtæ, & multi Neutriſtæ.*

7 Dico ergo ad quæſtionem, quòd poſſet poni triplex actio conuenire accidentibus, ſcilicet vna reſpectu ſubſtantiæ generandæ : & duæ reſpectu accidentium cauſandorum : vna intentionalis reſpectu ſenſationis : alia realis in paſſum realiter habens contrarium.

*Accidentia in Euchariſtia, inſtrumentaliter non generare. & d. 6. c. 5.*

Prima nullo modo poteſt competere accidenti ſeparato, neque inſtrumentaliter, vt iam probatum eſt, & hoc accipiendo inſtrumentum pro quacunque cauſa, ſiue attingente terminum principalis agentis, ſiue pro cauſa ſecunda propriè dicta, ſiue pro parte, pro qua totum agit, ſiue pro recipiente tunc formam actiuam, quâ agit, ſiue recipiente tunc motionem ſolam tanquam effectum præuium effectui principali, qui modi accipiendi inſtrumentum patent *ſuprà q. 1. huius quarti.* In omnibus enim iſtis requiritur, quòd illud cuius eſt inſtrumentum, concurrat cauſans in ſuo ordine cauſandi: & quod non eſt, nihil cauſat in quocunque ordine cauſandi.

*Accidens ſeparatum non eſt cauſa diſpoſitiua generationis.*

Sed præter iſtos modos, inſtrumentum dicitur cauſa præuia diſpoſitiua ad terminum, licèt habeat actionem illam diſpoſitiuam in propria virtute, & iſto modo benè eſt poſſibile accidens eſſe inſtrumentum ſubſtantiæ : quia poteſt cauſare actionem diſpoſitiuam ad terminum ſubſtantiæ agentis: ſed nec iſto modo poteſt accidens eſſe inſtrumentum ſubſtantiæ in propoſito, quia ſubſtantia quæ non eſt, nullum terminum inducit, nec inducere poteſt in fine alterationis factæ per illa accidentia.

8 *Calor quomodo inſtrumentum animæ.*

Ex hoc patet ſolutio ad illam deductionem pro illa opinione. Auctoritas enim ſecundi de Anima non plus concludit, niſi quòd calor eſt inſtrumentum animæ hoc modo vltimo: quia ſcilicet digerit & alterat nutrimentum, vt in termino illius alterationis poſſit ex ipſa generari ſubſtantia. Vnde ſunt ibi duæ actiones, & duo principia agendi : quia reſpectu alterationis præuiæ principium agendi eſt calor : reſpectu autem formæ carnis inducendæ principium eſt anima, vel forma carnis : & primum agens dicitur inſtrumentum reſpectu ſecundi, non propriè ſubordinatione virtutis ad virtutem, ſed effectus ad effectum. Vnde magis propriè diceretur agens diſpoſitiuum, quàm inſtrumentale

Et quando vltrà dicitur in deductione illa, quòd accidentia agunt in virtute ſubſtantiæ; hoc non ſequitur, niſi quia ſunt inſtrumenta: non ſunt autem inſtrumenta ſubſtantiæ non entis ; quare ex hoc ſequitur oppoſitum.

Et quando vltrà infert ex hoc, quòd actio accidentium non ſolùm terminatur ad formam accidentalem, ſed ad ſubſtantialem ; hoc reputo falſum, niſi ſicut ad terminum remotum, qui nullo modo attingitur per actionem formæ accidentalis : ſed ad quem ordinatur terminus, qui attingitur per actionem accidentis.

9 ** Al. quod agens.*

Et cum probatur *, quòd accidens attingit terminum actionis, quia attingit paſſum, in quod forma inducitur : ſubſtantia autem non poteſt attingere materiam tanquam paſſum, in quod agat, quod non ſeparatur à paſſionibus virtute agentis naturalis, vt dicitur primo de Generatione. Dico quòd hæc conſequentia non valet, niſi in virtute iſtius propoſitionis ſubintellectæ, quòd omne inſtrumentum attingit terminum principalis agentis, quæ falſa eſt in propoſito.

*Quod attingit terminũ actionis, attingit ipsũ paſſũ. Text. 11. & 12.*

Et cùm videtur probari per hoc, quod ſubdit, quòd generatio eſt terminus alterationis : iſtud poteſt duci ad oppoſitum ; non eſt enim intrinſecus terminus alterationis, ſed extrinſecus, & alterius generis : & habet proprium terminum priorem ſecundùm genus proprio termino alterationis. Quod autem habet cauſalitatem propriam, & adæquatam reſpectu poſterioris eſſentialiter, non ſequitur quòd habeat cauſalitatem, qua attingat prius eſſentialiter : imò ſequitur oppoſitum, ſcilicet quòd non habeat cauſalitatem, quâ

*Quomodo generatio ſit terminus alterationis.*

attingat

attingat priùs essentialiter: ergo eo modo, quo generatio est terminus alterationis, sequitur quòd principium alterationis non attingat terminum generationis, nisi mediatè: quia attingit quoddam ordinatum ad ipsum.

Sic patet ista conclusio, & sit prima quantùm ad solutionem istius quæstionis, scilicet quòd accidens separatum nullo modo potest esse principium actionis ad substantiam: & hoc instrumentale virtute substantiæ, quæ non est. Et iuxta hoc etiam declaratum est, quòd nec accidens coniunctum potest esse per se attingens substantiam, vt terminum: quia auctoritates adductæ *de 2. de Anima*, & huiusmodi, non accipiunt instrumentum, nisi pro agente dispositiuo.

## SCHOLIVM.

*Probat Doctor, contra D. Thom. latè ratione, authoritate, & ex principiis ipsius D. Thom. substantiam esse immediatè actiuam tam accidentis, quàm substantiæ, & hoc, etiamsi admittatur gratis, accidens attingere productionem substantiæ, ita ferè omnes, exceptis rigidis Thomistis.*

Et si contra hoc arguitur, quòd aliqua forma immediatè attingit terminum generationis: sed forma substantialis non, quia non est principium agendi immediatè, sed mediatè. Concedo primam propositionem, sed secunda falsa est: quia nihil est instrumentum alicuius causæ, nisi superioris causæ in genere causæ efficientis: ergo si accidens coniunctum per eos est instrumentum substantiæ, substantia erit superius agens: sed superius agens priùs naturaliter agit: & si est naturale agens, agit quidquid, vel quantùm potest: ergo substantia in illo priori, in eodem tamen instanti temporis, in quo agit vt superius agens, & accidens agit vt instrumentum eius, substantia producet terminum, quem poterit producere: sed potest producere totam substantiam: quia perfectio substantiæ productæ non excedit perfectionem substantiæ agentis: ergo in secundo instanti naturæ accidens agens non producit substantiam, vel eadem bis producetur. 10 *Vacat secundū aliquos.* *Formā substantialem esse immediatè productiuam.*

Item omnis potentia merè passiua est contradictionis, 9. *Metaph.* subiectum autem non est in potentia contradictionis ad propriam passionem: ergo habet aliquam causalitatem respectu eius, aliam à causalitate materiæ: non nisi causæ efficientis: quia non formalis, patet: de fine autem non est sermo hîc, & videtur, quòd oportet eos istud concedere secundùm dicta sua: dicunt enim potentias fluere ab essentia animæ: & hîc dicunt, quòd accidens habet virtutem instrumentalem, quia causatur à principiis essentialibus substantiæ, ista non possunt intelligi tantummodò passiuè pro subiecto receptiuo. *Text. 17. Contra D. Thom. ad hominem. D. Thom. vbi supr. q. 77. art. 6.*

Item, si accidens producitur, & per aliquod principium productiuum immediatum per se, quod est accidens, non loquendo de infinitate accidentali in generabilibus, & generatis in eadem specie, de qua loquuntur Philosophi; quæro ordinem essentialem in istis accidentibus. Vbicunque enim est ordo accidentalis in generabilibus, oportet dare extra totum illum ordinem aliquam causam essentialiter perfectiorem: ergo respectu accidentium singularium in specie caloris, da mihi causam proximam essentialiter ordinatam ad totam istam speciem (& eodem modo arguam de indiuiduis illius speciei) & non est procedere in infinitum in ordine essentiali: ergo stabitur ad aliquam speciem accidentis, quæ erit causata, & non ab alio accidente, sed immediatè à substantia, & per consequens substantia habebit rationem principij actiui immediatè respectu accidentis. 11 *Substātiam producere immediatè accidentia aliqua.* *Ordo accidentalis est inter ea, quæ sunt eiusdē speciei.*

Hoc confirmatur per Philosophum 7. Metaph. cap. 9. in fine, vbi dicit, quòd *proprium substantiæ ex his accipere est, quia necesse est præexistere aliquam alteram substantiam actu existentem, quæ facit vt sit animal, si sit animal; quale verò, & quantum non necessarium nisi potestate solùm.* Vult ergo, quòd ad hoc, quòd substantia fiat, est necesse aliam substantiam præexistere, quæ producat: sed ad hoc, quòd quantum, & quale producatur, non oportet aliquod quantum, vel quale præexistere, nisi potentia tantùm: ergo aliquid quod non est actu quantum, nec quale, potest esse principium productiuum immediatum quanti & qualis. *Text. 32. Probat auctoritate substātiam esse actiuam immediatè.*

Item 4. Meteor. dicitur: *Singulum est id, quod est dum potest in propriam operationem.* & simile habetur à Damascen. cap. 60. & licet istæ auctoritates habeant instantiam de entibus imperfectis: tamen videtur valde inconueniens, quod ens perfectissimum secundùm genus inter creata, careat actione, ita quòd forma eius non possit esse principium immediatum, & proximum productiuum alicuius actionis. *Text. vlt. Lib. 3. c. 11. Vt fortè de materia & modis.*

Ex hoc arguitur secundùm vnum principium istorum, quia illa forma est principium agendi, in qua generans & genitum assimilantur: sed generatum principaliter 12 *D. Tho. 1. p. q. 2. art. 2.*

liter assimilatur generanti in forma substantiali, secundùm *quid* autem sibi assimilatur in accidentibus.

Nec potest euadi dicendo, quòd ista concludunt formam substantialem esse principium agendi: sed remotum, tam respectu substantiæ, quàm respectu accidentis, de quibus procedunt rationes: hoc non sufficit, quia nullus negat in Deo esse aliquam formam, quæ sit principium proximum agendi, non quòd sine causis intermediis agat, sed quòd in suo ordine causandi per nihil medium vltra formam suam agit. Ita esto in proposito, quod tamen improbatum est, quòd accidens habeat quandam actionem ad substantiam posteriorem actione substantiæ: substantia tamen per suam propriam formam erit principium actionis sibi propriæ in suo ordine agendi.

## SCHOLIVM.

*Secunda conclusio Doctoris, accidens non posse esse causam principalem productionis substantiæ, quia agens vniuocum est æquè perfectum, & æquiuocum perfectiùs suo effectu, & hoc secundum latè probat contra Gotfredum tenentem aliquod agens æquiuocum esse ignobilius suo effectu.*

13 Secunda conclusio istius quæstionis est, quòd accidens non potest esse principium effectiuum generandi substantiam principaliter. Hanc probo, omne agens totale, vel est vniuocum, & ita æquè perfectum producto: vel æquiuocum, & ita perfectius: accidens est omnino imperfectius substantia; ergo, &c.

*Gotf. & alij.* Dicitur ad hoc, quòd aliquod agens æquiuocum potest esse ignobilius suo effectu, sicut albedo respectu intellectionis albedinis, & sicut Commentator recitat de Galeno

*Com. 131.* super illud *7. Metaph.* de illa virtute, quam vocat diuinam, quæ est formatiua fœtus, & tamen non est simpliciter nobilior fœtu formato, si est accidens. Et similis difficultas potest esse de quocunque viuo genito per putrefactionem, quod est nobilius cœlo, à quo generatur.

*Si agens æquiuocũ non est perfectius effectu, negari posset primũ ens esse perfectissimum agens.* Contra hoc, licèt ista propositio: Simpliciter imperfectius secundùm speciem, vel genus non potest esse totale principium actiuum respectu perfectioris, sit mihi æquè nota, sicut aliqua in Philosophia, quâ negatâ nescirem probare aliquem ordinem entium, imò nec quòd primum ens esset perfectissimum, imò posset proteruiendo dici, quòd totum vniuersum, & quodlibet in eo factum est à musca. Si enim arguas, quòd musca est ita imperfecta, & tu idem dicis, quòd imperfectius potest producere perfectius, habito hoc, nulla est ratio, quare non sic imperfectius possit producere aliud sic perfectius: nec ista proteruia posita potest probari, quòd prima causa sit perfectissima, excellens omnia alia in creatione: nec etiam hoc addito, quòd sit causa æquiuoca, imò cum hoc posset stare secundùm proteruiam istam quòd esset imperfectissima, vel imperfectior causatis; tamen probo dictam propositionem aliqualiter.

14 Primò sic, causa vniuoca habet effectum vniuocũ pro termino adæquato suæ potentiæ: sed per te causa æquiuoca totalis est imperfectior causa vniuoca: ergo impossibile est causam illam æquiuocam esse causam totalem respectu ipsius effectus, & sic Deus non posset facere effectum cuiuscunque creaturæ, quod est absurdum. Patet consequentia, quia effectus adæquatus potentiæ perfectiori nullo modo potest esse à potentia imperfectiori.

Secundò sic, vbicunque ad productionem eiusdem effectus concurrunt causa vniuoca, & æquiuoca, æquiuoca est simpliciter perfectior. Patet per Philosophum *7. Metaph.*

*Text. 29. idem 8. Phys. c. 78.* propter hoc enim oportet totum ordinem accidentalem reducere in aliquam speciem essentialiter superiorem in causando: quia difformitas vniformis, oportet quòd reducatur ad causam vniformem: & ideò omnibus generabilibus, & corruptibilibus oportet esse aliquam causam superiorem, quæ sit causa vniformitatis in continuatione generationis, & corruptionis. Ex hoc habeo istam propositionem, quòd vbi ad idem concurrunt causa vniuoca, & æquiuoca, æquiuoca est perfectior: sed quòd non possit sine vniuoca, hoc est aliqualis imperfectionis in ipsa æquiuoca. Patet, Deus enim potest sine causa vniuoca, sed Sol non potest in animal perfectum, licèt posset in imperfectum: ergo quæcunque æquiuoca sola sine vniuoca potest in effectum, ipsa est simpliciter perfectior, quàm illa æquiuoca, quæ posset concurrere cum vniuoca ad idem causandum, & per consequens æquiuocatio talis habet duplicem præeminentiam causalitatis super effectum: vnam, quam habet vniuersaliter æquiuoca concurrens cum vniuoca: & aliam, quia habet illam perfectionem, quam vniuoca adderet in causando, quâ carent multæ causæ æquiuocæ, licèt longè perfectiores vniuocis.

*Quare oportet ordinem accidentalẽ reducere in speciem aliquam superiorem.*

*Causa æquiuoca habet duplicem eminentiam.*

Tertiò

Tertiò sic, si forma causæ æquiuocæ daret *esse* formaliter alicui, non posset dare *esse* simpliciter perfectius seipsa: ergo si imperfectius, quàm formaliter det alicui *esse*, non potest ei dare perfectius seipsa: sed dans effectiuè *esse* alicui, dat ei *esse* modo imperfectiori, quàm dando sibi formaliter: non enim est possibile, quòd aliquis modus dandi aliquod *esse* sit ita perfectius, sicut dandi illud *esse* formaliter; sicut nec essentia diuina potest alicui dare *esse* à se in quocumque genere causæ perfectiùs, quàm sit *esse*, quod ipsa dat formaliter. 15

Quartò sic, si causatum sit simpliciter perfectius, licèt sit simplex, tamen secundùm istum intellectum potest diuidi in duo, scilicet in illud, in quo æquatur causæ, & in illud, in quo excedit causam. Primum dicatur *A*, secundum *B*, ille effectus secundum *A*, præcisè est effectus adæquatus causæ suæ, quia simpliciter æquè perfectum ens sicut causa: ergo *B*, vel erit à seipso, vel à nullo: quia ab *A*, vt ab ipsa causa non potest esse: nam vltra effectum adæquatum causæ, non potest esse simul aliquid excellentius ab ipsa: & hæc ratio potest accipi ab Auicenna, *6. Metaphys. suæ.* *Text. 16.*

Dico ergo quòd propter nullas instantias particulares neganda est ista propositio vniuersalis, quæ nota est ex terminis, quod totale causans non potest esse imperfectius causato suo, loquendo de causa effectiua: & quòd totale causans æquiuocum est perfectius, quia non æquè perfectum: species enim se habent vt numeri. 16

Illa autem instantia de albedine, & eius intellectione, nihil valet, vt patet *lib. 1. dist. 3. q. 7. n. 21.* nisi, quòd per illud argumentum probatur, quòd albedo non est causa totalis intellectionis, sed tantùm partialis. Vnde benè possibile est effectum excellere talem causam in perfectione: quia reliquam perfectionem habere potest ex causa reliqua partiali: & ita à duobus simul perfectior est, quàm ab altera illarum, sicut dictum est ibi. *24. Effectus potest excedere causam æquiuocam partialem.*

Secunda instantia, & tertia, quæ vadunt ad eductionem, vel inductionem animæ in viuentibus, & hoc siue à propagante, siue in putrefactis, vbi quasi eandem reputo difficultatem, habet solui *lib. 2. dist. 18.* Et esto, quòd non appareret, quòd aliqua causa creata posset inueniri nobilior anima, quæ terminat talem generationem; priùs esset concedendum, quòd ipsa immediatè esset à Deo, quàm ista propositio iam probata negaretur. *Animæ viuentium à quo producuntur.*

## SCHOLIVM.

*Tertia conclusio Scoti, accidentia separata eodem modo agere intentionaliter & realiter, ac priùs. Ratio est, quia qualitas, verbi gratiâ, calor est totale principium suæ actionis, & est modo conuenienti, scilicet in quantitate, ad agendum realiter in contrarium, & intentionaliter in sensum.*

Tertia [b] conclusio sit de illis duabus actionibus in sensum, & intellectum, quoad intentionalem, & in contrarium, quoad realem, & sit hæc: Accidens separatum saltem eo modo, quo qualitas tertiæ speciei est hîc separata, scilicet sine substantia, potest esse principium vtriusque actionis, eo modo quo prius, & hoc quantùm est ex se; quare hoc additur, patebit in solutione dubitationum sequentium. Hanc probo sic: Cuiuscumque actionis aliqua forma est totale principium actiuum, illa si esset per se sub modo conuenienti ad agendum, posset esse principium eiusdem actionis: sed qualitas est principium, & totale, & formale vtriusque actionis prædictæ; quando autem est separata à substantia, est tamen in quantitate siue habens extensionem, sicut ante separationem à substantia, ideò manet sub modo conuenienti ad agendum, qui est modus extensiuus: ergo, &c. Maior patet, quia totali principio posito, & sub ratione, sub qua natum est esse principium, potest principiari illud, cuius ponitur principium. Minor probatur vno modo sic, quia nihil aufertur isti formæ per hoc, quòd per se est sine subiecto: illud enim non facit cum ipsa nisi vnum per accidens: sed per se principium agendi in vno ordine est per se vnum: ergo ablatio illius subiecti nihil aufert per se principio agendi. 17 *Accidēs separatū agere intentionaliter & realiter, probatur.*

Sed istud non probat, nisi quòd subiectum non habet per se rationem principij in eodem ordine cum accidente. Sed non obstat, quin possit esse per se principium agendi eiusdem actionis, in alio tamen ordine, vt patet de causis ordinatis: nec vnitas istorum per accidens impedit vnitatem ordinis. Ideò probatur illa minor aliter sic: illa forma est principium actionis, quæ est tale principium assimilandi sibi passum, non tantùm realiter, vt in actione reali, quæ est in contrarium, sed in actione intentionali, quæ est

in ſenſum. De prima patet, quia terminus formalis ſimpliciter eſt ſimilis formæ accidentali: ergo illa poteſt eſſe principium agendi *quo*. De ſecunda autem probatur, quia ſimilitudo in ſenſu deficit, quantùm ad aliquid à ſimilitudine reali in paſſo: ergo quantùm eſt ex parte huius formæ, vt agentis, poteſt ita benè eſſe totale principium huius actionis, ſicut illius: ſi autem in illa ſenſatione ſit aliqua perfectio vlterior, hoc non eſt, inquantùm eſt à qualitate ſenſibili, ſed inquantùm eſt à potentia ſenſitiua.

## *COMMENTARIVS.*

*y* b *Tertia concluſio*, &c. Hæc concluſio eſt communis, & ratio poſita eſt euidens: quia actio ſequitur ad *eſſe*: ſaluando ergo ipſum *eſſe* principij cum conditione requiſita, qualis eſt extenſio ſecundùm modum connaturalem eſſendi, & applicato paſſo ſequetur actio.

*Quomodo conuenit actio principio quod.*

Neque refert dicere cum Caietano requiri modum exiſtendi ſubſtantiæ, vt ſit principium *quod*; quia ſicut principium *quod* remotum ad *eſſe* non requiritur, ſic etiam neque ad *operari*, quando forma eſt ſeparata, quia actio non eſt à principio *quod*, niſi præcisè, vt eſt à principio *quo*, aliàs tota virtus immediata, & proxima agendi non eſſet in principio *quo*: ergo per principium *quo* conuenit denominatio actionis principio *quod*, tanquam per proximum fundamentum, non econtrà: ſi ergo ſeparetur in *eſſe*, perinde idem ipſi competet, cuius eſt per ſe prima ratio, vnde conueniat alteri.

Et per hoc manet prima probatio minoris, quam reiicit Doctor ex eo, quòd reſponderi poſſet ſubiectum concurrere ad effectum hunc in ſuperiori ordine tanquam cauſa ſuperior, tollendo omnem concurſum a ſubiecto reſpectu effectus, qui competit formæ accidentali, manet illa probatio. Dices, quamuis rectè colligitur, non omne ſubiectum concurrere ad effectum formæ accidentalis, verbi gratiâ, aqua ad cauſandum calorem; non ſequitur tamen quin ſubiectum, cui accidens eſt connaturale concurrat ad effectum ipſius accidentis, in ſubiecto extrinſeco.

*Reſponſio.*

8 *Impugnatur. Principium idem producendi, quod eſt aſſimilandi.*

Hanc reſponſionem excludit ſecunda probatio minoris per Doctorem, quia illud eſt principium agendi in ſubiecto, ſecundùm quod producens aſſimilat paſſum, & vniuocatur cum effectu producto; hoc totum competit ipſi ratione accidentis: ergo ſolùm accidens eſt principium talis actionis, & formæ ſequentis. Maior ſupponit, ſeu tacitè includit hanc propoſitionem; *in cauſis vniuocis cauſa non excedit effectum in gradu adæquatum ſibi*; vt contingit in alteratione; neque effectus vnquam excedit cauſam ſecundùm ſpeciem, aut indiuiduum, etiam in huiuſmodi formis intenſibilibus: vnde calor productus non eſt intenſior calore producente: cùm ergo tota dependentia eius ſufficiéter ad calorem producentem terminetur, non eſt recurrendum ad aliâ cauſam diuerſam, quia hoc eſſet ſuperfluum: ergo ſubiectum non influit per propriam actionem diuerſam ab actione caloris inhærentis.

Dices, ſubiectum producit in ſe ipſo calorem per emanationem, vt ignis: ergo etiam poteſt producere in alio ſubiecto extrinſeco, imò de facto producit, cùm ſit cauſa naturalis. Reſpondetur ſubiectum, licèt habeat illam virtutem, non tamen ordinati ad actionem tranſeuntem: aliàs ſi poſſet ſubſtantia alterare alia paſſa extra ſe, ſuperflueret virtus accidentis ſuperaddita in ordine ad illum effectum: deinde, cùm perfectio effectus commenſuretur perfectioni principij vniuoci, & accidentalis, colligitur à poſteriori non dari concurſum ſubſtantiæ ad eundem: ageret autem cùm ſit cauſa naturalis, ſi poſſet agere: quamuis ergo qualitas emanet à ſubiecto vt proprietas eius, non ſequitur quòd actus talis proprietatis competat ſubiecto: quia ſic neque exigeret proprietatem, cùm eam exigat reſpectiuè ad actum, & confunderentur principia.

*Obiectio.*

*Reſponſio.*

*Quod agit in ſe, non neceſſariò agit in aliud.*

*Ignis per formã ſubſtantialẽ non producit calorem extra ſe.*

Probat deinde Doctor actionem intentionalem competere accidenti ſeparato, quia eſt aſſimilatio quædam paſſi, non accidens ad perfectam ſimilitudinem in *eſſe*, ſicut terminus alterationis realis: ergo ſi poteſt alterare realiter, eodem modo & intentionaliter.

9 *Actio intentionalis conuenit ſpeciebus.*

Hæc probatio ſupponit qualitatem ſenſibilem, vt eſt in ſubiecto, alterare ſenſum mouendo ad ſenſationem, nó enim eſt alioquin ſufficiens probatio huius motionis, quia multa agunt ad productionem ſui ſimilis, quæ nequeunt immediatè alterare ſenſum. Vnde qui diceret totã virtutem agendi ſenſationem refundi in ipſam potentiam, quæ requirit obiectum, vt terminum, quà operatur circa ipſum, non vt cauſam priùs mouentem, negaret meritò illam conſequentiam.

*Supponitur opinio cómunis de concurſu obiecti ad ſenſationem.*

Probatio ergo Doctoris ſupponit hoc conuenire ſenſibili coniuncto in ſubiecto, & proinde eidem etiam conuenire ſeparato; ſicut conuenit ipſi agere ad alterationem realem, ad quam non minùs ſubiectum requiritur ex parte principij, quàm ad intentionalem.

## SCHOLIVM.

*Reſoluit dubium contra tertiam concluſionem declarans, quomodo qualitas poſſit agere diuerſis actionibus, intentionali, & reali, quia paſſa harum ſunt diuerſa, nam receptiuum vnius nequit alteram recipere.*

18 *Primũ dubium.*

Contra c iſtas concluſiones ſunt aliqua dubia. Primò, contra tertiam eſt iſtud dubium: non enim apparet, quòd ſit alia actio qualitatis in ſenſum, & contrarium. Primò, quia qualitas non agit per electionem: ergo quantùm eſt de ſe vniformiter agit: quantùm ergo eſt ex ſe idem immittit in quodcumque paſſum, & per conſequens non eſt alia, & alia actio, quantùm eſt ex parte agentis.

Secundò,

Secundò, quia vbi est idem principium actiuum, est eadem actio, & hoc probatur per Commentatorem, 3. Cœli & mund. com. 72. *si vna natura, & actio erit vna:* sed idem est hîc principium formale agendi, & proximum tam in sensum, quàm in contrarium: ergo eadem actio.

Aliud dubium est, quòd ista conclusio vltima videtur contradicere duabus præcedentibus. Probo sic, quia si accidentia separata possint in omnem gradum actionis, in quem poterant coniuncta: ergo possunt in corruptionem formæ substantialis illius passi, in quod agunt. Sed corruptio illa non potest esse in nihil virtute illorum, quia creatura non potest annihilare: nec in accidentia separata, quia creatura non potest facere accidentia aliqua esse per se: ergo in substantiam aliquam est huius corruptio: & sic si conclusio tertia vera sit, quòd ista possunt esse sufficiens principium alterandi, sicut priùs sequitur, quòd possunt esse principium generandi substantiam efficiens, contra primam, & secundam conclusionem. *Aliud dubium.*

Ad primum, quid sit actio, & in quo sit, dicetur *quæst. 1. dist. seq.* sed posito hîc breuiter, quod credo esse verum, quòd actio dicit respectum quendam extrinsecus aduenientem, siue sit in agente, siue in passo, & respectum mutuò correspondentem respectui passionis, cùm passiones in diuersis passis sint alterius, & diuersæ rationis, sicut & formæ receptæ in eis, sequitur quòd actiones erunt sic aliæ. Hoc confirmatur specialiter in proposito: quia passum receptiuum formæ secundùm *esse* reale, non est receptiuum eiusdem secundùm *esse* intentionale, 2. *de Anima:* oportet enim receptiuum soni esse absonum: saltem regulariter receptiuum formæ isto modo, non est receptiuum formæ alio modo, maximè in receptiuis materialibus: ergo organum, & subiectum contrarij non sunt receptiua formæ, secundùm idem *esse:* quia vnum recipit intentionaliter, aliud realiter; & per consequens cùm agens agat in passum secundùm potentiam receptiuam eius, secundùm illud secundi de Anima: *Actus actiuorum sunt in patiente benè disposito,* sequitur quòd agens non agat in hoc passum, & illud actione eiusdem rationis. 19 *Ad primum dubium.* *Text. 71. & 121.* *Idem 3. de Anima t. 4.* *Text. 24.*

Et tunc ad instantiam de agente ex electione. Respondeo, quòd agens ex electione potest diuersimodè agere, non tantùm diuersitate quadam disparationis, sed contradictionis; sicut potest non tantùm hoc agere, & illud, sed hoc agere, & illud non agere: agens autem naturale, quod est illimitatum simpliciter, vel aliqualiter secundùm perfectionem actiuam potest ad disparata agere: sed non ad contradictoria: quia quodlibet illorum agit in materia disposita, & hoc necessariò. Non ergo sequitur, non agit secundùm electionem: ergo non diuersas formas in diuersis passis. Sed sequitur, ergo non indifferenter agit, vel non agit ex se formam illam, quam potest agere in tali passo. Exemplum de Sole, & tactum est 1. *lib. dist. 2. & 7.* qui licèt habeat indeterminationem quandam ad disparata causanda in diuersis passis: non est tamen indeterminatus contradictoriè ad agendum, imò necessariò agit in quodlibet passiuum, quidquid potest in illud agere. *Agens naturale agit disparata non contradictoria, agens liberum etiam contradictoria.* *d. 7. q. 1. n. 4. & d. 28. q. 3. n. 12.*

Ad secundum dicendum, quòd eiusdem principij actiui possunt esse multæ actiones formaliter distinctæ; dum tamen illud non sit limitatum in sua virtute actiua ad vnam actionem, sicut est vnica forma: & sic omnes auctoritates Commentatoris, & cuiuscumque alterius deberent exponi de forma vnica in virtute, sicut est vnica in *esse* naturæ.

## COMMENTARIVS.

10 *Primum dubium.* c *Contra istas conclusiones*, &c. Mouet duo dubia. Primum dubium est, seu obiectio, quòd qualitas agit vniformiter, & vna eadémque actione in specie; aliàs ageret per electionem. 2. ex Comment. *vbi vnum est principium, vna est actio.* *Resoluitur.* Respondet passiua non esse receptiua eiusdem actionis *ex 2. de Anima textu 71. & 121.* quando agens esset illimitatum ad illas actiones, quæ sunt disparatæ, agere per elationem non esse, posse agere ad diuersa, sed ad contradictoria. Ex his patet ad Commentatorem, qui debet exponi.

*Secundum dubium.* *Secundum dubium*, seu obiectio est, quia si accidentia separata habent omnem actionem, aut habere possint, quam habuerunt coniuncta, sequitur quòd possunt agere ad corruptionem; sed tunc forma corrupta non desinet in nihil, quia sic esset annihilatio, quæ nequit esse à causa creata: neque illa corruptio erit in accidentia separata, quia creatura nequit etiam separare accidens à subiecto, neque etiam esset in materiam nudam, quia nihil potest corrumpere formam in subiecto, nisi producendo incompatibilem præter solum Deum: quia forma in *conseruari* non dependet, nisi à Deo & subiecto. *An accidens separatum agat ad corruptionem substantiæ?*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit aliud dubium contra eandem tertiam concluſionem, declarans quomodo accidentia ſeparata agant in contrarium, ſine eo quòd corrumpant ſubſtantiam, quia corrumpendo eam, generarent nouam ſubſtantiam, quod eſt contra primam & ſecundam concluſionem: & aſſignat duos modos dicendi exactiſsimè penetrando omnia, & varia dubia mouendo & reſoluendo.*

20 Ad [d] aliud dubium contra alias duas concluſiones reſpondeo. Vno modo breuiter
*Ad 2. dub.* poſſet dici, quòd qualitas eſt principium actionis in paſſum habens contrarium, & hoc ſecundùm quemlibet gradum, ſecundùm quem prius, & hoc quantùm eſt ex parte qualitatis actiuæ: ſed propter ſubiectum, in quo eſt contrarium, quod determinat ſibi aliquem gradum magis, quàm alium, poſſibile eſt, quòd non poſſit in omnem gradum contrarij, inquantùm contrarium eſt in tali ſubiecto, eodem modo, quo priùs potuit: & iſta reſponſio declarabitur ex ſequentibus.

Alio modo poteſt dici, quòd ſi poſſit in omnem gradum alterationis, in quem potuit coniuncta, non ſequitur quòd poſſit in corruptionem ſubſtantiæ. Ratio huius eſt iſta, quia generatio non poteſt à corruptione ſeparari comparando ad agens naturale, hoc modo intelligendo, quin quidquid cauſatum corrumpit ſimpliciter in fine corruptionis aliquid relinquat, quia non annihilat. Nec poteſt creatura corrumpere in accidens per ſe exiſtens, quia non poteſt cauſare accidens ſic exiſtens: ergo ſi corrumpat, corrumpet in ſubſtantiam: & per conſequens, ſi non habet virtutem corrumpendi in ſubſtantiam, omnino non corrumpet: ſed accidens ſeparatum non habet virtutem corrumpendi in ſubſtantiam, quia nec producendi ſubſtantiam, vt probatum eſt *ſuprà*.

*Accidẽs ſeparatũ non poteſt corrũpere ſubſtantiam.*

21 Contra hoc primò, quia qualitas, quæ poteſt in omnem gradum alterationis præuiæ ad generationem, poteſt in gradum incompoſſibilem formæ ſubſtantiali rei corrumpendæ, & ita in corruptionem. Primum probatur, quia ſi non poteſt inducere aliquem gradum incompoſſibilem formæ ſubſtantiali corrumpendæ: ergo cum quocumque gradu inducibili ab ipſo poteſt ſtare forma ſubſtantialis corrumpendi: & ita per nullam alterationem poteſt corrumpendum corrumpi.

Reſpondeo, nunquam poteſt alterans inducere gradum incompoſſibilem alterabili.
*Mouẽs non poteſt introducere gradum incompoſſibilem mobili.* Probatur ex ratione terminorum, quia non poteſt mouens inducere gradum incompoſſibilem ſuo mobili. Cuius probatio eſt, quia mobile manet in toto motu: ergo ſub omni gradu per motum inducto, ſed nihil manet ſub aliquo ſibi incompoſſibili: ergo, &c. Quando autem infers, tunc nunquam alterans per alterationem ſubiectum corrumpet alteratum, concedo; & probo hoc per aliam rationem à priori, quia prius naturaliter non corrumpitur per aliquid poſterius naturaliter: quidquid eſt inductum ab alterante, vt alterans, eſt poſterius naturaliter forma ſubſtantiali rei alterabilis: ergo per nihil tale inductum ab alterante corrumpitur ſubſtantia alterabilis.

*Subſtantia tantùm corrumpit ſubſtantiã. contra hoc obijcitur dupliciter.* Dico ergo, quòd nulla ſubſtantia corrumpi poteſt, niſi à ſubſtantia: ſicut nec oppoſitum ſubſtantiæ corrumpendæ poteſt induci, niſi à ſubſtantia, vt ſuperiùs eſt probatum: à quali autem contrario non corrumpitur ſubſtantia, niſi diſpoſitiuè: quia ad illam altererationem ſequeretur generatio, niſi aliquid impediat.

Sed contrà, quia tunc ſequeretur, quòd accidentia ignis, ſi eſſent maxima, vtpote
22 tantæ quantitatis ſicut ſphæra ignis, & tamen ſeparata à ſubſtantia, non poſſent corrumpere guttam aquæ ibi exiſtentem, quod videtur improbabile. Aliud, quia ſic accidentia alterantia poſſunt in quemlibet gradum alterationis ſicut priùs: ergo vltimum; & per conſequens, cùm ille vltimus corruptus immediatè diſponat ad corruptionem ſubſtantiæ, vel iſto corrupto, immediatè concomitetur corruptio ſubſtantiæ; ſequitur quòd ſubſtantia corrumperetur.

Ad primum, concedo quòd ſi tota ſubſtantia ignis in ſphæra ſua deſtrueretur, & manerent ibi omnia accidentia; gutta aquæ ibi poſita nunquam deſtrueretur ab illis: & rationes priùs poſitæ hoc concludunt: quia non poſſent aliquam aliam ſubſtantiam generare, nec corruptio iſtius poteſt eſſe, niſi in ſubſtantiam: quia non eſt in nihil: nec in materiam nudam, nec in accidentia, maximè virtute agentis naturalis: quia non poteſt natura aliquid annihilare, nec in materiam primam reſoluere, nec accidentia facere ſine ſubiecto.

*Creaturaũ poteſt annihilare, vel in materiã nudam reducere.*

Ne tamen nimis abſurdum dicatur hoc, & contra ſenſum; dico quòd ſi accidentia aliqua actiua eſſent ſine ſubiecto, ſubſtantia quanta, & qualis approximata eis corrumpe-

retur:

retur: sed non ab eis, imò ab agente vniuersali causato, scilicet cœlo, ad quod est fuga naturalium, præcipuè cùm forma hîc inducenda sit imperfecta, quæ totaliter est in virtute actiua cœli: & per consequens nullo particulari agente impediente, imò magis disponente, potest forma illa à cœlo induci, sicut inducit quasdam formas imperfectas in materias corruptibilium. *Fuga naturalium ad cœlum, vel ad Deum.*

Et si esset aliqua forma, ad quam inducendam cœlum non sufficeret, oporteret fugere ad primam causam simpliciter: quia hîc induceret illam formam, ad quam agens naturale disponit.

Nec hoc est fugere ad miraculum: quia regulariter omnem impotentiam totius naturæ creatæ Deus supplet, vt patet in animatione corporis organici, vbi non ponitur miraculum: ita hîc tota natura creata non sufficeret ad generationem istam, nec ad corruptionem: & ideò naturâ disponente ad eam vltimatâ dispositione Deus regulariter suppleret impotentiam naturæ.

## *COMMENTARIVS.*

11 d *AD aliud dubium*, &c. In hoc, & in paragrapho sequenti hoc dubium fusè & clarè exponitur. Ad quorum intelligentiam breuiter aduertendum est, quòd in generatione substantiali supponitur alteratio, quæ corrumpit qualitates connaturales formæ præexistentis, vt patet experientiâ ad sensum. Ex hoc colligitur formam præexistentem dicere necessariam connexionem ad qualitatem naturalem, non in omni suo gradu, sed in aliquo determinato.

*Processus ad corruptionē.*

*Cur alteratio præsupponitur corruptioni.*

Primum patet, quia processus ad corruptionem eius non fieret ab alteratione, & corruptione accidentium naturalium alioquin, nisi esset aliqua connexio inter hæc & formam; natura enim non agit otiosè: ergo via est ad corruptionem formæ, corruptio accidentium per inductionem qualitatis contrariæ, contra inclinationem subiecti; ideóque motus hic est violentus subiecto. Secundum etiam patet, quia non ad omnem alterationem dictarum qualitatum, sequitur corruptio formæ substantialis.

12 Sed inquirendum vlteriùs, in quo fundatur hæc connexio inter formas in essendo, quæ inseparabilis est? Qui docent formam substantialem esse terminum alterationis, & formam priorem corrumpi, quia corrumpuntur eius qualitates; dicunt hanc connexionem esse inter dispositiones præuiè inductas, & formam sequentem.

*Fundamētum cōnexionis inter formas in essendo.*

*Sentētia aliorum.*

*Responsio. Dispositio cōnexa sequitur formam. Probatio.*

Respondetur, non esse hanc connexionem inter formam substantialem, & vllam dispositionem antecedentem formam ipsam substantialem, prout aliqui contrarium putant. Patet, quia dispositio antecedens non recipitur immediatè in materiam primam, vt nunc suppono cum communiori, accidentia absoluta ineſse toti, mediante suâ formâ.

*Ex motu violento.*

Vnde colligitur sicut motus ad alterationem præuiam corruptioni, est violentus subiecto, id est, contra inclinationem passi, ita subiectari terminum eius in ipso toto mediante formâ, quâ constituitur; nihil enim in passo dicit repugnantiam præter formam, & totum mediante formâ.

*Nulla forma Physicè agit in proprium subiectum.*

Præterea, quia qualitates inductæ expellunt formaliter, & per oppositionem, qualitates contrarias, & connaturales formæ præexistenti, quæ in ipsa forma subiectantur, atque ab eadem emanant: si ergo emanant ab ipsa forma, nequeunt subiectari in materia, quia nulla forma agit in suum subiectum primum realiter, ad quod se habet, vt actus: non ergo vt agens, quidquid sit de formis intentionabilibus, & actione earum.

13 Hoc supposito, patet responsio primò, quia illa necessaria connexio, & ordo inter formas illas, nempe calorem inductum in materiam, & formam ignis sequentem, non fundatur ex natura formarum, quà sunt actus subordinati respectiuè ad idem passum, qualis est ordo inter quantitatem, & qualitatem respectiuè ad substantiam, quia sic non respiciunt idem passum, quia calor præuius est in substantia subiecti præexistentis, & secundùm formam, quâ constituitur, forma ignis non ita.

*Non est ordo ad idem passum.*

Deinde vbi est talis connexio, prior forma non desinit aduenientе sequenti, quia ordo & connexio aliquorum in *esse* nequit saluari, non saluato ipso *esse*. Contrarium euenit in proposito, quia aduenientе forma genita, desinit forma prior per corruptionem, & totum quod ipsi ineſt, vt calor, verbi gratiâ præproductus per alterationem præuiam.

*Aduenientе formâ genitâ desinit dispositio prior ipsa.*

Tertiò, nihil inclinat ad sui *non esse*, quod alioquin est natura sua permanens: sed si calor prior per ordinem intrinsecum, fundatum in sua natura, inclinaret ad formam sequentem, inclinaret ad *non esse* sui, quia inclinaret ad *non esse* subiecti: ergo vt sic non fundat ab intrinseco ordinem ad formam genitam in *esse*, & permanenter. Et confirmatur, quia vel fundaret illum ordinem, inquantùm est, & hoc non: quia repugnat esse, nisi inſit subiecto: ergo nisi subiectum sit; sed subiectum esse, & formam sequentem, quæ est terminus generationis esse repugnat ex oppositione in essendo, quam habent forma corrupta & forma genita: vel fundaret illum ordinem, quà non est, & fuit; sed hoc æquè repugnat fundari ordinem essendi inter entia positiua, quà entia sunt & formæ, nisi vt fundatur in *esse* eorum.

*Nihil inclinat naturaliter ad non esse.*

*Confirmatur.*

*Dispositio exigit subiectum esse.*

Dices, fundari illum ordinem in calore, inquantùm præcessit; contrà, calorem præcessisse, & nunc non esse, prouenit ex destructione subiecti per formam aduenientem, non autem positione alicuius formæ contrariæ in eodem subiecto: ergo ideò desinit, quia causa per se eius, vt subiectum, desinit; sed sic etiam defineret, siue subiectum corrumperetur per ignem, siue per quodcumque aliud agens, ad cuius formam calor non esset dispositio: ergo, &c.

*Responsio. Impugnatur.*

14 Præterea patet idem: quia forma illa prior producta non repugnat formæ substantiali, in qua sustentatur: & perinde dicendum erit, si ponatur in materia, neque vnioni eius ad subiectum

*Dispositio prauia nō tollit formā subiecti.*

ex natura ſua, quia ſubſtantiæ nihil eſt contrarium; & nulla forma infert priuationem alterius ſubſtantialis, niſi quæ æquiualet ipſi, & tribuit actum ſimpliciter & incomparabilem: ergo illa forma caloris non dicit neceſſariam connexionem cum forma ſequente in ſuo *eſſe*. Probatur conſequentia: quod eſt prius ſimpliciter reſpectu poſterioris, id eſt, inſeparabiliter, nequit poni, niſi tollatur quidquid repugnat poſteriori eo ipſo quo ponitur: forma ſubſtantialis præexiſtens non tollitur, neque tolli poteſt per calorem, cui non opponitur: ergo neque ex vi caloris neceſſariò infertur, tanquam inſeparabili connexione forma poſterior ſubſtantialis.

*Non ponitur prius, niſi ponatur poſterius.*

*Reſponſio.*

Dices, hoc probaret nullam eſſe connexionem inter diſpoſitionem præuiam, & formam ſubſequentem. Dico quòd non eſt illa connexio, quam inquirimus, ſed eſt connexio ratione tertij, nempe cauſæ extrinſecæ, quæ agit cum ſubordinatione, primò mediante qualitate, ſecundò mediante formâ, quæ eſt principium generandi, vt nos dicimus, quâ conſtituitur in forma ſubſtantiali: & ſi generatio fieret virtute qualitatis, perinde dicendum eſſet ſeruari in eadem hanc ſubordinationem in agendo. Ex qua ſubordinatione oritur ordo inter formas non neceſſariæ connexionis, ſed ſuppoſitionis ex modo agendi cauſæ, quæcumque illa ſit.

*Connexio inter formas, eſt ex modo agẽdi tantùm.*

*Eſt ſuppoſitionis, nõ connexionis.*

15 *Connexio inter formã, & ſuam paſſionem.*

Alia ergo connexio eſt, quam inquirimus inter ipſas formas in *eſſe*, vel inter ſubiectum, & propriam qualitatem Phyſicam, quæ proinde ſupponit ſubſtantiam & formam, quâ conſtituitur, & illa ſequitur. Hæc autem talis eſt, vt naturaliter ſeparari ab inuicem non poſſint virtute cauſæ naturalis; neque fieri, vt ignis ſit, quin ſit calidus; hæc autem fundatur in igne; quâ prior eſt ſua proprietate Phyſica, non propter dependentiam ipſius in *eſſe*, quod recipit completè à generante; ſed ex actualitate ſubiecti, quæ præualet omni agenti naturali, quantùm ad conſeruationem ſuæ propriæ qualitatis, in gradu aliquo determinato, ſecundùm quem non definit, niſi definente ipſo ſubiecto: ponendo ergo hanc connexionem inter ſubiectum, & qualitatem propriam, & inſeparabilem, aliter nequit ſaluari, niſi modo prædicto.

*Non eſt ſubeſt cauſa naturali.*

*Prouenit ex actualitate ſubiecti.*

Ex his habentur ſequentes propoſitiones: prima eſt, *quòd virtute agentis naturalis non corrumpatur qualitas connaturalis ſubiecto ſecundùm omnem gradum ſuum, niſi corrupto ipſo ſubiecto.* Secunda propoſitio eſt: *quando dicatur forma ſubſtantialis corrumpi, & generari poſitâ, aut ſublatâ per alterationem præuiam diſpoſitione eius naturali, intelligi concomitanter*; quatenus agens, ſcilicet ſic diſponens, ſuppoſitâ diſpoſitione ex ordine agendi, agit ſtatim actione ſubſtantiali ad formam intentam, ex qua ſequitur corruptio alterius.

16 *Prima propoſitio.* *Secunda propoſitio.*

Sequitur hinc tertia propoſitio: *quòd neque accidens ſeparatum, neque coniunctum, agat aliter ad corruptionem ſubſtantialis formæ*; quia nequit agere ad productionem ſubſtantiæ, neque ex virtute vllius alterationis antecedentis definit forma præexiſtens; ſed ex virtute agentis inducentis generationem formæ oppoſitæ. *Tertia propoſitio.*

Sequitur quarta: *quòd accidens ſeparatum non agat ad corruptionem ſubſtantiæ per ſe, ex vi propriæ actionis*; quia abeſt ſubſtantia, cui talis actio ſubordinatur, & à qua poſſet fieri generatio ſubſtantiæ, cui ſubordinatur alteratio præuia; recurrendum proinde eſt ad cauſam extrinſecam, & vniuerſalem, quæ tunc agit ad ſaluandum myſterium, quia defectus cauſæ particularis per eam ſuppletur. Ex quibus patent quæ hîc diſſerit Doctor in hoc, & ſequenti paragrapho. *Quarta propoſitio.*

## SCHOLIVM.

*Reſoluit poſt ſubtilem & longam examinationem, per accidentia alterantia non produci gradum qualitatis incompoſsibilem formæ corrumpendæ, nec expelli gradum ei neceſſarium, ſed cùm producunt gradum proximum gradui iſti incompoſsibili, tunc ſubſtantia alterantis producit ſubſtantiam, à qua producitur ſua qualitas conſequens, & corrumpitur qualitas neceſſaria, ſeu conſequens formæ corruptæ. Si verò non eſt ſubſtantia in alterante potens producere aliam, vt in accidentibus Euchariſtiæ, fiat iſte effectus à cauſa extrinſeca ſupplente; quia ſuppoſitâ inſtitutione huius myſterij, Deus facit ad præſentiam ſpecierum omne illud, quod pane ibi exiſtente, fieret.*

25 *Datúrne gradus in alteratione, ad quem ſequitur corruptio formæ ſubſtantialis.*

Ad ſecundum dico, quòd nullus eſt gradus in alteratione, ad quem neceſſariò ſequatur corruptio formæ ſubſtantialis alterabilis: ſed ille, qui eſt proximus in vno alterabili, poteſt eſſe non proximus in alio alterabili, loquendo reſpectu corrumpentis, vel generantis intrinſeci immediatè ſe habentis ipſi alteranti. Eſto enim, quòd gradus aliquis quaſi proximus illi, qui eſt incompoſſibilis formæ aquæ, induceretur in aquam ab aliquo agente: ſtatim ſequeretur corruptio ipſius aquæ, ſi in illo agente eſſet forma, per quam poſſet corrumpere aquam: ſi autem non ſit in illo forma corruptiua aquæ, non corrumperetur forma aquæ ab illo agente, ſed fortè ab aliquo agente vniuerſali inducente iſtam formam, ad quam materia eſt diſpoſita. Sic hîc ſi ab accidentibus ſeparatis alteraretur aqua ad gradum, qui aliàs eſſet proximus corruptioni, ſicut eſt dare ibi proximum (& dico *ſicut*, quia indiuiſibilibus nihil indiuiſibile eſt proximum indiuiſibili) tunc quidem ſtatim ſequeretur ab ipſo alterante corruptio aquæ, ſed non niſi ab extrinſeco.

*Qualitas comitãs formã corrumpendam, à quo corrumpitur.*

*Obijcitur tripliciter.*

Sed adhuc contra hoc arguitur: quia quando aliqua qualitas eſt in ſubiecto, poteſt eſſe principium agendi ad aliquid incompoſſibile formæ ſubſtantiali, ergo & hîc: quia datum eſt priùs, quòd omnem alterationem, quam poteſt accidens in ſubiecto cauſare, poteſt

potest & sine subiecto. Item, secundò, quilibet gradus alterationis est eiusdem rationis: ergo quod potest habere actionem corruptiuam vnius, illud eiusdem rationis, si perfectius est, potest esse principium actionis corruptiuæ vlterioris gradus, & sic de quolibet: sed possibile est qualitatem separatam corrumpere aliquem gradum qualitatis substantiæ, sicut concedis: ergo si ista qualitas separata sit perfectior, potest corrumpere quemcunque gradum illius qualitatis: sed corrupto quocunque gradu qualitatis, non manet substantia prior, quia non manet sine sua qualitate naturali: ergo, &c.

Item tertiò, agens naturale posset corrumpere qualitates in Eucharistia; & per consequens posset inducere gradum aliquem incompossibilem illis formis secundùm speciem: & tamen non potest ibi inducere formam substantialem, quia non est ibi subiectum: ergo pari ratione qualitates separatæ possunt inducere in passum gradum incompossibilem qualitati, licèt non possint inducere formam substantialem aliquam concomitantem qualitatem oppositam.

Ad primum dico, quòd qualitas actiua aliqua in substantia existens, non potest esse per se principium actiuum respectu alicuius qualitatis repugnantis substantię corrumpendæ; sed tantùm potest esse principium causandi qualitatem in tali gradu, ad quem sequatur corruptio substantiæ habentis illam qualitatem: sed ibi sequetur istum gradum qualitatis corruptio substantiæ, hîc autem non: quia ibi est quoddam agens coniunctum isti accidenti, quod potest corrumpere substantiam hanc, & aliam generare, hîc non. Ad istud ergo non sequetur corruptio ab isto agente, sed fortè ab aliquo agente vniuersali, vt dictum est. 24

Ad secundum dico, quòd licèt gradus iste, & iste sint eiusdem rationis in se, non tamen in comparatione ad quodcumque agens: quia agens, quod potest substantiam corrumpere, potest corrumpere vltimum gradum qualitatis consequentis eam, & solum illud agens: sed aliud agens benè potest corrumpere aliquos gradus non illi necessarios. Vel aliter potest dici, & planiùs, quòd gradus possunt esse eiusdem rationis, vel in se tantùm, vel in se, & in comparatione ad subiectum. Si primo modo, falsa est illa propositio, quæ dicit, quòd agens eiusdem rationis potest corrumpere illa, quæ sunt eiusdem rationis. Si enim non sunt eiusdem rationis in comparatione ad subiectum, vt potè quia subiectum determinat sibi alterum illorum, non autem necessariò determinat sibi alios, benè potest aliquod agens corrumpere in tali subiecto vnum gradum, vel plures: non tamen illum vltimum, quem subiectum sibi determinat: quia ille non corrumpitur, nisi ad corruptionem substantiæ.

*Gradus eiusdem formæ possunt esse diuersæ rationis in ordine ad subiectum, quia sunt inseparabiles a forma, alij nõ.*

Et si arguas sic, sicut substantia necessariò requirit illum gradum qualitatis consequentis, ita ille gradus repugnat contrario agenti: ergo sicut dicis, quòd manebit quandiu substantia manet, ita sequitur, quòd non maneat propter contrarium actiuum. Et præterea, quod est posterius generatione, est prius corruptione: sed ista qualitas secundùm gradum necessarium substantiæ, est posterior generatione substantiâ: ergo erit prior in corruptione: ergo priùs naturaliter corrumpetur, quàm substantia: sed non nisi ab alterante, vt alterans est: ergo, &c. 25

*Istæ duæ obiectiones in quibusdam originalibus non habentur, nec solutio earum, vsque ad solut. 3. arg. n. 30.*

Ad primum dico, si aliquod agens est ita potens ad destruendum istum gradum, sicut substantia ad conseruandum, argumentum haberet euidentiam: sed dico substantiam habere maiorem virtutem ad resistendum contrario corruptiuo illius gradus, quàm illud contrarium habeat virtutem actiuam ad corrumpendum: & ratio huius est, quia comparando actiuum ad actiuum, simpliciter perfectius secundùm entitatem, est simpliciter perfectius secundùm virtutem: substantia autem habet virtutem actiuam respectu qualitatis consequentis eam, & qualitas contraria habet virtutem actiuam ad corrumpendum ipsam. Simpliciter autem substantia est perfectior qualitate contraria: ergo virtus substantiæ simpliciter est maior in resistendo, quàm virtus qualitatis contrariæ in corrumpendo. Et hæc est bona probabilitas, quòd substantia est causa actiua respectu qualitatis consequentis ipsam: quia aliàs non resisteret contrario corrumpenti suam qualitatem, nec illa qualitas posset resistere: quia de se est quid imperfectius, quàm contrarium corrumpens, si ponatur, quòd illud contrarium sit simpliciter intensius in sua specie, quàm istud in sua.

*Quare qualitas alterãs non corrumpat gradum inseparabilẽ a forma corrũpendæ*

*Substantia causat qualitatem consequentem.*

Ast secundum dico, quòd illa propositio non est vera, nisi de his, quæ sunt ordinata in generatione, & corruptione pertinente ad idem genus, cuiusmodi sunt formæ ordinatæ secundùm ponentes plures formas: ibi enim forma vniuersalior, sicut priùs aduenit materiæ, ita posteriùs discedit. Sed de subiecto, & propria qualitate consequente secundùm illum gradum, secundùm quem est necessarium sub- 26

Posterius generatione est prius corruptione, exponitur

ſtantiæ, falſum eſt: imò iſta qualitas, & poſteriùs inducitur, & poſteriùs corrumpitur.

Et ſi quæras à quo inducitur huiuſmodi qualitas, vel à generante, vt generans eſt, vel ab alterante vt alterans? & conſimiliter à quo corrumpitur, vel à corrumpente ſubſtantiam, vt corrumpens eſt, vel ab alterante, vt eſt inducens qualitatem oppoſitam in genito? Reſpondeo, effectus proximus cauſæ æquiuocæ ſecundùm ſpeciem, in quolibet indiuiduo, cauſatur ab aliquo indiuiduo cauſæ æquiuocæ. Ratio eſt, quia indiuidua eiuſdem ſpeciei non neceſſariò requirunt aliam, & aliam cauſam ſpecie: poſſibile enim eſt eandem naturam ſpecificam in iſto produci à cauſa eiuſdem rationis, à qua poteſt produci eadem natura in alio indiuiduo: quia ad eundem terminum formalem ſufficit idem principium formale inductiuum: illud autem hoc, & hoc, quod habet illum eundem terminum formalem, non requirit neceſſariò productiuum alterius rationis.

*Qualitas incompoſſibilis formæ corrũpendæ, & neceſſaria formæ inducta ab inducta cauſatur.*

Ex hac propoſitione de cauſa æquiuoca, & effectu proximo probata: concludo quòd qualitas neceſſariò conſequens aliquam ſubſtantiam ſecundùm ſpeciem in quocunque, cauſatur à tali ſubſtantia: quia prima qualitas cauſatur tantùm à ſubſtantia: ergo & quælibet poteſt; & per conſequens, cùm cauſa æquiuoca ſit virtualior, quàm vniuoca, etſi cauſa vniuoca poſſet inducere iſtum effectum, tamen cauſa æquiuoca præueniret, ſicut dicit Ariſt. de magna flamma & parua, *in lib. de Reſpiratione*: non ergo inducitur iſta qualitas geniti ab aliquo alterante, vt alterans eſt, hoc eſt, non eſt principium formale inducendi illam qualitatem, qualitas.

Et ſi arguas, tunc iſta alteratio præuia non habet terminum; non eſt inconueniens de termino per ſe eiuſdem generis: quia habet terminum extrinſecum formam ſubſtantialem geniti.

27

*Quare potiùs forma genita, quã generãs inducit qualitatem conſequentem.*

Et ſi quæras an illa qualitas geniti inducatur à ſubſtantia generante? Dico, quòd etſi poſſet induci ab illa, tamen probabilius eſt, quòd inducatur ab ipſa ſubſtantia genita: quia agentia habentia eandem virtutem, & æqualem, licèt poſſent in idem paſſum eandem formam inducere: tamen agens, quantò habet patiens ſibi immediatiùs coniunctum, tantò, cæteris paribus, efficaciùs, & immediatiùs agit. Si autem ipſummet eſt ſuſceptiuum termini actionis ſuæ, vt in propoſito, ipſum eſt paſſum ſibi immediatiùs coniunctum, & per conſequens ibi non præueniret generans ſubſtantiam genitam: quia non eſt prius ſecundùm perfectionem ipſo, ſed tantùm duratione: genitum autem eſt æquale perfectione, & immediatius ipſi paſſo: & hoc poteſt benè ſaluare quomodo omnes formæ æquiuocæ inducibiles inducuntur in quocunque à ſeipſo, licèt tale agens æquiuocum non diceretur poſſe inducere formam illam in aliud paſſum: ſicut voluntas vna non poteſt inducere volitionem ſuam in aliam voluntatem, benè tamen in ſeipſam.

*Contra hoc in 2. d. 9. q. 2. de locut. Angel. Sed hic tantùm diſputat, nec eſt certum hãc literam eſſe ipſius, quia in multis antiquis nõ habetur.*

Ex his patet à quo corrumpitur qualitas præcedens: quia ab illo à quo inducitur propria qualitas ipſius geniti: illud autem inducens eſt ipſummet genitum, vt dictum eſt. Vel poteſt dici meliùs, quòd corrumpitur ab illo, quod corrumpitur ſubiectum eius: hoc autem eſt generans ſubſtantiam contrariam: & tunc qualitas iſta corrupti non corrumpitur, niſi per accidens: qualitas tamen geniti inducta, quæ habet aliquem gradum, qui ſimpliciter fuit incompoſſibilis ſubſtantiæ corrumpendæ, ipſa inducitur per ſe, actione ſubſtantiæ genitæ; licèt non per mutationem, quia ſubiectum non præfuit, carens ea.

28

Hæc autem, quæ dicta ſunt, non ſolùm ſunt vera de qualitate ſeparata à ſubſtantia: ſed etiam exiſtente in ſubſtantia: quia ibi ſubſtantia vt qualis, non corrumpit ſubſtantiam, nec inducit qualitatem in gradu incompoſſibili ſubſtantiæ corrumpendæ: ſed vt ſubſtantia per ſe corrumpit ſubſtantiam, & per accidens qualitatem eius, vt ſubſtantia generat ſubſtantiam, & vltimus gradus propinquus ſubſtantiæ generandæ, qui primus eſt incompoſſibilis ſubſtantiæ corrumpendæ, eſt ab ipſo genito.

Vnde manifeſtè patet falſitas iſtius compoſitionis: Omnis ſubſtantia ideò corrumpitur, quia inducitur aliquis gradus incompoſſibilis ſuæ propriæ qualitati: imò nunquam gradus incompoſſibilis eſt, niſi in aliqua ſubſtantia iam genita; alioquin incompoſſibilia eſſent ſimul: nec aliquis gradus inductus, vel inducibilis ab alterante, vt alterans eſt, poteſt corrumpere ſubſtantiam: quia nullum poſterius ſecundùm genus poteſt eſſe principium corrumpendi prius ſecundùm genus.

29

Ex hoc patet ad inſtantiam, quæ poteſt fieri de aqua, quòd tunc aqua non poſſet corrumpere ignem: quia ſimpliciter ignis habet perfectiorem virtutem actiuam. Reſpondeo, non eſt vniuerſaliter verum, quòd imperfectius non poteſt corrumpere perfectius,

loquendo

loquendo de ſpecie ad ſpeciem : ſed imperfectius actiuum ſecundùm genus non poteſt corrumpere perfectius ens ſecundùm genus : quia non poteſt inducere niſi imperfectius ſecundùm genus:& iſtud imperfectius non poteſt eſſe ſuccedens corruptioni perfectioris ſecundùm genus. Non enim poteſt accidens eſſe propriè ſuccedens corruptioni ſubſtantiæ:quia ſi illud ſolum ſuccederet, ſubſtantia vt ſubſtantia,eſſet quaſi annihilata. Sed in imperfectius eiuſdem generis non eſt ita : quia imperfectius in hoc quòd poteſt inducere aliquid ſimile ſibi, poteſt inducere aliquid quod poteſt ſuccedere ipſi corrupto eiuſdem generis.

*Imperfectius ſecundùm ſpeciẽ, poteſt corrũpere perfectius, ſecus de imperfectiore ſecundùm genus.*

Poſſet etiam dici,quòd inter perfectum, & imperfectum eiuſdem generis eſt formalis repugnantia , propter quam vnum poteſt aliud corrumpere : ſed inter perfectum vnius generis,& imperfectum alterius generis,non eſt niſi tantùm repugnantia virtualis : ſicut prius repugnat oppoſito poſterioris, & poſterius oppoſito prioris:poſterius autem ſecundùm genus non poteſt per ſe,niſi in oppoſitum ſui generis : & ideò non poteſt in corruptionem prioris ſecundùm genus,cui non opponitur niſi indirectè.

Ad tertium,concedo quòd ſpecies ſeparatæ poſſunt corrumpi ab agente creato , vt dicetur in articulo ſequenti,& etiam qualiter ibi ſubſtantia generetur,& non generetur. 30

Sed ſi formetur ratio hoc modo,poſitis accidentibus ſeparatis , vtpote calore ignis in quantitate,poſſet corrumpi à ſubſtantia alterante,vel ab alio quali ſeparato contrario,vel magis actiuo,vtpote à quanto frigido ſeparato,non ſolùm perfectiſſimus gradus illius caloris,ſed etiam vltimus : ſed non eſt maioris virtutis, vel magis actiua iſta frigiditas ſeparata,per hoc,quòd calor eſt ſeparatus,quàm ſi calor eſſet in ſubſtantia : ergo ſi calor eſſet in ſubſtantia ignis,adhuc poſſet frigus ſeparatum corrumpere vltimum gradum ſubſtantiæ ignis:& tunc ſtat totum argumentum principale : quia ille non poteſt corrumpi , niſi ignis corrumpatur,nec corrumpi,niſi aliqua ſubſtantia generetur:& ita frigus ſeparatum poſſet generare aliquam ſubſtantiam.

Reſpondeo , quòd ponendo caliditatem ignis, & frigus aquæ in quantitatibus ſeparatis : ſi frigiditas ſimpliciter vinceret ſecundùm intenſionem ſpecie ſua calorem in ſpecie ſua , concedo quòd quilibet gradus etiam vltimus illius caloris poſſet corrumpi ab illo frigore:ſed non ſequitur,quòd ſimiliter poſſit vltimus gradus caloris corrumpi , quando calor eſt in igne.

*Poſſit frigore,& calore in quãtitatibus ſeparatis,quo modo ſe corrumperent?* 31

Et ratio eſt hæc,quia quantitas,quæ ſubiicitur calori ſeparato,non determinat ſibi neceſſariò gradum aliquem caloris,non magis infimum,quàm ſummum : non habet enim aliquam virtutem actiuam , vel neceſſitatem reſpectu cuiuſcunque gradus ibi : & ideò, quod poteſt corrumpere in tali ſubiecto vnum gradum , poteſt corrumpere alium , & quemlibet.Vnde hi gradus ſunt eiuſdem rationis in ſe,& in comparando ipſi ſubiecto, id eſt,æqualis eſt determinatio , vel indeterminatio ſubiecti ad quemcunque gradum , & è conuerſo : ſed non ſic quando calor eſt in igne:ſupremum enim gradum non ſibi neceſſariò determinat , ſed contingenter eſt in igne : & ideò ſi ille gradus non poteſt reſiſtere frigori corrumpenti, nec ſubiectum reſiſtet : quia non neceſſariò requirit illum gradum, ſed infimum gradum ſibi determinat neceſſariò ; & ideò licèt ille gradus infimus non poſſit reſiſtere:tamen ſubſtantia ignis,quæ eſt maioris virtutis , poteſt reſiſtere contrario corrumpenti,plus enim poteſt ſubſtantia ignis ad conſeruandum illum effectum, quàm frigus ad corrumpendum. Conſeruabitur ergo ille gradus , quamdiu ignis eſt in ſuo *eſſe* manens : & ideò niſi ſit aliquid corrumpens ignem in ſe , non corrumpetur ille gradus.

Quando ergo dicitur,quòd non eſt frigus maioris virtutis,nec magis actiuum per hoc, quòd calor eſt ſine ſubſtantia, quàm ſi eſſet cum ſubſtantia : concedo quòd non eſt in ſe magis actiuum:ſed in hoc contrarium magis poteſt agere, quia hoc contrarium ſeparatum caret cauſa conſeruante ſuum *eſſe*:coniunctum autem habet cauſam conſeruantem ſuum *eſſe*. Et iſta reſponſio eſt vniuerſalis de cauſis contrariis formaliter , vel virtualiter concurrentibus circa idem paſſum. Non enim eſt vna magis actiua ſimpliciter , vel minùs,quia alia concurrit circa idem paſſum : ſed tantùm vna eſt minùs actiua in illud,quia alia concurrit , quia illa impedit.

## SCHOLIVM.

*In ſolutione hac explicat benè illud :* deſtructo priori deſtruitur poſterius , *& oſtendit ineſſe, non eſſe eſſentialiter prius in accidenti,quàm agere:item,* ineſſe *non eſſe paſsionem accidentis, de quo quæſt.* 1.

Ad

32 Deſtructo priori deſtruitur poſterius, *exponitur dupliciter.*

Ad principales [c] rationes. Ad primum dico, quòd iſta propoſitio, deſtructo priori, deſtruitur poſterius: vera eſt de ſimpliciter priori, à quo ſcilicet dependet poſterius: non autem de illo, quod aliquo modo eſt prius, à quo tamen poſterius non dependet eſſentialiter; ſicut eſt in effectibus ordinatis, propinquior cauſæ dicitur prior remotiori: & tamen poſſibile eſſet aliquando cauſam exire in effectum ſecundum, licèt impediretur à primo. Aliter poteſt dici, quòd illa propoſitio vera eſt, niſi aliquid aliud prius priori, & poſteriori ſuppleat vicem illius prioris: ſic eſt de Deo, & ſubiecto reſpectu accidentis hîc.

*Diſt. 2. & 10. & in 2. diſt. 1. q. 1. & in quodl. q. 1.*

Sed prima reſponſio eſt dubia, quomodo effectus poſterior poſſet eſſe ſine effectu priori eiuſdem cauſæ, quando inter effectus eſt ordo eſſentialis: dictum eſt enim ſæpè in primo libro, quòd cauſa nata habere effectus ordinatos, non eſt in potentia propinqua ad effectum remotiorem producendum, niſi propinquiori iam producto: & per hoc non poteſt Spiritus ſanctus ſpirari, niſi à Patre, & Filio ſimul: ac per hoc non poteſt creatura creari, niſi ſimul à tribus perſonis diuinis, & alia multa ibi.

Secunda etiam ratio non valet hîc, quia etſi Deus ſuppleat vicem, id eſt, cauſalitatem ſubiecti reſpectu accidentis conſeruando accidens ſine ſubiecto; non tamen ſupplet vicem ipſius inhærentiæ ad ſubiectum, de qua arguitur, quòd illa eſt prior actione in extrinſecum, niſi dicas quòd pro tanto ſupplet vicem ipſius inhærentiæ ad ſubiectum, de qua arguitur, quia conſeruat ibi *eſſe*.

33 Ineſſe *accidentis nõ eſt prius, quàm* agere, *quia vtrumque cõuenit per reſpectũ extrinſecum, primum tamen eſt naturaliter prius.*

Sed ad formam poteſt dici, negando minorem, quia *ineſſe* accidentis non eſt eſſentialiter prius quàm *agere* in extrinſecum, loquendo de *ineſſe* alicubi ſubſtantiæ: quia vtrumque conuenit contingenter accidenti; & poſterius etiam contingenter præhabet prius. Neceſſariò quidem, & eſſentialiter actio præſupponit *eſſe* ipſius formæ actiuæ: ſed quod *ineſſe*, concomitetur illud *eſſe*, non eſt neceſſarium, nec neceſſariò præexactum ad *agere*. Quando tamen vterque reſpectus conuenit eidem formæ abſolutæ, ſcilicet *ineſſe*, & *agere* in extrinſecum, licèt vterque ſit extrinſecus adueniens: tamen primus non ita ſe habet contingenter ad fundamentum, ſicut ſecundus, quia ſi ſemper fundamentum, ſtante ordine cauſarum naturalium, habet primum reſpectum, non ſic ſecundum: & poſſunt plura impedire, ne ſecundus reſpectus inſit, quàm ne primus: quia contrarium impediens, poteſt auferre iſti formæ ne agat: ſed ne inſit, nihil poteſt auferre, niſi Deus.

Ineſſe *quomodo immediatius accidenti, quã* ageret.

Eſt ergo minor falſa, quòd *ineſſe* eſt prius, quàm *agere* eſſentialiter: ſed tantùm *eſſe* eſt eſſentialiter prius, *ineſſe* autem eſt communiter prius conſiderando ordinem cauſarum naturalium. Et tunc ad confirmationem de immediatione, dico, quòd non omne immediatius alicui, neceſſariò præſupponitur omni mediatiori, vtpote, ſi illud immediatius non eſt cauſa aliquo reſpectu mediati, neque cauſa actiua, neque receptiua: neque effectus ſimpliciter neceſſariò propinquior eidem cauſæ. Et ſic eſt in propoſito. ineſſe enim habet immediationem hanc, quòd ſtatim ex cauſis naturalibus conſequitur fundamentum: ita ſtatim quòd per nullam cauſam naturalem impeditur non ſic agere: ſed tamen nec *ineſſe* eſt ratio elicitiua, nec receptiua: nec effectus ſimpliciter neceſſariò prior, quàm agere.

Ineſſe *non eſt paſſio accidentis.*

Et ſi dicas, *ineſſe* eſt propria paſſio accidentis, *agere* autem eſt accidens per accidens. Patet reſponſio *1. q. huius diſt. Ineſſe* enim non eſt propria paſſio, ſed accidens contingenter inhærens, licèt vt in pluribus: accidens autem vt in pluribus, non neceſſariò præcedit accidens in paucioribus, vel ad vtrumlibet.

## *COMMENTARIVS.*

17 [c] *AD principales rationes*, &c. Reſpondet ad argumenta poſita ad initium huius quæſtionis. Ad primum, poſterius non poteſt eſſe ſine priori, Reſpondet id verum eſſe de poſteriori eſſentialiter: ſic autem ſe habet actio accidentis ad exiſtentiam eius, non verò ad inhærentiam. Ad explicationem illius diſtinctionis ponit obiter exemplum de effectibus ſubordinatis, in quibus probabile eſt effectum remotiorem, & poſteriorem eſſe poſſe ſine priori.

*Duplex ſubordinatio inter effectus.*

Hoc tamen limitandum eſt: quando non eſt eſſentialis ordo inter effectus, ſimpliciter poteſt eſſe poſterior ſine priori, licèt non hîc, & nunc, & ab hoc agente, verbi gratiâ, electio finis ſupponit conſultationem in eo, qui ignorat media, quia aliter nequit deuenire ad neceſſariam cognitionem, & præuiam electioni: ſed in artifice experto, & cognoſcente media, non requiritur talis conſultatio, ante electionem: agens naturale ageret immediatè ad confirmationem materiæ primæ in inſtanti, ſi applicaretur ei ſine forma ſubſtantiali, & tunc non ageret priùs alterando. Reiicit etiam aliam reſponſionem, quæ tamen reducta ad iam præmiſſam tenet, quia inhærentia non eſt prior actione in accidente, niſi quà eſt dependentia eius ad ſubiectum: quidquid autem ſupplet cauſam, ſupplet & dependentiam cauſæ: ſic Deus ſupplens ſubiectum ſupplet dependentiam, quæ

*Supplẽs cauſam, ſupplet dependentiam à cauſa.*

quæ in tantum exigitur, inquantum exigitur ſubiectum.

*Prius aliquo, non eſt prius tertio in cauſando tertiũ neceſſariò, & ſemper.*

Ad confirmationem patet, quia reſponſio redit in hoc, quòd illud quod eſt prius, & immediatius, qualiter ſe habet inhærentia ad accidens, vt comparatur ad actionem, non ſemper neceſſariò ſupponitur poſteriori, vt quando nullo modo eſt cauſa reſpectu poſterioris & mediati, verbi gratiâ, priùs forma dicit reſpectum effectus ad cauſam efficientem, quàm cauſæ formalis ad ſuum effectum formalem, quia ille ſequitur *eſſe* eius, hic verò actionem; ſed non ſupponitur vnus ad alterum: ſic neque inhærentia, quæ eſt reſpectus prior ad cauſam materialem, facit ad actionem, quia neque principium, neque cauſa, neque conditio eſſentialis, & præuia eſt, ſi alioquin manet forma in *eſſe* ſine inhærentia.

## SCHOLIVM.

*In hac ſolutione declarat illud; actio eſt tantùm ſuppoſiti, (licèt non inueniatur apud Philoſoph. ſaltem vbi citatur) quod intelligitur de ſuppoſito, vt de vltimatè denominabili, atque adeò poteſt conuenire formæ, vt proximè denominabili.*

Ad ſecundum[f] principale dico, quòd iſta propoſitio, actio eſt tantùm ſuppoſiti; non habetur à Philoſopho 1. *Metaph.* ſed ibi habetur, quòd actio eſt circa ſingularia: & pro tanto præfert experimentum arti in agendo, vel expertum artifici. Sed vnde locus? eſt circa ſingulare, vt obiectum: ergo eſt ſolius ſuppoſiti, vt agentis. Si ergo accipitur iſta propoſitio, actio eſt ſuppoſiti, ſumitur aliunde, quàm à Philoſopho ſaltem hîc: actio tamen eſt ſuppoſiti, vt vltimatè denominati ab actione: ſed non vt ſolius denominati ab ipſa. Hanc reſponſionem intelligere potes ex 5. *diſt.* 1. *lib.* vbi habetur, quomodo ab eodem abſtracto, & maximè dicente reſpectum, poſſunt accipi plura denominatiua, denominantia plura, ad quæ cadit illa forma, & ſecundùm ordinem. Sicut ab hoc abſtracto *potentialitas* accipitur hoc concretum proximum, quod eſt *potentia*: & dicitur de calore, & vlterius hoc concretum, quod eſt *potens*, & dicitur de igne habente calorem. Eodem modo poteſt accipi ab actione vnum concretum, quod denominaret principium formale agendi, & illud de calore diceretur, vtputa calor calefacit, id eſt, eſt quo habens agit, ſic calor eſt potentia calefactiua: nec tamen eſt potentialitas, nec potens. Sed non accipitur ab actione communiter, niſi denominatiuum denominans vltimum denominabile, ad quod terminatur tota dependentia illius formæ: & concedo, quòd quantumcunque formæ denominentur ab actione, cùm iſta forma nata ſit eſſe in ſuppoſito, poſſet vlteriori denominatione ſuppoſitum denominari ab actione.

34 *Actio eſt tantùm ſuppoſiti, non eſt Philoſophi, vbi citatur ſaltem. q. 1. n. 1. Actio eſt ſuppoſiti, vt vltimi denominati, poteſt tamen eſſe forma, vt denominati propinqui. Ab eodem abſtracto reſpectiuo accipiuntur plura concreta. vide 1. d. 5. q. 1. n. 6.*

Sed diceres, ſaltem hac denominatione vſitatâ, quâ aliquid dicitur agere forma, non denominatur ab actione: & ita propoſitum. Reſpondeo, forma habens rationem formæ, non ſic denominatur, id eſt, forma informans: quia tunc eſt alteri ratio, quâ ipſum denominatur hac denominatione: ſed forma non informans, ſed per ſe ens, non denominatur hac denominatione; denominari tamen poteſt aliâ denominatione, vt prædictum eſt: & ſi ipſa non dependet vlteriùs ad aliquid denominatum, denominatio eius erit vltima. Et ſic illa propoſitio *ſolius ſuppoſiti eſt agere*, breuiter exponitur, vel alicuius habentis modum ſuppoſiti. In hoc autem, quod dico habere modum ſuppoſiti, nihil poſitiuum intelligo vltra eſſentiam formæ: ſed tantùm negationem informandi aliquod, quod per iſtam formam agat.

35

Ad confirmationem per Boëtium, poteſt dici, quòd ſicut ipſe loquitur ibi de *quo eſt*, & *quod eſt*, quodlibet cauſatũ habet iſta aliquo modo diſtincta, eo modo, quo nullum creatum eſt purum *eſſe*, de quo in primo libro: ſed non oportet, quòd in quolibet creato, *quo agit*, & *quod agit*, ſint diſtincta. Si enim anima eſt eſſentia ſimplex, & idem realiter ſuæ potentiæ, non eſt aliud, quod agit actione intellectiua, & quo agit: & ita hîc, iſtud eſt quoddam ens, & accidens ſimplex, nec informans aliud. *Diſt. 2. & 8.*

Exemplum adductum de anima & homine non probat, niſi de *quo* & *quod* in eſſendo: & hoc accipiendo *quo* partiale, non *quo* totale; quod dico, quia homo, vt *quo* totali, humanitate eſt homo: ſed per animam eſt homo, vt *quo* partiali. Et hoc eſt, quod aliquando conſueuit dici de forma totius, & forma partis. Forma autem totius eſt quiditas rei includens vtramque partem eſſentialem, & illa non eſt aliud realiter ab ipſo: quòd ſi ſic fortè ſit aliud, tantùm eſt aliud in modo intelligendi, & tantùm iſto modo poſſunt differre, *quod* & *quo* reſpectu actionis, quando *quo* eſt *quo* totale, *quod* ſemper eſt ad minus quando ipſum *quo* nulli alij ineſt, & fortè etiam quando alij ineſt: quia tunc ſubiectum nullam cauſalitatem habet propriam reſpectu actionis: ſed tamen nunc denominatur ab illa actione, denominatione remotâ, quia denominatur à principio *quo*, illius actionis.

36 *Quod & quo, quomodo differunt reſpectu actionis.*

Ad

Ad illud,quod adducitur de 3.Metaph.de Mathematicis,quòd *in mathematicis non eſt actio,vel agens,nec bonum.* Dico,quòd quantitas in Euchariſtia non eſt purè quid mathematicum. Mathematicum enim ita abſtrahit à qualitatibus naturalibus, ſicut à forma ſubſtantiali: ita enim vel magis abſtrahit Mathematicus à naturali,ſicut à Metaphyſico. Concedo ergo,quòd ſi quantitas eſſet ſola, ipſa non eſſet agendi principium tali actione, de qua loquimur hîc:ſed qualitas iſta naturalis,quæ eſt hîc in quantitate,benè poteſt habere actum virtualem reſpectu paſſi.

## *COMMENTARIVS.*

18 *Reſponſio ad ſecundum principale.*

f *AD ſecundum principale*, &c. Oſtendit illud, *actiones ſunt ſuppoſitorum*, non eſſe Philoſophi: ſed actiones verſari circa ſingularia: ex paritate etiam rationis ſunt ſingularium:quia ſingularitas ſupponitur ad actionem, ſicut & *eſſe* cauſæ:poteſt ergo teneri, extendendo appellationem ſuppoſiti ad illud,quod habet modum eſſendi ſuppoſiti,in hoc quòd exiſtat ſeorſim non connotando aliud, quamuis natum ſit connotare, quia dependentia actionis eſt ad ipſum, vt ad vltimatum terminum, ſeu principium in *eſſe*, & *denominari*. vide ipſum *in* 1.*diſt.* 12.*quæſt.* 1.*ad* 2.

*Exiſtens per modum ſuppoſiti priuatiuè.*

*Ad confirm.*

Ad confirmationem, intelligitur de compoſitione creaturæ ex potentia & actu, ſicut & cæteri Patres, & potiſſimùm Auguſtinus dicit creaturam includere nihil,id eſt, non habere plenitudinem eſſendi,ſicut Deus, qui eſt actus purus nihil includens potentialitatis,aut defectibilitatis;omnis autem creatura eſt defectibilis, & includit limitationem eſſendi,ideò dicitur componi ex potentia & actu.Hinc ſæpè Auguſtinus dicit voluntatem creatam eſſe defectibilem & peccabilem; quia eſt ex nihilo, nec poſſe rectificari, niſi per eum,qui non patitur defectum: & in hoc fundatur ordo in rebus,& cauſis,eſſentialis,quà imperfectum reducitur ad perfectius, quia imperfectum dicit priuationem perfectionis, & ratione huius dependentiam ad aliud prius, quod eſt in actu illius perfectionis: inſtantia allata de anima rectè probat gloſſam adhibitam Boëtio.

*Compoſitio creaturæ ex potentia & actu.*

*Ordo in rebus in quo fundatur.*

Ad ſecundam confirmationem,negatur conſequentia. Antecedens eſt verum de principio *quo* in eſſendo,quia pars nunquam poteſt eſſe totum: tamen actio ſemper competit toti mediante parte, nempe forma,& non ratione materiæ:vnde ſi forma eſt ſolitaria,poterit etiam competere ipſi tam virtus actiua, quàm ipſa actio; in hoc enim non dependet à toto: ſed econtrà totum ab ipſa. 19 *Ad 2. confir. Actio competit toti per formam.*

Quoad illam diſtinctionem de forma partis,& totius, vide ipſum *in* 1.*diſt.*3. *queſt.*7. *ad* 3. & fuſiùs *in* 3. *diſt.* 2. *queſt.* 7. & *in* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 6. dicitur forma reſpectiuè ad rem ipſam conceptam per modum concreti, & ſuppoſiti, vt humanitas forma hominis,quâ conſtituitur ens.

Ad tertiam confirmationem quantitas conſideratur à Mathematico,vt abſtrahit à ſubſtantia, & qualitate ſenſibili:à naturali verò reſpectiuè ad vtrumque: vt ergo eſt in Euchariſtia ſubiectum accidẽtium,quod denominatur ab actione,ſic non conſideratur mathematicè, ſed à naturali, vt eſt principium motus ſenſibilis ſuo modo circa paragraphum ſequentem: vide quæ dicta ſunt diſt. 10.quæſt.8.in Comment. *Ad 3. confir.*

## SCHOLIVM.

*Incidenter reſoluit quantitatem ſine qualitate non poſſe percipi à ſenſu,vel intellectu noſtro, pro hoc ſtatu,& rationem vtriuſque aſſignat.*

37 *T.com.* 64.

Et ſi quæras,quantitas ſeparata ſine qualitate, eſſétne actiua in ſenſum? Videtur quòd ſic,quia eſt per ſe ſenſibile. 2. *de Anima*: & iterum in intellectum poſſet agere, quia eſt per ſe intelligibile: non autem poſſet agere in intellectum noſtrum, niſi priùs in ſenſum: ergo,&c. Oppoſitum videtur, quia non eſt ſenſibile primò: illud autem, quod eſt tantùm ſenſibile per ſe non primò,non poteſt agere ſine illo,quod eſt primò ſenſibile.

*Senſibilia communia an agant in ſenſum.*

Poteſt dici, quòd non ſentiretur, quia vel nullam actionem habet in ſenſum ſecundùm aliquos imprimendo ſpeciem propriam, ſed ſola ſenſibilia propria hoc faciunt: ſenſibilia verò communia ſolùm faciunt ad modum immutandi ipſum ſenſum, vel ſi cum ſenſibili proprio cauſet propriam ſpeciem commune ſenſibile (alioquin quomodo propriè ſentiretur)non tamen poteſt iſtam cauſare ſine ſenſibili proprio concomitante: non quidem quin iſtud ſit prius,quàm qualitas ſenſibilis primò, & ita ſecundùm ſe poſſibile ſeparari ab illa; ſed non priùs in agendo in ſenſum,& ſic inquantùm huiuſmodi non eſt ſeparabile à ſenſibili proprio. Et fortè ratio eſt, quia ſenſus eſt primò potentia receptiua ſui proprij obiecti, & ideò à nullo alio poteſt recipere alium actum,niſi priùs naturaliter ſit in iſto actu.

*Quantitas ſine qualitate nõ moueret intellectũ noſtrũ, & quare?*

Ad primum argumentum patet ex his. Ad ſecundum, dico, quòd poſſet mouere intellectum,ſi ſibi eſſet proportionatum, vel proportionaliter præſens:ſed non eſſet ſic intellectui noſtro, quia ſibi non poteſt fieri præſens,niſi per ſpeciem,quæ non poteſt cauſari in intellectu, niſi priùs ſpecies obiecti fuerit in ſenſu.

SCHO

## SCHOLIVM.

*Ad tertium principale, declarat benè illud, agens & patiens communicant in materia. Ad quartum, declarat ideò Aristotelem negasse ideas generare posse subsantiam compositam, quia sunt formæ: non quia negauit actionem formis, sed quia tenuit nullam substantiam immaterialem posse producere substantiam compositam, nisi medio corpore, propter ordinem causarum vniuersi in causando, in quo errauit. Mouet, & non soluit, an forma substantialis separata generare posset, sicut accidentalis potest alterare: & videtur quòd non, quia non potest suscipere quantitatem, nec suscipi in ea, vt vult hîc Tartaretus.*

Ad tertium[g] principale dico, quòd ista propositio primi de generatione, agens & patiens oportet communicare in materia, exponi potest de communicatione aptitudinali, vel actuali; ista autem accidentia separata etiam nata sunt communicare cum passo in materia sui subiecti. Vel aliter, quòd non est vera, nisi de agente vniuoco: nam Deus vel cœlum non communicant in materia cum istis inferioribus. Sed hoc non soluit, quia huiusmodi accidentia agunt in sua contraria actione vniuocâ: ergo prima solutio melior est: quia ex quo hæc forma est eiusdem rationis cum forma terminante, sequitur quòd sicut forma terminans est in materia, ita ista nata est esse in materia, sed non oportet ipsam actu esse in materia, sicut illa est: quia agere est formæ maximè per se entis: sed recipi, vel produci non est formæ, nisi in aliquo susceptiuo. 38

*Agens & patiens cõmunicant in materia, explicatur dupliciter.*

Ad quartum[h] de 7. *Metaph.* posset adduci pro me: quia concedo quòd qualitas non potest esse principium generandi substantiam compositam: sed in alio adducitur contra me, quia nec qualitas est principium generandi compositum quale, nec etiam forma substantialis, si per se esset, esset principium generandi substantiam compositam, quod tamen haberes negare, sicut & negas de qualitate, & composito quali.

Dico ergo primò ad auctoritatem Aristotelis quòd intentio sua est, quòd idea Platonis non potest esse principium generandi substantiam compositam: quia nulla substantia omninò immaterialis potest generare substantiam compositam, nisi mediante corpore. 39

Sed vnde est hæc propositio vera apud Philosophum? Dico quòd ex hoc, quòd ponit ordinem causarum in vniuerso esse simpliciter necessarium: & vidit substantias separatas secundùm positionem suam mouere cœlos, vt per talem motum producant aliqua in istis inferioribus.: non autem sic mouerent, si possent immediatè producere ista: quia tunc ille ordo causarum non esset necessarius; quod sibi esset inconueniens. Nec per hoc oportet imponere sibi truffas aliquorum, quod substantia separata non possit causare aliquid hîc inferiùs propter aliquam imperfectionem, vel tale aliquid, vel tale in substantia separata, vel propter improportionem simplicis ad compositum, sed tantùm propter istum ordinem causarum. Concessit enim, quòd substantia simplex creat cœlum motum, quod est compositum per accidens, & quare non ita compositum per se, cùm ipsum agens non magis habeat conuenientiam cum composito per accidens nec toto, nec partibus, quàm cum composito per se?

Sed non communicamus cum Philosopho in ista propositione. Ordo causarum naturalium est simpliciter necessarius. Ipse etiam diceret, quòd accidens simplex non posset producere subiectum quale, non quia negaret accidens simplex, quando est in subiecto, esse totam rationem agendi, & ita si posset per se esse, posset per se agere: sed quia negaret illud posse per se esse propter necessitatem ordinis causarum apud eum.

*Errauit Aristot. tenendo ordinem causarũ naturalium esse simpliciter necessarium.*

Sed quod dicitur ibi, quòd forma substantialis si per se esset secundùm auctoritatem hanc Philosophi, non posset esse principium generandi substantiam compositam; hoc quidem habet dubium: si enim sicut qualitas est totale principium alterandi, ita forma substantialis generantis sit totale principium generandi, consequens est dicere, quòd forma substantialis per se ens, potest substantiam generare, nisi fortè, quia non esset sub modo conuenienti ad agendum: nihil enim habet modum conuenientem ad agendum in materiam quantam, nisi ipsum sit quantum, loquendo de agente vniuoco: sed de hoc, an forma substantialis sola esset principium generandi, vel quod plus est, an prima substantia sola. Require *suprà in hac quæst.*

*Forma substantialis separata an generaret? & videtur quòd non.*

## COMMENTARIVS.

20 *Ad tertium.*

g *AD tertium principale*, &c. Tenet primam ſolutionem, quæ poteſt etiam accommodari ſecundæ, ſi intelligatur ſimiliter communicatio in actu, vel aptitudine, quantùm ad materiam, quia ſicut forma, quæ eſt principium agendi, & terminus actionis, ſunt eiuſdem ſpeciei, ita neutra dependet ab vllo ſubiecto, à quo non eſt nata dependere altera.

*Ad quartum.*

h *Ad quartum.* rectè explicat textum Philoſophi, quia neque idea Platonis, neque ens abſtrahens à materia poſſet generare ſubſtantiam materialem, ex mente Philoſophi, & compoſitam, niſi mediante corpore, nempe motu cœli, propter ordinem, quem poſuit cauſarum, in quo errauit. Vnde benè remouet interpretationem aliorum, quam deſumunt ex ſimplicitate ſubſtantiæ ſeparatæ, vel improportione ad corpus, vel huiuſmodi, quia omnia hæc perinde inſtant in eadem difficultate & forma, contra motum corporeum cœli, quem admittebat Philoſophus cauſari à ſubſtantia ſeparata.

*An forma ſubſtantialis ſeparata poſſet generare.* Tartaretus negat.

Mouet dubium, an ſecundùm hanc ſententiam Philoſophi forma ſubſtantialis ſeparata poſſet generare ſubſtantiam? Reſpondet Tartaretus negatiuè, quia ipſa non eſſet quanta, neque nata recipere quantitatem, quia quantitas non ſubiectatur in forma, ſed in toto: vnde neque materia ſola, neque forma ſola, id eſt, ſeparata, nata ſunt recipere in ſeipſis quantitatem, ſed compoſitum: vnde ſequitur per ipſum, neque formam ſubſtantialem ignis producere formam ſubſtantialem ignis, ſed totum producere illam formam, quod diſtinguitur realiter à forma & materia: in compoſito tamen accidentali, forma eſt principium agendi, quia nihil dicit præter ſuas partes.

21 *Reiicitur illa ſententia.*

Hæc reſponſio non ſubſiſtit, neque cohæret literæ, quia nihil magis ex intento probat Doctor, quàm formam ſubſtantialem eſſe principium generationis; & in reſolutione huius dubij dicit à fortiori ipſi ſeparatæ conuenire poſſe generare ſubſtantiam, ſi qualitati competit eſſe principium totale alterandi, quando eſt ſeparata: nec obſtat illud, quod ſubnectit in illis verbis: *Niſi fortè, quia non eſſet ſub modo conuenienti ad agendum; nihil enim habet modum conuenientem ad agendum in materiam quantam, niſi ipſum ſit quantum, loquendo de agente vniuoco*, &c. Hæc dubitatio excepit caſum, in quo forma eſſet ſeparata tam à ſubiecto, quàm à quantitate, non verò infert ſuppoſitionem; quaſi ex ſeparatione à materia nullo modo eſſet quanta, vel ſequeretur etiam eius ſeparatio à quantitate.

*Exceptio præmiſſa explicatur.*

*Forma ſubſtãtiali competit actio.*

Vnde Doctor in litera ſequente redit ad affirmationem, remittens ſe ad dicta in hac quæſtione de forma ſubſtantiali, vel de ſubſtantia prima, quam probauit eſſe principium producendi ſubſtantiam, & negauit formam accidentalem agere ad ſubſtantiam immediatè, ſiue producendo, ſiue corrumpendo, tanquam terminum intrinſecum ſuarum actionum. Si ergo forma accidentalis eſt actiua, à fortiori forma ſubſtantialis eſt actiua ex omnibus principiis, quibus probatur ſubſtantiam eſſe actiuam.

*Totum nõ eſt actiuum, niſi per formam partis.*

Accedit toti, cùm dicat ſolùm formam totius, ſecundùm hanc, non conuenire actionem vllam, ſed mediante formâ partis, quâ conſtituitur in ſpecie, mediante quâ etiam eſt receptiuum & actiuum. Quis enim vnquam dubitauit materiam, & formam ſubſtantialem corpoream eſſe extenſas & quantas? Sed ſi quantitas ita præcisè reciperetur in toto, vt excludit ſecundùm diſtinctionem realem partes, non poſſet effectus quantitatis communicari formæ, aut materiæ: quia nequit formæ communicare effectum ſuum niſi ei, quod eam recipit in ſe per modum formæ, vel certè ei, cui communicatur per modum formæ.

*Abſurdũ ſequens ex illa ſententia.*

Vnde anima rationalis, quamuis inſit corpori quanto, quia neutro modo ſe habet ad quantitatem, ita nullum effectum formalem recipit ab ipſa: ſicut neque albedo & dulcedo in lacte communicant ſibi inuicem aliquem effectum formalem: ſed totum non ſe habet ad materiam & formam, ſicut ſubiectum, aut forma informans: ergo neque quantitas mediante toto afficeret partes.

22 *Formæ ſeparatæ ineſſet quantitas, & qualitas.*

Dicendum ergo quantitatem afficere totum mediante formâ, & ſic immediatè afficere formam, & mediante illâ materiam: vnde forma ſubſtantialis poteſt ſeparari à ſubiecto manente in ipſa quantitate, & aliis accidentibus, quæ inſunt toti, & ſunt principia alterantia ſubſtantiam, ac proinde habere omnia requiſita ad generandam ſubſtantiam; ad hoc enim ſufficit communicare formam materiæ præexiſtenti; & principium illud Philoſophi perinde hîc interpretandum eſt, ac in actione accidentis ſeparati, & eodem modo ſoluendum.

## SCHOLIVM.

*Ad quintum oſtendit, ſe non tenere ſpeciem intelligibilem eſſe totalem cauſam intellectionis. De quo 1. diſt. 3. quæſt. 7. à num. 14. nec charitatem totalem cauſam amoris: & ſecundùm eos qui tenent ſpeciem intelligibilem eſſe totalem cauſam, dicendum eſſet, quòd ſeparata non produceret in ſe intellectionem, quia non eſt principium receptiuum eius, ſeparata tamen præſens, videtur quòd partialiter concurreret, & idem de charitate ſeparata aſſiſtere.*

40 *In 1. diſt. 3. q. 7.*

Ad quintum i argumentum principale, ſi ſpecies intelligibilis poneretur totale principium intellectionis, haberet aliquam apparentiam, quòd ſeparata poſſet eſſe principium, & de charitate reſpectu dilectionis. Sed nec hoc, nec illud poſui totale principium, ſed partiale, & minùs principale. Principium autem minùs principale nunquam poteſt agere, niſi principaliori priùs naturaliter agente; & hoc loquendo de prioritate

ex

ex parte agentis, non vt actio, vel terminus recipitur in passo : quia sic simul natura terminatur actio agentium ordinatorum in passo ad formam. *Contra prædeterminationem Physicam.*

Sed nunquid contra aliquos tenentes illud antecedens, concludit hæc ratio ? Dico quòd species intelligibilis quantumcumque separata, vel coniuncta, nunquam intelligit : nihil enim dicitur intelligere, nisi in hoc, quòd habet intellectionem talem formaliter sibi inhærentem : & sic adducenda est propositio tertij de Anima : *Intelligere est pati*, quia *intelligere* est habere intellectionem : species autem intelligibilis à nullo ponitur esse principium receptiuum intellectionis. Vnde magis concluderet hoc argumentum, quòd species separata posset intelligere contra ponentem, quòd est ratio formalis recipiendi intellectionem, quàm contra ponentem, quod est totale principium actiuum intellectionis. *Tenet sic D. Thomas, de quo 1. dist. 3. q. 7. num. 14. Text. com. 2. 5. 12. & 18.*

Sed adhuc deducetur, quòd saltem species intelligibilis separata posset causare actiuè intellectionem, quod videtur inconueniens.

Respondeo, hoc non sequitur, nisi habeat passum approximatum receptiuum intellectionis : sed si tale habeat, consequenter esset concedendum, quia causaret intellectionem in illo : & quoad hoc, est vna difficultas communis nobis, & illis ; quia quamcumque causalitatem tribuimus speciei, vel partialem actiuam, vt *suprà* dixi, vel tantùm rationem præsentantis obiectum, istam perfectionem eodem modo haberet, si esset separata, sicut si coniuncta. Videtur ergo, si separata esset præsens intellectui, non per inhærentiam, sed per simplicem præsentiam, quòd posset eodem modo sufficere ad causandum intellectionem in intellectu, sicut quando inhæret. Et hoc concedo, quia dixi *suprà*, quòd intellectus nihil perfectionis pertinentis ad ipsum, recipit à specie informante : sed tantummodo oportet speciem, vt aliam causam partialem effectus, concurrere cum intellectu : sed quòd aliquando causa partialis alteri coinhæreat, hoc est omnino accidentale : quia æquè perfectè posset causare effectum sine inhærentia propter ordinem essentialem, scilicet subordinationis virtutis actiuæ ad virtutem actiuam, cui accidit ordo subiecti, & accidentis. Et ita breuiter dico, quòd charitas in patria immediatè causabit intellectionem intuitiuam sui in intellectu : & tamen non erit præsens intellectui inhærendo, sed voluntati : & tamen ista præsentia sufficit ad hoc quòd ipsa, vt causa partialis, concurrat cum alia causa. 41 *Species intelligibilis separata præsens an partialiter concurreret ad intellectionem.*

Istud ergo argumentum, quod frequenter fit, quasi sit aliquanti ponderis, contra nullam opinionem concludit ; nisi contra ponentem speciem esse totale principium intellectionis actiuum, & cum hoc propinquum, & proprium receptiuum eiusdem, & idem posse mouere se. Sed contra ponentem qualitercumque de actiuitate speciei, non concludit, nisi quòd separata possit simpliciter agere, sicut coniuncta ; si tamen habeat passum proportionatum præsens : eodem modo de charitate respectu dilectionis.

## COMMENTARIVS.

23 i AD *quintum principale*, &c. Respondetur quòd si species intelligibilis separata à subiecto non posset se solâ producere intellectionem, quia est causa partialis minùs principalis, neque etiamsi esset totalis produceret eandem extra intellectum, quia hîc est passum determinatum intellectionis : si autem esset separata posset agere simul cum intellectu, quà comprincipium est ; ei autem quà tale, accidit quòd inhæreat alteri comprincipio, nempe intellectui. De hoc vide ipsum *in* 1. *dist.* 17. *quæst.* 2. *ad quartum pro* 4. *via*, &c. *Species separata ageret ad intellectionem.*

---

## QVÆSTIO. IV.

### *Vtrùm omnis transmutatio, quæ potest causari ab agente creato circa accidentia in Eucharistia manente, necessariò requirat eandem quantitatem manere ?*

D. Thom. 1. 2. *q.* 52. *art.* 2. & 2. 2. *q.* 24. *art.* 5. Goffr. *quodl.* 11. *q.* 3. Greg. *hic q.* 2. *art.* 2. Capr. *dist.* 18. *q.* 1. Ægid *quodl.* 2. *q.* 11. Conimbric. 1. *de generat. c.* 5. *q.* 17. 18. *Vide* Scot. 1. *dist.* 17. *q.* 3. 4. & 1. *Phys. q.* 8. & 3. *Phys. q.* 4. & 2. *Phys. q.* 1. & 9. *Metaph. q.* 14.

CIRCA tertium [2] principale, primò quæro de transmutatione possibili manente Eucharistiâ. Secundò de transmutatione, cum qua non manet Eucharistia. De primo quæro, an omnis transmutatio, quæ potest causari ab agente creato circa accidentia in Eucharistia manente, necessariò requirat eandem quantitatem manere ? Quòd sic, quia tam motus, quàm mutatio necessariò requirit 1 *Argum.* 1.

*Text. com. 6. & 9.* requirit ſubiectum, & præſupponit. Patet ex definitione motus, 3. Phyſicorum: *Motus eſt actus entis in potentia, & eſt actus mobilis, inquantùm mobile.* Patet etiam ex definitione mutationis, 6. Phyſicorum: *Mutari eſt aliter ſe habere nunc, quàm priùs:* ſed tranſmutatio, quæ poteſt cauſari ab agente creato, vel eſt motus, vel mutatio: ergo neceſſariò

*Text. 32. & 73.* præſupponit ſubiectum, & hoc manens idem ſub vtroque termino, & hoc eſt de ratione

*Idem 5. Phyſic. text. c. 55.* ſubiecti: ſed hîc nihil manet idem ſub vtroque termino, niſi quantitas maneat eadem: & confirmatur, quia non manente priori eodem, non manet poſterius idem. In illis etiam mutationibus hîc poſſibilibus, non poſſet inueniri ſubiectum aliquod, niſi quantitas.

2 Item 7. *Metaphyſ. cap. 7.* probat Philoſophus, quòd generans non generat, niſi compoſitum: & exponit in fine capituli, quòd non ſolùm de ſubſtantia oſtendit ratio non fieri

*Argum. 2. Text. 22. & inde.* ſpeciem, ſed de omnibus ſimiliter primis Prædicamentis communis eſt ratio, vt Quantitate, & Qualitate, & aliis Categoriis: fit enim velut ænea ſphæra: ſed non ſphæra,

*Text. com. 32.* nec æs. Similiter in aliis Categoriis: non enim fit quale, ſed quale lignum; nec quantum, ſed quantum lignum, aut animal. Sed non poteſt eſſe hîc compoſitum generatum per accidens aliud, niſi quantitas ſit pars illius compoſiti: illam autem oportet fuiſſe eandem in tranſmutatione, quia ſecundùm Philoſophum ibi oportet ſemper præexiſtere materiam, quæ tranſmutatur ad formam, vt fiat compoſitum.

*Argum. 3.* Item, agens naturale non poteſt in Euchariſtia cauſare augmentum, nec diminu-

*Text. com. 13. 14. 37.* tionem: quia hæc non conueniunt niſi animatis, quibus & nutritio conuenit, 2. *de Anima:* ſed ſpecies in Euchariſtia non ſunt animatæ: ergo non poſſunt augeri, nec minui; ſed non eſt aliquis motus ad quantitatem aliam, & aliam, niſi augmentum, & dimi-

*Text. com. 18.* nutio, vt patet 5. *Phyſic.* vbi in genere Quantitatis ponuntur iſta, ſicut alteratio in genere Qualitatis.

*Ratio opp.* Contrà, ſpecies illæ poſſunt à Sacerdote frangi. Patet ad ſenſum, & per conſequens ſoluitur continuitas: continuitas autem eſt vnitas continui; ergo ſoluitur eius vnitas: ergo non manet in illa tranſmutatione eadem quantitas quæ priùs.

Item, circa huiuſmodi ſpecies, poteſt eſſe condenſatio, & rarefactio ab agente creato: in raro autem maior eſt quantitas, in denſo minor.

## COMMENTARIVS.

1 a *Circa tertium principale*, &c. Hîc agitur de tertio articulo huius diſtinctionis, & in hac quæſtione tantùm, de mutationibus ſpecierum quæ ſunt ad terminum accidentalem. Non eſt quòd hîc circa opinionem Gotfredi hæreamus, quantùm ad naturam motus, & oppoſitionem terminorum, quam fusè impugnat Doctor hîc, & *in* 1. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 3. & 4. omiſsâ ergo illâ parte quæſtionis, quæ tangit opinionem Gotfredi, quæ in ſcholis inter Philoſophos aboleuit: proſequemur breuiter reſolutionem quæſtionis.

## SCHOLIVM.

*Opinio Gotfredi in rarefactione, & condenſatione totam præcedentem quantitatem deperdi, & aliam omnino nouam fieri, & ſecundùm hoc motus iſti in Euchariſtia ſunt ſine ſubiecto. Idem tenet Gotfredus de qualitate in augmento, vel diminutione, ſcilicet quòd tota qualitas præexiſtens pereat. De quo* 1. *diſt.* 17. *q.* 3. & 4. & *latè Scot.* 3. *Phyſ. q.* 4.

3 Hîc eſt vna opinio, quæ dicit quòd non ſolùm poſſibile eſt hîc quantitatem non ma-

*Gotfr. quodlib.* 11. *q.* 3. *& Burlei.* nere eandem: ſed quòd eſt omnino alia, & alia quantitas in rarefactione, & condenſatione ſpecierum, ita ſcilicet omnino, quòd nihil prioris remanet in poſteriori, nec pars aliqua poſterioris præfuit in priori. Et ex hac concluſione concedit ad propoſitum aliam, ſcilicet quòd hîc eſt motus ſine ſubiecto etiam ab agente creato, vt ſatis patet ad ſenſum: quia ignis poteſt rarefacere iſtas ſpecies, ſicut ſi eſſent in ſubiecto. Addit tamen quantùm ad hanc ſecundam concluſionem, quòd illud, ſecundùm quod fit primò, & per ſe tranſmutatio, non eſt omnino ſine ſubiecto: quia huiuſmodi tranſmutatio fit ſecundùm rarum, & denſum: iſta autem variatio fit ſecundùm calidum & frigidum, & ad huiuſmodi tranſmutationem ſequitur contractio, vel extenſio: & ſic quaſi per accidens fit, & ex conſequenti tranſmutatio ſecundùm quantitatem: & ſecundùm hoc, quia illud ſecundùm quod primò, & per ſe fit hæc tranſmutatio, hæc mutatio non eſt ſine ſubiecto; poteſt dici, quòd hîc motus non eſt omnino ſine mobili. Et quaſi non ſufficiat hæc reſponſio, ſubdit; quia tamen illud, quod hîc ponitur pro ſubiecto eius, ſecundùm quod per ſe fit tranſmutatio, etiam tranſmutatur, & ſuæ tranſmutationi non poteſt ſubiectum aſſignari; ideò ratione eius dicitur motus eſſe ſine mobili in propoſito.

Pro

Pro prima conclusione arguitur sic, Terminos motus oportet esse incompossibiles, patet, 5. *Physic.* ergo nihil vnius termini manet in alio, sicut incompossibile non est in suo incompossibili. Si etiam poneretur hîc, quòd quantitas aliqua hîc maneret eadem, sed termini mutationis essent maius, & minus in ipsa quantitate; hoc improbat ipse, quia subiectum motus, & terminos oportet realiter differre: sed quantitas illa, & maius, & minus in quantitate non differunt realiter: non enim potest dici, quòd fiat variatio secundùm maius & minus, quin fiat variatio secundùm essentiam quantitatis, cùm maius, & minus non sit nisi ipsum quantum essentialiter. Hoc modo arguit ipse, quòd non potest albedo manere eadem in transmutatione, & variari magis, & minùs. Et stat virtus huius rationis in hoc, quòd subiectum realiter distinguitur ab vtroque termino, & in hoc specialiter, quòd subiectum manet sub vtroque termino, neuter autem terminus manet cum alio, cùm sint oppositi. 4 *Text. 26.*

Item secundò arguo pro ista conclusione sic; quælibet pars rarioris est rarior: ergo quælibet pars rarioris est maior secundùm quantitatem: ergo quælibet est quanta nouâ quantitate. Si dicas, non sequitur omnino noua, sed noua tantùm secundùm partem. Contrà, accipio illud, quod est subiectum istius partis quantitatis, quæ noua est, illud est rarius, quàm fuit priùs: ergo & maiori quantitate quantum, patet ex prima propositione, quia quælibet pars rarioris est rarior: ergo maior; & per consequens quantitas illa noua, cuius ponitur subiectum, maior erit quantitate antiquâ, & tamen non omnino aliâ ab illa: ergo eodem modo tota quantitas totius rari erit maior tota quantitate densi: & tamen non omnino noua.

Hîc breuiter sic arguitur, quantitas illa, quæ præfuit, si manet, quæro in quo subiecto? non nisi in eodem, in quo priùs, quia accidens non migrat: ergo illud, quod priùs fuit quantum hac quantitate, modo erit quantum eâdem: ergo non potest esse quantum, nec secundùm se totum, nec secundùm partem aliâ nouâ quantitate, nisi idem sit simul quantum duabus quantitatibus, quod est impossibile: vel nisi in rarefactione sit aggeneratio nouarum partium substantiæ sub noua quantitate, & ista aggeneratio partium quantarum ad quantitates præexistentes sit rarefactio. Sed hoc nihil est, quia tunc non quælibet rarioris pars esset rarior formaliter: illa enim pars antiqua non esset rarior formaliter per hoc, quòd sibi continuaretur pars alia noua.

Pro secunda conclusione sic arguit ipse, sicut potest elici ex verbis suis, sicut virtute diuinâ accidens habet *esse* in *facto esse*, & *quieto esse* sine subiecto, ita & in *fieri*, & in motu potest habere *esse* sine subiecto. Alia ratio, quia sicut virtute diuinâ habet *esse* sine subiecto, sic & habet omnia eâdem virtute, vt scilicet omnia quæ sibi conuenire possunt in subiecto, sibi conueniant sine subiecto: sicut ergo extensio posset variari secundùm maius, & minus in substantia, secundùm hoc participatiuè diceretur illa substantia maior & minor: ita etiam cùm extensio ipsa maneat sine subiecto, poterit huiusmodi transmutatio fieri in illa. 5 *Secũda concluſ. Gotfr. in accidẽtibus Euchariſtiæ dari motum, & ſine ſubiecto ab agente creato.*

Tertiò, quia licèt motus non sit secundùm completam rationem sibi secundùm cursum naturæ conuenientem, nisi sit aliquid vnum aliter se habens secundùm aliquam formam nunc, quàm priùs: tamen ad essentiam motus principaliter pertinet ipse fluxus formæ, vel ipsa forma secundùm *esse* in *fieri*: hæc autem benè inueniri potest, licèt nullum subiectum aliter se habeat secundùm eam: ergo & essentia motus.

Contra hanc secundam conclusionem innuit tres rationes. Prima talis est, quantitas maior non est educta de potentia materiæ, quia non habet subiectum: tale autem ens dicitur creari: & ita in tali transmutatione non est *fieri* maius, nisi per creationem. 6 *Obiecit ſibi Gotfr. tripliciter, cõtra ſecũdam opinionem.*

Secundò, quia sub speciebus panis tamdiu manet corpus Christi, quamdiu manent ibi accidentia quæ affecerunt substantiam panis: sed per te quantitas est omnino noua vel alia, quàm priùs: ergo non manet ibi corpus Christi, quod tamen non ponitur. Tertiò sic, *esse* successiuorum consistit in successione partium secundùm prius, & posterius: non autem potest esse prius, & posterius in motu, nisi aliquid sit, quod variatur secundùm prius & posterius: ergo, &c.

Et respondet ad ista, quòd quia in ista transmutatione non sic est aliud & aliud, quòd quandoque habeat *esse* interruptum, neque sic quòd secundùm se sit corruptum, neque regeneratum aliud simile, neque quòd vnum sit alteri contrarium: sed est vnius rationis secundùm formam, & speciem, & in *esse* continuo, & sine interruptione, ideò non impeditur, quin possit hîc poni ratio motus: & hoc posset applicari ad primum, quia scilicet ideò non est creatio, quia non est productio alicuius noui secundùm *esse* interruptum, sed tantùm *esse* alicuius secundùm formam & speciem, secundùm quoddam *fieri* successiuum conseruatum. *Reſpondet Gotfred. ad ſuas tres obiectiones.*

7 Tamen ad primum dicit, quòd ſicut in potentia ſubiecti erat, vt ab agente creato poſt minorem quantitatem introduceretur maior ſine creatione: ita in quantitate ſeparata manet hæc vis, vt poſt minorem fiat ab agente naturali maior, & ſine creatione, ita quòd terminus *à quo* eſt minor quantitas ſecundùm gradum, à quo incipit motus: terminus autem *ad quem* eſt maior ſecundùm alium gradum, ad quem ſtat tranſmutatio. Motus autem eſt fluxus quantitatis indeterminatæ inter iſtos terminos certos, habens *eſſe* inter illos ſecundùm gradus quaſi infinitos; ſed ſi fieret aliqua alia quantitas ſic, quòd non haberet habitudinem ad quantitatem præexiſtentem, illa propriè crearetur. In iſto verbo vltimo videtur ſtare reſponſio ſua, quòd ſcilicet ideò non eſt creatio, quia quantitas noua, quæ inducitur, habet talem habitudinem ad quantitatem præexiſtentem, quod ſuccedit ſibi ſine interruptione per fluxum ſecundùm gradus in forma quantitatis, quaſi infinitos.

Ad ſecundum reſpondet, quòd non definit ibi eſſe corpus Chriſti, propter quamcumque variationem illarum ſpecierum: ſed ſolùm propter talem, quæ non poſſet eſſe, niſi mutatâ ſubſtantiâ panis, vel vini, ſi ibi eſſet; & ideò, quamdiu manent ſpecies ſecundùm *eſſe* non interruptum ſub tali rarefactione, vel extenſione, & ſic de aliis, quòd ſi panis ibi eſſet, poſſet illis affici, tamdiu manet ibi corpus Chriſti.

Ad tertium dicit, quòd in motu, qui eſt ad quantitatem, ſiue ſit per ſe, vtpote ſecundùm augmentationem, ſiue ſit ſecundùm rarefactionem, vt in propoſito: non eſt ibi accipere per ſe, & primò ordinem aliquarum partium, niſi ſecundùm quantitatem: & ſic poterunt ſeparatè intelligi habere ordinem in *fieri*, & ſucceſſione, quia poterit pars continuè ſuccedere parti; ita non in ſubiecto, ſicut in ſubiecto.

## SCHOLIVM.

*Explicat in quo conſiſtit difficultas, & impugnat primam concluſionem Gotfred. qui tenet in condenſatione & rarefactione totam quantitatem præcedentem deperdi, & aliam ex toto nouam acquiri. De quo egit* 1. *diſt.* 17. *quæſt.* 3. *&* 3. *Phyſ. quæſt.* 4.

8 Quantùm ad iſtam opinionem de prima concluſione, non oportet multum curare, niſi propter ſecundam. Tota enim vis iſtius quæſtionis eſt, cùm in quibuſdam tranſmutationibus hîc apparentibus, vtpotè loci mutatione & huiuſmodi, poſſimus manifeſtè inuenire ſubiectum aliquod idem manens ſub terminis, & hoc ad minùs ſecundùm communem opinionem, ponendo hîc ſolam quantitatem ſine ſubiecto: ſed tranſmutationis, cuius termini ſunt quantitas, & quantitas, non eſt facile inuenire ſubiectum: ergo non poteſt eſſe hæc tranſmutatio à quantitate in quantitatem. Hæc difficultas eſt communis, ſiue tota quantitas ſuccedens ſit noua, ſiue pars eius: quia ſi detur quantumcumque modica pars noua tranſmutationis ad illam, quæram ſubiectum. Non oportet ergo quantùm ad propoſitum de ſubiecto tranſmutationis ſecundùm quantitatem hîc apparentis, magis improbare illam, quæ ponit totam quantitatem nouam, quàm quamlibet aliam, quæ ponit ad minùs aliquam partem quantitatis nouam, quod oportet omnes ponere, alioquin non eſſet nunc maior, quàm priùs.

Prima tamen concluſio illius videtur falſa. Cuius ratio eſt, quia non manente ſubiecto eodem non manet aliquod accidens eiuſdem: ſed per te quantitas vini non manet eadem, quando rarefactum eſt: ergo nullum accidens manet ibi idem: quia ſecundùm communùm opinionem, quodlibet accidens eſt ibi in quantitate, vel mediatè, vel immediatè: & per conſequens non manet idem ſapor numero, nec idem color, & huiuſmodi.

*Si tota quãtitas in rarefactione periret, nullum accidẽs idem maneret.*

Et ſi dicatur, quod eſt argumentum ruſticorum fugere ad ſenſum: quia ratio debet iudicare de eodem, & de diuerſo. Reſpondeo, quòd ſecundùm Ariſt. 8. Phyſic. *Fatuum eſt quærere ibi rationem, vbi habemus aliquid certius ratione.* Mirum etiam videtur, ſi ſenſus non poteſt iudicare de numero ſuorum ſenſibilium propriorum, cùm numerus ſecundùm Philoſophum, 2. *de Anima*, ſit per ſe ſenſibile: tamen iſtud non pondero, quia, vt alibi dixi, nullus ſenſus iudicat de radiis Solis, vtrùm ſint idem, vel alij continuè in medio; cùm tamen illud cuius eſt numerus, vel vnitas hîc ſit proprium ſenſibile. Hoc ergo omiſſo, arguo ſic: non eſt poſſibile, quòd quantumcumque diuerſa agentia regulariter inducant eandem formam poſt corruptionem eiuſdem corrupti: ſed à quocumque rarefiant huiuſmodi ſpecies, ſiue ab igne, ſiue à Sole, inducitur regulariter talis ſapor, & talis color.

9 *Text.* 26.

*Text.* 64. *In* 2. *diſt.* 3. *quæſt.* 3.

10 Si ponas illa accidentia eſſe noua, planiùs arguitur ſic: ab igne poteſt rarefieri ſpecies illa

illa vini:ab igne autem non possunt induci omnes illæ qualitates,quæ ibi apparent, tum quia si continet, non tamen quantumcunque diuersa accidentia secundùm genus, vel speciem:tum quia ignis non continet in se virtualiter qualitates mixti. Sed si vinum consecratum hîc fuit dulce, & ibi amarum, post rarefactionem remanet in illis speciebus amaritudo: & in istis dulcedo,& sic de quibuscunque speciebus saporis, & quibuscunque coloribus,puta si consecratur vinum album,vel rubeum:ergo solus ignis rarefaciens non inducit omnes istas qualitates: ergo non sunt nouæ:ergo nec subiectum illud, scilicet quantitas,sine quo ista non possunt manere eadem,est nouum.

*Simile argumentum de cadauere fecit. d.11. q.3.n.38.*

Secundò arguitur contra istam opinionem ex dictis opinantis.Dicit enim substantiam esse indiuiduam formaliter per quantitatem: ergo hic panis formaliter est hic panis per hanc quantitatem: ergo corruptâ hac quantitate,non manet ampliùs hic panis, sed alius panis singularis: ergo in quacunque rarefactione tota substantia prior corrumpitur, & noua generatur,quod videtur satis improbabile,& contra rationem. Quia quòd talis alteratio statim necessariò requirat nouam substantiam, est dicere,quòd non possit esse variatio circa posterius, quin sit circa prius:nec quomodocunque posterius: sed quod nec est propria passio, nec consequens necessariò illud prius, quod videtur inconueniens manifestum.

*Hoc habet quodl. 7. q. 5. & quodl. 6.q.16. Hanc refutat Doct.2. d.2.q.4.*

## SCHOLIVM.

*Soluit rationes pro opinione Gotfredi adductas. Ad secundum refert opinionem dicentem rarefactionem fieri per generationem corpusculorum subtilium intra partes rarefactibilis,contra quam obiicit,sed soluit obiecta; refutat tamen eam infrà num.20.*

Rationes ad istam conclusionem non concludunt. Prima de incompossibilitate terminorum motus, seu mutationis soluitur per hoc, quia minor propositio vera est de primis terminis,qui sunt semper priuatio,& forma: sed non est vera vniuersaliter de terminis concomitantibus illos terminos, vt *suprà* dictum est *in opp. de formis. distinct.*10. *quæst.*2. 11

Et si arguas, hîc magis,& minùs sunt, & incompossibilia. Respondeo,verum est,vt vltimè, vel completè informantes illud subiectum: sed non vt minùs est aliquid maioris: alioquin oporteret dicere propter istam rationem, quòd tota quantitas aucti esset noua, (quod non est probabile) quando partes carnis secundùm speciem,quæ manent eædem, sunt quantæ eâdem quantitate, quâ priùs: tamen aliqua quantitas partium substantiæ, quæ aduenerunt, noua est.

*Art. 1. soluendo 1.arg. Got. n. 19. 20. Et dist.11. q.3.art.3.*

Cùm ipse post deducit quòd quantitas non mouetur à maiori ad minus, concedo, & sic de qualitate:quia quantitas,& maius,vel minus in quantitate,non loquendo de respectu quem importat maius, sed de absoluto, quod supponit tanquam proximum fundamentum, non sunt essentialiter distincta: nec eo modo, quo oportet subiectum motus distingui à termino. Et ideò simpliciter illam rationem concedo quòd non transmutatur aliqua forma alicuius generis ad magis,& minùs intra genus:sed tota forma, quæ est maior, siue in quantitate, siue in qualitate, vbi non dicit ens per accidens, est terminus *à quo*: & tota forma, quæ est minor, est terminus *ad quem*, vel è conuerso: & tamen in illa tota forma,quæ est maior, potuit esse illa res,quæ est minor,sicut aliquid eius.

*Non mutatur forma ad magis, vel minùs intra suum genus.*

Ad secundum, responsionem quære. Nisi fortè illa propositio prima sit falsa, scilicet quælibet pars rarioris est rarior,nisi loquendo de partibus secundùm speciem,non secundùm materiam: quomodo vera est illa propositio 1. *de Generat.* quælibet pars aucti est aucta: & tunc oporteret dicere, quia rarefactio non est ad aliquam qualitatem vniformem in toto alterato, & in qualibet parte eius: sed sic rarefaciens de aliquibus partibus substantiæ rarefactibilis generat aliqua corpora subtiliora, quàm sit illud corpus rarefactibile: & ita, quia non possunt esse simul cum aliis partibus adhuc remanentibus in specie sua(nam duo corpora non possunt esse simul)ideò illæ partes expellunt aliàs de loco suo, & per consequens totum corpus occupat locum maiorem:& sic rarius esse,nihil est aliud, quàm habere plura corpora subtiliora permixta secundùm iuxtapositionem cum partibus suis propriis: ita breuiter,quòd rarius est, quod habet corpora aliqua permixta subtiliora hoc modo cum partibus suis adhuc manentibus in propria forma. Nec mirum, quòd aliquæ partes possunt priùs conuerti in corpus subtilius, quàm aliæ: quia aliquæ sunt propinquiores agenti, & citiùs recipiunt actionem eius,quàm aliæ. 12

*Ad secundum, quod habetur n.4. T. com.32.*

Contrà, aliqua statim in principio alterationis corrumpentur,& sic noua generabuntur: & iterum,vbique est subiectum illud alteratum vniforme: & quòd ita sit hoc, sensus dicit. 13

Ad primum iſtorum dico: quòd non ſtatim eſt corpus rarius: quia raritas maior non accipitur, niſi ex occupatione maioris loci: non eſt autem maior occupatio antequam ſit calefactio in aliquo gradu maiori notabili.

*Senſus non diſcernit ſpiritus, vel vapores in aëre.*

Ad ſecundum dico, quòd nec ſenſus diſcernit in aëre ſpiritus, ſeu vapores ab aëre: & tamen ſpiritus, vel vapores in aëre non ſunt eiuſdem ſpeciei cum aëre.

ADDITIO.

*Duo modi dicendi de rarefactione.*

*Ad ſecundam rationem quære. Poſſet dici primò ad rationem negando ſuppoſitum, ſcilicet raritatem eſſe rationem maioris quantitatis, aut nouæ quantitatis ſuperadditæ: quia raritas eſt extenſio, quæ extenſio modus eſt qualitatis. Vel aliter, tenendo raritatem inferre maiorem quantitatem, cùm dicitur, quælibet pars rarioris eſt rarior; concedo: igitur quælibet pars eſt maior, diſtinguo: aut ſecundùm eandem quantitatem, nego: aut ſecundùm aliam & aliam, & ſic concedo. Cùm dicis, igitur quælibet eſt quanta duplici quantitate, ſcilicet nouâ, & præexiſtente: negatur. Et cùm probatur, quia adueniente maiori minor non cedit. ideò fit maior, & prima eſt, igitur duæ. Dico præſuppoſitum eſſe falſum: quia quantitas eſt homogenea, igitur fit vnum, ſicut ex duabus aquis ſimul iunctis, non ſunt duæ, ſed vna eſt. Tamen prima reſponſio eſt verior, vt patet in fine quæſtionis reſpondendo ad tertium argumentum.*

## SCHOLIVM.

*Refutat ſecundam concluſionem Gotfr. ponentem totam quantitatem nouam in rarefactione ſpecierum, & conſequenter motum ab agente creato ſine mobili: & rationes faciunt etiam contra quantitatem partialem nouam.*

14 Quantùm ad ſecundam concluſionem iſtius opinionis, vbi eſt pondus fundamentale iſtius quæſtionis (quia, vt dictum eſt priùs, in ea eſt difficultas contra vtramque opinionem, ſcilicet & ponentem totam quantitatem nouam, & ponentem eam nouam ſecundùm partem.) Arguo contra prædictam concluſionem, quæ concedit motum ab agente creato, & ſine ſubiecto mobili, reducendo rationes, quas ipſe adducit contra ſe, & quas nititur ſoluere. Primò, quoad primam de creatione ſic, quòd ſecundùm ſe totum, & totaliter producitur de *non eſſe* ad *eſſe*, vel creatur, vel ſaltem requirit virtutem æqualem virtuti creatiuæ: ſed hæc quantitas noua tota, & totaliter producitur ad *eſſe* per te: ergo, &c. Maior probatur primò, quia ſi totaliter producitur poſt nihil, patet quòd eſt creatio: ſi autem poſt aliquid, & tamen totaliter, hoc non poteſt eſſe: niſi per totalem conuerſionem illius in iſtud: vel ſi fingas alium modum, ſaltem ille tranſitus requirit æqualem virtutem actiuam, ſicut totalis conuerſio in hoc: ſed conuerſio totalis illa non poteſt eſſe, niſi à virtute æquali virtuti creatiuæ.

*Iuxta Gotf. oporteret admittere in rarefactione ſpecierum, creari quàtitatem.*

Secundò, & eſt confirmatio præcedentis; quia ſi *A* ſuccedit *B*, non eſt alterius rationis, ſecundùm aliquid intrinſecum ſibi propter hoc, quòd ſuccedit illi. Hoc probatur primò, quia quando ſuccedens eſt, tunc non eſt illud cui ſuccedit: ergo propter illud non variatur ſuccedens in ſe. Secundò, quia ordo poſterioris ad hoc, vel hoc, non videtur variare fundamentum ordinis in ſe. Sed ſi *A* nulli ſuccederet, & haberet totale *eſſe* ſuum poſt *non eſſe*, crearetur, nec poſſet produci quomodocunque ſic totum, & totaliter, niſi à virtute infinita: ergo licèt nunc ſuccedat cuicunque alteri, ſi tamen totum, & totaliter producatur, cùm ſit terminus in ſe omnino idem; ſequitur quòd requiret virtutem productiuam æqualem.

*Ordo poſterioris non variat eius fundamentum.*

15 Si dicas, quòd quia ſuccedit iſti, non videtur requiri tanta virtus productiua, quanta requireretur ſi ſuccederet tantùm nihilo, vel negationi. Hoc non videtur probabile: quia terminus *ad quem* non requirit aliam virtutem productiuam niſi propter aliam perfectionem in ipſo termino producendo: ergo ſi totus, & totaliter producatur poſt aliquid, vel non poſt aliquid, requiritur æqualis virtus.

*Potens producere rem totam poſt eius eſſe, poſſet, ſi non præextitiſſet, eandem producere, idque creando.*

Quod confirmatur, quia habens in virtute ſua actiua aliquem terminum totum, & totaliter, poteſt illum in *eſſe* ponere, quando non impeditur: ſed per hoc, quòd non habet poſitiuum, quod totaliter tranſmutetur de *eſſe* ad *non eſſe*, non impeditur, quia fatuum eſt dicere illud corrumpendum eſſe expedimentum agentis: ergo etſi non habeat aliquid tale deſtruendum, poteſt totum, & totaliter effectum ponere in *eſſe*, & ita poſt nihil, & per conſequens creare.

Confirmatur iſta ratio, quia ſi quantitas iſta ſuccederet ſuo contrario, vel oppoſito, concederes eam creari: ſed ita negatio eius includitur in quantitate præexiſtente, ſicut includeretur in contrario, ſi præcederet: nam quodlibet incompoſſibile ſimpliciter includit negationem ſui incompoſſibilis, & nullo modo affirmationẽ eius, niſi ratione ſubiecti communis

communis ista quantitas præcedens non magis habet subiectum commune cum quantitate succedente,quàm contrarium cum contrario: ergo æquè sequitur modò ista quantitas negationem sui *esse*, sicut si præcessisset suum oppositum.

Contra duo tacta in responsione ad istam rationem. Primum est de illa vt remanente in accidente. Contra quòd arguo sic: Nihil positiuum remanet in accidente separato, quod non fuit in eo,vt coniuncto: sed in coniuncto non fuit aliqua vis, qua de ipso posset produci aliquis terminus, sed tantùm quòd ipsum poterat esse alius terminus, & poterat produci de potentia subiecti:ergo in ipso separata non est aliqua vis,per quam possit habere respectu alterationis, nisi tantùm rationem termini.Prima propositio, scilicet quòd nihil positiuum remanet in accidente separato, est probata *distin. ista q.* 1. 16 *Reiicit solutionem Gotf positam n*7. *à n.* 20.

Aliud addit in responsione, quòd si quantitas ista non haberet habitudinem ad quantitatem priorem,vel præexistentem,tunc propriè crearetur. Addo minorem:sed illa habitudo ad præexistentem non prohibet creationem istius:ergo ista creatur. Probatio minoris:hæc habitudo non est, nisi quædam successio immediata *esse* istius ad *esse* illius: sed successio talis non prohibet succedens creari. Et potest probari per exemplum,quia non est hîc magis immediata successio, quàm *esse* animæ ad organizationem corporis: & tamen non negatur animam creari in corpore organico: ergo nec hîc. Ratio ibi est, quia anima accipit *esse* totaliter post *non esse* sui: & eadem ratio est in proposito: quia hæc quantitas accipit totale *esse* post *non esse* sui. Vtrùm autem cum illo *non esse* præcesserit aliquid positiuum,vel nihil,vel præcesserit contrarium,vel simile:nihil ad *B*.quia ibi idem sunt primi termini,qui creationis. *Successio vnius ad aliud, non impedit quin creetur.*

Deduco autem secundam rationem, vbi concedit quòd tamdiu manet corpus Christi,quamdiu manent accidentia,quæ nata essent afficere panem,si maneret,non præcisè, quamdiu huiusmodi accidentia manent eadem numero. Contra hoc,quia ista quantitas, quæ succedit quantitati præexistenti,non magis est eadem quantitati præexistenti,quàm quæcunque alia in vna alia hostia non consecrata:imò minùs est eadem, quia ista est incomposibilis illi in essendo, non sic illa:ergo non magis erit corpus Christi sub ista noua quantitate,quæ præfuit sub illa alia,quàm erit sub quacunque alia quantitate, quæ scilicet est æquè eadem illi præexistenti. 17 *Impugnat sol. Gotf. ad suum secundum positam n.* 7.

Et si fugias ad successionem huius quantitatis ad illam;arguo sic: sub nulla quantitate est corpus Christi,nisi per conuersionem, & consecrationem:sed per conuersionem, & consecrationem non accipit *esse*,nisi sub ista quantitate,& illa est omnino alia,sicut quantitas alterius hostiæ non consecratæ: ergo per illam conuersionem, & consecrationem non est sub illa quantitate: ergo modo nullo.

Posset etiam argui per illud, quod adductum est contra primam conclusionem per dicta opinantis:quia non diutiùs manet corpus Christi sub specie panis,quàm natus esset hîc manere panis, qui conuersus est:sed sub alia quantitate non maneret hic panis qui conuersus est,si panis est hîc per quantitatem: ergo, &c. *Non est de essentia motus, quòd subiectum per eum aliter se habeat.*

Contra tertiam responsionem suam,quæ concordat cum tertia ratione,quam adducit pro se, quoad istam conclusionem, scilicet quòd non est de essentia motus, quòd secundùm eum aliquod subiectum aliter se habeat;non arguo, quia conclusionem in se credo veram esse. Sed ad propositum, quia propter hoc concedit ipsum motum posse esse ab agente creato, sine subiecto, arguo sic: agens creatum non potest causare accidens sine subiecto in *esse* quieto: ergo à simili, vel à maiori non potest causare accidens in fluxu sine subiecto.

## SCHOLIVM.

*Respondet Doctor ad tria argumenta Gotfredi adducta in* 5. *pro secunda eius conclusione,quæ tenet in speciebus dari motum sine subiecto ab agente creato.*

Per istud ergo respondeo ad rationes illas, quas adducit pro conclusione secunda: quia prima ratio benè probat, quòd Deus potest facere formam in fluxu,vel in *fieri* sine subiecto,sicut potest facere eam in *esse* quieto sine subiecto:sed non sequitur,quòd agens creatum potest facere formam in fluxu sine subiecto:imò sequitur oppositum, quia non potest facere formam quietam sine subiecto:causans autem motum effectiuè causat formam in fluxu. 18 *Causam secundam non posse facere formam in fluxu sine subiecto.*

Secunda ratio,scilicet quòd dat Deus accidenti separato, vt omnia possint sibi conuenire, quæ possunt ei conuenire in subiecto, concludit oppositum: nam in subiecto non

posset

poſſet ſibi conuenire, niſi tantùm quòd eſſet terminus motus: ergo nullo modo poteſt ſibi aliud conuenire extra ſubiectum: & ſic oportet dare aliquod aliud ſubiectum motus: quia ſecundùm ipſum, ſubiectum eſt aliud à termino motus.

Tertia ratio ſua, ſcilicet quòd non eſt de eſſentia motus, quòd aliquod ſubiectum fluat ſecundùm ipſum: benè probat, quòd Deus poteſt facere motum ſine ſubiecto: ſed non de agente creato, quia non poteſt ſeparare quodcunque ab illo, quod non eſt de eſſentia ſua: imò ſequitur oppoſitum ſecundùm ſuam reſponſionem ad primam rationem: quia non poteſt magis ſeparare à ſubiecto formam in fluxu, quàm in quieto *eſſe*: ſed non poteſt creatura aliqua actiuè eſſe cauſa formæ in *eſſe* quieto ſine ſubiecto: ergo nec in fluxu.

Contra illud, quod ipſe addit ad exponendum ſecundam concluſionem, ſcilicet quòd motus, qui eſt hîc per ſe, ſecundùm qualitatem, non eſt ſine ſubiecto, licèt illud quod concomitatur terminum per ſe huius motus, ſcilicet quantitas, ſit ſine ſubiecto; Contra hoc ſic, tota raritas eſt primus terminus formalis motus rarefactionis: illius autem ſubiectum eſt totum quantum: ergo illud præſupponitur naturaliter iſti termino: ergo non poteſt tantùm per accidens acquiri per hoc, quòd tanta qualitas acquiritur: quia priùs naturaliter, & præſuppoſitum alteri non ſolùm acquiritur per hoc, quod acquiritur poſterius naturaliter; imò priùs præſupponitur iam acquiſitum.

## SCHOLIVM.

*Prænotando quatuor mutationes intelligi poſſe fieri circa Euchariſtiam, manente eadem quantitate, reſoluit affirmatiuè de mutatione ſecundùm* vbi, *& ſecundùm qualitates tertiæ & quartæ ſpeciei.*

19 Ad [b] Quæſtionem ergo reſpondeo, quòd in Euchariſtia manente poteſt intelligi quadruplex mutatio. Vna ſecundùm *vbi*; alia ſecundùm qualitatem, quam non concomitatur aliqua variatio ſecundùm quantitatem: tertia ſecundùm qualitatem, quam concomitatur variatio ſecundùm quantitatem: quarta ſecundùm quantitatem primò. De prima mutatione manifeſtum eſt, quomodo requirit eandem quantitatem manentem: ſicut enim *vbi* in *eſſe* quieto neceſſariò eſt in quanto, vt in ſubiecto, ita *vbi* fluens neceſſariò eſt in eodem, & requirit idem quantum manens ſub eodem termino.

*Mutatio ſecundùm vbi, & qualitates tertiæ & quartæ ſpeciei petit manere eandem quantitatẽ in Euchariſtia.*

De ſecunda etiam eſt manifeſtum, quòd ibi eadem quantitas manet, & ita poteſt ſecundùm communem opinionem eſſe ſubiectum illius alterationis, vt ſic qualitas fluens habeat idem pro ſubiecto, quod ponitur qualitas manens habere: & talis in genere eſt, vel ſecundùm figuram aliam, & aliam, vel ſecundùm qualitatem tertiæ ſpeciei ſecundùm magis & minùs, quæ variatio ſecundùm magis, & minùs non corrumpit accidentia Euchariſtiæ, ſecundùm quòd ſunt neceſſaria Euchariſtiæ: quia de variatione corruptiua dicetur in ſequentibus.

*Figura addit quantitati tantùm relationem.*

Sed de figuratione alia, & alia, videtur quòd corrumperet quantitatem ſecundùm illud Auic. 7. *Metaph. ſuæ*, quòd dimenſio alia & alia requirit aliam & aliam quantitatem: ſed hoc videtur eſſe contra ſenſum: quia nimis durum eſſet dicere, quòd quoties figuratur aqua aliter, & aliter, in alio & alio vaſe, toties haberet nouam quantitatem ſimpliciter manentibus partibus eiſdem in ſe, & in toto. Figura ergo non dicit vltra quantitatem, niſi relationem partium ad ſe inuicem, vel terminorum includentium partes: hæc autem relatio mutari poteſt partibus manentibus eiſdem, & in ſe, & in toto. De qualitate etiam tertiæ ſpeciei, vbi tamen in toto motu manet eadem ſpecies, ſatis eſt manifeſtum, quòd quantitas manet eadem.

20 Sed de tertia tranſmutatione, quæ eſt ſecundùm rarum, & denſum, & de quarta videtur dubium. Breuiter ergo, vt prædictum eſt ad propoſitum opinio communis, imò omnis, dicens quòd aliqua quantitas eſt noua, ſcilicet rarior, patitur eandem difficultatem, quam & illa, quæ ponit totam quantitatem eſſe nouam, niſi teneatur ibi via tacta, quòd rarefactio eſt quædam iuxtapoſitio corporum ſubtiliorum inter partes corporis groſſioris: ſecundùm autem iſtam euaderetur difficultas, niſi quòd difficile eſt videre, quomodo hîc poſſit generari ab igne, vel Sole, corpus ſubtilius vino, & de hoc eſſet dicendum, ſicut dicetur *in ſeq. quæſt.* Sed eſſet alia difficultas, quia quàm citò rarefierent illæ ſpecies, ſtatim eſſet ibi alia ſubſtantia noua: & per conſequens non vbique corpus Chriſti. Mirum etiam videtur quòd nulla ſubſtantia manens eadem omnino poſſit tranſmutari à raro in denſum, nec è conuerſo.

*Rarefactionem non eſſe iuxtapoſitionem corporum ſubtilium.*

COMMEN

## COMMENTARIVS.

2 *Motus qui fieri potest in speciebus separatis per agens naturale.*

b AD *quæstionem ergo respondeo*, &c. Dicit breuiter, quòd mutatio secundùm *vbi*, secundùm qualitatem, quam non consequitur quantitas noua, fiant actione agentis naturalis, & supponitur quantitas eadem pro subiecto, quæ est subiectum reliquorum accidentium. Hæc patet ex dictis in præcedenti quæstione. Idem dicit de figuratione noua, quæ non resultat ex mutatione quantitatis semper, vt in liquidis, & mixtibilibus, sed est relatio diuersa partium secundùm nouum situm. Quando autem figura prouenit ex diuisione prioris, aut additione nouæ quantitatis, idem erit dicendum ac de iis motibus, quæ sunt ad quantitatem: quia à quocumque mutatur quantitas præexistens ab eodem inducitur figura noua.

3 Supereſt difficultas de noua quantitate per rarefactionem, aut alio modo inducta. Et ſic de omni motu ad quantitatem ſiue productiua, ſiue corruptiua. Reſpondetur ex mente Doctoris hîc non conſtare, ſi in rarefactione acquiratur noua quantitas. Nunc ſecundùm vnam opinionem, & ſecundùm alteram diſcurrit obiter ad propoſitum quæſtionis, vt notauit in Scholio ſequenti Scholiaſtes.

Omittendo ergo hanc controuerſiam, quæ magis ſpectat ad Philoſophos, dato quòd ſit noua quantitas, reſoluit illam non produci actione agentis naturalis, niſi teneatur ille modus rarefaciendi, quo dicitur fieri per generationem, & per mixtionem aliquorum corporum ſubtiliorum inter partes corporis quod rarefit. Quòd ſi hæc generatio ſit ex partibus ipſius corporis, quod dicitur rarefieri, nequit fieri virtute agentis naturalis, vt poſteà patebit, quia nequit agere ad corruptionem partium quantitatis, ſi tamen fieret ex partibus aëris adiacentis per commixtionem eius ex motu vehementi, & diuerſa latione partium rarefactibilis, tunc ſaluari poſſet actio agentis naturalis ad ipſum. Hunc tamen modum rarefactionis cenſet eſſe difficilem, quia mirum videtur, ſi ipſa ſubſtantialiter nequeat rarefieri in ſeipſa per maiorem extenſionem: deinde quomodo aliqua corpora ſubtiliora poſſent ibi generari, quàm ſint ſpecies vini: tertiò, quia ſequeretur non eſſe ſub toto raro ſanguinem Chriſti. *Modus rarefactionis poſſibilis agenti naturali.*

Si autem in rarefactione nihil aliud fiat, quàm extenſio noua quantitatis præexiſtentis, illa fieri poteſt actione agentis naturalis, quia habet pro ſubiecto ipſam quantitatem.

## SCHOLIVM.

*Tenendo per rarefactionem nouam quantitatem acquiri, asserit hanc à causa secunda non fieri (quod p robat dupliciter & conuincitur ex tribus argumentis adductis contra Gotfredum n. 14.) sed à causa prima, & antiquo miraculo, quia disposuit Deus circa Eucharistiam omnia fieri quæ præsente pane fierent, sed an acquiratur noua quantitas per rarefactionem necne, non habet ex presse Scot. & eius discipuli variant. Pro parte negatiua est, quòd n. 8. & 20. dicat eodem modo improbandam opinionem quæ tenet poni nouam partem quantitatis, ac illam quæ ponit totam quantitatem nouam, quam tamen ipse latè contra Gotf. improbat. Pro alia parte videtur esse, quia n. 8. ait, nisi ponatur noua quantitas, non erit maior, quàm priùs. Ad idem est, in fol. ad vlt. vbi fauet multùm huic parti: sed problematicus est, vel magis nihil resoluisse videtur.*

Sed quid tenendo c opinionem communem, quòd ibi ſit quantitas ſine ſubiecto, vel tota noua, vel non noua, non curo, poterit ne hoc eſſe ab agente creato? Videtur quòd non. Primò, quia quod immediatè conſeruatur à Deo, non poteſt corrumpi ab agente creato. talia ſunt huiuſmodi accidentia ſeparata, & ideò non poſſunt corrumpi effectiue à creatura: cuius ratio eſt, quia nulla cauſa creata poteſt habere virtutem actiuam præeminentem virtuti cauſæ conſeruantis iſta in iſto *eſſe*: ſed quantitas hæc habet eſſe ſupernaturale, vel immediatè à cauſa ſupernaturali conſeruante: ergo, &c. 21 *Quod à ſolo Deo conſeruatur non poteſt à creatura corrumpi.*

Item, quantitas in ſubiecto non corrumpitur per contrarium, quia nec habet contrarium: ergo non niſi per defectum ſubiecti, vel alicuius neceſſariò conſequentis ad ipſam: ſed non poteſt hîc corrumpi per defectum ſubiecti, quia eſt hîc ſine ſubiecto; nec ſecundo modo, quia nullum aliud accideus, quod ſibi ineſt neceſſariò conſequitur ipſam. *Quantitas ſola corruptione ſubiecti perit.*

Si ergo quæras à qua cauſa inducitur quantitas noua? Reſpondeo, à ſolo Deo immediatè: nec tamen nouo miraculo: quia eâ voluntate, quâ diſpoſuit Euchariſtam eſſe in Eccleſia, diſpoſuit, quòd circa illas ſpecies præſente actiuo naturali cauſaret talem tranſmutationem qualem in ſubſtantiis conuerſis cauſaret agens naturale, & hoc ne meritum fidei euacuaretur, ſi videremus ſpecies intranſmutabiles. Hæc via non poteſt improbari per ſenſum, quia ſaluat omnia, quæ apparent ſenſui. Nec per rationem, quia ſi arguas, quòd aufert agenti naturali ſuam propriam actionem. Reſpondeo, non aufert eam, quæ poteſt ſibi competere, ſcilicet vt tranſmuret ſubiectum præſens à forma in formam: ſed negat ſibi illam, quæ non poteſt ſibi competere, ſcilicet tranſmutare, & non aliquod ſubiectum. *Circa ſpecies Deus decreuit facere quicquid fieret ſi adeſſet panis.*

Aliter dicitur tenendo in iſto membro opinionem communem, ſcilicet quòd in rarefactione 22

*Io. Rodst. in 4. dist. 10. q. 3. ar. 4.*

factione quantitas sit noua, non tota, sed pars in eodem subiecto, quod in quantitate, non in subiecto est motus rarefactionis, per quem per accidens est aliquis gradus quantitatis nouus, sed tamen sine subiecto: nec est nouum miraculum: quia quasi aggeneratur illa noua pars quantitati præexistenti: nec est nouum miraculum aggeneratum quantitati separatæ habere similem modum in essendo, vel separationem, sicut exemplificatur de partibus carnis generatis ex nutrimento in Christo: eodem enim miraculo, quo Verbum assumpsit humanam naturam, assumuntur ad vnitatem personalem partes carnis generatæ de nutrimento: ita hîc eodem miraculo, quo facta est quantitas separata, factum est, vt quicquid est pars eiusdem quantitatis, sit similiter separatum.

*Reiicit asserentes nouam quantitatem per causam secundã fieri. Vide eum 1. Phys. q. 8. & 4. Phys. q. 14.*

Contra hoc primò, quia posset isti quantitati apponi alia quantitas, sicut si vinum non consecratum apponeretur speciebus consecratis: & quantitas apposita non est sine subiecto, sicut illa cui apponitur.

Nec ratio, nec illa similitudo est ad propositum: quia illæ partes generatæ de nutrimento fuerunt partes, vel fiunt alicuius totius assumpti à Verbo: sed istæ partes quantitatis non fuerunt, vel non sunt partes alicuius totius primò habentis separatum *esse*: quia licèt pars accipiat simile *esse* toti, sine nouo miraculo: tamen pars non accipit simile *esse* alteri parti, sine nouo miraculo: & quia tota raritas est per se terminus illius alterationis, tota illa habet pro suo proprio subiecto totam quantitatem, sicut pars partem: ergo tota ista præsupponit quantitatem istam maiorem: ergo & per consequens illa quantitas est priùs naturaliter maior, quàm ista raritas inducta.

23 *Rarefactione non acquiri nouam quantitatẽ.*

Breuiter ergo quantùm ad istum articulum, vel oportet tenere opinionem primam, quòd quantitas nullo modo est aliâ actione agentis creati, vel oportet dicere, quòd agens creatum possit agere sine passo in quod agat. Sed primum apparet aliquibus improbabile: secundum potest declarari aliqualiter, scilicet quòd agens creatum non requirat passum, nec aliquid supplens vicem passi.

*T. com. 82. T. com. 24.*

Et primò arguitur contra istud secundum, quia videtur destruere fundamenta Philosophiæ naturalis 1. *Physic. 1. de generat.* & alibi sæpè: quia nõ oporteret aliquid idem subesse termino transmutationis. Videtur etiam illa destruere, quæ apparent ad sensum: nam agens, quod habet in virtute sua actiua completè terminum, potest ponere illum in *esse*, si non impediatur: ergo agens creatum posset ponere terminum in *esse* sine quocunque passo, & sic posset facere accidens sine subiecto, & formam substantialem sine materia, quod patet manifestè contra sensum. Vnde agens creatum propter duo requirit passum, scilicet propter se: quia passum est concausa cum agente creato, quia habet virtutem limitatam in agendo, & ideò requirit causam aliam, scilicet materialem concurrentem in *fieri* propter effectum etiam, quod est compositum ex materia, tanquam parte adueniente: ergo non poneretur agens creatum agere omnino sine materia, vel in se, vel in æquiualente.

*Agẽs creatum nõ posse agere sine passo, etiam de potentia Dei.*

24

Sed diceretur quòd primum supplet vicem subiecti in comparatione ad agens creatum. Quod probatur, quia sicut potest supplere vicem subiecti, quantùm ad *esse* quietum respectu accidentis: ita potest vicem subiecti supplere respectu agentis quantùm ad *fieri* effectus. Probatio, magis videtur requiri causa ad effectum, quàm ad aliam causam ad causandum: subiectum autem respectu accidentis habet rationem causæ, sed respectu agentis, & causantis accidens habet rationem concausæ tantùm: ergo, &c.

Esset ergo modus iste huius conclusionis, quòd agens causatum non agit sine subiecto, vel in se, vel in aliquo supplente vicem subiecti. Et in proposito, licèt non sit subiectum in se: Deus tamen supplet vicem subiecti, id est, causalitatem extrinsecam, quæ competeret substantiæ, si adesset, & hoc inquantùm illa causa extrinseca requiritur cum agente creato, vt concausa. Et hoc est possibile, sicut possibile est, quòd Deus suppleat vicem illius causæ respectu effectus creati: non enim magis dependet causa à concausa, quàm effectus causatus ab vtraque causa.

Sed contra hoc iterum arguitur, quia causalitas subiecti est receptio formæ: sed impossibile est Deum, vel in se, vel in quocumque habere rationem receptiui formæ. Item, agens causatum si requirit passum, vt concausam, & hoc in ratione recipientis formam: ergo non potest agere sine tali passo, sine nouo miraculo; & ita erit nouum miraculum, quòd agat, posito aliquo tali, quod suppleat vicem subiecti: sed in actione miraculosa agens creatum non agit totum ex se: ergo oportet redire in hoc, quòd illa actio non sit ab agente creato.

4 *Modus rarefactionis qui est soli Deo possibilis.*

c *Sed quid tenendo opinionem communem, &c.* Communem vocat sententiam, quæ dicit in rarefactione dari nouam quantitatem, quâ probari videtur à posteriori per nouam extensionem maiorem. Resoluit fieri à primo agente, quia agens creatum non habet subiectum, in quod agat, nisi quantitatem, quæ alteri quantitati non subiicitur, quia sic in eadem specie daretur prioritas, & ordo essentialis inter subiectum & formam: daretur etiam penetratio, si vna quantitas in alia subiectaretur: producitur ergo à solo Deo agente circa mysterium illud, quod aliàs fieret virtute agentis naturalis, si adesset subiectum, in quod agere posset. Reiicit meritò opinionem cuiusdam in litera, quia necessariò dicendum est, vel agens creatum posse agere sine subiecto, quod reiectum est, *dist. 1. huius quæst. 1.* vel actionem illam esse à solo Deo.

*Causam secundam agere Deo supplente subiectum.*

Ad probationem primi differit Doctor ex eo, quòd agens creatum continet in sua virtute formam, & Deus concurrens, sicut supplet de facto subiectum respectu quantitatis; sic etiam supplereret concursum substantiæ, quæ abest respectu quantitatis nouæ.

Sed in fine meritò hunc modum dicendi impugnat, quia vt in initio quæstionis præcedentis, & responsione ad secundum principale dictū est, non ita Deus supplet concursum subiecti, vt dependentia ad subiectū maneat terminata, vel omnino maneat, quia sic repugnat supplere concursum subiecti, nisi per aliud subiectum: agens autem creatum limitatur in agēdo ad subiectum, vel aliquid, quod se habet per modum subiecti recipientis, tam actionem, quàm terminum eius. 5 *Reijcitur illa sententia.*

Deinde, dato etiam casu, nihil iuuat, quia non saluatur illud quod prætenditur, nempe illam actionem causæ producentis quantitatem, nouæ esse naturalem, quia nequit etiam sic agere sine miraculo: ergo non debet fingi aliquid contra communem doctrinam ad saluandum actionem causæ naturalis, quæ nequit saluari, nisi adiuncto nouo miraculo: standum proinde in antiquo miraculo, quia neque ipsa miracula sunt multiplicanda, nisi ex necessitate. *Esse nouum miraculum.*

## SCHOLIVM.

*Species non esse augmentabiles, nec diminuibiles, esse tamen diuisibiles, & subiectum diuisionis esse ipsas partes manentes secundùm eandem entitatem positiuam, sed non petit cum eadem continuitate manere eandem quantitatem, appositio alterius quanti, addit partibus solùm vnionem.*

De quarta d transmutatione, quæ est in quantitate secundùm se, facilius est. Hic enim non est aliqua possibilis secundùm augmentum, & diminutionem, quia non sunt species animatæ: sed est hîc possibilis secundùm appositionem, & ablationem: potest enim ista superficies diuidi in partes, & potest hîc aliquod apponi quantum. 25 *Species non sunt augmētabiles.*

De diuisione dico, quòd non est propriè mutatio aliqua eiusdem subiecti, sed tantùm est reductio partium in actu, quæ priùs erant in potentia in toto, hoc est indistinctè, reductio, inquam, ad actum distinctum: quia priùs erant in toto continuatæ, & ita quodammodò vnum, & postea extra totum discontinuatæ.

Si tamen quæratur subiectum hîc in mutatione tali, quali. Respondeo, ipsæ partes manentes secundùm eandem entitatem positiuam, (licèt non cum illa præcisione, quam intelligimus, dicentes partem esse in actu) possunt poni subiectum: quia secundùm eandem entitatem positiuam erant in toto, & postea extra totum: sed in toto habuerunt continuationem, quæ prohibuit illam actualitatem includentem præcisionem: extra totum autem habent eam, ita quòd partes transmutantur à forma ad priuationem: & ita non est hîc generatio, sed quasi corruptio sine generatione: quia illa entitas, quæ nunc est vtriusque partis positiua, totaliter præfuit, licèt non præfuerit sub illa præcisione, scilicet non cum alio, sicut nunc est: illa autem entitas totius, quæ præfuit, non manet nunc. Patet ergo quomodo ista transmutatio non requirit quantitatem eandem manentem, loquendo de identitate, quæ est continuitas: sed tamen requirit identitatem, loquendo de quocumque positiuo hîc & ibi, licèt aliter se habente. *Diuisio specierū habet ipsas partes vt subiectum, & quomodo?* *Diuisio, corruptio sine generatione.*

De appositione dico, quòd possibile est aliquod quantum isti apponi, & ei continuari, & hoc nullo subiecto manente eodem, nisi fortè istis partibus contiguatis, vt prædictum est in diuisione: & sic quantitas erit eadem, non solùm identitate continuitatis: sed etiam eadem identitate positiuâ, quæ præcedit continuitatem, quæ scilicet est in hac, & similiter in illa, siue continuentur, siue discontinuentur. Et hæc difficultas communis est cuicumque vnioni, siue diuisioni. Si enim vel diuisio, vel vnio est transmutatio, & quæris eius subiectum; nihil commune manet, nisi entitates partium diuisarum, vel vnitarum: & illa entitas, quando est vnio facta, habet aliquid, quo caret quando est diuisio, scilicet habitudinem vnitorum, vel continuationem eorum, loquendo de quantis: & ita illa transmutatio vniuersaliter in diuisione est priuatiua, in continuatione verò positiua. 26

Et ſi arguis, ſi aliquod quantum apponitur iſti, & fiat iſti ſpeciei continuum: ergo eſt idem terminus amborum: aut ergo ille terminus eſt in ſubiecto, aut ſine ſubiecto. Reſponſionem quære.

ADDITIO. *Dicitur, quòd corpus Chriſti non eſt ſub aliquo indiuiſibili, nec ſub aliquo, quod non eſt pars illius quanti: idò ille terminus, aut linea, cùm non ſit pars illius quanti, non ſe tenet ex parte eius, quod eſt ſine ſubiecto. Si dicas, non eſt maior ratio, quòd ſe teneat ex parte huius, quàm illius. Negatur, quia illa linea eſt in ſubiecto, cùm non ſit pars illius hoſtiæ. Poſſet etiam dici, licèt minùs probabiliter, quòd fractio, ſeu diuiſio partium quantitatis non eſt niſi quidam motus localis, & eſt ſubiectiuè in ipſis latis: & tunc oporteret dicere è conuerſo, quòd continuatio non eſt niſi quædam latio: quia latio non facit continuitatem, ſed contiguitatem.*

27 Ad[c] argumenta principalia. Ad primum dico, quòd non eſt de eſſentia motus, quòd
*Ad arg. 1.* ſit talis, vel talis entis; nec mutationis, quòd ſit alicuius aliter ſe habentis: ſicut nec de eſſentia albedinis, quòd ſit alicuius habentis albedinem; ſed ſicut forma aliqua in *eſſe* quieto eſſentialiter eſt in ſe talis, licèt nullius ſit, vt informabilis: ita motus eſſentialiter eſt actualitas quædam potentialis, vt ita dicam, & mutatio eſt quædam aliter habitio, licèt nullius denominati ab hoc, vel ab illa.

*Ad 2.* Ad ſecundum dico, quòd ſicut Philoſophus conceſſit neceſſarium eſſe ſubiectum in mutatione, vel motu, quòd ſubiectum præexiſteret termino formali, & eſſet pars totalis termini, ita dixit compoſitum eſſe totalem terminum huius productionis: ſed apud nos antecedens non eſt omnino neceſſarium.

*Ad 3. Fauet opinioni ponenti quantitatem rarefactione augeri.* Ad tertium patet, quòd aliqua tranſmutatio alia, quàm ſecundùm augmentum, vel diminutionem, poteſt eſſe circa quantitatem, vt diuiſio, & continuatio, & hoc ſecundùm ſe: rarefactio autem, & condenſatio ſecundùm accidens: & per conſequens, licèt illæ ſpecies non poſſint augeri, nec minui, propriè loquendo, tamen poſſunt à quantitate minori ad quantitatem maiorem tranſmutari, & è conuerſo.

## *COMMENTARIVS.*

6 d *DE quarta tranſmutatione*, &c. Species conſecratæ nequeunt augeri, vel minui, propriè loquendo, quia augmentum, & motus contrarius eſt viuentium tantùm: poſſunt autem augeri per appoſitionem, minui per ſubtractionem, ſeu diuiſionem: vtrumque autem poteſt fieri virtute agentis naturalis. Quantùm ad diuiſionem, ſubiectum eſt ipſa quantitas, ſeu partes inquantùm ſunt diuiſibiles per deſtructionem termini communis, & huic diuiſibilitati ſuccedat ipſa diuiſio tanquam actus.

*Augeri per appoſitionem poſſe, & minui per ſubtractionem.*

De appoſitione idem dicit, vt ſi immiſceatur vinum non conſecratum ſpeciebus, fiet quantitas maior per continuationem. Obiicit, terminus communis illius quantitatis, in quo coit cum quantitate ſpecierum, vel erit ſine ſubiecto, vel in ſubiecto; ſi primum: ergo actione agentis naturalis poteſt ibi produci aliquid ſeparatum à ſubiecto, quod eſt inconueniens ex dictis: ſi ſit in ſubiecto, nequit eſſe terminus quantitatis prioris & ſeparatæ.

*Obiectio.*

Ad hanc non reſpondet: nec mihi placet reſponſio ſubiecta per additionem ad literam, cuiuſcumque ſit: quia vnio partium continui, cùm ſit terminus communis, debet communicari totus vtrique parti: ſiue ergo Chriſtus ſit ſub indiuiſibilibus, ſiue non, non facit ad propoſitum: quia non ſolùm quantitas ſpecierum eſt ſeparata à ſubſtantia, ſed etiam indiuiſibilia earum. Quamuis ergo Chriſtus non eſſet ſub illo indiuiſibili continuatiuo, non ſequitur quin ſit ſeparatum, vt communicat quantitati ſpecierum. Altera etiam pars illius reſponſionis non eſt vera, quia motus ad continuationem partium quantitatis non eſt motus lationis, quamuis ille poſſit eſſe concomitans: quia continuum eſt cuius partes ſunt copulatæ termino communi, contigua verò quorum vltima ſunt ſimul.

*Reſponſio additionis reijcitur.*

*Indiuiſibilia ſunt ſeparata à ſubſtantia.*

*Continuatio partium non fit per lationem.*

Reſpondetur ergo terminum illum communem non eſſe ab agente extrinſeco per ſe; non quòd deſit ſubiectum proportionatum; ſed quia appoſitio per ſe non videtur motus productiuus; cùm contingere poſſit in quantis, quæ non coëunt ſecundùm continuationem in termino communi: reſultat ergo ex natura quantitatis in materia fluida & miſcibili, modò ibi fiat continuatio, vt communiter ſupponitur fieri.

7 *Reſponſio ad obiectionem.*

*Terminus cõmunis reſultat ex natura quantitatis in fluidis.*

Et vlteriùs dico terminum communem non eſſe extra ſubiectum proximum, quia immediatè ſubiectatur in ipſis partibus tanquam ſubiecto, ſicut communiter omnis vnio eſt in partibus vnitis, quibus tribuit primò ſuum effectum formalem: vel in altera parte iuxta naturam, & conditionem vnionis.

*Subiectatur in partibus.*

Et hoc eſt, quod dicit Doctor in litera, quòd partes tranſmutantur à forma, id eſt, vnione, ad priuationem quando ſeparantur. Cùm ergo motus contrarius reſpicit idem ſubiectum, ita etiam partes tranſmutantur in continuatione à priuatione ad formam, quæ eſt vnio, ſiue ipſa, vt dixi, ſit ex natura partium, in materia liquida coëuntium, ſiue ſit per actionem agentis extrinſeci applicantis.

Illa ergo vnio habebit vtramque partem pro ſubiecto: quia ſecundùm ſe totam communicatur vtrique parti, cùm ſit terminus indiuiſibilis & communis; neque maior ratio inueniatur cur ſit in vna parte, quàm in altera, cùm ſint eiuſdem ſpeciei, & non per modum potentiæ & actus, aut eorum, quæ ſibi inuicem intrinſecè communicantur, ſicut eſt materia & forma.

*Tota eſt vnio in ſingulis partibus.*

Dices,

8 *Obiectio. Responsio.* Dices, ergo terminus communis, verbi gratiâ, punctum habebit duo subiecta prima, & sic accidens erit in duobus subiectis. Respondetur, concedendo consequentiam quoad primam partem, quoad secundam verò distinguitur; habebit duo subiecta inadæquata concedo, adæquata nego. Subiectum ergo adæquatum termini communis sunt partes simul sumptæ, quia in ratione formæ, inquantùm dat actum, seu effectum suum formalem, est illimitatus respectiuè ad partem vnam, & alteram, cui secundùm se totum communicatur ex natura sua; non secus ac anima rationalis pluribus partibus corporis: quia, vt dixi, effectus eius est vnire hoc peculiari modo, per modum termini communis, qui secundùm se totum communicatur singulis partibus, subiectum verò partium remotè respicit. *Habet partes pro subiecto adæquato.*

*Declaratur amplius.* Quod facilè est intelligi in puncto cõpulatiuo partium lineæ, quod nequit communicari secundùm diuersas partes sui, cùm nullas habeat, & sit indiuisibile, ac proinde secundùm totum communicatur, vel nullo modo.

*Linea duplex consideratio.* Quantùm verò ad ipsam lineam & superficiem, dicunt duas rationes, vnam, quâ sunt partes quantitatis, quælibet secundùm propriam extensionem, & sic respiciunt primò substantiam vt subiectum. Altera ratio est, quâ linea nullam dimensionem secundùm latitudinem habet, quæ est dimensio superficiei, & sic est indiuisibilis, & copulat partes superficiei, & secundùm se totam indiuisibiliter eas efficit, cùm priuationem habeat extensionis secundùm illam dimensionem, quam copulat, & se tota contingit, non secundùm partes.

*Eadem consideratio superficiei.* Superficies verò sic etiam se habet ad dimensionem corporis, secundùm quam & ipsa est indiuisibilis, nempe secundùm profunditatem, & ideò secundùm se totam efficit, & copulat partes corporis; remotè verò hoc modo respiciunt substantiam, non secus ac punctum respicit. Et si quæras rationem huius; quære etiam rationem, quare illæ sint termini copulantes sub hac ratione, quâ sunt indiuisibiles; cuius alia dari nequit, quàm sua ratio quæ talis est.

Ex quibus patet ad obiectionem. Respondeo terminum communem continuantem partes quantitatis separatæ ad partes alterius coniunctæ habere ipsas partes pro subiecto proximo, & adæquato, ideò non est extra subiectum; quod sufficit ad actionem agẽtis naturalis: quoad subiectum verò remotum, quod est substantia, ita ipsi inesse, vel non inesse, sicut hæc, vel illa pars, quam copulat, ineſt, vel est separata: quia illud remotè tantùm respicit, & non proximè: vt ergo communicatur quantitati separatæ, non est in subiecto remoto, non aliter quàm mediante subiecto proximo, & merè per accidens, & non per se. *Solutio obiectionis ex dictis.*

9 *Ad primum.* e *Ad argumenta principalia*, &c. In responsione ad primum loquitur de motu, & mutatione in sensu Theologico, quatenus possunt esse à Deo, non ex subiecto præsuppositio in hoc mysterio; & sic dicit non esse de ratione eorum, vt habeant aliquod subiectum denominatum per modum subiecti; non autem loquitur in sensu Philosophi, vt patet in responsione ad secundum, vbi dicit quòd Philosophus necessariò exigeret subiectum; & vtrobique intenditur subiectum vltimatum. Ad tertium patet ex dictis. Qui voluerit minutim videre dissertationem circa ea, quæ in hac quæstione tractat Doctor, videat Aretinum & Tartaretum, & reliquos nostræ scholæ. *Ad tertium.*

---

## Qvæstio V.

### *Vtrùm possibile sit circa Eucharistiam fieri transmutationem corruptiuam illorum accidentium?*

Alens.4.*p.q.*40.*memb.*2.*art.*4.§.1. D. Bonau.*hîc art.*2.*q.*1.Rich.*art.*2.*q.*2.*&art.*4.*q.*2. D.Thom.*q.*2.*art.*2. *&* 3.*p.q.*77.*art.*4. Capreol.*hîc,q.*1. Palud.*q.*4. Gabr.*q.*1. Suarez 3.*p.tom.*3.*disp.*57.*sect.*2.

1 DE transmutatione corruptiua, quæro, vtrùm possibile sit circa Eucharistiam fieri transmutationem corruptiuam illorum accidentium? Videtur quòd non. Forma est simplex inuariabili essentiâ consistens *lib.*6. *Principiorum.* *Argum.*1. *&* 2.

Item, Boëtius lib.de Trin. *Forma simplex subiectum esse non potest.* *Lib.*1.*c.*3.

Item, materia est, quâ res potest esse, & non esse, 7. *Metaphys.* Ex his omnibus habetur, quòd simplex ad minùs forma non potest corrumpi: sed accidens separatum in Eucharistia est forma simplex isto modo: ergo, &c. *Argum.*3 *Text.*22.

Item, si corrumperetur, aut in substantiam, aut in aliud accidens, aut in nihil: non in nihil, quia tunc creatura annihilaret: non in accidens, quia tunc creatura causaret accidens sine subiecto: nec in substantiam, quia ex accidente non potest fieri substantia: ergo, &c. *Argum.*4.

Contrà, illa accidentia possunt frangi, teri, & digeri, & patet ad sensum: & probatur ex quadam Glossa, 1. *Corinth.*12. nutrimentum autem conuertitur in substantiam rei nutriendæ: ergo, &c. *Ratio opp.*

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thomæ, accidentia ſeparata eodem modo, quo vnita, tripliciter poſſe corrumpi. Primò, corruptione ſubiecti, ſcilicet quantitatis. Secundò, corruptione per contrarium, manente ſubiecto. Tertiò, diuiſione ſubiecti, quia ſi diuidatur in tam paruas partes, quòd ſub eis non maneret ſubſtantia panis, pereunt. Hanc reiecit Doctor, primò, quia quantitas non habet modum ſubſtantiæ, niſi tantùm negatiuè, ex quæſt. 1. Secundò, licèt ſubſtantia compoſita ſibi determinet qualitatem propriam, tamen quantitas id non facit. Ex quibus habetur, quòd non eodem modo corrumpuntur accidentia ſeparata, & coniuncta.*

2 D. Thom. hîc art. 2. & 3. part. q. 77. art. 4.

Hîc dicitur [a], quòd *eſſe* ſubſiſtens, quod manentibus accidentibus conuenit, eſt conforme illi formæ, quam priùs ſubſtantia panis habuit: & ideò *eſſe*, in quo dimenſiones ſubſiſtunt, tollitur eiſdem paſſionibus, quibus tolleretur ſubſtantia panis exiſtente ibi: & propter hoc eodem modo corrumpuntur accidentia remanentia, ſicut priùs poterant corrumpi. Priùs autem poterant corrumpi dupliciter: vno modo manente ſubſtantiâ panis: alio modo per corruptionem ſubſtantiæ, quæ contingit ex tranſmutatione accidentium: quia ſicut generatio eſt terminus alterationis, ita & corruptio: & ex parte etiam quantitatis, quia cùm vnaquæque res habeat quantitatem determinatam, in tantùm poterit fieri diuiſio, quòd ſpecies non remanebit.

In hoc ergo Sacramento aliqua tranſmutatione factâ, adhuc manet illud *eſſe* dimenſiuum ſubſtantiæ præcedenti conforme: aliquando tollitur *eſſe* prædictum, & tunc deſinit eſſe Sacramentum. Et ſimiliter ex parte quantitatis, quia ſi fiat diuiſio in partes tantæ quantitatis, quòd ſufficiat ad ſpeciem panis, vel vini, etſi ſint aliæ dimenſiones, quia partes continui quæ erant in potentia, fiunt in actu: tamen *eſſe* conforme ſubſtantiæ præexiſtenti manet. Si autem quantitas partium ad hoc non ſufficiat, *eſſe* vtrumque deſinit eſſe, ſcilicet dimenſio, & *eſſe* prædictum: & ideò tunc corpus Chriſti deſinit ibi eſſe. In quid autem fiat iſta corruptio, quando eſt potentialis, tangetur in *quæſt. ſeq.*

3 Contra concluſionem principalem, quæ dicit, quòd eodem modo poteſt tolli dimenſio iſta ſicut ſubſtantia, quia habet *eſſe* conforme ſubſtantiæ panis: arguo ſic; non poteſt intelligi iſta conformitas in aliquo poſitiuo nouo, quia nihil tale aduenit ipſi accidenti per hoc, quod eſt ſine ſubiecto: ſed illud, quod ei aduenit, conforme eſt tantùm in iſta negatione *non inhærere actu*: ſed conformitas in iſta negatione non ſufficit ad hoc, vt vniformiter tollatur: quia ideò tollitur *eſſe* ſubſtantiæ, quia eſt paſſum proportionatum agenti naturali, ſcilicet habens partem potentialem, & actualem, quarum potentialis poteſt eſſe ſine actuali: iſtud autem habens tantùm conformitatem in negatione, non habet aliquas tales partes: ergo, &c.

Item, ſubſtantia compoſita neceſſariò ſibi determinat qualitatem aliquam propriam; & maximè ſecundùm eum, qui ponit quod ſubſtantia corrumpitur ad corruptionem qualitatis; quod non eſſet, niſi neceſſariò determinaret ſibi illam qualitatem: ſed quantitas non neceſſariò ſibi determinat aliquam qualitatem: ita enim eſt indifferens ad contrariam, ſicut ad iſtam, & ad vnum gradum eius, ſicut ad alium: quia ex principiis quantitatis nulla qualitas, nec vllus gradus egreditur qualitatis: ergo, &c.

## COMMENTARIVS.

1 *Sententia D. Thomæ.*

a SEntentia D. Thomæ eſt, modum illum, quem accepit quantitas in ſua ſeparatione, eſſe conformem modo exiſtendi per ſe, quam habuit ſubſtantia panis, ſeu forma ſubſtantialis panis & vini. Sicut ergo, ſi maneret ſubſtantia vini, corrumperetur per alterationem, quâ corrumperentur accidentia eius; ita etiam contingit quantitatem ſimili alteratione corrumpi actione agentis naturalis. Poteſt etiam quantitas alio modo corrumpi per diuiſionem ſpecierum in ea diminutione, vt non maneret quantitas in ea dimenſione determinata & definita, quam exigit forma ſubſtantialis. Hæc ſententia ſupponit quantitatem eſſe in toto, & ſequi ad formam, non verò eam eſſe immediatè in materia prima.

*In duobus cõſiſtit.*

Hanc ſentẽtiam impugnat Doctor, ex eo, quòd non detur fundamentum illud, quod ſupponit D. Thomas, nempe, modus ille exiſtendi: dato etiam tali modo videtur vrgere ratio, quia ipſa quantitas ſub tali modo eſſet immediatum ſubiectum agentis naturalis, non verò ipſe modus, qui non definit, niſi ad deſitionem quantitatis; ſicut neque perfeitas ſubſtantiæ definit, niſi definente ipſa ſubſtantia: ſed ideò definit compoſitum ſubſtantiale, quia habet potentiam receptiuam formæ ſubſtantialis incompatibilis, vt materiam: & ideò definit forma ſimul cum toto, quia ponitur

2 *Impugnatur.*

*Quantitatem non corrumpi, ſicut ſubſtantia corrumpitur.*

nitur actione agentis forma talis incompatibilis cum priori, ex qua constabat totum: sed in quantitate separata, quà etiam est sub tali modo nihil est tale potentiale, quod reciperet formam incompatibilem quantitati: ergo non sequitur conformitas vtriusque, id est, quantitatis, & substantiæ prætensa in *esse* corruptibilis hoc modo, quia nempe quantitas non inclinatur ad vllam formam determinatam, magis quàm ad aliam.

*Secunda ratio Doctoris.*

Secundò, ratio Doctoris est ideò ex principiis D. Thomæ desinere substantiam per corruptionem qualitatis, quia determinat sibi qualitatem in aliquo gradu, per modum propriæ passionis, sine qua nequit esse. Sed quantitas non ita determinat sibi qualitatem in specie, aut gradu, quia æquè est indifferens ad ipsam, & eius contrariam; & hoc in quocumque gradu. Hanc propositionem egregiè probat, quia qualitas, aut gradus eius non egreditur à principiis quantitatis: connexio autem passionis ad aliquod subiectum est in eo præcisè, quòd causatur à principiis subiecti: ergo, &c.

*Quantitas compatibilis eũ omni formã.*

3 *Conclusio. Quãtitas non corrũpitur per agens naturale.*

Ex his sequitur hæc conclusio: quòd quantitas nequeat corrumpi virtute agentis naturalis præciso ordine eius ad primam causam, vt est separata. Probatur conclusio: quia actio agentis naturalis exigit subiectum suum esse: ergo nequit actio eius esse in quantitatem, nisi prout quantitas existit: ergo ad formam in eo gradu, qui compatibilis est *esse* quantitatis; & consequenter nequit producere formam incompatibilem *esse* eius; sed forma introducta dependet à subiecto, sicut & actio eius productiua: ergo supponit semper *esse* subiecti.

*Agens limitatũ ad subiectum.*

*Dependens à subiecto exigit subiectum esse.*

Sed quod dependet ab aliquo in *esse*, non potest esse ratio non essendi eius formalis, vel includere *non esse* eius, neque inferre *non esse*, nisi quatenus habet connexionem cum aliquo consequente, quod corrumpit ipsum; in proposito non est talis connexio: ergo patet subsumptum; quia alteratio illa, vt est ab agente naturali, non habet connexionem cum alia forma consequente, & repugnante, nisi quatenus illa includitur in virtute agentis naturalis: sed nulla forma repugnans *esse* quantitatis includitur in virtute agentis creati: ergo, &c. Minor patet, quia ipsa quantitas separata non dependet immediatè ab aliquo agente creato, neque agens creatum habet subiectum actionis in hoc mysterio, quâ posset induci substantia repugnans substantiæ panis, verbi gratiâ; & si haberet, nihil referret, quia quantitas separata ampliùs non dependet à substantia panis, neque à corpore Christi, vt subiecto, neque vt causa efficiente, per cuius remotionem desineret; neque desinit corpus Christi, nisi adueniente aliquâ substantiâ, quæ repugnaret substantiæ panis, si adesset.

*Alteratio quantitatis quomodo eam destruat?*

*Non virtute agentis naturalis.*

*Nõ desinit ex positione alterius per se intrinsecè.*

Deinde non dependet quantitas ab accidentibus, quæ insunt ipsi, eadem enim sub contrariis perseuerat, nihil habet contrarium; solùm ergo dependet à subiecto, quando ineſt. Ex quibus singulatim consideratis sequitur conclusio.

4 *Secunda probatio conclusionis.*

Secundò patet ex ratione prima Doctoris, quia eatenus corrumperetur virtute agentis naturalis, quatenus induceretur forma incompatibilis in aliquo subiecto potentiali quãtitatis: sed nullum est tale. Vel ideò corrumperetur, quia alteratio terminatur ad aliquam formam in eo gradu, quo habet connexionem cum forma substantiali, cum qua non maneret quantitas, si esset in subiecto: sed hoc non, quia ex prima ratione præmissa, non dependet ad *esse* subiecti, in quo non ineſt actu. Ex secunda ratione Doctoris nullum gradum qualitatis, aut speciem hanc magis quàm contrariam exigit quantitas: ergo potest esse in quacumque forma substantiali, in qua nata esset qualitas illa ineſſe quantùm est de se.

*Quantitas compatitur cum omni specie, & gradu qualitatis.*

Tertiò, quia nequit qualitas produci in quantitate separata in eo gradu, in quo exigeret substantiam per necessariam connexionem ad ipsam: ergo, &c. Antecedens patet ex quæstione tertia.

5 *Tertia ratio.*

Conclusio, vt dixi, intelligẽda est præciso ordine quantitatis ad conseruationem, quam habet de facto à prima causa: quia attendendo ad hanc, desinit ex natura etiam rei, non propter incompossibilitatem simpliciter, sed vt subest tali actioni, quæ desinit positâ dispositione inductâ per causam naturalem ad substantiam, quæ succedit modo, quo dicetur quæstione sequenti.

*Sensus cõclusionis præmissæ.*

## SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris, qualitates in Eucharistia corrumpi per contrarias, manente quantitate, tenendo hanc distingui à substantia, de quo suprà quæst. 2. tenendo tamen non distingui, eadem difficultas est, sicut quæst. præced. quomodo Eucharistia corrumpitur corruptione quantitatis; & dicendum est, quòd non corrumperetur à causa naturali, vt ibi dictum est num. 14.*

Dico [b] ergo ad quæstionem, quòd accidentia Eucharistiæ possunt corrumpi: & hoc quidem de qualitatibus, quarum transmutatio non requirit aliam quantitatem, satis est manifestum secundùm communem opinionem, quia illæ possunt poni habere subiectum commune manens, scilicet quantitatem: sed secundùm aliam opinionem, quæ ponit quantitatem substantiæ non differre à substantia, nec quantitatem albedinis ab albedine: & per consequens nullam esse hîc quantitatem magis separatam à subiecto, quàm substantiam, cuius est quantitas, non est æquè facile saluare corruptionem qualitatis: tunc enim oportet ponere, quòd cum pari ratione quælibet qualitas sit sine subiecto, sicut & vna, quæcumque transmutaretur, transmutaretur sine subiecto: & tunc redit istud ad difficultatem tactam in *quæst. præced.* quomodo Eucharistia corrumpitur per corruptionem quantitatis, & quomodo quantitas illa possit esse noua.

4 *Opinio Doctoris.*

Tamen ad conclusionem in communi potest sic argui: Virtus agentis non diminuitur per hoc, quòd accidens est sine subiecto: sed si accidens esset in subiecto, posset corrumpi ab agente naturali: ergo & modò. Hæc ratio non concludit, quia non sufficit

ſola virtus æqualis agentis naturalis: ſed oportet, quòd habeat paſſum ſibi proportionatum ad hoc, quòd agat, ſicut priùs.

Reſpondeo, quamdiu manet quantitas, ſatis facile eſt ſecundùm communem opinionem ſaluare paſſum reſpectu agentis naturalis, & hoc benè poſſibile eſt reſpectu qualitatum contrariarum: quia non omnis alteratio inter contraria requirit quantitatem mutari: & tamen in tali alteratione ad qualitatem, cum qua non poſſet ſtare ſpecies panis, deſinit eſſe Euchariſtia: quia Deus inſtituit non conſeruare Euchariſtiam, hoc eſt, accidentia ſine ſubiecto, in quibus ſit corpus Chriſti, niſi quamdiu manent ibi qualitates natæ perficere ſubſtantias iam conuerſas: ergo ſimpliciter ſaluatur, Euchariſtiam poſſe deſinere eſſe actione agentis naturalis: nec ibi eſt aliquod miraculum nouum, quia eâdem voluntate antiquâ, quâ Deus voluit Euchariſtiam eſſe in Eccleſia, voluit etiam illam non manere, niſi quamdiu qualitates aptæ natæ perficere ſubſtantias iam conuerſas, manent.

De corruptione autem Euchariſtiæ per corruptionem quantitatis à quo agente poſſit fieri, tactum eſt in quæſtione præcedenti. An autem in deſitione Euchariſtiæ per conuerſionem, vel tranſmutationem in quantitatem nouam oporteat ſubſtantiam redire, dicetur *in quæſt. ſeq.*

5 *Ad arg. 1.* Ad rationes. Ad primam dico, quòd auctor ille loquitur de illis ſex principiis, de quibus determinat; illa autem ſunt formæ reſpectiuæ extrinſecus aduenientes. Vnde hîc auctor non arguit de formis abſolutis.

*Ad 2.* *Vide Varr. 2. diſt. 3.* Ad ſecundum poteſt dici, quòd Boëtius loquitur de forma, quæ eſt pura forma, id eſt, purus actus, ſicut applicat ibi de Deo. Et verum eſt, quòd forma, quæ non eſt nata perficere aliquod potentiale, non eſt nata recipere accidens: & ita eſt de eſſentia diuina, niſi fortè fiat inſtantia de eſſentia Angelica, & intellectione: ſed de hoc in quæſtione de ſimplicitate Angeli, an habeat materiam.

*Ad 3.* *Quare ſecũdum Philoſoph. nihil eſt corruptibile, quod nõ habet materiam.* Ad Philoſophum 7. *Metaphyſ.* planum eſt, quòd non concederet aliquid poſſe corrumpi, niſi haberet potentiam diſtinctam ab actu, ſicut partem à parte: ſed hoc poneret, quia ponit ordinem cauſarum ſimpliciter neceſſarium: vel quia poneret ſimpliciter nihil poſſe corrumpi, niſi cuius pars manet poſt corruptionem: ſicut ponit nihil priè poſſe generari, niſi cuius pars fuit ante generationem: ſed nec in ordine cauſarum, nec in iſta partis ſeparatione à toto, concordamus cum ipſo.

*Ad 4.* Ad rationem dico, quòd qualitas non corrumpitur in nihil, ſed in qualitatem aliam contrariam, vel alterius gradus in eadem ſpecie: nec ſequitur, quòd agens naturale faciat accidens ſine ſubiecto: quia qualitas noua habet idem ſubiectum, quod & prior qualitas habuit, vel ſaltem quantùm eſt de ſe habere poſſet. Si autem loquaris de corruptione quantitatis, cui non poteſt aſſignari aliquod aliud prius ſubiectum, illa non corrumpitur actione naturalis agentis ſine ſubiecto, vel præexiſtente, de quo dictum eſt *in quæſt. præced.* vel de nouo creato, de quo dicetur *in quæſt. ſeq.*

## COMMENTARIVS.

6 b *Dico ergo ad quæſtionem*, &c. Concluſio hæc eſt communis, tenendo quantitatem eſſe diuerſam à ſubſtantia, & ſubiectum qualitatis: dicit ſic corrumpi actione agentis naturalis, & in termino illius alterationis induci ſubſtantiam, ad quam eſſet aliàs connaturalis virtute diuinâ, ad ſaluandum myſterium, vt dicit in litera.

*Dubium.* Sed quid dicendum, an qualitas poſſit corrumpi ſecundùm omnem gradum ſuum virtute agentis naturalis? Negant quidam ex noſtris, putantes id eſſe ex mente Doctoris, iuxta principia poſita *in quæſt. 3.* vbi dicit quòd forma ſubſtantialis determinet ſibi qualitatem in determinato gradu, qui nequit virtute agentis naturalis deſtrui non deſtructâ formâ. Idem docent etiam quoad qualitatem ſeparatam in eo gradu, quem determinat ſubſtantia, ſi adeſſet.

*Reſpõſio quorundam negatiua.*

7 *Affirmatiua pars præfertur.* Contrarium mihi videtur verius ex mente Doctoris, attento eius fundamento, quia dicit gradum illum non corrumpi virtute agentis naturalis, quia conſeruatur à forma ſubſtantiali, quæ in hoc præualet, quantùm ad virtutem conſeruatiuam actioni corrumpentis. In propoſito autem non eſt talis reſiſtentia formæ, quæ non eſt: & vt patet ex ſecunda ratione hîc factâ contra opinionem D. Thomæ, quantitas non habet connexionem cum illa forma quali, neque quoad ſpeciem, neque quoad gradum.

Oportet ergo, vt ſaluetur prior modus dicendi, recurrere ad cauſam primam, quæ conſeruat qualitatem eo modo & ordine, quo conſeruaretur in ſubiecto, ſi adeſſet quantùm ad illos gradus: & cum hoc, alterationem cauſæ naturalis non extendi ad illos gradus ex natura eius, inquantùm diſponit ad formam ſuccedentem, ſi materia ineſſet, vel nata eſt diſponere: quia eodem inſtanti, & termino alterationis inducitur ſubſtantia noua de facto, quo induceretur virtute agentis corrumpentis, ſi adeſſet ſubiectum capax; & tunc deſinunt accidentia cum quantitate.

*Non corrumpi gradũ vltimum qualitatis ſeparatæ, ex miraculo.*

Cæterùm ſi Deus non aſſiſteret ex antiquo miraculo poſſit corrumpi tota illa qualitas inducendo contrarium. 8 *Ex natura rei corruptibile eſt.*

Ad

Ad argumenta patet ex litera. In responsione verò ad quintum dicit qualitatem non desinere in nihil, sed in qualitatem contrariam, vel alterius gradus in eadem specie. Dubium est quomodo in qualitatem eiusdem speciei, & secundùm alium gradum desineret qualitas prior tanquam in oppositam, contra ea quæ disseruit contra Gotfredum quæstione præcedenti. Respondetur qualitatem illam inquantùm remittitur ad illum gradum, & terminum, ad quem sequitur actio substantialis, sic esse oppositam ratione mutationis, & formæ concomitantis substantialis.

*Dubium.*

*Resoluitur.*

Suprà docet quid tenendum sit, tenendo quantitatē non distingui à re cuius est, quia negaretur agens naturale aliquid agere in species, sed Deum ad præsentiam eius agere, sicut agit ad destructionem quantitatis, quia perinde iuxta opinionem illam tollitur subiectum actionis simpliciter, sicut iuxta communem tollitur subiectum actionis determinatæ ad quantitatem, & substantiam.

*Opinio Nominalium.*

## QVÆSTIO VI.

### *Vtrùm in aliqua transmutatione facta circa Eucharistiam, necesse sit substantiam aliquam actione diuina redire?*

Alensis 4.p.q.45.m.1.a.2. D.Thom.3.p.q.7.a.5. D.Bonau.d.13.a.2.q.1.& 2.& hic a.2.q.1. Richard.hic a.2. q.2. Palud.q.1. Dur.q.3. Gabr.q.1. Suar.3.p.tom.3.d.54.s.2.

VLTIMO[a] quæro, vtrùm in aliqua transmutatione facta circa Eucharistiam necesse sit substantiam aliquam actione diuinâ redire? Videtur quòd non, quia quantitas separata habet modum substantiæ in agendo: ergo & in fiendo, & patiendo: ergo quicquid potest generari de substantia, si ibi esset, poterit generari de quantitate separata: non ergo oportet aliquam substantiam redire. 1 *Arg.1.*

Item, agens naturale, & approximatum passo naturaliter transmutat: ergo non requiritur miraculum ad hoc vt transmutet: sed substantia non potest redire, nisi per nouum miraculum: ergo nulla transmutatio possibilis ibi requirit substantiam redire. *Arg.2.*

Item, agens naturale non impeditum necessariò agit: ergo non dependet in agendo ab aliqua actione, quæ sit immediatè voluntatis diuinæ: quia voluntas diuina nullius actionis ad extra est principium, nisi contingenter: necessarium autem non potest dependere à contingenti: ergo in ista actione non requiritur aliquid, quod causetur à voluntate diuina immediatè. *Arg.3.*

Item Augustinus 7. de Ciuit. cap.30. *Sic Deus res quas condidit, administrat, vt eas proprios motus agere sinat:* ergo sinit agens naturale agere motum suum naturalem, & per consequens transmutare Eucharistiam sine omni miraculo: ergo & sine substantia redeunte. *Arg.4. Aug.*

Contrà, istæ possunt nutrire, vt dicit quædam Glossa super illud 1.Cor.11. *Alius quidem esurit, alius verò ebrius est*: ergo possunt transmutari in substantiam alendi: ergo ex eis potest generari substantia: sed hoc non potest fieri, nisi substantia redeat: quia ex non substantia non fit substantia. 2 *Rat.ad opp. 1.Cor.11.*

Item patet ad sensum, quòd hostia consecrata potest corrumpi in ignem, vel in animatum generatum per putrefactionem, sicut corrumperetur, si esset ibi panis: & tunc vt priùs, substantia generari non potest, nisi substantia redeat: ergo, &c.

## *COMMENTARIVS.*

1 a *VLtimò quæro*, &c. In hac quæstione resoluitur quomodo definit Eucharistia, & quâ transmutatione, nempe substantiali, & à quo agente? Varij autem sunt modi dicendi, quos suo ordine citat Doctor, & impugnat.

*Varij modi dicendi.*

*Prima sent.*

Prima sententia est redire substantiam panis, & vini miraculosè, & ex ea generari substantiam nouam: ita Innocentius III. *lib.4.de mysteriis Miss.c.11.* quem in hoc sequuntur Alensis, & D.Bonauentura. Hæc sententia intelligitur de eadem materia in specie. Hanc sententiam vt sustineri possit probabiliter, ita interpretatur D.Thomas, vt non intelligatur materia annihilata, aut conuersa redire: quia vtrumque est impossibile, sed alia materia noua creata à Deo tanta, quanta fuit illa materia conuersa in corpus Christi, & sanguinem Christi.

*Innoc.III. Alensis. D.Bonauēt.*

*Redire materiam eādem.*

Secundus modus dicendi est D. Thomæ, vt quidam volunt, locis *suprà* citatis in commento primæ partis quæstionis tertiæ, quam sequuntur antiqui Thomistæ cum Caietano ibidem citato: non produci nouam materiam, sed ex quantitate vt habet modum substandi per se, educi formam substātialem nouam. Et hanc sequitur Ægidius *Theorem.44.& 45.* Henricus *Quodlib.8. q.36.* Huc etiam reuocari potest opinio Richardi inquantùm ipsam conclusionem admittit, nempe ex accidentibus generari substantiam, quibus tribuitur possibilitas transmutabilis non solùm in formam, sed in infimum gradum actualitatis, quæ est materia. Hic modus statuitur ad hoc, vt actio causæ naturalis saluetur ad productionem substantiæ, quæ succedit in Eucharistia. 2

*Generari sub. stantiam nouam ex quantitate.*

*Ægidius. Henricus. Richardus.*

## SCHOLIVM.

*Opinio Innocentij corruptis ſpeciebus, redire panem, quam breuiter reiicit Scotus.*

3 *Opin. Innoc. quòd ſubſtantia panis redit corruptis ſpeciebus.*

Hîc eſt[b] vna opinio Innocentij *de Officio Miſſæ, part. 3. cap. de fractione:* dicit enim, quòd ſubſtantia panis redit. Quod poteſt ſic probari, quia Chriſtus eſt in Euchariſtia, vt nutrimentum ſpirituale, & tamdiu quamdiu ſpecies ſunt, vt conueniens nutrimentum corporale: ergo deſinentibus ſpeciebus habere rationem conuenientis nutrimenti, vtpote quando, ſi eſſent in ſubſtantia panis & vini, illæ ſubſtantiæ eſſent inconuenientes ad nutrimentum corporaliter, tunc rationabiliter definit ibi eſſe corpus Chriſti, vt nutrimentum ſpirituale: deficiente autem Euchariſtiâ redit ſubſtantia. Nec oportet hîc ponere nouum miraculum ad hoc, quòd corpus Chriſti deſinat ibi eſſe, quando ſpecies non eſſent natæ afficere ſubſtantias conuerſas: quia ita Deus inſtituit Euchariſtiam non manere, niſi manentibus ſpeciebus conuenientibus. Nec eſt nouum miraculum, quòd ſcilicet deſinente corpore Chriſti ibi eſſe, redeat ſubſtantia: quia Deus ordinauit nunquam accidentia eſſe ſine ſubiecto, niſi in Euchariſtia.

*Refutatur opinio Innocent.*

Contra hoc poſſet argui ſic. Quæro quando redit ſubſtantia panis? aut hoc eſt in vltimo inſtanti, quando generatur ibi noua ſubſtantia, & tunc ſequitur, quòd ſimul ſit ibi panis, & non panis: quando enim generatur aliud, panis corrumpitur: & per te tunc panis eſt ibi primò: & hoc eſt inconueniens: aut ante illud vltimum inſtans: & tunc videntur ſequi duo inconuenientia. Primum eſt, quòd non tamdiu manet Euchariſtia, quamdiu manerent ibi ſpecies non corruptæ, vel quòd ſimul manebit Euchariſtia, & erit ibi ſubſtantia panis cum corpore Chriſti.

4

Secundum inconueniens eſt, quia agens, quod poteſt in partem motus, poteſt in totum motum & terminum, quando non magis repugnat vna pars motus ipſi ſuſceptiuo, quàm alia; hoc apparet ex dictis *ſuprà in quæſt. præced.* ſed non magis repugnat illis ſpeciebus vna pars alterationis, quàm alia, quamdiu ſpecies illæ non corrumpuntur ſimpliciter, ſed alterantur: ergo agens potens in primam partem alterationis, poteſt & in quamlibet: ergo dum manet illa alteratio, non neceſſe eſt ſubſtantiam redire.

Sed ad iſtud argumentum probabilius eſſet dare ſecundum membrum: & tunc primum, quod infertur, fortè non eſſet inconueniens opinanti: diceret enim, quòd non manet Euchariſtia, quamdiu manent ſpecies illæ qualitercumque ſe habentes, ſed quamdiu manent, vt conuenientes nutrimento. Poſſunt autem ſic alterari, vt non conueniant nutrimento, antequam totaliter corrumpantur, ſicut poſſet panis non eſſe conueniens nutrimentum antequam corrumperetur ſapor, & alia accidentia: & tunc difficile eſſet inuenire certum gradum alterationis, vel putrefactionis, vſquè ad quem præcisè maneret Euchariſtia.

Ad ſecundum diceretur, quòd propter totam illam alterationem, quæ præcedit corruptionem ſpecierum, & per conſequens corruptionem Euchariſtiæ, non oportet ſubſtantiam redire: ſed oportet eam redire propter generationem, quæ ſequitur illam alterationem, & concomitabitur corruptionem ſpecierum: non autem poteſt redire tunc quando erit corruptio, quia tunc ſimul eſſet, & non eſſet.

Sed iſta reſponſio non aſſignat ſufficientem reditionem ſubſtantiæ panis: æquè enim poſſet agens naturale agere vſque ad vltimum inſtans, ſi non rediret per te: ergo non dicit ſufficienter.

## *COMMENTARIVS.*

3 *Non redire ſubſtantiam panis, &c.*

b *Hic eſt vna opinio*, &c. Concluſio huius paragraphi eſt non redire ſubſtantiam panis & vini contra primam ſententiam. Eſt communis, & probatur ratione Doctoris in litera: quia vel ſubſtantia panis rediret ante corruptionem ſpecierum, vel in vltimo inſtanti corruptionis, tanquam ſuccedens ipſi corruptioni, vel certè ſimul ad corruptionem ipſam in *fieri*, ſed nihil horum. Non primum, quia vel deſineret ibi corpus Chriſti ante corruptionem ſpecierum, quod eſt contra communem, vel ſimul eſſet cum ſubſtantia panis, quod eſt falſum, quia *eſſe* corporis ſub ſpeciebus de facto includit *non eſſe* panis ſub ſpeciebus: neque vllâ neceſſitate agentis, aut actionis, redit, antequam ſpecies deſinunt: quia ſicut prima pars motus, ita & reliquæ vſque ad terminum, poſſunt fieri dependenter à ſubiecto priori, nempe quantitate.

*Ratio efficax.*

*Reſponſio. Impugnatur.*

Si dicas eam redire neceſſitate generationis, vt poſſet ſubſtantia noua generari. Contrà, quia neque ex natura alterationis præuiæ, aut agentis id colligitur, neque ex natura termini, neque etiam ex natura generationis, & alioquin eſt ſuperfluũ, & inuolueret nouum miraculum, quod aſſeri nequit ſine fundamento: ergo non ſubeſt fundamentum vnde dicatur redire. Probatur antecedens, quia

*Alterationis ſubiectum eſt quantitas.*

quia alteratio præuia habet sufficiens subiectum, vt dictum est, absque eo quod redeat substantia panis & vini: ergo ex hoc capite non redit.

4 *Alteratio, vt dispositio repugnat substantiæ panis.*

Secundò, alteratio, vt disponit ad generationem alterius substantiæ, aut habet eam in termino concomitantem, non infert reditionem substantiæ panis & vini. Primò, quia tendit ex natura sua in *non esse* substantiæ panis & vini, si adesset. Secundò, quia vel redirent sine quantitate, & aliis accidentibus, & sic non essent subiectum proportionatum agenti naturali: vel redirent in specie eædem, sed cum propriis, & indiuidualibus accidentibus ab his diuersis: sed sic non essent subiectum proportionatum agenti naturali, vt agit hac alteratione in species: tum quia alteratio disponens ad corruptionem debet esse secundùm accidentia propria illius subiecti, quod corrumpitur: tum quia alteratio specierum separatarum non esset corruptio accidentium panis, qui de nouo rediret: ergo necessaria esset noua alteratio in diuerso subiecto, nempe in ipsa substantia panis, ac proinde non ex vi prioris alterationis sequeretur corruptio substantiæ panis, aut generatio nouæ substantiæ.

Si dicas redire sine accidentibus, & vniri speciebus separatis, sequitur Christum desinere sub speciebus, non ex vi corruptionis specierum, sed productionis panis, & prius desinere, quàm generetur noua substantia succedens, vel certè esse sub speciebus simul cum corpore Christi, quod perinde est inconueniens.

Vltimò tandem, multiplicantur miracula sine necessitate: primò producendo idem: secundò vniendo ipsi tam species, quàm accidentia contraria producta per priorem alterationem: tertiò ponendo substantiam panis & vini simul sub speciebus cum corpore & sanguine Christi contra veritatem mysterij: quartò in productione entis permanentis transeunter. 5 *Multiplicatio miraculorum sine necessitate.*

Quòd hæc autem sine necessitate supponantur patet, quia neque prouidentia vniuersalis, neque particularis Dei circa mysterium præsens hæc præscribunt: nihil enim exigitur ex communi prouidentia, nisi vt causa naturalis agat, iuxta exigentiam subiecti præsuppositi, quæ sunt accidentia vt quantitas, neque vt agat nisi in materiam præsuppositam ad actionem, nihil requiritur ex parte mysterij, nisi vt ad sensum non appareat præsentia corporis & sanguinis, aut absentia panis, & vt alteratio specierum subsit agēti naturali. Hæc omnia meliùs saluātur aliter, quàm hoc modo, vt *infrà* dicetur: ergo hic modus est superfluus. *Tollitur necessitas.* *Cōcursus debitus causæ naturalis.*

Aduertendum est benè Doctorem explicuisse sententiam Innocentij ex aliis principiis, quæ ipse tenet circa desitionē Christi sub speciebus, quam *infrà* explicabimus, & concordat interpretationi Doctoris, quam hîc adhibet reducendo sententiam Innocentij ad principia, quibus innititur. *Explicat Innocentium.*

## SCHOLIVM.

*Opinio D. Thomæ corruptis speciebus, redire materiam non conuersam, nec annihilatam, sed nouam. Hanc refutat latè Doctor.*

Est alia [c] opinio, quæ ponit materiam redire. Exponitur tamen, quòd non potest intelligi de materia priùs annihilata: quia quod in nihil est redactum, non potest iterum idem numero redire: nec etiam de materia priùs conuersa in corpus Christi hoc potest intelligi, quia illa non potest redire, nisi corpus Christi, vel materia corporis Christi è conuerso conuerteretur in materiam panis: sicut nec panis conuersus posset redire, nisi corpus Christi conuerteretur in panem. 5 *D. Tho. hīc a. 2. & 3. p. q. 77. a. 5.*

Sed oportet istam opinionem intelligi, si debeat probabiliter sustineri, quòd Deus nouam materiam creat. Nec oportet tunc ponere nouum miraculum: quia hoc est ex antiquo miraculo, ne fides perdat meritum, & per consequens, vt omnis transmutatio possit hîc fieri ab agente naturali, quæ posset fieri, si accidentia essent in substantia. Nec tunc simpliciter substantia materiæ corporeæ in conuersione minueretur, nec in principio creata per istius reditionem augeretur: quia quantum fuit de materia conuersum in corpus Christi, tantum redit hîc, vel creatur.

Contra hanc opinionem arguo sic. Quæro enim quando redit materia? aut in vltimo instanti quando generatur ibi noua substantia: aut ante vltimum instans. Non antè, propter duo; tum quia manente Eucharistiâ esset substantia ibi materiæ alia à materia corporis Christi, quod non tenet communis schola: tum quia illa materia esset sine forma, quod est simpliciter impossibile secundùm istum, saltem non est possibile sine nouo miraculo: sed non sunt ponenda plura miracula sine necessitate. Si verò in instanti generationis redit materia, frustrà ponitur redire ad hoc vt agens naturale generet ex ea: quia non generat, nisi de materia quanta, secundùm istum maximè. Similiter non potest generare, nisi cum illa generatione concomitetur corruptio, & specialiter secundùm istum: sed tunc non corrumpet aliquam substantiam, quia illa materia non redit sub forma substantiali corrumpenda: quia tunc simul haberet eam, & non haberet. *Refutatur opin. D. Th.* *D. Tho. 1. p. q. 66. art. 2.*

Modus etiam, quo dicit iste Doctor opinionē istam necessariò esse tenendam, scilicet quòd non redeat, nec materia annihilata, nec conuersa, sed tantummodò possibile est eam redire, quia alia noua creatur, non videtur probabilis: quia materia annihilata redire potest, & materia conuersa. Primum probatur, quia nihil sequens annihilationē materiæ 6

est

eſt eiuſdem rationis, cum nihilo præcedente creationem materiæ, ſicut terminus annihilationis *ad quem*, & creationis *à quo*, ſunt idem, vel eiuſdem rationis, ſicut in generatione, & corruptione: ergo eſt eadem diſtantia materiæ ad nihil ſequens annihilationem eius, & ad nihil præcedens creationem eius: ergo eadem potentia poteſt ſuper hanc diſtantiam, & illam: quæ ergo poteſt creare, poteſt & annihilatam reparare. Item, materia annihilata non eſt magis nihil, quàm ante creationem: non ergo magis includit contradictionem, quàm priùs: ergo ſicut priùs potuit omnipotentia illud producere, quod ſic erat nihil, ita & nunc poteſt.

*Virtus creatiua eſt annihilati reſtaurativa.*

Secundum, ſcilicet de materia conuerſa probatur, quia corpus Chriſti non aliter ſe habet per hoc, quòd panis conuertitur in ipſum: ergo è conuerſo poſſet panis conuerſus redire eo modo, quo conuerſus eſt in ipſum, abſque hoc, quòd corpus Chriſti aliter ſe haberet in ſe: quia ſicut habendo in ſe iſtam entitatem poſt conuerſionem, non aliter ſe habet poſitiuè: ita in non habendo, puta ſi rediret panis, non aliter ſe haberet priuatiuè.

## *COMMENTARIVS.*

6 *Explicatio prima ſent.*

c *Eſt alia opinio*, &c. Hæc non eſt opinio D. Thomæ, ſed illa magis eſt reductio prioris opinionis, ſeu interpretatio eius ad ſenſum congruum, in quo ſuſtineri poſſet cum aliqua probabilitate.

*Impugnatur.*

Hanc etiam impugnat Doctor, & benè, quia ſi rediret materia antequam noua ſubſtantia generetur, & non deſinerent ſpecies, eſſent ſimul cum corpore Chriſti: ſi redire dicatur per creationem materia noua in inſtanti corruptionis per modum ſubiecti nouæ generationis; hoc etiam nequit: quia deberet redire quanta ſecundùm D. Thomam & veritatem, vt eſſet ſubiectum proportionatum actioni agentis naturalis.

*Argumẽtum ad hominem.*

Deinde illa materia eſſet ſine forma ſubſtantiali, quod eſt impoſſibile in ſententia D. Thomæ, quia non exiſtit, niſi exiſtentia formæ, vt ipſe affirmat, neque facit ad generationem, quia non eſt quanta, vt dictum eſt, cùm quantitas ſupponatur eſſe in toto; tum etiam, quia generatio habet corruptionem annexam ex principiis D. Thomæ, vt patet de corruptione viuentis, & eius generatione iuxta ſententiam ipſius: hîc autem non eſt forma ſubſtantialis, quæ corrumperetur.

7

Secundò impugnat rationes D. Thomæ contra Innocentium, quia ſi loquamur de potentia abſoluta, certum eſt idem poſſe redire, quia non eſt maior repugnantia ex parte termini poſtquam deſinit adeſſe, quàm fuit antequam primò fuit productus, neque minor potentia ex parte Dei. Ex quo ſequitur, quòd materiam, tam annihilatam, quàm conuerſam poſſet Deus producere: ideò diſcipuli D. Thomæ interpretantur eum locutum fuiſſe de impoſſibilitate, vt opponitur potentiæ ordinariæ: ſed ſic magis vrgent contra præfatam ſententiam, quæ docet per miraculum redire eandẽ non numero, vt inſinuat ratio D. Thomæ, ſed in ſpecie; id autem à pluribus conceditur, & neceſſariò concedi debet ab omnibus, qui docent ſubſtantiam nouam attingi virtute agentis naturalis in ſpecie, quia in materia prima nulla eſt differentia ſpecifica; eo ergo ipſo, quòd non redeat eadem numero, quæ fuit panis, debet redire ſimilis in ſpecie. Sed neque interpretari poteſt hoc modo ſententia Innocentij, qui dicit ſubſtantiam totam redire. Meritò ergo Doctor hanc opinionem magis aſcribit ipſi D. Thomæ, & in eo eam primò impugnat ex variis opinionibus eiuſdem Sancti, quaſi ad hominem ſecundò impugnat eius fundamenta, &c.

*Impugnantur rationes.*

## SCHOLIVM.

*Opinio Ægidij, Henrici, & aliorum, nullam ſententiam redire, ſed ex ipſis ſpeciebus generari formam ſubſtantialem. Hanc refutat Doctor multis, & claris rationibus.*

7 *Ægid in Theor. 44. 45. Com. 66. idem 4. Phyſ. c. 15.*

Tertia [d] opinio eſt, quòd ſicut Commentator dicit *primo Phyſic.* & de ſubſtantia orbis in materia generabilium & corruptibilium, oportet intelligere dimenſiones interminatas ante aduentum formæ ſubſtantialis, aliàs non poſſet intelligi diuiſio materiæ, vt in diuerſis partibus materiæ ſint diuerſæ formæ ſubſtantiales: huiuſmodi autem dimenſiones poſt formæ ſubſtantialis aduentum accipiunt *eſſe* terminatum, & completum: quicquid autem intelligitur in materia ante formam ſubſtantialem, hoc manet idem numero in generato, & corrupto: quia remoto poſteriori oportet remanere prius. Sicut ergo mediantibus his dimenſionibus incompletis materia panis conciperet formam eius, quod ex pane generaretur, & hoc pane non conuerſo, ita (cùm nunc ſit datum dimenſionibus, vt ſubſiſtant, & habeant *eſſe* conforme *eſſe* prioris ſubſtantiæ) datur eis, quòd poſſint ſubeſſe formæ ſubſtantiali: quia de natura ſua non habent quòd ſubſint, niſi tantùm accidentali: ſed à forma ſubſtantiali habent hoc: & tunc, vel ex conſequenti aduenit materia propter concomitantiam naturalem formæ ad materiam: vel ipſi dimenſioni virtute diuinâ dabitur natura materiæ propter propinquitatem ad ipſam, vt ſic illud genitum ſit compoſitum ex materia, & forma.

*Hẽr. quodl. 8. q. 36.*

Additur huic opinioni, quòd ſi ex talibus dimenſionibus generaretur vermis primò,

&

& pòst ex partibus nutrientibus generaretur ſubſtantia, materia nutrimenti erit tandem materia illius ſubſtantiæ.

8 Contrà iſtam opinionem arguo ſic: Forma determinata ad aliquod receptiuum, nullo modo poteſt aliud perficere, ſicut nec albedo Angelum, nec ſapientia lapidem: ſed forma ſubſtantialis determinatur ad materiam ſubſtantialem, vt ad proprium ſuſceptiuum: ergo nullo modo poteſt perficere dimenſionem de genere Quantitatis, quæ non eſt materia ſubſtantialis. *Refutatio Ægid.*

Item, forma de genere priori non poteſt perficere ſuſceptiuum de genere poſteriori: ergo nec forma ſubſtantialis dimenſionem. Antecedens probatur, quia actus præſupponit potentiam, & hoc loquendo de ordine originis: actus autem generis prioris, nec origine, nec perfectione aliquid præſupponit de genere poſteriori. *Forma ſubſtantialis nõ poteſt perficere materiam accidentalem.*

Item tertiò, & videtur manifeſtiùs, quia forma ſubſtantialis eſt talis actus, qui eſt natus conſtituere per ſe vnum cum ſuo perfectibili per ſe: ſed non poteſt conſtituere vnum per ſe cum aliquo de genere Quantitatis: ergo, &c.

Item, illud quod eſt eſſentialis ratio terminandi dependentiam alterius, non poteſt ad illud dependere: forma ſubſtantialis eſt huiuſmodi reſpectu quantitatis: ergo, &c.

Item, quomodo de potentia dimenſionis poteſt deduci forma ſubantialis? cùm ex natura rei non ſit in illa tanquam in proprio potentiali.

Sic ergo videtur improbata prima pars opinionis in generali, ſcilicet quòd dimenſio 9
non poteſt habere vicem materiæ reſpectu formæ ſubſtantialis. Quantùm autem ad generationem ex illa dimenſione improbatur in ſpeciali, primò ſic: ignis genitus ex illa dimenſione, & forma ſubſtantiali ignis, non eſſet vniformiter, nec vniuocè ignis cum alio igne generato ex forma ſubſtantiali, & materia ignis: & tunc ignis non vniuocè ageret comburendo hoſtiam ſicut comburendo lignum.

Item, non ſolùm in vno ſequitur abſurditas, quòd erit ignis mathematicus ex quantitate, & forma ſubſtantiali: ſed erit talis proceſſus in generabilibus, & corruptibilibus vſque ad finem mundi: nam ex illo igne habente dimenſionem pro materia dicto mathematico, generabitur aqua habens idem pro materia, quod habuit corruptum pro materia: & ex illa aqua, aër, & ſic vſque ad finem mundi, vel in infinitum ſecundùm Philoſophos.

Quod etiam ille alius Doctor addit de modo, ſiue materia nutrimenti aduenientis, non ſaluat propoſitum: poſito enim, quòd genitum non ſit nutribile, ſicut ignis, nihil valet. Item eſto, quòd Sacerdos eſſet nutritus de iſtis ſpeciebus: & pone, ſicut poſſibile eſt, quòd per magnum tempus quouſque multæ partes materiæ fluxiſſent, & nouæ genitæ fuiſſent; ſequitur quòd illæ partes non ita erunt verè partes carnis, & ex partibus eſſentialibus carnis conſtitutæ, ſicut aliæ partes, quæ non eſſent genitæ ex ſpeciebus: & ſic poſſibile eſſet ponere caſum, quòd puer nutritus ex ſpeciebus vſque in finem vitæ ſuæ non reſurgeret, niſi homo compoſitus ex dimenſione, & forma ſubſtantiali vna, vel pluribus.

## *COMMENTARIVS.*

8 *Nõ educi forma ſubſtãtialem ex potentia quantitatis.*

a *TErtia opinio eſt*, &c. Concluſio huius, & ſequentis paragraphi eſt negatiua. Probatur concluſio, nihil ſupponitur in ſpeciebus conſecratis præter quantitatem, & qualitatem; ex nullius horum potentia educi poteſt forma ſubſtantialis: ergo, &c. Minor probatur ex omnibus principiis, & rationibus conuenientibus formæ ſubſtantiali informat: illud, ex cuius potentia educitur, dando ipſi ſuum *eſſe* formale; inauditum eſt apud Philoſophos hoc conuenire reſpectiuè ad accidens. aliàs forma ſubſtantialis diceret appetitum ad accidens, tanquam ad ſubiectum, à quo etiam dependeret ſi materialis eſſet. Componit forma ſubſtantialis per ſe cum ſua materia, quam informat: hoc nequit cum accidente.

*Impugnatio ad hominem.*

Poteſt vlteriùs ex principiis Thomiſtarum impugnari, quia materia non exiſtit exiſtentiâ propriâ, ſed formæ, quantitas vt exiſtat, datur ipſi modus ſubſtantialis perfectatis. Pẽto quis? non materiæ, quia non habet exiſtentiam, niſi per formam: non alterius formæ, quia ſic vna forma materialis dependeret ab alterius exiſtentia, quia ſecundùm ipſos forma dependet in exiſtentia à materia, ex qua educitur: ſed hoc eſt falſum, nempe dependere ab exiſtentia alterius formæ, vel quæ nata eſt ipſi ineſſe, quia alia forma non dicit maiorem actualitatem in *eſſe*, quàm ſit actualitas alterius: ergo nequit eſſe terminus dependentiæ alterius. Non eſt exiſtentia compoſiti, quia forma ſubſtantialis quæcunque eſt prior omni compoſito, vt principium eius prius natura: quod autem eſt prius eſſentialiter, nequit ordinari ſecundùm dependentiam ad poſterius; alia præter enumeratas exiſtentia per ſe nequit imaginari, à qua dependeat forma: ergo, &c.

Deinde quantitas ſubiectatur in toto ſecundùm ipſos: ergo eſt poſterius eſſentialiter omni forma ſubſtantiali: ergo nequit dependere à quantitate.

titate. Sed, vt clariùs appareat falsitas huius opinionis, adducemus modos explicandi illam.

9 Richardus. *Modi explicandi reiiciuntur.*

Richardus dicit *dist.12.art.2.quæst.2.* in accidentibus separatis manere possibilitatem quandam, quam dicit in illis creari, quando transmutatur substantia, quæ sub illis erat, in corpus Christi. Hanc potentiam dicit non esse potentiam receptiuam formæ; aut compositi, sed potentiam trãsmutabilitatis in infimum actum substantiæ, hoc est, in materiam, & compositum ex illa: & quamuis hæc sit creata supernaturaliter: in speciebus dicit tamen virtute agentis naturalis posse fieri conuersionem ipsam. In primis,

*Potentia materia est infima.*

Hoc est obscurum primò, dari scilicet aliquam possibilitatem substantialem, infra possibilitatem materiæ primæ, aut minor illa, contra Augustinum lib.12. Confessionum cap.33. *Fecisti Domine duo, vnum propè te, Angelicam naturam, aliud propè nihil, materiam primam*: ergo non datur aliud substantiale possibile, quod magis accedit ad nihil.

*Potentia subiectiua supponit subiecto.*

Deinde illa potentia creata nequit intelligi pura possibilitas, quia sequitur ad aliquem actum, cuius est, quia potentia, quà talis, dicit capacitatem cum negatione actus: ergo est alicuius capacitas, seu in aliquo, sed quantitas, aut accidens ex natura sua, secundùm ea, quæ conueniunt in suo *esse* formali ipsi, non habet actum essendi, cui proportionata sit talis potentia: ergo nequit ipsi communicari, nisi mediante aliquo gradu entis, ad quem sequitur, quia potentia est differentia entis, non recipit aliquod *esse* substantiale quantitas, quia sic maneret eadem difficultas, quia respectu eius esset subiectum, cùm daret ei actum formalem, & tunc quæreretur an seipsâ, an per aliquid superadditum: non seipsâ, quia etiam sine illa possibilitate creata posset seipsâ ordinari ad materiam, & compositum, quod est contra suppositum: quia ideò fingitur talis possibilitas, vt posset per eam quantitas esse subiectum transmutationis substantialis, non per aliquod superadditum, quia sic esset processus in infinitum.

10

Deinde intelligi nequit quomodo accidens possit recipere in se differentiam, seu proprietatem substantiæ, qualis est illa possibilitas. Item nequit aliquid esse subiectum transmutationis virtute agentis naturalis factæ, nisi vt subiectum actionis receptæ in se, & consequenter termini: ideò enim fingitur talis possibilitas, vt saluentur necessaria ad actionem agentis creati, & potissimum subiectum: ex principiis autem de actione, passione, & mutatione virtute agentis creati, sequitur hæc in eodem subiecto fieri, loquendo de ipsis, vt sunt *fieri* formæ, & termini, in quo est ipse terminus: ergo vel materia prima, & compositum ex ipsa, quæ sunt terminus huius actionis causæ creatæ inerunt quantitati, & accidentibus, quod repugnat naturæ ipsorum, quia materia nequit esse forma, sicut neque compositum; vel certè nequeunt produci ex tali potentia virtute causæ creatæ: & sic malè fingitur talis potentia ad saluandam actionem causæ creatæ.

*Idem esse subiectum mutationis, & termini.*

*Paradoxa.*

*Dependentia causæ secundæ à subiecto.*

Deinde materia prima non includitur in virtute causæ creatæ, quia est primum subiectum ad quod essentialiter dependet in agendo causa creata, alioquin non posset saluari eius dependentia in agendo à materia, aut subiecto, & etiam posset suppleri dependentia formæ à subiecto per ipsam virtutem causæ creatæ, quia ideò Deus potest creare formam extra subiectum, & separare ab ipso, quia in sua virtute includit causalitatem subiecti respectu eius: ergo hæc doctrina destruit illud, quod intendit saluare, nempe dependentiam causæ secundæ in agendo ad subiectum.

Adde ex his capitibus materiam primam creari, esse ingenerabilem, & incorruptibilem, quia non includitur in virtute actiua causæ creatæ, neque in potentia alicuius subiecti. Præterea, hæc transmutatio est impossibilis virtute agentis creati, quod supponit suum subiectum, quod transmutat, manere sub vtroque termino, vt constat ex omnibus. Et ratio est, quia subiectum talis transmutationis est prius essentialiter ad actionem causæ creatæ, & eius terminum, cùm exigatur ad agendum respectiuè ad formam & agens: ergo virtute agentis naturalis transmutari nequit quantitas in substantiam, supposito quòd supponatur vt subiectum. Deinde hæc transmutatio esset creatio, cùm subiectum nullum maneat commune. Addo vlteriùs magis repugnare hanc quàm conuersionem substantiæ in substantiam, verbi gratiâ, panis in corpus Christi, quia in hoc est magis proportionatum subiectum respectu agentis creati, quàm ibi: sed hoc à solo Deo fieri potest supernaturaliter: ergo & alia. Ex quibus patet vanitas illius doctrinæ, quæ nullâ ratione probatur ab authore, sed merè imaginariè inuenta est: atque ex his principiis facilè impugnari possunt alij.

11 *Materia ingenerabilis. Trãsmutatio per agẽs creatum respicit subiectum commune.*

*Reiicitur sententia Caietani.*

Caietanus asserit agens creatum agere in quantitatem, quæ per modum existendi, quem habet, supplet vicem materiæ quamdiu subest Christus speciebus; in primo autem *non esse* Christi creari materiam à Deo, ex qua educatur forma, sed in primis vtile non est fingere in quantitate talem modum in ordine ad supplendam materiam, si in nullo particulari, quod materiam exigit, eam suppleat: quia quantùm ad transmutationem accidentalem, in qualitatibus, ipsa per se quantitas est sufficiens subiectum quoad mutationem ad quantitatem: perinde repugnat quantitati habere rationem subiecti, sicut & respectu transmutationis substantialis, quia quantitas in quantitate eiusdem speciei nequit subiectari, cùm quantitas adueniens, vt est in confesso, æquè sit separata, ac præsupposita.

*Quantitatem non supplere materiam hoc modo.*

*Secunda ratio conclusionis.*

Secundò probatur conclusio: Deus nequit supplere effectum causæ formalis sine ipsa causa formali: ergo neque effectum materiæ in genere subiecti, sine ipsa materia. Patet consequentia, quia ideò nequit effectum causæ formalis, quia includit illum esse sine forma, quæ in actu debet communicari, sed etiam materia sic debet communicari formæ, quando saluatur causalitas causæ materialis: ergo effectus materiæ substantialis in hoc genere nequit suppleri, vel haberi sine ipsa materia, & consequenter nequit suppleri per aliquod accidens.

*Deus nequit supplere materiã, & formam in genere proprio.*

*Responsio, impugnatur.*

Dices in quantitate, verbi gratiâ, non esse illam capacitatem ex natura sua, sed quà eleuata est. Cõtrà, simili ratione dici potest de materia eleuata, vel de ipsa quantitate eleuata, vt tribueret effectum formæ substantialis, aut qualitatis: nã æquè ex natura sua repugnat ipsi supplere materiam respectiuè ad actionem substantialem, quàm tribuere effectum formalem huius, aut illius. Deinde quantitas per eleuationem non variat speciem: ergo nequit eleuari ad effectum repugnantẽ, qui consequitur necessariò entitatẽ alterius rationis.

*Nequit suppleri effectum materiæ prorsus.*

Excluditur

13 *Excluditur modus Ægidij.*

Excluditur etiam modus dicendi Ægidij *Theorem.* 44. dicit enim quòd materia ex Commentatore 1. *Physic.textu com.*66. & 4.*Physic.cap.*15. habeat dimensiones interminatas, aliàs non posset intelligi diuisio materiæ, vt in partibus diuersis recipiat diuersas partes formæ: sicut ergo per dimensiones illas interminatas concipit formam, ita dimensiones terminatæ panis, quæ manent, cùm detur ipsis *esse* separatum, possunt esse subiectum formæ substantialis.

*Impugnatur ex fundamẽtis præmissis.*

Contra hanc sententiam redeunt iam argumenta contra Richardum facta, quæ sunt Doctoris, quia forma substantialis determinatur ad materiam, vt ad susceptiuũ; est prior quantitate essentialiter, constituit actum per se cum susceptiuo; ab ipsa dependet quantitas, non econtra; ignis genitus ex illa dimensione, & forma ignis adueniente, non esset vniuocè ignis. Item, sequeretur idem processus vsque in finem mundi, quia ignis talis genitus ex dimensione esset corruptibilis: ergo dimensiones illæ manerent in subſtantia genita ex igne, vt materia, & sic deinceps: & caro genita esset æquiuocè caro, vt benè Doctor contra Henricum.

## SCHOLIVM.

*Opinio Richardi in consecratione dari speciebus vim transmutabilem, quâ transmutari possint in materiam & formam immediatè. Hæc reÿcitur efficaciter & clarè.*

10 *Richard.hîc art.2.q.2.in solut.princ.*

Quarta opinio est, quòd in transsubstantiatione ipsis accidentibus communicatur per creationem possibilitas transmutabilis, non tantùm in formam, sed etiam in infinitum gradum actualitatis, quæ est materia: ergo accidentia resoluuntur postea in materiam ex prædicta possibilitate eis annexâ, conuersâ in actualitatem gradus infimi naturaliter factam. Et ita hæc opinio concordat cum secunda, scilicet quòd materia redit, sed non immediatè à Deo, sed per actionem agentis naturalis.

12. *cap.*33.

Contra hoc, quia hoc purum possibile secundùm ipsum est terminus creationis: ergo est aliquid extra causam suam, vel extra primam causam habens entitatem positiuam materia inferiorem: sed hoc est falsum, quia dicit Augustinus lib.confess. *Fecisti Domine duo, vnum prope te, Angelicam naturam: aliud prope nihil, scilicet materiam primam:* ergo de facto nihil est inferius materia prima, licèt forte possibile sit aliquid inferius creari à Deo. Quicquid sit de hoc, non habet hic benè locum disputatio de hoc.

Ad propositum arguo sic: Materia non producitur per generationem, cùm sit fundamentum præsuppositum generationi: ergo agens naturale non potest illud purum potentiale admixtum speciebus conuertere in materiam primam, vel in compositum, ita quòd actione illâ producat materiam primam, vel propriam isti composito. Item, esto quòd tale compositum poneretur in speciebus Eucharistiæ, & quòd possibile esset de illa actione naturalis agentis producere materiam, vel compositum, adhuc frustrà poneretur: quia agens naturale non potest agere, nisi inquantùm actu est, quod non esset hîc.

## SCHOLIVM.

*Sententia Doctoris continet quatuor conclusiones. Prima, nulla transmutatio manente Eucharistiâ, petit redire substantiam. Secunda, in tali transmutatione de facto, non redit substantia completa, vel incompleta. Tertia, in transmutatione corruptiua Eucharistiæ, manente eâdem quantitate, non est necesse redire substantiam. Quarta, de facto tamen in transmutatione corruptiua, siue sit per alterationem, vel per motum in quantitate, redit substantia composita, ad quam disponunt accidentia corrumpentis, quam etiam afficiunt eâdem specie in instanti corruptionis, & immediatè à Deo; & explicat quæ transmutatio corrumpit Eucharistiam, & quæ non.*

11 *Mutatio nõ corruptiua Eucharistiæ, non petit generari substãtiam.*

Dico [c] ergo ad quæstionem, quòd transmutationum possibilium circa Eucharistiam, quædam stant cum Eucharistia manente, quædam non. Omnes primæ non requirunt substantiam redire quamcumque, nec actione diuinâ, nec actione agentis naturalis: nec in illis de facto est materia, vel redit. Secundarum autem quædam non requirunt substantiam redire: tamen redit actione diuinâ, ita quòd sunt quatuor conclusiones. Prima probatur: omne agens potens in transmutationem aliquam, potest in terminum illius, si habet susceptiuum non magis repugnans termino, quàm motui: sed in transmutationibus, in quibus manet Eucharistia, agens naturale potest in totum motum, & susceptiuum non plus repugnat termino, quàm motui: ergo, &c. Minor patet, quia susceptiuum non potest hîc poni, nisi quantitas: quantitati autem non magis repugnat vnus gradus qualitatis, ad quem potest esse transmutatio, quàm alius gradus imperfectior, secundùm quem, & alios sibi similes potest esse motus alterationis: nam quantitas secundùm rationem sui non determinat sibi aliquem gradum qualitatis: igitur, &c.

& ſic patet prima concluſio, ſcilicet quòd manente Euchariſtiâ, non eſt neceſſarium redire ſubſtantiam.

*Actio corruptiua Euchariſtiæ, manente eadem quantitate, non petit redire neceſſariò ſubſtãtiam.*

Et per idem poteſt probari tertia concluſio, ſcilicet quòd tranſmutatio corruptiua Euchariſtiæ, dum tamen ibi maneat eadem quantitas, quæ ſit ſubiectum tranſmutationis, non neceſſariò requirit ſubſtantiam redire. Secunda concluſio probatur, quia dum manet Euchariſtia, non eſt ibi ſubſtantia, niſi ſubſtantia corporis Chriſti: accidentia etiam manent tunc ſine ſubiecto: ſed neutrum iſtorum eſſet verum, ſi alia ſubſtantia rediret: ergo manente Euchariſtiâ, nulla ſubſtantia de facto redit.

12 *Quæ ſubſtãtia redit, & à quo, corrupta Euchariſtia.*

Quarta concluſio eſt diſſimilis ſecundæ, quæ eſt, ſiue per alterationem, ſiue per motum in quantitate corrumpatur Euchariſtia, redit de facto ſubſtantia, & hæc eſt ſubſtantia compoſita, cui talia accidentia conuenirent, quam etiam afficiunt, & hoc in inſtanti corruptionis, & immediatè à Deo. Prima pars huius concluſionis probatur, quia Deus ſtatuit illas ſpecies manentes eſſe ſine ſubiecto in Euchariſtia præcisè, & non alibi: ergo ſtatuit quòd ceſſante Euchariſtiâ, non ſunt ſpecies ſine ſubiecto; & per conſequens in ipſo inſtanti corruptionis fit ibi aliqua ſubſtantia. Secunda pars probatur, quia ſi aliqua ſubſtantia redit, non alia, quàm illa quæ poteſt illis accidentibus nouis affici: quia alia ſubſtantia non eſſet capax. Tertia pars probatur, ſcilicet quòd non redit immediatè, niſi à Deo: quia nullum aliud agens habet virtutem actiuam ad hoc ſufficientem.

*Corollariè reiecit quatuor opiniones relatas, & impugnatas.*

Non ergo redit ſubſtantia compoſita dum accidentia Euchariſtiæ manent, vt dicit prima opinio, nec vt dicit ſecunda opinio, redit materia, ſiue per reparationem, ſeu reſolutionem, ſeu creationem: quia hoc eſſet omnino ſuperfluum, cùm per materiam ſolam non poſſet magis ſaluari actio aliqua agentis naturalis: nec, vt dicit tertia opinio, dimenſio eſt ſuſceptiuum formæ ſubſtantialis: nec, vt dicit quarta opinio, poſſibilitas illa eſt aliquid, nec in aliquid conuertibile.

13 *Explicat quæ trãſmutatio corrũpat Euchariſtiam, & quæ non.*

Quæ autem [f] tranſmutatio poſſit fieri manente Euchariſtiâ, patet, quia quælibet alteratio, per quam non inducitur aliquid incompoſſibile pani, ſi maneret, & tranſmutatio ſecundùm quantitatem, vel per ſe, vt fractio, & diuiſio, quia partes panis homogeneæ, natæ eſſent manere ſub illis partibus quantitatis diuiſæ; vel ſecundùm quantitatem concomitanter, vt eſt in rarefactione, vel condenſatione, dum tamen non inducatur quantitas repugnans ſubſtantiæ panis iam conuerſæ ſi eſſet. Per oppoſitum autem tranſmutatio corruptiua ſecundùm qualitatem ſecundùm gradum illum, ſecundùm quem non poſſet ſtare cum pane, ſi maneret: & hoc licèt quantitas omnino maneat eadem: talis autem non poteſt fieri manente Euchariſtiâ: vel ſaltem non fit de facto: vnde ſi poſſibile eſſet, quòd calor ignis induceretur in ſpeciebus conſecratis ſecundùm gradum repugnantem pani, ſi adeſſet, & tamen quantitas omnino eadem, quæ priùs, maneret, corrumperetur Euchariſtia: quia Euchariſtia non conſiſtit in ſola quantitate, ſed in aliis accidentibus neceſſariò conſequentibus ſubſtantias conuerſas: & per conſequens, in inductione illius caloris incompoſſibilis rediret ſubſtantia de facto, vt probatum eſt quarta concluſione: ſed hîc non eſſet neceſſarium propter actionem agentis naturalis, vt dicit tertia concluſio: haberet enim agens naturale quantitatem pro ſubiecto, in quam poſſet inducere illum calorem, vt probat probatio primæ & tertiæ concluſionis: & tunc eſſet ibi quantum calidum calore igneo, & tamen non eſſet ignis.

*Hîc videtur velle per rarefactionem produci quantitatem, ſed nihil reſoluit.*

*Calor igneus corrumperet Euchariſtiã manente eadem quantitate.*

14 *Ad arg. 1.*

Ad [g] argumenta; ad primum dico, quòd quantitas ſeparata non habet aliquem modum poſitiuum ſubſtantiæ; ſed tantùm negatiuum, iſtum ſcilicet non ineſſe actu ſubiecto. Sed iſte modus negatiuus non ſufficit ad hoc, vt poſſit eſſe ſubiectum magis quàm priùs: imò cuius potuit priùs eſſe immediatum ſubiectum, eius præcisè poteſt eſſe nunc: poteſt tamen concedi illud argumentum, quòd alicuius tranſmutationis poteſt quantitas eſſe ſubiectum: ſed non tranſmutationis ad ſubſtantiam, quia ibi requiritur, quòd ſubiectum ſit principium ſubſtantiæ compoſitæ, vt materia.

*Ad 2.*

Ad ſecundum, concedo quòd non requiritur nouum miraculum ad actionem agentis naturalis, quamdiu agens illud habet paſſum: ſed quando non habet paſſum, non poteſt agere, niſi per miraculum detur ſibi paſſum: ſed ſicut à natura dari non poteſt, ita paſſum requiſitum ad generationem non eſt hîc, nec poteſt eſſe, vel fieri per agens naturale de aliquo, quòd ſit hîc: & ideò oportet ad hoc, quòd agens naturale poſſit agere hac actione, quòd per miraculum redeat ſibi paſſum proportionatum. Nec tamen dico, quòd quando redit de facto ſecundùm quartam concluſionem, quòd agens naturale ibi generet: ſed ſolus Deus creat ibi ſubſtantiam compoſitam primò: ſed ſi vlterior debeat ſequi generatio alicuius de illa ſubſtantia; poteſt agens naturale ibi agere ad formam ſubſtantialem: quia habet paſſum ſibi conueniens.

Per

Per idem patet ad tertium, quia necessariò agit quantum potest agere: non autem potest ibi agere ad formam substantialem, nisi sit ibi aliud receptibile à quantitate: ideò necessariò requiritur actio diuina. Et si quæras, an agat agens naturale ad hoc, quòd substantia illa rediens actione diuinâ sit quanta, vel qualis illâ qualitate quam inducit in quantitatem; posset dici quòd sic: quia cùm posteriùs natura agat, quàm Deus in reducendo substantiam, & in illo posteriori habet passum receptiuum illius termini formalis in quem potest, & per consequens potest illud passum afficere illo termino formali. 15 *Agẽs naturale simul duratione ageret in substantiam à Deo positã loco Eucharistiæ.*

Vel potest dici oppositum, scilicet quòd non: quia non potest agens creatum informare subiectum aliquo accidente; nisi priùs habuerit aliquid repugnans, quod tollitur per actionem agentis huiusmodi: sed hoc non est necessarium, quia si hîc non præcedit ordine durationis contrarium, vel priuatio, non propter hoc tollitur actio agentis naturalis: quia benè potest agens naturale habere effectum sibi coæuum, & in seipso, vt de propria passione consequente subiectum, vel in alio: vtpote si simul crearentur Sol, & aër, simul fieret aër lucidus à Sole: & tamen non præcessisset in aëre oppositum luminis. *Agens creatum potest informare subiectũ non habens contrarium.*

Ad quartum signanter dicit Augustinus proprios motus, id est, qui sunt virtute propriâ eorum: sed talis non est, nisi qui habet subiectum conueniens, cuiusmodi non est quantitas ad susceptionem formæ substantialis: & ideò positâ solâ quantitate, non potest substantia produci, nisi actione diuinâ.

## COMMENTARIVS.

14 *Prima cõclusio.* e *Dico ergo ad quæstionem*, &c. Subiicit quatuor conclusiones suo ordine. *Prima conclusio:* Nulla transmutatio, quæ stare potest cum Eucharistia manente, petit redire substantiam vllam actione diuinâ, aut agentis creati. Hæc communis est, intelligitur nullâ necessitate subiecti ad actionem, aut ad terminum actionis requiri substantiam per modum subiecti.

*Actio causa naturalis saluatur in ordine ad quãtitatem separatam.* Ex quo sequitur, quòd omnino non requiratur, quia ideò requiritur, vt saluetur transmutatio, vt fit ab agente naturali. Hæc autem saluatur quoad motum, & terminum eius per solam quantitatem, vt subiectum, vt benè probat in litera.

*Alterũ membrum probatur.* Quòd verò non requiratur diuinâ actione substantia redire, patet, quia quamdiu maneret substantia panis, & vini, maneret Eucharistia, & Christus sub speciebus; sed cum tali transmutatione maneret substantia panis & vini: ergo ad saluandum mysterium non requiritur actio vlla diuina ad substantiam nouam, quia sic potiùs dedestrueretur, cùm non sit compatibile corpus sub speciebus de facto simul cum alia substantia.

15 *Secunda conclusio.* *Secunda conclusio:* In tali transmutatione de facto nulla redit substantia completa, vel incompleta. Hæc patet ex eadem ratione, quia manent accidentia separata, & Christus sub ipsis cum quo est incompatibilis alia substantia.

*Tertia cõclusio.* *Tertia conclusio:* Transmutatio corruptiua Eucharistiæ, dum tamen ibi maneat eadem quantitas, quæ sit subiectum transmutationis, non necessariò requirit substantiam redire. Addit illam limitationem, *modò maneat quantitas*; tum quia quantitas potest destrui per diuisionem, vel per additionem, vt non sit proportionata substantiæ, quæ ipsi suberat primò: tum etiam ad veritatem cõclusionis sufficit, quæ in hoc verificatur, vt manente quantitate maneat subiectum per se sufficiens ad actionẽ causæ transmutantis; ac proinde ex hoc capite non requiri substantiam nouam.

*Intelligitur conclusio ex natura rei.*

*Eius probatio.* Et probatur hæc conclusio ex fundamento primæ conclusionis, quia non agit agens naturale, nisi inquantùm habet subiectum præsuppositum, quod subiectum manet sub motu, vt est ab ipso, & sub termino motus: ac proinde, vt agit transmutando iuxta capacitatem subiecti, non requirit aliud: quia virtus eius actiua limitatur ad subiectum, & capacitatem eius.

*Quarta conclusio:* Siue per alterationem, siue per motum in quantitatem corrumpatur Eucharistia redit substantia actione diuinâ, non autem actione agentis naturalis; & hæc est substantia composita, cui talia accidentia sunt connaturalia, & eam afficiunt; redit autem illa substantia in instanti intrinseco corruptionis, non secus ac si corruptio fieret, si substantia panis esset, aut vini, per inductionem formæ substantialis nouæ. 16 *Quarta conclusio. Semper de facto redire substantiam nouam.*

Nescio quid venit in mentem Aretino *art. 6.* hîc vocare hanc conclusionem Doctoris singularem, cùm eam teneat Durandus *hîc quæst. 1.* Maior *quæst. 4.* Gabriel *in can. lect. 45. & in hac dist. quæst. 1. art. 3. dub. 2.* Vasquez *disp. 195. cap. 3.* Durandus. Maior. Gabriel. Vasquez.

Alia mihi occurrit difficultas maior in hac conclusione, & eius probatione: dicit enim illa accidentia producta actione agentis naturalis manere desinente Eucharistiâ, & afficere substantiam nouam, cui inhærent: ac proinde eam debebere esse connaturalem: nam hæc ipsa probatio sustinet accidentia inesse toti, & non in materia prima: quod & aliàs suprà vbique supponit Doctor cum communi. 17 *Dubium. Accidentia prauia afficere substantiã.*

Ratio ergo difficultatis est quòd desinente subiecto desinunt omnia quæ ab ipso dependent: vnde in generatione substantiali, tenendo accidentia absoluta inesse toti, sequitur alterationem corrumpentem, & terminum eius esse in eodem subiecto, aliàs non opponerentur qualitatibus conseruatiuis & connaturalibus subiecti, neque eas corrumperent formaliter, aut effectiuè: dato ergo quòd substantia panis adesset, accidentia corruptiua inessent toti: ergo disinerent desinente subiecto: ergo etiam iam de facto desinunt, sicut & desinit ipsa quantitas ex eadem ratione: quia ex virtute miraculi nihil hîc saluari debet, quod non saluaretur in corruptione naturali facta ex substantia præiacente. *Ratio dubij.*

Respondetur Doctorem loqui vulgari modo, & secundùm sensum, qui non deprehendit desitionem accidentium, seu præuiæ dispositionis ad formam substantialem, quæ est eiusdem speciei cum dispositione consequente & solo numero, 18 *Resolutio dubij. Explicatur sententia Doctoris.*

aut gradu differt, verbi gratiâ, calor antecedens, & sequens formam ignis: sensus enim non discernit inter singulare, & singulare eiusdem speciei, seclusis differentiis accidentalibus, & sensibilibus communibus, verbi gratiâ, loco, situ, magnitudine, figurâ, & huiusmodi; vt inter duos radios solares, aut duo ova eiusdem magnitudinis, vt probat Doctor *in 2. dist. 3. quæst. 1.*

Sic ergo in proposito, sensus non discernit inter calorem, & reliquas dispositiones antecedentes formam ignis in gradu, & termino alterationis, & eas quæ consequuntur; & sic dicit eas manere, & afficere substantiam, quantùm ad sensum scilicet, non verò in re ipsa; quia rario exigit desinere accidens desinente subiecto: ac proinde desinente quantitate, desinere accidentia, quæ in ipso subiectantur: cui rationi non derogat præsens mysterium. Hanc interpretationem confirmant ea, quæ dicit in *quæst. 1. 2. & 3. huius distinct.* & *in 2. dist. 3. q. 4. ad 1. pro opin.* vbi dicit nullum accidens idem manere in corupto, & in genito.

19 *Secunda responsio.* Respondetur secundò, posse intelligi Doctorem intendere manere quantitatem priorem cum dispositionibus inductis, & productæ à Deo substantiæ vniri, quia licèt aliàs hæc emanare possint ab ipsa forma, vel à toto, vel, vt alij dicunt, produci à generante: tamen vtrumque superflueret, si Deus vniret præexistentia substantiæ in prima sui creatione, quia sic reduceretur ad actum. *Vniri accidentia separata substantia nouæ.* Vnde licèt calor emanare possit à forma ignis, potest tamen ab ipso separari, vel creari ignis sine calore, & Deus ipsi posset imprimere calorē, quo posito, ignis nihil eius in se produceret, quia iam esset in actu, & non in potentia respectu eius.

Hæc responsio magis saluat literam in suo rigore, quæ videtur loqui de accidentibus præexistentibus, & haberi potest ex responsione ad tertium argumentum. *Et si quæras*, inquit, *an agat agens naturale ad hoc, quòd substantia illa rediens actione diuinâ sit quanta, vel qualis illâ qualitate, quam inducit in quantitatem*, &c. supple agens naturale, quam dixit in conclusione manere.

Suarez. Sic etiam tenet Suarez *disp. 57. sect. 3.* materiam de nouo creatam à Deo quantitati præexistenti vniri: quamuis malè approbet, nescio cuius sententiam, vel propriam, vel alienam, asserentem desinente Christo sub speciebus, desinere modum perfectitatis in accidente, & materiam creatam, & quantitatem præexistentem sibiipsis vniri per se, ex natura extremorum, & non virtute causæ extrinsecæ. *Quantitatem, & materiam esse seipsis.*

*Impugnatur.* Hoc, inquam, falsum est, quia ex opinione dicentium quantitatem inesse materiæ, hoc non infertur, quia dicitur concreari, & non resultare ex natura materiæ. Deinde materia est magis inclinata per se ad formam substantialem eductam ex eius potentia, aut natam educi, quàm ad formam accidentalem; non potest se huic vnire, neque econtrà forma se vnire ipsi: ergo neque quantitati, vel econtrà quantitas ipsi. Vtrumque prætereà extremum est in potentia passiua respectu vnionis, quam communicat agens: quia nisi in potestate, & virtute agentis reciperet vnionem forma ad subiectum, non dependeret agens à subiecto, neque subiectum vllo modo reduceretur ad actum, quod eatenus reducitur ad actum, quatenus communicatur ei actus mediante vnione: ergo subiectum nunquam reducitur ad actum, nisi virtute agentis. Deinde quantitas dependet à subiecto in quo est: ergo seipsâ nequit habere illam dependentiam terminatam; neque virtute materiæ, quia hæc non est actiua respectu formæ absolutæ.

f *Quæ autem transmutatio posset fieri*, &c. Hîc resoluit illam transmutationem, per quam non tolleretur substantia panis & vini, si adesset, non destruere Eucharistiam: omnis autem transmutatio, siue ad quantitatem, siue ad qualitatem, cum qua illæ non manerent, destruit etiam Sacramentum, quod non in sola quantitate, sed etiam in qualitatibus consistit simul: vnde si destrueretur qualitas propria vini, aut panis, sufficeret ad destructionem Sacramenti. 20

Notant autem moderni sententiam D. Bonaventuræ *dist. 13. art. 2. quæst. 3.* qui asserit corpus Christi non comitari species, quando corroditur à muribus, aut bestia. Item, quando in locum immundum iniicitur: sed in hoc secutus est Magistrum, qui illam sententiam in fine *dist. 13.* asserit, vbi dicit corpus Christi non manducari à bestiis, quamuis videatur, ignorari autem quid bruta tum sumant: Innocentius III. *in lib. 4. de mysteriis Missæ*, primum horum docet, nempe non manere corpus Christi, quando manducatur à bestiis; & sequitur ad antiquam opinionem Guitmundi, nempe in eo casu subtrahi Sacramentum virtute diuinâ, aut Angelica. D. Bonau. *Opinio improbabilis.* Magist. Innocent. Guitmund.

Glossa in canonem *Tribus gradibus, de consecrat. dist. 2.* verbo *Miscere*, docet non manere in stomacho corpus Christi, sed finitâ manducatione desinere. Quæ sententia videtur esse Algeri *lib. 2. de Sacramento corporis & sanguinis Christi*; qui negat Christum manere sub speciebus in ventre ebrij, impœnitentis, & animalis: & negat in vomitu, qui solet fieri ab infirmis, & ebriis, in quibus apparent species, esse corpus Christi; sed aliud, fortè substantiam panis & vini reproductam. Glossa. Algerus.

Has sententias ex communi Scholasticorum sententia falsas esse constat, quia cum illis non videtur saluari rectè proprietas Scripturæ, quæ dicit corpus Christi manducari, & sumi, quod denotat traiectio eius in stomachum. Id etiam contingere potest in stomachum animalis traiectione, & inde nihil patitur corpus incorruptibile Christi: quòd autem species alterentur, non refert, quia subiectæ sunt actioni agentis naturalis. Deinde Ecclesia colligit, & colligere præcipit Eucharistiam ex loco immundo, vt ex vomitu: ergo censet eam ibi esse. 21 *Sententia cōmunis reijcit priores.*

An verò Gregorius XI. damnarit illam sententiam antiquorum, quæ dicit Christum desinere sub speciebus, quando mordetur à brutis, vt dicit Directorium Inquisitorum, vel non, incerta est relatio, imò dubia, quia neque Cardinales illius appellationis & tituli, quos citat author Directorij, tum fuêre sub Gregorio, neque alij articuli, quos simul damnatos refert, habentur pro damnatis. Accedit quòd ipse varius est in narratione: quidquid sit, amplius non defenditur in scholis. *An fuerit dānata sententia antiquorum.*

Alia difficultas est: an per mixtionem desinat Christus sub speciebus? Aliqui dicunt, si mixtioni accedat alteratio specierum, desinere; vt cùm immisceretur tanta aqua, vt immutarentur species vini: alij dicunt etiam per mixtionem penetrantem species, & permeantem omnes partes earum fieri desitionem. Alij negant, nisi corrumpantur ipsæ species: incertum est nobis quid fiat. Hæc vltima docet quamdiu maneret substantia panis & viui manere Christum, quod satis probabile est. 22 *Dubium. An mixtio corrūpat Sacramentum.*

Ex

23 *Ex speciebus generari aliquid, quomodo contingat?*

Ex his sequitur quomodo ex speciebus generari possit vermis, & quo pacto ex speciebus consecratis homo, aut animal nutriri possit? Hæretici olim, vt Berengarius, & dicitur ab Algero fuisse sententiã quorumdam Græcorum, obiiciebant contra realem præsentiam illud Matth. 15. *Obiectio hæreticorum.* Non intelligitis; quidquid in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur: ergo hoc contingit Eucharistiæ, quod valde indecens est; imò & repugnat corpori incorruptibili Christi: ergo non est in Eucharistia. Item, quòd Eucharistia corroditur à muribus, vel à bestiis absumitur, quod etiam valde indecens est, & repugnat.

*Responsio Guitmundi.* Ad hæc variæ sunt responsiones. Guitmundus asserit corpus Christi non deuorari à bestiis, aut muribus corrodi, sed ita videri ad saluandam fidem, ad culpandam negligentiam custodum, & permitti, illusione tamen sensus, quia tum corpus Christi, vel virtute propriâ, aut ministerio Angelorum ibi desinere, & in cœlum transire, substitui autem aliud loco eius. Respondet secundò id non esse inconueniens, sicut non est inconueniens vt gustui nostro subseruiat: quantùm ad consumptionem eius ab igne, dicit corpus Christi non consumi ibi, sed elemento purissimo committi occultandum, & non transferendum in cœlum. Ad aliud de sumptione, & transitu Eucharistiæ in secessum id negat ipse, & Algerus ibidem, quia nihil est ibi, quod in secessum transire potest, cùm nulla substantia sit subiecta corruptioni.

*Responsio vera. Corrũpi species.* Ad hæc omnia facilè responderi potest ex dictis sine iniuria, aut indecentia, ad saluandam fidem, corruptionem specierum fieri modo dicto, per introductionem alterius substantiæ, & sic rectè defendi, corpus Christi non transire in secessum, quamuis dicamur illo nutriri, si in quantitate magna sumatur, sed substantiam, quæ ipsi actione diuinâ, aut agentis naturalis substituitur: circa quam hæc contingunt; sic etiam generatur vermis & ignis, &c. non, vt dicit Guitmundus, virtute diuinâ, ablato corpore Christi homines nutriri, quia ad illam nutritionem, vt dictum est, via est corruptio specierum, & inductio nouæ substantiæ desinente corpore Christi: non ergo per meram illusionem fit nulla factâ mutatione circa species. Sic etiam patet, quomodo inebriari possit quis bibendo species in magna quantitate; non quòd inebriatio fieret per species, quia non sunt sufficiens materia; requiritur enim substantia vini, quæ resolui debet in vapores calore naturali stomachi: suppositâ ergo alteratione specierum inducitur virtute diuinâ aliqua substantia, non virtute agentis naturalis.

24 *Dubium. Vtrùm agens naturale agat ad vnionem accidentium.*

g *Ad argumenta.* Ad primum & secundum patet ex litera, & ex dictis ad tertium & quartum.

Ad quæstionem, seu interrogationem in responsione ad tertium, quã quæritur an agens naturale, licèt ex præmissis non agat ad substantiam nouam, neque in parte, neque in toto, vtrùm ad vnionem accidentium nempe quantitatis, & qualitatum quas actione propriâ induxit corrumpendo species, in quantitate præexistente agere possit?

*Responsio affirmatiua.* Respondet primò Doctor affirmatiuam posse dici, quia agens supponit subiectum in priori natura à Deo productum. Hæc responsio non est secundùm principia Doctoris; sed sequendo opinionem eorum, qui dicunt agens non dependere à subiecto quanto, & extenso; cuius contrarium ipse supponit contra opinionem secundam, quæ ponit materiam creari à Deo; opponit autem Doctor asserens, hoc non saluare actionem agentis naturalis, & materialis, quia supponit subiectum quantum. Sed fortè respondetur inhærentiam, licèt sit ad subiectum, vt ad terminum, fundari tamen in ipsa forma, nempe in quantitate, & aliis accidentibus, prout ipse *quæst. 3.* docet, & sic saluari potest hæc sententia iuxta principia Doctoris. *Explicatur melius.*

25 *Dubium.* Hoc modo dubitare tamen quis posset, num agens naturale de facto attingat productionem vnionis, nisi concomitanter ad productionem formæ, quam educendo vnit: nam agere seorsim ad vnionem, aut eius destructionem videtur actio solius Dei. *Resoluitur, quomodo agat ad vnionem.* Responderi potest vnionem esse per se producibilem à causa creata, & de facto productioni formæ non præexistentis coniungi: non quòd eadem sit actio, sed quia nequit educi forma ab agente creato, nisi concurrente subiecto, sustentando tam actionem, quàm formam, quod non contingit sine vnione: vnde agens creatum non producès formam potest agere ad eius vnionem; & licèt eductio inferat vnionem propter concursum subiecti; non tamen contrà vnio eductionem, vt patet in anima rationali, quæ non educitur & vnitur; sic etiam fieri hîc quòd si ad vnionem, quæ est ex parte animæ rationalis, non concurrat generans, vt mater, hoc ideò est, quia nequit agere in subiectum spirituale, vt causa totalis in suo genere: in proposito tale impedimentum non subsistit. *Differentia actionis.*

26 *Secunda responsio.* Secundò respondet iuxta sententiam eorum, qui negant productionem fieri ab agente creato, nisi etiam fiat corruptio: sed hanc sententiam, aut fundamentum meritò hîc non approbat: quia aliàs *suprà dist. 10. q. 2.* contrarium docuit; & sufficit ipsam priuationem formæ præcedere priùs natura, & non formam contrariam, & causam creatam posse habere effectum coæuum.

*Tartaretus, Aretinus. eorum sent.* Ex quibus principiis Tartaretus, & Aretinus putant materiam creari in priori instanti rationis, aut naturæ; & de potentia eius educi formam virtute causæ naturalis alterantis species: sed in hoc non tenent cum Doctore, neque consequenter ad principia ab ipsis tradita & hîc, & in præcedentibus quæstionibus, & *dist. 10. quæst. 6. & 9.* quia tenendo cum Doctore, vt ipsi tenent, accidentia subiectari in toto; & præterea agens materiale non agere nisi in subiectum quantum, currit ratio Doctoris, hîc facta contra D. Thomam, quia materia illa non esset, neque posset esse quanta, neque consequenter subiectum proportionatum agenti naturali. *Reijcitur.* *Materia sola non est subiectum proportionatũ agenti naturali.*

# DISTINCTIO DECIMATERTIA.

*A De poteſtate conficiendi.*

SOLET etiam quæri, vtrùm praui Sacerdotes hoc Sacramentum conficere queant? Ad quod dici poteſt, quòd aliqui, licèt ſint praui, conſecrant verè: ſcilicet qui intus ſunt nomine, Sacramento, etſi non vitâ: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris. Vnde Auguſtinus, [ Intra Catholicam Eccleſiam in myſterio corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur Sacerdote: ] quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo perficitur creatoris, & virtute Spiritus ſancti. Credendum eſt enim, quòd in verbis Chriſti Sacramenta conficiantur. Sicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per Spiritum ſanctum ſuam efficit carnem & ſanguinem. Item Gregorius, [ Putant quidam communionem corporis minùs eſſe ſanctificatam, ſi illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu in quàm magnum laqueum incidunt, vt diuina & occulta myſteria plus ab aliis ſanctificata poſſe fieri credant: cùm vnus idémque Spiritus ſanctus in tota Eccleſia inuiſibiliter ea myſteria & operando ſanctificet, & ſanctificando benedicat. ] [ Myſterium ideò dicitur, quòd ſecretam & reconditam habeat diſpenſationem: ] [ Sacrificium verò, quaſi ſacrum factum: quia prece myſticâ conſecratur pro nobis in memoriam Dominicæ paſſionis. Sacramentum eſt in aliqua celebratione, cùm res ita fit, vt aliquid ſignificatæ rei accipiamus. Sacramenta ſunt Baptiſma, chriſma, corpus Chriſti: quæ ideò Sacramenta dicuntur, quia ſub tegumento viſibilium rerum diuina virtus ſecretiùs ſalutem eorumdem Sacramentorum operatur. Vnde à ſecretis virtutibus, vel ſacris Sacramenta dicuntur. Panis & calicis Sacramentum Græcè Euchariſtia dicitur, Latinè, bona gratia interpretatur: & quid melius corpore & ſanguine Chriſti? Siue ergo per bonos, ſiue per malos miniſtros intra Eccleſiam diſpenſetur, Sacramentum tamen eſt, quia Spiritus ſanctus viuificat: nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. ] Hoc de corpore Domini, hoc & de Baptiſmate, & chriſmate dicendum eſt, & tenendum: quia virtus diuina ſecretiùs operatur in eis: & diuina ſolummodò eſt hæc virtus, ſiue poteſtas non humanæ efficaciæ. Illi verò qui excommunicati ſunt, vel de hæreſi manifeſtè notati, non videntur hoc Sacramentum poſſe conficere, licèt Sacerdotes ſint: quia nemo dicit in ipſa conſecratione, Offero, ſed Offerimus, quaſi ex perſona Eccleſiæ. Et ideò cùm alia Sacramenta extra Eccleſiam poſſint celebrari, de hoc non videtur. Quod etiam Auguſtinus tradere videtur, dicens, [ Recolite nomen, & aduertite veritatem. Miſſa enim dicitur, eo quòd cœleſtis nuncius ad conſecrandum viuificum corpus aduenìat: iuxta dictum Sacerdotis dicentis, Omnipotens Deus, iube hæc præferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, &c. ] Idcirco niſi Angelus venerit, Miſſa nequaquam iure vocari poteſt. Nunquid enim ſi hoc myſterium hæreticus auſus fuerit vſurpare, Angelum de cœlis mittit Deus oblationem eius conſecrare? maximè cùm eiſdem per Prophetam comminatus ſit, dicens, Maledicam benedictionibus veſtris. Quòd ſi benedictionibus eorum ſe aſſerit maledicturam veritas, quid erit de hoſtia? Ergo dicemus illam poſſe benedici ab illo, quem ſcimus à Deo fore male

*Lib. de corpore Domini, & allegatur 1. q. 1. cap.* Intra Catholicam.

*Ioan. 1. e 1. quæſt. 1.* Multi ſæcularium.

*1. Cor. 12. b Iſidor. lib. 6. Etym. cap. 19.*

*Ibidē,* paulò antè tumultuariè.

*Hic Magiſter nō tenetur.*

*Auguſt. in ſerm. de corpore Chriſti.*

*Vnde dicatur Miſſa.*

maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit benedictionibus hæreticorum, & *schismaticus benedixerit: quis eorum prævalebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei? Ex his colligitur, quòd hæreticus à Catholica Ecclesia præcisus, nequeat hoc Sacramentum conficere: quia sancti Angeli, qui huius mysterij celebrationi assistunt, tunc non adsunt: quando hæreticus, vel *schismaticus hoc mysterium temerare præsumit. Non enim dubitari licet, vbi corporis Dominici, & sanguinis mysteria geruntur, supernorum ciuium adesse conuentus.

*Al. simoniacus.

*Al. simoniacus.

*Hieronymus super cap. 2. Malach. verba Prophetæ sic exponit, Maledicam benedictionibus vestris, id est, his quæ nunc meis benedictionibus posßidetis, vel quicquid à vobis benedicetur, per me erit maledictum, vel quoniam non benedicunt Sanctis, ex vero corde: vel quia, qui iniquè agunt, benedicuntur ab eis, adulantúrque peccatoribus, dummodò diuites sint, & habetur* 1. quæst. 1. cap. *multi sæcularium*, ad finem, & lib. 2. de Trinitate, statim post princip. quæst. 1. cap. *maledicam.*

In huius autem mysterij expletione, sicut formam seruari, ita ordinem haberi, scilicet vt sit Sacerdos, & intentionem adhiberi oportet, vt illud facere intendat. Sed si non credit de illo mysterio, sicut veritas habet, numquid potest intendere illud conficere? & si non intendit, nunquid conficit? Aliqui dicunt, etiam non rectè de illo mysterio sentientem posse intendere, non quidem illud conficere, quod iam esset rectè credere, sed id agere, quod geritur ab aliis, dum illud conficitur: & sic adhibetur intentio, & si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen ex quo intendit ea dicere & agere, quæ ab aliis geruntur impletur mysterium.

*Gregorius super Ezechielem, homil. 10. Qui expositione sacri eloquij, vt auditoribus placeat aliquid fingit, sua verba loquitur non Dei, qui autem in verbis Dominicis aliter, quàm is qui protulit senserit, etsi sub alio intellectu, tamen ad ædificationem charitatis tendit, Domini sunt verba quæ dicit.*

Illud etiam sanè dici potest, quòd à brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus, vel quid manducat? Deus nouit. De hoc cœlesti mysterio aliqua perstrinximus, à Catholicis fideliter tenenda. Qui enim his contradicit, hæreticus iudicatur.

*Magister hîc non tenetur.*

## *Quid faciat hæreticum, & quid sit hæreticus.*

B

NE autem ignores quid faciat hæreticum, vel quid sit hæreticus, audi breuiter quid inde sancti Doctores tradant. Hilarius ait, [ Extiterunt plures, qui cœlestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolutionem susceperunt, aliter interpretantes, quàm dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de Scriptura est, & sensus, non sermo, fit crimen. ] Idem in 8. Intelligentiæ sensus in crimine est. Hieronymus dicit, quòd ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. Augustinus definiens quid sit hæreticus, ait, Hæreticus est, qui alicuius temporalis commodi, & maximæ gloriæ, principatúsque sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit, vel sequitur.

*Hilar. de Trin. lib. 2. statim post princ.*

*Super c. 2. Oseæ.*

*Lib. de vtilit. cred. ad Honoratum c. 1. tom. 6.*

*In hac diſt. relinquitur Mag. à Doctoribus, cũ dicit ſchiſmaticum, hæreticum, &c. non habere poteſtatem conſecrandi corpus Chriſti.*

HÆc eſt [a] vltima pars, in qua Magiſter determinat de cauſa efficiente conſecrationis Euchariſtiæ. Et diuiditur in duas, in principalem, in qua determinat hanc concluſionem, quod à quocunque Sacerdote bono, vel malo indifferenter poteſt confici Euchariſtia: & incidentalem, quæ tangit de perceptione Sacramenti huius. Secunda ibi, [*Illud etiam ſanè.*] & ſequitur epilogus reſpectu iſtius tractatus totius, ibi, [*De hoc cœleſti myſterio.*] & pars incidentalis ibi, quis ſit dicendus hæreticus, quæ incipit ibi, [*Ne autem ignores.*]

Circa hanc diſtinctionem quæro duo. Primò, Vtrùm ſola actione diuina poſſit confici corpus Chriſti? Secundò, vtrùm quicumque Sacerdos proferens verba conſecrationis cum intentione determinata, & circa materiam conuenientem, poſſet conficere Euchariſtiam?

## COMMENTARIVS.

1 *Partitio diſtinctionis.*

a IN hac diſtinctione, quæ eſt vltima huius tractatus apud Magiſtrum, agitur de miniſtro, eam duabus quæſtionibus abſoluit Doctor: nempe, vtrùm ſolâ diuinâ actione fiat hoc Sacramentum? &, An omnis Sacerdos illud miniſterialiter conficere poſſit? Vbi etiam compendiosè agit de iis, quæ requiruntur in ſacrificio Miſſæ.

## QVÆSTIO I.

### *Vtrùm ſolâ actione diuinâ poßit confici corpus Chriſti?*

Alenſis 4. *p. q.* 34. *m.* 3. *a.* 1. D. Bonau. *d.* 10. *art.* 1. *q.* 1. *ad* 2. D. Thom. 3. *p. q.* 75. *art.* 8. Innoc. *lib.* 4. *de myſt. Miſſa. c.* 7. Suar. 3. *tom. d.* 50. *ſ.* 8. *Vide* Scot. *quodl.* 13. *&* 5. *Met. q.* 1.

1 *Arg.* 1. *c. de actione.*

AD primum [b] ſic proceditur, & arguitur quòd non: *in lib. 6. de principiis* dicitur, quòd omnis actio in motu fundatur: diuina actio non fundatur in motu: ergo Deus non cauſat aliquid per actionem ſuam: ergo nec hîc.

*Arg.* 2. Item ibidem, proprium eſt actioni ex ſe inferre paſſionem: ſed hîc nulla paſſio infertur: ergo hîc non eſt actio. Minor probatur, quia illa paſſio fieret in inſtanti conuerſionis, ſicut & actio: in illo autem inſtanti non manet panis: ergo tunc non eſt paſſio in pane: ſed nec tunc eſt paſſio in corpore Chriſti, quia corpus Chriſti tunc per iſtam actionem non mutatur.

*Arg.* 3. *T. com.* 10. *&* 23. Item, quòd non ſolâ actione diuinâ, primò ſic; agens naturale poteſt conuertere totum in totum: quia primo de Gen. dicitur, quòd *generatio eſt conuerſio totius in totum*: ergo agens naturale poteſt in totam iſtam conuerſionem, quia non videtur ſibi impoſſibilis, niſi quia eſt totius in totum.

*Arg.* 4. Item, natura poteſt formare corpus Chriſti in *eſſe* naturali; ergo poteſt illud formare hîc ſecundùm *eſſe*, quod habet in Euchariſtia. Probatio antecedentis, natura formauit corpus ex ſanguinibus Virginis. Probatio conſequentiæ, idem *eſſe* eſt corporis Chriſti in vtero Virginis, & in Euchariſtia: ſed ſuper idem *eſſe*, vt terminum, poteſt eadem virtus: ergo, &c.

2 Et ſi dicas, quod eſt idem *eſſe*, tamen ſub alio, & alio modo, & quod licèt ſuper primum modum poſſit natura, non tamen ſuper ſecundum. Contrà, *eſſe* fuit per ſe terminus iſtius actionis, non autem ille modus: ergo eodem *eſſe* manente per ſe, manet idem terminus, & per conſequens in illud poſſet eadem virtus. Nec poteſt dici, quòd prohibetur propter modum, quia modus non repugnat ei, cuius eſt modus: ergo iſte modus non repugnat illi *eſſe*: ergo quod poteſt in illud *eſſe* ſecundùm ſe, non impeditur per quemcunque modum eius, quin poſſit in ipſum. Et confirmatur iterum, quia maius eſt poſſe in *eſſe*, quàm in quemcunque modum eius.

*Arg.* 5. Præterea vltimò, Sacerdos habet aliquam actionem reſpectu conſecrationis: ergo non ſolâ actione Dei conficitur Euchariſtia. Antecedens probatur: non enim requiritur intentio aliqua in aliquo reſpectu alicuius effectus, ad quem ipſum nullo modo eſt cauſa agens: ſed intentio Sacerdotis requiritur: ergo, &c.

*Rat. ad opp. Aug.* Contrà 1. quæſt. 1. *Intra Catholicam*, & ſumitur ab Auguſt. lib. de corpore Domini. *Myſterium corporis, & ſanguinis Domini perficitur virtute Spiritus ſancti*: & ſequitur, *ſicut Chriſtus*

*Christus est qui baptizat, ita ipse est, qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem, & transfundit in sanguinem.* Item Greg. 1. q. 1. Multi sæcularium. *Vnus idémq; Spiritus sanctus, in tota Ecclesia inuisibiliter mysteria corporis Christi, & operando sanctificat, & sanctificando benedicit.* Et istæ duæ auctoritates ponuntur hîc in litera? Greg.

## COMMENTARIVS.

3 Partitio quæstionis.

b In hac quæstione iuxta petitionem argumentorum sunt tres articuli. Primum & secundum argumentum sunt ex natura actionis; & an possit esse in Deo respectiuè ad hunc terminum? Huic correspondet primus: *An scilicet actione diuinâ confici possit hoc Sacramentum?* tertium est, & quartum de potentia agentis naturalis ad conuersionem: quibus correspondet articulus secundus: *An*, scilicet, *agens naturale, vt principalis causa, possit concurrere ad eandem conuersionem.* Vltimum argumentum tangit causalitatem instrumentalem: huic respondet tertius articulus, *de causa instrumentali, aut ministeriali consecrationis.*

1. Artic. 2. Artic. 3. Artic.

## SCHOLIVM.

*Quoad primam partem, clarum est actione diuinâ Eucharistiam fieri: sed difficultas magna est, quid fit actio ista, & ponit sententiam tenentem, non esse relationem, sed absolutum, cum suis quinque fundamentis.*

Ad c solutionem huius quæstionis tria sunt videnda. Primum, an actione diuinâ possit hoc Sacramentum confici, scilicet Eucharistia, & hoc tangunt prima duo argumenta. Secundò, an actione agentis creati, vt principalis agentis, & hoc tangunt duo sequentia argumenta. Tertiò, an actione alicuius creati, vt instrumentaliter agentis, & hoc tangit vltimum argumentum. De primo videtur manifestum, quòd sic, loquendo de actione communiter, sicut Deus dicitur habere actionem circa creaturas, quando aliquid nouum immediatè facit in eis, nisi quòd non est æquè facile videre, quomodo sit hîc actio positiua, sicut in creatione: quia non est hîc aliquid positiuum absolutum accipiens simpliciter *esse*. Sed de hoc tactum est *dist.* 11. Magis ergo propriè distinguendo actionem contra relationem, habet huiusmodi articulus difficultatem. 3 1. Artic.

Et dicitur, quòd hoc modo accipiendo actionem, actione diuinâ potest fieri, & fit huiusmodi conuersio. Quod probatur sic: non minoris virtutis, vel actionis est aliquid conuertere in præexistens, quàm in non præexistens: sed si conuerteretur à Deo panis in non præexistens, esset ibi simpliciter actio diuina, quâ illud non præexistens produceretur: quia produci non posset nisi aliquâ actione, non relatione: ergo & nunc est actio, & non tantùm relatio.

Item, creatio est vera actio: sed non minùs posset terminus istius conuersionis accipere *esse*, quàm terminus creationis, scilicet, si hæc conuersio fieret in non præexistens, quod totaliter acciperet *esse* per conuersionem istam: ergo, &c. Maior licèt videatur plana, tamen probatur accipiendo actionem strictè, vt dictum est, quia si creatio esset tantùm relatio: ergo *creare* esset tantùm *referri*: sed cùm *creare* sit Deum velle rem esse, tunc *velle* diuinum esset tantùm relatio, vel *referri*, quod videtur inconueniens. *Arguitur actionē esse absolutum.*

Item, Deus habet actionem propriè dictam ad intrà: ergo æquè, vel magis propriè dictam ad extrà: & sic in proposito. Probatio antecedentis, quia si generatio non esset actio propriè dicta, vt contra relationem distinguitur, sequeretur quòd generatio esset tantùm relatio, & tunc *generare* & *dicere* esset tantùm *referri*, quod est inconueniens. 4

Item, ad hoc idem de actione propriè dicta ad intrà arguitur, correlatiuum non est causa sui correlatiui, quia sunt simul naturâ: sed *producere* est causa, vel principium producti, & constat quòd formaliter per productionem: ergo productio illa non est sola relatio ad productum: quia tunc esset omnino simul cum ipso, & non prius, nec haberet rationem causæ.

Vltimò arguitur, & est ratio communis ad actionem ad extrà, de qua sunt prima duo argumenta, & ad actionem ad intrà, de qua sunt duo alia, & arguitur sic 5. *Metaph. c. de Ad aliquid.* Relatio secundi modi fundatur super actionem, & passionem: sed relatio non fundatur super relationem: ergo actio non est tantùm relatio. T. com. 20.

Si arguis contra hanc opinionem, quia secundùm Boëtium *lib. de Trin.* & videtur sumi ab Augustino 5. *de Trin. cap.* 10. & communiter videtur accipi à Doctoribus; in Diuinis non manent nisi duo genera, scilicet substantia, & relatio: ergo non actio vt distinguitur contra relationem. Dicitur, quòd sub relatione comprehenditur actio propriè dicta:

dicta: quia reſpectum dicit aliquem, ſed non propriè relationem. Et hoc videtur poſſe confirmari per Auguſt. 5. *de Trinit. cap.* 2. vbi excludit à Deo ſingula Prædicamenta: & tamen videtur concedere quòd ipſe ſit propriè faciens quantùm ad Prædicamentum Actionis, ſed ſine mutatione.

## COMMENTARIVS.

3 *Communis ſententia.*

c *Ad ſolutionem*, &c. Præmiſsâ partitione iam notatâ, proſequitur reſolutionem primi articuli in hoc paragrapho, præmittens ſententiam communem aliorum, nempe actionem, licèt includat reſpectum, differre tamen à genere relationis. Subiicit quinque rationes ad concluſionem affirmatiuam, probans actione diſtinctâ à relatione fieri conuerſionem. Primò, quia ſi conuerſio fieret in non præexiſtens, eſſet mediâ actione, ſed quòd fiat in præexiſtens non eſt minoris virtutis, & actionis: ergo; &c.

*Actionem nõ eſſe relationẽ. Prima ratio.*

*Secũda ratio.*

Secundò, quia creatio eſt actio, non relatio, aliàs *creare* eſſet *referri*: ſed hæc conuerſio æquiualet creationi, quia poſſet eſſe in non præexiſtens, quod reciperet *eſſe* per creationem: ergo non eſt relatio, ſed actio.

*Tertia ratio.*

Tertiò, quia Deus habet actionẽ ad intrà diſtinctam à relatione, aliàs *generare* eſſet tãtùm *referri*.

*Quarta ratio.*

Quartò, producens, inquantùm talis eſt cauſa producti, eſt prior illo ad intrà: non ita relatiuum eſt cauſa correlatiui, quia ſunt naturâ ſimul: ergo non conſtituitur producens relatione.

4 *Vltima ratio.*

Vltimò, relatio ſecundi modi fundatur ſuper actione & paſſione, ſed relatio non fundatur in relatione: ergo, &c. Quòd autem aſſeritur ex Boëtio, Auguſtino, & aliis duo genera manere in Deo, nempe Subſtantiæ, & Relationis: ergo non manet genus actionis ab his diuerſum. Reſpõdetur comprehendi actionem ſub relatione, quia dicit reſpectum: licèt ſit diuerſa à relatione. Secundùm hanc ſententiam ponitur actio in aliquo abſoluto, quod moderni communiter appellant modum, qui dicit relationem tranſcendentalem, ſicut de aliis ſex Prædicamentis philoſophantur, & ſtatuunt eam in paſſo.

*Actionem ſub relatione cõprehendi.*

## SCHOLIVM.

*Pro declaratione quæſtionis oſtendit actionem non eſſe quid abſolutum, quia ſequerentur duo abſurda. Primum, actionis dari actionem, & ſic proceſſum. Secundum, ſi ponatur in agente illud prius mutare ſe, quàm paſſum. Item, ſi ponatur in paſſo, hoc non poſſe pati ſecundùm quantitatem, vel qualitatem, quin ſimul, vel priùs accipiat aliam formam abſolutam, ſcilicet actionem.*

5 *Digreſſio de actione.*

Ad huius autem d difficultatis intellectum, vt actio diſtingui itur contra relationem, an conueniat Deo ad intrà, vel ad extrà generaliter, & ex hoc ſpecialiter in propoſito, oportet videre rationem actionis, ſecundùm quòd ponitur diſtingui à relatione. Actio enim non poteſt poni aliquid abſolutum, ſecundùm quòd ponitur genus vnum illorum decem diſtinctum. Probatio, quia tunc eſſet noua forma, & tunc ſequerentur duo inconuenientia. Vnum generale, ſcilicet quòd ad actionem eſſet actio, & ſic in infinitum, & eſt ratio Ariſt. 5. *Phyſic.* quâ probat, quòd ad actionem non poteſt eſſe motus. Qualiter autem hoc ſequatur, patet, quia ad formam abſolutam nouam poteſt eſſe aliqua actio: quia illa forma non eſt à ſe, nec à nihilo: ergo eſt ab aliquo agente. Secundum inconueniens ſpeciale, ſcilicet diſtinguendo de ſubiecto, in quo poneretur: ſi eſt in agente, ergo omne agens antè mutaretur ſecundùm formam abſolutam, quàm paſſum mutaretur ab ipſo: quia paſſum non mutatur ab ipſo, niſi iam habente actionem: agens autem ad hoc, quòd habeat iſtam actionem, cùm ſit forma abſoluta noua, oportet quòd mutetur ad ipſam.

*T. com. 13. Si actio eſſet abſolutum, actione fieret, & ſic proceſſus.*

Reſpondetur quòd non, quia motus eſt actus entis in potentia paſſiua: actiuum autem antequam agat eſt in potentia actiua, & ideò exitus eius de hac potentia ad actum, non eſt motus, nec mutatio.

6 *Arguitur, actionem non eſſe abſolutum.*

Contrà, ſi actio eſt forma abſoluta, & noua in agente, neceſſe eſt quòd habeat aliquod ſuſceptiuum, quia non eſt per ſe ſubſiſtens: tunc enim nihil diceretur formaliter agens per ipſam, ſicut nec aliquid dicitur formaliter quantum per quantitatem ſeparatam: ſuſceptiuum autem habet aliquam potentiam ſuſceptiuam, vel paſſiuam reſpectu ſuſceptibilis: ergo actiuum ante actionem erit in potentia paſſiua ad actionem. Et quod habet potentiam paſſiuam quandoque ſub priuatione, quandoque ſub forma mutatur propriè: ergo ſequitur propoſitum, quòd agens propriè mutetur.

Quod autem adducitur ibi, quòd actio eſt actus potentiæ actiuæ, verum quidem eſt ſimpliciter: ſed difficile eſt hoc ſaluare ſecundùm iſtam hypotheſim, ſcilicet ſupponendo, quòd actio ſit quid abſolutum in agente: non enim poteſt eſſe potentiæ actiuæ, vt ſuſceptiuæ:

ſuſceptiuæ:quia hoc eſt contra rationem potentiæ ſuſceptiuæ, vel paſſiuæ:nec poteſt eſſe eius vt elicitiuæ. Probo, quia non vt ab ipſa,quod eſt propriè *eſſe* eius vt actiuæ: quia tunc actiuum,vt actiuum per formam abſolutam priorem actione iſtâ, actiuè ſe tranſmutaret ad iſtam actionem: & tunc eſſet quæſtio adhuc vlterior, quo aliquid tranſmutaret ſeipſum ad illam priorem actionem, & ſic in infinitum. Sed tenendo iſtam hypotheſim, oportet dicere, quòd actio, licèt ſit potentiæ actiuæ, qualitercumque tamen eſt actus alicuius potentiæ paſſiuæ: quia hoc eſt vniuerſaliter verum de omni forma, quæ non eſt ſeparata ab omni ſuſceptiuo.

Si etiam dicatur ſecundùm hanc hypotheſim, quòd ſit in patiente, ſequitur etiam inconueniens, ſcilicet quòd non poteſt aliquod paſſum pati ſecundùm formam de genere Quantitatis, vel Qualitatis, quin ſimul duratione,& fortè priùs naturâ patiatur ſecundùm formam abſolutam alterius generis,ſcilicet ſecundùm actionem, quæ ponitur forma abſoluta alia à qualitate, & quantitate. Conſequens videtur inconueniens, maximè de forma priori, & poſteriori, quòd non poſſit ſubiectum pati ſecundùm formam abſolutam priorem, niſi patiatur ſecundùm formam poſteriorem,quæ non eſt propria paſſio prioris; patet, quia albedo poteſt manere in ſubiecto poſt actionem tranſeuntem. Sic ergo probata eſt hæc negatiua, quòd Actio vt ponitur genus diſtinctum contra alia nouem genera,non eſt forma abſoluta noua,neque in agente,neque in patiente. 7

Nec poteſt poni forma abſoluta, ſed non noua, imò coæua illi,in quo eſt,propter duo vt priùs. Primum eſt vniuerſale, quia tunc actio eſſet,& non circa aliquod paſſum;quod videtur eſſe contra rationem actionis,quia ſecundùm auctorem Sex Principiorum,Actio requirit non ſolùm,quòd agat,ſed in quid*agat. Videtur etiam hoc probari ratione,quia non vniformiter eſt actio quando nihil agitur, & quando aliquid agitur: quia ſi quando nihil agitur, agens æquè agit,ſicut quando aliquid agit: ergo non eſt maior ratio quare illud poſtea ſit quàm modò, non enim aliquid fit, niſi quia agens agit: & per te nunc ita agit, ſicut poſtea, quando res accipit *eſſe*. Vnde breuiter non videtur intelligere rationem actionis, qui ponit eam ita abſolutam, quòd ſimpliciter nullum reſpectum habeat ad productum,vel paſſum: imò nec actionis in Diuinis eſt.quin ſemper per eam aliquid, vel aliquis accipiat *eſſe*:nec Deus ſemper egit actione ad extrà æquè ante mundum, ſicut in creatione mundi. *C. de actione.* **Al.in quo.*

Secundò etiam diſtinguendo vt priùs de ſubiecto; quia ſi ponatur forma abſoluta, vt coæua illi in quo eſt,& cum hoc in agente, ſequitur quòd nunquam aliqua actio incipit, vel deſinit eſſe, niſi quando forma actiua ad illam actionem incipit, vel deſinit: & tunc quamdiu calidum eſt calidum, manet calefactio: & per conſequens quando calidum impeditur à contrario, æquè agit, ſicut quando non impeditur: & quando terminus actionis eſt inductus in paſſum, ſemper poſt æquè manet actio ſicut ad inducendum terminum. Ponere autem actionem eſſe formam abſolutam,& in paſſo coæuam ſibi eſt omnino irrationabile: quia deſtructo agente adhuc eſſet actio eadem in paſſo: ſimul etiam pateretur idem paſſum à contrariis actionibus, ſi poteſt ſucceſsiuè à contrariis agentibus pati. Ex his ſequitur, quòd ſi actio eſt genus diſtinctum, ipſum vt ſic, per ſe non dicit niſi reſpectum. Vlteriùs, ſi omnes reſpectus habeant vnam rationem communem quiditatiuam reſpectus,non poneretur niſi vnum genus reſpectiuum, & ita non niſi quatuor Prædicamenta. 8 *Si actio eſſet forma abſoluta, nõ minùs eſſet, quando agẽs impeditur ab agendo, quam quando agit.*

## COMMENTARIVS.

5 d AD *huius autem difficultatis intelligentiam*, &c. Reſoluit in hoc paragrapho actionem conſiſtere in relatione, contra primam ſententiam, non verò in abſoluto: & paragrapho ſequenti eam ſubiectari in agente, non in paſſo.

*Prima concluſio,eſſe relationem.*

Concluſio ergo eius prima eſt, *Actionem non eſſe abſolutam,ſed relationem.* Probat primò, quia ſi eſſet forma abſoluta, ſequeretur quòd ad actionem daretur actio,& ſic in infinitum contra Philoſophum 5.*Phyſic.com.*13. qui hac ratione probat ad actionem non eſſe motum,quia eſſet proceſſus in infinitum. Probatur ſequela, quia omnis forma abſoluta realiter diſtincta à ſubiecto non eſt à ſe,neque à nihilo; ergo ab agente: ergo mediâ actione,& dependentia ſui.

*5.Phyſic. Ad actionem non eſſe actionem.*

Ad hanc rationem reſpondetur,non vrgere de forma abſoluta, quæ eſt actus productiuus, quia in ea eſt ſtatus,& immediatè exit à virtute actiuâ. Nam perinde eadem ratio vrget etiam de relatione,ſi ea ponatur actio, quia non eſt à ſe: ergo ab aliquo agente:ergo mediâ actione. Contrà, hæc ratio magis vrget in forma abſoluta, inquantùm abſoluta non eſt ad aliud, ſed tantùm ad ſe: omnis autem effectus vt ſit eſt ad aliud à quo fit: ergo per aliquid ſuperadditum, non abſolutum, ſed relatiuum:ergo mediante hoc reſpicit præcisè agens,& virtutem actiuam eius vt principium, & conſequenter ſecluſo hoc non reſpiceret: ergo relatio illa erit ratio ſecundùm quã eſt ab agẽte,& conſequenter erit actio,ſeu influxus agẽtis in ipſa.

*Reſponſio.* *Retorquetur.* *Impugnatur.* *Abſolutum non eſſe ad aliud.*

Patet

*Quomodo actio, & effectus reducuntur ad suam causam.*

Patet consequentia, quia nihil potest reduci in virtutem causæ, nisi effectus & actio; si est effectus, mediatè reducitur, nempe mediante actione, si actio, immediatè reducitur, sed illud absolutum non reducitur seipso immediatè in virtutem agentis: ergo erit effectus proprie, qui mediante relatione illâ tanquam sui dependentia ad virtutem agentis reducitur.

6 *Dependentia effectus terminata ad causam.*

Dices esse eandem sibi realiter illam relationē. Contrà, hoc non impedit quin sit actio, seu dependentia per modum actionis; & productionis sui, quia relatio creaturæ ad Deum, ita etiam identificatur realiter creaturæ; est tamen productio passiua eius, quâ terminatur creatura vt effectus, & eius dependentia ad Deum, & vniuersaliter omnis dependentia ad causam in quocumque genere est causatio dependentis causati ad causam, vt accidentis inhærentia ad subiectum; & sic de reliquis, atque seclusâ illâ nullus est influxus causæ, aut ordo effectus ad causam, aut causæ ad effectum.

7

Eadem ratio potest etiam fieri de actione, quâ est ordo causæ ad effectum: quia absolutum inquantùm absolutum, nequit esse ratio referendi causam ad effectum, vel attingendi ipsum effectum per virtutem causæ; ergo illud absolutum, quod ponitur actio, nequit, quâ absolutum est, esse formalis ordo causæ ad effectum, aut effectus ad causam, ac proinde nequit esse actio in passum, aut productio in terminum.

Hæc inconuenientia non vrgent in relatione, quæ immediatè est inter extrema, & seipsa ordinat extrema ad inuicem, in quo ordine, quà talis est, secundùm speciem, consistit actio, quæ exigit agens & passum, producens, & productum: superfluit ergo omnis ratio formæ absolutæ ad hunc effectum. Et sicut aliàs *suprà quæst. 3. præced. distinct.* dictum est de inhærentia actuali, non debet poni aliqua perfectio in causa, quæ præcisè exigitur necessitate effectus, quam non exigit conceptus formalis effectus in se.

Et ne in hoc ampliùs inhæreamus, huc transferri possunt ea, quæ ibi dicta sunt, quæ perinde huic quæstioni deseruiunt, mutando dependentiæ genus, nempe formæ ad subiectum, independentiam effectus ad causam efficientem, & causalitatem efficientis ad ipsum.

8 *Secunda probatio conclusionis.*

Probat secundò, quia si est in agente, ergo omne agens priùs muraretur secundùm formam absolutam in se, quam mutaretur passum ab ipso, quod est inconueniens, quia non priùs est agens in actu secundo, quam passum: licèt enim in exercitio, motus incipiat ab efficiente, nequit tamen concipi vt efficiens & trāsmutans, quin concipiatur passum vt patiens, actio vt est ad terminum: quia actio causæ creatæ nequit esse nisi dependenter à subiecto: & actio secundùm authorem de sex Principiis requirit id quod agat, & id in quod agatur.

*Agens non priùs est agēs, quàm passum recipiens.*

Sequela probatur, quia si actio consistit in forma absoluta, quæ est in agente, necessariò agens mutatur ad ipsum, inquantùm est eius susceptiuum, & est sub priuatione eius, in actu primo, & tempore priùs, quàm agat.

Dices, hæc ratio perinde vrget mutationem agentis etiam per formam relatiuam, quæ supponit sui priuationem. *Responsio.* *Impugnatur.*

Contrà, vis rationis non consistit in hoc, sed in eo, quòd agens transmutaretur antequam passum transmutaretur: quod sequitur peculiariter in eo, quòd diceretur actio forma absoluta, quia quantumcunque se habet agens aliter in ordine ad se per formam absolutam, non concipitur passum se habere aliter per talem formam, neque per virtutem agentis transmutari. Sed non ita est de forma relatiua, quæ nequit concipi in *esse*, nisi sit huius fundamenti, cuius est, ad aliud, ad quod est, & sic nisi sit agentis ad passum. *Si actio est absoluta prius agens, quàm patiēs.*

Dices, quamuis agens diceret relationem ad passum: non sequitur passum se aliter habere. Respondetur, non sequitur ex communi ratione formæ respectiuæ, quando non est mutua relatio, sed ex ratione particulari huius formæ sequitur, quia habet concomitantem passionem, vt correlationem, & vtraque simul sunt. Et quia hæc relatio ex specie sua est actus productiuus termini; agens enim non aliter se habet ad passum, nisi passum aliter se habeat ad agens. *Responsio.* *Impugnatur.* *Actio & passio simul sūt.*

9

Si dicatur actio esse in passo, sequitur aliud inconueniens, nempe quòd subiectum nunquam pateretur secundùm formam absolutam de genere Quantitatis, & Qualitatis, quin concomitanter patiatur secundùm formam alterius generis absolutam, nempe Actionis: hoc autem esse inconueniens videtur, quia quantitas, & qualitas sunt formæ priores manentes transeunte actione. *Responsio.* *Impugnatur.* *Aliud inconueniēs si actio sit in passo.*

Dices, hoc non esse inconueniens, quia idem dicendum, etiamsi actio poneretur forma respectiua; magis enim inconueniens est, vt constituendo actionem in aliquo, quod imperfectius est, concomitetur has formas, quàm si dicatur esse absolutū. *Euasio.*

Contrà, hoc non est inconueniens, imò necessariū, quia absolutum ad absolutum nequit se habere aliter, nisi mediante respectiuo, neque etiam inesse, si distinguatur realiter, & insit per modum formæ; hic enim effectus est relationis, vt sit ordo inter absoluta, sed id non competit absolutæ formæ: ergo si actio esset forma absoluta, sequeretur inconueniens præmissum, quod non est inconueniens in forma relatiua. Tertiò tandem probat actionem non posse dici coæuam agenti, & ratio est in se manifesta. *Impugnatur.* *Relatio ordo inter absoluta.* *Tertia probatio.*

## SCHOLIVM.

*Saluat famosam diuisionem Prædicamentorum in decem genera per diuisionem respectus in intrinsecum & extrinsecum: ostendit actionem esse respectum, & subiectatum in agente, vt in subiecto, in potentia actiua, vt in fundamento, & probat tripliciter: ait etiam passionem esse respectum subiectatum in passo, correspondentem actioni. Item, ponit tres respectus in agente, scilicet ad productum totale, ad eductum, vel inductum, quod est partiale, & ad subiectum huius, quod est transmutatum. Duo primi sunt intrinseci, & de genere Relationis: tertius extrinsecus, & constituit genus Actionis, vel Passionis.*

Si

Si ergo [e] debet saluari illa famosa diuisio Prædicamentorum, quia secundùm Auicennam, 3. *Metaphys.* cogimur obseruare illam diuisionem Prædicamentorum famosam, quâ dicuntur esse decem generalissima, cogimur, inquam, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facilè contradici, necesse est dicere, quòd respectus habeat sufficientes rationes formales: sufficientes, inquam, ad distinctionem generum: hæc autem differentia sufficiens ad istud, quæ probabiliùs colligitur ex dictis auctorum, est respectus extrinsecus, & intrinsecus aduenies; vt ille dicatur intrinsecus aduenies, qui necessariò consequitur ambo extrema in actu posita, vel, quod idem est, necessariò consequitur suum fundamentum termino non excluso, sed posito. Extrinsecus autem est, qui non consequitur necessariò extrema etiam ambo simul in actu posita. Et tunc illa sex principia, de quibus agit auctor sex Principiorum, pro tanto non sunt species relationis, quia relatio dicit respectum intrinsecus aduenientem: illa autem dicunt respectus extrinsecus aduenientes: actio ergo erit respectus extrinsecus aduenies. 9

*Quid respectus intrinsecus aduenies.*

*Quid extrinsecus respectus.*

*Cui aduenit actio.*

Sed cui? Videtur quòd passo: quia 3. *Physic. text.* 22. vult Philosophus, quòd actio, & passio fundantur in motu: motus autem est in passo: & quòd non distinguitur formaliter, nisi per *esse* ab hoc, & in hoc.

*Varr. lib. 2. dist. 1. q. 5. & in materia de Eucharistia, q. vlt.*

Sed contrarium videtur, quia in eodem est respectus, & fundamentum (ratio fundamenti, vt videtur, hoc ostendit) sed potentia actiua, quæ est fundamentum actionis, est in agente: ergo. Item, in eodem non sunt respectus oppositi saltem ad idem, nec vniuersaliter necessariò simul: passio autem, vel respectus passionis vniuersaliter est in passo: non ergo necessariò in eodem est respectus oppositus actionis. Item, in quocumque est forma aliqua, illud est simpliciter tale secundùm formam illam: omnino enim irrationabile videtur, quòd forma sit in aliquo, & non constituat ipsum informatum secundùm ipsam: ergo si actio est formaliter in passo, passum erit formaliter agens.

*Forma denominat subiectū in quo est.*

Dicatur [f] ergo, quòd actio est respectus extrinsecus aduenies, & in agente vt in subiecto: in forma autem quæ dicitur potentia actiua, vt in fundamento proximo. Similiter passio dicit respectum oppositum correspondentem isti, & in passo vt in subiecto, & in potentia passiua, vt in fundamento proximo. 10

*Actio est in agēte vt in subiecto, in potentia actiua, vt in fundamēto.*

Vlteriùs in speciali agens creatum habet respectum ad terminum primum, siue totalem, qui dicitur productum: & ad terminum, qui dicitur forma educta, vel inducta: & ad subiectum illius formæ, quod est passum, vel transmutatum. Quòd autem isti respectus sint alij, & alij, probatur, quia sunt ad alios terminos. Probatur etiam per aliud, quia respectus correspondentes è conuerso sunt omnino alij, & alij: respectus enim producti ad producens est sicut dependentis ad illud ad quod dependet, & hoc simpliciter secundùm suum *esse*, sicut simpliciter accipit *esse*: respectus autem transmutabilis ad transmutantem, non est simpliciter dependentis secundùm *esse*.

*Agēs respicit productum totale, inductiū, vel eductum, id est, formam, & subiectū huius, id est, transmutatum, & in hoc vltimo est actio de genere Actionis.*

Transmutabile enim secundùm suum *esse*, simpliciter concurrit cum agente, vt causa, nec accipit simpliciter *esse* ab ipso: sed tantùm accipit *esse* secundùm formam, quæ inducitur. Respectus etiam producti, & inducti, patet quòd sunt alij, etsi vterque sit dependentis à producente: quia illud primò dependet quod primò accipit *esse*, & hoc est productum: illud secundariò, vel per accidens dependet, quòd secundariò accipit *esse*, & hoc est eductum, vel inductum.

Istorum trium respectuum ex parte agentis duo primi non sunt extrinsecus aduenientes: quia vel agens non habet relationem realem ad productum, vel inductum, sicut est de Deo producente creaturam, vel aliquid in creaturis: vel si habet, necessariò consequitur fundamentum posito termino. Hoc est manifestius de respectu consequente in producto, vel educto, quòd scilicet non est extrinsecus aduenies: quia necessariò sequitur fundamentum posito termino. Ille autem respectus, qui est ad passum, est extrinsecus aduenies: quia benè possibile est actiuum, & passiuum esse, & etiam approximata, & tamen non habere istum respectum, quòd agens sit illud, à quo transmutatur, nec illud ab ipso transmutetur, vtpote si est aliquod impediens actionem: ergo actio cùm sit respectus extrinsecus aduenies, vt priùs est deductum, erit habitudo agentis ad passum transmutatum. 11

*Respectus producti, & educti, sunt intrinseci, respectus transmutati extrinsecus.*

Et hoc confirmatur per Philosophum, 5. *Metaphys.* qui definit potentiam actiuam esse principium transmutandi aliud, inquantùm aliud: sicut autem potentia actiua est principium transmutandi, ita actio, quæ est actus potentiæ actiuæ, erit transmutatio alterius, id est, passi, inquantùm alterum est. Duo autem alij respectus, scilicet productionis, vel inductionis, seu eductionis, & hoc sive actiuæ, siue passiuæ, pertinebunt ad genus Relationis propriè dictæ: quia sunt intrinsecus aduenientes.

*Text. com. 17.*

*Actio ex Philos. est transmutatio.*

10 *Diuiſio Prædicamentorũ.*

c *Si ergo debet ſaluari*, &c. Concludit ex diuiſione Prædicamentorum in decem genera celebrata à Philoſophis antiquis, relationem diuidi in illam, quæ eſt intrinſecus aduenientis, & ſequitur extrema poſita in actu; & relationem extrinſecus aduenientem, quæ præter extrema in actu poſita exigit aliquid aliud, vt inſit diuerſum ab extremis: & hæc diuiditur in ſex genera, de quibus author ſex Principiorum; & ſic actio erit relatio extrinſecus aduenies.

*Relatio extrinſecus.*

Author ſex Principiorũ.

*Obiectio.*

Dices, relationes ſecundi generis Prædicamenti *ad aliquid*, fundari ſuper actione & paſſione, quæ ſunt aliquid extrinſecum, ſeu diuerſum ab extremis: quia extrema poſſunt ſimpliciter eſſe ſine tali relatione; vt ſi effectus, verbi gratiâ, qui natus eſt eſſe, & eſt de facto ab hac cauſa, poneretur vel à Deo ſolo, vel ab alia cauſa, in cuius virtute includitur, eo caſu eſſet effectus, ſine relatione ad hanc cauſam, à qua eſt modò, etiam ipsâ exiſtente: ergo erit relatio hoc modo extrinſecus aduenies, & conſequenter non ſubſiſtet differentia præmiſſa.

11 *Soluitur. Cur relationes ſecundi modi non ſint extrinſeca.*

Reſpondetur, quòd *eſſe* alicuius importat omnia, quæ ordinantur ad ipſum *eſſe* hîc, & nunc; & conſequenter ordinem ad determinatas cauſas eſſendi, inquantùm eſt per ipſas: ideò actio quæ eſt actus productiuus, & paſſio quæ eſt cauſæ materialis cauſalitas, vel eam connotat per ſe, ſupponitur ad *eſſe* effectus; quamuis *eſſe* ſit ab his diuerſum; tamen eſt per hæc in ſuo genere.

*Quare relatio dicitur extrinſecus aduenies.*

Relatio autem extrinſecus aduenies ideò dicitur, quia non ſolùm ſupponit extrema in *eſſe*, & quidquid ordinatur ad *eſſe* determinatum ipſorum; ſed vlteriùs requirit aliquam determinationem poſteriùs aduenientem, quæ eſt accidentaria extremis, inquantùm ſunt, & poſteriùs aduenies ipſis in *eſſe*.

*Relationes ſecundi modi ſupponunt actionẽ, &c. vt ordinem determinatum cauſarum.*

Non ita ſe habent relationes ſecundi modi, quia licèt extrema ipſorum poſſint eſſe, ſimpliciter loquendo, ſine ipſa, ſi effectus eſſet modo dicto ab alia cauſa: tamen vt ſunt hoc determinato modo, nequeunt eſſe ſine relatione fundata in hoc determinato *eſſe* effectus: cùm ergo ſupponant actionem & paſſionem, eas ſupponunt, tanquam rationes per quas ſeruatur ordo cauſarum per ſe, vt infrà explicabitur ad effectum ponendum, non verò vt aliquid poſterius, & accidentaliter aduenies; ſicut eſt illud, quod ſupponit relatio extrinſecus aduenies, vt actio applicationem; *vbi* indiſtantiam loci & locati: ſitus poſitionem partium in quanto in ordine ad ſe; quâ vna pars eſt extra aliam in ordine ad locum; & ſic tempus coëxiſtentiam inter temporarium & tempus, & commenſurationem in modo eſſendi, &c. Sed hæc remittendo ad ſua loca in Metaphyſica, & Philoſophia, vbi per ſe tractantur, incidenter autem hic non vacat iam eas fuſiùs tractare.

*Relatio verò extrinſecus aliquam conditionem accidentalem.*

12 *Secunda concluſio. Actio eſt in agente. Prima ratio. Quia virtus agendi eſt in ipſo. Secunda ratio.*

Addit Doctor ſecundam concluſionem huius quæſtionis, nempe, *actionem eſſe in agente, vt in ſubiecto.* Hæc concluſio neceſſaria eſt ſuppoſitâ priori, nempe actionem eſſe relationem: & optimè probatur, quia fundamentum actionis eſt potentia actiua: ſed relatio non ſeparatur à fundamento, in quo eſt: ergo, &c.

Secundò, quia reſpectus oppoſiti non ſunt in eodem ſimul & ad idem; actio & paſſio ſunt tales, & paſſio eſt in paſſo: ergo actio non eſt in ipſo. Dices, quando idem agit in ſeipſum, eſt agens & paſſum: ergo dicit ſimul hos reſpectus. Reſpondetur, probabilius eſt iuxta illam conditionem relationis realis, quâ dicitur inter extrema realiter diuerſa, non eſſe eiuſdem ad ſeipſum relationem actionis, aut paſſionis: ſed quidquid ſit de hoc, limitatur maior per hoc, quòd addatur ſub eadem ratione, & ſic tollitur inſtantia: paſſum autem non habet niſi vnam & ſimplicem rationem cauſandi, nempe potentiæ paſſiuæ, & ſecundùm hanc comparatur ad agens, vt ab ea tranſmutatur, & mouetur, & ſecundùm eandem rationem comparatur ad terminum motus: ergo non dicit relationes oppoſitas ad agens, ſeu ad terminum ſimul. Poteſt etiam illud principium intelligi de relatione, quæ ineſt ex natura rei; non autem de ea, quæ ineſt per conditionem accidentalem diuerſam, ex qua ordo diuerſus poteſt oriri eiuſdem ad ſeipſum, non ſimpliciter; ſed iuxta diuerſas determinationes.

*Propter oppoſitionẽ actionis, & paſſionis. Reſponſio.*

13 *Tertia ratio.*

Tertiò probat, quia ſi actio eſſet in paſſo, tribueret ipſi denominationẽ vt *eſſe* agentis, vtrumque ipſi repugnat, ſicut fundamentum vtriuſque, quod eſt potentia actiua. Ad hoc inſtatur reſpondendo eſſe formas, quæ denominant extrinſecè & intrinſecè: denominatio intrinſeca paſſionis eſt in paſſo, extrinſecè autem denominat actiuam agentem: ſic dicitur Deus creator per relationem, quæ eſt in creatura, per quam ipſa creatura denominatur intrinſecè paſſiuè. Contrà, hæc ratio Doctoris ſupponit primam eius concluſionem, nempe actionem & paſſionem eſſe diuerſas, & conſiſtere in relatione. Hoc poſito, paſſio nequit tribuere nomen, aut effectum actionis, neque econtrà actio paſſionis: actio tamen ſicut eſt diuerſa in effectu formali, & ratione tribuit nomen, aliàs fruſtrà poneretur dare diuerſum effectum, vel exigeretur: nequit autem tribuere nomen agentis paſſo, neque illud referre per modum agentis, quia id conuenit actiuo: ergo benè ſequitur non eſſe in paſſo.

*Impugnatur.*

Aliqui noſtri ſumunt hinc fundamentum non dari denominationes extrinſecas, iuxta mentem Doctoris; ſed malè, quia oppoſitum docet variis in locis, potiſſimùm *in* 1. *diſt.* 30. vbi dicit Deum dici Dominum relatione ſeruitutis, quæ eſt in creatura: ad quam doctrinam, vt approbatam, ſe remittit infrà hac ipſa quæſtione, §. *Contra ea quæ dicta ſunt de actione Dei*, &c. *reſponſ. ad* 3. & §. *Ad propoſitum ergo*, &c. *in fine*: & *reſponſ. ad* 2. *pro opinione*: videatur *in* 2. *diſt.* 1. *quæſt.* 5.

*Dari denominationes extrinſecas.*

14 *Actio per modum actionis denominat agens.*

Argumentum ergo Doctoris eſt ex ſuppoſitione iam dicta, & ſic concludit non aliter, quia denominatio creatoris eſt actiua; actio enim vt coniungitur ſuo principio actiuo nequit denominare, niſi per modum cauſæ, à qua exit effectus efficienter, quia aliter ipſam non reſpicit.

*Obiectio.*

Dices, quare ergo non diceretur actio etiam ſic ſe habere, vt per modum Paſſionis denominet effectum & paſſum, per modum actionis principium actiuum, quamuis in re eſſet vna forma? quia non ſunt multiplicanda entia ſine neceſſitate.

Reſpon

*Responsio.* Respondetur ex eo quòd Prædicamenta sunt intra se realiter diuersa; & Actio & Passio, tanquam talia reducuntur directè ad suam propriam classem. Secundò, quia diuersa fundamenta realiter arguunt diuersitatem formæ relatiuæ. Tertiò, quia perinde etiam in creaturis relatio causæ, & effectus ad se inuicem sic posset constitui vna relatio ex parte solius effectus, quod non conceditur: quamuis ergo Deus sit causa actiua, nullam tamen fundat ex perfectione sua relationem ad effectum realem, siue per modum actionis, siue per modum productionis: quia immediatè suâ virtute infinitâ, seclusâ omni determinatione per modum actus secundi, vt in ipso potest attingere effectum; non ita causa secunda, quæ requirit determinationem nouam intrinsecam per modum actus secundi; & ideò desinente tali determinatione, virtus eius ampliùs nequit attingere effectum in *esse* positum; sicut virtus Dei tam in *fieri*, quàm in *facto esse* semper attingit effectum, & necessariò inquantùm est.

*Differentia inter causam primã, & secundam.*

15 Aduertendum autem est, sicut cognoscitur à nobis pro hoc statu prima causa ex creaturis, & modis causandi earum, seclusis imperfectionibus, sic etiam denominari Deum respectiuè ad creaturas secundùm proportionem seruatam in creaturis, & translatam ad primam causam, præscindendo imperfectionem, secundùm quam in creaturis saluatur ipsa denominatio: in creaturis autem denominatio sumitur ab actu secũdo causæ creatæ in ordine ad effectum per illam formam, secundùm quam terminatur & refertur virtus eius actiua ad effectum, vt per eam transit in *esse*, & forma est actio; hæc non transfertur in Deum per modum formæ, vt dixi, quia voluntas eius, seu *velle* substantiale, vt terminat eam effectus, non est medium sicut in causis creatis inter virtutem actiuam & effectum; sed est ipsum principium, à quo exit, seu emanat effectus immediatè: ideò in Deo supra virtutem non datur aliqua forma media per modum actionis, quâ dicatur agens, neque requiritur: quia ipsa eius volitio infinita continet omnem determinationem actus secundi per modum actionis sumptam: non ita virtus causæ creatæ, quæ seipsa non attingit, neque attingere potest effectum; nisi præterea accedat alia forma per modum actus secundi diuersa à virtute, & potentia actus primi, & hæc est actio eius.

Quia tamen creatura intelligitur fluere, & exire à Deo per modum effectus, & respectiuè ad Deum, intelligatur semper esse in *fieri*, id est, dependens in suo *esse*, sumitur quidam conceptus seruatâ proportione ad actum secundum causæ creatæ ab illa dependentia effectus quâ vnitur semper virtuti causæ primæ influentis *esse* illâ proportione, quâ effectus dicitur in *fieri*, vt est à causa creata producente illum actualiter, & per ipsam actionem vniri effectum, vt fit, virtuti causæ producentis. Hæc denominatio, quia nequit sumi à Deo, sumitur ex ipsa dependentia, quæ est in creatura, vt connotat suum principium, nempe voluntatem diuinam, denominat per modum actionis, & seruatâ quadam proportione mediat inter substantiam effectus, & Deum causantem: ideò non est alia similitudo inter denominationes has, nisi proportionis, non verò entitatis, aut modi.

16 f *Dicatur ergo*, &c. Concludit actionem esse relationem extrinsecus aduenientem, subiectari

*Contenta huius litera.*

in agente, fundari in potentia eius actiua; passio econtrà in passo subiectatur, & fundatur in potentia eius passiua. Distinguit actionem à relatione producentis ad productum, quæ est ad totum, & à relatione educentis ad eductum, quæ est ad formam: & hæ sunt quarti Prædicamenti, & secundi generis: *Actio verò est relatio transmutantis ad transmutatum*, nempe ad passum, quia ex Philosopho 5. *Metaphysicæ textu com.* 17. definitur potentia actiua quòd sit *principium transmutandi aliud, inquantùm aliud*, id est, passum: actus autem illius potentiæ est actio ipsa: ergo est ad transmutationem, & ad passum.

Differentia harum relationum, vt meliùs colligatur potest obiici frustrà multiplicari, quia agens, inquantùm educens formam, est transmutans passum de priuatione ad actum, neque aliter potest transmutare inquantùm etiam educens est producens, quia eo ipso, quòd forma ponatur in subiecto in *fieri*, aut *facto esse*, ponitur totum in *fieri*, & *facto esse*. 17 *Obiectio contra distinctionem allatam.*

Præterea, actio, si est præcisè respectu passi, non erit productio termini, aut via in terminum, aut causalitas efficientis, imò priùs naturâ communicatur forma subiecto in *fieri*, & *facto esse*, quàm concipitur subiectum transmutari; & seclusâ omni alia relatione habetur per hoc solùm subiectum transmutatum: ergo non datur alia relatio, quæ sit diuersa.

Præterea, virtus actiua agentis reducitur ad actum secundum per talem eductionem: ergo & potentia passiua subiecti. Præterea, debet seruari proportio inter causam secundam & primam, quantum est ad actum secundum: sed causa prima ad intrà, & ad extrà reducitur in actum per solam productionem, & non per actionem: ergo & secunda.

Respondetur hîc non esse multiplicationem entium sine necessitate; & hæc tria ab omnibus passim distingui, quia relationes educentis, & producentis manent præteritâ actione & passione, quorum *esse* est in *fieri* secundùm communem. 18 *Solutio. Distinctio præmissa sustinetur.*

Aduertendum ergo alium esse ordinem causarum ad inuicem, alium verò ordinem effectus ad causas, vel causarum ad ipsos effectus; passum dicit ordinem potentiæ passiuæ ad actiuam, inquantùm per hanc reducitur ad actum; actiua eodem modo ad passiuam inquantùm est principium transmutandi: & præterea, in ipsa sua causalitate, & effectu dependens à causa materiali: iam suppono actionem vtramque in suo rigore conuenire tantùm causæ secundæ, vt denotat dependentiam suæ virtutis in agendo à passo. *Alius ordo causarum ad se, alius ad effectus.*

His suppositis, sicut diuersa sunt extrema, ita sunt diuersæ relationes. Est ergo dependentia causarum à se inuicem, & ordo diuersæ rationis à dependentia, effectus ad causas, vel econtrà: actio autem, vt est in passum, non præscindit à termino, seu à re acta, quam communicat in *fieri*, aut *facto esse* subiecto. *Actio connotat terminum concomitantem.*

Licèt ergo actio, & eductio sint simul & concomitanter: alius tamen est ordo actionis ad passum, & inuoluit materialiter id quod communicat, seu connotat in *esse* rei: vnde in motu hæc distinguuntur, nempè ipse motus, & forma secundùm quam est motus; & dicitur terminus recipiens *esse* per motum, tanquam per rationem, quâ fit, & transit de *non esse* ad *esse*, vt est à causa efficiente vt *ab hoc*, & est à subiecto vt *Concomitantia illa declaratur.*

*in hoc :* & ſic inuoluit actionem & paſſionem, qui ſunt reſpectus actiui & paſſiui, vt priùs naturâ comparantur ad inuicem cauſæ ſecundùm proportionem actiui & paſſiui; & paſſiuum eſt in potentia, vt reducatur per actiuum in actum, & mediante actione attingit virtus agentis ſuum paſſum, ipſum actuando, ſeu tranſmutando: licèt, vt dixi, ſecundùm formam, quæ eſt in fluxu mediante virtute agentis, vt applicatur paſſo per actionem, quæ eſt ad paſſum.

*Prior eſt ordo cauſarum ad inuicem.*

Vt ergo actio eſt actus actiui, vt comparatur ad paſſum, & paſſio paſſiui, vt comparatur ad agens; ita hæ relationes ipſorum inſunt, quâ priùs naturâ dicunt ordinem immediatum ad inuicem, qui connotat illud ſecundùm quòd dicunt ordinem, nempe formam materialiter ſumptam in ratione communicati actus ab agente, & ſuccedentis in potentia quæ virtute agentis mutatur ab oppoſito priuatiuo, & terminatur eius appetitus.

19 *Explicatur in ſimili.* *Ordo cauſæ primæ, & ſecundæ.*

Vt in ſimili poteſt declarari; verbi gratiâ, in cauſa prima & ſecunda, inter quas eſt ordo eſſentialis ſecundùm actionem: nam cauſa ſecunda dependet in agendo à prima, non ſolùm ratione termini communis producti, quia ſic etiam cauſæ partiales à ſe inuicem dependent; ſed etiam in actione ipſa, quia virtus participata, & dependens in actu ſecundo eſt à cauſa prima. Hæc dependentia non eſt ipſa actio, licèt ſit ſecundùm actionem, ſed eſt ordo, & dependentia ſecundùm actionem ad cauſam primam, à qua participatur actio ipſa, quam importat actio ipſa connotatiuè, & materialiter ipſe ordo, & dependentia agentis ab agente.

*Applicatur ſimilitudo.*

Simili modo in propoſito actio connotat formam ſecundùm quam mutatur paſſum, vt fit in paſſo, tamen ipſa actio eſt ordo actiui ad ipſum paſſum, inquantùm eſt paſſum, & prior naturâ ordine agentis ad ipſam formam: quo ſenſu dicuntur relationes ſecundi modi fundari in actione, & paſſione à Philoſopho.

20 *Ordo educentis ad educti.* *Eſt poſterior priore.*

Ordo educentis ad formam eductam denotat dependentiam formæ ad educentem, quâ forma tranſit de *non eſſe* ad *eſſe* dependenter à potentia ſubiecti ſimul concurrentis in ſuo genere: hic ordo eſt poſterior priore, quia priùs naturâ cauſæ ſe inuicem reſpiciunt, & dependent à ſe inuicem, quàm reſpiciunt effectum, qui poſterior eſt ſecundùm dependentiam.

*Ordo producentis ad productum.*

Tertius ordo eſt producentis ad productum, ſiue ſit compoſitum accidentale, ſiue ſubſtantiale, quia compoſitum dicit vnionem ſaltem ſupra formam, & ab ipſa diuerſam, & ad compoſitum comparatur etiam forma ipſa, vt dat *eſſe* per modum cauſæ formalis, non vt recipit *eſſe* per modum termini à ſuis cauſis prioribus; quia perinde daret idem *eſſe*, etiamſi eſſet improducta: vnde ſequitur hunc ordinem eſſe diuerſum à priori; ex his autem, quia coniuncti ſunt, facilis eſt tranſitus de vno in alium ſecundùm fallaciam accidentis; conueniunt nempe in vno quod materialiter connotant, nempe in forma, ſecundùm quam omnia contingunt, ſeu in termino; differunt tamen in ſuo formali ſecundùm ordinem, tam formæ, quàm termini, quàm etiam cauſarum ad inuicem.

*Hic ſupponit priores. Secùndum cauſalitatem.* *Fallacia accidentis.*

Ad obiectionem ergo patet, negando hîc multiplicari reſpectus ſuperfluè, quia multiplicantur ſecundùm exigentiam extremorum. Ad primam probationem reſpondetur, negando antecedens in ſenſu formali, quia educens, inquantùm educens, eſt tantùm dans *eſſe* formæ concurrente materiâ, & eductio ex parte termini denotat ſimplicem, & propriam eius dependentiam ab efficiente ſimul cum materia: actio autem denotat dependentiam paſſi, ſeu ordinem agentis ad paſſum, inquantùm actiuum & paſſiuum ſunt, qui ordo eſt prior natura in cauſis etiam vt comparantur ad ſe inuicem in actu ſecundo, quàm ordo eorum, quà dante *eſſe* formæ tanquam termino: & hîc ordo eſt ſecundùm prioritatem dependentiæ, quæ ſupponitur inter actiuum & paſſiuum ad ordinem dependentiæ formæ ab ipſis: vnde ſicut in ipſa forma prior eſt ordo eius ad agens, quà recipit *eſſe* per eductionem ab agente, quàm ordo eiuſdem formæ ad idem agens, inquantùm ſimul concurrit cum cæteris cauſis ad effectum communem; ſic materia, inquantùm potentia actuabilis virtute agentis, priùs dicit ordinem ad agens, & agens ad ipſam, quàm vtrumque ſimul ad dandum *eſſe* formæ; priùs, inquam, ſecundùm ordinem dependentiæ; licèt ſimul concurrat hîc alius ordo ad formam ſecundùm quam tranſmutatio fit in materia.

21 *Reſpondetur obiectioni.* *Ordo cauſarum prior ſecundùm dependentiam.*

Ad ſecundam probationem, negatur antecedens cum ſua probatione, niſi intelligatur conſecutiuè: quia, ſicut dictum eſt, priùs forma recipit *eſſe*, quàm nata eſt cauſare effectum communem ſibi, & cæteris cauſis.

Ad tertiam probationem patebit in expoſitione literæ ſequentis; & pro nunc reſpondetur actionem formaliter ſumptam non eſſe productionem, eſſe tamen productionem ratione connotati, nempe formæ & compoſiti: vt iam cum Doctore explicabitur.

## SCHOLIVM.

*Ponit quinque acceptiones actionis. Primò, pro operatione. Secundò, pro reſpectu producentis. Tertiò, pro reſpectu inducentis. Quartò, pro re acta, includendo eſſe ab alio. Quintò, pro tranſmutantis reſpectu: & declarat optimè ſecundùm mentem Philoſoph. actionem propriè conſiſtere in hac vltima acceptione, ſcilicet in reſpectu tranſmutantis ad tranſmutatum, cui correſpondet paſſio, id eſt, reſpectus tranſmutati ad tranſmutans; & ſoluit loca Philoſ. quæ contraria videri poſſent.*

12 *Actio multipliciter dicitur.*

Ex 8 dictis patet æquiuocatio multiplex huius nominis *actio.* Vno enim modo dicitur de operatione, prout intellectio, vel volitio dicitur operatio, & tamen in rei veritate eſt qualitas, vt declaratum eſt *lib. 1. diſt. 3. quæſt. vlt.* Alio modo actio dicit per ſe habitudinem, vel reſpectum. Et quandoque accipitur hoc nomen *actio* pro reſpectu producentis

centis ad productum, sicut dicitur pater esse causa agens filij. Quandoque autem pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad eductum, vt calidum dicitur causa agens caloris in ligno. Quandoque etiam accipitur hoc nomen *actio* pro re acta, includendo tamen istum respectum, quem exprimit hoc, quòd est ab alio, sicut *in 3. Physic.* Aliquando etiam pro respectu transmutantis ad transmutatum, iuxta illam descriptionem lib. 6. princ. *Actio est, secundùm quam in illud quod subijcitur, agere dicimur.* *Text. 18. & 22. & circiter. c. de actione.*

Actio secundùm primam significationem est forma absoluta, & in genere Qualitatis, vt dictum est: sed iuxta secundam, & tertiam, est respectus intrinsecus aduenies, & sic propriè in genere Relationis, iuxta quartam verò præcisè est genus distinctum, vt priùs est probatum per Aristotel. 5. *Metaphys.* & per distinctionem respectuum, qui non pertinent ad genus Relationis à relationibus propriè dictis, quæ sunt in genere Relationis: & patet per descriptionem nunc adductam. *Text. com. 17.*

13

Iuxta quintam significationem, (si tamen sit significatio huius nominis, sicut communiter exponitur ibi Philosophus) patet, quòd actio, quantùm ad illud connotatum, pertinet ad aliquod genus absolutum, secundùm quod passum transmutatur, vtpote quantitatem, vel qualitatem, & huiusmodi: & sic dicit ibi Philosophus de actione, quod est opus, & finis huius, scilicet actiui: opus autem, & finis huius est ipsa forma absoluta in passo, licèt vt fluens, loquendo de agente per motum. Vnde præmittit ibi, quòd motus est actus, & actiui & passiui; actiui vt ab ipso, passiui vt in ipso: ille autem motus secundùm Commentatorem realiter est forma fluens: dicitur ergo actio ibi, ipsum actum, siue opus, vel finis agentis, inquantùm est ab ipso agente. Et quia ista duo, scilicet res acta, & *esse ab*, nihil vnum per se constituunt, si nomen *actionis* in ista quinta significatione significet conceptum per se vnum, non significabit ambo, sed alterum. Et rationabile est, quòd principaliter formaliùs significet, & connotet illud, quod est materiale, vt in aliis nominibus importantibus talia diuersa: & tunc non oportet quærere ad quod genus pertineat ratione connotati: quia potest pertinere ad tot genera, ad quot forma causata in passo ab agente. *3. Physic. text. 19.* *3. Physic. com. 4. & inde. idem 5. Physic. com. 9.*

Sed ille respectus ab alio, qui formaliter importatur per nomen actionis in hac quinta significatione, adhuc videtur æquiuocè intelligi, vel scilicet, vt *ab*, vt à producente, seu inducente, vel *ab*, vt à transmutante: & secundùm primum intellectum pertinet ad genus Relationis, sicut & ipsa productio, vel inductio passiua, vt priùs est dictum: secundùm intellectum vltimum, pertinet ad genus Passionis, sicut & transmutatio passiua. *Sumitur hic actio pro re acta cum suo respectu ab alio.*

14

Et si obiicias, quòd hoc repugnat Aristot. *in 3. Phys.* qui vult, quòd formale in actione secundùm quòd distinguitur à passione, sit esse ab alio: ergo illud non dicit respectum de genere Passionis. Respondeo, Aristot. non loquitur ibi de actione, secundùm quòd est genus distinctum contra passionem: sed de actione secundùm aliam significationem nominis, istam scilicet actum, & non vt productum, nec vt inductum: cùm enim præmisisset de actu actiui, & actu passiui; *Hæc enim actio est scilicet actus actiui: illud autem passio actus passiui*, probando primam subdit: *Opus autem, & actus huiusmodi est actio, illius autem passio:* accipit ergo ibi actionem pro opere, & fine agentis: illud autem est forma acta in passo, quæ vt fluens est motus. *Text. 19. 21. 22.*

Ex hoc patet solutio ad quandam obiectionem priùs factam ex illa litera: concedens enim Aristot. ibi actionem esse in passo, & non in agente, quia tunc agens moueretur: loquitur de actione secundùm hanc quintam significationem, non autem secundùm quòd actio est genus distinctum contra passionem: illo enim modo accipiendo actionem actione formaliter aliquid est agens, sicut relatione est relatum: & sic necesse est illud *quo* esse intrinsecum illi, quod dicitur esse tale per ipsum; sicut similitudinem esse in simili. *Hæc obiectio fuit Varron. ex verbis Philos. 3. Phys. vt paulò superiùs.*

Aliter potest dici, quod *ab hoc*, potest accipi æquiuocè. Vno modo vt est relatio opposita ei, quod est à quo aliud: & tunc debet intelligi aliquid præcedens, quod specificatur per *ab hoc*, vtpote, *qui ab hoc*, vel *quòd ab hoc*: & hoc modo *ab hoc* non pertinet ad genus Actionis, sed magis respectus oppositus, scilicet *à quo aliud.* Alio modo *ab hoc* accipitur, non vt determinat aliquid præcedens, & tunc idem est cum isto respectu *à quo*: & hoc modo concedi potest pertinere ad genus Actionis. Sed isto modo non est motus, qui est in passo, nisi tantummodò terminatiuè. *Actio in passo, secundùm Philosoph.*

15

*Actio nõ est motus, nisi terminatiuè.*

Et hoc sufficit ad saluandum verba Aristotelis ibidem. Vult enim, quòd actio, & passio sunt idem, sicut via ab Athenis ad Thebas, & è conuerso. Non intelligo quòd intelligatur ibi vna via pro ipsa magnitudine, super quam fit motus: sed pro ipso motu hinc illuc, & è conuerso, vt patet per aliud exemplum, quod posuit de distantia hinc illuc, & illinc huc, super idem spatium: vbi vult, quòd illa sint eadem materialiter propter identitatem spatij: sed alia formaliter, ita hîc, motus est illud, per quod dicitur agens per respectum *Text. com. 21.* *Quomodo actio, & passio sint idem.*

ctum ab hoc, intelligendo per hoc reſpectum *à quo*: in mobili etiam fundatur è conuerſo reſpectus ad agens.

16 *3. Phyſic. t. c. 18.*

Et iſti duo reſpectus habent aliquid idem materialiter vt motum: ſed formaliter ſunt alij, & in aliis ſubiectis. Præmiſit enim ibi in principio illius capituli de actione, quòd oportet ineſſe actum vtriſque, ſcilicet motiuo, & mobili: mobile enim eſt in ipſo *poſſe*, mouens autem in *operari*: ergo illum actum mouentis, quem ponit *operari*, vult ineſſe mouenti.

*Text. 22. Cui insũt actio, & paſſio motus eſt, explicatur.*

Et ſi obiicias quod in fine capituli dicit, quòd cui inſunt hæc, ſcilicet actio & paſſio, ſupple, motus eſt: poteſt dici, quòd alia litera habet, motus ineſt. Vel iſta litera poteſt ſic exponi: non cui inſunt, vt ſubiecto, vel fundamento: quia nec paſſio de genere Paſſionis ineſt motui, vel fundamento: quia reſpectus fundatus ſuper motum ad agens, eſt intrinſecus adueniens, cùm motus ſit forma ipſa inducta, vel educta: ſed cui inſunt hæc, alterum terminatiuè, ſcilicet actio, & alterum quaſi ſubiectiuè: quia concomitanter in eodem ſubiecto vt paſſio: quia tamen variè videtur ibi loqui de actione, & paſſione, non poteſt faciliter haberi certa intentio eius, niſi exponendo totum illud caput. Quæratur ergo ibi, quia hîc eſſet nimis prolixum.

## *COMMENTARIVS.*

21 *Quinque acceptiones actionis. Prima acceptio pro operatione. Secunda acceptio pro relatione producentis. Tertia, pro relatione educentis. Quarta, pro relatione tranſmutantis. Definitio actionis.*

g EX *dictis patet æquiuocatio*, &c. Hîc exponit Doctor quinque acceptiones actionis, ſecundùm quas contingit multiplex æquiuocatio nominis. Primò, ſumitur pro operatione potentiæ vitalis, & ſic eſt qualitas abſoluta, vt patet *ex 1. diſt. 3. quæſt. vlt.* Secundò, ſumitur reſpectu producentis ad productum; ſic dicitur pater cauſa agens filij. Tertiò, pro reſpectu educentis ad eductum, vt calidum cauſa agens calorem in lignum. Quartò, ſumitur pro relatione tranſmutantis ad tranſmutatum, vt hîc ſumitur.

Et ſic deſcribitur *in lib. de Sex Principijs cap. de Actione, ſecundùm quam in illud, quod ſubijcitur, agere dicimur*, &c. & eſt actus potentiæ actiuæ, quæ definitur à Philoſopho 5. Metaphyſ. text. com. 17. *Principium tranſmutandi aliud inquantùm aliud*: & ſic conſtituit proprium Prædicamentum.

*Quinta acceptio actionis pro re acta.*

Quinto modo ſumitur pro re acta, & ſic pertinet ad illud genus, ad quod pertinet res ipſa, ſeu terminus: ſecundùm hanc acceptionem explicat Philoſophum 3. *Phyſicor. textu* 19. de motu, vbi dicit, quòd actio eſt opus, & finis huius, id eſt, actiui; quod debet intelligi de re acta in qua conſtituitur finis agentis: vnde ibi dicit quòd *motus eſt actus actiui, & paſſiui; actiui, vt ab hoc, paſſiui, vt in ipſo.*

*Definitio motus.*

Ille autem motus ſecundùm Commentatorem eſt forma fluens, & ſic definitur etiam ibidem: *motus actus entis in potentia, ſecundùm quòd in potentia*: illa particula, *vt ab ipſo*, poteſt denotare, vt à tranſmutante, vel à producente & inducente, & vtrumque debet intelligi terminatiuè.

22 *Actio non eſt formaliter productio.*

Ex his patet actionem de genere Actionis non eſſe formaliter productionem, aut viam in terminum, prout hæc via denotat tranſitum termini de *non eſſe* ad *eſſe*: quia productio eſt reſpectus agentis ad id quod recipit *eſſe*; actio verò ad id quod tranſmutatur: via in terminum eſt, vel reſpectus producentis, vel certè ipſe terminus realiter, vt eſt in fluxu, & tranſitu de *non eſſe* ad *eſſe*: actio eſt cauſalitas efficientis reſpectu materiæ; ſed productio eſt cauſalitas eius reſpectu termini.

Ex quo patet ad reliqua obiectionis ſuperiùs præmiſſæ. Ad aliud negatur per eductionē reduci virtutem actiuam agentis formaliter in actum ſecundum, niſi præcisè, quà eſt inductiua, aut eductiua formæ; neque etiam habetur formalis conceptus tranſmutationis paſſi per eductionem, ſed habetur conceptus ſuſtentationis, quia materia ad eductionem comparatur, vt cauſa eius, quà dat *eſſe* formæ: hoc autem non eſt materiam formaliter tranſmutari, aut reduci ad actum ab agente, ſed dare ſimul cum agente *eſſe* formæ, licèt vtrumque ſe mutuò connotent.

Ad vltimum reſpõdetur in Deo non eſſe actionem, ſed productionem ad extrà; in agente verò creato intrinſecè eſt actio ſimul, & productio: vnde Deus ex ſua actualitate conſtituitur agens in actu ſecundo per principium agendi; vt eſt ad terminum, vel per denominationem extrinſecam ab effectu: non ita cauſa ſecunda, quæ requirit determinationem actus ſecundi intrinſecam ſibi, ſiue dicatur actio, ſiue productio, ſiue eductio; quæ connotant idem quidem materiale ex parte rei, quæ fit; tamen ſunt diuerſi reſpectus ad diuerſos terminos, & ſecundùm ordinem dependentiæ per ſe diuerſum propter identitatem rei connotatæ ſæpè ſumuntur pro ſe inuicem.

## SCHOLIVM.

*Ad ſolutionem quæſtionis prima concluſio: tantùm transferuntur genera in Deum, ſubſtantia & relatio; & ſic actio de genere Actionis in Deo non eſt. Pro hac eſt Auguſt. Boëtius, & alij, quos citat Doctor 1. diſt. 8. quæſt. 3. Ratio, quia in productione totali ad intrà, vel extrà non eſt paſſum, nec correſpondet paſsio, quæ ſit reſpectus extrinſecus adueniens: ſi etiam Deus producat partialiter, fortè non erit actio, quia non reſpectus extrinſecus. Nam reſpectus creaturæ ad Deum intrinſecus eſt. Deo enim per voluntatem ſuam applicato ad tranſmutabile, neceſſariò ſequitur reſpectus, ſecus eſt de agente creato quomodocumque applicato. Vide Scotum hîc n. 11. Secunda concluſio in Deo tam ad intrà, quàm ad extrà, impropriè eſt actio, quæ ad intrà, eſt realis, ſed ad extrà, rationis; de quo 1. diſt. 30.*

Ad

Ad propositum [h] ergo in speciali dico, quòd si quæ ad diuina transferuntur genera, quod est expositum *in primo lib. dist.* 8. *q.* 3. non transfertur aliqua actio de genere Actionis, & hoc ad intrà: vt sic quantùm ad omnia intrinseca simpliciter sit illa propositio vera, scilicet quòd tantùm sunt ibi duo genera, scilicet relatio, & substantia. Neque etiam conuenit Deo aliqua actio de genere Actionis respectu cuiuscumque totaliter producti, cuius scilicet non præcessit aliqua pars potentialis. 17

Et probatio communis tam de productione ad intrà, quàm de productione totali ad extrà, (cuiusmodi est creatio) ista est: quia vbi est totalis productio, non de aliquo passo, seu potentiali, ibi deficit illud quod requiritur ad actionem propriè dictam, quæ semper est in passum, secundùm Philosophum 5. *Metaph.* & Auctorem principiorum, sed nec Pater producit Filium de aliquo potentiali, vel quasi potentiali, vt ostensum est 1. *lib. dist.* 5. *q.* 2. nec creat de aliquo passo transmutato. Alia communis probatio est, quia actioni correspondet passio propriè dicta, quæ scilicet est respectus extrinsecus adueniens, sicut & ipsa actio. *Generatio Filij non est actio de genere Actionis. T. com.* 17.

In Diuinis autem ad intrà nullus potest esse respectus extrinsecus adueniens, quia quilibet summè necessariò oritur ex natura fundamenti: nec ibi, nec in creatione potest esse respectus passionis extrinsecus adueniens, quia productum siue extrà, siue intrà summè necessariò refertur ad producentem. De *intrà* non est dubium, sed de *extrà* probo, quia impossibile est aliquam relationem magis intrinsecè creaturæ inesse, quàm illam, quæ est ad creatorem, in tantùm, quòd illa est idem realiter fundamento, vt ostensum est *lib.* 2. *dist.* 1. *q.* 4.

Est tamen tam ad intrà, quàm ad extrà in totali productione actio aliqua diuina, accipiendo actionem, non pro aliquo de genere Actionis, sed pro aliquo correspondente illi actioni de genere Actionis: sicut in producto non est passio de genere Passionis, sed passio æquiuocè dicta, ad passionem correspondentem actioni de genere Actionis. 18

Et ista æquiuocatio nominis *actionis* dicta est priùs, cuius similis potest correspondere in nomine *passionis*. Vnde productio actiua, vel actio in Diuinis est tantùm actio, relatio realis tamen, similiter productio passio: ad extrà autem productio actio est relatio rationis, & è conuerso productio passiua relatio realis, sicut dictum est 1. *lib. d.* 30. *Productio Dei ad intrà, relatio realis, ad extrà, relatio rationis.*

## COMMENTARIVS.

23 h *AD propositum ergo*, &c. Excludit actionem propriè dictam à Deo ad intrà, & etiam ad extrà, vt producit independenter à materia: quia ad intrà omnia ex natura extremorum necessariò se habent, & non per aliquid extrinsecus aduenientes; ad extrà verò etiam effectus necessariò se habet ad primam causam, & ex modo productionis excluditur concursus potentialis, secundùm quòd resultat actio & passio: ad intrà tamen, & extrà est aliquid correspondens suo modo passioni & actioni, quod æquiuocè dicitur actio & passio, nempe ipsa productio actiua, & passiua. An autem Deo correspondeat aliqua passio in materia, vt simul cum causa secunda eam transmutat, respondet §. sequenti, in quo id affirmat.

## SCHOLIVM.

*Actionem conuersiuam panis videri propriè proportionaliter actionem, eique correspondere passionem in corpore Christi, de quo* sup. d. 11. q. 3. & 4. *& sic genus Actionis aliquo modo proportionali transfertur in Deum ad extrà, tenendo transsubstantiationem esse adductiuam.*

Sed [i] in posito de ista conuersione, nunquid ponenda est ibi actio diuina? Dico quòd sic, accipiendo *actionem* pro relatione rationis: sed de actione correspondente actioni de genere Actionis magis est dubium. Si enim ibi tantùm conuertatur substantia in substantiam, ita quòd transsubstantiatum ibi sit nihil, non potest ibi saluari passio propriè dicta, nec per consequens actio. Sed si ponatur secundùm aliam viam, quam suprà posui, quòd hîc conuersio est substantiæ panis vt hîc, in corpus Christi vt hîc, & sic sit ibi corpus Christi passum recipiens præsentiam nouam; tunc potest dici, quòd hîc est propriè passio in corpore, & ita actio correspondens proportionalis actioni de genere Actionis; nec ista repugnat Deo. Potest enim Deus transmutare aliquod passum, sicut natura potest: & ita transmutatio passiua est passio propriè, & actiua est actio correspondens generi Actionis, non tantùm relatio: & tunc oportet dicere quòd genus Actionis aliquo modo secundùm prædicationem proportionalem possit ad Deum transferri, sed non ad intrà. 19 *d.* 10. *&* 11.

Harum[k] duarum ſententiarum prima videtur difficilior, imò non videtur bènè intelligibile, quomodo ſit aliqua noua actio realis ſine termino, & ad minùs aliqua realis relatio noua ſine forma abſoluta: hîc autem exceptâ deſtructione panis, cuius terminus *ad quem* eſt *non eſſe* panis, prout eſt aliqua verſio poſitiua, non habet talem formam abſolutam ſecundùm omnes, in corpore Chriſti: relationem ergo realem nouam ad minùs oportet ponere ibi, & hoc ad agens: nec videtur quòd illa poſſit eſſe noua, niſi aliquid realiter ſit nouum in illo corpore, propter quod magis nunc dicatur terminare actionem realem Dei, quàm priùs.

*Hæc relatio eſt vbi, ſeu eſſe hic.*

## COMMENTARIVS.

24 i *Sed in propoſito de iſta conuerſione*, &c. Hîc tandem, explicatâ hactenus naturâ actionis, & paſſionis in creatis, & vt ſecundùm proportionem transfertur in Deum, reſoluit quid dicendum ſit in propoſito de conuerſione, & eſt concluſio principalis huius articuli. Dicit ergo primò dari actionem rationis, nempe voluntatem Dei, quâ mutat vnam ſubſtantiam in aliam; Deo enim ſoli competit mutatio totalis ſubſtantiæ in ſubſtantiam, iuxta dicta *diſt.* 11. *quæſt.* 6.

*Actio etiam & tranſmutatio eſt a Deo per modum productionis.*

Quantùm autem ad actionem productiuam, & correſpondentem actioni de genere Actionis, ſi ponenda ſit, reſpondet, tenendo hîc eſſe conuerſionem per tranſſubſtantiationem adductiuam dari talem actionem, nempe productionem nouæ præſentiæ in corpore Chriſti, in quo eſt paſſio propriè dicta per modum tranſmutationis, neque hæc repugnat Deo: poteſt enim tranſmutare aliquod paſſum, ſicut natura tranſmutat; ita vt tranſmutatio paſſiua ſit paſſio propriè dicta; actiua verò ſit actio per modum productionis.

*Paſſio cui non correſpondet actio propriè dicta.*

Vnde ſequitur quòd prædicamentum Actionis poſſit in Deum transferri, ſed non ad intrà, inquantùm ſcilicet paſſio, quæ eſt in materia, eſt à Deo: vnde ſequitur paſſionem, quæ ſit de genere Actionis, dari poſſe ſine actione, quæ ſit de eodem, licèt non ſine actione, quæ ſit productio paſſiua formæ, ſecundùm quam eſt paſſio. De vtraque ſententia ſatis dictum eſt *ſuprà d.* 10. *quæſt.* 3. & 4. & *in commento vtriuſque quæſt.*

k *Harum duarum ſententiarum*, &c. Intelligit primam, quæ eſt aliorum, nempe conuerti panem in corpus Chriſti ſine aliqua nouitate in corpore, quam ſuo loco *ſuprà* impugnat, eo ipſo quòd detur noua actio, neceſſariò dari terminũ illius, & cùm non ſit aliquod abſolutum in corpore Chriſti, qui fit præſens per conuerſionẽ, neceſſariò dandã eſſe relationẽ, quæ eſt præſentia eius noua ad ſpecies. 25 *Noua actio infert terminum nouum.*

## SCHOLIVM.

*Soluit per ſingularem doctrinam quinque argumenta adducta n. 3. & 4. pro opinione tenente actionem conſiſtere in abſoluto, & non in reſpectiuo.*

20 *Ad rationes art. 1. n. 3. & 4. Productio Dei eſt reſpectiua.*

Ad[l] argumenta contra iſtum articulum. Ad primum, cùm dicitur, relatione nihil producitur, productione aliquid producitur; hæc ratio non debet aliquem intelligentem mouere. Productio enim diuina, quâ Deus producit aliquid ad extrà, non eſt abſolutum in eo, ſecundùm omnes: quia ſecundùm nihil abſolutum in ſe, reſpicit creaturam: ergo neceſſe omnes eſt dicere illam productionem, qua dicitur Deus producens, eſſe reſpectum. Sed quid magis inconueniens eſt dicere, quòd relatione producat, quàm quòd reſpectu producat? quicquid enim videtur eſſe contra iſtud, *relatione producit*, oporteret quod acciperetur ex aliquo medio communi omni reſpectui, prout forma abſoluta in genere poteſt ſe habere ad productionem, eo modo, quo nullus reſpectus poteſt.

21 *Productio paſſiua eſt relatio intrinſeca.*

Secundò, manifeſtum eſt, quòd productum magis formaliter producitur productione paſsiuâ ſui, quàm productione actiua agentis: ſed illa productiua non eſt paſſio de genere Paſſionis, quia non eſt extrinſecus aduenies, ſed maximè intrinſecus oritur ex fundamento: ergo eſt relatio propriè dicta: ergo creatum producitur productione formaliter relatione propriè dictâ.

*Quãdo ablatiuus conſtruitur cũ concreto ſignificãte reſpectũ, propoſitio eſt diſtinguenda.*

Dico ergo ad argumentum, quòd in vtraque præmiſſa eſt amphibologia: poteſt enim ablatiuus conſtrui in ratione formalis principij proximi, vel remoti: & iſta multiplicitas vniuerſaliter accidit, quando aliquod abſtractum conſtruitur in ablatiuo cum aliquo concreto denotante reſpectum. Hæc enim eſt vera, ſimile eſt ſimile ſimilitudine, intelligendo ablatiuum conſtrui in ratione formæ proximè denominantis. Et ſimiliter hæc eſt vera, ſimile eſt ſimile qualitate, intelligendo ablatiuum conſtrui in ratione principij formalis remoti: & hæc eſt vera, calidum calore calefacit, & hæc, calidum calefactione calefacit: ſed in alio, & in alio ſenſu.

Ad propoſitum, ſi vtrobique conſtruatur ablatiuus in ratione formæ proximè denominantis, minor propoſitio eſt vera, & maior falſa: quia productio illa, quâ formaliter producitur, eſt relatio: & ita eſt ſyllogiſmus ex oppoſitis, ſicut iſte, nullus homo currit, Socrates

Socrates currit: igitur Socrates non est homo. Et nec mirum, si infert conclusionem impossibilem, imò incompossibilem, secundùm artem secundi Priorum. c.3.

Accipiendo autem maiorem negatiuam, prout ablatiuus construitur in ratione principij formalis remoti, & minorem affirmatiuam, prout ablatiuus construitur in ratione formæ proximè denominantis: sic vtraque est vera: sed tunc inferendo, quòd productio non est relatio, fit figura dictionis, mutando rationem principij formalis proximi in rationem principij formalis remoti, vel è conuerso. 22

Vel, vt magis Logicè dicatur, commutando absolutum in respectiuum. Nam principium remotum respectu cuiuscunque denominati relatione, est absolutum: principium autem proximum est respectus: & fortè posset hîc poni figura dictionis, secundùm primum modum ex simili terminatione, nec vsquam apparet alibi ita euidenter, sicut in talibus paralogismis: hoc enim est propter similem terminationem causalem, quæ ostendit similem constructionem casuum: & in hoc decipit secundùm amphibologiam, quantùm ad præmissas: apparet enim quòd possit inferri, ac si in eodem casu similiter terminata similem sententiam significarent in præmissis.

Ad secundum, non est inconueniens concedere creationem Dei esse relationem rationis, cùm necesse sit dicere creationem creaturæ non esse passionem de genere Passionis, sed relationem propriè dictam. Et cùm infers, ergo Deum velle creaturam esse, est referri: non sequitur: creare enim significat relationem passionis, & connotat actum essentialem diuinum intrinsecum, non tantùm absolutè, sed vt transit super obiectum extrà: Deum autem velle creaturam esse, principaliter dicit actum diuinum, licèt connotet transitum eius super obiectum. Modò non sequitur, quod principaliter dicit relationem, est relatio: ergo illud quod quasi fundamentaliter connotat relationem, est relatio. Vnde in forma arguendi est figura dictionis, quia mutatur *ad aliquid* in *ad se*: sicut si argueretur sic, similem esse est referri: sed album esse, est similem esse: ergo album esse est referri; nihil valet. 23 *Creatio est relatio rationis.* *Deum velle creaturam esse, quid significet?*

Ad tertium, si hæc est vera, generatio est relatio, vt ostensum est *distinct.* 27. 1. *lib.* & vniuersaliter ab abstractis tenet cõsequentia ad concreta, licèt quandoque non è conuerso nullum erit inconueniens, imò necessarium, quod *generare* erit *referri*. Sed si vis fiat in verbis, & habeatur pro inconuenienti, quòd *generare*, vel *dicere* sit præcisè *referri*. Dico, quòd inferius non est præcisè superius: quia est superius cum aliqua differentia addita: sicut homo non est tantùm animal, sed simul rationale. *An* generare *sit* referri?

Ita dico, quòd *generare* dicit relationem, sed talem, scilicet productiuam per naturam: & *dicere* relationem producendi per intellectum. & ideò *generare* non est tantùm referri, sed *referri* relatione originis fundata supra naturam fœcundam: & dicere *referri* relatione originis fundata super intellectum fœcundum. Generare *dicit relationem productiuã per naturã*: dicere *relationem productiuã per intellectum.*

Ad quartum, cùm dicitur, quòd relatiuum non est causa sui correlatiui: istud argumentum est contra omnem opinionem, nisi fortè ponentem personas absolutas. Si enim omnes Catholici concedunt ibi originem, concedunt etiam ibi principiationem personæ ad personam: vel oportet dicere, quòd relatiuum sit principium sui correlatiui: vel oportet dicere, quòd prima persona principians sit absolura à relatione ad secundam. 24 *Relatiuum esse principiũ sui correlatiui.*

Est ergo responsio, quam dixi, 1. *lib. dist.* 28. *q.* 3. quòd licèt relatiua sint simul naturâ, prout simultas dicit non posse esse sine inuicem: tamen cum hoc stat prioritas originis, quæ nihil aliud dicit, nisi à quo est aliud.

Contra hoc, aliqua possunt habere ordinem in intellectu, quæ tamen non possunt habere ordinem extra intellectum: ergo quæ nullum ordinem habere possunt in intellectu, omnino nullum ordinem habere possunt extra intellectum: sed relatiua sunt simul in intellectu: ergo, &c. Item, quod est simul, vt est simul, non est prius: sed prius origine, vt est prius origine, est simul cum posteriori, vt est posterius, quia sic sunt per se relatiua: ergo prius origine non est ptius: & idem argumentum posset fieri de priori, & posteriort naturâ.

Ad primum dico, quòd esse simul in intellectu potest intelligi dupliciter. Vel quòd illa simultas determinet actum intelligendi, vt transit super obiecta: vel quòd determinet ipsa obiecta, quæ intelliguntur. Vel aliter, & redit in idem, simultas potest dicere modum obiectorum, vt intelliguntur, siue vt comparantur ad actum intelligendi: vel modum ipsorum secundùm se. Primo modo maior est falsa, scilicet, quæ sunt simul in intellectu, nullum ordinem habent extra intellectum: quia quantumcunque illa oporteat cointelligi, non propter hoc tollitur aliquid, quod conuenit eis secundùm se, & solùm hoc modo, est minor vera. *Cointellectio aliquorum nõ tollit ordinem eorũ, inter se.*

Contrà,

Contrà, vt ſub propriis rationibus intelliguntur, habent ſimultatem omnimodam in intellectu: ergo nullum ordinem. Reſpondeo, propriæ rationes eorum habent quendam ordinem: & tamen ipſa vt habentia ordinem habent etiam ſimultatem, ſcilicet per comparationem ad actum intelligendi.

25 *Simul vt ſimul, non eſt prius prioritate oppoſitâ illi ſimultati, ſed poteſt eſſe aliâ prioritate prius.*

Ad ſecundum, propoſitio illa maior, Quæ ſunt ſimul vt ſunt ſimul, non habent ordinẽ, vera eſt, ſi ly *vt* dicat ſimultatem: & in modo ſimultatis, & cum hoc in modo ordinis, & in modo inhærendi ipſius ſimultatis, & ordinis: intelligo ſic, quòd ſicut accipitur modus ſimultatis ſecundùm naturam, & ſecundùm originem, ita accipiatur proportionaliter idem modus prioritatis, & poſterioritatis: cum hoc etiam, quòd ſicut ſimultas prædicatur de iſtis, ita ordo negetur de eis, ſcilicet quòd ſi accipitur ibi ſimultas, vt denominatiuè inhærens eis, & per hoc non negetur ordo ineſſe eis per ſe primo modo, ſed negetur eis ineſſe denominatiuè: & tunc illa minor non habet veritatem, niſi de hoc modo ſimul naturâ, & de modo inhærendi accidentali, ſeu denominatiuo.

Et concluſio vniformiter, quòd non ſunt ordinata tali ordine: & hoc vt denominata à tali ordine. Sed ex hoc non ſequitur, quin ſint ordinata per ſe primo modo. Vnde & hæc eſt vera, prius vt prius, prius eſt poſteriori, intelligendo de prædicatione per ſe primo modo: & hæc, prius vt prius, eſt ſimul cum poſteriori, intelligendo de prædicatione per ſe ſecundo modo.

Nec in talibus intentionibus generalibus eſt inconueniens vnum oppoſitum prædicari eſſentialiter de alio, & reliquum oppoſitum de eodem denominatiuè, intelligendo oppoſitum, quod ſecundùm ſui conceptus rationem eſſet oppoſitum. Sed non ſaluatur omnino oppoſitionis ratio vbi eſt difformis modus prædicationis. Exemplum huius, potentia per ſe primo modo, & potentia eſt in actu actualitate ſibi correſpondente: quia potentia quando eſt extra ſuam cauſam, non eſt in potentia ad ſuum *eſſe*: magis patet idem in intentionibus logicalibus, quia hæc eſt vera, ſingulare eſt ſingulare per ſe primo modo; & hæc, ſingulare eſt vniuerſale prædicatione denominatiuâ: & in intentionibus Grammaticis, maſculinum eſt maſculinum, hæc eſt vera per ſe primo modo; hæc autem, maſculinum eſt neutrum, vera eſt denominatiuè, vel denominatiuâ prædicatione.

26 *Relationes ſecundi modi fundãtur ſuper potẽtiam, nõ ſuper actionẽ, vel paſſionem.*

Ad quintum principale de quinto Metaphyſicæ poteſt dici vno modo ſic, quòd nulla relatio ſecundi modi fundatur ſuper actionem, & paſſionem, vt dictum eſt *lib.* 1. *diſt.* 27. ſed tantùm ſuper potentiam actiuam, & paſſiuam: quia illæ relationes quæ videntur fundari ſuper actionem, & paſſionem, non inſunt, quando actio, & paſſio eſt: inſunt etiam, quando actio, & paſſio non ſunt. Hoc patet, quando enim aliquis in creaturis generat, tunc non eſt pater, licèt poſtea quando proles formata eſt, ſicut illa proles incipit eſſe filius, ita incipit, qui genuit, eſſe pater: tamen tunc non eſt aliqua eius actio. Poſſet enim tunc vel non eſſe, vel non omnino agere aliquâ actione nouâ præter illam primam. Relatio autem non poteſt eſſe, niſi dum eſt fundamentum: & ſi fit fundamentum completum, & hoc ex vtraque parte, ſimul erit & relatio: actiones ergo illæ poſſunt habere ſe tantùm ad relationes, ſicut præuiæ diſpoſitiones ad tales relationes.

*Actiones ſe habent ad relationes ſecundi modi, ſicut diſpoſitiones.*

Saluatur ergo dictum Philoſophi ibi, quòd relationes de ſecundo modo, dicuntur ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam, vt ſecundùm fundamenta: & dicuntur ſecundùm actiones potentiarum, vt ſecundùm diſpoſitiones præuias ad illas relationes.

27

Alio modo poteſt dici, quòd Philoſophus loquitur ibi de actione, iuxta ſecundam ſignificationem nominis, prout importat habitudinem producentis ad productum: & actio ſecundùm hanc ſignificationem per ſe, dicit aliquid de genere Relationis, vt dictum eſt ſuprà. Et tunc illud ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam, debet exponi vt priùs, ſcilicet vt ſecundum fundamentum. Illud autem quod ſequitur, *& actiones potentiarum*: debet intelligi ſecundùm actiones formaliter, ſicut ſecundùm ſimilitudinem eſt ſimile: & ad iſtum intellectum aliquid illius literæ manifeſtè conſonat: ait enim, *Sicut pater filij pater, hic quidem fecit, illud autem paſſum eſt.* fecit, hoc eſt, produxit, paſſum eſt, id eſt, productum.

*Text.* 22. *&* 27. *5. Metaph. text.* 19.

Et ſi obiicias, quòd exemplificat calefactiuum ad calefactibile, & iterum calefaciens ad illud quod calefit, & ſecans ad illud quod ſecatur tanquam agentia. Reſpondeo, exponit quomodo intelligit illa verba ſtatim, dicens, *Secundùm tempora iam dicuntur ad aliquid, vt quod fecit ad factum, & facturum ad faciendum.* Hìc enim ſemper agentis eſt producens, & actum eſt productum. Et ita debet intelligi calefactiuum, pro productiuo totius calidi, eo modo quo in ſeptimo dicit totum compoſitum generari; & hoc in generationibus

per

per accidens,ſicut in generatione ſubſtantiæ. & calefactibile accipit pro toto illo poſſibili produci,non autem pro paſſiuo,vt eſt poſſibile tranſmutari. & ita calefaciens pro producente totum calidum, & illud quod calefit pro toto compoſito terminante productionem, non autem pro ſubiecto tranſmutato ad calorem; & ita de illo quod ſecatur ad ſecans.

Tertio modo poteſt dici, quòd Philoſophus non tantùm ponit ibi ſpecies relationis: ſed etiam modos,ſecundùm quos aliqua dicuntur ad aliquid,ſicut & *in cap. de Qualitate*, non tantùm ponit ſpecies Qualitatis,ſed modos. Vnde dicit,*quale* dicitur vno modo differentia ſubſtantiæ: non tamen differentia ſubſtantialis pertinet per ſe ad genus Qualitatis. Ita hîc in ſecundo modo relatiuorum poſſunt poni illa, ſecundùm quæ aliquid dicitur ad aliud,non vt ſecundùm relationem formaliter, ſed vt ſecundùm reſpectum aliquem extrinſecus aduenientem,habentem ſimilitudinem cum illo modo. Et tunc exponatur litera,actiua,& paſſiua,ſecundùm potentiam actiuam, & paſſiuam, dicuntur ad aliquid,vt ſecundùm fundamenta relationum propriè dictarum. Quod ſequitur, *& actiones potentiarum*,exponatur,ſcilicet de actionibus de genere Actionis,quòd ſecundùm eas formaliter dicuntur actiua ad paſſiua,& è conuerſo;non quidem ſecundùm relationes propriè de genere Relationis: ſed ſecundùm quoſdam reſpectus pertinentes ad ſecundum modum relatiuorum, licèt non ad genus Relationis, habentes tamen modum ſimilem quibuſdam ſpeciebus relationis;vt ſic iſta pertineant ad vnum modum relatiuorum,non autem ad aliquam ſpeciem Relationis. 28

## COMMENTARIVS.

26 *Reſpondetur argumentis.*

1 *AD argumenta contra iſtum articulum*, &c. Egregiè ſoluit,& per abundantem doctrinam quinque argumenta ſuprà facta in fauorem opinionis,quę ſtatuit actionem,& productionem conſiſtere in poſitiuo abſoluto. Ad primum,quod eſt productionem fieri actione, & non relatione: ergo actio non eſt relatio. Reſpondet inſtando contra illam minorem,& non relatione,&c. quia productio paſſiua, quâ creatura emanat à Deo, non eſt aliquid abſolutum,ſed reſpectiuum: non eſt autem magis inconueniens, quòd relatione mediâ tanquam actu productiuo paſſiuo aliquid producatur, quàm quòd mediante reſpectu aliquid producatur, quia ideò relationi repugnaret, quia per ſe differt, & quâ differt à forma abſoluta, ſi ex hoc medio non ſolùm remoueatur à relatione eſſe productionem, ſed conſequenter transfertur in abſolutam formam, quia abſolutum,quâ abſolutum, perinde excludit reſpectum, ſicut relationem.

*Relatiò eſt actus productiuus.*

Secundò,quia creatio paſſiua, per quam creatura recipit *eſſe*,eſt relatio. Oſtédit præterea committi amphibologiam,& fallaciam figuræ dictionis,vt clarum eſt ex textu. Notanda illa maxima; nempe *in concretis denotantibus reſpectum,formam in abſtracto conſtrui in ablatiuo caſu, vel vt denominat principium proximum, vel remotum.*

27 *Ad ſecundū. Creatio actiua,& paſſiua.*

Ad ſecundum, mutatur *Ad aliquid* in abſolutum ſecundùm figuram dictionis:vnde *creare*, vt dicit actum ex parte Dei, ſupponit pro actu voluntatis diuinæ,& connotat obiectum extrà, ſeu tranſitum eius in obiectum:importat autem principaliter ipſum actum, qui eſt principium effectus. (*creare* paſſiuè denotat principaliter relationem creaturæ, ſeu productionem paſſiuam eius, & connotat actum diuinæ voluntatis, vt tranſit in obiectum:creatio autem, vt eſt in termino, eſt relatio, ſeu productio paſsiua:vnde non ſequitur, ſi creatio eſt relatio:ergo *creare* eſt *referri*: tranſitur enim de creatione, vt in creatura ad principium eius,à quo eſt,nempe diuinæ voluntatis ſecundùm figuram dictionis. *Fallacia figuræ dictionis.*

Ad tertium reſpondet, quòd *generare* etiam ad intrà eſt relatio,& *generare referri* taliter,id eſt,ſecundùm ſpeciem talis relationis, nempe relatione originis. 28 *Ad tertium.*

Ad quartum,negat maiorem, & meritò, quia Pater,quà Pater,eſt cauſa Filij,& vterque,quà ſpirator, eſt cauſa Spiritus ſancti, ſumendo cauſam latè,vt extenditur ad producens. Ad minorem reſpondetur, relatiua eſſe naturâ, & cognitione ſimul,non verò origine, vt dictum eſt *in 1. diſt. 28. quæſt. 3.* Deinceps explicat, quomodo aliqua poſſint eſſe ſimul in intellectu,& non eſſe ſimul in re extrà, & tunc ſimultas in intellectu appellat modum cognoſcendi, & non modum eſſendi. Item, quomodo aliqua denominatione ſunt ſimul, vt ſubſunt reſpectui, tamen per ſe fundamentaliter ſumpta dicunt ordinem, & non ſunt ſimul, ſed vnum alteri præſupponitur, verbi gratiâ, pater & filius in creatis ſunt ſimul, quà dicunt relationem ad inuicem,non ſunt tamen ſimul ſecundùm denominata, quia vnum alteri ſupponitur in *eſſe*. *Ad quartum.* *Ordo in re nō tollit ſimultatem in intellectu.* *Simultas denominationis non tollit ordinem rei.*

Ad quintum reſpondet, exponendo Philoſophum tripliciter;primò,negando relationes ſecūdi modi fundari in actione & paſsione,vt fundamento,ſed præmitti vt diſpoſitiones quaſdam,vel conditiones fundandi. Secundò, reſponder poſſe intelligi actionem pro productione,& fundari in potentia actiua tanquam fundamento. Tertiò, quòd Philoſophus non tantùm ibi ponat ſpecies relationis, ſed modos, ſecundùm quos aliquid ad aliud dicitur. Videatur textus. 29 *Ad quintum.*

## SCHOLIVM.

*Obiicit tripliciter contra dicta n. 17. ſcilicet in Deo non eſſe propriè actionem ad intrà, vel extrà, & ſoluit perſpicuè obiecta.*

Contrà

29 Contra [m] ea, quæ dicta ſunt de actione Dei ad intrà, & actione totali ad extrà, arguo primò ſic: cuius eſt potentia, eius eſt actus, *de Somno, & Vigilia in principio*: ſed in Deo eſt verè potentia actiua: ergo ei verè conuenit agere.

*Vide Scot. 9. Met. q. 4. & Elen. q. 28. & 1. Sent. d. 1. q. 5. & Ant. Andr. 1. Met. q. 8.*

Item, dum creatura eſt, ſemper refertur ad Deum: ſed non ſemper refertur ad Deum per creationem paſſionem, quia creatio paſſio non eſt niſi in inſtanti primo, quando creatur, ſicut nec creatio actio Dei eſt niſi tunc: ergo aliquâ relatione aliâ, quàm iſtâ creatione refertur: ergo licèt illa alia, quâ neceſſariò ſemper refertur, non ſit de genere paſſionis: tamen illa creatio paſſio poteſt eſſe de genere Paſſionis, quia contingenter abeſt à creatura poſt primum inſtans. Item, creatio videtur eſſe productio realis: ſed Dei ad creaturam non eſt relatio realis: ergo creatio non eſt relatio.

*Creatio actiua relatio rationis.*

Ad primum dico, quòd ſicut hoc nomen *actio* æquiuocatur, vt ſuprà dictum eſt, ita hoc nomen *potentia actiua*. non ſolùm enim dicitur de potentia tranſmutatiua, ſed etiam de potentia productiua: & quidem Deus habet potentiam actiuam vtroque modo: & ſic poteſt conuenire ſibi actio vtroque modo, ſed ſic vna actio non erit alia.

Ad ſecundum, videtur poſſe duci ad oppoſitum, quia ſi creatio paſſio non ſemper manet, tamen ſemper manet illa habitudo, quam creatura habet ad Deum, vt ad cauſam efficientem dum creatura manet: ergo illa habitudo non eſt creatio paſſio de genere Paſſionis. Reſpondeo ergo, quòd creaturæ ad Deum, vt ad cauſam efficientem, non eſt niſi vna relatio, & coæua fundamento, imò eadem fundamento, vt patet *ſecundo libro diſtinct.* 1. & illa poteſt dici creatio paſſiua, vel ſi hoc nomen *creatio*, importat nouitatem, ſiue ordinem ad *non eſſe* præcedens, tunc oportet vti alio nomine non importante nouitatem: quia illa nouitas non eſt coæua, nec relationi ad Deum, nec fundamento: & de hoc eſt dictum *ſecundo libro, vbi ſuprà*. Ad tertiam reſponſum eſt 1. *lib. diſt.* 30. quomodo Deus realiter eſt Dominus, & tamen non relatione reali dominij.

*Relatio creaturæ ad Deũ eſt coæua ipſi. q. 5. In ſolutione principali.*

## COMMENTARIVS.

m CONTRA EA QUÆ DICTA SUNT, &c. Vide quæ habet *Quodlibeto* 12. & *in diſtinct.* 1. *quæſt.* 2. in quibus explicat reſponſionem ad ſecundum.

## SCHOLIVM.

*Poſitis tribus rationibus pro parte falſa, reſoluit creaturam non poſſe eſſe cauſam principalem conuerſionis Euchariſtiæ. de quo ſuprà d. 11. q. 1. & 2. ad primum. docet eſſentiam Dei eſſe formaliter, & fundamentaliter infinitam, attributa formaliter tantùm; relationes verò nullo modo, niſi identicè. de quo 1. d. 10. & d. 13. & quodl. 5.*

30 De ſecundo [n] articulo, videtur quòd iſta conuerſio poſſit competere alicui creato, vt agenti principali: cuius eſt ratio, quia actio competens Deo per principium agendi non formaliter infinitum, poteſt competere creaturæ: quia ſibi non repugnat actio, cuius principium ſufficiens eſt aliquod finitum, vel non infinitum: ſed Deus producit creaturam per voluntatem, quæ non eſt formaliter infinita: ergo, &c. Probatio minoris: ſi enim voluntas Dei eſſet formaliter infinita, includeret formaliter omnem perfectionem intrinſecam Deo, quia infinito nulla poteſt fieri additio: & tunc voluntas eſſet pelagus infinitæ ſubſtantiæ: quod non eſt verum, quia hoc eſt proprium ipſi eſſentiæ ſecundùm Damaſcen. cap. 9. *Qui eſt, miſit me*, &c. *Totum enim in ſe comprehendens, habet eſſe velut ſubſtantiæ quoddam infinitum pelagus, & interminatum.* & ideò præmittit ibi, quod videtur eſſe principalius nominum, quæ de Deo dicuntur, *qui eſt*. Confirmatur, quia voluntas non includit formaliter in ſe relationes: ſine illis autem non habetur totalis perfectio diuina intrinſeca: ergo nec infinitas.

*An volũtas Dei ſit formaliter infinita.*

12. *Exod. 3.*

Item, agens naturale poteſt iſtas ſpecies alterare, & tandem ex eis ſubſtantiam generare, vt patet in mixtione aquæ multæ ad ſpecies vini, & nutritione, & aliis generationibus, quæ fiunt ex iſtis ſpeciebus: ergo poteſt virtus creata conuertere totaliter iſtas in aliquam ſubſtantiam priùs non exiſtentem, & per conſequens totaliter conuertere in ſubſtantiam præexiſtentem, quia non maior requiritur virtus hîc, quàm ibi.

31 Dico tamen, quòd creatura non poteſt in iſtam conuerſionem, vt agens principale. Ratio eſt, quia in eam non poteſt niſi agens, cuius virtuti actiuæ totaliter ſubeſt *eſſe*, & *non eſſe* vtriuſque extremi. Patet ex ſolutione 1. & 2. *quæſt.* 11. *diſt.* ſed nullum creatum eſt huiuſmodi,

huiusmodi,quia quodlibet præsupponit aliquam partem ipsius termini *à quo*,& *ad quem*, vt ostensum est 1.*quæst.huius* 4.

Ad illud, quod dicitur de voluntate, dico quòd maior est probabilis, scilicet quòd principium agendi finitum, vel non infinitum, non repugnat creaturæ: & ita nec actio in quam potest per se sufficienter tale principium. Et ex hoc sequitur,quòd voluntas,vt est principium creaturæ, sit formaliter infinita.

Nego ergo minorem, scilicet quòd non sit infinita. Ratio tacta est 1.*lib.dist.*10.& 13. apparet hoc, & breuiter, quia Deus est simpliciter beatus in operationibus intellectus, & voluntatis suæ: non est autem simpliciter beatus in essentia,vt est infinita,nisi eam comprehendat: & sicut intellectus comprehendit videndo, ita voluntas suo modo oportet, quòd comprehendat amando ad hoc, quòd sit perfectè beata: & per consequens vtraque potentia, & vterque actus vtriusque potentiæ circa essentiam diuinam, vt perfectè se beatificat, erit infinitum. *Quæst. 1. Volũtas diuina est formaliter infinita, non fundamentaliter.*

Ad probationem ergo illius minoris dico, quòd in diuinis potest intelligi quasi infinitas extensiua, si intelligeretur, quasi infinita multitudo perfectionum. Alio modo infinitas intensiua alicuius perfectionis simpliciter, ita quòd illa perfectio, secundùm propriam rationem suam, sit sine limite, & termino. Et hoc secundo modo adhuc aliquid potest habere infinitatem, non tantùm formalem, sed etiam fundamentalem: aliquid autem formalem intensiuam, licèt non fundamentalem.

Dico ergo, quòd nihil vnius rationis formalis est infinitum primo modo: imò fortè nec absolutè in Deo est talis infinitas: fortè enim, sicut personæ sunt finitæ, loquendo de ista finitate, & infinitate; ita & perfectiones simpliciter sunt finitæ numero, seu suâ multitudine, & relationes, & notiones, & hæc, & illa simul iuncta sunt finita: sed infinitas intensiua formalis, & fundamentalis simul est in essentia diuina, vt essentia est, & pro tanto à Damasceno vocatur pelagus: formalis autem tantùm, non fundamentalis est in qualibet alia perfectione simpliciter: quælibet enim habet suam perfectionem formalem ab infinitate essentiæ tanquàm à radice, & fundamento: infinitas autem, neque formalis, neque fundamentalis est in relationibus quibuscumque in Diuinis, vt ostensum est *in* 1.*lib.dist.*13. quia patri melius est non habere filiationem, quàm habere. 32 *Vide q. 1. quodl.* *Et quodl.5.*

Perfectio autem simpliciter est illud, quod melius est quodlibet habere, quàm non habere.

Apparet tunc responsio, quòd licèt voluntas sit formaliter infinita, tamen non includit in se formaliter omnes perfectiones intrinsecas: quia nec essentia, nec aliquid aliud includit sic eas omnes: sed nec includit fundamentaliter omnes: sed sola essentia sic includit omnes,ideò dicitur pelagus,voluntas tamen per identitatem includit quamlibet perfectionem simpliciter, & quamlibet relationem. *Quare essentia dicitur pelagus.*

Confirmatio illa de relationibus, parùm valet, quia quantumcumque non includerentur illæ,adhuc posset ratio infinitatis saluari: isto modo intelligendo, quòd illæ nihil addunt, propter quod sit infinitas: sic enim eis circumscriptis non minùs habetur in aliquo infinitas: & illæ additæ non sunt formaliter infinitæ:& finitum,vel non infinitum additum alicui finito,non facit infinitum:sequitur propositum.Dico ergo quòd licèt voluntas non includat formaliter relationes: tamen potest esse formaliter infinita. 33 *Volũtas diuina licèt non includat relationes, est formaliter infinita.*

Et si obiicias, non includit totaliter perfectionem diuinam. Dico, etsi non totaliter extensiuè, tamen totaliter intensiuè, secundùm vnam perfectionem formaliter: sed omnes alias perfectiones, & relationes non formaliter, sed identicè; & de istis sæpè dictum est 1.*lib.dist.*8.*quæst.*4.

Ad secundum patet ex præcedente distinctione ex quatuor vltimis quæstionibus: ex quarum prima,patet quomodo istis accidentibus conuenit agere: ex tribus aliis quomodo eis conueniat pati, & corrumpi. Breuiter ergo negandum est ab agente creato posse istas conuerti in substantiam aliquam totaliter nouam, neque in mixtione, neque immutatione, seu quacumque istarum specierum corruptione, vt patet ibi; sed aliquando noua substantia succedit eis corruptis, sed non actione agentis creati, sed Dei immediatè reducentis. *Creatura nequit generare ex speciebus Eucharistiæ.*

## COMMENTARIVS.

30 *Conclusio cõmunis.* n *De secundo articulo*, &c. Conclusio est negatiua,& communis.Hæc conclusio probata est *dist.*11. *quæst.*1. & 2. quia conuersio totalis non præsupponit subiectum, quod requirit causa creata. Et si dicas saltem posset causa creata agere ad præsentiam,quæ est in corpore Christi. Respondetur negatiuè, quia neque causa creata de facto est applicata, neque de potentia absoluta applicari potest applicatione virtutis, que nequit aliquid agere ad modum essendi alicuius, nisi sit naturalis eius, & quantum, si res ipsa est quanta: vnde nequit agere ad separatio- *Transsubstantiatio à solo Deo est.*

nem accidentis, minùs autem ad modum indiuiſibilem eſſendi corporis Chriſti.

Ita etiam omnes Patres in Deum ſolum authorem hanc conuerſionem, tanquam in cauſam Phyſicam, referunt. Irenæus *lib.4. cap.34.* dicit, *indiuiſibili Spiritus ſancti operatione, & virtute fieri hanc conuerſionem.* Sic Euſebius Cæſarienſis apud Damaſcenum in parallelis lib.3.cap.45. *Per Spiritum ſanctum propoſita dona conſecrat,*&c. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 4. ad diuinam operationem refert eandem conuerſionem, ſicut & conuerſionẽ aquæ in vinum in Cana Galileæ. Theophilus Alexandrinus *epiſt.1.Paſchali.* Cyrill. Alexandrinus epiſt. ad Calofiirium: *Condeſcendens Deus noſtris fragilitatibus influit oblatis vim vitæ, conuertens ea in veritatem propriæ carnis*, &c. Damaſcenus *lib.4. Orthodoxæ fidei, cap.14.* Idem fusè proſequitur Ambroſius *lib. de Sacramentis, cap.4.* Gaudentius tractatu 2.de Exodo. *Ipſe igitur naturarum creator & Dominus, qui producit de terra panem; de pane rurſus (quia & poteſt & promiſit) efficit proprium corpus, & qui de aqua vinum fecit, & de vino ſanguinem ſuum,*&c. Auguſtinus *lib.3.de Trinit. cap.4.* loquens de eodem Sacramento: *Quod*, inquit, *cùm per manus hominum ad illam viſibilem ſpeciem perducitur, non ſanctificatur vt ſit tam magnum Sacramentũ, niſi operante inuiſibiliter Spiritu Dei*, &c. Eucherius Lugdunenſis hom.5.de Paſchate: *Sicut nũ nutum pracipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum*, &c. *verbi præcipit veritas, & ſeruit effectus, nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ, præſentia maieſtatis in Dominici corporis tranſire poſſe naturam*, &c. Iſidorus lib.1. Officiorum, cap.118. & poſt reliquias. Tridentinum *ſeſſ.13. cap.* 10. ad ſolam Dei poteſtatem recurrit, quâ hæc conuerſio fit. Hinc excluduntur deliria hæreticorum, neque enim tanta diuinæ omnipotentiæ operatio ex Patribus ad nudum ſignum corporis, & ſanguinis Chriſti exigeretur. Ad rationes in oppoſitum. Ad primum, negatur minor. Ad reliqua de infinitate intellectus, & voluntatis & operationũ, & eſſentiæ diuinę; patet & hîc, & ſuis locis, videatur *in 1.diſt.8.q.4. & quodl.1. & 5.* Ad ſecundum patet *ex q.4.5. & 6.diſt.præced.*

Irenæus. Euſebius. Cyrill. Ieroſolymitan. Theophil. Cyrill. Alex. Damaſc. Ambroſ. Gaudentius. Auguſtin. Eucherius Lugdunen. Iſidorus. Trident.

## SCHOLIVM.

*Sententia D. Thomæ creaturam poſſe eſſe inſtrumentalem cauſam conuerſionis Euchariſtiæ. Probat, quia accidens eſt inſtrumentum generationis ſubſtantiæ: ergo. Antecedens probat, quia forma ſubſtantialis non eſt effectiua; quia potentia plus differt ab eſſentia, quàm exiſtentia, quæ tamen realiter ab ea differt. Item, producere formam in materiam, & immediatè perficere, non poſſunt prouenire ab eadem forma. Scotus latè impugnat iſtas probationes.*

34 *D. Thom. 1.p.q.77. art.6.* De tertio ° articulo, videretur quòd hæc conuerſio competere poſſet creaturæ, vt agenti inſtrumentaliter: primò, quia accidens poteſt eſſe inſtrumentaliter agens ad generationem ſubſtantiæ: ergo à ſimili in propoſito. Antecedens probatur primò ſic, quando aliqua ſunt eſſentialiter ordinata, plus diſtat tertium à primo, quàm ſecundum: ſed in creatura ſunt eſſentialiter ordinata eſſentia, *eſſe*, & potentia: ergo plus diſtat potentia ab eſſentia, quàm *eſſe*: ſed *eſſe* differt realiter ab eſſentia: ergo & per conſequens nulla forma ſubſtantialis poteſt eſſe immediatum principium agendi.

*Text.33.* Secundò probatur idem antecedens, quandocumque ſunt duo actus, quorum neuter includit alium, non reducuntur in idem principium, vt habetur à Philoſopho 2. *de Anima*, qui vult, quòd potentiæ diſtinguantur per actus, ſicut actus per obiecta: ſed perficere materiam, & abſtrahere à materia, ſunt duo actus in anima, & non includentes ſe. Quod probatur, quia vterque poteſt eſſe ſine alio, primus ſine ſecundo, vt in puero, & dormiente: ſecundus etiam ſine primo, vt in anima ſeparata: ſed actus prior, ſcilicet dare *eſſe* materiæ, competit eſſentiæ, vt proximo principio formali: ergo ille alius actus non conuenit eſſentiæ, & tunc à ſimili de aliis ſubſtantialibus formis reſpectu actionum, quæ videntur ei competere.

35 Si obiicitur contra iſta: primò, quia quodcumque abſolutum poteſt ſeparari à quocumque abſoluto, quia non apparet contradictio in hoc: ergo ſi intellectus ſit quid abſolutum aliud ab anima, poteſt ab ea ſeparari, & ita ſeparatus poterit intelligere, & beatificari; quod videtur inconueniens. Secundò, quia ſubſtantia, ſiue quiditas ſubſtantiæ, eſt obiectum motiuum intellectus: eſt ergo principium immediatũ operandi in intellectum.

*D. Thom. vbi ſuprà.* Ad primum dicunt, negando primam propoſitionem, ponendo exemplum de ſubiecto, & paſſione. Ad ſecundum, quòd illa actio eſt intentionalis, non realis.

*Paſſionem eſſe ſeparabilem à ſubiecto, ſi diſtinguitur ab eo.* Contra primum, quia ſic habetur propoſitum: quia ſi ſubiectum non poteſt ſeparari à paſſione, hoc eſt propter aliquam neceſſitatem in ſubiecto reſpectu paſſionis: hæc autem neceſſitas reducitur ad aliquam cauſalitatem, non cauſæ materialis, cùm illa ſit contradictionis: ergo cauſæ efficientis, & ſic ſubſtantia erit cauſa efficiens alicuius paſſionis, niſi procedatur in infinitum, dando paſſionem ante paſſionem.

Secundò, habetur propoſitum, quia inſtantia poſita contra maiorem, confirmat maiorem: quia omnem cauſalitatem cauſæ extrinſecæ poteſt Deus ſupplere: iſta cauſalitas ſubiecti reſpectu paſſionis, propter quam eſt neceſſitas, erit cauſalitas cauſæ extrinſecæ: ergo, &c.

Quando

Quando autem confirmant istam responsionem, per hoc, quòd in definitionem passionis cadit subiectum, nihil valet: quia sic nullum accidens posset à subiecto separari; nam secundùm Philosophum *ibi in 7. Metaphys.* in ratione cuiuscumque accidentis necesse est rationem substantiæ esse. 36 *Text. 4.*

Hæc etiam instantia de subiecto, & passione aliter improbatur, quia sequeretur quòd subst antia panis non posset esse sine quantitate, nec è conuerso: quidquid enim per se, & primò inest superiori per se, licèt non primò, inest inferiori; exemplum de triangulo, & isoscele, de eo, quod est *habere tres* scilicet: sed * continuum esse per se, & primò inest substantiæ corporeæ: ergo per se, licèt non primò inest pani, & per consequens, non poterit panis manere sine continuitate eadem, nec continuitas eadem sine pane, quia accidens non migrat à subiecto in subiectum: & ita non posset quantitas in Eucharistia manere sine substantia panis, quod ipsi negant, & communis schola.

* *Per continuum intelligit propriam passionem.*

Contra conclusionem istius opinionis, scilicet quòd forma substantialis non potest secundùm eos esse principium immediatum agendi, argutum est *suprà dist. 12. quæst. 3.* & hîc nunc sufficiat breuiter replicare: quia illud est principium agendi, in quo producens assimilat sibi passum. Vel melius, non assimilatur sibi productum in forma perfectiori forma producentis: assimilatur autem sibi productum in forma substantiali: ergo, &c. 37 *Formâ substantialem immediatè esse actiuâ. de quo d. 12. q. 3. à n. 10.*

Secundò sic, quia instrumentum secundùm eos non agit, nisi vt mouens motum: ergo immediatè mouetur à principali agente, ad hoc vt moueat; & per consequens ad hoc vt accidens agat vt instrumentum substantiæ, immediatè mouebitur à substantia.

Sed hoc non valet, secundùm ea, quæ mihi videntur vera de ordine causarum: quia non credo semper causam secundam, quæ vocatur quandoque instrumentum, recipere motionem specialem à causa prima, sed tantùm habere subordinationem aliquam formæ suæ actiuæ, ad formam actiuam alterius, per quam subordinationem causâ priori exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi: & sic secunda dicitur mouens motum, non quia recipiat motionem à prima, per quam moueat: sed quia in motione sua dependet ab alia priùs naturaliter actu mouente.

*Causa secunda nõ requirit motionẽ specialem à causa prima, vt agat. Quod est contra prædeterminationem Physicam.*

Responsio ad secundam instantiam, scilicet de quiditate substantiæ mouente intellectum, non valet: quia etsi substantia ibi habeat *esse* intentionale, tamen ipsa intellectio est forma realis: ergo respectu eius oportet dare aliquod principium actiuum reale, & vt reale. Neque valet fugere ad phantasma, quia secundùm eos essentia Angeli mouet intellectum Angeli ad propriam intellectionem Angeli, & ibi nullum potest fingi phantasma.

*Quid esse mouens motum? Ad secundam instantiã, positam num. 35.*

Ad argumenta pro ista instantia, quæ est de causalitate instrumentali accidentis respectu substantiæ. Ad primum dico, de illo ordine essentiæ, *esse*, & pontentiæ, quòd simpliciter falsum est, quòd *esse* sit aliud ab essentia. Et hoc probatum est per dicta eorum, quia incompossibile est genitum, vt genitum per se habere vnum *esse*, si *esse* sit aliud ab essentia: genitum autem vt genitum, siue primus terminus generationis est per se vnum. Esto etiam, quòd esset talis ordo, quem fingunt *esse*, & potentiæ, dico quòd potentia præcederet ipsum *esse*: quia in quocumque instanti naturæ, vel durationis essentia habetur perfecta, in eodem habetur perfectum principium operandi operationes conuenientes potentiæ, & per consequens perfecta potentia: & ita si *esse* sit aliud à potentia, potentia præcedit ipsum *esse*. 38 *Ad argumenta allata num. 34. Esse non est aliud ab essentia. distinct. 36. primi, & 2. dist. 15. q. 2. & 3. dist. 6. q. 1.*

Ad secundum dico, quòd maior propositio est vniuersaliter falsa de actu primo, & secundo: quia sic probaretur quòd nihil est principium actiuum in creaturis: nam formam oportet dare actum ipsi, quod informat: & si est actiuum, oportet quòd respiciat illud, in quod causat actum secundum: ista autem sunt disparata, quia sine contradictione vnum potest separari ab alio.

*Si ratio D. Thom. valeret, nulla creatura efficere posset quicquam. Forma dans actũ secundum, dat actum primum.*

Respondeo ergo, quòd illa maior nec est vera de actibus ordinatis primò, & secundò, sed vniuersaliter falsa: quia forma dans actum secundum, dat etiam actum primum, & è conuerso. Et sic applicatur ad propositum de *animare*, & *intelligere*: & ideò ad propositum nihil valet illa maior. Si autem est vera de actibus secundis disparatis, & principio actiuo limitato, sicut debet intelligi Philosophus, 2. *de Anima*, vbi adducitur, nihil est ad propositum: quia *animare*, & *intelligere* non sunt tales duo actus.

Alia instantia principalis ad istum tertium articulum, est talis: possibile est creaturam in virtute Dei causare aliquam cognitionem propriam de Deo: ergo multò magis possibile est accidens in virtute substantiæ causare substantiam. Antecedens probatur, quia possibile est aliquam cognitionem propriam habere de Deo: & non nisi per creaturam, quia nihil aliud mouet intellectum viatoris. 39 *D. Thom. vbi suprà art. 3.*

*Accidens producit cognitionem Dei, nullam tamen ſubſtantiam.*

Reſponſio eſt duplex. Prima, quia cognitio Dei eſt accidens, & per conſequens non excedit totum genus accidentis mouentis intellectum. Eodem modo, ſi loquamur de cognitione ſubſtantiæ creatæ, & accidente. Poſſibile eſt ergo accidens cauſare cognitionem ſubſtantiæ creatæ, vel increatæ, abſque hoc, quòd cauſet aliquid nobilius perfectione ſua propria: ſed non ſic, ſi cauſaret ſubſtantiam: quia quælibet eſt ſimpliciter perfectior quocumque accidente.

Alia reſponſio, & quaſi redit in idem, quia obiectum in cognitione habet *eſſe* diminutum, & per conſequens ſubſtantia vt cognita, vel Deus vt cognitus, habet *eſſe* diminutum in cognoſcente: ſubſtantia autem, vt in ſe, habet *eſſe* ſimpliciter, & perfectum. Licèt ergo accidens poſſet eſſe principium producendi ſubſtantiam in *eſſe* diminuto, id eſt, in *eſſe* cognito, vel creatura Deum in tali *eſſe* diminuto, id eſt, in *eſſe* cognito: ergo arguendo à ſimili, non ſequitur quòd accidens poſſit eſſe principium producendi ſubſtantiam in *eſſe* ſimpliciter quomodocumque, nec vt inſtrumentum, nec vt agens principale.

## *COMMENTARIVS.*

31 o *De tertio articulo*, &c. Hîc proponit rationes ad concluſionem affirmatiuam, quæ ſunt D. Thomæ, non videtur concluſio ipſius eſſe, niſi reducatur ad ſententiam, quâ dicit Sacramenta cauſare effectum ſuum inſtrumentaliter Phyſicè: ſed de hoc egimus in prima diſtinctione. Hîc autem ex poſito videtur Doctor impugnare fundamentum illud, quo aſſeritur accidens producere ſubſtantiam; ac proinde hîc dicta reuocanda ſunt ad complementum quæſtionis tertiæ præcedentis, vbi differitur hæc difficultas ex rationibus communibus; hîc autem ex principiis particularibus aduerſando, & impugnando ſpeciale fundamentum D. Thomæ. Argumentum ſecundum infrà tractabitur in materia de Beatitudine circa diſtinctionem potentiarum. Interim videatur litera; & quidquid ſit de veritate antecedentis, negatur conſequentia: quia, vt dictum eſt in §. antecedenti, agens creatum exigit ſubiectum proportionatum, ſiue agat inſtrumentaliter Phyſicè, ſiue principaliter. In poſito quantùm ad conuerſionem neque terminus *à quo*, neque *ad quem* ſubeſſe poteſt creaturæ, vt cadunt ſub conuerſionem.

*Quod accidens producit ſubſtantiam.*

## SCHOLIVM.

*Reiectâ aliâ ratione D. Thomæ ſuadente accidens producere ſubſtantiam, reſoluit miniſtrum eſſe cauſam inſtrumentalem diſpoſitiuam, moralem, non Phyſicam, conuerſionis Euchariſtiæ, & idem eſt de alijs Sacramentis.*

40 Quantùm [P] ergo ad iſtum articulum, ſicut priùs dictum eſt, inſtrumentum poteſt multipliciter intelligi: ſed ad propoſitum, agens diſpoſitiuum dicitur inſtrumentum. Et ſic miniſter habens actionem propriam humanam præuiam actioni diuinæ, tanquam diſpoſitionem neceſſariam, non ſimpliciter, ſed ex ordinatione Dei paciſcentis cum Eccleſia, quòd ad talem actum miniſtri faciet talem actum ſibi proprium, eſt inſtrumentum Dei in iſta conuerſione.

*d. 1. q. 1. & 5. d. 6. q. 5.*

*Sacerdos eſt cauſa inſtrumentalis diſpoſitiua Euchariſtiæ.*

Et iſta reſponſio eſt vniuerſalis in omnibus Sacramentis, in quibus miniſter requiritur: quia ipſe miniſter eſt agens quoddam diſpoſitiuum: actio autem ſua eſt actio inſtrumentalis reſpectu actionis principalis agentis eo modo aliqualiter, quo ſectio eſt ad formam ſcamni: quia ad illam ſequitur regulariter illa forma ex ordine agentis principalis.

Sic in propoſito, prolatio verborum poſſet dici actio inſtrumentalis reſpectu conuerſionis, ſeu confectionis corporis Chriſti: quia ad illam prolationem ſequitur regulariter iſta conuerſio, vel confectio. Et ſic actione alicuius creaturæ, vt agentis inſtrumentaliter, conficitur corpus Chriſti, non quidem, vt attingentis terminum, ſicut aliqua inſtrumenta habent actionem inſtrumentalem attingentem terminum, vt dictum eſt: ſed eo modo, quo agens præuium dicitur agere inſtrumentaliter ad formam principalem, quam non attingit: & actio eius dicitur inſtrumentalis, quia diſpoſitiua, & præuia.

*1. q. 1. & 5.*

41 Ad rationes principales, primas duas concedo: quia probant, quòd in iſta conuerſione, actio diuina non ſit actio de genere Actionis, niſi teneatur illa opinio ſuprà, quòd corpus non ſuccedit pani, niſi vt hîc.

*Ad arg. 1.*

Et ſi iſtud teneatur, tunc ad illas rationes. Ad primam ſic, quòd cùm dicitur actio in motu firmatur, vel fundatur: ibi accipitur motus indifferenter ad motum propriè dictum, & mutationem: & indifferenter ſubiectiuè, vel fundamentaliter, vel concomitanter. Et concedo, quòd iſta actio fundatur in mutatione corporis Chriſti ſuccedentis ſic ſuo *non eſſe* hîc.

*Ad 2.* Ad ſecundam, concedo quòd hîc eſt paſſio, tenendo illam viam: illa autem eſt in corpore, quod fit de non præſente hîc, præſens hîc.

Ad

Ad tertiam rationem patet *suprà dist.* 11. quomodo generatio est conuersio totius in totum: sed non totalis conuersio, qualis est ista. *Ad 3. q. 3.*

Ad quartam non sequitur, natura potest esse principium istius *esse* sub vno modo conueniente sibi: ergo sub modo non conueniente sibi, sed repugnante sibi, quantùm est ex parte sui. Et cùm dicitur, quòd idem est *esse*, ex hoc sequitur quòd idem posset esse principium ipsius *esse*: quod concedo, sed non sequitur: ergo ipsius *esse* sub hoc modo potest esse principium, quod est principium eius sub modo illo. *Ad 4.*

Et quando probatur, quia modus ipsius *esse*, non repugnat ipsi *esse*; dico quòd repugnat in comparatione ad talem causam, ita scilicet quòd causa non potest causare *esse* illud sub isto modo, licèt possit causare *esse* absolutè, vel sub alio modo.

Et quando additur vltimò, quòd modus non excedit in perfectione, illud cuius est modus. Dico, quòd aliquid imperfectum potest esse, & tamen imperfectio sibi derelicta potest non subesse causalitati illius, cui subest illud, quod est perfectius sub alio modo conueniente.

Ad vltimam dico, quòd actio instrumentalis agentis, accipiendo instrumentale agens pro dispositiuo, benè requirit intentionem propriam in illo agente, siue sit naturale, vt in calore alterante benè est intentio propria, licèt sit agens instrumentale respectu ignis generandi, hoc est dispositiuum ad illud, siue agens per intellectum: quia ibi instrumentum requirit determinatam actionem humanam, quæ ordinatur ad actionem principalis agentis, & talis vniuersaliter est actus ministri in dispensatione Sacramentorum. *Ad 5. Instrumentum dispositiuum habet intentionem propriam. suprà d. 6. q. 5.*

## COMMENTARIVS.

32 p QVantùm ergo ad istum articulum, &c. Conclusio huius articuli est communis, & magis patebit ex quæstione sequenti: modus autem explicandi superiùs declaratus est *dist.* 1. *q.* 2. *&* 5. & *dist.* 6. *q.* 5. Loquitur hîc de instrumento, vt extenditur ad omne per se institutum ad conficiendum Sacramentum ex diuina ordinatione; & sic comprehendit materiam, formam, & ministrum.

*Quid nomine instrumenti intelligit?*

Inter hæc tamen discernendo, actio ministri dicitur ministerialis, non solùm applicando materiam, & formam, sed etiam in suo ordine attingendo effectum Sacramenti: materia verò & forma concurrunt, vt signa practica effectus; respectiuè autem ad materiam, & formam magis propriè saluatur actio instrumentalis, quàm ad ministrum, qui potiùs dici debet causa secunda, vt exponit Doctor *dist.* 6. *quæst.* 5. *respon. ad primum.*

33 Ad argumenta in oppositum, ad primum & secundum patet ex *art.* 1. & ex litera. Ad tertium, patet ex *art.* 2. sicut & ad quartum. Ad vltimum patet: ex hoc articulo notanda est specialiter doctrina responsionis ad quartum. Negatur primò omne principium alicuius sub determinato modo essendi posse esse principium eius sub omni modo essendi; & patet in causa secunda respectu effectus creationis: quamuis enim includit formam in sua virtute, non potest eam seorsim producere à subiecto, neque potest accidens separare, licèt possit illud destruere in subiecto.

Secundò, & sequitur ex priori, licèt aliquid non repugnet simpliciter, repugnat tamen cum determinatione ad aliquod extrinsecum principium, à quo nequit esse cum hoc modo essendi.

Tertiò, quòd non sequitur ex posse in aliquid perfectum posse in id quod imperfectius est: perfectior enim est forma, quàm materia, potest causa secunda tamen in formam, non potest in materiam: hæc impossibilitas oritur ex limitato modo agendi causarum.

---

## QVÆSTIO II.

### *Vtrùm quilibet Sacerdos proferens verba consecrationis cum intentione debita, & circa materiam conuenientem possit conficere Eucharistiam?*

Alensis 4. *part. q.* 35. *memb.* 4. 5. 6. D. Bonau. *hîc art.* 1. *q.* 1. Rich. *art.* 1. *q.* 1. D. Thom. 3. *p. q.* 82. *art.* 1. Suarez 3. *part. tom.* 3. *disp.* 61. *sect.* 3. Bellarm. *lib.* 4. *de Eucharist. c.* 16. VValdens. *de Sacram. c.* 7. *&* 27.

AD secundum [a] sic proceditur. Arguo quòd non quilibet Sacerdos potest conficere Eucharistiam, per illud, 1. quæst. 1. *Multi sæcularium.* vbi adducitur illud Malach. 2. *Maledicam benedictionibus vestris:* & exponitur vno modo, *Maledicam quidquid à vobis benedicitur.* & fit illa comminatio malis Sacrdotibus: ergo quidquid ab eis benedicitur, à Deo maledicitur; & per consequens nihil simpliciter per ministerium eorum benedicitur. 1 *Argum. 1.*

Item ibidem, 1. *quæst.* 1. Quod quidam, §. opponitur, *suspenso, vel depositio Sacerdote nulla ei relinquitur potestas* [a] ergo, &c. *Argum. 2.*

*Argum.3.* Item, virtus Miſſæ in Sacramento Euchariſtiæ principaliter conſiſtit: ergo ſi malus Sacerdos poteſt conficere, ſicut bonus, æquè valeret miſſa mali, ſicut boni, & è conuerſo.

*Argum.4.* Item, laicus poteſt ſumere Euchariſtiam: ſed ſumptio eſt finis conſecrationis; & per conſequens eſt ſimpliciter melius, & nobilius: ergo æquè, vel magis poteſt laicus conficere: non ergo ſolus Sacerdos.

*Argum.5.* Item, beatus Laurentius ſanguinem diſpenſauit, vt patet ex verbis eius ad Sixtum, *Cui commiſiſti*, &c. & hoc probatur per illud diſt.93. *præſente Presbytero Diaconus Euchariſtiam corporis Chriſti, ſi neceſsitas cogit, iuſſus eroget.*

2 *Rat. ad opp. Malos Sacerdotes cõſecrare Euchariſtiam.* Contrà, 1.q.1. Quod quidam, *nulla cauſa oſtenditur, cur ille, qui Baptiſmum non poteſt amittere, ius amittere poſsit baptizandi:* ergo à ſimili, qui ordinem ſacerdotalem amittere non poteſt, nec ius conficiendi amittere poteſt: ſed nullus Sacerdos poteſt amittere poteſtatem ſacerdotalem, quia character eſt indelebilis: ergo, &c.

Item, ibidem §. de his, *Sacramentorum ſanctitatem in peruerſis hominibus, ſiue qui intus ſunt, ſiue qui foris, conſtat impollutam, atque inuiolabilem permanere:* ergo quicumque Sacerdos quantumcumque malus poteſt habere ſanctitatem Sacramentorum eandem cum bono.

Quòd etiam ſolus Sacerdos poſſit tam conſecrare, quàm diſpenſare, probatur ſic per illud diſt.93. *Non oportet Diaconos panem dare, id eſt, corpus Domini, ſecundùm Gloſſam.*

## COMMENTARIVS.

1 2 AD *ſecundum ſic proceditur*, &c. In hac quæſtione agitur de Miniſtro, & continet tres articulos. Primus eſt, de poteſtate tam abſoluta, quàm ordinata; ſecundus de loco; tertius de tempore.

## SCHOLIVM.

*Sacerdotem non eſſe cauſam principalem conuerſionis, omnem tamen, & ſolum Sacerdotem rationis compotem, & potentem loqui, poſſe validè conſecrare.*

3 Ad [b] quæſtionem dico, quòd conficere Euchariſtiam, vt principalis cauſa, nulli poteſt competere niſi ſoli Deo; patet ex quæſtione præcedente: licèt vt cauſa inſtrumentalis, vel, vt magis propriè dicam, vt miniſter, poteſt competere alicui homini: quia ſic Deus ordinauit, quòd in quibuſcumque Sacramentis miniſter poſſit eſſe homo.

Si ergo loquendo de conficiente, dico quòd miniſtrum poſſe conficere, poteſt intelgi dupliciter. Vno modo abſolutè, ita ſcilicet quòd ſi attentet facere, facit quod intendit. Alio modo de poſſe ordinatè facere. Et hæc diſtinctio generalis eſt in omnibus Sacramentis: quia plus requirit ordinatè miniſtrare in eis, quàm ſimpliciter miniſtrare.

*Quid requiritur ad poſſe conſecrare, q.6. & 7.* Loquendo de poſſe ſimpliciter, nihil requiritur vltra materiam debitam, de qua dictum eſt *in fine diſt.11.* niſi miniſter debitus, ad quem requiruntur tres conditiones, ſcilicet quòd ſit Sacerdos: quòd poſſit proferre verba conſecrationis; & quòd poſſit habere intentionem debitam faciendi, ſcilicet quod intendit Eccleſia facere. Secunda conditio, & tertia, ſunt communes hîc, & in miniſtrante alia Sacramenta: propter defectum ſecundæ non poteſt mutus conficere. Propter defectum tertiæ carens vſu rationis non poteſt conficere. Et eodem modo de baptizando, & conferendo quæcumque alia Sacramenta. Sed potentia conditio eſt hîc propria, ſcilicet quòd ſolus Sacerdos poteſt, & quilibet poteſt, cui poſſunt competere illæ duæ conditiones, ſcilicet prolatio, & intentio: quòd ſolus, probatur per illud *Extrà de Sum. Trinit. & fid. Cathol.* vbi dicitur: *Hoc Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus, ſecundùm claues Eccleſiæ.*

*Omnis & ſolus Sacerdos non mutus nec impos rationis poteſt conſecrare. c. Firmiter.*

4 *Ita Concil. Neocæſar. can. 13. Damaſc. epiſt. 3. Hier. epiſt. ad Marcellam. Dion. c.3. Eccl. Hier. Trid. ſeſſ. 23. c.4.* Sed vnde accipit Eccleſia fundamentum iſtius ſententiæ? Reſpondeo, ex illo verbo Chriſti, *Hæc quotieſcumque feceritis*, &c. Vbi loquitur Apoſtolis, vel ad minùs, non niſi Diſcipulis, quibus in Eccleſia ad minùs non ſuccedunt niſi Sacerdotes: Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi: Diſcipulis Presbyteri, vt habetur diſt.21. *In nouo Teſtamento.* Habetur idem etiam ex illa ſententia Pauli 1.ad Corinth.cap.10. *Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Domini eſt?* quem frangimus nos, inquit, ſcilicet Apoſtoli, & Diſcipuli eius. Si enim quilibet fidelis poſſet conficere, non oporteret aliquem alium aliis frangere: ſed quilibet poſſet de ſuo ſacrificio communicare.

Secunda pars, ſcilicet quòd omnis Sacerdos potens proferre verba cum intentione poſſit conficere. Patet per auctoritates adductas ad oppoſitum. Nec obſtat, ſi inſtetur de degradato, quia fit non Sacerdos. Si enim hoc verum eſt, non eſt inſtantia iſta de

aliquo

aliquo Sacerdote: dicitur tamen non esse verum, quia characterem non potest aliquis degradans delere. Nec conceditur, quòd si quis potest aliquid ministerialiter conferre, quod sic possit ministerialiter auferre, quia Deus non sic eum instituit ministrum in amotione, sicut in collatione. & tunc illa regula: *Facilius est destruere, quàm construere*, non conceditur de ministerialiter agente in Sacramentis. Pro quo adduci potest illud Pauli 2. Corinth. c. vlt. *Non dedit nobis Deus potestatem in destructionem, sed in ædificationem.* *Rich. dist. præsenti. art. 1. q. 1. 7. Topic. c. 8. & 9.*

## SCHOLIVM.

*Incidenter agit de exemptione Clericorum, quam videtur (inquit) Constantinus concessisse. Constat ante Constantinum Ecclesiam hanc exemptionem præcepisse ex ep. Alex. I. ad omnes orthodoxos. & epist. Caij ad Fælicem Episcopum, & epist. 2. Marcellini ad vniuersos Episcopos Orientales. Primus sedit ann. 309. alij duo tertio sæculo. Sed Constantinus, primus Principum hoc admisit secundùm aliquos in Concil. Nicæno, quando pronunciauit Episcopos à solo Deo iudicandos. Vide l. 1. C. de Episc. & cler. habetur C. Theodos. l. 16. l. 8. & l. 1. de lustral. collat. ibidem. an verò hæc exemptio sit de iure ciuili primario, vt tenent Med. C. de rest. q. 15. Palac. 4. d. 25. d. 3. & alij, vel de iure Ecclesiastico, vel diuino, Doctor hîc non tractat. Couarr. pract. qq. c. 31. Soto d. 25. q. 1. a. 2. Molina tom. 1. de iust. d. 31. Henriq. l. 7. de indulg. cap. 29. Salon. 2. 2. quæst. 67. q. 1. controuersia 1. Bannes ibi dub. 2. negant esse iuris diuini: alij multi affirmant, quos citant, & sequuntur Bellarm. 1. de memb. Eccles. 28. & 29. Suar. defensione fidei lib. 4. cap. 8. 9. 10. quod Doctor ait de sacrificio offerri hostiam non consecratam, intelligit de materia ex qua, quo sensu PP. dicunt offerri panem & vinum, quia quodl. 20. expressè docet Christum esse rem oblatam, nec ponit duo sacrificia, vt Richard. art. 18. & Gaspar Casalius 2. de sacrif. Miss. 22. quibus fauet Bellarm. 1. de Missa. 27.*

Si etiam obiicitur de degradato, quòd non maneat Sacerdos, quia spoliatur priuilegio clericali, & traditur curiæ sæculari. Respondeo, non est essentiale ordini habere illud priuilegium concomitans: quod satis persuadetur, quia illud priuilegium videtur concessum ab Imperatore Constantino: ordo non. Aliquando etiam Sacerdos erat sine tali priuilegio, scilicet ante concessionem. Hoc tamen posset esse vnum broçardicum Iuristis, quia illud priuilegium constitit in hoc, quòd non posit iudicari in causa sanguinis nisi à iudice Ecclesiastico, vel quasi in causa sanguinis. Sed si Papa exuit aliquem priuilegio Ecclesiastico commendans eum curiæ sæculari, iudex sæcularis est minister, vel executor iudicis Ecclesiastici: nullus autem alius à iudice Ecclesiastico, potest eum committere iudici sæculari: ergo non est posibile, quòd committatur sibi, nisi sicut ministro iudicis Ecclesiastici: & per consequens non spoliatur priuilegio, quia dum manet priuilegium, potest aliquis sæcularis in eum esse minister iudicis Ecclesiastici. 5 *Ne faueat Iuristis, vult etiã degradatum non iudicari à laicis, sed ab Ecclesiastico iudice dante ad id licentiam. Sacerdos hæreticus verè consecrare potest. Suar. 3. to. d. 77. s. 2. falsò citat Scot. pro op. Magistri.*

Si obiicis de hæretico, & schismatico, quòd non conficiat, quia Sacerdos non offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, cuius est minister: hic autem est præcisus ab ea: & huic rationi videtur Magister inniti in litera. Probatur antecedens per hoc, quod dicit Sacerdos, *Offerimus tibi*, &c. non dicit *offero*. Respondeo, quòd oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur, quòd offeratur: offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium non Sacramentum: sicut Eucharistia consecrata conseruata in pyxide est Sacramentum, licèt non vt ibi fit sacrificium, nisi aptitudinaliter. *Sumit sacrificium pro termino à quo, quia Christũ esse sacrificium docet quodl. 20.*

Esto etiam, quòd verum sit, quòd oportet quemlibet conficientem conficere in fide Ecclesiæ, benè potest non solùm schismaticus, sed etiam hæreticus, quod plus est: pone quòd sit hæreticus, potest circa Eucharistiam habere intentionem Ecclesiæ in conficiendo, & hanc intentionem in vniuersali intendendo, scilicet facere, quod Christus instituit faciendum, & quod Ecclesia facit, licèt non intendat speciali, quia credit Eucharistiam nihil valere, sicut dicitur 2. Priorum. *Contingit scire omnem mulam esse sterilem, & dubitare de hac.* Et de ista intentione vniuersali dictum est satis *distinct. 5. in materia de Baptismo.* *Hæreticus potest conficere in fide Ecclesiæ, licèt erret in particulari circa eam. Cap. 20. q. 1.*

b AD quæſtionem dico, &c. Concluſio principalis huius §. eſt, in Sacerdote præter intentionem, & vſum verborum, quæ neceſſaria ſunt in Miniſtro cuiuſcumque Sacramenti, requiri ſpecialiter characterem ſacerdotalem, quam probat ex Lateranenſi, Euangelio, & Apoſtolo.

*Error VVitcleſi.* Eſt contra VVitclefum, qui in dubium reuocauit, An Sacerdos eſt Miniſter? quia ex antiqua hæreſi, quæ exigebat ſanctitatem Miniſtri ad valorem Sacramenti, dubitauit cur Sacerdos peruerſus conſecrare poſſet; & laicus iuſtus nequiret. Poſtea Lutherus docuit quemuis laicum, & ipſum diabolum validè poſſe conſecrare, ſi formam proferret in debita materia. Caluinus tamen cum ſuis negauit ab alio geri poſſe conſecrationem, niſi à Miniſtro Eccleſiæ, in quo tamen non agnoſcit aliquam poteſtatem ſupernaturalem, ſicut neque in Sacramento aliud, quàm meram figuram. Sed hoc remiſſo ad materiam propriam de Sacerdotio, ſit

*Lutherus. Caluinus.*

2 *Prima concluſio.* Fide certum eſt ſolos Sacerdotes poſſe hoc Sacramentum conficere. Definita eſt in variis Conciliis Nicæno *can.* 14. Lateranen. ſub Innocentio III. *cap.* 1. Florentin. *in literis vnionis*, Trident. *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. Probatur ratione, quia tranſubſtantiatio, quæ hîc fit materiæ in corpus & ſanguinem Chriſti, eſt opus ſupernaturale excedens vires totius creaturæ: ergo exigit poteſtatem ſupernaturalem, & conſequenter nemo eſt Miniſter eius, niſi cui id conceſſum eſt, ſed ſoli Sacerdotes eam habent: ergo, &c. Patet ſubſumptum, quia ſine certis teſtimoniis non eſt aſſerendum cuiquam conceſſum eſſe. Lucæ autem 22. vbi tantùm fit mentio huius poteſtatis, ſolis Apoſtolis, & paſtoribus Eccleſiæ competit, ad quos dirigitur: *Hoc facite in meam commemorationem.*

*Prima concl. Nicen. Trident. Lateran.*

3 Dices ibi dari præceptum de manducatione tantùm: Vnde Apoſtolus 1. *ad Corinth.* 11. dicit: *Hoc facite quotieſcumque bibetis in meam commemorationem*, &c. Contrà, quia Euangeliſta referens illud præceptum Chriſti, nullam facit mentionem manducationis: ergo ad eam ex vi ſermonis non refertur: neque etiam ex intentione Chriſti, quia aliàs fieret aliqua eius mentio: ex intentione, inquam, Chriſti principali, quia acceſſoriè hîc præcipitur manducatio. Sed nequit manducatio fieri, niſi fiat Sacramentum, neque hoc fit ſine poteſtate eius conficiendi, quæ nullibi in Scriptura confertur, niſi hîc tantùm. Ad Apoſtolum ſuperiùs reſponſum eſt eum dare inſtructionem, non præceptum. Dices 1. *Petri* 2. omnes Chriſtianos vocari regale Sacerdotium. Reſpondent aliqui id latè dici: ſed etiam referri poteſt ad potiorem partem, vel ad totum ratione partis: quia Sacerdotium Chriſti Regis in eis fuit, cuius participes erant quoad fructum oblationis omnes, quoad miniſterium in ſolis Prælatis, & Sacerdotibus eo gradu ordinatis, & qui præerant.

*Euaſio. Impugnatur.*

Confirmatur concluſio præmiſſa ex communi ſenſu Eccleſiæ, vt patet ex Conciliis citatis, & tribus, quos fuſim citant Controuerſiſtæ. Dionyſio *Eccleſiaſt. hierarchia*, *cap.* 5. Ignatius martyr. *epiſt. ad Trallianos*, vbi ait: non Sacerdotem audentem aliquid facere circa myſterium Altaris eſſe infideli deteriorem. Tertulliano *lib. de Præſcriptionibus contra Marcioniſtas*, quos irridet ex eo, quòd officium Sacerdotis committebant merè laicis, & qui hodie apud eos Sacerdos erat, eras fiebat merè laicus, quod perinde de huius temporis hæreticis dici poteſt.

*Confirm.* *Dion.* *Ignatius.* *Tertullian.*

In reliqua parte huius quæſtionis agit non ſolùm de miniſtro, quantùm ad neceſſitatem, ſed etiam quantùm ad ordinatum, & licitum modum offerendi, & diſpenſandi de pœnis miniſtrantium indignè, de loco, de Altari, de veſtibus ſacerdotalibus, de tempore idoneo, de vaſis, & aliis, quæ ordinantur ad ſacrificium primariò, ſecundariò ad hoc myſterium quà eſt Sacramentum; item incidenter de ipſa oblatione.

4

Operæ ergo pretium duxerim huc aduocando, quæ alibi docet de ſacrificio, & potiſſimùm *quodlib.* 20. aliquid differere de natura Sacrificij, iuxta communem ſtylum, & ob neceſſitatem huius temporis, propter hoſtes fidei impugnantes hoc myſterium. Aè denique, vt reſpondeam impugnationibus aliorum Scholaſticorum: mox reſumam reliquum textum huius quæſtionis, explicans illum in ſpecies. Suppoſito primum hoc fundamento agam primò de ſacrificio, & eius eſſentia. Secundò, de diuiſione eius. Tertiò, de ſacrificio Miſſæ. Quartò, de eſſentia eius. Quintò, de re oblata. Sextò, de Miniſtro. Septimò, de effectu per varias quæſtiones, quàm poſſum breuiter.

*Neceſſitas & ſcopus ſequētium quæſtionum.*

---

## QVÆSTIO I.

### *De eſſentia Sacrificij in genere.*

5 *Varia ſuſceptio.* Ric de eſſentia ſacrificij in genere præmitti debet, quo faciliùs ad propoſitum perueniamus. Multiplex autem eſt acceptio huius vocis; & iuxta varias acceptiones eius, variæ etiam ſignificationes ſacrificij aſſignãtur. Primò ſumitur ſacrificium latiſſimè *pro omni opere bono, quo Deo adhæreamus ſanctâ ſocietate*: hæc traditur ab Auguſtino 10. *de Ciuit. cap.* 6. quod inſcribitur, de vero perfectóque ſacrificio: *Proinde*, inquit, *verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur, vt ſanctâ ſocietate inhæreamus Deo relatum, ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus*, &c. Gabriel *lect.* 85. *in can. Miſſa*: noſter Caſtro aduerſus hæreſes, verbo *Miſſa, hæreſi* 2. Hanc pro propria, & vera ſacrificij definitione amplectuntur, quod libenter amplectuntur hæretici, vt veram & propriam ſacrificij rationem excludant à Miſſæ ſacrificio, ne aliquam immutationem circa ſubſtantias panis, & vini admittant, aut etiam per Chriſti præſentiam.

*Pro opere bono.* *Auguſtinus.* *Gabriel. Caſtro.*

Melanchthõ in Apologia Confeſſionis Auguſtanæ definit *eſſe cæremoniam, vel opus, quod nos Deo reddimus, vt eum honore afficiamus.* Caluinus etiam lib. 4.

lib.4.instit.cap.18. *Nos*, inquit, *perpetuò Scripturæ vsu sacrificium appellari scimus, quod nunc θυσίαν, nunc πεσφορὰν τελετὴν, dicunt, quod generaliter acceptum complectitur quidquid Deo offertur.* Iuxta hanc generalem acceptionem sæpè appellatio sacrificij tribuitur tali operi, Psalm.4. *Sacrificate sacrificium iustitiæ.* Psalm.46. *Sacrificium laudis honorificabit me.* Et Psalm.50. *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus*, &c. Ad Hebræos vltimo, *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hostiis promeretur Deus.*

*Generalis acceptio sacrificij.*

Kemnitius.

Hinc Kemnitius *in exam. in disput. de sacrificio Missæ*, dicit quatuor modis sacrificium sumi: primò pro externo & cæremoniali, quale putat fuisse omnia veteris Legis præscripta sacrificia: holocausta, hostias pacificas, decimas etiam, & primitias. Secundò, pro sacrificio Crucis. Tertiò, pro sacrificio spirituali, & inuisibili, seu interiori. Quartò denique pro sacrificio commemoratiuo, quale putat esse Missæ. Concludit autem in vniuerso definiri rectè sacrificium præfato loco ab Augustino.

*Sacrificij strictior acceptio.*

Alij, vt communiter Catholici authores sumunt sacrificium strictiùs, vt est actus virtutis Religionis, & non cuiuscunque alterius: & sic propriè sumitur in Scriptura, vt condistinctum ab aliis operibus bonis Psalm. 50. *Si voluisses sacrificium, dedissem vtique, holocaustis non delectaberis.* 1. Regum 11. *Melior est obedientia, quàm victima.* Oseæ 6. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Et patet ex toto discursu veteris Testamenti, Exodi, Leuitici, & Numeri: vbi sacrificia distinguuntur ab aliis actibus virtutum.

*Est actus peculiaris religionis.*

6

*Prima conclusio.* Prima acceptio sacrificij est impropria, & metaphorica, & per analogiam à vera acceptione sacrificij desumpta. Probatur primò, quia sacrificium est actus proprius religionis in cultum Dei institutus, vt communiter Theologi: ergo distinguitur à reliquis operibus bonis aliarum virtutum, quibus adhæremus Deo per obseruantiam legis, siue præceptorum, siue consiliorum eius.

*Prima acceptio est impropria, Prima ratio.*

*Secunda ratio.*

Secundò, in lege noua non agnoscit Ecclesia aliud sacrificium, quàm Altaris & Crucis; multa tamen opera bona aliarum virtutum. Antecedens *infrà* probabitur.

*Tertia ratio.*

Tertiò, quidquid sit, an priuatâ authoritate institui, aut offerri possit sacrificium: tamen authoritate publicâ institutum non licet offerre, nisi soli ministro publico ad hoc munus assumpto, qui est Sacerdos: ad Hebræos 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis.* Et infrà: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron*, &c. ideóque 2. *Paralip. cap.* 26. Azarias Sacerdos, & alij 80. Sacerdotes restiterunt Oziæ Regi volenti sacrificare, quòd ei hoc munus non conueniret, cùm non esset Sacerdos.

*Sacrificium publica authoritate instituitur.*

*Non licet alteri, quàm publico ministro offerre.*

Sed alia quæcunque opera possunt, & debent exerceri à quolibet priuato: ergo munus sacrificandi solis ministris ad hoc electis & consecratis, denotat sacrificium esse alterius rationis ab operibus bonis in genere, ac proinde dicere rationem aliquam determinatam, quod ex Græca voce contra Caluinum patet, nam à verbo θύειν, quod est sacrificare, dicitur θύτης, quod est Sacerdos, & θυσία quod est sacrificium, & à verbo ἱερεύειν Latinè sacrificare fit ἱερεῖον sacrificium, & ἱερεύς, Sacerdos.

*Ab etymologia.*

Idem patet, quia sacrificium, & altare ex communi etiam gentium consuetudine reciprocantur; vnde Græcè à verbo θύειν deriuatur θυσία, sacrificium, & θυσιαστήριον altare. 7

*Augustinus definit sacrificium intrè.*

Ex his patet ad illud Augustini, cum communi, & lata significatione definire sacrificium. Neque refert quòd illa opera vocet vera sacrificia; nam aliud apud ipsum est verum, aliud proprium sacrificium: nam per verum ipse designat præstantius, & magis Deo gratum, quod rectè de aliis operibus, quæ non sunt sacrificia, dici potest: vnde Augustinus loquitur tantùm de sacrificio spirituali, quod significatur per res sensibiles, quæ in veteri lege offerebantur, eo modo, quo dicitur veritas rei, vt distinguitur à signo suo, vt rex ab imagine; homo viuus dicitur verus, vt distinguitur à picto, vel alio, quod secundùm quid tale est.

*Non comprehendit sacrificia legis*

Vnde noluit in illa definitione comprehendere sacrificia veteris legis, quæ in mactatione animalium consistebant, & immutatione rerum sensibilium: quia *in cap. præced.* docet sacrificiis sensibilibus, quæ in veteri Lege offerebantur, significare Deum voluisse illas res, quæ in nobis aguntur, ad hoc tantùm vt inhæreamus Deo, & ad eundem finem, proximo consulamus: & subdit, *Sacrificium ergo visibile inuisibilis sacrificij Sacramentum, id est, sacrum signum est*: hoc autem inuisibile sacrificium, *initio cap.* 6. definit vt *suprà*.

8

*Explicatio Scripturæ.*

Ex quo patet ad locutiones etiam illas Scripturæ, quæ de sacrificio latè sumpto intelliguntur, quatenus in eo recognoscitur Deus, obediendo eius voluntati; sicut per religionem adhæremus ipsi per protestationem suæ excellentiæ in cultu: vnde etiam illa opera bona vocantur in Scriptura etiam religio; Iacobi 1. *Religio munda, & immaculata apud Deum & Patrem, hæc est, visitare pupillos & viduas, & immaculatum se custodire ab hoc sæculo.*

*Translatio secùndùm proportionem.*

Inde etiam sancti Patres accommodant aliquando ea, quæ propriè ad sacrificium spectant, ad actus etiam virtutum, vt Altare, Sacerdotem, victimas: vt Cyprianus *epist.* 77. dicit nos ipsos esse hostiam in sacrificio contriti cordis. Basilius *in Psalm.* 115. cor nostrum esse altare, in quo sacrificium laudis offerimus. Origenes *homil.* 9. *in Leviticum*, corda nostra esse altaria, & nos omnes esse Sacerdotes ad hostias orationis, & pietatis offerendas Deo. Gregorius 25. *Moral.* cor nostrum esse diuinum altare, in quo præcipitur ignis semper accendi.

Cyprianus.

Origenes.

*Quomodo admittenda metaphora.*

His ergo de sacrificio in communi dictis iuxta metaphoricam acceptionem, quæ eatenus admittenda est, quatenus vera sacrificij propriè dicti ratio non destruatur, vt hæretici negant quoad sacrificium altaris. Vlteriùs insistendum est in secunda acceptione declarando veram eius essentiam, de qua satis prolixè moderni tractant.

*Sacrificium esse actum religionis.*

Constituendum ergo sacrificium sub virtute religionis, quæ est pars potestatiua iustitiæ in genere, & distincta specie à reliquis, quæ distinctio peti debet à diuersa ratione debiti, quia sicut aliter se habet homo ad Deum, aliter ad alios homines, vt ad proximum, secundùm iustitiam commutatiuam, vel amicitiam, ad parentes secundùm pietatem, & obseruantiam, sic ad superiores per obedientiam, quæ distinguuntur.

*Quomodo attenditur virtus ad alterum.*

9

Sic etiam ad Deum, quà est primum principium, & vltimus omnis creaturæ potissimùm rationalis, sic, inquam, consurgit debitum: quia nihil liberaliter operatur homo ad Deũ, cùm omnia

quæ

quæ habet bona illius sunt, sicut seruorum Domini; & nihil eorum cedit in vtilitatem Dei: ideò quidquid agit ad Deum, agit ex ratione debiti.

*Duplex debitum ad Deũ in homine, Obedientiæ, & religionis.*

Duplex autem est debitum respectu Dei, aliud obedientiæ, inquantùm legislator est, & hoc alterius rationis est à debito religionis: vnde qui auditSacrum, quia tenetur præcepto, satisfacit huic debito: qui autem audit ex cultu, & honore Dei, agit secundùm religionis debitum.

*Debitum religionis duplex.*

Quod duplex est, aliud morale, aliud legale; morale est, quod fit ex supererogatione, & absque obligatione præcepti, vt quando quis operatur ex consilio bonum, verbi gratiâ orat. Aliud legale quando vrget, & tenetur, vt quando dicit horas Canonicas, ad quas tenetur. Debitum morale dicitur secundùm exigentiam virtutis, & congruitatem, finem, & conuenientiam materiæ, vt perfectè conseruet virtutem, & honestatem, applicando media conducentia, & exercendo actus eius.

*Debitum morale, seu congruitatis, & legale.*

10

*An debitum legale semper incurratur.*

Aliqui dicunt religionem in aliquibus actibus habere debitum morale, & congruitatis, quando non sunt præcepti: aliqui dicunt semper habere debitum legale in quibuscumque operibus quoad specificationem, licèt non quoad exercitium, quia nunquàm possumus soluere debitum Deo quidquid agamus, quia hoc est interminabile, sicut æstimatio, & dignitas, seu honor Dei. Vnde sicut aliquis, qui debet alteri, & soluit ante tempus aliquid, dicitur soluere debitum, licèt illo tempore non obligetur soluere: ita etiam qui soluit Deo aliquod opus religionis, vt orationem in communi, non tamen debeat soluere ex obligatione.

*Debitum non sumi ex obligatione.*

Non ideò tamen purem religionem dici ad alterum, seu habere rationem debiti, sed quia seruat medium in actibus suis, & honestatem in ordine ad alterum, id est, Deum, siue quæ sunt in præcepto, siue quæ sunt in consilio, siue obligatione, & hoc est versari in medio circa alterum. Addo vlteriùs debitum illud legale non inueniri in omnibus actibus, quia alioquin obligaret in particulari sub disiunctione ad aliquem semper, quia præceptum trahit secum necessitatem ponendi alicuius actus, quæ obligatio non inuenitur in multis actibus religionis, aliàs semper, & pro semper obligaremur ad aliquem indeterminatè: fundamentum autem obligationis prætensæ non inducit aliud, quàm maiorem congruentiam operandi, quia non possumus ad æqualitatem retribuere Deo, sicut nec patriæ, nec parentibus, sicut alia debita per condignam satisfactionem ordinantur: quod perinde currit in omnibus, quæ sunt ad Deum, quantùm ad æqualitatem operis, licèt non quantùm ad præscriptum Legis.

*Debitum legale non est in omni actu.*

11

*Quomodo religio distinguitur à virtutib infusis.*

Vlteriùs supponendum religionem respicere Deum non immediatè, sicut Theologiæ virtutes, spes, fides, charitas, quæ sunt circa Deum, in quo distinguuntur à moralibus, quæ respiciunt proximè aliquod creatum: religio autem est species iustitiæ in genere, & ideò moralis, cuius obiectum proximum est cultus Dei per exercitium illorum actuum, qui protestantur, & significant excellentiam Dei, vt est vltimus finis, primum principium creaturarum, in quo tamen distingui potest ab aliis virtutibus, quòd respiciat Deum, vt obiectum materiale proximum.

*Pius iustitia.*

Nam sicut iustitia seruat medium in ordine ad alterum, quamuis respiciat proximè illos actus, qui ponunt æqualitatem inter operantem, & aliam personam cui debentur; tamen in illis non sistit absolutè, sed respectiuè ad alterum inquantùm ius ad actus eius, cui vt satisfiat exercentur: sic religio cùm sit virtus in ordine ad Deum, vt ad alterum, cui debentur speciali iure, actus eius non sistit in ipsis actibus absolutè, sicut virtus, quæ est in ordine ad se (at temperantia in moderatione appetitus non referendo actum ad alium) sed actus suos ordinat ad Deum, cui debentur.

Insuper duplex est in genere actus religionis, alius internus, alius externus: internus est affectus efficax colendi Deum; externus verò est ipse cultus vt genuflexio, &c. qui oritur ex æstimatione diuinæ excellentiæ, & consistit in significatione eius per debitam subiectionem creaturæ ad ipsum, exhibendo talem cultum; & vocatur deuotio, quasi seipsum deuouendo Deo. Antiquitus enim dicebantur deuoti, qui se idolis in mortem deuouebant pro salute exercitus, & patriæ. Huic actui accedit alius, & dicitur oratio.

*Duplex actus religionis.*

12

*Excellentia Dei.*

Hæc autem excellentia consurgit ex variis attributis, vt omnipotentiæ, quæ est primum principium, vltimi finis, benefactoris, gubernatoris, iudicis, bonitatis, misericordiæ, sapientiæ, &c. quæ dicunt excellentiam ex parte Dei, & motiuum honoris respectiuè ad creaturam: quæ reducuntur ad illam generalem rationem excellentiæ, principij, & finis vltimi.

*Actus externus.*

Actus autem externus cultus imperatus est ab interno, vt genuflexio, &c. & consistit in actu corporis, vel vsu alicuius rei corporalis ad effectum cultus, quem significant, vt sunt sacrificia, & reliqua, quæ ad cultum ordinantur.

*Duplex vsus rei extremæ ad cultum.*

Duobus autem modis contingit hic vsus, vel attribuendo aliquid Deo, vel assumendo aliquid diuinum ad nostrum vsum, in quo subiicitur homo Deo: hic posterior modus contingit in vsu Sacramentorum, quibus sanctificatur homo, vt sit Deo subiectus, tanquam suo sanctificatori, & magis dispositus, & idoneus vt ei seruiat. Item, quando assumitur Dei nomen in iuramentum ad confirmandam veritatem, quia sic etiam subiicitur homo Deo, tanquam regulæ primæ veritatis, ex cuius inuocatione, & reuerentia operatur.

*Vsus Sacramentorum.*

*Vsus iuramenti.*

13

*Primus modus cultus externi.*

Prior modus contingit, vel in actibus corporis, inclinatione, genuflexione, adoratione, & aliis modis, quibus contingit Deo exhiberi reuerentiam in se, aut suis creaturis, vt in Sanctis, & rebus sacris: vel etiam contingit in rebus externis, vt in sacrificiis, quæ immediatè soli Deo offeruntur, & oblationibus, quæ aliquando Deo immediatè, aliquando mediatè offeruntur, vt eius ministris, vt sunt decimæ, & primitiæ, & eiusmodi.

*Sacrificium soli Deo immediatè offertur.*

*Decimæ, primitiæ.*

Præterea est votum, quando Deo aliquid promittitur, & adimpletur per opus, qui sunt duo actus. Ad religionem etiam spectat oratio, sed communiùs reducitur ad actus internos, quia in interiori principaliùs consummatur.

*Votum.*

*Oratio.*

Et si quæras, an distinguantur specie hi actus tam interni, quàm externi? Respondetur, Nominales docere omnes actus vniuersim distingui specie quorum materia est diuersa specie physica. Plures Thomistæ docent oppositum, omnes nempe actus religionis esse eiusdem rationis moralis in specie, verbi gratiâ iuramentum & sacrificium. quamuis secundùm materiam physicam distinguantur.

*Dubium.*

*Sent. Nominalium.*

*Secunda sent.*

Respondetur neque vnam, neque alteram senten

*Vtraque reiicitur.*

sententiam esse veram, quia nec materia diuersa physicè vniuersim infert diuersitatem in bono morali, neque econtrà vna moralitas in specie sequitur ad quascumque diuersas materias, quod non est huius loci probare.

14 *Responsio. Diuersitas motiui distinguit actū. Quando motiuum est diuersum?*

Dico breuiter, quando motiuum in specie variatur, actum variari moraliter, quia à motiuo sumit suam specificationem: vnde quando materia actus transit in rationem formalem obiecti, ob specialem habitudinem, quam dicit ad honestatem virtutis, tunc variare actum: quando autem non dicit talem habitudinem, diuersitas materiæ non variat actum: exempli gratiâ, vita hominis, fama eius, & bonum fortunæ, diuersa sunt bona, quæ ipsi debentur, & secundùm diuersos modos ipsi conueniunt, quia maius bonum eius est vita, quàm fama, & hæc quàm bonum fortunæ: inde vita ei magis coniuncta est, quàm fama; & fama quàm bona externa: sic homicidium, infamia, furtum, sunt diuersa in specie peccata, sicut & intemperantia carnis, & libido differt ab ebrietate, quæ sunt peccata contra temperantiam.

*Materia non variat si motiuum est idē.*

Econtrà quando materia diuersa non transit in rationem formalem motiui intrinseci, de quo loquimur, neque diuersam conuenientiam in ratione boni dicit ad rationem rectam, tūc non variat moralitatem actus, verbi gratiâ, furari equum, aut bouem; inglutiies per saturitatem panis, aut certè alterius cibi; ebrietas per vinum, aut ceruisiam, sunt peccata eiusdem speciei.

15 *In religione quādoque diuersa motiua.*

In virtute autem religionis similis diuersitas in materia reperitur; nam licèt respicit in genere cultum Dei eiúsque excellentiam, sicut iustitia respicit in specie sumpta bonum alterius, tamen ille cultus ex diuersis motiuis specialibus diuinæ excellentiæ concipi potest, vt iuramentum ex motiuo veracitatis, quæ nec falli, neque fallere potest, proinde adducitur in testimonium; sacrificium verò quod respicit Deum sub ratione primi principij, & vltimi finis; tunc actus variantur in specie: secus est, quando materia per accidens se habet, vt vouere hoc, vel illud Deo, aut negare Deum ore, vel facto, sacrificādo idolo, etiam sunt eiusdem speciei, nam quod negetur Deus in voce, aut facto, non constituunt diuersa signa, neque diuersam moralitatem.

*Eodem modo sumitur distinctio actuum.*

His per compendium dictis, quæ etiam ad varias materias morales applicari possunt: supereſt vt naturam sacrificij, eiúsque definitionem explicemus.

16 *Sacrificium est actus externus.*

*Secunda conclusio.* Sacrificium est actus externus religionis, vt constituitur in genere sacri signi. Hæc communis est omnium, præter iam citatos; & patet ex Paulo loco citato quoad primam partem, & ex dictis in conclusione prima, & ex declaratione iam præmissa. Quòd sit signum patet ex dictis, quia fit in significationem diuinæ excellentiæ, eiúsque protestationem cum submissione nostra ad ipsum: vnde Augustinus 10. de Ciuitate docet, *Sacrificium visibile esse inuisibilis sacrificij signum.* & epist. 43. quæst. 3. *Intelligendum est, quàm sit res antiqua sacrificium, quod non nisi vni vero Deo offerri debere veraces, ac sacræ literæ monent*, &c.

*Est in genere signi.*

*Augustinus.*

17 *Soli Deo offertur.*

*Tertia conclusio.* Sacrificium includit supremum cultum externum latriæ. Patet ex Augustino iam citato: patet etiam ex communi conceptione gentium tam fidelium, quàm infidelium, quæ nunquam obtulerunt sacrificia, nisi vero Deo, aut quem putabant, & profitebantur esse Deum: vnde Genesis 22. *Postquam adorauerimus, reuertemur ad vos*, &c. Sumitur adoratio latriæ antonomasticè pro sacrificio: significat ergo sacrificium, & cultum Dei internum, à quo procedit tanquam effectus, & in protestationem tam internæ, quàm externæ subiectionis offertur Deo, & insuper Dei excellentiam, quòd sit principium, & finis omnium; & hæc est significatio moralis.

*Significatio mystica non est de ratione sacrificij.*

Non est autem de ratione sacrificij in genere significare aliud mysticè, licèt aliqua sacrificia hanc significationem continebant, vt omnia veteris legis significabant sacrificium Crucis, vt docet Paulus 1. ad Corinthios 10. *Omnia in figura ipsis contingebant.* Et eandem significationem admittere licet in sacrificiis etiam legis naturæ ab iis oblatis, qui habebant fidem explicitam Christi, vt sacrificium Abel, Melchisedech, quod fuit figura sacrificij Altaris, vt Patres docent. De quibus sacrificiis agitur in Canone Missæ, & Paulus ad Hebræos 11. docet Abel fide obtulisse sacrificium: in sacrificiis tamen Gentium non habebatur hæc mystica significatio, neque in sacrificio Crucis, ideò in illa consistit vera sacrificij ratio. Et patet etiam in lege naturæ, in iis qui offerebant sacrificia in lege naturæ ad arbitrium sine fide explicita Christi.

18

*Quarta conclusio.* In hac significatione non distinguitur sacrificium ab aliis quibusdam actibus religionis, quibus protestamur diuinam excellentiam ratione primi dominij, & vltimi finis. Hæc est contra Vasquez *disp.* 220. *cap.* 3. vbi distinguit adorationem, oblationem simplicem, & sacrificium tanquam diuersa signa in reipsa, & significatione formali: nam adoratio est nota, quâ Deo nos ipsos subiicimus: & duo designat, nempe submissionem nostram, & excellentiam Dei, cui subiicimur.

*Vasquez sententia.*

*Adorationis notiuum.*

*Oblationis simplicis motiuum diuersum.*

Oblatio simplex non denotat nostram submissionem, sed dominium vniuersale Dei in cunctas res, in cuius significationem offerimus Deo rem aliquam, eo modo quo possumus in Deum transferre illam, quo indicemus ipsum esse Dominum omnium, quæ possidemus, potiùs quàm nosipsos.

*Sacrificij motiuum & significatio.*

Sacrificium autem est nota diuinæ omnipotentiæ, qua est author vitæ & mortis, cuius nutu res omnes sunt, & destruuntur; vnde per destructionem rei, quam sacrificamus, protestamur nostram vitam, & mortem à Deo ita pendere ad nutum, vt immutari possimus ab ipso, sicut immutatur res illa, quam destruimus in sacrificio.

19 *Sacrificium non designare dominiū vitæ, &c.*

Probatur conclusio: quamuis Deus non esset author vitæ, & mortis, deberetur ei latria ob propriam excellentiam; & non solùm quia creator est: ergo & sacrificium, quod denotat supremum cultum latriæ in rebus externis: ideóque soli Deo adhiberi potest. Consequentia patet, quia in eo casu non destruitur significatio moralis sacrificij, neque obiectum formale, quia excellentia illa Dei absoluta in se, vt Deo competit, significari posset, atque nostra subiectio per oblationem rei externæ, siue simplicem, siue etiam immutando ipsam, quia per talem immutationem significaretur Deum esse fontem omnium bonorum: quod ipsi competit in triplici genere, nempe causæ efficientis, quâ omnia producit, & conseruat, vel etiam destruit, & causæ exemplaris, quâ est bonum simpliciter, & infinitum, cuius participatio; ne cætera sunt, & dicuntur bona, ac proinde in ipsum

*Quid significat sacrificium?*

*Excellentia Dei in triplici genere.*

ipſum reducuntur,& formaliter, aut eminenter, ſine vlla imperfectione in eo continentur, ac proinde ſicut ens ſecundùm *quid* reducitur ad ſuum *ſimpliciter*;ita reliqua ad Deum.

20 *Creaturæ in Deum referuntur.*

Cauſæ finalis,quâ omnia ad ipſum reducuntur, tanquam manifeſtantia bonitatem eius:ergo præcisâ omnipotentiâ adhuc ſtat ratio excellentiæ in Deo,cuius ratione creatura in ipſum reduci poteſt, etiam per ſui immutationem tanquam eius participatio,ac proinde ſaluatur quidquid ſacrificio competit, vt diſtinguitur ab oblatione ſimplici, & adoratione, quantùm ad illam immutationem rei oblatæ ſub duplici illa ratione cauſæ, quâ,vt cauſatum, reducitur in ſuam cauſam creatura,cum ſubiectione ad ipſum, quia ſemper manet creatura.

*Probatio antecedentis.*

Antecedens principale probatur,quia per creationem,quæ eſt actus omnipotentiæ, quâ influit in creaturam,nihil aliud habetur, quàm communicatio bonitatis diuinæ ad extrà in genere cauſæ efficientis, ſed excellentia diuina in ſeipſa abſolutè,ſiue ſumatur ab omnipotentia,ſiue ab aliis perfectionibus, eſt maius bonum, quàm vt communicatur creaturis,quia hæc communicatio attenditur, vt tranſit terminum ſecundùm naturam,& capacitatem eius, quæ finita eſt, vt autem in Deo eſt,manet infinita,& in ſuo genere increato. Excellentia verò in ſuo *eſſe* perfecto magis exigit cultum,quàm ſecundùm inferiorem,& participatam:ergo & ſacrificium.

*Excellentia Dei abſolutè debetur cultus.*

*Confirm.*

Confirmatur, excellentia creata ſecundùm ſe abſolutè conſiderata,vt Sanctorum,eſt capax cultus proportionati, vel etiam, quà reducitur in Deum,abſque eo, quòd in nos quidpiam influat: ergo à fortiori excellentia diuina ad Deum abſolutè conſiderata eſt capax cultus, quia *propter quod vnamquodque eſt tale,& illud magis.*

21 *Secunda probatio.*

Secundò principaliter, omnis perfectio diuina eſt ſufficiens ratio motiua latriæ;ergo hæc poteſt exhiberi per ſacrificium. Antecedens per ſe patet,quia quælibet ratio excellentiæ inducit dignitatem,quæ meretur cultum; cultus autem debitus Deo non eſt alius,quàm latria. Conſequentia probatur, quia in ſacrificio duo includuntur, nempe quòd ſit actus latriæ, quòd ſit immutatio rei,quæ offertur, ipſam deſtruendo: quoad primum non eſt controuerſia:quoad ſecundum probatur conſequentia, quia hæc immutatio poteſt fieri in honorem alterius, verbi gratiâ Principis, vt contingit in pompis, in quibus ad maiorem gloriam Principis diſpendium rerum multi vltrò incurrunt;in honorem Sancti,vt contingit in feſtis, quibus congruè ſignificat homo ſe æſtimare pluris honorem,& cultum, quàm commodum ex re,quam deſtruit.

*Immutatio rei quid ſignificet?*

22 *Æſtimatio approbatiua.*

Sic etiam velle vitam,famam,& omnia impendere ob honorem Dei,aut Principis,vt Paulus dicebat,*Omnia detrimentum feci,& arbitror vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaciam*: & illud Euangelij, *Qui non reliquerit patrem & matrem,&c. propter me, non eſt me dignus*:hoc,inquam, velle, & paratum eſſe impendere,ſpectat ad cultum appretiatiuè, & ſignificari poteſt reſpectiuè ad Deum per immutationem rei, quæ offertur: ergo hæc appretiatio cultus diuini, & ſuæ excellentiæ erit congrua ſignificatio rei immutatæ in ſacrificio, & ad illam ſignificandam eſt congrua proportio in illa rei oblatę immutatione,quæ ex natura rei non ſignificat cultum, ſed ex impoſitione: vnde ſicut eſſe ſignum cultus conuenit ſacrificio, ex impoſitione,& reliquis externis actibus;ita etiam hæc differentia debet eſſe eiuſdem generis, quia modus ſignificandi reducitur ad idem genus cauſæ,à quo eſt ſignificatio: ergo nec limitatio Vaſquez, quam adhibet ſacrificio in ſignificando, habet fundamentum, quia neque ex Patribus, aut Scripturis, vel antiquis Theologis conſtat, ita impoſitum eſſe, neque congruentia illa ex proportione rei ſumpta, quâ immutatur, conuincit ita arctandam eſſe ſignificationem eius,quin eandem proportionem etiam habeat ad ſignificandum aliud,vt prædictum eſt.

Tertiò ſacrificium Crucis fuit verum ſacrificium,& primarium, ad quod cætera veteris legis referebantur, & in cuius memoriam celebratur etiam ſacrificium nouæ legis;per illud,*Hoc facite in meam commemorationem*, Lucæ 22. 1.ad Corinthios 11. *Hæc enim quotieſcumque feceritis mortem Domini annunciabitis donec veniat*. Sed hoc ſacrificium non ex motiuo omnipotentiæ diuinæ, quà eſt Deus author vitæ,& mortis fiat oblatum, ſed ex motiuo iuſtitiæ, & miſericordiæ, ad redemptionem generis humani, in condignam ſatisfactionem pro peccatis omnium, vt Scriptura docet:& vbique Paulus Apoſtolus in ſuis epiſtolis, & omnes Prophetæ: vnde Concilium Conſtant. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis;& incarnatus*,&c. Nulla enim fuit neceſſitas huius ſacrificij propter opera creationis,ſed ad tollendum peccatum, & reſtaurandum ea,quæ in cœlis,& in terris ſunt *in ipſo,per ipſum*, &c. ad Epheſios 1. vnde illud: *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum*; vbi expreſsè ſignificatur motiuum mortis Chriſti, & ſacrificij cruenti:ergo immutatio vitæ Chriſti in mortem per paſſionem, & Crucem, non fuit ex prædicto motiuo, ſed ex alio iuſtitiæ, & miſericordiæ. Motiuum enim creationis fuit oſtenſio potentiæ,& ſapientiæ, quæ ſufficienter manifeſtatur in creatione.

23 *Tertia probatio. Sacrificium Crucis.*

*Eius motiuū.*

Conc. Conſtant. *Cauſa mortis Chriſti.*

Confirmatur non ſolùm Deo,vt eſt author vitæ,& mortis corporalis,debetur ſacrificium, ſed vt eſt author vitæ ſpiritualis,& ſupernaturalis,& ſanctificator noſter tam à culpa, quàm à pœna, quia primum non eſt magis bonum,quàm ſecundum, neque magis redundat in laudem, & excellentiam Dei primum,quàm ſecundum, aut in beneficium noſtrum:neque minùs dicitur immutari propriè ſecundùm donum creationis, quàm ſanctificationis: ergo non minùs ſignificabit ſacrificium congruè per rei immutationem vnum, quàm aliud, neque magis debetur ex vno titulo, quàm ex altero: ac proinde non erit de eſſentia ſacrificij offerri in ſignum omnipotentiæ, vt eſt cauſa vitæ & mortis corporalis præcisè.

24 *Author ſupernaturalis vitæ debetur cultus.*

Quartò,offerendo ſacrificium Deo, vt eſt primum principium omnium, ſufficienter exprimitur illa differentia, quòd ſit author vitæ,& mortis, quia id ipſi competit, vt eſt primum principium rerum per omnipotentiam ſuam, quâ res creat, & conſeruat:ergo ſuperfluit omnis alia expreſſio.Patet conſequentia, quia non eſt alia ſeruitus,aut ſubiectio creaturæ ad Deum,quà eſt author vitæ,& mortis,ab illa ſubiectione,& dependentia,quam dicit ad eum, vt eſt primum principium eius, neque etiam influxus Dei in creaturam, ſumendo vniformiter rationem primi principij,& authoris vitæ,id eſt,vel vniuerſaliter, vel particulariter:ergo nō ſpecificat diuerſam rationē cultus,

25 *Eſſe authorē vitæ & mortis denotat primum principium.*

cultus, alioquin diceret formale motiuum excellentiæ diuersum; ac proinde sine fundamento inducitur illa distinctio cultus, & oblationis simplicis in hoc, quòd hæc sit nota dominij, quæ conuenit primo principio; illa verò dominij authoris vitæ.

*Differētia assignata impugnatur.*

Ex quo excluditur illa eiusdem doctrina, quâ dicit oblationem simplicem non denotare subiectionem nostram, aut offerentis ad Deum; sed tantùm offerri rem in notam dominij vniuersalis. Hoc enim magis spectaret ad professionem fidei, quâ creditur Dominus vniuersalis; aut certè ad genus restitutionis, quâ res propria Deo datur, aut gratitudinis; quàm ad cultum, qui nullo modo intelligi potest, sine submissione colentis ad Deum, quem honorat; quia honor est in honorante magis quàm in honorato: omnis ergo actus religionis essentialiter includit cultum, & subiectionem creaturæ ad Deum; & res oblata eam submissionem significat, quia in signum eius fit; alioquin non specificaretur à motiuo formali.

26

*Vltima probatio. Oblatio, & adoratio possunt esse ex motiuo authoris vitæ, &c.*

Vltimò tandem patet conclusio, quia oblatio simplex, & adoratio potest concipi ex motiuo etiam authoris vitæ & mortis, sicut & gratiarum actio: ergo non rectè distingnitur ex motiuo. Antecedens patet, quia cultum interiorem debet creatura ex tali motiuo: ergo potest ipsum significare vel verbis laudando, vel adoratione corporis, vel certè oblatione alicuius rei simplicis; sicut contingit in iis, qui vouent aliquid offerre Deo ob salutem recuperandam, aut recuperatam euitando mortis periculum: hæc oblatio non præscindit à motiuo illo, quod est beneficij recepti, neque exoratur Deus pro salute, nisi vt est author vitæ, & mortis. Et idem dico de adoratione, quia illa adoratio Iob, auditâ morte filiorum, videtur fuisse talis: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est*, &c.

*Votum ob salutem conceptum.*

*Adoratio Iob.*

27

*Tres actus præmissos esse posse ex eodem motiuo.*

Possunt ergo illi tres actus ex eodem motiuo formali concipi, & tantùm materialiter sic distingui, sicut fit in aliis signis ex instituto; nam vox præconis, sonus campanæ, possunt significare idem, vt congregationem populi, vel eiusmodi. In signis sacris idem patet, quia eundem cultum interiorem possum significare, vel voce, vel inclinatione capitis, vel adoratione, vel oblatione, vel sacrificio; quæ omnia concipi possunt ex eodem motiuo, & referri ad manifestandum eandem excellentiam Dei: sic etiam in Sacramentis, verbi gratiâ, in Baptismo, ablutio, & verba significant eandem gratiam baptismalem.

Nulla est autem repugnantia ex natura rei, aut impositionis, aut ex proportione desumpta à re, quæ significat, quin ad idem referantur: & hæc omnia indifferenter quoad vsum sumunt specificationem ab actu interno summissionis, & ab illo motiuo excellentiæ, ex quo concipitur.

28

*Distinguuntur vt sunt ex differenti motiuo.*

Vnde sequitur, quando ex differenti motiuo exhibentur, tunc distingui specie, quia signa specificantur à signato formaliter, de quo non refert ad præsens, quantùm ad modum: quidquid enim sit an voces significent res, aut conceptus, aut vtrumque; in præsentiarum, actus religionis significant, & subiectionem creaturæ ad Deum internam, quam saltem connotant per modum principij, & diuinam ipsam excellentiam, ex qua concipitur formaliter, & primariò, vel per modum diuersorum, vel per modum vnius.

Quia excellentiam protestantur per modum excedentis, & respectiuè ad creaturam subiectam, vel subiectionem respectiuè ad excellentiam: siue vnum, siue alterum dicat in recto, siue hæc duo per modum complexionis vnius, loquendo de actibus externis.

*Modus concipiendi actum internum.*

Quia interni respiciunt externos vt obiectum proximum, quando in ipsos transeunt; quando verò non transeunt, vt in Angelis, & animabus separatis, in quibus non est cultus corporalis, aut materialis, distingui possunt duo actus, alius imperans, qui est principium colendi, alius imperatus, in quo consistit ipse cultus exhibitus: quamuis fortè non sit necessarium multiplicare actus, quia eodem actu ex motiuo excellentiæ diuinæ, & subiectionis proprię ad Deum, potest coli Deus à substantia spirituali, etiam ab homine; quamuis ille actus in homine de facto non dicatur cultus, quando non sistit in eo voluntas, sed ipso mediante transit in cultum corporalem imperatum; qui absolutè cultus dicitur in nobis non per antonomasiam; sed ad distinctionem, quia nempe ita est cultus, vt non sit etiam principium, aut causa alterius cultus à se distincti, sicut internus actus se habet vtroque modo; sed ad hoc reduci debent, quæ diximus *suprà* de distinctione cultus interni, & externi.

*Cultus in Angelis, & in animabus separatis.*

*Cur actus externus dicatur simpliciter cultus.*

Ex dictis sequitur quot modis excellentia Dei considerari possit, vel in se absolutè, vel respectiuè ad creaturam; tot etiam modis considerari posse subiectionem creaturæ ad Deum, & seruitutem vtriis titulis fundatam. Primò, excellentia Dei in se absolutè, quà perfectio eius est, meretur cultum à creatura ratione sui, & subiectio creaturæ ad ipsam est in eo, quòd vt minus bonum sit eius participatio, & ad eam reducatur, vt dictum est in primo argumento: deinde secundùm genus causæ exemplaris, & finalis subiicitur creatura Deo, & dicit debitum seruitutis. Item, secundùm genus causæ efficientis ratione creationis, & ratione etiam redemptionis, sanctificationis, & glorificationis fundantur speciales tituli eiusdem debiti seruitutis, & dominium ex parte Dei.

29

*Varia motiua excellētiæ, & subiectionis.*

Ex his omnibus simul, seu in genere exhiberi potest cultus, siue per adorationem, siue per oblationem rei simplicem, siue per oblationem eius cum sui immutatione, vt contingit in sacrificio; siue per laudem in voce, sicut etiam ex singulis motiuis in specie possunt adhiberi iidem actus.

Quando autem actus concipiuntur ex diuersis motiuis, tunc distinguuntur in sua specie morali; quando ex iisdem erit solùm distinctio materialis, non moralis, aut significationis, quæ idem sunt in proposito; non secus ac in aliis signis contingit, verbi gratiâ, sacramentalibus, vt in Baptismo res & verba significant idem formaliter (demus verba magis expresè significare, quod non variat ex se signi rationem, nisi quando illa expressio denotat diuersum modum essendi significati) materialiter autem, seu physicè distinguuntur.

30

*Distinctio, & conuenientia cultus.*

Eum duplicem modum adorandi diuinam excellentiam siue absolutè, siue respectiuè, tradit

Doctor *in 3.dist.9.quæst.1.art.3.* ex quibus concipi potest definitio sacrificij.

Vasquez. Illud definit Vasquez, *Sacrificium est nota in re, quâ profitemur Deum authorem vitæ & mortis.* Sed hæc non subsistit, quia neque sacrificium ex solo illo motiuo offertur, neque definitur per genus proximum, sed per signum, quod est genus remotum. Hanc definitionem assignat ipse ex parte formæ, seu significationis, quæ etiam commodari potest oblationi simplici, quia etiam potest ex eodem motiuo offerri ad significandum Deum esse authorem vitæ & mortis: ergo suppositâ distinctione formali vtriusque in significando (vt ipse prætendit) non rectè exprimitur distinctio sacrificij ab oblatione.

*Definitio sacrificij reijcitur.*

31 *Altera definitio.* Definit aliter ex parte materiæ, *est res quæ per sui immutationem Deo offertur.* Hæc quidem vera est, sed tenendo immutationem rei spectare ad significationem formalem, non rectè dicitur materialis.

*Duplex modus definiendi relatiua.* Notandum itaque sicut in omnibus relatiuis contingit, posse variis modis considerari sacrificium, & definiri, vel in ordine ad terminum & fundamentum, vel in ordine ad hæc, & simul alias extrinsecas, siue causas, siue conditiones. In ordine ergo ad extrema potest definiri sacrificium sic; *quòd sit actus externus religionis, & oblatio rei cum sui immutatione, facta in ordine ad Deum immediatè significans eius excellentiam & dominium, cum subiectione creaturæ ad ipsum:* in qua definitione exprimitur quidquid hactenus diximus pertinere ad rationem sacrificij.

*Definitio sacrificij.*

*Explicatur.* In hoc quòd sit *actus religionis*, conuenit cum reliquis; quòd sit *oblatio rei*, distinguitur ab adoratione, quæ fit per corporis inclinationem, quòd fiat *cum immutatione rei*, distinguitur ab oblatione simplici rei factæ immediatè Deo; quoad reliqua, exprimitur eius significatio in ordine ad terminum, & distinguitur ab oblatione facta Deo mediatè, vt à primitiis, & decimis, &c.

32 *Obiectio. Ex sacrificio Melchisedech.* Obiicies sacrificium Melchisedech fuisse sine immutatione rei cum simplici oblatione panis & vini. Respondent aliqui concedendo antecedens. Respondent alij negando idem antecedens, quia licèt Scriptura non indicet ibi quomodo fuerit sacrificium illud oblatum, quia obiter transiuit, insinuat tamen fuisse verum sacrificium, quia subdit: *Fuit enim Sacerdos Dei Altissimi.* significat ergo illam oblationem fuisse ex authoritate Sacerdotij Melchisedech, quod est sacrificare, ac proinde per aliquam immutationem rei oblatæ factam, quam non exprimit.

*Alia definitio sacrificij.* Alia definitio sacrificij assignatur in ordine ad omnia, quæ exiguntur; vt *quòd sit oblatio externa legitima authoritate instituta, quâ res aliqua sensibilis immutatur per legitimum ministrum, legitimo loco, & ritu Deo facta ad protestationem summi ipsius in res omnes dominij.* In qua definitione præter reliqua iam explicata additur *institutio* primùm, quia debet hæc accedere ad rationem signi.

33 *Dubiũ de institutione sacrificij. In lege scripta fuit diuina institutio.* Dubitatur autem qualis, & à quo? Quantùm ad legem scriptam, seu veterem, seu nouam, certum est omnia sacrificia instituta esse à Deo, vt constat ex Scriptura: sola difficultas est in lege naturæ. Aliqui volunt hoc fuisse sub arbitrio colentis Deum, saltem in aliquo populo fuisse ex authoritate publica, in aliqua familia ex authoritate capitis in illa. Debet ergo sicut ad cætera signa, accedere aliqua authoritas publica, quia alioquin non esset signum aliis, sed soli offerenti.

Dicunt ergo aliqui authoritate humanâ illa fuisse instituta, quod verum est de sacrificiis Gentium, in quibus fuit falsus cultus. Quoad ea autem, quibus Deus verus colebatur, licèt probabile sit potuisse ex natura rei etiam institui sacrificium ab authoritate humana, probabilius est fuisse instituta à Deo, vel immediatè tradente Patribus rem & modum, vel certè ex speciali instinctu eius fuisse instituta sacrificia legis naturæ, quæ placebant Deo. Hæc est Doctoris *suprà dist.2. quæst.7.*

*Sacrificia legũ naturæ etiam à Deo præscripta sunt.*

Probatur, quia in ratione cultus exigitur vt placeat Deo, & acceptetur, quantùm est ex se; sed hoc nequit sciri, nisi ex speciali reuelatione, aut instinctu sciatur beneplacitum Dei: ergo illa sacrificia, quæ placebant Deo, saltem ex his fuerunt instituta.

*Probatio, quia placebãt Deo.*

34 *Confirmatur. Ob significationem mysticam.* Confirmatur, quia in sacrificiis illis, de quibus Scriptura agit, & docet placuisse Deo, fuit significatio mystica; sed hanc non potuerunt habere à sola impositione humana, quia non extenditur cognitio hominis ad rem significatam, nisi per reuelationem: ergo à Deo. Antecedens patet in sacrificio Abel, Abraham, Melchisedech, vt constat ex canone Missæ.

*Secunda probatio. Ob cõuenientiã, & distinctionem cultus.* Secundò, quia congruum erat populum Dei in ritu, & cultu differre ab idololatris, iuxta illud Augustini 19. contra Faustum: *In nullum nomen religionis siue verum, siue falsum coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum visibilium consortio colligantur:* ergo signa distinctiua religionis fuerunt in lege naturæ, non alia, quàm in sacrificiis: ergo hæc in sua significatione habuerunt aliquam dependentiam ab institutione diuina; non autem ad arbitrium fiebant. Augustin.

Tertiò, in illa lege requirebatur minister & Sacerdos, vt patet ex Paulo ad Hebræos 5. *Nemo assumit sibi honorem, nisi vocatus, tanquam Aaron:* sed designatio ministri non fuit ex institutione humana, sed ex authoritate diuina: ergo idem dicendum de oblationibus, quia authoritas concessa ab aliquo, vt sciatur eius virtus, debet explicari, ad quæ, & quomodo extendatur, quatenus vsus eius in exercitio fiat legitimus, & certus, completur enim in scientia, & potestate hæc authoritas: vnde sicut electio Sacerdotis, & ministri fiebat diuinâ authoritate, videtur similiter fuisse determinatus cultus, & modus colendi; nam finis ministerij fuit cultus, ad quem ordinatur; ac proinde determinari debuit.

*Ex Sacerdotio illius legis.*

*Requirebat scientiam, & potestatem.*

Quartò, saltem hoc verum est de sacrificio, in quo consistebat remedium legis naturæ, quia illud fuit etiam Sacramentum sanctificans à peccato originali, quem effectum non potuit habere ab homine; ergo à Deo. Et quamuis Gregorius 4. *moralium*; quod habetur *de consecratione*, dist. 4. cap. *Quod apud*, &c. dicat: *quòd apud nos aqua Baptismi, hoc egit apud veteres sola fides; vel pro maioribus virtus sacrificij*, illud, *sola fides*, vt exponit Doctor, intelligi debet non de fide solitaria, vt præscindit à signo externo, sed pro signo externo professionis fidei; quo sensu Baptismus vocatur ab Augustino sæpè contra Donatistas

35 *Quarta ratio. Ex remedio legis naturæ.* Gregor.

natistas Sacramentum fidei; sicut & fidem Ecclesiæ dicit valere pro paruulo, ac pro ipso respondere. Hæc ergo præbent congruitatem diuinæ institutionis, vel solius; vel cum dependentia ad ipsam: aliqua etiam sacrificia legis naturæ inuenimus præscripta esse à Deo, vt Isaac, & victima, quam obtulit Abraham, Genes. 15.

*Quædam leguntur præscripta à Deo.*

36 *Quinta ratio.* Quintò, nisi determinaretur materia sacrificij à Deo, vnde sciri posset, quin liceret etiam infantes occidere in cultum Dei, & adultos, sicut ipse præcepit immolari Isaac: oportet ergo institutionem aliquam Dei interuenisse: neque refert, si dicatur id fuisse lumine naturæ notum & prohibitum: quia alioquin Deus non præcepisset sibi offerri Isaac, si esset hoc malum ex natura rei, & non ex beneplacito diuino notificato Patribus.

*Ob institutionem necessariam.*

Et quamuis lex naturæ doceat non esse absolutè occidendum aliquem; tamen oblatio hominis facta Deo non censebatur ab idololatris simplex homicidium, sed hostia oblata Deo, cui vita illius hominis tanquam authori debebatur: vnde sicut congruitas cultus externi ad significandum dominium Dei in res ipsas oritur ex dominio ipsius in res, cùm idem dominium sit in nos ipsos, & vitam; non videtur tanquam lumine naturæ notum non licuisse sic offerre vitam cum sui immutatione, sicut offertur simplici oblatione; sed ex diuino beneplacito, & lege sancitum, quod per reuelationem primò sciri debuit.

37 Eusebius. Vnde Eusebius *lib. 1. Euangelicarum demonstrationum, cap. 10.* docet, loquens de sacrificiis Patrum, quæ excogitata sunt in cultum Dei: *Quam sanè excogitationem*, inquit, *temerè extitisse, aut humano more exortam putandum non est, sed diuino potius nutu insinuatam: etenim cùm morum sanctitate præstarent, Deóque penitus addicti essent, & ob eam rem, quasi diuino Spiritu illustrati viderent magno sibi opus esse obsequio, si sua ipsorum humana delicta diluere vellent, pretium pro salute sua ei, qui vitam atque animam præbuisset, se debere putabant: sed cùm nihil præstantius, aut pretiosius anima sua haberent, quod dicarent; pro hac interim brutorum animalium vitam offerebant*, &c.

*Patres nō temerè obtulerūt sacrificia.*

Cassianus. Idem sentit Cassianus collat. 8. cap. 23. *Deus*, inquit, *hominem creans omnem ei naturaliter scientiam legis inseruit, qua si fuisset ab homine secundùm propositum Domini, vt cœperat, custodita, non vtique necessarium fuisset aliam dari, quæ per literam posteà promulgata est: erat enim superfluum extrinsecus offerri remedium, quod adhuc intrisecus vigebat insertum.* Et infrà: *Nam quia sit homini omnis scientia legis creatione infusa, hinc manifestè probatur, quòd mandata legis absque literæ lectione ante legem, imò ante diluuium omnes Sanctos obseruasse cognoscimus. Quemadmodum enim scire potuit Abel necdum lege mandante, quòd offerre Deo de primogenitis ouium suarum, & de adipe ipsarum sacrificium debuisset, nisi per insitam sibi legem naturaliter fuisset edoctus? Quemadmodum Noë, quod mundum, vel immundum esset animal discreuisset, nondum hac legali distinguente mandato, nisi scientiâ naturali fuisset instructus?* Quod vlteriùs probat exemplis Enoch, Abraham, Lot, & Iob, qui per scientiam legis infusam non solùm veteris Testamenti, sed nouæ mandata custodiebant.

*Scientia legis ipsis indita.*

*Scientia mandatorum infusa.*

*Probat exēplo sacrificiorum.*

38 Augustinus. Augustinus *epist. 49.* id docuit quæst. 2. *Desinant ergo* (supple Gentiles) *obijcere nobis, quod omni secta, & omni nomini religionis obijci potest: cùm enim non fortuitò labi, sed diuinâ prouidentiâ tempora ordinari fateantur, quod cuique tempori aptum, & opportunum sit humanum consilium prætergreditur, & illicò dispergitur; vnde ipsa prouidentia rebus consulit.* & quæst. 3. *Sacrificium*, inquit, *cùm exhibetur Deo secundùm veram eius inspirationem, & doctrinam, vera religio est.* Hanc autem scientiam vocat naturalem, non quia ex principiis naturæ rationalis oriebatur sine alio adminiculo; sed quia infusa est per reuelationem internam, vt distinguatur à lege, voce, & scripto, promulgata, quale est nouum, & vetus Testamentum.

*Ex ordinatione diuinæ prouidentiæ.*

*Cur vocat scientiam naturalem?*

Sic etiam Clemens Romanus loquens de eadem lege naturali, *lib. 6. Constit. cap. 20.* eam sic describit: *Lex*, inquit, *est dialogus, quam antequam populus vitulum, hoc est, Apim Ægyptium faceret, Deus tulit voce qua auribus audiretur*, &c. subiicit autem institutionem datam à Deo circa sacrificium sibi offerendum. *Hæc lex*, inquit, *bona est, sancta, libera; inquit enim, si feceris mihi altare, ex terra facies ipsum.* Exodi 20. *Non dixit fac; sed si feceris mihi altare, non necessitatem imposuit, sed liberæ potestati permisit*, &c. quod superiore tempore factum astruit ex mera libertate à Patribus, non ex præcepto: vnde post idololatriam vituli ait populo iniunctum esse ex necessitate, vt offerret sacrificia in lege scripta. Lex ergo naturæ per ipsum quoad sacrificia continebat institutionem voce datam à Deo; ac proinde non in solo instinctu naturali ex principiis naturæ concepto, & conuenientia rei.

39 Clem. Rom.

Dices, sufficiebat tunc institutio generalis, quâ Patres sciebant vota facta Deo fuisse accepta in genere. Contrà, quia id in primis non congruit dictis Patrum præmissis, qui de particulari institutione agunt. Deinde illa vota debebant esse in materia aliqua particulari: quomodo autem in hac, verbi gratiâ, in animalibus mundis, magis quàm aliis, nisi ex reuelatione speciali sciri potuit esse facienda. Deinde ex principiis determinatis debebat procedere ille instinctus, quæ non fuerunt nota ex terminis: ergo aliunde sciri debebant; non ab alio, quàm à Deo reuelante, à cuius voluntate hæc omnia dependebant.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Alia particula illius definitionis est, *vt fiat sacrificium à legitimo ministro.* Illum esse Sacerdotem constat ex Paulo suprà, & Augustino loco præfato quæst. 3. *Hoc sanè nec istâ breuitate prætereundum est, quod templum, Sacerdotem, sacrificium, & alia quæcumque ad hæc pertinentia, nisi vni Deo vero deberi nossent Dij falsi, hoc est, dæmones, qui sunt præuaricatores Angeli, nunquam hæc sibi à cultoribus suis, quos decipiunt, expetiuissent: verùm hæc, cùm exhibentur Deo secundùm inspirationem, & doctrinam, vera religio est*, &c. Sacerdotium ergo & sacrificium coniuncta sunt, vt docet Tridentinum sess. 23. cap. 1. *Sacrificium & Sacerdotium ita diuinâ ordinatione coniuncta sunt, vt vtrumque in omni lege extiterit*, &c. & cap. 2. *Cùm autem diuina res sit, tam sancti Sacerdotij ministerium*, &c.

40 *Alia partes definitionis explicantur, & probātur.* Augustin. *Sacerdos legitimus minister.*

Trident. *Sacerdotium à Deo institutum.*

Vnde colligitur Sacerdotium non ex humana institutione, sed diuinâ extitisse, contra D. Thomam 2. 2. *quæst.* 103. *art.* 1. *ad* 3. Probatur, in lege naturæ primogeniti erant Sacerdotes, seu capita familiarum; atque alij, quos Deus specialiter elegit, vt Abel, Iacob, &c. vt docet Hieronymus *epist.* 136. *ad Euagrium.* & *in quæstionibus Hebraicis*

D. Thom. *In lege naturæ primogeniti erāt Sacerdotes.* Hieron.

*circa Geneſim* 7. quæ eſt traditio Hebræorum; quam ſententiam docet Auguſtinus Geneſ. 25. explicans quæ fuerint primogenita, quæ vendidit Eſau. Aliqui docent quemlibet patremfamilias fuiſſe Sacerdotem, quod probant exemplo Iob, quia quilibet paterfamilias fuit abſolutè caput ſuæ familiæ, vt conſtat Geneſ. 38. vbi Iudas nurum ſuam Thamar, quòd accuſata fuerit de fornicatione, iuſſit comburi, quaſi abſolutam habens in eam poteſtatem.

Auguſtin.

41 *Obiectio.* *Reſponſio.*

Dices Phaſe, ſeu Agnus Paſchalis immolabatur à populo, quod tamen erat ſacrificium. Reſpondent quidam à ſolis Sacerdotibus Aaronicis ſolitum eſſe immolari, quia Paulus *ad Hebræos* 7. inſinuat extra tribum Leui non fuiſſe vllos Sacerdotes apud Iudæos. *Et primo Eſdræ, c.6.* dicuntur Sacerdotes, & Leuitæ immolaſſe Phaſe pro omnibus filiis Iſraël: deinde quia Phaſe ſolùm immolari potuit in loco, quem Dominus elegerit, qui fuit Ieruſalem.

*Agnus Paſchalis à quibus immolabatur.*

Alij reſpondent, quòd Phaſe fuit inſtitutum ante Sacerdotium Leuiticum, antequam populus ex Ægypto deceſſit; ac proinde quoad hanc immolationem remanſiſſe Sacerdotium legis naturæ in ſingulis capitibus familiarum: Apoſtolus ſuprà loquitur de Sacerdotio inſtituto in lege ſcripta, quod in ſola tribu Leui reperiebatur. Ad aliud reſpondetur ſimiliter, intelligi non templum, ſed ciuitatem Ieruſalem.

42 *Locus ſacrificij offerendi altare.* Fulgent.

Aliud poſitum in definitione patet, de loco ſacrificij debere eſſe altare: de quo Fulgentius lib. 2. ad Monimium, cap. 3. *Non ob aliud,* inquit, *adificari ſolitum, niſi ad ſacrificium Deo offerendum veteris Teſtamenti lectio frequenter inſinuat.* Auguſtinus 20. contra Fauſtum, cap. 21. *Sicut ſacrificium ſoli Deo offertur, ita & altare ſolum in diuinum honorem erigi, quia nimirum non niſi ad ſacrificandum conſtituitur,* &c. Deinde quia etiam authoritate publicâ per miniſtrum publicum electum, in honorem Dei tanquam proteſtatio cultus ſacrificium offerri debuit: ergo etiam loco ad hoc deſtinato, qui ſacer eſſet, & non prophanus: eâdem ratione debet adhiberi ſolemnis cultus, & ritus, qui ad expreſſionem rei, & decentiam miniſterij ſpectant. Patet etiam ex communi conſenſu omnium gentium.

Auguſtin.

*Patet ratione ex dictis.*

## QVÆSTIO II.

### *De diuiſione ſacrificij.*

43 *Sacrificij diuiſio ex legis diuiſione.*

MVltiplex eſt diuiſio ſacrificij: primò à ſtatu & lege triplex eſt: nam aliud eſt legis naturæ, aliud veteris, aliud nouæ. Sacrificium legis naturæ non habebat effectum aliquem, niſi ex opere operantis ratione fidei, quâ erat impetratorium, vel ſatisfactorium Deo. Sacrificia legalia addunt, quòd tollebant irregularitates, ſeu immunditias legales. Sacrificium nouæ legis habet proprium effectum, de quo infrà.

*Secunda diuiſio ex materia.*

Secundò, diuiditur ſacrificium ex parte materiæ, ſeu rei oblatæ: primò, offerebantur viuentia animalia, & hoc ſacrificium dicebatur hoſtia; vel quia pro victoria ab hoſtibus impetranda, vel in gratiarum actionem de iam parta offerebatur; & ideò deriuatum putant ab hoſte: alij ab oſtio, quia in oſtio templi offerebantur: dicebantur etiam victimæ, vel à victoria, vel à vinciendo. Secundò, offerebantur ſacrificia de fructibus terræ, & hæc dicebantur immolationes à mola. Tertiò, offerebantur liquores, vt vinum, & huiuſmodi, & hæc dicebantur libamina: videatur Iſidorus *lib. 6. Orig.* Hæc omnia confunduntur, & pro eodem ſumuntur apud authores paſſim.

*Hoſtia & victimæ.*

*Immolationes.*

*Libamina.*

Tertia diuiſio ſumitur ex forma offerendi, quæ triplex in genere eſt: interdum enim tota res oblata conſumebatur igne, & ſic vocabatur holocauſtum; quod verbum iuxta proprietatem Hebraïcam idem ſignificat quod aſcendens, quaſi in odorem, & fumum penitùs reſolutum: Iſidorus exiſtimat idem deduci à Græco, quaſi totum incenſum. Secundò, ſacrificium partim igne conſumebatur, partim cedebat in vſum, & cibum Sacerdotum, quem vel in templo, vel in atrio comedebant, & dicebatur hoſtia pro peccato. Tertiò, aliud ſacrificium partim igne, partim Sacerdotibus, partim etiam ipſis offerentibus cedebat, & dicebatur hoſtia pacifica.

*Tertia diuiſio ex forma.*

*Holocauſtum.*

*Hoſtia pro peccato.*

*Hoſtia pacifica.*

44 *Quarta diuiſio cruentum, & incruentũ.* *Quinta diuiſio ex fine.* *Holocauſtum.* *Hoſtia pro peccatis.* *Hoſtia pacifica.*

Alia diuiſio eſt in cruentum, & incruentum, illud cum ſanguine, hoc autem ſine ſanguine fiebat. Alia diuiſio ſacrificij eſt ex parte finis; nam ad ſignificandum Dei excellentiam offerebatur: & hoc erat perfectiſſimum ſacrificium, & vocabatur holocauſtum; ideóque totum igne conſumebatur, vt ſignificaretur totam creaturam ad Deum ſpectare. Aliud, hoſtia pro peccatis dicebatur, quia pro ſatisfactione peccatorum, & pro peccatis diuerſis diuerſa ſacrificia offerebantur, vt conſtat ex lege. Tertium, erat hoſtia pacifica, vel pro impetrandis, aut impetratis beneficiis fiebat, & dicebatur ſacrificium laudis, & gratiarum actionis, aut impetratorium. Videri poteſt D. Thomas 1. 2. *q.* 102. cum aliis expoſitoribus *in Leuiticum.*

## QVÆSTIO III.

### *Vtrùm fiat ſacrificium in Miſſa.*

45 *Sacrificium Miſſæ.*

EXplicatâ vtcumque eſſentiâ ſacrificij, iam deſcendimus ad controuerſiam cum hæreticis circa ſacrificium altaris: *ſuprà* diximus ſacrificium altaris, & eſſe Sacramentum, & eſſe ſacrificium: hoc ſecundum negant hæretici. In primis circa hanc vocem *Miſſa*, eiúſque deriuationem dubitatur: Lutherus damnat imprudentiæ, & inſcitiæ eos, qui dicunt eſſe vocem Latinam; quia à voce Hebraïca מעוזים *Mahuſim*, quæ eſt Danielis 11. Deum autem Mahuſim colet in loco ſuo, aſſerit deriuatam, vt inde conuincat *Miſſam* eſſe arcem, & robur Antichriſti, quem aſſerit Propheta culturum Deum Mahuſim. Conuenit Kemnitius *in 2. part. exam. Trident.* Sed vt rectè Bellarminus *tom. 2. lib. 5. cap. 1.* aſſerit eam vocem eſſe idolum Lutheranorum, nihilque cum Miſſa habere commune. Alij dicunt vocem quidem Hebraicam eſſe deriuatam à nomine משה *Miſſah*, quod ſignificat oblationem. Deuteronomij 16. *Et celebrabis diem feſtum hebdomadarum Domino Deo tuo oblationem ſpontaneam:* vbi pro oblatione ponitur illa vox in Hebræo. Quam ſententiam docuerunt Theologi Concilij Senonenſis *in decretis fidei, cap. 11.* Canonici Colonienſes *in ſuo Antididagmate, §. de nomine Miſſæ.* Demochares

*Deliria hæreticorum.*

Bellarmin.

*Vnde* Miſſa *dicitur.* *Aliqui deduxit ab Hebræo Miſſah.* Deuter. 16.

Concil. Senonenſ. Colonienſ.

Democharcs. Vasquez. *Esse Latinam vocem.*

chares *tom.2.de sacrificio Missæ*: & plures alij, quos citat Vasquez *disp.221.cap.1.*

Alij putant non esse Hebraïcam, sed Latinam; quia alioquin, si Hebraïca esset, etiam Græci eâ vterétur, sicut *Alleluia, Amen, Sabbaoth*: pro Missa autem λειτουργίαν vocant: deinde Syri, & Maronitæ, qui Chaldaïcâ linguâ celebrant, non vruntur illa voce: sed neque Hieronymus, Origenes, Iustinus, Epiphanius, qui callebant linguam Hebraïcam.

46

*Dicitur à dimissione.*

Omissis ergo variis deriuationibus ex consonantia vocis, & significationis deductis, vt solet, Missa vox Latina est, Missa dicitur à dimissione, quia & Catechumeni dimittebantur foras, quando mysteria celebrabantur, & iis finitis ipse populus ac cœtus fidelium dimittebatur: eius vsus est antiquissimus; eâ vtitur Concilium IV. Carthaginense *can.* 84. Ilerdense *can.* 4. Augustinus *serm.*237.*c.*8. Ambrosius *epist.*33. Mileuitan. *can.*12. sed capi solet pro dimissione, non solùm ex sacro, sed alio loco; ita Cassianus *de canonico nocturnarum orationum, cap.*7. & 8. S. Benedictus *in regula, c.*17. Sumendo itaque Missam pro sacro, & toto mysterio sacrificij, negant hæretici huius ætatis in eo verè offerri Christum, aut celebrari sacrificium; quos vide citatos apud Bellarminum, & alios authores.

*Vsus vocis antiquissimus.* Carthag. Ilerdense. Augustin. Ambros. Mileuitan.

47

*Prima cõclusio.*

*Prima conclusio.* Fides docet in Missa verè, & propriè sacrificium offerri. Hæc defenditur, & docetur ab omnibus Doctoribus Catholicis de hoc mysterio, & fusè probatur, qui peruij sunt contra hæreticos. Definitur in Trident. *sess.* 22. *cap.* & *can.*1. & 2. vbi etiam asserit Christum instituisse discipulos Sacerdotes in vltima Cœna; & potestatem eis concessisse cum præcepto idem deinceps celebrandi. Eiusdem sacrificij incruenti mentio fit in anterioribus Conciliis; & supponitur tanquam notum in Niceno *cap.* 13. & clariùs in alio canone, quem in fine eiusdem refert Surius ex Cutheberto Tonsallo in Anglia Episcopo in Laodiceno Concil. *can.* 19. & 58. *in epist. Concilij Alexandrini sub Cyrillo*, quæ approbata est Ephesino primo *can.*32. in Trullo in Toletan. I. *cap.*5. Antiochenensi *cap.*8. Bracarensi III. *can.*1. in Lateranensi sub Innocentio III. & habetur cap. *Firmiter, de Summa Trinitate, & fide Catholica:* in Bulla Martini V. quæ est, *Vltimam SS. Concilij Constantien.*

Trident. Nicænum. Laodicen. Alexandr. Ephesinũ in Trullo. Toletan. Antiochen. Lateranen. Bulla Martini V. in Constãtien.

48

*Bellarminus ex vndecim sedibus petitis argumẽtis egregiè probat fidem.*

Probatur primò variis Scripturæ testimoniis, quæ apud Bellarminum longâ serie tractantur: & pulchrè certè hanc conclusionem demonstrat ex variis locis, sumendo argumenta: primò, ex vaticiniis Prophetarum: secundò, ex nouo Testamento Ioan.4. 1. *ad Corinth.*10. & ex locis Euangelistarum, in quibus habetur mentio institutionis Sacramenti Actorum etiam 13. tertiò, ex verbis Patrum: quartò, ex ritu altarium: quintò, ex nomine, & officio Sacerdotis: sextò, ex liturgiis: septimò, ex his, pro quibus offertur: octauò, ex coniũctione legis & sacrificij: nonò, ex comparatione veteris & noui Testamenti: decimò, ex differentia Sacramenti, & sacrificij: vltimò, ex consensu Ecclesiæ. Quia tamen longum esset singula congerere, aliqua decerpemus, cætera ad prædictum authorem, & alios remittendo.

49

*Probatio prima.*

Probatur ergo ex Prophetis, Danielis 12. vbi dicitur tempore Antichristi cessaturum sacrificium: ergo vsque ad illud aliquod erit in Ecclesia, non aliud, quàm præsens. Dices, ibi sermonem esse de improprio sacrificio, vt orationis, & interiori. Contrà, illud non cessabit tempore Antichristi, sicut neque fides, neque Ecclesia, &c. Dices, hinc patebit non esse sermonem de sacrificio Eucharistiæ apud Danielem, quia illud semper manebit, iuxta illud, *Facite in meam commemorationem*, donec supple ad iudicium veniam: sed iuge sacrificium de quo Daniel, auferetur; *Et à tempore*, inquit, *cùm ablatum fuerit iuge sacrificium*, &c. Respondetur hîc intelligi iuge sacrificium Eucharistiam, quia Missa in Ecclesia quotidie offertur, & offeretur, sicut quotidie olim offerebatur iuge sacrificium Agni, Exodi 29. & 38. significatur ergo quòd quando Antichristus eleuabitur, auferet hoc sacrificium, sicut publicum Dei cultum: ita Hieronymus, Theodoretus in illum locum. Irenæus *lib.*5. Primasius *Apocal.*11. & Hippolytus *tract. de consummatione sæculi.*

*Respõsio.* *Impugnatur.* *Euasio.* *Reijcitur.* Hieron. Theodoret. Primas. Hippolyt.

50

*Probatur ex Malachiæ primo.*

Hanc veritatem maximè probat illud Malachiæ 1. *Ad vos, ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & offertis super altare meum panem pollutum*, &c. *non est mihi voluntas in vobis, & munus non suscipiam de manibus vestris: ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus*; *& in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda; quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum*, &c.

Sed hîc fit mentio de Ecclesia Gentium: ergo in ea est sacrificium, non aliud propriè dictum, quàm altaris, quod quotidie offertur; ergo. Deinde reprobatur Sacerdotium, & sacrificia legis, & præfertur sacrificium legis nouæ, quod offertur in Ecclesia: ergo sermo est de sacrificio propriè dicto; agens enim de sacrificio visibili, quod Ierosolymis tantùm offerri constituebat lex vetus, per antithesim opponitur sacrificium, quod vbique in Gentibus, & in Ecclesia offerendũ erat.

*Euasio hæreticorum reijcitur.*

Respondent hæretici quòd sermo sit de sacrificio impropriè dicto, sed hoc ex dictis reiicitur: quia comparatio fit inter ea quæ similia sunt, aut eiusdem rationis: sed de sacrificiis veteris legis propriè dictis intelligitur locus Prophetæ: ergo etiam de sacrificio propriè dicto in Ecclesia idem intelligitur: quia etiam sacrificia impropriè dicta inueniebantur in Iudæorum populo, vt orationis, & adorationis, quæ non reprobantur in hoc loco.

51

*Reijcitur interpretatio Ariæ Montani.*

Reiicitur etiam interpretatio Ariæ Montani, qui intelligit locum non de sacrificio Ecclesiæ, sed de sacrificio impropriè dicto, quod tum etiam inueniebatur in Gentibus: sed hoc falsum est: quia tunc Gentes ferè omnes declinauerant ad idololatriam; ac proinde tale sacrificium in eis non fuit, sicut nec cultus veri Dei vnius. Hoc sacrificium, quod hîc eligitur, dicitur vbique offerri in Gentibus, quia Ecclesia vbique diffundenda erat, & dicitur præsens propter certitudinem Propheticæ prædictionis, quæ futura, vt præsentia, sæpè complectitur.

*Locũ ita interpretantur Patres.* Trident. Hieron. Theodoret. Remigius. Rupertus. Clem. Rom. Irenæus. Iustinus. Cyprian. Cyrill. Ierof. Eusebius. Augustin. Chrysost. Tertullian.

Hæc ergo expositio non quadrat Scripturæ, sicut neque Patribus: in primis Tridentinum *suprà*. ita explicandum illum locum docet S. Hieronymus, Theodoretus, Remigius, Rupertus, Clemens Romanus *lib.* 7. *Constitutionum Apostolicarum, cap.*31. S. Martialis *epistola ad Burdegallen. c.*3. Irenæus *lib.* 4. *cap.*32. Iustinus *contra Tryphonem.* Cyprianus *lib.*1 *contra Iudæos, cap.*16. Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi* 16. Eusebius *lib.*1. *demonstrationum Euangelicarum, cap.*6. Augustinus *lib.*18. *de Ciuitate Dei, c.*35. Chrysostomus *in Psalmum* 95. & *Oratione* 2. *contra Marc.* Tertullianus 3. *contra Marcio*

*Marcionem, cap.* 22. quamuis *lib.* 5. *contra Iudæos,* interpretatus sit mysticè de cultu Dei. Damascenus *lib.* 4. *de fide, cap.* 14. Idem docuerunt antiqui etiam Rabini apud nostrum Galatinum *lib.* 11. *de arcanis, cap.* 11.

Damascen.

Rabini apud Galat.

52 *Tertius locus.* Act. 13.

Huc etiam spectat illud Actorum 13. *Ministrantibus autem illis, & ieiunantibus,* &c. verbum *ministrandi,* pro *sacrificandi* positum est, quia verbum Græcum λειτουργέω, illud frequenter significat, *ad Hebræos* 8. 9. *&* 10. quod magis declaratur in proposito per adiunctum, nempe Domino, quia nullum ministerium externum propriè fit Domino, sicut & sacrificium.

*Quartus locus.* Matth. 5.

Item Matthæi 5. *Si offers munus tuum ad altare*; hoc præceptum datur à Christo pro tempore legis nouæ obseruandum: ergo significatur tempore legis nouæ fore sacrificium, & altare ad vsum eius, vt colligit Irenæus *suprà*, & Opratus Mileuitanus *lib.* 6. *contra Parmenian.*

Irenæus. Opratus Mileuitanus.

*Quintus locus.* Ioan. 4.

Item, Ioannis 4. vbi Christus loquens ad Samaritanam interrogantem an liceret adorare in monte Garisim: Iudæi enim Ierosolymis solùm adorandum dicebant, vbi sermo est de adoratione per sacrificia: respondit autem *quòd venit hora quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem,* &c. *quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Loquitur autem Christus de nouo genere adorationis, non de antiqua, quæ semper fuit in vsu, nempe de cultu interiori per fidem, sed de alia externa sacrificandi, quæ opponitur sacrificiis oblatis Ierosolymis, & in monte Garisim; ita insinuat Martialis *epistola ad Burdegallen. cap.* 3. Eusebius *suprà cap.* 6. Theodoretus & Rupertus, Malach. 1.

Martialis. Eusebius. Theodoret. Rupertus.

53 *Secunda probatio fidei. Ex connexione Sacerdotij altaris, sacrificij, legis.*

Secundò probatur ex Sacerdotio & altari, quorum finis est sacrificium, translatâ enim lege transfertur & sacrificium, quia hoc de ratione legis est, vt habeat cultum Dei publicum, potissimùm per sacrificium: & videmus in lege Mosaica inductum esse nouum Sacerdotium cum lege, & sacrificio: translato enim Sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat: *ad Hebræos* 7. ex qua connexione tam legis, quàm Sacerdotij colligit Apostolus desiisse, & mutatum fuisse Sacerdotium Aaronicum, quod fuit temporale, in Sacerdotium Melchisedech, quod est Christi, ex Psalmo 109. *Et manet in æternum:* nequit enim Sacerdotium esse sine certis ritibus, cæremoniis, præscriptis legibus, promissis, pœnis; ideò habet necessariam connexionem cum lege, vt rectè Tridentinum *suprà.* Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, & alij expositores: ergo cùm Sacerdotium Christi manet in æternum, & hoc in Ecclesia, debet etiam sacrificium eius manere; sed non manet sacrificium Crucis, quia illud transiit, nequit iterari, licèt fructus eius maneant; sicut & laborum, & operum Christi; qui tamen non obiude in seipsis dicuntur manere: ergo sacrificium Eucharisticum est exercitium huius Sacerdotij Christi: de hoc Sacerdotio agitur in materia propria.

Ad Hebr. 7.

Trident. Chrysost. Theodoret. Theophylactus.

54 *Esse altare in lege nouæ.*

Quoad altare, patet ex Isaiæ 19. *In illa die erit altare Domini in medio terræ Ægypti:* per *terram Ægypti,* intelligitur Ecclesia Gentiũ. Illuc etiam spectat institutio Christi, quam dedit discipulis: *si offers munus tuum ad altare,* &c. & illud Pauli ad ad Hebræos 13. *Habemus altare de quo edere non habent facultatem, qui tabernaculo deseruiunt:* quod intelligitur de altari nouæ legis, in quo fit sacrificium incruentum; vt patet ex verbo *habemus,* quod non refertur ad altare Crucis quod habuimus, non *habemus*; nisi quoad fructum, & à verbo *edere*; non edimus enim propriè de altari Crucis, quamuis fructum eius habeamus: & verba intelligenda sunt literaliter: quia opponitur hoc altare, de quo edimus, altari tabernaculi, de quo edebant Sacerdotes veteris legis: ita Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Primasius, Sedulius, Haymo: vnde Chrysostomus homil. 62. ad populum, *vt tanquam leones ignem spirantes ab hac mensa recedamus facti diabolo terribiles:* vnde in Græco habetur θυσιαστήριον, id est, sacrificiorum.

Chrysost. Theodoret. Theophylactus. Primasius. Sedulius. Haymo.

55 *Euasio. Impugnatur.*

Dices, cum Beza intelligi oblationes fidelium, non sacrificium à Paulo. Contrà, quia etiam Aaronici Sacerdotes habebant etiam oblationes, de quibus comedebant: hîc autem dicitur Christianos habere altare, de quo non licet Aaranicis comedere: aliud ergo continet præter oblationes, quibus & ipsi gaudebant. Deinde nusquam altare significat oblationes simplices, sed sacrificia in proprietate; quia oblationes in gazophylacium, arcam, aut abacum, aut manus Sacerdotum deponebantur, non in altari: sicut sacrificium neque altare ad finem oblationis talis erigitur, sed sacrificij: vnde *can.* 3. *Apostol.* vetat ne quidpiam in Altari offeratur, præter ea quæ Dominus instituit.

*Altare nõ significat oblationes simplices.*

Canon Apostolorum.

Deinde has oblationes non comedebant offerentes, sed soli Sacerdotes: econtrà intendit Apostolus fideles de altari comedere. Deinde oblationes non faciunt ad mentem Apostoli, quæ gratiam, & sanctitatem non inferunt offerentibus, neque stabiliunt cor, quæ intendit Apostolus: vnde 1. ad Corinthios 10. *Videte Israël secundùm carnem, non qui edunt hostias participes sunt altaris: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum,* &c. vbi Apostolus retrahit Christianos à comestione idolothythi, quod dæmonibus offerebatur; ac proinde qui illud comedebant, fiebant participes mensæ dæmoniorum; neque poterant communicare mensæ Domini, aut sacrificio altaris.

Nemo enim potest simul sacrificare Deo & dæmoni; vt probat fusè Augustinus *lib.* 1. *contra aduersarium legis & Prophetarum, cap.* 19. Chrysostomus, Anselmus *in hunc locum*, & insinuant Theophylactus, OEcumenius, Ambrosius, Theodoretus. Hîc ergo opponitur altare Christi altari dæmoniorum, & sacrificium sacrificio, vt rectè S. Cyprianus *serm. de lapsis:* vnde qui immolabant dæmoniis, solebant carnes ex altari deferre ad mensam, in qua comedebant immolantes ipsas cum suis amicis: sic docet factum Æneidos 8. Virgilius:

Augustin. Chrysost. Anselmus. Theophylactus. OEcumen. Ambrosius. Theodoret. Cyprian.

*Tunc lecti iuuenes certatim æraque Sacerdos,* &c. 56

Sic etiam Aaronici Sacerdotes comedebant sacrificia in templo, vel in atrio; vt patet 1. *Regum* 9. *&* 13. Loquitur ergo Apostolus de mensa Domini, & sacrificio Eucharistiæ, cuius institutionem capite sequenti proponit; & ritum, quo sumi debet carpens abusum, qui fiebat in populo Corinthiorum.

Accedit, quòd semper mentio fit altaris à principio in lege noua; vt *canone* 3. *&* 4. *Apostolorum,* sicut & sacrificij. Item, ex liturgiis Iacobi, Basilij, Chrysostomi, ex Dionysio *cap.* 3. *de eccles. hierarch.* Nazianzeno *orat.* 2. *ad Iulianum*, & *orat. funebri de sorore sua Gorgonia.*

*Mentio altaris fuit semper in lege noua.*

Tertiò

57 *Tertia ratio. Ex congruētia, possibilitate, & necessitate sacrificij.*

Tertiò ratione probatur conclusio, quia nulla est ratio cur Ecclesia non haberet sacrificium, éstque indigentia sacrificij in ipsa: ergo gaudet sacrificio. Antecedens probatur, quia non fuit maior congruitas instituendi cultum Dei per sacrificia, in lege naturæ, & veteri, qúàm in lege gratiæ, quia hic cultus debetur Deo: ergo quo perfectior est status, eo magis congruit excedere in cultu Dei; hic autem cultus vt sit publicus, & communis, debet exhiberi per signa externa: vnde sicut sanctificatur Ecclesia per signa sensibilia Sacramentorum, sic etiam congruum erit habere vsum colendi Deum per sacrificium sensibile.

*Exasio.* Dices, hoc probaret etiam idem in statu Beatorum esse, qui profectissimus est: vnde sicut ibi non datur sacrificium materiale, ita etiam nec in lege gratiæ, in qua gratia, & veritas facta est per Iesum Christum. Contrà, in statu Beatorum nulla

*Impugnatur. In statu Beatitudinis non est sacrificiū.* est necessitas sacrificij materialis, neque vsus rerum materialium quæ pro statu religionis datæ sunt, neque est ibi vsus Sacramentorum, quia nulla infirmitas, neque exigitur excitatio mentis per res, & corporalia signa, quia videtur, & possidetur Deus in seipso clarè à Beatis: in hac tamen vita quamdiu Ecclesia peregrinatur, est vsus signorum materialium, vt Sacramentorum, & etiam excita-

*Ecclesia vtitur signis materialibus.* tio requiritur per eadem, quia peregrinatur à Domino, & *videt tantùm per speculum in ænigmate*, id est, per fidem, *& non facie ad faciem*: ideò congruit vsus sacrificij: & quamuis Ecclesia non vtatur figuris, quæ non continent virtutem ipsam, in quo distinguitur à Synagoga, vtitur tamen figuris continentibus veritatem; ideò non est par ratio de ipsa, ac de triumphante.

58 *Necessitas huius vsus.* Probatur ergo antecedens, quia quamdiu Ecclesia habet vsū rerum corporaliū, debet in iis recognoscere creatorem per sacrificiū: quia hoc est consonum naturæ, vt signis religionem significantibus vniantur eius membra ab aliis distincta; gratia enim non destruit naturam: hæc autem communicatio nequit fieri aliter, quàm per sensibilia, quia non per conceptus internos, sicut in

Clem. Rom. patria; ideóque Clemens *lib. 6. Constitutionum, c. 23.* ad hoc propositum dicit, legem gratiæ, non mutasse legem naturæ quantùm ad præsens: *Baptismum*, inquit, *sacrificium, sacerdotium, localem adorationem, alio modo mutauit.* & infrà: *Pro sacrificio cruento, rationale, ac incruentum, & mysticum sacrificium instituit, quod in mortem Domini per symbola*

Irenæus. *corporis & sanguinis sui celebratur*, &c. Irenæus lib. 4. contra hæreses, cap. 34. *Non genus oblationum reprobatum est, oblationes enim & illic, oblationes autem & hic, sacrificia & in populo, sacrificia & in Ecclesia, sed species immolata est tantùm, quippe cùm iam non à seruis, sed à liberis offeratur*, &c.

Petr. Cluniacensis. Petrus Cluniacensis epist. contra Petrobusianos, qui ab Ecclesia sacrificia tollunt, *Hoc tentant dæmone suggerente, vt gens illa, qua pluribus est à Deo cumulata beneficiis, minùs grata illi sit, minorémque cultum, & honorem illi exhibeat*, &c.

59 *Non repugnare talem cultum legi nouæ.* Deinde nihil quod ad significationem, & effectum sacrificij spectat, repugnat legi gratiæ: ergo, &c. Patet antecedens, quia non repugnat cultus Dei externus, & mediatus per Sacramenta sensibilia: ergo neque immediatus per sacrificium: non significatio moralis, nempe cultus, vt patet ex dictis, & etiam tam ex proportione cum re significata, quàm etiam cum offerentibus, quàm acceptatione Dei. Patet etiam quoad effectum, seu gratiarum actionis, seu laudis, seu satisfactionis pro peccatis, quâ indigemus in hoc statu: ergo nulla est repugnantia.

*Exasio. Impugnatur.* Respondent hæretici satis esse sacrificium Crucis. Contrà, hoc obtulit ipse Christus: ergo necessarium est aliud, quod offerat Ecclesia. Deinde illud renouari non potest & transiit, & quamuis erat sufficiens quoad effectum redemptionis, non tamen quoad cultum, quem debent exhibere fideles: vnde illa oblatio cruenta non propriè spectat ad legem gratiæ, quæ fuit vniuersalis, & anteceſſit, neque in ratione oblationis durat, quamuis duret quoad effectum; qui effectus, & satisfactio non solùm fuit oblatus, & habuit efficaciam pro viuentibus in lege noua, sed etiam pro viuentibus in lege antiqua, & veteri, quo non obstante habuerunt ipsi sua sacrificia propitiatoria suo modo: ergo non repugnat idem esse in lege noua, per quod fructus passionis nobis applicetur. Non sufficit etiam in hac lege oblatio interna per fidem, & deuotionem, quia hæc est priuatio, neque est propria legis nouæ: ergo requiritur aliqua communis & sensibilis, quæ sit legis gratiæ propria.

*Teneri Ecclesiam ad cultum sacrific ij*

*Nec sufficit oblatio Crucis quoad hoc.*

*Sacrificium Crucis vniuersale.*

Dices, Paulus *in epistola ad Hebræos*, agens de 60
sacerdotio, & sacrificio Christi non loquitur de *Exasio.*
oblatione incruenta, sed de cruenta tantùm, ac
proinde ablegandum est aliud sacrificium. Re- *Reiicitur.*
spondetur, Paulum agere de sacrificio cruento tantùm, quia vlterioris mysterij non erant capaces Hebræi, sicut neque huius sacrificij, quando Ioannis 6. fuit promissum à Christo, scandalizati enim sunt discipuli ipsi.

Deinde non spectabat ad intentum Pauli agere *Intentum & scopus Pauli.*
de hoc sacrificio, quia probabat sacrificium Christi in Cruce habuisse vim expiandi, & satisfaciendi pro omnibus, quod non conueniebat sacrificiis, in quibus Iudæi ponebant virtutem sacrificandi in lege, & oblationibus: ostendit ergo ex lege Christum habere sacerdotium perfectius, & obtulisse sacrificium expiationum verè deletiuum peccatorum, ex quo est salus, non autem ex lege, aut oblationibus eius; in sacrificio autem Missæ virtus prioris sacrificij nobis applicatur, quod non est nouum sacrificium, sed idem quoad rem oblatam, nempe ipse Christus, vt rectè Tridentinum, alioquin cæreret Ecclesia sacrificio, quod est inconueniens. Hæc sufficiant ad probationem conclusionis; alia, & hæc ipsa latiùs apud authores tractantur.

Obiicies primò, quia Eucharistia est Sacra- 61
mentum; ergo nequit esse sacrificium. Respon- *Prima obiect.*
detur negando consequentiam, quia illæ rationes *Respondetur.*
in eodem materiali signo non repugnant; offerri enim potest in Dei cultum cùm immutatione sui, & simul causare gratiam in sumente. Dices, Chri- *Replica.*
sto nullus succedit, quia manet in æternum, in quo distinguit Paulus sacerdotium Christi à Leuitico. Respondetur neminem succedere Christo, *Responsio.*
si successio inferat prioris desitionem: cùm hoc stat in Ecclesia plures esse Sacerdotes Vicarios Christi, quibus offerentibus Christus ipse dicitur offerre, vt principalis offerens: in Sacerdotio *Sacerdotes legis nouæ Vicarij Christi.*
Leuitico verè vnus succedebat alteri in æqualitate potestatis, non vt Vicarius, ideò non dicebatur offerre vt prioris Vicarius, sicut neque Aaron in ipsis offerre: nomine ergo & authoritate deriuata à Christo offerunt Sacerdotes sacrificium incruentum Altaris; dignitatem Sacerdotis non relinquit Christus, sicut per mortem relinquebant Sacerdotes Aaronici.

62 *Secunda obiectio.* Obiicies secundò, ex Paulo ad Hebræos 10. *Vnâ enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificandos*, &c. quod intelligitur de sacrificio Crucis: ergo ei derogat, quòd aliud sacrificium offeratur. *Responsio.* Respondetur negando consequentiam, quia sacrificium Crucis est causa vniuersalis redemptionis respectu omnium, in quacumque lege existentium: per sacrificium autem Altaris, tanquam per causam particularem applicatur nobis fructus sacrificij Crucis, & mortis Christi: vnde rectè Tridentinum *sess. 22. cap. 1.* dicit, *Hoc sacrificium relictum fuisse Ecclesiæ, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*: & cap. 2. *Cuius quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus per hanc incruentam vberrimè percipiuntur*, &c.

*Sacrificium incruentum applicat fructum cruenti.* Trident.

*Replica.* Dices superuacaneam esse hanc applicationem, cùm sint alia media, per quæ possit hic fructus applicari, vt per prædicationem Verbi. *Responsio.* Respondetur hoc friuolum esse: nam eâdem ratione probaretur superuacaneũ esse Baptismum, & Cœnã Domini, quę tamẽ admittit ipse Caluinus sic obiiciẽs.

Ex hoc sequitur responsio ad aliud Caluini de superflua erectione Altarium quotidie, quia id non derogat sacrificio Crucis, neque ipsi Cruci; & patet ad omnia loca Pauli ad Hebræos, in quibus loquitur tantùm de eodem sacrificio cruento, vt erat scopus dissertationis eius contra Hebræos, ad probandam necessitatem Redemptoris, & redemptionis, quæ non potuit esse ex lege, quia illa sacrificia non causabant gratiam, & sanctificationem, sed causandam significabant, vt docet Florentinum *in decreto vnionis*, & Tridentin. *sess. 7. de Sacramentis in genere, canone 2.* Florent. Trident.

63 *Tertia obiect.* Obiiciunt tertiò, quia si Christus obtulisset sacrificium in vltima cœna, esset infiniti valoris, ergo superflueret sacrificium cruentum, quia in illo consisteret pretium redemptionis. Respondetur negando consequentiam, quia omnis actio Christi, siue fuerit infiniti valoris, aut finiti, erat sufficiens pretium nostræ redemptionis, quia tamen ex pacto cum Patre sacrificium Crucis fuit consummatio redemptionis, ideò illud erat necessarium, vt patet ex Paulo ad Hebr. 9. & 10.

64 *Quarta obiectio.* Obiicies quartò, Eucharistia fit in memoriam Passionis præteritæ, iuxta illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. Sed non potuit sic offerre Christus, quia esset falsa repræsentatio; ergo non obtulit. *Responsio.* Respondetur, quòd sacrificium significat Passionem Christi, prout autem à diuersis proximè offerentibus fiebat, potuit significare eandem secundùm varias temporis differentias: quamuis ergo, vt à Christo proximè offerebatur, significabat futuram, vt constat ex verbis institutionis, *Quod pro vobis effundetur*, &c. tamen ita instituit, vt ab aliis non offerretur, nisi post ipsam exhibitam, & ita in memoriam eius; *Hoc facite in meam commemorationem.*

## QVÆSTIO IV.

### *In quo consistit essentia huius sacrificij, & quid ad eam spectat?*

*Quinque actiones Missæ.* ALiquot exercentur actiones in Missa, de quibus dubitatur, quæ ipsorum spectat ad essentiam sacrificij. Prima est oblatio panis & vini in offertorio, quod ab oblatione dicitur. Secunda actio est consecratio corporis & sanguinis. Tertia est oblatio, quæ fit post consecrationem, quæ habetur ibi: *Vnde & memores Domine.* Quarta est fractio hostiæ, & particulæ eius mixtio in sanguinem. Quinta est sumptio Sacramenti ab offerente.

65 *Prima concl. Oblatio panis & vini non spectat ad sacrificium.* *Prima conclusio.* Oblatio illa, quæ antecedit consecrationem, est cæremonialis, & non de essentia sacrificij tanquam pars essentialis, aut integralis, ita communiter moderni, qui de hac materia tractant. Probatur, quia illa oblatio in ea forma, & modo, quo fit, non fuit adhibita à Christo, quamuis aliqui putent illa verba, *Elevatis oculis in cœlum gratias agens*, &c. significare oblationem, quoad substantiam oblationis, de quo incertum est. Ecclesia primitiua non est ea vsa, neque in Lithurgiis eodem modo habetur. Deinde per eam non fit immutatio materiæ; quod spectat ad rationem sacrificij. Deinde in rubricis in eo casu, quo quis consecraret aquam pro vino, & iterum conficiendum est in vino, non præsupponitur oblatio calicis, sed repetuntur verba canonis ab illo, *Deinde postquam cœnauit*, &c. Ergo ex sensu Ecclesiæ non spectat ad essentiam sacrificij. *Est præparatio materia.* Vltimò, quamuis oblatio sit de essentia sacrificij, illa intelligitur per quam fit oblatio rei mutatæ, & conficitur ipsum sacrificium: vnde colligitur illam esse deprecatoriam, & præparationem materiæ, non autem de essentia sacrificij.

*Oblatio quæ consequitur consecrationẽ excluditur.* Ex iisdem rationibus colligitur oblationem illam, quæ consequitur consecrationem, non esse de essentia, aut integritate sacrificij, quia supponit iam immutationem rei oblatæ factam per consecrationem, neque semper fuit in vsu in Ecclesia, quamuis antiqua sit: neque Christus ea vsus est, quamuis verè obtulit hoc sacrificium. Item hoc colligitur ex sequentibus.

66 *Obiectio ex Doctore.* Contra hanc conclusionem, maximè quoad secundam partem, citatur noster Doctor *in 4. dist. 13. quæst. 2. §. Ad quæstionem*, vbi respondet ad obiectionem illam, quâ probatur Sacerdotem etiam depositum, & degradatum validè non conficere, maximè si est hæreticus, quia non habet fidem Ecclesiæ, sed offert tantùm in persona Ecclesiæ: ergo hæreticus, & schismaticus, qui nequeunt gerere personam Ecclesiæ, non validè conficiunt. *Responsio Doctoris.* *Respondendo*, inquit, *quòd oblatio non pertinet ad rationem consecrationis, nec necessariò requiritur, quòd offeratur, offertur enim hostia non consecrata, & tunc est sacrificium, non Sacramentum: sicut Eucharistia consecrata conseruata in pyxide est Sacramentum, licèt non vt ibi sit sacrificium, nisi aptitudinaliter*, &c. Doctorem sequitur Gabriel quoad hunc modum *ibid. quæst. 1. art. 3.* Sotus *quæst. 2. art. 4.* Canus *lib. 11. de locis cap. 23. ad 4.* Similia etiam habet D. Thomas 3. part. quæst. 83. art. 4. Gabriel. Sotus. Can. D. Thom. *Offertur*, inquit, *Eucharistia, vt sacrificium consecratur, & sumitur vt Sacramentum*: loquitur autem de oblatione offertorij.

67 *Explicatur Doctor.* Respondetur in primis Doctorem agere præfato loco de necessariis ad consecrationem, & potissimùm de ministro; dicit ergo offertorium non spectare ad Sacramentum, sed ad sacrificium, & sumit latè *sacrificium*, sicut & alij Doctores præfati, pro oblatione etiam cæremoniali, quæ disponit ad essentialem oblationem: ideò autem dicit offertorium non spectare ad Sacramentum, quia cætera omnia, quæ etiam ab offertorio in Missa legun

leguntur, ordinantur ad sacrificium, hoc est, ad ipsum mysterium, quà sacrificium est.

*Offertorium spectare ad sacrificium.*

Si quis autem vellet contendere offertorium spectare ad sacrificium, tanquam partem integralem, aut præparationem materiæ, facilè saluare posset quantùm ad substantiam, licèt sub hac, aut illa speciali forma verborum non sit de eius substantia: & verba præmissa, quæ Euangelistæ, & Paulus referunt dicta à Christo, & inseruntur in Canone ad hunc finem interpretari. Neque refert, quòd in casu aliquando prætermittatur, quia pars integralis non ita ad essentiam spectat, quin sine illa consistere possit, vt in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio, sine qua quandoque perficitur Pœnitentia.

Hæc quæstio videtur esse de nomine, sumendo partes sacrificij latè, vel nomen ipsum sacrificij pro oblatione lato modo, vt est consuetus Scripturæ modus, & Patrum, vt *suprà* vidimus: potest enim dici sacrificium inchoatiuè illa oblatio, vel potest dici latè sumptum: vel denique si quæstio ad rem ipsam torqueatur, potest dici pars integralis, vel per se requisitum ordinariè ad sacrificium, quia est præsentatio materiæ, & oblatio eius, vt circa eam fiat immutatio.

*Quomodo spectat ad sacrificium.*

68

Sic autem in lege veteri plerumque manum imponebant offerentes capiti animalis sacrificandi, vt denotarent se illud sacrificare; quamuis autem soli Sacerdotes exercebant illam actionem, quâ fiebat immutatio circa hostiam, tamen alij dicebantur etiam immolare, & sacrificare: ergo similiter idem de facto contingit in sacrificio præsenti, quando Sacerdos eleuat hostiam, & offert, ac posteà calicem, quod per verba ipsa offertorij denotatur, nam vocatur *immaculata hostia*, & *calix salutaris*; vnde illa oblatio non sistit tantùm in materia subiecta, quæ manentibus tractatur, sed transit etiam ad oblationem essentialem, quam primariò intendit.

*Esse suo modo partem integralem.*

*Verba offertorij.*

*Responsio ad fundamenta negatiua sententiæ.*

Vnde nihil vrgent argumenta aliorum, quia & Christus æquiualenter obtulit, quia *gratias agens benedixit, fregit, ac dixit*, &c. Ecclesia etiam ab initio hanc consuetudinem offerendi habuit, vt constat ex Liturgiis, quas videre licet apud Pamelium. Quod denique non fiat immutatio realis per illam, non obstat, quia pars integralis non componit nisi in ordine ad alias; vnde exemplum Vasquez, quòd nempe calix consecratus sic oblatus Deo esset sacrificium, non valet: quia non oblatio quæcunque simplex rei integrat sacrificium, sed illa quæ ordinatur, & subordinatur essentiali oblationi, & prout ad ipsam disponit. Nec valet consequentia, oblatio simplex non subordinata non est aliquid sacrificij: ergo neque illa quæ subordinatur.

*Excluditur obiectio Vasquez.*

*Specificatur effectus, & inuentio per offertorium.*

Accedit vlteriùs, quòd per hanc oblationem, quocumque modo exprimatur, applicetur sacrificium, & specificetur ad certum, & determinatum effectum, verbi gratiâ, pro peccatis & reliquis, quæ exprimuntur, & pro subiectis, pro quibus offertur in genere, vt pro circumstantibus, &c.

69

*Secunda conclusio.* Fractio illa hostiæ, & iniectio particulæ eius in calicem non spectat ad essentialem rationem sacrificij. Hæc est communis opinio; oppositum tamen eius docuit Canus *lib. 12. de locis, cap. 13.* Alij autem dicunt hanc fractionem ad integritatem sacrificij pertinere, non ad essentiam. Probatur conclusio, quia in consecratione ratio sacrificij essentialis consistit, quæ perficitur ante illam cæremoniam, quæ ad significationem

*Secunda conclusio.*

Canus.

*Fractio hostiæ non spectat ad sacrificiū.*

mysticam spectat, quâ denotetur fractio corporis in Cruce per mortem, & separationem sanguinis ab ipso.

Deinde Christus Dominus non est vsus illâ actione in Cœna: quamuis ergo fractio illa panis sit aliqua rei immutatio, non est tamen illa, in qua consistit essentia sacrificij.

Ex iisdem rationibus colligitur sumptionem Sacramenti, quæ fit à populo fideli, non esse de essentia sacrificij; quamuis aliqui Doctores eam reducant ad complementum eius. Probatur, quia in Missis priuatis, in quibus nullus communicat, perficitur, sine controuersia sacrificium quoad omnia essentialia: potest tamen dici quòd etiam alij, qui sumunt Sacramentum sub Missam, aliquo modo communicant sacrificio; modo, inquam, speciali & diuerso ab eo, quo communicant cæteri fideles, tam audientes, quàm non audientes, quia percipiunt aliquem fructum sacrificij: & sic facile reconciliari possunt Doctores, quia nulli dicunt id essentialiter exigi, vt communicetur semper sub Missa ab aliis, præter hæreticos, qui docent ad essentiam huius conuiuij spectare sumptionem eius.

70

*Neque sūptio laica.*

*Oppositum dici posse.*

Soto autem, qui dicit passionem Christi non repræsentari in consecratione, sed in sumptione, non probabiliter loquitur. Vnde *Prouerb. 6.* vbi sermo est de hoc sacrificio, ita dicitur, *Sapientia, &c. immolauit victimas suas, posuit mensam suam, &c.* Supponit ergo consummatum fuisse sacrificium antequam poneret mensam conuiuis.

Soto.

Vnde Gregorius Nyssenus oratione de Resurrectione, dicit, *Prius Christum seipsum sacrificasse, quàm se discipulis sumendum daret.* Sumptio autem, quæ fit ab ipso Sacerdote, magis intrinsecè spectat ad rationem sacrificij, quia est sub præcepto diuino, neque omitti potest.

Gregor. Nyssenus.

*Sumptionem factam à Sacerdote esse partem.*

71

Ideò Gabriel *lect. 26. in canon.* tenet partem affirmatiuam, & Soto *dist. 13. quæst. 1. art. 6. & 8. & quæst. 2. art. 2.* Ledesma *1. parte 4. quæst. 23. art. 4.* Canus *lib. 12. de locis, cap. 13.* Bellarminus *lib. 1. de Missa cap. vlt.* fundantur in eo, quòd vniuersaliter Sacerdos sacrificans debet fieri particeps victimæ: vnde 1. ad Corinth. 10. *Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Deinde, quia est de ratione hostiæ, maximè holocausti, vt tota consumatur, sed tale est hoc sacrificium, neque integrè consumitur nisi sumatur: ergo sumptio spectat ad eius essentiam.

Gabriel. Sotus. Ledesma. Canus. Bellarm.

Secunda sententia docet perfici sacrificium ante sumptionem. Hæc videtur D. Thomæ *3. part. quæst. 79. art. 5.* vbi dicit Eucharistiam habere rationem sacrificij, inquantùm offertur, Sacramenti inquantùm sumitur. & *quæst. 82. art. 4. ad 1.* ait, quòd consecratio Chrismatis non est sacrificium, sicut est consecratio Eucharistiæ: & magis *quæst. 83. art. 4.* vbi dicit: *Quartò*, inquit, *petit Sacerdos hoc sacrificium peractum esse Dei acceptum.* hæc petitio supponitur ad sumptionem; ergo & completum sacrificium: idem docet D. Bonauentura *in 4. dist. 14. art. 1. quæst. 4.* Maior *d. 9.* Alanus *lib. 2. de sacrificio Missæ*, & alij.

*Secunda sententia negat.* D. Thom.

D. Bonauēt. Maior. Alanus.

Respondetur incertum esse, quid Christus instituerit, nam vtraque actio habet proportionem sufficientem, vt sit capax institutionis sacrificij, neque est sufficienter conuincens aliqua ratio, quâ excludatur sumptio Sacerdotis à ratione sacrificij, neque etiam vt includatur.

*Sumptionem illam spectare ad sacrificium.*

Probabilius autem iudico sumptionem spectare ad integritatem sacrificij, quia omitti nequit, neque

neque videtur cur hoc præceptum eſſet Sacramenti tantùm, quia generaliter hoc ad rationem ſacrificij videbatur conuenienter ſpectare, vt Paulus *ſuprà* inſinuat. Non ſpectat tamen hæc ſumptio ad eſſentiam rigorosè, ſed per modum partis integralis, inſeparabilis tamen ex præcepto diuino, quæ ſumptio fieri debet, vt participetur ſacrificio ex Patrum ſententia.

Toletan. Concilium Toletanum XII. cap. 5. *Relatum eſt nobis, quoſdam è Sacerdotibus non tot vicibus Communionis ſanctæ gratiam ſumere, quoties ſacrificium in vna die videmus offerre; ſed in vno die ſi plurima per ſe Deo offerant ſacrificia, in omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendant, & in ſola tantùm extremi ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumant, quaſi non ſit toties illi vero ſacrificio participandum, quoties corporis, & ſanguinis immolatio facta conſtiterit,* &c. Et habetur de conſecratione diſt. 2. cap. *Relatum.*

*Cõmunio eſt participatio ſacrifi. ij.*

Additur etiam in eodem capitulo: *Quale erit ſacrificium, cuius neque ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur*, &c. Item hunc morem ex traditione Apoſtolica emanaſſe, docet Trident. *ſeſſ. 13. cap. 8.* Auguſtinus *16. de Ciuit. Dei, cap. 1.* aſſerit, *Manducare panem eſſe in nono Teſtamento ſacrificium Chriſtianorum.*

Trident. Auguſtinus.

73 Ratione confirmatur, quia non videtur fundamentum aliquod huius præcepti de ſumptione facienda à Sacerdote, aliud, quàm illud Pauli 1. ad Corinth. 10. *Qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris*, &c. quæ eſt generalis ratio in quibuſdam ſacrificiis: ergo vt inducta in hoc ſacrificio ſinſinuat ad integritatem, & conſummationem eius ſpectare illam ſumptionem ex inſtitutione Chriſti.

*Reſponſio Suarez.* Reſpondet Suarez incertum eſſe an hoc præceptum ſit iuris diuini, quia nec Eccleſia illud declarat, neque ex inſtitutione Chriſti ſequitur, neque quòd ſit traditio Apoſtolica probat præceptum eſſe diuinum, quia multa ſunt ordinata ab Apoſtolis, quæ Eccleſia ſemper tenuit in vſu.

*Præceptum ſumptionis nõ eſſe diuinum.*

*Impugnatur.* Contrà, Concilium Toletanum ſatis expreſsè colligit, & inſinuat eſſe iuris diuini: *Quale*, inquit, *erit ſacrificium*, &c. vbi inſinuat ſacrificium eſſe mancum, niſi ſumatur à Sacerdote. Deinde Paulus idem inſinuat loco præfato, allegans inſtitutionem Dei in veteri lege, in qua Sacerdotes participes fiebant ſacrificij, & altaris, & ibidem æquiparat hanc participationem illi, quæ fit menſæ Domini in hoc Sacramento. Deinde in illis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Concluditur præceptum ſumptionis, & miniſtrationis Euchariſtiæ, & confectionis eius: ergo etiam hoc, quia ſermo principaliter eſt ad Apoſtolos, tum

Trident. præſentes, & inſtitutos Sacerdotes: vnde Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 2. *Et in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuámque annunciare mortem, donec ipſe ad iudicandum veniat*, &c. ergo ſi ſumptio mortem Domini nuntiat, ſequitur proportio ſignificationis requiſita ad partem ſacrificij, & præceptum illud ſumptionis, reſpectiuè etiam ad Sacerdotem conficientem: quamuis in eo paſſu vtraque ſumptio comprehenditur.

*Ex rubricis.* Deinde in rubricis habetur tantus rigor huius præcepti, vt ſi Sacerdos conſecrans deficiat, debeat illi alius ſubſtitui ad ſumptionem ſacrificij, etiam non ieiunus: ſi eſſet autem tantùm præceptum Eccleſiaſticum, videtur præceptum illud de ieiunio, quod Apoſtolicum eſt, ſpectare magis ad reuerentiam ſacrificij, quàm illa ſumptio, niſi iure diuino eſſet de integritate ſacrificij, quia alioquin conſeruari poſſet in aliud tempus.

Ex quo ſequitur traditionem illam Apoſtolicam, quam docet Concilium eſſe iuris diuini, non autem conſtitutionis Apoſtolicæ, quia inter hæc diſcernit Eccleſia: vt patet de immixtione aquæ in calicem, quam mixtionem, licèt fuerit à principio ſemper in vſu in Eccleſia à temporibus Apoſtolorum, tamen declarat eſſe præceptum Eccleſiaſticum: ſic etiam celebratio Paſchæ, quæ ad inſtitutionem Apoſtolicam ſpectat, & ieiunium. 74 *Eſſe iuris diuini.*

Addo ergo, ſi ſumptio Sacerdotis non eſſet traditionis, aut iuris diuini, quid obſtaret, quin ſacrificiũ conſummari poſſit per communionem laicam aliorum, quamuis ipſe non ſumeret. Dices eſſe præceptum Eccleſiæ. Contrà, ſed vnde colligis illud eſſe Eccleſiaſticum. Reſpondet Suarez dando eſſe præceptum diuinum, quòd illa ſumptio exigitur, & Euchariſtia tam in ratione ſacrificij, quàm Sacramenti conſummatur, & vt participando etiam de illa miniſter publicus oſtendat ſe conſentire iſti ſacrificio. *Reſponſio.* Suarez.

Contrà, ſumptionem refert Toletan. *ſuprà* ad rationem ſacrificij, non Sacramenti: & vlteriùs in ratione Sacramenti, conſummari poteſt per communionem laicam aliorum ſub vtraque ſpecie: hoc enim præceptum eſt prius illa conſuetudine, quâ in Eccleſia Latina ſubtractus ſit vſus calicis laicis: ergo illa ratio non valet: ſic etiam minùs valet altera. *Impugnatur.*

Peto enim, quid ſit conſentire ſacrificio? an ſit approbare, aut credere, aut fructum eius participare, aut communicare eidem: ſed hæc omnia debent exhiberi in ipſo ſacrificio, aut partibus eius, non poſtquam tranſiit: ergo ſi per communionem Sacerdotis habentur, erit pars ſacrificij. Communio enim non refertur ad id, quod præteritum eſt in miniſterio, ſed ad præſens, vt de ſe patet, & ex orationibus, quæ antea dicuntur, vt *Domine non ſum dignus*, &c. loca autem Patrum, quæ ſignificant perfici ſacrificium in conſecratione, intelligi debent iuxta ſenſum concluſionis ſequentis.

*Tertia concluſio.* Ratio ſacrificij eſſentialiter conſiſtit in ipſa conſecratione. Eſt communis modernorum de hoc myſterio, à qua recedere nulla ratio vrget; nam quæ dicuntur de communione, ſaluantur in eo quòd dicatur pars integralis, & inſeparabilis, pertinens ad ſacrificij complementum, quamuis potiùs dici debeat participatio ſacrificij, & non ſacrificium, quia non prædicatur totum de parte integrali. Probatur concluſio ergo ex dictis, quia nihil aliud ſupereſt, in quo conſiſtat eſſentia ſacrificij. 75 *Tertia concl. Eſſentia ſacrificij in conſecratione.* *Probatur concluſio.*

Et confirmatur authoritate Patrum, quæ ſolùm valet in propoſito, vbi quæſtio verſatur circa id, quod inſtitutum eſt. In primis canon citatus Toletani in primis ſuis illis verbis videtur ſupponere ſacrificium, quoad eſſentialia, fieri à ſacerdotibus, non communicantibus, licèt poſteriora verba in ſenſu explicato intelligenda ſunt de communione tanquam parte integrali, & conſummatione ſacrificij. Toletan. Concil.

Idem patet ex oblatione Canonis poſt conſecrationem, poſtquam enim commemoratur præceptum Chriſti, *Hoc facite in meam commemorationem*, ſubiungitur; *Vnde & nos memores*, &c. quæ deprecatio ſupponit memoriam illam per conſecrationem iam factam. 76

Cyrillus

Cyrillus Ieros. — Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 5. *Deinde verò postquam confectum illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiæ pace.* & infrà: *Cùm hoc sacrificium offerimus, posteà facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt*: & infrà: *Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vita functi sunt, maximum credentes animarum inuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi, quod in Altari propositum est, sacrificij*, &c. ergo supponit iam per consecrationem sacrificium factum ante illas obsecrationes.

Ambros. — Ambrosius in Psalmum 39. *Tunc ipse offertur in terris, quando corpus Christi offertur, & tunc ipse offerre manifestatur in nobis, quando sermo eius sanctificat sacrificium quod offerimus.*

Cyprian. vel alius. — Cyprianus in sermone de Cœna Domini: *ex quo dictum est à Domino, Hoc facite in meam commemorationem: Hoc est corpus meum*, &c. *Hic est sanguis meus: quotiescunque hæc verbis, & hac fide actum est, panis iste ad totius hominis vitæ, salutémque proficit simul medicamentum, & holocaustum existens*, &c.

Gregor. — Gregorius 4. Dialogorum cap. 56. *Quis fidelium habere in dubium possit, in qua immolationis hora ad Sacerdotis vocem cœlos aperiri, Angelorum choros adesse*, &c. Hoc patet ex aliis Patribus, ex quibus *suprà* probatum est Christum esse ex vi verborum sub speciebus panis, & vini.

77 Sacerdotium ad sacrificiū ordinatur. — Confirmari etiam potest ratione, quia ille est actus primarius, & essentialis sacrificij, ad quem primò se extendit potestas sacerdotalis per characterem impressum: sed potestas sacerdotalis primò, & per se extenditur ad consecrationem: ergo primariò in illa consistit essentia huius sacrificij, aliàs Sacerdos posset offerre hostiam ab alio consecratam, nec proinde necessarium est habere per se potestatem consecrandi. Dices consecrationem exigi ad Sacramentum. Contrà, potestas sacerdotalis primò, & per se ordinatur ad sacrificium, non ad Sacramentum; vnde & aliqua Sacramenta ministrari possunt sine sacerdotio, vt Baptismus, & hoc ipsum Sacramentum ministrari posset à Diacono, quod non contingeret, si sacerdotium ad Sacramentum, & eius ministerium primò ordinaretur.

Responsio. Impugnatur.

Christus offerens. — Secundò, offerens principaliter hoc sacrificium est ipse Christus, ministerialiter Sacerdos: sed Christus tantùm offerre dicitur per verba consecrationis ex sanctis Patribus, quia illa sola proferuntur in persona Christi: ergo. Tertiò, omnia, quæ requiruntur ad sacrificium, in consecratione primariò inueniuntur, vt est præsentia Christi realis, desitio panis & vini quoad substantiam, quæ est primaria, & supernaturalis immutatio, quæ hîc contingit. Quartò, Christus ipse offertur in hoc sacrificio: sed hæc oblatio principaliter consistit in consecratione, per quam Christus fit præsens.

Quintò, est memoria sacrificij cruenti; sed hæc maximè celebratur in consecratione, vbi seorsim ex vi verborum, & significatione expressa, conficeratur sanguis, & corpus, quamuis concomitanter sint sub vtraque specie: ergo.

Sextò, si excludatur consecratio ab essentia sacrificij, nulla alia actio manet, in qua consistat, præter sumptionem: sed in hac non includitur, tum quia consecratio est dignior; in actione autem Sacerdotis nulla potest esse dignior actione sacrificandi: vnde inter merita ipsius Christi maximè omnium celebratur eius sacrificium mortis, in quo ipse fuit victima, & Sacerdos, atque hoc ipsum sacrificium incruentum, quod in memoriam cruenti est institutum. Argumenta, quæ contra hanc conclusionem militant, non sunt alia, quàm quæ probant, vel oblationem, vel sumptionem Sacramenti spectare ad sacrificium, quæ soluuntur ex dictis.

## Quæstio V.

### *Quid offertur in hoc Sacrificio?*

78 Quid offertur? Cassalius. — Hæc ex dictis facilem habet solutionem: in ea tamen variæ sunt opiniones. Prima est Cassalij *lib. 2. de sacrificio Missæ*, vbi asserit duo sacrificia secundùm rationem Physicam hîc distinguì: primum consistit in oblatione panis & vini, tam in offertorio, quàm in sequentibus, vsque ad consecrationem: secundum est sacrificium, in quo per consecrationem offertur ipse Christus, nempe corpus & sanguinem: addit primum sacrificium ordinari ad secundum. Prima sent.

Secunda sententia est, materiam huius sacrificij esse Christum, vt existit in propria existentia; terminum autem *ad quem* esse eundem, vt sacramentaliter existit sub speciebus. Secūda sent.

Tertia sententia docet Christum, vt sub speciebus, esse materiam, quæ offertur, vt autem manducatur esse terminum eius. Tertia sent.

Quarta sententia est rem oblatam esse ipsum Christum principaliter, quamuis panis & vinum offerantur secundariò. Hanc docet Suarez *disp. 75. ct. 1.* Quarta sent.

Quinta sententia, est in consecratione consistere actionem sacrificatiuam, quatenus repræsentat mortem Christi, & idem esse rationem sacrificij in hoc, ac repræsentare Christi passionem, & mortem: ita Vasquez *disp. 222. cap. 7. & 8.* Quinta sent.

79 *Prima conclusio.* Siue oblatio antecedens spectat, siue non spectat ad rationem sacrificij, non rectè dicuntur duo sacrificia physicè in hoc mysterio reperiri: dictum autem est *suprà*, quid de oblatione dicendum est, & quomodo se habeat ad sacrificium. Probatur ergo, quia partes non sunt totum, neque assumunt nomen, aut essentiam totius, saltem heterogenei, sed in proposito secundùm Patres vnicum est sacrificium nouæ legis, & non plura, quod etiam Theologi admittunt, & supponit Trident. *sess. 22. cap. 1. & 2.* vbi de vnico sacrificio cruento, & incruento loquitur, in quibus ipse Christus offertur, & oblatus est: vnde si essent duo sacrificia, non rectè vnicum sacrificium Crucis repræsentarent. Esse vnum sacrificium. Trident.

Deinde, quando ad idem plures actiones ordinantur, nulla sumit appellationem à termino *ad quem*, nisi illa, quæ proximè attingit ipsum, quamuis vt faciunt vnum, sine subordinatione, siue alio modo, habent appellationem termini: ergo oblatio prior disponens ad consecrationem, in qua essentialiter consistit actio sacrificatiua, vt ex dictis patet, non rectè appellatur actio sacrificatiua, neque quod per ipsam proximè fit sacrificium, nisi vt transit mediatè in terminum. Oblatio non est sacrificiū.

80 *Secunda conclusio.* Christus vt existit in propria specie, & modo connaturali, non est materia, quæ offertur, vt dicit secunda sententia. Probatur, materia quæ offerri debet, debet etiam immutari: sed Christus in propria existentia non immutatur: ergo non est materia oblata. Secundò, vt constat ex dicendis, Christus, vt sub speciebus offertur: Secunda conclusio. Prima ratio. Secūda ratio.

ergo

*Christus vt præexistēs nō est materia. Responsio.*

ergo est materia sacrificij sic, non vt in propria existentia manens.

Dices requiri, vt materia oblationis supponatur ad ipsam oblationem. Contrà, ideò exigitur, quia immutatur; immutatio autem est ordinatiè circa præexistens, sed non immutatur Christus in propria existentia: ergo non est materia oblati.

*Si non præexisteret, fieret consecratio.*

Deinde, si Christus non præexisteret adhuc ex vi consecrationis, & assistentia Dei signo infallibili verborum, poneretur sub speciebus consecratis, sicut contingit aliis signis practicis, & sacramentalibus, in eo casu fieret verum sacrificium: ergo haberet veram oblationem: sed esset consecratio eiusdem rationis, & significationis: ergo. Deinde in hoc sacrificio quantùm ad rem oblatam debet esse repræsentatio sacrificij cruenti, sed ad hanc non confert existentia immutabilis Christi: ergo.

81

*Tertia conclusio. Non in repræsentatione sacrificij Crucis consistit.*

*Tertia conclusio.* Hoc sacrificium, quamuis includat memoriam passionis Christi, non in ea solùm consistit ratio sacrificij incruenti. Est contra Vasquez. Probatur, quia sic tantùm est signum rememorativum passionis, & speculativum, non practicum; alioquin quodcunque signum repræsentans idem sacrificium, esset sacrificium, quod nemo concedit. Dices requiri vt res ipsa contineatur in signo, sicut Christus in hoc sacrificio.

*Responsio.*

*Impugnatur.*

Contrà, continere rem ipsam non facit ad rationem sacrificij, nisi in illa continentia fiat oblatio, quæ est de intrinseca ratione sacrificij. Præterea, sacrificia veteris legis erant sacrificia, quæ significabant passionem futuram Christi; significare autem futurum, aut præteritum perinde facit ad rationem sacrificij: ergo aliquid aliud exigitur ad sacrificium præter illam significationem.

*Significatio mystica non spectat ad sacrificium.*

Consequentia patet, quia sacrificium non includit essentialiter significationem mysticam, qualis est illa, sed tātùm moralem, ideóque quamuis sacrificia veteris legis continebant mysticam, non ideò erant sacrificia, sed quia res oblata immutabatur in cultum Dei, & continebat cultum interiorem tanquam signum eius: ergo eodem modo in proposito continere memoriam passionis, non est essentialis ratio huius sacrificij.

82

*Continere Christum cōuenit Sacramento.*

Deinde continere Christum conuenit huic sacrificio, non solùm quà sacrificium est, sed etiam quà Sacramentum, & cibus animarum; sub hac autem ratione non est sacrificium: ergo quod commune est ipsi, quà Sacramentum, & sacrificium est non facit ad distinctionem vtriusque.

*Essentia sacrificij.*

Deinde continentia hæc Christi, nisi contineatur per modum rei oblatæ, non facit ad rationem sacrificij, cuius tota significatio est in oblatione rei immutatæ in cultum Dei, vt *suprà* definiuimus ex communi sententia, ac proinde neque in hac continentia sola, cum memoria passionis præteritæ stat ratio sacrificij, aut definitio, quia nihil horum includit immutationem, aut oblationem.

*Quánam ratione significatur passio?*

Deinde celebrari per hoc memoriam passionis est præceptum Christi supponens sacrificium completum; vel ergo sacrificium includit ex natura actionis illam repræsentationem, vel non: si sic; ergo in illa inquantùm per similitudinem, & proportionem actio sacrificandi se habet circa corpus & sanguinem Christi, sicut actio sacrificandi eius in Cruce versabatur circa eadem, repræsentat, & sic per modum oblationis erit ex natura rei memoria eiusdem sacrificij.

Si non includit talem similitudinem reipsa, sic erit signum merè speculativum eius ex instituto Christi; sicut alia signa sunt, quia nimirum præceptum Christi ex ea intentione latum est, vt fieret in memoriam, hoc sacrificium, sacrificij cruenti. Sed Baptismus etiam significat mortem, & sepulturam Christi, vt constat, quia in illo morimur nos peccato, & trina immersione in aqua significatur sepultura Christi, vt constat ex Patribus, & suo loco tractatur.

*Baptismus repræsentat mortē Christi.*

Confirmatur, quia etiam sumptio huius Sacramenti ex declaratione Tridentini, & Patrum, quos *suprà* citauimus, fit in memoriam sacrificij cruenti, & illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem*, &c. ad sumptionem etiam Sacramenti referuntur. Sed hoc non obstante præfatus author negat sumptionem etiam sacrificantis pertinere vllo modo ad essentiam, & integritatem sacrificij, sed solam consecrationem; restat ergo vt essentia sacrificij non consistat in memoria passionis tantùm.

83

*Confirm.*

*Sumptio significat passionem.*

Accedit vltimò, quòd hoc sacrificium sit propitiatorium pro peccatis, vt definiunt Concilia, sit etiam holocaustum in cultum suprēmum Dei: sed sacrificium propitiatorium continet oblationem per modum satisfactionis pro peccatis, holocaustum autem immutationem rei oblatæ totalem, quæ non conueniunt huic sacrificio, prout solùm includit memoriam passionis. Confirmatur, quia sacrificium offertur Deo immediatè: ergo eius essentia in hoc debet consistere, & non in memoria alicuius rei creatæ, qualis fuit passio Christi. Trid. *sess. 22. cap. 3.* vrget etiam Canon primus contra sententiam præmissam, in qua negatur sacrificium consistere in sola commemoratione passionis.

*Eucharistia sacrificium propitiatorium, & holocaustū.*

Fundamentum Vasquez sunt loca aliqua Patrum, quibus nihil aliud dicitur, quàm sacrificium hoc offerri in memoriam passionis: loquuntur ergo de sacrificio specificatiuè, non quòd illa memoria sit ratio eius essentialis: deinde hæc memoria celebratur ex natura ipsa actionis sacrificandi incruētè, quia, vt diximus, corpus ex vi verborum ponitur sub speciebus panis, sanguis sub speciebus vini, & seorsim, quantùm ad expressam significationem, licèt alterum sub specie alterius contineatur concomitanter.

84

*Prima obiect. Soluitur.*

*Celebrari memoriam passionis.*

Actio ergo ipsa sacrificandi incruentè imitatur actionem sacrificij cruenti, in quo sanguis in cruce fuit separatus à corpore. In hoc ergo actio sacrificandi incruentè quà imitatur cruentam oblationem fit in memoriam passionis Christi: quia inquantùm imitatur passionem modo explicato est memoria, sed non sic est sacrificium, sed inquantùm sic agendo per veram immutationem rei oblatæ offertur Deo.

*Quomodo fit in memoriam passionis?*

Eadem ergo actio, & est imitatio oblationis cruentæ, & est sacrifica oblatio: per hoc autem habet quòd sit sacrificium, per illud quòd sit memoria sacrificij prioris: vnde si primum demus, non erit sacrificium, sed sola memoria; si secundum, non erit memoratiuum prioris.

Nihil aliud intendunt Patres, vt constat ex eorum verbis. Cyprianus *lib. 2. epistolarum epist. 3.* quæ nunc ordine est 63. nihil dicit nisi *mentionem passionis Christi in sacrificiis omnibus nostris, hoc est, altaris facere, & ipsam passionem Domini esse sacrificium quod offerimus*, &c. Id autem intelligendum est modo dicto, quia sacrificatio nostra fit per modum sacrificationis cruentæ, quantùm ad imitationem, & exemplar eius. Chrysostomus *homilia 17. ad Hebreos*, dicit, *Vnam esse hostiam, & non multas, quam offerimus*, &c. nempe quantùm ad vnitatem rei oblatæ. *Quomodo vna est*, inquit, *& non multæ,*

85

*Cyprian.*

*Chrysost.*

*multa, quia semel oblata est in sancta Sanctorum* (supple in Cruce.) *hoc autem sacrificium* (supple altaris) *exemplar est illius, idipsum semper offerimus*, &c. supple Christum. Idem sonat testimonium Augustini *lib.20. contra Faustum, c.21.* vbi dicit: *Huius sacrificij caro, & sanguis ante aduentum Christi, per victimarum similitudinem promittebatur, in Passione Christi per ipsam veritatem reddebatur, post ascensum Christi per Sacramentum memoria celebrabatur.*

Augustin.

Algerus: *Non ergo est in ipsius Christi veritate diuersitas, sed in ipsius immolationis actione; quæ dum veram Christi passionem, & mortem quadam suâ similitudine figurando representet, nos ad imitationem ipsius Passionis inuitet, & accendat*, &c. subiungit *infrà* explicationem Augustini loco præfato: *Dicit ergo*, inquit, *Christum in manifesto corpore suo, & in distinctis membris humanitatis suæ semel passum in Cruce, qui non manifestè, sed inuisibiliter est in Sacramento quotidie, non passus, sed quasi passus repræsentatus.* eodem modo *infrà* subiungit explicationem verborum Gregorij; ex quibus patet ad reliquos, quos citat præfatus author.

Algerus.

Duo enim contendunt Patres, nempe non esse diuersa sacrificia, quantùm ad rem oblatam, sed idem; diuersa tamen esse quantùm ad actionem, & modum offerendi: & sacrificium altaris in oblatione imitari sacrificium cruentum, ac proinde esse memoriam eius: vnde in hac imitatione consistit ratio signi rememoratiui, in oblatione ratio sacrificij: vnde sicut de fide est Christum in hoc sacrificio verè, & propriè immolari, quoad rem ipsam, vt *infrà* patebit, oportet rationem sacrificij ab hac immolatione rei sumere, non autem ab imagine prioris sacrificij, quâ repræsentans est tantùm.

86 *Obiectio à ratione.*

Obiicit deinde rationem, quamuis, inquit, sacrificium absolutum, hoc est, non commemoratiuum alterius, postulet rei oblatæ immutationem, tamen immutatio non est ratio formalis sacrificij; sed quid requisitum ex parte materiæ eius necessariò: ratio autem sacrificij in significatione omnipotentiæ Dei, authoris vitæ, & mortis formaliter posita est: ergo si erit aliqua oblatio in qua hæc significatio absque rei oblatæ immutatione habetur, erit propriè sacrificium: sic se habet oblatio incruenta absque vera Christi immutatione, significans mortem eius: ergo, &c.

*Responsio.*

Hæc ratio, quam putat efficacem, est valdè inefficax. Respondetur itaque in maiori petere principium, vt apertè constat; quare enim immutatio rei sit de ratione sacrificij absolutè, & non commemoratiui, si vniuocè conueniunt: deinde si in hoc distinguitur sacrificium ab oblatione simplici, nequit non esse de essentia sacrificij, quod ipse aliàs docet cum communi.

Item, si immutatio rei est per se requisita ad materiam sacrificij; ergo ad cuiuscumque: ergo etiam ad incruentum, quia nequit saluari sine materia per se requisita. Item, quare hæc conditio exigitur ad sacrificium ex parte materiæ, nisi in ordine ad significationem, quæ nequit haberi, nisi vt per talem modum offerendi significetur omnipotentia aliter per sacrificium, quàm per oblationem simplicem.

Accedit Concil. Trident. sess.22. can.3. *Si quis dixerit Missa sacrificium tantùm esse laudis, & gratiarum actionis; aut nudam commemorationem sacrificij in Cruce, non autem propitiatorium*, &c. *anathema sit*: ergo non consistit in nuda commemoratione.

87 *Quarta conclusio.*

*Quarta conclusio.* Neque essentia huius sacrificij consistit in sumptione eius, ita vt consecratio supponatur, & existentia Christi sub speciebus, tanquam materia. Patet ex dictis *suprà*, quia consecrationem probauimus esse de essentia sacrificij, & sumptionem esse tantùm partem integralem: & sufficit pro absurdo, quòd sequeretur etiam quotiescumque sumitur communio à laicis, toties sacrificium fieri: & quòd consecratio respectu sacrificij incruenti ita se haberet, sicut incarnatio respectu cruenti.

*Quinta conclusio.* Res oblata principaliter in hoc sacrificio est Christus ipse vt sit sub speciebus; nempe corpus & sanguis eius. Hæc patet ex dictis, quia Tridentinum, & Patres *suprà* citati dicunt Christum offerri hîc incruentè & inuisibiliter sub speciebus panis & vini; & hanc oblationem fieri per verba ipsius Christi, quæ tantùm in consecratione dicuntur in persona Christi, non in persona Sacerdotis: solùm ergo indiget explicatione.

*Quinta conclusio. Principalis oblatio est Christi.*

88 *Explicatur oblatio sacrificij.*

Ad sacrificium exigitur immutatio rei quæ offertur. Hæc immutatio in proposito contingit dupliciter, quia substantia panis & vini desinunt esse per consecrationem, & conuertuntur in corpus & sanguinem Christi; deinde ipse Christus recipit *esse* sacramentale sub speciebus: vnde quamuis hæc duo in ratione rei diuersa sunt, in ratione tamen sacrificij vnum integrum constituunt; vnde species se habent vt *quo*, Christus vt *quod*, & desitio panis & vini se habet vt terminus *à quo* oblationis; quia eodem modo se habent ad oblationem, quo se habent ad transsubstantiationem: quòd verò se habeant species vt *quo* respectu huius sacrificij, patet, quia sacrificium est visibile, & sensibile signum, mediante autem speciebus conuenit Christo esse, quod habet in Sacramento & sacrificio: ergo ab iis in ratione sacrificij non præscindit: quia tamen Christus vt sub speciebus offertur; ideò oblatio terminatur ad Christum, vt ad rem principaliter oblatam, ad species vt *quo*.

89 Augustin.

Vnde Augustinus: & habetur in capitulo *Hoc est, de consecratione, dist.2. Hoc est*, inquit, *quod dicimus, hoc est quod modis omnibus probare contendimus, sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili Sacramentorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine*, &c. Idem etiam patet Ioan. 6. *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita.* Trident. sess.22.c.2. *Corpus & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit*; & infrà: *Nouum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum.*

Trident.

*Exemplum.*

Potest materia ex qua sacrificium fiat, dici panis & vinum quoad substantiam, sed materialiter se habent ad rem oblatam, quia in ipsam commutantur: sic thus, quod adoletur, & euaporatur per ignem, commutatur in fumum, qui proximè offertur. Dicit ergo hæc hostia necessarium, & intrinsecum ordinem ad species, sine quibus non est sacrificium sensibile proportionatum Ecclesiæ, quæ signis sensibilibus vtitur in cultu: ergo quidquid constituit in *esse* sensibilis spectat ad sacrificium, non vt pars rei oblatæ, sed vt quo res offerri possit sensibiliter, tanquam contentum, ac proinde rectè potest dici sacrificium vt *quo*, includere species, sine quibus nō esset in ratione signi.

*Probatur species spectare ad sacrificiū.*

90 *Aliter se habēt species ad sacrificiū, aliter ad Sacramentum.*

Confirmatur, quia illud aliquo modo spectat ad sacrificium, quod spectat ad Sacramentum, licèt non eodem modo; quia species, vt suo loco probatum est, sunt Sacramentum in recto, corpus verò & sanguis res Sacramenti, seu significatum. Sacrificium verò consistit in re oblata, & ipsa

oblatione factâ in cultum Dei, quæ consistit in re digniori, ac proinde magis accepta Deo, quod
Trident. est corpus & sanguis Domini, vt definit Tridentinum citatum; & can. 2. *Si quis dixerit illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes; aut non ordinasse, vt ipsi, aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem suum, anathema sit.* Quia tamen hæc oblatio fit mediante specie sacramentali; ideò dicimus eas species, vt *quo* spectare ad sacrificium & oblationem.

*Idem declaratur.* Quod vlteriùs confirmari potest, quia verba sacramentalia, seu forma determinant species, & immutant separâdo ipsas; & in his speciebus seorsim consecratis, earúmque significatione consistit memoria, & imitatio sacrificij cruenti: ergo spectant ad hoc sacrificium, vt est exemplar, & figura prioris, retinens veritatem eiusdem figuræ oblatæ, & sine quibus res ipsa offerri non possit.

91 *Algerus. Offertur sub speciebus.* Vnde Patres dicunt, potissimùm Algerus, offerri eâ sub speciebus, offerri inuisibiliter, quantùm ad propriam formam, visibiliter quantùm ad species, sub quibus est sacramentaliter; ac proinde nequit præscindere, vt offertur à specie; vnde

*Est vt forma sacrificij, atque vt quo.* quamuis species non sit pars rei oblatæ, est tamen ratio, sine qua offerri non possit, non solùm per modum conditionis; quia conditio non determinat aliquod prædicatum rei, cuius est conditio; species autem in proposito determinat prædicatum essentiale, quod cõuenit sacrificio, nempe esse

*Esse sensibile, est prædicatũ essentiale.* signum sensibile diuini cultus, quod nequit conuenire corpori & sanguini, nisi per species: ergo rectè dicitur species vt *quo* spectare ad sacrificium, sicut sapor, & alia accidentia dicuntur spectare ad nutrimentum, sine quibus non posset esse nutrimentum, aut nutritio; quamuis principaliter hæc nutritio consistat in ipsa substantia rei.

Ex his facilè solui possunt quædam argumento modernorum, qui negant species pertinere ad rem oblatam, licèt ordo ad species sit in ea necessarius; quæ non cohærent, quia ideò ordo ille spectat ad rem oblatam, quà sacrificium est, quatenus exigit vt sit signũ sensibile; quod nullo modo ipsi competit, nisi vt includit terminum suum, per quem redditur subiectum sensui; ordo enim ille immediatè nõ attingit sensum: ergo solùm in suo termino, ac proinde Christus vt hic, non esset res capax oblationis sensibilis, nisi vt includit speciem: & quamuis Christus sit res oblata, & ratione suæ dignitatis acceptetur, non tamen sine speciali acceptatione, neque aliter, nisi vt offertur sensibiliter per modum sacrificij humani in Ecclesia, & actione proportionata Ministro.

## QVÆSTIO VI.

### *De Ministro, aliisque, quæ spectant ad hanc oblationem.*

92 DE offerentibus hoc sacrificium potest esse quæstio in genere & specie; nempe de Sacerdote, de Ecclesia, de Christo, de populo, de audientibus, &c. vtrùm omnes offerãt & singuli, & quomodo? Omissis hæreticis, qui negant sacrificium,

*Prima sententia.* & de quibus *suprà* egimus. Prima est sententia Magistri 4. *dist.* 13. vbi asserit hæreticum, aut hæresi suspectum non conficere hoc sacrificium valide. Hæc opinio vt erronea ab omnibus reiicitur, &

*Vasquez.* meritò. Vasquez, & alij moderni docẽt Doctorem *suprà* dogmatizasse, validè quidem consecrare, sed non offerre sacrificium: quem sequitur Gabriel *suprà*: ita Vasquez *disp.* 226. *cap.* 1. citat Doctorem, atque alij moderni.

*Excluditur calumnia, & explicatur Doctor.* Sed hæc interpretatio in superficie verborum hæret, non in mente, aut resolutione Doctoris: hanc ergo *superiùs q.* 3. *concl.* 1. diluimus, vt ibidem citauimus verba eius. Suppositis itaque iis, quæ ibidem dicta sunt, addo ampliùs Doctorem ibidem respondere ad argumentum Magistri, quod est illud ipsum, quod adduxit in obiectione, vt videre est apud ipsum Magistrum: vnde verba Doctoris sunt, postquam nempe præmisit, à quocumque Sacerdote, etiam schismatico, hæretico, & degradato confici validè Sacramentum, subiungit: *Si obycis de hæretico & schismatico quòd non conficiat, quia Sacerdos non offert in persona propria, sed in persona Ecclesiæ, cuius est minister; hîc autem est præcisus ab ea:* & huic rationi videtur Magister Inniti in litera. Probatur antecedens per illud quod dicit Sacerdos, *offerimus tibi*, & non, *offero tibi*, &c. quæ probatio est etiam Magistri.

*A quocumque Sacerdote confici validè.*

*Obiectio Magistri.*

93 Respondet ergo Doctor dupliciter ad hanc obiectionem: primò offertorium spectare ad sacrificium, & non ad Sacramentum, quod ex communi opinione omnium, verum est: ac proinde consequentia Magistri non valet.

*Respõdet Doctor dupliciter. Prima respõsio.*

Respondet secundò, *Esto etiam*, inquit, *quòd verum sit, quòd oportet quemlibet conficientem conficere in fide Ecclesiæ, benè potest nõ solùm schismaticus, sed etiam hæreticus potest circa Eucharistiam habere intentionem Ecclesiæ in conficiendo; & hoc intentionem in vniuersali intendendo, scilicet facere quod Christus instituit faciendum, & quod Ecclesia facit, licèt non intendat in speciali, quia credit Eucharistiam nihil valere; sicut dicitur 2. Priorum, contingit scire omnem mulam esse sterilem, & dubitare de hac; & de ista intentione vniuersali satis dictum est d. 6. in materia de Baptismo*, &c.

*Secunda respõsio.*

*Intentio vniuersalis sufficit.*

In hac secundâ responsione consistit resolutio Doctoris, non in prima; ideò remittit ad distinctionem. Vbi optimè explicat hanc intentionem vniuersalem *q.* 5. & eum sequuntur omnes Theologi posteriores. Si dicit ergo resolutiuè quòd intentio vniuersalis sufficit in Ministro cuiusque Sacramenti, & in proposito ad Eucharistiam, etiam quà sacrificium est; non negat sacrificium offerri à Ministro etiam hæretico: in priori itaque responsione non resolutiuè agit, sed soluit argumentum Magistri.

94 Hæc responsio peruia est & clara, agit enim ex proposito quæstionis de Ministro Sacramenti, & obiter *in 2. respons.* tangit resolutiuè, quid dicendum sit de Ministro sacrificij, & eius intentione requisita: quia quamdiu manet in eo intentio vniuersalis, quæ ad minimum requiritur vt validè conficeret, offert sacrificium in intentione, & persona Ecclesiæ & Christi. Vnde antecedens illud Magistri, seu minor rationis eius negatur, quòd scilicet hæreticus, aut præcisus ab Ecclesia nequeat offerre validè sacrificium. Non benè ergo Vasquez dicit Doctorem probare suam sententiam ratione Magistri; quia dicitur in offertorio, *Offerimus*, & non *offero*: adducit enim rationẽ Magistri, ad quam respondet primùm non valere consequentiam; & secundò negando antecedens eius. Vnde mirum est quàm leuiter moderni sententiam eius explorant, vt aliquid suppetat, quod impugnare possint.

95 Sed vrget Vasquez, quòd eo ipso quo characterem habeat Sacerdos recipiat potestatem offerendi, & conficiendi: sed quid tum: quis enim negat? Doctor *in hac dist.* 13. *q.* 2. id affirmat, & *in dist.* 19. *art.* 4. dicit potestatem conficiẽdi Eucharistiam in

in Sacerdote esse semper propinquam,& non impedibilem, si attentat facere in materia debita, & cum intentione requisita : & *dist.24. & 25.de Ordine*,hoc idem probat.Item,*dist.21.q.2.*dicit Sacerdotem & in persona Dei , & in persona propria baptizare,& consecrare. Ex his de facili apparet sententia Doctoris.

96 *Prima cõclusio.* Omnis Sacerdos,etiã hæreticus, & degradatus,& præcisus,validè offert sacrificium immediatè,si adsit debita intẽtio requisita ad consecrationem. Hæc patet ex dictis. Patet etiam ex variis definitionibus Cõciliorum,post Nicænum Concilium, etiam ab hæreticis celebrari vera Sacramenta,si cætera adsunt,contra Cyprianum,qui negabat extra Ecclesiam,vbi non est fides,inueniri Sacramenta fidei:ideóque ordinatum est præter Cataphryges, qui in materia & forma, ac ritu essentiali Sacramentorum deficiebãt,reliquos conuersos à quacumque hæresi recipiendos in suo gradu, Diaconos vt Diaconos, Presbyteros vt tales,Episcopos vt Episcopos:quamuis aliqui canones ordinarint Presbyteros manere pro tempore in officio Diaconi ministrantes causa disciplinæ.

*Prima cõclusio.*

*Patet ex definitione Ecclesiæ.*

97 *Secunda conclusio.* Hæreticus Sacerdos etiam in persona Ecclesiæ, & Christi offert sacrificium, si seruet intentionem vniuersalem;quamuis habeat ipse particularem ex errore. Est Doctoris *suprà*,& quidem in terminis est cõtra rationem illam Magistri:& patet ex dictis,quia quamdiu manet character sacerdotalis, potest habere suum actũ competentem,& manet potestas concessa à Christo,& Ecclesia in talem actum : ergo potest exercendo actum gerere personam Christi,& Ecclesiæ offerentis sacrificium. Patet consequentia,quia nihil aliud est offerre in nomine Christi , & Ecclesiæ, quàm vti potestate ab ipsis concessâ , secundùm quam deputatur minister in ordine ad talem actum : sed manet semper character sacerdotalis semel impressus , & independenter à fide , & statu personæ,quia indelebilis : vt definit Tridentinum *sess.7. de Sacramentis in genere canone 9.*

*Secunda conclusio.*

*Hæreticũ validè offerre cũ intentione vniuersali, &c.*

98 *Tertia conclusio.* Christus est principalis offerens hoc sacrificium.Est cõmunis Theologorum, eámque tradit Trid.sess.22.c.2. *Idem*, inquit,*nunc offerens Sacerdotũ ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit*,&c.Anselm.in Psal.38.*Ipse offerre manifestatur in nobis,cuius sermo sanctificat sacrificium,quod offertur*,&c. Augustin.lib.4.de Trinit.c.14. *Christus ipse offerens,ipse & oblatio,cuius rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesia sacrificium quod offertur*,&c. Chrysostom.homil.2.in epist.2.ad Timotheum,& homil.17.in epist.ad Hebræos:*Cùm videris Sacerdotem offerentem , non ipsum cõsideres hoc facientem , sed Christi manum inuisibiliter extentam.* & in Liturgia , *Ipse est qui offert, ipse est qui offertur.* Innoc. III. *in cap. Firmiter,de Summa Trinitate,& fide Catholica*,dicit,*Christum esse Sacerdotem & sacrificium.*Eugen.IV.in decreto vnionis Armenorum, *hoc mysterium offerri in persona Christi* ; & Trident. *ipsum esse principalem offerentem.* Cyprian.epist.63. *Sacerdos in altari vice Christi fungitur,& sacrificium, ac plenum Deo Patri offert.*Suarez contra hanc conclusionem citat nostrũ Doctorem *quodl.*20. Cordubam *lib.1.quæst.q.3.* Gabrielem *lect.26. & 27. in canonem*, malè tamen, quia Doctor loquitur de offerente immediato,non de principali offerente, cuius sententia in sequenti conclusione probabitur.

*Tertia cõclusio.*

*Christus principalis offerẽs.*

Trident.

Anselmus.

Augustin.

Chrysost.

Innoc. III.

Florent.

Trident.

Cyprian.

99 *Quarta conclusio.* Christus Dominus non est immediatè offerens hoc sacrificium.Est contra Suarem *disp.77.sect.1.*Bellarminum,& aliquos modernos.Conclusionẽ tenent Doctor *in quodl.*20.*art.*3. quẽ sequuntur præfati Doctores,& Vasq.*disp.225. c.3.*Solùm ergo Christus remotè offert hoc sacrificium,sicut & Ecclesia,proximè verò Sacerdotes.

*Quarta conclusio.*

Suarez.

Bellarmin.

Doctor.

Vasquez.

Probatur conclusio ex Patribus præmissis, qui non solùm Christum offerre hoc sacrificium docent,sed modũ quo offert,nempe in nobis, aut in Sacerdotibus:ergo non est alius modus offerendi Christi nunc nisi in ministris. Trident. *Idem*,inquit , *nunc offerens Sacerdotum ministerio :* ergo non aliter offert:qui autem in ministro tantùm offert, licèt authoritatiuè , & principaliter offerre dicatur,non tamen immediatè in propria persona:qui enim per alium facit , licèt facere dicatur , tamen non proximè , sed per ministrum. Idem expresè sonant verba Anselmi , qui dicit Christum *offerre in nobis* , nempe ministris , rationem subiungit, *quia sermo eius sanctificat sacrificium* ; nempe vt prolatus à Sacerdote : quod determinat oblationem eius reduci ad institutionem verborum , & potestatem datam ministro.

*Probatio ex Patribus.*

Trident.

Anselm.

100 Verba Augustini nihil aliud indicant;imò extrema illa verba, *Cuius rei Sacramentũ quotidianum esse voluit sacrificium Ecclesia,quod offertur*,id clariùs explicant ; nam Sacramentum , id est, signum sacrum oblationis priùs factæ à Christo , tam in Cœna,quantùm ad veritatem rei,quàm in Cruce, quantùm ad repræsentationem,& imitationẽ,voluit esse *sacrificium quotidianũ Ecclesiæ :* ergo supponit Christũ proximè illud non offerre. Ambrosius idem habet,cuius verba sumpsit Anselmus,vt solet sententiis anteriorum Patrum loqui. Cyprianus clarè idem docet , affirmans *Sacerdotem vice Christi in altari fungi* , referens ipsum Sacerdotem offerre:ergo oblatio Christi terminatur ad institutionem mysterij, quatenus ei dedit valorem ad potestatem offerendi in Sacerdotibus ; & quatenus in Christi merito,& Passione,cuius memoria est, & acceptatur, sicut cætera omnia.

Augustin.

Cyprian.

101 Secundò probatur conclusio ratione , eatenus requireretur oblatio immediata per Christum facta , vt tribueret merendo per oblationem præsentem effectum sacrificij, vel vt compleret potestatem offerendi,vtrumque est falsum:ergo. Probatur maior , quia alia non suppetit necessitas illius oblationis.Minor patet,quia sufficit meritum vniuersale Christi,per Passionem & mortẽ suam, ex quo omnia habent valorem Sacramenta , sicut & sacrificium , & opera nostra, &c. ex Paulo ad Hebræos 10. *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel* ; & infrà : *vnâ oblatione consummauit in sempiternũ sanctificatos*, &c. ergo ad complementum huius oblationis,& consummationis plenariæ meriti Christi, non requiritur aliqua alia quotidiana personalis oblatio per ipsum immediatè,neque ad necesse esse,neque ad melius esse:quia,vt dicit Clemens VI. Extrauaganti,*Vnigenitus,de indulgentijs*,vna gutta sanguinis Christi sufficiebat ad redemptionẽ totius mundi.

*Secunda probatio à ratione.*

*Nulla est necessitas talis oblationis per Christũ personaliter.*

Neque alioquin compleretur meritum , & satisfactio Christi pro nobis , si aliquid deesset ad melius esse,tum maximè quia secundùm opinantes fuit infiniti valoris : ergo quidquid ad genus meriti spectat complectens:tum etiam,quia Christus non est iam in statu merendi , qui compleuit meritum ; *& semel* , ex Paulo, *introiuit in sanctã æternã redemptione inuentã :* in quo probat Sacerdotium eius excellere Sacerdotium Leuiticum.

*Meritũ Christi cõpletum.*

*Christus consummauit meritum in morte.*

102 Præterea , etiamsi iam offerret in persona propria,sequeretur sacrificium Missæ esse infiniti valoris per ipsos,quia valor eius à persona offerente desumitur,& etiam ratione rei oblatæ per ipsum,

*Sacrificium cruẽtum excedit incruẽtum, quoad vẽlorem.*

ac proinde æquale ſacrificio cruento in effectu. Quod non admittitur, quia hoc ſacrificium non delet mortale, neque pro ipſo ſatisfacit; neque plenè etiã pro pœna debita iis, pro quibus offertur: alioquin ſufficeret vnũ ſacrificiũ pro viuis & defunctis, quod eſt cõtra praxim Eccleſiæ, & ſenſum.

Præterea, vt *ſuprà* ex Tridentino, & aliis dictum eſt, ſacrificium hoc inſtitutum eſt in memoriam cruenti, vt fructus eius in hoc nobis applicetur, quod probat effectum eius eſſe diuerſum, & minoris valoris, quàm fuerit cruenti ſacrificij, in cuius virtute operatur.

*Confirmatur. Nõ offert viſibiliter.*

*Non concurrit intentione particulari.*

Confirmatur, quia Chriſtus non concurrit ad actum ipſum externum ſacrificij proximè; in quo conſiſtit eius eſſentia, & dependet proximè à miniſtro proferente ſenſibiliter verba: neque affectu interiori actuali & particulari, quia inde ſequeretur quòd intentio actualis Sacerdotis nõ exigeretur & ſuppleretur per intentionem actualem proximam Chriſti, quia cauſa principalis immediatè

*Cauſa principalis ſupplet defectum inſtrumenti.*

influens, & particulariter proximè in effectũ ſupplet defectum cauſæ inſtrumentalis: intentio miniſtri eſt tantùm applicans formam materiæ: ergo ſi Chriſtus intẽdit proximè ſupplebit illam; quia intentio Sacerdotis in virtute intentionis Chriſti vniuerſalis habet hũc effectum: loquitur enim in perſona Chriſti, quando conſecrat, non in propria, vt Patres dicunt: & patet ex Canone. Si ergo Chriſtus habet intentionem non ſolùm vniuerſalem; ſed etiam particularem hîc, & nũc offerendi, ſupplet intentionem Sacerdotis, quæ ſuperfluit.

103 *Reſponſio.*

Si dicas intentionem Chriſti particularem eſſe accommodatam intentioni Sacerdotis. Contrà,

*Impugnatur.*

inde ſequeretur vel non requiri, quod eſt intentum, vel Sacerdotem hæreticum malè ſentientem de myſterio non validè conficere. Probatur ſequela, quia vel intentio vniuerſalis Chriſti ſufficit ad valorem ſacrificij, & ſic particularis non exigitur: vel præterea requiritur particularis eius: ergo ſi hæc accommodata eſt intentioni Sacerdotis hæretici, qui non habet intentionem particularem rectam, ſed vitiatam conceptam ex ſuo errore particulari, vt quia putat Chriſtum non offerri in ſacrificio, ſed panẽ tantùm, vel non eſſe ſacrificium, quia intentio eius particularis ſequitur modum cõceptus: ſequitur vel nihil cõficere, quia Chriſti intentio accõmodatur eius intentioni particulari à qua depẽdet; vel certè ex virtute ſolius intentionis particularis Chriſti, quæ efficax eſt, & à qua dependet ſacrificiũ confici poteſt; quamuis miniſter neque particularẽ, neque vniuerſalem habeat.

*Intentio miniſtri neceſſaria.*

Requiri autem intentionem miniſtri de fide eſt, ſaltem quantùm ad Sacramentum, & ſecundùm omnes, quantùm ad ſacrificium: primum definit Eugenius IV. *in Decreto vnionis.*

104 *Reſponſio. Impugnatur.*

Dices fortè ad benè eſſe requiri intentionem peculiarem Chriſti. Contrà, quia ex intẽtione illa particulari non redundat maior valor in ſacrificio, quàm ſit ille, quem habet ex vniuerſali eius, quã inſtituit, & præcepit illud, & dedit poteſtatem offerendi Eccleſiæ Sacerdotibus: ergo ſuperfluit. Antecedens patet, quia per illam intentio-

*Meritũ Paſſionis Chriſti.*

nem applicatur valor paſſionis, & meritorũ Chriſti, cui nihil accreſcere poteſt, vel quia infinitus eſt, vt aliqui volunt, vel quia ſummus, vt intendi, aut augeri non poſſit in ratione bonitatis, aut acceptionis: ergo intentio illa particularis ſuperfluit, cùm nullum habeat, aut habere poſſit effectum particularem ſuperadditum.

Confirmatur, ex intentione vniuerſali, & in virtute eius fit ſacrificium, ſeu conſecratio, fit Chriſtus præſens, & myſterium completur, & habet effectum ſuum: illa eadem intentio ſufficit ad Sacramenta conficienda, quamuis miniſterialiter fiant à miniſtro: ergo intentio particularis ſuperfluit. Ex quibus ſoluitur fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

Obiiciunt primò Patres, ad quos reſpõſum eſt.

*Secunda obiectio. Soluitur ex Paulo.*

Obiiciunt ſecundò Chriſtum eſſe Sacerdotem in æternum. Sed reſpondet Paulus, quia vnicâ oblatione in Cruce conſummauit ſanctificatos, & ſemel introiuit in ſancta, hoc eſt in aram Crucis: vnde ſicut effectus ſui Sacerdotij, & oblatio ſemper manet inexhauſta, poſt quam non datur alia, niſi in memoriam eius, manet Sacerdotium ſempiternum illi, quia etiam ei non ſuccedit aliud, quia etiam manebit in Sacerdotibus, vſque in finem offerentibus nomine Chriſti, & authoritate ab eo recepta.

105 *Tertia obiectio. Reſponſio.*

Tertiò obiiciunt, humanitas Chriſti effectiuè concurrit phyſicè ad hoc ſacrificium: ergo intendit particulariter quoties fit. Reſpondetur negando antecedens, & dato antecedente, negando conſequentiam, quia concurſus ille eſt cauſæ inſtrumentalis, & non meritoriæ, qui eſt influxus cauſæ moralis, non phyſicæ; offerens autem impetratoriè, & per modum cauſæ moralis; vnde omne meritum Chriſti in hoc genere cauſæ contigit.

*Offerens eſt tantùm cauſa moralis, & impetratoria.*

Hinc Trident. *ſeſſ. 6. c. 7. de cauſis noſtræ iuſtificationis*, docet Chriſtum eſſe cauſam meritoriam, qui nobis ſuâ ſanctiſſimâ Paſſione in Cruce meruit iuſtificationem. Siue ergo phyſicè, ſiue non, influit eius humanitas inſtrumentaliter hanc iuſtificationem, nihil refert ad præſens. Trident.

*Quarta obiectio. Soluitur.*

Quartò, qui dat eleemoſynam per famulum, dat per ſeipſum. Reſpondeo, authoritatiuè, & mediatè concedo, immediatè nego.

*Quinta obiectio.*

Quintò, ſequeretur aliàs, quòd Chriſtus ſe habet in hoc ſacrificio, ſicut qui dabat victimam Sacerdoti, qui tamen non communicabat valorem vllum ſacrificio. Reſpondetur, negando ſequelam, quia ſe habet vt inſtituens, vt res oblata, vt poteſtatem tribuens offerendi alteri tanquam miniſtro ſuo; quorum nihil concurrit in exemplo allato.

*Reſpondetur. Manifeſta diſparitas.*

106 *Sexta obiectio. Reſponſio.*

Sextò, inde ſequeretur ſi Chriſtus non offerat, Sacerdotium eius eſſe ſuperuacaneum. Reſpondetur negando ſequelam, effectus eius nunc currit vſque ad diem iudicij, quia omnia in virtute eius fiunt: poſt autem diem iudicij manebit Sacerdotium eius, & aliorum; quamuis nullus eius effectus proprius erit in exercitio pro tunc: dignitas enim ipſa ſine exercitio dignitas eſt, ac proinde non ſuperuacanea, ſicut aliæ multæ potentiæ in cœlo non erunt ſuperuacaneæ, quamuis non habebunt huiuſmodi effectus in gloria, quia non eſt indigentia eorum.

*Septima obiectio. An Chriſtus orat iam in cælo.*

Septimò, Chriſtus orat pro nobis in cœlo: ergo etiam poteſt offerre ſacrificium particulariter. Reſpondetur antecedens eſſe in controuerſia, illud negant frequentiùs moderni cum Ruperto *lib. 9. de diuinis officijs, c. 3.* affirmant D. Thom. *in 4. diſt. 15. q. 4. art. 6. quæſtiunc. 2.* quem ſequitur Abulenſis *in caput 14. Matth. q. 142.* quæ fundatur ad Roman. 8. *Chriſtus Ieſus qui mortuus eſt, qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis.* ad Hebræos 7. *Semper viuens vt interpellet pro nobis.* 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum.* Quæ authoritates ad literam debent intelligi, ſicut intelligunt multi Patres, Iuſtinus *q. 105. ad Orthodoxos.* Cyprian. *lib. 4. epiſtolarum, epiſt. 2.* aliàs 52. Ambroſius *ſuper ad Romanos 8.*

Rupertus. D. Thom. Abulenſ. Ad Rom. 8. Ad Hebr. 7. 1. Ioan. 2. Iuſtinus. Cyprian. Ambroſ.

Cyrillus. Augustin. Hilarius. Didymus. Vigilius.

*manos* 8. Cyrillus *lib.11.in Ioan.* Augustin.*tract.102. in Ioannem.& præfat.in Psalmum* 35. & *epist.59.q.5.* Hilar.10. *de Trinitate.* Didymus *lib.de Spiritu sancto post medium.*Vigilius *contra Eutychen circa finem.*

107 *Quæstio de nomine.*

Sed quæstio est de nomine, nam hæc oratio consistit in repræsentatione sui meriti, Passionis, cicatricum Patri, vt curam nostri gerit, & prouidentiam circa electos, donec compleatur terminus sui meriti in finem. Alij negant id esse propriè orationem, quia circa liberaliter donanda versatur, nempe virtute ipsius orationis. Affirmant priores esse orationem.

*Responsio ad obiectionem.*

Negatur ergo consequentia, quia offerri immediatè sacrificium à Christo, est in valore præsentis voluntatis sacrificium acceptari per impetrationem eius,quæ voluntas esset meritum. Hoc autem non competit ipsi in cœlo, quamuis sua merita antiqua repræsentet Patri, vt intuitu eorum sequatur effectus in Ecclesia, & applicatio eorum. Quæ voluntas non est particularis, sed vniuersalis, quia est repræsentatio causæ vniuersalis, nempe passionis Christi, in cuius virtute sortitur effectum.

108 *Quinta conclusio.* Doctor. Gabriel. Corduba. Magist. *Probatio.*

*Quinta conclusio.*Hoc sacrificium offert etiam in persona Ecclesiæ Sacerdos.Ita Doctor *quodlib.*20. *art.*2. Gabriel, Corduba, & Magister *suprà* citati. Probatur primò, ex oblationibus Missæ, vbi Sacerdos loquitur semper in plurali, & persona cõmunitatis, *Offerimus*,inquit,*tibi*,in offertorio : *Te igitur clementissime Pater supplices rogamus*,&c.*Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ, sed & cunctæ familiæ tuæ*,&c. *Vnde & memores Domine nos serui tui,sed & plebs tua sancta*, &c. & sic in reliquis loquitur: ergo oblatio illa fit nomine corporis Ecclesiæ.

Augustin.

Augustinus lib.10. de Ciuitate,cap.20. *Quotidianum*, inquit, *voluit esse Ecclesiæ sacrificium, cùm ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, seipsam per ipsum discit offerre.* Ita habent codices Colonien.& Brugenses. Alij legunt:*Cùm ipsius corporis ipse sit caput, seipsam per ipsum discit offerre*,&c. parùm refert quid dicatur ex his,quantùm ad intentum : quod est Ecclesiam seipsam per Christum offerre in sacrificio, non vt Vasquez interpretatur *disp.*226. *cap.*2.

*Oppositæ sententiæ.* Bellarmin. Vasquez.

Sed contra conclusionem sentit Bellarminus *lib.2.de Missa,c.*4. & Vasquez *disp.*225.*c.*3. Ecclesia non offert tanquam Sacerdos per ministrum, & ita neque tanquam superior per inferiorem, sed econtrà tanquam plebs per Sacerdotem; ac proinde tanquam inferior per superiorem:Christus autem tanquam Sacerdos per ministrum,qui etiam Sacerdos est, licèt inferior.

109 *Responsio.*

Respondetur tamen, in primis si loquamur de Ecclesia, quà inuoluit suum caput, vt ipsi est vnita,& influit in ipsam,quæcumque dona,præcisionem illam non valere, quia eadem est intentio Ecclesiæ & Christi; & synonymè à Patribus, & Doctoribus sumuntur, tam in ministerio Sacramentorum, quàm sacrificij : & sic Ecclesia offert intentione Christi, & oblatione eius, ac proinde tanquam superior.

*Eadẽ intentio Ecclesiæ, & Christi.*

*Superior est Sacerdote, & quomodo?*

Si autem loquamur de eadem Ecclesia, vt est corpus præcisum à capite, sic etiam esse superiorem respectu Sacerdotis offerentis, sicut corpus membro:vnde licèt à Christi institutione habeat Sacerdos potestatem offerendi, tamen illam non communicauit ipsi Christus, nisi propter corpus, & tanquam ministro corporis mystici, qui in ipso tanquam membrum eius ministrat;actio autem membri redundat in corpus,vt proinde corpori attribuatur, sicut pars attribuitur toti; &

*Corpus excedit membrum.*

respectu eius est inferior, quantùm ad perfectionem, & functionem, cuius finis est perficere totum, & ministrare toti.

110 Ad Ephes.4.

Ita Paulus 1.*ad Corinth.*12.discurrit:*Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij autem sermo scientiæ secundùm eundem Spiritum*, &c. *sicut enim corpus vnum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt : ita & Christus, etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus*, &c. *nam corpus non est vnum membrum,sed multa. Si dixerit pes,quoniam non sum pes, non sum de corpore; num ideò non est de corpore*,&c. Hanc similitudinem corporis humani, & membrorum eius vt sunt in corpore egregiè explicat,& reducit ad corpus mysticum Christi; & subdit : *Vos autem estis corpus Christi,& membrum de membro; & quosdam quidem posuit in Ecclesia primùm Apostolos, secundò Prophetas*, &c. & ad Ephes. 4. *Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas*, &c. *ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi*,&c.Ecclesia ergo,quæ est corpus Christi quantùm ad ministerij finem,potior est quolibet suo membro particulari,& superior,sicut corpus membro, quamuis illud membrũ habeat aliquam virtutem operandi, quæ cæteris non competit,neque ipsi corpori,nisi mediante membro.

Ex quo patet ad illam rationem, distinguendo primum antecedens, quantùm ad participationem potestatis Sacerdos est minister Christi,non Ecclesia, in aliquo sensu ratione characteris conceditur:quantùm ad functionem membri comparati ad corpus cuius est membrum; negatur, & quantùm ad finem ministerij, quod in ordine ad corpus institutum est.

111 *Secunda responsio.*

Respondeo secundò, sicut totum non solùm est ex partibus, sed præterea includit principaliter vnitatem,siue physicè sumatur,siue moraliter, siue politicè, quia sparsa membra non faciunt vnum corpus : sic etiam Ecclesiam præter membra sua includere vnitatem, quæ est Spiritus Christi, nempe sanctus : vt rectè Paulus docens vnitatem corporis humani superaddi membris, vt fiat vnum corpus : *Ita & Christus*,inquit,*etenim in vno Spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus :* inde mox probans eodem Spiritu viuificari corpus per varia dona, & ministeria: hîc autem Spiritus principaliter in corpore, & per participationem in membris habitat,sicut anima in corpore primùm,secundariò in membris singulis, & particularibus : siue ergo baptizat minister, siue peccata dimittit, siue cõsecrat,in virtute Spiritus sancti id facit assistẽtis, qui est Spiritus Ecclesiæ.

*Corpus Ecclesia includit Spiritum quo vnitur, & vinificatur.*

112

Vnde rectè Patres in Conciliis OEcumenicis dicunt, *Nos*, &c. *in Spiritu sancto legitimè congregati*,&c.sic Apostoli in Concilio Ierosolymitano, *Visum est Spiritui sancto,& nobis*,&c.qui nempè datus & promissus est à Christo Ecclesiæ tanquam sanctificator & rector: & in Actibus,per Baptismum & Confirmationem visibiliter dabatur, nunc inuisibiliter.

Sicut ergo corpus non in solis membris, sed principaliter in eorum vnione consistit; ita Ecclesia, quæ est corpus Christi, non in solis membris,hoc est,Sacerdote & plebe consistit,sed principaliter in vnitate Spiritus & donorum:sed Spiritus principaliter est in Ecclesia & corpore, non in Petro,aut Paulo, intelligẽdo ministrum hunc, aut illum in particulari;in virtute autem Spiritus sancti consecrat : ergo Ecclesia,quà est corpus, & includit Spiritum inhabitantem,& vnientem,est

ſuperior miniſtro, etiam quà habet poteſtatem conſecrandi, & in virtute eiuſdem Spiritus conſecrat, vt ſæpiſſimè Patres dicunt.

*Confirmatur.* Confirmatur ex cap. *Vtrùm ſub figura*, de conſecrat. diſt. 2. *Sicut*, inquit, *de Virgine per Spiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur; ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem conſecratur*, &c. Participant ergo Sacerdotes poteſtatem hanc ab Eccleſia, id eſt, à Spiritu Eccleſiæ: quò ſpectat illud Act. 20. *Attendite vobis, & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*, &c.

113 Accedit & alia participatio huius poteſtatis ab Eccleſia, quæ malè dicitur eſſe populus tantùm, nempe ordinationem ab Epiſcopis, & iuriſdictionem offerendi, & directionem ac ritum: ergo inferiores ſunt Eccleſia in hac parte. Obiectio ergo futilis eſt, quamuis apparens; quia malè ſumit Eccleſiam pro ſola plebe, & non quà vnum corpus eſt, vt patet.

Vnde patet, vt *ſuprà* præmiſſum eſt, Sacerdotem in nomine, & perſona Eccleſiæ offerre do-
*Eccleſia vna eſt.* na: quæ Eccleſia eſt vna, & viſibilis, præfigurata proinde in arca Noë, 1. *Petri* 3. per ciuitatem ſanctam Ieruſalem, *Apocalypſis* 21. per hortum concluſum, & fontem ſignatum, Canticorum 4. per vnam columbam, Cantic. 6. per vineam, *Pſalm.* 73. Cantic. 2. Iſaiæ 5. Ieremiæ 2. Matthæi 20. Marci 12. Lucæ 20. *Apocalypſis* 14. per nauem, Lucæ 5. per ſagenam comprehendentem bonos & malos piſces, Matth. 13. & per regnum cœlorum, ibidem; quæ omnia ad vnitatem ſpectant. Dicitur ſponſa Chriſti *Pſalm.* 44. Ezechielis 16. 2. *ad Corinth.* 11. *ad Epheſeos* 5. *Apocalypſ.* 19. cuius ipſe eſt caput. Oſeæ 2. 1. *ad Corinth.* 12. *ad Epheſ.* 1. *ad Coloſſ.* 1. eam comparauit, & emit ſanguine ſuo *Act.* 20. 1. *ad Corinth.* 6. *ad Epheſ.* 2. *Coloſſ.* 1. 1. *Petri* 1. *ad Hebræos* 9. 1. *Ioannis* 1. *Apocalypſis* 1.

Hinc ſequitur quòd Eccleſia ſicut facit vnum corpus politicum & myſticum Chriſti, cuius eſt ſponſa, ſine ruga & macula, vt alibi dicitur; ita etiam habere poſſe intentionem non propriam & perſonalem, quod competit tantùm ſingulari & ſuppoſito; ſed generalem, quæ competit collectioni: hæc autem habitualis eſt, vt competit corpori, vt abſtrahit à membro, videlicet Sacerdote: actualis autem vt includit Sacerdotem miniſtrum publicum deputatum ad ſacrificium, inquantùm ille loquitur, & offert in perſona Eccleſiæ.

114 Vnde intentio actualis Sacerdotis eſt generalis, eſt particularis: generalis, vt ſubſtituitur nomine Eccleſiæ: particularis, vt elicitiuè ab ipſo Sacerdote concipitur: priori modo ſumpta ſemper acceptatur, quia ſancta eſt intuitu Eccleſiæ: ſecundo modo non ſemper, quia dependet à ſtatu particulari Sacerdotis, qui poteſt eſſe malus, ac proinde offerendo ſibi demereri.

*Vltima concluſio.* Reliqui fideles aliquo modo offerunt ſacrificium, quatenus ſunt membra Eccleſiæ; & ſic ingrediuntur illam generalem oblationem: ſed illi, qui aſſiſtunt, magis ſpecialiter offerunt; & quo immediatiùs accedunt ad miniſterium, eo magis etiam offerunt ſuo modo ſacrificium, & participant eius fructum.

## QVÆSTIO VII.

### *Quiſnam ſit effectus huius ſacrificij?*

115 PLures ſunt effectus, qui tribuuntur huic ſacrificio, nempe remiſſio mortalis, venialis, pœnæ temporalis, augmentum gratiæ, impetratio aliorum beneficiorũ, pro quibus obtinendis offertur, vt ſalutis corporalis, pacis, ſerenitatis, & eiuſmodi; quos effectus omnes in genere & ſpecie comprehendit Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 2. vbi docet eſſe propitiatorium pro peccatis, dari per ipſum donũ pœnitentiæ, dimitti crimina etiam ingentia: non ſolùm pro peccatis viuorum & defunctorũ, pœnis, ſatisfactionibus, & aliis neceſſitatibus; ſed & pro defunctis in Chriſto nondum ad plenũ purgatis, ritè iuxta Apoſtolicam traditionem offertur. De his ergo effectibus ſeorſim aliquid dicemus.

*Effectus ſacrificij.*

*Prima concluſio.* Oblatione huius ſacrificij impetrantur dona pœnitentiæ, & contritionis; ex quibus cõtingit remiſſio peccatorum mortalium, & pœnæ æternæ. Eſt Tridentini *ſuprà*; quam docent communiter Patres: dicunt enim virtute huius ſacrificij remitti peccata; & quamuis aliquorum verba interpretari poſſint de remiſſione pœnæ & ſatisfactionis debitæ, quæ etiam peccata dicuntur, quia ex peccato ſunt, vel propter peccata debentur: tamen quia Tridentinũ hanc efficaciam explicat in ſpecie ad peccata mortalia extendi, vt diſtinguitur culpa à pœnis: ita etiam debẽt intelligi Patres. Sequitur ex forma inſtitutionis, vbi dicitur Matth. 26. Lucæ 22. offerri in remiſſionem peccatorum; quæ verba explicantur etiã de ſacrificio incruento *ad Hebr.* 5. vbi docetur munus Pontificis & Sacerdotis eſſe offerre dona pro peccatis. Tertiò, ſuccedit veteribus, in quibus multa fuerũt propitiatoria pro peccato, & impetratoria; vnde colligitur eſſe ſacrificium propitiatoriũ pro peccatis: colligitur ex ſenſu communi Eccleſiæ ab initio; vnde in Liturgia Iacobi dicitur, *Offerimus tibi incruentum ſacrificium pro peccatis noſtris.* 116

*Prima cõcluſio.*

*Dat remiſſionem peccatorum, & quomodo?*

*Secunda concluſio.* Hæc remiſſio non fit per hoc ſacrificium ad inſtar Sacramenti, ita vt virtutem habeat remittendi peccatum, ſuppoſitâ attritione, eo modo, quo dicimus *ſuprà*, accedente bonâ fide, Sacramentũ Euchariſtiæ ſuppoſitâ attritione dare primam gratiam, ſicut & alia Sacramẽta viuorum. Probatur concluſio, quia neque ipſum ſacrificium cruentum, cuius virtute operatur hoc ſacrificium, quia applicat eius valorem, habet illum effectum conferendi primam gratiam. 117

*Secunda concluſio.*

*Nõ fit remiſſio ad inſtar Sacramenti.*

*Ratio.*

Aliquibus nõ probatur hæc ratio, quia nempe ſi intelligatur de ſufficiẽtia & efficacia, falſum eſt antecedens: ſi autem de applicatione eius, ſequeretur quòd neque Sacamenta haberent illum effectum, neque hoc ſacrificium haberet aliquem effectum particularẽ, quem non habuit cruentum. Contrà, hæc ratio fundatur in facto, & ſecundùm voluntatem quam Deus, & Chriſtus habuit de facto: vnde ſicut remiſſio peccati fuit per media particularia Sacramentorum, quæ ad ſalutem fidelium inſtituta ſunt applicata, ita ſacrificium aliter non remittat niſi per hæc media: ſequitur ergo quòd ſacrificium incruentum non habeat vim remittendi eadem, ſicut Sacramenta quæ inſtituta ſunt in hunc finem.

*Ab aliquibus reijcitur.*

*Suſtinetur ratio præmiſſa.*

*Prima ratio.*

Secundò patet, quia aliàs ſi hoc ſacrificium poſſet tribuere immediatè gratiam habitualem, non eſſet neceſſaria pœnitentia neceſſitate medij ad ſalutem, quia effectus eius haberetur per oblationem ſacrificij.

*Secunda ratio.*

Tertiò, poſſet offerri pro infantibus & iuſtis, in quibus non eſt obex ad augmentum gratiæ: primum non admittit vſus, aut ſenſus Eccleſiæ. 118

*Tertia ratio.*

Quartò, poſſet quis accedere cum ſola attritione æſtimata ad ſacrificium, ſicut ad confeſſionem; quia per ſacrificium remitteretur peccatum ante-

*Quarta ratio.*

quam

quam communicaret, ſuppoſito quòd oblatio conſiſtat in conſecratione, ad quam cum diſpoſitione debita accedit, ſuppoſito quòd eſſet remiſſium peccati immediatè: hoc tamen eſt contra Trident. *ſeſſ.13. cap.7.* docens diſpoſitionem exiſtentis in peccato mortali debere eſſe confeſſionem: ideóque Trident. ſeſſ.22.cap.2. dicit, *Nos recipere miſericordiam à Deo per hoc ſacrificium in auxilio opportuno.* Remittit hæc peccata inquantùm impetrat dona, & motus pœnitentiæ, & ſic mediatè, non proximè, ſicut pœnitentia: nam hoc definit Trident. *ſeſſ.14.cap.1. & 4.* vbi docet fuiſſe neceſſarium quouis tempore motum pœnitentiæ ad remiſſionem peccati mortalis: ergo per aliud non remittitur. Contra concluſionem nihil obiici poteſt præter loca Patrum, & Tridentini citata, quæ ex ſenſu concluſionis interpretanda ſunt.

Trident.

*Neceſſitas pœnitentiæ.*

119 *Tertia concl.*

*Tertia concluſio.* Licèt hoc ſacrificium habeat vim impetrandi hoc beneficium, & quandoque reipſâ impetratur conuerſio peccatoris, tamen non eſt infallibilis eius effectus, vt ſentit Durandus *in 4.diſt.12.quæſt.4.* Canus *lib.12.de locis cap.23.* Corduba *lib.2. qq.quæſt.3.* inclinat Suarez *diſp.79. ſect.3.in fine.* Probatur, quia non inuenitur de hoc promiſſio certa, & infallibilis in Scriptura: ſecundò, experientia docet non conuerti plures, pro quibus offertur, vt pro conuerſione hæreticorum. Dices dari quidem gratiam conuerſionis, ſi per ipſos non obſtet pro quibus offertur. Contrà, ſi daretur gratia conuerſionis, ſequeretur ipſa conuerſio; nam gratia efficax eſt, quæ poſtulatur per ſacrificium, atque adeò ipſa actualis conuerſio; non autem gratia ſufficiens, quia hæc ex Dei prouidentia ſecundùm communem modernorum datur omnibus quantùm eſt ex ſe, ac proinde non exigitur pro ea oblatio: quidquid ergo ſit de veritate illius opinionis, quâ ſuo loco examinauimus, iam tranſeat, contra eos qui tenent contrarium concluſionis, & eandem etiam ſententiam. Præterea effectus infallibilis Sacramenti, & ſacrificij certus eſt, quantùm ad exhibitionem actualẽ eius ſi non ſit impedimentum, ſed reſpectu gratiæ prꝙuenientis, quà peccator ſui compos mouetur ad pœnitentiam, non eſt aliquod impedimentum, neque ſufficit gratia tantùm ſufficiens, ſed requiritur efficax, quod ſupponit etiam Tridentinum, quandoque hac oblatione impetrari.

Durandus. Canus. Corduba. Suarez.

*Non eſt infallibilis effectus.*

*Effectus infallibilis eſt certus.*

120 Præterea, quia perſeuerantia, quæ eſt effectus Sacramenti, non ſemper tribuitur; eſt etiam effectus ſacrificij, quod pro perſeuerantiæ gratia offerri poteſt ad impetrandam victoriam tentationum: ſed non magis debet impetratio gratiæ prꝙuenientis dari tanquam effectus eius infallibilis, (quia non magis valet pro peccatore ſacrificium, quàm pro iuſto) quàm perſeuerantia iuſti; hunc tamen effectum non habet infallibiliter, quia non expediebat diuinæ prouidentiæ, quo ſollicitos nos eſſe voluit, & cum timore, & tremore operari ſalutẽ noſtram: vt Trident. *ſeſſ.6.cap.13.*

Præterea, Trident. *ſuprà* non fundat hanc impetrationem in promiſſione aliqua ſpeciali, ſed in impetratione virtute operis, quod habet rationẽ communem ſuffragij, ſicut & aliæ orationes Eccleſiæ, quæ non habent hunc ineffabilem effectũ.

Præterea, gratiæ auxilia, vt plurimum reducuntur in effectum, mediantibus Sacramentis, quæ proximè per modum medicinæ dant ſalutem, ac proinde exigunt aliquam diſpoſitionem in ſumẽtibus ea, quæ habent remittere peccatum. Hoc verò ſacrificium offertur etiam pro pertinacibus, in quibus non eſt diſpoſitio: ergo non congruit mediante illo infallibiliter, vt detur talis effectus. Contra hanc concluſionem aliqui moderni ſentiunt ex fundamentis iam impugnatis.

*Quarta concluſio.* Remiſſio peccati venialis, & pœnæ temporalis huius in viuis, & defunctis; illius in viuis tantùm fit virtute huius ſacrificij, etiam infallibiliter. Quoad primam partem inter Catholicos non eſt controuerſia quoad remiſſionem. Concluſio patet ex Trident. *ſuprà*: inde in Sacerdotum ordinatione, dicitur; *Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium pro viuis & defunctis*: vnde Concilium *ſuprà* abſolutè dicit *pro pœnis, & ſatisfactionibus offerri*: ergo eandem vim habet ac ſatisfactio per bona opera, quibus proximè remittũtur pœnę.

121 *Quarta cõcl. Effectus infallibilis.*

De modo autem, quo remittuntur peccata venialia, eſt controuerſia, quam aliàs *infrà* tractabimus. Vnde illi, qui negant venialia remitti ſine infuſione gratiæ ſanctificantis, idem dicent in propoſito non remitti peccatum veniale virtute huius ſacrificij, aliter quàm mortale, impetrando auxilium actuale gratiæ, per quod elicitur actus bonus à iuſto, & augetur gratia, & remittitur veniale: in peccatore autem non remitti veniale per ſe, ſed per pœnitentiam: vnde dicent conſequenter ſacrificium non habere infallibiliter hunc effectũ, ſicut neque impetrare auxiliũ gratiæ actualis.

*Controuerſia de modo quo remittit veniale.*

*Primus modus dicendi.*

Nos contrarium ſequemur, remitti venialia ſine infuſione gratiæ, cum qua neque ex natura rei, neque ex inſtitutione diuina habent repugnantiam, quia habituale veniale in iuſto poteſt eſſe. Dicimus ergo remitti per ſatisfactionẽ, ac proinde per hoc ſacrificium, quod habet rationem dignæ ſatisfactionis, haberi hunc effectum in eo, qui offert, vel facit pro ſe offerri ſacrificium, quia in his habetur retractatio actualis ſufficiens per exhibitionem operis: in aliis non habet fortè illum effectum, ſuppoſito quòd ex ſe non concurrant aliquo modo, aut conſentiunt in actum: ſuſtineri etiam poteſt veniale aliquãdo remitti ſine actuali eius retractatione, vt per ſumptionem Sacramenti, ac ſimiliter in propoſito ſufficere oblationem ſacrificij ad eundem effectum in aliis. Videantur fundamenta huius cõtrouerſiæ *infrà diſt.21.& 22.*

*Remitti im. mediatè veniale.*

122 Totum reducitur ad hæc duo, quòd veniale compatiatur cum gratia: ergo non exigit ad ſui remiſſionem infuſionem gratiæ: non habet neceſſariam connexionem cum peccato mortali, quantùm ad ſui remiſſionem, ex eadem ratione: quia non petit infundi gratiam, cum qua haberet repugnantiam, quia in Sanctis cum maxima gratia conſiſtit, ex illo Ioannis, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*, in 1.epiſtola 1. neque ex lege, quia iuſtitia non permittit, quin ſatisfieri poſſit pro eo, quod inducit obligationem pœnæ tantùm temporalis, quale eſt peccatum, quamuis non ſatisfiat pro mortali, ſicut contingit peccatorem ſatisfacere validè iuxta communiorem ſententiam pro pœnitentiis, & aliis pœnis temporalibus in via, etiam in ſtatu peccati: neque ex voluntate diuina, quia ſatisfaciendo pro veniali, non ideò reconciliatur Deo peccator quoad iuſtitiam adoptionis: neque ex natura medij, aut operis, quia, vt docet Tridentinum *ſeſſ.14.cap.5.* veniale non eſt neceſſaria materia pœnitentiæ, ſed libera, quia multis aliis modis deleri poteſt, vt ibidem Concilium: nempe per quæcunque opera ſupererogationis, & ſatisfactionis in ſuum finem relatæ, quod magis pium eſt, ne peccatores à bono opere auertantur in ſtatu peccati, quamuis non ſit obligationis: ergo etiam per ſacrificium, ſicut per ipſum Sacramentum

*Veniale remitti ſine infuſione gratiæ.*

*Non eſt connexio eius ad mortale per ſe.*

*Remitti per ſatisfactionẽ.*

tum remittuntur venialia, tanquam per condignam satisfactionem oblatam.

123 *Quinta conclusio.* *Impetrat augmentum gratiæ mediatè.*

*Quinta conclusio.* Augmentum gratiæ, aliáque beneficia temporalia, tam spiritualia, quàm corporalia per hoc sacrificium impetrantur, non tamen infallibiliter, sicut priora. Hæc conclusio videtur communis, & experientia docet quantùm ad secũdum; quantùm ad primum idem dicendum est, sicut de modo, quo remittit mortalia, per impetrationẽ gratiæ præuenientis ad conuersionem peccatoris: sic etiam iusto potest idem auxilium impetrari per sacrificium; ex quo sequitur in eo bonum opus & meritum, vnde augeatur gratia.

*Prærogatiua orationis, & huius oblationis.*

Vniuersaliter ergo valet hoc sacrificium ad impetrandum quidquid ordinatè peti potest à Deo, aut sibi, aut aliis. Hanc prærogatiuam habet oratio, & oblatio, quòd maximè inter omnia opera sint applicabilia alteri, quia maximè omnium sunt recõciliatiua rei Deo, & placatiua ipsius Dei respectiuè ad personam, pro qua offeruntur, id est, pro quocumque fieri potest oratio ordinatè, vt Doctor *quodl.* 20. ita etiam oblatio huius sacrificij, quòd vnum in se complectitur efficaciam aliorum sacrificiorum, quæ in quauis lege pro quacumque particulari necessitate offerri Deo consueuerant: quamuis virtus eius infallibilis, extenditur tantùm quoad ea, quæ expressa sunt in conclusione quarta.

## QVÆSTIO VIII.

### *Quomodo hi effectus conueniant Sacrificio incruento?*

124 *Duplex modus operandi sacrificij.*

IN hac difficultate videtur quæri tantùm de nomine. Aliqui intelligunt opus operatum illud, quod certa lege competit sacrificio, & semper confertur: quamuis ergo aliquid virtute sacrificij conferatur ratione operis, ciúsque valoris, quãdo non semper tribuitur, vocant impetrationem tantùm, & non opus operatum. Alij econtrà dicunt, quod datur ratione operis, & non operantis, illud reuocari ad genus meriti ex opere operato.

*Triplex valor sacrificij.*

Triplex autem est meritum, aut valor, qui tribuitur in hoc sacrificio; aliud est ratione institutionis eius, aliud ratione personæ offerentis, & hoc duplex, vel ratione Ecclesiæ, vel ipsius Sacerdotis: vel denique vt Christus ipse offert sacrificium hoc vltimum esse extra rationem meriti probauimus *suprà*.

*Qualis est acceptatio sacrificij.*

De hoc triplici effectu, & modo causandi breuiter dicemus, acceptatio ergo dicta potest esse, vel intuitu ipsius operis in se, hoc est, rei oblatæ, vel intuitu personæ offerentis, siue sit vera, vt Sacerdos, siue ficta, vt Ecclesia per Sacerdotem offerens. Sotus *lib. 9. de iustitia, quæst. 8. art. 2.* Petrus de Soto de institutione Sacerdotum *lect. 9. de Eucharistia*, dicunt sententiam nostri Doctoris *quodlibeto* 20. fuisse, nullum dari effectum sacrificij ex opere operato, sed totum dependere ex opere operantis eum dependere à deuotione Sacerdotis.

Sotus. Petr. de Soto.

*Malè interpretantur Doctorem.*

125 *Conclusio. Effectus ex opere operato.* Doctor.

*Conclusio.* Datur effectus huius sacrificij ex opere operato, ad quem spectat id quod ex virtute, & valore rei oblatæ causatur in iis, in quibus offertur. Conclusio est Doctoris prædicto loco: *Hîc*, inquit, *præmittendum est vnum hoc, quod probabile videtur, quòd Missa non solùm valet virtute meriti, siue operis operantis, sed etiam virtute sacrificij, & operis operati: vel non solùm valet virtute meriti personalis Sacerdotis offerentis, sed etiam virtute meriti generalis Ecclesiæ, in cuius persona per ministrum communem offertur sacrificium: alioquin Missa mali Sacerdotis, qui in illo actu non meretur personaliter, sed demeretur, nulli valeret in Ecclesia, quod reputatur communiter inconueniens, & rationabiliter, iuxta illud Ioan. 6. Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, &c. Totum hoc patet etiam ex decursu totius quæstionis legenti. Conclusio est communis.

*Valor ex opere operato.*

Vt ergo breuiter resoluamus: illud in rigore est ex opere operato, quod respondet sacrificio ex propria institutione, hoc est, remittere pœnam temporalem, & alia, quæ dicta sunt 4. *concluſ.* Item, impetrare alia beneficia, ad quæ omnia habet valorem ex natura operis, & rei oblatæ dignitate, sicut & applicare ad hunc effectum merita passionis Christi.

*Ex oblatione Ecclesiæ.*

Alius valor conuenit huic sacrificio, inquãtùm offertur ab Ecclesia per ministrum publicum ad hoc munus deputatum: & sic sacrificium valet ad impetrationem non solùm ex valore operis, sed etiam ex oblatione Ecclesiæ acceptatæ à Deo: hic fructus, vt refertur ad Ecclesiam, erit ex opere operantis; si tamen consideretur, vt habet effectum in hoc, aut illo particulari, cui accommodatur, lato modo dici potest ex opere operato, quia nec meritis, neque dispositioni ipsius correspondet, sed oblationi, & sanctitati Ecclesiæ, quæ in eo casu pro ipso exauditur & acceptatur.

*Dici potest ex opere operãtis.*

*Vel ex opere operato.*

*Magis ex opere operantis.*

Dici tamen potest ex opere operantis, non ita oblatio Christi, aut Sacerdotis in persona Christi, quia Christus non est viator, aut in statu merendi, sicut Ecclesia; ac proinde Sacerdos, vt in persona Ecclesiæ offerens potest mereri, non vt in persona Ecclesiæ.

126 *Valor ex persona ministri.*

Tertiò denique quod respondet Sacerdotis oblationi pro se erit operis operantis; quod autem aliis potest reuocari ad opus operatum: nam sanctitas offerentis attenditur in impetratione non solùm ipsa oblatio, quæ ex se quidem habet valorem, vt per ipsam impetretur; tamen hunc valorem exercet ipsa oblatio in actu secundo, vt est ab offerente, qui valor magis applicatur, quo sanctior est persona offerens: sicut causa de se perfectiùs agit, quo perfectiùs applicatur, si ab applicatione dependeat. Applicatio sacrificij in ordine ad acceptationem diuinam, & impetrationem beneficij perfectiùs applicatur, quando ipsa persona offerens est magis grata, sicut communiter contingit in omni gratia, quæ per impetrationem datur: exauditur enim magis persona magis grata; eadem etiam applicatio perfectior est quando cum meliori dispositione, maiori fide, & deuotiõne offertur sacrificium. Vide Doctorem *quodl.* 20. *& q. 2. huius dist. ad 3.*

*Fructus quomodo ex sanctitate ministri crescit.*

## QVÆSTIO IX.

### *De quantitate valoris huius Sacrificij?*

127 *Prima sent. Valorem esse infinitum.*

DVplex sententia extrema circa præsentem quæstionem offertur. Prima asserit valorem simpliciter esse infinitum, quantùm ad sufficientiam, quoad efficaciam finitum. Quidam referunt hunc valorem in appretiationem rei oblatæ, quæ infinitè grata est Deo: alij in personam offerentem remotam, qui est ipse Christus: alij in ipsam institutionem, alij absolutè loquuntur non declarantes radicem huius infinitatis.

Totum

*Fundamentū.* Totum refertur ad vnicam rationem, nempe ad dignitatem rei oblatæ, vel instituentis, vel institutionis, vt specificatur ab vtroque, nēpe reipsa, & instituente, vel dignitate remoti offerentis.

*Valor infinitus syncategorematicè.* Quantùm autem ad efficaciam, docent quidam habere valorem infinitum syncategorematicè, vt vocant, ita vt tantum valeat pro pluribus vt singulis ipsorum simul, quantum si pro vno solo offerretur. Alij distinguunt de oblatione collectiua, vt si offeratur pro communitate, non descendendo ad particulares personas, & sic negant æquè valere, ac si pro singulis fieret: si autem fiat specificè, & non confusè pro multis, tantum valere pro singulis, quantum si pro vno solo offeratur. Secunda sententia docet valorem finitum esse, quacumque via consideretur sacrificium.

*Limitatio huius sententiæ.*

128 *Valor est finitus.* Doctor. Durandus. Maior. Gabriel. Sotus. *Probatur conclusio.* *Sit prima conclusio.* Valor huius sacrificij est finitus. Ita Doctor *quodl.2.& 3.articulo.* Durandus *in 4. dist.45.quæst.3.* Maior *quæst.2.* Gabriel *lect.27.in can.* Sotus *in 4. dist.11.quæst.2. de Iustit.& iure, lib.9. q.2.* Hæc conclusio probatur iisdem rationibus, quibus probatur sacrificium Crucis, & alia opera Christi non fuisse infiniti valoris. Quibus nunc suppositis subsumo ex Trident. *suprà*, potissimus valor huius sacrificij increuēti consistit in eo, quòd applicet valorem sacrificij Crucis, in cuius memoriam fit: ergo minoris valoris est, quàm sacrificium Crucis. Patet consequentia, quia applicans non participat in eodem gradu perfectionē causæ principalis. Dato ergo, quòd sacrificium Crucis etiam fuerit infinitum, hoc, quod deficit à perfectione eius, non erit infinitum, sed finitū in efficacia, quia inter hæc non datur medium formaliter, quia diuidunt ens: quidquid sit de infinito secundùm extensionem, argumentum videtur currere de infinito secundùm intensionem.

*Sacrificium increuentum applicat sacrificium Crucis.*

*Esset superfluus valor infinitus.* Deinde videtur valor infinitus superfluus, cuius non dantur media, quibus reduci potest in effectum. Si dicas infinitum esse syncategorematicè, sicut sacrificium Crucis, qui non minuitur, quibuscumque, & quotiescumque applicatur. Contrà est praxis Ecclesiæ, & decretum modernum Congregationis, quibus declaratur non satisfieri duobus per vnum sacrum, quibus fit obligatio in solidum dicendi sacrum pro eleemosyna diuersa: & hæc videtur potissima ratio conclusionis desumpta ex interpretatione, & praxi Ecclesiæ.

*Cōclusio fundatur in sensu Ecclesiæ.*

129 *Sent. oppositæ.* Caietan. Sylvester. Vasquez. Huic conclusioni refragantur Caietanus *tom.2. opusc.titulo 3.q.2.& 3.p.q.79.art.5.* Sylvester verbo *Missa.* Vasquez *disp.230.c.3.& 2.* citans plures modernos. Sufficiat tamen nobis praxis Ecclesiæ, ex qua sequitur nō satisfacere eum, qui pro pluribus stipendiis per vnum sacrum satisfacere conatur.

*Ratio ab inconuenienti.* Deinde sequeretur ex opposito, quòd vnum sacrum sufficeret pro omnibus animabus purgatorij liberandis, quod falsum est ex reuelationibus, & praxi: vt patet ex anniuersariis, quę dicuntur, & ordinantur ab Ecclesia dici. Probatur tamen antecedens, quia hoc sacrificium habet hunc effectū ex opere operato, & hunc infallibiliter quantùm ad remissionem pœnæ, si non sit obstaculum. Non dependet autem hic effectus à bonitate ministri, quia effectus ex opere operato, & valor sacrificij, fundatur in oblatione ratione oblatæ, & institutionis, ac Ecclesiæ, & Christi offerentis hoc in persona Sacerdotis, vt in persona vtriusque tam Christi, quàm Ecclesiæ offert. In animabus purgatorij non est obstaculum aliquod: ergo si sacrificium haberet, effectum infinitum in illis haberet, quod non admittitur.

*Responsio. Impugnatur.* Si dicas dependere ab applicatione per ministrum factâ. Contrà hæc est sola intentio ministri, quæ supponitur, & nihil aliud requiritur ad hunc effectum sacrificij, sicut sufficit ad effectum Sacramenti.

130 *Obiectio.* Obiicies, si virtus sacrificij esset finita, sequeretur plures offerentes idem sacrificium minus participare, quàm si pauci offerrent, verbi gratiâ, Sacerdos, & audientes. *Responsio.* Respondetur negando consequentiam, quia virtus sacrificij attenditur penes ordinem ad vnam oblationem; vnde si oblationes multiplicentur, quamuis eadem sit res oblata, sic valor multiplicatur, qui desumitur ab actione sacrificandi, & offerendi: vt contingit in variis Missis, in quibus eadem res offertur, multiplicari valorem, & sacrificium. in proposito etiam audientes Missam diuersâ oblatione ab ea, quæ est Sacerdotis, offerunt. Quæ licèt oblatio latè dicatur, non tamen est propriè sacrifica eâ proprietate, quâ illa Sacerdotis; habet tamen proprium effectum. Hæc quæstio potissimùm intelligitur de valore, qui competit respectu personæ, cui particulariter applicatur sacrificium: non autem de valore conueniēti toti Ecclesiæ, qui generalis dicitur, neque de eo qui cōpetit personę Sacerdotis, quà effectus est.

*Vnde sumitur valor? nempe ab oblatione.*

131 *Secunda conclusio. Infinitus syncategorematica.* *Secunda conclusio.* Licèt effectus per se competēs huic sacrificio sit semper finitus, potest tamen aliquo modo considerari in eo infinitas syncategorematica: nam quamuis effect. s, qui regulariter est eius, sit semper idem, tamen effectus eius, qui impetratur, licèt non semper, & regulariter, potest esse maior, aut minor, & conferri singulis sine diminutione, quamuis plures concurrant. Hanc amplecti debent authores oppositæ sententiæ: neque repugnat Doctori, qui loquitur de effectu, qui regulariter per ipsum tribuitur.

*Pro quibus offerri possit? & quomodo?* Potest offerri sacrificium etiam pro infidelibus, & excommunicatis; saltem indirectè, quà fit pro conuersione peccatorum, & propagatione fidei, pro damnatis non: vt est communis Catholicorum consensus: quamuis Glossa in *c.Tempus.13. q.2.* afferat mediante hoc sacrificio pœnam illorū fieri tolerabiliorem. pro baptizatis directè offertur, nisi sint excōmunicati: pro his autem tantùm indirectè, vt aliqui volunt, aliqui directè: primum est verum. Offertur etiam pro defunctis, & pro Beatis, non ad effectum impetrationis, sed vt memoriam eorum in terris celebremus, & per modum sacrificij laudis, & gratiarum actionis pro beneficiis, quæ ipsi à Deo perceperunt.

*Resumitur textus Doctoris.* Deinceps resumendo textum Doctoris, explicantur ea, quæ ad ritum sacrificij huius spectant, tam ex parte ministri, quàm reliquorum, quæ requiruntur, vt dignè offeratur.

## SCHOLIVM.

*Suppositis iis quæ ad validè consecrandum requiruntur, docet primò, ad licitè consecrandum requiri* carentiam culpæ mortalis, *de quo suprà d.9. Secundò*, ieiunium, *de quo suprà d.8.q.3. Tertiò*, carentiam pœnæ prohibitiuæ administrationis Sacramentorum. *Quartò*, vestimenta debita.

Restat

7 Reſtat [q] ergo videre ſecundum membrum, ſcilicet de poſſe ordinatè conficere, & ad hoc multa concurrunt, quæ tamen omnia poſſunt reduci ad tria; loquendo de illis, quæ non requiruntur ad ſimpliciter poſſe: quia vel iſta requiruntur ex parte miniſtri, vel loci, vel temporis. Et ſecundùm hoc tres ſunt articuli. Primò, videndum eſt de requiſitis ex parte miniſtri ad hoc, vt ordinatè poſſit conficere, ſuppoſito quòd habeat materiam conuenientem, & poſſit verba proferre, cum intentione debita ſuperaddita huiuſmodi.

*Requiſita ad licitè cõſecrandum reducuntur ad tria.*

Ex parte miniſtri ſunt in duplici differentia, quædam ſunt amotiones impedimentorum, & quædam appoſitiones conuenientium, ſeu idoneorum. De primo impedimento eius, quod eſt ordinatè conficere, ſunt vel culpa tantùm, vel pœna tantùm: vel nec pœna, nec culpa. De impedimento culpæ, quomodo ſcilicet exiſtens in peccato mortali non poteſt ordinatè conficere, dictum eſt *diſtinct.* 9. de impedimento autem, quod nec eſt culpa, nec pœna, ſcilicet cùm quis non eſt ieiunus ieiunio naturæ, dictum eſt ibidem.

*& d. 5. q. 2. d. 8. q. 3.*

Reſtat ergo hîc præcisè videre de impedimento, quod eſt pœna: nulla autem talis pœna eſt naturalis, ſiue in corpore, ſiue in anima, quia talis pœna non ſimpliciter impedit: ſed tantùm pœna canonica, vel naturalis, inquantùm ſuper eam fundatur pœna canonica. Pœna autem canonica (vt breuiter dicam) eſt aliqua prohibitio actus exercendi, vel gradus recipiendi, qui aliàs competeret non prohibito. Huiuſmodi autem pœnæ multæ ſunt non fundatæ ſuper aliquam pœnam, vel defectum naturalem, vt degradatio, irregularitas, excommunicatio maior, ſuſpenſio ab executione eorum, quæ ſunt ordinis, ſimonia, infamia, & quædam alia huiuſmodi ad iſta reducibilia, vt ſub infamia poteſt contineri eſſe publicum peccatorem, quod continet multa, ſcilicet publicum fornicarium, publicum vſurarium, & huiuſmodi.

*Quid pœna canonica.*

*Quædã pœna fundatur ſuper defectus naturales, quædam non.*

8 Aliquæ autem pœnæ canonicæ fundantur ſuper defectus naturales: non enim voluit Eccleſia quaſcumque perſonas defectuoſas miniſtrare in altari: & meritò, quia in veteri lege *Leuit.* 21. ponitur lex homini qui habuerit maculam, quod non offerret Deo ſuo panem, nec accedat ad miniſterium eius.

Iſti autem defectus ſunt, in quibus eſſet ſcandalum puſillorum, ſi taliter defectuoſus in naturalibus, miniſtraret: & rationabiliter, quia quidquid ſine peccato mortali poteſt dimitti, vitandum eſt, ſi ex exercitio eius oriatur ſcandalum puſillorum: tale ſcandalum oriretur ſi notabiliter defectuoſi in naturalibus, vt mutilati, vel horribili infirmitate infirmi, vt lepra, & huiuſmodi, miniſtrent in altari.

*Licita omittenda ne oriatur ſcandalum puſillorum.*

Ideò Eccleſia rationabiliter talibus defectibus naturalibus adiunxit pœnas canonicas, ſcilicet prohibitiones miniſtrandi propter reuerentiam Sacramenti, & ad vitandum ſcandalum puſillorũ. Et iſtæ prohibitiones patent in canone *diſt.* 25. & *Extra. de corpore vitiatis.*

Requiritur ergo in ordinatè conficiente ablatio omnium horum impedimentorum: quia habens quodcunque iſtorum ſi conficit, facit contra prohibitionem Eccleſiæ, & per conſequens non ordinatè.

9 Secundum [r] requiſitum ex parte miniſtri eſt appoſitio conuenientium, ſcilicet ornamentorum, vt habetur *de conſ. diſt.* 1. *Veſtimenta.* Dicitur ibi quòd veſtimenta Eccleſiæ, quibus Deo miniſtratur, debent eſſe ſacrata, & honeſta, quibus in aliis vſibus non debent vti, quàm in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis.

Quæ [s] autem ſint hæc indumenta, exponit Innoc. de offic. Miſſæ. part. 1. c. 16. *Sunt*, inquit, *ſex indumenta communia Epiſcopis, & Presbyteris, ſcilicet amictus, alba, cingulum, ſtola, manipulus, & planeta.* In quibuſdam tamen locis conſuetudo obtinuit, quòd non oportet cingulum benedici, & ſic non apparet quin liceat vti cingulo non benedicto.

*Sex veſtimenta communia Epiſcopis, & Presbyteris.*

## SCHOLIVM.

*Eum, qui non eſt Sacerdos, attentando conſecrare, fieri irregularem, idque eſſe vniuerſale de quocumque exercente actum ordinis, quem non habet, niſi ignorantia facti inculpabilis excuſet: & inſinuat ignorantiam iuris probabilem excuſare, iuxta quod exponendus eſt ſuprà d. 6. q. 8. vbi videtur oppoſitum docere. Docet ſimoniacum eſſe irregularem, (non tamen publicum peccatorem, etiam vſurarium) ita Nau. c. 23. n. 3. Henriq. lib. 14. c. 5. §. 1. & c. 6. §. 7. & communis, tenentes talem eſſe ipſo facto ſuſpenſum, ſed de ſimoniaco in beneficio, negat Nau. & Innoc. in c. Tanta. de ſimon. Quòd publicus peccator non ſit irregularis, nec ſuſpenſus, colligitur ex Trid. ſſ. 25. c. 14. de Refor. & ex c. 2. de cohabit. Cler. vbi agitur de pœnis talium, & nulla imponitur ipſo iure. ita Couarr. Clem. Si furioſus, p. 1. §. 1. n. 5. & communis.*

10 De his [t] omnibus ex parte miniſtri, ſiue in primo membro de requiſitis ad ſimpliciter poſſe, ſiue in iſto ſecundo membro de requiſitis, ex parte miniſtri ad ordinatè poſſe, ſi quæritur quæ pœna miniſtri attentantis? Reſpondeo, ſi eſt mutus, non poteſt attentare

loqui.

loqui. Si non vtitur ratione, non potest attentare habere intentionem debitam. Si non est Sacerdos, & attentat facere vt Sacerdos, non solùm peccat mortaliter, & nihil facit: sed irregularis est, vt habetur *Extrà de clerico non ordinato ministrante, c. 1. & 2.* & vniuersaliter quicunque exequens, vel attentans actum alicuius ordinis, quem non habet, irregularis est. Patet hoc in illo titulo in diuersis capitulis.

Pœna autem [u] ministrantis in quocumque impedimento canonico, videtur esse irregularitas, vt patet *Extrà de clerico excommunicato, vel deposito, in diuersis capitulis*, & hoc maximè, si ministrans sciat talem pœnam sibi inflictam.

Sed hoc potest distingui de ignorantia iuris, vel facti. Ignorantia iuris non excusat: quia tenetur ille, qui se exponit ad tantum actum, scire iura, secundùm quæ potest exercere tantum, & talem actũ, & ideò talis ignorantia iuris non excusat, sed fortè magis aggrauat. *Inuit ignorantiam iuris probabilem excusare; & sic reuocare videtur quod dixit d. 6. q. 8. circa hoc.*

Ignorantia autem facti excusat, vt habetur in eodem titulo cap. *Apostolicæ*: & hoc nisi fama veridica, & publica sibi manifestet, quòd sit tali pœna impeditus. Quod probatur per capitulum illud, eodem titulo, ibi, *Cùm ei non nisi per famam de sententia contra eum lata constaret, peccare non credidit, si diuina officia quantumcunque solemniter celebrauit.* subditur ibi, *quia in dubiis via tutior est eligenda, si de lata in eum sententia dubitaret, debuerat tamen potiùs abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare.* Et in fine subditur, *Cùm eo misericordiam facientes, pœnam, quam canon his, qui post excommunicationem diuina præsumpserunt celebrare, infligit, non duximus infligendam.* Ex hoc patet, quòd misericorditer relaxat dubitanti pœnam, quam incurrit ex canone, qui celebrauit diuina postquam innotuit sibi per famam de excommunicatione in eum lata.

Inter ista tamen impedimenta, non includitur minor excommunicatio, quoad hoc, quòd pœna irregularitatis sequatur: quia etsi peccet grauiter, in excõmunicatione minori celebrans, nullius tàmen irregularitatis notã incurrit, vt habetur eodẽ titulo, si celebrat. 11 *Peccat grauiter celebrans in excommunicatione minori, non tamẽ fit irregularis.*

Verùm de simoniaco, & peccatore notorio, dubium est: sed primum videtur solui per illud decretum *distinct. 33. Maritum.* vbi inter non promouendos nominatur ille, qui per emptionem ad imitationem Simonis magi pecuniam obtulit. & 1. *quæst. 1. Eos qui.* Papa Gregorius eos omnino simoniacos damnat, ac deponendos auctoritate Apostolica censet: & de hoc dicitur *Extrà de simonia, in textu, & in Glossa*: ergo iste videtur simpliciter inhabilis, propter pœnam canonicam, ad exercendum actum ordinis, sicut omnino est deiiciendus à clero secundùm auctoritatem adductam. *Simoniacus an irregularis?*

De [x] peccatore autem publico, seu notorio, certum est quòd ante pœnitentiam peccat mortaliter conficiendo, non tantùm, quia est in peccato mortali, sed quia scandalizat. Sed ẽstne irregularis? Fortè non inuenitur hîc pœna in canone sibi inflicta: licèt enim prohibeatur *distinct. 33. Nullus*, quòd nullus audiat Missam Presbyteri, quem indubitanter scit concubinam habere: & ex hoc videatur, quòd sibi prohibetur celebrare, quia magis astringitur ad cauendum, quàm audiens, vt non audiat, & per consequens si celebrat, contra præceptum Ecclesiæ facit. Tamen ista consequentia non est necessaria in pœnis, quia pœnæ non sunt ampliandæ: & quandoque prohibetur communicatio cũ isto in aliquo actu, vt corrigatur, nõ tamen infligitur isti pœna irregularitatis, si exerceat istũ actũ. *Publicus peccator cõficiendo, non irregularizatur. Prohibuit Ecclesia audire Missã publici concubinarij.*

Idem posset dici de publico vsurario, etiam manente in peccato vsuræ. De infami autem, qui tamen pœnituit de peccato, sed nondum est restitutus in integrum, si celebrando fiat irregularis, non est dicendum quòd sic, nisi inueniatur in iure canonico. De celebrante autem sine illis ornamentis, vel omnibus, vel aliquibus, vel non consecratis, non inuenitur in canone pœna irregularitatis inflicta: breuiter ex quo ista est pœna iuris positiui, quando non infligitur, non incurritur. 12 *Vsurarius, & infamis an fiant irregulares conficiendo?*

Nulla [y] ergo conditio ex parte ministri requisita, & non obseruata facit incurrere irregularitatem, nisi defectus Sacerdotij, vel alia pœna simpliciter prohibens, & remouens ab exercitio Sacerdotij: & per consequens Sacerdos non prohibitus per talem pœnam, conficiendo non incurrit irregularitatem: nec ergo propter peccatum, nisi sit tale, cui annexa sit prohibitio canonica, nec propter non ieiunum, nec propter carentiam ornamentorum debitorum, nec breuiter propter quæcunque alia sub prædictis non contenta, incurritur irregularitas. *Quid faciat irregularem celebrantem.*

## COMMENTARIVS.

132 q [R] *Estat ergo videre secundum membrũ*, &c. Supponit quæ aliàs determinauit *dist. 8. q. 3.* de ieiunio, & *dist. 9.* de impedimento pœnæ. Agit hîc de impedimento pœnæ, siue canonica sit, siue naturalis, quæ prohibent ordines susc̃ipere, aut in iis ministrare susceptis.

Pœnæ canonicæ sunt propter culpam. Naturales fundãtur in aliquo defectu naturali, aut membri, aut natalium, aut morbi: ex quibus submouentur obnoxij ab altari propter indecentiam contra reuerentiam cultus, & ministerij, vt illegitimi, leprosi, comitiali morbo laborantes, energumeni, *Pœna canonica, & naturalis.*

meni, &c. De his impedimentis tam ex culpa, quàm ex natura magis per ſe agitur in materia de cenſuris. Concluſio eſt, *requiri ad ordinatè conficiendum ablationem horum impedimentorum.*

*Concluſio.*

133 *Requiri veſtes ſacras.*

r *Secundum requiſitum*, &c. Præter oblationem impedimenti prædicti, vt dignè conficiatur myſterium, requiritur vſus veſtimentorum ſacerdotalium, quæ debent eſſe benedicta, *de conſecrat. diſt.* 1. cap. *Veſtimenta*, &c. Hanc veritatem impugnarunt hæretici VValdenſes, ſeu Pauperes de Lugduno, ſicut in reliquis ſordidi & prophani, ita in hoc cultum omnem reſpuebant.

*Pauperum de Lugduno hæreſis.*

*Vſus veſtimẽtorum ſacrorũ antiquus.*
Anacletus.
Stephanus.
Damaſus.
Hieronym.
Chryſoſt.
Lateran.
Trident.
Rupertus.
Alcuinus.
Hugo de S. Victore.
Rabanus.

Eſt vſus veſtimentorum ſacrorum ab ipſo Eccleſiæ primordio, vt conſtat traditione per omnes ætates; de quibus Anacletus *epiſtola decretali*, & Stephanus primus *epiſt.* 1. *decretali*: eſtque illud quod citat Doctor. Damaſus *in Pontificali cap.* 24. Hieronymus *lib.* 1. *contra Pelagianos, & in c.* 54. *Ezechielis*. Chryſoſt. *hom.* 83. *in Matthæum, & in Liturgia*. Conc. Lateranenſe *ſub Innocentio III. c.* 2. *de Cuſtodia Euchariſt.* Trident. *ſeſſ.* 22. *c.* 5. Rupertus *lib.* 1. *de Diuinis officiis, a c.* 28. Alcuinus *de Diuinis officiis, c. de Veſtimentis ſacris.* Hugo Victor. *lib.* 2. *de Sacramentis, part.* 4. Rabanus *lib.* 2. *de inſtitutione Clericorũ*; à quibus ſignificatio myſtica indumentorum peti debet, quæ ſatis conſtat ex iis orationibus, quæ dicuntur ad ſingula veſtimenta. Videatur etiam Alẽſis 4. *part. q.* 10. *m.* 5. *art.* 2. §. 6. D. Bonauent. *in lib. de explicatione Miſſæ*. Gabriel *lect.* 11. *& ſequ. ſuper canone*. Sotus *in* 4. *diſt.* 13. *q.* 2. *art.* 3. *&* 4. & alij moderni vt Suarez. Valentia, & alij, ſatis copioſè & doctè. Videatur etiam noſter Aretin. *in hac diſtinct. & quæſt. art.* 1. 2. *&* 3.

Alenſis.
D. Bonauẽt.
Gabriel.
Sotus.
Suarez.
Valentia.
Aretin.

134 *Numerus veſtimentorum ſacrorum ſex.*

s *Quæ autem ſunt hæc indumenta*, &c. Numerum horum veſtimentorum docet ex Innocentio: ſunt autem ſex, *amictus, alba, cingulum, manipulum, ſtola, planeta*: debent eſſe benedicta, quibus ſua ſpecialis benedictio aſſignatur *in Rom. Pontificali.*

*Dubium. An requiratur benedictio cinguli.*

Dubitat Doctor ex conſuetudine aliquarum Eccleſiarum, in quibus celebrari ſolet cum cingulo non benedicto, an ſit peccatum, & reſoluit non eſſe, quia obligatio præcepti, & neceſſitas obſeruantiæ ex conſuetudine Eccleſiarum, maximè illarum, quæ conſuetudinem inuehere poſſunt, videtur interpretanda: neque præſumendum eſt pro culpa, vbi authoritas, & conſuetudo oppoſitum præſcribit. Conſentit Richardus *hac diſt. art.* 3. *q.* 4.

*Negat Doctor.*
Richardus.

*Sententia Nauarri.*

Nauar. tamen in Manuali *c.* 25. putat hanc ſententiam non eſſe tutam, ex eo, quòd in Pontificali Romano aſſignetur benedictio cinguli, & conſuetudo communis ita fert, vt ſit benedictum.

*Conſuetudo non ligat, vbi nõ eſt in vſu.*
Bracharenſ.

Cæterùm hæc ratio non vrget, & videtur rigoroſa: nam illæ Eccleſiæ, quibus proprius ritus permittitur, non tenentur conſuetudine aliarum, inquantùm diſcrepat. Habetur autem ſimile in Concilio Bracharenſi III. *cap.* 3. & eſt cap. *Eccleſiaſticũ diſt.* 23. vbi præcipitur Sacerdoti ſub pœna excommunicationis, vt non communicet ſine ſtola ſacerdotali: tamen hoc non infert aliis in locis rigorem præcepti.

135 *Ratio efficax.*

Præterea, ſi hæc benedictio induceret obligationem rigoroſam præcepti, ſequitur id eſſe ex ſpeciali cæremonia, & ritu, & ſignificatione, in quam etiam ſpecialiter benedicitur per propriam, & ſingularem formam verborum: ſed communis eſt ſententia, quam tenent Sylueſter, Paludanus, & alij, poſſe ſtolam aſſumi pro cingulo, & manipulum ſi ſit ſufficiẽtis longitudinis, aptari pro ſtola, ſtolam pro manipulo: hæc autem non habent benedictionem accommodatã illi vſui: ergo, &c.

*Stola pro cingulo vſus.*

Deinde videtur etiam cingulum acceſſoriè ſe habere ad albam ratione amictus, & ſignificationis myſticæ: ergo non eodem gradu requiritur eius benedictio, ſicut albę: quando ergo neceſſitas eſt talis, vt nequeat haberi cingulũ benedictum, non videtur omittendum ſacrificium, neque Eccleſia velle hunc rigorem inducere, cum præiudicio melioris operis, ſicut in diebus feſtis, vbi non eſt Eccleſia, niſi polluta, aut nulla, quamuis præceptum ſit non ſacrificandi, niſi in loco ſacro, non prætenditur comprehendere hunc actum in præiudicium melioris operis, quod alioquin eſt in præcepto.

*Cingulum acceſſorium ãd albam.*

*Exemplũ in loco nõ ſacro.*

136 *Obiectio.* *Reſponſio.*

Dices, inde ſequeretur etiam poſſe aliquem celebrare in veſtimentis non benedictis in vniuerſum, aut ſine vllis. Reſpondetur, negando ſequelam, quidquid alij dixerint: quia in aliis veſtimentis ritus principalis conſiſtit ornamentorum perſonæ, ſine quo non debet offerri ſacrificium: non ita in cingulo, quod etſi requiratur, requiritur tamen acceſſoriè ad albam cuius naturam induit, & participat benedictionem aliquo modo, vt ipſum coniunctum eſt: ſicut aqua non benedicta, aut oleum admixtum alteri benedicto totum fit benedictum, & ſpecificatio ſumitur à digniori.

*Benedictio ad Epiſcopum ſpectat.*

Ad hoc facit vlteriùs, quòd benedictio cinguli ſpectat ad Epiſcopum, aut alium cum diſpenſatione: vnde vbi vſus non eſt benedicendi, deberet vel ceſſare ſacrificium, vel de neceſſitate Sacerdos vti cingulo non benedicto. Cæterùm ſi haberi poteſt cingulum benedictũ, eo vtendum erit, & non alio.

*In aliis requiritur benedictio.*

Ex hac exceptione Doctor ſupponit cum communi requiri benedictionem ornamentorum reliquorum, vt quis dignè, & ordinatè conficiat: vnde reſeruatio ſpecialis huius benedictionis, vt fiat ſolùm ab Hierarcha, denotat etiam maiorem obligationem huius præcepti, quia inde ſequitur magis participare de honeſtate cultus, & religionis, quàm alia quæ inferiori miniſtro benedicenda permittuntur: ex priuilegio competit aliis, vt Abbatibus, quibus licet celebrare in Põtificalibus, & aliis priuilegiatis, quibus cõceditur ex priuilegio.

137 *Pœna vſurpantis ordinẽ quem non habet.*

t *De his omnibus*, &c. Primus caſus eſt de pœna miniſtrantis in ordine, quem non habet: & reſolutio Doctoris eſt communis, nempe manere irregularem, ſiue ſit clericus, ſiue laicus. Dubitari ſolet, an hæc irregularitas extendatur non ſolùm ad inhabilitatem ſuſcipiendi Ordinem, quem non aſſumpſit? Ratio dubitandi eſt, quia pœnæ ſunt reſtringendæ; & textus debet intelligi iuxta caſum, quem proponit de Diacono ſacrificante, vbi dicitur manere irregularem quoad Sacerdotium, & ſuſpenſum à Diaconatu: ergo videtur tantùm ab ordine proximo, quem vltimò ſuſcepit ſuſpendi, & non à prioribus, & hoc inſinuare videtur Abbas.

*Dubiũ quantùm ſe extẽdit pœna.*

*Ratio dubitandi.*

Abbas.

Communis tamen tenet eum ſimpliciter eſſe irregularem quoad ſuſceptos, & ſuſcipiendos, ita Hoſtienſis, Sylueſter verbo *Diſpenſatio*. Angelus verbo *Irregularitas*, Nauarr *in Summa c.* 27. Maiolus *lib.* 4. *c.* 13. Illa, inquam, particula qua dicitur ſuſpenſus, non infert nouam pœnam; ſed declarationis loco ponitur, vt intelligatur abſolutè manere irregularis, etiam quoad ſuſceptos ordines: ſed in hoc eſt differentia, quòd diſpenſari poſſit ab Epiſcopo quoad ſuſceptos, non verò quoad ordinem, quem vſurpauit, quia primum ipſi cõcedit Canon, alterum verò non, ac proinde manet reſeruatũ Pontifici contra Gloſſam. De hac materia agendum erit magis ex propoſito *infrà diſt.* 25.

*Manet irregularis quoad ſuſceptos, & ſuſcipiendos.*
Hoſtienſis.
Sylueſter.
Angelus.
Nauar.
Maiolus.

*Quis diſpenſare poteſt.*

138 *Pœna miniſtrantis.*

u *Pœna autem miniſtrantis*, &c. Hæc reſolutio eſt iuris communis, titulo allegato, & ex cap. 1. de

*de sententia, & re iudicata in 6.* & ex cap. *Is qui.* & cap. *Is cui, de sententia excommunicationis in 6.* Intelligenda est conclusio de ministerio ordinis cui iniuncta est censura; non autem de ministerio alioquin peccaminoso, si non sit annexa censura.

*Quinam excusantur.* Excusatur si ignorantia facti interueniat: dubium est, si ignorantia probabilis iuris excuset; *Limitatio.* de qua dictum est *supra dist. 6 quæst. 8.* Intelligitur de ministerio, qui Ordinem requirit, non autem de eo quod potest, sine Ordine fieri. Excommunicatio minor non inducit hanc pœnam, vt benè Doctor & communis.

*Verum de simoniaco,* &c. Maiolus tenet ipso iure esse simoniacos irregulares *lib. 4. c. 23.* & *lib. 5. cap. 15.* alij negant; sed incurrere suspensionem, & excommunicationem ipso iure, & sic celebrantes incurrunt irregularitatem: ideò fortè Doctor non exprimit pœnam simoniæ esse irregularitatem. Videatur cap. *Si quis,* de simonia, & alia plura eiusdem tituli. Sed fortè nomine suspensionis venit etiam ipsa irregularitas communi appellatione.

*Pœna simoniaci.*

139 Trident. x *De peccatore autem publico,* &c. Hæc resolutio est communis, & patet ex Tridentino *sess. 25. cap. 14.* decreta enim de concubinariis, & aliis peccatoribus publicis, vt vsurariis, magis determinant pœnam ab homine per sententiam imponendam, quàm ipso iure positam: nec est admittenda pœna ipso iure, quam ius non exprimit.

*Restitutio infamiæ.* Quod dicit de restitutione infamis, intelligi debet de eo, qui per sententiam declaratur; manet macula hæc ipsa lege, donec auferatur, si absolutè ponitur, & non implicando conditionem vllam, quæ in re ipsa poni potest, & quâ positâ sententia absoluitur. De infamia autem ex peccato in quo perseueraturat, non ita se habet, sed pœnitentia deletur: videatur cap. *Infamis, 6. q. 7.* & cap. *Testes, 2. q. 7.* Panormitanus cap. *Licet Heli, de simonia.* Archidiaconus in cap. *Deinde 26. dist.* Summistæ verbo *Infamia*; & verbo *Irregularitas:* nostet Castro *lib. 2. de iusta hæret. punitione, cap. 9.* Nauarrus *in Sum. c. 27.* Innocentius in cap. *Testimonium, de testibus.* Turrecremata cap. *Illi, 6. quæst. 1. art. 1.*

Panormitan. Archidiac. Castro. Nauar. Innocent. Turrecrem.

y *Nulla ergo conditio,* &c. Concludit ex dictis generaliter celebrantem non incurrere irregularitatem, nisi ex defectu Sacerdotij, aut pœna aliqua Canonica remouente ab exercitio Sacerdotij, Si autem ius sit dubium, & obscurum an comprehendat pœnam, sequenda est sententia capituli, *Is qui, de sententia excommunicationis in 6.* vbi dicitur, celebrantem in Ecclesia polluta, non esse irregularem, quia non inuenitur in iure expressum: ergo vbicumque non inuenitur hæc pœna iure expressa, non incurritur, & sic cessant argumenta à simili, & huiusmodi quæ in aliis casibus vrgent: tum quia *odia restringenda,* & *quando partium iura sunt obscura, magis fauendum est reo:* & hinc excluditur illa maxima, *in dubijs tutior pars est eligenda:* nam si casus est ita dubius dubietate iuris, vt viros doctos in varias, & contrarias opiniones trahat, benè sequitur pœnam non esse iure expressam. Aliqui tamen limitant hanc resolutionem ad forum externum, non verò conscientiæ; ex capitulo *Ad audientiam;* & capitulo *Significasti,* eodem titulo, vbi Abbas: Hostiensis, Ioannes Andreas, Nauarrus *cap. 27. in Summa.* Sed prior sententia est Innocentij, cap. *Ad audientiam.* Cardinalis *in Clementin. 1. de homicidio.* Couarruuias *ibid.* Nauarrus cap. *Si quis autem, de pœnitentia.*

140 *Pœna iure nõ expressa non incurritur.* *Quando ius dicitur dubiũ, & obscurum.* *Limitatio.* Hostiens. Io. Andreas. Nauar. Innocent. Cardinal. Couarr. Nauar.

Infert vlteriùs Doctor, quòd celebrans sine ornamentis non sit irregularis, vel etiamsi non sit ieiunus, quia nullus Canon talem pœnam infert.

## SCHOLIVM.

*Ad celebrationem licitam requiri locum esse sacrum, & non interdictum: licere tamen in necessitate celebrare in loco non sacro. Item requiri lumen, quod secundùm consuetudinem debet esse ex cera: docet altaria debere esse lapidea, calices & patenas, saltem ex stanno, & omnia hæc consecrata; priuilegium Minorum, & Prædicatorum, de celebrando in portatili sine licentia Episcopi, non esse abrogatum per Trident. sess. 22. decret. de obseruandis in celebr. Missæ, docet Emmanuel 1. tom. q. 43. art. 5. & 2. tom. q. 75. art. 1. Vide Suarez 3. tom. disp. 81. sect. 3.*

Sequitur [z] secundum principale, scilicet de requisitis ex parte loci: vbi possumus distinguere locum in locum propriè dictum, & in vas, quod est locus mobilis secundùm Aristotel. 4. *Physicor.* Ex parte loci propriè dicti requiritur amotio impedimenti, scilicet quòd locus non sit interdictus, & requiritur appositio conuenientis dispositionis, scilicet quòd sit sanctificatus. 13 *Text. 41. & circiter.* *Ad celebrationẽ requiri locum esse cõsecratum, & non interdictum.*

Primum est simpliciter necessarium, quia celebrans in loco interdicto facit contra prohibitionem Ecclesiæ, & per consequens non ordinatè. Secundum est necessarium, nisi casus necessitatis occurrat, vt probatur per illud de consecrat. dist. 1. sicut vbi dicitur, *Non in alijs, quàm Domino consecratis locis, id est, tabernaculis à Pontificibus delibutis, Missas cantare ac celebrare licet.* Item patet cap. sequent. & cap. *Hic ergo,* & cap. sequent. vbi dicitur: *Nullus Presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis, qui sui particeps de cætero voluerit esse Sacerdotij:* sed exceptio illa de casu necessitatis, patet eadem dist. c. *Concedimus.*

Casus autem [a] illi sunt isti, vt si Ecclesiæ in patria sunt destructæ: vel si quis in via penitus non poterit accedere ad aliquam Ecclesiam consecratam: quod regulariter verum est de nauigantibus, & cæteris huiusmodi. Non enim videtur verisimile, quòd obseruationem illius præcepti Decalogi, *Sanctifica Sabbatum,* (quod præceptum Ecclesia interpretata est in hoc, quod est audire Missam die Dominico, *de consecrat. dist. 1. Missas,*) voluerit Ecclesia impedire per aliquod præceptum minoris obligationis, vt per talem, vel

*In necessitate licet celebrare in loco nõ sacro.* *Non tamen licet celebrare in mari.*

14 *Non esse celebrandū in Oratorijs sine licentia Episcopi, d. c.* Sicut. *c.* Hic ergo, *c.* Nullus, *& c.* Clericos, *de cōsecrat. d.* 1. *Trid. sess.* 22. *decreto de observ. in cel. Missæ. Potest Episcopus licētiare ad celebrādum in loco non sacro. c.* Missarum, *de consecr. d.* 1. *Altare debet esse lapideū. Ex quo calix, & quare non de ære.*

vel talem locum requiri ad hoc, vt Missa audiatur, cùm non debeat quis restringi ab obseruatione magis necessarij, per arctationem ad minùs necessarium.

Quæ autem [b], vel vbi sint loca consecrata. Dico quòd regulariter Ecclesiæ Parochiales, & aliæ solemnes Collegiatæ. Oratoria autem, quæ dicuntur capellæ, non possunt haberi, quæ sint consecratæ, nisi de licentia Episcopi, vt habetur *de consecrat. distinct.* 1. Vnicuique fidelium licet habere oratorium, & ibi orare: Missas autem ibi celebrare non licet, nisi in casibus supradictis. Oratorium tamen sacrum facere non licet, nisi auctoritate Episcopi, *de consecrat. distinct.* 1. *Nemo.* Istius etiam loci requiritur ornatus, scilicet lumen, vt dicitur *Extrà de celebrat. Miss. capitulo vltimo*, de eo, qui sine igne sanctificabat, & aqua; & sequitur: *Mandamus, quòd officio, & beneficio ipsum priues perpetuò.*

De loco [c] autem mobili, siue vase, distinguo, quòd vas remotum est altare, quod debet esse lapideum: *de consecrat. distinct.* 1. Altaria si non sunt lapidea, chrismatis vnctione non consecrantur. Vasa propinqua sunt calix, & patena, quæ debent esse de auro, vel argento, vel vbi paupertas cogit ad minùs de stanno, sicut habetur *de consecrat. dist.* 1. Calix. *Calix Domini cum patena, si non ex auro, omnino ex argento fiat. Si quis autem tam pauper est, saltem vt stanneum calicem habeat: de ære autem, aut aurichalco non fiat: quia ob vini virtutem æruginem, vel rubiginem pariter & vomitum prouocat. Nullus autem in ligneo, vel vitreo præsumat Missas celebrare.* De vitreo autem rationale est propter eius fragilitatem, ne sanguis Domini periculo exponatur: de ligneo propter imbibitionem humoris.

Ista vasa omnia debent esse consecrata. De altari habetur *de consecratione, distinctione prima, Ecclesiæ*, & cap. *Concedimus*, & duobus capitulis sequentibus.

Siue autem sit fixum, sicut est communiter in Ecclesiis, siue portabile, non est magna differentia, quia in altari portabili, siue in alio fixo, conuenit Missas celebrare, vt habetur Extrà de priuilegiis, & excessibus priuilegiatorum. cap. *In his, quæ ad cultum cum fratribus Minoribus, & Prædicatoribus duximus indulgendum: vt vbicumque fuerint sine Parochialis præiudicio, valeant cum altari viatico celebrare.* Quidam nimis strictè interpretando nostram indulgentiam, nituntur asserere, quòd per ea prædicti fratres præter Prælatorum assensum facere hoc non possunt. Et paulò pòst, *Cùm autem nihil eis conferret indulgentia memorata, sine qua idem Prælatis annuentibus liceret eisdem, mandamus, quòd interpretatione huiusmodi reprobatâ, dum tamen ab alijs, quæ iuri Parochiali prorsus conueniunt, abstineant, datam eis licentiam celebrandi etiam auctoritate nostrâ non differas publicare: ita quòd dicti fratres ex indulgentia nostra gratiam videantur consecuti*, ait Honorius III.

15 *Altaria, & calicem debere esse cōsecrata. Minores & Prædicatores posse celebrare in portatili, sine licentia Episcopi, nec hoc reuocatū esse per Trid. do cet Emman. 1. tom. q. 43. a. 5. & to. 2. q. 75. art. 1. Vide Suar. 3. to. d. 81. s. 3.*

Si obiicitur ex hoc capitulo, quòd non licet vti altari viatico, nisi ex priuilegiis. Respondeo, verum est, quantùm ad vsum eius indifferenter in quocumque loco consecrato, vel non consecrato: sed quantùm ad vsum eius in loco consecrato videtur satis esse ius commune: quia ante dedicationem altaris in Ecclesiis quibuscumque communiter celebratur cum altari paruo.

Hoc etiam altare, siue fixum, siue mobile, & portabile, oportet esse non enormiter fractum, *Extrà de consecrat. Eccles. vel altaris.* Ad hæc, si sit altare, vbi dicitur, quòd *si lapis benedictus fuerit imminutus, debet iterum benedici.* & cap. *Quod in dubijs.* ibidem. Calicem etiam, & patenam oportet esse consecratam, vt habetur *Extrà vbi suprà.*

16 *An in Ecclesia sufficit portatile sine priuilegio? Duæ palla requiruntur consecratæ. si ita habet cōsuetudo.*

Hæc etiam vasa oportet esse ornata, altare quidem tobaliis duabus, vbi est mos Ecclesiæ, consecratis; & quod magis præcisum est corporali de sindone munda. Et oportet quòd illud corporale cooperiat ad minùs locum calicis, & hostiæ, quæ debent collocari super altare consecratum, siue totum immobile consecratum sit, siue super mobile vbi requiritur vsus eius.

## COMMENTARIVS.

z *Sequitur secundum principale*, &c. Hîc declarat de Ecclesia, altari, vasis, & ornamento altaris, quæ requiruntur ad sacrificium. Conclusio eius est: primò requiri, vt locus sit non interdictus, & sit sanctificatus. Primum per se constat, quia contra Ecclesiæ prohibitionem. Secundum patet *ex dist.* 1. *de consecrat. cap.* 1. quod est Felicis IV. *in epist. decretali* 1. *c.* 1. habetur apud Burchardum, Iuonem, & Gratianum. Patet ex cap. *Omnes Basilicæ*; eodem titulo, quod dicitur partim esse Higinij Papæ, partim Euaristi, cap. *Hic ergo* quod est Clement. *epist.* 3. cap. *Obijciatur*: quod est Syluestri; cap. *Nullus Presbyter.* Idem docet Anacletus *epist.* 1. Concilium Laodicense *can.* 58. Supponit Dionysius *de Ecclesiastica hierarchia, c.* 3. Origenes *tract.* 35. *ad caput* 26. *Matthæi.* Idem docet Basilius *in regulis breuioribus, interrogatione* 310. Chrysostomus *homil.* 27. *ad cap.* 11. *epistola* 1. *ad Corinth.* Syluester *in epilogo Concilij Romani.* Concilia Aurelianense, Cabilonense, Remense, Moguntinum secundum. Huc etiam spectant plura capita 16. *quæst.* 7. Patet hæc veritas ex communi omnium sensu, in quibus cultus aliquis communis religionis veræ, aut falsæ viguit; apud illos enim

141 *Requiritur cōsecratio, seu benedictio Ecclesiæ.*

Felix IV.

Higinius. Euaristus. Clemens.

Sylvester. Anacletus. Concilium Laodicense. Dionys. Origenes. Basilius. Chrysost. Sylvester. *Alia Concilia.*

enim fuit vsus templorum: benedici autem debere patet ex lege, & consuetudine præscripta, quam videre licet apud Hieronymum *in cap. 43. Ezechielis.* Augustinum *lib. 4. contra Cresconium, cap. 40.* finis ipse idem probat, quia ordinatur ad cultum & sacrificium. videatur S. Bernardus *sermone 1. in dedicatione Ecclesiæ*, vbi & cæremonias ipsas, & mysticam eam interpretationem egregiè declarat.

Hieron. Augustin. Bernard.

142 *Casus excepti à lege vniuersali.*

a *Casus autem sunt isti*, &c. Casus necessitatis excipitur ab hac lege vniuersali: vt patet capitulo *Concedimus, eadem dist. cap. 10.* & cap. *Sicut non alij. cap. Hic ergo.* Ita etiam communiter Doctores in illa iura. Alensis *4. part. quæst. 36.* D. Thomas *3. part. quæst. 83. art. 3. ad 1.* Paludanus, Sotus, & alij hîc, Summistæ verbo *Missa.* Hunc autem casum necessitatis, quem exprimit Doctor, exponit etiam D. Thomas, nempe ratione itineris, quando non inuenitur Ecclesia, licere Missam celebrare, quando cætera adsunt: & communis idem tenet. Quatuor itaque causæ sunt, ex quibus licet dicere Missam extra Ecclesiam consecratam. Prima, si Ecclesiæ sint destructæ, aut occupatæ ab hæreticis, vel infidelibus, vel pollutæ. Secunda, est necessitas itineris. Tertia, confluxus populi, quem nequit Ecclesia capere, & paucitas ministrorum: nam si licet ex hac causa celebrare plures Missas ab eodem Sacerdote in die, conuenientius est, vt possit in loco idoneo, in quo ab omnibus audiri possit, semel celebret extra Ecclesiam. Quarta est, priuilegium illud concedens, de quo *infrà* agetur.

Alensis. D. Thom. Paludanus. Sotus. *Qua necessitas excusat?* *Quartus casus non comprehensi lege.*

143 *Quæ Ecclesiæ dicantur benedictæ?*

b *Quæ autem, vel vbi sunt loca consecrata*, &c. Respondet Ecclesias Collegiatas, & Parochiales esse consecratas ad hunc effectum: intelligit consecrationem latè, vt comprehendit etiam Ecclesias benedictas, & ad hunc effectum ordinatas, & creatas authoritate Papæ, aut Episcopi, quæ gaudent iisdem priuilegiis, sicut Ecclesiæ consecratæ; vt notant Doctores & Glossa *in cap. vlt. de consecratione Ecclesiæ.* Requiritur tamen consecratio altaris, in quo celebratur, siue illud sit fixum, aut mobile. deinde addit Oratorium sacrum non licere facere, nisi de licentia Episcopi, vt paret ex Canonibus allegatis. Addit præterea ornatum requiri: hoc potissimùm intelligitur de altari; nam de ornatu Ecclesiæ præter solam Crucem, & lumen non inuenitur aliquid specialiter decretum: de Cruce autem habetur ex Concilio Aurelianensi; & habetur cap. *Nemo*, de consecr. dist. 1. *Nemo Ecclesiam ædificet, antequam Episcopus Ciuitatis veniat, & ibidem Crucem figat*, &c. *& ante præfiniat qui ædificare vult, quæ ad luminaria sufficiant*, &c. Consuetudo etiam ita fert: huc spectat *cap. vlt. de celebratione Missarum*; quamuis magis spectet ad celebrationem requiri lumen. Ambrosius, *Sine Cruce Ecclesia stare non potest, serm. 56. & de cultu Ecclesiarum.* Felix IV. & habetur *de consecr. dist. 1.* disserit exemplo veteris templi, & tabernaculi, quod Deus ipse magnificè ornandum statuit. Exempla Imperatorum, Regum, & Sanctorum Patrum, & Pontificum approbata luculenter ad hoc suppetunt, atque ex natura cultus Deo debiti, & reuerentiæ, & munditiei in eo adhibendæ, id præscribitur: videatur Leo I. *serm. 3. Quadragesimali.* Quòd si Patres aliquando reprehendunt superfluitatem, id non derogat honestati, & reuerentiæ; sed magis excitant, vt pauperum, viduarum, & pupillarum cura habeatur, quæ sunt templa viua: & certè his neglectis superimpendere ornatui superfluo parietum, quæ alioquin necessitati pauperum eroganda essent, non caret vitio: quoniam & ipsa vasa sacra distrahenda sunt, vt charitati & misericordiæ vacetur, quando instans necessitas vrget, dicente Domino, Misericordiam volo, & non sacrificium.

*De ornatu requisito loci.* Ambros. Felix IV. Leo I.

c *De loco autem mobili*, &c. Appellat vas remotum altare, iuxta modum loquendi Philosophi *4. Physic. textu 41.* quia dicitur vas esse locus mobilis. Optatus Mileuitanus *lib. 6. contra Parmenianum*, vocat altare sedem corporis, & sanguinis Christi. De altari plura in veteri Testamento Genes. 8. 12. 22. 35. Exodi 30. Num. 7. *in lib. Esdræ, & Machabæorum*, Sacerdotium enim sacrificium, & altare correlatiua sunt; in Scriptura, & sacris Canonibus vocatur aliquando mensa & tabula. Matthæi 24. *Si offers munus tuum ad altare*, &c. 1. ad Corinth. 9. *Qui altari deseruiunt*, &c. & c. 10. *Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* ad Hebræos 13. *Habemus altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt*, &c. de altari respectiuè ad sacrificium corporis, & sanguinis Christi faciunt mētionem omnes Liturgiæ, omnes Sancti Patres *can. 3. & 31. Apostolorum.* Clemens I. *Constitut. lib. 3. cap. 6.* Presbyteri Achaiæ *in martyrio S. Andreæ.* Ignatius martyr *in epistola ad Ephesios.* Dionysius *de Cœlesti hierarchia, cap. 3. & 4.* Irenæus *lib. 4. c. 20. & 34.* Origenes *homil. 11. in Numerum.* Petrus Alexandrinus *epist. ad omnes Ecclesiar.* Athanasius *ad omnes Orthodoxos*; & *in vita S. Antonij.* Basilius *epist. 70. 72.* Nazianzen. *orat. 4. 11. 20. 23.* Nyssenus *orat. in sanctum Baptisma.* Chrysostomus *lib. 6. de Sacerdotio homil. 16. ad cap. 5. Matth. homil. 53. ad populum Antiochenum*; & *homil. 61.* idem etiam posteriores, Theodoretus *in hist. Eccles. lib. 3. cap. 11. & 12. can. 69.* Synodi Trullensis. Eodem modo passim Latini Patres. Tertullianus *de orat. c. 10. & 14. exhortat. ad castitatem, c. 10.* Cyprianus *epist. 55. 64. 66. 72. 73.* Concilium Elibertinum *cap. 29.* Hilarius *lib. 3. ad Constantium.* Ambrosius *de Helia & ieiunio, cap. 10. lib. 1. de virg.* de his qui mysteriis init. cap. 8. Hieronym. epist. 1. *ad Heliodorum, cap. 7. & epist. 2. cap. 12. ad Nepotianum*; & aliàs sæpè. Augustinus *de Ciuitate Dei, lib. 22. cap. 12. contra Faustum lib. 20. cap. 21.* & alij posteriores Patres.

144 *De altari.*

Clemens I. Vita S. Andreæ. Ignatius. Dionys. Irenæus. Origenes. Petr. Alex. Athanas. Basilius. Nazianz. Nyssenus. Chrysost. Theodoret. Synodi in Trullo. Tertullian. Cyprian. Concil. Elibertinum. Hilarius. Ambrosius. Hieron. Augustin.

Optatus Mileuitanus. *Necessitas altaris, ex Scriptura, & Patribus ostenditur.*

Requiritur vt altare sit ex lapide, hoc sanciuit Euaristus Papa apud Burchardum lib. 1. cap. 27. *Altaria si lapidea non fuerint ad celebranda diuina officia, non consecrentur.* Item cap. *Altaria, de consecr. dist. 1.* quod est Concilij Epaunensis. Gregor. Nyssenus loco citato, *Lapis*, inquit, *est natura communis, nihil differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur*, &c. *sed quoniam Dei cultui consecratum, & dedicatum est, ac benedictionem accepit mensa sancta, altare immaculatum est*, &c.

145 *Debet esse lapideum.* Euaristus. Conc. Epaunensis.

Idem insinuat Optatus Mileuitanus *lib. 6. contra Parmenianum*, vbi dicit calidum de fragmentis altaris factum esse vinum, quod sacrilegis cessit in mercedem sceleris commissi contra Ecclesiam, & altare. Chrysostomus *homil. 20. in posteriorem ad Corinthios.* Augustinus *serm. 255. de tempore.*

Optatus Mileuitanus. Chrysost. Augustin.

Hæc institutio habet proportionem ad significationem mysticam, quâ altare significat Christum: *Petra autem erat Christus. lapis quem reprobauerunt ædificantes*, &c. tum etiam congruitatem, quia est materia solida, stabilis, & peruia. Præcessit etiam exemplum in veteri lege, in qua ex lapidibus altare constructum fuit. Neque refert, quòd altare ligneum aliquando fuit in vsu primitiuæ Ecclesiæ, quia illud habuit proportio-

*Proportio apta significationi.*

nem cum altari Crucis, quia propter commoditatem vſus, & maiorem durationem materia eſt mutata.

146 *Debet eſſe cõſecratum.*

Hoc altare debet eſſe benedictum, ſeu conſecratum ab Epiſcopo, aut habente facultatem ſpecialem ad hoc munus à Sede Apoſtolica. Primum patet ex omnibus Patribus citatis, & *de conſecrat. diſt.* 11. cap. *Altaria* primo & ſecundo, cap. *Nullus Presbyter.* Damaſ. *in epiſt.* 4. *decretali*, negat hoc munus conuenire Choroepiſcopis. Non debet eſſe enormiter factum, vt benè Doctor verſu, *Hoc etiam altare*, &c. debet eſſe ornatum, vt ibi dicit cum communi duobus tobaliis & corporali; illa iuxta conſuetudinem Eccleſiarum benedicuntur, aliquando non; ſed corporale debet benedici ab Epiſcopo, de iure, *de conſecrat. diſt.* 1. cap. *Conſultò*: ex Euſebio & Syluestro Pontificibus: debet eſſe ex lino mundo, & non ſerico, aut etiam panno tincto; *ex eodem cap.* quia repræſentat ſindonem in qua iacuit corpus Domini in ſepulchro. Differentia altaris portatilis à fixo patet ex litera, & quid ex priuilegio competit Minoribus & Prædicatoribus, quorum priuilegio in hoc non derogat decretum Tridentini, vt benè Scholiaſtes, *De calice præterea & patena*, eorum conſecratione & materia, patet ex litera, in cap. *Vaſa*, *de conſecrat. diſt.* 2. Vide plura apud Iodocum *lib. 8. de Sacramentis, diſt.* 1. *art.* 10. Hæc benedictio debet fieri interueniente Chriſmate, ſicut & altaris: videantur moderni ſcriptores, vt Sotus, Suarez, Bellarminus, qui ſatis diffusè hanc materiam tractant, & caſus particulares eius exponunt & reſoluunt, ſicut & antiqui, quos *ſuprà* citauimus.

*De calice, & patena.*

*Ornamẽtum altaris.*

## SCHOLIVM.

*Celebrantem ſine requiſitis prædictis ex parte loci, vaſis (& idem eſt de veſtibus) non fieri irregularem, niſi ſcienter celebret in Eccleſia interdicta à iudice, vel in calice inidoneo: ſoluit tamen iura, quæ pro primo caſu citantur; ſed videtur haberi. c.* 15. *Qui, de ſent. excomm. 6. ſecundùm caſum reliquit ſub dubio.*

17 Si [d] quæritur, quæ pœna ſit celebrantibus ſine iſtis conditionibus, quæ dictæ ſunt ex parte loci, & vaſis?

*Rich. præſenti diſt. art. 4. q. 1. in ſol. princ.*

Reſpondeo, in nullo præmiſſorum incurritur irregularitas, niſi in duobus caſibus. Primus, ſi ſcienter celebrat in loco interdicto à iudice: alius, ſi celebrat in calice non idoneo. Circa primum ſciendum, quòd locus poteſt eſſe interdictus à iudice, vel à iure. A iure quidem, ſi eſt pollutus ſanguine, vel ſemine, *Extrà de conſecr. Eccleſ. cap. vlt.* ſi in Eccleſia, & in talibus notorium eſt, peccatum eſt celebrare: non tamen incurritur irregularitas, quia non eſt à iure inflicta expreſsè.

Si [e] autem priuatum eſt, nec peccatum eſt, quia nec reconciliatione indiget, *Extrà de adulter. Significaſti.* Si autem interdictum ſit à iudice latum contra locum, celebrans ibidem ſcienter dicitur incurrere irregularitatem. Quod probatur per vnum capitulum *Extrà de clerico excommunicato miniſtrante, Poſtulaſti*, & per aliud capitulum *Extrà de exceſſ. prælat. Tanta.* Sed vtrumque capitulum benè poſſet exponi, cùm neutrum eſt iuris expoſitiuum, neque etiam iuris poſitiui reſponſiuum, vt appareat talem ſic celebrantem irregularem eſſe ſimpliciter. Quod patet, exponendo verba illa, quæ ponderantur de priuatione beneficiorum, & huiuſmodi.

*Celebrãs in calice inidoneo, an irregularis ſit.*

In [f] ſecundo caſu, ſcilicet de defectu calicis idonei, dubium eſt an propter illud irregularitas incurratur: quia pœna illa depoſitionis, quæ habetur *Extrà de celebr. Miſſ. c. vlt.* infligitur propter multa, ſcilicet quia non vtebatur calice debito, nec aqua, nec igne. Et ita dubium eſt ſi propter quodcumque iſtorum ſeparatim debeat infligi depoſitio, quia ibi omnia concurrebant.

## COMMENTARIVS.

147 *Celebrans in loco interdicto à iudice fit irregularis.*

d *Si quæritur, quæ pœna ſit celebrantis*, &c. Duos caſus exponit, in quibus incurritur pœna irregularitatis à celebrante. Primus eſt ſi celebret in loco interdicto à iudice, non verò à iure. Intelligit autem interdictum à iure, non in illa acceptione, quâ pœna incurritur ipſo iure ante ſententiam, & actionem hominis: ſed intelligit interdictum à iure, vt comprehendit illos caſus, in quibus Eccleſia polluitur effuſione ſeminis, & ſanguinis notoria, quo caſu peccatum eſt celebrare in tali Eccleſia, non tamen incurritur irregularitas, quia, vt benè Doctor, nulla talis eſt ipſo iure expreſſa. Eſt communis.

*Quid intendit per interdictum à iure.*

*Quando licet celebrare in loco interdicto.*

De iuſſu, & permiſſione Epiſcopi poteſt dici ſacrum in tali Eccleſia, vt patet ex cap. *Miſſarum*, & cap. *Hic ergo, de conſecr. diſt.* 1. hinc in Germania excuſantur celebrantes in Eccleſia, vbi ſepulti ſunt hæretici. Addunt alij, ſi neceſſitas ſit grauis, poſſe ſine licentia Epiſcopi, quando nequit eſſe recurſus ad illum celebrari, quia præceptum Eccleſiaſticum non obligat cum tanto rigore, cùm Eccleſia pia mater id non voluerit, ſecluſis circumſtantiis contemptus, aut ſcandali. Hæc pollutio Eccleſiæ, iuxta aliquos lato modo dicitur interdictum, non verò in omni rigore; ideóque ceſſat argumentum, ex cap. *Is qui*, &c. *de ſententia excommunicat. in* 6.

Si quæras quale ſit hoc peccatum? Reſpondetur eſſe mortale; & grauius, quàm celebrare extra locum ſacrum, quia Eccleſia polluta habet impedimentum lege ſtatutum, & maculam, quam non habet locus non conſecratus, aut benedictus. Dixi in Germania ex conſuetudine celebrari in talibus Eccleſiis, in quibus ſepeliuntur hæretici; 148

hæretici; quæ consuetudo fundatur in permissione Episcoporum: in Hibernia tamen id non liceret, quia nec Prælati vnquam id permiserunt; qui in iis, quæ Canones decernunt, sunt rigidi, & zelosi; nec populus admisit consuetudinem: proinde scandalosum esset celebrare in Ecclesia non restituta. Requiritur vt hæc pollutio sit notoria iuxta communem, & sit Ecclesia benedicta, aut consecrata, non autem loci priuati, qui non indiget reconciliatione: *Extrà de adulterio*; cap. *Significasti*.

*Debet pollutio esse notoria.*

149 e *Si autem interdictum sit à iudice latum*, &c. Loquitur de interdicto rigore sumpto, siue sit à iudice per sententiam, siue sit à canone: & quamuis aliqui citent duo Capitula in litera expressa. Respondet Doctor posse exponi commodè non de pœna incursa, sed incurrenda per actionem iudicis; vel certè de peccato, vt secundum Capitulum comprehendit: primum autem Capitulum videtur loqui de pœna suspensionis, quæ est alterius rationis ab irregularitate.

Per idem patet etiam ad alium textum Capituli primi de sententia & re iudicata *in 6.* quem aliqui in hoc loco citant: nam pœna irregularitatis non incurritur, nisi sit iure expressa, vt *suprà* diximus: neque argumentum à simili in hac materia valet. Melius autem probatur hæc pœna ex Capitulo, *Is qui, de sentent. excommunicat. in 6.* vbi comprehenditur celebrans in loco interdicto, *nisi priuilegiatus existat super hoc, vel à iure sit ei concessum*, &c. & in cap. *Is cui*, vt patet ex textu. Videatur Couarruuias in cap. *Alma mater*, &c. *part. 2. §. 2.* citans Doctores in hanc sententiam.

Couarr.

150 Petes quando contingat Ecclesiam polluì? Respondetur in genere sex casus enumerari. Primus, est homicidium voluntarium, & non casuale, vel inuoluntarium, vt si fiat ab amente, ex capitulo *Proposuisti, de consecrat. Ecclesia.* & cap. *Si motum, de consecrat. dist. 1.* Secundus, est iniuriosa effusio sanguinis, ex cap. *Si Ecclesia, de consecrat. Ecclesiar.* & cap. *Ecclesiis, de consecrat. dist. 1.* requiritur vt sanguis in quantitate fundatur, & per actionem iniuriosam Ecclesiæ & voluntariam.

*Sex modis polluitur Ecclesia.*

Tertius est de effusione seminis, qui simili modo intelligitur, sicut effusio sanguinis, neque refert quòd fiat per copulam aliàs licitam, si in alio loco fieret; quia in Ecclesia seclusis quibusdam circumstantiis, quas Doctores excipiunt, non licitè fit: debent hi casus esse notorij vt Ecclesia polluatur, vt communiter Doctores. Quartus est, si in Ecclesia sepeliatur fidelis excommunicatus; ex cap. *Consuluisti, de consecrat. Ecclesia*, &c. Ius antiquum sumit limitationem ex decreto Concilij Constantiensis, & debet intelligi de excommunicato, quem euitare tenemur, vt est denuntiatus, aut notorius percussor Clerici. Aliqui addunt perinde esse, si fuerit consecrata, aut benedicta ab excommunicato Episcopo; ex Abbate, & Hostiensi in dicto c. *Consuluisti*: sed hoc est dubium, quia argumentum à simili in materia censuræ non concludit; neque alioquin casus prædictus ipso iure comprehenditur. Quintus est, si infidelis & paganus in ea sepeliatur, aut sepultus iaceat, ex cap. *Ecclesiam* 1. & 2. *de consecrat. dist. 1.* extenditur ad infantes decedentes sine Baptismo, non tamen si moriantur in materno vtero mortua matre, quia sic propriam sepulturam, & personalem non recipiunt in Ecclesia. Sextus casus est, quando Ecclesia destruitur, & ex toto reædificatur, aut ex maiori parte. Circa hæc videantur Doctores hac distinctione, & Summistæ verbo *Consecratio.* qui plures casus particulares circa prædicta resoluunt.

151 f *In secundo casu, scilicet defectu calicis*, &c. Relinquit dubium si talis incurrat irregularitatem, quia cap. *vltimum, de celebrat. Missarum*, plurima crimina comprehendit; & dubium est, si propter quodlibet incurratur pœna inflicta, probabilius est incurrere: quia quodlibet etiam seorsim dignum erat tali pœnâ, & continebat grauem irreuerentiam in ministerio, & abusum; ita vt propter vnum solum puniri debuerit, & excludi ab altari. Pœna ergo inflicta debet etiam ad singula referri, maximè cùm nullum sit alterius circumstantia, sed per se enumeratum peccatum contra propriam inhibitionem, & censurâ tali dignum.

*De celebrante sine calice.*

## SCHOLIVM.

*Tempus Missæ celebrandæ, esse ab aurora, id est, à prima Solis irradiatione, quæ incipit paulò plus media hora ante Solis ortum, vsque ad horam nonam, cuius determinatio sumenda est ex consuetudine Ecclesiarum: quidam putant licere celebrare vsque ad tertiam horam. Nau. sum. c. 25. num. 85. & de oratione, cap. 21. num. 22. Durand. hic quæst. 2. Rosell. verbo* Missa *num. 46. Angel. ibi. sed communis tenet inchoari debere ante meridiem, secluso priuilegio. Suarez 3. tom. disput. 80. sect. 4. imponit Scoto quòd velit licere celebrare 5. quadrantibus ante ortum Solis: fortè non vidit eum.*

18 Tertium [g] principale, scilicet ex parte temporis, breuiter teneas quòd à principio diei vsque ad nonam Missa congruè celebratur: non computando principium diei ab ascensu Solis super Horizontem nostrum: sed ab illa hora ex qua radij solares illuminant hemisphærium nostrum, quod dicitur principium auroræ, & incipit secundùm auctores *in lib. de crepusculis*, quando Sol est sub Horizonte ad decem, vel octo gradus, quorum ascensus non continet spatium vltra medietatem horæ, & quintam vnius horæ, & ille terminus celebrandi tunc, & non antè, probatur de consecrat. dist. 1. *Nocte sancta Natiuitatis Missas celebrent Presbyteri.* & infrà eadem dist. §. de Ieiuniis: *In Sabbato sancto circa noctis initium Missarum solemnia sunt celebranda.* Et ratio est, quia illa pars diei artificialis, quæ est post nonam Sabbathi sancti, computatur cum nocte præcedente diem Dominicam. Vnde in benedictione cerei dicitur, *hæc nox est*, &c. & etiam in oratione dicitur, *Deus, qui hanc sacratissimam noctem.*

*Quãdo incipit dies, quoad celebrationem?*

*Intellige quoad prophetias & cæremonias, quæ fiebant, non quoad ipsum sacrificium, quod ante mediã noctem non fiebat, sed iam cessauit ille mos.*

Terminus [h] autem celebrationis, scilicet hora nona, colligitur ex consuetudine Ecclesiarum:

ſiarum: & ille terminus maximè attingitur in diebus ieiuniorum, quando regulariter in Eccleſiis collegiatis conſueuit circa horam nonam Miſſa de ieiunio celebrari. Iſtam autem circumſtantiam temporis concomitatur quoddam neceſſarium ad faciendum tractum temporis in celebratione Miſſæ ordinata quacumque hora diei artificialis fiat, ſcilicet legere introitum, orationes, & epiſtolam, ſicut in Miſſalibus ſecundùm vſum Eccleſiæ Romanæ notatur, ſine quibus præmiſſis nullus ordinatè conficit: nec fortè abſolutè quis conficere poſſet, vt *ſuprà* tactum eſt *diſt.*8. niſi præmitteret ad minùs illa verba, per quæ ſignificaret ſe proferre verba conſecrationis in perſona Chriſti, non in perſona Sacerdotis.

*q.2, n.4.*

*Oportet celebrantẽ habere miniſtrum.*

Vltimum[i] eſt, quòd celebrantem oportet habere aliquem reſpondentem in perſona totius Eccleſiæ, vt denotetur eſſe mediator inter Deum, & Eccleſiam, offerens ſacrificium Deo pro Eccleſia, quæ ſibi aſſiſtit in offerendo.

19

*Ad arg.1.*

Ad[k] argumenta. Ad primum, poteſt exponi illa Gloſſa illius verbi Malachiæ, *Quidquid à vobis benedicitur*, ſupple inquantùm mali eſtis: quia mali inquantùm huiuſmodi adulando benedicunt malis, quibus Deus veraciter maledicit: ſed in Euchariſtia Sacerdos non benedicit inquantùm malus, ſed inquantùm habet in benedicendo, & conſecrando intentionem Eccleſiæ.

*Ad 2.*

Ad ſecundum, cùm dicitur, nulla ei relinquitur poteſtas, verum eſt de poteſtate ad ordinatè exequendum, non autem de poteſtate ad ſimpliciter exequendum.

*Ad 3.*

Ad tertium, ſi oblatio Sacramenti, inquantùm oblatio Sacramenti, habeat efficaciam pro illo, pro quo offertur, neceſſe eſt concedere, quòd oblatio facta à malo æqualem habeat efficaciam, ſicut illa, quæ eſt facta à bono. Sed ſi multa alia concurrentia in Miſſa per modum orationis multùm faciant ad efficaciam Miſſæ (quod videtur probabile, quia deuotio in vna alia oratione, non multò minùs diſtat apud Deum à deuotione, in quibuſdam pertinentibus ad Miſſam, & deuotio acceptatur ſecundùm merita illius, cuius eſt deuotio) ſequitur, quòd Miſſa melioris erit melior, & tamen Sacramentum vtrobique eſt æquale.

*Miſſa boni eſt melior: tamen Sacramentum vtrobique eſt æquale.*

Si quæras quid ſimpliciter tenendum? Reſpondeo, nullum bonum recompenſat Deus ſecundùm iuſtitiam retributiuam, niſi propter aliquod meritum, cui correſpondet illud bonum: iſtud meritum, quod dicitur eſſe in celebratione Miſſæ, vt Miſſa eſt, non poteſt eſſe meritum abſtractum, ſicut idea Platonis: ergo oportet quòd ſit realiter aliquod meritum. Vel ergo totius Eccleſiæ, vel alicuius membri: non eſt autem totius Eccleſiæ, niſi quia alicuius partis: non eſt autem partis malæ & mortuæ in toto, ſicut eſſet partis viuæ, id eſt, exiſtentis & operantis in charitate: ergo in Miſſa non eſt tantum meritum cuiuſcumque, quando eſt mali, ſicut quando eſt boni: & per conſequens Deus ſecundùm iuſtitiam retributiuam non habet alicui in Eccleſia, nec toti Eccleſiæ recompenſare tantum bonum pro iſta, ſicut pro illa.

*Vnde melior Miſſa melioris Sacerdotis.*

20

*Ad 4. Vtra nobilior ſumptio, vel cõſecratio?*

Ad quartum dico, quòd ſumere eſt magis commune, & neceſſarium, quàm conficere: & magis neceſſarium, licèt in ſe aliquando nobilius, pluribus tamen quandoque competit, quàm minùs nobile, quod eſt minoris nobilitatis: & ratio eſt maior, ſiue communior neceſſitas. Ita eſt hîc, quia Chriſtus expreſsè docuit ſe velle ſumi Euchariſtiam à quolibet Chriſtiano, Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis*: & ibi loquitur omnibus: ſed conſecrationem, ſeu diſpenſationem, noluit ita eſſe communem, quia non fuit ita neceſſarium, vt eſſet communis: poſſunt enim pauciores diſpenſare, quàm ſuſcipere.

*Ioan. 6.*

*Ad 5. Diaconus in neceſſitate diſpẽſat Euchariſtiam.*

Ad[l] quintum dico, quòd Laurentius diſpenſauit ſanguinem Chriſti, vt patet in Legenda: quod benè eſt congruum, quia ſanguis non diſpenſatur niſi in calice, tactus autem calicis conceditur Diacono. Sed corpus non diſpenſatur, niſi ſpecies panis tangatur: ideò ſequens auctoritas de diſpenſatione corporis à Diacono, videtur difficilior. Ad quam dici poteſt, quòd ſimpliciter in caſu neceſſitatis conceditur Diacono diſpenſare corpus Chriſti, vt dicit auctoritas allegata: ſed non ſequitur ex hoc, quòd poſſit conficere: quia minus eſt diſpenſare quàm conficere. Nullo autem modo laico conficere, nec etiam diſpenſare conuenit, ſecundùm illud *de conſecrat.diſt.2.c.Peruenit.* Vbi dicitur, quòd *quidam Presbyteri intantum paruipendunt diuina myſteria, vt laico corpus Domini tradant ad deferendum infirmis*; & ſequitur: *Interdicit Synodus ne talis temeraria præſumptio amplius fiat.*

*In extrema tamen neceſſitate laicus poteſt ſe communicare, ſicut fecit Regina Scotiæ. Caietan.* in Matth. 26. Suar. 3. to. d.82.ſect.3. *Oppoſitam tenet Vaſq.* 3. tom. d. 219.c.1.

Ratio congrua eſt, quia ſicut ab anima mediante corde deriuantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde eſt principalis ſedes (vide 16. de Animalibus) & etiam in qualibet politia actus principales pertinentes ad illam politiam pertinent ad aliquam perſonam principalem in illa politia; ita rationale eſt iſtum actum conficiendi, & diſpenſandi

sandi Eucharistiam, residere apud illum, qui est principalis in Hierarchia Ecclesiastica; huiusmodi autem est Sacerdos: ergo,&c.

Confirmatur hoc,quia non minoris reuerentiæ,vel authoritatis est posse super corpus Christi verum, quàm super corpus Christi mysticum; secundum autem soli Sacerdoti conuenit: æquè ergo vel magis propter reuerentiam corporis Christi veri soli Sacerdoti conueniet authoritas respectu ipsius conficiendi, & regulariter dispensandi. Non enim potest in Ecclesia nimis digna persona,nec nimis dignus gradus inueniri ad consecrationem,vel dispensationem istius Sacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui est Sanctus Sanctorum,cui sit gloria in sæcula sæculorum.

## COMMENTARIVS.

152 *De tempore celebrandi præscripto.*

g *Tertium principale*, &c. Horam congruam celebrationi statuit ab initio auroræ, & hoc quātùm ad tēpus inceptionis,ita vt ante initium auroræ non liceat celebrare,sine dispensatione,aut priuilegio:ita docent reliqui communiter in hac distinctione,D.Thomas *q.1.a.2.quæstiuncula 4.& 3.p.q.73.a.2.ad 4.*Richardus *a.2.q.3.*Durādus *q.2.*Paludanus *a.2.can.2.*Alens.*4.p.q.10.m.5.art.2.* Summistæ verbo *Missa*,& communis recentiorū, Vasquez *233.c.3.* Suarez *disp.7.sect.4. concl.1.* Nauarrus *in Summa cap.52.*

D.Thom. Richardus. Durandus. Paludanus. Alensis. Summistæ. Vasquez. Suarez. Nauarr.

*Fundamentū conclus.*

Hæc conclusio fundatur in consuetudine habente vim legis, & in rubricis Missalis exprimitur:quòd verò hæc cōsuetudo vim legis obtineat, patet ex communi sensu Doctorum,& ex priuilegiis, quibus aliqui dispensantur à Sede Apostolica,vt ante diem vna hora celebrari possit:& ex rubricis prædictis de hora celebrandi,& eam meritò colligit Doctor *ex consecr.dist.1.*cap.*Nocte sancta Natiuitatis*,&c. & cap. *Solent.* §.*In ieiuniis*, *eadem distinct.*vbi conceditur Missa celebranda in nocte Resurrectionis, quæ est secunda Sabbati sancti, quod antiquissimum statutum est,& patet ex ibidem citatis,quæ *dist.75.& 76.* habentur.

153 *Consuetudo quomodo seruetur alibi?*

Aduertendum tamen est hanc consuetudinem inchoandi Missas,licèt regulariter tenenda sit, in quibusdam locis non esse receptam, sed seruari consuetudinem diei vsualis,quo artifices, & operarij communiter exeunt ad suas operas: vnde in Septentrionalibus ante crepusculum auroræ vna hora,& citiùs celebratur pro commoditate populi in Germania,& Belgio,& aliis locis,quibus etsi non expectatur crepusculum;tamen aliquo modo consuetudo vniuersalis potest dici obseruari,quia eadem hora celebratur,qua in aliis regionibus,in quibus dies hyemales longiores sunt, tum illucescit aurora,& mysteria initiantur: & consuetudo eatenus obtinet, quatenus vsu recepta est. Illa consuetudo antiqua,quę viguit tempore,quo Doctor scripsit, celebrandi in nocte prima Dominicæ Resurrectionis,mutata est iam,vt patet ex Ordinario Romano. Aliqui hoc tempus inchoandi definiunt esse quinque quadrantes horæ ante Solis ortum, & pro hac sententia adducitur noster Doctor, cùm hìc tantùm dicat esse tres quadrantes nō currere irregulariter, vt ipse etiam probat, *ex lib.de Crepusculis.* Hanc mensuram mathematicam nimiam esse docet Suarez, quæ non attendi debet in re morali:sed hoc non rectè reprehendit, quia si tempus cadat in præceptum,rectè assignari debet regula aliqua, ex qua cognosci debet, & fundari doctrina moralis,& materia currētis præcepti.Regulares habēt circa hoc varia priuilegia.

*Dubium.*

Dubitant aliqui an liceat tres Missas absoluere in nocte Natiuitatis ante auroram. Aliqui dicunt Decretum Telesphori intelligi debere de prima Missa tantùm,ita Syluester verbo *Missa 1.quæst.6.* Armilla,& Tabiena, Nauarrus *c.25.n.87.*sed hæc doctrina ad summum referri debet ad Missas Cōuentuales,& solemnes, de quibus intelligi potest rubrica Ordinarij Romani:neque inducenda sunt præcepta sine lege,quæ nulla est, aut consuetudine habente vim legis,quæ varia est:vnde sicut rubrica intelligi debet citra obligationem de Missa gallicantus,quæ tamen de die dici potest,ita etiam aliæ Missæ dici possunt nocte ante auroram, attentâ consuetudine locorum.

*Seruanda est consuetudo habens vim legis.*

154 *Terminantur Missa hora nona.*

h *Terminus autem celebrationis*,&c.Asserit etiā terminum celebrandi esse horam nonam iuxta consuetudinem Ecclesiarum:intelligit horam nonam canonicè,id est,duodecimam; quando dictâ nonâ in diebus ieiunij ante Missam conuentualem producitur officium vsque ad medium diem, vel circa,quia est consuetudo Ecclesiarum in diebus ieiunij: non autem intelligit horam nonam, iuxta ritum Iudæorum,&antiquum Ecclesiæ,quæ est tertia pomeridiana,quia dudum aboleuit hæc consuetudo, quæ habetur *de consecrat.dist.1.* c.*Solent*,&c. quod est Concilij Cabilonensis,& habetur apud Burchardum, Iuonem, Panormiam,Polycarpum, ex Eusebio,& in Capitulis Pandulphi Aurelianensis Episcopi,vt patet in notis adiectis in noua editione Decreti.Sumitur ergo hìc nona iuxta computum officij Ecclesiastici in diebus ieiunij, quando dicitur nona, & sic intelligit Vasquez antiquos Theologos,qui in hoc termino assignando conueniunt,& quidquid sit,an tum fuerit alius vsus prioris etiam antiquatæ consuetudinis,saltem nunc sic intelligi debet,attentâ præsenti consuetudine Ecclesiæ, quæ interpretationem hanc sonat ex priuilegiis, quibus religiosi gaudent,vt aliquo tempore post meridiem possint celebrare: possunt tamen in diebus solemnibus circa duodecimam,& paulò pòst Missæ celebrari, vt ibidem Vasquez,ratione concursus, & solemnitatis,& ita vsus plerumque fert.Nauarrus *suprà* citatus dicit posse Missam, vsque ad tertiam pomeridianam protrahi: sed nisi consuetudo inducta id approbet,non est regulariter tenendum.

155 *Tempus idoneum insumendum in Missa.*

Subiungit præterea Doctor necessitate præcepti impendendum esse tempus idoneum, quo introitus, & reliqua ordinata in Missa iuxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ dicantur, quod per se notum est. Addit præterea quædam fortè necessitate mysterij dicenda esse,vt illa, quæ antecedunt formam consecrationis:de quibus dictum est *d.8. q.2.*qua in re probabiliter tantùm, & cum dubitatione hoc asserit,& non omnino certâ assertione, vt malè quidam imponunt.

*An plures vna die celebrari possint ab eodem?*

Dubitari solet an Sacerdos vna die plures Missas celebrare possit,etiam ieiunus?Circa iterationem sacrificij variæ fuerunt consuetudines Ecclesiarum. Ioannes Cassianus, discipulus S.Ioannis Chrysostomi, eiusque Diaconus *lib.3. de Institutis* Cassian.

*Consuetudo antiqua.*

*Cœnobiorum, cap.* 11. eam consuetudinem fuisse in Oriente asserit diebus Dominicis vnam tantùm Missam celebrandi, in qua cæteri communicabãt:

Epiphan.

eandem indicat epistola Epiphanij ad Ioannem Ierosolymitanum, quæ est 20. *inter epistolas* Hieronymi *tom.* 2. & capitulum *Hinc est*, 16. *q.* 1. Hunc morem in Ecclesia Alexandrina sub Dioscoro viguisse epistola Leonis I. 81. indicat, & corrigit

Leo Papa. *Consuetudo Alexandrina Ecclesia.*

mandans, quoties Basilicam præsentia nouæ plebis impleuerit, toties sacrificium subsequens offeratur,

Concilium Altissiodor.

extat Canon nouus Concilij Altissiodorensis an. 590. *Non super vno Altari duas Missas dicere, nec in Altario, vbi Episcopus, Presbyter, in illo Missas dicat*, &c.

156 *Ritus Græcorum.*

Alius fertur ritus Græcorum non conficiendi in Quadragesima, nisi in Dominica, & Sabbato: vnde canon 49. Concilij Laodiceni, *Quòd non oporteat in quadragesima panem benedictum offerri, nisi in Dominica & Sabbato.* Canon 52. in Trullo addit diem Annunciationis, in reliquis fiebat sacrum præsanctificatum, sicut in Ecclesia Latina Feria V I. Parasceues.

*Ritus celebrandi plures Missas in eadem Ecclesia.*

Ritus celebrandi plures Missas in eadem Ecclesia præfertur, quia alioquin multiplicatio Sacerdotum, & altarium in eadem Ecclesia essent superflua, & fructus iugis sacrificij, & cultus Deo debitus tolleretur, neque rectè necessitati, & deuotioni fidelium satisfieret: patet ex epist. citata Leonis. Item, ritus celebrandi tres Missas in nocte

Gregor. Hieron.

Natalis antiquissimus est, de quo Gregorius *in homilia de Natali Domini*, & S. Hieronymus *in suo Lectionario* distribuit Euangelia, & Lectiones prout in vsu erant pro singulis proprias, vt constat ex Pamelio *tom.* 2. *Liturg.*

Prosper.

Prosper *in lib. de promissionibus dimidij tẽporis, c.* 6. scribit bis intra paucas horas in eodem loco oblatum esse sacrificiũ.

157 *Varij ritus.*

Quantùm autem ad principale quæsitum de iteratione sacrificij ab eodem Sacerdote, & vno die varij fuere ritus in diuersis Ecclesiis, vt refert VVallefridus Strabo, qui 800. ab hinc annis floruit, qui hanc controuersiam proponit, & hinc

*De iteratione sacrificij ab eodem.*

VVallefrid.

exemplum Leonis III. qui plures Missas eodem die celebrabat: inde exemplum Bonifacij Moguntini martyris, qui vnam tantùm offerebat. Videatur lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. 21. vbi controuersiam, & quæstionem liberam relinquit.

Leo III.

Alexand. II.

Alexander II. ducentis postmodùm annis ritum celebrandi plures correxit, videtur tamen permisisse, vt vna pro defunctis, altera de die si necesse fuerit, dicatur.

Innoc. III.

Honor. III.

Cæterùm Innocentius III. cap. *Consuluisti, de celebrat. Missarum*, vetat plures Missas dici: sicut & Honorius III. cap. *Te referente*, &c. excipit Innocentius Natale Domini, & casum necessitatis.

158 *Quid in casu necessitatis?*

Hunc casum necessitatis variè interpretantur Theologi, Paludanus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 4. exponit quinque casus. Primus est propter defunctum tumulandum sub Missa, tunc poterit pro defuncto vnum, alterum de festo dicere. Addunt alij, ex eo

Paludan.

*Quinque casus, in quibus iteratio permittitur.*

*Primus casus.*

*Secundus casus.*

*Tertius casus.*

*Quartus casus.*

*Quintus casus.*

solùm quòd parochianus pro defuncto postulet Missam. Secundus casus, vt communicet pro viatico infirmum. Tertius casus peregrinorum, vt audiant Missam in die Festo. Quartus pro nuptiis, vt detur benedictio. Quintus pro necessitate populi. Eosdem casus admittit Antoninus 3. *p. tit.* 13. *c.* 6.

Antonin.

Nauarr.

Nauarrus *in Summa c.* 25.

Syluester.

Angelus.

Sylueſter verbo *Missa.* Angelus *in Summa.* Additur etiam casus quo aliquis nobilis superueniret dicta Missa: & quidam asserunt idem dicendum quandocunque occurrat necessitas æquiualens.

*Sextus casus.*

Aliqui negant hanc libertatem celebrandi plures Missas, quia non videtur expressa sufficiens necessitas, nisi tantùm in primo casu, & in casu necessitatis populi, vt si quis præsit duabus Ecclesiis, neque aliter possit prouidere vtrique populo, nisi celebrando in vtraque Ecclesia: alij negant primum casum.

*Sententia negatiua.*

Sed à communi opinione non videtur recedendum, maximè cùm ipsa lex casum necessitatis excipiat: secluso ergo scandalo ex oppositio, necessitas, quam excipit lex, interpretari debet iuxta communem opinionem prudentum, cùm exceptio ipsa fauorem sonet, atque pietatem, qua Ecclesia consultum voluit omnibus: neque alioquin oblatio iterata, ex casu necessitatis concessio, est in se mala, aut aliunde prohibita.

159 *Communis opinio præfertur, & probatur.*

Accedit quòd hæc inhibitio sit ob reuerentiã sacrificij, non præiudicans necessitati, & vtilitati, quæ æquiparantur in iure 12. *quæst.* 2. Innocentius in cap. *Omnes, de constitut.* Abbas cap. *Vt super, de rebus Ecclesia non alienandis:* vnde Glossa in cap. *Consuluisti*, citato, hanc sententiam tenet, comprehendens sub necessitate honestatem, & vtilitatem; ideóque ipse Innocentius *lib.* 2. *de mysterio Missæ, c.* 25. sic interpretatur præceptum, quo cauetur ne Sacerdos celebret duobus minùs assistentibus, dicens: *Aliud est necessitatis articulus, aliud religionis contemptus*: quo casu non est alia necessitas, quàm vtilitatis, & fructus, quia posset simpliciter abstinere: hoc ergo modo debet etiam intelligi præsẽs. Eodem modo intelligunt Doctores præceptum non celebrandi, nisi in locis sacratis, cap. *Sicut non alij, de consecrat. dist.* 1. *Nisi pro summa*, inquit, *contingat necessitate*: quæ verba Doctores communiter intelligunt sicut *suprà* expositum, extendendo ad vtilitatem, etiam hanc necessitatem.

*Necessitas, & vtilitas iure æquiparãtur.*

Innocent.

Abbas.

Glossa.

i *Vltimum est, quod celebrantem*, &c. Hæc doctrina comprehendit non solùm Missas publicas, sed etiam priuatas, Missa publica variè dicitur, & per oppositum ad hoc dicitur priuata. Dicitur publica, ratione concursus populi, & solemnitatis, & assistentium ministrorum, & loci cumulatiuè, vt Ecclesiæ consecratæ ad hunc finem: hinc Gregorius *epistolarum lib.* 4. *epist.* 43. aliàs 87. prohibet Missas publicas fieri in quodam Monasterio, *Ne in seruorum Dei secessibus, popularibus occasio vlla præbeatur conuentibus. & lib.* 5. *epist.* 46. in quodam loco permittit Missam priuatam dici, & prohibet publicam. *lib.* 7. *epist.* 71. *lib.* 8. *epist.* 3. agit de oratoriis, in quibus Missa priuata dicebatur: & *homil.* 37. *in Euangelia*, affert exemplum Cassij Narniensis Episcopi celebrantis in Oratorio priuato: ita & Nazianzenus *apud Zozomenum lib.* 7. *historiar. c.* 3. dicitur celebrasse in cellula priuatim, & Lucianus martyr *apud Nicephorum lib.* 8. *c.* 31. sacrificasse in carcere vtens pectore pro altari, cùm esset ligatus catenis, *de consecrat. dist.* 1. *in capitulo, & hoc*, refertur ex Augustino. Prohibetur, ne Missæ peculiares, quæ diebus solemnibus fiebant, ita publicè agantur, vt propter eas populus à Missis publicis, & solemnibus abstraheretur. Aliæ etiam acceptiones sunt Missæ publicæ, & priuatæ, quæ sunt obuiæ ex Ordinario Romano de communi, & proprio pro causa publica, & priuata. Excludendus est error hæreticorum, quem damnat Trident. *sess.* 61. *cap.* 6. *can.* 8. damnant enim priuatas, in quibus nemo communicat præter ipsum celebrantem.

160 *Quid Missa publica, & qua dicitur priuata.*

Gregor.

Zozomen.

Nicephorus.

Trident.

Dubium est de numero assistentium ministrorum, *ex epist. decretali prima Anacleti*, requiruntur ad minùs duo, non tam vt ministri, sed etiam vt testes, quibus constaret Presbyterum celebrasse in loco sacrato, & habetur cap. *Episcopus, de consecrat. dist.* 1.

161 *Dubium. De numero assistentium.*

Anacletus.

*dist.* 1. vt ipse plures testes adhibeat. Hæc pluralitas videtur, vt dixi, ex his decretis exigi causâ testimonij; superiùs enim visum est, quàm strictè præceptum fuerit in antiquis Canonibus ne Missa fieret extra locum sacrum.

Cæterùm alij posteriores addunt plures aduocandos esse necessitate mysterij, quo locutio Sacerdotis ad plures, vt *Dominus vobiscum*, &c. *Sursum corda*, &c. subsisteret: ita Soter Papa in c. *Hoc quoque statutum est*, &c. quamuis autem tribuatur Anacleto: Burchardus, & Iuo citant Decreta Soteris, & *in Micrologo c.* 2. dicitur fuisse ab vtroque statutum. Burchardus *lib.* 3. *c.* 68. refert *cap.* 30. *Concilij Nannetensis*. Idem habetur Moguntino I. *c.* 43. vt patet ex notis subiectis huic textui in noua impressione: ex his ergo constat id fuisse in præcepto. Aliqui cum S. Thoma explicant præceptum intelligi de Missa publica, & solemni, non priuata: sed ratio vniuersaliter comprehendit vtramque, tam illam, quæ est Anacleti, quàm hanc posterioris decreti, & nihil obstat quin tum fuerit de iure.

Soter. Burchardus. Iuo. Microlog. Conc. Nannetense. Moguntinus. D. Thom.

162 *Reuocatum fuit.* Alensis. Alexander. Respondetur, hoc præceptum fuisse reuocatũ, vt dicit Alensis 4. *p. q.* 10. *m.* 5. *art.* 2. §. 7. quod supponit Alexander III. *Extrà de filiis Presbyteror.* cap. *Proposuit*, &c. ordinans vt Subdiaconus ex sacrilego concubitu natus præsentatus à patrono ad quãdam Ecclesiam gaudeat medietate fructuum, & ministret Sacerdoti prouiso de illa Ecclesia: *Non enim*, inquit, *solus Presbyter Missarum solemnia, vel alia diuina officia potest sine ministri suffragio celebrare*, &c. vbi supponit vnum sufficere. Vel dici potest cum Innocentio *suprà* citato mitigatum fuisse præceptum ex necessitate, id est, honestate, & vtilitate, quia multiplicato numero Sacerdotum id congruum fuit, & magis expediens, vt possint celebrare, quàm vt abstinerent à mysterio ex defectu plurium assistentium.

*Causa reuocationis.*

163 *Minister respondet nomine Ecclesiæ.* Trident. Ad rationem autem allatam respondetur ex iis, quæ Doctor hîc subiungit de necessitate ministri, nempe vt respondeat nomine Ecclesiæ: & ideò etiam salutari potest in persona Ecclesiæ, & multitudinis, quam sustinet, & in ipso responder: sicut Sacerdos sustinet personam Christi aliquando, vt quando consecrat, & personam ministri publici, & legati Ecclesiæ ad Christum, vt docet Trident. *sess.* 21. *cap.* 6. *can.* 8. quando offert pro Ecclesia orationes, & sacrificium, ita etiam ministet in persona Ecclesiæ respondet etiam in numero plurali, vt ad illud *Orate fratres*, &c. *Sursum corda*, &c. & respondet etiam in persona omnium, qui communicant spiritualiter per fidem, & charitatem.

*Quis possit ministrare.*

Hic minister vt proximè saltem ministrans ad altare nequit esse fœmina, *ex c.* 1. *de cohabitat. Clericorum & mulierum*, & ex multis decretis antiquis, quibus fœminæ prohibentur ad Altare accedere: potiùs iudicarem, vt ipse in ea necessitate constitutus sibi ipsi ministret: vt aliqui dicunt etiam posse solitarium per se Missam dicere secluso arbitro, *cum Glossa in c. Hoc quoque, de consec. dist.* 1. quod non facilè admittendum est, nisi grauissimâ necessitate prematur sine dispensatione.

k *Ad argumenta.* Ad primum & secundum patet ex litera. Ad tertium, sumitur oblatio Sacramenti, pro sacrificij: & agit de merito particulari per impetrationem ministri, & ex opere operantis, non autem ex operato, vel quasi operato, de quo dictum est *suprà de sacrificio*. Ad quartum patet ex litera.

164 l *Ad quintum dico*, quòd Laurentius dispensauit sanguinem Christi, &c. In hac responsione agit de dispensatione huius Sacramenti, ad quem spectat.

*Ad quem spectat ministrare Sacramentum aliis in communione laica.*

*Prima conclusio est.* Diacono in casu necessitatis committi posse dispensationem. Probatur, quia olim Diaconi ministrabant sanguinem, vt patet ex vita S. Laurentij martyris: ergo, &c. neque aliud dicendum est de corpore, vt constat *ex Apologia* 2. *Iustini martyris pro Christianis*, vbi idem refertur quantùm ad distributionem corporis: *Post eaquam*, inquit, *& is qui præst, gratias egit, & populus omnis benedixit, ij qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum, qui adsunt percipiendum panem, vinum, & aquam, qua cum gratiarum actione consecrata sunt, & ad eos qui absunt perferunt, atque cibus hic apud nos Eucharistia nominatur.*

*Prima concl.* Iustinus.

Carthaginense I V. *can.* 38. iubet vt Diaconus præsente Presbytero Eucharistiã corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget. Ecclesia autẽ non solet dispensare in iure diuino, neque potest, neque hîc dispẽsatio videtur fingenda alia, neque hoc in irreuerentiam Sacraméti redundat: vnde Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 1. docet in Ecclesia semper fuisse potestatem, vt in Sacramentorum dispensatione, saluâ eorum substantia statueret, ac mutaret ea, quæ eorum veneration, aut suscipientium vtilitati pro temporis varietate conducerẽt, &c. Hæc ergo intelligenda sunt in casu necessitatis, quia alioquin propter reuerentiam Sacramenti per seipsum Sacerdos ministrare debet Sacramentum: spectatâ etiam Ecclesiæ consuetudine, in casu necessitatis posset Sacerdos etiam per Diaconum ministrare Sacramentum, vt cõmuniter omnes Theologi: quin imò absente Sacerdote eodem casu vrgente, posset Diaconus, sine vlla expressa commissione ministrare Sacramentum, quia censetur in eo casu Sacerdos id velle; ita colligitur ex Gelasio I. *epist.* 1. *c.* 10. nequit tamen committi Diacono munus hoc absque rationabili causa.

Carth. IV. Trident. *Minister necessitatis Diaconus.* Gelasius.

165 *Quid de inferioribus Clericis? Sotus.* Sylvester. Henriq. *Responsio affirmatiua.* Suarez. *Exempla antiquorum.* Sed quid de inferioribus Clericis, an vrgente necessitate id eis liceat committere? Sotus *suprà.* Sylvester verbo *Eucharistia* 3. *n.* 3. Henriquez *lib.* 5. *de Sacramentis, c.* 34. id absolutè negant. Respondetur tamen in graui necessitate licere: ita Suarez, quia nec iure diuino id videtur reprobatum, & in actis Pontificum quidam Clericus deferens Sacramenta legitur martyrizatus: & videtur necessitas populi præualere. Vnde si antiquitus licebat laicis deferre secum Sacramentum domum, & sibiipsis ministrare, quare non etiam ministris altaris liceret id distribuere, aut ad ipsos deferre: neque vllus reprehendit Reginam Scotiæ Mariam Stuartam matrem defuncti Iacobi Magnæ Britanniæ Regis, quòd Sacramentum Eucharistiæ apud se in carcere reseruatum, ipsa sumpserit, sibique ministrauerit.

*Maria Stuarta.*

Peto ergo vnde vrgeret illud præceptum, quia scilicet non licet tangere? sed iure diuino id non prohibetur, cùm moris fuerit, & etiamnum viget apud Græcos, vt ipsi laici sumptam de manu ministri Eucharistiam ori iniiciant. Aliud autem nõ est quod præceptum probet, c. *Prouenit, de consecr. dist.* 2. reprehendit Sacerdotes qui per laicos viaticum mittebant infirmis, sed intelligendum est extra casum necessitatis.

166 *Vtrùm aliquis seipsum communicare possit* Tertia difficultas est, vtrùm iam alicui liceret seipsum communicare? Respondetur in primis ordinariè non esse vsum communicandi se in Ecclesia Latina, nisi quando Sacerdos in Missa seipsum communicat, & Feria V I. Parasceues. Cæterùm tamen, si nullus esset, qui infirmo Sacerdoti ministraret Sacramentum, licitè seipsum communica-

ret

set: imò etiam Sacerdos vbi consecrare non posset, & haberet hostiam consecratam præsentem, licitè communicat: quia non inuenio aliquid cõtra, quòd sit iuris, quia aliis ministrare licitè potest, quare etiam non sibiipsi? Vnde ius antiquum concedit Diacono, vt in absentia Sacerdotis possit sibiipsi ministrare communionem, vt patet ex Nicæno *can.*14. ergo à fortiori licet Sacerdoti sibiipsi communionem ministrare, qui est minister ordinarius eius tam diuino, quàm humano iure. Communiùs dicitur laico non licere sibiipsi ministrare Sacramentum. Sed exempla *supra* allata saltem in casu necessitatis videntur oppositum suadere, neque inuenio aliquod ius in contrariũ: modò non sit sibi conscius, & necessitas, vel propria, vel reuerentia maior Sacramenti accedat, vt si hæretici, aut infideles instent, qui Sacramento ad ludibrium eius, & fidei sint abusuri, neque est alius modus præseruandi Sacramentum.

Nicen.

167 *Secunda conclusio est*, hoc soli Sacerdoti conuenire tanquam ministro ordinario: præter gradum autem Sacerdotis, & characterem, exigitur potestas ministrandi respectiuè ad personas, hoc est, iurisdictionis: patet ex Carthaginens. *cap.*7. & communi Ecclesiæ vsu. Hoc ergo est officium Pastoris, cuius est pascere oues, & debet ab Ecclesia disputari ad hoc munus antequam licitè se ingerat. Si est ergo Religiosus communicans alienum subditum laicum sine licentia Sacerdotis proprij, hoc est, ordinarij, incurrit censuram excommunicationis, vt patet ex Clementina *Religiosi, de priuilegiis*: laico dico; non autem si daret communionem alteri religioso, quia is non est subditus Parochi: peccat si est Sacerdos sæcularis, & censuram non incurrit, si non est Sacerdos, sit irregularis, quia exercet actum Ordinis, sine Ordine. Cæterùm Religiosi plerumque iam habent indulta Sedis Apostolicæ, vt in suis propriis Ecclesiis cõmunicent alios, & dent licentiam communicandi, quod intelligitur de communione libera, & non de Paschali, quia hæc debet fieri in parochia, & idem in communione pro viatico: probabile tamen est absente Sacerdote, & in casu necessitatis, quemlibet Sacerdotem non habentem impedimentum censurarum posse communicare infirmum pro viatico, quia id præsumitur Sacerdos proprius, aut Ecclesia, velle: ita Suarez *disp.*72.

Clement.

*Communio Paschalis, & pro viatico spectat ad parochos.*

168 Si petas quibus hæc dispensatio fieri debeat? Dico primò. Peccatori publico publicè, & priuatim petenti communionem, tenentur ministri eam negare, ita communiter Doctores, Alensis 4. *p.q.*48. D.Thomas 3. *p.q.*80. *art.*6. Albertus *in* 4. *dist.*13. *art.*17. reliqui *d.*9. Summistæ verbo *Communio*, v, *Eucharistia*. Nauarr. *in Summa c.*11. Patet primò ex Patribus, Chrysost. *hom.*85. *in Matth.* vbi loquens ait: *Non parua vobis imminet pœna, si quem aliquâ improbitate teneri scientes, ei huius mensæ participationem permittatis, sanguis enim Christi de manibus vestris exquiretur.* subdit verò inferiùs: *non de ignotis, sed de notis hoc disputo.* Cyprianus *epist.*10. *seu* 17. Eandem doctrinam sæpè & seuerè inculcat Augustinus *lib.*50. *hom. in vltima, cap.*12. & habetur in cap. *Multi* 2. *quæst.*1. vbi loquitur de publicis peccatoribus.

*Qui arcentur à communione?* Alensis. D.Thom. Albertus. Summistæ. Nauarrus. Chrysost. Cyprian. Augustinus.

Probatur ratione. quia non debet Sanctum dari canibus: deinde peccatores publici non habent aliquod ius in eo statu petendi Eucharistiam à ministris, cùm sint in statu notoriè indigno, & sine requisita dispositione. Ex hac generali regula excluduntur multi peccatores in specie à communione in iure, vt meretrices, vsurarij, & similes, vt constat ex Clemente *lib.*1. *constit. c.*3. Concil. Arelatens. I. *cap.*4. & S. Cyprianus *epist.*61. de quibus fusim Alensis 4. *p.q.*48.

*Ratione probatur.* *Iure excluſi.* Clement. Conc. Arel. I. Cyprian. Alensis.

Quomodo intelligatur peccator publicus: Respondet notorietate facti, aut per sententiam iudicis conuictus, quia vel peccata ipsius nota sunt maiori parti ciuitatis, & populi, vel conuictus ex sententia iudicis, fit notum eius peccatum. Requiritur autem secundùm Glossam *de consecrat. dist.*2. peccatum debere esse tale, vt ex obiecto opus sit malum, vt à nullo exerceri queat sine peccato, vt vsura, meretricium, vel vt ipsi sit coniuncta aliqua circumstantia vitiosa, sine qua non exerceatur de facto: vide Gloss. cap. *Scenicis, de consecr. dist.*2.

*Peccator publicus.* Glossa.

169 Ex eadem regula peccatores olim quidem non admittebantur ad communionem non peractâ pœnitentiâ publicâ. Quænam ergo satisfactio nunc exigenda est? Respondetur, si sit aliqua iure præscripta, eam exigendam esse: de reliquo, si ad arbitrium puniendum est peccatum, sufficit emẽdatio, & pœnitẽtia: vnde tam nota debet esse pœnitẽtia, quàm notum ministerium communionis.

*Quæ satisfactio nunc sit exigenda.*

Vnde peccatori publico, si occultè petat communionem præmissâ confessione potest tribui, vt docet Suarez: cogendus est aliquando, vt satisfaciat populo ante communionem, & declaret se emendatum: si autem peccator publicus sit in articulo mortis, tunc sufficiat vt pro occasione, & opportunitate temporis det signa contritionis, vt possit ipsi ministrari Sacramentum.

Sed quid, si peccatum alicuius in certo loco sit publicum, in alio verò nõ sit publicũ, an ibi possit ei à Sacerdote, qui eum nouit, & statum eius dari Sacramentum? Respondetur, si constet Sacerdoti eum in peccato persistere, negari debet, si sine turba fiat, quia talis omne ius ad famam seruandam amisit, quod dico si sententia iudicis condemnatus sit: si autem notorietate facti dumtaxat in aliquo loco sit notum peccatum, in alio verò sit ignotum, sed statim fiet notum, tunc etiam deneganda est communio, quia in eo casu non habet ius petendi Sacramentum: & peccatum eius ex iusta causa ibi propalare aliquibus non est peccatum, etiam contra charitatem: neque fama eius in eo casu, & circumstantiis seruanda est, quam ipse mox est amissurus, cum præiudicio Sanctissimi Sacramenti, alioquin his desinentibus erit communicandus.

*Dubium.* *Responsio.*

Dico secundò. Peccatori occulto non est neganda communio coram iis, qui non sciunt eius peccatum; ideò petenti publicè communionem danda est. Rationes huius (quę est communis Doctorum) sunt, quia talis habet ius petendæ communionis, quia baptizatus, adultus, in possessione suæ famæ, quantùm ad publicam æstimationem, & alioquin sequeretur scandalum. Sed aliquibus non placent hæ rationes, quia ille non habet ius petendi communionem, quamdiu est in statu peccati, quia irrogat iniuriam Sacramento: nemo autem habet ius, vt celem peccatum eius in iniuriam proximi redundans: sed hæc ratio non concludit, quia iniuria, quæ fit Sacramento, est iniuria latè sumpta redundans in ipsum delinquentem, ex qua Sacramentum non patitur, nec quidquam aufertur cõtra iustitiam strictè sumptam: sed potiùs totum damnum redundat in eum, qui infert irreuerentiam: non sic in eo casu, quo peccatum alicuius, quod redundat in damnum alterius, tollit ius eius celandi propriè dictum, secundùm iustitiam, quia non habet tale cum damno alterius: fama autem peccatoris occulti cadit sub obligatione iustitiæ,

170 *De peccatore priuato.* *Reiicitur.* *Sententia negatiua.*

ne

ne tollatur nisi à iudice, & eius occultatio non infert damnum alteri contra eandem iustitiam strictè sumptam.

171 *Exemplum de Iuda communicato.* In proposito exemplum habemus in Iuda, quem ipse Dominus communicauit, vt communiter Doctores asserunt, quamuis eius peccatum aliis occultum, ipse nouerit. Deinde in administratione publica debet quis sequi scientiam publicam, non priuatam; talis est quam habet Sacerdos de innocentia illius peccatoris, cuius in eo loco non est diffamatum peccatum: ergo eam sequi debet. *Obiectio.* Dices inde sequi quòd peccatori etiam occulto debeat dari etiam occultè communio, quod falsum est. *Soluitur.* Respondetur negando sequelam, quia in eo casu dario communionis non est actus publicus, sed priuatus, ideò regulatur per scientiam priuatam, neque inde fit peccatori iniuria aliqua, quia non diffamatur, cùm in priuata scientia Sacerdotis sit priuatus ipso suo facto, quod ei notum est fama. *Exemplum de iudice.* Exemplo constat, quia si accesserit aliquis ad iudicem priuatim, petens vt ei solui curet aliquid à debitore, quem talis iudex, aut minister nouit non deberi, quia aliàs solutum est, quamuis pars id probare nequeat, rectè repelleret illam petitionem; tamen in foro publico, in quo probatur per instrumentum, & testes, talem esse debitorem, neque constat de solutione, tenetur solutionem admittere.

172 Ita in proposito, bonum publicum, qualis est Eucharistia, tenetur publicè petitum dispensare Sacerdos, quamuis non priuatim, indignè petenti. *Obiectio.* Dices, ergo dispensator bonorum publicorum tenetur ea dispensare petenti publicè, quamuis sciat *Responsio.* eum in perniciem eis vti, scientia priuata. Respõdetur quòd non valet consequentia, si in perniciem reipublicæ intelligitur eis vti velle, quia alter non habet ius petendi illa bona, neque distributor, qui ad bonum publicum promouendum tenetur, obligatur celare peccatum eius in damnum reipublicæ.

*Obiectio.* Dices, inde sequi spectato iure naturæ Episcopum teneri admittere ad Ordines publicè, quem priuatim nouit indignum, etiam post fraternam correptionem, etiamsi aliquot testibus indignitatem eius nosset. *Responsio.* Respõdetur negando consequentiam, quia Episcopus tenetur ex iustitia promouere bonum suæ Ecclesiæ, & scandala submouere: vnde alter, qui indignus est, in præiudicium populi, & Ecclesiæ, in quæ redundaret damnum, non habet ius petendi promotionem: deinde Episcopus est iudex potens instituere processum, & eo conuicto per testes proferre sententiam declaratiuam suæ inhabilitatis; eam authoritatem non habet Sacerdos. Causa ergo pacis ita expedit, quia aliàs ex imprudentia, aut passione ministrorum, sæpè aliqui essent diffamati, & per leues occasiones subtraheretur Sacramentum iniustè, nascerentur etiam plures scrupuli in ministris. Quæ congruentiæ adducuntur à quibusdam, qui conclusionem in factum, & institutionem Christi referunt, non in ius naturæ, quo tenemur proximo, ne peccatum eius iniustè propalemus.

173 *Casus de occulto peccatore.* Sed quæres de peccatore occulto priuatim petente communionem, & occultè. Hic casus resolutus est in præcedentibus: sed ob varias sententias Doctorum specificandum duxi. *Sententia negatiua.* D.Thom. D.Thomas *in* 4. *dist.* 9. ait simpliciter negandam esse communionem, quamuis Sacerdos peccatum in sola confessione cognoscat. *Sotus.* quam sententiam frequenter docent Thomistæ. Soto docet ei absolutè dandã, quamuis non subsit periculum aliquod reuelandi criminis. Alij docent negandam esse communionem, si Sacerdos crimen eius nouerit extra confessionem, quamuis in confessione etiam eandem nouit: aliàs autem si in sola confessione, non esse denegandam communionem: ita Gabriel *in* 4. *dist.* 9. *q.* 2. *art.* 3. *dub.* 1. Paludanus *ibidem.* Nauarrus *in Summa cap.* 21. *num.* 53. Gabriel. Palud. Nauarrus.

Hæc sententia tenenda est, quia nulla ratione licet sine licentia ipsius pœnitentis trahere scientiam confessionis extra illud forum externum, ad quod non spectat actus communionis, qui debet fieri à proprio Sacerdote, hoc est, pastore, aut alio de eius licentia. Sed quid si aliquis est grauiter suspectus de aliquo peccato, an debeat ei negari communio. Respondet D.Thomas affirmatiuè, quod intelligendum est de violenta suspicione, quæ habet annexam certitudinem moralem, & motiua tam vrgentia pro certa quasi scientia habeatur, & tunc fortè mitiganda est hæc sententia, quia pœna certa pro culpa, de qua non conuincitur reus, tanquam de certa, non debet puniri: vnde quamuis subsit suspicio vehemens esse reum, nisi probetur factum, est admittendus: hæc itaque sententia videtur in eo casu teneri, quando scandalum esset, si daretur communio, quia suspicio tam vehemens est, vt in populo causauerit opinionem, & sic differenda est communio, donec talis se purgauerit, quia alioquin habetur ex tali suspicione reus secundùm existimationem vulgarem: vnde si soli Sacerdoti inest talis suspicio, non videtur ex ea posse inferre tam certum præiudicium petenti communionem. *Præfertur affirmatiua.* *Dubium de suspecto.* D.Thom. *Resolutio.*

Inquiri etiam solet, an liceat communionem dare ad probationem suspectis. Respondetur hoc contingere posse dupliciter, vt nempe ex aliquo effectu communionis insolito, qui expectaretur in reo, habetur probatio; & sic aliqui solebant dare communionem, quod malum est, & superstitiosum, quia non debent peti miracula, aut extraordinarius effectus ex communione, ad ea quæ ex modo ordinario inquiri debent: quia esset tentare Deum, vt supernaturaliter operaretur sine vlla necessitate, & per media insolita: sic aliqui olim suspecti se offerebant ad probationem ignis, à quo si illæsi transibant, habebantur innoxij, & si combustionem patiebantur, habebantur pro reis. Alio modo adhiberi solet communio quasi in protestationem innocentiæ, sicut adhibetur iuramentum, & sic licet, in casu tamen grauissimo, & rarissimo: sic Gregorius septimus suam innocentiam probauit Henrico IV. Imperatori: & in Concilio VVormatiensi *can.* 10. quod habetur 1. *q.* 5. can. *Si Episcopus: Statuitur si crimen Episcopo, aut Presbytero obiiciatur, Missam celebret, & sic se purgẽt. & can.* 15. qui habetur 2. *q.* 5. *can.* sæpè dicitur, *si in monasterio furtum committatur, cuius author nescitur, Missa celebretur ab Abbate, aut alio, & in eo singuli fratres communicent, dicentes, Corpus Domini sit mihi ad probationem hodie.* Quamuis autem hodie hos canones dicat D.Thomas abrogatos, non inuenitur in iure, licèt consuetudine non sint in vsu: quia aliæ probationes sufficiunt, nempe iuramentum, & alia, quæ iure statuuntur: tamen non est improbandum, quod Concilium statuit tanquam malum ex obiecto, licèt non fit in vsu iste modus. 174 *Communio ad probationẽ data.* *Modus illicitus.* *Modus probatus.* *Exemplum Gregorij septimi.* Concil. VVormat.

Ad complementum huius materiæ, quæri solet, an Christus communicarit Iudam, vt *supra* asseruimus? Partem negatiuam docet Hilarius *in Matth. can.* 30. quia etiam putauit eum non adfuisse Cœnæ legali. Nihil Hilarius dicit, tantùm proditorem fuisse statim manifestum postquam discipuli 175 *An fuerit cõmunicatus Iudas?* Hilarius.

discipuli missi sunt ad parandum pascha: sed verba,& facta intermedia subintelligenda sunt, quæ cursim transit Hilarius,cùm constet ex Euangelistis Iudam accepisse à Domino buccellam,& ex illis, *Ecce manus tradentis me*,&c. vbi loquitur inter cœnandum:idem docet Clemens Romanus *lib.5. Constitut Apostolicarum, cap.13.* probabilem putat Rupertus;citatur etiam Theophylactus: eam defendit ex modernis Turrianus explanatione defensoria in prædictum locum Clementis.

Clem.Rom.

Rupertus. Theophil. Turrianus.

176 *Affirmatiua communis.*

Altera sententia est communis Patrum, & Theologorum, ac proinde tenenda. Author sermonis de Cœna Domini apud Cyprianum. Origenes tractatu 35.in Matthæum super illud, *Qui intingit mecum manum in paropside*,&c.Cyrillus Ierosolymitanus *Catechesi 13.* Chrysost. *hom.82.in Matthæum.*Hieronymus *in illud Marci 14.& biberunt ex eo omnes*, &c. Augustinus *in Psalmum 54. Qui simul mecum dulces capiebat cibos,epist.163.lib.1. De adulterinis coniugiis, cap.27.* & aliàs sæpè. Leo Magnus *serm.3.de passione.* & *serm.7.* Theodoretus *in 1.ad Corinth.11. Hoc facite in meam commemorationem.* Iustinianus Imperator *in confessione fidei*, quæ habetur *in tomo Concil.*post Concilium Toletanum II. Beda in Ioannis 13.*Domine quis est*,&c.

Author ser. *de Cœn.Dom.* Origenes. Cyrillus Ierosolym. Chrysost. Hieron. Augustinus. Leo Papa. Theodoret.

Iustinianus Imperat.

Beda.

Probatur ex Lucæ 22. postquam dicitur: *Hic est calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* continuò subiungit: *Verumtamen ecce manus tradentis me mecum est in mensa:* particula hæc aduersatiua *verumtamen* est connexio sermonis, & continuatio sententiæ ad priorem: vnde colligitur non per anticipationem hæc dicta esse, quasi priùs consecratio poneretur, quamuis in re posteriùs contigerit.Marci etiam 14. dicitur *omnes*,ex eo supple calice bibisse:ergo & Iudas.

177 *An buccella fuerit Sacramentum.*

Sed quid de illa buccella, quam Christus Iudæ tradidit in Cœna, an fuerit Sacramentum?Augustinus *lib.5.de Baptismo*,videtur id asserere *cap.8.& tract.26.in Ioannem* super illud: *Patres vestri manducauerunt manna*,&c.Sed contrarium expressè docet tractatu 62.in Ioannem: *Non autem,vt quidam putant negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit: intelligendum est enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum corporis & sanguinis sui vbi & ipse Iudas erat, sicut S.Lucas euidentissimè narrat: & deinde ad hoc ventum est, vbi secundùm narrationem Ioannis apertissimè Dominus per buccellam tinctam, atque porrectam suum exprimit traditorem.*Idem docet Iulius I. *in epistola ad Episcopos per Ægyptum*, & refertur can. *Cùm omne, de consecrat. dist.2.*& Concilium Bracharense III. Petrus Damianus *epistola 64.* & alij:quidquid sit de hac buccella,an ante communionem,an post,vt vult Augustinus,fuerit data,quem sequor.

Augustin.

Iulius Papa.

Concil. Brachar.

178 *Christus communicauit.*

Sed quid, an ipse Christus sumpserit Sacramentum. Respondetur affirmatiuè ad instructionem, & exemplum eorum: ita Hieronymus *epist.150.ad Hedibiam.* Chrysostomus *hom.83.in Matthæum.* Hesychius *in cap.8. Luc.* Ratio est, quia consecrando sacrificauit; sacrificans autem debet particeps esse sacrificij, *ex cap.6.& 7. Leuitici.* Et hæc de hoc mysterio cum Doctore. Ad gloriam Dei,& Virginis,Sancti Patris Francisci, Antonij, Isidori, & omnium Sanctorum.

Hieron. Chrysost. Hesych.

*EXPLICIT PRIMA PARS COMMENTI.*

INDEX

# INDEX

## Rerum notabilium, quæ in hoc octauo Tomo Doctoris ſubtilis continentur.

*Prior numerus ad paginam, poſterior ad marginales notas Arithmeticas remittit.*


A B

ABlativvs *quando conſtruitur cum concreto ſignificante reſpectum, propoſitio eſt diſtinguenda.* 800. 21

Ablutio *eadem actiuè, & paſſiuè ſumitur.* 184.3

*Ablutio, quæ eſt materia Sacramenti, in quo conſiſtat, & à quo procedat?* 234.14

*Ablutio quænam ſit materia Baptiſmi?* 184.3

*Ablutio ſeipſam deſignat viſibiliter, & miniſtrum.* 167. 21

*Ablutionis baptiſmalis varij modi.* 303.4

Abraham *an habuerit effectum in circumciſione.* 266.39

Abſolutio *reſpicit omnia peccata per ſe confeſſa.* 686.39

*Abſolutio valida in caſu.* 314.21. *quod in miniſterio Baptiſmi applicari nequit.* *ibid.*

Abſolutum *an poſſit conuerti in reſpectum.* 599.9

*Abſolutum, & reſpectiuum nihil eſt in recto.* 712.35

*Abſolutum nullum variatur propter reſpectum poſterius, & extrinſecus aduenientem.* 541.26

*Abſolutum prius relatione.* 712.35

*Abſolutum quà abſolutum an vniatur.* 714.44

*Abſolutum non eſſe ad aliud.* 791.5

*Abſolutorum omnis vnio eſt reſpectus extrinſecus.* 723.21

Abſtinendum *quandoque à licitis propter ſocios.* 203.12

A C

Acceſſus *ad Deum perficit.* 260.14

Accidens *abſolutum poſſe eſſe ſine ſubiecto.* 717.9. 718. 52. *contra quod ſunt quatuor dubia. ibid.* 11. & 12. 719.53

*Accidens dupliciter accipitur.* 712.32

*Accidens habeatne materiam.* 717.10

*Accidens nihil facit ad conuerſionem Phyſicè.* 602.20

Accidens non accidit accidenti, niſi quia ambo alteri, *explicatur tripliciter.* 734.16

*Accidens non attingit productionem ſubſtantiæ.* 36.69

*Accidens non eſt à ſubiecto per ſe.* 705.7

*Accidens non poteſt ſe vnire effectiuè ſubiecto.* 725.24

*Accidens omne in Euchariſtia caret ſubiecto propinquo, vel remoto.* 734.16

*Accidens producit cognitionem Dei, nullam tamen ſubſtantiam.* 808.39

*Accidens quare non poſſit agere immediatè in materiam primam.* 36.69

*Accidens quomodo poſſit eſſe principium producendi ſubſtantiam.* 32.19

*Accidens ſeparatum an agat ad corruptionem ſubſtantiæ.* 747.10

*Accidens ſeparatum eadem actione diuina conſeruari, quâ fuit productum.* 726.62

*Accidens ſeparatum non eſt cauſa diſpoſitiua generationis.* 742.7

*Accidens ſeparatum non poteſt corrumpere ſubſtantiam.* 748.20

*Accidens ſeparatum ſi acciperet eſſe per ſe, non eſſet per generationem, alterationem, vel creationem.* 703.3

*Accidens ſeparatum agere intentionaliter, & realiter, probatur.* 745.17

*Accidens ſupponit vnitatem ſui ſubiecti.* 91.33

*Accidens terminus actionis.* 623.57. *non indiuiduatur per ſubiectum.* *ibid.*

*Accidens variabile an poſſit ineſſe ſine mediante inuariabili.* 723.22

*Accidentis abſoluti dependentia, tam eſſentialis, quàm contingens.* 709.24

*Accidentis ordo ad ſubſtantiam.* 726.61

*Accidentis per ſe ſignificatum quodnam ſit, & quod denominatum.* 711.5. & 6

*Accidentis ſeparati dependentia terminatur ad ſpecialem Dei voluntatem.* 727.67

*Accidentis ſeparati, & coniuncti eadem eſt dependentia à cauſa prima.* 727.66

*Accidentis ſeparationem quare negauerit Philoſophus.* 710.31

*Accidenti ſeparato non conuenit producere ſubſtantiam.* 740.5

*Accidens conſeruari poſſe ſeparatum ſupernaturaliter.* 705.5

*Accidens eſſe ſubiectum accidentis tripliciter probatur.* 733.13

*Accidens non agere ad ſubſtantiam multipliciter probatur.* 739.2

*Accidens non generare ſubſtantiam in virtute ſubſtantiæ.* 741.5

*Accidens poſſe eſſe ſine ſubiecto quare negarent Philoſophi.* 717.10. *ſi non haberet formaliter* eſſe, *non haberet actiones reales.* 720.16

*Accidens ſeparare, & ſeparatum conſeruare Deus ſolus poteſt.* 88.25

*Accidens virtute ſubſtantiæ producere ſubſtantiam, licèt non virtute propriâ, ponentes reſelluntur.* 36.69

# Index rerum.


*in Accidente eſſe per ſe eſt accidens, vel ſubſtantia.* 703.3
*Accidentiæ diuiſio in abſolutam & reſpectiuam eſt vniuoca, in actualem, & aptitudinalem aquiuoca.* 712.33. *& aptitudinalis eſt proprietas.* *ibid.*
*Accidentia aliqua inſenſibilia manent in quantitate, quædam etiam deſinunt poſt conſecrationem.* 703.1
*Accidentia an ſignificent naturaliter adeſſe ſubſtantiam.* 606. 6
*Accidentia completa non ſubiectari immediatè in materia, licèt imperfecta inſuit.* 32.19
*Accidentia in Euchariſtia inſtrumentaliter non generare.* 742. 7
*Accidentia inſunt ſuppoſito qua inhærent.* 592. 18. *& priùs dependent à ſubiecto, quàm à ſuppoſito.* *ibid.* 19. *non ſignant ſuppoſitum formaliter, ſed requirunt illud extenſum, ſi vllum.* *ibid.*
*Accidentia non attingunt effectum principalem ſubſtantialem.* 32. 18.
*Accidentia omnia, ſecundùm quoſdam, ſubiectantur in materia prima.* 37.69
*Accidentia præuia afficere ſubſtantiam.* 783. 17
*Accidentia quomodo connotaretur in forma,* hoc eſt, &c. *& quo ſenſu connotata non ponerent aliquid repugnans veritati propoſitionis.* 612.20
*Accidentia quomodo diſponant ad ſubſtantiam.* 32. 19
*Accidentia ſeparata habent eundem eſſendi modum abſolutum, ſed carent reſpectu vnionis ad panem.* 725.24
*Accidentia ſeparata non habere eſſe per ſe poſitiuè per aliquid poſitiuum.* 705.6
*Accidentia ſeparata ſubſtantiæ noua vniri.* 784.19
*Accidentium communium munus.* 603.24
*in Accidentibus Euchariſticis an detur motus, & ſine ſubiecto ab agente creato.* 761.5
*in Accidentibus qualis ſit proceſſus.* 649.121
Actio *an ſit relatio, vel an comprehendatur ſub ea.* 790. 3. *&* 4.
*Actio Baptiſmalis debet fieri per modum caremoniæ.* 325. 12
*Actio cauſæ naturalis ſaluatur in ordine ad quantitatem ſeparatam.* 783.14
*Actio connotat terminum concomitantem.* 795.18
*Actio corruptiua Euchariſtiæ, manente eâdem quantitate non petit redire neceſſariò ſubſtantiam.* 782. 11. 783. 15
*Actio creaturæ eſt motus, & mutatio* 27.47
*Actio datur in diſtans, & quo ſenſu.* 562.2
*Actio de genere Actionis petatnè terminum mutari.* 598. 5
*Actio Dei tranſiens eſt potentialis.* 27.47
*Actio diſpoſitiua tollitur ex propria forma.* 20.29
*Actio duplex ſequitur conuerſionem.* 599. 6. *& alterutra aut productiua, aut adductiua.* *ibid.* 7
*Actio efficientis ſupponit terminum in potentia.* 624. *col.* 2
*Actio eſt ſuppoſiti vt vltimatè denominati.* 755.34
Actio eſt tantùm ſuppoſiti, *non eſt Philoſophi,* 1. *Metaphyſicæ.* 755. 34
*Actio & effectus quomodo reducantur ad ſuam cauſam.* 792. 5
*Actio, & paſſio licèt conueniant corpori in determinato loco, terminus tamen earum ſi ſit forma abſoluta, ſequetur ad corpus, vbicunque erit.* 522.25
*Actio, & paſſio licèt non dependeant determinatè ab hoc loco, tamen concomitanter ſe habent hîc, & nunc ad ipſum.* 522.25
*Actio, & paſſio potentiæ corporeæ negatur à Chriſto in Euchariſtia.* 562.2. *quod multis modis probatur.* *ibid.*
*Actio, & paſſio quomodo idem.* 797.15
*Actio, & paſſio ſunt ſimul.* 792.8
*Actio ex Philoſopho quid ſit.* 693.11
*Actio hominis tranſiens cur dependeat à cognitione.* 35. 65
*Actio intentionalis conuenit ſpeciebus.* 746.9
*Actio multipliciter dicitur.* 796.12
*Actio non datur ſine termino.* 627.68
*Actio non eſt formaliter productio.* 798.22
*an Actio noua ad præſentiam datur, non ad ſubſtantiam.* 595. 31
*Actio noua infert nouum terminum.* 800. 25
*Actio omnis an requirat mutationem.* 603.26
*Actio omnis ſupponit virtutem.* 97. 53
*Actio pro re acta in paſſo ſecundùm Philoſophum.* 797. 14
*Actio quæcunque immanens, quæ eſt in Chriſto naturaliter exiſtente vtrùm ſibi inſit in Euchariſtia.* 546.1
*Actio quomodo conueniat principio* quod. 746. 7
*Actio quomodo denominet agens.* 794. 14
*Actio quomodo motus.* 797.15
*Actio quomodo ſit in agente, & potentia actiua.* 793. 10
*Actio quomodo toti conueniat.* 756.19
*Actio, ſi eſſet abſolutum, actione fieret, &c.* 790. 5. *non eſſe abſolutum arguitur.* *ibid.* 6
*Actio, ſi eſſet forma abſoluta, non minùs eſſet, quando agens impeditur ab agendo, quàm quando agit.* 791.8
*Actio ſubſtantialis an eadem ad animam in corpore, & extra.* 595.31
*Actio viuendi tendit in* eſſe, *& non ad negationem* eſſe, 715.48
*Actio vt tranſmutatio eſt à Deo per modum productionis.* 800.24
*Actionis corruptiuæ terminus quis.* 715.49
*Actionis quintuplex acceptio,* 798.21
*Actionis terminum attingens attingit ipſum paſſum.* 742. 9
*Actionem deſignari, vt à miniſtro, non exprimi per formam.* 168.24
*Actionem eſſe in agente rationibus oſtenditur.* 794. 12 *& ſeq.*
*ad Actionem eſſentialiter requiſita.* 737.13
*Actionem eſſe relationem concluditur.* 791.5
*Actionem exprimere vt à miniſtro quid ſit.* 166.19
*ad Actionem non eſſe actionem.* 791.5
*Actionem propriam alicuius participat aliquid non virtute propriâ, ſed inſtrumentaliter.* 18.23
*ad Actionem ſufficit paſſum quodcunque capax.* 737. 12. *non exigitur connaturale.* *ibid.*
*Actiones quomodo ſe habeant ad relationes ſecundi modi.* 802. 26
*Actiones duas totales non dari reſpectu eiuſdem effectus.* 593. 21.
Actiuum *omne habet formam permanentem, vel in* fieri, *quâ agit.* 48.102
Actus *accidentalis directiuus non præexigitur.* 34.61
*Actus accidentalis non poteſt eſſe principium formale producendi ſubſtantiam, nec ſupponi vt actus productiuus.* 31. 56
*Actus debet procedere à miniſtro Sacramenti ſecundum poteſtatem datam.* 326.15
*Actus duplex, entitatiuus, & formalis.* 609.11
*Actus, & ſuſcipiens exprimi debent in Baptiſmo.* 165.7
*Actus externus cur dicatur ſimpliciter cultus.* 817.28
*Actus indifferens datur in materia virtutis.* 366. 30
*Actus internus quomodo concipiatur.* 817.28
*Actus nullus accidentalis requiritur neceſſariò in creante ſubſtantiam, & quo ſenſu.* 31.18. *&* 56
*Actus potentiæ motiuæ ſequitur ex intentione actuali, & quomodo.* 330.2
*Actus quando ſunt incompoſſibiles, conſilium de vno euacuat neceſſitatem alterius.* 196.29

*Actus remissior, aut aequalis gratiæ ipsum non auget.* 261. 18
*Actus Sacramentalis, vt à ministro est, an debeat exprimi.* 166. 19
*Actus Sacramentalis, vt est à ministro, debet exprimi.* 166. 17
*Actus secundus substantiæ creatæ semper est accidens, si sit completa.* 39. 76
*Actus secundus supponit primum.* 625. 64
*Actus virtutis dicitur Charitas.* 120. 31
*Actum differre, & illum tollere, diuersa sunt.* 471. 12
*inter Actum productiuum, & principium formale in agente per cognitionem datur medium.* 31. 57
*in Actu quod est, non est in potentia.* 624. col. 2

A D

Adamus *si non peccasset, nec Christus venturus esset, nisi supposito lapsu, an homines tunc habituri fuissent effectum aliquem, qui modò dependet à Christo?* 73. 11
Additum *aliter ponitur in definitione formæ accidentalis, & substantialis.* 721. 19
Adiutoria *quinque congruit dari singulis in lege noua.* 135. 3 *in text.*
Adorationis *motiuum.* 815. 18
Adultus *non fictè baptizatus accipit maiorem gratiam quàm paruulus,* 271. 5
*Adultus qui nunquam vsus est ratione, infans censetur.* 236. 2
*Adulti diuersi status, & an requiratur consensus eius ad valorem Baptismi?* 237. 1. *in actu secundo sic. ibid.* 2
*Adultis non est necessaria ad salutem sumptio realis Eucharistiæ.* 455. 37. *probatur ex effectu eius, & sine. ibid.*

Æ

Æqualitas *duarum quantitatum ad alias duas videtur vna relatio.* 68. 29
*Æqualitas inter rem præmij, & meriti non requiritur ad meritum de condigno.* 143. 22 *nec est ex gratia sanctificante. ibid.*
Æquiuocatio *in rebus quomodo sumatur?* 643. 1. 12
Æterni *in forma consecrationis sanguinis non legitur apud Euangelistas.* 135. 3 *in comm.*

A F

*ex* Affirmatione *non componitur, quod sub negatione est.* 601. 17

A G

Agendi *modus instrumentorum.* 98. 54
Agens *æquiuocum si non esset perfectius effectu, quid posset sequi.* 744. 13
*Agens creatum an possit conferre præsentiam in pluribus locis.* 558, 11
*Agens creatum dependet à subiecto in genere.* 737. 12
*Agens creatum nullum agit in corpus, nisi in localiter approximatum.* 556. 12
*Agens creatum quomodo generet.* 640. 35
*Agens creatum non posse agere sine passo.* 768. 23
*Agens dependens dicitur agere in virtute alterius.* 55. 34
*Agens est perfectius passo.* 89. 28
*Agens, & patiens communicant in materia explicatur dupliciter.* 757. 38
*Agens in se non necessariò agit in aliud.* 746. 8
*Agens naturale agit disparata, & non contradictoria, & liberum contradictoria.* 747. 19
*Agens naturale an agat ad vnionem accidentium.* 785. 24
*Agens naturale simul duratione ageret in substantiam à Deo positam loco Eucharistiæ.* 783. 15
*Agens non prius agens, quàm passum recipiens.* 792. 8
*Agens respicit productum totale inductum, vel eductum.* 793. 10
*Agenti non conuenit vlla actio perfectior vniuoca.* 740. 4
*Agentia diuersa nequeunt eandem formam producere.* 642. 106
*Agentia duo contraria, applicata corpori in diuersis,* vbi, *sic agunt, ac si essent in vno* vbi. 519. 15
Agere *independenter à materia est perfectionis, nec conuenit potentiæ inferiori voluntate.* 47. 99
*Agere principaliter stat dupliciter.* 47. 26
Agnus *paschalis à quibus immolabatur?* 820. 41
*Agnus paschalis illâ horâ quâ comedi debebat, Discipuli verum agnum comederunt.* 682. 5
Agrippinus *quid senserit de hæreticis baptizandis?* 284. 1

A L

Albedo *separata ab omni subiecto quomodo esset sensibilis?* 730. 7
*Albedo, si habet passionem, immediatiùs ei inest, quàm inhærentia.* 723. 22
Album *dupliciter sumitur.* 726. 27
Album est *an includat esse album?* 726. 27
Aliquid *& res conuertuntur.* 623. 60
Aliquitatem *habens, est formaliter aliquid.* 658. 4
Altare *quid significet?* 822. 55. *fuit mentio ipsius semper in lege noua. ibid.* 56
*Altare quale debet esse?* 842. 14
*Altaris necessitas ex Scriptura & Patribus ostenditur.* 843. 144. *& seq. quale debeat esse? ibid.* 145. *&* 844. 146. *eius ornamentum. ibid. de calice, & patena. ibid.*
*Altare, & calicem debere esse consecrata.* 842. 15
Alteratio *cur præsupponatur corruptioni?* 749. 11
*Alteratio quando sit necessaria?* 19. 28
*Alteratio vt dispositio repugnat substantiæ panis* 777. 4
*Alterationis subiectum quod?* 776. 3
*in Alteratione an detur gradus, ad quem sequitur corruptio formæ substantialis.* 750. 23

A M

*in* Amentiam *incidentes post vsum rationis, si antè petierunt Sacramentum, conferri debet.* 446. 7
Amidum *an sit consecrabile?* 676. 2. *non est materia. ibid.* 6. *quia differt à tritico, & non est panis vsualis. ibid.*
Amor *perfectus inducit pœnitentiam.* 244. 9
Amphilochius *confirmatus ab Angelis.* 302. 2

A N

*circa* Anabaptismum *errores.* 331. 1. *in comm*
Angelus *bonus, aut malus possitne esse minister Sacramenti?* 302. 2
*Angelus cognoscit potentiam ad supernaturalia.* 568. 8
*Angelus extra corpus possitne baptizare?* 303. 6
*Angelus malus an valide baptizet?* 301. 2
*Angelus malus si baptizaret de præcepto Dei, teneret Baptismus, si tamen imperium tale certâ reuelatione constaret.* 304. 7
*Angelus non est receptiuus formæ corporeæ propter duo.* 730. 8
*Angelus non includit totum ens.* 45. 94.
*Angelus quomodo esset sub speciebus, si panis in ipsum conuerteretur?* 515. 8
*Angelus quomodo sit in loco? ibid.*

*Angelus superior in quibus excedat, in quibus non.* 40.77
*Angelus superior intelligit per actum distinctum à sua substantia inferiorem.* 39.77. *& è converso.* 40.77
*Angeli essentia est vnicum obiectum sui intellectus, per Philosophum.* 44.92
*Angeli idem est modus intelligendi.* 39.76
*Angeli intellectio non est per creationem, quâ ipse producitur.* 39.75. *est accidens.* *ibid.*
*Angeli intellectio, quâ seipsum cognoscit, est substantialis.* 39.23
*Angeli intellectionem esse accidens, non substantiam.* 38.22
*Angeli intellectionẽ esse omnis intelligibilis creati.* 38.73
*Angelo non repugnat intelligere infinita.* 40.78
*Angelum habere potestatem de facto ministrandi sacramenta non dixit Scotus.* 301.2
*Angelum intelligere simul infinita sub ratione propria, aut simul omnia intelligibilia negant Theologi.* 41.80
*in Angelo sitnè potentia executiua diuersa à voluntate.* 46.98
*Angeli in quo statu creati.* 119.28
*Angelorum, & hominis par erat status in statu innocentiæ.* 74.14
Anima *Christi quomodo videat in Eucharistia.* 550.5
*Anima concomitanter tantum est sub speciebus.* 634.85. *esset etiam ex vi verborum si intrinsecè constitueret corpus.* *ibid.*
*Anima definitur.* 642.110. *eius subiectum quod.* *ibid. & 645.* 116
*Anima nostra habet potentiam motiuam, non organicam, quâ vtetur in Beatitudine.* 561.5
*Anima per se non inest ex vi verborum, minùs ergo accidens inest.* 657.134
*Anima rationalis infunditur, suppositâ dispositione ex pacto Dei.* 53.110
*Anima rationalis non est in punctis corporis per se.* 575.14
*Anima separata, vel Beati an possint conficere sacramentum.* 305.11
*Animam rationalem non esse creabilem à creatura.* 52.30
*Animæ diuersa exigunt corpora diuersa.* 642.110
*Animæ viuentium à quo producantur.* 745.16
Animal *à quocunque occidatur, vel corrumpatur, idem cadauer manet.* 641.38
*Animal hîc sine nutrimento nutritur alimento alibi ab eo sumpto.* 524.23
*Animal replicatum quid si vtrobique reciperet alimentum.* 524.23
Animatum *quodlibet producitur à duobus, vel quasi à duobus.* 648.45
Annihilationis *duplex acceptio.* 671.43
*Annihilationis terminus* ad quem *est* nihil. 661.7
*ad Anihilationem an requiratur negatio extra genus.* 661.8. *quid ad eam requiratur.* 672.47
Antitypus *quid sit.* 497.31

A P

Apostoli *an vsi fuerint materia, & forma in confirmando.* 396.74
*Apostoli per solam confirmationem dare poterant Spiritum sanctum visibiliter.* 376.7
*Apostoli quà Episcopi confirmabant, non quà Sacerdotes.* 388.55. *alios Episcopos ordinarunt.* 388.55
*Apostoli quomodo receperint Spiritum sanctum.* 377.9
*Apostolos fuisse baptizatos probabile est.* 257.4. *comm. in die Pentecostes.* 258.8. *illo die etiam confirmati.* 258.8
Apparitionum *in Eucharistia quis finis.* 580.36. *earum alia sunt reales, alia imaginariæ, alia denique apparentes ibid. an apparentes sint vera signa.* *ibid.* 37. *de apparitione reali.* *ibid.* 38
Applicatio *diuersa quid inferat.* 40.77
*Applicatio in Physicis non est causa.* 104.80
Aptitudo *eadem realiter cum eo cuius est.* 725.24
*Aptitudo rei ad significandum quid.* 59.5

A Q

Aqua *alimentum est.* 697.39
*Aqua artificialis æquinoctè aqua.* 186.3
*Aqua artificialis non potest esse materia Baptismi.* 187.3
*Aqua designata per contactum Christi, vt fieret materia Baptismi, & non institutione Sacramenti.* 193.22
*Aqua farinata, aut decoctio an sufficiant ad Baptismum.* 187.5
*Aqua miscenda est vino consecrando.* 689.5. *& quare misceatur.* *ibid.* 6. *non est præcepti diuini.* *ibid.*
*Aqua mixta vino quid significet.* 689.2. *miscetur ob cæremoniam.* 691.16
*Aqua naturalis non potest fieri ab eodem ex quantumvis diuersis.* 188.6
*Aqua nunquam & in nullo casu conuertitur immediatè in sanguinem.* 690.12. *solum miscetur vino ex præcepto Ecclesiastico.* 691.15. *si ex institutione esset materia, non esset libera.* *ibid.*
*Aqua possitne immediatè conuerti in sanguinem.* 690.8. *variæ sunt sententiæ.* *ibid. & seq.*
*Aqua quænam requiratur.* 186.12
*Aqua quâ necessitate apponenda vino consecrando.* 688.2. *in text.*
*Aqua vera fluxit de latere Christi.* 188.7
*Aquæ puritas qualis requiratur ad Baptismum.* 187.4
*Aquæ sanctificatæ fuerunt materia Sacramenti designata.* 193.23
*Aquæ sanctificatio per benedictionem Sacerdotis.* 193.23
*Aquam conuerti in sanguinem mediatè.* 695.29
*Aquam conuerti posse in mixtum.* 697.38
*Aquam sanctificatam fuisse per contactum Christi.* 192.21

A R

Ars *applicat actiua passiuis.* 26.46
*Ars apprehensiua, non directiua agendorum.* 26.46
*Ars cur supponat naturam.* 25.44
*Ars dirigit potentiam motiuam.* 26.45
*Ars in quam formam potest, & in quam non.* 25.14
*Ars quomodo actiua.* 26.45
*Ars vniuersalis quomodo non practica.* 26.46
*Artis subordinatio ad naturam, & naturæ ad Deum.* 25.44
Artefactum *pro forma artis supponit.* 65.13
Artifex *cur requirat subiectum sui termini.* 26.14
*Artifices quare de nihilo nihil faciant.* 7.1. *in text.*
Artificiale *non mouet intellectum, sed terminat eius obiectum.* 34.21
Articuli *fidei in duplici differentia.* 614.32

A S

Asiatici *quare reprehensi in celebratione Paschæ.* 680.19

A T

Attritio *inefficax sine Sacramento, cui subordinatur.* 479.47
*Attritio non subordinatur Eucharistiæ.* 479.47

A V

Augmentationis, *& diminutionis termini* à quo *qui sint.* 520.20
*Augmentationis subiectum quod.* 651.51

# Index rerum.


*Auguſtinus non videtur docuiſſe expreſsè characterem.* 342. 8

Auicennæ *opinio de creatione.* 27. 48. *explicatur. ibid.*

Aureola *quid ſit.* 118. 6

Authorem *eſſe vitæ & mortis denotat primum principium.* 816. 25

Authoritas *publica ſuccedit poteſtati paternæ ad correctionem.* 277. 5

*Authoritates ambiguæ non inducunt certitudinem fidei, niſi declarentur.* 339. 12

Auxilia *actualia dantur fictio intuitu Sacramenti, vt reſurgat.* 250. 24

A Z

Azymorum *vſus.* 678. 8. *& præceptum.* 680. 18

B A

Baptiſmus *in Paſchate ſolùm, & in Pentecoſte dabatur.* 459. *col.* 1.

Baptiſmus *à bono Angelo collatus quomodo differat à Baptiſmo mali Angeli.* 304. 7

*Baptiſmus à dæmone collatus vt teneat, requiritur reuelatio diuina.* 305. 10

*Baptiſmus adimplet circumciſionem, & finem eius.* 197. 10

*Baptiſmus ad martyrium comparatus,* 232. 6

*Baptiſmus à malo Angelo collatus cur eſſet validus.* 304. 8

*Baptiſmus ante promulgationem non obligauit.* 194. 25

*Baptiſmus aquæ, & ſanguinis quomodo differant.* 232. 7

*Baptiſmus bonâ fide ſuſceptus iuſtificaret ignarum peccati.* 480. 48

*Baptiſmus Chriſti quare requiratur in lege noua.* 150. 8

*Baptiſmus cur dicatur ſignaculum.* 349. 23. *eſt denominatio cauſalis ab effectu. ibid.*

*Baptiſmus cur non ſit iterabilis.* 242. 3

*Baptiſmus dat effectum recedente fictione.* 479. 43

*Baptiſmus datur in remiſſionem peccatorum.* 245. 13

*Baptiſmus datus à bono Angelo eſſet tenendus,* 302. 2

*Baptiſmus datus à pueris per luſum receptus in Eccleſia Conſtantinopolitana.* 326. 17

*Baptiſmus debuit præire Sacerdotium.* 191. 13

*Baptiſmus definitur.* 371. 5. & 372. 6

*Baptiſmus dependebat à Paſſione poſita.* 140. 15

*Baptiſmus diſponit ſpecialiter ad primam iuſtificationem.* 252. 36. *& quare. ibid.*

*Baptiſmus dubius iterandus.* 263. 26

*Baptiſmus eius, quem Deus acceptat, valet.* 311. 8

*Baptiſmus eſt cauſa inſtrumentalis iuſtificationis, quæ non in remiſſione ſolùm conſiſtit peccatorum, ſed etiam in ſanctificatione.* 225. 14

*Baptiſmus eſt cauſa moralis inſtrumentalis.* 108. 9

*Baptiſmus, & confirmatio ſunt diuerſa Sacramẽta.* 310. 5

*Baptiſmus, & Euchariſtia, vt ſignificant Paſſionem Chriſti, quomodo differant.* 333. 7

*Baptiſmus, & lex noua inducta ad euacuandam veterem.* 197. 31

*Baptiſmus, & Pœnitentia quomodo differant.* 246. 14

*Baptiſmus fidei profeſſio.* 221. 5

*Baptiſmus hæreticorum an vorax ſine remiſſione peccati.* 262. 25

*Baptiſmus ianua legis nouæ.* 256. 3

*Baptiſmus impetratorius eſt ſuo modo.* 253. 35

*Baptiſmus infantis in ſecundinis dubius eſt, niſi aqua tangat corpus.* 233. 9

*Baptiſmus in nomine Chriſti aliquãdo fuit licitus.* 173. 46

*Baptiſmus in nomine Trinitatis nullus.* 167. 8

*Baptiſmus in re, aut voto iuſtificat.* 246. 15

*Baptiſmus inſcribit familiæ Chriſti.* 333. 8

*Baptiſmus inſtitutus, quãdo cœpit Chriſtus docere.* 192. 19

*Baptiſmus Ioannis an habuerit formam.* 149. 5

*Baptiſmus Ioannis diſpoſitio ad Baptiſmum Chriſti.* 191. 12

*Baptiſmus Ioannis, & Chriſti diſtinguuntur.* 149. 4. *in comm.*

*Baptiſmus Ioannis medicina præparatiua, Chriſti curatiua.* 148. 2. *in text.*

*Baptiſmus Ioannis quare ſic dictus.* 133. *E.*

*Baptiſmus Ioannis ſignum peccatoris.* 267. 40

*Baptiſmus iteratus eſt diuerſus à priori.* 310. 5

*Baptiſmus Iudæorum quis.* 175. 57

*Baptiſmus minuit fomitem.* 269. 1. *in comm.*

*Baptiſmus mors peccati.* 129. 56

*Baptiſmus nomine Chriſti olim licitus, ſed an modo teneret dubium eſt.* 167. 8

*Baptiſmus nomine genitoris, &c. nullus.* 166. 8

*Baptiſmus non delet ipſam fictionem, & quare.* 247. 7

*Baptiſmus non delet peccata futura.* 223. 5

*Baptiſmus non fuit inſtitutus ante manifeſtationem Chriſti.* 192. 20

*Baptiſmus non obligauit vſque ad diem Pentecoſtes.* 202. 49

*Baptiſmus non obligauit vſque ad mortem Chriſti.* 201. 48

*Baptiſmus poſſit ne emi.* 292. 7

*Baptiſmus præteritus non agit ex opere operato.* 252. 33

*Baptiſmus quando inſtitutus, dubium eſt.* 192. 18

*Baptiſmus quare aperuit ianuam, & non Circumciſio.* 140. 9

*Baptiſmus quare dicatur Sacramentum fidei.* 115. 18

*Baptiſmus quare non poſſit iterari, aſſignantur congruentiæ.* 331. 2. *in comm.* 332. 3. 333. 6. *& 8*

*Baptiſmus, quem miniſtrabant Apoſtoli, non erat ſine inſtructione.* 190. 9

*Baptiſmus quid faciat ad ſubſequentem remiſſionem peccati in baptizato.* 225. 10

*Baptiſmus quomodo ſit diſpoſitio.* 252. 34

*Baptiſmus quomodo ſit ſigillum.* 67. 28

*Baptiſmus repræſentat mortem Chriſti.* 828. 82

*Baptiſmus ritè callatus nequit iterari.* 263. 26

*Baptiſmus, ſi daretur in remiſſionem peccati ſanctificatis, eſſetne ſignum falſum.* 266. 36

*Baptiſmus ſi non remitteret in re peccatum, non remitteret in voto.* 245. 13

*Baptiſmus ſi poſſet iterari, contemnerentur alia remedia.* 246. 16

*Baptiſmus ſub conſilio datus vſque ad mortem Chriſti.* 194. 26. *& quare. ibid.*

*Baptiſmus tantum cauſat remiſſionem peccati in re, vel in voto.* 264. 30

*Baptiſmi definitio pro quo ſupponat.* 158. 8

*Baptiſmi definitionem, traditam à Magiſtro, non eſſe ſuperfluam.* 159. 10

*Baptiſmi definitiones.* 156. 2. *in comm. &* 157. 3. *& 4. in text. & 3. in comm. & earum diuerſitas. ibid.*

*Baptiſmi duo tempora.* 195. 27. 201. 11

*Baptiſmi effectus in Virgine.* 264. 33

*Baptiſmi effectus proprius, & diuerſus ab aliis.* 129. 57

*Baptiſmi effectus quis.* 109. 94. 129. 56. 225. 13

*Baptiſmi efficacia ad ſalutem infantum.* 458. 41

*Baptiſmi, & Circumciſionis comparatio quoad diuerſa tempora.* 200. 46

*Baptiſmi, & Confirmationis formæ quomodo diſpares.* 395. 69

*Baptiſmi, & Confirmationis ſecundùm dignitatem, & efficaciam comparatio.* 400. 1. *in comm. ex fine. ibid.*

*Baptiſmi, ex Euchariſtiæ æquiualentia, & vtriuſque adinuicem comparatio.* 459. *col.* 1

*Baptiſmi, & Pœnitentiæ comparatio in ordine ad peccatum.* 262. 24

# Index rerum.


*Baptiſmi forma datur in remiſſionem peccatorum.* 129. 55
*Baptiſmi inſtitutio in lege nona.* 188. 1. *in comm.*
*Baptiſmi Ioannis, & Chriſti concurſus.* 149. 3. *in comm.*
*Baptiſmi materia proxima, ablutio; remota, aqua.* 183. 2
*Baptiſmi materiæ proprietates quinque congruentes.* 184. 2
*Baptiſmi nulla fuit obligatio ante præceptum.* 204. 56
*Baptiſmi præceptum cur ſuſtulerit circumciſionem.* 196. 30
*Baptiſmi præceptum euacuat circumciſionem.* 196. 29
*Baptiſmi præceptum quando obtinuit, & quomodo.* 203. 54
*Baptiſmi præceptum vniuerſale.* 202. 51
*Baptiſmi promulgatio duplex.* 194. 5
*Baptiſmi ſufficientia, & efficacia.* 455. 36
*Baptiſmi variæ appellationes.* 155. 1. *in comm.*
*Baptiſmum Chriſti dediſſe remiſſionem ſine gratia ante Paſſionem, ſecundùm quendam.* 192. 16. *qui reijcitur. ibid.* 17
*Baptiſmum dari in remiſſionem peccatorum.* 267. 42
*Baptiſmum eſſe verum, licèt non ſupponat peccatum.* 264. 33
*Baptiſmum facere ad remiſſionem peccatorum ſequentium.* 224. 7
*Baptiſmum habere conditiones rei definibilis.* 156. 1
*Baptiſmum in neceſſitate recipere licet à præciſo.* 288. 3. *& de hoc regulæ duæ. ibid.* 2
*Baptiſmum non fuiſſe inſtitutum ante Paſſionem Chriſti.* 189. 2. *in comm.*
*Baptiſmum petens à malo miniſtro, quomodo excuſetur à cooperatione mali.* 290. 6
*per Baptiſmum quis ſit de familia Chriſti, per confirmationem miles, per ordinem præpoſitus.* 359. 12
*Baptiſmum, ſicut & Pœnitentiam non dari in remiſſionem peccati ſanctificatis per contritionem.* 265. 36
*ad Baptiſmum tenentur omnes, etiam iuſtificati.* 256. 2. *in text.*
*Baptiſmum valere quoad impletionem præcepti.* 253. 38
*ad Baptiſmum validè ſuſcipiendum ab adulto peccatore, quam pœnitentiam exigat Scotus.* 244. 10. *& quæ ſufficiat. ibid. & 245. 11. & 12. & 246. 15*
*Baptiſmo inſtituto, & ſuſcepto, ceſſit neceſſitas Circumciſionis.* 196. 29
Baptiſtam *non ſuſcepiſſe Baptiſmi Sacramentum, probabile.* 193. 24
*ad* Baptizandum *vter eligendus bonus laicus, vel malus Sacerdos.* 290. 5
Baptizans, *quare non exprimebatur in forma Græcorum.* 163. 5
*Baptizans ſimul plures an pluta faciat Baptiſmata.* 115. 6
*in Baptizante quæ requirantur.* 301. 2
*in Baptizante quare requiratur intentio.* 321. 4
*Baptizantes plures an faciant vnam cauſam totalem Baptiſmi.* 309. 3. *& ſi alter alterum præueniat abſoluendo an aliquid faciat. ibid.*
Baptizant *multi, qui nequeunt concionari.* 163. 10
Baptizare *ſe nemo poteſt.* 319. 1
*Baptizare ſi liceat infantem inuitis parentibus, licet etiam ſeparare.* 280. 17. *& in neutro eſt ſcandalum. ibid.* 18
*Baptizare ſoli Sacerdoti ex officio congruit.* 302. 3. *&* 306. 17
Baptizari *à bono quomodo præſtet, quàm à malo.* 271. 5
*Baptizari an poſſit vnus à pluribus.* 308
*Baptizari poſſunt plures ab vno ſimul.* 316. 22. *& ibi eſſent plura Sacramenta.* 316. 23
*Baptizari poſſunt plures ſimul ab vno.* 314. 6
*Baptizari poteſt quis in vtero, flamine, & ſanguine.* 230. 2
Baptizatus *in nomine Chriſti ſitne baptizatus.* 168. 18
*Baptizatus non eſt miniſter Chriſti.* 319. 2
*Baptizatus non producit gratiam ſanctificantem, ad quam ſolùm diſponit.* 227, 19
*Baptizatus quilibet induit Chriſtum, ſed alio, & aliomodo.* 248. 9
*de Baptizato in parte quid dicendum?* 234. 15
*Baptizati Ieroſolymis etiam confirmati ſunt.* 375. 4

B E

Beatitudo *naturalis intelligentiæ.* 45. 93
*Beatitudinis naturalis obiectum motiuum, non eſſe terminatiuum. ibid.*
Beatus *quomodo diſtinguatur à non Beato.* 569. 10
*Beati non vident Corpus Chriſti in Euchariſtia ratione Batitudinis.* 569. 10
Benedictio *an fuerit diuerſa à conſecratione.* 433. 30. *& 31*
Berengarius *lapſus in errorem impanationis damnatur in Concilio Romano ſub Gregorio VII.* 495. 24

B O

Bohemi *aſſerebant laicos in Eccleſia Latina iniuſtè priuari communione calicis, credentes per plures ſpecies plus gratiæ conferri, quàm per vnam.* 451. 27. *de hac re eſt controuerſia Scholaſtica. ibid. & ſeq.*
*Bohemis permiſſa ſub vtraque ſpecie communio, conditionaliter tamen.* 453. 33

B V

Buccella *Iudæ an fuerit Sacramentum.* 852. 177

C A

Cæremoniæ *ſignificacabant gratiam conferendam.* 64. 16
*Cæremoniæ vniuerſales Epiſcopo non ſubſunt.* 382. 30
*Cæremonialia manent in ſuis ſignificatis.* 211. 20
Calix *ex qua materia, & quare non de ære.* 842. 14
*Calix quare ponatur in forma conſecrationis.* 441. 25
*Calix quomodo reconſecrandus, quando erratum eſt in liquore.* 461. 7
*Calicis vſus non fuit in Nazaræis.* 472. 16
*Calicem ſubtrahendo laicis, non fit iniuria.* 474. 28
Calor *igneus corrumperet Euchariſtiam manente eadem quantitate.* 782. 13
*Calor non poteſt eſſe cauſa frigoris.* 48. 102
*Calor quomodo inſtrumentum animæ.* 742. 8
*Calor quomodo ratio formalis agendi,* 529. 5
Canon *Toletani tranſcriptus à Martino Bracharenſi diſcernitur in ſua membra.* 385. 43
*Canonis mutatio propter ambiguitatem facta.* 424. 5
*Canones de quo Chriſmate intelligantur agere.* 401. 2
Capaces *Sacramenti qui ſint.* 445. 2
Capita *duo non ſignificant neceſſariò duas animas.* 315. 7
Caro, *& os non magis includunt formam, quàm corpus.* 632. 31
Caro non prodeſt quidquam; verba quæ ego locutus ſum, &c. *ſecundùm quem ſenſum intelligi debeat.* 494. 20. *& ſeq.*
*Caro pueri cauſa proxima peccati.* 231. 3
*Caro quid ſi appareat in Euchariſtia.* 580. 39
Caſus *derogantes iuri priuato.* 279. 15
*Caſus diuerſi in quibus communicare licet ſine Confeſſione præuia.* 482. 54. *& ſeq.*
Cathecumenus *ſit martyr.* 232. 5
*Cateckumeni non ſunt capaces ſacramenti Euchariſtiæ.* 445. 3
Cauſa *æquiuoca habet duplicem eminentiam.* 744. 14
*Cauſa alterans quare dicatur inſtrumentum.* 321. 6

# Index rerum.


*Causa dupliciter intelligi potest vniuersalior.* 10.7
*Causa frequentioris concursus ad Baptismum Christi.* 191.11
*Causa immediata magis coniungitur effectui, quàm remota.* 231.3
*Causa instrumentalis, si est actiua, habet intentionem propriam.* 321.6
*Causa materialis non solùm disponitur, sed & efficiens.* 103.78
*Causa meritoria Sacramentorum nouorum longè perfectior, quàm antiquorum.* 135.2. *in text.*
*Causa moralis est causa per se de rigore.* 96.49
*Causa moralis reducitur ad modum causandi causæ Physicæ.* 102.75
*Causa partialis quando excedit effectum.* 36.67
*Causa particularis quomodo agat ad effectum.* 15.12
*Causa per accidens dupliciter dicitur.* 101.68
*Causa per accidens quid?* 100.68
*Causa per se definitur iuxta materiam subiectam.* 104.80
*Causa præcisè requisita propter effectum non debet excedere effectum.* 713.41
*Causa prima & secunda quomodo differant.* 795.14
Causa prima plus agit in virtute causæ primæ, quàm in propria, *explicatur.* 55.34
*Causa prima quomodo suppleat causalitatem secundæ?* 725.35
*Causa prima supplere potest causalitatem omnem extrinsecam.* 717.9
*Causa principalis supplet defectum instrumenti.* 832.102
*Causa prioris quomodo causa posterioris?* 104.80
*Causa secunda non conseruat effectum absolutum.* 726.62
*Causa secunda non conseruat formam absolutam.* 51.106
*Causa secunda non semper requirit motionem specialem à causa prima, vt agat.* 807.37
*Causa secunda quomodo differat ab instrumento.* 321.6
*Causa secunda quomodo subordinetur primæ.* 55.113
*Causa vna perficit aliam in actu secundo.* 68.29
*Causæ finalis, & intrinsecarum conditio.* 101.69
*Causæ primæ, & secundæ ordo.* 796.18
*Causæ secundæ dependentia à subiecto.* 780.10
*Causæ secundæ duplex dependentia à materia.* 50.105
*ad Causam per se non requiritur influxus Physicus eius.* 101.70
*Causam secundam agere, Deo supplente subiectum.* 769.4
*Causam secundam non posse facere formam in fluxu sine subiecto.* 765.18
*Causam supplens, supplet & eius dependentiam.* 754.17
*Causâ cessante, cessat effectus.* 198.34
*Causa duæ totales quomodo se impediant in effectu.* 313.16. *& an ab vtraque causetur totaliter effectus, quod exemplificatur in Sacramentis.* ibid. 18
*Causa extrinsecæ possunt habere plures effectus.* 124. col. 2.
*Causæ præcisæ se inferunt.* 150.9
*Causarum diuisio.* 709.22
*Causarum ordo alius ad se, alius ad effectus.* 795.18. *illarum ad inuicem ordo prior.* 796.18
*Causarum ordo quomodo prior?* 796.21
*Causarum repugnantia ex repugnantiâ effectus.* 515.7
Causalitas *Physica destruitur variè.* 96.48
*Causalitatis duplex genus Tridentinum tribuit Christo respectu iustificationis.* 94.45
Causare *in* fieri, *& in* facto esse *quid sit.* 262.21
*Causare miraculosè quid sit.* 92.35
*Causare significatum est de ratione sacramenti.* 66.21
Causatum *à posteriori non potest esse simul cum priori.* 631.20

C E

Celebrandi *tempus præscriptum, & consuetudo quomodo seruetur circa illud.* 147.152. & 153
Celebrans *in calice inidoneo an irregularis.* 844.17
Celebrans *in excommunicatione minori peccat grauiter, non fit tamen irregularis.* 839.11
*Celebrans in loco interdicto fit irregularis.* 884.147
*Celebrans sine calice an incurrat irregularitatem.* 845
*Celebrantem oportet habere ministrum.* 846.18
*Celebrantem quid faciat irregularem.* 839.12
Celebrationis *terminus.* 847.154
*ad Celebrationem quid requiratur.* 841.13
Certitudo *demonstratiua distinguitur à certitudine* vt in pluribus. 69.2. *in com.*
*Certitudo distinguitur quoad præsentiam, & conuersionem.* 615.33
*Certitudo sacramenti vnde sit.* 71.4. *in com.*

C H

Character *an fundetur super actum præteritum.* 357.10
*Character an necessariò ponendus ad distinguendum, vel conformandum Christo.* 342.10
*Character an requiratur necessariò vt signum rememorationum.* ibid.
*Character an sit forma absoluta.* 350.1. *& seq.*
*Character an sit gratia gratis data.* 346.20
*Character an sit in essentia animæ, vt in proximo subiecto.* 369.1. *in text.*
*Character Circumcisionis quomodo differat à Charactere Baptismi.* 346.21
*Character cognosci potest ab intellectu separato.* 355.8
*Character definitur.* 340.3
*Character est dispositio.* 102.74
*Character est dispositio ad gratiam.* 372.3
*Character est dispositio permanens, & prior gratiâ.* 372.4
*Character est potestas relatiua, &c.* 354.8
*Character est signum obligationis animæ ad Deum.* 371.4
*Character est signum rememorationum, conformationum, & obligatorium.* 340.3
*Character, & ornatus perinde supponunt potentiam obedientialem.* 83.7
*Character, & ornatus simpliciter supernaturalis.* 81.5
*Character in qua specie Qualitatis ponendus.* 361.15. 363.19
*Character Latinè dicitur figura.* 340.14
*Character nihil efficit, sed est dispositio ex parte susceptiui.* 345.18
*Character non est dispositio ad fidem, sed ad gratiam.* 371.4
*Character non est potestas Physica.* 356.10
*Character ponendus secundùm authoritatem Ecclesiæ.* 344.14
*Character ponitur in Prædicamento.* 353.4
*Character quin sit relatio extrinsecus aduenies, nil cogit.* 356.9
*Character quomodo indelebilis.* 346.20
*Character respectu cuius sit signum rememorationum.* 345.19
*Character varia significat.* 340.2
*Characteris attributa quæ sint.* 361.17
*Characteris descriptio, & declaratio.* 360.13
*Characteris duplex est effectus.* 340.14
*Characteris, & ornatus supernaturalitatem variè varij deficiunt.* 82.6
*Characteris natura à varijs variè sententiatur.* 352.3. *& seq. in commen.*
*Characteris subiectum proximum est anima, vel eius potentia.* 357.11
*Characteris subiectum quodnam sit.* 370.2. *in comm.*

# Index rerum.


*Characterem Baptiſmalem dari eſt de fide.* 336. 1. *in comm. & quis primò hunc articulum docuit eſſe de fide.* 336. 2

*Characterem eſſe diſpoſitionem, aut poni in ſpecie Qualitatis, quo ſenſu neget Doctor.* 363.19

*Characterem eſſe formam abſolutam, vt probabile tenet Doctor.* 351.1. *in quo tamen eſt problematicus. ibid.* 2

*Characterem eſſe qualitatem quibuſdam fundamentis aſſeritur.* 351.2

*Characterem in cœlo, & in inferno manſurum.* 346.19

*Characterem ineſſe animæ, prout Theologi eum deſcribunt, non repugnat.* 337.3

*Characterem in voluntate ponit Doctor.* 372. 3.

*Characterem non eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad gratiam.* 342. 9

*pro Charactere ponendo congruentiæ tres.* 344.15

*Characteres diuerſorum Sacramentorum quomodo à ſe inuicem diſtinguantur?* 359.12

*Characteres ſeipſis diſtinguuntur.* 359.16

*Characterum numerus vnde colligatur. ibid.*

*pro Charactheribus tribus congruentiæ optimæ per comparationem ad politiam humanam.* 359.12

Charitas *carnalis infructuoſa, ſed non prohibita.* 366.31

Chriſma *cur detur à Sacerdotibus in Eccleſia orientali.* 386. 46

*Chriſma ex vſu Eccleſiæ non vocatur oleum ſimplex, ſed confectum.* 380. 21

*Chriſma factum à Sacerdote ſine iuriſdictione nullum fuit.* 401. 4

*Chriſma quandoque dabatur à Sacerdotibus in Eccleſia Latina; qui ritus à Sylueſtro reuocatus eſt.* 386. 47

*Chriſma quid ex propria ſignificatione denotet.* 381. 26

*Chriſma quomodo appelletur oleum.* 38.20

*Chriſma rituale poſſitne miniſtrari à Diacono?* 384.40

*Chriſmatis benedictio Epiſcopo reſeruatur.* 382.30

*Chriſmatis vſus in vtraque lege.* 380. 21

*Chriſma benedici ab Epiſcopo requiritur neceſſitate Sacramenti.* 382.28. *& benedictionem eſſe Epiſcopalem. ibid.* 29.

*Chriſma conficiendum docuit Chriſtus in vltima cœna: & ſingulis annis renouandum.* 380. 23

Chiſmationem *Sacramentalem, & non cæremonialem intelligunt Canones.* 385.41

*Chriſtus an communicauerit.* 852. 78

Chriſtus *non loquutus fuit figuratiuè, dicendo,* Hoc eſt Corpus meum, *vel* hic eſt ſanguis meus, *vnde colligendum?* 488.3

*Chriſtus an oret iam in cælo.* 832. 106

*Chriſtus an ſit præſens minimis, & indiuiſibilibus ſpeciebus.* 573. 4

*Chriſtus an verbis conſecrauerit, & iiſdem, quibus nos.* 433. 33. *& 34*

*Chriſtus apparuit ſæpe non in forma corporis glorioſi.* 580. 38

*Chriſtus cauſa meritoria.* 95.45

*Chriſtus cauſa meritoria Sacramentorum veterum, ſed perfectius nouorum.* 139.9

*Chriſtus conſecrauit in azymis.* 680.18

*Chriſtus diuerſo ſub reſpectu poteſt dici figura ſpiritualis, & paſtus talis.* 496. 26

*Chriſtus & Iudæi die 14. ad Veſperam celebrarunt Paſcha, & ſequens dies fuit ſolemnis azymorum.* 679. 12

*Chriſtus & Iudæi die legitimo celebrarunt Paſcha.* 679. 11

*Chriſtus iiſdem verbis, quibus nos, conſecrauit.* 434.34

*Chriſtus in Euchariſtia exiſtens poſſitne per virtutem aliquam naturalem tranſmutare aliquid aliud à ſe.* 559. 1. *& ſeq.*

*Chriſtus in Euchariſtia non inſpirat, nec reſpirat, tamen habet pulmonem temperatiſſimum vt hîc.* 561. 6

*Chriſtus in Euchariſtia non poteſt habere vllam actionem corpoream.* 560. 2

*Chriſtus in Euchariſtia poteſt loqui Angelo ſpiritualiter.* 560. 3

*Chriſtus in Euchariſtia poteſt vti quacunque potentia actiua ſpirituali.* 560. 3

*Chriſtus in ſtatu innocentiæ non veniſſet vt cauſa meritoria.* 74. 14

*Chriſtus non eſt ſub indiuiſibilibus ſpecierum.* 574. 12. *& quare.* 575.13

*Chriſtus non priuatur vlla operatione, quam habet in cælo, vt in Euchariſtia.* 550. 5

*Chriſtus non ſpectat ad conſtitutionem Sacramenti, quà Sacramentum eſt.* 417.35

*Chriſtus oblatus eſt in templo; & ſumpſit Euchariſtiam.* 267.40. *& 41*

*Chriſtus obſeruauit legem.* 979. 12

*Chriſtus obſeruauit tempus præſcriptum de obſeruando Paſchate.* 681. 20. *ita populus. ibid.*

*Chriſtus potuit dare effectum Confirmationis.* 391. 3

*Chriſtus principalis offerens hoc ſacrificium.* 831.98. *ſed non immediatè offerens. ibid.* 99. *non offert viſibiliter, nec intentione particulari,* 832.102

*Chriſtus quando celebrauerit Phaſcha variè ſentitur.* 678. 9. 10. *& 11.*

*Chriſtus quando inſtituit Sacramentum Euchariſtiæ.* 681. 22.

*Chriſtus qua ratione diſceſſerit, & manſerit?* 497.34

*Chriſtus quare vſus ſit ly* hoc *potiùs quàm* hic. 609. 10

*Chriſtus quare vt hic non poſſit mouere ſe organicè.* 561. 6.

*Chriſtus quo die paſſus ſecundùm Patres.* 679. 13

*Chriſtus quomodo importet tres perſonas?* 166.8

*Chriſtus quomodo legem veterem non ſoluerit?* 211. 84

*Chriſtus quomodo ſanctificet ſpecies.* 419. 38

*Chriſtus quomodo ſit ſub ſpeciebus?* 573. 7

*Chriſtus redemptor infantium.* 220. 12

*Chriſtus reliquit Eccleſiæ modum, quo Euchariſtia ſumenda eſſet.* 461. 8

*Chriſtus ſecundùm quam exiſtentiam inceperit ſimpliciter, & ſecundùm quam ſecundùm* quid. 537. 11

*Chriſtus ſine merito accepit poteſtatem excellentiæ.* 72.7 *Etiam ſine merito conſequente. ibid. Item ſine vllo.* 73. 8

*Chriſtus ſi non præexiſteret, adhuc ex vi conſecrationis poneretur ſub ſpeciebus.* 828. 80

*Chriſtus ſi veniſſet in carne impaſſibili, iuxta ſtatum innocentiæ, fuiſſetne viator?* 74. 12

*Chriſtus ſi veniſſet, non peccante Adamo, an foret Sacramentum Euchariſtiæ?* 73. 10

*Chriſtus ſolus cauſa meritoria iuſtificationis.* 229. 32

*Chriſtus viſus eſt à Paulo.* 516. 6. *Et quando? ibid.* 11 *& ſeq.*

*Chriſtus viſus à Petro ad Portam Latinam.* 515. 9

*Chriſtus vt aſſumeret miniſterium Ioannis congruum non erat.* 190. 9

*Chriſtus vt cauſa moralis attingit gratiam, & Sacramenta in virtute operum Chriſti.* 94. 45

*Chriſtus vt in Euchariſtia poteſt habere actiones intellectus, & voluntatis.* 563. 7

*Chriſtus vt permanenter præſens, eſt ſignatum Sacramentale, ex inſtitutione peculiari Euchariſtiæ* 416. 31

*Chriſtus vt ſignatum non conſeruat ſpecies.* 419. 38

*Chriſti ad ſpecies nulla eſſet connectio, in caſu quo ſub illis poneretur ſine præſentia.* 544. 36. *Poſſibilitas caſus oſtenditur.* 544.36

*Chriſti doctrina incepit cum Baptiſmo eius.* 191. 10

# Index rerum.


*Christi & Ecclesiæ eadem intentio.* 833.109
*Christi manifestatio in Iordane qualis fuerit.* 192. 20
*Christi meritum completum.* 831. 101. *quod consummauit in morte.* *ibid.*
*Christo vt hic concomitanter inest omnis operatio, quæ primo sibi inest, vt in cælo.* 547.2
*Christum bis poni in Sacramento, diuerso tamen modo an repugnet.* 580.38
*Christum continere conuenit huic sacrificio, etiam qua Sacramentum.* 828. 82
*Christum esse causam meritoriam Sacramentorum.* 138. 7
*Christum in Eucharistia non habere quantitatem, varij variè dicunt.* 504. 44
*Christum non manere in Sacramento corruptis speciebus.* 581. 42
*Christum passum fuisse luna.* 15. *& fecisse Canam luna.* 14. 662.5
*Christum verè subesse speciebus, ostenditur ex Scriptura.* 407.2. *& ex congruentiis variis.* *ibid.*

C I

Cibum *licebat præparare aliis diebus, non Sabbato.* 679. 14
Cingulum *accessoriè se habet ad Albam.* 840. 135. *eius benedictio ad quem spectet.* *ibid.* 136
*Cinguli benedictio an requiratur.* 840.134
Circumcisio *ad Baptismum comparata quasi nihil erat.* 126. 46
*Circumcisio an causauerit characterem.* 346.21
*Circumcisio ante Passionem relaxata, non reuocata.* 210. 18
*Circumcisio determinabatur forte ad certum gradum gratiæ.* 126.47
*Circumcisio erat per se requisita.* 112.7
*Circumcisio ex opere operato dabat gratiam.* 126.46
*Circumcisio ex Patribus, non ex lege.* 115.19
*Circumcisio ex Patribus, non ex lege, cui & credita sunt eloquia Dei.* 197. 33. *& quomodo hoc sit verum.* 198. 33
*Circumcisio fructuosa vsque ad mortem Christi.* 195. 27. *deinceps vsque ad Pentecosten licita, post Pentecosten mortifera.* 195.27
*Circumcisio habuitne effectum in Christo.* 266. 39
*Circumcisio habuit necessitatem medij.* 113.10
*Circumcisio includebat fidem Messiæ.* 115.18
*Circumcisio in distinctionem data.* 115. 17
*Circumcisio minorem gratiam dabat, quàm Baptismus.* 125. 11
*Circumcisio non fuit illicita statim post Pentecosten, saltem quoad Iudæos.* 202. 12
*Circumcisio qualem characterem impresserit.* 350.25
*Circumcisio quamdiu fuit præcepta fuit fructuosa.* 195. 28
*Circumcisio quare data fuerit.* 3.H
*Circumcisio quare ianuam regni non aperuerit.* 128.13
*Circuncisio quomodo fuit efficax signum gratiæ.* 126.12
*Circumcisio quomodo signaculum.* 67. 28
*Circumcisio quomodo signaculum in Abrahamo.* 127.50
*Circumcisio signum peccatoris.* 266. 39
*Circumcisio solum dabat primam gratiam.* 198.35
*Circumcisio solum valebat ratione fidei, iuxta aliquos.* 198. 34
*Circumcisio tantum conferebat gratiam primam.* 127.50
*Circumcisio valuit vsque ad mortem Christi saltem.* 206. 74
*Circumcisionis efficacia respectu originalis.* 110.1
*Circumcisionis euacuatio ex institutione Baptismi, quoad necessitatem.* 196. 30
*Circumcisionis obligatio per accidens, sub disiunctione, & ex ignorantia Baptismi.* 199. 40. *& 41*
*Circumcisionis præceptum ex Patribus.* 199. 39
*Circumcisionis quatuor tempora.* 202.12.204.57
*Circumcisionis tria tempora.* 195.27
*Circumcisionis varij effectus perfectius habentur in Baptismo.* 197.33
*Circumcisionis vtilitas successiuè defluit.* 206. 62
*Circumcisionem fuisse fœdus sempiternum dupliciter explicatur.* 211.20
*Circumcisionem fuisse vtilem vsque ad promulgationem legis nouæ.* 204. 57
*Circumcisionem pro aliquo tempore mortuam fuisse, non mortiferam.* 206. 72
Circunstantiæ *euacuant simulationem.* 208.79
*Circunstãtias Incarnationis an meruerint Patres.* 147.40

C L

Clauis *triplex.* 72.7

C O

Cognitio *confusa, & distincta.* 42. 82
Cognoscendi *modi intentionales, & Logicales.* 355.7
Cognoscere *præsentiam eiusdem est, cuius est absentiam cognoscere.* 566.8
Cointellectio *aliquorum non tollit ordinem eorum inter se.* 801.24
Collatiua *perfectior apprehensiua intellectione.* 43.88
Color *dependenter se habet ad extensionem in specie.* 578. 28
Communicandum *est aliquando post mortale, vt euitetur scandalum, non aliter.* 475.3
Communicans *mala fide an satisfaciat.* 470.9
*Communicans mala fide, & sacrilegè satisfacit præcepto communionis Ecclesiastico, non autem diuino.* 470.9
Communicare *bis de die non licet regulariter, licet tamen in casu.* 474.30
*Communicare ieiunè præceptum Ecclesiæ.* 460.5
*Communicare in quibus casibus liceat sine præuia confessione.* 482.54. *& seq.*
*Communicare licet non ieiunum sæpiùs pro viatico.* 462. 47
*Communicare post cibum non fuit olim consuetum tanquam ex præcepto.* 461.8
*Communicare seipsum an aliquis possit.* 849.166
*Communicare sub vtraque specie nemo iure diuino tenetur, excepto celebrante.* 472. 15 *quod confirmatur ex praxi primitiua Ecclesiæ.* 472. 16 *& seq. ab vsu etiam & ritu particulari Ecclesiæ tam Latinæ, quàm Græcæ, certis diebus.* 473. 19 *& seq.*
Communio *ad probationem data.* 851.174
*Communio danda moribundis.* 470. 5
*Communio participatio sacrificij.* 826. 72
*Communio Paschalis, & pro viatico ad quos spectent.* 850. 167 *& 168*
*Communio quibus danda, & quibus non, regula ostendunt.* 475. 31
*Communio sub vna specie sufficit ad salutem.* 418. 35
*Communio sub vtraque specie an plus det gratiæ, quàm sub vna, & an diuersa.* 451. 27 *& seq.*
*Communionis duplex tempus, & præceptum.* 470. 5
*Communionis præceptum aliquoties obligat.* 470. 6
*Communionem omittens in Paschate an teneatur ex vi præcepti de communione, communicare ante sequens Paschæ?* 471. 11. *de communione sub vtraque, vel vna specie articuli, quorum alij damnantur, alij ad Pontificem remittuntur.* 453. 34
Comparatio *improportionata inter quas causas sit?* 25. 42
Completum, *& incompletum quantùm ad* concipi *distinguuntur.* 722. 57
Compositio *triplex.* 42. 85

# Index rerum.


*ad Compoſitionem ſubſtantialem non requiri vnionem ſubſtantialem.* 724.59
*inter Compoſitiones ordo.* 42.85
Compoſitũm *corrumpi etſi priuatio eius non maneat in ſubiecto..* 662.12
*Compoſitum definitur per ſuas partes per ſe tantùm.* 657.134
Conceptus *orationis habetur in vltimo inſtanti prolationis eius, ſicut & dictionis.* 436.14
*Conceptu albi quid intelligatur.* 722.56
*Concilium loquitur abſolutè, & ſine limitatione aſſerens materiam Confirmationis eſſe Chriſma.* 379.18. *& neceſſariam neceſſitate Sacramenti.* *ibid.*
Concilia *definiunt materiam eſſentialem, & etiam integralem Sacramentorum, & totam quæ comprehenditur in inſtitutione.* 692.19
Concluſio *ſequitur debiliorem partem ſuæ cauſæ.* 530.4
Concomitantia *eſſentialis inter præſentiam formalem corporis, & quantitatis informantis.* 545.42
*Concomitantia fundatur in connexione naturali.* 545.43
Concretum *ſignificat primariò formam.* 712.32
*Concreta plura accipiuntur ab eodem abſtracto reſpectiuo.* 755.34
Concubinarij *non ſunt præciſi, moduſque, & forma contra eos procedendi.* 288.1
Concupiſcentia *pro fomite ſumitur.* 224.9. *aliquando etiam pro reatu.* *ibid.*
*Concupiſcentia quomodo dicatur peccatum,* 224.6
Concurſus *debitus cauſa naturalis.* 777.5
*Concurſus ordinarius Dei qualis.* 670.41. *quomodo debeatur.* *ibid.*
*Concurſus qui exhiberetur potentiæ obedientiali in Sacramentis, qualis ſit.* 99.59
Conditio *non ſemper tranſit in obiectum.* 578.27
*Conditio quid ſit.* 104.81
*Conditionis à cauſa diſtinctio.* 101.69
Conferens *Baptiſmum, ſicut & ſuſcipiens iteratò quo caſu incurrant irregularitatem: & quis diſpenſare poterit cum eis.* 334.2
Confeſſio *ex ſpeciali inſtitutione requiſita.* 419.39
*Confeſſio integra peccatorum regulariter requiritur ad pœnitentiam, in caſu autem non, tamen ſacramentum erit validum.* 478.38
*Confeſſio perinde ad Sacramentum requiritur, ſicut ad martyrium.* 232.6
*Confeſſio per paſſionem ſufficit ad martyrium.* 231.4
*Confeſſionem Sacramentalem prærequiri in peccatore concluditur.* 481.50
*non Confeſſus quomodo poſſit Euchariſtiam ſumere* 475.3
Confirmare *quomodo Sacerdoti conueniat.* 389.59. *ex ordine remotè, ex iuriſdictione proximè.* *ibid.* *& inſtitutione Chriſti congruà, tanquam cauſa à priori.* *ibid.*
Confirmatio *à quo dicatur vnctio, & Chriſma.* 375.2
*Confirmatio definitur.* 374.1. *in text.*
*Confirmatio eſt conſummatio gratiæ Baptiſmalis.* 374.1. *in comm.* *&* 375.1
*Confirmatio eſt Sacramentum.* 374.3
*Confirmatio facta à Photianis Præbiteris nulla fuit.* 401.5
*Confirmatio habetur ex traditione.* 392.4
*Confirmatio imprimit characterem.* 402.8
*Confirmatio inſtituta à Chriſto.* 398.80. *& quando.* *ibid.* *in vltima cœna, ſecundùm quendam.* *ibid.* 82. *& quoad applicationem, & efficaciam dependebat ab inſtitutione miniſtrorum.* *ibid.*
*Confirmatio nequit iterari.* 401.1
*Confirmatio non eſt iterabilis, ſicut nec ordo.* 375.2
*Confirmatio nõ eſt medium neceſſarium ad ſalutem.* 399.1
*Confirmatio quid dicat in recto.* 374.1. *in comm.*
*Confirmationis appellationes variæ à proprietate rei deſumptæ.* 374.1. *in comm.*
*Confirmationis Sacramentum æquiualenter datum Apoſtolis in die Pentecoſtes.* 396.72. *ante quod tempus non fuit vſus eius,* *ibid.* 73
*Confirmationem à Sacerdotibus datam non annullauit Pontifex.* 387.49
Conformitas *Sacramenti ad ſuum ſignificatum an ſit de eius eſſentia.* 105.84
Congruentia *quare Baptiſmus non poſſit iterari, variè applicatur.* 331.2. *in comm.* *&* *alia.* 332.3. *&* 333.6
*Congruentia ex quibus colligitur Apoſtolos vſos fuiſſe Sacramento.* 397.78
Coniũcta *contingenter poſſunt ſeparari.* 543.33
Coniunctio *Chriſti perfectior cum matre in natura, quam per Sacramentum cum viatore.* 260.15
*Coniunctio inter materiam & formam Sacramenti, & ex inſtitutione diuina.* 323.4
Connexio *fundata in identitate excedit illam, quæ eſt vnionis tantùm.* 634.87
*Connexio inter formam, & ſuam Paſſionem.* 750.15. *non ſubeſt cauſa naturali.* *ibid.* *ex quo proueniat.* *ibid.*
*Connexio inter formas in eſſendo in quo fundetur.* 749.12. 750.14
Conſcientia *erronea debet deponi.* 296.7
*cum Conſcientia peccati mortalis ſacrilegè accedítur ad Euchariſtiam.* 476.32
Conſecrandi *pcteſtas eadem in Epiſcopo, & Sacerdote.* 465.55
*ad* Conſecrandum *requiſita reducuntur ad tria.* 838.7
Conſecrans, *& ſumens aquam, putans eſſe vinum, teneturne iterum conſecrare vinum, & ſumere; ſed an denuò ſit conſecrandus panis,* 460.4
*Conſecrans peccat non ſumendo.* 460.4
*Conſecrans quomodo recipiat gratiam.* 415,27
Conſecrare *vt quis poſſit, quid requiratur.* 810.3
Conſecrari *poteſt licitè ſub vna tantùm ſpecie.* 464.53. 465.54
*Conſecrari potuiſſe validè in triduo.* 637.96
Conſecratio, *& vſus Euchariſtiæ ad eius eſſentiam non ſpectat.* 415,27
*Conſecratio facta à diuerſis licita in caſu.* 465.54
*Conſecratio materiæ Baptiſmi quare non requiratur, ſicut Confirmationis.* 392.3
*Conſecratio ordinatur tam ad ſacrificium, quàm Sacramentum.* 417.33
*Conſecratio reſpicit ſubſtantiam, vt ſubeſt accidentibus.* 670.40
*Conſecrationis forma in canone aſſignata an ſit vera, & an ad eam neceſſarius totus canon.* 424.4
*Conſecrationis materia oſtenditur.* 695.33
*ad Conſecrationem non requiri verba determinata, ſecundùm hæreticos, quorum varij errores refelluntur.* 424.3. *ad eam non ſpectare verba ſequentia, contra quoſdam.* 424.5
*Conſecrationem ſub vtraque ſpecie non eſſe præcepti diuini.* 465.54. *etiamſi eſſet diſpenſari poſſet tamen in caſu.* *ibid.* 55
*ad Conſecrationem validam quid ſufficiat.* 426.11
*in* Conſecratis *aliys ab homine quare nihil imprimatur.* 345.17
Conſenſus *adulti quare exigatur.* 241.11
Conſeruatum *immediatè à Deo non poteſt à creatura corrumpi.* 767.21
Conſilium *Dei obligat ad non contemnendum, præceptum ad obſeruandum,* 194.5
*Conſilium de oppoſito à legiſlatore tollit obligationem præcepti.* 197.31

# Index rerum.


*Consilium diuinum non debet contemni.* 194.26
*Consilium diuinum semper est rationabile, non ita humanum.* *ibid.*
*Consilium Prælati quomodo sequendum.* *ibid.*
Consuetudo *habens vim legis seruanda.* 847.153
*Consuetudo non ligat, vbi non est in vsu.* 840.134
Consummatum est *explicatur.* 210.18
Contentum *vnde prædicatur de speciebus.* 420.41
*Contenta in decreto Gratiani non ligant, sicut nec contenta in Decretalibus, totam Ecclesiam.* 334.2
Continentia *actiua, & passiua distinguuntur.* 536.7
Contradictio *vna maior alia.* 21.32
Contradictoria distant in infinitum, *explicatur.* 22.34
*Contradictoria non admittunt limitationem.* 541.26
*inter* Contradictoria esse infinitam distantiam, *quomodo intelligendum.* 21.33
*in Contradictoriis non datur transitus sine medio.* 715.47
Contritio *aliter spectat ad pœnitentiam, & aliter confessio.* 419.39
*Contritio de congruo iustificat, & quare.* 144.30
*Contritio, & confessio pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ.* 430.22
*Contritio peccatoris dispositio ad iustificationem.* 145.31
*Contritio sine voto Sacramenti inefficax.* 250.27
Conuenientia *corpori dependenter ad* vbi, *posita in diuersis locis corpore, variari possunt, & de facto variantur.* 522.24
Conuersio *duplex.* 667.24
*Conuersio est ad terminum* ad quem *secundum determinatum* esse. 66
*Conuersio est in substantias præcisè.* 657.135
*Conuersio fieri posset per aliud, quam per verba.* 596.3
*Conuersio fit in corpus, & sanguinem.* 591.12
*Conuersio in proposito æquiparatur creationi.* 596.2
*nec Conuersio, nec species sunt corpori ratio essendi hîc.* 528.2
*Conuersio non est corpori ratio formalis essendi in loco.* 530
*Conuersio non saluatur sine aliqua productione.* 599.7
*Conuersio sub ratione mutationis non est ratio essendi hîc.* 541.27
*Conuersio substantialis saluatur.* 669.35
*Conuersionis primus terminus quis sit secundum D. Thomam.* 630.27
*in Conuersione panis, & vini in corpus & sanguinem, non requiritur manere materiam eandem sub vtroque termino.* 591.11
*in Conuersione commune aliquid vtrique extremo manere qui exigant.* 601.17. *illud non spectaret ad terminum* ad quem. *ibid.* 18. *non requireretur ob repugnantiam terminorum.* 602.19
Copula *pro quo instanti vniat extrema ad inuicem.* 442.47
Corinthios *errasse circa Baptismum.* 163.13
Corio *incluſus non baptizatur.* 233.9
Cornelius *accepit Spiritum sanctum non solùm quantum ad gratias gratis datas, sed etiam quoad effectum sanctificationis.* 377.9
*Cornelius quomodo Spiritum sanctum acceperit, cùm non legatur Petrus imposuisse ipsi manus.* 375.4. 377.8. & 9
Corpus *accipiens nouum* vbi *non perdens antiquum, tantùm habet vnam mutationem.* 501.9
*Corpus à remotis prius videtur, quàm animal.* 438.17
*Corpus Christi consideratur dupliciter.* 594.31. & *seq.*
*Corpus Christi duplicem habet de facto modum essendi: & quid per se contineat tanquam partes, & quid concomitanter.* 532.3. & 1
*Corpus Christi manens in cœlo, poni posse sacramentaliter sine conuersione.* 528.4
*Corpus Christi mouetur omni motu ad formam absolutam, quo mouetur primò, vt in cœlo, & ab eodem agente.* 552.2
*Corpus Christi nec per se, nec per accidens mouetur Physicè à mouente specie* 554.3. & 4.
*Corpus Christi non potest esse præsens vbi antè non fuit, sine omni mutatione.* 501.10
*Corpus Christi post Incarnationem posset desinere esse secundùm modum naturalem, & manere Sacramentaliter.* 534.6. 537.10
*Corpus Christi potest oculo corporeo videri vt hîc, miraculosè.* 568.9
*Corpus Christi potuitnè esse sub speciebus ante Incarnationem.* 536.6
*Corpus Christi prius naturâ est sub speciebus, quàm conseruetur sub illis.* 593.25
*Corpus Christi quoad substantiam non mutatur.* 623.59
*Corpus Christi quomodo sit sub speciebus.* 499.36
*Corpus Christi quo sensu possit dici esse præsens ipsis punctis eâdem præsentiâ, quæ est ad partes.* 575.16
*Corpus Christi sicut in conuersione habet mutationem acquisitiuam* vbi *sine deperditiua, sic panis habet deperditiuam sine acquisitiua.* 667.15
*Corpus Christi si fieret præsens sub accidentibus simul cum substantia panis, an propositio esset vera, quæ designaret præsentiam eius.* 612.10
*Corpus Christi si formaretur de sanguinibus Virginis, qualis tunc esset concursus Virginis.* 539.18. *concurreret ad* esse *secundarium. ibid.* 19. *an tunc esset Mater Christi.* 539. *ibid. in* fieri, *non, in* facto esse *sic.* *ibid.*
*Corpus Christi si sub modo naturali habeat partes, & proprietates, non est necessarium quòd habeat eadem sub modo Sacramentali, nec è conuerso.* 533.4. & 5
*Corpus Christi vt contentum sub speciebus non habet rationem subiecti; nec actiuitatem respectu specierum; neque in seipso continet genus subiecti.* 592.17
*Corpus Christi vt existit in Eucharistia secundùm præsentiam Sacramentalem, quà totum in toto, & totum in qualibet parte non potest videri oculo corporeo, etiam supernaturaliter.* 579.29
*Corpus Christi vt in Eucharistia non potest moueri primò mutatione propriè dictâ à virtute creata.* 552.2. *potest tamen immediatè à Deo.* *ibid.*
*Corpus Christi, vt in Sacramento, vtrùm possit videri oculo corporali.* 571.1. & *seq.*
*Corpori Christi naturaliter existenti, & eidem Sacramentaliter existenti an insint eædem partes, & proprietates.* 531.1. & 2
*Corpus Christi contineri realiter sub specie panis, & vini, an sit possibile.* 487.1. & *seq.*
*Corpus Christi esse cum substantia panis non magis repugnat, quàm cum quantitate eius.* 528.3
*Corpus Christi esse sub speciebus sine sui mutatione, sed per mutationem alterius in ipsum, impugnatur à Doctore quinque rationibus.* 500. *col.* 1. *per totum.*
*Corpus Christi esse sub specie panis, & vini verè realiter, est simpliciter de substantia fidei.* 488. 3. 489. 3
*Corpus Christi moueri motu impropriè dicto ad motum hostiæ.* 552.3
*Corpus Christi non sumi carnaliter visibiliter voluit Augustinus, & non aliud.* 488.4
*Corpus Christi Physicè moueri à Deo, moraliter à mouente specie.* 554.6
*Corpus Christi posse fieri præsens indiuisibiliter ante conuersionem.* 544.37
*Corpus Christi posse moueri, & mouetur primò, motu extensiuè sumpto.* 552.2. & *à qua virtute. ibid. non mouetur tamen concomitanter motu locali, quo mouetur*

tur primò, vt in cœlo; nec aliquod simili. ibid.
Corpus compars Christi designatur per pronomen, hoc, & meum. 635.91
Corpus constituens nequit esse connotatum extrinsecum. 635.88
Corpus contingenter se habet ad quamcunque positionem partium in loco. 507.54
Corpus cur separatâ animâ tendat in corruptionem. 655. 128
Corpus dupliciter potest sumi. 653.54. 411.10
Corpus dupliciter sumitur. 408.4
Corpus, & sanguis faciunt vnum signatum, & quomodo. 408.4
Corpus excedit membrum. 833. 109
Corpus idem possitne localiter esse simul in diuersis locis. 508. 1. diuersa de hoc sententia. 509. 2. & seq. pro sententia negatiua adducit Doctor rationes subtiles. 510. 4. quam refutat in generali. 511.5. & seq.
Corpus indifferens ad viuum, & mortuum tanquam differentias essentiales. 636.92
Corpus in diuersis vbi non potest esse animatum, & inanimatum. 535.8
Corpus indiuisibiliter positum non nutritur, non respirat. 563. 6. vt in Eucharistia non patitur, nec moritur. 563.6
Corpus in triduo esset sub speciebus sine anima. 634. 85
Corpus manet non manente animâ. 653. 54. & quare. 654. 55
Corpus non supponit precisè pro materia connotante. 635. 90
Corpus nullum animabile habet esse simpliciter perfectum sine anima. 654.55
Corpus posset esse vbique per Dei potentiam, non tamen ideò immensum esset. 519.14
Corpus si esset vbique, an esset immensum. 517. 14
Corpus tantùm habens esse Sacramentale an sine cibo perpetuò viueret. 557.13
Corpus terminus ad quem conuersionis, 631.80
Corporis constitutiuum sub speciebus ex vi verborum quid. 635.88
Corporis inceptio, & panis desitio in Eucharistia explicatur. 666.15
Corporis prioritas ad non esse panis, 665.20
Corporis quæ sit forma constitutiua. 630. 80
Corpus alibi quantum posse poni in Sacramento sine quantitate qui sentiant, 543. 29
Corpus esse indiuisibiliter in loco potest à nobis intelligi in via. 568.8
Corpus esse in pluribus locis quantitatiuè an sit facilius, quàm Sacramentaliter. 512.9
Corpus ponere alicubi cum suo modo naturali facilius est, quàm sine eo; in primo vnum, in secundo duo intercedunt miracula. 528.3
Corpus simul moueri posse, & quiescere. 526. 26
Corpus vnum esse in pluribus locis magis possibile est, quàm plura in vno. 511. 7. & seq.
Corpus vnum esse in pluribus locis non repugnat à priori, vel à posteriori; nec substantiæ etiam repugnat, nec quantitati. 514.2. & 3
Corpore discontinuato in modo naturali, discontinuatur in Eucharistia quomodo. 556. 11
ex Corpore, & anima fit vnum, sicut ex cera, & figura. 642. 110
in Corpore si esset noua forma, posset conseruari. 655. 129
Corpora duo esse in vno loco non est minùs impossibile, quàm vnum in duobus. 511. 6
Correlatio vna non potest esse, quin altera sit. 629. 79,
Corruptibile nihil est, secundùm Philosophum, quod non habet materiam, & quare. 774. 5
Corruptio duas ob causas non est annihilatio. 662. 9. in text.
Corruptio duplex, simpliciter, & secundùm quid, & quid vtraque. 539. 21. & simpliciter infert desitionem simpliciter. ibid.
Corruptio facta per naturam est simpliciter, & quare. 539. 22
Corruptio propriè dicta quid sit? 555.8
in Corruptione tria concurrunt. 662.12

C R

Creare, & annihilare solius est Dei. 54.113
Creari ex nihilo intelligi potest dupliciter. 27.48
Creatio actiua qualis relatio. 804.29
Creatio duplex. 803. 26
Creatio qualis relatio. 801.23
Creatio quid sit. 12.6
Creationis effectus nullam dicit dependentiam à materia. 20. 30
Creationis instrumentum non dari. 17.20
Creationis terminus à quo est nihil. 661.7
Creationem admittit Aristoteles. 27.48
Creationem an admiserit Philosophus. 28. 16
Creationem quæ potentialitas impediat. 27. 47
de Creatione controuersia inter Patres, & Philosophos, ac hæreticos. 14.9
Creatura annihilare nequit, & quare. 54.33
Creatura creare non potest. 8. 2. in comm. nec vt causa principalis, nec vt instrumentalis. 9.3
Creatura, licèt posset producere aliquid ex nihilo, non sequitur quòd posset formam accidentalem producere, & quare. 26. 46
Creatura limitatur in esse, & actione. 14.9
Creatura mouet occasionatiuè ad cognoscendum Deum. 45. 95
Creatura nequit creare ne quidem instrumentaliter. 81.5
Creatura nequit generare ex speciebus Eucharistiæ. 805. 33
Creatura nequit instituere Sacramentum. 71.4. in com.
Creatura nequit instrumentaliter Physicè concurrere ad creationem. 52.108
Creatura nequit in transubstantiationem. 88. 26
Creatura non potest annihilare, vel in materiam nudam reducere. 748.22
Creatura rationalis in gratia condita. 120.31
Creaturæ secundùm se esse commune, & particulare. 10. 4
Creaturam ne quidem instrumentaliter creare posse. 52. 31
Creaturam spiritualem non posse creare substantiam. 49. 28. & 104
Creaturæ ad Deum referuntur. 816. 20
Credibilia sunt in duplici differentia. 285.6
Credibilium tria genera. 286.2

C V

Cultus debetur authori supernaturalis vitæ. 816.25
Cultus est ex motiuo contenti. 421.47
Curatio perfecta hominis in duobus consistit. 5.2

C Y

Cyprianus non docuit contra fidem de Baptismo hæreticorum. 286. 6. nec habuit errorem perniciosum sibi. ibid. 3

D A

Dæmon semper malus. 304. 10
Dæmon, si permitteretur, posset videre integritatem Mariæ mentis, & corporis. 570.12

D E

Debitum donorum quale fuerit. 141.17

# Index rerum.


*Debitum duplex in homine ad Deum.* 814.9
*Debitum ex quo ſumatur.* *ibid.* 10
*Debitum legale an ſemper incurratur.* 814. 10. *& an ſit in omni actu.* *ibid.*
*Debitum Religionis eſt duplex.* 814.9
Decreti *Gregoriani circa confirmationem à Sacerdotibus datam, expoſitiones variæ, & dicendi modi refelluntur.* 387. 51. *&* 52
Definiri *propriè quid poſſit.* 57.2
Definitio *duplex.* 57.3.721.55
*Definitio latè ſumpta quid.* 57.3
*Definitio propria Sacramenti quæ.* 62.10
*Definitio propriè dicta requirit quinque conditiones.* 57.2
*Definitio* quid nominis *quid ſit.* 57.3
*Definitio quid ſit.* 56.2
*Definitio quorum ſit.* 56.2
*Definitio Sacramenti non eſt oratio in ſe falſa.* 60.5
*Definitionis Sacramentalis particulæ explicantur.* 60.7
*Definitionis Sacramenti conueniunt conditiones requiſitæ ad propriè dictam definitionem.* 58.7. *& ſeq.*
*in Definitione non omne quod ponitur eſt inſeparabile à definito.* 725.27
Demonſtratio *aliter poſſet fieri quàm per pronomen.* 596. 4
*Demonſtratio an excludat demonſtratum ab alio* eſſe *diuerſo alibi.* 601.15
*Demonſtrationis veritas ex conuerſione ſubſiſtit.* 615.34
*Demonſtrationi non obſtat inhærentia qualitatum.* 612.22
Demonſtratiuum *quando profertur, ſignificat quod demonſtrat.* 439.20
*ad* Denominationem *totius quid requiratur.* 235.16
*Denominationes extrinſecæ dantur.* 794.13
Dependentia *ad ſubiectum, & cauſam ſecundam contingens.* 709.24
*Dependentia à ſubiecto contingens.* 705.6
*Dependentia contingens formæ abſolutæ ſuppletur à prima cauſa.* 705.6
*Dependentia eſſentialis eſt ad aliquod determinatũ.* 515.6
*Dependentia in exiſtentia non infert dependentiam in operatione.* 578.27
*Dependentia maior agentis ab extenſione, quàm paſſi.* 562.5
*Dependentia per ſe duplex.* 709.22
*Dependentia quæ impedit dependentiam alterius.* 734.18
*Dependentia relationis ad fundamentum eſſentialiſſima.* 734. 18
*Dependentiam non reciprocari in eodem genere.* 578.26
*de Dependentia effectuum quatuor regulæ generales.* 709. 23
Deſinere *abſolutè, & ſimpliciter quid ſit.* 668.28
Deſitio *panis abſoluta.* 662.11
*Deſitio panis in Euchariſtia duabus congruentijs oſtenditur.* 617.13
*Deſitio panis quomodo requiratur.* 669. 33. *quare non ſit annihilatio.* 671. 43. *an ſit corruptio.* 671.46
*Deſitio panis ſub ſpeciebus, & deſitio ſimpliciter.* 671.42
*Deſitio rerum, & conſeruatio reſpiciunt eundem finem.* 710. 29
*Deſitio ſimpliciter concomitatur conuerſionem panis.* 671. 42
*per Deſitionem totius exiſtentis quid intelligatur.* 535.8
Determinatio *cauſæ influit habitudinem diuerſam.* 663. 13
*Determinatio per præſentiam non eſt fundamentum oppoſitionis.* 668.27
*Determinatio quæ requiratur in materia conſecrabili.* 685. 4
*abſque Determinatione nihil fit in caſu, & quare.* 685.36
Determinatum *includit conſtitutiuum determinatum.* 636. 94
Deus *an poſſet dimittere peccatum originale abſque collatione poſitiui contrarij.* 119.7
*Deus an poſſit glorificare exiſtentem in peccato habituali.* 122. 38
*Deus an poſſit non punire peccatum manens.* 122. 38. *& de qua pœna intelligatur.* *ibid.*
*Deus an poſſit reparare virginitatem.* 117.5
*Deus circa ſpecies decreuit facere, quicquid fieret, ſi adeſſet panis.* 767.21
*Deus creando naturam in vno, non creat in omnibus.* 30. 53
*Deus immediatè cauſat intelligentias.* 47.101
*Deus inſtituit Sacramenta.* 138.11
*Deus mediante Sacramento poteſt ex ſpeciali voluntate, dare effectum maiorem.* 270. 4. *illius effectus duplex cauſandi modus.* *ibid.*
*Deus neceſſariò agens ex Philoſopho, nequit producere ſe ſolo effectus cauſæ inferioris.* 11.5
*Deus nequit præcipere actum ex obiecto malum.* 304.10
*Deus nequit ſupplere materiam, & formam in genere proprio.* 780.11
*Deus non dereliquit communitatem ſine remedio efficaci certo.* 205.60
*Deus non dereliquit Eccleſiam ſine remedio.* 205.62
*Deus non ideò immenſus, quia vbique.* 519.15
*Deus poſſet conuertere panem in corpus Chriſti ſecundùm modum naturalem exiſtendi.* 500.37
*Deus poſſet facere corpus Chriſti præſens ſpeciebus ſine deſitione ſubſtantiæ panis, & qua præſentia.* 500.37
*Deus poſſet producere calorem in igne ſine quantitate.* 737. 13
*Deus poteſt agere ad viſionem ſenſibilis proprij præcisè.* 577. 24
*Deus poteſt cauſare abſolutum viſionis Chriſti, vt in Sacramento.* 576.17. *illa tamen viſio non eſſet corporis vt hîc.* *ibid.* 18
*Deus poteſt facere corpus præſens ſine conuerſione.* 530.2
*Deus poteſt media actione cauſæ ſecundæ producere formam ſine præuia alteratione.* 19.28
*Deus poteſt ſupplere cauſam materialem.* 19.27
*Deus qualem hominem poteſt creare, talem poteſt reparare.* 117.5
*Deus quomodo acquirat relationes de nouo.* 107.19
*Deus ſolus cauſa principalis Sacramentorum.* 138.6
*Deus ſolus Legiſlator, alij præcones.* 77.9
Deus ſolus reſpicit materiam vt eſt *quid; an vera propoſitio.* 621.20
*Dei ſolius eſt creare, & annihilare.* 54.112
*Deo ſoli ſubijcitur potentia obedientialis.* 83.8
*Deum aliquando ſecundùm legem, aliquando ſupra legem agere.* 273.12
*in Deum nihil poſſe conuerti.* 599. 8. *in comm. poſſe tamen vt termini partem tenet Vaſquez.* 600.10
*Deum quomodo cognoſcamus ex creaturis.* 355.7
*Deum ſupplere defectum intentionis occultæ qui dicant.* 327. 20
*Deum velle creaturam eſſe quid ſit.* 801.23
Deitas *vt ſit in Euchariſtia quid ſufficit.* 544. 35
*Deitatem impoſſibile eſt poni ex vi verborum in Sacramento aliter inſtituto.* 600. 14. *cuius contrarium tenet Vaſquez. ibid.* 10. *& in quo ſenſu.* *ibid.*
Diaconus *in neceſſitate diſpenſat Euchariſtiam.* 846.20
*Diaconi officium quod.* 306.19
*Diaconi in præſentia Preſbyteri, & Epiſcopi baptizare non poſſunt.* 306.18
Dicere *dicit relationem productiuam per intellectum.* 801. 23
*Dies naturalis apud Hebræos.* 678.8
*Dies quoad celebrationem quando incipiat.* 845.18

*Differentia inferior si includeret superiorem, in omni definitione esset nugatio.* 650.48
*Differentia quadruplex inter Eucharistiam, & alia Sacramenta.* 408.5
*Differentiam vltimam esse totam essentiam rei non vult Philosophus.* 649.47
Diiudicare *quid importet.* 445.2
Diminutionis *subiectum quod.* 651.51
Directio *est respectu contingentis tantùm.* 32.58
Dirigibilitas *respectu cuius sit.* 34.61. *eius necessitas. ibidem.*
Discipuli *non sunt vsi Baptismo Ioannis.* 100.
Disparitas *inter causas intrinsecas & extrinsecas per per quid appareat.* 625.65
*Disparitas inter* esse *Angeli, & artefacti.* 37.71
*Disparitas inter ministrum, & adultum.* 241.11
*Disparitas inter modos absolutos, & respectiuos.* 706.10
Dispensandi *cum Apostolis tollitur ratio.* 258.4
Dispensatio *nulla facta est cum Græcis in forma calicis.* 428.16
Dispositio *ad supernaturalia ex diuina prouidentia.* 92.37
*Dispositio connexa sequitur formam.* 749.12
*Dispositio duplex.* 103.78
*Dispositio exigit subiectum esse.* 749.13
*Dispositio fit simul cum forma in gradu necessitante.* 85.12
*Dispositio habens connexionem moralem tantùm in quibus sit.* 103.78
*Dispositio necessitans non semper est in eodem, aut supposito cum forma.* 103.77
*Dispositio non compatitur cum impedimento.* 84.11
*Dispositio nulla præuia, aut ornatus necessitat ad* esse *Christi in Sacramento.* 88.26
*Dispositio permanens est in eodem subiecto, in quo est forma.* 370.2. *in comm.*
*Dispositio præuia est causa.* 101.71
*Dispositio præuia non tollit formam subiecti.* 749.14
*Dispositio quomodo necessitet.* 92.37
*Dispositio sicut inest subiecto, ita & forma.* 103.79
*Dispositionis nulla necessitas.* 85.12
*Dispositione crescente, augetur effectus Sacramenti.* 450.23
*Dispositionis variæ acceptiones.* 368.38
Dissensus *secundùm* quid *non impedit valorem Sacramenti.* 239.3
Dissentiens *negatiuè, aut positiuè non baptizatus. ibid.*
Distantia *tanta est, quantum medium, vel eo deficiente, extremum.* 21.32
Distractio, *& defectus deuotionis actualis in sumente Sacramentum, impedit feruorem.* 483.59
Diuersitas *significationis respicit gratiam subsistentem.* 454.35
*Diuersitatem effectus in casu non sequi ex diuersitate ministrorum.* 309.1
Doctrina *Christiana est adimpletio Legis.* 197.10
Dolium *vini in duobus locis posset in altero tantùm exhauriri, tamen in vtroque partes quoad se haberent eandem continuitatem.* 556.11
Dolor *est de obiecto sensato tantùm.* 547.4
Domino *superiori contra inferiorem obediendum est.* 275.1. *in text.*
Domus *ad extrà quomodo fiat à Domo in mente.* 32.20
*Domus ad intrà, & domus ad extrà vniuocantur ad inuicem, & quâ vniuocatione.* 37.70
*Domus ad intrà perfectior domo ad extrà.* 33.20
*Domus est à sua cognitione, Angelus à sua non.* 34.21
Donum *diuersum in Baptismate, & confirmatione collatum.* 375.4
*Dona omnia ex Christo.* 141.16
*Donorum, & gratia partitio diuersa.* 272.7

D V

Dulcedo *quædam spiritualis datur in hoc Sacramento.* 447.12
*Dulcedinis spiritualis in Eucharistia impedimenta.* 448.12

E C

Ecclesia *cur sustulerit communionem sub vtraque specie.* 454.35
*Ecclesia eo spiritu exponit Scripturas, quo conditæ sunt.* 619.15 *dirigitur à Spiritu sancto. ibid.*
*Ecclesia iustis de causis prohibuit vsum calicis laicis.* 473.22
*Ecclesia non agnoscit necessariam esse realem sumptionem Eucharistiæ, tanquam medium necessarium ad salutem, etiam adultis.* 455.37
*Ecclesia petit etiam temporalia per Christum.* 142.18
*Ecclesia potest iustis de causis subtrahere viaticum periclitantibus.* 470.5
*Ecclesia præsumit de valore Baptismi, nisi aliud appareat.* 326.16
*Ecclesia quo sensu superior Sacerdote.* 833.109
*Ecclesia semper præsumit meliorem partem.* 241.2
*Ecclesia sex modis polluitur.* 845.150
*Ecclesia vna est.* 834.113. *vtitur signis materialibus.* 823.57. *huius vsus necessitas. ibid.* 58
*Ecclesia vnde colligat veritatem huius mysterij Eucharistici.* 500.39
*Ecclesiæ authoritas circa Sacramenta.* 466.56
*Ecclesiæ consecratio seu benedictio requiritur.* 842.141
*Ecclesiæ corpus includit spiritum quo vnitur, & viuificatur.* 833.111
*Ecclesiæ primitiuæ vsus baptizatos infantes communicandi quis.* 458.41
*Ecclesiæ primitiuæ vsus de communione sub vtraque specie.* 472.14
*Ecclesiæ primitiuæ vsus de communione facienda, quis.* 457.39
*Ecclesiæ suæ ritum quisque sequatur.* 683.26
*Ecclesiam Latinam semper consecrasse in azymo probabile est.* 684.28
*Ecclesiam teneri ad cultum sacrificij, nec sufficere oblationem crucis quæ est vniuersalis.* 823.59
*in Ecclesia an sufficiat portatile sine priuilegio.* 842.16
*Ecclesiæ quæ dicantur benedictæ.* 843.143

E D

Educentis *ordo ad eductum est prior priore.* 796.20
Educi *de potentia materiæ quid sit.* 82.4

E F

Effectus *dici potest vniuersalior dupliciter.* 11.7
*Effectus & intentio sacrificij per offertorium specificatur.* 825.68
*Effectus idem non potest fieri à quibuscunque, & quantumcunque diuersis.* 641.38.643.106
*Effectus inæqualis Sacramenti in adulto, & parnulo, & in adultis inter se.* 274.16
*Effectus miraculosus quid sit.* 92.35
*Effectus perfectior quomodo magis ostendat perfectionem causæ.* 54.32
*Effectus potest excedere causam æquiuocam partialem.* 740.16
*Effectus prior dicitur causa posterioris.* 96.15
*Effectus proprius materiæ nequit suppleri.* 780.11
*Effectus quoad* esse *absolutè, & hoc* esse *est ab eadem causa.* 16.13

# Index rerum.


*Effectus quomodo dicatur volitus per actum, qui modò non est.* 329.4
*Effectus Sacramenti de lege æqualis.* 270.3. *in comm.*
*Effectus Sacramenti determinatur, & quomodo.* 273.10
*Effectus Sacramenti Eucharistiæ causatur in instanti.* 450.20
*Effectus Sacramenti Eucharistiæ comparatiuè ad manna declaratur.* 493.16
*Effectus supernaturales, non miraculosi, supponunt dispositionem.* 92.36
*Effectus vniuersalior prædicatione, inquantùm talis, nunquam potest esse, nisi à causa vniuersaliori secundùm perfectionem.* 12.8
*Effectus dependentia terminata ad causam.* 792.6
*Effectus distinctio vnde sit.* 47.101
*Effectus diuersitatem non sequi ex diuersitate agentium.* 646.117. *neque ab agente, & potentia sumi vnitatem.* *ibid.*
*Effectus imperfectio non reducitur semper in causam.* 47.101
*Effectus ratio generalis appropriatur causis generalibus, & quare.* 17.19
*Effectus Sacramentalis determinatio in specie.* 273.10
*Effectum attingere immediatè est perfectionis, & quando, & quomodo.* 36.69
*Effectum maiorem Sacramenti conferri aliquibus paruulis non est contra Dei prouidentiam.* 272.8
*ad Effectum per accidens quid requiratur, & quid non.* 480.47
*ad Effectum per se Sacramenti Eucharistiæ vniformis est dispositio, & sufficit ad vtramque speciem.* 451.27
*de Effectu Baptismi errores.* 222.1
*Effectu formali negato, negatur forma in subiecto.* 537.8
Efficaciâ *Baptismi sublatâ quoad culpam, tollitur quoad pœnam.* 254.43
*Efficacia traditionis, & certitudo.* 338.11
*ad Efficaciam causæ quid requiratur.* 263.27
Efficientia *respectu iustificationis simpliciter tribuitur Deo.* 95.14

E L

*ex* Elemento *vno posse fieri mixtum.* 697.38
Elicere *actus virtutum infusarum an sit naturale iusto.* 704.4

E M

Emendationis *propositum requiritur in pœnitente.* 244.9

E N

Energumeni *sintne communicandi.* 446.8.447.8
Enim *in forma corporis quid denotet.* 430.22
Ens *diuiditur in nouem genera, & substantiam.* 58.5
*Ens omne creatum obiectum proportionatum intellectui creato.* 566.8
*Ens per per se, & ens per aggregatum differunt.* 60.6
*Ens simpliciter sumitur dupliciter.* 647.43. *diuiditur.* 648.121
*Entis creati perfectio finita est.* 21.33
*Entis tantùm est terminare actionem.* 705.5
*inter* Ens & nihil *qualis distantia.* 22.34
*Ens quodlibet conuerti in quodcunque, vtrùm sit possibile.* 595.1. & 2. *de hoc variæ sententiæ.* 596.1
Entitas *eadem panis post consecrationem non manet sub* esse *corporis.* 623.58

E P

Episcopus *an possit delegare potestatem confirmandi.* 390.63
*Episcopus ex ordine est minister ordinarius diuina institutione.* 390.63
*Episcopus nequit delegare ea, quæ sunt ordinis, sed tantùm iurisdictionalia.* 391.64
*Episcopus nequit dispensare cum non ieiuno, vt conficiat Eucharistiam.* 463.48
*Episcopus potest licentiare ad celebrandum in loco non sacro.* 842.14
*Episcopus quare alium Episcopum possit ordinare, & vnus Sacerdos alium Sacerdotem non possit, sicut nec Episcopum.* 389.60
*Episcopum non posse delegare benedictionem Chrismatis Sacerdoti.* 382.30. *Summi tamen Pontificis delegatio est valida.* 383.31
*Episcopi sunt successores Apostolorum in chrismando.* 397.75
*Episcopos succedere Apostolis, & Sacerdotes Discipulis, docent Concilia, & Patres.* 393.6

E R

Error *particularis non annullat Sacramentum, modò ad sit intentio.* 169.28
*Error priuatus non derogat Sacramentis.* 26.74

E S

Essentia *quare dicatur pelagus.* 805.32
*Essentiæ sunt sicut numeri.* 709.26
Esse *absolutè quid sit, & quis* esse *determinatum.* 667.25
*Esse actu in alio non conuenit accidenti, sicut actu esse per se substantiæ, & quare.* 724.23
Esse *commune, & particulare creaturæ secundùm se.* 10.4
Esse *determinatum esse à Deo.* 13.6
Esse *duplex corporis Christi.* 595.31
Esse *finitum non excedit potentiam finitam.* 24.39
Esse hic *non potest esse ratio incompossibilitatis corporis ad panem.* 664.13
Esse in *constituatne aliquod speciale genus.* 711.7
Esse, *inquantùm esse, est effectus Dei.* 14.8
Esse *non est aliud ab essentia.* 807.38
*Esse per se repugnat accidenti, sicut esse in alio, substantiæ.* 704.4
Esse *producitur in determinato ente.* 13.7
Esse *rei simpliciter non dependet à modo naturali.* 534.7
Esse *secundùm* quid *supponit* esse *simpliciter, quomodo.* 658.3
Esse simpliciter est proprius effectus Dei, *an vera propositio.* 10.4
Esse *transcendens non producitur nisi in determinato* esse. 13.6
Esse *vt* esse *est à causa secunda, & quomodo.* 13.6
Esse *nouum positiuum non dari accidentibus.* 704.4. *repugnantia ex impossibilitate mutationis ad illud* esse, *& ex negatione specierum simul ad negationem generis.* *ibid.*
*ad* Esse *morale nulla causa potest agere Physicè.* 95.47
*per* Esse *primum quid intelligatur.* 16.18
*ad* Esse *substantiæ non requiritur accidens.* 656.134
*Ad* non esse *nihil inclinat naturaliter.* 749.13
*in* Esse *miraculosè positum sic manet, donec ab alio mutetur.* 625.24
Est *copulat extrema vltimo instanti completæ prolationis, ad quod instans refertur etiam demonstratio.* 444.53

E T

Etymologia, *& vsus vocis* Sacramentum. 56.1. *in com.*

E V

Eucharistia *an det nutrimentum quod deleat peccatum, recedente fictione.* 479.43

*Eucharistia an det perseuarantiam.* 456.37
*Eucharistia an sit aliqua vna forma.* 422. 3
*Eucharistia an sit necessaria parunlis.* 458.41 *& seq.*
*Eucharistia an vnum Sacramentum.* 410. 9. *an sumatur quandoque pro pluribus. ibid.* 10. *diuersitas probatur. & ex quibus arguatur, ibid.* 11
*Eucharistia dat auxilia specialia ad extinguendum fomitem.* 448.15
*Eucharistia habet vnitatem integritatis.* 408.4
*Eucharistia in voto non habet necessitatem particularem medij.* 456.36
*Eucharistia licèt non habeat necessitatem rigorosam medij, habet tamen moralem.* 457.39
*Eucharistia melius disposito confert maiorem gratiam, & quomodo,* 450. 22
*Eucharistia non dat effectum recedente fictione, si iam desijt sumptio.* 451.25
*Eucharistiaquando non ieiuno datur.* 460.3
*Eucharistia num quandoque det primam gratiam.* 475. 2
*Eucharistia posset esse pane manente, si Deus vellet.* 618. 14
*Eucharistia potuit esse ante Incarnationem, sicut modò, explicatur.* 533.6.537.9
*Eucharistia quadrupliciter sumitur.* 445.2. *in text.*
*Eucharistia quando confert gratia augmentum diuersorum diuersa sunt sententia.* 449.18
*Eucharistia quare dicatur figura, & signum.* 496. 26. *illam dici figuram non excludit veritatem. ibid.*
*Eucharistia quomodo contineat sanctitatem.* 416.30
*Eucharistia quomodo differat ab alijs Sacramentis.* 417. 35
*Eucharistia sacrificium propitiatorium, & holocaustum.* 828. 83
*Eucharistia Sacramentum simul, & sacrificium.* 465.54
*Eucharistia si fuisset in triduo mortis Christi, esset ibi forma corporis sine anima.* 654.57
*Eucharistia si institueretur ante Incarnationem, idem esset Sacramentum, quod nunc, fieret tantùm connotatio diuersa actionis.* 537.12
*Eucharistia sola est Sacramentum permanens, & eius vsus non est Sacramentum.* 408. 5
*Eucharistia Symbolum corporis mystici* 191.14
*Eucharistia Symbolum Ecclesia.* 410.7. *est verum Sacramentum.* 410.8
*Eucharistiæ comparatio secundùm dignitatem ad alia.* 414. 24. *Eius dignitas in significando. ibid.* 25. *qualiter certiùs significet quàm alia? ibid.*
*Eucharistiæ definitio.* 407. 2
*Eucharistiæ definitio secundùm Doctorem.* 410.3
*Eucharistiæ duplex forma.* 162.5
*Eucharistiæ effectus præscribitur.* 457. 39
*Eucharistiæ effectus quis?* 109.95
*Eucharistiæ essentia in quo consistat in recto, varia opiniones.* 415. 28. *impugnantur. ibid.* 29
*Eucharistiæ excellentia triplex super alia Sacramenta.* 408. 5
*Eucharistiæ institutio ex Scriptura.* 491. 7. *& seq. & de hac variorum errores refelluntur.* 491. *ibid. per totum.*
*Eucharistiæ institutionem congruam esse variis congruentijs probatur.* 410.6. *& seq. Eius promissio ex Scriptura. ibid.* 5
*Eucharistiæ integritas in quo requiratur?* 461. 7
*Eucharistiæ materia quæ sit, & quæ forma.* 409. 7
*Eucharistiæ nullus effectus est necessarius adulto vt medium.* 455. 37. *probatur enumerando effectus. ibid.*
*Eucharistiæ ratio non est falsa.* 407. 2
*Eucharistiæ realis sumptio infantibus non est necessaria ad salutem.* 455.36
*Eucharistiæ Sacramentum durabit cum Ecclesia vsque ad tempus Antichristi.* 410. 5
*Eucharistiæ Sacramentum præseruat à mortali, & quo sensu.* 448.13. *& remittit venalia. ibid.* 14
*Eucharistiæ Sacramentum quando institutum.* 681. 22 *diuersa sunt sententiæ. ibid. institutio facta est in fine cænæ vsualis. ibid.*
*Eucharistiæ variæ appellationes.* 409. 1 *& seq.*
*Eucharistiæ votum non continetur in Baptismo, & Pœnitentia, quod ex eius effectu ostenditur.* 456.38
*in Eucharistia an sit accidens aliquod sine subiecto.* 702. 1
*in Eucharistia contentum ex vi verborum aliud est, & aliud contentum ex concomitantia.* 505.48. *in comm.*
*in Eucharistia forma est effectiua, non quasi informans.* 161. 4 *in comm.*
*in Eucharistia nihil est, cui attribui posset transsubstantiatio, vt causæ physicæ.* 83.5
*de Eucharistia tractantes.* 406.2
*in Eucharistia tria discerni possunt.* 418.36

E X

Excellentia *Dei ex quibus consurgat?* 814. 12. *est in triplici genere.* 815.16
*Excellentia Dei absolutio debetur cultus.* 816. 20
*Excellentia Dei, & subiectionis creaturæ ad eum varia motiua.* 817. 29
*Excellentia in Eucharistia gradus secundus.* 414.26
Excessus *in quantitate materiæ consecrabilis dupliciter potest contingere.* 684.32
Exemplar *in mente est mensura arte facti.* 37. 72
Existentia *an distinguatur ab essentia?* 649. 46
*Existentia causæ non est existentia effectus.* 415. 29
*Existentia corporis Christi non videtur à Beatis in genere proprio ex vi luminis beatifici.* 571. 15. *nec per se. ibid.* 14
*Existentia corporis Christi sub modo naturali est quantitatiua.* 535. 5
*Existentia corporis in Sacramento qualiter supernaturalis?* 595.33
*Existentia & præsentia tantùm requiruntur ad visionem simpliciter, quarum prima non dependet ab extensione, & secunda ab ea abstrahit.* 578.25
*Existentia moralis non constituit signum sensibile* 415. 29
*Existentia naturalis non dependet à Sacramentali; nec vna infert aliam per se.* 535. 2. *& 3*
*Existentia realis causæ requiritur ad actionem realem.* 85. 15
*Existentia rei est alia à modis essendi contingentibus* 538. 15
*Existentia sub modo naturali non est de essentia, neque causa existentia sub modo Sacramentali.* 536. 5. *& quantitatiua nec terminat, neque fundat Sacramentalem. ibid.*
*Existentia substantialis & simpliciter corporis Christi indifferens est ad modum existendi quantitatiuum, & Sacramentalem.* 535.3
*Existentiam Christi realem in Eucharistia quis primò negauit.* 489.2
*ad Existentiam successiui quid sufficiat.* 415.29. *& quid existentia permanentis. ibid.*
*de Existentia reali, & Sacramentali Christi in Eucharistia.* 487. *in comm.*
Existere *in pluribus locis non variat subiectum.* 557. 8. *nec qualitatem, aut inhærentiam. ibid.*
Expressio *causæ principalis denotat instrumentum.* 167. 20
Extensio *entitatiua sufficeret ad sensationem.* 731. 3
*Extensio quare requiratur ad sensationem.* 573.2

*Extenſio quomodo requiratur in obiecto, vt potentia tendat.* 579.31
*Extenſio requiritur in obiecto ad cauſandam, & terminandam viſionem.* 577.18
*Extenſio ſenſibilis conditio eſt agendi, & patiendi.* 574.8
Extrema *quando ſunt immediata, tanta praecisè eſt eorum diſtantia, quantum eſt extremum alterum maius.* 20.11
*Extrema quomodo vniantur.* 716.49
*Extrema ſupponunt pro relatione.* 62.10

F A

Facies *mortui quâ ratione æquiuocè dicatur pars.* 643.112
Famæ *poſſeſſio quid efficiat.* 291.10
Fames, *quia quid abſolutum, non variatur ad variationem loci.* 519.16. *vbi & de temperie, & intemperie. ibidem.*

F E

Ferens *lapidem, cui inſidet Angelus, non ideò fert Angelum.* 553.5
Feſtorum *ritus.* 678.8

F I

Fictio *duplex.* 241.2
*Fictio per Pœnitentiam tollitur.* 246.16
*Fictio quid, & quot modis contingat.* 242.1
*Fictio ſecundo modo tripliciter contingit.* 242.1
*Fictione recedente datur gratia Baptiſmalis, & pœnitentialis.* 247.7. & 248.17
Fictus *an validè baptizetur.* 263.26
*Fictus non eſt in Chriſto, ſed in nomine eius baptizatus.* 255.44
*Fictus non iuſtificatur.* 242.2
*Fictus quis dicatur.* 241.2
*in Fictо eſt obex reſpectu Pœnitentiæ Sacramenti, niſi concurrat Baptiſmus.* 251.20
Fideles *alij à Sacerdote quomodo offerant ſacrificium.* 834.114
Fides *Eccleſiæ non eſt diſpoſitio neceſſaria ad Baptiſmum infantis.* 231.3
*Fides, & ſcientia de eodem non ſunt.* 569.12
*Fides explicita Trinitatis eſt neceſſaria.* 181.79
*Fides impetratoria eſt.* 253.35
*Fides in Lege Euangelica perfectior.* 112.6
*Fides non ita tendit in credibilia, ſicut ſcientia in ſcibilia.* 221.1
*Fides non minuit ius paternum in filios.* 277.6
*Fides prima diſpoſitio adulti ad iuſtificationem in Baptiſmo.* 242.2
*Fides quomodo diſponat ad conuerſionem.* 372.4
*Fides quomodo haberi poſſit de eo quod non eſt viſum, nec cognitum in ſe.* 565.6
*Fides ſupponit doctrinam.* 204.54
*Fidei deſtructio ex impropria interpretatione Scripturæ.* 490.4
*Fidei efficacia in Lege noua.* 112.6
*Fidei neceſſitas.* 229.30
*Fidei parentum efficacia.* 112.5
*Fidei, aut operibus non fuit derogatum in lege noua.* 112.6
*Fidem miniſtri non requiri ad valorem Baptiſmi.* 229.31
*Fidem, ſpem, & charitatem infundi, & gratiam vniuerſaliter in prima iuſtificatione peccatoris, & ſpeciatim infantibus,* 229.30
*de Fide aliquid eſſe contingit tripliciter.* 606.5
in Fide Trinitatis *Baptizari idem eſt, quod* in nomine. 172.43
*Figura an ſit quid reale.* 33.20
*Figura, & ſitus exiguntur, non ita perfectas quantitatis.* 708.19
*Figura neceſſaria ad animabilitatem corporis.* 504.13
*Figura quid addat quantitati.* 766.19
*Figura quid ſit, & quid dicat materialiter, & formaliter.* 525.29
*Figuræ vſus quis ſit.* 492.12
*Figuram ſequi ad* vbi *verum, vel imaginarium.* 525.29
Figuratio *ſequitur ad ipſum* vbi. 525.29
Filius *perueniens ad vſum rationis baptizatur volens inuitis parentibus.* 278.9. *& non ſubeſt parentibus in præiudicium ſalutis. ibid.*
*Filij fidelium inuitis parentibus validè baptizantur.* 240.9
*Filij hæreticorum, & infidelium baptizari poſſent inuitis parentibus.* 277.6
Finis *intentionis duplex.* 324.6. *& eius intentionis modus diuerſus.* 324.6
*Finis inſtitutionis Sacramenti eſt gratia, ad quam non requiritur actio Phyſica.* 94.44
*Finis primarius meriti quis.* 261.17
*Finis ſeptem Sacramentorum.* 135.3. *in text.*
*Finis intentio inducit electionem.* 456. *col.* 2
Fit *aliquid ex aliquo dupliciter.* 586.3.

F O

Fœmina *non vniuocè, ſed æquiuocè generatur.* 643.112
Fomes *quid ſit.* 269.1. *in comm.*
*Fomes quomodo minuatur, exemplo declaratur.* 269.2. *in text.*
Forma *abſoluta non dependet eſſentialiter à ſubiecto.* 718.52
*Forma accidentalis & ſubſtantialis tripliciter differunt.* 630.26
*Forma an cauſet vt vera.* 182.14
*Forma cadaueris à quo cauſaretur.* 642.107. *non à cauſa vniuerſali. ibid. nec ſequitur ex diſpoſitione particulari materia. ibid.* 108. *nec etiam productionis talis forma datur finis. ibid.* 109
*Forma cadaueris non conſtituit partem Chriſti.* 637.94
*Forma calicis eſt certa.* 427.6
*Forma completur per prolationem integram.* 86.17
*Forma confirmationis Græcorum explicatur.* 394.67
*Forma confirmationis oſtenditur.* 394.66. *quare non ex Patribus. ibid. vtrum omnia verba eius ſint eſſentialia. ibid.* 67
*Forma connotat ablutionem, vt eſt à proferente.* 312.13
*Forma conſecrationis eſt diſpoſitio neceſſitans.* 104.79
*Forma conſecrationis propriè eſt intelligenda.* 497.32
*Forma conſecrationis quomodo proferatur à Sacerdote.* 434.36. *diuerſæ ſunt ſententiæ. ibid. & ſeq.*
*Forma conſecrationis quo ſenſu falſa, vel non determinatè vera.* 436.40. *reſolutio principalis de ſenſu eius. ibid.*
*Forma conſecrationis ſanguinis tam Græcorum, quàm Latinorum eſt valida.* 428.12
*Forma continens formam continentem formas alias, continet ab hac contentas.* 641.37
*Forma corporeitatis an ſit ſimplex.* 655.130
*Forma corporeitatis eſt prius anima tanquam diſpoſitio eius.* 643.39
*Forma cur exiſtat indiuiſibiliter.* 558.13
*Forma dans actum ſecundum, dæ primum.* 807.38
*Forma denominat ſubiectum, in quo eſt.* 793.9
*Forma deprecatiua foretenùs valida in hoc Sacramento, & qua ſit illa.* 395.70. *& ſeq.*
*Forma enunciatur in remiſſionem peccatorum.* 174.50. *eſt de ſe remiſſiua peccati. ibid.*
*Forma eſſentialis calicis qua ſit ſecundum Doctorem.* 428.14. *qua verba ſint de eius eſſentia, & qua non. ibid.* 16

# Index rerum.


*Forma essentialis consecrationis corporis quæ sit.* 428.15
Forma est via ad Sacramentum, *quomodo hoc sit intelligendum.* 416,32
*Forma Eucharistiæ non designat in modo significandi ministrum.* 167.21
*Forma Eucharistiæ quæ sit.* 409.7
*Forma hîc primò producta non prius est in subiecto hîc, quam alibi.* 557. 9
*Forma* hoc est Corpus meum *absolutè prolata sine præcedentibus quid denotet.* 425.
*Forma ignis non generatur per calefactionem.* 87.21
*Forma in Eucharistia est effectiua, non quasi informans.* 161. 4. *in comm.*
*Forma in Pœnitentia est actus iuridicialis.* 161. 4. *in comm.*
*Forma in subiecto tollit priuationem absolutè.* 522.22
*Forma inuersa exprimit causam principalem.* 181.78
*Forma ita ineſt subiecto, sicut & dispositio.* 103.79
*Forma materialis à creatura creabilis non est.* 50. 28
*Forma materialis dependet à materia.* 50.105
*Forma materialis non est creatiua.* 50.29
*Forma materialis non potest esse principium creationis.* 51. 106
*Forma materialis requirit materiam præsuppositam.* 30. 55
*Forma mediante inhærentiâ respicit subiectum, & quomodo.* 723. 58. *& quomodo causet.* *ibid.* 86.16
*Forma mutatur, vt significat.*
*Forma naturalis, & impressa instrumenti eodem modo dependent à materia.* 20.30
*Forma non mutatur ad magis, vel minùs intra suum genus.* 763.11
*Forma nullæ in genere perficit, nisi quà secundùm speciem perficit.* 507. 53
*Forma nulla Physicè agit in subiectum primum.* 749.12
Forma omnis substantialis dat *esse* simpliciter *explicatur.* 651.50
*Forma omnis substantialis habet qualitates comitantes, sine quibus non informat.* 654.56
*Forma Pœnitentiæ quomodo deleat peccatum.* 108.91
*Forma quare absoluitur à loco, vt ineſt subiecto.* 548.1
*Forma quà significatiua, non est subiectum formæ realis.* 91. 32
*Forma quatuor modis mutatur secundùm quantitatem.* 179. 11
*Forma quomodo concomitanter inſit alibi.* 557.8
*Forma Sacramentalis de se continet virtute remissionem peccati.* 266.37
*Forma Sacramentalis est determinata significationis.* 636. 95
*Forma Sacramenti determinat causam principalem.* 104. 80.
*Forma sanguinis, quam tradit Lucas, an essentialis.* 430. 23
*Forma separata minùs corruptibilis.* 728.69
*Forma substantialis an dependeat à materia.* 50.104
*Forma substantialis an possit perficere materiam accidentalem.* 779. 8. *in text.*
*Forma substantialis dat* esse *simpliciter.* 648.121. *& 652.* 124. *quomodo hoc ipsi competat.* *ibid. alia eius differentia.* *ibid.*
*Forma substantialis determinat sibi gradum qualitatis consequentis.* 508.54
*Forma substantialis separata an generaret.* 757. 39. 758.20
*Forma verbalis est effectiua Sacramenti Eucharistiæ.* 416. 30
*Forma verbalis Eucharistiæ quomodo se habet.* 415.30
*Forma verbalis integritate causæ, & rei signatæ una est.* 412. 15
*Forma virtute agentis naturalis non replicatur ex replicatione subiecti.* 558,11
*Forma vna an possit esse in pluribus materijs.* 624.61
*Forma, vt significat, est fundamentum significationis, & virtutis Sacramentalis.* 86.16
*Formæ accidentalis à substantiali saluatur distinctio non obstante pluralitate formarum.* 648.45
*Formæ ad subiectum duplex comparatio.* 548.1
*Formæ conseruatio à quo sit.* 727.65. *à materia in ordine ad agens,* *ibid.*
*Formæ duplex effectus.* 635.90
*Formæ in proposito duplex est determinatio.* 442.43
*Formæ, quà significatiua est præcisè, affectiones.* 86.16
*Formæ Sacramentalis sufficientia ex fine colligitur.* 429. 18
*Formæ sensus non est significatio partium.* 87.20
*Formæ sensus possunt variari.* 686.41
*Formæ significatio tota simul, & non successiua.* 86.20
*Formæ significatum est corpus organicum, non commune.* 635. 90
*Formæ significatio duplex.* 264. 31. *in quo consistat.* *ibid.* 32
*Formæ substantialis Sacramenti pars qualibet requiritur.* 87. 23
*Formæ veritas maneret quantùm ad demonstrationem particulæ, quamuis substantia panis maneret.* 610.10
*Formæ vtriusque, corporis scilicet, & sanguinis æquiualentia.* 429.18
*Forma substantiali competit actio.* 758.21
*Formæ substantiali separatæ ineſſet quantitas, & qualitas.* 758.22
*Formam alicuius generis non respiciens essentialiter, non respicit essentialiter ipsum genus.* 505.15
*Formam Baptismi connotare peccatum quo fundamento asseratur.* 265.34
*Formam Baptismi connotare peccatum est illud delere in re, vel in voto.* 264.33
*Formam cadaueris Christus non assumpsit.* 637.95
*Formam consecrationis dici in persona Christi sinè requisitum.* 425.8
*Formam consecrationis non esse validam sine verbis præmissis.* 425.8
*Formam contigens continet perfectionem eius inclusam.* 641.104
*Formam corporeitatis dari probatur duabus rationibus.* 630.28. *& multis Sanctorum auctoritatibus.* 632.31
*Formam corporis non esse dispositionem necessitantem ad animam.* 654.56
*Formam Græcorum fuisse olim licitam, & forte modo apud ipsos.* 164.6
*Formam non connotare peccatum, quando non confert gratiam.* 265.35
*Formam per inuocationem implicitam non valere* 171. 40
*Formam produci ex materia non variat effectum.* 646. 118
*Formam propriam excedens nihil aliud eminenter, aut virtualiter continet.* 45.94
*Formam replicari non esse nouum miraculum.* 558.11
*Formam substantialem esse immediatè productiuam.* 743. 10. *& immediatè producere accidentia aliqua* *ibid.* 11
*Formam substantialem non educi ex potentia quantitatis.* 779. 8. *in comm.*
*Formam supernaturalem dari in substantia.* 82.5
*in Forma Baptismi exprimenda.* 165.17
*Formâ genitâ adueniente definit dispositio prior ipsa.* 749. 13
*de Forma consecrationis corporis varij dicendi modi* 428.13.14. *& seq.*

*Forma corporeitatis desinente in modo naturali, desinatnè in Eucharistia.* 555.8
*Formæ absolutæ comparantur ad subiectum, sicut proprietates.* 522. 23
*Formæ contrariæ an possint esse simul de potentia absoluta.* 522.23
*Formæ contrariæ formaliter se expellunt.* 104. 83
*Formæ dependentes à loco qua sint, & quæ concomitantes ad* vbi. 522.24
*Formæ duæ vltimæ nequeunt constituere idem numero quando non subordinantur.* 312. 11
*de Formarum pluralitate quæstio Philosophica.* 239. 102
*Formas aliquas esse transeuntes, & dependentes à continuo fluxu suæ causæ non negat Scotus.* 93.42
*Formas plures in animatis necesse est ponere.* 653. 54
*Formas plures esse in homine ex diuersitate agentium, & variis declarationibus probatur.* 640.103
*inter Formas substantiales posterior semper est perfectior.* 648. 44

F R

Fractio *specierum est, non contenti sub speciebus.* 418.35
Frangere *ratione cuius dicatur de Sacramento Eucharistiæ.* 497.32
Frigore *& calore positis in quantitatibus separatis, quomodo se corrumperent.* 753. 30
Fructus *ex sanctitate ministri quomodo crescat- ad Fructum Sacramenti quid requiratur.* 126 446. 5
Frumentum *sumitur antonomasticè pro tritico.* 675.5
*Frumenti variæ species.* 675.3

F V

Fundamenti *prima pars dici potest materia respectu sequentium, actualius tamen forma respectu potentialioris.* 161.3. *in text*
Furiosus, *qui quandoque vsus est ratione, quomodo baptizandus.* 236.2

G E

Generans *vt disponit ad infusionem, est causa.* 102.73
Generare *an sit* referri. 801.23
Generare *dicit relationem productiuam per naturam.* 801.23
Generatio *duplex, & vtriusque differentia.* 590.8
Generatio est transmutatio totius in totum, *explicatur.* 586.2
*Generatio Filij non est actio de genere actionis.* 799.17
*Generatio quare non sit motus.* 630.26
*Generatio quomodo non inferius ad mutationem.* 589.8
*Generatio quomodo sit terminus alterationis.* 742.9
*Generatio vniuoca quando fiat.* 740.3
*Generatio vnius partis totius præcedit tempore alterum partium generationem.* 646.41
Generatione posterius corruptione prius *exponitur.* 751.26
*in Generatione totum per se transit in totum per se, in alteratione verò totum per accidens in totum per accidens.* 586.2
Genitum *quare sit, vbi fuit corruptum.* 598.6
Genus, *& differentia vt se habent ad alia.* 65.20
*Genus quare non prædicetur de differentia.* 623.127
*Generis vnius quod est, an possit de nominare res alterius generis.* 711.7
*Genera decem an exhauriant totum ens.* 502.11
Gentiles *non obligabantur ad Baptismum ante præceptum.* 204.56

G L

Gloria *excedit meritum viæ.* 143.24

G R

Gradus *supernaturalis duplex.* 82.7
*Gradus eiusdem formæ possunt esse diuersæ rationis in ordine ad subiectum, & quare.* 751. 24
Græci *an peccent non conformando se Ecclesiæ Latinæ, & si sic, quale illud peccatum erit.* 683.26
*Græci miscent calicem ante, & post consecrationem.* 698.43
*Græci veritatem Sacramenti Eucharistiæ ante, & post schisma cum Latinis admittunt.* 495.24
Granum, *& legumina quomodo distinguantur.* 674.1. *in comm.*
*Gratia an creetur.* 99.61
*Gratia an detur sine fide, & spe.* 222.3
*Gratia Baptismalis datur secundum dispositionem suscipientis.* 271.5
*Gratia Baptismalis minuit fomitem.* 269. 2. *in comm.*
*Gratia confirmat.* 109.96
*Gratia creatur, tamen ex pacto petit dispositionem subiecti præuiam.* 52.31
*Gratia demeritoriè perditur.* 100.64
*Gratia diuisibilis est.* 85.13
*Gratia eadem collata per vtramque speciem, tollatnè quin vna species accedens alteri maiorem tribuat gradum.* 452.28
*Gratia est res, extrema vnctionis.* 109.96
*Gratia fit in instanti.* 85.13
*Gratia forma communis, non propria.* 121.33
*Gratia gratis data, & gratum faciens in quo distinguantur.* 343. 11
*Gratia habitualis quomodo attingatur à Sacramento.* 128.53
*Gratia habitualis vnctione finis trahit secum media gratia actualis.* 128.52
*Gratia in adultis ordinatur ad merita.* 274.14
*Gratia in Circumcisione quomodo causetur.* 111.3
*Gratia in definitione Sacramenti data non est essentialis.* 408.4
*Gratia intuitu nostri gratis, Christi verò, ex iustitia.* 140. 11
*Gratia necessaria ad salutem confertur per vnam speciem.* 472.15
*Gratia non creatur, & hinc non fit à Sacramento Physicè.* 81.4. *in text.*
*Gratia non existit per se, quamuis non dependeat à subiecto.* 100.66
*Gratia non opponitur formaliter peccato originali.* 118.6
*Gratia non statuit æqualitatem inter merita.* 143.25
*Gratia nulla datur sumenti Eucharistiam post instans completæ manducationis.* 450. 21
*Gratia ordinat ad finem immediatè, iustitia mediatè.* 121. 36
*Gratia primi hominis in quo statuenda.* 121.35
*Gratia promissa dignè sumenti Eucharistiam.* 451.25
*Gratia quæ requiratur in matrimonio.* 109.96
*Gratia quomodo gratis data.* 141.16
*Gratia quomodo inhæreat.* 100.65
*Gratia Sacramentalis quid sit.* 108.93
*Gratia Sacramentalis quomodo definita.* 272.8
*Gratia sanctificans cum iustitia transiret in posteros.* 121.35
*Gratia sanctificans perfectiùs continet iustitiam in ordine ad finem.* 121.35
*Gratia, secundùm aliquos, producitur in vltimo* mutato esse *prolationis.* 87.22
*Gratia vtrùm sit habitus.* 226.16
*Gratiæ actualis necessitas.* 111.2
*Gratiæ augmentum datur in Eucharistia in instanti completæ manducationis, non priùs.* 449.19

# Index rerum.


*Gratiæ augmentum ex frequentia Sacramenti.* 483. 57
*Gratiæ Baptiſmalis inæqualitas vnde ſit.* 270. 3. *in tex.*
*Gratiæ conſeruatio & deſitio.* 100. 64
*Gratiæ datio an principaliùs intendatur, quàm peccati expulſio.* 124. 9
*Gratiæ habitualis augmentum cauſatur in Sacramento Euchariſtiæ.* 447. 10
*Gratiæ prima diſtinctio à gratia Chriſti.* 121. 34
*Gratiæ prima diſtinctio à rectitudine naturæ.* 121. 34
*Gratiæ primi hominis diſtinctio à gratia Chriſti. ibid.*
*Gratiæ Sacramentalis cauſæ ſunt variæ.* 270. 3. *in comm.*
*Gratiæ virginalis abundantia.* 260. 14. *nec qui dicunt quòd meruerit fieri Mater Dei, ab hoc debent abhorrere. ibid.* 15
*Gratiam amitti potuiſſe ſine amiſſione iuſtitiæ originalis.* 121. 32
*ad Gratiam an vlla forma neceſſitet.* 84. 10
*Gratiam dari ficto per vtrumque Sacramentum, defendit Doctor, & quo ſenſu.* 252. 32
*Gratiam dari infanti per Baptiſmum, concluſio eſt fidei.* 222. 1
*Gratiam diuerſam cauſari in Sacramento ex ſpeciali Dei volantate,* 272. 7
*Gratiam infundi, & creari, quomodo intelligendum.* 99. 62
*Gratiam non conferri otioſè infanti.* 228. 28
*Gratiam principaliter intendi patet in naturalibus, moralibus, & ſupernaturalibus.* 124. 10
*Gratiam ſanctificantem non conſiſtere in actu antecedente Baptiſmum.* 227. 20. *neque in actu conſequente, ibid.* 21
*Gratiæ actuali vnde poni poteſt obex.* 128. 52
*de Gratiarum actione, & benedictione quid dicendum.* 433. 32

G V

Gutta *vltima quomodo cauet in virtute precedentium.* 83. 5

H A

Habere *ſe aliter, quàm priùs, quid ſit.* 589. 7
Habitudines *diuerſa in concreto poſſunt eſſe ab eodem abſtracto.* 589. 9
Habitus *dupliciter conſideratur, per modum ſcilicet principij, & formæ.* 368. 39
*Habitus fidei conſequitur infuſionem gratiæ.* 372. 4
*Habitum indifferentem dari.* 362. 16
*Habitus ſupernaturalis eſt potentia, naturalis non.* 362. 16
*Habitus ſupernaturalis poteſt eſſe diſponens ad actum boni, licèt non ſit eius principium proximum elicitiuum,* 362. 16
*Habitus vnus eſt diſpoſitio ad alium. ibid.*
*Habitum gratiæ eſſe in adultis ex communi conſenſu.* 226. 16
*de Habitu, & actu indifferenti in indiuiduo.* 363. 20
Hæreticus *poteſt conficere in fide Eccleſiæ, licèt erret in particulari circa eam.* 810. 5
*Hæreticus validè offert cum intentione vniuerſali.* 831. 97
*Hæretici quid de corpore Chriſti dixerint.* 638. 101. *& quomodo Patres ipſis contradixerint. ibid. qui intelligendi ſunt vt verba ſonant. ibid.*

H I

*ly* Hic *in forma conſecrationis quomodo ſumatur.* 442. 46
*ly* Hic *reſpectu diuerſorum diuerſum dicit limitationem.* 558. 10
Hierarchia *naturalis quomodo ordinari debeat.* 732. 5
Hieronymus *agnoſcit differentiam inter ordines.* 388. 54 *non videtur etiam facere diſcrimen inter Preſbiterum, & Epiſcopos.* 392. 4

H O

*ly* Hoc *demonſtrat pro vltimo inſtanti prolationis.* 437. 17
*ly* Hoc *denotat indiuiduum determinatum entis, ſubſtantiuè ſumitur.* 442. 44. *& non deſignat ſpecies in recto. ibid.* 43
Hoc eſt corpus Chriſti *quo ſenſu propoſitio fidei reuelabilis,* 612. 19
*ly* Hoc, & hic *denotant aliquid, quod eſt ſub ſpeciebus in fine prolationis, & quo ſenſu.* 441. 43
*ly* Hoc, & hic *in conſecratione pro quo ſupponant.* 441. 42. *diuerſæ ſunt de hoc ſententiæ, ibid. & ſeq.*
*ly* Hoc *in forma conſecrationis corporis ſupponit pro ſingulari entis, &c.* 17. 18
*ly* Hoc *in forma corporis demonſtrat ſingulare entis.* 438. 17. *& licèt ibi non ſupponat per ſe niſi ſingulare entis, tamen intelligitur pro ſingulari alicuius inferioris. ibid.* 18
*ly* Hoc *in forma quid ſignificet.* 610. 13. *non demonſtrat accidentia. ibid.*
Hoc *pronomen demonſtrat indiuiduum entis.* 497. 32
Hoc *pronomen non demonſtrat quod non eſt, quando profertur, aliàs ſequeretur inconueniens.* 435. 13
Homo *an poſſit inſtituere ſignum practicum gratiæ.* 71. 5. *in text,*
*Homo in diuerſis* vbi *poſſitnè ſecum diſputare, fabulari, choreas ducere.* 526. 27
*Homo in duobus* vbi *poſſitnè accedere ad ſeipſum, an expelleret ſe, & an exercitus ex illo ſolo conſtari poſſet.* 526. 28
*Homo poteſtnè eſſe cauſa naturæ humanæ abſolutè.* 29. 17
*Homo primus non indigebat auxilio ſpeciali.* 121. 35
*Homo viator miniſter Sacramenti de lege.* 305. 12. *quod probatur variis congruentijs. ibid. & ſeq.*
*Hominis perfecta curatio in duobus conſiſtit.* 5. 2
*Hominis præceptum quandoque contemnendum.* 194. 6
*Hominis præſumptio triplex.* 296. 5. *& eius diuerſi gradus. ibid.*
*Hominem creatum eſſe rectum.* 120. 31
*Hominem iuſtificari de peccato per Sacramentum abſque attritione magis probabile eſt.* 479. 46
*Hominem qualem Deus poteſt creare, talem poteſt reparare.* 117. 5
*in Homine duplex forma, in cæteris viuentibus vna tantùm, & vnde fundamentum huius ſumatur.* 639. 102
Hora *vndecima quæ.* 136. 5
*Hoſtiæ fractio, & iniectio particulæ non ſpectat ad eſſentiam ſacrificij.* 825. 69. *ſicut neque ſumptio laica. ibid.* 70. *licet oppoſitum dici poſſit. ibid.*

H V

Humanitas *eadem Chriſti potuit eſſe per creationem, & quo ſenſu.* 537. 10

I D

Ideæ eſſe *perfectius quàm artefacti.* 37. 70
*Ideæ ſunt rationes faciendorum.* 37. 72
Idem, ſimile, & æquale *inueniuntur in omni genere.* 353. 5. *in text.*
Ideò *in propoſito quid denotet,* 615. 37. *ſenſus eius triplex.* 616. 39. 40. *& ſeq.*

I E

Ieiunium *eſt duplex, naturæ, & Eccleſiæ.* 460. 3

*Ieiunium naturale in quo consistat, quæ illud violant, & quæ non.* 462.45
*Ieiunium requiritur ad communionem.* 462.45
Ieremias *an habuerit effectum in circumcisione.* 266.39

I G

Ignis *per formam substantialem non producit calorem extra se.* 746.8
*de Igne replicato quid dicendum.* 524.24
Ignorantia *Canonum an excuset ab eorum pœna.* 334.1
*Ignorantia facti an excuset rebaptizantem ab irregularitate.* 335.2
*Ignorantia facti excusat.* 335.1
*Ignorantia iuris diuini an excuset à pœna infligenda pro peccato.* 334.1

I M

Immersio *trina quamdiu viguit.* 186.10
*Immersionis trinæ mysterium.* 185. 4. *eius significatio. ibid. sufficit vna ad valorem Sacramenti.* *ibid.* 5
*de Immersione trina dubium.* 184.4
Immolatio *agni paschalis fiebat Luna* 14. 680.17
Impeditus *non tenetur anticipare communionem.* 471.10
Imperfectio *à potentia, & perfectio ab actu sumitur.* 36.68
Imperfectius *secundùm speciem potest corrumpere perfectius, secus de imperfectiore secundùm genus.* 753.29
Impositio *manuum Apostolorum, contra hæreticos, non fuit nuda cæremonia, & sine effectu visibili.* 376.8
*Impositio manuum varia fuit.* 374.2
*per Impositionem manûs quid intelligat Apostolus.* 377.11
*Impossibile quid dicatur.* 599.8. *in text.*
Impotentes *ad ministerium Sacramentorum qui sint.* 302.1

I N

Incarnari *non dicit passionem in denominato, sed in connotato.* 598.5
Incarnatio *est ex diuersis motiuis.* 74.12
*Incarnatio præcessit omne meritum præuisum in alijs.* 145.34
*Incarnatio, secundùm Ambrosium, latuit malignum spiritum.* 564.2
*Incarnatio sola à Deo gratis data.* 141.11
*Incarnationis substantiam nullus meruit in executione.* 146. 37. *eius acceleratio fuit sub merito Patrum ibid.* 38
*Incarnationis terminus quis.* 597.5
Inceptionem *Christi binam, eiusque binam desitionem in casu obijcit Scotus contra seipsum.* 538.14
Incipere *tantùm potens per creationem, desinit tantùm annihilatione.* 8.2. *in text.*
Inclinatio *passiui sequitur inclinationem actiui.* 45.94
Incompossibilitas *inter terminos ex natura conuersionis definienda.* 660.7
*Incompossibilitas mutationum vnde.* 520.19
Incorporatio *in Christo per quid fiat.* 458. *col.* 2
Indifferens *non recipit Sacramentum.* 239.4
Individuum *aliter comparatur ad productionem, aliter ad intellectionem.* 44.91
*Individuum genericum datur.* 438.07
*Individuum idem est sub potentia, & actu, nec variatur per diuersos modos causandi.* 537.10
*inter Individua non est ordo per se.* 15.13
*Indispositio quæ impediat communionem.* 464.49
Indiuisibilia *in substantia non dari.* 575.13
*Indiuisibilia specierum sunt separata à substantia.* 770.6
Indulgentia *plenaria ex Baptismo.* 246.16
Inesse *accidentis non est essentialiter prius quàm agere, & quare.* 754.33
*Inesse non est passio accidentis.* 754.33
*Inesse primò, & inesse subiecto concomitanter distinguuntur.* 548.1
*Inesse primò vt hîc, & concomitanter vt hîc, quid sit.* 547.2
*Inesse quomodo immediatius accidenti quàm agere.* 754.33
Infamis, *& vsurarius an fiant irregulares conficiendo.* 839.12
Infans *baptizari potest in periculo mortis inuitis parentibus.* 278.11
*Infans diuersum suppositum à matre.* 231. 3. *potest in vtero habere Baptismum flaminis, & martyrij. ibid. extra vterum etiam saluatur, vt innocentes.* *ibid.*
*Infans est capax salutis, & habet ius eius obtinendæ.* 278.10
*Infans, in casu quo Tyrannus mortem esset illaturus ipsi vel baptizanti in odium religionis, an esset baptizandus.* 295.4
*Infans minùs subest paremi, quàm perueniens ad vsum rationis, quoad salutem.* 279.13
*Infans per Martyrium, inuito parente, saluatur.* 240.9
*Infantis ad gratiam nulla est repugnantia.* 228.25
*Infanti nihil conferri per martyrium, impugnatur.* 232.7
*Infantem non posse baptizari in vtero, aliqui negant.* 231.3
*Infantem non validè baptizari sine consensu parentum, qui dicant, & qui contrarium.* 240.6
*Infantem sine Baptismo damnari, est conclusio communis.* 230. 1. *in comm.*
*Infantes ab infusione gratiæ quare excipiantur.* 226.17
*Infantes aliqui occisi, non circumcisi.* 231.4
*Infantes an baptizari possint, & non in remissionem originalis.* 218.2
*Infantes baptizati sunt capaces Eucharistiæ, quoad fructum.* 446.5
*Infantes confirmari possunt.* 228.25
*Infantes non baptizati habeantne vitam extra cœlum beatam.* 218.2
*Infantes nullo modo excludi à Baptismo.* 220.12
*Infantes sunt capaces characteris.* 228. 28. *& configurantur Christo per gratiam.* *ibid.*
*Infantibus realis sumptio Eucharistiæ non est necessaria ad salutem.* 455.36
Infideles *inter Christianos nequeunt prætendere ignorantiam fidei, aut Baptismi.* 377.5. *& quare.* *ibid.*
Infiniti *intellectio non est successiuè.* 40.78
Influxus *non dependet à subiecto, nisi quatenus terminus ab eo dependet.* 709.25
*Influxus Physicus non saluatur, & modi eum ponentium impugnantur.* 97.50
Inhærentia *absoluti distinguitur ab ipso.* 720.17
*Inhærentia inhærentiæ non differt ab ea.* 720.17
*Inhærentia non est eadem ad substantiam, & quantitatem.* 736.10
*Inhærentia posterior forma.* 722.56
*Inhærentia quid sit.* 723.21. *non est passio, sed accidens.* 724.59
*Inhærentia si esset absoluta, non vniret.* 714.42. *in quo sit.* *ibid.*
*de Inhærentia controuertitur.* 712.34.35
Inimicus *non fit formaliter per peccatum.* 54.33
Innocentes *verè martyres.* 231.4
Innocentiæ *statui non conueniebant Sacramenta.* 74.14
*Innocentiæ status qualis fuerit.* *ibid.*
*ly* Inquantùm, *& in eo quod possunt esse nota cuiuscunque causæ.* 719.14

# Index rerum.


Inſeparabilitas *diuinarum perſonarum.* 180. 74
*Inſeparabilitas in* eſſe *inter ſpeciem, & contentum an ſit compoſitio.* 421. 44
Inſtans *aliud eſt prolationis, & aliud inſtans verbi.* 442. 47
*Inſtans prolatæ orationis non eſt idem cum inſtanti pro quo intelligitur veritas eius.* 437. 15
*Inſtituta ſunt multa, quæ ſanctitatem ſignificant, licèt Sacramenta non ſint.* 65. 18
Inſtitutio *Dei, & reuelatio cur neceſſaria.* 131. 4 *in comm.*
*Inſtitutio paſſiua, pro qua formaliter ſupponit, eſt relatio rationis.* 62. 10
*Inſtitutio præſens dat* eſſe *cauſæ.* 104. 81
*Inſtitutio quæ tribueret Sacramento* eſſe *conditionis tantùm.* 104. 81
*Inſtitutio Sacramentorum ex quibus interpretanda.* 390. 61
*Inſtitutio Sacramentorum quare non ſit in poteſtate Eccleſiæ.* 383. 33
*Inſtitutio ſequitur naturam rei.* 443. 50
Inſtructio *ex Sacramento ad quod genus ſignificationis referatur.* 75. 18
*Inſtructio præmittitur ante Baptiſmum.* 174. 53
*Inſtructiones, & exordia ſermonis Chriſti quæ ſint.* 377. 11
Inſtrumentum *actiuum debet habere principium actionis.* 48. 102
*Inſtrumentum diſpoſitiuum habet intentionem propriam.* 809. 15
*Inſtrumentum non habet actionem propriam.* 19. 26
*Inſtrumentum operatur prout applicatur, & mouetur.* 273. 10
*Inſtrumentum quando diſponat ad effectum principalem, & quando non.* 13. 9
*Inſtrumentum quandoque agit ad effectum cauſæ principalis.* 17. 21
*Inſtrumentum quinque modis ſumitur.* 321. 6
*Inſtrumentum, vt agit actione propriâ, non eſt Inſtrumentum.* 17. 20
*Inſtrumenti actio quare requiratur.* 18. 24
*Inſtrumenti actiones duæ aſſignantur.* 17. 22. 18. 25. 19. 25
*Inſtrumenti concurſus qualis.* 13. 9
*Inſtrumenti forma ad quid conducat.* 19. 26
*Inſtrumenti* nomine quid intelligatur. 809. 32
*Inſtrumenti variæ acceptiones.* 95. 14
*Inſtrumento æquè repugnat agere independenter à materia, vel attingere effectum ſine tali dependentia.* 20. 31
*Inſtrumento quæ actio magis repugnat, & quæ non.* 20. 30
*Inſtrumentum habere propriam formam, quæ faciat inquantum mota ad effectum principalis agentis, & aliud quòd illa forma ſit actiua.* 19. 26
*Inſtrumenta artis quid efficiant.* 13. 10
*Inſtrumenta artis non eſſe actiua.* 95. 14. 322. 8
*Inſtrumenta Phyſica quæ dicantur.* 18. 25
*de* Integritate *Sacrificij controuerſia.* 464. 53
Intellectio *diuina circa ſe eſt ſubſtantialis; & ideò eſt circa alia.* 39. 76
*Intellectio finita non diſtinguitur à ſubſtantia Angeli.* 38. 73
*Intellectio infinitorum eſt infinita.* 43. 87
*Intellectio intuitiua quid ſit, & quid abſtractiua.* 565. 5
*Intellectio ſui concreata Angelo.* 42. 85
*Intellectionis diſtinctio circa finita concludit diſtinctionem eius à ſubſtantia.* 41. 76
*Intellectiones infinitæ ſimul arguunt infinitatem intellectus.* 41. 79
Intellectualitas *Angeli ſuperioris perfectior.* 40. 77
Intellectus *Angelicus vel ſeparatus poteſt videre corpus Chriſti in Euchariſtia.* 566. 7
*Intellectus, & ſenſus quomodo ſubordinentur voluntati.* 35. 63
*Intellectus in corpore beato eſt ſimilis Angelo in operatione.* 565. 5
*Intellectus per quid cauſet conceptum orationis, cùm ipſa iam deſinat.* 436. 14
*Intellectus quieſcit tantùm in bono infinito, ſicut & intellectus.* 45. 94
Intelligentia *quid neceſſariò cognouit, & cauſauit per Philoſophum.* 41. 82
*Intelligentiæ omnes procedántne à Deo immediatè, vel prima ſola.* 28. 49
*Intelligentias alias à prima non eſſe infinitas, ſed finitas.* 42. 83
Intelligere *quà plurium an perfectius.* 39. 22
*Intelligibilia non eſſe infinita.* 38. 73
Intentio *accidens formæ ſufficienti conficit Sacramentum.* 429. 19
*Intentio cauſandi gratiam non eſt neceſſaria in miniſtro.* 322. 9
*Intentio eſt principium determinans agens intellectuale.* 322. 9
*Intentio finis proximi in generali, vel in particulari neceſſaria eſt ad valorem Sacramenti.* 324. 7
*Intentio finis proximi in vniuerſali variè concipitur.* 324. 8
*Intentio finis proximi quomodo neceſſaria ad Baptiſmum.* 321. 4
*Intentio habitualis an ſufficiat ad Baptiſmum.* 238. 5
*Intentio habitualis non ſufficit ad Sacramenta, nec requiritur actualis.* 329. 3
*Intentio habitualis per conſuetudinem, & inclinationem non ſufficit in miniſtro; ſed virtualis ſic.* 330. 1
*Intentio humana reſpectu miniſterij Sacramentorum duplex.* 323. 1. 324. 5
*Intentio miniſtri ſumitur dupliciter.* 320. 2
Intentionale *duplicem habet ſenſum.* 98. 55
*Intentio non excedit vſum Sacramenti.* 93. 39
*Intentio non ſupplet medium.* 457. 38
*Intentio priuata quæ dicenda ſit.* 169. 29
*Intentio proferentis variétne formam.* 425. 9
*Intentio quare requiratur in baptizante.* 321. 4
*Intentio requirit ſcientiam miniſtri in adminiſtratione Sacramentorum.* 432. 28
*Intentio requiritur faciendi quod facit Eccleſia.* 325. 12
*Intentio ſaltem habitualis neceſſaria eſt in vtente ratione.* 238. 5
*Intentio tanta non requiritur in ſuſcipiente, quanta in miniſtro.* 239. 6
*Intentio triplex explicatur.* 328. 2. 330. 1
*Intentio virtualis ſufficit ad Sacramenta.* 238. 4. 329. 3
*Intentio vniuerſalis ex particulari errore non vitiatur.* 685. 36. *& vniuerſalis debet ſemper concipi.* *ibid.*
*Intentionis vniuerſalis & particularis finis motiuum.* 324. 6
*per* Interdictum *à Iudice quid intelligatur, quando dicitur* Celebrans in loco interdicto à Iudice. 844. 147
Intimatio *quid ſit propriè, & quibus fiat.* 98. 56
Inuerſio *ordinis ſecundùm originem non vitiat formam.* 181. 77
Inuocatio *implicita Trinitatis an ſufficiat ad formam Confirmationis.* 399. 69
*Inuocatio quæ requiratur.* 186. 9
*Inuocatio Trinitatis an ſit de eſſentia formæ Conſecrationis.* 395. 69. *ſaltem in Eccleſia Latina eſt.* *ibid.* *de Græcorum verò forma nulla fuit dubitatio.* *ibid.*

*Innocationem trium personarum, sub notione suppositi requiri in forma Baptismi.* 170.35

I O

Ioannes *Baptista an habuerit effectum in Circumcisione.* 266.39
*Iocus non excludit intentionem seriam, aliquando.* 326.17
*Ioannes non baptizauit baptismo Christi.* 148. 12. *in text.* 149.3 *in comm.*

I R

Irregularis *ex homicidio nullus est nisi verè homicida.* 95.2

I T

Iterans *confirmationem sitne irregularis.* 403.1

I V

Iudæi *ad Baptismum, & Circumcisionem non aliter se habuerunt post passionem, vsque ad Pentecostem, quàm ante.* 196.8
*Iudæi quando non celebrarunt Pascha tempore legitimo.* 678.10
*Iudæi quomodo carnem Christi intellexerint.* 493.16
*Iudeorum persecutio in Policarpum.* 210.83
*Iudæorum pro lege zelus.* 679.12
Iudas *an fuerit communicatus.* 851.175
Iudicialia *quomodo nunc manent.* 211.84
Iudicium *practicum intellectus est dispositio necessitans.* 102.74
Ius *naturæ non obligare contra legem fidei, impugnatur.* 277.4
*Ius paternum in quo fundetur.* 278.8
*Ius paternum non derogat Sacramento.* 240.8
*Ius quando dicitur dubium, & obscurum.* 841.14
*Ius reciprocum filij in parentes.* 277.2. *cui teneatur ad necessaria, & cogi possunt, saltem ad ea, quæ necessaria sunt lumine naturæ.* 277.3
*à Iure diuino quod magis recedit, magis subest Ecclesia.* 383.32
Iuristæ *non faciunt ius, licèt conditum possint exponere.* 402.1 *in text.*
Iurisdictionis *actus an possit suspendi.* 388.53
Iustificatio *definitur.* 454.36
*Iustificatio quid contineat.* 110.1
*Iustificationis causæ quæ sint.* 94.45
*in Iustificatione mutationes duæ.* 120.29
*in Iustificatione mutationes tres.* 123.40
Iustitia *originalis in quo constituatur, secundùm antiquos Scholasticos.* 116.22
*Iustitia originalis pro quo sumatur.* 118.7
*Iustitiæ debitum quomodo posset auferri.* 223.4
*Iustitiæ originalis effectus.* 117.22
*Iustitiam non consistere in habitu, & qualitate, saltem in adultis, aliqui dicunt non esse de fide.* 226. 6. *in infantibus autem id esse de fide.* ibid.
*Iustitiam non esse actum contritionis, aut dilectionis.* 227.24
*Iustitiam restaurari posse sine repugnantia.* 118.26
*Iustitiam sanctificantem non consistere in actu.* 226. 19

L A

Labor, *& aqua in administratione Sacramenti emi possunt.* 293.15
Laicus *peccat, si baptizet in præsentia Diaconi.* 307.20
*Laico an liceat in extrema necessitate se communicare.* 846.20

L E

Legalia *nunc non esse illicita, qui dicit, hæreticus est.* 210.17
*Legalia quando inceperint esse illicita non constat.* 209.17
*Legalium vsus qualis fuerit.* 206.73
Leprosi, *& vlcerosi an debeant arceri à communione.* 464.52
Lex, *aut finis eius non comprehendunt baptizatum.* 198.34
*Lex Baptismi vniuersalis sine exceptione.* 256. 2 *in comm.*
*Lex diuersa habet Sacramenta diuersa.* 76.20
*Lex diuina ordinat ad salutem viatoris.* 126.47
*Lex diuina, secundùm aliquos, non exigit promulgationem.* 202.50
*Lex, & sacerdotium correlatiua.* 135.4
*Lex in cuius promulgatione est exceptio personarum, quæ.* 256.2. *in comm. & exceptio hæc quomodo fiat.* ibid.
*Lex ipsa cessat, cessante fine eius in vniuersali.* 198.34
*Lex mansit, etsi aliquod eius præceptum fuerit abrogatum.* 199.38
*Lex naturalis exigit tempus, & promulgationem positiua.* 204.55
*Lex non inducit nouam obligationem, nisi vt aliter est promulgata.* 204.58
*Lex non obligat in casu priuilegij.* 259.9
*Lex non obligauit baptizatos in sensu figurali.* 199.40
*Lex noua ante prædicationem non fuit.* 192.19
*Lex noua est medium inter veterem, & gloriam.* 136.6
*Lex noua excedit veterem in mediis.* 77.21
*Lex noua inducta ad euacuandum veterem.* 197.31
*Lex noua proxima perfectissimo.* 136.6
*Lex noua suauiter inducta.* 204.54
*Lex nulla ante sui promulgationem obligat.* 193. 25. *&* 194.4
*Lex omnis subordinatur charitati, & fidei.* 277.4
*Lex ordinaria non debet referri ad casus.* 314.21
*Lex perfectior habet adiutoria perfectiora.* 77.21
*Lex posterior semper fuit perfectior, & quare.* 76.20
*Lex pro quibus supponat.* 198.37
*Lex quomodo adimpleta.* 210.84
*Lex vbi non est licitè communicandi, vel* non *communicandi, iudicium boni viri, & patris spiritualis sequendum, & circumstantiæ quæ ad communionem impellunt, considerandæ.* 464.50
*Lex vetus causaliter cessauit in morte Christi.* 211.20
*Lex vetus perfectiùs adimpletur per nouam.* 197.32
*Lex vniuersaliter promulgata omnes obligat.* 256. 2. *in comm. &* vniuersaliter *quomodo ibi capiatur.* ibid.
*Lex vtraque exigebat, vt Baptismus esset sub consilio vsque ad mortem Christi, & sic congruebat Iudæis.* 194.26
*Legis consummatio quomodo facta.* 198.37
*Legis consummatio quomodo intelligatur.* 203.53
*Legis, & præcepti differentia.* 202.50
*Legis natura qualis.* 493.17
*Legis nondum promulgatæ idoneè non est ignorantia, sed nescientia.* 204.55
*Legis nouæ Antitheſis ad alias.* 135.2. *in comm.*
*Legis reuocatio insinuata.* 210.83
*Legis reuocatio per subsequentem debet esse publica.* 205.59
*Legis veteris sacrificia impropriè Sacramenta.* 124.10
*Legem Christianam melius est vt quis inuitus seruet, quàm quòd permittatur impunè mala agere.* 238.3
*Legem Euangelicam adornari Sacramentis congruum fuit.* 134.2. *in text. &* 2. *in comm.*

*Legem inutilem fuisse, vt exclusit fidem, gratiam, & opera Christi.* 114.15
*Legem tenuisse vsque ad passionem.* 198.36
*in Lege diuersa Sacramentum sensibile diuersum.* 77.22
*ex Lege diuina nullus perplexus* 295.2
*in Lege natura primogeniti erant Sacerdotes.* 819.40
*in Lege noua non fuit derogatum fidei, aut operibus.* 112.6
*in Lege omni fuerunt Sacramenta propriè, & impropriè dicta.* 76.8
*Leges diuinæ sapientia ex fine determinatæ.* 120.31

L I

Liber *de fide ad Petrum cuius sit.* 220.11
*Liber primus Sententiarum est de Deo.* 5.2. *in comm. Secundus de prouidentia ad extrà, tertius de mediatore, & virtutibus, quartus de curatione.* 6.2
Libertas *ex lege data probatur.* 126.47. *sicut & ex lege diuina potestas merendi.* ibid.
Libri *quarti Sententiarum diuisio.* 6.4. *in comm.*
Licita *aliquando omittenda, ne oriatur scandalum pusillorum,* 838.8
Lignum *in duobus locis, cui applicarentur duo ignes, in quem ipsorum, & à quo conuerteretur.* 514.23
Lineæ *duplex consideratio, & eadem superficiei.* 771.8
Literæ, *& gratiæ distinctio.* 114.14. *recepta in Conciliis.* ibid.
Locatum *illimitatum æquiualet pluribus.* 530.5
Locus *dicit dimensiones.* 575.14
*Locus formalis quid sit.* 514.4
*Locum eundem & literaliter, & mysticè intelligi non est contra intentionem Christi.* 494.21
*in Loco interdicto quando liceat celebrare.* 844.147
*à Loco quæ non dependent, necessariò insunt, & quænam sint illa.* 521.20
Lotio *materia proxima Baptismi, non ablutio ab ea distincta.* 184.2
*Lotio pedum facta in cœna quid denotabat.* 137.8
*Lotio quæ sit materia Sacramenti.* 234.11

L V

Lumen *punctale an visibile.* 576.7. *non potest agere in rectum, sed in obliquum.* ibid.

M A

*ex* Maiori *particulari in prima figura nihil sequitur.* 14.1
Malitia *ministri quid comprehendat.* 284.1
*Malitia nulla ministri obstare potest valori Sacramenti, si adsit vera intentio.* 284.4. *& quare.* ibid.
*Malitiam ministri non præiudicare valori Sacramenti in sensu Doctoris probant congruentiæ multæ.* 286.2
Malus *non eximetur à lege Dei.* 304.10
*ad Malum per accidens cooperantes excusantur.* 291.12
Manducatio *realis quomodo sit spiritualis.* 494.22
*Manducatio spiritualis Sacramenti an maiorem habeat effectum, quàm ille qui correspondet merito operantis.* 445.1
*per Manducationem in proposito quid intelligant Patres.* 494.22
Manens *simpliciter, & habens* esse *simplicitir quomodo incipiant, & desinant.* 534.8
Manus *impositio facta ab Anania fuit curatiua.* 384.39
Maria *virgo secundùm quam dignitatem dicenda est meruisse vt fieret mater Christi.* 147.41
*Mariæ tota plenitudo fuit, & quare.* 259.12
*in* Mari *non licet celebrare, in necessitate tamen in loco non sacro.* 841.13
Martyrium *dat gratiam in termino.* 264.30
*Martyrium, & salus innocentium in passionem refertur.* 231.5. *& non dependet à circumcisione.* ibid.
*Martyrium non subordinatur Baptismo.* 264.30
*Martyrium non tollit obligationem ad Sacramentum, si vita superest.* 261.21
Materia, *aut forma substantialis panis, & vini non manet in Eucharistia.* 622.51. *sed sola accidentia.* ibid. *nullum ob finem manent partes.* ibid.52
*Materia* circa quam *in quibus Sacramentis inueniatur.* 162.6 *& an in omnibus.* ibid.7
*Materia consecrationis sanguinis prædicatur de vino solo.* 692.18
*Materia debet esse determinata, & definita, & quæ causa talis definitionis.* 685.35
*Materia de se indifferens ad hanc, vel illam formam* 642.107
*Materia, & forma coniunctæ designant ablutionem esse à proferente verba.* 167.20
*Materia, & forma Sacramentorũ an fuit definita à Deo.* 162.8
*Materia Eucharistiæ quæ sit.* 409.7
*Materia ex se non habet actum, nec conseruat.* 727.64. *& vnde hoc constet.* ibid. *sustentat formam ipsi violentam, sicut & naturalem.* ibid.
*Materia naturâ prior forma* 620.19
*Materia prima ingenerabilis, & incorruptibilis, & quare.* 780.11
*Materia prima nudè sumpta nequit habere proportionem nutrimenti.* 633.83. *non est significatum ex vi verborum.* ibid. *nec esset subiectum, de quo diceretur possessiuum* meum. 634.83
*Materia quomodo ponatur sub specie panis.* 634.86
*Materia quomodo se habeat ad priuationem, & formam.* 28.48
*Materia quo sensu præsupponatur in actionibus materialibus secundum Scotum.* 30.55
*Materia reducitur in actum per causas.* 642.109
*Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma, & per Chrisma quid intelligatur.* 379.17. *est de necessitate Sacramenti.* ibid.
*Materia Sacramenti corporis quæ.* 674.1. *in comm.* 675.4
*Materia Sacramenti non extenditur ad malum ab intrinseco.* 234.12
*Materia sine forma est actus entitatiuus secundùm Augustinum.* 609.12. *ante creationem fuit potentia obiectiua, post subiectiua.* ibid.
*Materia sine limitationis capax.* 686.41. *non subest intentioni, nisi vt applicatur forma Sacramenti.* ibid.
*Materia sola non est subiectum proportionatum agenti naturali.* 785.26
*Materia subiicitur causæ naturali.* 625.67
*Materia vna an possit esse sub diuersis formis simul.* 624.61
*Materia vtraque, & forma Confirmationis assignantur.* 391.2
*Materia concursus est finitus.* 24.39
*Materiæ diuisio quomodo fiat in virtute causæ principalis.* 19.28
*Materiæ & formæ acceptio duplex.* 161.3. *in comm. non seruant in Sacramentis rigorem compositionis.* ibid.
*Materia, & formæ proportio explicatur.* 161.4. *in comm.*
*Materia prima duplex potentia.* 507.51
*Materiæ proportio non est eadem in omnibus Sacramentis.* 161.5
*Materia accidit formam perficientem ex eius potentia educi.* 645.40
*præter Materiam, & formam Concilia requirunt intentionem, & qualem.* 325.12
*inter Materiam, & formam Sacramenti quæ simultas requiratur.* 317.2

# Index rerum.


*Materiã liberam à neceſſaria diſcernit Concilium.* 379.18
*Materiam neceſſariam Confeſſionis diſtinguit Concilium à libera.* 380.19
*Materiam præſupponi vt principium indiuiduationis quis ponat.* 30.55
*Materiam ſeipsâ differre à forma varijs rationibus probatur.* 624.61
*in Materia legis, cæremoniarum, & pacti non eſt vtendum tropis, ſicut nec in materia fidei, & dogmatica.* 490.6
Matrimonium *in caſu celebrari poteſt per nutus ſine verbis.* 161.2
*in Matrimonio an requirãtur verba, & qualia.* 160.2. *in cõ.*
Maximæ *tres in vſu Sacramentorum* 168.10

M E

Medium *ad diuerſos fines aſſumptum ſupponit diuerſas intentiones.* 417.32
*Medium an detur inter amicum, & peccatorem.* 120.31. *& an inter electum, & reprobatum.* *ibid.*
*Medium coniunctum fini eſt in perfecto ſtatu.* 260.15
*Medium dicitur neceſſarium relatè in finem, & hoc modo neceſſarium dupliciter dicitur.* 454.36. *& ſeq.*
*Medium in caſu efficax, non regulariter.* 477.37
*Mediũ in ſe efficax poteſt alicui eſſe incertũ, & inutile.* 64.14
*Media ad ſalutem poſſunt eſſe ſine dependentia ad Chriſtum.* 74.11
*Media ſalutis à Deo donari gratis.* 272.9
Membra *vniuntur per Baptiſmum.* 191.14
Mendacium *iocoſum ſi admittatur in Scriptura, tota ruit ſecundum Auguſtinum.* 207.14
Menſura *rei ſignificatur per copulam.* 444.51
Meritum *aliter cauſat, quàm Sacramentum.* 273.12
*Meritũ de cõdigno, & de cõgruo quomodo differãt.* 144.29
*Meritum de congruo an poſſit dari reſpectu Incarnationis de potentia abſoluta.* 145.3. *& quid dicendum de potentia ordinaria.* *ibid.*
*Meritum de lege ordinaria antecedit præmium.* 145.35
*Meritum diſpoſitio ad gloriam.* 145.31
*Meritum, & ſatisfactio cauſa morales tantùm.* 95.45
*Meritum excedit præmium datum alteri.* 144.27
*Meritum nullum de condigno præceſſit Incarnationem.* 14.20. *an de potentia abſoluta potuerit præceſſiſſe.* 142.21
*Meriti finis quis.* 143.23
*Merita Adami fuerunt perſonalia.* 142.17
*Merita mortificata diſponunt ad conuerſionem.* 253.35

M I

Minimum *quod ſic datur in ordine ad actionem.* 574.10. *datur etiam reſpectiuè ad formam.* *ibid.* 11
Miniſter *debet intendere finem particularem, & proximum actus.* 326.14
*Miniſter eſt cauſa ſecunda reſpectu Sacramenti, ſed reſpectu gratiæ inſtrumentum diſpoſitiuum.* 322.9
*Miniſter intendit ſignificationem practicam per ſe primò.* 435.39
*Miniſter neceſſitatis Diaconus, & quid de aliis inferioribus clericis.* 849.164. *&* 165
*Miniſter non neceſſariò exprimitur in Baptiſmo, nec ly* Ego. 165.7
*Miniſter nequit dare Sacramentum ex quo ſequatur mors.* 294.3
*Miniſter Paganus baptizando ſuſtinet perſonam Chriſti, & quomodo ſit eius membrum.* 319.3
*Miniſter Sacramenti ſubordinatur Chriſto.* 326.13
*Miniſter Sacramentorum tenetur Eccleſiæ ſuæ morem ſequi.* 164.6
*Miniſtri intentio neceſſaria.* 832.103
*Miniſtrum eſſe paratum ad dandum Sacramentum, non requiritur, nam iure charitatis, & ex debito ordinis tenetur dare.* 290.9
*à Miniſtro improbo, ſed tolerato, nec præciſo ab Eccleſia, niſi ſit notoriè malus, non ſolum poteſt, ſed & tenetur quis petere Sacramentum.* 291.10
*à Miniſtro malo non præciſo quando liceat petere Baptiſmum.* 290.5
Miniſterium *exigit iuriſdictionem.* 306.19
*Miniſteria, quæ de lege homini competunt, etiam per Angelos data ſunt.* 303.3
Miniſtrare *quis poſſit.* 849.163
Minores, *& Prædicatores poſſe celebrare in portatili ſine licentia Epiſcopi.* 842.15
Miraculorum *multiplicatio non eſt ponenda ſine neceſſitate.* 777.5
Miſtio *à motiuo cæremoniali ſumit ſpeciem.* 693.24
*Miſtio an corrumpat Sacramentum.* 784.22
*Miſtionis aquæ vino quæ ſignificatio, & cauſa.* 692.21
*Miſtionem balſami eſſe neceſſariam neceſſitate Sacramenti.* 379.17
*Miſtionem non requiri vt diſpoſitionem præuiam ad animam.* 644.114
Miſſa *boni melior, Sacramentum tamen vtrobique eſt æquale.* 846.19. *& vnde hoc.* *ibid.*
*Miſſa publica quæ dicatur, & quæ priuata.* 848.160
Miſſa *vnde dicatur.* 820.45. 821.45. *vſus vocis antiquiſſimus.* *ibid.* 46
*in Miſſa verè, & propriè offerri Sacrificium, docet fides.* 821.47. *eius quinque actiones.* 824.64
*an Miſſæ plures poſſint celebrari vna die ab eodem.* 847.155. 848. *per totum.*

M O

Modus *accedendi ad Sacramentum.* 464.49
*Modus cauſandi terminum duplex eſt, ſicut & acceptio cauſæ.* 97.53
*Modus conſecrandi olim.* 424.4
*Modus conſentiendi triplex.* 237.2
*Modus conſiderandi terminum conuerſionis duplex.* 599.6
*Modus diuerſus eſſendi an exigat nouam actionẽ.* 594.31
*Modus diuerſus ſignificandi an variet effectum Sacramenti.* 452.28
*Modus duplex dinidendi quantitatem.* 574.7
*Modus eſſendi non excedit latitudinem eſſendi.* 706.10
*Modus eſſendi perfectione naturæ poſterior eſt.* 641.104
*Modus fundandi repugnantiam deriuatur à cauſa phyſicè.* 596.2
*Modus indiuiſibilis eſſendi naturaliter videtur ab Angelo, ſicut & negatio extenſionis actualis in corpore.* 568.7
*Modus naturalis ſequitur rem vbicunque.* 503.12
*Modus primus & ſecundus dandi gratiam quomodo differant.* 262.22
*Modus quà abſolutus non dicit ordinem ad ſubiectum formæ.* 713.39
*Modus quantitatiuus non requiritur, vt concomitanter recipiatur ſenſatio.* 550.6
*Modus quantitatiuus ſeparabilis à quantitate.* 505.14
*Modus quomodo dependeat à modificabili.* 706.11
*Modus Sacramentalis non dependet ab exiſtentia naturali ſimpliciter.* 533.4. *&* 5
*Modus ſignificandi verbi.* 443.50
*Modus triplex exprimẽdi formã Sacramẽti validè.* 165.17
*Modus triplex quo ineſſe poſſit forma ab agẽte primo.* 558.10
*Modus triplex ſuſcipiendi Baptiſmum.* 217.col.1
*Modũ vnionis repugnare Chriſto, & non accidẽtibus, aut inhærẽtiæ, & non ſupplere depẽdentiã accidẽtiũ.* 592.16
*Modus vterque actum ablutionis exprimendi habetur ex Scriptura, & ſecundus magis congruit.* 164.16
*Modi quatuor ſumendi Sacramentum.* 445.1
*Modi ſupernaturales ſupernaturaliter cogniti.* 568.6
*Modi ſupernaturales vnde inſint.* 708.18
*Modi vtendi legalibus.* 206.73. *&* 74
*ad Modos oppoſitos nihil ex natura rei ordinatur.* 705.5
Monſtrum *an ſit vna perſona, vel duæ quomodo cognoſcatur.* 315.7
*Monſtrum duarum animarũ quomodo baptizandum.* *ibid.*
*Monſtrum in Gallia.* *ibid.*

# Index rerum.


Mors, & vita repugnãt in corpore in diuersis vbi. 520.17
Mortis Christi causa. 816.23
Mortis periculũ excusat à ieiunio communicandũ. 462.47
post Mortem infantis, si constaret de fictione intentionis ministri, quid faciendum. 328.22
Motio corporis Christi ad motionem specierum non est nouum miraculum. 554.6
Motiuum diuersum instituendi Sacramenti. 74.13
Motiuum quando est diuersum. 815.14
Motiui diuersitas distinguit actum. ibid.
Motiua diuersa aliquando in religione. 815.15
de Motore primo, & motu quid senserit Aristoteles. 28.49
Motus an sit per vltimum mutatum esse. 87.23
Motus comparabiles quomodo. 22.35
Motus corporalis an possit inesse corpori Christi in Eucharistia existenti. 551.1
Motus crescit per partes actuales. 24.38
Motus cur non replicetur. 448.12
Motus definitio 798.21
Motus ex quo oriatur. 23.37
Motus in vacuo, & pleno quomodo comparabiles. 24.38
Motus non est causa termini vt principium. 87.21
Motus quare excludatur à praedicamento, ad aliquid. 714.43
Motus qui fieri potest in speciebus separatis per agens naturale. 767.2
Motus quomodo non detur in ad aliquid. 352.4
Motus, seu motor quomodo producat aliquid in inferioribus. 93.42
Motus strictè sumitur dupliciter. 551.2
Motus vniformitas à Deo, differentia ab alijs. 11.5
in Motu causa successionis vnde. 23.36
in Motu duplex successio. ibid.
Mouens aliquid per se, mouet per accidens quod est in illo. 553.6
Mouens motum esse quid sit. 807.37
Mouens non potest introducere gradum incompossibilem mobili. 748.21
Mouens vnum coniunctorum non mouet alterum si per actum voluntatis sint connexa. 553.4
Mouere primò vt hìc quid sit. 558.10
quod Mouetur est in loco, quod generatur, non, explicatur. 651.50
quod Mouetur, est, quod generatur, non est, explicatur. ibid.
Moyses praeco fuit, non Legislator 77.23

M V

Mulier grauida periclitans quo sensu possit sumere medicinam, & quo sensu non. 294.3. & 295.3
Mundum, & infinitas generationes ab aeterno posuerunt Philosophi. 41.82
Mutari quid sit. 715.47
Mutatio aliqua necessaria in termino conuersionis. 600.11
Mutatio definitur. 588.5
Mutatio diuiditur. 589.5
Mutatio extranea conuersioni non spectat ad conceptum eius. 594.27
Mutatio non corruptiua Eucharistiae non petit generari substantiam. 781.11
Mutatio per modũ productionis quomodo detur. 647.119
Mutatio quadruplex in forma Sacramenti esse potest. 168. 25. 169.26. & 27. 165.7
Mutatio quadruplex potest intelligi in Eucharistia manente. 766.19
Mutatio triplex. 590.10
Mutatio vna quomodo determinetur ad compositum habens plures formas. 645.41
Mutationis & termini idem esse subiectum. 780.10
Mutationis qui termini sint incomposibiles. 520.19
Mutationem dari ad respectus extrinsecus aduenientes. 352.3
in Mutatione locali communiter quatuor sunt motus, & octo termini. 501.9
Mutationes duae in iustificatione. 120.29
Mutationes plures esse ad hominem. 647.119
Mutationes tres in iustificatione. 123.40

M Y

Mysterium Eucharistiae non debet sine fundamento obscurari. 591.13
Mysterium fidei non esse obscurandum plus quàm natura eius, & ratio patiatur. 420.42
Mysteria plura Legis nouae non fuerunt completa in morte Christi. 203.52

N A

Natura abhorret superfluum. 342.9
Natura ante assumptionem fuit numerica. 637. 98
Natura humana assumpta à Verbo quâ existentiâ dicatur existere. 30.53
Natura per se ordinatur ad commoda naturalia quomodo. 368.37
Natura potest esse principium productionis, & terminus eius. 30.17
Natura si non posset esse recta sine gratia, haec esset ei naturalis. 116.4
Naturae finis per causas acquiritur. 642.109
Naturae ordo diuersus ab ordine perfectionis. 16.18
Naturam necessitari ex causa intrinseca contingit dupliciter. 507.49
Naturale, & supernaturale in quo differant. 566.9
Naturalium fuga ad coelum, vel ad Deum. 749. in text.

N E

Necessarium dicitur aliquid in Sacramentis. 163.5
Necessitari ab intrinseco quid sit, & quotupliciter contingat. 507.49
Necessitas ab intrinseco est ad possibile. 507.52
Necessitas Baptismi in re, aut voto excludit alia remedia esse efficacia. 250.26
Necessitas characteris probatur ex Scriptura. 347.15
Necessitas duplex, medij, & praecepti. 454.36
Necessitas & vtilitas in iure aequiparantur. 848.159
Necessitas fundata in natura per causam intrinsecam supponit praedicatum determinatum, & est ad formam determinatam. 507.52
Necessitas in Sacramentis respectiuè ad propriam materiam intelligenda. 251.27
Necessitas medij quare conueniat Baptismo, & non Eucharistiae. 458.40
Necessitas non sequitur ex perfectione Sacramenti. 459.44
Necessitas Sacramenti in re, aut in voto. 455.35
Necessitas Sacramenti non probatur ratione à priori. 69. 1. nequit etiam à posteriori. ibid. cognoscitur reuelatione. ibidem.
Necessitatis casus quomodo debeat interpretari. 307.20
Negatio contraria fundatur in corpore de facto. 665.18
Negatio disparata, & contradictoria distinguũtur. 665.17
Negatio in genere non terminat annihilationem. 672.18
Negatio non est noua, nisi quae tollit affirmationem praemissam in esse. 715.48
Negatio panis qualis in corpore Christi post consecrationem. 664.12. determinata est terminus desitionis. 670.39
Negatio quomodo distet ab affirmatione. 21.33
Negatio triplex. 661.8
Negatio vltima fundata in termino excludit annihilationem. 662.12
Negationis extra genus quae causa. 670.39
Negationis non datur negatio. 715.49

N I

Nihili ad aliquid aequalis distantia, & è contra. 8.2. in text.
Nix, glacies, grando non sufficiunt ad Baptismum. 187.4

N O

Nolens non recipit Baptismum. 238.3
Nominis mutatio quotuplex esse potest. 166.8


in Nomine

*in* Nomine *quid designet.* 171.41
Nouatiani *contemnebant Sacramentum.* 401.3
Nouitas *essendi repugnat intrinsecè Deo.* 600.11. *probatur ex efficaciâ formæ. ibid.* 12. *talis nouitas in quibus esset.* *ibid.* & 13

N V

Nutrimenti *materialis, & spiritualis proportio.* 450.22
Nutritio. *quid sit.* 555.7

O B

Obediendum *est superiori Domino contra inferiorem.* 275.1. *in text.*
Obiectiones *Scoti contra seipsum de bona Christi inceptione simpliciter in casu, eiusque bina desitione.* 538.14
Obiectum *ad quid requiratur præsens* 547.4
*Obiectum causat scientiam, & quomodo.* 37.71
*Obiectum in mente habet* esse *proprium.* *ibid.*
*Obiectum merè terminatiuum non est quietatiuum.* 45.94
*Obiectum motiuum intellectus pro hoc statu quod.* 355.8
*Obiectum motiuum intendit assimilare sibi intellectum primum.* 45.94
*Obiectum naturale intellectus Angelici quod.* 567.3
*Obiectum non requiritur semper præsens ad habendam sensationem.* 550.6
*Obiectum requirit extensionem sui, vt terminet potentiam, & potentia è contra vt tendat in obiectum.* 549.6
*Obiecti præsentia ad visionem requiritur.* 549.5
*Obiecti motiui proportio ad intellectum.* 45.94
*sub Obiecto naturali intellectus Angelici quæ contineantur.* 567.3.4. & 5
Oblatio *& adoratio possunt esse ex motiuo authoris vitæ.* 817.26
*Oblationis immediata per Christum personaliter nulla est necessitas.* 831.101
*Oblationis simplicis motiuum diuersum.* 815.18
Obligatio *adulti ad Sacramentum.* 294.1. *in comm.*
*Obligatio charitatis ad proximum.* 291.11
*Oblatio Circumcisionis per accidens.* 199.40
*Obligatio Circumcisionis sub disiunctione, & ex ignorantia Baptismi.* 199.41
*Oblatio communionis post Pascha non est ex natura præcepti, sed ex natura satisfactionis.* 471.12
*Obligatio duplex, per se, & per accidens, & vnde vtraque oriatur.* 366.29
*Obligatio habendi Sacramentum in Parochiis.* 463.48
*Obligatio maior non est Baptismi, quàm fidei suscipiendæ.* 203. 54
*Obligatio ministri ad formam Sacramenti.* 163.11
*Obligatio non inducit ad impossibile.* 368.37
*Obligatio nulla Baptismi ante præceptum.* 204.56
*Obligatio præcepti de communione ex circumstantijs, & fine.* 470.6
*Obligatio præcepti requirit promulgationem.* 202.50
*Obligatio recipienda fidei proposita sufficienter.* 277.5. *nec refert quòd lumine naturali cognoscat quis hanc obligationem.* *ibid.*
*Obligatio recurrendi ad ministrum non improbum.* 292.13
*Obligatio respectiuè ad ministrum præcisum, & ad Parochum. ibid. & ad eum, qui priuatim est malus.* *ibid.*
Obseruatio *circumcisionis reddita perniciosa.* 210.83

O D

Odia sunt restringenda, &c. 335.2

O F

Offertorium *an spectet ad sacrificium, & si sic, quomodo.* 825.67. & 68

O L

Olei, *& balsami comparatio ad effectum confirmationis.* 393. 8

O M

Omniscientia *concluditur in Deo.* 43.87

O P

Opera *Christi præuisa quare acceptata sint.* 146.37
*Opera Dei sunt perfecta.* 120.32
Operatio *potest esse ab intellectu primò.* 563.7
*Operatio quomodo dependeat à respectu ad obiectũ.* 547.3
*Operatio spiritualis potest primò inesse vt in Eucharistia* 547. 2
*Operationis dependentia à respectu.* 549.7
*Operationis duplex effectus.* 549.9
*Operationes immanentes insunt Christo in Eucharistia.* 548. 2
Opposita *sub ratione oppositâ causant.* 507.53
Oppositio *contraria, priuatiua, & disparata inter vnionem in proposito & inhærentiam accidentis tollitur, sicut & repugnantia ex causis extrinsecis.* 592.16
*Oppositio partialis nequit esse sine subiecto communi.* 602. 20. *licèt totalis possit saluari sine tali.* *ibid.*
*Oppositio positiua est secundùm* esse *determinatũ.* 669.34
*Oppositionis modus in proposito, & eius causa explicantur.* 603. 23. *vnde sit.* *ibid.*

O R

Oratio *an prior tempore suo conceptu.* 440.23
*Oratio quæ dicatur esse conuersua.* 438.18
*Oratio Sacramentalis quo sensu caueat.* 440.23
*Orationis conceptus habetur in vltimo instanti prolationis eius, sicut & dictionis.* 436.14
*Orationis & huius oblationis prærogatiua.* 836.123
*Orationis Sacramentalis conceptus primò est neuter, secundo Deus conuertit, tertio est veritas.* 440.25
*Orationis significatum esse pro vltimo instanti prolationis quomodo ex intentione proferentis significetur, ostenditur.* 439.21
*Orationis veritas est pro tempore, quod per copulam significatur.* 437.15
*Orationes Patrum ex fide fuerunt exaudite.* 146.38
Ordinatio *regulata est inferioris ad superius.* 143.23
Ordinatos, *& Baptizatos ab hæreticis in suo gradu recipiendos mandant Canones.* 401.3
Ordo *accidentalis inter quæ sit.* 743.11
*Ordo antiquus dandi Sacramenta.* 406.1
*Ordo essentialis non est inter præsentiam corporis & sanguinis.* 544.37. & 38
*Ordo generationis inter Sacramenta.* 406.1
*Ordo in rebus in quo fundetur.* 756.18
*Ordo in re non tollit simultatẽ in intellectu.* 803.28. *in com.*
*Ordo inter* esse, *&* non esse *oppositionis absolutæ.* 602.21. *vnde sit. ibid. an possit saluari in conuersione totali. ibid.* 22. *quid hunc ordinem inducit.* *ibid.* 23
*Ordo personarũ seruandus in ministerio Baptismi.* 307.20
*Ordo prædestinationis.* 120.30
*Ordo reciprocus materiæ, & formæ.* 27.47
*Ordo tractandorum de Eucharistia, secundùm Magistrum.* 406.1. *in text.*
*Ordinis ministerio probabile est dari gratiam actualem.* 109. 96
*Ordinis potestas est indelebilis.* 390.63
*Ordinis Sacerdotalis eminentia.* 389. 60
*Ordinem accidentalem quare oporteat reducere in speciem aliquam superiorem.* 744.14
Originale *cõtrahitur indepẽdenter à voluntate parentum.* 240.7
*Originale in quo consistat.* 117.23
*Originale possitne omitti sine gratia infusa.* 116.20
Ornatus, *si admittatur, erit character.* 356.9
*Ornatus quæ sit necessitas.* 84.
*Ornatum non dari confirmatur.* 48.7
*Ornatu admisso, ficte pœnitens nõ teneretur reconfiteri. ibid.*

P A

Pallæ *duæ requiruntur consecratæ, si ita habet consuetudo.* 842. 16
Panis *an conuertatur in corpus Christi in Eucharistia.* 604.1. *& seq. circa hanc quæstionem varij sunt errores.* 605.3.4. *& seq.* 606. 2. *& seq.* 607. 4. & 5.

# Index rerum.


*Panis conuerti posset in corpus Christi in cœlo.* 499.8
*Panis desinit esse, & quomodo.* 668.29
*Panis idem si comedatur à pluribus, an animabitur pluribus animabus.* 510.4
*Panis in conuersione in corpus Christi, vtrùm annihiletur.* 657. 2. *& seq. variæ de hoc sententiæ.* 660.4. *& seq.*
*Panis in Eucharistia non est mutatus.* 589.7
*Panis in Eucharistia non manet, nec annihilatur.* 616.13. *hoc est de fide, & in concilijs definitum.* 617.42. *& probatur ex Patribus, ibid.* 4. *& seq.* 618.44. *& 45*
*Panis non manet, nec aliquid, quod erat illius, præter accidentia.* 621.48. *& seq. circa hoc variæ sunt sententiæ. ibid.* 49
*Panis potest mutari in corpus Christi sibi præsens.* 499.8
*Panis quantus si conuerteretur in corpus Christi quantum, hoc an haberet circumscriptiuè præsentiam illius.* 499.8
*Panis quomodo transubstantietur.* 619.16
*Panis reductus in pastam est consecrabilis.* 677.3
*Panis si maneret, non essent Idololatræ, qui Eucharistiam adorarent.* 608.9. *nec minus maneret significatio specierum. ibid.*
*Panis si sit in tam exigua quantitate vt non sit sensibilis modo humano, non est consecrabilis.* 684.29
*Panis triticeus materia Sacramenti corporis.* 674.2. 675.4
*Panis vterque, azymus scilicet, & fermentatus sufficit ad consecrationem.* 682.6
*Panis & vini oblatio non spectat ad essentiam sacrificij.* 824.65 *est præparatio materiæ. ibid. oblatio etiam consequens consecrationem excluditur. ibid.*
*Panis & vini substantiam non redire corruptis iam speciebus.* 776.3
*Panis negatio fundeturnè in aliquo.* 662.11
*Panis* non esse *in quo fundetur.* 663.14. *quomodo sequatur ad corpus præsens. ibid.* 15
*Panem abesse aliud est, & aliud conuerti.* 615.35
*Panem, & vinum ante consecrationem dici imaginem Christi.* 489.1
*Panem post conuersionem non annihilari.* 662.9. *in comm.*
*in Pane considerari potest duplex forma, & vtra harum maneat in Eucharistia.* 622.54
Parentes *primi si vicissent, sibi, & posteris meriti fuissent in effectu confirmationem.* 75.17
Parochus *etiam baptizans primùm recognoscat Episcopum præsentem.* 306.18
*Parochorum subordinatio ad Episcopos.* 306.18
Pars *an habeat actualitatem essentiæ, & existentiæ in toto, quam non habet extra illud.* 525.30
*Pars in abstracto non prædicatur de toto.* 635.90
*Pars integralis, & formalis est sub speciebus ex vi verborum.* 634.85
*Pars prima fundamenti dici potest materia respectu sequentium, sed actualiùs dicitur forma respectu potentialioris.* 160. 3. *in text.*
*Pars principalis baptizandi quæ sit.* 234.15
*Pars quomodo dicatur instrumentum respectu operationis totius.* 322.7
*Pars quo sensu habeat rationem prioris, & causæ respectu totius.* 525.30
*Pars Sacramentalis duplex.* 429.22
*Pars vbique continuatur, vel separatur.* 525.31
*Partem principalem baptizari satis est.* 232.3
*Parte minùs principali baptizatâ, non fit Baptismus certus.* 232.3
*Partes omnes quantitatis consecrabiles, & quo sensu, & omnes continent Christum.* 574.8. *& 12*
*Partes vt connexæ ponuntur sub speciebus de facto.* 412.15
*Partium continuatio non fit per lationem.* 770.6
*Partium ordo inter se potest stare sine coëxtensione ad locum.* 506.15
Participans *naturam aliquam an producat sibi simile secundùm illam, non applicando illam ad aliud.* 29.17
Participatum *esse quid sit.* 42.86
Particula *ad diuersa relata mutat sensum.* 430.23
*Particula in propositione quomodo supponat.* 611.14
Paruulus *in necessitate offerri potest præsso baptizandus.* 289. 8.
*Paruulorum salus non dependet à voluntate parentum.* 240.6
*Paruulis gratiam infundi in Baptismo.* 225.12
*Paruulis quomodo dabatur Sacramentum.* 446.5
*Paruulos esse baptizandos.* 219.2
Pascha *quinque modis sumitur.* 682.5
Passio *an possit separari à subiecto, & quo sensu.* 806.35
*Passio Christi præuisa efficaciam habuit respectu circumcisionis, & gratia collatæ patribus, & exhibita magis acceptata.* 139. 13. *exhibita præsens semper quoad efficaciam. ibid.*
*Passio cui non correspondet actio propriè dicta.* 800.20
*Passio exhibita efficacior, quàm præuisa.* 271.4
*Passio præsens quantùm ad oblationem, & acceptationem in instanti incarnationis.* 140. 14
*Passio vt exhibenda, & vt exhibita eodem modo causat.* 95. 46
*Passiones omnes demonstrantur in Mathematica de accidentibus.* 733.13
Pasta *non est consecrabilis, & quare.* 677.7
Pater *baptizans ex defectu alterius in necessitate, non contrahit cognationem spiritualem.* 289.8
Pater *in forma Baptismi sumitur substantiuè.* 171.40
Paternitas *fundatur in toto.* 358.12
*Paternitas non distinguitur super actu præterito. ibid.*
*Paternitatis fundamentum proximum est ipsa potentia generatiua.* 357.11
Patres *loquentes de mysterio Eucharistiæ, quare verbis symbolicis vsi fuerint.* 496.26
*Patres non temerè obtulerunt sacrificia, & quare.* 819.37
*Patres, quando dicunt Eucharistiam esse figuram corporis Christi, quomodo loquantur.* 495.26
*Patres comprehendisse veritatem Catholicam charactèris, non est dubium.* 349.23
*in* Patria, *& statu innocentiæ non esse remedia, & quare.* 73.9
Paulus *circumcidit Timotheum, & postea purificatus est.* 207. 14
*Paulus quare Petrum reprehenderit. ibid.*
*Paulus restitit Petro.* 206.75
*Paulus vniuersaliter tribuit salutem fidei.* 115.18
*Paulo quomodo licuit seruare Legalia longè post Euangelij promulgationem.* 209.17

P E

Peccandi *potentia esset in statu innocentiæ.* 75. 17
Peccanti *mortaliter in ipso actu dat Deus sua dona quandoque.* 346.20
Peccator *publicus conficiëdo non irregularizatur.* 839.11. *illius tamen Missam prohibuit Ecclesia audiri. ibid.*
*Peccator publicus quis dicendus.* 850.168
*Peccatori occulto debet ministrari Sacramentum publicè.* 291. 10
*Peccatori occulto quando non est neganda communio, & quando sic.* 850.170
*Peccatores baptizati sunt capaces Sacramenti.* 446.4
Peccatum *actuale Adami demeritoriè opponitur iustitiæ originali, & gratiæ.* 122.37
*Peccatum Adæ quomodo transit in posteros.* 218.2
*Peccatum in voto eius semper remitti non est de ratione Baptismi.* 263.28
*Peccatum mortale non esset in statu innocentiæ.* 75.17
*Peccatum non requiritur in* esse, *quando verificatur forma.* 263. 28. *nec requiritur fuisse.* 264.31
*Peccatum non semper voluntarium ei, in quo est.* 219.2
*Peccatum nostrũ nullum præuisum de facto à Deo punitur, & nullum opus bonum per anticipationem præmiatur.* 146.37

*Peccatum originale an possit remitti sine infusione vllius formæ repugnantis sibi in anima.* 123.40
*Peccatum originale iustitiæ originali, & gratiæ, aliter tamen, & aliter opponitur.* 122.37
*Peccatum originale opponitur æquialeter gratiæ.* 122.38
*Peccatum originale opponitur primò iustitiæ, secundò, & concomitanter gratiæ.* 121.35
*Peccatum, quod dedit causam fictioni, per pœnitentiam remitti impugnatur.* 249.19
*Peccatum tolleretur, si infunderetur iustitia.* 122.38
*Peccatum veniale non sit mortale.* 482.56. *ad eius remissionem requiraturne dispositio aliqua. ibid.* 55. *an impediat fructum Sacramenti.* 482.55
*Peccatum veniale non infert necessitatẽ Sacramenti.* 75.16
*Peccatum veniale non prohibet meritũ simultaneum.* 271.5
*Peccatum veniale non repugnaret statui innocentiæ.* 75.16. *imò compati posset, non per surrectionem, sed ex libertate. ibid.*
*Peccatum vsurpantis ministerium.* 307.20
*Peccati remissio, & acceptatio ad gloriam ab extrinseco sunt coniuncta.* 122.39
*Peccati remissio, & collatio gratiæ diuersa.* 129.58
*Peccati venialis, & pœna temporalis, quomodo fiat virtute huius sacrificij infallibiliter.* 835.121
*Peccati venialis remissio quomodo fiat cõtrouertitur.* 835.121. *&* 122. *non est connexio eius ad mortale. ibid.*
*Peccatum non connotari, nisi vt terminum* à quo. 265.34
*Peccatum originale remitti posse de potentia absoluta, non infusâ gratiâ.* 122.37
*Peccatum tolli absque omni mutatione Physica.* 119.8
*in Peccato aliquem esse contingit triplicitcr.* 475.2
*in Peccato mortali existens peccẽne mortaliter percipiendo Eucharistiam.* 468.1
*Peccata ante Baptismũ commissa sunt materia eius.* 250.26
*Peccata facta contra dignam receptionem Sacramenti spectant ad Pœnitentiam.* 249.21
*Peccata venialia an sint pœnitentiâ delenda ante communionem.* 476.4
*Peccata ante Baptismum commissa non spectare ad pœnitentiam.* 249.19
*Peccata omnia dimitti Baptismo.* 224.8
*Peccata omnia remitti in Pœnitentia, non tamen per ipsam, declaratur.* 252.31
Pecunia *quomodo detur pro Sacramentis.* 292.7
Peregrinans *ad S. Iacobum an mereatur in omnibus actibus ad illud iter necessarijs, licèt distractus eos eliciat.* 329.2
Peregrinus *sequatur ritum loci, in quo est.* 683.27
Perfectio *duobus modis ex effectu colligitur.* 54.111
*Perfectio maior requisita in causa infert maiorem perfectionem in effectu.* 43.88
Periculo *irreuerentiæ imminente debet à non ieiuno sumi Sacramentum.* 463.*col.*2.*n.*47
Permanens *quando desinit esse, non est, quando incipit esse est.* 317.3
Perseitas *accidentis, & substantiæ quomodo differant.* 704.2
*Perseitas dicit oppositionem ad naturam formæ, vt inclinatur ad subiectum.* 707.14
*de Perseitate accidentium opiniones.* 704.2. *eius effectus varij. ibid.*
Perseuerantia *non cadit sub merito, sed Dei solius gratiâ datur.* 457.39. *impetrari tamen potest per alia opera. ibid.*
Petrus *reprehenditur à Paulo.* 206.13. *excusatur.* 208.80
*Petri culpam fuisse venialem, si aliqua fuit.* 209.16

P H

Philosophi *per quæ media distinxerunt inter formam substantialem, & accidentalem.* 648.44
Photij *calumniæ in Latinos.* 401.6
Phreneticis, *& amentibus ab infantia non est danda Eucharistia.* 446.6

P L

Plura *non sunt ponẽda, quàm ratio, vel fides doceant.* 90.9
Pluralitas *formæ in producto non colligitur ex pluralitate agentium.* 645.40
*Pluralitas potentiæ in materia vnde colligatur.* 645.40
*Pluralitas sine necessitate non admittenda.* 84.7
*de Pluralitate formarum quæstio Philosophica.* 939.102

P O

Pœna *canonica quid.* 838.7
*Pœna contra reconfirmantem nulla inuenitur expressè in Iure canonico.* 402.1. *in comm.*
*Pœna debita in cuius Sacramẽti virtute remittatur.* 524.42
*Pœna duplex canonica, & naturalis.* 839.132
*Pœna iure non expressa non incurritur.* 841.140
*Pœna omnis per Baptismum tollitur.* 242.3
*Pœna vsurpantis ordinem quem non habet.* 840.137. *& quantùm se extendat. ibid. & quis in ea dispensare possit. ibid.*
*Pœnæ temporalis remissio quo sensu conueniat Sacramento Eucharistiæ, & quo non.* 448.14
*Pœnæ quædam fundantur super defectus naturales, quædam non.* 838.7
*Pœnæ quæ transgressoribus Sacramenti Eucharistiæ imponuntur, quæ sint.* 471.9
Pœnitens, *si ex obliuione, aut inaduertentia suscíperet Sacramentum, non peccaret mortaliter.* 247.4
Pœnitentia, *& Baptismus quandoque sunt causa adæquata remissionis peccatorum.* 247.6
*Pœnitentia magis dicit ordinem ad peccatum, quàm Baptismus.* 268.46. *vtriusque conuenientia, & differentia. ibid.*
*Pœnitentia non remittit necessariò peccatum cum omni pœna temporali.* 254.42
*Pœnitentia qualis debeat esse.* 244.9
*Pœnitentia requiritur de actuali peccato.* 243.3
*Pœnitentia Sacramentum ex multis rationibus supponit peccatum fuisse.* 268.46
*Pœnitentia secunda post naufragium tabula.* 247.4
*Pœnitentiæ effectus quis.* 109.95
*Pœnitentiæ necessitas ostenditur.* 244.8.835.118
*Pœnitentiæ virtutis definitio.* 268.46
*Pœnitentiam aliquam peccatorum requiri ad effectum huius Sacramenti, & quorum.* 480.49
*Pœnitentiã dari primariò in remissionẽ peccatorum.* 129.49
*Pœnitentiam in casu non valere sine concursu Baptismi.* 251.29
*Pœnitentiam virtualem dari in casu de peccato mortali.* 477.36
*in Pœnitentia forma est actus iudicialis.* 161.4. *in comm.*
Pollutio *debet esse notoria.* 845.148
*Pollutionem nocturnam inuoluntariam passus siue ex causa naturali, siue ex illusione diaboli, an debeat abstinere à communione.* 464.49
*Pollutionem passus ex peccato debeatne abstinere à communione.* 464.50
*de Pollutione ex peccato casus, sicut & de actu coniugali, & de leprosis, & vlcerosis an debeant à communione abstinere.* 464.50.51. *&* 52
Pontifex *directè relaxat ipsam obligationẽ præcepti.* 465.55
Positio *corporis quomodo se habeat ad* non esse *panis.* 662.11
*Positio in loco est accidens contingenter aduenies.* 508.55
*Positio in ordine ad locum quid ad partes loci superaddat.* 507.49
*Positio quanti in ordine ad locum est relatio extrinsecus aduenies secundùm Doctorẽ, aliter alij sentiunt.* 508.57
Positiuum *improportionatum esse alteri positiuo ex sola infinitate in altero prouenit.* 23.36
Posterioris *ordo non variat eius fundamentum.* 764.14
*Posteriori multiplicato nõ sequitur multiplicari prius.* 511.6
Potentia *actiua, & passiua characteris est moralis.* 363.17

# Index rerum.


*Potentia creatiua dependeatne a voluntate.* 35.63
*Potentia creatiua non ſupponit actum applicatiuum, vel applicatum.* ibid.
*Potentia duplex.* 609.11
*Potentia eadem receptiua oppoſitorum.* 646.41
*Potentia & ſapientia in creatione manifeſtata, miſericordia, & iuſtitia in redemptione.* 139.12
*Potentia materiæ infima.* 780.9
*Potentia naturalis eſt ſubiectum ſupernaturalium.* 370.3
*Potentia nulla in nobis ſola ſufficit ad actum.* 730.6
*Potentia obiectiua, & ſubiectiua diuerſa.* 647.119
*Potentia obedientialis actiua, & vniuerſalis in omnibus negatur.* 48.103
*Potentia ordinaria Dei ex factis colligitur.* 146.35
*Potentia paſſiua quomodo reducatur in actum.* 716. 49. *vniuerſalis in Deo etiam eductiua.* 15.13
*Potentia paſſiua ſubiecti an intendatur.* 25.42
*Potentia organica, & non organica an ſint diuerſæ rationis.* 560.4
*Potentia remota & propinqua explicatur.* 730.6
*Potentia ſubiectiua duplex.* 26.15
*Potentia vna quomodo ſit ad plures formas.* 646.41
*Potentia motiua indifferentia petit determinari.* 330.3
*Potentiæ paſſiuæ diuiſio.* 27.47
*Potentiam ad ſupernaturalia cognoſcit Angelus.* 568.8
*ex Potentia per ſe, & actu per ſe quare fiat vnum per ſe, non eſt quærenda ratio.* 653.53
*Potentia plures concomitanter operantur.* 629.79
*Potentia poſſunt eſſe ex æquo, quarum actus poſſunt eſſe ordinati.* 646.42
*Potentia rationales ſunt perfectiſſimæ potentiæ.* 47.99
*Potentiarum hominis in tria genera diuiſio.* 562.1
*Potentiarum ordo diuerſus.* 647.120. *aliquando ex natura ſubiecti, aliquando ex natura formarum.* ibid.
Potentialitas *quæ impediat creationem.* 27.47
Poteſtas *confirmandi, & abſoluendi aliter conueniunt.* 390.64.
*Poteſtas deſignandi materiam Sacramenti communicari poteſt creaturæ.* 71. 5. *in comm. ſignificationis tamen certitudo eſſet à Deo.* ibid.
*Poteſtas diſpenſandi in fine includit medium.* 383.32
*Poteſtas miniſterialis conſiſtere poteſt in relatione rationis.* 354.7
*Poteſtas paterna eſt in fauorem infantis.* 279.13
*Poteſtas præcellentiæ an committi poſſit puræ creaturæ.* 72.8
*Poteſtas remittendi peccata variè communicata.* 107.87
*Poteſtas remota ordinandi aliquos committi poſſet Sacerdoti.* 390.61
*Poteſtas triplex inſtituendi Sacramentum.* 72.7

P R

Præceptum *abſtinendi à communione in quibus caſibus non obligat.* 462.47
*Præceptum Baptiſmi cur ſuſtulerit Circumciſionem.* 196.30
*Præceptum comprehendens determinatum tempus non obligat extra illud.* 471.10. *aliter obligat præceptum de ſola ſubſtantia actus.* ibid.
*Præceptum de comeſtione agni luna.* 14. 678.8
*Præceptum de integritate ſacrificij cedit alij præcepto diuino.* 466.56
*Præceptum Dei, & iuris naturalis ſtrictius, quàm ſeruitutis titulus.* 278.7. *& hoc maximè duobus ſimul concurrentibus.* ibid.8
*Præceptum de ſumenda Euchariſtia non comprehendit infantes, & qui reputantur tales.* 469. 3. *comprehendit tamen adultos in vſu rationis.* ibid.4
*Præceptum diuinum communicandi an extendat ſe ad vtramque ſpeciem.* 472. 14. *quæſtio fidei eſt cum Bohemis.* ibid.
*Præceptum diuinum confeſſionis verbalis ceſſat in caſu.* 466.57 *ſicut & integra confeſſionis.* ibid.
*Præceptum diuinum eſt de ſumptione Euchariſtiæ.* 469. 1. *in comm.*
*Præceptũ diuinũ interpretari debet ex Eccleſiaſtico.* 469.2
*Præceptum diuinum quando obligat.* 469.5
*Præceptum Eccleſiaſticum eſt de communione in Paſchate facienda.* 470.7
*Præceptum hominis quandoque contemnendum.* 194.6
*Præceptũ naturale Circũciſionis quomodo manſerit.* 198.35
*Præceptum non eſt ſemper operandi propter finem extrinſecum.* 367. 36. *neque obligans ſub diſiunctione ad bonum ex obiecto, vel fine.* 368.37
*Præceptum non inducit repugnantiam actu magis, quàm conſilium.* 196.29
*Præceptum nouum confeſſionis additum Sacerdotibus celebrantibus in caſu vrgẽte, & ad hos ſolos extẽſum.* 481.50
*Præceptum nouum Tridentini de confeſſione facienda poſt communionem quos comprehendat, & quos non.* 482.54. *& quale præceptum ſit hoc.* 481.53
*Præceptum ſacrificij, & Sacramenti ex fine ſtrictius eſt.* 466.56
*Præceptum ſuſcipiendæ Confirmationis in perſecutione fidei.* 399.1
*Præcepti affirmatiui natura.* 471.11
*Præceptum eſſe baptizandi paruulos.* 220. 9. *& traditionem Apoſtolicam.* ibid.
*Præcepta contraria nequeunt ſimul obligare.* 296.7
*Præcepta plura quando occurrunt ſuperius ligat.* 460.4
*Præceptorum in lege tria genera.* 210.19
Præcipiens *aliquid fieri contra propriam legem in ea diſpenſat, ſi ex certa ſcientia id fecerit.* 304.8
Præciſum *teneri in caſu neceſſitatis dare Sacramentum.* 289.5
Prædeſtinati *ſoli fuiſſent in ſtatu innocentiæ.* 75.17
Prædeſtinationis *ordo.* 120.30
Prædeterminatio *Phyſica reiicitur.* 55.34
Prædicamentorum *diuiſio.* 794.10
*in* Prædicatione *per accidens non dari proceſſum in infinitum.* 738.15
Prædicatum *acceptum à forma poſteriori, non dicitur per ſe de ſubiecto accepto à forma priori.* 652.52
*Prædicatum vniuocum non eſt ratio continendi eminenter.* 641.105
*Prædicato quod per ſe conuenit, per ſe conuenit & ſubiecto.* 51.106
*Prædicata quomodo de ſe inuicem dicantur.* 653.127
*de Prædicatis oppoſitis circa ſubiectum in diuerſis locis controuerſia.* 521.19
Prælati *ad miniſterium Confirmationis tenentur.* 399.2
Præmium *eſt finis meriti.* 143.23
*Præmium perſonale excedit meritum perſonale.* 144.27
*Præmij exceſſus ſupra meritum.* 143.24
Præsbyteri *an potuerint confirmare in primitiua Eccleſia videtur hic relinqui ſub dubio.* 393.7
Præſentia *an poſſit multiplicari in eodem loco.* 517.16
*Præſentia Chriſti abſolutè ſumpta an inferat conuerſionem.* 615.35
*Præſentia Chriſti in Euchariſtia, vnde colligatur.* 492. 11. *& 12. & ſeq.*
*Præſentia concomitantiæ ſe habet in partibus, & proprietatibus aliter, in Deitate aliter.* 601.15
*Præſentia corporis Chriſti poſſitne haberi ſimul cum ſubſtantia panis.* 499.7
*Præſentia non poteſt eſſe per ſe terminus conuerſionis, vel tranſubſtantiationis.* 498.6
*Præſentia noua corporis Chriſti quare non mutatio localis.* 501.10
*Præſentia panis non conuertitur, ſed deſinit ex natura rei.* 629.77
*Præſentia quæ dici poſſit indiſtantia, & materialis, & non materialis.* 575.16

# Index rerum.


*Præsentia realis Christi in Eucharistia ostenditur.* 418.35
*Præsentia sub speciebus quare requiratur.* 629.76
*Præsentia vera, & in re facta est demonstrabilis.* 612.19
*Præsentia vtraque corporis scilicet, & quantitatis contingenter se habent ad corpus quantum.* 543.32
*Præsentia corporis, & quantitatis diuersa in Sacramento.* 543.31
*Præsentia Sacramentalis possibilitas ostenditur, eiusque non repugnantia.* 507.49
*Præsentiam Christi nouam, & Sacramentalem non posse saluari sine aliqua mutatione reali secundum Doctorem.* 502.40. *& hanc præsentiam esse secundùm* vbi, *& esse respectum.* *ibid.* & 41
*ad Præsentiam continuam quid requiratur.* 575.14
*Præsentiam formalem corporis, nec causam eiusdem præsentiæ, non haberi ex ratione conuersionis substantialis vt sic.* 500.37
*Præsentiam multiplicari non repugnat.* 515.7
*Præsentiam obiecti quantitatiuam requiri ad actionem, non ad terminationem.* 578.28
Præsumptio *duplex.* 296.5
*Præsumptio iuris duplex.* *ibid.*
*Præsumptio leuis de morte infantis per Baptismum datum non est sufficiès regula suspendendi opus præcepti.* 296.6
*Præsumptio leuis non excusat ab opere debito.* *ibid.*
Præteritum *nequit non esse præteritum.* 358.14
Princeps *habet ius vindicandi corruptelam educationis.* 279.14
*Principis potestas ad vindicandũ ius suum infanti.* 279.13
*Principis potestas par est in filios fideliũ, & infideliũ.* 277.6
Principium *adstruitur contra Durandum.* 34.61
*Principium creandi est actualissimum.* 33.60
*Principium creandi excludit subordinationem.* *ibid.*
*Principium creandi non subordinatur causæ creatæ dependenti à materia sicut nec applicanti.* *ibid.*
*Principium creandi non supponit materiam.* *ibid.*
*Principium idem producendi quod est assimilandi.* 746.8
*Principiũ influẽdi in operibus Christi morale tãtum.* 95.47
*Principium nullum esse obligant semper ad finem honestatis in singulis operibus.* 363.21
*Principium perfectum actiuum quid sit.* 33.59
Priuatio *forma in subiecto non tollit annihilationẽ.* 662.12
*Priuatio, quæ est iustitia originalis, in quo fundetur.* 121.36
Prius *aliquo non est prius tertio in causando tertium necessario, & semper.* 755. *in comm.*
*Prius non multiplicatur, multiplicato posteriori.* 517.15
*Prius non variatur propter variationem posterioris.* 620.20
*Prius priuatione quid.* 28.48
Priori destructo destruitur posterius *dupliciter exponitur.* 754.32
*Priori essentialiter multiplicato, multiplicatur posterius.* 522.25
Probatio *præmittenda ad communionem.* 480.50
Processus *obscurus in definitione fidei non admittendus.* 379.18
Procurator *& minister Sacramentorum quomodo differant.* 327.20
Producentis *ordo ad productum.* 796.20. *supponit alios.* *ibid.*
Producere *potens rem totam post eius* esse, *posset si non præextitisset, eandem producere, idque creando.* 764.15
Produci *simpliciter quid sit, & quid produci secundum quid.* 538.16
Productio *Dei ad intrà relatio realis, ad extrà rationis.* 799.18
*Productio Dei est respectus.* 800.20
*Productio in quam causam refunditur.* 740.5
*Productio passiua est relatio intrinseca.* 800.20
*Productio secundùm rationem, seu ordinem.* 17.18
Progressus *ad Baptismum descriptus à Dionysio.* 348.20
Proiectus *ex Ponte an esset baptizatus.* 233.10
Prolatio *personarum secundum suum ordinem, an essentialis.* 181.13
Promissio *facta Ioannis 6. æquè adiuncta est corpori, ac sanguini, & quid ex hoc inferendum.* 452.30
*Promissio Petri qualis, & in quo fundata.* 376.7
*Promissio stabilis facta Apostolis.* 375.4
Promulgatio *necessitatis Baptismi requisita.* 202.49
Pronomen *non demonstrat conuersionem in* fieri. 596.4. *sed Christum præsentem tantùm, & conuersionem in facto esse.* *ibid.*5
Propagationis, *& matrimonij finis quis.* 277.4
Propinquitas *forma ad materiam non debet esse maior, quam partium formæ ad se mutuò.* 318.2
Propinquius perfectiori est perfectius remotiori *explicatur.* 731. 11. *secundùm rationem perfectioris sic.* 732.12
*Propinquum, & distans quomodo conueniant eidẽ.* 526.25
Proportio *ex Philosopho vnde sumenda.* 24.40
*Proportio iustitiæ inter meritum & præmium.* 144.28
*Proportio manet quoad essentialem successionem.* 23.37
Propositio *æternæ veritatis, & necessariæ, quæ dicatur.* 522.22
*Propositio practica ad vltimum instans probationis profertur.* 444.52
*Propositio prior sua veritate.* 440.23
Propositum *faciendi pœnitentiã quale est validũ.* 480.49
Proprietas *cur sit inseparabilis à subiecto.* 522.23
*Proprietates habitus permanentis.* 227.20
Prouidentia *concessa naturæ ex indigentia.* 368.37

P V

Puer *baptizatus ante passionem non circumcisus saluabitur.* 195.8

Q V

Quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, *an verificetur in Diuinis.* 530.3
Quæstio an est, *quid supponat.* 339.2
Qualitas *alterans quare non corrumpat gradum inseparabilem à forma corrumpenda.* 751.25
*Qualitas an sit prior loco, & quare.* 521.21
*Qualitas concomitans formam corrumpendam à quo corrumpatur.* 750.23
*Qualitas incompossibilis formæ corrumpendæ, & necessaria formæ inductæ; ab inducta causatur.* 752.26. *& quare.* *ibid.*27
*Qualitas in Eucharistia in quo subiectetur.* 733.15
*Qualitas non recipit perfectatem.* 707.15
*Qualitas perfectio simpliciter creaturæ.* 731.10
*Qualitas quomodo propinquior substantiæ quàm quantitas, & ècontra.* 732.12
*Qualitas quomodo respicit substantiam.* 737.10
*Qualitas sine quantitate qualis.* 730.8
*Qualitas supponit quantitatem.* 736.6
*Qualitas vna dissimilis in tota specie arguit substantiam specificam differentem.* 186.3
*Qualitas vt est separata sequitur ad substantiam.* 707.15
*Qualitatis diuisio in quatuor species, non est generis in species.* 360.14
*Qualitatis diuisio per Philosophum facta non est essentialis,* 361.18
*Qualitatis propriæ mutatio infert desitionem; & quid faciendum in tali mutatione.* 581.43
*Qualitatis proprietates in ordine ad subiectum substantiale tantùm.* 737.10
*Qualitatis separatio vltimus gradus quomodo corrumpatur.* 774.7
*Qualitatem perfectiorem esse quantitate quinque rationibus probatur.* 731.9. 432.5
Quantitas *à substantia distinguitur.* 703.1
*Quantitas compatibilis cum omni forma.* 773.2
*Quantitas compatitur cum omni specie & gradu qualitatis.* 773.4

# Index rerum.


*Quantitas cur præsupposita ad formam substantialem.* 644. 115
*an Quantitas determinata requiratur in materiâ consecrabili, diuersæ sunt sententiæ.* 684.29
*Quantitas est prior & independens à loco.* 504.46
*Quantitas est prior loco, & quare.* 521.21
*Quantitas in quo casu posset vniri subiecto substantiali.* 707.13
*Quantitas minor reducta sicut æquiualet maiori, ita corpus replicatum per vnam extensionem adæquat vtrumque locum.* 518.17
*Quantitas necessaria ad organizationem, & vitam.* 504.47. *dicit naturalem connexionem ad corpus. ibid. & maiorem quàm anima, & sanguis. ibid.*
*Quantitas nec per se est, nec inhæret propriâ virtute.* 708.18
*Quantitas non corrumpitur per agens naturale.* 773.3
*Quantitas non eo modo corrumpitur, quo substantia.* 772.2
*Quantitas non est actiua.* 515.6
*Quantitas quâ corruptione pereat.* 767.21
*Quantitas quomodo se habeat ad quantitatem.* 736.7. *non recipitur in alia. ibid.*
*Quantitas quomodo sit ratio formalis essendi in loco.* 529.5
*Quantitas quo sensu consecrabilis.* 574.8
*Quantitas separata per se non est actu sensibilis, & quomodo agat ad sensationem* 577.23
*Quantitas sequitur materiam, & qualitas formam.* 731.10
*Quantitas sine qualitate non moueret intellectum nostrum, & quare.* 756.37
*Quantitas tota si periret in rarefactione, nullum accidens maneret idem.* 762.8
*Quantitatis alteratio quomodo eam destruat.* 773.3
*Quantitatis duplex extensio.* 505.14
*Quantitatis essentia in quo consistat.* 507.49
*Quantitatis existentia prior modo essendi.* 705.7
*Quantitatis extensio materialiter sumpta in ordine ad locum, non dependet ab aliquo loco positiuo.* 514.4. *sicut nec quantum à quanto eiusdem rationis. ibid.*
*Quantitati magis connaturale est esse sine perfectate, & sic melius saluantur omnia, quæ ipsi conueniunt.* 707.16
*Quantitati minùs repugnat modus naturalis, quàm supernaturalis essendi.* 514.3
*Quantitatem eandem manere in Eucharistia quæ petant.* 766.19
*inter Quantitatem, & qualitatem ordo.* 736.6
*nec Quantitatem, nec qualitates esse ex vi verborum.* 656.133
*Quantitatem non supplere materiam, & quo modo.* 780.11
Quantum *an possit esse in loco sine præsentia formali.* 543.30
*Quantum conseruari sine coextensione ad locum quid sit.* 506.16. *& seq.*
*Quantum posse esse in vacuo.* 515.6
*Quantum posse esse sine commensuratione ad locum.* 505.14
*ly* Quia *quandoque denotat concomitantiam, non causam.* 734.16
Quid nominis *in Baptismo declaratur.* 155.1. *in text.*
*Quiescere hîc non infert* non moueri *absolute.* 527.28
Qui pro vobis fundetur, &c. *quomodo dicatur in forma calicis.* 434.37
Quod & quo *duplex attenditur in conuersionibus Physicis.* 599.6
Quod & quo *quomodo differât respectu actionis.* 735.36

R A

Rarefactio *quid sit.* 766.20
*Rarefactionis modus possibilis agenti naturali.* 767.3
*Rarefactionis modus, qui soli Deo est possibilis.* 769.4
*de Rarefactione duo modi dicendi.* 764.13
*Rarefactione non acquiri nouam quantitatem* 768.23
Ratificatio, & *consuetudo derogant legi.* 197.31
Ratio *distincliua in duobus quomodo multiplicata non distinguat.* 41.79
*Ratio, & sensus non discernunt absentiam panis, & vini in mysterio Eucharistiæ.* 419.37
*Ratio falsa quæ dicatur.* 410.4
*Ratio formalis essendi in loco proxima quæ sit.* 520.18
*Ratio formalis potest intelligi dupliciter.* 529.5
*Ratio fundandi, & relatio sunt in eodem subiecto.* 358.13
*Ratio inclinat ad bonum vitæ, & naturale.* 364.22
*Ratio in creatis non dirigit proximè ad actionem substantialem.* 35.65
*Ratio perfecta cognoscendi aliud nihil est, nisi contineat ipsum eminenter, aut virtualiter.* 44.92
*Ratio propria rei non conuenit alteri.* 589.6
*Ratio, quâ importat accidês ad quod genus pertineat.* 711.6
*Ratio sola non obligat sine regula.* 364.21
*Rationes formales inuariabiles.* 647.118

R E

*quidquid* Recipitur *in alio, per modum recipientis recipitur.* 562.3
Rectitudo *operis non transiret in posteros.* 122.37
Redemptio *vexationis implicat Sacramentum.* 293.15
*Regeneratio retinet similitudinem generationis.* 319.2
Regulæ *de mutationibus quæ possent occurrere in forma Sacramentali.* 168.26. & 27.169.27. *& seq.* & 170.33
Relatio *accidentalis cur non possit esse sine subiecto.* 735.19
*Relatio boni perfecti ad imperfectum qualis.* 144.27
*Relatio causati ad causam prima eadê fundamẽto.* 721.18
*Relatio creaturæ ad Deum coæua ipsi.* 804.29
*Relatio creaturæ ad Deum est contingens.* 358.14
*Relatio est ratio cognoscendi aliud.* 355.7
*Relatio extrinsecus adueniens cognoscitur per se, & propriam speciem.* 355.8
*Relatio extrinsecus adueniens quid requirat, & quare dicatur talis.* 794.10. & 11
*Relatio extrinsecus adueniens supponit aliquam conditionem accidentalem.* 794.11
*Relatio intrinsecus adueniens nequit in suam correlationem conuerti, nec in sua extrema, aut è contra, sicut nec totum in partes vnitas, aut è contra.* 601.26
*Relatio nequit esse sine subiecto.* 716.51
*Relatio nequit primò mouere intellectum.* 43.89
*Relatio ordo est inter absoluta.* 792.9
*Relatio posterior fundamento.* 722.56
*Relatio potest fundare relationem.* 353.5. *in text.* 355.6
*Relatio quæ sit eadem fundamento.* 720.17
*Relatio quando diuersa in causis partialibus.* 68.29 *quandoque est eadem. ibid.*
*Relatio quid sit.* 803.26
*Relatio realis attingentia nequit poni, nisi obiecto realiter existente.* 549.7
*Relatio realis eadem an possit in pluribus fundare.* 67.29
*Relatio realis, & rationis distinguuntur.* 358.12
*Relatio secundùm* dici *non est relatio in* esse. 612.37
*Relatio signi in characlere non est realis.* 355.9. *idem esto iudicium de relatione configurationis. ibid.*
*Relatio transcendens maiorem supponit connexionem, quam Prædicamentalis.* 713.38
*Relatio vnde habeat vt sit eadem fundamento.* 356.9
*ad Relationem an detur actio.* 714.43
*Relationem diuinam non esse infinitam.* 735.20
*Relationes an inhæreant subiecto, & quomodo.* 355.6
*Relationes distinguunt constitutum realiter ab alio, & dicunt ad inuicem oppositionem. ibid.*
*Relationes oppositæ quomodo conueniant eidem.* 525.25
*Relationes secundi modi cur non sint extrinsecæ.* 794.11. *supponunt actionem, &c. ibid.*
*Relationes secundi modi super quid fundentur.* 802.26
*Relationes extrinsecus aduenientes dari.* 353.5. *in comm.*
*Relationes extrinsecus aduenientes Doctor posuit reales.* 351.1

*in Relationibus quando detur ſtatui.* 356.9
Relatiuum *non ideò poteſt eſſe ſine termino, quia accidens.* 725.27
*Relatiuum eſſe principium ſui correlatiui.* 801.24
*Relatiua definiendi duplex modus.* ibid.
Religio *quomodo diſtinguatur à virtutibus infuſis.* 814.11
*Religionis actus duplex.* ibid.
*de* Reliquiis *corporis, vel ſanguinis in calice, vel corporali manentibus poſt ſumptam lotionem, quid faciendum.* 463.col.1
Remedium *contra peccatum originalè erat tempore Legis naturæ.* 130.2.*in text.*
*Remedium debuit eſſe ſenſibile.* 112.8
*Remedium efficax debet etiam eſſe notum.* 205.60
*Remedium Legis, & naturæ valebat Gentibus ſine Baptiſmo.* 204.56
*Remedia omnia ad ſalutem propter Chriſtum nobis dantur.* 139.7
*Remedia ſalutis quomodo ex miſericordia, & iuſtitia.* 139.8
Remiſſio *ſola peccati non facit ad ſalutem.* 228.28
Remittendi *peccatum duplex modus.* 243.5
Remiſſionem *totam eſſe per Pœnitentiam, & nihil dari per Baptiſmum, nimium eſt, & contra reuerentiam Sacramenti.* 250.23
Renaſcentia *in Chriſto quomodo fiat.* 225.14
Reprehenſionis *Petri duplex cauſa.* 208.15. *& cauſa examinatur.* ibid.
Reproborum *peccato ſuppoſito, non eſſent Sacramenta in ſtatu innocentiæ.* 75.17
Repromiſſiones *fuiſſe ex fide, & non Circumciſione.* 114.14
Repugnantia *inter terminos in eſſendo vnde.* 602.19
*Repugnantia ſecundùm determinatum* eſſe *quomodo intelligenda.* 667.26
*Repugnantia ſunt aliqua reſpectu virtutis creatæ, quæ ſimpliciter non repugnant.* 523.21
Res *à quo dicatur ſecundùm Henricum.* 658.4
*Res oblata in ſacrificio Miſſæ eſt ipſe Chriſtus, vt ſit ſub ſpeciebus.* 829.87
*Res prius eſt, quàm oratio ſit vera, vel falſa.* 439.22
*Rei externæ ad cultum duplex vſus.* 814.12
*Rei immutatio quid ſignificet.* 816.21
*Rei materialis ad cultum triplex vſus.* 65.18
Rerum creatarum primum eſt eſſe, *explicatur.* 11.8. *intelligitur ordine generationis ſecundum rationẽ.* 17.18
*Rerum differentia colligitur ex modis eſſendi.* 706.9
*in* Reſpectiuis *oppoſitis abſoluta affirmatio, & negatio non ſequitur.* 527.28
Reſpectus *dependet ab extremis.* 536.5
*Reſpectus intrinſecus aduenientes quid, & quid extrinſecus.* 793.9
*Reſpectus omnis neceſſariò eſt alicuius ad aliquid.* 733.14
*Reſpectum eſſe ſine ſubiecto, repugnat.* 716.8. *& 51*
*Reſpectum vnum benè poſſe fundari in alio.* 716.8
*Reſpectus alij ſicut multiplicantur in eodem fundamento, ſic reſpectus* vbi *multiplicari poteſt.* 513.11
*Reſpectus producti, & educti ſunt intrinſeci, tranſmutati extrinſecus.* 793.11
Reſurrectio *Chriſti à viſione deſumpta.* 516.10
*Reſurrectio promiſſa dignè ſumentibus Euchariſtiam.* 448.16
*Reſurrectio ſine reali ſumptione Euchariſtiæ datur.* 459.43
Reſurgens *à peccato recuperat omnem gratiam perditam.* 248.8

S A

Sacerdos *Diaconum ordinare non poteſt.* 390.60
*Sacerdos diſtractus conficiat.* 329.3
*Sacerdos eſt cauſa inſtrumentalis diſpoſitiua Euchariſtiæ.* 808.40
*Sacerdos ex ordinatione ſua habet poteſtatem in alia Sacramenta ab ordine.* 390.61
*Sacerdos hæreticus conſecrare poteſt.* 811.5
*Sacerdos omnis etiam hæreticus, & degradatus, validè offert ſacrificium.* 831.96
*Sacerdos poteſt ex commiſſione in aliquibus gradibus ordinare.* 389.58
*Sacerdos quis poteſt conſecrare.* 810.3
*Sacerdos ſi poſt conſecrationem, & ante communionem recordetur peccati mortalis, quid faciendum.* 476.5
*Sacerdoti non ieiuno licetnè conficere Sacramentum ad communicandum infirmum pro viatico.* 463.48
*Sacerdoti quid ex ordinatione competat.* 389.59
*Sacerdotem ex diſpenſatione confirmare poſſe.* 385.44
*Sacerdotem omnem eſſe miniſtrum confirmationis qui aſſeruerunt.* 384.36. *& ſeq.*
*Sacerdote inter conſecrandum mortuo, quid faciendum.* 432.29
*Sacerdote mortuo poſt prolationem* ſanguinis mei *in conſecratione calicis, quid faciendum.* 431.10
*Sacerdotes communicantes ferant ſtolam.* 464.49
*Sacerdotes Legis noua Vicarij Chriſti.* 823.61
*Sacerdotum poteſtas circa miniſterium Euchariſtiæ.* 481.52
*Sacerdotes malos conſecrare Euchariſtiam.* 810.2
Sacerdotium *à Deo inſtitutum.* 819.40
*Sacerdotium ad ſacrificium ordinatur.* 827.77
*Sacerdotium Leuiticum ſicut ſupponebat circumciſionem, ita Sacerdotium noui Teſtamenti ſuppoſuit Baptiſmum, & quare.* 191.13
Sacramentum *ad gratiam ordinatur.* 6.4.*in text.*
*Sacramentum aliter, & aliter applicari poteſt.* 273.11
*Sacramentum an cauſet veram ſanctitatem.* 64.15
*Sacramentum an dicat vnitatem ordinis, & compoſitionis.* 63.11
*Sacramentum an diſpoſitio.* 92.38
*Sacramentum an vnum ex vnitate ſignificationis.* 310.3
*Sacramentũ à quocunque Sacerdote validè confici.* 830.92
*Sacramentum à ſolo Deo inſtitui poteſt, vel eius commiſſione cum pacto de cauſanda gratia.* 72.6.*in tex.*
*Sacramentum debet eſſe ſignum practicum.* 418.37
*Sacramentum debet eſſe ſtabile.* 66.23
*Sacramentum dicitur forma ſignificati.* 67.26
*Sacramentum dubium eſt ſub conditione iterandum.* 381.27
*Sacramentum efficit, quod ſignificat.* 421.46
*Sacramentum eſt ſenſibile ex neceſſitate communionis in Religione.* 64.14
*Sacramentum Euchariſtiæ ex quibus conſtituatur.* 418.37
*Sacramentum fuit in Lege naturæ.* 130.1.*in comm. an fuerit verum Sacramentum.* ibid.2
*Sacramentum fuit pro omni ſtatu viæ poſt lapſum.* 73.9
*Sacramentum imitatur diſpoſitionem neceſſitantem.* 103.75
*Sacramentum in re applicatum cauſat id, quod in voto dicitur cauſare.* 456.38
*Sacramentum, licèt non cauſaret gratiam in non ponente obicem, non ideò eſſet ſignum falſum.* 257.4
*Sacramentum magis ageret in virtute propria, quàm voluntate excitatâ.* 99.60
*Sacramentum neceſſarium in voto debetne ſumi in re ipſa.* 456.38
*Sacramentum non eſt, donec compleatur forma.* 86.17
*Sacramentum non eſt negatio, vel priuatio.* 60.5
*Sacramentum pro quo ſupponat in rectò.* 62.10
*Sacramentum quandoque dare primam gratiam per accidens.* 476.34
*Sacramentum quid, ſecundùm D. Thomam.* 80.2
*Sacramentum quoad certitudinem effectus à ſolo Deo inſtitui poteſt.* 71.5.*in text.*

# Index rerum.


*Sacramentum quomodo causet gratiam.* 95.13
*Sacramentum quomodo efficiat quod significat.* 409.6
*Sacramentum quomodo significet effectum in* facto esse. 127.49
*Sacramentum quomodo vnum, cum plura contineat.* 60.6
*Sacramentum respicit finem.* 128.54
*Sacramentum sensibile quare requiratur.* 63.13
*Sacramentum vocatur sigillum.* 349.22
*Sacramentum Baptismi an quis debeat ministrare, quando praesumitur baptizationem in periculum vergere vitae corporalis suscipientis.* 194.1. *& seq. in comm.*
*Sacramenti cultus est ex contento.* 419.39
*Sacramenti definitiones variae.* 61.9. *in comm.*
*Sacramenti definitio qualis sit.* 60.7
*Sacramenti definitio.* 61.9. *in text.*
*Sacramenti diuisio.* 76.8
*Sacramenti diuisio aequinoca.* 76.19
*Sacramenti efficacia.* 107.89
*Sacramenti efficacia eadem est in specie.* 227.22
*Sacramenti finis cessasset in statu innocentiae.* 74.14
*Sacramenti finis, & vsus praedicationem, & vocationem supponit ad legem nouam.* 192.20
*Sacramenti forma quae, & quae materia.* 160.3
*Sacramenti institutio debet esse publica.* 192.19
*Sacramenti institutio non regulatur per casum, sed per legem.* 234.12
*Sacramenti institutio, suppositâ reuelatione, quadruplici congruentiâ probatur.* 69.2
*Sacramenti integritas excusat à ieiunio & quando.* 462.47
*Sacramenti ministerium potest delegari, & quare consecratio Chrismatis non.* 383.31
*Sacramenti motiuum an ex solo merito Christi.* 74.12
*Sacramenti propriè dicti diuisio multiplex.* 76.19
*Sacramenti significatio specificatur à voluntate particulari.* 128.54
*Sacramenti virtus qua.* 105,16
*ad Sacramentum accedere cum veniali, quale peccatum.* 483.61. *& seq.*
*Sacramentum esse non est contra rationem Sacrificij.* 131. 4. *in text.*
*Sacramentum esse signum probatur.* 62.10
*Sacramentum institui quare congruat.* 70. 2. *in text.*
*Sacramentum ministrare aliis in communione laica ad quem spectet.* 849.164
*in Sacramento formale est signum, res sensibiles, & effectus additamentum.* 60.7
*Sacramenta alia indiuisibiliter significant.* 411.14
*Sacramenta an recipiant virtutem impressam.* 80.2
*Sacramenta ante passionem fuerunt minoris efficaciae.* 140.15
*Sacramenta an sint signa beneuolentiae diuinae.* 67.27
*Sacramenta causant gratiam ex opere operato.* 447.11
*Sacramenta causant gratiam ex opere operato, quo sensu.* 227.22
*Sacramenta causant in virtute operum Christi.* 98.57
*Sacramenta causant quando non sunt, & sunt signa ex instituto.* 98.57
*Sacramenta de se certa quantùm ad virtutem.* 70. 2. *in comm.*
*Sacramenta, & alia signa publica an sint diuersa quoad vsum.* 327.19
*Sacramenta, & omnia entia rationis quomodo definiantur.* 60.7
*Sacramenta ex latere Christi fluxisse.* 693.23
*Sacramenta impropria legis veteris dabant gratiam ex opere operantis.* 125.10
*Sacramenta impropriè dicta plura esse poterant in diuersa lege.* 76.19
*Sacramenta nihil includunt, nisi spectet ad virtutem actiuam ipsorum.* 456.38
*Sacramenta non constituunt formaliter gratum.* 97.52
*Sacramenta non possunt habere actionem instantaneam.* 82.4
*Sacramenta non sunt causa per accidens gratiae.* 100.68. *nec tantùm conditiones.* 101.69
*Sacramenta non virtute propriâ agunt.* 98.58
*Sacramenta nouae, & veteris legis non conuenire vniuocè in* esse *Sacramenti.* 66.21
*Sacramenta nouae legis conferunt gratiam non ponentibus obicem.* 479.42
*Sacramenta nouae legis in quo distinguantur à Sacramentis veteris legis.* 447.11.452.29
*Sacramenta noua vnde habeant vim suam.* 140.10
*Sacramenta propria legis consummata in morte Christi.* 199.39
*Sacramenta propriè, & impropriè dicta fuerunt in omni lege.* 76.8
*Sacramenta quando causant gratiam, vt dispositio necessitans, & quando vt non necessitans.* 253.35
*Sacramenta quomodo causent gratiam secundùm D. Thomam.* 79.2
*Sacramenta quando fluxisse dicantur à vulnere lateris Christi.* 141.15
*Sacramenta quomodo se habeant ad se, & ad effectum.* 252.32
*Sacramenta quomodo sint accepta.* 97.52
*Sacramenta significant gratiam habitualem.* 128.52
*Sacramenta sine quo nequeant physicè agere.* 97.53
*Sacramenta, si non repugnassent statui innocentiae, eandem haberent efficaciam, quoad sanctitatem, quam modò habent, & hoc ex diuina institutione.* 73. 11. 74.11
*Sacramenta spectant ad cultum, qua sanctitatem conferunt.* 65.18
*Sacramenta spectantia ad necessitatem personalem sunt quinque* 136.8. *reliqua respiciunt communitatem. ibid.*
*Sacramenta sumpta in fictione, an recedente fictione dent effectum.* 450.24
*Sacramenta sunt causae per se, & propriè.* 100.67
*Sacramenta sunt causa per se gratiae.* *ibid.*
*Sacramenta sunt ex meritis Christi.* 73.7
*Sacramenta tria sunt, quorum institutio est expressa.* 137.10
*Sacramenta veteris legis nihil contulisse, nisi ex opere operantis.* 124.43
*Sacramentorum diuersitas ex modo, & fine.* 452.28
*Sacramentorum efficacia ex Christo, vt causa meritoria.* 138.11
*Sacramentorum efficacia quid.* 138.6
*Sacramentorum modus causandi.* 101.71
*Sacramentorum nouae legis duplex perfectio.* 136.7
*Sacramentorum omnium institutio à quo, & quando facta.* 137. 4. 5. *& 10*
*Sacramentorum vera causalitas saluatur.* 102.72
*Sacramentorum veteris, & nouae legis diuersitas.* 106.17
*Sacramentorum vsus.* 65.18
*Sacramentis inest virtus supernaturalis, quâ causant gratiam.* 81.3
*Sacramenta causare gratiam per motum receptum, quis dicat.* 80.4
*Sacramenta causare gratiam per potentiam obedientialem, quis ponat.* *ibid.*
*Sacramenta causare gratum esse, seu vpionem tantùm gratiae quis dicat.* 80.3
*Sacramenta fieri diuersa quoad formam, & quoad materiam.* 312.12
*Sacramenta non esse sigillum, & testimonium in sensu haereticorum.* 67.27
*in Sacramẽtis nouae legis requiri res, & verba.* 160.2. *in cõ.*
*in Sacramentis quando aliquid supplendum.* 150.9
Sacrificium *aliquod probabile est fuisse Sacramentum tẽpore legis naturae.* 131.4. *in text. quid fuerit. ibid.* 2. *& 3*

# Index rerum.


*Sacrificium cruentum excedit incruentum quoad valorem.* 832.102.
*Sacrificium definitur.* 62.9
*Sacrificium eſt actus religionis.* 813.5.& 8. *& externus.* 815.15. *in genere ſigni.* ibid.16
*Sacrificium incruentum applicat fructum cruenti.* 824.62
*Sacrificium in propoſito, licèt habeat vim impetrandi conuerſionem peccatoris, non eſt tamen infallibilis eius effectus.* 835.119. *impetrat augmentum gratiæ, & quomodo.* 836.123
*Sacrificium offertur etiam à Sacerdote in perſona Eccleſiæ.* 833.108. *eius effectus.* 834.115. *dat remiſſionem peccatorum, & quomodo.* ibid. 116. *& hæc remiſſio quomodo fiat.* ibid.17
*Sacrificium pro quibus offerri poſſit.* 837.131
*Sacrificium publicâ authoritate inſtitutum non licet niſi publico miniſtro offerre.* 813.6
*Sacrificium quid ſignificet.* 815.19. *non deſignat dominium vitæ,* ibid. *eius motuum & ſignificatio.* ibid.18
*Sacrificium ſoli Deo immediatè offertur.* 814.13
*Sacrificium verè, & propriè offerri in Miſſa docet fides.* 821.47. *non eſt in ſtatu Beatorum.* 823.57
*Sacrificij definitio non eſt completa Sacramenti.* 62.9
*Sacrificij definitio.* 818.31.& 32
*Sacrificij duplex acceptio.* 813.5
*Sacrificij effectus infallibilis eſt certus, ſicut & Sacramenti.* 835.119. *triplex modus operandi eius, & triplex valor.* 836.124. *acceptatio eius qualis.* ibid. *valor eius eſt finitus.* 837.128. *in eo tamen poteſt conſiderari aliquo modo infinitas ſyncategorematica.* ibid.131
*Sacrificij eſſentia in quo conſiſtat.* 826.75.828.81. *quid in eo offertur.* 826.78
*Sacrificij iteratio in quot, & quibus caſibus permittatur.* 848.158. *eius oblatio explicatur.* 829.88
*Sacrificij offerendi locus quis.* 820.42. *eius diuiſio multiplex.* ibid.43.& 44
*Sacrificia legis naturæ ſicut & legis ſcriptæ, à quo præſcripta.* 818.33.& *ſeq.* 819.35
*Sacrificia legis veteris impropriè Sacramenta.* 124.10
*Sacrificia oblata ex inſtitutione diuina.* 131.4. *in comm. quia inſtinctus naturalis, neque inſtinctus priuatus ſufficiebant.* ibid.
Salus *non eſt cum peccato originali.* 112.6
Samaritanus *quis dicatur.* 5.2. *in comm.*
Sanctificati *in vtero an comprehendantur præcepto Baptiſmi.* 264.29
Sanguis *an ſit ſub ſpecie panis ex vi verborum problema.* 541.13
*Sanguis eſt duplex.* 412.19
*Sanguis eſt in venis.* 413.20
*Sanguis & aqua fluxerunt de latere Chriſti.* 632.32
*Sanguis habet propriam formam, ergo & corpus.* 632.30
*Sanguis non eſt animatus.* 412.19. *eſt nutrimentum.* ibid.20
*Sanguis non eſt Sacramentaliter in Euchariſtia, niſi poſt conſecrationem.* 531.1
*Sanguis qualiter ſit ſub ſpecie panis.* 542.28
*Sanguinem non eſſe animatum.* 408.4
Satisfactio *pars integralis Pœnitentiæ.* 430.22
Saturitas *pro repletione variatur ad variationem* vbi. 519.16

S C

Schiſmatis, *& forma particularis Græcorũ cauſa.* 163.12
Scientia *Dei non recipit perfectionem à creaturis, ad quas ex propria perfectione extenditur.* 43.89
Scriptura *admittit quædã indifferẽtia in operibus.* 367.36
*Scripturæ loca denotantia communionem Euchariſticam, vt* ſi quis manducauerit ex hoc pane, *&c. & ſimilia, de qua manducatione debeant intelligi.* 492.13.& 14. 493. *per totum.*
Scrupuloſus *quomodo perplexus.* 296.7
Scrupulus *de intentione legitima miniſtri tollitur.* 327.20

S E

Securis *an ſcindat per formam propriam.* 9.5
Senſatio *non fit à Chriſto vt in Euchariſtia.* 550.5
*Senſatio nulla poteſt primò ineſſe Chriſto vt in Sacramento.* 547.2
Senſibile *commune non eſt ratio, aut conditio intuendi proprium.* 578.24
*Senſibile minimum poteſt immutare ſenſum.* 573.2
*Senſibilia communia an agant in ſenſum.* 756.57
Senſus *figuralis in propoſito fundatur in literali.* 494.22
*Senſus formæ non dependet ab Eccleſia.* 169.28
*Senſus Metaphoricus non excludit literalem.* 494.21
*Senſus non decipitur circa Euchariſtiam, ſed intellectus arguens ex ſenſibilibus.* 576.6
*Senſus non diſcernit ſpiritus, vel vapores in aëre.* 764.13
*Senſus Sacramentalis quibus verbis contineatur.* 429.19
*Senſus aliqui erunt ſine ſuis actibus in Beatis.* 561.5
Separatio *extenſionis non eſt mutatio quãtitatiua.* 593.23
*Separatio poſſibilis Deo ſecundùm* quid *deſtruit.* 539.23
*ex* Septuaginta *nullum fuiſſe reprehenſum, ſed Apoſtolum.* 207.76
Sermo *nihil cauſat Phyſicè reſpectu ſignati.* 90.10
*Sermo quomodo excitet ad conceptum rei ſignificatæ.* ibid.
Serra *expellit aliud corpus formaliter tantùm.* 96.15
*Serra ferrea non plus efficit, quàm lignea.* 96.14
*Serra quid accipiat dum mouetur, & quid non.* 91.11
Seruitus *cedit legi diuinæ.* 278.8
*Seruitus non eſt inducta iure naturali.* 278.7. *nec præiudicat iuri paterno.* ibid.

S I

Signandi *denominatio tribuitur effectui Sacramenti tantùm.* 347.17
Signatio *in figura crucis eſt neceſſaria ad vnctionem Sacramentalem.* 379.16
Signatum *primum Euchariſtiæ quod.* 555.8
*Signatum primum ſpecierum ex inſtitutione eſt corpus, ſed ex ſignificatione naturali eſt panis.*
Significare *determinatè, & indeterminatè contradicunt.* 611.16
Significatio *duplex formæ Sacramentalis.* 610.12
*Significatio eſt ex inſtituto.* 169.29
*Significatio, & efficacia Sacramentorum ex inſtitutione colligitur.* 452.28
*Significatio in oratione diuerſa eſt intra, & extra.* 443.50
*Significatio multiplex limitatur ad ſuppoſitionem determinatam.* 613.23
*Significatio myſtica ex re ipſa, non verbis, ſumitur.* 496.26
*Significatio myſtica non eſt de ratione Sacrificij.* 815.17
*Significatio myſtica non ſpectat ad Sacrificium.* 828.81
*Significatio naturalis accidentium quo ſenſu maneret in Sacramento.* 612.21
*Significatio naturalis non derogat inſtituto.* 612.19
*nec Significatio, nec modus illius propoſitionis* hoc eſt, *&c. in qua demonſtratio non eſt excluſiua aliorum præſentium, importat ſubſtantiam panis.* 611.15.& 18
*Significatio non cauſat conceptum.* 436.14
*Significatio ſpeculatiua non conſtituit Sacramentum.* 64.16
*Significatio totius orationis an debeat referri ad idem tempus, vel inſtans.* 436.13
*Significationis practicæ ſubiectum quod.* 157.4
Significatum *formæ quid ſit.* 634.84. *non eſt corpus vt conſtitutum per animam.* ibid.85
*Significatum per ſe accidentis nequit intelligi, neque conſequenter eſſe ſine ſubiecto.* 712.34
Signum *æquinocum quare dicatur tale.* 444.52
*Signum certum habet effectum in* fieri, *vel in* facto eſſe. 126.48
*Signum efficax quid.* 59.4
*Signum practicum certum, vt in pluribus, conuenit inſtitui inuiſibilis gratia.* 69.2

# Index rerum.


*Signum pro ſignato, vel contra ſumitur.* 420.41
*Signum ſenſibile diuini cultus prædicatum eſſentiale.* 830. 91
*Signum, ſeu forma diſtinguitur à re ſignata.* 417.35
*Signum triplex.* 59.4
*Signi definitio ex Auguſtino.* 353.5. *in text.*
*ad Signum practicum duo actus impoſitoris requiruntur,* 72. 6. *in text.*
*Signa ſequuntur naturam ſignificati,* 611.16
Simoniacus *an ſit irregularis.* 839.11
*Simoniacus palliatus quis dicatur,* 293.16
*Simoniaci pœna,* 841.138
Simulationis *effectus.* 208.79
Simultas *ad locatum quid infert inter extrema.* 530.5
*Simultas denominationis non tollit ordinem rei.* 803.28
*Simultas humana, ſeu moralis, qualis.* 317.4
*Simultas requiſita inter materiam, & formam Sacramenti.* 317.2. *& qua ſufficiat.* 318.2
Simul *vt ſimul non eſt priùs prioritate oppoſitâ illi ſimultati.* 802.25
*in* Singularibus *eſt ordo ſecundùm ordinem vniuerſalium.* 437. 17

S O

Soni *multiplicatio fit in tempore.* 87.23

S P

Species *aliter ſe habet ad ſacrificium, aliter ad Sacramentum.* 829.90
*Species an cauſet gratiam per ſe ipſam.* 421.46
*Species inſeparabilis eſt à contento.* 421.44
*Species intelligibilis ſeparata præſens an partialiter concurreret ad intellectionem.* 759.41. *& 23*
*Species panis & vini quomodo repræſentent corpus Chriſti verum, & myſticum.* 656.5 *&*
*Species ſupponit cauſam alterius rationis.* 15.13
*Speciei vnius ſumptio ſufficit ad effectum nutritionis ſpiritualis.* 474.27
*Species conſecratæ per aſſiſtentiam Dei habent virtutem conſeruatiuam ſui ſignati præſentis.* 416.31
*Species Euchariſticæ an cauſent gratiam.* 419.38
*Species Euchariſticæ an cauſæ ſubordinatæ reſpectu eiuſdem effectus.* 453.31
*Species Euchariſticæ idem ſignificant, quod forma verborum.* 537.7
*Species eo modo nutriunt quo panis.* 656.58
*Species in Sacramento Euchariſtiæ non componunt cum contento.* 418. 37
*Species integrant vnum Sacramentum.* 412.16
*Species non habent virtutem mouendi corpus.* 554.5
*Species non ſunt augmentabiles.* 769.25
*Species plures Euchariſticæ non conferunt maiorem effectu quàm ſi vnica particula ſumatur, quia ibi eſt ſumptio vna moraliter.* 451.26
*Species poſſunt augeri per appoſitionem, vel minui per ſubſtractionem.* 770.6
*Species quomodo cauſent gratiam.* 421.47
*Species Sacramentales nutriunt.* 608.10.610.9
*Specierum Euchariſticarum virtus vnde.* 419.38
*Species ſpectare ad ſacrificium.* 829. 89
*in Speciebus Euchariſticis an ſit vna tantùm ſignificatio.* 452. 28
*ex Speciebus generari aliquid quomodo contingat.* 785.23
*ſub Speciebus quid contineatur ex vi verborum, & quid concomitanter.* 634.85
Specificatio *Grammaticalis tantùm non eſt Sacramentalis.* 429.20
Spiritus *dabatur à Chriſto ante Baptiſmum.* 191.15
*Spiritus ſanctus ter datus Apoſtolis.* 396.72
*Spiritum conuerti poſſe in corpus reſpectu diuinæ potentiæ non eſt ſimpliciter impoſſibile.* 603.27

S T

Status *viæ imperfectior ſtatu gloriæ.* 143.24
*Status viæ in Virgine fuit perfectiſſimus in conceptione ſuâ.* 260.4
*Statum medium inter peccatorem & filium non dari, impugnatur.* 110.1
*in Statu innocentiæ non eſſet cultus ſenſibilis ſacrificij, & neceſſitas ſacrificij tolleretur in ſpecie, nec eſſet ad diſtinctionem, inſtructionem, aut exercitium.* 74.15
Stolæ *pro ſingulo vſus,* 840.135

S V

Subiectum *an concurrat ad productionem accidentis.* 726.62
*Subiectum an neceſſitetur primò ad formam in genere.* 507. 53
*Subiectum motus quomodo ſit in loco.* 652.125
*Subiectum non conſeruat, quà ſubiectum eſt.* 726.63
*Subiectum non dependet ab accidentibus in ſuo* eſſe. 591. 14
*Subiectum per modum ſubiecti cauſat recipiendo.* 713.40
*Subiectum quare ponatur in definitione accidentis, & non Deus.* 721. 18
*Subiectum quomodo prædicetur de toto.* 159.12
*Subiectum quomodo ſpectet ad conceptum formæ completum.* 722. 57
*Subiectum ſi ſit capax priuationis, erit & formæ.* 228.29
*Subiectum vnum aliud ſupplet, vel ſolus Deus.* 592.17
*à Subiecto dependens exigit ſubiectum eſſe.* 773.3
*in Subiecto eſſe non eſt de ratione quiditatiua accidentis ſecundùm Philoſophum.* 718.10
Subordinatio *duplex declaratur.* 54.112
*Subordinatio duplex inter effectus.* 754.17
*Subordinatio inter formas tollitur.* 644.114
Subſiſtentia *panis non manet, ſicut nec exiſtentia eiuſdem, aut vini in Euchariſtia.* 623.56. *&* 57
Subſiſtere *eſt ſubſtantiæ.* 592.18
Subſtantia *cauſat qualitatem conſequentem.* 751.25
*Subſtantia creata à Deo exiſteret modo ſibi naturali, id eſt, ſecundùm dimenſiones.* 503.42
*Subſtantia ens ſimpliciter.* 721. 54. *ordo inter illam & accidens.* *ibid.*
*Subſtantia intellectualis producit per intellectum.* 46.97
*Subſtantia panis non manet in Euchariſtia vnita hypoſtaticè Verbo diuino, aut corpori, & ſanguini Chriſti.* 621. 50. *quibuſdam rationibus probatur.* *ibid.* *&* 622. 50
*Subſtantia prior accidente tripliciter.* 51.30
*Subſtantia quæ redit, & à quo, corruptâ Euchariſtiâ.* 782.12
*Subſtantia quomodo conſeruetur ab accidentibus.* 671.44
*Subſtantia quo ſenſu totaliter ens.* 720.15
*Subſtantia ſola definitur primò.* 156.1
*Subſtantia tantùm corrumpit ſubſtantiam.* 748.21
*Subſtantiam definiri primariò, reliqua omnia, quæ ſunt vnum, etiam accidentaliter, & moraliter, ſecundariò definiri.* 58.3
*Subſtantiam nouam actione diuinâ redire.* 783.16
*in Subſtantia ad accidentia duplex ordo.* 732.5
*de Subſtantia materiali ſpecialis ratio.* 51.106
*Subſtantijs nobilioribus correſpondent nobiliores qualitates.* 731.9
*Subſtantias eſſe diuerſas vnde cognoſcamus.* 676.2
Succeſſio *accidentalis non manet in vacuo.* 23.37
*Succeſſio corporis in* eſſe *abſolutè, & in* eſſe *hic.* 629.79
*Succeſſio duplex in motu.* 23.36
*Succeſſio ex quo oriatur.* 23.37
*Succeſſio in introductione formæ ex duplici capite prouenit.* 82.4
*Succeſſio vnius ad aliud non impedit, quin creetur.* 765.16
*Succeſſionis cauſa in motu ex reſiſtentia mobilis ad motorem.* 23.36
*Succeſſionis cauſa in productione formæ.* 85.13

# Index rerum.


Succeſſiuum *ſucceſſiuè tantùm agit.* 85.15
Sumi *præcisè quid ſit.* 653.127
Sumptio *facta à Sacerdote an ſpectet ad rationem Sacrificij.* 625.70. *probabile eſt quòd ſit.* *ibid.*
*Sumptio ſignificat paſſionem.* 828.83
*Sumptio vel conſecratio vtra nobilior.* 846.20
*Sumptionis dignæ Sacramenti quis ſit effectus.* 447.9
*Sumptionis præceptum eſt diuinum.* 826.73
Supernaturale *determinatum in* cognoſci, *& non ſimpliciter.* 569.12
*Supernaturale in effectu non eſt ſupernaturale in obiecto.* 568.8
*Supernaturalia ſimpliciter in ordine ad* cognoſci *à creatura quæ ſint.* 569.12
Suſcipientem *Euchariſtiam an oportet eſſe ieiunum, & ſi ſic, quo ieiunio.* 460.3

S Y

Synagoga *debuit ſepeliri cum honore.* 194.5

T E

Temporale *idem ſicut non poteſt eſſe ſimul ſecundum tempus in diuerſis temporibus, ſic nec idem locabile ſimul ſecundùm locum in duobus locis.* 526.25
Tempus *conſummationis legis.* 198.37
*Tempus idoneum inſumendum in Miſſa.* 847.155
*Tempus præſcriptum communionis à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in albis, in quibus tamen locis ſit alio tempore.* 470.8
*Tempus præfinitum Incarnationis poteſt cadere ſub merito.* 146.39
*Tempus quo Iudæorum legalia fuerunt mortifera, incertum eſt, niſi forte ſubuerſâ Ieroſolymâ.* 209.82
*Tempus requiritur ad obligationem legis humanæ.* 204.55
*Tempus ſecundum Baptiſmi ſucceſſiuè incipiebat variis locis.* 201.11
*Tempora duo Baptiſmi.* 195.27.201.11
*Tempora quatuor Circumciſionis.* 202.12
Tentationem *primam vincentes in ſtatu innocentiæ, confirmarentur.* 75.17
Terminus *actionis accipit* eſſe *per eam.* 625.22
*Terminus* ad quem *annihilationis ſicut & terminus* à quo *creationis eſt nihil.* 661.7
*Terminus* à quo *animationis quis.* 320.20
*Termini* à quo *augmentationis, & diminutionis qui ſint.* *ibid.*
*Terminus* à quo, & ad quem *iuſtificationis.* 265.34
*Terminus* à quo *generationis.* 652.124
*Terminus* à quo *in* eſſe *ſubſtantiæ terminat.* 657.135
*Terminus* à quo *per accidens manet cum termino* ad quem. 521.20
*Terminus* à quo *quà deſinit, terminat.* 601.17
*Terminus communis reſultat ex natura quantitatis in fluidis, & ſubiectatur in partibus.* 770.7
*Terminus formalius pertinet ad mutationem, quàm ſubiectum.* 590.10
*Terminus mutationis corporis Chriſti ſpectat reductiuè ad* vbi. 502.11
*Terminus non excedit principium formale totale.* 33.59
*Terminus primus conuerſionis ſecundùm D. Thomam quis ſit.* 630.27
*Terminus vnus mutationis includit* non eſſe *alterius.* 658.3
*Termini æquiuoci vſus.* 66.22
*à Termino reſpectus aliquid dependere poteſt, quod non dependet à reſpectu.* 722.20
*Termini conuerſionis ſunt incompoſſibiles eo modo, quo terminant.* 626.24
*Termini in* eſſe *ſubſtantiæ conuertuntur.* 657.135
*Termini mutationis repugnant.* 623.59
*Terminorum duplex ordo.* 629.77
*Terminorum ordo ad ſe, & ad ſubiectum non variatur per locum.* 558.9

T O

Tolerantiæ *finis ceſſauit.* 209.82
Totum *cauſans cauſat vt partibus conſtat.* 634.85
*Totum continuum an diſtinguatur realiter à partibus.* 531.6
*Totum habens plures formas eſt completiùs ab vna.* 649.46
*Totum quomodo ſit actiuum.* 758.21

T R

Tranſitus *à contradictorio in contradictorium ſecundùm prædicatum reale, non fit ſine mutatione reale.* 501.9
Tranſmutatio *nulla potens ſtare cum Euchariſtia manente, petit redire ſubſtantiam illam actione diuinâ, aut agentis creati.* 783.14
*Tranſmutatio per agens creatum reſpicit ſubiectum commune.* 780.11
*Tranſmutatio quæ corrumpat Euchariſtiam, & quæ non, explicatur.* 782.13
*in Tranſmutatione corruptiua Euchariſtiæ nulla redit de facto ſubſtantia completa, vel incompleta.* 783.15
Tranſubſtantiatio *adductiua poteſt eſſe in præexiſtens termino* à quo *ſimpliciter manente, productiua neutro modo eſt poſſibilis.* 667.16
*Tranſubſtantiatio an ſit poſſibilis.* 585.1. *& ſeq.*
*Tranſubſtantiatio à quo fit.* 805.30
*Tranſubſtantiatio definitur.* 667.25
*Tranſubſtantiatio definitur ſecundùm naturam myſterij Sacramenti Euchariſtiæ.* 587.3. *quo ſenſu ſit poſſibilis.* *ibid.* 4. *in comm. ſoli Deo eſt poſſibilis.* *ibid.* 4. *in text.*
*Tranſubſtantiatio duplex* 626.23. 627.71. *adductiua poteſt eſſe in præexiſtens.* *ibid.*
*Tranſubſtantiatio eſt mutatio propriè dicta, vt quidam volunt.* 589.6. *impugnatur.* *ibid.*
*Tranſubſtantiatio non fit per nouam conſeruationem corporis Chriſti, & ſubſtantialem.* 593.21. *non exigitur conſeruatio noua ſubſtantialis.* *ibid.* 22. *ex vi verborum non infertur.* *ibid.* 24. *veritas formæ ſine ea ſaluatur.* *ibid.*
*Tranſubſtantiatio partialis an ſit poſſibilis in præexiſtens.* 625.22.
*Tranſubſtantiatio quid importet de formali & materiali.* 668.29
*Tranſubſtantiatio quid ſit.* 586.2. 587.3. *eius differentia à generatione, alteratione, & tranſmutatione.* *ibid.*
Totalis *in ratione nominis* tranſubſtantiatio *quid ſignificet.* 586.2
Tranſubſtantiatio *ſecundùm Doctorem,* eſt conuerſio totalis ſubſtantiæ in aliam cum ordine in eſſendo. 594.26. *conſonat Patribus, Myſterio, & Conciliis* *ibid.* 27. *in hac conuerſione adductio eſt actio concomitans, non terminus formalis.* *ibid.*
*Tranſubſtantiatio ſi eſſet productiua, fortè panis non annihilaretur, ſecus cum ſit adductiua.* 666.14
*Tranſubſtantiatio ſimilis creationi.* 88.24. *& an excedat.* *ibid.*
*Tranſubſtantiationis duplex acceptio.* 727.70. *& vtraque habetur.* *ibid.* 71
*Tranſubſtantiationis terminus non eſt modus aliquis ſubſtantialis.* 591.12
*Tranſubſtantiationem eſſe mutationem quare negaret Philoſophus.* 588.6
*ad Tranſubſtantiationem quid ſufficit.* 626.23
*ad Tranſubſtantionem ſecundùm aliquos quid requiratur.* 619.16
*de Tranſubſtantiatione quid ſit variæ ſententiæ.* 591.9. *& 10.*
Tridentinum *cùm præmittat Sacramenta perfici tribus, quid intendat.* 380.19
*Tridentinum tres effectus enumerat in Euchariſtia.* 447.11

V A

Valor *ex opere operato quis.* 836.125
Variatio *ſecundùm* vbi. 181.13

*de Variatione formæ Sacramentalis regulæ.* 168. 26. & 169. 27. 28. & 29

V B

Vbi *est respectus extrinsecus adueniens.* 502.11
Vbi *nouum vnâ, vel duabus mutationibus acquisibile.* 520.19
Vbi *respectus definitur, & ad illud est motus.* 352.4
Vbiquatio *plurium corporum in eodem loco totali videtur integrare vnam relationem vbiquationis passiuæ.* 68.29

V E

Vegetatiua *in planta, & bruto si contineant formam corporeitatis, idem erit de vegetatiua hominis.* 641.37
Verbum *aliquod principale si subtrahatur forma, nihil fit.* 179.11
*Verbum consignificat tempus, vel instans iuxta modum vnionis extremorum.* 437.15
*Verbum copulat iuxta naturam extremorum.* 443.50
*Verbum de præterito, & futuro non consignificat pro tempore prolationis, aliàs omnes propositiones de præterito, & futuro essent falsæ.* 439.19
*Verbum imperatiuè, aut deprecatiuè prolatum sufficit ad veritatem Baptismi.* 164.16
*Verbum incarnatum esse est tantùm relatio rationis in ipso.* 597.5
*Verbum præsens non consignificat nisi pro aliquo instanti prolationis.* 438.19
*Verbum, quando extrema vnit pro præsenti instanti, debet intelligi pro instanti completæ prolationis.* 442.47 & *seq.*
*Verbum quomodo terminet Incarnationis actionem.* 597.4
*Verbum, si est præsens, & consignificat instans, significat instans prolatæ orationis.* 437.16
*Verbum consignificare instans, vel tempus propriè dictum pertinet ad multiplicitatem tertij modi æquiuocationis.* 437.15
*Verba æquiualenter dicuntur signa per nutum.* 161.2
*Verba aliqua post* sanguinis mei *esse de substantia formæ calicis, non est certo asserendum.* 431.9
*Verba an requirantur in Matrimonio, & commodo.* 160.2. *in comm.*
*Verba consecrationis quot sint.* 423.4
*Verba consecrationis sunt forma vna integritate, sed plures partiales.* 422.3
*Verba formæ Sacramentalis attenduntur, non modus formandi.* 303.4
*Verba* hoc est corpus meum, *sine præcedentibus an significent ibi esse corpus Christi.* 423.4. & 5
*Verba in forma Baptismi duplicia.* 168,23
*Verba non accedunt vt circumstantia ablutionis, quia ablutio sufficienter per alia specificatur,* 157.5
*Verba non influunt Physicè in conuersionem neque actionem, neque modum eius.* 596.2
*Verba omnia quæ adduntur in Ecclesia Latina non spectare ad formam consecrationis calicis; vel si spectarent, quid sequeretur absurdi.* 428.16
*Verba omnia, quæ ponuntur in forma consecrationis tradita in Canone, an sint essentialia.* 428.12
*Verba pertinentia ad eandem orationem non pertinere necessario ad eandem formam, & quare.* 427.8
*Verba, quæ adduntur in forma calicis, explicantur.* 430.27. 431.27
*Verba quare dicantur forma in Sacramentis.* 161.4
*Verba sunt forma consecrationis, non Eucharistiæ.* 409.6
*Verborum corruptio quæ annullet formam.* 181.12
*à Verbis aliàs illicitis aliquando cauendum.* 496.26
Veritas *formæ Sacramentalis quandoque dependet à conditione fallibili.* 414.25
*Veritas per sensum figuratum non excluditur.* 495.26
*Veritas practica formæ.* 444.54. *est prior speculatiua, & quomodo hæ duæ distinguantur.* ibid.
*Veritas practica Sacramenti, & significatio formæ in quo consistant.* 262.21
*Veritas speculatiua supponit practicam.* 613.24
*Veritatis fundamentum Ecclesiæ definitio.* 338.8
*Veritates contingentes reducuntur ad voluntatem, earumque ordo.* 6.3. *in comm.*
*Veritates Theologicæ quomodo reducantur in Deum.* ibid.
Versio *triplex.* 590.10
Vestimenta *communia Episcopis, & Presbyteris sex sunt.* 838.9
*Vestimentorum sacrorum numerus sex.* 840.134
*Vestimentorum sacrorum vsus est antiquus.* 840.133. *& ad conficiendum Sacramentum necessarius.* ibid.

V I

Viator *debet fieri membrum Ecclesiæ visibilis.* 256.3
Victimæ *dicebantur Pascha.* 680.16
*Videri posse aliquid non viso coniuncto.* 578.26
Vinum *dicitur absolutè esse materia, ideò excluduntur alij liquores.* 691.17
*Vinum in vua quare non sit consecrabile.* 687.1. *excluditur agresta.* 688.3. *congelatum an sit sufficiens materia.* ibid. 4
*Vinum significat sanguinem, & aquam populum.* 692.21
Virginis *Baptismum primus inter Scholasticos asseruit Doctor.* 259.11. *pro qua congruentia specialis militat.* 259. ibid.
*Virginis Beatissimæ meritum in conceptione filij.* 261.19
*Virginis exemptio à Baptismo sustinetur.* 259.12
*Virginis merito non derogat, quòd non fuerit causa gratiæ sanctificantis.* 261.17
*Virginem Beatam fuisse baptizatum sub dubio est.* 257.3
*Virginem in conceptione filij peruenisse ad terminum gratiæ.* 259.12
Virtus *creatiua annihilati restauratiua.* 778.6
*Virtus intensa instrumenti vnde colligatur.* 93.42
*Virtus Physica si infunderetur signo sensibili in Sacramento, esset independens ab intentione ministri, esseteque permanens, & superfluè sic impressa.* 93.39
*Virtus quæ possit super distantiam.* 21.33
*Virtus supernaturalis in Sacramento daretúrne ante applicationem, an verò post.* 89.9
*Virtus supernaturalis quomodo esset in Sacramento.* 89.8
*Virtuti creatæ aliqua repugnant, quæ simpliciter non repugnant.* 523.21
*Virtutem ministerialem respectu gratiæ creandæ communicari ministro an repugnet.* 52.108. *respondetur.* 53.109
*de Virtute accidentis ad productionem substantiæ controuersia vulgaris.* 739.1. & 2
*Virtutes, & substantia, sicut & quantitas sine extensione continentur sub obiecto naturali intellectus Angelici.* 567.3. & 4. *species etiam separatæ, & substantia corporis Christi sine extensione.* ibid. & 5
*Virtutes infusæ solùm demeritoriè corrumpuntur à nobis.* 54.33.55.113
*Virtutes infusas dari, fide tantùm, vel saltem non ratione, probari potest.* 222.4
Visio *Christi vt hîc per lumen naturale non admittitur possibilis.* 579.34
*Visio intuitiua quomodo se habeat ad obiectum.* 548.4
*Visio vossiune esse sine perceptione obiecti.* 576.5.
*Visio succedit fidei quoad primum obiectum.* 571.14. & 15
*Visionis creatæ Christi perfectio supra reliquas.* 44.90
*Visionem extendi ad obiecta secundaria arguit perfectionem.* 43.90. *sed hæc perfectio vnde sumatur* 44.90
*inter Visionem in Verbo, & cognitionem in proprio genere assignatur disparitas.* 41.79

# Index rerum.


*Visionem sub ratione operationis esse in Eucharistia.* 549. 10

Vita *aliter derivatur in corpore mystico, aliter in corpore naturali.* 285.6

*Vita corrumpi potest à non actuo.* 642.106

*Vitam auferre alteri aliud est, & aliud non conservare.* 294. 3

Viuens *perfectius non viuente.* 740.2

V N

Vnctio *debet fieri in fonte, & quare.* 378.14

*Vnctio extrema à iusto sumi debet, præmissâ confessione, & viatico regulariter, quæ tamen in casu datur sine his.* 478. 38

*Vnctio extrema immediatè à Christo instituta.* 137.10

*Vnctio fiebat in alijs partibus apud Græcos, & Orientales.* 378.14

*Vnctio supponit consensum vniuersalem.* 240.5

*Vnctionem Chrismatis retinuit Ecclesia à Synagoga.* 380. 23

*Vnctionem definit hîc Doctor per materiam proximam; & quæ sit illa materia.* 378.13

*Vnctionem in fronte esse de essentia Sacramenti Confirmationis asserit Doctor, & benè.* 378.14

Vniformitas *motus à Deo, differentia ab inferioribus.* 11. 5

Vnio *an educatur de potentia subiecti.* 714.45. *& an dicat relationem ad proprium subiectum.* 715.45

*Vnio extremorum talis est inter se, qualis cum medio.* 530. 3

*Vnio hypostatica, & modus absolutus essendi quomodo differant.* 706.11

*Vnio in quo prædicamento ponatur.* 716,50

*Vnio nequit esse Physicè a Sacramento.* 97.51

*Vnio quædam nostræ carnis cum Christo, effectus Sacramenti Eucharistiæ, & de ea controversia.* 448. 17. *quid sit hæc vnio, & in quo consistat.* 449. 17. *declaratur.* *ibid.*

*Vnionem extremorum intelligi pro vltimo instanti prolationis non habetur ex vi sermonis.* 439.20

Vnitas *accidentium posterior vnitate substantiæ.* 637.97

*Vnitas aliter comparata ad totum, & partes, diuersam tribuit appellationem.* 531.6

*Vnitas baptizantis quomodo requiratur ad Baptismum.* 316.8

*Vnitas numerica Eucharistiæ vnde sumatur.* 413. 21.414. 23. *quæ continuatio ad eam requiratur, & sufficiat.* *ibid.* 22

*Vnitas Sacramenti ab vnitate subiecti, vel significationis, secundùm aliquos.* 310.2

*Vnitas Sacramenti non à significatione mystica, aut effectu desumenda.* 411.13

*Vnitas Sacramenti Pœnitentiæ vnde sumatur.* 312. 15

*Vnitas Sacramenti vnde sumatur.* 310.6.411.13

*Vnitas suppositi non facit ad vnitatem numericam corporis.* 637.97

Vniuersale *non esse à parte rei.* 57. 3

*Vniuersalius perfectione quid.* 11.7

*Vniuersalius prædicatione quid.* *ibid.*

Vniuocatio *inter causam & effectum in quo consistat, & quando destruatur.* 16.15

Vnum *per se quid.* 56.2

V O

Vocationis, *& mediorum diuersitas.* 273.13

Volens *ex metu quomodo id verè velit.* 238.4

*Volens ex metu, simpliciter vult.* 237. 3

Voluntas *an sit perfectior intellectu.* 370.3

*Voluntas contraria quid sit.* 239.5

*Voluntas creata non agit actu transeunte, vt principium elicitiuum.* 46.98

*Voluntas Dei de infante baptizando inuitis parentibus, vnde colligenda.* 280.19

*Voluntas Dei an sit formaliter infinita.* 804.30

*Voluntas diuina, licèt non includat relationes, est tamen formaliter infinita.* 805.33

*Voluntas diuina quomodo infinita.* 805.31

*Voluntas duplex in Deo.* 128.54

*Voluntas excitans non præscindit ab opere.* 293.16

*Voluntas iniqua parentis nequit esse infantis.* 279.12

*Voluntas nullo modo diligens iustitiam, quomodo mala.* 367. 33

*Voluntas simplex non est votum.* 457. 38

*Voluntas tantùm quiescit in bono infinito.* 45. 94. *idem est iudicium de intellectu.* *ibid.*

*Voluntas terminans dependantiam quomodo varietur.* 727. 68

*Voluntas tres habet gradus secundùm Augustinum.* 367. 34

*Voluntas virtualis sufficit ad Sacramentum, sicut & habitualis primo modo dictus.* 239.3. & 4

Votum *Sacramenti requiritur, sine quo reconciliatio non debet adscribi contritioni.* 227.24

V R

Vrina *quomodo aquinocè sana.* 720.17

V S

Vsus *primitiuus Ecclesiæ Orientalis de obseruatione Paschatis.* 680.18

V V

Vulnus, *& cicatrix manent, mutato loco.* 557.8


FINIS.

## ERRATA.

Fol. 30. col. 2. lin. 8. *quæ* leg. *qua.*
Ibid. lin. 33. leg. *singularis.*
65. col. 2. n. 19. lin. 16. leg. *aspersus.*
262. col. 2. lin. 5. leg. *institicato.*
294. col. 1. n. 2. lin. 3. leg. *practicus.*
310. n. 3. lin. 5. *est* leg. *&.*

Fol. 379. n. 16. hæc verba *in figura crucis*, transponenda sunt in lin. 9. *eiusdem* numeri, proximè ante illa, *Hæc est secunda.*
476. n. 34. lin. 8. leg. *peccati.*
600. n. 19. lin. 7. leg. *affectum.*
696. n. 34. lin. 11. pro *I.* leg. *primùm.*